BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVIII 3437

LVIII.D.2.

1832

9307

registr


TRACTATVVM
THEOLOGICORVM
Ex I. p. Doct. Angelici.
Authore
A.R.D. ADAMO OPATOVIO,
S. Th. Doct. & in Acad. Crac.
Profeſſ. Eccl. Cath. Crac.
CANONICO.
PARS PRIMA
S. Adalbertus.
S. Stanislaus.
MDC XLIV
CRACOVIÆ
In Officina Typ. CHRISTOPHORI SCHEDELII, S.R.M. Typ.

11.525

XVII - 3437 - III

INSTYTUT OSSOLIŃSKIEGO

11.525

Ex libris S. Alexij Opolinski Canci Cra: et Varmie
Jm. Michaeli Fratri oblaty

Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Dño,

D. MATTHIÆ LVBIENSKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPO GNESNEN.

LEGATO NATO,

REGNI POLONIÆ PRIMATI,

PRIMOQ; PRINCIPI.

Dno Patrono Colendiſſimo

Perennem cæleſtium gratiarum vbertatem P.

N*On mediocriter pertimeſco, Illuſtriſsime Antiſtes: ne quis hanc meam, Auguſtiſſimo I. C. V. Nomini dicatam, vnâ cum Tractatibus inſcriptionem, alicuius audaciæ & inconſultæ temeritatis accuſet, quòd operi meo mole ſua ſatis perexiguo, Amplitudinem I. C. V. Dignitate Archiepiſcopali fulgentem, & quibuſuis primariis Prærogatiuis Honorum* LEGATI NATI, REGNI POLONIAE PRIMATIS, *&* PRIMI PRINCIPIS, *tanquam ſtellis radiantem, in Patronum elegerim.* Principes *magni, quos ſuprema Poteſtas ſupra*

ſortem

ſortem ſubditorum populorum euexit, & in ſummitate gubernandi conſtituit, non alio; niſi, quod ſit ſublime, delectantur: grauemq́ʒ ſuæ Dignitati iniuriam fieri exiſtimant; ſi leuioribus occupentur. Nemo enim vnquam dubitauit, magnos Viros, ad gerenda magna negotia, & ſua varietate multiplicia, deſtinatos eſſe; illoſq́ʒ tanquam benefica Numina diuinitus data publicæ commoditati: ideo non rebus contritis, & ex media plebe conquiſitis honorandos eſſe; ſed quæ illorum Dignitati reſpondeant. Verùm idem ille, quiſquis eſt, qui me prohibere vult aditu I. C. V , fateatur neceſſe eſt, (niſi eum terrena cogitatio, ignara cæleſtium, in profundum mundanæ ſolicitudinis demerſit) ipſum Deum, qui in excelſo Solio ſedem Maieſtatis gloriæ ſuæ poſuit, maximè his, quæ ſunt parua delectari. & ideo carnis noſtræ mortalitatẽ induens, paruulꝰ natus eſt: & parua ac ignobilia mũdi ad miniſterium ſuæ infantiæ elegit: atq́ʒ ad conſortium Diuini honoris admiſit: eademq́ʒ in toto decurſu vitæ ſuæ dilexit: ſeq́ʒ primarium Doctorem paruitatis, atque etiam humilitatis profitetur; dum hanc ex ſe diſcendam admonet: Diſcite à me: quia mitis ſum & humilis corde. *Exclamat D. Aug. de S. Virginit. cap. 35. præ admiratione:* Itané magnum eſt, eſſe paruum, vt niſi à te, qui tam magnus es, diſci non poſſet? Ita planè. *Conſentit & D. Cyprianus de Natiu. Chriſti:* hanc primam gratiam *inquit*, ingrediẽs mundum noſter paruulus attulit, & à cunabulis nos ſibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in Perſona. *Hunc amorem ardentem, quo Deus afficitur erga humilia, expreſſit Pſaltes his verbis:* Quis ſicut Dominus Deus noſter? qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? *Quanto autem odio in faſtuoſos feratur, ſic deſcribit:* Accedet homo ad cor altum. *cùm videlicet de ſe magnifica animo voluit, & cæteros præ ſe contemnit: & inde, hoc commodi habebit:* Exſaltabitur Deus. *ab hoc tanquam à raptore gloriæ ſuæ, recedet. Quid verò optimus Princeps? an non viua imago Dei, veris Diuinarum perfectionum lineamentis adumbrata: & illis, quibus præeſt, ad imitandum propoſita? Vt ſicut Princeps in ſe, ac in tota vitæ ratione ſummas Dei virtutes, tanquam in tabula depingere conatur: ita vniuerſus populus vitam illius, tanquam archetypum ob oculos ſibi poſitum intuendo, ad illius exemplar vitam moreſq́ʒ componat. Inter admiranda autem Dei opera, & nobis manifeſtata, nihil tam ſtupendum & æternis laudum encomiis magis celebrandum, quàm cùm ex ſe, qui eſt fons & origo*

origo vitæ, eandem diuerſis creaturis, etiam viliſſimis communicauit. Glorioſus Deus noſter, in illa æternitate nullis vnquam myriadibus ſæculorum finienda, vitam ducit beatiſſimam, in abundantia, omnium bonorũ atq; gaudiorum pleniſſima, nullius rei indigus. Quâ enim re indigeret? promptuarium omnibus theſauris ſapientiæ, & ſcientiæ inſtructiſſimum. A quo indigeret? qui omnia, quæ ſũt in cælis, & in terra, tanquam author Vniuerſi, ſolus ſine principio, anteceſſit. Gloriantúrq; ſingula, quòd præter mirabile opificium in ſuis naturis concinnatis relucens, & præter ineffabilem, & nulla ſagacitate ingenii comprehenſam diſtinctionem ſui adinuicem, etiam ad munia ſibi determinata præſtanda acceperunt auxilia, & ſubſidia inſerta & radicata medullitus, ſummoq; cum gaudio geſtiendo, Dei gloriam enarrant, quòd ſint Diuini ESSE *conſortia, & quòd illis nihil eorum deſit, quæ ad perfectionem & conſeruationem vitæ ſuæ ſpectant. Hic igitur benedictus Dominus Deus noſter, Rex omnium ſæculorum, in cuius domo gloria & diuitiæ, ex ſua miſericordi bonitate, voluit in conſortium & ſocietatem vitæ ſuæ creaturas admittere. Non ſatis habuit, quòd infinita cæleſtium Spirituum agmina produxerit; inſuper & hominem ſua imagine decoratum eſſe voluerit: ſed effudit ſuam liberalẽ munificentiam, ad procreationem etiam minimarum creaturarum. quarum pulchritudinem ita commendat, vt vnius lilii decorem, gloriæ veſtium Salomonis anteponat. Verba ſunt Saluatoris:* Conſiderate lilia agri: dico autem vobis, quòd nec Salomõ, in omni ſua gloria; coopertus eſt ſic, ſicut vnum ex iſtis. *Et quãuis tam Salomon; quàm lilia, habeãt decorem à Deo ſibi conceſſum: Lilia tamen iudicio Diuino, vincunt gloriam veſtium Salomonis. Vni Lilio agri, quod hodie eſt & cras in clibanum mittetur, maiorem Deus contulit pulchritudinem; quàm Regi Salomoni: & ſicut hic, in Sapientia, & diuitijs magnificatus eſt ſuper omnes Reges terræ: ita lilium pulchritudine decoris ſui magnificatum eſt, ſuper gloriam veſtium eius. Per hanc igitur mirificam ſui communicationem, voluit etiam in minutiſſimis creaturis ſuæ Maieſtatis gloriam ſplendeſcere, illis eximia quædam & peculiaria dona largiendo, quibus altioris gradus, & nobilitatis creaturas ſuperarent. Hanc primariam virtutem communicandi ſe creaturis, vbi primum optimi Principes in Deo agnouerunt: eam in ſeipſis, actionibuſq; ſuis effingere conati ſunt, ita: vt omnibus ſui copiam facerent, neminem ſuo aditu prohiberent; ſed vnumquemq; cuiuſuis conditionis obuijs humanitatis vlnis exciperent.*

perent. Et hic iam opus non habeo, memoriam antiquitatis renouare, & ex ea in medium viros hâc virtute inſignes producere; cum eam in Te, tanquam abſolutam imaginem viuis coloribus delineatam, intueamur. Patientiæ miraculum, fortiſsimus Athleta, glorioſus ex toties proſtrato tenebrarum dominatore triumphator, Iob (inquam) mortalium patientiſsimus, gloriatur: quòd cum eo ab infantia miſeratio creuerit, & quòd de vtero matris eius egreſſa ſit cum eo: nullumq́; ne breue quidẽ ſpatiũ tẽporis interceſſerit: quo Iob exſtitit, & cum ipſo miſericordia, omnium neceſsitatibus proſpiciens, tanquam benigna parens, non exſtiterit. ſimul ab eodem principio prodierunt: & quo momento ſol iſte Iobum progenitum aſpexit, eodem miratus eſt, cum eo naſci benignitatem, iam etiam ad benefaciendum paratiſsimam. Hoc tam præclarum miſerationis elogium, & ſui largiendi promptiſsimum ſtudium, cui magis, hac præſertim ætate, & his, ab inſatiabili cupiditate habendi corruptis moribus, tribuendum? quàm Tibi (abſit Verbo inuidia) Illuſtriſsime Antiſtes. qui non ſolùm Tua, ſed vitam ipſam, quâ poſt Deum nihil charius habes, omnium commodis impendis. Verè ex vtero matris egreſſa eſt Tecum miſeratio, ſcilicet hanc virtutem ex miſericordiæ amantiſsimis Parentibus ſimul cum origine traxiſti. Magnum eſt & in magni beneficij loco habendum, naſci Parentibus Sanctiſsimis, ex quibus ad inſignes virtutes, naturæ præclara indoles & propenſio in bonum propagatur. Eademq́; miſeratio creuit Tecũ ab infantia. Tua enim in dies adoleſcente ætate, etiam humanitas & ſtudium benefaciendi incrementa capiebat Quid verò dicam? niſi enim dixero, ipſa publica fama, plurimis iiſdemq́; heroicis excitata in animis hominum argumentis, meritò me coargueret. Poſtquam ad munus Epiſcopi Diuina ordinante voluntate aſsumptus es, continuò omnes quicunq́; Tuarum virtutum conſcij erant, votis & comprecationibus Te proſequendo, occaſionem ſibi probandæ ſuæ induſtriæ oblatam eſſe gratulabantur. Tu verò illud Apoſtolicum monitum religioſè obſeruare ſtuduiſti, ſemper illud in receſſu mentis Tuæ recogitans: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: *à Temetipſo hanc, formidoloſam etiam ipſis humeris Angelicis, prouinciam exorſus es, diligenter cum rigida animaduerſione, in vitam, moresq́; Tuos inſpiciens: vt; & dominico gregi, ſpeculum eſſes bonorum operum & qui ex aduerſo ſunt, nihil haberent; in quo Te reprehenderẽt. Nã ſalutẽ*

animarum

animarum commiſſarum, etiam nunc cum infatigabili ſtudio curas: vt pro his non ſolùm varia diſcrimina adire; ſed etiam Animam deponere ſis paratus. Tribus Epiſcopatibus, mutuo ſe ordine ſubſequentibus in Antiſtitem, illorum, nõ Tuis rationibus poſtulantibus, datus es. Quomodo enim Tuis? Qui ex innata Tibi liberali tui communicatione, totum Te, & omnia Tua, cultui diuino in eis amplificando addixiſti. Quomodo non illorum? ſiquidem ornatiores, & ſplendidiores, & nouis fundationibus auctiores, reliquiſti. Ignoſces Illuſtriſſime Antiſtes (ſcio enim, quàm ſis longè ab omni iactantia alienus) ſi beneficentiæ Tuæ aliqua ſaltem monumenta, ad immortalem memoriam erecta, commemorauero: nam hæc etiam me tacente in omnium oculos incurrunt: & non alio conditore ſui, quàm Teipſo gloriantur. Prima Tua ſolicitudo Paſtoralis, in regenda Eccleſia Culmenſi eluxit. in qua, cum quàm plurimi Fidelium reperirentur, qui à Charitate Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt vinculum veritatis & charitatis auulſi eſſent, Græcorum mores & ritus ſequerentur, & hic grauiter indoluiſti: inuocatoq́; de cælo auxilio duobus remedijs, quæ multum valent ad animas ab errore reuocandas, & in debito officio retinendas, huic perniciei occurrere ſtatuiſti, prædicatione Verbi diuini & vitæ probitate. Viros itaq́; in Scientia Dei exercitatiſſimos adhibuiſti, qui veram doctrinam contumaci populo, in lenitate Spiritus annuntiarent; &, quanto in diſcrimine æterni interitus verſarentur, explicarent. Et cum pro animabus illorum libentiſſimè Te impenderes, atque etiam ſuperimpenderes; nec vllus inde fructus & profectus ſpiritualis haberetur: Ezechielis Prophetia Teipſum ſolabaris. Si annuntiaueris impio: vt conuertatur à viis ſuis; & ille non fuerit conuerſus à via ſua impia, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur: tu autem animam tuam liberaſti: *In Sanctis tamen inſtitutis, atque inprimis in paternis exhortationibus, vniuerſam circumiens ac luſtrans Diœceſim, quoſdam ex Clero in vita integerrima confirmaſti, quosdam qui ſuæ vocationis obliti, paulò licentiùs viuerent, condigna animaduerſione, ad tremendi miniſterij propoſitum, reduxiſti. hoc nempe vnum agens, vt hi, qui in ſortem Domini vocati ſunt, & quibus cæleſtium myſteriorum diſpenſatio commiſſa eſt, prouiderent bona, non tantùm coram Deo; ſed etiam coram hominibus: ne per eos nomen Domini blaſphemetur, pro cuius gloria, lingua, opere, & ipſo ſanguine decertare deberent. Viuus quidem eſt, & efficax ſermo Dei: validiora tamen*

ſunt in-

ſunt intemerata exempla, vt meliori ſucceſſu doceamus inculpatâ vitâ; quàm argutis Dictis? Hos laborum conatus, non ſine fructu, incrementa ſumentes, aſpiciebant aliæ Eccleſiæ, & zelo pio inardeſcentes ſuſpirabant, Te ſibi in Paſtorem dari cupientes. Nec illarum deſideria in longum dilata ſunt. nam breui poſt duarum, Poſnanienſis & Vladiſlauienſis, ſucceſſiuo tempore gubernacula ſuſcepiſti, eademq́; ſumma cum laude moderatus es: Tunc enim erat videre Sacerdotum dignitatem florere: verèq́; vices mediatoris inter Deum & homines obire: die ac nocte in diuinis Officijs decantandis verſari: Deumq́; per frequentes oblationes, interuentu ſacrificij placari. Habuit tunc Sacra doctrina, ab ore docentium profluens, firmum fundamentum, vitæ ſanctitatem: & ideo penetrabilior erat gladio ancipiti, pertingens vſq́; ad diuiſionem Animæ & Spiritus, amputans & reſecans, quicquid erat animale, ab eo, quod eſt Spirituale. Et ea de cauſa plurimi fidelium deponebant veterem hominem, qui ſecundum deſideria carnis corrumpitur, & renouabantur Spiritu mentis ſuæ, induētes nouum hominem, qui eſt ſecundum Deum. Templis obſcuratus decor, & ornatus neglectus, Tuâ præſertim munificentia accedēte reſtituebatur: atq́; etiā nunc plurimis in locis reſtitutus cernitur. Gloriatur Poſnanienſis Eccleſia, ſe ære contectam, atq́; etiam aduerſus iniurias cæli, & incendiorū munitam eſſe. Vladislauienſis palam confitetur, nitorem & robur labantibus parietibus, Tuâ liberalitate redditum eſſe, turreſq́; ſuas plumbo armatas contra tempeſtates deprædicat: plurimiſq́; veſtibus ſacris, & varia ſupellectili argentea ſe locupletatam eſſe. Reliqua verò nobiliſſima ædificia magno Tuo ſumptu excitata, quid commemorem? loquentur hæc eadem ipſa in ſera poſteritate, & omnium aures Tuarum virtutum gloria complebunt. Sacellum ipſum in Æde Sacra Montis Clari incluſum, quod toto orbe celeberrimum habetur, ob imaginem Intemeratæ Virginis, nouis in dies miraculis coruſcantem, quod in formam ampliſſimam & perſimilem Baſilicæ, Regio & Magnifico ſumptu erexiſti. annon Tuum celebrabit nomen? & quo fueris animo, in honore Magnæ Matris à vetuſtate vindicando, annon teſtabitur? tibiq́; piorum voces cæli mercedē an non comprecabuntur? Et vt multa in pauca conferam, etiam in Monaſterijs ſigna munificentiæ exſtare voluiſti, modò collapſa reſtituens, modò de nouo ſurgentia, non vulgari ſumma pecuniæ attollens: nunquam tamen curam in alendis & veſtiēdis pauperibus intermittebas. Hoc demum eſt, Epiſcopum eſſe, ex annuis reditibus Eccle-

bus Eccleſiæ, vix aliqua parte relicta ſuis vſibus moderatis, reliqua in ſinum ſuæ Sponſæ, & in egeſtatem pauperum ſuſtentandam effundere. His tantis ac tam ſublimibus virtutibus, voluit adhuc Deus, ſedē Archiepiſcopalem ornare; & cū de ea prenſanda (nam modus eminendi ſuper cæteros, nunquam Tibi placuit) minimè cogitabas. atquè intra terminos, & limites Tui Epiſcopatus, Deo ſeruiens, & ſtrenuè negotium animarum promouens, ſupremū exitum præſtolabaris; hæc ipſa ſumma Dignitas, Tibi non ambienti, & prorſus præter Tuam opinionem delata eſt. Quo nuntio accepto Eccleſia Vladislauienſis, tanquam lethali vulnere ſauciata, grauiter ingemuit, quòd clementiſsimo Parente orbaretur. Pauperum & Viduarum lugubres conqueſtiones exaudiebantur. ipſi Epiſcopalis agri vermiculi, (Colonos intelligo) præ dolore erumpentes lacrymas continere non valentes, voce lamentabili confitebantur: quòd nullis exactionibus grauarentur: inſuper nouo & inſolito beneficio afficerentur: dum ſibi omnia debita condonarentur, quæ illorum egeſtas in laboribus antiquitùs præſtitis contraxerat. Et in hoc eminētiſsimo munere, quod grauiſsimis & Eccleſiæ & Reipub. negotijs oneratum eſt, diuina gratia ſeniles vires confirmante, ita contendis: vt omnes officij partes adimplere poſsis. Eo quoq; beneficio, voluit Deus benignitatem Tuam conſolari, vt in cogenda Synodo Prouinciali Tua ſolicitudo exſtaret, etiam ad poſteros tranſmittenda. Quanti autē laboris ſit, in cōmune conferre conſilia, & ſolicitè præcauere, ne in aliquo à tramite, & vera fidei regula ſit diſceſsū; quid opus referre? & hāc, quāuis in ætate curis & ſolicitudinibus Eccleſiarū grauata, alacriter ſuſcepiſti & feliciſsimè finiuiſti, relictis ſalutaribus & ſāctiſsimis ſancitis, quibus immunitati rerum fidei proſpexiſti, & morum diſciplinam arctiùs cuſtodiendam commendaſti. Nemini itaq; audax videri debeo, quòd huic operi meo in lucem prodeunti tantum PRINCIPEM *in Patronum elegerim, cum eius in omnes, tam admirabilis ſit propenſio, tam ſuauis morū māſuetudo, & ſermonis affabilitas, & tā popularis grataq; omnibus bonitas: vt omnis conditionis, ac ſtatus homines, ad ſe trahat, & hilares à ſuo conſpectu dimittat, vt qui eam experti ſunt, ſatis verbis explicare nequeant. Illud quoq; animum meum induxit, quia non alteri conueniebat; niſi ſupremo* ANTISTITI, *& huius Regni* PRIMATI, *primarias Fidei difficultates & aliorum myſteriorum commendare, cuius eſt iudicare: ne quid in eis lateat, quod ſit à vero ſenſu Eccleſiæ alienum. Ad extremùm exigebat à nobis, & quidem iure*

ſuo meri-

ſuo meritiſsimo amor Tuus ſingularis, quo nos & ſtudia noſtra ſemper complexus es, nullam vnquam intermittens occaſionem, immunitates noſtras vindicandi. Pro qua inſigni beneuolentia, cum par rependere non poſsimus, hos ſaltem Tractatus, teſtes noſtri grati animi exſtare optamus, eosque I. C. V. dicamus & conſecramus, atq; vt ſub alis patrocinij I.C.V. placidiſsimè cõquieſcãt cupim⁹. Noſtrarũ partiũ erit, inſtare orationibus, Deũq; precari, vt hãc incolumitatem, licet ingraueſcentem in longiſsimum tempus ſuperſtitem, & florentiſſimam, ad ſui Nominis gloriam conſeruet. Dat: ex Collegio Maiori 12 Martij. Anno Dñi 1644.

Ill: ac Reuer: Celſ: Veſtræ,

Indignus coram Deo exorator

ADAMVS OPATOVIVS.

Bene-

Beneuolo Lectori, in inſtitutione Academicæ Iuuentutis Profeſſori.

STudium bene merendi, non ſolùm de illa Rep. quæ plurimorum ſalutem, & dignitatem eſt complexa: verùm etiam de illo cœtu hominum; qui communibus legibus conſociatus, & ſuorum oblitus cõmodorum, in perpoliendis ingenijs verſatur, ſemper animi excelſi & virtutis heroicæ fuit argumentũ. Hi enim non ſibi; ſed aliorum neceſsitatibus, nati eſſe videntur. non quærunt, quæ ſua ſunt: verùm illa; quibus Dei honorem, proximorum vtilitatem augere, tueri, atque conſeruare queant. Tantaq; animi lætitia efferuntur; ſi quando alijs, etiam cum diſpendio rei priuatæ profuerint: quantam vix vnquam deguſtarunt; qui multis & pretioſis opibus rem ſuam auxerunt. Hos tantopere venerata eſt antiquitas: vt non tantùm ſimiles; ſed proximos Deo faceret: illisque in æuo Beatorum ſempiterno, certum ac definitum locum deſtinatum eſſe arbitraretur. *Nihil tam Diuinum homo habet* (inquit Greg. Nazianzen.) *quàm de alijs benè mereri: tametſi ille maiora, hic minora conferat beneficia, vterq; nimirum pro ſuis vribus. Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Succurrere calamitati, quæ corpus afficit, & inedia vitam atterit, eſt liberalitatem Dei imitari. Qui autem animi indigentiam, quæ ex horrendis ignorantiæ tenebris prouenit; veræ cognitionis, ſine qua ſalus æterna haberi non poteſt, lucem largiendo propulſat; an non opus Dei exercet? dum illius Diuinam ſimilitudinem menti humanæ impreſſam, illæſam à contagione peccati conſeruat. Quid verò hic noſter mutuus animorum conſenſus commorandi ijsdem in ædibus? in quibus ſolùm anguſtis diſtinguimur habitaculis: ipſa quoq; vitæ ratio, quæ legum præſcripto ordinata & firmata nobis prorſus eadem, an non eò collineat? vt de Deo & hominibus, quàm optimè ſemper merendo, ſeriam eandemque ſedulam curam animorum exercendorum adhibeamus: vt

cognitione ſummi boni illuſtrati, morumque probitate inſtructi, æternā felicitatem, quæ eſt ipſe Deus, conſequi & eadem perpetuò frui poſſint. Hoc vitæ inſtituto neſcio, an aliud magis honeſtum & vtile vniuerſo humano generi reperiri poſsit. Tolle ex mentibus hominum Dei, illiuſque perfectionum, atq; etiam beneficiorum intelligentiam, hominem funditus ſuſtuliſti: illiuſque animæ perniciē & mortē æternam accelerasti. Quid enim huic ſalui eſſe poteſt? aut in quo ſpē vlterius, quæ eſt ſupra omnes ſpes æternæ mercedis radicare poterit? qui ſui Conditoris cognitionem non habet? Quid illi magis obuium? niſi vt dolenter conqueratur? *Omnibus eadem via mortis calcanda eſt. omnes idem ſine diſcrimine exſpectat interitus. & qui modò ſumus, breui deſinemus eſſe.* Atque hoc lethali iaculo proſtratus animus, laxat mox cupiditatibus habenas, nullumq; diem præterire patitur, quo ſe nouis & exquiſitis voluptatum illecebris atque ſordibus non contaminet. At verò mens, diuinis irradiata doctrinis, nouit quo authore ſit procreata? in quem finem moleſtæ carni ſit coniuncta? & quòd, ſi mandata Dei impleuerit, immortali beatitudine ſit fruitura. Videte, ô Profeſſores, vnicè mihi dilectæ Animæ, quod veſtrum ſit in omnes meritum? fructus laboris veſtri cælo militat. Animas pretioſo Chriſti Sanguine redemptas, è ſeruitute Diaboli cæleſtibus agminibus aſſociat: ſanctarum virtutum viam aperiendo, & peccatorum obſtruendo. Et vos quidem intelligo, qui teneros animos, formandos in exercitijs pietatis ſuſcepiſtis; vobiſcum mihi eſt ſermo, qui florem iuuentutis veſtræ & melioris ætatis vires conſumitis: (qui enim altioribus & ſublimioribus, ſuarum Profeſsionum contemplationib⁹ ſunt dediti, ad hos parū aut nihil ſpectat) ita vt tardiùs, quàm cuperetis ad grauiores Profeſsiones, ipſūq; diuinorū myſteriorū interpretē Theologiā accedatis. Et hic acceſſus, quò vobis expeditior fiat; neue magnitudine & difficultate à propoſito deterreamini; aut animo concidatis; aut vos immenſis laboribus conficiatis; hos meos Tractatus eo nomine concinnaui: vt antequam vos Oceano Theologico committatis, cum his aliquantulum commorari velitis, & ab his cuiuslibet primariæ Diſputationis, verum ac genuinum ſenſum, & Angelicæ doctrinæ conformem cognoſcere ſtudeatis. Qui ſe accingit itineri, &

viarum

viarum imperitus eſt, magnam ſibi fieri gratiam exiſtimat; ſi ab eo, qui per omnia illa itinera frequenter ambulauit, ordinem præſcriptum habeat ſæpè enim his vtitur vijs, quæ longum compenſant iter, nec vnquam à recto tramite deuiabit. Hoc ipſum his meis Tractatibus ſeriò demandaui, vt cùm in Theologicis Diſputationibus ſint perplexi anfractus, & diuerticula plerumq; ab orbita veritatis deuiantia; viam quaſi extenſo digito monſtrent. Et in hoc, nemo non videt, quantum interſit ad progreſſum in qualibet ſcientia celerem faciendum, rem prius totam vno intuitu contemplari, & tandem ſingulas eius partes accurata diſquiſitione perſcrutari. Et ſicut Pictoribus vſitatum eſt, imaginis, quam depingendam ſuſceperint, prius exemplar rudibus lineis adũbrare, & ſpectandũ proponere, poſtmodum colores inducere, & inter ſe miſtos ſic attemperare, donec ſuis numeris fuerit abſoluta: Ita hi Tractatus, an non in breui compendio Theologiæ maieſtatem vobis ſpectandam proponunt? rudi quidem penicillo adumbratam; veſtro tamen captui accommodato: vt in hoc quaſi in veſtibulo cum ea congreſsi illius amore inardeſcatis, & tandem poſt dulcia colloquia citro vltroque habita, in eius domum ſeptem exciſam columnis, & omni apparatu Diuinarum cognitionum inſtructiſsimam admitti poſsitis: & in reconditioribus myſterijs cæleſtium ſecretorum erudiri. Nihil ſub ſole repente euaſit perfectum; ſed ab initijs paruis ad ſublimia progredi debuit. Et vrbes, quæ nunc ædificiorum magnitudin. celebres habentur, quondam humilibus tugurijs perſimiles erant. Ita & vos non pudeat, vel ab his Tractatibus, tanquam à vilibus tugurijs, Theologiæ exordia ſumere; ſi excelſam illius ſublimitatem conſequi optatis. Hos ergo amoris mei erga vos teſtes, etiam ipſi poſteritati inſpiciendos, exſtare cupio. vt tantò ardentiùs, maioriq; cum conatu inſtitutionem Iuuentutis promoueatis: de vlterioribus, quæ vos exſpectant, non adeo ſoliciti Profeſsionibus. Hæc enim exigua Synopſis, Deo vires ingenij veſtri illuſtrante, & confirmante; facem vobis ad quæuis abſtruſa intelligenda præferet. Dei mercedẽ, quam noſtrum agendo negotium conſequi poterim⁹, in noſtra Academica mediocritate exſpectem⁹: Sacerdotia autẽ opulẽta eadẽq; curata nõ curem⁹. Opes enim ex his collectæ, etiã pijs

vſibus applicatæ, vix meritoriæ: quia ex alieno. his namque debentur, qui continuis ſalutem animarum procurant laboribus, quod Profeſſoribus, qui Cathedræ tanquã ferro alligati adhærere debẽt, vix poſsibile. Nullus ergo veſtrum animum deponat ab hoc laudabili & ad animarũ ſalutem neceſſario ſtudio vti quidem facitis. *multum eſt* (quidam antiquorum præcauet) *à teneris aſſueſcere.* & Poeta *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu.* Et Sapiens monet: *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Videte Fratres amantiſsimi, quàm graue ſuſcepiſtis munus, cuius vobis ratio in ſupremo reddenda erit iudicio, & damna animarum ſupplicio proprio reſtituenda. Non vos pœniteat in hoc curſu laborum etiam immori dummodò Iuuentutis fidei veſtræ concreditæ Bonum pietatis & ſcientiæ, quàm maximè auctum reddatis. Præmia veſtra ſunt vobis integra, eademque condigna; nonmodo præſentia, quæ aliquando relinquenda erunt: ſed illa æterna, quæ nulla vis hoſtilis poterit à vobis auferre: nam in omni æternitate ſunt duratura.

APPRO-

Approbatio Magnifici Dni RECTORIS.

M. IACOBVS VITELLIVS S. Th. Profeſſor, Canonicus Eccleſiæ S. FLORIANI, in Academia Crac. RECTOR, *Opus ex prima parte D. Thomæ* à Perilluſt. & Adm. Rndo D. ADAMO OPATOVIO S. Th. Doctore & in Alma Academia noſtra Profeſſore, Canonico Crac. iuxta mentem & ſanam S. Thomæ doctrinam per omnes Tractatus & Materias elaboratum, appoſito *Tractatu ex 3. p. de Sanctiſſimo* INCARNATIONIS *Myſterio* eſſe conforme Eccleſiæ Orthodoxæ, & vtile omnibus in Theologico ſtudio proficere volentibus, cenſet & iudicat atque facultate ſibi ad eam rem data imprimi permittit. Dat. ex Collegio Maiori 7. Martij, Anno à partu Virg. 1644.

Approbatio S. Theologicæ Facultatis.

SAcra Theologica Facultas Almæ Academiæ Cracou. in Regno Poloniæ Scholæ Generalis recognouit *Theologicos Tractatus in 1. p. D. Thomæ Aquinatis*, nimirum *de Natura & Quidditate* THEOLOGIÆ, *de Scientia Dei, de Prædeſtinatione, de SS. & Indiuidua* TRINITATE, *de* ANGELIS, *& ex 3. p. de ineffabili* INCARNATIONIS *Myſterio* ab Adm. Rndo D. ADAMO OPATOVIO, S. Th. Doctore ac Profeſſore, Canonico Cracouien. confectos, eoſdemque cùm ſyncerǽ vbique Catholicæ veritati innitantur, & reconditam breui atque clara Methodo proponant doctrinam, in gratiam Theologici Studij Alumnorum, Typis cenſet eſſe imprimendos & euulgandos. Dat. Crac. 4. Martij, Anno *Dni* 1644.

ALBERTVS BOROVIVS, S. Th. Doct. ac Profeſſ. Præpoſitus ad S. Flor.

MATTHIAS BLOSIVS BRVZYNSKI, S. Th. Doct. & Profeſ. ad S. Flor. DECANVS.

IACOBVS VSTIENSIS, S. Th. & I. V. D. ac Profeſſ. ad S. Flor. Cuſtos.

SIGISMVNDVS GREGEROWIC, S. Th. Sententiarius Eccleſiæ S. Floriani Can.

Approbatio Iuridicæ Facultatis.

NOs infraſcripti in Alma Acad. Cracouien. I. V. Doctores ac Profeſſores fidem facimns, *Theologicos ſex Tractatus*, quos Perilluſt. & Adm. R. D. ADAMVS OPATOVIVS S. Th. Doct. & Profeſſ. Eccleſiæ Cathedr. Cracouien. Canonicus *in 1. p. D. THOMÆ Aquinatis* diligentiſsimè & doctiſsimè conſcripſit, à nobis eſſe perlectos atque reuiſos: cùmque nihil Sacris Concilijs & ſanctiſsimis Fidei Orthodoxæ inſtitutis, SS. Patrum ac Doctorum Eccleſiæ placitis, morumque integritati repugnans in ſe habeant: immò omnia contineant eiusmodi, quæ ad arduas & abſtruſas in Theologico ſtudio, cognoſcendas, explicandas, diſſoluendaſque difficultates ſunt maximè utilia & neceſſaria, publica luce eos dignos eſſe iudicamus: & vt quamprimùm Typis mandati feliciſsimè prodeant, in communem vtilitatem omnium, qui ad Theologiam accedunt, & ſanctiſsimam limpidiſsimamque *D*octoris Angelici cognoſcere ac tueri volunt ſententiam, pro officio noſtro facultatem concedimus. Dat. ex Collegio DD. Iuriſconſ. Acad. Cracou. 24. Febr. Anno *D*ni 1644.

M. BARTHOLOMÆVS IANVSCHOWIC, I. V. Doct. eiuſdemq; Facultatis Iuridicæ Decanus. Can Crac.

ANDREAS PETRICOVIVS, I. V. D. & Profeſſor Ordinarius.

IACOBVS GORSKI, I. V. Doctor ac Profeſſor Eccl: Cathed: Crac. Canon. Colleg. SS. Omnium Cuſtos S. Sedis Apoſt. Protonot.

STANISLAVS PVDLOWSKI I. V. D. ac Profeſſor ad S. Nicolai Præpoſitus S. Sedis Apoſt. Protonot.

Proteſtatio Authoris.

Omnia S. Matris Eccleſiæ, illiuſq; ſupremi ac uiſibilis Capitis, veri IESV CHRISTI Vicarij, ac B. Petri ſucceſſoris, VRBANI VIII. Opt: Max: Pontificis Romani iudicio, ſubiecta ſunto.

INDEX

INDEX
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, & QVÆSITORVM, in hoc Libro contentorum.

TRACTATVS DE NATVRA ET QVIDDITATE THEOLOGIÆ.

DISPVTATIO I. De Nomine & Neceſſitate Theologiæ fol. 2.

QVÆS: I. *De Nomine & Diuiſione Theologiæ.* fol. 3.

II. *De Antiquitate Theologiæ.* fol. 7.

III. *An præter naturales ſcientias ſit neceſſaria Sacra doctrina, quæ ſit diuinitus reuelata?* fol. 10.

IV. *An Theologia ſit neceſſaria ad ſalutem?* fol. 15.

DISPVTATIO II. De Theologia inquantum eſt Scientia. fol. 24.

QVÆS: I. *An Theologia ſit verè & propriè Scientia?* fol. 24.

II. *An Theologia noſtra ſit ſubalternata Theologiæ Dei, & Beatorum?* fol. 34.

III. *An Theologia ſit vna? & quid conſtituat illius rationem formalem?* fol. 41.

IV. *An Theologia noſtra maneat in Patria?* fol. 46.

V. *An Theologia ſit practica?* fol. 48.

VI. *An Theologia ſit dignior cæteris ſcientiis?* fol. 57.

VII. *An Theologia ſit ſapientia?* fol. 61.

DISPVTATIO III. De Subiecto Theologiæ, & de illius Locis. f. 64.

QVÆS: I. *An Deus ſub ratione Deitatis ſit ſubiectum Theologiæ?* fol. 65.

II. *An Theologia ſit Argumentatiua?* fol. 69.

III. *An ſint Loci ex quibus Argumenta ſumi poſſint contra Infideles?* fol. 73.

IV. *De Locis ex quibus Argumenta contra Fideles ſunt ſumenda?* fol. 76.

DISPVTATIO IV. De Sacra Scriptura. fol. 84.

QVÆS: I. *An ſub vna litera Sacræ Scripturæ ſint plures ſenſus?* fol. 85.

II. De

II. *De Senſu Literali.* fol. 86.
III. *De Senſu ſpirituali.* fol. 91.
IV. *Ex quo ſenſu Argumenta firma ſumi poſſint?* fol. 93.

TRACTATVS DE SCIENTIA DEI.

DISPVTATIO I. De Exſiſtentia & de Modo Scientiæ Dei. fol. 97.

QVÆS: I. *An ſcientia ſit in Deo, qua ſeipſum intelligat?* fol. 97.
II. *An Deus cognoſcat alia à ſe?* fol. 104.
III. *An Deus cognoſcat alia à ſe in ſuâ Eſſentia? an in ſeipſis?* fol. 106.
IV. *An præter ſimplicis intelligentiæ & viſionis Scientiam, ſit alia media, & conditionata concedenda?* fol. 113
V. *An Scientia Dei ſit cauſa rerum?* fol. 131.

DISPVTATIO II. De Obiecto Scientiæ Diuinæ. fol. 134.

QVÆS: I. *An Scientia Dei ſit non Entium?* fol. 134.
II. *An in Deo ſit Scientia malorum?* fol. 137.
III. *An Deus cognoſcat ſingularia?* fol. 140.
IV. *An Deus cognoſcat infinita?* fol. 142.
V. *An Deus cognoſcat Enuntiabilia?* fol. 145.

DISPVTATIO III. De Qualitate Scientiæ Diuinæ. fol. 148.

QVÆS: I. *An Scientia Dei ſit diſcurſiua?* fol. 148.
II. *An Scientia Dei ſit inuariabilis?* fol. 150.
III. *An Scientia Dei, partim ſit ſpeculatiua, partim practica?* fol. 157.

DISPVTATIO IV. De Scientia futurorum Contingentium. fol. 159.

QVÆS: I. *An Deus certò & infallibiliter cognoſcat futura Contingentia?* fol. 159.
II. *Quinam ſit modus? quod medium? per quod Deus cognoſcit futura Contingentia?* fol. 163.
III. *An infallibilis Dei Scientia ſit cauſa rerum?* fol. 175.
IV. *An infallibilis Scientia Dei, ſtare poſſit cum contingencia, & libertate futurorum contingentium, & liberorum?* fol. 181.
V. *An ſi Deus ageret naturali neceſſitate, daretur contingentia, & libertas in rebus?* fol. 190.
VI. *An hæ Propoſitiones* DEVS ſciuit Petrum peccaturum, Deus præſciuit Antichriſtum futurum, *ſint neceſſariæ abſolutè & ſimpliciter?* fol. 196.
VII. *An Deus futura conditionata, quæ nunquam erunt, certò & infallibiliter cognoſcat?* fol. 202.

TRACT: DE PRÆDESTINATIONE. fol. 205.

DISPVTATIO I. De Natura Prædeſtinationis. fol. 206.

QVÆS: I. *Quid ſit Prædeſtinatio?* fol. 207.
II. *An Prædeſtinatio dicat Actum Intellectus Diuini, an verò voluntatis Diuinæ?* fol. 211.

III. *Quan-*

III *Quando, & in quo ſigno facta eſt Prædeſtinatio?* fol. 216.
IV. *An Prædeſtinatio ſit hominum, an etiam Angelorum?* fol. 219.

DISPVTATIO II. De Natura Prædeſtinationis. fol. 223.

QVÆS: I. *An Prædeſtinationis detur aliqua cauſa?* fol. 224.
II. *An Deus ante præuiſionem bonorum operum, elegerit prædeſtinatos, ad certum gradum gloriæ?* fol. 245.
III. *An Prædeſtinatio ſit ſimul facta, an verò ſucceſſiuè?* fol. 248.
IV. *An Chriſti merita, ſint cauſa noſtræ Prædeſtinationis?* fol. 252.

DISPVTATIO III. De Effectibus Prædeſtinationis. fol. 261.

DISPVTATIO IV. De Reprobatione. fol. 265.

QVÆS: I. *Quâ ratione habet ſe Deus erga reprobos?* fol. 266.
II. *An reprobatio ſit actus Intellectus Diuini, an verò voluntatis?* fol. 271.
III. *Quænam ſit cauſa Reprobationis?* fol. 274.
IV. *An reprobi deſtituantur auxilijs neceßarijs?* fol. 283.
V. *An ſint aliqui homines, in ſolis naturalibus conſtituti, ſine omni auxilio ſupernaturali?* f. 291.
VI *An præter auxilium ſufficiens, ſit aliud efficax concedendum?* fol. 294.
VII. *An dato Diuino auxilio æquali in duobus, vnus conuertatur, & alius non?* fol. 296.
VIII. *Efficax auxilium in Prædeterminatione voluntatis humanæ quomodo ſe habeat?* fol. 297.
IX. *De Effectibus Reprobationis?* fol. 300.
X. *An Deus poſitiuè, an verò negatiuè habeat ſe circa reprobos?* fol. 301.
XI. *In quonam ſenſu ſint veræ hæ Propoſitiones?* Prædeſtinatus neceſſariò ſaluatur, & Prædeſtinatus non poteſt damnari? fol. 303.

DISPVTATIO V. De Certitudine Prædeſtinatorum? fol. 304.

DISPVTATIO VI. *An Prædeſtinatio poſſit iuuari precibus Sanctorum?* fol. 307.

TRACT: DE SS^ma^ & INDIVIDVA TRINIT. fol. 311.

DISPVTATIO I. De Proceſsione Diuinarum Perſonarum. fol. 313.

QVÆS: I. *An in Diuinis ſit Proceſſio?* fol. 315.
II. *An aliqua Proceſſio in Diuinis poſſit dici generatio?* fol. 319.
III. *An in Diuinis ſit alia Proceſſio à Proceſſione ſeu generatione Verbi?* fol. 325.
IV. *An Proceſſio Amoris in Diuinis ſit generatio?* fol. 328.
V *An ſint plures Proceſſiones in Diuinis?* fol. 332.

DISPVTATIO II. De Relationibus Diuinis. fol. 335.

QVÆS: I. *An in Deo ſint aliquæ Relationes reales?* fol. 335.
II. *An Relationes in Diuinis diſtinguantur realiter ab Eſſentia Diuina, necne?* fol. 338.
III. *An Relationes Diuinæ dicant perfectionem?* fol. 343.
IV. & V. *Quotnam ſint Relationes, & an realiter inter ſe diſtinguantur?* fol. 346.

DISPVTATIO III. De PERSONA. fol 348.

)††(QVÆS.

QVÆS: I. *Quidnam ſit Perſona?* fol. 349.
II. *An hoc nomen* PERSONA *ſit ponendum in Deo?* fol. 350.
III. *An Perſona ſit idem quod Hypoſtaſis. Subſiſtentia & Eßentia?* fol. 352.
IV. *An hoc nomen* PERSONA *dicat Relationem?* fol. 354.
DISPVTATIO IV. De pluralitate Perſonarum Diuinarum. fol. 356.
DISPVTATIO V. De his quæ ad vnitatem vel ad pluralitatem pertinent in Diuinis. fol. 358.
DISPVTATIO VI. De cognitione Diuinarum Perſonarum. fol. 360.
DISPVTATIO VII. De Perſona Patris. fol. 362.
DISPVTATIO VIII. De FILIO, vt appellatur Verbum. fol. 364.
DISPVTATIO IX. De Filio, prout eſt Imago. fol. 367.
DISPVTATIO X. De Perſona Spiritus S- fol. 368.
DISPVTATIO XI. De Spiritu S. prout eſt Amor. fol. 371.
DISPVTATIO XII. De Spiritu S. prout eſt donum. fol. 372.
DISPVTATIO XIII. De Perſonis comparatis cum Eſſentia. fol. 373.
DISPVTATIO XIV. De Perſonis in comparatione ad Relationē. f. 377
DISPVTATIO XV. De Perſonis in comparatione ad actus notionales? fol. 378.
DISPVTATIO XVI. De Æqualitate Diuinarum Perſonarum. fol. 380.
DISPVTATIO XVII. De Miſsione Diuinarum Perſonarum. fol. 382.

TRACTATVS DE ANGELIS. fol. 385.

DISPVTATIO I. De Subſtantia Angelorum abſolutè conſiderata. f. 386.
QVÆS: I. *An Angeli ſint omnino Incorporei?* fol. 387.
II. *An Angelus ſit compoſitus ex Materia & Forma.* fol. 392.
III. *An Angeli ſint in magno numero?* fol. 395.
IV. *An Angeli differant ſpecie?* fol. 397.
V. *An Angelus ſit Incorruptibilis?* fol. 401.
DISPVTATIO II. De Compar. Angel. quoad corpora. fol. 404.
QVÆS: I. *An Angeli habeant corpora ſibi vnita?* fol. 404.
II. *An Angeli aßumant corpora?* fol. 406.
III. *Num Angelus in corpore aßumpto poſſit exercere operationes vitales?* fol. 410.
DISPVTATIO III. De Comparatione Angel. quoad loca. fol. 411.
QVÆS: I. *An Angelus ſit in loco?* fol. 411.
II. *An Angelus poſſit eße ſimul in pluribus locis?* fol. 416.
III. *An plures Angeli poßint eße ſimul in vno, & eodem loco?* fol. 419.

DISPV-

DISPVTATIO IV. De Motu Angelorum. fol. 424.

QVÆS: I. *An Angelus poſſit moueri localiter?* fol. 424.
II. *An Angelus ex vno loco in alium poſſit moueri, non pertranſeundo medium?* fol. 428.
III. *An motus Angeli ſit in inſtanti?* fol. 431.

DISPVTATIO V. De cognitione Angelorum. fol. 435.

QVÆS: I. *An intelligere Angeli ſit ipſius ſubſtantia?* fol. 435.
II. *An in angelo ſit Intellectus Agens & Poſſibilis?* fol. 438.

DISPVTATIO VI. De medio cognitionis Angelicæ. fol. 441.

QVÆS: I. *An Angeli cognoſcant omnia per ſuam Eſſentiam?* fol. 441.
II. *An Angeli intelligant per ſpecies à rebus acceptas?* fol. 443.
III. *An Angeli ſuperiores intelligant per ſpecies magis vniuerſales, quàm verò inferiores?* fol. 446.

DISPVTATIO VII, De cognit Angel. reſpectu immaterialiũ fol. 449.

QVÆS: I. *An Angelus cognoſcat ſeipſum?* fol. 449.
II. *An Angelus vnus cognoſcat alterum?* fol. 453.
III. *An Angeli per ſua naturalia poſſint cognoſcere Deum?* fol. 457.

DISPVTATIO VIII. De cog Angelorum reſpectu materialium f. 461.

QVÆS: I. *An Angeli cognoſcant res materiales, eaſdemq́ ſingulares?* fol. 462.
II. *An Angelus cognoſcat futura?* fol. 467.
III. *An Angelus cognoſcat cogitationes cordis?* fol. 469.
IV. *An Angeli cognoſcant myſteria Gratiæ?* fol. 472.

DISPVTATIO IX. De Modo cognitionis Angelicæ. fol. 474.

QVÆS: I. *An Intellectus Angeli quandoq; ſit in potentia, & quandoq; in actu?* fol. 474.
II. *An in Intellectu Angeli poſſit multa ſimul intelligere?* fol. 478.
III. *An in Angelis ſit cognitio diſcurſiua, tum quoq; Compoſitionis & Diuiſionis?* fol. 482.
IV. *An Intellectus Angeli poſſit eſſe falſitas?* fol. 487.
V. *An in Angelis ſit cognitio matutina, & veſpertina, & an ſint eadem?* fol. 489.

DISPVTATIO X. De Voluntate Angelorum. fol. 490.

DISPVTATIO XI. De Amore & dilectione Angelorum. fol. 494.

DISPVTATIO XII. De Product Angel in Eſſe Naturæ. fol. 498.

DISPVTATIO XIII. De Product. Angel. in Eſſe gratiæ & gloriæ. f. 500,

QVÆS: I. *Quonam modo Angeli adepti ſint gratiam & gloriam?* fol. 501
II. *An Angeli ſecundum quantitatem naturalium ſint conſecuti gratiam & gloriam?* fol. 508.
III. *De Statu Beatitudinis?* fol. 509.

DISPVTATIO XIV. De Malitia Angelorum. fol. 514.

QVÆS: I. *An in Angelis poſſit eſſe malum culpæ, ſiue an Angelus potuerit peccare?* fol. 514.
II *Cuiuſmodi peccato peccauit Angelus?* fol. 519.
III. *An Angelus appetierit eſſe vt Deus?* fol. 522.

)††(2 IV. An

IV. *An Dæmones per naturam? an verò per culpam propriæ voluntatis ſint mali?* fol. 525.
V. *An inter creationem & lapſum Angeli fuerit aliqua mora?* fol. 527.
VI. *An ſupremus Angelus inter peccantes fuerit ſupremus inter omnes?* fol. 529.
VII. *An peccatum primi Angeli fuerit alijs cauſa peccandi?* fol 530.
VIII. *An tot peccauerint quot permanſerunt?* fol. 531.

DISPVTATIO XV. De Pœna malorum Angelorum. fol. 531.

TRACTATVS DE MYSTERIO INCARNATIONIS. fol. 535.

DISPVTATIO I. De Conuenientia Dominicæ Incarnationis. fol. 531.

QVÆS: I. *An Incarnatio ſit poſſibilis?* fol. 537.
II. *An fuerit conueniens Deum incarnari?* fol. 541.
III. *An ad reparandam ſalutē generis humani fuerit neceſſarium* VERBVM *incarnari?* f. 546.
IV. *An ſi homo non peccaſſet,* DEVS *incarnatus fuiſſet?* fol. 559.
V. *An Incarnatio facta maximè ad delendum peccatum Originale?* fol. 563.
VI. *An* DEVM *incarnari ab initio mundi fuerit conueniens?* fol. 564.
VII. *An Incarnatio debuit differri ad finem mundi?* fol. 565.

DISPVTATIO II. De Modo vnionis VERBI incarnati? fol. 365.

QVÆS: I. *An vnio* VERBI *incarnati ſit facta in Natura?* fol. 566.
II. *An vnio* VERBI *incarnati ſit facta in Perſona?* fol. 568.
III. *An vnio ſit facta in ſuppoſito, & in hypoſtaſi?* fol. 571.
IV. *An Perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit compoſita?* fol. 572.
V. *An aliqua vnio ſit facta in* CHRISTO, *Corporis & Animæ?* fol. 376.
VI. *An natura humana fuerit vnita* VERBO *accidentaliter?* fol. 577.
VII. *An vnio naturæ Diuinæ & humanæ ſit aliquid creatum?* fol. 579.
VIII. *An Vnio ſit idem quod aſſumptio?* fol. 582.
IX. *An Vnio duarum naturarum in* CHRISTO *ſit omnium maxima?* fol. 585.
X. *An Vnio duarum naturarum in* CHRISTO *ſit facta per gratiam?* fol. 587.
XI. *An Vnionem Verbi aliqua merita præceſſerint?* fol. 587.
XII. *An Gratia vnionis fuerit* CHRISTO *homini naturalis?* fol. 591.

DISPVTATIO III. De Modo vnionis ex parte Perſonæ aſſumptæ. f. 592.

QVÆS: I. *An aſſumere Perſonæ Diuinæ conueniat?* fol. 592.
II. *An aſſumere Diuinæ naturæ conueniat?* fol. 595.
III. *An abſtracta perſonalitate per intellectum natura Diuina poſſit aſſumere?* fol. 597.
IV.V.VI. *An vna Perſona ſine alia poſſit aſſumere? & an quælibet poſſit aſſumere? & an plures eandem numero naturam poſſint aſſumere?* fol. 600.
VII. *An vna Perſona Diuina poſſit aſſumere duas naturas humanas?* fol. 604.
VIII. *An magis conueniens erat, quod Perſona Filij aſſumeret naturam humanam, quàm alia Perſona Diuina?* fol. 606.

DISPVTATIO IV. De Modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ. f. 607.

QVÆS:

QVÆS: I. *An ſola natura humana ſit magis, quàm alia aſſumptibilis?* fol. 607.
II. *An Filius Dei aſſumpſerit Perſonam?* fol. 610.
III. *Qualem naturam humanam aſſumpſit?* fol. 613.

DISPVTATIO V. De Modo vnionis ex parte partium naturæ humanæ. fol. 614

QVÆS: I. *An verum Corpus aſſumpſerit, & Sanguinem hypoſtaticè ſibi vniuerit?* fol. 614.
II. *An aſſumpſerit Animam intellectu præditam?* fol. 618.

DISPVTATIO VI. De Modo aſſumptionis, quoad ordinem partium. fol. 619.

DISPVTATIO VII. De Gratia Chriſti, vt eſt homo particularis? f. 621.

QVÆS: I. *An in Anima Chriſti fuerit gratia habitualis?* fol. 621.
II. *An in Chriſto fuerint virtutes morales?* fol. 625.
III. *An in Chriſto fuerint virtutes infuſæ?* fol. 628.
IV. *An in Chriſto fuerint dona Spiritus S. & præcipuè donum Timoris?* fol. 630.
V. *An gratiæ gratis datæ, & ipſa Prophetia fuerit in Chriſto?* fol. 631.
VI. *Gratia habitualis qualis, & quanta fuerit in Chriſto?* fol. 633.
VII. *Gratia habitualis quem ordinem habeat ad vnionem hypoſtaticam?* fol. 635.

DISPVTATIO VIII. De Gratia Chriſti inquantum eſt Caput Eccleſiæ. fol. 636.

QVÆS: I. *An* CHRISTVS *ſit Caput Eccleſiæ?* fol. 637.
II. *An* CHRISTVS *ſit Caput omnium hominum?* fol. 639.
III. *An* CHRISTVS *ſit Caput Angelorum?* fol. 641.
IV. *Per quam gratiam* CHRISTVS *eſt Caput?* fol. 642.
V. *An eſſe Caput Eccleſiæ ſit proprium* CHRISTO? fol. 643.
VI. *An Diabolus & Antichriſtus ſit caput omnium malorum?* fol. 644.

DISPVTATIO IX. De Scientia Chriſti in communi. fol. 644.
DISPVTATIO X. De Scientia Beat Animæ Chriſti. fol. 648.
DISPVTATIO XI De Scientia infuſa Animæ Chriſti. fol. 651.
DISPVTATIO XII. De Scientia acquiſita Animæ Chriſti. fol. 656.
DISPVTATIO XIII. De Potentia Animæ Chriſti. fol. 657.
DISPVTATIO XIV. De defectibus corporis aſſumptis à Filio Dei. f. 660.
DISPVTATIO XV. De defectibus animæ à Chriſto aſſumptis. fol. 663

QVÆS: I. *An in Chriſto fuerit peccatum?* fol. 663.
II. *An fomes peccati fuerit in Chriſto?* fol. 665.
III. *An ignorantia in* CHRISTO *fuerit?* fol. 667.
IV. *An Anima* CHRISTI *fuerit obnoxia paſſionibus?* fol. 668.
V. *An* CHRISTVS *ſimul fuerit viator & comprehenſor?* fol. 670.

INDEX

DISPVTATIO XVI. De conſequentibus vnionem, quæ conueniunt CHRISTO ſecundùm ESSE & FIERI. fol. 671.

QVÆS: I. *An hæ Propoſitiones* DEVS eſt Homo & Homo eſt DEVS *ſint veræ?* *fol* *672.*

II. *In quo varij modi loquendi de Myſterio incarnationis explicantur?* *fol.* *674.*

III. *An hæc Propoſitio ſit vera* CHRISTVS eſt creatura? *fol.* *676.*

IV. *An hæc Propoſitio ſit vera* Ille homo, *demonſtrato Chriſto* incepit eſſe? *fol.* *677.*

V. *An ſit hæc vera,* CHRISTVS ſecundùm quod homo eſt creatura? *fol* *679.*

VI. *An hec ſit vera,* CHRISTVS ſecundùm quod homo eſt DEVS? *fol* *680.*

VII. *An hec ſit vera,* CHRISTVS ſecundùm quod homo eſt hypoſtaſis vel Perſona? *f. 680.*

DISPVTATIO XVII. De Vnitate Chriſti quantum ad Eſſe. fol. 681.

DISPVTATIO XVIII De pertinentibus ad vnitatem CHRISTI quoad voluntatem. fol. 687.

DISPVTATIO XIX. De pertinentibus ad vnitatem CHRISTI quantum ad operationem. fol 691.

DISPVTATIO XX. De ſubiectione Chriſti ad Patrem. fol. 695.

DISPVTATIO XXI. De Oratione CHRISTI. fol. 697.

DISPVTATIO XXII. De Sacerdotio CHRISTI. fol. 700.

QVÆS: I. *An* CHRISTO *conueniat eſſe Sacerdotem?* *fol.* *701.*

II. *An* CHRISTVS *ſimul fuerit Sacerdos & Hoſtia?* *fol* *702.*

III. *De Effectu Sacerdotij* CHRISTI. *fol* *703.*

IV. *An* CHRISTI *Sacerdotium maneat in æternum?* *fol* *704.*

V. *An* CHRISTVS *ſecundùm ordinem Melchiſedech fuerit Sacerdos?* *fol.* *704.*

DISPVTATIO XXIII. De Adoptione CHRISTI. fol. 705.

DISPVTATIO XXIV. De Prædeſtinatione CHRISTI. fol 708.

DISPVTATIO XXV. De Adoratione CHRISTI. fol. 711.

IN TRACTA-

TRACTATVS THEOLOGICI

ex I. p. Angelici Doctoris.

1. *De Natura Theologiæ.*
2. *De Scientia Dei.*
3. *De Prædeſtinatione.*
4. *De SSma & Indiuidua Trinitate.*
5. *De Angelis.*
6. *De Incarnatione* ex 3. p.

Diſputatio de Viſione Dei in ſecunda parte poſt Tractatum de Spe habetur.

IN TRACTATVM DE NATVRA ET QVIDDITATE THEOLOGIÆ

PRÆFATIO.

QVod ſtationis meæ, in qua me Deus poſuit, inſtitutũ efflagitat; vt poſt completos Tractatus, quibus Summam Theologiæ Angelici Doctoris ſum complexus, ad eandem iterum dilucidandam, ſtudium meum pro modulo ingenij conferam: id equidem voluntati Diuinæ obtemperans, perquàm libentiſſimè facere inſtitui, confidens de illius ſpeciali auxilio, quòd in eo miniſterio, ad quod me aſſumpſit, præſens aderit, & meis conatibꝰ opem feret. Et vt hodie certò ſcio, quòd ab ea Quæſtione, quæ Naturam Theologiæ explicat exordior: ita ob vitæ incertitudinem & ob ætatem annis fatigatam incertus ſum, vbi me Deus ſubſiſtere iuſſerit euocans ex ergaſtulo carnis. Sed me hæc cura, quam ſupra Dominum iacto, minimè affligit; dummodò curſum miniſterij mei, vti ex animo cupio, complere poſſim pro eo tempore, quo Deus voluerit, qui certas metas, & rebus à ſe creatis, & vitæ humanæ poſuit,

quas nemini tranſilire licet. Primum igitur locum habebit TRACTATVS de Natura & Quidditate THEOLOGIÆ, qui inſtar Procemij erit ad reliquos ſubſequentes: plurimùm enim confert ad ſtudium excitandum erga aliquam ſcientiam, noſſe illius neceſſitatē, dignitatē, certitudinem, Obiecti præſtantiam, & quo Authore glorietur? & quibus in veritate aſtruenda nitatur rationibus? humanis an Diuinis? & qualium rerum quamúe ſublimium veritatum cognitione nos locupletare intendat? Quæ omnia quomodo ſe habeant in Theologia, ſtrictim, dilucidè tamen; & quantùm in nobis erit, ſufficienter determinare curabimus.

DIVISIO TRACTATVS.

Quatuor habebit primarias Diſputationes.

1. *De Neceſſitate* THEOLOGIÆ *inquiret.*
2. *An* THEOLOGIA *ſit Scientia?*
3. *De Obiecto & de Locis.*
4. *De Sacra Scriptura & illius ſenſibus.* Et harum Diſputationum ſingulæ habebunt ſua certa Quæſita.

DISPVTATIO I.

De Nomine & Neceſſitate THEOLOGIÆ.

Conſtabit quatuor Quæſitis.

1. *Explicabit Nomen & Diuiſiones* THEOLOGIÆ.
2. *Deducet Antiquitatem* THEOLOGIÆ.
3. *An præter Naturales & Phyſicas diſciplinas ſit* THEOLOGIA *neceßaria?*
4. *An ſit neceſſaria ad ſalutem?*

QVÆSITVM I.

De Nomine & Diuiſione Theologiæ.

Tgeologia vnde dicatur?

PRo determinatione Quæſiti Dico primò. *Hoc nomen* THEOLOGIA *ſumptum in ſua amplitudine, deducitur à* Θεὸς, *quod eſt* DEVS, *&* λόγος, *quod eſt* Sermo; ita vt hoc nomen ſignificet *ſermonem* ſeu *doctrinam de Deo.* Erit igitur THEOLOGIA ſic in communi conſiderata *Scientia, quæ de Deo inueſtigationem inſtituit.*

Theologia latè ſumpta quædam eſt Naturalis, quædam Supernaturalis.

Dico ſecundò. *In hac ſignificatione ſic latè ſumpta* THEOLOGIA, *quædam eſt Naturalis, quædam Supernaturalis.* NATVRALIS illa dicitur, quæ lumini Naturali innixa, totius vniuerſi admirabile opificium atque Oeconomiam ſpeculatur, & in rebus Naturalibus intuetur principia, ex quibus coaluerunt; conſiderat cauſas, quarum virtute ſunt effectæ; & ex his, tanquam veſtigijs impreſſis, attollit ſe & erigit ad Deum conſiderandum, eundemque ſub diuerſis agnoſcit rationibus.

Theologia Naturalis quæ?

Quomodo Theologus Naturalis agnoſcat Deum Authorē vniuerſi.

Et *primò* agnoſcit, quòd ſit *Author & moderator Orbis vniuerſi;* videt enim lumine naturali dictante ſibi res vniuerſas non fuiſſe fortuitò exortas, cùm admirabilem in ſui productione bonitatem, ſapientiam, & omnipotentem virtutem præſeferant. *Tum* nec contingenter & cauſaliter conſiſtere: cùm omnia certo ordine ſeruato, & debita, & ſibi infallibiliter ſuccedente temporum viciſſitudine fiant. Proinde ex hac Naturali conſideratione agnoſcit Deum eſſe Authorem vniuerſi. *Secundò* agnoſcit, quòd ſit *Primus Motor;* Nam quidquid mouetur, neceſſariò ab alio mouetur: & ne fiat proceſſus in infinitum, ad Primum Mouens non motũ deueniendum eſt, qualis eſt DEVS. *Tertiò* agnoſcit, quòd ſit *Prima cauſa vniuerſalis,* à qua reliquæ cauſæ, tanquam ex fonte, ſuã actiuitatem participant. *Quartò* agnoſcit, quòd ſit *Primum Ens:* nam in quolibet ordine & genere rerum ad id, quod eſt ſupremum, deueniendum eſt. Et ſic in ordine Entium Deus eſt Primum Ens. *Quintò* agnoſcit, quòd ſit *Vltimus Finis,* in quem vniuerſa etiam ſenſu orbata ſuapte ſponte feruntur. *Sextò* agnoſcit has perfectiones, quòd ſit *Vnus, bonus, immortalis, æternus, immutabilis, & ſecundum intellectum beatiſſimam vitam ducens.*

Quomodo vt Primum Motorem?

2. Hanc NATVRALEM Theologiam

logiam notauit Ariſtoteles *in 8. Phyſic.* & principaliter *in 12. Metaph.* Similiter & Plato, præcipuè *in Thymæo,* multa de Deo concludit. *Varro* (vti refert D. Auguſt. *lib: 6. de Ciuit. Dei cap: 5.*) Triplicem Theologiam facit: *Myſticam* ſeu *Fabuloſam,* quæ eſt propria Poëtarum, qui ſua Myſteria fabularum inuolucris contexerunt: *Phyſicam,* quæ in naturæ conſideratione verſatur, & hæc eſt Philoſophorum: & *Politicam,* quæ Sacerdotibus tribuitur propter gubernationem Reipublicæ.

Varro Theologiã triplicem facit.

Quòd verò Ethnici Philoſophi potuerint de Deo habere cognitionem S. Scriptura confitetur: Sapien: 13. *A magnitudine creaturæ poterit creator videri,* hoc eſt, quælibet etiam minima & viliſſima creatura, ſi ipſius opificium conſideretur, eſt Magnitudo, & loquitur de Creatore. Et D. Paulus *ad Roman.* dicit de Philoſophis: *Qui, cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt; & propterea inexcuſabiles ſunt.* Tribuit Philoſophis cognitionem Dei; ſed eos reprehendit, quòd eum tanquam Deum non glorificauerint.

Theologia Supernaturalis quæ?

3. SVPERNATVRALIS Theologia eſt, quæ ſupponit Diuinam reuelationem, & conſiderat veritates Supernaturales, & Diuina myſteria, quæ excedunt facultatem & captum intellectus humani. nulla enim ratio naturalis cognoſcere poteſt, quòd Deus non ſolùm naturæ; ſed etiam gratiæ & gloriæ ſit author: tum quòd ſit vnus & trinus; & quòd Obiectũ noſtræ beatitudinis ſit clara viſio DEI.

4. *Nota.* Quoad Nomẽ *Reuelationis* ſumptum in ſua communitate (ſicut obſeruat Durandus) quòd hęc ſit reuelatio de Deo. Daniel. 2. *Eſt Deus in cælo reuelans myſteria.* Et Lucæ 2. *Nihil eſt opertum, quod non reueletur; & nihil abſconditum, quod non ſciatur.* Sed quid tam abſconditum, ſicut Deus? quid intra abſcondita tam ſcitu neceſſariũ, ſicut Deꝰ? Ergo reuelari debuit. Eſt igitur ipſe, qui reuelat, & non aliud, quàm ſemetipſum. Reuelat autẽ in triplici libro *Creaturæ, Scripturæ, & Vitæ.* Prouerb: 22. dicitur: *Ecce deſcripſi eam tripliciter,* DEVS ſcilicet ſuã Eſſentiam in triplici libro expanſo reuelat. PRIMÒ *in libro Creaturæ,* in quantum (vt iam dictum) intellectus humanus lumine naturali ex inferioribus notitiã de Deo acquirit ad Roman. 1 *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis* (loquitur autem de Sapientibus gentilibus) Deus enim illis manifeſtauit; ſed quid tam Deo notum? quàm ipſe ſibi Deus; ſeipſum igitur manifeſtauit. hoc videlicet modo (vt dicit Apoſtolus) *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi,* videlicet ab homine, *conſpiciuntur per ea, quæ facta ſunt, intellecta,* hoc eſt, Deus eſt inuiſibilis, fecit mundum viſibilem, vt in viſibilitate illius ſeipſum opificem manifeſtaret homini.

Quomodo Deus ſeipſũ reuelat?

SECVNDÒ *in libro Scripturæ,* in quo eas veritates nobis de ſeipſo reuelát, quæ naturalem cognitionem excedunt. & hæc quidem non oculo, ſed auditu percipiuntur.

TERTIÒ *in libro Vitæ,* hoc eſt in ſeipſo, per claram & manifeſtam viſionem; de hac loquitur Iſaiæ 40. cap. *Reuelabitur gloria Domini, & vide-*

& videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt. Eſt autē locutum per D. Ioannem: *Videbimus eum ſicuti eſt, & ſimiles illi erimus.*

Nota. Conueniens fuiſſe vt fieret hæc reuelatio homini. *Probatur.* Quia hominis intellectum Deus creauit, eidemque deſideriū ſciendi, maximè ſuiipſius cognoſcendi, inſeruit: & ideo ab infimo gradu reuelationis ducit eum per medium vſque ad ſupremum, vbi iam deſiderium ſciendi ſiſtet; Satiabitur enim intellectus, cùm apparuerit gloria Dei. Nūc loquimur de reuelatione in libro Scripturæ, exſpectantes illam, quæ erit facie ad faciem.

Theologia Supernaturalis fusè conſiderata in triplici Subiecto reperiri poteſt.

5. Dico tertiò. *Theologia Supernaturalis impropriè & fusè conſiderata in triplici ſubiecto reperiri poteſt.* PRIMÒ *in Idiotis*, qui lumine fidei illuſtrati, ea credunt, quæ in Symbolo fidei continentur; & Præcepta Decalogi, tanquam à Deo tradita, ſeruant. *Secundò in Doctis Theologis*, qui ſunt cum habitu fidei, hoc eſt, qui & cognitione principiorum fidei ſunt præditi, & ex his poſſunt inferre Concluſiones, quibus veritates reuelatas confirmant, & ab infidelium calumnijs tuentur. *Tertiò reperitur in his, qui habent aliquam notitiam Theologiæ; ſed fidem infuſam, tam habitualem, quàm actualem non habent*, quia his, quæ ſciunt, non credunt; ſed putant eſſe falſa: *v.g.* Si quis eruditus Theologus labatur in hæreſim, qui plurima didicit ex Scripturis, & Traditionibus; ſed his aſſenſum non præbet: aut ſi aliquibus credit, illius fides eſt humana, non reuelata.

6. Dico quartò. *Theologia propriè ſumpta eſt doctrina diuinitus inſpirata, & Magiſterio Spiritus S. tradita, quæ vim habet probandi & concludendi ex Diuinis reuelationibus, ita vt in hac Diuina Sapientia exercitatus, videatur aſcendere in alium mundum inuiſibilem, luce fidei affulgente & præcedente, vbi myſteria à ſæculis abſcondita de Deo cognoſcit & annuntiat.* — Theologia propriè ſumpta quæ?

Sic igitur ſumpta THEOLOGIA eſt quidem vnus eſſentialiter habitus; ſed propter diuerſum modum procedendi communiter diuiditur in *Poſitiuam* & *Scholaſticam*. — Theologiæ diuiſio in Poſitiuam & ſcholaſticam.

POSITIVA eſt quæ in Sacrarum Scripturarū interpretatione verſatur hoc modo, conferendo linguarum idiomata, hoc eſt, Hebrææ & Græcæ, & vnum locum Scripturæ obſcurum per clariorē explicando, & interpretationes faciendo, quæ à ſenſu Sanctorum Patrum atq; etiam à Conciliorum Definitionibus non ſint alienæ. Ideò autem dicta eſt *Poſitiua*, quia eſt quaſi Scripta; vt enim Ius illud dicitur Poſitiuum, quod eſt Scriptum; ita etiam Theologia Poſitiua ea dicitur, quæ eſt ſcripta. Et vt Ius Poſitiuum à libera voluntate legiſlatoris pendet: ita & S. Scriptura à libera voluntate Dei poſita eſt ſeu præſcripta. Nam facere potuit de potentia ſua abſoluta, vt nulla eſſet Scriptura; vt ſub Lege Naturæ fuit. — Poſitiua Theologia quæ? Cur Poſitiua dicta?

Sed dices in Scriptura reperiri quædam, quæ ſunt immutabilia; vt eſt Eſſentiæ Diuinæ vnitas, Perſonarū Trinitas, omnipotentia, bonitas, &c. Sed hæc non pendent ex libera volūtate Diuina. Ergo Scriptura non eſt Poſitiua Theologia. — Obiectio.

Reſp: ad Minorem. Hæc ideo haberi in Scri- — Solutio ei⁹

in Scriptura, vt innoteſcant: ſunt enim æternæ veritatis, & ad legem æternam & ius naturæ ſpectant. Et ſicut ius naturæ non pendet ex voluntate Superioris; ſed ſua naturâ tale eſt neceſſariò, nec mutationi ſubiacet: ita & hæc ex ſua natura ſunt talia & immutabilia & quæ etiam ſine Scriptura ſunt perpetuæ veritatis.

Scholaſtica Theologia quæ?

7. SCHOLASTICA verò eſt, quæ veritates reuelatas deducit Methodo ad docendum quàm maximè accommodata, videlicet per Definitiònem, Diuiſionem, Argumentationem. Eſt autem in eum finem inſtituta, vt non modò recto ordine & debito myſteria fidei cognitioni Fidelium proponat; ſed etiam tanquam murus aduerſus hæreticorum inſultus ſe opponat, & illorum obiectionum vanitatem conuincat. *In ſumma*, Poſitiuæ eſt ſtabilire principia; Scholaſticæ verò ex his Methodo ad artem diſſerendi accommodata concluſiones fidei inferre. iuxta doctrinam D. Petri 1. cap: 3 *Parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe.*

Quare inſtituta?

Ante Moyſen fuit Theologia ſed nō ſcripta. A Moyſe ſcripta. Scholaſtica verò à Magno Damaſceno.

Nota. Ante Moyſen fuit Theologia, ſed non ſcripta: nam Primo Parenti & Patriarchis fidei myſteria annuntiata fuerunt; à Moyſe verò cœpit eſſe ſcripta. SCHOLASTICA verò cœpit à Magno Damaſceno circa Annum Chriſti *800.* Tandem Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis redegit eam in meliorem ordinem, & ideò *Magiſter* appellatus circa annum *1160.* ſub Alexandro Tertio. Ad extremum D. Thomas Aquinas ob doctrinæ ſublimitatem *Angelicus Doctor* appellatus, eandem conſummatam reddidit circa annum *1260.* ſub Alexandro Quarto.

Petrus Lōbardus cur Magiſter appellatus?

D. Thomas Aquinas quare Angelicus Doctor dictus?

8. Dico quinto. *Præter has diuiſiones ſunt & aliæ*: PRIMA eſt inſimpliciter *Theologiam* & *Oeconomiã.* Quia (vt Nicetas in notationibus ad Orationem 8. Nazianzeni refert) Græci Notitiam Deitatis dicebãt *Theologiã*: illam verò partem Theologiæ, quæ cognitionem habet de Chriſti humanitate, & de alijs myſterijs, quæ ad illã ſpectant. appellabãt *Oeconomiam. Tũ* quia in Perſona Verbi admirabilis Vnio, & diſpẽſatio duarũ naturarũ Diuinæ & humanæ relucet. *Tum* quia Chriſtus Dominus (vt Tertullianus inquit) vnus in vtraque natura, Filius Dei & Filius hominis, tanquam bonus Paterfamilias diuitias gratiæ ſuæ diſpenſat, hominem perditũ per ſanguinis ſui effuſionem in gloriam reſtituens. *Secunda Diuiſio*, in Theologiã *Viatoris*, quæ habet reuelationem ineuidentem: nam per ſpeculum & in ænigmate, hoc eſt in fidei lumine Diuinã Eſſentiam conſiderat: *& Comprehenſoris*, quæ reuelatione euidenti & manifeſta vtitur; & talis eſt in patria, quia vident reuelata facie gloriam Domini. *Tertia Diuiſio* D. Dionyſij Areopagitæ in epiſt. ad Titum in *Symbolicam* ſeu *Myſticam*, & in *Demonſtrantem* ſeu *Philoſophicam. Symbolica* eſt in quantum figuratis vocabulis explicat Diuina. *Demonſtrans* eſt, quæ vtitur rationibus in aſtruenda & confirmanda veritate Diuina reuelata. Rurſus Symbolica diuiditur: *Primò* in eam, quæ corporeis ac viſibilibus Symbolis vtitur; vt cum Deo tribuit *Vterum*:

Theologia alia Viatoris, & alia Comprehẽſoris.

Theologia Symbolica & Demonſtrans.

Symbolicæ ſubdiuiſio.

Iuxta

Iuxta illud: *Ex vtero ante Luciferum genui te:* aut *Manus*: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me*: aut *pedes*, &c. *Secundò* in eam, quæ vtitur inuiſibilibus, vt cum Deus dicitur *pœnitere dolere*, &c.

Quę diuiſio Theologiæ celeberrima.

9. Sed omiſſis alijs, quas longũ eſſet receſere, dico Theologiæ diuiſionem celeberrimam & frequẽtatam Doctorum Scriptis eſſe in *Poſitiuam*, quæ liberiori & fuſo dicendi genere vtitur, habeturque apud Sãctos Patres, atq; iã in Cõcionibus regnat: & in *Scholaſticam*, quæ Methodo breui &conciſa vtitur, perſimili Ariſtotelicæ, deducẽs ex principijs fidei Concluſiones Theologicas, eaſdẽq; tuetur.

Summæ Theologiæ D. Thomæ Diuiſio.

Sholaſticam Theologiam Angelicus Doctor in ſua Summa Theologiæ, quam in præſenti conſiderandam ſuſcepimus, complexus eſt, & in tres partes diuiſit. *Prima* eſt de Deo, vt eſt vnus, trinus, & Creator. *Secunda* de Deo, vt eſt finis: tum & de actionibus, quæ ordinantur ad finem, vt ſunt actiones humanæ; & virtutes, tam ſupernaturales, Fides, Spes, Charitas; quàm Cardinales, Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia; *Tertia* de Deo, vt eſt reſtaurator ſalutis humanæ, hoc eſt de CHRISTO: tum & de Sacramentis tanquam de Medicinis cæleſtibus.

QVÆSITVM II.

De Antiquitate Theologiæ.

Theologia eſt antiquior omnibus profanis ſapientum libris & Hiſtoriarum Scriptoribus.

PRo determinatione Dico. *Dubium non eſt, Theologiam ſiue Doctrinam Sacram antiquiorem eſſe omnibus profanis Sapientum libris & Hiſtoriarum Scriptoribus*. PROBATVR. Aut enim Theologiam ſumimus vt eſt ſcripta; aut vt non eſt ſcripta; aut quæ diſcurſu vtitur in rebus fidei confirmandis. Sed hoc triplici modo ſumpta Theologia eſt antiquior omnibus Scriptis Paganorũ. Ergo.

PROBATVR de Scripta Theologia, hæc enim habetur in Libris Moyſis; ſed hi antiquiores ſunt primis Scriptoribus Ethnicorum. *Probatur* Profana vetuſtas hos antiquiſſimos Sapientes & Scriptores nominat, à quibus Sapientiã accepit, Homerum, Orpheum, Linum, Muſæum, & ſi qui ſunt alij. Sed hos Moyſes Scriptor Diuinæ Hiſtoriæ anteceſſit. *Declaratur* authoritatibus Sanctorum Patrum. Euſebius in ſuo Chronico hos tres Orpheum, Muſæum, Linum, tempore Gedeonis Iudicis Hebræorum vixiſſe dicit: ſed Moyſes (vt ex S. Scriptura conſtat) benè anteceſſit Iudices. Ergo eſt antiquior Moyſes, nam præceſſit Homerum pluſquam quingentis annis; quadringentis verò bellum Troianum; ducentis Orpheum, Linum, Muſæum. *Idem* teſtatur Tacianus Aſſyrius, cuius D. Hier: memor

memor eſt in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quòd plurima volumina ſcripſit, & in Oratione contra Græcos deducit Moyſen Homero & alijs antiquiorem fuiſſe. Et ibidem fatetur ſe incidiſſe in Libros Sacros antiquiores multò, quàm Græcorum Philoſophia ſi ætatem ſpectes, & auguſtiores ſi illorum errores introſpicias: & hanc ſe occaſionem habuiſſe ſcribit abiurandæ Græcæ perfidiæ, & amplectendæ fidei Chriſtianæ. *Item* Clemens Alexandr. lib. 1. Stromatum oſtendit Hebræorum Philoſophiam quauis alia vetuſtiorem eſſe; poſtea concludit Moyſen antiquiorem eſſe non ſolùm his omnibus, qui apud Græcos Sapientum nomine cenſentur; ſed ijs plurimis, qui ab eis pro Dijs venerantur. *Similiter* Eupolemus Hiſtoricus apud Cyrillum Alexandr. in lib: 7. contra Iulianum docet: Moyſen primum fuiſſe Sapientem & ab hoc Iudæos doctos euaſiſſe, à Iudæis Phænices, à Phænicibus Græcorum pueros, & inter eos ſe quoque prima elementa didiciſſe ingenuè fatetur. *Idem* confirmat Origenes diſcipulus Clementis Alexand. in lib: 4. contra Celſum, qui Diluuium Nòé, & incendium Sodomiticum ita eſſe fabuloſum aſſerebat, vt eſt Deucalionis Diluuium & Phàëtontis combuſtio. contra quem deducit etiam ex Græcorum & Phænicum Hiſtorijs patere Moyſen illis omnibus fuiſſe antiquiorem: Proinde nõ Moyſes ab illis; ſed illi à Moyſe multa acceperunt, quod figmentis fabularum deprauarunt. *Ad extremum* D. Aug. lib: 2. de doctr: Chriſt. cap: 28. ſcribit ante literas gentis Hebræorum, in qua verus Dei cultus emicuit, nec ipſum quidem Pythagoram fuiſſe, à cuius poſteris Platonem Theologiã didiciſſe iſti affirmant. Conſtat igitur S. Scripturam, quæ eſt in Libris Moyſis, antiquiorem eſſe profanis literis.

11. *Confirmatur ratione.* Ex S. Scriptura omnis ſapiẽtia humana profluxit. Ergo S. Scriptura antiquior. *Antecedens* confirmat Tertullianus in Apologetico cap: 47. vbi ſic dicit: *Quis Poëtarum? quis Sophiſtarum? qui non omnino de fonte Prophetarum potauerit.* Idem reddit duas cauſas, cur ſuis ſcriptis Diuina myſteria admiſcuerint. *Prima* vt ſua exornarent; *Secunda* vt fidem Diuinis myſterijs diminuerent. idcirco in ſuis fabulis ſunt ea complexi, vt ſicut ſuis nemo crederet; ita & Diuinis fides non haberetur. Proinde de Scriptoribus profanis illud conuenienter dici poteſt: *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones*: ideo *fures*, quia multa myſteria ex Diuina Scriptura ſunt furati, & in ſuos codices tranſtulerunt: ideò *latrones*, quia his doctrinis ablatis & non intellectis, ob fidei defectum, in ſuam perniciem & aliorum ſunt abuſi.

Obiectio cum Solutione.

Dices Actorum 7. legimus Moyſen fuiſſe eruditum in omni ſapiẽtia Ægyptiorum. Ergo ante Moyſen fuit in Ægypto quædam Sapientia. *Reſpondeo* hoc negari nõ poſſe; ſed horum Sapientum, à quibus erudit⁹ eſt, ſcripta & placita immo & nomina ſunt ignota & ante hos Patriarcharum Enoch & Seth circumferebantur libri, qui erant antiquiores Moyſe. vnde Sapientes Ægy-

Ægyptiorum ex his poterant haurire ſapientiam. Hoc quoque certum eſt, quòd Moyſes antiquior ſit Mercurio Triſmegiſto, qui primus Sapiens Ægyptiorũ nominatur. Et D. Auguſt. *lib: 18. de Ciuit. Dei cap: 32.* dicit: *Tempore noſtrorum Prophetarum, quorum iam ſcripta ad notitiam ferè omnium gentium peruenerunt Philoſophi gentium nondum erant.* Vnde credibile, quòd ab his Sapientiam acceperunt.

12. PROBATVR de Theologia non ſcripta, ſed verbo & doctrina tradita. & dico *hanc multò adhuc antiquiorem eſſe.* nam à prima origine mundi cœpit, & à creatione hominis. *Probatur* Homo primus, in ſtatu innocentiæ creatus, neceſſariò debuit habere fidem. Quia in eo ſtatu homo fuit viator. Ergo tendebat ad Deum tanquam ad vltimum finem. ſed hæc tendentia fuit per fidem. Ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum credere oportet.* Et 2. Corint. 5. *Peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per Speciem.* Ex quo argumentor. Duplex modus accedendi ad Deum, vnus per fidem, alter per Speciem, ſeu per claram viſionem, quando præſentes adſumus Deo. Sed homo in ſtatu innocentiæ non erat præſens ad Deum per claram viſionem. Ergo per fidem peregrinabatur. Ergo habuit myſteria fidei, quæ illi immediatè à Deo reuelata erant. Ergo iam tũc Theologia fuit, ſed non ſcripta.

Ad Deum accedendi duplex modus.

Nota. certum eſt, quòd ille primus Parens eadem illa myſteria fidei ſuis filijs aperuit, & clarè explicuit; vt haberent certam religionem colendi Deum; & certa arcana, quæ de Deo crederent; & quibus in ſe pietatem in Deum excitarẽt. Ergo iam tunc Theologia non ſcripta ante Moyſen exſtitit.

13. PROBATVR de Theologia Scholaſtica. Negari enim non poteſt, quòd ſicut tẽpore Chriſti Domini erant Apoſtoli ad hoc à Chriſto Domino electi, vt de Myſterijs fidei ab eo edocti, eadem à falſitate Idololatriæ defenderent, & à Legis veteris Cerimonijs ſegregarent, idque nonniſi debito ſeruato ordine & Methodo argumentandi præſtabant, quod quidem fuit Theologia Scholaſtica. *Ita* idem dicendum eſt de tẽpore, quo primus Parens, Seth, Enoch, Nòé fuerunt: *tum* quo Moyſes, Abraham, Iacob floruerunt. *Similiter* quo vixerunt Ioſue, Iob, Melchiſedech, quòd hi diuinitus ſibi cõcredita fidei arcana ab idololatriæ impuritate defendebant. quod ſine accurata ſermonis aſtruendi & confutandi ratione non fiebat. Ergo Scholaſtica propugnatrix myſteriorum fidei ante Moyſen fuit.

Ex quo iam euidens eſt Sacram Scripturam ipſamque Theologiam antiquiorem eſſe omni ſapientia gentilium. Pulchrè enim Theodoretus *lib: 2. de Principijs* inquit: *Hinc* (ex S. Scriptura) *Anaxagoras, Pythagoras, Platoq; poſt eos, parua quædam lumina, veritatis quædam initia deſumpſerunt. Socrates quoq;, qui Archelao Anaxagoræq; conuixit, ab iis didicit, quæcunq; de Deo aliis ipſe tradidit. Moyſes verò nequaquam ſecutus rationes hominum, ſicut illi fecerũt, ſed clariſſima Dei voce perdoctus, Theologiam nobis conſcripſit.*

QVÆ-

QVÆSITVM III.

An præter Naturales Scientias ſit neceſſaria Sacra doctrina, quæ ſit diuinitus reuelata?

SCotus in Prologo 1. Sent. 24. quæſt: 1. affirmat hac de re non mediocrem eſſe controuerſiam Philoſophorum cum Theologis. dicit enim Philoſophos perfectionem naturæ defendere & negare perfectionem ſupernaturalem. E contra Theologi oſtendunt defectum naturæ & neceſſitatem gratiæ & perfectionem ſupernaturalium. Proinde pro determinatione.

Dico primo. *Falſa eſt opinio Philoſophorum, quaſi natura ex ſe ſufficiat ad finem conſequendum ſibi præfixum, videlicet ad ipſum Deum.* PROBATVR Omni Agenti per intellectum neceſſaria eſt diſtincta cognitio finis. Sed homo, qui eſt agens per cognitionem, non poteſt viribus naturæ diſtinctã cognitionem ſui finis habere. Ergo illi neceſſaria eſt ſcientia reuelata ſupernaturalis. *Minor.* Philoſophi Naturales inueſtigãtes finem optimum, quia lumini naturali ſunt innixi, ideò in eo aſſignando errauerunt (vt docet Ariſt. *1. Ethic. cap: 5. & 6.*) quidam enim finem hominis in diuitijs, quidam in voluptatibus, quidam in honore poſuerunt. quod quàm ſit falſum, idem Ariſtoteles refutat. *Ipſe* verò Philoſophus duplicem felicitatem ſtatuit, quandam *Moralem*, quam poſuit in operatione ſecundùm optimam virtutem, id eſt ſecundum Prudentiam, quam tunc exiſtimauit vnumquemq; eſſe aſſecutum, quando aptus natus eſt producere actiones perfectas omnium virtutum: Quandam *Speculatiuam*; nam ſecundùm hanc operatio mentis eſt nobiliſſima actio & perfectio, & hanc homini cũ Dijs communem facit. Maximè autem, ſi verſetur circa nobiliſſimum obiectum, quales ſunt intelligentiæ à corpore ſeparatæ ſeu Deus. Sed in hoc non conſiſtit vltimus finis & felicitas hominis; ſiquidem ex reuelata ſcientia cognoſcimus felicitatem hominis eſſe ſitam in clara viſione Dei & fruitione. Vnde aſſignati fines ab Ariſtotele, poti⁹ ſunt intermedij, non autem vltimus.

Felicitas hominis ſecundùm Ariſtotelem duplex.

Confirmatur. Dato caſu, quòd homo naturaliter poſſet cognoſcere, quòd hominis felicitas, in clara Dei viſione & fruitione cõſiſtat: tamẽ ad hoc ſunt quædã requiſitæ cõditiones, quæ naturaliter ſciri nõ poſsũt, vt quòd futura ſit reſurrectio corporũ, & rurſum animarũ cũ corpore vnitio. Sed has cõditiones nemo vnquã naturaliter cognoſcere poteſt, ſiquidẽ Dogma eſt Philoſophorum quòd *à priuatione ad habitum non datur regreſſus.* Ergo ad has cognoſcendas neceſſaria fuit reuelata ſcientia.

Nota

Nota Plato in 10. de Repub. propè finem dicit, homines reſurrecturos, & quòd in æternum beatitudine fruentur: ſed hoc nulla ratione naturali probat, proinde probabile eſt, quòd eam doctrinam accepit ex S. Scriptura.

15. *Probatur ſecundò.* iuxta Ariſtotelem Cognitio primæ Subſtãtiæ abſtractæ, eſt maximè neceſſaria homini, quia eſt obiectũ illi⁹ beatificum. Sed hæc naturaliter non poteſt cognoſci: ſi enim cognoſceretur, ergo per effectus. ſed neque per hos. Ergo cognoſci non poteſt. *Deducitur.* Prima ſubſtantia, quæ quidẽ eſt Deus, eſt communicabilis tribus perſonis, ita quòd in vna numero Deitate ſint tres Perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Sed hoc, effectus naturales producti à Deo non oſtẽdunt: quia omnes effectus Dei, qui ſunt ad extra, proueniunt à Deo vt eſt vnus, non autem, vt eſt Trinus. Nam omnes effectus producti hoc ſolùm declarant, quòd in vna numero Natura, eſt vnum ſuppoſitum ſeu perſona, & non reperiuntur in vna natura plura ſuppoſita. Ergo ſi ab effectis, ad Primæ Subſtãtiæ cognitionẽ deueniẽdum eſſet, potius dicendum eſſet, Dei naturam, ſicut eſſe vnam numero, ita etiam vnum ſolùm numero ſuppoſitum habere, & proinde effectus Naturales poti⁹ in errorem ducunt; quàm autem ad cognoſcendam veritatem. Ergo neceſſaria fuit reuelata Scientia.

Probatur tertiò. Ex his effectis naturalibus cognoſcimus, Deum eſſe Agens ex neceſſitate, quod quidem falſum eſt. Cælum enim videmus, ſemper vniformiter & eodem modo agere, & quòd tempora anni, etiã eodem modo ſibi ſuccedant; & ex his continuam generationem & corruptionem fieri videmus. Ergo cum hæc quandam ineuitabilem neceſſitatem ſeruent, quaſi manu prehenſum Intellectum ducunt, vt agnoſcat, quòd Author vniuerſi De⁹ neceſſariò agat; quod quidem falſum eſſe ex reuelata ſcientia cognoſcimus. Ergo eſt neceſſaria præter Naturales ſcientias.

Confirmatur. Hæc falſitas, etiam in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum, apertè colligitur, ſi ex effectibus naturalibus ad illarum cognitionem deueniemus. *Inprimis* enim Naturales Philoſophi, ex motu Orbium deducunt, illas eſſe ſempiternas, & ex ſe neceſſariò eſſe, quod quidem falſum eſt, vt doctrina reuelata docet, ſunt enim à Deo productæ. *Secundò docent*, præſertim Ariſtoteles 12. Metaph., quòd ſint numero tot Subſtantiæ; quot ſunt orbes. quòd ſimiliter falſum. nam ex reuelatione ſcimus Apocalip. 5. *Et erat numerus eorum millia millium.* Et Daniel. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.*

Tertiò docent Subſtantias ſeparatas eſſe naturaliter beatas, & inpeccabiles, quod ſimiliter falſum. Nam ex reuelatione ſcimus, quòd Angelorũ magna pars peccauit, & quòd beatitudine ſint priuati; cæteri verò, non per naturam, ſed per gratiam felicitatem ſunt conſecuti.

16. *Ad extremum probatur* Philoſophi Naturales, qui ſequuntur lumen naturale, hi circa vnamquamq; rem cognoſcendam in varias opiniones & ſectas ſunt diuiſi. Cognitio *hominis* ſit pro exemplo. Quidam enim eruditiores affirmant, quòd homo

Variæ Philoſophorum opiniones de Homine

ſit animal rationale. Socrates apud Platonem fatetur ſe prorſus ignorare, quid ſit homo. Democritus dubitat. Oraculum Pythij hanc difficultatem auxit, cùm vnumquemq; hoc Dicto moneat, *Noſce te ipſum.* Alij, (vt Richard⁹)hominem animâ priuauit: dicebat enim ſe non animam, ſed corpus videre. De origine verò hominis, ô quàm diſpares ſententiæ,ſeu potius fabulæ ſunt habitæ! Quidam enim ita homines è terra eſſe progenitos affirmant; ſicut plantæ, arbores, & cæteræ herbæ è terra enaſcuntur. Quidam volunt, Mares ad Orientem & Meridiem: fæminas verò ad Septemtrionem ex terra pullulaſſe, vt Empedocles; Parmenides verò è cõtra, Mares ad Septemtrionem, fæminas ad Orientem ortas eſſe voluit (vt refert Ariſt: lib: 2. de Partibus animal: & harum diſſenſionum,atque etiam errorum,non alia fuit cauſa;niſi lumen naturale. Ergo omninò aliud lumen, quod ſit ſupernaturale, cum ſcientia, quæ ſit etiam ſupernaturalis admittendum. & talis eſt Theologia ſeu reuelata ſcientia.

Cur veritas quæ ex reuelatione habetur ſit efficax & nullis expoſita falſitatibus?

Nota; veritatem, quæ habetur ex reuelatione, eſſe efficacem & nullis expoſitam falſitatibus, probat Scotus ex ſeptẽ vijs in Prologo quæſt. 2. Nempè ex concordia Scripturarum, ex prædictione Prophetica, ex authoritate ſcribentium, ex diligentia recipientium, ex rationabilitate contentorum, ex irrationabilitate ſingulorum errorum, ex Eccleſiæ ſtabilitate & miraculorum claritate. quæ videri poſſunt apud Scotum.

Obiectio Philoſophorum.

17. *Contra obijciunt* Philoſophi. primò, Virtus Intellectus Agẽtis,& poſſibilis, eſt ex ſe ſufficiens ad cognitionem omnium intelligibilium. Ergo non eſt neceſſaria reuelata ſcientia. *Antecedens;* Ariſtoteles enim dicit, *Intellectum poſſibilem fieri omnia*, quia aptus eſt ad recipiendam cognitionem omnium. Idem Ariſtoteles dicit, quòd *Intellectus agens, facit omnia illuſtrando, ac ſpecies intelligibiles producendo.* Atque ſic, hi duo Intellectus poſsũt omnium producere intellectionem, virtute ſua naturali.

Solutio ei⁹

Reſpondeo, Argumentum procedere ex non ſufficienti principio, ſupponit enim falſum, tanquam intellectus, ſit totale principium producendi intellectionem; ſiquidem ſecundùm D. Auguſt. lib: 9. de Trinitate, cap. vltimo, duo concurrere debent ad cognitionem; Obiectum & Potentia intellectiua. Procedit ergo argumentum ex parte Potentiæ intellectiuæ, quam duplicem agnoſcimus. Sed in anima, dicimus non eſſe ſufficientiam, quo ad omnia intelligenda, ſiquidem *eſt tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum:* Proinde requitur obiectum, & hoc quidem Theologiæ eſt Diuina Eſſentia clarè viſa, ad quam cognoſcendam naturaliter intellectus peruenire non poteſt, vt iam probatum.

Ad cognitionem duo concurrere debent.

Obiectio altera eorundem.

Obijciunt ſecundò. Secundùm Ariſtotelẽ ex 6. Metaph. tres ſunt Sciẽtiæ, Metaphyſica, Mathematica, & Phyſica; ſed hæ totam Entis rationem in ſe comprehendunt. Ergo nõ eſt neceſſaria reuelata ſcientia; quia nullum eſſe poteſt ſpeculabile obiectum, circa quod verſari poſſit.

Reſpondeo cum S. Doctore. Diuerſa ratio cognoſcibilis, inducit diuerſitatem ſcientiarum, *v. g.* Hæc propoſitio:

poſitio: *Terra eſt rotunda,* poteſt ſciri,& ab Aſtrologo per medium Mathematicum; poteſt quoque ſciri à Philoſopho naturali, per medium naturale. Vnde non eſt mirum, quòd de quibus Naturalis Philoſophus tractat, poſſit de iiſdem per mediū reuelatum tractare Theologus; proinde ex medio diuerſo ſumenda erit diuerſitas ſcientiarum.

Obiectio Scoti contra reſponſ. D. Thomæ.

18. *Contra hanc reſponſionem* S. Doctoris, inſtat Scotus dicens: Per hanc reſponſionem non ſaluari neceſſitatem Theologiæ. Nam ſi poſſum ſcire per medium Naturale, quòd terra ſit rotunda, non eſt neceſſarium, vt illud ſciam per mediū Mathematicum. Quia ſufficienter cognoſco per medium naturale, & in hac cognitione Intellectus meus quieſcit. *Reſpondeo primò* cum Caietano: Quòd cognitio eiuſdem rei, ſed per diuerſam rationem, importat diuerſitatem obiecti formalis, & per conſequens diuerſitatem ſcitorum: & ſic Aſtrologus cognoſcens per medium Mathematicum, quòd terra ſit rotunda, importat diuerſum obiectum formale, & diuerſum ſcibile, à Philoſophia naturali, quæ cognoſcit per medium naturale. Idē de Theologia dicendum, quòd ſit de iiſdem veritatibus, de quibus etiā ſunt Naturales ſcientiæ; ſed ſub diuerſo lumine, videlicet reuelationis, quæ eſt ratio formalis Theologiæ. vnde voluit D. Thomas implicitè concludere, quòd ſit de iiſdem rebus; ſed ſub diuerſa ratione formali ſcibilis. *Reſpondeo ſecundò* cū Iauello, quòd Scotus nihil concludit contra D. Thom. arbitratur enim ex ipſa reſponſione, quòd intendat concludere neceſſitatem; ſed ſi putat, quòd hoc intendat principaliter, fallitur: nam ſolùm intēdit conſequenter. Quòd verò non intendat principaliter in hac ſolutione neceſſitatem Theologiæ, inde patet; quia D. Thomas in litera ſua ſeu in Corpore, Articuli duas ſtatuit Concluſiones: In prima concludit, quòd *Theologia ſit omninò neceſſaria.* In ſecunda concludit, quòd *ſit vtilis alia, ſeu ab aliis diſtincta.* Et contra has Concluſiones duas proponit Obiectiones: Primam direxit contra neceſſitatem, eandemq; in ſua reſponſione tuetur. Alteram direxit contra ſecundam Cōcluſionem, quòd non ſit alia ſeu diuerſa. Proinde accommodatè reſpondet, inferens illius diuerſitatē ex diuerſo medio, videlicet reuelato. quod quia Scotus non aduertit; ideò deceptus eſt. Hoc apertè ſignificant verba S. Doctoris in reſponſione ad 2. vbi ſic dicit: *Nihil prohibet, de iiſdem rebus, de quibus Philoſophicæ diſciplinæ tractant, ſecundùm quod ſunt cognoſcibilia lumine naturalis rationis, & aliam ſcientiam tractare, ſecundùm quod cognoſcuntur lumine Diuinæ reuelationis.* Ex verbo (*Aliam ſcientiā*) colligit, quòd principaliter intendat diſtinctionē Theologiæ ab alijs ſcientijs, non autem neceſſitatem.

Prima reſponſio Caietani.

Reſponſio 2da Iauelli.

Reſpondeo tertiò. Quòd Scientiæ Speculatiuæ, enumeratæ ab Ariſtotele, agant de omnibus, quæ per ſpeculationem cognoſci poſſunt: ſed non agunt de omnibus, quæ de illis cognoſci poſſunt; quia ſunt multa prædicata propria homini & Subſtantijs ſeparatis, quæ naturaliter non poſſunt cognoſci niſi per reuelationem.

19. Dico ſecundò cum S. Doctore *ad veri-*

BIBL. Z.N. IM. OSSOLINSKICH

Ad veritates lumine naturali cognoſcibiles neceſſaria fuit Theologia.

re ad veritates, quæ ſunt naturali lumine cognoſcibiles, & quæ per Phyſicas diſciplinas cognoſcuntur, neceſſaria fuit Theologia, quæ per reuelationem inſtrueret Naturales Sapientes, de his ipſis indubitanter & infallibiliter cognoſcendis. PROBATVR ratione D. Thomæ *hic art. 1.* Veritas de Deo, per rationem naturalem inueſtigata, vix per longum tempus à paucis, & hæc quidem cum admixtione errorũ, (vt iam deductũ) acquiritur. Ergo neceſſaria reuelata ſcientia.

Quas ob cauſas plurimi à cognitione veritatis retrahantur?

Secundò deducitur ex l. contra gentes cap: 4. vbi oſtendit, quòd plurimi à cognitione veritatis, tribus de cauſis retrahuntur. *Primò* propter complexionis indiſpoſitionem, ex qua naturaliter plurimi ſunt indiſpoſiti ad ſciendum. vnde hi, difficulter attingere poſſunt, ſupremũ gradum cognitionis humanæ, quæ in cognoſcendo Deum conſiſtit. *Secundò* impediuntur reifamiliaris neceſſitate, & cura, vt non poſſint cõtemplatiuæ inquiſitioni vaçare. *Tertiò* impediuntur Pigritia. plurimi enim laborem ſubterfugiunt: qui autem Dei cognitionem habere volunt, ex naturalibus diſciplinis, multa præcognoſcant, neceſſe eſt, cum magno labore; ſiquidem tota Philoſophia ad cognitionem Dei ordinatur. Tandem in eodem Cap. ſic concludit: *Salubriter ergo Diuina prouidit clementia: vt ea etiam, quæ ratio inueſtigare poteſt fide tenenda præciperet, vt ſic omnes de facili poſſent Diuinæ cognitionis eſſe participes, & abſq; dubitatione & errore.*

Tertiò confirmatur authoritate ad Epheſ. 4. *Iam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſui ſenſus, tenebris obſcuratum habentes intellectum,* hoc eſt, in inueſtigatione veritatum lumine naturali, plurimæ falſitates obrepunt, & propter debilitatem intellectus, & phantaſmatum permiſtionem. Ergo reuelata ſcientià opus.

Ad extremum, in veritatibus reuelatis regnat gratia; & hæc naturam non deſtruit, ſed perficit. Ergo & defectus luminis naturalis perficiet.

Quid cauſa cur naturalis ratio nō acquirat veritatem quę ſit ſine errore?

20. *Sed quæres*, quæ cauſa, cur ratio naturalis, non acquirit veritatem quæ ſit ſine errore? *Reſpondeo* in cauſa eſſe, quia Intellectus, accepit vulnus ignorantiæ ob lapſum in peccatum primorum Parentum; ſi enim ſtatus naturæ integræ manſiſſet, intellectus hominis infallibilem ordinem & diſpoſitionem teneret ad veritatem cognoſcendam, nec impediretur à corpore corruptibili: iam verò poſt lapſum in peccatum, quia idem intellectus deordinatus eſt per ignorantiam, & aggrauatur à corpore, vt non poſſit tendere in veri cognitionem ſine errore. Eius rei euidens eſt ſignum, quòd viri excellentiſſimo ingenio, quia à reuelata doctrina deſtituti erant, in multos errores ſunt prolapſi; Plato qui nomen *Diuini* obtinuit, hos errores admiſit, quòd Materia ſit Deo coæua, & quòd à Deo nõ creetur. Ariſtoteles Mundum exſtitiſſe ab æterno & per quandam neceſſariam emanationem, à Deo prodijſſe affirmauit, vnde ſicut ignis neceſſariò vrit: ita Deum neceſſariò produxiſſe mundum, aſſeruit. Cicero negauit Diuinam prouidentiam, & cùm vellet homines liberos facere, fecit Sacrilegos. Galenus, animam hominis, appellauit humorũ harmoniam adimens illi immortalitatem,

Ex quo

Theologiæ neceſſitas quanta?

Ex quo collige, neceſſitatem reuelatæ doctrinæ, ſeu Theologiæ Sacræ, ad ſalutem conſequendam, & in ſtatu innocentiæ; quia in eo homo ordinabatur ad finem ſupernaturalem, qui cognitionẽ naturalem excedit: & tantò magis adhuc poſt lapſum in peccatum, cum in hoc ſtatu ſint plures defectus, fuiſſe neceſſariũ.

21. *Nota* quoad literam D. Thomæ, in qua dicit, *quòd etiam ad ea, quæ lumine naturali cognoſcuntur, fuit neceſſaria ſcientia reuelata*, Caietanus in ſuo Commentario, hoc Dictum S. Doctoris, dicit intelligendum eſſe, non de neceſſitate ſimpliciter; ſed quoad bene eſſe: ita quòd neceſſitas ſimpliciter illa ſit, vt cibus ad vitam ſuſtentandam; ad benè verò eſſe, vt equus, ad meliùs iter conficiẽdum, neceſſarius. Et hoc poſteriori modo, videlicet ad bene eſſe, voluit S. Doctor neceſſariam eſſe, reuelatam ſcientiam.

Sed potiùs (vt Bannes obſeruat) dicendum eſt, quòd ſimpliciter ſit neceſſaria, ad veritates Naturales cognoſcendas, & eſt hæc mens S. Doctoris, quæ colligitur ex *2. 2dæ. art. 4. ad* 1. vbi expreſsè docet *quòd Naturalis cognitio, non ſufficit humano generi, ad cognitionem Diuinorum, etiam eorum, quæ poßunt naturali ratione demonſtrari*. Idem in *3. diſt. 23. art. 3 quæſt. 1. ad 1.* dicit, quòd *ad Naturalem cognitionẽ Dei, non potuit ſufficienter prouideri per naturam hominis*. Ergo ſanctus Doctor omninò ſenſit, non quo ad benè eſſe, ſed ſimpliciter, ad veritates naturales de Deo cognoſcendas, fuiſſe neceſſariam reuelatam ſcientiam.

QVÆSITVM IV.
An Theologia ſit neceſſaria ad ſalutem?

Theologia ſumpta in communi tripliciter conſideratur.

22. PRo meliori intelligentia *ſuppono primò. Theologia* in communi tripliciter ſumi poteſt. *Primò* pro habitu fidei, qui quidem eſt in principijs, ſeu in articulis fidei reuelatis, & ad credendum propoſitis: *ſecundò* pro Sacra Scriptura, ſeu pro habitu interpretandi Scripturas, & appellatur *Theologia Poſitiua*: *tertiò* pro habitu Concluſionum, quæ ex principijs fidei reuelatis & ex S. Scriptura inferuntur, & dicitur *Theologia Scholaſtica*.

Neceſſariũ ſumitur dupliciter.

Suppono ſecundò ex Ariſt. *5.* Met. *t. 6. Neceßarium* dupliciter ſumitur. *Primò* quod eſt ſimpliciter neceſſariũ, vt Deum eſſe ſimpliciter eſt neceſſarium. *Secundò* neceſſarium eſt illud, quod tanquam medium, ad aliquem finẽ ordinatur, vt oculus ad videndum, pes ad ambulandum eſt neceſſarius tanquam medium *Neceßarium* poſteriori modo adhuc dupliciter ſumitur: *primò* tanquam medium, *ſimpliciter* neceſſarium, vt cibus ad vitæ ſuſtentationem ſimpliciter eſt neceſſarius: *ſecundò* neceſſarium

dicitur *ſecundùm quid*, vt currus non ſimpliciter eſt neceſſarius, ſed ſecundùm quid, & quoad bene eſſe, nimirùm, ad meliùs iter conficiendum.

Neceſſariū reſpectu ſubiecti quotupliciter dicatur?

Suppono tertiò. Neceſſarium reſpectu Subiecti, dupliciter dici poteſt: *Primò* quod hominibus dicitur eſſe neceſſarium ſingulis, & in particulari, vt Baptiſmus ad conſequendam ſalutem, omnibus & ſingulis eſt neceſſarius: ita quòd ingreſſum in regnum cælorum, nemo ſibi promittere poteſt, qui non ſuſceperit Baptiſmum aut in re, aut in voto. *Secundò* dicitur eſſe neceſſarium, non iam in particulari ſingulis hominibus, ſed toti communitati, aut Reipublicæ; vt Matrimonium, & Sacer Ordo, dicuntur eſſe neceſſaria hominibus; at non ſingulis, ſed ipſi duntaxat communitati. Nam ad conſeruationem ſpeciei humanæ, neceſſariæ ſunt nuptiæ; & propter diſpenſationem Diuinorum myſteriorum, neceſſarium eſt, vt ſint aliqui Sacerdotes Et ſic in propoſito inquirim⁹: *An Theologia ſit omnibus, & ſingulis hominibus neceßaria; an verò omnibus, qui ſunt in Eccleſia, ſed tamen non ſingulis?* His ſuppoſitis.

23. Dico primò. *Theologia, in quantum eſt doctrina fidei, quæ ex reuelatione conſurgit, in omni tempore, & ætate, cuilibet homini, quoad iuſtificationem, & glorificationem, ſimpliciter fuit neceßaria, adeò vt nemo, cum ſola naturali cognitione de Deo habita, potuerit ſalutem animæ obtinere.* PROBATVR locis S. Scripturæ.

Primus eſt ad Hebr: 11. *Accedentē ad Deum credere oportet, Quia eſt.* Et *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hic locus loquitur de acceſſu ad Deum, qui cuilibet homini eſt neceſſarius; ſiquidem Deus clarè viſus eſt hominis finis, in quo conquieſcere debet. Sed gradus, acceſsûs ad Deum eſt fides, & ſine hac nemo poteſt placere Deo. Ergo quouis tempore cuilibet homini neceſſaria fuit fides. *Confirmatur.* Sicut enim ſine veſte ſplendida, nemini patebat acceſſus ad Regem Aſpherum: & qui veſte nuptiali, non erat indutus, in tenebras exteriores eſt proiectus; ita fides, eſt conciliatrix amoris Diuini, per quam ſalutem conſequimur, & ad æterna tabernacula recipimur.

Secundus locus 2. Corinth: 13. *Non ſumus ſufficientes, aliquid cogitare ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ex quo argumentor. Qui ex ſuis viribus, id, quod minus eſt, non poteſt; nec etiam poterit id, quod eſt maius. ſed minus eſt cogitare, plus autem ſalutem æternam conſequi. Ergo. *Tertius locus* ad Epheſ: 2. *Gratiâ eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Expreſsè loquitur de ſalute, de fide, & quòd ſalus per fidem, & quòd fides ſit donum Dei. Ergo ſine fide nemo ſaluari poteſt.

24. PROBATVR *Rationibus.* Doctrina fidei, diuinitus reuelata, neceſſaria eſt, & neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti. Ergo ſimpliciter eſt neceſſaria. *Antecedens probatur.* Illud eſt neceſſarium neceſſitate medij, ſine quo finis nullo modo haberi poteſt, ſed ſine doctrina fidei reuelata, nullus vnquam potuit ſalutem conſequi. Nam initium ſalutis, ex fide explicita, præſertim in adultis ſecundùm *Concil: Trident. Seß. 6.* illud verò neceſſitate præcepti, eſt

pti eſt neceſſarium ad ſalutem, de quo obſeruando exſtat præceptum Diuinum; & ſic Baptiſmus neceſſitate præcepti neceſſarius ad ſalutẽ. quia de eo ſuſcipiendo exſtat Diuinum præceptum: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cælorum.* Et de Pœnitentia exſtat præceptum: *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis.* Proinde & Baptiſmus & Pœnitentia neceſſitate præcepti ſunt neceſſaria ad ſalutem. Sed & de fide exſtat præceptũ Diuinum: *Qui crediderit, hic ſaluus erit.* Ergo neceſſitate præcepti fidei doctrina eſt neceſſaria omnibus & ſingulis ad conſequendam vitam ęternam.

Ratio ſecunda. Quemadmodum voluntas quoad diligendum Deum, in quantum eſt beatitudo ſuprema, ex ſe non eſt ſufficiens: ita & intellectus ad intelligendum, quòd Deus ſit author beatitudinis eſt ex ſe non ſufficiens Sed defectus voluntatis ad diligendum Deum roboratur infuſa claritate ſupernaturali. Ergo & intellectus per fidem infuſam eleuari debet ad hoc: vt cognoſcat Deũ tanquam finem ſupernaturalem.

Ratio tertia. Operatio præſupponit *Eſſe* illius rei, à qua procedit, proinde quale eſt *Eſſe* illius rei; talis quoque & operatio; ſi *Eſſe* erit naturale, naturalem quoque operationem eſſe oportebit: ſi verò *Eſſe* rei ſupernaturale fuerit; ſupernaturalis itidem operatio erit. Sed cum finis hominis ſit ſupernaturalis. Ergo & *Eſſe* hominis videlicet per fidem debet eſſe ſupenaturale, ex quo operatio ſupernaturalis procedit. Vide D. Thom. *1. contra gentes cap: 5. & 3. contra gentes cap: 151. 152. 153.*

25. *Sed dices* dato caſu, quòd aliquis puer à ſua natiuitate in ſyluis ſit enutritus, & hic, quia Euangelij prædicationem non audiuit, fide in Chriſtum non eſt illuſtratus iuxta illud: *Quomodo credent ſine prædicante?* Hic itaque puer ſolùm naturalem cognitionem de Deo habebit, tunc ſi dictante lumine ipſo rationis cõſtituat apud ſe vitare malum & ſequi bonum, hic omninò iuſtificabitur; quia facit, quod in ſe eſt: facienti autem, quod in ſe eſt; Deus non denegat gratiam. Ergo ſi talis morietur, ſaluabitur. atq; ſic ad cõſequendam ſalutem doctrina fidei non requiritur. Obiectio.

Reſpondeo & Dico primo. Deus in operibus ſuis, & in neceſſarijs illorum non deficit; ſed inter opera Dei homo eſt præſtantiſſimum opus, vt pote ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, teſte S. Script. *Geneſ capit. 1.* & hic aut eſt in ſtatu, & ordine naturæ; aut in ſtatu & ordine gratiæ? Si in ſtatu naturæ, prouidit illi Deus certa media ad finem naturalem conſequendum: ſi verò eſt in ſtatu gratiæ, prouidit illi ad finẽ ſupernaturalem cognoſcendum & obtinendũ media ſupernaturalia; & ſic viribus naturæ non eſt potens per media naturalia ad finem ſupernaturalem conſequendum. *Ex quo collige* quòd hic enutritus in ſyluis, per media naturalia non conſequetur ſalutem æternam, quæ eſt finis ſupernaturalis. Solutio eius prima.

Secundò dico. Hic talis in ſyluis educatus, ſi proponet rectum agere, aut malum fugere, prouidebit ei Deus de medijs ſupernaturalibus, & aut eum intus illuminabit; aut Doctorem fidei ad illum mittet; ſic Solutio ſecunda.

vt miſit D. Petrum ad Cornelium.

Tertia. *Vel tertiò dico.* Hic puer ſic proponēs ſecundùm rectam rationem viuere, & bono adhærere, non ob liberum arbitrium exſtinctum, ſed ob illius infirmitatem, non poterit vllo pacto ſuis viribus implere omnia, quæ ſunt legis naturalis, vnde in multis deuiabit à dictamine rationis, propter quòd damnationem merebitur. *Ad extremum dico*, quòd admiſſo & conceſſo per impoſſibile tali caſu, adhuc iſte puer cōdemnabitur propter peccatum originale.

Illa doctrina fidei reuelata quæ eſt de Chriſto mediatore cuilibet adulto maximè eſt neceſſaria.

26. Dico ſecundò. *Illa doctrina reuelata fidei, quam nos Theologiam Scholaſticam appellamus, cuilibet adulto & vſum rationis habenti maximè eſt neceſſaria ad conſequendam ſalutem, quæ eſt de Chriſto mediatore, ita quod pro diuerſitate temporis magis vel minùs debet eſſe explicata.* PROBATVR quia omnes S. Scripturæ, & omnes quotquot ſunt, Prophetiæ perhibent teſtimonium de Chriſto: quòd per ipſū ſalus nobis omnibus credentibus aduenit, vt habetur apud S. Lucam cap: 24. *Incipiens à Moyſe & Prophetis, interpretabatur illis Scripturas, quæ de ipſo* (hoc eſt de Chriſto Domino) *erant.* Et D. Thom. *2. 2dæ. quæſt. 1. art. 7. ad 3.* rem mirabilem commemorat: quam, quia ſcitu digna eſt. ad ſcribendum tradere non grauabor; ea autem res ſic ſe habuit. Tēpore Conſtantini Auguſti apertum fuit ſepulchrum, in quo iacebat corpus humanum, quod ſupra pectus laminam auream habuit, in qua ſcriptum erat: *Chriſtus naſcetur de Virgine, & credo in eum; O ſol ſub Conſtantino & Helena iterum mè videbis.* Et ſic quidem euenit, vt gentilis ille à multo tēpore, terrà in ſepulchro obrutus, prædixit.

Res quædā de inuento cadauere.

Nota. Chriſti Saluatoris noſtri aduētus ſtatim poſt lapſum primorum Parentum in peccatū eſt promiſſus humano generi, in cuius fide, & qui præcedebant natiuitatem eius, & qui ſubſequuntur, ſalutem & vitam promerentur æternam.

27. Dico tertiò. *Theologia ſumpta pro interpretatione Sacræ Scripturæ, non eſt quidem ſingulis hominibus ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. ita vt ſine illa impoſſibile ſit ſaluari aliquem;* contrariū enim videmus experientia ipsà docente, quòd multò maior numerus reperiatur illorum, qui nec legere quidem ſciunt nec ſciuerunt; de illorum tamen pietate, & vita religioſa, plurimorum vota ac miracula teſtantur & clamitant. Pleriq; etiam ſunt, qui tametſi legere ſciant: non tamen facultatem interpretandi S. Scripturas conceſſā habēt, cū hæc abſque ſpeciali concurſu gratiæ Diuinæ & ſingulari Spiritus S. auxilio nequaquam vera & firma haberi poſſit; vt videre eſt in Hæreticorū interpretatione: qui quia carent gratia & auxilio Spirit⁹ S., idcircò illorū interpretatio plurimis inuoluta eſt erroribus. Dico ergo. *Quòd non ſingulis, ſed toti Eccleſiæ conuenit.*

Theologia ſumpta pro interpretatione ſacræ Scripturæ non ſingulis hominibus ſed toti Eccleſiæ conuenit.

Hoc Dictum directè eſt contra *Hæreticos*, qui aſſerunt ſacram Scripturam claram eſſe & manifeſtam, & vnicuique perſcrutanti illius ſenſum, eſſe perſpicuam. *Fundamentum illorum*, quia omnibus promiſſus & datus eſt Spiritus ſanctus, qui vnūquemque docet omnem veritatem; proinde Spiritus ſanctus non eſt alligatus loco, perſonæ, tempori. vnde non eſt recurrendum ad Doctores Ec-

res Eccleſiæ pro illorum interpretatione.

Ad fundamentum hæreticorum dico, nos nō negare, quòd omnibus ſit datus Spiritus S. ſed quòd omnibus Spiritus S. interpretandi ſit datus, hoc omnino negamus Scriptura atteſtante: *Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationū? nunquid omnes linguis loquūtur? nunquid omnes interpretantur? Ex quo collige* quòd in omnes fideles Spirit⁹ S. diffuſus eſt; attamen non ſingulis omnia ſua dona dedit, ſed diſtinctis perſonis, diſtinctas gratias contulit.

28. *Probatur Dictum.* Sicut Spiritus S. libros Propheticos & Apoſtolicos, ad omnium quidem hominum ſalutem & vtilitatem conſcripſit, nō tamē per vniuerſos homīes; ſed per certos ad hoc ſpeciali dono gratiæ ſuæ præditos, delegit, vt Moyſen, Dauid, Iſaiam, D. Matthæum, Ioannem, Paulum, & alios: ita eorundē librorum interpretationem, non per omnes fideles; ſed per certas perſonas, Sapientia Dei & Spiritu S. plenas, eſſe voluit.

Præterea in S. Scripturis continentur plurima ſummè difficilia intellectu 1. Petri 3. vbi dicit: *In quibus* (ſcilicet Scripturis) *exſtant aliqua intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant.* Ergo horum difficilium neceſſaria interpretatio. Ergo non eſt omnibus obuia.

Item multa ſunt loca in Scriptura, quæ videntur contrarium ſenſū habere, ut Geneſ. 1. dicitur, *Deum in ſex diebus creaſſe omnia.* Et poſtea dicitur: *In die qua creauit Deus cælum & terram.* Et alius locus habet: *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Similiter primo die dixit Deus: *Fiat lux, & facta eſt lux*; & quarta die dicitur *eſſe conditus Sol*; nunquid Sol & lux non ſunt idem? Et ſic alia loca videntur habere repugnantiam; proinde hæ contradictiones ſunt explicandæ, non ſecundùm ſenſum cuiuſlibet; ſed ſecūdùm Eccleſiæ dictamen. Nam hui⁹ eſt de ſenſu vero & legitimo Scripturarum definire.

Nota Hæc interpretatio Scripturæ non quibuſuis perſonis in Eccleſia, ſed ſolis Sacerdotibus, Epiſcopis, Prælatis Eccleſiæ ex iure Diuino competit, Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*: Et Deuter. 17. *Si apud te iudicium perſpexeris eſſe, vade ad Sacerdotem Leuitici generis.* Scripturæ interpretatio quibus perſonis competat.

29. Dico quartò. *Theologiæ Scholaſticæ ſcientia vtiliſſima eſt Eccleſiæ & ſummè neceſſaria; ita tamen, vt non omnes, nec ſinguli Chriſtifideles, ſed illius Doctores in ea verſati eſſe debeant.* PROBATVR. Falsò fingunt Hæretici Theologiam in ſolis Metaphyſicis & curioſis Quæſtionibus verſari; nam hæc idem præſtat, quod poſitiua, ſed multò exactiùs & perfectiùs: ſiquidē & īterpretatur Scripturas; & per quandam artem varias interpretationes colligit, confert, de ijſdem iudicat & inter ſe conciliat. Theologia Scholaſtica eſt Eccleſiæ vtiliſſima & ſummè neceſſaria.

Probatur ſecundò Scholaſtica Theologia eadem eſt prorſus cum Poſitiua, nam vtraque circa Scripturas & circa illarum interpretationem verſatur. Ex ijſdem enim principijs fidei procedit, & eodem lumine ſupernaturali vtitur, & eaſdem veritates reuelatas colligit: & hoc ſolo differt, quòd Methodum artificioſam & compendioſam adhibet. Quo differt Theologia Scholaſtica à Poſitiua?

Probatur tertiò. D. Aug. *lib: 14. de Trinitate cap: 1.* interpretans locum 1. ad Corint 12. *Alij datur ſermo ſcientiæ in eodem Spiritu*, ſic commendat Scholaſticam: *Hæc ſcientia eſt qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, roboratur, defenditur.* Quibus verbis officium Scholaſticæ in quatuor conſiſtere expreſſit. *Primò* debet fidem gignere in animis audientium: *ſecundò* eandem progenitam debet nutrire & ad perfectionem deducere: *tertiò* debet eandem contra paganos tanquam contra apros ſylueſtres rationibus corroborare, ne ſuis rationibus Eccleſiam Dei depopulentur: *quartò* debet illam à calumnijs Hæreticorum defendere. *Quintò* (addimus) debet per neceſſarias conſequentias, Concluſiones ex his, quæ ſunt fidei inferre: quæ omnia ſimplex Chriſtianus non poteſt præſtare. Ergò in Eccleſia neceſſarij sũt Doctores eruditi.

Scholaſtica Theologia in quibus conſiſtere debeat.

30. *Probatur quartò* ipſa Eccleſiæ authoritas, Scholaſticam Theologiam approbauit. Nam Concil. Lateranen, ſub Innocentio Tertio. Petrum Lombardum Scriptorem Sententiarum, ſummè commendat, & damnat Abbatem Ioachimum, qui contra eum ſcripſit: *Tum* Commẽtatores celeberrimi & vitæ integritate conſpicui, vt D. Thóm. D. Bon. Albertus Mag. Alexander & alij ſuis ſcriptis eius doctrinam illuſtrarunt & auxerunt. *Præterea* Summa Theologiæ, quam D. Thom. conſcripſit ab *Vrbano IV.* in Extrauaganti *Laudabilis Deus valdè* commendatur. Et ab *Innocentio V.* in ſermone qui incipit: *Ecce hic pluſquam Salamon.*

Probatur quintò Ipſum odium, quòd Hæretici contra Scholaſticam conceperunt, indicium eſt, eam Eccleſiæ ſummè eſſe vtilem. Vident enim illi, quòd illorum fraudes, impoſturæ, doli, atque etiam ignorantia per Scholaſticam Theologiam palam fiant, & quòd neruosè confutentur; cupiuntque Scholaſticam & illius Magiſtros eſſe exſtinctos; vt, ſicut lupi canibus ſublatis gregem inuadunt; ita quoque poſſint hoc præſidio ſublato Eccleſiam Dei inuadere, & pro ſuo arbitratu miſcere.

31. *Sed obijcies* Scholaſticam Theologiam multa ſuperflua habere, quæ ad ſalutẽ nihil faciunt. agit enim de Creatione, de Angelis, de dæmonibus, de igne damnatorum, ſine quorum cognitione ſalus haberi poteſt. *Reſpondeo primò.* Si ſpectemus fideles, qui in ſua ſimplicitate ſalutem ſuam operantur; tunc dico, quòd his ſufficit ſimplex cognitio articulorum fidei, & Diuinorum præceptorum & myſteriorum: ſed doctoribus Eccleſiæ etiam horum cognitio perneceſſaria, vt Maieſtatis Diuinæ potentiam & iuſtitiam agnoſcant, eandemque, populo fideli admirandam & adorandã proponant.

Obiectio Hæreticorum.

Solutio eius prima.

Reſpondeo ſecundò. Si hæc ſunt ſuperflua, & non neceſſaria, cur ipſi hæretici in ſuis libris, (vt Lutherus, Caluinus, Beza, & alij innumeri) de Angelis & de dæmonibus agũt, & de igne damnatorum? Tum *An Deus ſit Author peccati?* Et *An in paruulis dum baptizantur, acceleretur iudicium rationis?* de quibus & ineptè inquirunt, & maiori cum ineptia reſpondent.

Secunda.

Reſpondeo tertiò. Si hæc ſunt reſecanda tanquam ſuperflua, & quæ nihil ad ſalutem faciunt, profectò

Tertia.

ex S.

ex S. Scriptura, multa eſſent expungenda, quæ nihil ad ſalutem faciūt; vt de Angelis, de Paradyſo, de quatuor fluuijs; tum quòd animalia fuerint adducta ad Adam, vt illis nomina imponeret: de Bellis populi Iſraëlitici, de Coruo Heliæ, de Aſina Balaam, de Cane Tobiæ, quorum cognitio nihil facit ad ſalutem obtinendam. Sed hoc quidem falſum; non ſunt enim reſecanda. Ergo nec illa reſecari debent, quæ hæreticis videntur eſſe ſuperflua in Theologia Scholaſtica.

Obiectio altera eorundem cū ſua ſolutione.

32. *Obijcies ſecundò.* Scholaſticos nihil loqui, in ſuis diſputationibus, niſi Philoſophiam & phyſicas rationes. *Reſpondeo* falſum eſſe, quòd Scholaſtici ſolùm Philoſophiam loquantur, ſiquidem illorum inſtitutum eſt, agere de Deo, Sacram Scripturam interpretari, eandemq; explicare, & Sententias Patrum conciliare, & multa ex Traditionibus, Hiſtorijs Eccleſiæ, & ex Sanctorum Patrum ac Conciliorum definitionibus, adducere.

Quas ob cauſas Theologia demittat ſe ad Philoſophiam.

Quòd verò Theologia demittat ſe ad Philoſophiam, hæ ſunt cauſæ: *Prima* quia ſicut gratia ſupponit naturam, eamq; non deſtruit ſed perficit: Ita Naturalem Philoſophiam Theologus præſupponit: nam illius cognitione inſtructus eſſe debet, quam poſtea ex lumine fidei reuelato perficit. *Secunda cauſa*, quia Theologis ſæpè contingit diſputare cum paganis, & cum Atheis, qui quia negant principia fidei; idcircò ex principijs, & rationibus naturalibus cum illis agendum eſt.

Tertia cauſa quia in animis Chriſtianorum, ſuboriuntur quæſtiones ex naturalibus, quæ circa myſteria fidei contingunt; vt de exſiſtentia Corporis Chriſti in Euchariſtia; quibus niſi fuerit ſatisfactum, magnos in ſua conſcientia ſcrupulos patiuntur.

Quarta cauſa quia ipſi hæretici ex Philoſophia argumentari ſolent, vnde euertēdo myſterium Euchariſtiæ adducunt, quomodo idem corpus, in diuerſis locis eſſe poſſit? & quòd accidentia, à ſuo ſubiecto ſeparari non poſſunt. Et propterea Theologi, ex Philoſophia propoſitis dubitationibus, debent occurrere ex eadem Philoſophia. *Tum* & Arriani, (vt S. Epiphanius refert,) trecenta argumenta adducunt, aduerſus Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ, vt plurimùm, ex naturali Philoſophia ſunt deſumpta. Ad quæ reſoluenda oportet vt Doctores Catholici ſint in Philoſophia verſati.

33. *Quincta cauſa.* Quia & D. Paulus teſtimonijs Philoſophorum & Poëtarum vſus eſt, atque etiam rationibus. Ad Titum *cap*: 1. & 1. *Corint. cap*: 15. & *Actor.* 17. Sæpiſſimè etiam rationes adducit præſertim qui reſurrectionem expugnabant; dicit enim: *Aliter fruſtra laboramus, ſi non eſt reſurrectio, edamus potius & bibamus, vt quid pro mortuis baptizamur.* Similiter cùm probat quòd in Eccleſia non ſint omnes Doctores, non omnes Paſtores, dicit enim: *Sicut enim in corpore oportet eſſe diuerſa membra, & ſi totum corpus eſt oculus, vbi erit Auditus? vbi odoratus? nec poteſt oculus dicere manui, non egeo opera tua.* Ipſe Saluator noſter Matth: 6. ex auibus, quę ſunt res naturales, deducit prouidentiam Diuinam, *quia non laborāt neq; nent, ſed Pater veſter cæleſtis, paſcit illas.*

Teſtimonijs Philoſophorum & rationibus etiā D. Paulus vtitur, & ſācti Patres.

illas & veſtit. Eundem S. Patres ſunt ſecuti, vt Tertull. in Apol. & in lib. de Præſcript. Lact. in libris Inſti: Clemens Alex. in libris Stromatũ. Sotus verò in lib. de Natura & de gratia multa habet in laudem Theologiæ Scholaſticæ. Et Concil. Trid. *Seſſ: 22. cap: 2.* decernit, Canonicatus Eccleſię Cathedralis dandos eſſe Doctoribus & Licentiatis. Et in Concil. Conſtant. præcipitur, vt in omni Eccleſia Cathedrali, detur vnus inter Canonicos, qui ad populum Conciones faciat, & Eccleſiaſticis Sacram Scripturam explicet. Idem Concil. Trident. vult habere Seminaria, in quauis Diœceſi, in quibus iuuenes, qui ad ſacros Ordines aſpirant, erudiri poſſint in myſterijs fidei; quocirca calumniæ hæreticorum non ſunt audiendæ. Caluinus enim D. Thomam appellat *Sophiſtam*; eundem Lutherus appellat *Phialã iræ Dei*, & Scholas Theologorum vocat *Lupanaria, caſtra Caimitica.* Kemnitius appellat *Negotium perambulans in tenebris.*

Calumniæ Hæreticorũ in D. Thomã & alios Theologos.

Nota rem ridiculam.

Surius verò in Appẽdice ad Naucleruin, rem ridiculã narrat, quòd circa Annum *1520*. Vitembergenſes funus procurarunt libris Scholaſticorum. hos enim feretro incluſerunt, & ad mediam plateæ partẽ deportârunt, ſequentibus Miniſtris, & per ludibrium recitato Officio Defunctorum, in ignem iniecerũt. Et hi quidem rabiem ſuam, vt aliquantum exſatiarent hac cõtumelia Theologiam Sholaſticam affecerunt. Hæc tamen eſt propugnaculum Eccleſiæ, eſt tanquam Turris Dauid, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium.

Obiectio tertia.

34. *Obijcies tertiò.* Ad Coloſſ: 2. *Videte, ne quis vos ſeducat, per Philoſophiã & inanem fallaciam.* Et Prouerb. 23. *Scrutator Maieſtatis opprimetur à gloria.* Et Eccleſ: 3. *Altiora te ne quæſieris.* Et 2. Corint. 12. *Captiuantes intellectum in obſequium fidei.*

Solutiones eius.

Reſpondeo ad primum locum Scripturæ, & dico, in hoc loco non damnari omnem ſapientiam, (vt falsò Lutherus exiſtimat,) ſed eam, quæ ſit inanis fallacia & ſuperſtitio gentilitatis, quam 1. Timoth. cap: vlt. *Falſi nominis ſcientiam vocat.*

Reſpondeo ſecundò ab Apoſtolo his verbis perſtringi Apollonium Thyanæum, & alios Philoſophos, qui eodem tempore, quo Apoſtoli orbem circumibant, vt populum à Chriſti fide ad ſua dogmata pertraherent.

Reſpondeo tertiò Philoſophiam eo ſenſu fugiendã eſſe, ne plus ei quàm fidei tribuamus. Proinde D. Hier. Philoſophos redarguit, qui ex reb9 naturalibus, virtutem Dei æſtimabant, dicentes: *Ex nihilo nihil fieri poſſe.* Et Tertull. tales Philoſophos vocat *Patriarchas hæreticorum.* Ea verò Philoſophia non eſt culpanda, quæ lumine fidei præeunte, continet ſe intra ſuos limites obediendo fidei & captiuando intellectum.

Ad reliqua loca Scripturæ dico, hæc magis contra hæreticos facere, qui credere nolunt, niſi ea ſuæ rationi fuerint conſona, vnde plus tribuũt rationi, quàm Diuinæ reuelationi. *Vel reſpondeo ſecundò*, Allegata loca Scripturæ intelligenda eſſe de arrogantibus, qui proprio ingenio freti, & ſuum ſpiritum imitantes, omnia pro arbitrio ſuo explicare volunt, & in his quæ ſunt obſcura, euidentiam quærunt, quod repugnat fidei,

& præ-

& præſenti ſtatui, & conuenit viſioni claræ, quæ erit in patria cæleſti.

Scientiæ ad res fidei tradendas ſunt neceſſariæ.

35. Ad extremum dico. *Dialecticam, & reliquas ſcientias Naturales, non eſſe inutiles, nec pernicioſas, ſed plurimùm conducere ad res fidei tradendas.*

PROBATVR de Scientijs ita D. Th. *quæſt. 2. ſuper Boët. de Trinit. art. 3.* Iulius Rogierius de Aud. Theol. *c. 5 6.* Melchior Canus lib: 9. de locis Theol. Et patet ex S. Scriptura, nam Moyſes, in Sapientia Ægyptiorum dicitur fuiſſe eruditus. Et Daniel cum tribus pueris, doctrinam Chaldæorum didicerat: Sed ſi hæc eſſet pernicioſa, & inutilis ad res Diuinas, profectò ſicut ſe contaminare cibis Regijs non ſunt paſſi, ita nec ad Chaldæorum ſapientiam adiſcendam ſe pertrahi permiſiſſet.

Et D. Aug. lib: 2. de Doct. Chriſt. cap: 40. docet: *Quòd quemadmodum quondam, populus Iſraëliticus fugiens ex Ægypto, argentum, aurum, & veſtes pretioſas, ſibi clanculum ad meliorem vſum vendicauit: ita antiqui Patres, de ſocietate gentilium exeuntes, liberales diſciplinas, ad vſum prædicandi Euangeliū tranſtulerunt.* Et tandem concludit: *Nonne aſpicimus quanto auro, argento, & veſte ſuffaracinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor ſuauiſſimus, & Martyr beatiſſimus? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius?* Et Origenes Homil. 15. in Geneſ. & lib: 2. contra Celſum dicit: *Quid mali eſt eruditum eſſe diſciplinis optimis, excoluiſſe ingenium, prudentem eſſe & haberi; quid hæc obſtant cognitioni Dei, an non potius conducunt ad conſequendam veritatem?*

36. PROBATVR *Ratione* Philoſophia Naturalis, & liberales diſciplinæ, in ſe conſideratæ ſunt Dei dona. Eccleſ: 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Sunt quoque virtutes intellectuales, quæ puram virtutem contemplantur. Quòd verò in eas multiplices irrepſerint errores, id hominum vitio accidit, ſed ſi Doctor Chriſtianus primas partes tribuat fidei, ſecūdas rationi, ita quod iudiciū de Scientijs humanis, ſit penes Diuinam ſcientiam; & S. Doctrina ſi fuerit Domina, reliquæ verò ancillæ. Hanc moderationem, qualis nam ſit adhibenda Doctori Chriſtiano, circa naturales ſcientias ſic deſcribit D. Hier. epiſt. 156. ad Damaſum. *Si Iſraëlites, captiuam ex gentilitate fœminam voluerit habere vxorem, caluitium ei faciat, vngues præſecet, pilos auferat, & cum mūda fuerit effecta, tunc eam in legitimam vxorē aſſumet. Sed hæc ſi ſecundùm literam intelligamus, nonne ridicula ſunt. Itaq; & nos facere ſolemus, quando Philoſophos legimus, ſi quid in eis vtile reperimus, ad noſtrum dogma cōuertimus; ſi quid vero ſuperfluum de idolis, de amore obſcœno, de cura ſæcularium rerum, hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc anguium more ferro acutiſſimo reſecamus.*

Qualiſnam moderatio Doctori Chriſtiano ſit adhibenda contra ſcientias naturales.

Dialectica vtilis & neceſſaria Theologiæ.

37. PROBATVR de Dialectica quàm ſit vtilis & neceſſaria Theologiæ. Munus enim Theologi eſt, falſum dogma à verò diſcernere, latentes veritates, & immediatè non reuelatas, ex reuelatis deducere, quod ſine Dialectica fieri nequit. Idem confirmat Origenes *lib: 6.* contra *Celſum*: Ipſa Scriptura Diuina, nos hortatur ad Dialecticam, alicubi Salomone dicente: *Eruditio rationibus non examinata decipit.* Et Eccleſ: 21. *Scientia inſenſati, ſermo carens examine.* Sed Dialecticæ officium eſt hoc examen inſtituere. Demùm ipſa ſacra Scriptura vtitur

Dia-

Dialecticâ, Ioann: 8. *Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Et Matthæi 7. *Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter dabit Spiritum bonum petentibus ſe.* Sit igitur certum, (vt inquit D. Auguſt. lib: 2. de Doct. Chriſt. cap. 31. tractans de vtilitate Dialecticæ) *Diſputationis diſciplinã, ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſacris ſunt penetranda & diſſoluenda plurimùm valere.*

DISPVTATIO II.

De Theologia in quantum eſt Scientia.

Sicut præcedens Diſputatio examinauit Quæſtionem *An ſit?* hoc eſt, explicauit quæ ad concedendam exſiſtentiam Theologiæ faciebant; ita hæc in præſenti accedit ad Quæſtionem *Quid ſit?* hoc eſt, ad Definitionem Theologiæ inueſtigandam quæ cum genere & differentia conſtet: primò de Genere inquirit proponendo *An Theologia ſit Scientia?*

Huius Diſputationis ſeptem erunt Quæſita.

1. *An Theologia ſit verè & propriè Scientia?*
2. *An ſit ſubalternata Scientiæ Dei & Beatorum?*
3. *An ſit vna, & quid conſtituat illius rationem formalem?*
4. *An maneat in patria?*
5. *An ſit Practica?*
6. *An ſit dignior aliis ſcientijs?*
7. *An ſit Sapientia?*

QVÆSITVM I.

An Theologia ſit verè & propriè Scientia?

1. CIrca determinationem huius Quæſiti, primùm omnium, venit nobis diſcernendum id, quod eſt certum, ab eo, quod eſt incertũ. Eſt igitur certum inter Doctores *quod Theologia ſit Scientia.* PROBATVR quia hoc nomine *Scientiæ* appellat eam S. Scriptura Pſal. 95. *Qui docet hominem ſcientiam*, videlicet de Deo, de Myſterijs fidei, de mandatis Diuinis. Sed de his eſt Theologia. Ergo competit illi nomen Scientiæ. Et Corint. 11. Theologiam commemorat inter dona Spirit⁹ S. his verbis: *Alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcien-*

Theologia eſt Scientia

mo ſcientiæ in eodē ſpiritu. Et 2. Petri 1. *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute verò ſcientiam.* hoc eſt, fides veſtra operetur miracula, & in horum exhibitione Diuinam ſcientiam annuntiate. Et eodem nomine *Sciētiæ* dignantur eam ſancti Patres. D. Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap: 1. *Hæc eſt Scientia, qua fides ſaluberrima gignitur.* Et Hier. epiſt. 107. ad Paulinum inquit: *Diſcamus in terris, quorū ſcientia perſeueret nobis in cælo.* Incertum verò eſt & controuerſum, *An ſit verè & propriè ſcientia?* qua de re ſunt quatuor Opiniones.

Opinio prima.

2. Opinio prima eſt Franciſci de Marchia (vt refert Greg. in *Prol. quæſt. 1. art. 4.* Et Occam *quæſt. 3.*) Hic affirmabat Theologiam eſſe verè & propriè Scientiam: nam ſupponebat, quòd principia illius, videlicet Articuli fidei, ſunt per ſe & euidenter nota, ita, quòd illorum habeatur intellectus, ſicut principiorum Naturalis ſcientiæ.

Sed hæc Opinio falſa eſt, eiuſque falſitatem Gregorius & Occam oſtendunt. Et *probatur primò.* Quia myſteria fidei noſtræ in hac vita non poſſunt euidenter ſciri, nec illorū euidentia poteſt cōmunicari à Deo pro ſtatu præſentis vitæ; nam in hoc ſtatu iam neceſſariò eſſet concedenda clara & intuitiua viſio & fruitio Dei, quod huic mortali vitæ repugnat. *Probatur ſecundò.* Si myſteria fidei eſſent euidentia per ſe, fides ad aſſenſum non eſſet neceſſaria; nam hæc eſt lucerna ardens in loco caliginoſo, donec illuceſcat dies & lucifer oriatur in cordibus noſtris. *Probatur tertiò.* Expreſsè Opinio hæc contradicit doctrinæ D. Pauli 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate.* Et 2. Corinth. 5. *Ambulamus per fidem non per ſpeciem.* Et cap: 10 *Omnem intellectum captiuum redigentes in obſequium fidei.* Ergo pro hoc ſtatu euidentia principiorum fidei haberi nō poteſt.

Opinio ſecunda.

3. *Secunda Opinio* eſt Henrici Gād. in Sūma *art. 6. q. 1.* Et Quodl: *12. q. 2.* vbi diſtinguit Theologiam Viatoris, & quandam dicit eſſe in Principijs ſola fide creditis; atq; hāc exiſtimat nō eſſe verè & propriè ſcientiam; quandam verò Theologiam eſſe, quæ ſupponit myſteria obſcura credenda; ſed fieri poſſe ſtudio & exercitio euidentem illorum intelligētiā, quam credit generari per diſcursū; & hanc dicit eſſe verè & propriè ſcientiam. Hanc euidentiam maximè ponebat in eruditiſſimis Theologis, & longo vſu exercitatis, ita quòd propter aſſiduam meditationem in rebus fidei putabat in illis gigni quoddam lumen, quod eſſet medium inter lumen fidei & lumen gloriæ.

Hæc Opinio ex profeſſo à Durando reijcitur in *Prol. quæſt 2.* Et profectò, quòd *tale lumen videtur eſſe fictitium.* PROBATVR: Aut enim eſſet ad vtilitatem perſonæ? aut totius communitatis? Non primum: quia, cùm Deus non ſit acceptor perſonarum, omnibꝰ daretur æqualiter, præſertim qui ſe æqualiter diſponerent per meritum vitæ & exercitium ſtudij in S. Scriptura, quod quidem falſum eſt. Non alterum: quia omne donum ordinatum ad vtilitatem communitatis, manifeſtatur alijs per proprium actum; ſicut donum linguarum, gratia ſanitatū, operatio miraculorum ſunt manifeſta

feſta per ſuos act⁹. Sed hoc donũ non manifeſtatur per aliquẽ actũ: maximè enim manifeſtaretur per doctrinam: & ſic ea, quæ ſcirent, facerent alijs euidentia, quod apertè falſum eſt.

Probatur ſecundò. Res fidei nullo modo poſſunt manifeſtè cognoſci, niſi per viſionem beatificam. Atqui talis viſio clara non conuenit viatoribus; ſed ſolis Beatis. Tum neq; talis ſciẽtia, qualẽ hic ſumit, quæ videlicet per diſcurſum generatur, reperitur in Beatis: quia diſcurſu in patria non vtũtur Beati: ſed omnia intuitiuè & clarè vident.

Probatur authoritate D. Aug. *epiſt. 112.* vbi inquit: *Ad videndam Trinitatem quantumlibet in hac vita proficiamus, per ſpeciem tamen & in ænigmate erit id, quod videmus.* Idem epiſt. 3. inquit: *Tanta eſt Chriſtianarum literarum profunditas; quanta non ſolùm in rebus, ſed etiam in verbu altitudo ſapientiæ: vt annoſiſſimis, acutiſſimis, & diſcendi cupiditate flagrantiſſimis hoc contingat,* teſtante S. Scriptura Eccleſ. 18. *Homo cũ conſũmauerit, tunc incipit.*

Opinio Tertia. 4. *Tertia opinio eſt* Scoti in *3. diſt. 24. quæſt. 1.* Durandi *quæſt. 1. in Prol.* Richardi. Aureoli. Occam *quæſt. 3.* Greg. Arimi. *quæſt. 1.* Gabriel *quæſt. 7.* & aliorum Nomin. Hi omnes docent Theologiam noſtram non eſſe verè & propriè ſcientiam. Fundamenta opinionis ſuæ diuerſa habẽt. Nonnulli colligunt hanc Sẽtentiam eſſe D. Thomæ. Nam quòd eam appellat *Scientiam*, dicunt quòd nomen *Scientiæ* largè & in communi ſumit. Quòd verò ſenſerit illam nõ eſſe propriè ſcientiam, colligunt ex quæſt. 14. de Veritate, art. 9. vbi ſic dicit: *Quæcunq; ſciuntur propriè. & certâ ſcientiâ cognoſci per reſolutionem in prima principia* quæ per ſe præſto ſunt intellectui, & ſic omnem ſcientiam in viſione rei præſentis perfici. vnde impoſſibile eſt; vt de eodem ſit fides & ſciẽtia. Sed noſtra Theologia non poteſt reſolui in principia quæ præſto eſſent intellectui; nam hæc principia ſunt Articuli fidei, qui non ſunt præſto intellectui; nam nõ ſunt naturaliter cognoſcibilia. Ergo Theologia nõ erit ſciẽtia propriè dicta. *Alij verò* (vt Aur. Greg. Baſſolus), ex alio fundamento concludunt Theologiam non eſſe propriè & verè ſcientiam, propter contingentiam & ſingularitatem Materiæ, circa quam Theologia verſatur: nam creatio, conſeruatio, gubernatio, contingentiã inuoluunt. Quòd verò Deus ſit vnus, trinus, Pater, Filius, Spiritus S. dicunt ſingularitatem: & de his ſecundùm Ariſtotelem ſcientia dari non poteſt ex *lib. 1. Poſt. cap. 2.* De hac ſententia quid ſentiamus inferius ex noſtris Concluſionibus patebit.

5. *Quarta Sententia eſt* D. Thomæ in *1. parte quæſt. 1. art. 2.* Alexandri in *Prol.* in *1. quæſt.* D Bon. *quæſt 1. art. 1.* Ægidij Rom. Dionyſij Carth. *1. Sent. quæſt. 1.* hi docent Theologiam ſimpliciter & abſolutè eſſe ſcientiam. In hanc ſententiam videtur propẽdere Caiet. *1. parte, quæſt. 1. art. 2.* Nã fatetur eſſe ſcientiam, ſed imperfectam: Pro determinatione. Opinio quarta.

Nota primò. Quando inquirimus *An ſacra doctrina ſit verè & propriè ſcientia?* non intelligimus hic habitum illum, quo credimus Diuinæ Scripturæ & reuelatis à Deo, qualis eſt habitus fidei. Nec etiam intelligimus illum habitum, quo quis poteſt.

teſt S. Scripturam interpretari: ſed (vt aduertit Caietanus) intelligimus nomine *Theologiæ* illum habitũ, quo quis poteſt benè deducere Cõcluſiones ex principijs, ſeu ex Articulis fidei.

Diſcrimen inter Fidẽ & Theologiam quintuplex.

Nota ſecundò. Ob perfectiorem intelligentiã obſeruandum eſt, quintuplex diſcrimen inter Fidem & Theologiam. *Primum,* Fides eſt habitus, quo aſſentimur creditis, hoc eſt Articulis fidei & reuelatis à Deo; Theologia verò eſt habitus, in quo Concluſionibus deductis ex articulis fidei aſſentimur. *Secundum,* Fides immediatè innititur reuelationi ſeu authoritati reuelantis Dei; Theologia verò innititur quidem reuelationi; ſed mediatè, inquantum ex Articulis fidei colligit Concluſiones. *Tertium,* Fides habet ſe ſicut habitus primorũ principiorum; Theologia verò eſt habitus Concluſionũ. *Quartum,* Lumen fidei eſt excellenti⁹ lumine Theologico: nam lumen fidei eſt immediatè infuſum à Deo; lumen verò Theologiæ eſt acquiſitum ſtudio & labore. *Quintum,* Lumen fidei eſt cauſa luminis Theologici; quælibet autem cauſa eſt potior ſuo effectu. Accidit tamẽ quòd Theologia vtrumque lumen comprehendat, & Fidei & Theologiæ; nam Theologus doctus duplex hoc lumen habet; homo verò ſimplex ſolùm fidei habet; duo autem lumina plus illuminant, quàm vnum. In præſenti ergo ſumimus *Theologiã,* in quantum eam à fide diſtinguim⁹, & vt eſt habitus Concluſionum, quæ ex principijs fidei neceſſariò colligũtur. quanquã ſancti Patres hæc duo confundunt; nam quandoque Fidem vocant *Theologiam* & *Scientiam*: quemadmodum in naturalibus cognitio principiorum vocari ſolet *Scientia.*

Concluſiones ex Articulis fidei tripliciter deduci poſſunt.

6. *Nota tertiò* Concluſiones ex Articulis fidei tripliciter deduci poſſe. *Primò* probabiliter, & tunc generatur Opinio vt quidã ex hac Propoſitione, quæ eſt de fide: *Omnes in Adam peccauerunt,* colligunt hãc Concluſionẽ, *Ergo probabile eſt, & Beatiſſimam Virginem in originali peccato conceptã fuiſſe* Et de hac Cõcluſione non eſt Scientia, ſed Opinio: quanquam iam determinatio Eccleſiæ decreuit, illam ſine labe peccati originalis eſſe cõceptã. (Gregori⁹ XV. A. 1622) *Secundò* quãdo ex vtraq; de fide colligitur Cõcluſio de fide. *v.g.* Omne peccatum eſt puniẽdum à Deo. Sed originale eſt verè & propriè peccatũ, Ergo à Deo puniẽdũ. Et Præmiſſæ & Concluſio ſunt de fide. *Tertiò* ex vna propoſitione de fide, & ex altera naturaliter euidenti. *v.g.* Quamcunq; naturam ſequuntur ſuæ proprietates, ſeu potentiæ naturaliter. Sed in Chriſto eſt duplex natura, Diuina & humana. Ergo duplex potẽtia; proinde & voluntas humana. Ex Maiore naturaliter euidẽti, & ex Minore de fide, ſequitur euidenter Cõcluſio.

Theologia conſiderari poteſt dupliciter.

Nota quartò Theologia dupliciter poteſt conſiderari. *Primò* in ſe, & vt eſt ab omni abſtracta. *Secundò* vt eſt in Subiecto, vt in Beatis & in Viatoribus. Theologia conſiderata vt in ſe, dicit duo: *Primò* cognitionẽ Principiorum: *ſecundò* collectionem Concluſionum. Theologia vt in Subiecto dicit modum duplicem Cognitionis: vt enim eſt in nobis, dicit modum obſcurum ſeu Fidei; Theologia verò, vt in Beatis, dicit

modum cognoſcendi Articulos & Concluſiones, clarè & intuitiuè. His præmiſſis pro determinatione.

Theologia ſecundùm ſe conſiderata eſt propriè & perfectiſſimè ſcientia.

7. Dico primò. *Theologia ſecundùm ſe conſiderata, hoc eſt, ſecundùm ſuam propriam ſpeciem & obiectum, eſt propriè & perfectiſſimè Scientia.* Probatvr. Ille habitus meretur verè nomen *Scientiæ,* qui ex ſupernaturalibus principijs per ſe notis & ex lumine ſupernaturali deducit Concluſiones. Sed talis eſt Theologia præcisè & ſecũdùm ſe conſiderata: nam in Deo & in Beatis eſt euidentia articulorũ fidei, quia hæc cognoſcunt in lumine beatifico. Ergo Theologia vt ſic erit perfecta ſcientia.

Probatur ſecundò Theologia ſecundùm ſe conſiderata habet ſuas demonſtrationes. Ergo ſecundùm ſe eſt euidens & perfecta ſcientia. *Antecedens exemplo illuſtratur.* Omnis homo habet animam rationalem, & voluntatem humanam. ſed Chriſtus eſt homo. Ergo ſicut habet animam rationalem; ita & voluntatem humanam habet. atqui hæc demõſtratio in Theologia ſecundùm ſe procedit ex per ſe notis. Ergo eſt euidens, & per conſequens perfecta eſt Scientia.

Probatur tertiò. Obiectum Theologiæ eſt Deus, quod quidem ſimpliciter eſt neceſſarium, & aptum atque potens; vt poſſit efficere ſui euidentiam & ſuarum proprietatũ in omni intellectu illum diſtinctè apprehendente. Ergo Theologia ſecundùm ſe procedit à cauſa neceſſaria euidenti intellectui. Ergo eſt verè Scientia.

Obiectio Scoti

8. *Obijcies* cum Scoto in *Prologo quæſt. 3.* Quòd Theologia ſic ſecundùm ſe conſiderata, habet quidem tres conditiones requiſitas ad ſcientiam: *primam* quòd ſit cognitio certa ſine deceptione & dubitatione: & per hoc ab opinione diſtinguitur. *ſecundam* quòd ſit de Obiecto neceſſario. *tertiam* quòd ſit cauſata à cauſa euidenti intellectui, hoc eſt, à principijs euidenter notis intellectui. Sed *quarta* deeſt conditio: quia diſcurſu Syllogiſtico non vtitur. *Reſpondeo* quòd Scientia per diſcurſum acquiratur, videtur hoc illi per accidẽs aduenire, & dico diſcurſum eſſe quid extraneũ ad ſcientiã, Nam Deus & Angeli habent perfectam ſcientiam myſteriorum fidei & hi non vtuntur diſcurſu; nam ſimplici intuitu vident in principijs Concluſiones.

Solutio obiectionis.

Tgeologia quæ in Deo, in Chriſto, in Angelis, & in Beatis eſt vera & perfectiſſima ſciẽtia.

9. Dico ſecundò. *Theologia, quæ eſt in Deo, in Chriſto, in Angelis, & in Beatis, eſt vera & perfectiſſima ſcientia.* Hoc Dictum manifeſtum eſt; nam conſequitur ex priori: *Probatur tamen,* Ad rationem ſciẽtiæ perfectiſſimæ requiritur, vt cognoſcat res per ſuã cauſam euidentem, & quòd ſit illi⁹ cauſa, ſiue hoc fiat cum diſcurſu, ſiue ſine diſcurſu. Sed hoc vnico intuitu habent Deus, Chriſtus, Angeli, Beati: Deus enim in ſua Eſſentia omnia videt, reliqui verò vident in Verbo omnia, videlicet vident principia fidei, vident in eis Concluſiones, quas nos viatores per diſcurſum deducimus. Ergo eſt vera & perfectiſſima Scientia.

Theologia in nobis viatoribus eſt verè & propriè ſcientia quamuis ſit ineuidẽs & obſcura.

10. Dico tertiò. *Theologia in nobis viatoribus eſt verè & propriè Scientia, quãuis ſit ineuidens & obſcura.* Ita ſentiũt S. Patres (vt à principio hui⁹ Quæſiti notauimus) conſentiunt antiqui Theologi Alex: Alen. Altiſiodorenſis, Vilhelm⁹ Pariſien. in Alb.

M. D. Bon. Rich. Ægid. Rom. ipſe quoque Scotus in eo cum D. Tho. conſentit: nam vterque agnoſcit Theologiam eſſe habitum Theologicarum Concluſionum certum & euidentem: in eo verò diſcrimen, quòd D. Th. hunc habitum verè & propriè ſcientiam appellat; Scotus verò negat. *Probatur*: Hoc nomine *Scientiæ* appellat Theologiã S. Scriptura. Ergo eſt Sciẽtia. *Antecedẽs* Hierem. 3. *Dabo vobis Paſtores, qui paſcent vos ſciẽtiâ & doctrinâ.* Loquitur de Paſtorib⁹ Eccleſiæ, ſiue de Doctoribus, quibus incũbit pabulũ Diuinorũ myſteriorũ, dominico gregi proponere. ſed hoc pabulũ eſt cognitio myſteriorũ & mãdatorum Diuinorũ, de quibus agit Theologia, & hãc vocat Sciẽtiã, Oſee 4. *Quia tu ſciẽtiã repuliſti, & ego repellã te*, Similiter per *Sciẽtiã* cognitionẽ de Deo, intelligit, de quo eſt Theologia. Et Luc. 11. *Væ vobis Iuriſperiti quia tuliſtis clauẽ ſcientiæ, vos autẽ non introiſtis, & eos qui introibãt, repuliſtis.* Ex his locis adductis colligitur manifeſtè Doctrinã S. appellari Scientiam.

Obiectio. 11. *Obijcies.* Ex his adductis locis ſicut colligitur, quòd Theologia ſit Scientia: ita colligi poteſt, quòd & Fides ſit Scientia. Nam Lucæ 2. dicitur: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius* &c. Per *Scientiam ſalutis*, non aliud intelligit, quàm notitiã Chriſti, quæ quidẽ eſt noſtra ſalus, dum eius fidem amplectimur. Ergo fides erit Scientia. Solutio ei⁹. *Reſpondeo*, quòd ſicut Ariſtoteles quandoque habitũ Concluſionum appellat Scientiam; quandoque etiam habitum Principiorum vocat Scientiam: ita & S. Scriptura habitum Concluſionum Theologicarum vocat Scientiam; quandoque etiam habitum principiorum nominat ſcientiam. Et quẽadmodum habitus Concluſionum, qui eſt verè ſcientia, non impedit quominus etiam habitus principiorum ſit Scientia: ita in S. Scriptura non obſtat, quominus habitus fidei principiorum dicatur Scientia: quãuis etiam habitus Concluſionum ſit Scientia.

12. *Probatur Rationibus.* In Naturalibus Scientijs ille habitus, qui eſt verus, certus, & indubitatus dicitur eſſe verè & propriè ſcientia, licet ſit ineuidens. Ergo & in ſupernaturalibus idem valebit: vt, ſi quis habitus ſit verus, certus, indubitatus, quamuis ſit ineuidens, dicatur eſſe verè & propriè ſcientia, & talis eſt habit⁹ Theologicus. Ergo Theologia eſt verè & propriè ſcientia. *Antecedens.* Perſpectiua & Muſica dicuntur, & ſunt veræ & propiæ ſciẽtiæ, quamuis earum principia non ſint in illis euidentia. nam Perſpectiua procedit ex principijs notificatis per Geometriam; & Muſica procedit ex prĩcipijs in Arithmetica notis: & ſufficit illis, quòd illarũ principia ſint in ſuperiori ſcientia euidentia. Ergo ſimiliter cùm noſtræ Theologiæ principia ſint nota in ſuperiori ſcientia, videlicet Beatorũ ſequitur, quòd ſit verè & propriè Sciẽtia. *Subſũptũ probatur*: Theologia noſtra de rebus Diuinis eam præſtat certitudinem, quâ certiorẽ in hac vita mortali habere non poſſumus; quia nititur reuelatione Diuina, quæ falli non poteſt.

13. *Ratio ſecunda.* Philoſophia Moralis, in qua teſte Ariſt. 1. *Eth.* aut nullæ ſũt Demõſtrationes, aut pauciſſimæ; vocatur tamen ab omnibus ſcientia: ſed Theologia noſtra

 ſuperat

ſuperat Moralem Philoſophiam certitudine (vt inferius patebit) Ergo verè & propriè eſt Scientia.

Ratio tertia. Theologia eſt habitus intellectualis inclinans ad verum cognoſcendum. Sed ex 6. Ethic. *Intellectualis habitus ſunt fides, prudentia, ars, opinio, Scientia.* At Theologia nō eſt fides; quia fides Diuina eſt habit⁹ primorum principiorū; Theologia verò eſt habitus Concluſionum. Non eſt fides humana: quia hæc innititur authoritati humanæ, quæ falli poteſt; Theologia verò innititur reuelationi Diuinæ, cui repugnat falli & fallere: non eſt Prudentia, quia non verſatur circa agibilia hic & nunc: non eſt Ars, quia non eſt circa factibilia: non eſt Opinio, quia opinionis aſſenſus eſt ad vnam partem cum formidine ad alteram; Theologia verò eſt habitus certus & infallibilis. Ergo neceſſariò Theologia erit ſcientia.

Habit⁹ Intellectuales quot & qui?

14. *Ratio quarta,* Si euidentia requiritur ad veram rationem ſcientiæ ſecundùm doctrinam Ariſtotelis Ergo aut ex euidentibus ſecundùm ſe tantum? aut ex euidentibus quò ad nos procedit? Si ex euidentibus quò ad nos: ergo Metaphyſica non erit ſcientia verè; nam ſæpius procedit ex euidentibus ſecūdùm ſe tantùm, & non quòad nos: vt cùm demonſtrat Subſtantias ſeparatas à materia eſſe incorruptibiles: aut quia Deus eſt æternus ideo quia immutabilis; aut quia omnia mouet; quia eſt primum Ens, idemque primum mouens non motum, quæ principia non ſunt nobis per ſe nota: Si autem procedit ex principijs ſecundùm ſe notis; tunc Theologia erit verè Scientia; nam procedit ex principijs, quæ ſecundùm ſe ſunt certiſſima & euidentiſſima; vt quòd *Pater generat, Filius ſit genitus, Spiritus S. ſpiratus.* Ergo vt ſic erit verè Scientia.

15. *Obijcies.* Principia aliarum Scientiarum habent euidentiam à poſteriori. nam ex motu rerū nobis euidenti colligimus, quòd Deus ſit idemque vnus. Sed principia Theologiæ ſic non habent euidentiam; quia ſemper ſunt obſcura. Ergo nō erit Theologia Scientia. *Reſpondeo* ex ipſa obiectione, quòd hæc principia aliarum ſcientiarū non habēt euidentiam quòad ſe; ſed eam habent à poſteriori, ab extrinſeco, ab effectu: & ideo ſi in naturalibus ſcientijs ſufficit ad rationem veræ ſcientiæ, vt principia illarū habeāt mutuatam euidentiam ab effectu, & propterea aſſenſus principiorum habetur certus & neceſſarius; multò magis noſtra Theologia erit verè ſcientia. ſiquidem principia eius habent certitudinem infallibiliter ab ipſo Deo, in lumine fidei nobis reuelante. *Confirmatur:* Euidentia in principijs in tantùm requiritur, in quantùm conducit, vt intellectus conuincatur ad firmiter aſſentiendum veritati illorum. Sed certitudo noſtræ fidei facit intellectū fortiùs adhærere quòad aſſenſum principiorum: quia in Naturalibus, naturalis ratio, quæ falli poteſt, conuincit intellectum; in Theologia verò eſt De⁹ reuelans veritatē principiorum, qui nunquam falli poteſt.

Obiectio.

Solutio eiuſdem.

16. Dico quartò. *Quamuis Theologia quæ in nobis eſt, ſit verè & propriè ſcientia; deficit tamen & in ſe non habet eam ſcientiæ perfectionem, quam Ariſtoteles deſcripſit.* Pro intelligentia Dicti.

Theologia quæ in nobis eſt, eſt verè & propriè ſcientia ſed tamen deficit.

Nota.

Dupliciter Theologia poteſt dici imperfecta?

Nota. Dupliciter Theologia poteſt dici imperfecta: *primò* per comparationem ad alias ſcientias, & ſic non eſt dicenda imperfecta: nam ſimpliciter omnibus humanis ſcientijs eſt perfectior, cùm ſit de nobiliſſimo ſubiecto (vt inferius patebit) & certitudine ſua omnes vincat; *ſecundò* dicitur imperfecta per comparationem ad illam perfectionem, quam in ſua ſpecie habere poteſt, qualis eſt in patria: & ſic quẽadmodum infans dicitur imperfectus homo, quia functiones perfectas hominis exercere non poteſt: ita in hoc ſtatu viæ Theologia eſt imperfecta: quia caret euidentia; quam intra propriam ſpeciem habebit in patria, quando venerit id, quod perfectum eſt, reducens imperfectum ad ſuam perfectionem.

Probatur Dictum, quòd deficiat Theologia à perfectione ſcientiæ; quia non procedit ex principijs euidentibus nobis, vnde non habet euidentem demonſtrationem & propterea non generat euidentem & claram ſcientiã, qualia enim principia, talis demonſtratio & ſciẽtia: ſed in principijs non eſt euidẽtia: ergo nec in demonſtratione, nec in ſcientia erit, atque ſic Theologia erit imperfecta. Et ex hoc conciliari poſſunt Authores, qui negant Theologiam eſſe ſcientiam; nam in ea ratione fundantur, quòd non ſit perfecta nec clara ob carentiam euidentiæ.

17. Dico quinto. *Noſtra Theologia licèt ſit ineuidens, eſt tamen vniuoca ſcientia cum euidenti, quæ eſt in patria.* Eſt Dictum contra *Capreolum*, qui in 2. *quæſt. Prol.* dicit, quòd *æquiuocè cum* [illegible]*denti in ratione ſcientiæ conuenit.*

Probatvr, quòd noſtra Theologia ſit ineuidens; Beatorum verò euidens, non tollit vniuocam rationem ſcientiæ, in qua conuenit. *Declaratur* ſicut enim puer, quamuis non habeat perfectum vſum rationis, in quo eſt tota ratio hominis, eſt tamen vniuocè homo cum quouis viro perfecto: ita & noſtra Theologia, licet ob ineuidentiam non habeat perfectam rationem ſcientiæ cum Beatorum Theologia: eſt tamen vniuocè ſcientia cum illa; nam ad illam comparatur; ſicut ſcientia pueri diſcentis comparatur ad ſcientiam Magiſtri docentis.

Quomodo vniuocatio Theologiæ poſſit ſtare cum imperfectione?

18. *Sed quæres.* Quomodo vniuocatio Theologiæ poſſit ſtare cum imperfectione? *Reſpondeo* benè poſſe ſtare, non ſolùm in his, quæ ſunt in eodem genere; verùmetiam in his, quæ ſunt eadem ſpecie. *Declaratur:* in his, quæ ſunt eadem genere, Brutum & homo de eodem genere animalis participant; ſed Brutum imperfectè, homo autem perfectè: & tamen brutum & homo ſunt vniuocè animal. *Declaratur* & in his quæ ſunt eadem ſpecie. Puer & vir ſunt in eadem ſpecie hominis; & puer quidẽ naturam hominis participat, ſed imperfectè; vir autem perfectè: & tamen tam puer, quàm vir ſunt vniuocè homo. idem de Theologia dicendum, quòd & noſtra participat de Natura Theologiæ, quæ eſt in patria, ſed imperfectè; Beati verò perfectè: vnde vniuocè erunt eadem ſcientia.

Obiectio cum Solutione.

19. *Inſtabis.* Ad verè dictam ſciẽtiam requiritur euidentia: ſed Theologia non habet euidentiam (vt iam probatum eſt) Ergo non eſt ſcientia. *Reſpondeo* cum S. Doctore,

ſufficere.

ſufficere ad rationem veræ ſciētiæ, quòd ex per ſe notis & neceſſarijs, in ſuperiori ſcientia procedat. *Præterea* propter Ariſtotelē addo, quòd hic ſi requirit euidentiam, videtur loqui de ſubalternantibus ſcientijs, non autem de ſubalternatis, ad quarum rationem ſufficit, quòd ex principijs notificatis in ſuperiori ſcientia procedat. Iam autem Theologia talis eſt (vt inferiùs patebit) Hanc reſponſionem videtur Ariſtoteles innuere 1. *Topic. cap. 1.* vbi ſic dicit: *Demonſtratio aut Syllogiſmus faciens ſcire procedit ex primis & immediatis, aut ex iis, quæ per primam fidem acceperunt.* Videtur igitur diſtinguere duplex genus ſcientiarum: *primum*, quòd ex primis & immediatis procedit, & tales ſunt Scientiæ ſubalternantes: *ſecundum* quòd ex his procedit, quæ per primam fidem acceperunt, hoc eſt ex notificatis in ſuperiori ſcientia, vnde ex ſuperioribus procedit; & tales ſunt ſcientiæ ſubalternatæ.

Obiectio altera.

20. *Obijcies ſecundò.* Ariſt *1. Poſt. cap: 8.* dicit illam ſcientiam non eſſe ſcientiam, quæ ſua principia probat. Sed Theologia ſua principia videlicet Articulos fidei probat aduerſus infideles. Ergo non erit ſcientia.

Solutio Obiectionis

Reſpondeo Authoritatem Ariſtotelis intelligendam eſſe de ſcientijs inferioribus; ſed Theologia cùm ſit ſuprema ſcientia, & ſi ipſius negentur principia quia non habet ſuperiorem ad quam recurrere poſſet; proinde ad illam ſolā pertinet probare *Tùm quia* hoc non facit poſitiuè vtendo rationibus intrinſecis & apertis; ſed facit negatiuè oſtendendo, quòd articuli fidei nihil abſurdi, nihil inconueniens contineāt. Et hoc euidens eſt in *Metaph.* quæ quandoque ſua principia negatiuè probat deducendo ad abſurdum; quia non habet ſe ſuperiorem, quæ hoc præſtare poſſet.

Obiectio tertia.

21. *Obijcies tertiò.* Ex *1. Poſt. cap: 7.* Scientia eſt de vniuerſalibus, ſed Theologia eſt de ſingularibus, vt de Deo, qui eſt maximè vnus & ſingularis; de Chriſto Saluatore nato, paſſo, de primo Parente. de Michaële; de lapſu Luciferi, de Angelis, & alijs quæ ſunt ſingularia. Ergo non erit Scientia. *Reſpondeo* poſſe aliquā ſcientiam agere de ſingularib⁹, modò illa non ſint infinita, nec mutationi obnoxia: nam infinitas confuſionem, & mutabilitas incertitudinem inducunt, quæ ſcientiæ repugnant. Et ſic concedimus, quòd Theologia agat de Indiuiduis; verùm de talibus quæ non ſunt infinita numero, ſed ſelecta determinata, & non ſunt mutationi obnoxia ſed neceſſaria, vt Deus, qui eſt Obiectum Theologiæ, & hic ſummè eſt Indiuiduum, & nulli mutationi obnoxius. Reliqua indiuidua, licet ſua natura ſint mutabilia, non tamen in quantùm ſubſunt Diuinæ prouidentiæ & reuelationi. De cæteris verò creaturis & illarum Indiuiduis, ſi agit, non agit principaliter ſed ſecundariò (vt docet D.Th. in *1. parte quæſt. 1. art. 1. ad 2.*) Nam aut adducuntur in exemplum vitæ, vt in Moralibus: aut ad declarandā authoritatē reuelationis, quòd per eas perſonas ſit facta.

Solutio eiuſdem.

22. *Obijcies quartò* Scientia debet conſtare ex principijs & Concluſionibus neceſſarijs. Sed Theologiæ prima principia ſunt contingētia vt

tia vt

tia vt quòd *Verbum Caro factum eſt*, quòd *paſſum in carne*, quòd *Antichriſtus naſcetur*, & his ſimilia; & his per fidem aſſentimur. Ergo Concluſiones ex talibus principijs collectæ non erunt neceſſariæ. *Reſpondeo* in Theologia quædam eſſe principia ſummè neceſſaria, vt quòd *Deus ſit vnus & trinus*, aut quòd *Pater generat, Filius ſit genitus*, & *Spiritus S. procedens*: quædam verò ſunt, quæ ſi ſecundùm ſuos terminos examinentur, videbuntũr eſſe contingentia, vt quòd *Chriſtus ſit paſſus, ſpinis coronatus*. Sed ſi conſiderentur in quantum ſubſunt Diuinæ reuelationi, ſunt omninò neceſſaria: quemadmodum eſt neceſſarium, vt *Deus ſit verax*, & quòd *falli non poteſt nec fallere*. vnde in ſcientijs ea de cauſa requiritur hæc neceſſitas, vt Concluſiones ſint certæ & ſtabiles: ſed quia, res contingentes, inquantum ſubſunt Diuinæ reuelationi, ſunt certæ & ſtabiles; proinde de illis erit ſcientia longè certior; quàm ſint omnes ſcientiæ humanæ. *Item* Deus de cõtingentibus habet ſcientiam verè & propriè dictam. quæ quia in ſe ſunt contingentia, in Deo ſunt neceſſaria & infallibilia. quia illa in ſua Eſſentia cognoſcit. idem de alijs dicendum, vt de glorificatione, iuſtificatione, incarnatione, quòd hæc in ſe conſiderata ſunt cõtingentia: quia ſine his poterat eſſe Theologia; ſed vt ſubſunt Diuinæ reuelationi ſunt certiſſima & infallibilia; proinde neceſſaria.

Solutio ei⁹

Obiectio quinta cum ſolutione.

23. *Obijcies quintò*. Illa verè eſt Scientia, per quam ſcimus nos ſcire: ſed per Theologiam non ſcimus, ſed credimus. Ergo non eſt ſcientia. *Reſpondeo*, quòd in Theologia ſcio, me ſcire ex ſuppoſitione, in quantum ſuppono, quòd in Scientia euidenti Beatorum clarè ſciuntur Articuli fidei.

Sed contra arguit *Aureolus*. Sequeretur, quòd Theologia eſſet Scientia non rerum; ſed Cõſequentiarum ſeu illationum, & per conſequens non erit ſcientia Conſequentis; nã non habet euidẽtiam ſuorum principiorum: & ſic non erit Scientia Concluſionum ſed Conſequentiarum. *Reſpondeo* Theologus colligens Concluſiones ex principijs ſcit ſe ſcire, & non tantùm ſcit conditionaliter ſeu ex ſuppoſitione: nec tantùm ſcit illationes Cõſequentiarum, ſed ex vero iudicio certo ſcit, & aſſentitur Cõcluſionibus per principia diuinitus reuelata. verùm quia hæc euidenter neſciuntur, ſed obſcuro fidei lumine: idcirco hæc ſcientia eſt imperfecta, donec illud lumen glorioſum illuxerit, in quo videbimus eum ſicuti eſt.

24. *Ex quo collige* falſum eſſe, quòd dicit Argentinus *quæſt. 2. Prol art. 5. Opin. 3.* videlicet *Nihil aliud ſcire Theologum, quàm veritatem conſecutionum, nec procedere à veritate Antecedentũ ad veritatem Conſequentũ*, quod nunquam ab Authoribus, quos impugnat aſſertum eſt: nam certum eſt, quòd Theologia ob id, quod non habet euidentiam, non eſt dicenda Scientia Conſequentiarum. *Probatur*. Doctrina Conſequentiarum docetur in Scholis Dialecticorum. ita D. Th. *1. 2dæ. quæſt 57. art. 6. ad 3.* vbi ſic dicit: *In ſpeculatiuũ vna eſt ſcientia Dialectica ĩquiſitiua de omnib⁹*, ſcilicet quia eſt de formando Syllogiſmo, & de ratione argumentandi, quæ cuiuis ſcientiæ accommodari poſſit in inquirendo

quirendo examinandoque Conſequentias illationis: ſcientiæ autem demõſtratiuæ, quæ ſunt iudicatiuæ, ſunt de diuerſis. Quod clariùs ex eodem D. Th. colligitur ex *4. Metaph. Lect. 4.* vbi docet Logicæ, in quantum eſt demõſtratiua, doctrinã ſolùm ad Logicã ſpectare; vſum verò illius ad Philoſophiam, & ad alias ſcientias particulares pertinere.

In ſcientijs realibus duplex Conſequentia.

25. *Ex quo collige*, quòd in ſcientijs realibus, de quarum numero eſt Theologia, duplex eſt Conſequentia: *Prima* eſt Formalis, quæ in forma argumentatiua, & ſyllogiſtica conſiſtit; & huius vim examinare purè ad Logicam ſpectat: *altera* eſt Conſequentia Materialis, quæ in habitudine, & in connexione neceſſaria vnius Propoſitionis cum altera, ratione materiæ conſiſtit. Et hoc iudicium iam non ad Logicam, ſed ad peritos ſingularum ſcientiarum ſpectat. Idem affirmat D. Aug. *lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap: 31.* vbi ſic de Dialectica loquitur: *Cùm ſint veræ connexiones, non ſolùm verarum ſed etiam falſarum ſcientiarum facile eſt veritatem connexionum etiam in ſcholis illis diſcere, quæ præter Eccleſiam ſunt*, hoc eſt, in Scholis Gentilium. quia ad hanc ſcientiã non opꝰ eſt principijs fidei, aut doctrina Eccleſiæ, ex quibus Theologia procedit. Sicut igitur reliquæ ſcientiæ naturales vtuntur præſcriptis præceptis ab arte diſſerendi: ſimiliter & Theologia: ſiquidem eſt habitus diſcurſiuus ex principijs veris. Vnde non ſolùm attendit veritatem Cõſequentiarum; ſed etiam Conſequentiũ. *Ratio.* Quamuis enim Dialectica doceat ex Præmiſſis neceſſarijs colligere Concluſionem neceſſariam; tamen in particulari neſcit diſcernere, quæ ſint principia, quæ Concluſiones neceſſariæ: ſed hoc pertinet ad ſingulas ſcientias in propria materia, quarũ eſt iudicare quòd ſit neceſſarium Conſequens vt videre eſt *1. Corinth. 15.* vbi D. Paulus ex hac Propoſitione tanquam Antecedente, *Non eſt reſurrectio mortuorum* hæc abſurda benè conſequentia infert. Ergo *nec Chriſtus reſurrexit*: Ergo *inanis fides noſtra*: Ergo *inanis prædicatio noſtra*. Sed quia Chriſtus reſurrexit in carne noſtra. Ergo & nos reſurgemus. Ergo fides noſtra non eſt inanis. Ergo nec prædicatio inanis.

QVÆSITVM II.

An Theologia noſtra ſit Subalternata Theologiæ Dei, & Beatorum?

26. DE hac Quæſtione ſunt duæ oppoſitæ & extremæ Sententiæ, nos mediam amplectemur. PRIMA eſt Scoti in *3. d. 24. q. 1.* vbi docet noſtram Theologiam nullo modo ſubalternari ſcientiæ Dei, & Beatorũ. Hanc reliqui illius Scholæ Diſcipuli defendunt. Pro hac Sententia adducitur quoq; Durandꝰ. Sed hic in Prol. quæſt. 7. dicit. Secundum proprietatem

tatem non ſubalternari ſcientiæ Dei & Beatorum: in hoc tamen eas diſtinguit, quòd noſtra ſit obſcura, Dei autem & Beatorum clara. ALTERA eſt Sententia Caietani *1. parte, quæſt. 1. art. 2.* hic docet noſtram Theologiam verè & propriè eſſe ſubalternatam. Huius Sententiæ fundamenta ſumit ex doctrina D. Thomæ, nã in *2. art.* hic dicit, quòd *Theologia noſtra ſic ſe habet ad ſcientiam Dei, ſicut Muſica ad Arithmeticam.* Sed Muſica eſt ſubalternata, Arithmetica ſubalterans. Ergo & Theologia noſtra erit ſubalternata; Dei verò & Beatorum erit ſubalternans. *Secundùm eius fundamentum*, quia idem S. Doctor docet noſtrã Theologiam eſſe propriè Scientiam ex ea cauſa, quia eſt ſubalternata. poſsũt videri & alia eius argumẽta in loco citato. Pro reſolutione difficultatis.

Conditiones ſubalternationis quatuor

27. *Nota primò.* Quatuor ſunt cõditiones Subalternationis, quæ ab Ariſt. *1 Poſt. cap. 13.* & à Metaph. aſſignantur. *Prima* vt Subiectum Subalternantis, cõprehendat in ſe Subiectum Subalternatæ, cum additione alicuius differentiæ contrahentis tale Subiectum ad materiam determinatam. Declarat D. Bon. & D. Th. tali exemplo. Linea eſt Subiectum Geometriæ, eadem linea per additionem Differentiæ, quòd ſit *viſibilis*, contrahitur à Perſpectiua; proinde Perſpectiua eſt Subalternata, Geometria verò Subalternans. ſimiliter Numerus eſt Subiectum Arithmeticæ, eundem Numerum per additam Differentiam *Sonorum* contrahit Muſica: proinde Muſica eſt Subalternata, iã verò Arithmetica eſt Subalternãs. *Secunda conditio* illa differentia, quam addit Subalternata ſupra Subiectum Subalternantis, debet eſſe alterius generis à Subiecto Subalternantis, videlicet, debet eſſe quoddam illius Accidens; vt *Sonorum* ſupra Numerum additum à Muſica: & *viſibile* additum ſupra Lineam à Perſpectiua, eſt Accidens. Proinde ſcias, Scientiam, quæ eſt de Specie, videlicet de homine, non ſubalternari Scientiæ, quæ eſt de Genere, videlicet de Animali: quia Species eſſentialiter includit Genus; homo enim eſt animal; iam autem ſubalternans non prædicatur de Subalternata: nam Muſica non eſt Arithmetica. *Tertia conditio*, vt illa differentia accidentalis, quam addit Subalternata, non fluat à Subiecto, & à natura Subalternantis, cui additur. Nam Paſſiones, quæ fluunt ex naturis rerum, non ſubalternantur Scientiæ, quæ eſt de Subiecto illarum Paſſionum: vt ſcientia de riſibilitate non ſubalternatur ſcientiæ, quæ eſt de homine. *Et ratio eſt*: vna enim & eadem eſt ſcientia, quæ de Subiecto & Paſſionibus illius agit. *Quarta* vt Scientia ſubalternans dicat *propter quid* de Principijs Subalternatæ. nam prĩci pia Subalternatæ probãtur, & notificãtur in Subalternãte.

Scientia quæ eſt de ſpecie non ſubalternatur ſcientiæ quæ eſt de genere.

Subalternationis genus triplex.

28. *Nota ſecundò.* Triplex eſt genus Subalternationis: *Primò* ratione finis, *ſecundò* ratione principiorũ, *tertiò* ratione Subiecti. Subalternatio ratione finis illa eſt, cùm finis inferioris Scientiæ ſub fine alterius tanquam ſuperioris continetur. Et ſic ars freniſactiua ſubalternatur Equeſtri; nam frenum fit propter equitationem: & Equeſtris ſubordinatur Militari, & Militaris Politicæ. *Ratione* Principiorum illa eſt Subal-

Subalternatio, quando inferioris ſcientiæ principia demonſtrantur in ſuperiori. *Ratione* Subiecti illa ſcientia ſubalternatur alteri, cuius Subiectũ continetur ſub Subiecto illius, ita quòd per differentiam, quę ſit per accidens, contrahitur. Et ſic Muſica ſubalternatur Arithmeticæ: quia Subiectum Arithmeticæ eſt numerus ſimpliciter: in Muſica verò contrahitur per *Sonorum*, quod eſt differentia per accidens. Et hæc tertij generis Subalternatio conſtituit verã & propriã Subalternationem.

29. *Nota tertiò.* Duplex eſt cognitio in Beatis: quædam eſt, qua vnico intuitu vident Deum, & in illo vident creaturas, ſeu vident Principia & Concluſiones. Et hæc ſcientia fit eminentiſſimo modo: nam eſt viſio beatifica immutabilis, & quæ æternitate, ſed participata mẽſuratur, & fit ſine diſcurſu: hanc D. Aug. vocat *Matutinam*: quædam eſt qua cognoſcunt res & proprias ſpecies, & appellatur à D. Aug. *Veſpertina.* Et hæc rurſum duplici modo fieri poteſt. *Primò* quidem naturali lumine cognoſcunt Principia quædam, & in illis Concluſiones, & fit per acquiſitionem; quæ ſicut etiam in dæmonibus, ita & in Beatis manſit: *Secundò* quãdo vidẽt quædã Principia ſupernaturalia in lumine gloriæ, & fiunt potentes, vt ex illis poſſint quaſdam Concluſiones deducere, quas etiam per proprias ſpecies conſiderant. Quẽadmodũ & nos in lumine fidei, ex reuelatis deducim⁹ Cõcluſiones, quas per proprias ſpecies cognoſcim⁹. His præmiſſis.

Cognitio in Beatis triplex.

30. Dico primò. *Theologia, quæ eſt in nobis viatoribus, non ſubalternatur Diuinæ Theologiæ ſecundùm omnes rationes Subalternationis ab Ariſtotele deſcriptas.* PROBATVR authoritate D. Th. quia nunquam apud eum expreſsè reperitur, Theologiam viatorum eſſe propriè ſubalternatam Diuinæ, ſed ſolùm videtur ei tribuere quandam proprietatem ſcientiæ ſubalternatæ, videlicet, quòd illius principia videntur eſſe nota lumine ſuperioris ſcientiæ; & quia eo modo à ſuperiori ſumuntur ſicut principia Subalternatæ, accipiuntur notificata à Subalternãte. ſed hoc ad cõſtituendam veram & integram rationẽ ſubalternatæ nõ ſatis eſt. Proinde cùm dicit D. Th. *Noſtram Theologiam ſumere ſua principia ex ſcientia Diuina;* non ſtatim inferendum eſt, tãquam exiſtimauerit illam verè & propriè eſſe ſubalternatam. Ita hîc ſentit Bannes. Molina. Zumel.

Theologia in viatorib⁹ non ſubalternatur Theologiæ Diuinæ.

Dices Quid igitur docet D. Tho. de Subalternatione noſtræ Theologiæ? *Reſpondeo* hoc, videlicet Theologiam eſſe ſcientiam ad modum earum, quæ procedunt ex principijs notis in lumine inferioris ſcientiæ, quales ſunt Subalternatæ.

31. PROBATVR *rationibus. Prima.* vt poſſit eſſe vera ſubalternatio inter aliquas ſciẽtias, oportet; vt Principia inferioris ſcientiæ ſint Concluſiones in ſuperiori, ita, vt ſubalternata ibi incipiat, vbi deſijt Subalternãs. ſed deſinit in Cõcluſionib⁹. Ergo ab eius Cõcluſionib⁹ incipiet, ita, vt in Subalternata vim habeãt Principiorũ. Sed Principia Theologiæ Viatorũ non ſunt Concluſiones in Theologia Beatorum: nam vtraque Theologia, tam Viatorum, quàm Beatorum eadem omninò Principia habet, videlicet *vnum eſſe Deum in Eſſentia, trinum in Perſonis: eſſe creatorẽ mundi omni-*

Theologia Beatorum & viatorũ eadem habet principia.

di omnipotentem: quoſdam prædeſtinare, quoſdam reprobare: & Chriſtum eße redemptorem verumq́, eße Deum & verum hominem. Et ſolùm in modo cognoſcendi differunt, quòd illi clarè vident: nos autem obſcurè & in ænigmate. Ergo cùm in vtraq; Theologia ſint eadem Principia, nec ſuperioris Concluſiones poſſint dici noſtræ principia, ſequitur quòd non ſubalternãtur ſibi verè.

32. *Ratio ſecunda.* Non modò in vtraque Theologia eadem ſunt Principia; ſed eædem quoque Concluſiones, præſertim, quæ ſunt catholicâ fide certæ, & ab Eccleſia definitæ. Sed hoc repugnat ſubalternationi veræ; nam Perſpectiua eſt ſubalternata Geometriæ, & vtriuſque ſunt diuerſæ Concluſiones: nam Perſpectiuæ Concluſiones non ſunt eædem cum Geometriæ, ſed longè diuerſæ. Similiter Muſica eſt ſubalternata Arithmeticæ, & Muſicæ Concluſiones ſunt diuerſæ ab his quæ ſunt in Arithmetica. Ergo non ſubalternantur verè. *Confirmatur* Cur veſpertina cognitio Angelorũ non ſubalternetur cognitioni matutinæ, hæc eſt cauſa, quia vtriuſq; ſunt eadem principia, & eædem Cõcluſiones; & ſolummodò differunt in modo cognoſcendi, quòd matutina ſit in Verbo, ſeu in Eſſentia Diuina; veſpertina verò ſumit ſpecies per conuerſionem ad creaturas. Idẽ accidit in vtraq; Theologia, quòd Principia & Concluſiones ſunt eadem: modus verò cognoſcendi diuerſus; quia hîc in lumine fidei, in patria autem in lumine gloriæ.

Subalternatio propriè dicta requirit diuerſũ Obiectum.

33. *Ratio tertia.* Subalternatio verè & propriè dicta requirit diuerſũ Obiectum, quod ſub diuerſa & diſtincta ratione formali cõſideretur, vt Arithmethica & Muſica ſubalternantur ſibi, & ideò diuerſa habent Obiecta. Arithmetica enim agit de Numero, ſimpliciter & abſolutè conſiderato; Muſica verò agit de Numero in quantum *ſonorus*: Similiter Geometria & Perſpectiua ſubalternantur ſibi, proinde diuerſa Obiecta habent. Geometria conſiderat Lineam, ſub ratione ſimplici; & abſoluta; Perſpectiua quoq; eandem Lineam conſiderat, ſed ſub ratione formali diſtincta, in quantum eſt *viſualis*. Sed Theologia noſtra, & Beatorum idem omnino Obiectum habent, & circa eadẽ myſteria verſantur, & ratio formalis vtriusque vna; nam conſiderantur, prout ſũt Diuina, ſupernaturalia, & reuelata, niſi quòd hæc reuelatio in nobis eſt obſcura, in illis clara & euidens; nos videmus per lumen fidei, illi per lumen gloriæ. Et hic modus diuerſus reuelationis, non ſufficit ad conſtituendam veram ſubalternationem; quia hic modus, non eſt ratio formalis obiectiua (vt inferiùs dicemus.)

Theologia in viatoribus ex parte obiecti non ſubalternatur Theologiæ Beatorum.

34. Dico ſecundò. *Theologia quæ eſt in nobis Viatoribus, ex parte Obiecti non ſubalternatur Theologiæ Beatorum.* PROBATVR. Quia in verè Subalternatis, Obiectum, & ratio formalis, debent eſſe diſtincta. Sed Obiectum idem eſt noſtræ Theologiæ, & Beatorum. nam eſt Deus ſub ratione Deitatis conſideratus. Capreolus *in 1. q. Prol.* dicit. hanc ſubalternationẽ ex parte Obiecti, prorſus eſſe concedendam. Nam Deus clarè viſus, eſt Obiectum Theologiæ Beatorum. Idem Deus obſcurè in lumi-

in lumine fidei viſus, eſt Obiectum noſtræ Theologiæ.

Sed contra dico, quòd hic modus, vt videatur à nobis Deus obſcurè, non eſt neceſſaria conditio, quæ noſtram Theologiam eſſentialiter conſtituat in Eſſe ſcientiæ ſubalternatæ, ſed ſupponitur tanquã quid præuium, quod requiritur ex parte principii actiui, videlicet Intellectus. Nam ſine hoc lumine impoſſibilis eſſet cognitio myſteriorum fidei; quia ſunt ſupra vires, & noſtras, & Beatorum.

Vrget adhuc Caietanus, & vult eſſe hanc ſubalternationem veram. Nã dicit, ad rationem veræ ſubalternationis ſufficere, vt myſteria cognoſcantur à nobis obſcurè, à Beatis verò clarè. *Dico* hanc Sententiam Caietani non poſſe ſtare, & paſsim à Thomiſtis, præcipuè à Banneſio impugnari. *Et probatur*, Si enim ideò ſubalternatio vera dici debet, quia inferioris Principia ſunt euidentia, in ſuperiori ſcientia, ſequeretur quòd ſubalternantes ſcientiæ, eſſent ſubalternatæ. Sed hoc falſum: nam certum eſt inter Philoſophos quaſdam ſcientias, vt Geometriam, Arithmeticam, Metaphyſicam eſſe ſolũmodò ſubalternantes, niſi enim eſſent, daretur progreſſus in infinitum. *Sequela probatur*. Quælibet ſcientia ſubalternans habet ſua Principia, & Concluſiones diſtinctas à Principiis. Tum ſi contingat, quòd aliquis Metaphyſicus in tradenda Metaphyſica, ſeiungat arbitrio ſuo Concluſiones à Principiis, & ſòlas ſine principiis tradat diſcipulo, ſibi retinendo principia; tunc ſecundũ Caietanum talis ſcientia in diſcipulo erit ſubalternata; ſiquidem illæ Concluſiones euidenter ſciuntur in principiis, quas ſibi Metaphyſicus Doctor retinuit: Et ſic Metaphyſica, quæ eſt ſubalternans ſolùm, diceretur etiam ſubalternata, quod eſt falſum.

35. Dico tertiò. *Negare non poſſum, inter noſtram Theologiam & Beatorum, dari quodammodo ſubalternationẽ, ita, vt noſtra ſecundùm quid ſit ſubalternata, Dei & Beatorum Theologiæ.* Ita docet D. Th. Scotus, Dur. & alij præter ſolum Caiet. PROBATVR. *Ratio prima.* Theologia noſtra, & Beatorum non diſtinguuntur, tanquã duæ ſcientiæ omnino diſparatæ, ſiquidem ſunt de eodem Subiecto, videlicet de Deo conſiderato ſecundùm rationem Deitatis. *Tum* & innituntur lumini Diuino intellectuali; de quo lumine non ex æquo participant ſed ſecundùm inæqualitatem, & ſubordinationem huius noſtræ ad illam. *Tum* & noſtra habet principia fidei, quæ ſecundùm ſe ſunt nota lumine obſcuro. Ergo videntur habere inter ſe quandam, ſed non propriam rationem ſubalternationis. — *Theologia noſtra ſecũdum quid eſt ſubalternata Theologiæ Deĩ & Beatorũ.*

Ratio ſecunda. Subiectum Subalternatæ eſt diuerſum à Subalternante, vt Geometriæ eſt Subiectum Linea in communi conſiderata, Perſpectiuæ eſt linea, ſed vt viſualis, & ſic iam ſubiectum Subalternantis contrahitur per additam differentiam. Sed in Theologia vtraq; idem eſt omnino Subiectum, videlicet De*: eadem ratio formalis, quia ſub ratione Deitatis ſolũ in modo conſiderandi diſtinctæ, quòd noſtra ſit obſcura, illa verò clara. Ergo ſecundùm quid ſubalternantur ſibi. — *Theologia Beatorum & viatorũ idem eſt omnino ſubiectum.*

36. *Ratio*

36. *Ratio tertia* Lumen noſtrum fidei obſcurum, dependet à lumine claro Dei & Beatorum. Ergo noſtra Theologia eſt illi aliquomodo ſubordinata. *Conſequentia.* Omnis fides fundatur & innititur ſuper teſtimonio oculati ſeu videntis, quia hic, qui nobis narrat omninò hoc ipſum, aut videt, aut vidit. Ita D. Ioannes videtur dicere: *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Et Ioan: 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.*

Ex quo collige Quòd Filius Dei in carne noſtra locutus eſt nobis, & hic fuit Comprehenſor ſeu viſione beatificâ fruens. Ergo hoc quod videbat in lumine claro gloriæ, nobis reuelabat. Ergo teſtimonium dicẽtis fundatur in teſtimonio vidẽtis. Ergo ob hanc luminis dependentiam, eſt quodãmodo ſubordinatio.

37. *Nota* Si quãdo noſtra Theologia dicitur ſubordinata ſcientiæ Dei & Beatorum; hoc eo modo intellige: ſicut ſcientia diſcipuli, eſt ſubalternata ſcientiæ docentis; omnes enim nos in hac vita diſcipuli ſumus Dei: Nam nos, modò per Angelos, modò per Prophetas, nouiſſimè per Filium ſuum erudiuit: iuxta illud ad Hebr. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Ergo noſtra Theologia per modum diſcentis eſt ſubalternata Beatorum.

Theologia noſtra dupliciter poteſt cõſiderari.

Nota ſecundò. Theologia noſtra quam dicimus aliquomodo ſubalternari Diuinæ & Beatorum, bifariam cõſiderari poteſt. *Primo* ex parte ſcientis. quia hæc noſtra habet ſe vt veſtigium ſcientiæ Dei, & Beatorum, ſecundùm illud Ioan 6. *Omnis qui audit à Patre & diſcit, venit ad me.* nempe vt doctrinam fidei accepimus per enarrationem, quia Filius Dei ea myſteria nobis annuntiauit & reuelauit, quæ ipſe lumine claro gloriæ vidit. *Secundò* Subalternatur noſtra Theologia Diuinæ & Beatorum ratione finis. Nam tota ratio noſtræ Theologiæ in eum finẽ ordinatur, vt Deum clarè videre poſſimus, & in eo myſteria fidei euidenter intueamur.

38. Dico quartò. *Theologia Beatorum, in patria ſecundùm proprietatem ſubalternationis non ſubalternatur Dei ſcientiæ.* PROBATVR. Quia idem habent Obiectum, quod repugnat ſubalternationi veræ: ſicut enim Diuinus intellectus ſuã Deitatem ſeu Eſſentiam intuetur; ita & Beati vident eandem Eſſentiam Dei, & ex hac viſione, immediatè deriuatur illorum ſcientia. Et ſicut Dei ſcientia habet euidentiam: ita & ſcientia Beatorum habet euidentiam à Deo deriuatam. nam non ideo aſſentiũtur, quia Deus qui videt, reuelat illis, ſed quia ipſi vident. Ergo non poteſt eſſe vera ſubalternatio.

39. Dico quintò. *Theologia, quæ eſt in Deo, & in Beatis, poteſt dici ſubalternans eminenter, tam reſpectu noſtræ Theologiæ, quàm etiam cuiuslibet ſcientiæ naturalis.* PROBATVR. Subalternantis ſcientiæ officium eſt clarè & euidenter aliarum ſcientiarum inferiorum videre principia & Concluſiones Sed principia & Concluſiones noſtræ Theologiæ, ſunt nota lumine fidei: ſimiliter Principia & Concluſiones ſcientiarum naturalium, ſunt nota lumine naturali, & hæc in ſcientia Dei & Beato-

Beatorum, ſunt clara & euidenter nota (vt iam dictum.) Ergo hæc Scientia erit ſubalternans. *Præterea* ſcientia, qua cognoſcuntur principia, & concluſiones vno intuitu, eſt eminentiſsima immutabilis ſine diſcurſu, & quæ principia ſimul, & Concluſiones videt. Sed talis eſt Theologia in patria. Ergo eſt quodammodo ſubalternans.

40. Dico ſextò. *Omnes aliæ ſcientiæ naturales propriè, non ſubalternantur noſtræ Theologiæ, niſi eo modo, in quantũ illi, tanquam miniſtræ ancillantur.* Ita docet Ægid. Rom. in Prol. 1. Sent. qu. 2. art. 1. *Probatur primum.* Quia non conueniunt illis propriè conditiones ſubalternationis, (vt iam ex dictis manifeſtum eſt.) Ergo verè non ſubalternantur. Quòd *verò famulentur*. PROBATVR. Quia *ex 1. Metaph.* ſubalternatio eſt quidam famulatus, quod enim dicitur ſubalternari, dicitur quaſi ad aliud ordinari. Sed reliquæ ſcientiæ ordinantur ad Theologiam, tanquam ancillæ in miniſterium Domini. Ergo vt famulæ ſubordinantur. *Præterea* ſi Metaphyſicæ reliquæ ſciẽtiæ dicũtur famulari; quia id, quod eſt in genere Entium optimum cõſiderat: Sed Theologia id, quod eſt omnium Entium optimum conſiderat, videlicet Deum Ter Optimum Maximum, qui quidem eſt Beatitudo noſtra. Ergo illi ancillabuntur aliæ ſcientiæ. Et ſumpto largè nomine *ſubalternationis* poteſt dici, quòd ſcientiæ naturales, ſubalternantur noſtræ Theologiæ.

Subalternari eſt quaſi ad aliud ordinari.

41. Dico ſeptimò propter Maiorem qu. 21. Prol. ad 7. *Noſtra Theologia nulli ſcientiæ naturali, neque ipſi Metaphyſicæ ſubalternatur.* PROBATVR. Deus enim in quantum eſt Subiectum Theologiæ, nullo modo continetur ſub Ente mobili; aut ſub alio Subiecto ſcientiarum naturalium; neque ſub Subiecto Metaphyſicæ, quæ agit de Ente, in quantum eſt Ens: nam per additionem alicuius differentiæ, Deus contrahi non poteſt vllo modo: illumque confitemur ſecundùm ſuam ampliſſimam entitatem, eſſe primum Ens & ſingulare. *Tum* quia Metaphyſica agit de Ente, quod eſt cognoſcibile in creaturis lumine naturali. Theologia verò agit de Ente, & ipſo Deo primo Entium, vt eſt cognoſcibilis ex reuelatione, & lumine fidei ſupernaturali. Proinde ratione Subiecti non poteſt Theologia vlli ſcientiæ naturali ſubalternari: nec ratione Principiorũ; quia Theologia habet rationem Sapientiæ, & conſiderat altiſsimas cauſas longè ſuperiori modo, quàm conueniat naturalibus. *Ad extremũ* nulla ſcientia ſubalternata, regulat cõcluſiones & veritates ſubalternantis. Sed Theologia (vt iam dictum eſt) coarguit errores ſcientiarum naturalium. Ergo illis non poteſt ſubalternari.

Theologia viatorum nulli ſcientiæ naturali nec ipſi Metaphiſicæ ſubalternatur.

Metaphyſica de quo Ente & quo modo agit?

42. *Ad argumenta* Scoti & Dur. reſpondeo: nos non ponere ſubalternationem rigoroſam in noſtra Theologia reſpectu ſcientiæ Dei & Beatorum, ſed ſolùm ſecundùm quid, & quodammodo (vt in Dictis ſuperioribus patuit.)

Ad illud verò Scoti ſcientia de Deo non poteſt eſſe niſi vna. Ergo non eſt Beatorum Theologia ſubalternans, & noſtra ſubalternata: quia Deitas eſt vna ratio formalis ſub qua Deus conſideratur. reſpõdeo. quòd

quòd idem ſub diuerſis rationibus conſideratum, poteſt eſſe Subiectũ ſcientiarum diuerſarum. Nam Deus, vt eſt cognoſcibilis lumine naturali, eſt Obiectum Metaphyſicæ: vt ſubeſt reuelationi & lumini obſcuro fidei, eſt Subiectum noſtræ Theologiæ: vt verò ſubeſt lumini claro, eſt Obiectum ſcientiæ Beatorum. *Ad argumen.* Caietani dico. D. Th. ſolùm velle oſtendere, quòd, ſicut Muſica & Perſpectiua licet ſint ineuidentes, ſunt tamen ſcientiæ: ſimiliter & noſtra Theologia dicẽda eſt verè ſcientia, quamuis Principia habeat ineuidentia. Et ſic ſolùm voluit in ratione ſcientiæ, aſſimilare noſtram Theologiam Muſicæ & Perſpectiuæ. *Reſpondeo ſecundò.* Quod D. Th. in ſuo art. 2, non in eo fundauit ſuam doctrinam, *quòd Muſica & Perſpectiua ſunt ſubalternæ ſcientiæ*; ſed in eo, *quòd quamuis obſcura, & ineuidentia principia habeant, ſunt tamen veræ ſcientiæ.* Ergo & Theologia, licet in obſcuritate Principiorum ſuorum verſetur, dicenda eſt ſcientia.

QVÆSITVM III.

An Theologia ſit vna, & quid conſtituat illius rationem formalem?

43. DVas reperio Sententias de hoc Quæſito: Quædam eſt eorũ, qui affirmãt & hæc eſt communis, quam ſequemur: Quædam eorum, qui negant, & hi ſunt in triplici ordine. PRIMO. Gabriel qu. 8. Prol. Greg. qu. 3. & alij Nominales Theologiam dicunt: *non eſſe vnum habitum ſcientiæ, ſed plures.* RATIO *illorum.* Tot ſunt ponendi habitus, quot ſunt Concluſiones; ſicut in virtutibus moralibus accidit, quòd Temperantia, alia eſt, quâ homo frenat deſideria carnis: alia verò, quâ abſtinet ab eſu carniũ: alia, deniq; quâ abſtinet à piſcibus. Et in Geometria videmus, aliter tradi doctrinam de circulo, aliter de Triangulo. Et Phyſica, aliter agit de Principijs, de motu, elementis, cælo. Vnde Theologia non erit vnus habitus, nec vna ſciẽtia, ſiquidem differit de Deo, de Angelis, de Gratia, de peccatis, &c.

44. SECVNDO. Durandus qu. 4. Prol. Triplicem Theologiam facit. *Primam* vocat habitum aſſentiendi reuelatis à Deo: *Secundam* habitum deducendi Concluſiones ex Principiis reuelatis; *Tertiã* habitum defendendi Concluſiones deductas. Et inter hos habitus diſcrimen ſtatuit; primum dicit eſſe infuſum, reliquos verò acquiſitos. Tandem impugnat, quòd lumen ſupernaturale non ſit ratio formalis ſub qua cognoſcuntur ea, quæ traduntur in Theologia. *Ratio eius.* Quia non ſufficit ad conſtituendã

vnitatem ſcientiæ Theologiæ; ſi enim ſufficeret. Ergo etiam lumen naturale eſſet ratio formalis omniũ ſcientiarum; quia in hoc cognoſcũtur. Ergo vnam ſcientiam naturalem faceret, quod eſt abſurdum.

TERTIÒ Marſili⁹ *quæſt. 2. Prol.* ſimiliter Aureolus docent, quòd Theologia non ſit vna ſcientia. *Fundamentum eorũ* quia reuelatio, quę dicitur eſſe ratio formalis Theologię, non eſt ſufficiens ad conſtituendã vnitatem. Si enim ſufficeret; tunc, ſi Deus per miraculum alicui homini, ſicut Adæ, omnes ſcientias naturales reuelaret, ſeu infunderet, omnes eſſent vna ſcientia. *Conſequentia.* Sicut enim reuelatio conſtituit vnam ſcientiam Theologiæ: ita reuelatio conſtitueret Scientias naturales infuſas vnam ſcientiam, quod eſt falſum. Pro determinatione, quòd *vna ſpecie ſcientia ſit Theologia*

45. *Nota primò.* ex 1. Metaph. cap: 6. *Vnum* multipliciter dicitur; vnum numero, vnum genere, vnum ſpecie. Vnum numero in ſcientijs eſt, tunc, quando differentia numerica ſumitur ex parte Subiecti, in quo eſt *v. g.* alia eſt Theologia numero in Ioanne, alia numero in Caſimiro; nam differunt numero ratione Subiecti: Differentia verò Generica, per quam inter ſe differunt habitus, ſumitur ex modo tendendi ad ſua Obiecta. Vnde fides, opinio, ſcientia, intellectus, qui eſt primorum Prĩcipiorum, differunt Genere, propter diuerſum modum, quo tendũt ad ſua Obiecta: Fides enim tẽdit ad Obiectũ credibile, propter authoritatem Dicentis: Scientia tendit in Obiectum ſcibile, propter Demonſtrationem ex primis, & neceſſarijs: Opinio tendit in Obiectum opinabile, per rationes probabiles. Differentia autem Specifica ſcientiarũ, de qua in præſenti agimus, ſumitur ex diuerſa ratione formali Obiecti. Vnde quamuis omnes Scientiæ cõueniant Genere, quia ſunt omnes Scientiæ: tamen differunt Specie ſpecialiſſima propter diuerſam rationem ſpecificam Obiecti formalis: proinde quando Ariſt. 1. Poſt. dicit, *quòd illa ſcientia eſt vna, quæ eſt vnius Obiecti*, intelligendũ eſt de Subiecto, quod eſt vnum vnitate ſpecifica.

Vnum multipliciter dicitur.

Differentia ſcientiarũ ſpecifica ex diuerſa ratione formali Obiecti ſumitur.

46. *Ex quo iam collige*, Licet in Theologia ſint diuerſæ Concluſiones, quædam de Deo, quædam de Angelis, quædam de Creatione, hæ tamen omnes conueniunt ſub vna ratione formali Obiecti; quia omnes conſiderantur in ordine ad Deum, vt eſt Deus, & ſub vna ratione formali Diuinæ reuelationis. Sicut enim motus ſumit ſpeciem & denominationem à termino *ad quem*: ita Scientia ſumit ſpeciem & denominationem ab Obiecto formali, de quo tractat ſub vna ratione formali.

Nota ſecundò. Duplex eſt ratio formalis, quæ in qualibet ſcientia conſideratur: quædam eſt, quæ dicitur *Quæ*: quædam autem, quæ dicitur *Sub qua*. Ratio formalis *Quæ* tenet ſe ex parte obiecti ſecundùm ſuam entitatem, quæ quidem eſt ipſa Quidditas & Eſſentia Obiecti; & de hac ſunt proxima Principia Scientiæ: eademque eſt radix eorum, quæ demonſtrãtur in ſcientia. Ratio formalis *Sub qua*, per quam, velut per medium quoddam Theologia colligit

Ratio formalis in ſcientia eſt duplex vide ſupra.

ligit ſuas Concluſiones de Deo,& de alijs, quæ ad Deum ordinantur. *v.g.* In ſenſibilibus, ratio formalis *Quæ* Obiecti viſus, dicitur eſſe *Color* Ratio verò formalis *Sub qua*, dicitur eſſe *Lumen*: ſic quoq; in Theologia Ratio formalis *Quæ*, eſt Deus, ſiue Deitas. Ratio formalis *Sub qua*, eſt Reuelatio. In præſenti Quæſito non agimus de ratione formali *Quæ*, quia de hac agemus inferiùs in 3. Diſput. ſed ſolùm inquirimus, quænam eſt Ratio formalis *Sub qua*, à qua Theologia ſumit vnitatem ſpecificā in ratione Scientiæ? Pro determinatione.

Theologia eſt vna ſpecie ſpecialiſſimâ.

47. Dico, *Sacra Doctrina ſeu Theologia, eſt vna ſcientia, & vnus habitus ſpecie atoma.* PROBATVR *ratione* D. Th. hîc art 3. Vnitas habitus conſiderari debet ſecundùm rationem formalem Obiecti. Sed hæc ratio formalis eſt vna reſpectu Theologiæ, videlicet Diuina reuelatio. Ergo erit vnica ſcientia. *Ratio ſecunda.* Ignis quando in ligno producit vnum gradum caloris, & poſt hunc alium, non producit illum diſtinctū numero à priori, ſed ſolùm per maiorem radicationem primum gradū intendit, perficit, corroborat in ligno: ita quoque quando circa duas Concluſiones in Theologia cognitas, eſt genitus habitus; tandem poſtea, cùm alius de nouo generatur per alias Concluſiones, non eſt ali⁹ à priori diſtinctus, ſed ille prior roboratur, perficitur, intenditur: nam aliâs darentur duo Accidentia ſolo numero differentia in eodem Subiecto, quod eſt contra Philoſophiā. Ergo Theologia vna erit Specie.

Accidentia plura numero diſtincta in eodem Subiecto eſſe non poſſunt.

48. *Ratio tertia.* Vnitas Speciei ſpecialiſſimæ illa eſt, quæ vlterius in alias ſpecies ſubdiuidi non poteſt, ſed ſolùm in plura numero Indiuidua. Sed ſic ſe habet vnitas Viatorū Theologiæ, quòd omnes particulares Concluſiones dicunt ordinem ad vnicū, ſimpliciſſimū, & adæquatū Obiectū, nēpe Deum, Authorem gratiæ & gloriæ; & ſub vnica ratione formali, eodemque indiuiſibili, videlicet ſub reuelatione, ſolùmq; diuiditur ſecundùm Obiecta diſtincta numero, quòd ſit in Ioanne, aut Caſimiro. Ergo eſt vna Scientia.

Ratio quarta. Habitus infuſi ſunt ſimplices qualitates, & quælibet illarum eſt vna, vt fides, ſpes, charitas. Ad Epheſ. 4. *Vna fides, vnum Baptiſma.* Ergo & habitus acquiſiti ſunt etiam ſimplices qualitates, quarum quælibet eſt vna. *Conſequentia.* Quia Deus in operibus gratiæ eodē modo operatur, ſicut in operibus naturæ.

Ratio quinta. Etiamſi concedam⁹ Theologiam non vnum quidem habitum eſſe, ſed plures partiales, nihilominus adhuc erit vna ſcientia. Nam & Ariſt. 5. *Meth. cap.* 6. (vt iam dictum) *Conſtat aliquid, quod eſt vnum in vno genere, eſſe plura in alio genere.* Vt exercitus in genere ſubſtantiæ ſunt plura; quia plures homines, ſed in genere numeri eſt vnus exercitus: & ſicut domus in genere Entium ſunt plura Entia, ſed in genere dom⁹, eſt quid vnū: ita & ſciētia quælibet atque etiam Theologia, licet plures habeat ſpecies intelligibiles, & ex his plures Concluſiones, & habitus: nihilominus propter vnā rationem formalē Obiecti, vna erit ſcientia.

49. *Sed obijcies.* In ſcientijs realibus qualis eſt Theologia, neceſſe eſt, vt Obiectio.

eſt, vt differentia formalis & ſpecifica, ponat aliquid reale in Obiecto materiali: ſed reuelatio, quæ eſt ratio formalis *Sub qua*, non ponit aliquid reale in Deo, aut in Diuinis myſterijs; neque etiam in Præmiſſis, ex quibus colliguntur Concluſiones, ſed ſolùm ponit denominationem extrinſecam rationis. *Declaratur.* veritati enim, quæ per Propoſitionem fidei explicatur, nihil accedit ex eo, quòd ſit à Deo reuelata, præter ſolam denominationem, quòd ſit ducta à reuelatione. Ergo non conſtituit vnicam ſcientiam Theologiæ.

Solutio eius. 1. *Reſpondeo* falſum eſſe, quod in Maiori ponitur, tanquam ratio formalis debeat aliquid reale ponere in Obiecto materiali, ſiquidem in ſciẽtijs naturalibus ratio formalis eſt Abſtractio; & hæc eſt, aut à materia ſingulari tantùm, vt Phyſica: vel à materia ſingulari & ſenſibili ſimul, ſed ſolùm ratione & non re, vt in Mathematicis: vel à Materia ſingulari & ſenſibili, re & ratione, vt in Metaphyſica. Et hæ omnes Abſtractiones nihil ponunt reale in Obiecto materiali, immò auferunt; & tamen propterea non deſinunt eſſe ſcientiæ reales: proinde nec Theologia deſinet eſſe vna ſcientia, ex eo, quia reuelatio nihil ponit in Obiecto materiali, hoc eſt in Præmiſſis de fide.

Solutio altera. *Reſpondeo ſecundò.* Licet reuelatio diuina non ſit aliquid in illis rebus, quæ ſignificantur per Propoſitiones fidei, vel per Concluſiones Theologicas, tamen re ipſa eſt aliquid. Nam ab ea Propoſitiones & Concluſiones Theologiæ ſumunt ſuam firmitatem & veritatem infallibilẽ; & hoc ſufficit. *Et ratio eſt.* Nam de ratione medij, ſeu rationis *Sub qua* ſcientiæ alicuius, ſolùm eſt, vt ei innitatur veritas Præmiſſarum, & Cõcluſionum in illa ſcientia: quòd autem illa ratio formalis *Sub qua* ſit inſita rebus, quæ ſignificantur per Præmiſſas, eſt per accidens, & ſic lumen eſt ratio *Sub qua* videndi oculi noſtri, & tamen lumen nihil ponit in colore.

50. *Obijcies ſecundò* illud Aureoli, ſi Deus per miraculum reuelaret alicui homini omnes ſcientias naturales, tunc hæ ſecundùm te efficerent vnam ſpecie ſcientiam. Quia ſecundùm te reuelatio dat vnitatem Theologiæ. Ergo etiam hæc reuelatio daret vnitatem ſcientijs reuelatis alicui. Obiectio altera.

Reſpondeo primò negando ſequelã, quia ea, quæ ſunt fidei, non poſſunt alia via ſciri, niſi per reuelationem Diuinam: ſcientiæ verò naturales ſic reuelatæ alicui, alio modo acquiri poſſunt, videlicet per ſpecies à rebus acceptas. Vnde hæc vnitas à reuelatione procedens eſſet illis accidentaria. Solutio eius prima.

Reſpondeo ſecundò. Si Deus infunderet Naturales ſcientias alicui, aut ſolùm infunderet notitiam Cõcluſionum ſine Principijs, aut cum Principijs? ſi ſine Principijs, non eſſent propriè dictæ Scientiæ. nam eſſent obſcuræ; quia non haberẽt notitiam Principiorum ſuorum: ſi infunderentur cum Principijs. Ergo iam eſſent plures ſcientiæ diſtinctę, quemadmodum iam ſunt. Nam haberẽt euidentiam ſuarum Concluſionum per Demonſtrationes proximas & diuerſas, & per ſua Principia diſtincta, & ſic in eo cui eſſet reue- Secunda.

latio,

latio harum ſcientiarum facta, non eſſet vnitas ſed diuerſitas.

De⁹ poteſt reuelare ſcientias dupliciter.

51. *Reſpondeo tertiò* ex mente Caietani, Dupliciter Deus poteſt reuelare ſcientias. *Primo* modo, vt reuelatio ſit ratio aſſentiendi Concluſionibus illius ſcientiæ; *Secundò*, quòd illa Diuina reuelatio ſit cauſa producens ſcientias naturales, ſed non eſt ratio aſſentiẽdi illis: ſi enim Deus alicui infunderet ſeu reuelaret Dialecticam, hic haberet cognitionem Dialecticæ diuinitus ſibi infuſam. Sed hæc infuſio ſeu reuelatio non inclinaret eum ad aſſentiẽdum Concluſionibus Dialecticis. Nam aſſentiretur propter Regulas Dialecticas. proinde ad Argumentum dico: ſi ſcientiæ naturales Metaphyſica, Phyſica, Geometria, reuelarentur alicui, illæ nõ eſſent vna ſcientia, ſed plures. Et *ratio*: quia illa reuelatio ſolùm infunderet illi habitus ſcientiarum; ſed non eſſet ratio aſſentiendi Concluſionibus in illis ſcientijs; ſiquidem illorum aſſenſus ex demonſtrationibus, & ex reſolutione ad propria principia penderet. Iam autem in Theologia aſſentiẽdi Concluſionib⁹ Theologicis eſt Diuina reuelatio, & ideò vna eſt tantùm ſcientia, quia vnum Obiectum Formale, nimirum Deus: Et vna ratio formalis, videlicet Diuina reuelatio, ſub qua aſſentimur Concluſionibus Theologicis.

52. *Ad Gabrielis* Fundamentum reſpondeo: illos habitus partiales, quos enumerat, ordinari ad vnum Obiectum ſpecialiſſimum, ſcilicet ad Deum. *Reſpondeo ſecundò*, quòd poteſt aliquid in vno genere eſſe multiplex, in alio verò vnum. vt dictum de Exercitu ratione ſubſtantiæ eſſe multiplicitatem, ratione exercitus eſſe vnum.

Ad Durandi rationem reſpondeo: vnam eſſe Theologiam non triplicem. Nam illa Theologia, quâ aſſentimur principijs fidei, non eſt propriè Theologia, ſed fides: & illæ duæ, ſunt vna tantùm: Nam eadem eſt prorſus Theologia, quæ deducit Concluſiones ex articulis fidei, & quæ deductas defendit.

Luminis naturalis & ſupernaturalis non eſt eadem ratio.

Ad illud verò Durandi de Lumine Naturali & Supernaturali dico: quòd horum luminum non eſt eadem ratio. Diuina enim reuelatio habet eandem certitudinẽ in omnibus rebus reuelatis, & non habet maiorem in vna, quàm in alia. Nam non magis certum eſt Deum eſſe trinum, quàm eſſe vnum, & infinitum: iam verò lumen naturale non habet eandem certitudinẽ in omnibus ſcientiis. Quia lumen naturale accommodat ſe Principiis & Obiectis cuiuſlibet ſcientiæ. Vnde in perfectiori ſcientia eſt maior certitudo luminis naturalis, ſub quo aſſentimur illi ſcientiæ. Proinde lumen naturale ſufficit cauſare eandem ſcientiam in omnibus, ſed ſecundum diuerſitatem Obiecti Formalis eſt diuerſitas ſcientiarum. Iam autem omnium Concluſionũ Theologicarum æquale eſt lumen reuelatum. Vnde eſt vna ſcientia.

Theologia ſumitur dupliciter ſecundum ſe & vt in nobis.

53. *Ad extremum* reſpondeo, quoad rationem formalem Theologiæ conſtitutiuam illius vnitatem, quã diximus eſſe Reuelationem. Dupliciter Theologia ſumi poteſt. *Primò* ſecundùm ſe, ſeu prout eſt Theologia, & ſic reuelatio obſcura ſic ſũptæ Theologiæ, non erit ratio formalis: nam Chriſtus Dominus fuit

Theologus ſine hac obſcura reuelatione; Beati quoque in Patria ſunt perfectiſſimi Theologi, & in his Theologia ſuum perfectum ſtatum eſt adepta: nam in his non eſt iam obſcuritas. *Secundò*, vt eſt in nobis Viatoribus:& ſic illius ratio formalis, eſt reuelatio obſcura. *Probatur.* quæ enim eſt ratio formalis Principiorum, eadem quoque debet eſſe Concluſionum: ita quoque, quæ eſt ratio formalis fidei, eadem eſt & noſtræ Theologiæ. Sed fidei eſt reuelatio obſcura. Ergo & Theologiæ noſtræ. *Deinde* quia noſtra Theologia in deducendis ſuis Concluſionibus non vtitur humanis rationib*, ſed in quãtũ ſunt acceptæ per reuelationem. Ergo reuelatio erit ratio formalis noſtræ Theologiæ.

Nota. Quòd reuelatio habet ſe tãquam motiuum, & ratio aſſentiendi Diuinis myſteriis Fidei noſtræ. Nam vires omnes intellectus excedunt, quibus vt aſſentiamur, efficit Diuina reuelatio; quia Deus ita eſſe tenendum reuelauit, & ſic ſub abſtractione facta, ſecundùm rem & rationem omnia conſiderantur in Metaphyſica: ita & in Theologia ea ſpeculamur, quæ ſunt ſupra vires naturales intellectus. Et his idcirco aſſentimur, quia ſunt diuinitus reuelata.

QVÆSITVM IV.

An Theologia noſtra maneat in Patria?

54. DVæ ſunt Sententiæ, vtraque probabilitatem habet; proinde vtramque duxi eſſe proponẽdam, & iudicio cõmittendam Lectoris; vt eligat quam velit.

Theologia acquiſita manebit in Patria.

Dico primò. *Probabile eſt, quòd noſtra Theologia, quàm acquirimus per Concluſiones ex Principijs reuelatis, manebit in Patria, non ſolùm quoad ornatum, ſed etiam quoad exercitium.* Ita ſentiunt Viri magni Victoria, Melchior Canus. lib. 12. de Locis Th. cap. 2. Caiet. in 1. parte quæſt. 1. art. 2. Quanquam videtur mutâſſe ſententiam propter illa verba D. Pauli. 1. Corinth. 13. *Cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Pro intelligentia.

Nota. Quòd ſiue habitus, ſiue virtus, quæ à nobis in via acquiritur, poteſt manere in Patria. *Primò* quoad ornatum, non autem quoad exercitium: & ſic virtutes, quæ circa frenandas paſſiones verſantur, vt Temperantia, Fortitudo, quoad exercitium non manebunt. Nam in Patria, cùm erit corpus glorificatum, non inſurgent paſsiones. vnde ad ornatum manebunt. *Secundò* poſſunt manere non ſolùm quoad ornatum, ſed etiam quoad exercitium, Vt Prudentia, Religio, & alii habitus virtutum his ſimiles.

Nota. De Fide, Spe, quòd hæ

non

non manebunt, quia repugnant viſioni beatæ. Nam fides communiter eſt credere, quod non vides. Ergo cum viſione non poteſt ſtare. Similiter & Spes non manebit. quod enim quis videt, non ſperat. Vnde in patria, hi habitus fidei & ſpei, exerceri non poſſunt: & probatur Dictum illud rationibus quatuor ſatis manifeſtis.

55. *Ratio prima* Theologia noſtra eſt verè & propriè ſciẽtia, licet ratione præſentis ſtatus ſit imperfecta, non autem ex propria ſpecie, (vt iã deductũ,) adempta igitur imperfectione manebit in patria, & quoad ornatum, & quoad exercitium. Obſcuritas enim, quæ reperitur in noſtra Theologia, per accidens ſe habet ad rationem Obiecti ſpecifici; nam pro hoc ſtatu ſubeſt reuelationi Diuinæ. Vnde iam nunc eſt paruula, incipiens efficietur autem in virum perfectum, quando Euidentia accedet. *Confirmatur.* D. Th. 28. quæſt. 56. art. 6. in corpore dicit: *Quando imperfectio alicuius rei, non eſt de ratione ipſius ſpeciei, nihil prohibet, quòd idem numero, quod priùs fuit imperfectum, poſtea fit perfectum.* Sed Theologiæ noſtræ obſcuritas, non eſt de illius ratione, quia ſolùm eſt per accidens. Ergo per coniunctionem ad lumen gloriæ, ſuam perfectionem ſortietur. Ergo eadem omnino manebit.

Obſcuritas non eſt de ratione Theologiæ noſtræ.

Ratio ſecunda. D. Th. ex eo concludit, Theologiam eſſe ſcientiam. quia illius Principia in ſuperiori ſcientia, videlicet in Theologia, quæ eſt in patria, euidenter ſciuntur. Sed inferiori ſcientiæ, cum ſua ſuperiori, congruit coniungi; ſicut neque ſubalternatæ repugnat cõiungi cum Subalternante. Ergo cũ illa manebit.

56. *Ratio tertia.* Idem D. Th. 1. 2. quæſt. 68. art. 6. dicit. *Quòd Dona Spiritus S. quæ pro hoc ſtatu habent ineuidentiam & imperfectionem, manebũt in patria, cum euidentia & perfectione, demptis imperfectionibus.* Ergo & noſtra Theologia, quæ modò eſt ineuidens, manebit euidens in patria; quia talis ineuidentia non eſt intrinſeca Theologiæ.

Ratio quarta. In patria non erit obliuio Demonſtrationum, quas pro hoc ſtatu acquiſiuimus, circa Obiecta diſciplinarum. Ergo nec erit obliuio Theologiæ pro hoc ſtatu acquiſitæ. Ergo manebit. *Confirmatur.* Sicut enim in Beatis Theologia Matutina, ſeu clara viſio excludit diſcurſum, cùm fruatur ſimplici intuitione; ita Veſpertina, in iiſdem Beatis Theologia, ſicut iam in nobis Viatoribus diſcurrit, ita etiam in eis ſi voluerint diſcurrere poterit. Ergo in Beatis eſt aliquis diſcurſus. Proinde illorum ſcientia non eſt reijcienda, qui ſentiunt, quòd hi, qui multa didicerunt in hac vita, in patria plura cognoſcẽt per proprias ſpecies, quàm illi, qui non didicerunt, dum eſſent in hoc ſtatu. Quia gratia non deſtruit naturam; ſed eam perficit.

In Patria non erit obliuio ſcientiarum.

In Beatis eſt aliquis diſcurſus.

57. *Sed dices.* Apoſtolum dicere 1. Corinth. 13. *Siue ſcientia deſtruetur* Ergo ſupponit D. Th. quòd ſcientiæ hic acquiſitæ pro hoc ſtatu, non manebunt in patria. *Reſpondeo Primò.* Hoc nomen *Scientia* poſſe ſumi pro fide; quia fides propter ſuam certitudinem, interdum nomine *ſcientiæ* appellatur. Vt colligere licet ex illo Ioan. 11. *Scio, quia reſurget in reſurrectione*

ſurrectione, in nouiſsimo die. Quibus verbis Martha cum certitudine confitetur ſuam fidem de Articulo reſurrectionis.

Quomodo ſcientiæ deſtruentur in Patria?

Reſpondeo ſecundò. Quia Apoſtolus conditionaliter loquitur, ſicut cùm dicit: *Siue linguæ ceſſabunt.* Et tamen certum eſt, quòd in Beatis linguarum peritia non ceſſabit. Quia Beati (vt D. Th. aſſerit) etiam linguis corporeis Deum laudabunt. Sed dicuntur ceſſare, quia illis vti non erit neceſſarium. nam ſine harum vſu Beati ſe intelligent.

Reſpondeo tertiò. Quòd ſcientiæ deſtruentur, non quoad habitus, neque quoad ſpecies intelligibiles, quas anima Beati in hac vita acquiſiuit; ſed quia Beati ſeparati à corpore non cognoſcent per conuerſionem ad phantaſmata. Quanquã addo, quòd poſt reſurrectionem animæ coniunctæ corpori, ad notitiam rerum materialium, poterunt vti phantaſmate, quando voluerint; nam hoc illis liberum erit.

Sed dices: Ratio formalis *Sub qua* Theologiæ Viatorum, videlicet reuelatio obſcura non manebit in patria. Ergo nec Theologia manebit. *Reſpondeo.* quòd ratio formalis noſtræ Theologiæ, videlicet reuelatio diuina, eſt quid accidentariũ: Nam Theologia in ſe conſiderata eſt euidens; ſed ſolũ pro ſtatu præſenti, habet adiunctã ineuidentiã, quæ tanquam accidentarium quid, manente ſubſtantiâ Theologiæ amoueri poteſt.

Theologia Viatorum non manebit in patria probabiliter.

58. Dico ſecundò. *Probabile etiã eſt, quòd noſtra Theologia, quæ eſt Viatorum, non manebit in patria: ſed alia loco illius longè perfectior & excellentior dabitur.* *Ratio prima.* Sicut enim fides, quia eſt obſcura, non permanebit in patria, quia iam clara viſio ſuccedet: & ſicut ſcientia in diſcipulo non vidente, non poteſt ſtare cum ſcientia Magiſtri videntis: & ſicut lux nõ poteſt conſiſtere in tenebris; nam ſole orto caligo euaneſcit: ita clara viſione exoriente, in qua myſteria noſtræ ſalutis euidenter videbimus, obſcuritas noſtræ Theologiæ tanquam nebula recedet. Ergo deſtruetur.

Ratio ſecunda. 1. Corint. 13. dicitur. *Cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt*: Ibidem dicitur. *Scientia deſtruetur*; quaſi dicat: omnis illa ſcientia, quæ eſt obſcura, & imperfecta, à claritate & perfectione, quæ eſt in Patria deſtruetur. Sed noſtra Theologia, quæ eſt in hac vita, eſt obſcura & impfecta. Ergo euacuabitur in Patria, per ſucceſſionẽ lõgè perfectioris. *Ratio tertia.* Ratio formalis noſtræ Theologiæ eſt reuelatio Diuina, ſed obſcura: atqui hæc iã nõ manet in Patria. ergo nec noſtra Theologia.

59. *Ratio quarta.* Obiectũ noſtræ Theologiæ eſt credibile, & id, quod eſt credibile, eſt etiam Obiectũ fidei noſtræ. Sed fides ex *3. Sẽt. d. 31. art. 1. q. 1. & 2. 2. æ. qu. 2* corrumpetur in Patria, ꝑpter hãc credibilitatẽ, quæ obſcuritatem adiunctam habet. Ergo & noſtra Theologia propter eandem corrumpetur.

Fides in Patria corrumpetur.

Ratio quinta. Aſſenſus ineuidens non poteſt generare aſſenſum euidentem: ſed aſſenſus noſtræ Theologiæ eſt ineuidens: ergo aſſenſũ euidentẽ, qui eſt in Patria non poteſt producere. Ergo cùm ſit nulli' vſus aſſenſus ineuidens, deſtruetur, & per conſequens ipſa Theologia.

Aſſenſus noſtræ Theologiæ eſt ineuidens.

Ratio

Ratio ſexta. Si habitus Theologiæ obſcurus in Patria manere poteſt, profectò etiam & fidei habitus permanebit; quia in vtroq; eſt obſcuritas. Et ſicut habitus obſcurus illuminabitur à lumine gloriæ: ita ab eodem & fidei poterit illuminari; quod quidē abſurdum eſt.

Sed inſtabis. D. Hierem. in Prol. Bibl. ait: *Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobiſcum perſeueret in cœlis.* *Reſpondeo.* D. Hieronymum loqui de rebus ſcitis, non de habitu ſcientiæ, vt ſit ſenſus. (Diſcamus ea in terris, quæ nos beare poſſint in cælis.) *Vel ſecundò reſpondeo* Theologiam, quam in via acquirimus manere in cælis, non eandem numero, ſed aliam longè meliorem, & excellentiorem, ſublatâ omni obſcuritate.

Dices. In cælo non erit obliuio bonarum diſciplinarum, quas pro hoc ſtatu didicimꝰ. Ergo nec Theologiæ. *Reſpondeo* manſuram memoriam; ſed dico, quod alia Theologia perfectiſſima, & clariſſima ſuccedet, quâ videbimus Deum, & propter hanc, hæc noſtra obſcura euacuabitur.

Ad extremum dices. In vita Beata eadem Principia, eædem Demonſtrationes, quæ erant in via, manent in Patria. Nam hæc Demōſtratio manebit: *Omnis homo habet animam rationalem. Sed Chriſtus eſt homo. Ergo Chriſtus habet animam rationalem.* *Reſpondeo* nos non poſſe negare, quòd eadem Principia, & eædem Demonſtrationes manebunt, ſed illarum ratio formalis *ſub qua* ſciuntur, videlicet reuelatio obſcura non manebit, Et quamuis Theologia ſecundùm ſe conſiderata, in quantum eſt abſtracta ab omni Subiecto ſit euidens; tamen conſiderata, vt eſt in nobis Viatoribus, eſt omnino ineuidens, quia procedit ex creditis, & ex Principiis ſuâ naturâ ineuidentibus. Et hac ratione formali noſtræ Theologiæ ſublatâ, etiam Theologia noſtra aufertur. Vide Cumelium qu. 1. art. 1. ſupra 1. part. D. Thomæ.

QVÆSITVM V.

An Theologia ſit Practica?

60. HOc Quæſitum, habet difficultatem; ſex enim reperio opiniones, *Prima* eſt Durā. *q. 6. in Prol.* qui duplicem Theologiam ſtatuit: quandam quæ in Sacris Scripturis continetur, & hanc appellat Practicam; Obiectum illius aſſignat Opus meritorium: quādam verò dicit eſſe, quæ ea, quæ in S. Scripturis habentur explicat, ac defendit; & hanc Speculatiuam nominat, tribuitque illi Obiectum Deum.

Secunda eſt Nominaliū, vt Gabr. *in q. 12. Prol.* Greg. hi ſecundùm diuerſitatem Concluſionum, diuerſas Theologias faciunt, & illas quidem Practicas, quæ inclinant & diſponunt ad operandum: quaſdam verò ſpecu-

rò Speculatiuas, quæ in ſola nuda cognitione quieſcunt.

Tertia Opinio eſt Scoti *in Prol. qu.* 4. Rich. & aliorum: hi affirmant Theologiam ſimpliciter eſſe Practicam. Fundaméta eius ſunt multa, ſed illud peculiare, ex *6. Metaph.* quod opponit ſententiæ Thomiſticæ. *Practicum & Speculatiuum, ſunt differentiæ eſſentiales, quæ diuidunt ſcientias.* Ergo eidem ſcientiæ non poſſunt conuenire; ſicut Rationale & Irrationale, eidem ſpeciei animalis non conuenit.

Quarta. Quòd Theologia magis eſt Speculatiua, quàm Practica: colligitur ex illius fine, nimirum ex viſione Beatificâ. Et hæc eſt. D. Th. dicit enim art. 4. *Magis tamen eſt Speculatiua, quàm Practica*, quia principaliùs agit de rebus Diuinis, quàm de actibus humanis, de quibus agit, ſecundùm quod per eos ordinatur homo, ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo conſiſtit. Eſt quoq; Capr. *qu.* 2. Dion. Carth.

Quinta Opinio eſt Caiet. circa 4. art. q. 1. in qua tria dicit, *Primò.* Quòd Theologia eſt Speculatiua & Practica ſimul, eminenter, non quidem per aggregationem, (vt Nominales affirmant) ſed, quòd ſit vna ſimplex qualitas in genere ſcientiæ, ſimul exſiſtens Speculatiua & Practica eminenter. Quia ſimul continet virtutem & perfectionem tam ſcientiæ Speculatiuæ; quàm Practicæ. Sicut Sol virtutem calefaciendi, & exſiccandi ſimul continet; nam producit calorem & ſiccitatem. *Secundò dicit*, quòd non ſolùm eminenter, ſed etiam formaliter ſit Speculatiua, & Practica: videlicet, continens rationes Speculatiuè, per quas in Eſſe Speculatiui conſtituitur; ſimiliter & Practicæ, per quas in Eſſe Practici conſiſtit. *Tertiò dicit*, quòd magis ſit Speculatiua quàm Practica. Tum quia Speculatiuæ magis aſſimilatur: Tum etiam, quia Speculatio eſt dignior; nihilominus tamen ſicut tota eſt Speculatiua eminenter formaliter, ita & tota eſt Practica eminenter & formaliter.

Sexta eſt D. Bonau. quam ſumpſit ex Magiſtro ſuo Alex. de Ales, quē Aegidi⁹. Cardinalis ſequitur. Et Th. Argentinas q 4. *Prol.* hi dicunt, quòd Theologia non ſit purè Speculatiua nec Practica, ſed eſt affectiua, quia intellectum illuminat, & voluntatem accendit ac mouet. Pro reſolutione.

61. *Nota primò*, Scientia Speculatiua & Practica, in vno conueniunt: differunt autem in quinque. Conueniunt in eo, quia vtraque eſt habitus intellectus; ſicut enim per Speculatiuam vnamquamque rem cognoſcimus, ita & per Practicam: nam Architectus per ſuam artem cognoſcit domum, quam poſtea ædificat. Differunt autem in quinq; *Primò* in Fine, quia Speculatiua in ſola cognitione ſiſtit; Practica verò vltra cognitionem tendit ad op⁹ efficiendum: nam Speculatiua ſolùm cognoſcit, & illius finis vltim⁹ cognitio; Practica verò ideo cognoſcit, vt operetur, vnde illius finis eſt Speculatio, huius autem Operatio, *Secundò* in modo procedendi. nam Practica procedit modo compoſitiuo, docet enim quomodo forma in aliquam Materiam ſit introducenda; quomodo funda- Scientiæ ſpeculatiuæ & practicæ conuenientia & differentia.

menta

menta iacienda; quomodo arbores dolandæ; Speculatiua verò vtitur modo reſolutionis, reducendo Cõcluſiones & rerum proprietates in propria Principia & Definitiones. *Tertiò* in Obiecto (vt docet Ariſt. in princ. *6. Metaph.)* Nam Scientia Practica agit de Obiecto operabili modo operabili, vt de domo, quomodo ſit ædificanda: ? Speculatiua verò agit de re non operabili: ſi quando verò agit de re operabili, hoc facit modo ſcientifico, per Definitiones, Diuiſiones, demonſtrationes. *Quartò* quia Practica eſt Regula immediata operandi; Speculatiua verò eſt regula immediata ſciendi: ſi verò aliquando accidit, quòd etiã ſit regula operandi hoc fit mediatè & remotè: nam ſcientia naturalis eſt Speculatiua, & hæc rerum naturas conſiderat, ex quarum cognitione deuenimus in cognitionem Dei, quem poſtea colimus & glorificamus. *Quintò* Speculatiua eſt gratia ſui. nam quieſcit in Speculatione; Practica verò eſt gratia alteri⁹, nam tendit ad opus.

Speculatiuum & Practicum dupliciter cõſiderari poſſunt.

62. *Nota ſecundò* Speculatiuum & Practicum, dupliciter conſiderari poſſe. *Primò* vt ſunt differentiæ oppoſitæ, diuidentes habitus inferiores finitos, de quibus agit Ariſt. *3. de Anima tex. 49.* Et *2. Met. cap: 1.* Et *6. Ethic. cap: 2.* Et D. Thom. in *1. p. q. 14. art. vlt.* *Secundò* Practicum & Speculatiuum ſumi poſſunt, vt ſunt differentiæ oppoſitæ & determinatæ, ſed ablatis imperfectionibus, quibus inter ſe opponuntur, & ſic opponuntur ſcientiæ Diuinæ. Nam Speculatiuum inferioris ordinis dicit quidem perfectionem. quia ordinatum eſt ad ſpeculandum; ſed habet adiunctam imperfectionem. quia non eſt regula per ſe, & immediatè operandi. Similiter & Practicum hoc modo conſideratum, prout eſt inferioris ordinis, habet hanc perfectionem, quòd ſit cauſa operis. Nam eſſe cauſam effectiuã alicuius rei, dicit perfectionem; ſed habet adiunctam imperfectionem, quòd non ordinetur ad contemplandum. Practicum ergo & Speculatiuum, hoc ſecundo modo ſumptum, vt retinent perfectiones ſuas dẽptis imperfectionib⁹, vt ſcilicet iã non ſunt differentiæ ſe mutuò excludentes; ſic Diuinæ Theologiæ tribuendæ ſunt. Et hoc Caiet. videtur velle, quando dicit, quòd *Speculatiuum & Practicum Scientiæ infinitæ, non ſunt differentiæ eſſentiales.*

Continere eminenter cui conueniat?

63. *Nota tertiò* cum Caiet. quòd eminenter aliquid continere conuenit illi ſcientiæ, quæ eſt altioris ordinis & perfectioris: vt ea, quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſint vnita. Et ſic Angelus ſuperior plura cognoſcit per vnum conceptum, quæ ab inferiori Angelo non niſi per plures cognoſcuntur. Et ſic Theologia cùm ſit quædam participatio ſcientiæ Diuinæ, eſt ordinis ſuperioris; & ideò Speculatiuum & Practicum, quæ ſunt diſperſa in ſcientiis inferioribus eminenter continet. Hoc idem D. Th, docet hic *art 3.* cùm dicit: quòd *Theologia ſic ſe habet ad alias ſciẽtias, ſicut ſe habet ſenſus communis ad ſenſus particulares; & ſicut communis ſenſus, continet Obiecta particularium ſenſuum ſine vlla ſui diuiſione & imperfectione; eodem modo & Theologia reſpectu aliarũ ſcientiarum, illarum differentias quales ſunt Speculatiuum & Practicum in ſe eminen-*

eminenter ſine vlla imperfectione continet.

In quonam Praxis conſiſtat?

64. *Nota quartò* propter Scotum, in quonam Praxis conſiſtat? Eſt igitur Praxis actio imperata ab intellectu per impulſum voluntatis. vnde Scotus non placet, cùm dicit in *vlt. q. Prol.* quòd *Praxis eſt actus alterius potentiæ, quàm intellectus naturaliter poſterior intellectione.* Contra quem probatur, quòd *actio intellectus poſſit eſſe praxis.* Nam illius potentiæ actus, quæ per dictamen Practicum regulatur, poteſt eſſe Praxis. Sed intellectus poteſt regulari per dictamen ſcientiæ practicæ, & ipſius prudentiæ, videlicet nunc eſſe ſpeculandum. Ergo cùm ſpeculabitur, illius Speculatio tanquam operatio regulabitur per dictamen Practicæ prudentiæ. Ergo actio Intellectus erit Praxis. *Præterea* D. Th. de veritate *q. 2. art. 8.* dicit, quòd *Scientia Speculatiua per extenſionem ad opus fit practica.* Ergo etiam & actio intellectus, quando regulatur per dictamen Practicum, nunc eſſe orãdum, nunc ſpeculandum, extenditur ad opus. Ergo illius actio erit Praxis.

65. *Nota quintò* Hæc tamen Speculatio ſic directa à dictamine practico de rigore non erit Praxis. Nam talis actio eſt ſpeculatio; ſed nihilominus ideo dicitur Praxis, quia regulatur per dictamen practicum, eſtque illi quodã modo conformis.

Praxis non eſt actio ſolius voluntatis.

Ex quo collige primò Praxim non eſſe actionem ſolius voluntatis, ſed etiam cuiuſcunque alterius potentiæ atque etiam ipſius intellectus, in quantũ videlicet actio eſt imperata; ſimulque dirigitur ab alio reflexo actu voluntatis, mediãte electione. Vt cùm quis datâ operâ meditatur, quia vult meditari. Deducit hoc Capr. ex D. Th. *2. 2dæ. q. 47. art. 2. ad 2.* docens habitum Prudentiæ, qui quidem eſt practicus habere pro Obiecto non ſolùm actiones volũtatis, ſed etiam intellectus Speculatiui, in quantum prudentiæ & electioni ſubiacent. Ipſa quoque Contemplatio eſt actio: & quia Actio eſt duplex, quædam Immanens, quædam Tranſiens; erit igitur Contemplatio actio immanens in ipſo Agente.

Contemplatio eſt actio

66. *Collige ſecundò* Ad rationem Practici habitus non ſufficere, vt ab illius poſitione ſequatur aliqua operatio in voluntate, videlicet delectatio, amor aut odium. *Probatur.* Sequeretur enim *primò*, quòd Metaphyſicæ, Phyſicæ & Mathematicæ ſcientiæ eſſẽt habit⁹ practici: nam hi habent adiunctam operationem; & ad hanc ſequitur delectatio in voluntate, quia ſecundum Ariſt. perfecta cognitio parit perfectiſſimam delectationem: *ſecundò* ſequeretur, quòd nullus omnino eſſet habitus & actus ſpeculatiuus, ſed quilibet eſſet verè practicus: quia nulla prorſus poteſt dari ſcientia Speculatiua, ex cuius contẽplatione non naſcatur in nobis delectatio, ob acquiſitã veritatis notitiam. Nam teſte Ariſt. *Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant*, cuius rei ſignũ eſt amor ſenſuũ, præſertim oculorum: *tertiò* ſequeretur, quòd & ipſa clara viſio Dei in Patria deberet dici Practica, quia ſummam delectationem in voluntate parit, quod omnino falſum.

Perfecta cognitio parit perfectiſſimam delectationem.

67. *Collige tertiò* eum eſſe habitũ Practicum, qui verſatur primò, per ſe, & directè circa Praxim, tanquam

quam ſuum obiectum cum naturali ordine ad agendum, vt ſit de operabili, modo operabili, hoc videtur innuere Ariſt. *2. Metaph. c. 1.* cùm inquit: *Contemplatricis ſcientiæ finis eſt Veritas; Operatricis verò ſeu Practicæ eſt Opus.* RATIO. Nam ſi quando Philoſophi practici conſiderāt quomodo ſe res habeat, non tamen contemplantur ipſam cauſam per ſe, ſed hoc faciunt ad aliquid, hoc eſt ad opus dirigendo, quod pro certo tēpore eſt exſecutioni demādandū. Hoc idē colligitur ex D. Th. *1. p. q. 14. art. vlt.* & *3. ſent. d. 23. q. 2. art. 3.* vbi inquit: *Intellectus Speculatiuus conſiderat rem per ſe abſolutè; Practicus verò in ordine ad opus.*

Finis contemplatiuæ eſt, veritas Practicæ verò opus.

Quotupliciter aliqua Scientia poſſit dici Practica vel Speculatiua?

68. *Nota ſextò.* Aliqua Scientia ex duplici ratione poteſt eſſe Practica vel Speculatiua: *primò* ex parte Obiecti, vt quando eſt de Obiecto operabili à nobis, & ſic eſt Practica: *ſecundò* ex parte Finis, vt quando finis eius operari, & ſic adhuc erit Practica. Fieri quoque poteſt, vt vna ſcientia ſimul ſit Practica & Speculatiua: vt ex parte Obiecti ſit Speculatiua, ex parte verò Finis Practica & è contra, vt docet D. Th. ſupra *Boët. de Trin. q. 5. art 1.* & *1 p. q 14. art. 16.* vbi dicit, quòd *Scientia Practica ex obiecto poterit eſſe Speculatiua quoad finem & modum.* Quæ enim tractat de domo, definiendo illam, demonſtrando illius proprietates, eſt Practica ex Obiecto, & Speculatiua ex Fine.

Finis in ſcientijs duplex poteſt eſſe.

De hoc Fine obſerua, quòd duplex eſſe poteſt in Scientiis: *primus* ipſius Scientiæ; *ſecundus* ipſius Sciētis. Finis Scientiæ eſt intrinſecus, quem habet Scientia ex natura ſua: & ex hoc iudicium faciendum eſt de Scientia, an ſit Speculatiua an verò Practica: Finis autem Scientis eſt, quem ſibi præfigit & ſtatuit, qui ſcientiam diſcit: & hic finis eſt extrinſecus & remotus à ſcientia; proinde non facit ſcientiam, nec Speculatiuam, nec Practicam: nam alias ſequeretur omnes Scientias eſſe Practicas; quia in omnibus ſcientiis finis Scientis præfixus debet eſſe, noſſe Deum, & glorificare. His præmiſſis.

Theologia noſtra eſt ſimul eminēter Practica & ſpeculatiua.

69. Dico primò. *Theologia noſtra, nec eſt purè Practica, nec purè Speculatiua, ſed eſt ſimul eminenter Practica & Speculatiua.* Ita docet D. Th. hic *art. 4. q. 1. p. 1.* D. Bon. *q. 1. art. 1.* Ratio eius. Quia Scientia ſacra perficit intellectum & mouet affectum. Caiet. ſimiliter & alii quàm plurimi recentiores.

Nota, quoad ſenſum Dicti: cùm dicimus, quòd *Theologia ſimul ſit Speculatiua & Practica*, nō ſic intelligēdū eſt, quaſi Theologia ſit duplex habitus, alter Speculatiuus, & alter Practicus (vt intellexit Durandus & Nominales) neque ſic intelligendum tāquam Theologia conſtet ex duobus habitibus, quorum vnus ſit Speculatiuus, & alter Practicus (vt Victoria docet) ſed quòd Theologia ſit vnus ſimplex habitus, qui ſimul eſt eminenter Speculatiuus & Practicus *Eminentia* quoq; (vt iam ſuperiùs num. 63. dictum) ſcientiæ Theologicæ conueniet, quia eſt altioris ordinis; namque huius eſt, quæ ſunt in inferioribus diſperſa eminēter continere: ſicut Sol, quia eſt ſuperioris ordinis, continet calidum & ſiccum: & Anima rationalis itidem ſuperioris ordinis, Vegetatiuū, quod eſt in plantis, & Senſitiuum

quod eſt in brutis, continet eminenter in homine.

70. *Probatur Dictum.* Illa ſcientia dicitur propriè formaliter Speculatiua, cuius finis internus, primò & per ſe, eſt Speculatio; Practica verò illa eſt, cuius finis, primò & per ſe eſt praxis. Sed Sacra Theologia primò & per ſe, tam Speculationem, quàm praxim continet. Ergo ſimul erit Speculatiua & Practica, non ſolùm formaliter, ſed etiam eminenter. *Maior* ex Notabilibus nota. *Minor probatur.* Theologia, plurima cōplectitur, quæ ſimpliciter ſunt ſpeculabilia, vt de Deo, de Attributis Diuinis, de Trinitate. de Angelis, de Creatione mundi; quæ ex natura ſua non ſunt operabilia. nec ideò à nobis cognoſcuntur, vt à nobis fiant; ſed ſolùm à nobis ſciuntur, vt ſciantur. Ergo ſimpliciter ſunt Speculabilia. Ergo continet ſimul Speculationem. *Præterea* in eadem Theologia plurima ſunt ex natura ſua formaliter Practica, quæ ſunt in ordine ad agendum, vt ea, quæ traduntur de Sacramentis, de Gratia, de Virtutibus, de Peccatis. Ergo etiã erit Practica, nã habet finẽ praxim; quamuis vtriuſque vna tantùm ſit ratio formalis. omnia enim Speculabilia cognoſcimus in quantum ea Deus reuelauit; & omnia operabilia ideo operamur, quia Deus per reuelationem voluit, vt ea à nobis fierent. Ergo ſimul eminẽter eſt Speculatiua, & Practica.

Quæ ſcientia eſt formaliter ſpeculatiua & quæ practica?

71. *Ratio ſecunda.* Theologia noſtra eſt quædam participatio Diuinæ ſcientiæ. Sed Scientia Diuina eſt eminenter Speculatiua & Practica. Nam Deus per ſuam ſcientiam, & ſe cognoſcit, & alia à ſe, quæ operatur. Ergo & noſtra Sciẽtia Sacra erit vtrumq; ſimul. *Ratio tertia.* Illa ſcientia, quæ eſt proxima Regula ſimul, & ſpeculandi, & operandi, eſt ſimul eminenter Speculatiua & Practica. Sed Theologia noſtra eſt talis, quia vtrumque docet & ſpeculari Diuina, & operari bona. Ergo eſt vtrumque ſimul. *Ratio quarta.* Scientia, quæ eſt ſimpliciter & præciſè practica, differit ſolùm de rebus operabilibus ſuo modo operabili. Sed Theologia noſtra agit de Deo, & eius Potentia, & de reliquis attributis, quæ non ſunt operabilia. Ergo præciſè non poteſt ſolùm eſſe Practica, ſed ſimul eſt eminenter, & Speculatiua.

Theologia noſtra eſt participatio quædã diuinæ ſcientiæ.

72. *Sed vrget in oppoſitum Scotus,* Duæ Differentiæ oppoſitæ non poſſunt eſſe in eadem Specie. Practicũ & Speculatiuum ſunt duæ Differẽtiæ oppoſitæ, & eſſentiales ſcientiarum. Ergo non poſſunt eſſe in eadem ſcientia. *Reſpondeo primò* Non eſſe abſurdum, quòd eadem Scientia ſit ſimul Speculatiua & Practica, reſpectu diuerſorum. in quantum enim eſt Regula ſciendi, eſt Speculatiua, in quantum verò eſt Regula operandi eſt Practica. *Reſpondeo ſecundò.* Non poſſunt eſſe in eadem Scientia finita, benè autem poſſunt ſimul eſſe in infinita: nam Scientia, debet hoc modo diuidi in Finitam & Infinitã: Finita rurſum alia Speculatiua alia Practica: & ſcientia Finita cùm ſit limitata, non poteſt vtrumque continere, vt ſit ſimul Speculatiua & Practica: ſed ſcientia quæ eſt Infinita, qualis eſt Diuina, benè vtrumq; continere poteſt.

Obiectio Scoti.

Ex quo collige, quòd triplex eſt genus ſcientiarum, *primùm* Speculatiuum

Scientiarũ genus triplex.

latiuum, *ſecundùm* Practicum, *tertium* Speculatiuum & Practicum: Et in hoc poſtremo genere Scientia Dei, & noſtra Theologia ponitur.

Reſpondeo tertiò verum eſſe, quòd hæ duæ Differentiæ non poſſunt conuenire formaliter vni ſcientiæ, quæ eſt inferioris ordinis: quia nulla ſcientia ex inferioribus poteſt eſſe formaliter Practica & Speculatiua ſimul. noſtræ autem Theologiæ, tãquam ſuperiori, & dignioris ordinis benè conuenit, vt vtrũque eminenter & formaliter contineat. Sicut Senſitiuum & Vegetatiuum conuenit eminenter eidem Animæ rationali: ita Speculatiuũ & Practicum, conuenit eidẽ Scientiæ Diuinæ.

Addo quartò. Quòd in hoc loco D.Th. docet Theologiam ſimul eſſe Speculatiuam & Practicam, quod nequaquam doceret, ſi hæ duæ Differentiæ eſſent ſibi oppoſitæ. Idem D.Th. 2. *2æ. qu. 3. ad 3.* dicit *Fidem ſimul eſſe Theoricam & Practicam:* Et multi docent idem de Donis Spiritus S. Scientiæ, Intellectus, Sapientiæ.

73. Ad Ariſtotelem, qui *6. Ethic.* Habitus diſtinguit in Speculatiuos & Practicos, dicò, quòd hic alios habitus non intellexit præter illos, qui à naturalibus Principijs pendent, & hos quoad obiectum adæquatum totale ſtatuebat omni ex parte aut Speculatiuos, aut Practicos; Theologia verò eſt habitus omnibus his longè nobilior. Nam illius Principia ex Diuina reuelatione pendent, & ideo cenſetur eſſe formaliter Speculatiua; quia plurimas Concluſiones habet, quæ nudam, & ſimplicem cognitionem intendunt: ſimiliter formaliter eſt Practica; quia plurimas Concluſiones habet, quarum Obiecta ſunt res operabiles modo operabili.

Dices. verſari circa res operabiles, & non verſari circa operabiles, ſunt contradictoria. Ergo de his, quæ ſunt contradictoria agit Theologia. *Reſpondeo*. Contradictoria ſecundùm Regulas Dialecticorum illa ſunt, quæ ſunt ad idem, & ſecundum idem, & eodem modo: ſed hæc in Theologia non ſunt ad idem, nec eodem modo. nã Theologia quoad Concluſiones Practicas verſatur circa operabile modo operabili: quæ autem verſatur circa Speculatiuas Concluſiones, iam non verſatur circa operabile mõdo operabili; & ſic non ſunt contradictoria. Obiectio cũ ſolutione.

Dices. Videri Theologiam eſſe purè Practicam; finis enim Theologiæ eſt charitas. Matth 22. *In hũ duob⁹ mandatis. ſ.* Dei Dilectione & proximi, *vniurſa lex & Prophetæ.* Et D. Paulus dicit: *Legis plenitudo eſt dilectio* *Reſpondeo* Finem Theologiæ non eſſe charitatem. Ad loca S. Scripturæ dico, hæc intelligenda eſſe de fine, qui intenditur ab eo, qui Theologiam docet, vel diſcit: nam hic debet eſſe mandatorum Dei obſeruator, ab hoc autem fine eſſentia alicuius habitus non eſt ſumenda, ſed ab obiecto formali, aut à modo tendendi ad Obiectum. Et ſic dicimus Obiectum Theologiæ eſſe Deum ſub ratione Deitatis, in quãtum ſe nobis reuelat & alia à ſe, modo obſcuro.

74. Dico ſecundò cum S. Doctore in art. 4. *Theologia magis eſt Speculatiua, quàm Practica* Ita cum D. Th. docent. Theologia magis eſt ſpeculatiua quà Practica.

Th. docent. Caiet. hîc, Capr. *q.* 2. *Prol.ad arg. cõtra 6.Cõc.*Melch. Can°. *lib. 12. de Q. The. c. 2.* PROBATVR Denominatio debet eſſe à parte nobiliori. Sed pars Theologiæ Speculatiua longè eſt nobilior, quàm Practica. nam Speculatiua verſatur circa Deum, quo nihil eſt excellentius nec præſtantius: ergo eſt magis Speculatiua. Præterea ſũt in Theologia quædam operationes Diuinæ vt Angeli, Creatio mundi, mortuorum reſurrectio, finale iudicium; & hæc à nobis non cognoſcuntur practicè, eo modo, vt à nobis fiant, ſed merè ſpeculatiuè. Ergo Theologia magis eſt Speculatiua.

Contrarium Greg. *q. 5. Prol.* tenet, videlicet magis eſſe Practicam. Dicit enim in Theologia multò plura eſſe Principia Practica, & Concluſiones, multò plures Practicas, quàm autem Speculatiuas, vt patet examinanti Sacram Scripturam, & Concluſiones Theologicas. *Reſpondeo.* Etiamſi hoc verum eſſet, quòd plura ſint Principia Practica, plures quoque Concluſiones Practicæ loquendo de Theologia, quoad ſuam latitudinem; hæc tamen omnia in comparatione ad Obiectum adæquatum, ad quod omnia ordinem dicunt; adhuc eſſēt magis Speculatiua; quia Deus eſt Obiectum totale, & adæquatum, idemque prorſus ſpeculabile, non autem operabile: nec immediatè & eſſentialiter refertur ad praxim, ſed ad Speculationem. ergo eſt magis Speculatiua.

75. Dico tertiò. *Conſiderãdo Theologiam quoad nos, & quoad præſentem ſtatum vitæ noſtræ. poſſumus concedere, quòd ſit quodammodo affectiua;* (vt vult D. Bonauentura) *Probatur.* Aliqua ſcientia dupliciter poteſt dici Speculatiua & Practica: *Primò* ex parte Obiecti; *ſecundò* ex parte Finis. Sicut enim corpus ſanabile eſt obiectum medicinæ, & finis ipſius eſt ſanitas: ita Obiectum Theologiæ eſt Deus, qui neque eſt factibilis, nec operabilis; proinde Theologia magis erit Speculatiua ex ratione Obiecti, quàm Practica. Finis autem proximus eſt charitas. Et quamuis viſio Dei clara, ſit quoque Finis Theologiæ, remotus tamen: propinquus autem eſt, Deum diligere, & benè operari. *Ratio.* Quia nihil magis in Scriptura commendatur quã charitas. *In his duobus*, (inquit Chriſtus) id eſt in dilectione Dei & Proximi, *vniuerſa lex & Prophetæ pendent.* Et D. Paulus *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et *Finis præcepti eſt Charitas.* Quia hoc priuilegium eſt Theologiæ noſtræ, mouere, inclinare affectum: ſicut enim agit de maximè ſpeculabilibus, ita etiam de maximè amabilibus: tunc autẽ fructuoſè attingit ad cognitionem, quando amorem inflammatum nutrit. Vnde Hugo *cap. 6. ſup. Hierem. Dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt dilectio, quàm intelligentia.* Et hæc affectiua Theologia, tam Speculatiuã, quàm Practicam comprehendit; quia & intellectum illuminat, & affectum dilectionis accendit.

Theologiã conſiderata quoad præſentem ſtatum eſt quodammodo affectiua.

Quotupliciter aliqua ſcientia dici poſſit Speculatiua & Practica?

QVÆ-

QVÆSITVM VI.
An Theologia ſit dignior cæteris ſcientijs?

76. AD Quæſitũ dico primo. *Expreſſa eſt mens S. Doctoris hîc art. 5. Theologiam, ſiue in ſe conſideretur, ſiue quoad nos, eſſe omnium ſcientiarum digniſſimam.* PROBATVR, Dignitas ſcientiarum ex duplici capite ſumitur: *primò* ex Certitudine; *ſecundò* ex Obiecto (vt docet Ariſt. *1. de An. c. 1.*) Sed Theologia, tam Certitudĩe, quàm præſtãtiâ Obiecti, omnes alias ſcientias ſuperat: Ergo cæterarũ eſt digniſſima. *Minor probatur* quoad primum, ſ. quoad *Certitudinem.* Theologia noſtra verſatur circa articulos fidei: ſed articuli fidei ſunt nobis reuelati à prima veritate, quæ quidem nec falli poteſt, nec fallere. ergo Theologiæ eſt ſumma Certitudo.

Theologia conſiderata quoad nos eſt digniſſima ex omnibus ſcientijs.

PROBATVR *ſecundò.* Certitudo aliarum ſcientiarum fundatur & oritur ex lumine naturali rationis humanæ, quæ errare poteſt; certitudo autem Theologiæ prouenit ex lumine Diuinæ ſcientiæ, in quãtum innititur in authoritate Dei reuelantis, & docentis ea, quæ per ſuam infallibilem ſcientiam nouit: Ergo eſt ſummæ Certitudinis.

Obiectio.

77. *Sed dices*: Lumen naturale, & lumen fidei, eſt æqualis Certitudinis, ſiquidem vtrumq; eſt à Deo: & ſicut fidei luminis eſt author Deus, ita & luminis naturalis. Tum quia Deus eſt vna, ſimplex, & immutabilis veritas: Ergo in ſuis productis æqualem Certitudinẽ efficiet. *Reſpondeo.* & dico vtrũque lumen tam naturale, quàm fidei reuelatum ſi quoad ſe conſiderentur, omnino per ſe naturâ ſua eſſe infallibile. lumẽ autem naturale conſideratum quoad nos, videlicet, ratione vſus & applicationis, ſæpe poſſe falli; verſatur enim in magnis ignorantiæ tenebris: nam dependet à ſenſibus, qui ſæpè errare poſſunt. dependet à diſcurſu, qui, quia ſemper non poteſt penetrare extrema, de quibus agit, idcirco errat. Hoc autem in lumine fidei non contingit; nam hoc innititur infallibili Dei reuelatione; ita, vt nobis perſuadeamus illa omnia eſſe certiſſima, quæ Eccleſiæ ſunt reuelata; & propter harum Certitudinem quandoque nec ſenſui, nec rationi contrarium demonſtranti, conſentimus. *Ex quo* talis ratio duci poteſt. Propter hanc certitudinem reuelatam, quam habet intellectus illuſtratus lumine fidei, negat omnium aliarum ſcientiarum euidentiam, & ſenſuum experientiam. Nam certiſſimò credit in hoſtia conſecrata, non eſſe ſubſtantiã Panis, licet ſenſus odorem, colorem, ſaporem, quæ ſunt accidẽtia panis, demonſtret. *Præterea* Propter hanc fidei certitudinem, etiam ſyllogiſmum demonſtratiuum, & euidentẽ repudiamus, qualis eſt hic: *Hæc Eſ-*

Solutio obiectionis.

Fidei certitudo eſt alijs ſcientijs firmior.

ſentia Diuina eſt Pater. Hæc Eſſentia Diuina eſt Filius. Ergo Pater eſt Filius. Dicit enim Catholicus falſũ eſſe, quod in Concluſione colligitur; quia aliter fides docet, quæ reuelationi innititur. Ergo Certitudo Fidei aliis ſcientijs eſt firmior.

78. PROBATVR *tertiò* Secundùm D. Th. *in 3. diſt. 26. q. 2. art. 4.* Certitudo nihil aliud eſt, quàm determinatio intellectus, & adhæſio firma ad aliquod verum. Sed in aſſentiendo rebus fidei, eſt firmior determinatio & adhæſio intellectus, quàm in aliis Scientiis. Ergo Certitudo eſt maior. *Minor probatur.* Sunt enim vehementes cauſæ determinantes intellectum ad aſſentiendũ. *Prima* eſt Lumen fidei reuelatum, per quod inclinamur ad aſſentiendum: *Secunda* eſt, ipſe Deus, qui has veritates ſuggerit; *tertia* eſt, noſtra voluntas à Deo mota, quæ per piam affectionem captiuat intellectũ ad aſſentiendum articulis fidei, & veritatibus Theologicis. In humanis autem Scientijs ſunt hæ cauſæ, Aſſenſus, Humana ratio, quæ omnia ſunt infirma.

Probatur quartò Locis S. Scripturæ. *Primò* ipſe Chriſtus D. ſic affirmat: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Quaſi dicat nihil eſt firmius cælo & terra: doctrina autem mea, quam vobis trado, longè eſt firmior. nam nihilominus, & cælum, & terra tranſibunt doctrina autẽ mea, videlicet, quòd *Deus ſit vnus & trinus* in æternum durabit. *Secundò* D. Paulus *ad Gal. 1.* dicit: *Si aut Angelus de cælo aliud vobis euangelizauerit, præter id, quod euangelizatũ eſt, anathema ſit.* Ex quo collige S. Doctrinam Certitudine ſua ſuperare Angelorum cognitionem. Idẽ D. Paulus *2. Corint. 3.* docet: S. Doctrinam captiuare intellectum in obſequium Chriſti, & deſtruere omnem ſcientiam, quæ ſe extollit contra ſcientiam Dei: Et hæc captiuatio, atque etiam deſtructio contingit ob ſummam certitudinem, quam ex reuelatione primæ veritatis habet. *Quartò* D. Th. certitudinem, quæ in Abraham erat his verbis deſcribit: *Contra Spem, in Spem credidit*: hoc eſt in rebus, quæ iuxta hominum opinionem deſperatæ erant, non amiſit ſpem, ſed confidit Deo. Et Origenes *homil. 8. ſuper Geneſ.* tantam affirmat in Martyribus refulſiſſe certitudinem, vt magis metuerẽt ignem inferni, quẽ non ſentiebant ſed credebant, quã cruciatum ignis, quem patiebãtur. *Et ratio eſt.* Quia ſuam certitudinẽ à prima veritate reuelante ſumebãt, quæ quidem, nec falli, nec fallere poteſt.

Certitudo Martyrum.

79. PROBATVR *quintò* In ſcientijs naturalibus omnis certitudo, aut ſumitur ex diſcurſu, aut ex ſenſib⁹, aut ex obiectis, aut ex modo cognoſcendi. Sed certum eſt, (vt iam in ſupra dictis patuit) quòd in diſcurſu,) & in ſenſibus multoties errores accidunt; Obiectum quoque, aliter quàm ſit, à nobis ſæpiùs cognoſcitur: tum & modus cognoſcendi dubius, incertus, cùm rem, vti eſt, non penetret. Ergo in naturalibus non eſt firma certitudo, ſed fallibilis.

Vnde ſumitur certitudo in ſcientijs naturalibus.

PROBATVR *ſextò.* Si contingat errare ſenſum, corrigitur à ratione, vt, cùm viſus iudicat ſolem eſſe vnius palmi, ratio corrigit, illumque terræ magnitudinem multis vicibus ſuperare

ſuperare dicit: ſi verò contingat error in diſcurſu,& in ratione, iam corrigitur à ſcientia Diuina reuelata. Vt ſi iudicaret *Deum non poſſe mori; nec Virginem poſſe concipere & parere;* corrigitur ab hac ſcientia Diuina; *Deus enim homo factus eſt, paſſus, & mortuus*: & *Virgo ſua illibata integritate permanente genuit Saluatorem mundi*, hoc ita Diuinâ omnipotētiâ operāte. Ergo Diuina doctrina cæteras omnes Sciētias ſuperat certitudine.

Theologiæ dignitas vnde ſumēda?

Probatur altera pars Minoris, ſ. quòd *Theologiæ ex parte Obiecti, ſit ſumma dignitas*. Obiectum Theologiæ eſt Deus, ſub ratione Deitatis conſideratus. Ergo eſt dignior: quia vt ſic, nulla ſcientia agit de Deo. *Item* quia ratio formalis *ſub qua*, eſt Reuelatio Diuina, & lumen ſupernaturale; in alijs autem ſcientijs ratio formalis *ſub qua*, eſt certus modus abſtractionis & lumen naturale; quæ nullo modo adæquare poſſunt dignitatem rationis formalis *ſub qua* Theologiæ. Ergo dignitate Obiecti excellit alias ſcientias.

Theologia etiam Scientias Practicas ſua ſuperat dignitate.

80. Dico ſecundò. *Cùm Theologia ſit ſcientia Speculatiua & Practica, non ſolùm ſcientias Speculatiuas ſua dignitate, quæ ſumitur ex certitudine ſuperat (vt iam probatum eſt) ſed etiam Practicas.* PROBATVR vnica ratione euidenti. Dignitas Scientiarum Practicarum, maximè, & præcipuè ſumitur ex fine. Sed finis Theologiæ eſt omnium præſtantiſſimus; quia eſt ipſamet Beatitudo, ſeu clara Dei viſio, & hic eſt vltimus & ſupremus finis, ad quem cætera omnia referuntur; ille autem, hoc eſt Beatitudo, ad nullum refertur; quia nihil habet ſupra ſe. Ergo & Practicis Scientijs eſt dignior.

Impugnatur primo Certitudo Theologiæ.

Obijcies primò contra Certitudinem. Principia aliarum Scientiarum non admittunt dubitationem, vt: *Vnum quodq; eſt, aut non eſt*, quilibet admittit. &, *Ab æqualibus, ſi demas æqualia, quæ remanent erunt æqualia* quilibet etiam concedit: ſed Principia Theologiæ admittunt dubitationem: quibuſdam enim videntur incredibilia, quibuſdam ſtultitia: nam crucis ſapientia, Gētibus eſt ſtultitia, Iudæis verò ſcandalum. Ergo aliæ Scientiæ erunt digniores; quia certiores.

Obiectionis ſolutio prima.

Reſpondeo primò tantam eſſe certitudinem huius Diuinæ Scientiæ, vt prorſus nullam ſecum patiatur dubitationem. Nam omnibus reuelatis firmiſſimè credit: ſi verò contingat aliquos dubitare, hoc non merito Sacræ doctrinæ, ſed vitio intellectus accidit, qui ob ſuam imbecillitatem huius certitudinis vim non capit; quòd videlicet DEVS prima veritas reuelauerit. Sed intellectus lumine fidei ſupernaturali illuſtratus, quia hāc vim percipit, ideò non dubitat.

Solutio ſecunda.

Reſpondeo ſecundò tam eſſe magnam certitudinem rerum Fidei, vt Fides nullo modo ſtare poſſit cum dubitatione; in quo enim puncto perfecta dubitatio oritur, in eo deſtruit & iugulat fidem: vnde ſic dubitans in rebus fidei, eſt hæreticus infidelis. In alijs autem Scientijs habitus ſcientificus, poteſt ſtare cum dubitatione.

Obiectio altera.

81. *Obijcies ſecundò.* In hoc Syllogiſmo; *Omnis homo habet voluntatē: Chriſtus eſt homo. ergo Chriſtus habet voluntatem.* Concluſio eſt Theologica ſeu ſupernaturalis; & hæc ex maiori Præmiſſa habet certitudinem *Probatur* qui enim non aſſentiretur Maiori,

iori, nec Concluſioni poſſet aſſentiri. *Præterea* ex Regula Dialecticorum, *Concluſio ſequitur debiliorem partem:* Sed maior Propoſitio cùm ſit naturalis, eſt debilior. Ergo hanc Concluſio debet ſequi; & per conſequens ex ea ſumere certitudinem. Ergo Naturalis Scientia erit certior Supernaturali.

Solutio ei⁹ prima. *Reſpondeo & dico:* variè ad hanc obiectionem, reſpondere authores; nonnulli dicunt in adducto argumento Concluſionem eſſe maioris Certitudinis. *Et dum arguis.* Concluſio ſequitur debiliorem partem: ſed Maior eſt debilior; quia merè eſt Naturalis; idcirco Concluſio nõ habebit maiorem Certitudinem, quàm eſt in Maiori Propoſitione *Reſpondent illi,* Quando dicitur *Concluſio ſequitur debiliorem partem:* non ſic intelligendum, quaſi Concluſio poſſit eſſe maioris certitudinis, ſed quòd, ſi debilior pars, videlicet illa Propoſitio, *Omnis homo habet voluntatem*, tollatur, etiam & Concluſio auferetur. Quòd verò in Concluſione ſit maior certitudo, ſic probãt. Illa Certitudo eſt maior, quę ex vtraque Præmiſſa Maiori & Minori in Concluſionem trãsfunditur, quàm illa, quæ ex Maiori ſolùm ſumit certitudinem: ſed Concluſio ſ. *Chriſtus habet humanam voluntatem*, ſumit certitudinem ex vtraque Præmiſſa, videl. & quòd *omnis homo habet voluntatem*, & quòd *Chriſtus eſt homo*; & propterea maioris erit certitudinis.

Solutio ſecunda. 82. *Secundò nonnulli ſic reſpondent*, Certitudo Theologica illa demùm intelligenda eſt, quæ colligitur ex duabus Præmiſſis, quæ ſunt de Fide; non autem, quæ colligitur ex illis Præmiſſis, quarum vna eſt de Fide, & altera Naturalis, vt eſt in obiecto Syllogiſmo. Tum dato, quòd Concluſio Theologica colligatur ex Præmiſſis, quarum vna ſit de Fide, & altera lumine naturali ſit cognita; nihilominus adhuc certior erit. Quando verò dicitur in Argumento *Concluſio ſequitur debiliorem partem.* Dicunt verum id eſſe in ſenſu iam explicato ſ. *quòd ſi defuerit debilior pars, non ſequetur Concluſio.* Non tamen ſequitur, quòd Concluſio non erit magis certa. Declarant hoc tali ſimili. Si in aliquo Sacello fuerint duo luminaria accenſa, quorum vnum maius, & alterum ſit minus: & ſi ſupponatur, quòd vtraque ad lectionem Euangelij ſint neceſſaria; tunc, ſi minus lumen exſtinguatur, iam legi non poterit Euangeliũ: quia vtrumque lumen ſuppoſuimus ad lectionem Euangelij eſſe requiſitum: idem dicendum de Præmiſſis, quarum vna de Fide, & altera Naturalis; quòd naturali exſtincta, Concluſio non ſequetur.

83. *Tertiò reſpondent alij.* Maior & Minor Præmiſſa, non dant maiorem Certitudinem Concluſioni, quã dat maior Propoſitio. *Ratio.* Quia Concluſio non eſt capax maioris Certitudinis quàm, quæ eſt in Maiori: nam illius certitudo pendet à certitudine Maioris; proinde ſi Maior eſt dubia, Concluſio erit dubia; etſi eſt probabilis, Concluſio erit probabilis. Quòd verò ſuperior reſponſio dicit *Concluſio ſequitur debiliorem partem*, hoc eſt. *ſi tollatur debilior pars, etiam tolletur Concluſio*, dicunt hoc non valere: nam Concluſio etiam ſequitur fortiorem partem, & ſi fortior pars tollatur, etiam Concluſio tolletur. Tertia ſolutio.

Vnde:

Vnde ad Argumentum ſic reſpondeo. Illa demum Concluſio Theologica, quæ ex vtriſque Præmiſſis notis lumine ſupernaturali colligitur, eſt certior omnibus alijs Scientijs naturalibus. Si verò colligatur ex vna Præmiſſa lumine naturali nota, iam alias Scientias non ſuperat certitudine. Declaratur hoc argumento. *Chriſtus eſt riſibilis. Ergo aliquis homo eſt riſibilis.* Antecedens eſt Supernaturale: ergo & Conſequens eſt Supernaturale, *ſ aliquis homo eſt riſibilis.* Ergo hoc Conſequens erit certius iſto Principio *Omne totum eſt maius ſuâ parte.* quia hoc ſolam habet certitudinem naturalem, illa verò habet ſupernaturalem.

84. *Nota.* Poteſt contingere, quòd Concluſiones Theologicæ, quæ ex probabili Medio colliguntur, non ſint tantæ certitudinis, quantæ ſūt in Scientijs naturalibus, quæ per medium demonſtratiuum colligūtur. & loquimur hic de certitudine, quæ ſe tenet ex parte modi cognoſcendi. Nam ſi fuerit Medium probabile, ſolam opinionem pariet: Opinio autem non eſt tantæ certitudinis, quantæ eſt Scientia, quæ per medium demonſtratiuum colligitur. *Si autem* res ipſas conſideremus, dico cognitionem rerum altiſſimarum, licet fuerit exigua, longè eſſe præſtantiorem & optabiliorem quacunque aliâ Scientia inferiori, vt docet Ariſtoteles *lib. de partibus anim cap: 1.* Et vulgò dicitur: *Infimum Supremi, eſt ſupremum infimi.*

QVÆSITVM VII.
An Theologia ſit Sapientia?

85 NEgat Durandus in *Prol. q 1. num. 54.* & 55. ſicut enim negauit Theologiā poſſe dici Scientiam ob ineuidentiam: ita ob defectum eiuſdem euidētiæ, negat eſſe Sapientiam. *Ratio illius,* quia euidentia ſicut cæterorum habituum intellectualium, eſt ratio conſtitutiua: ita & Scientiæ, & Sapientiæ. Et videtur quidem Durādus conuenienter Philoſophari, ſtādo in Principijs Ariſt. ſiquidem hic *lib: 6. Ethic. cap: 3.* nec Scientiam, nec Sapientiam, nec vllum habitum intellectualem agnoſcit, qui careat euidentiâ. Sed contra Durandum, dico: quòd Fides Diuina quamuis careat euidentia, nihilominus *ex 2. 2æ.* eſt virtus intellectualis, itaque ob eam cauſam Theologia non poteſt exui dignitate ſcientiæ, & Sapientiæ; ſiquidem ſicut fides, ita & Theologia firmiſſimum aſſenſum habet. Pro determinatione Quæſiti.

86. Dico: *Theologia eſt verè & propriè Sapientia.* PROBATVR Quia hoc nomine appellat eam S. Scriptura Deuter 4. *Hæc eſt noſtra Sapientia coram populis* Pſal. 50. *Oculta Sapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Et 1. Corint. 2. Theologia eſt verè & propriè ſapientia.

 Sapien-

Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed in his locis loquitur S. Scriptura de Theologia. Ergo eſt Sapientia.

Probatur & rationibus. *Prima* Sapientis eſt ordinare & iudicare; nãq; illi⁹ mun⁹ eſt,in vnoquoq; genere altiſſimam cauſam conſiderare: & ſic in genere ædificij architectus dicitur ſapiens, qui diſponit formam domus,& ordinat alios, qui ligna & lapides accõmodant: & in genere vitæ humanæ Sapiens dicitur,qui humanos actus ad debitum finem ordinat: Ergo & in genere ſciẽtiæ diuinæ, ille erit ſapiẽs, qui altiſſimam cauſam totius vniuerſi, qualis eſt Deus conſiderat. & proinde Sapientia dicitur Diuinorũ cognitio. *Ratio ſecunda*, Theologia conſiderat Deum, vt eſt ſuprema cauſa ſub lumine ſupremo videlicet Diuinæ reuelationis, quæ quidem eſt Regula & menſura luminis creati, quo Sapiẽtia naturalis, *ſ.* Metaphyſica nititur. *Ratio tertia*. Theologia non ſolùm conſiderat primã cauſam, in quantum eſt cognoſcibilis per creaturas, quâ ratione eam Naturales Philoſophi contemplantur; ſed multò magis quoad alia plura, quæ ſoli Deo ſunt nota, & in quantum ſunt communicata per lumen Diuinæ reuelationis: Ergo eſt Sapientia.

Diſcrimen inter Diuinam ſapientiam & Naturalem quod?

87. *Nota* cum Doctore S. Diſcrimen inter Diuinam Sapientiam & Naturalem *Primum*. Naturalis Sapientia priùs conſiderat creaturas, & ex illarum conſideratione aſſurgit in cognitionem Dei, qui eſt Prima cauſa; & ſecundum hanc poſtea iudicat de rebus creatis. Cur autem Naturalis à creaturis progrediatur, hæc eſt cauſa: quia ad veritates inquirendas duplici miniſterio vtitur, ſenſuum, & intellectus agentis; Diuina verò Sapiẽtia, quæ lumine reuelato nititur, primò & per ſe verſatur circa cognitionem ipſius Primæ cauſæ, quã ex reuelatione habet; poſt habitam illius cognitionem, digreditur ad creaturarum conſiderationem, quæ ad eandem habẽt attributionẽ ſub eodem lumine reuelato, & ſic menſurat veritates creaturarum.

Secundum diſcrimen, Aliter Metaphyſica ſeu Naturalis, & aliter Theologia regulat cæteras ſcientias: Metaphyſicæ hæc eſt propria, & connaturalis menſura, ſub lumine naturali probare & declarare, quãdo opus eſt, Principia aliarum Sciẽtiarum: & hoc facit per ſua communiſſima Principia. Et quia cui⁹libet ſcientiæ propria Principia probat, declarat, etiam & ipſas Scientias, quarum ſunt illa Principia, dirigere & regulare dicitur; Theologia verò modo ſupereminenti eſt regula, quando aut lumen naturale deficit, aut quando Metaphyſicus diſtinctè non percipit rationem & cauſã veritatis. *v. g.* Lumẽ naturale euidenter non agnoſcit *an accidens poſſit eſſe extra ſuum ſubiectũ?* & ſi hoc quis negaret, non haberet Metaphyſicus ſufficientia Principia, per quæ hoc conuinceret: aut ſi quis negaret *Naturam abſq; ſua ſubſiſtentia, & perſonalitate poſſe ſubſiſtere*: non poſſet hoc Metaphyſicus conuincere ex ſuis Principijs; Theologia verò iam hæc demõſtrare poteſt, nõ quidem *à priori* oſtendendo cauſas, ſed teſtimonio Primæ Veritatis, docẽs ſub ſpeciebus panis, eſſe Corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini, eſſe illius

lius Sanguinem: & in Chriſto eſſe naturam humanam ſine ſua perſonalitate. & hoc modò defectus Metaphyſicæ, aliosq; incidentes errores corrigit. Nam dicit Philoſophia *Ex nihilo nihil fit.* Theologia dicit, *Creauit Deus cælum & terram.* Si creauit; ergo ex nihilo. item Philoſoph⁹ dicit, *Mundus eſt ab æterno.* Theologia corrigit. *In principio creauit.* Ergo non ab æterno; quia æterno repugnat principium. Corrigit *Ethicam,* quæ beatitudinem conſtituit in bonis fortunæ & naturæ: nam dicit *Beati pauperes Spiritu.* Vnde in paupertate Euangelica conſtituit beatitudinem. Corrigit *Politicam* quæ aſſerit, *Poßidere omnia in communi, eſt iactura aperta Reipublicæ.* Contra Theologia docet allegans ex act. Apoſt. *In primordio Eccleſiæ fidelibus omnia fuiſſe communia, & vnum cor.*

Theologia corrigit defectus aliarum ſcientiarum.

88. *Ratio 4.* Ariſt. *6. Ethic. cap. 7.* docet: quòd Sapientia non ſolùm verſatur in Concluſionibus ſicut Scientia; nec in ſolis Principiis, vt intelligentia; ſed eſt habit⁹ ſimul & Concluſionum & Principiorum. Theologia ſic ſe habet, quòd non ſolùm Principia fidei, ſed etiam ex his collectas Concluſiones contéplatur.: ergo eſt Sapientia.

Sed inſtabis prorſus non eſſe intelligibile, quòd Sapientia, ſit ſimul ſcientia, & intellectus: nam Sapiétia eſt vnus habitus intellectualis: Sed implicat, quòd vnus habitus intellectualis ſint duo, Intellectus & Scientia. quamuis enim vtrumq; includat in ſe ſapientia, non poteſt tamen formaliter eſſe vtrumque.

Reſpondeo varias hîc aſſignari reſponſiones, vt habet Gilius *lib. 1. Tract. 4. de Nat. hab. Theol. cap. 9.* Et inter hos quidam reſpondent, Sapientiam non eſſe formaliter intellectum & ſcientiam, ſed quaſi materialiter & ſuppoſitiuè. *Ratio illorũ,* quia in demonſtratione *Propter quid* triplex eſt notitia: *Prima,* vt Prĩcipia per ſe ſint nota, & ſic eſt habitus intellectus: *ſecunda,* vt ſit Concluſio demonſtrata & ſcientifica, & ſic eſt habitus ſcientiæ. *tertia,* vt ſit connexio Principiorum ad concluſiones, & ſic erit ſapientia.

Quidam dicunt, Metaphyſicam dici Sapientiam; quia non ſolùm verſatur circa Principia communiſſima Scientiæ, ſed etiam circa prima Principia eſſendi, circa Deum & Intelligentias; aliæ verò Scientiæ verſantur circa particularia Principia. Sed omiſſis alijs.

Reſpondeo & dico, Sapientiã eſſe ſimul Scientiam & Intellectum, non ex parte habituum, ſed ex parte cognoſcibilium per altiſſimas cauſas. Nã Theologia probat prima Principia per altiſſimam cauſam, quæ eſt Deus. Et eo modo probat, quo probari poſſunt, ſiue oſtendendo illa Principia eſſe conformia Exemplari primo: ſiue arguendo contra Negantes, (vt inferiùs patebit) Vnde meritò Theologia vocanda eſt Sapientia: nam illius eſt Principia, & Concluſiones aliarum Scientiarũ per altiſſimas cauſas deducere.

Quomodò ſapientia ſit ſimul ſcientia & intellectus.

89. *Inſtabis 2.* Superuacaneum videtur ſtatuere habitum Sapientiæ, diſtinctum ab Intellectu & Sciẽtia. quia ad cognoſcendum prima Principia ſufficit intellectus, qui eſt cognitio primorum Principiorum; ad cognoſcendum Concluſiones, ſufficit Scientia: Ergo eſt impertinens Sapientia. *Reſpondeo* cognoſcere

Prima principia dupliciter cognoſcuntur.

gnoſcere prima Principia per viã ordinariam ſ: ex ipſis terminis, hoc ſpectat ad intellectum: ſed cognoſcere prima Principia per altiſſimas Cauſas, hoc demum eſt Sapientiæ. Similiter cognoſcere Concluſiones per viam ordinariam, deducẽdo illas ad prima Principia, pertinet hoc ad Scientiam; nam illius eſt cognoſcere Concluſiones per propria Principia: ſed cognoſcere Concluſiones per altiſſimam cauſam, qualis eſt Deus, hoc eſt proprium Sapientiæ. Et ſic Theologia, quia omnia reducit ad Deum, qui eſt altiſſima cauſa, meritò Sapientia dici debet.

Sapientia, vt eſt Theologia differt à Sapiẽtia, vt eſt Donũ dupliciter.

90. *Sed quæres.* Sapientia in quãtùm eſt Theologia, quomodo differt à Sapientia, prout eſt Donum Dei? *Reſpondeo* tripliciter differre: *Primo.* quia, vt eſt Donum Dei, eſt immediatè à Deo infuſa. Theologia verò quanquam quoad principia fidei eſt infuſa; tamẽ quo ad Cõcluſiones, quæ ex illis deducuntur, eſt Sapiẽtia, ſtudio, ac diligẽtiâ, acquiſita. *Secundò* Donum Sapientiæ ſemper eſt coniunctum cum gratia & charitate: ſed Theologia poteſt eſſe in homine peccatore: optandũ tamen, vt cum bonitate ſit coniuncta, & orandum cum Dauide Pſal. 118. *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me. Tertiò differunt* in modò iudicandi: Donum enim Sapientiæ per modum inclinationis iudicat: nam Spiritus S. per hoc donum inclinat mũdum ad hoc tale iudiciũ; Theologia verò, quæ eſt Sapientia iudicat per modum cognitionis: ſicut moralis Philoſophus de actibus virtutum iudicat, quamuis virtutibus ſit deſtitutus; vnde illius iudiciũ, nõ per modũ inclinationis ſed per modum cognitionis eſt.

DISPVTATIO III.

De Subiecto Theologiæ, & de illius locis.

Quatuor diſcutienda proponimus.

1. *An Deus ſub ratione Deitatis ſit Subiectum Theologiæ?*
2. *An Theologia ſit Argumentatiua?*
3. *An ſint Loci ex quibus Argumenta contra infideles ſumi poſſint?*
4. *An etiam ſint Loci, ex quibus Argumenta contra fideles promantur?*

QVÆ-

QVÆSITVM I.
An Deus ſub ratione Deitatis ſit Subiectum Theologiæ?

1. IN præſenti Quæſito non inquirimus de Subiecto *Inhæſionis*; quia hoc conſtat eſſe animam rationalem. Nā qui res Diuinas per reuelationem cupiunt cognoſcere, animâ rationali debent eſſe prædíti: ſed quærimus de Subiecto *Attributionis*, idēque an ſit adæquatū, ad quod omnia referantur, quæcunq; in Theologia aguntur, ſiue in Recto, ſiue in Obliquo: ſiue ſint Principia, ſiue Attributa, ſiue Effectus, ſiue Proprietates.

Sed quæres: An Subiectum idem ſit quòd Obiectum? *Reſpondeo* ita quibusdam videri, qui vnum pro alio vſurpare ſolent. Durandus ſic diſtinguit, vt nimirum illud ſit Obiectum, quod ſit complexum per modum Propoſitionis, aut Concluſionis; Subiectum verò incomplexum dicebat, quod habet ſe per modum ſimplicis termini.

2. *Nota* de Subiecto Theologiæ duodecim Opiniones enumerari. *Prima eſt* Gabrielis *q. 9. Prol* & Nomin. hi ſecundùm numerum Concluſionum aſſignant Theologiæ Subiectum. *Secunda* Durandi *q. 9. Prol.* hic triplex aſſignat Subiectū: quod ſic deducit: triplex eſt Theologia, *primò* eſt Habitus ille, quo cognoſcuntur ea, quæ ſunt in S. Scriptura: & huius Subiectum aſſignabat Deum, vt Saluator: *ſecundò* eſt Habitus ille, quo defenduntur ea, quæ ſunt in fide: *tertiò* eſt Habitus Concluſionum, quæ ex Articulis Fidei deducuntur: & huius vtriuſq; Subiectum opus meritorium aſſignabat. *Tertia* Ægid. Rom. in *1. Sent. Prol. q. 3.* qui Deum pro Subiecto aſſignabat, vt eſt Reſtaurator & glorificator; ſeu, vt eſt Redemptor & Saluator. *Quarta* Scoti *q. 3.* qui Deū ſub conceptu Entis infiniti vult eſſe Subiectum. *Quinta* Dionyſij Cart. hic Deum, in quātum eſt perfectus, pro Subiecto ſtatuit. *Sexta* Hugonis de Sacram. in principio, hic vult eſſe Opera reſtaurationis. *Septima* Caſſiodori ſup. Pſal. hic aſſignat Subiectum Corpus Chriſti Myſticum; ſeu Corpus cum membris; ſiue Chriſtum cum Eccleſia. *Octaua* eſt Magiſtri Sententiarum, hic ponit Res & Signa. *Nona* D. Th. ex *1. Sent. q. 4. Prol.* hic affirmat Subiectum Theologiæ, eſſe Ens Diuinum reuelabile per inſpirationem. *Decima* quam refert Ægid. Rom. quod ſit Ens Diuinum, quodcunque illud ſit. *Vndecima* D. Bon. *q. 1. art. 2.* hic ponit tria Subiecta, Deum, Chriſtum, Credibile. *Vltima* D. Th. hîc *in 1. p. q. 1. art. 4.* Caiet. ibidem, Rich. Capr. & aliorum. Pro determinatione Quæſiti.

3. Dico primò. *Subiectum primarium & adæquatum Theologiæ eſt, Deus vt Deus, conſideratus ſub ratione Deitatis; atq; proinde non ſolùm conſideratus vt eſt bonus, omnipotens, Sapiens Creator,*

 Redem-

Redemptor ; ſed in quantum eſt Deus. *Ratio prima.* Illud eſt proprium & adæquatum Subiectum alicuius Sciétiæ, de quo omnia ad eandem Sciétiam ſpectantia prædicantur, aut in Recto aut in Obliquo: ſed Deus reſpectu vniuerſæ Theologiæ ſic ſe habet: ergo Deus ſub ratione Deitatis conſideratus eſt Obiectum adæquatum Theologiæ. *Minor* aut enim Theología agit de his quæ ſūt in Deo formaliter, vt de Eſſentia, de Perſonis, de Relationibus, de Actionibus immanentibus, de Attributis; & hæc omnia enuntiantur in Recto de Deo: vt *Deus eſt ſua Eſſentia, Deus eſt ſua Bonitas*, &c. nam quicquid eſt in Deo Deus eſt: aut ea, quæ conſiderantur in Theologia non exſiſtūt in Deo formaliter, ſed ſolùm eminēter, vt res omnes ad extra, omneſque illarum proprietates, omnes modi, omnia accidentia: & hæc de Deo enuntiantur in Obliquo. nam non dicimus in Recto *Deus eſt arbor, Deus eſt gratia, Deus eſt gloria.* ſed ſic dicimus in Obliquo: *Deus eſt author arboris. Deus eſt author gratiæ, gloriæ*, &c inuoluit enim contradictionem dari aliquid creatum, quod non referatur ad Deum, & ab illo eſſentialiter non dependeat: aut, vt ab Authore Naturæ, ſi fuerit Ordinis naturalis: aut, vt ab Authore gratiæ, ſi fuerit Ordinis ſupernaturalis.

Omne creatum refertur ad Deū.

4. *Ratio 2.* Hoc videtur innuere Ariſt. quando ſæpiùs docet Deum eſſe primarium Subiectum Metaphyſicæ. Nam *2. Met. cap: 1.* docet Primam Philoſophiam meritò appellari Scientiam veritatis; quia circa Primam Cauſam verſatur. Sed Theologia longè eminentiori modo; quia ſub lumine reuelato, de hac Prima Cauſa radice omnis veritatis agit, videlicet de Deo, qui eſt & prima Cauſa omnium, & ipſa Veritas: ergo Deus eſt illius Subiectū.

Ratio 3. Caiet. Omne illud debet dici Subiectum, quòd cum virtute continet omnes illas veritates, quæ in illa Scientia inueſtigantur. Vt ſol res ſua virtute genitas, virtute continet tanquam cauſa vniuerſalis. Sed Deus ſub ratione Deitatis vniuerſa, quæ in Theologia tractantur, virtute continet. ergo eſt adæquatum Subiectum.

Ratio 4. Metaphyſica agit de Ente ſub ratione Entis, ſeu in quantū eſt Ens: ergo altiſſima Scientia aget de nobiliſſimo Ente ſub ratione nobiliſſima Entis: ſed Deus eſt nobiliſſimum Ens; & ratio conſiderandi ſub ratione Deitatis eſt quoque nobiliſſima. ergo ab ea Deus ſub ratione Deitatis debet conſiderari.

Ratio 5. Plurimæ veritates habētur in Theologia, quæ Deo, vt eſt Redemptor & Saluator, conuenire non poſſunt. Nam Deus eſt immutabilis, Trinus, & qui generat; hæc autem non conueniunt Redemptori & Saluatori. *In 2. Sent.* agitur de Deo, in quantum eſt Creator. *In 3.* in quantum eſt Saluator. *In 4.* in quantum eſt Author Sacramentorum. ſed hæc omnia ſunt particularia Subiecta; & referuntur ad Deum vt eſt Deus. ergo Deus vt Deus, ſeu ſub ratione Deitatis, eſt Subiectum Theologiæ.

5. Dico ſecundò. *Ratio formalis Theologiæ* vt Quæ, *eſt Deitas.* Circa hoc Dictum nota duplicem eſſe rationem formalem. quædam enim eſt ratio formalis *quæ*, & hæc tenet ſe ex parte rei conſideratæ, quæ eſt Obie-

Ratio formalis Theologiæ vt quæ eſt Deitas.

Obiectum Scientiæ. & ſic in Theologia ratio formalis *Quæ*, eſt Deitas. quædam eſt Ratio formalis *ſub qua*, quæ tenet ſe ex parte potentiæ; & hæc in Theologia eſt Diuina reuelatio. Præſens igitur Dictum intelligendum eſt de ratione formali *Quæ*, quæ tenet ſe ex parte Subiecti: probaturque his rationibus.

Ratio formalis vt Quæ quæ ſit & quid continere debeat?

Ratio. 1. Illa eſt ratio formalis *Quæ* alicuius Scientiæ, de qua primariò diſſeritur in illa Scientia: & ſi quæ ſunt, quæ in illa Scientia conſiderãtur, ad eam referuntur: ſed Theologia primò & per ſe diſſerit de Deo ſub ratione Deitatis; & de omnibꝰ alijs ſub ea ratione diſſerit, quæ aut ſunt Deus, aut aliquid Dei; aut quę dicunt ordinem ſeu habitudinem ad Deum. ergo ratio formalis erit Deitas.

Ratio 2. Ratio formalis *Quæ* debet continere, aut expreſsè, aut in virtute ea omnia, quæ in illa Scientia, cuius eſt illa ratio formalis *Quæ*, pertractantur: ſed Deus ſub ratione Deitatis omnia, quæ in Theologia conſiderantur, aut expreſsè, aut virtute, aut etiã eminenter cõtinet, ergo Deitas eſt ratio formalis.

Rationis formalis vt Quæ tres condiciones.

Ratio 3. Rationis formalis *Quæ*, tres ſunt conditiones: *prima.* vt ſit ſimplex; *ſecunda* vt de illa primò & per ſe agatur, & cætera ratione illius conſiderentur: *tertia*, vt de illa demonſtrentur aliquæ Paſſiones & Proprietates. ſed Deo ſub ratione Deitatis, hæ tres conditiones conueniunt: Deus enim, vt ſic cõſideratus, eſt ſimpliciſſimus; & de eo eſt primaria contemplatio in Theologia; & de Deo demonſtrantur Bonitas, Simplicitas, Immenſitas, & alia his ſimilia innumera. Ergo Deitatis eſt ratio formalis *Quæ*.

6. Dico tertiò. *Ratio formalis Sub qua Theologiæ, eſt Reuelatio Diuina & obſcura.* De hac egimus in *diſput. 2. Quæſito. 3.* ſub finem. *Probatur* Ratio formalis *Sub qua*, eſt illud, quod facit ſcibile in ea ſcientia. ſed Theologia conſiderat Deum ſub ratione Deitatis, & hunc reuelatio obſcura facit ſcibilem. nam quæcunq; in Theologia ſciuntur, ſub ea ratione ſciuntur, vt ſunt reuelata à Deo. Ergo.

Ratio formalis Theologiæ ſub qua eſt reuelatio diuina obſcura: ſimiliter & Fidei ſed diuerſo modo.

Sed obijcies 1. Ergo Fides à Theologia non diſtinguitur. *Conſequentia.* Sicut enim Theologiæ, ita & Fidei ratio formalis *Sub qua*, eſt Reuelatio Diuina obſcura. *Reſpondeo* negãdo Antecedens: ad probationem dico, verum quidem eſt, quòd Reuelatio diuina obſcura, eſt ratio formalis *ſub qua*, & Theologiæ, & Fidei; ſed ſub diuerſa ratione. Fides enim ſine vllo adiumẽto immediatè proximè aſſentitur Articulis Fidei; Theologia autem aſſentitur Concluſionibus in quantum ſunt deductæ medio diſcurſu ex Articulis Fidei; ita quòd diſcurſus ſit ratio proxima & immediata aſſentiẽdi Concluſionibꝰ Theologicis. Reuelatio autem diuina eſt remota.

7. *Obijcies 2* Omnis ſcientia non probat ſuum Subiectum, ſed illud ſupponit. Atqui D. Th. *hîc* videlicet 2. *q.* tum & reliqui Theologi probant de Deo, *quòd ſit. Reſpondeo* Theologos credere firmiſſimè, & tanquam quid certiſſimum, ſupponere Exſiſtentiam Dei: quòd verò de Exſiſtentia inquirunt, id non faciunt ex officio, nec per ſe, ſed ſolùm per accidens; propter eos, qui eò dementiæ peruenerunt, vt negẽt eſſe Deum,

Exſiſtentiã Dei Theologꝰ ſupponit & ſolũ per accidẽs de illa inquirit.

eſſe Deum, de quibus Pſaltes dicit: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Et contra hos ſic negantes, magis Metaphyſicis rationibus, quã Theologicis agunt; & proinde non Theologi ſed Metaphyſici perſonam gerunt. Hinc tamẽ nõ inferas, Theologiam & Metaphyſicam nõ differre, ideo, quia agunt de Deo: nam Metaphyſica agit de Deo per Principia naturaliter ſibi nota; Theologia verò agit de Deo per Principia reuelata à Deo.

8. *Obijcies 3.* Nullum Infinitum ſub ratione infiniti poteſt eſſe Subiectum ſcientiæ finitæ: ſed Deus eſt infinitus; ſimiliter Ratio formalis *Quæ*: ſ: Deitas, eſt quid infinitum. Ergo non poſſunt eſſe Subiectum Scientiæ finitæ, qualis eſt Theologia. *Confirmatur* Quælibet Scientia conſiderat omnes illas veritates, quæ ſub ratione ſui Subiecti continentur. ſed noſtra Theologia non poteſt cõſiderare omnes veritates, quæ ſunt de Deo, quia ſunt infinitæ. Ergo. *Reſpondeo & dico,* quamlibet Scientiam tunc omnes veritates ſui Subiecti conſiderare, quãdo Subiectum illi eſt proportionatum; ſi verò contingat, quòd Subiectum ſit infinitum, & improportionatum, tunc ſolùm conſiderat illas veritates, ad quas proportionem habet. Et ſic Beatus in ſua clara viſione conſiderat veritates Dei, ad quas proportionem habet ſecundùm lumen gloriæ ſibi datum: ita & Theologia noſtra, ſolùm illas veritates Dei conſiderat, ad quas habet proportionem ſecundùm lumen fidei, vt illas attingere poſsit.

Quas veritates Dei Theologia conſideret?

Reſpondeo 2. Theologia noſtra ſecundùm ſe cõſiderata poteſt ſe extendere ad omnes veritates diuinas; nam innititur Reuelationi diuinæ, per quam omnes diuinæ veritates poſſunt nobis innoteſcere: ſi verò non cognoſcuntur omnes, non eſt vitium, nec defectus Sciẽtiæ, ſed quia ſunt infinitæ, & nobis omnes actu non poſſunt manifeſtari, niſi limitatè: quia & ipſum lumẽ fidei nobis cõceſſum, eſt limitatũ.

Ex quo collige, Theologiã noſtrã eſſe limitatam, & ideo non eſſe adæquatam Deo: ſolus autẽ Deus, qui eſt infinitꝰ, habet infinitam & adæquatam ſui Scientiam; nos verò & Beati, habemus limitatam ſcientiam ſecundùm menſuram luminis nobis conceſſam.

Theologiã noſtra eſt limitata neq; Deo coæquata, & cur;

9. *Obijcies vltimò,* Theologiam agere de Peccatis: ſed Peccata non referuntur ad Deum: ergo Deus vt Deus, non erit Subiectum Theologiæ: quia ad Subiectum omnia referri debent. *Reſpondeo* Peccata eo modo non referri ad Deum, tanquã Deus eſſet author & finis peccati; ſed obiectiuè inquantùm cõtrariantur Deo; nam fiunt contra illius voluntatem, eidemq; iniuriã inferũt, cùm ad Deũ referũtur. Proinde & Mors, & Infernus, & alia his ſimilia habent reſpectum ad Deum, quia ſunt Effectus peccati, & ob iuſtam vltionem peccatores in ea incurrunt. ſicut & Diabolus dicit relationem ad Deum reſpectu creationis; reſpectu autem malitiæ, ſecundùm quam contrariatur Deo, ſolùm obiectiuè ad Deum refertur.

Peccatum obiectiue refertur ad Deum item Mors & Infernus veluti Effectus peccati etiam Diabolus.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

An Theologia ſit Argumentatiua?

10\. BEnè obſeruat Franciſcus Cumel, hunc Octauum Articulum ex ea occaſione D. Th. propoſuiſſe, vt remoueret quandam occultam obiectionem, quæ adimebat Theologiæ nomen *Scientiæ*; ſiquidem Theologia continetur in S. Scriptura: ſed S. Scriptura tradit ea, quæ ſunt Fidei, quæ autem ſunt Fidei credere oportet, non autem diſcurſu in illis ſtabiliendis aut conuellendis vti.

Theologia noſtra eſt Argumẽtatiua cum triplici cautione.

Ex hac igitur occaſione inquirit. *An ſit Argumentatiua?* Et concludit S. Doctor, Theologiã omnino eſſe Argumentatiuam; quòd more aliarum Scientiarum ex Principiis Concluſiones deducat; monet tamẽ triplicem cautionem eſſe ſeruãdam: *prima,* Theologia noſtra non vtitur Argumentis ad ſua probanda Principia; ſed ex illis conceſſis & ſuppoſitis ad alia probanda progreditur: *ſecunda,* ſicut ad Metaphyſicam ſpectat contra negantes illius Principia diſputare; (ſi tamen aliquid tanquam verum admittant, ex quo argumẽtari poſſint:) ita & ad Theologiam pertinet argumentari contra negantes Principia; ſi tamẽ aliqua concedãt. *tertia* ſi quis negans Principia Theologiæ nihil admittat, iam contra hunc Theologus argumentari non poterit; ſed ad illum ſpectabit, vt diſſoluat Argumẽta cõtra Fidei Articulos directa. Sed quò veritas Quæſiti ſit euidentior pro determinatione.

11\. Dico primò. *Theologia eſt maximè Argumentatiua, eademq́ vtitur Argumentis, aut ad docendum, aut ad arguẽdum.* PROBATVR Locis S. Scripturæ 2. ad Tim. 3. *Omnis doctrina diuinitus reueleta vtilis eſt ad docendũ, & arguendum.* hoc eſt (vt S. Patres interpretãtur) ad refellẽda, & coarguẽda falſa dogmata. Sed falſitates nõ poſſũt aliter coargui, quã per argumenta: Ergo Theologia eſt Argumentatiua. Et ad Tit. 1. *Oportet Epiſcopum amplecti fidelem ſermonem, vt ſit potens, eos, qui contradicunt arguere.* Sed contradicentes non poſſunt meliùs coargui, quàm vi Argumentorum. Ergo eſt Argumentatiua. Et 1. Petri 3. *Parati eſſe debemus ad ſatisfaciendum omni poſcenti nos rationem, de ea, quæ in nobis eſt ſpe.* Sed hæc ſatisfactio ſine Argumentis eſſe nequit. Ergo eſt Argumentatiua.

12\. *Probatur* & Exemplis. Ipſe Chriſtus D. ſumma veritas, & Magiſter Theologorum, ſæpiſſimè Ratiocinationibus ex S. Scriptura petitis vſus eſt contra repugnantes. Ergo Argumentis vtitur Theologia. *Antecedens.* Luc. 6. Oſtendit contra Phariſæos, quòd Sabbatho propter eſuriem, licet vellere & confricare manibus ſpicas: adducto exemplo de Dauid, quòd hic preſſus fame, & egeſtate, ingreſſus eſt Domum Domini & accepit à Sacerdote Abimelech

Argumentationib⁹ ipſe Chriſtus Domin⁹ etiã vſ⁹ eſt, ſimiliter. & D. Paul⁹.

lech Panes Propoſitionis, eosque, quamuis laicus eſſet, manducauit ipſe, & qui cum eo erant.

Secundò, Luc. 20. contra Saducæos, qui animæ immortalitatem & corporum reſurrectionem negabāt, probat, quòd Deus in Sacra Scriptura appellatur Deus Abraham, Iſaac, Iacob. atqui Deꝰ non eſt mortuorũ, ſed viuorum. Ergo Abraham, Iſaac, Iacob ſunt adhuc viuentes; ſed nõ ſecundùm corpus, quia hoc in cineres conuerſum. Ergo ſecundùm animam, & proinde anima eſt immortalis. *Præterea* ſi Deus eſt viuorum; ergo totius Suppoſiti anima & corpore conſtantis; ſiquidem viuere eſt Suppoſitorum: & per viuentia intelligimus Suppoſita. Ergo cum Abraham, Iſaac, Iacob, ſint mortui, ſequitur, quòd aliquando reſurgent in corpore. Ergo datur corporum reſurrectio.

13. *Tertiò* Matth. 21. probat Diuinitatem ſuam ex Pſal. 109. Si enim Chriſtus non eſſet Deus, cur Propheta Dauid vocauit illum Dominum ſuum dicens: *Dixit Dominus Domino meo, &c.* Similiter D. Paulus ſecutus exemplum Chriſti in multis locis vtitur Argumentationibus 1. *ad Rõ.* 4. argumẽtatur *primò* Gratiã non eſſe ex operibus, nam alioquin non eſſet gratia, ſed debitum. Gratia enim gratis fit, & non ex merito operum confertur. *Secundò* ex 1. Corinth. 15. infert, nos aliquando reſurrecturos; quoniam Chriſtus D. qui erat mortuus reſurrexit. Eadem argumentandi ratio, in aliis locis S. Scripturæ, facilè deprehendi poteſt: Eadẽ & S. Patres vſi ſunt vt ex illorum Scriptis, omni eruditione refertis, videre licet.

14. *Probatur ratione* Formalis ratio Theologiæ noſtræ conſiſtit in Ratiocinatione, ſeu in Diſcurſu ex reuelatis. Ergo Theologia debet eſſe maximè Argumentatiua. *Conſequentia.* Quia alia non poteſt aſſignari eſſentialis ratio, per quam, & conſtituatur, & ab aliis diſtinguatur: ſi enim poſſet aſſignari, hæc eſſet, aut reuelatio diuina, aut obſcuritas: ſed neutrum horum: ergo illius ratio cõſtitutiua eſt argumẽtatio ex reuelatis. non reuelatio: quia hæc eſſentialis eſt fidei; ergo, non Theologiæ: nam Fides & Theologia differunt (vt iam docuimus) Quòd verò Fidei ſit eſſentialis; inde patet: quia Fides ſimpliciter credit reuelatis, nec diſcurrit, niſi aliquãdo per accidens. non obſcuritas, quia hæc ſolùm eſt accidentalis noſtræ Theologiæ: è cõtrariò verò Argumentatio ex reuelatis, eſt illi omnino interna, & ab ea inſeparabilis: nam manet in Beatis reſpectu cognitionis Veſpertinæ, (quod iam docuimus,) vt, cùm voluerint poſſint illa vti.

Nota, à nonnullis noſtram Theologiam vocari Aſceticam, hoc eſt, Certatiuam, Palæſtricam; tota enim eſt in diſcurſu ex reuelatis Principiis. Theologia vocatur Aſcetica hoc eſt certatiua ſeu palæſtrica.

15. *Sed obijcies.* Theologia procedit ex Principijs Fidei; ſed his eſſentialiter eſt annexa obſcuritas. Ergo & Theologiæ. *Reſpondeo.* Verũ eſt, quòd in præſenti ſtatu Theologia noſtra procedit in argumentando ex Articulis Fidei: verũ quoque eſt, quòd Articuli Fidei habent eſſentialiter annexam obſcuritatẽ; hæc tamen obſcuritas non ſpectat ad eſſentiam Theologiæ, ſed tolli

poteſt,

poteſt, ſi Deo placuerit; ita, vt diſcurſus ſit verè Theologicus, nec tamen obſcurus, ſed perſpicuus & euidens: videlicet, ſi Deus per aliquas ſpecies diuinitus infuſas, per nouum auxilium actuale concurreret ad producendum in nobis diſcurſum Theologicum, ita, quòd manerent plures conceptus inadæquati, quorum vnus ex alio dependeret, & vnus ex alio deduceretur, & eſſet de Deo, tanquam de authore gratiæ; & non ſupponeret fidem, ſed ſolam reuelationem, per quam diſtingueretur à Philoſophicis Scientiis.

Fides & Reuelatio quò differant?

Et hinc collige, quòd aliud ſit Fides; aliud Reuelatio: Fides enī per ſe eſt obſcura, & rerum non apparentiũ; Reuelatio non item, ſed quædam eſt obſcura, vt in nobis Viatoribus; quædam perſpicua, vt in Beatis. Et Chriſtus verus homo ante mortem fuit Viator, & tamen myſteria videbat non obſcurè ſed clarè: quia ita erat Viator, vt ſimul eſſet Cõprehenſor; nam ab inſtanti conceptionis ſuæ, fruebatur clarà viſione.

Theologia noſtra ſumitur dupliciter. vel ſimpliciter: vel reduplicatiuè, vt noſtra.

16. *Reſpondeo 2.* Aliud eſt loqui de Theologia noſtra ſimpliciter; aliud de noſtra formaliter reduplicatiuè, quatenus noſtra: ſi enim ſumamus reduplicatiuè, tunc obſcuritas eſt illi eſſentialis quaſi ex Hypotheſi, quia tunc ſupponit Fidem, quæ eſſentialiter eſt obſcura: ſi autem ſumatur ſimpliciter, ratione Principiorum reuelatorum & Concluſionum, quæ ex illis inferuntur, ſic iam non includit eſſentialiter obſcuritatem, ſed ſolùm per accidens: quia adhuc poteſt eſſe verè reuelata, & ſupernaturalis, quãuis non ſit obſcura. Nec propterea, quòd ſit clara, deſinit eſſe Theologia, ſed ſemper eadem eſt ratione Obiecti, Principiorum, Concluſionum; tum & ratione Argumentationis; quamuis obſcuritas fuerit remota: quia talis mutatio ſolùm eſſet accidentalis reſpectu noſtræ Theologiæ ſimpliciter; licet non noſtræ, vt reduplicatiuè noſtræ, vt ſe iam habet in ſtatu præſenti: quẽadmodum ferrum calidum ſimpliciter benè dicimus, quod eſſe calidum, accidat illi: ſed ſi conſideremus calidum reduplicatiuè, in quãtum videlicet eſt calidum; ſic iam calor eſt illi eſſentialis: nam omninò cogitari non poteſt calidum ſine calore.

Theologia non probat ſua principia ſed illa ſupponit.

17. Dico ſecundò: *Theologia non vtitur argumentatione ad ſua Principia probanda.* PROBATVR Theologia noſtra probat ea omnia, quæ aliæ Scientiæ naturales probant: atqui aliæ Scientiæ Naturales non probant ſua Principia, ſed ſupponunt tanquam nota. ergo & Theologia tanquam nota lumine Fidei ſupponet Principia ſua.

Ratio 2. Ariſt. *1. Poſt. cap. 2.* dicit; *Omnis probatio petitur ex Principiis.* ergo ſi in Theologia probarentur Principia, nihil in ea eſſet primò notum, atque ſic daretur proceſſus in infinitum.

Sed dices. Mortuorum reſurrectio eſt Articulus Fidei: ſed D. Paulus probat mortuorum reſurrectionẽ ex eo, quòd Chriſtus reſurrexit, ergo Theologia ſua Principia probat. *Reſpondeo* D. Paulum probare quidẽ mortuorum reſurrectionem, ſed non efficaciter; quia nec *à priori*, nec *à poſteriori* concludit; ſed probat ex conceſſis; quia enim nonnulli ne-

gabant

gabant corporum reſurrectionem, & fatebantur Chriſtum in corpore reſurrexiſſe; vnde ex hoc conceſſo probat: *ſi Chriſtus reſurrexit* (vt vos conceditis) *Ergo & nos reſurgemus.*

Theologia contra eos arguit qui aliqua Principia negant; & aliqua concedunt.

18. Dico tertiò. *Theologia vtitur Argumentatione contra illos, qui aliqua Principia negant, aliqua verò concedunt.* Vt Iudæi admittunt Vetus Teſtamentum, negant autem Nouum: Proinde ex Veteri contra illos fieri poſſunt Argumenta efficacia, Chriſtum iam veniſſe, Vetusq; Teſtamẽtum impletum eſſe.

Sed dices. Si Argumenta ſunt efficacia contra Iudæos, cur non cõuertuntur. *Reſpondeo.* cum D. Paulo ideo eos nõ conuerti, quia velamen ante faciem illorum poſitum eſt, vt, cùm legũt Moyſen, & alios Prophetas, non intelligant.

Probatur ratione. Sicut Prima Philoſophia defendit ſua Principia cõtra illos, qui in aliquo cum illa conueniunt: ita & noſtra Theologia, contra eos argumentatur, qui vno conceſſo alia negant: & ſic contra hæreticos diſputat, qui aliqua Fidei Principia concedunt.

Contra infideles non arguit Theologia: ſed eorum diſſoluit rationes.

19. Dico quartò, *Contra hos, qui omnino negant Fidem, & S. Scripturam non argumentatur Theologia; ſed ſolùm illorum diſſoluit Argumenta, quæ contra fidem adducuntur.* PROBATVR, Prima Philoſophia non argumentatur cõtra eos, qui nihil concedunt, ſed tãtùm illorum oppoſitas obiectiones diſſoluit: ergo idem erit officium Theologiæ. *Præterea* ſicut Theologia certiſſima eſt, & omnia illius myſteria ſunt firmiſſimæ veritatis; ita illa omnia, quæ contra illius certitudinem & veritatem obijciuntur, ſunt falſa, Ergo diſſolui poſſunt. & ita Concil. Later: definit rationes omnes, quibus Fides Chriſtiana ab hæreticis, aut à quibusuis aliis impugnatur, falſo niti principio, & diſſolui poſſe.

20. *Sed quæres.* Quinam ſit modus diſſoluendi Argumenta, quæ ſunt contra fidem? *Reſpondeo* cum Ban. qui ex Sententia Caiet. hunc modum tradit. Quodlibet Argumentum directum contra fidem, procedit ex Præmiſſis, tanquam ex Antecedente per bonam Conſequentiam; ideo dupliciter diſſoluẽdũ eſt *primò* negãdo Antecedens; *ſecundò* negando Conſequentiam. dupliciter autem tam Antecedens, quã Conſequentia negari poteſt: *Primò* ex Principiis Theologiæ, non quidẽ ſcitis & creditis. *v. g.* ſi quis contra myſterium SS. Trinitatis obijciat. *Vnius numero Eſſentiæ, vna eſt perſona ergo non tres.* Theologus negabit Antecedens obijciendo ex creditis: *Deus eſt vna numero Eſſentia, & tres Perſonæ; vel ſecundò.* ad Antecedens negatum reſpõdere poterit, vel ex Scitis ſimpliciter, vel ex Scitis ſecundùm aliquid & ex parte. Ex Scitis ſecũdùm quid, diſtinguendo Antecedens, quòd Eſſentia, aut eſt finita, aut infinita: Eſſentiæ itaq; finitæ, eſt vna perſona; infinitæ verò poſſunt eſſe plures. & ſic ex Scitis ſecundùm quid reſpondet; nam ſcit Theologus, non pugnare cum ratione, quòd Eſſentia infinita plures habeat Perſonas. Ex Scitis verò ſimpliciter erit reſponſio: vt ſi quis contra Euchariſtiam obijciat *Accidentis* Eſſe *eſt* ineſſe: *ſed albedo. quantitas, ſapor, odor, ſunt accidentia. Ergo alicui ſubſtantiæ inſunt & cùm ſint ſpecies panis; ergo pani inerunt.* Reſpondet ex ſcitis ſimpliciter, quia

Argumentorum, quæ contra Fidem dirigũtur, ſoluendorum modi.

ſimpliciter

ſimpliciter ſcit, quòd *Eſſe* accidentis eſt *ineſſe*: ſed dupliciter, aut Actu (vt in pane ante conſecrationem:) aut aptitudinaliter. ſeu dicẽdo ordinem ad Subſtantiam (vt poſt Conſecrationem) dicunt enim tunc aptitudinem, vel ordinẽ, quòd poſſint ineſſe Subſtantiæ. *Notes* autem hæc Scita non ſolùm eſſe ex rebus Theologiæ proprijs; ſed etiam ex alijs Scientijs, quibus tanquam ancillis ad diſſoluendas obiectiones vtitur.

21. *Secundò diſſoluuntur* Argumenta Infidelium contra Fidem propoſita negando Conſequentiam, quod dupliciter fieri poteſt: *primò* eã Argumentationem, in qua infertur contrarium Fidei, omnino negãdo, neq; vllã cauſam negationis reddendo. & hæc ſolutio poteſt eſſe cuiuſlibet Chriſtiani. *ſecundò* negando Conſequentiam & aſſignando cauſam: *v.g.* ſi quis ſic argumẽtaretur, *Omnis homo generat, Petrus eſt homo. ergo Petrus generat.* hæc Cõſequentia naturalis valet; ergo & hæc ſimiliter valebit. *Omnis Deus generat: Filius eſt Deus. ergo Filius generat.* Reſpondebitur negando Cõſequentiam, & cauſa aſſignabitur, quòd hæ Conſequẽtiæ non ſunt ſimiles: ſunt enim in longè diſpari materia. De hac re videndæ ſunt in Dialectica Regulæ Cõſequentiarũ, & propter quid cõtĩgat defectus in illis.

QVÆSITVM III.

An ſint Loci ex quibus Argumenta ſumi poſsint contra Infideles?

Officium Theologi quod?

22 AD Quæſitum dico primò. *Pertinet ad officium Theologi.* Primòvt ex Prĩcipijs fidei colligat Concluſiones: ſecundò, *vt earum veritatem defendat*: tertiò, *vt (quia hæc defenſio eius fine Argumentis fieri non poteſt) inquirat, quinã ſint loci in quibus armatura fortium ſub vexillo Chriſti militantium ſit recondita*: quartò, *vt ſciat quinam ſint cum quibus illi eſt congrediendum; & vt, ſit tanquam bonus negotiator lucra animarum Chriſto faciens, & quæ Argumenta ſint accommodata. Sunt enim duplices cum quibus certamen habebit,* Infideles *&* Fideles; *proinde de locis aget, quinam ſint contra Fideles, qui contra Infideles.* quintò, *vt non modò crimine, ſed etiam ſuſpicione criminis vacare poſſit: Turpe enim eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum.*

23. Dico ſecundò. *Loci quibus, Theologus vtetur agendo cum Infidelibus ſunt omne genus Scientiarum, ex quibus Argumenta tam probabilia, quàm neceßaria ſumet.* & in hac Diſputatione cum Infideli hunc ordinem tenebit. *Primò* oſtendet quãtis in tenebris errorum verſentur, deſtituti lumine Fidei.

Quinam ordo in Diſputatione Infideli ſeruandus?

Secundò oſtẽdet, quòd nulla Scita Philoſophorũ ſint vera, nec Stoica, nec Platonica, nec Ariſtotelica; quęuis enim illorum innumeris implicata ſunt erroribus: & ſic iam Gentes cognitâ falſitate oculos mentis conuertent ad veritatem.

Tertiò oſtẽdet Articulos Fidei non eſſe

Articuli Fidei non repugnāt Principijs Philoſophiæ.

eſſe repugnantes Principijs Philoſophiæ Naturalis, Moralis, Rationalis; quia verum conſonat vero. Nā quod in Naturali lumine eſt verum, in Supernaturali ſimiliter eſt verū; & quia vtriuſq; veri eſt author Prima Veritas, vnde vbiq; eſt verum. nam aliàs ſibi contradiceret.

24. *Quartò* oſtēdet Theolog⁹, quòd ratio naturalis non ſit ſufficiens, nec efficax ad demonſtrandas veritates Fidei. *Tum* quia ratio naturalis eſt locus extraneus ad demonſtrandas res ſupernaturales. *Tum* quia res Fidei ſunt ſupra omnem captum, & intelligentiam naturalē Iſaiæ 64. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparauit his qui diligunt eum. Tū* deniq; ſi ex rationibus naturalibus veritas myſteriorum Fidei poſſet demonſtrari, ſequeretur, quòd Gentiles in ſuis erroribus confirmarentur; nam opinarētur ſatis debilibus rationibus nos eſſe inductos ad aſſentiendum myſterijs fidei, & ſic deriderent, & contemnerent myſterium Fidei.

25. *Quintò* oſtendet myſteria noſtræ religionis eſſe euidenter credibilia; quòd ſi non fecerit, Pagan⁹ à præcepto credendi excuſatur. *& ratio eſt.* Perſuaſiones enim tam ad fidem humanam, quàm ad Fidem diuinam, ſunt quædam diſpoſitiones, quæ vnumquemq; inducūt ad credendum; ſiquidem ad credendum ſola voluntas non ſufficit; ſed opus eſt, vt accedant perſuaſiones, quæ illam diſponant & inducant ad credendum. nam Eccl. 19. dicitur *Qui citò credit, leuis eſt corde.* Ergo credere ſine ratione, & aliqua perſuaſione; attribuitur leuitati. vt ſi quis credat nulla ratione perſuaſus, quòd aſtra ſic per cælum vagantur ſicut piſces per mare, eſſet omnino temerarius: quia hoc nulla ratione inductus crederet. tandem fidei actus debet eſſe prudens, cordatus maximè. ergo nonniſi ex recta ratione enaſci debet.

Ad credendū ſola voluntas non ſufficit.

26. *Sextò.* Oſtendet Chriſtianam Religionem omnibus alijs Scientijs eſſe magis probabilem & credibilem, & ſic iam Gentiles non erunt excuſabiles. *& ratio eſt*, quia propoſitis duobus probabilibus & credibilibus, non debet homo rationalis eligere & ſequi id, quod eſt minus probabile & credibile: aut ſi oſtendatur vtrumque æqualiter eſſe probabile & credibile, tunc ad alterutrum eligendum obligatur. Sed quando alterum oſtenditur, altero magis probabile & credibile eſſe; iam ad id, quod magis eſt, obligatur acceptandum: ſiquidem naturalis propenſio voluntatis ad id, quod eſt maius, propendet, & ſuo pondere volūtatem inclinat ad apprehendēdum, & ſequendum.

Vltimò dicet Theologus hanc Demonſtrationem, *ſ. quòd noſtra Religio ſit alijs magis probabilis & credibilis*, non eſſe difficilē ad probandum: nam noſtra myſteria Religionis ſunt quidem ſupra lumen naturale, ſed illi non contrariantur. *Probatur*, quia verum (vt iam dictum) non contrariatur vero, ſed falſo. ex *1. cont. Gētes cap. 7.* Sed id quod dictat noſtra Fides, eſt verum, id quoque, quod dictat lumen naturale, eſt verum: ergo ſibi non ſunt contraria; aliàs enim Deus, qui Author eſt vtriuſq; luminis, contrariaretur ſibi, quod eſt falſum.

27. *Sed dices* iſtæ duæ Propoſitiones

nes *Mortui reſurgent; Mortui non reſurgent*, ſunt ſibi contradictoriæ: atqui lumen naturale dictat, quòd non reſurgent; lumen fidei dictat, quòd reſurgent. ergo ſibi opponuntur. *Reſpondeo* has Propoſitiones non poſſe dici verè oppoſitas, nam verè oppoſita ſunt de eodem, & ſecundùm eandem rationem. ſed hæ duæ Propoſitiones non ſecundùm eandē rationem, ſed ſolùm ſecundùm diuerſam ſibi opponuntur. nam lumen naturale dictat, quòd mortui per vires naturæ non reſurgent; & lumen fidei dictat reſurrectionem non eſſe quidem poſſibilem per vires naturæ: tamē per omnipotētem virtutem Dei eſſe poſſibilem.

28. *Quæres* quænam ſint Argumenta, quibus euidenter credibile eſſe Euangelium demonſtrari poſſit? *Reſpondeo* ea plurima haberi, nos ſolùm primaria octo referemus. *Primum* Sanctitas & Veritas ſumma, quam Doctrina Chriſti præſefert; nihil enim præcipit, quod non ſit honeſtiſſimum, & quod ipſi rationi naturali non ſit valdè conſonum. *Secundum* Paucitas eorū, qui fidē Catholicam propagârunt: hi enim & pauci & illiterati fidem Catholicam orbi vniuerſo annuntiarunt, & non tam eloquētiâ, quàm patiendo cruces & perſecutiones, & ipſam mortem, in animis Perſecutorum eandem radicârūt. *Tertiū* eſt magnitudo Miraculorum, quæ Chriſtus Dominus & Apoſtoli in confirmationem Fidei ſunt operati: nam non eſt credibile, quòd diuina potentia tot Miracula ſit operata in confirmationem falſitatis. Si quis verò veritatem Miraculorum negauerit, contra hunc dico cum D. Auguſt. *lib. 22. de Ciuit. Dei, cap: 35.* hoc demùm negari non poſſe maximum Miraculum fuiſſe, quòd tā pauci homines, ijdemque indocti, & pauperrimi, tot Principes potentiſſimos ad ſuſcipiendam fidem cōuerterint. *Quartum* Conuerſio Regnorum, Prouinciarum, Regum, Nationum, Philoſophorum, non armis humanæ ſapientiæ aut potētiæ; ſed nudâ prædicatione. 29. *Quintum* Subuerſio Synagogæ, in qua verus Dei cultus vigebat exhibitus à populo ſummè dilecto inter alias nationes; ſed hic poſtquam Chriſtum cruci affixit, per totum orbē diſperſus eſt; quod factum eſt non ſine iudicio Dei. *Sextum* Expulſio idololatriæ, poſtquā enī Nationes in ſuperſtitionibus idolorum enutritæ, Chriſti Fidem ſuſceperunt, & illius Crucem adorare cœperunt, ſtatim idolorum cultus diſparuit, cuius veſtigia apparebant in populo Iſraëlitico, hunc autem Euangelium & Crux Chriſti euacuauit. *Septimum* Concordia Scriptorum Sacrorum: nulla enim vnquam doctrina extitit ſub ſole, in qua illius Authores ſecum ſic conſenſerint; ſicut Doctores Eccleſiæ per omnia ſunt ſibi concordes; nec mirum, cū à ſolo Spiritu S. dirigantur. *Octauum* Stabilitas Sedis Apoſtolicæ: nulla enim Reſp. ſuum regimen & legum Cōſtantiam tam diu retinuit, quàm Religio Chriſtiana, in qua ſucceſſio Summorum Pōtificum durat mille, ſexcentis, & eo amplius annis. & quamuis, multis perſecutionib⁹ Tyrānorū, Philoſophorū argutijs, hæreticorū argumētis, impetita fuerit, omnes tamē, nō armis carnalibus, ſed ſpiritualibus deuicit: quod quidē diuinæ Virtutis & Protectionis euidentiſſimū eſt argumentum.

Argumenta octo primaria quibus Euāgelium credibile eſſe demonſtratur.

QVÆSITVM IV.
De Locis, ex quibus Argumenta contra Fideles ſint ſumenda.

30. POſt enumeratos Locos ex quibus Argumenta contra Gentiles deſumi poſſunt, nunc ad Theologicos accedimus, ex quibus copia rationum haberi poſſit in Diſputationibus cum Fidelibus. Ad Quæſitum.

Per locos Theologicos quid intelligitur?

Dico primò. *Per locos Theologicos non intelligimus myſteria, neo Materias de quibus Theologia agit, ſed intelligimus Locos, quaſi quædam promptuaria, ſeu reconditoria Argumentorum.* Sicut Ariſtoteles Topica conſcripſit, in quibus varios locos, ſeu ſedes ac fontes Argumentorum indicauit, videlicet *à Genere, à Definitione. à Proprio, &c.* Ita in Theologia habentur certi loci, ſeu ſedes ex quibus Argumenta depromi poſſunt, ad varias controuerſias decidendas. & ſopiendas. *Scias* Melchiorem Canum accuratiſſimum opus de Locis Theologicis conſcripſiſſe.

Loc' Theologicus Internus & Externus quid ſit,

31. Dico ſecundò. *Vniuerſi Loci Theologici diuiduntur in Locum Internum, & Externum.* Locus Internus *ille eſt, à quo Argumenta ducta neceſſariò fidem faciunt: & huius generis ſunt Authoritates.* Locus Extern⁹ *eſt à quo argumentum deſumptum probabiliter tantùm fidem facit.*

Sed dices: apud Philoſophos Naturales Loci ab Authoritate dicuntur Externi, cur quæſo in Theologia ſunt Interni? *Reſpondeo* hoc ideo fieri, quia myſteria Fidei captum intellectus humani excedunt, idcircò argumentis neceſſariò concludentibus non vtitur, quæ ſunt à ratione petita, ſed ab Authoritate: naturales verò Scientiæ, quia agũt de rebus, quæ non ſuperant aciem mentis humanæ, propterea ex ratione Argumenta accipiunt. Vnde talia Argumenta apud Philoſophos dicuntur *Interna*: quia in ipſa re quaſi reſident: quæ verò à Teſtimonio, aut ab Authoritate ſumuntur *externa* dicuntur: nam non ab ipſis rebus ſed aliunde ſunt petita: Contra in Theologia, illa Loca cenſentur eſſe Interna, quæ ſunt ab Authoritate Dei reuelantis: Externa verò, quæ à ratione ducuntur.

32. Dico tertiò. *Loci Interni ab Authoritate ſunt Octo*: primus *Sacra Scriptura*: ſecundus *Traditio, quæ tam à Chriſto, quàm ab Apoſtolis manauit*: tertius *Conſenſus totius Eccleſiæ Catholicæ, quæ conſtat Clericis, Laicis, omneſq; Chriſtianos in toto orbe exſiſtẽtes complectitur*: quartus *ex Concilijs Oecumenicis.* quintus *ex Decretis Summorũ Pontificum*: ſextus *ex Authoritate Sanctorum Patrũ.* ſeptimus *ex Doctrina Scholaſticorum*: octauus *ex Sacra Hiſtoria.* Loci Theologici Interni ab Authoritate ſunt octo:

Loci Externi ſunt tres.

LOCI *verò Externi ſunt tres.* Primus *naturalis Ratio*: ſecundus *ex Placitis & Sententijs Philoſophorum.* tertius *ex Hiſtoria profana.* Et de his ſingulis, quàm breuiſſimè attingemus.

33. Dico quartò: *Primus Locus Internus eſt* Sacra Scriptura, *quæ doctrinam*

ctrinam continet de rebus diuinitus non humano more à Spiritu S. inſpiratis, & ipſius afflatu conſcriptis.

Quatuor Cōditiones ad S. Script: conſtituēdā concurrere debent.

34. *Ex quo collige* quatuor eſſe Cōditiones, quæ ad Sacrā Scripturā conſtituendam concurrere debent. *Prima* illa eſt Sacra Scriptura, quæ eſt ſcripta, ad differentiam Traditionis, quæ non eſt ſcripta, ſed ore, ſeu ſermone tradita. *Secunda* debet eſſe de rebus inſpiratis ſeu reuelatis à Spiritu Sancto; ſiquidem Sacri Scriptores omnia & ſingula, quæcunque ſcripſerunt à Spiritu S. acceperunt, iuxta promiſſionem factam Ioan. 14. *Spiritus S. quem mittet Pater, ille vos docebit omnia.* Et 2. Petri 1. *Non voluntate humana allata eſt Prophetia, ſed Spiritu S. inſpirante locuti ſunt Sancti Dei homines.* Et 2. ad Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata.* Ergo Sacra Scriptura debet eſſe ex reuelatione Spiritus Sancti.

Dupliciter Spiritus S. aliquam veritatem reuelat?

35. *Tertia conditio.* In his verbis, *non humano more*, debet eſſe quidam peculiaris modus inſpirationis: nā Spiritus S. dupliciter aliquam veritatem reuelat: *Primò* humano more, vt cum homo, quod in ſe eſt, facit adhibendo diligentiam circa inquirendam veritatem; nam ſcrutatur Scripturas, eas inter ſe confert, conſulit Interpretes & S. Doctores, gratiam Spiritus S. inuocādo; & hac ratione, videlicet more humano, id quod verum eſt, reuelare conſueuit Spiritus Sanctus. Et talis Reuelatio ſolet fieri in Sacris Concilijs Oecumenicis, ad quæ Epiſcopi, Doctores Eccleſiæ vocantur, & præmiſſa Inuocatione Spiritus S. fit diligens diſquiſitio & meditatio. *Secundò* reuelat Spiritus S. iam non humano more, nam ſine vlla meditatione, diſquiſitione. Et hac ratione reuelauit Prophetis, Apoſtolis, Euangeliſtis, ea omnia, quæ ſunt ſcripta in illorum Sacris Codicibus: nam hi non cōgregabant Concilia ad ſcribendum, ſed immediatè ea ſcribebant, quæ à Spiritus S. inſpiratione & dictamine commiſſa habebant.

36. *Quarta.* Vt ſit Scripta ex afflatu Spiritus S. nam Sacer Scriptor dum ſcribebat, dirigebatur à Spiritu S. ita, vt ipſe Sciptor, videlicet Propheta, aut Euangeliſta eſſet Calamus Spiritus Sancti; ipſe autem Spiritus S. erat Scribens. iuxta illud: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*: Proinde Scriptor Sacræ Scripturæ eſt purum Organum ſeu Inſtrumentum, quod potius à Spiritu S. mouetur, quàm ſe moueat. Colligitur hoc ex Reſponſione Baruch, Scribæ Hieremiæ Prophetæ, à quo cùm quæreretur: *Quonam modo ei Hieremias dictâſſet?* Reſpondit *Loquebatur ore ſuo, quaſi legeret omnes ſermones*, videlicet loquebatur promptè ſine hæſitatione, expeditè ſine labore: quod ex eo accidit, quia ipſe Spiritus S. omnia illi dictabat.

In Sacra Scriptura omnia & res & verba à Spiritu S. ſuggerente ſcripta ſunt.

37. *Nota 1.* S. Scripturam ita eſſe à Spiritu S. inſpiratam, vt non ſolùm res Materiæ, quæ in ea continentur; ſed etiā ſingula verba, quæ in ea ſcripta ſunt, nonniſi à Spiritu S. dictante & ſuggerente ſint ſcripta; ita quòd & compoſitio verborum, & quæque minima, quæ in illa ſunt, nonniſi ab Authore Spiritu Sancto ſunt; nullum igitur in ea verbum otioſum, nullum ſuperfluum: ſic enim D. Baſilius dicit: *Dicere eſſe aliquod verbum otioſum, vel ſuperfluum in Scriptura Sacra, blaſphe-*

mia eſt. Et Deuter 4. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferretis ex eo.* Quia Spiritus S. non tantùm res contentas in Scriptura, ſed etiam verba & compoſitionem illorum dictauit.

Diſcrimen inter S. Scripturã & Eccleſiaſticas Scripturas.

38. *Nota 2.* Diſcrimen inter S. Scripturam & Eccleſiaſticas Scripturas eſſe; nam in ſcriptura, & res & verba, & eorum compoſitio ſunt à Spiritu Sancto; in Definitionibus verò Conciliorum, Pontificum, ſolùm res ſeu veritates ſunt à Spiritu S. verba autem & illorum cõpoſitio pendent à voluntate ſcribentis.

Nota 3. Tanta eſt dignitas & Authoritas S. Scripturæ, vt vincat Scripturas Eccleſiaſticas: & licet ad Eccleſiam ſpectet iudicare de Scriptura: *An hæc ſit Canonica & Sacra?* tamen poſtquam ex iudicio Eccleſiæ tanquam Canonica eſt acceptata, iam in maiore veneratione habetur, quàm quæcunq; alia Scriptura Eccleſiaſtica.

Nota 4. Argumẽta ex S. Scriptura ducta, ſunt ſummæ firmitatis; quia ſummæ veritatis *Probatur* Quæcunq; enim in S. Scriptura habentur, ſunt reuelata à Deo, tanquam à Prima veritate, vnde, quæ in ea habẽtur ſunt infallibilia. *Præterea* D. Aug. *epiſt. 8. & 9.* dicit nullum nec leue mendacium Scripturæ eſſe poſſe. *Item* quilibet Chriſtianus debet fateri S. Scripturam eſſe à Spiritu S. inſpiratam ergo quilibet Argumento ex ea ducto aſſentietur. *Tandem* quælibet Scientia præſupponit ſua Principia tanquã veriſſima; ſed S. Scriptura eſt Primum Principiũ. ergo eſt veriſſima. Eſt igitur Sacra Scriptura *Turris David:* ex qua mille clypei pendent: eſt *Torrens*, ex quo Dauid lapides ſumpſit aduerſus Goliath hoſtem Caſtrorum Domini: eſt *Gladius*, vtraq; parte acutus, procedens ex ore Dei.

Argumentã ex S. Scriptura negatiuè ducta nil probãt.

39. *Nota 5.* Argumenta ex S. Scriptura negatiuè ducta, nihil concludere, vt ſi quis dicat, quòd communiter eſt in ore hæreticorum. *hoc non habetur in Scriptura, ergo eſt reiiciendum.* (Sicut non valet: *Hoc non dixit Ariſtoteles: ergo non eſt verum.* Et ſic Lutherus argumentatus eſt *de Veneratione Imaginum, de Purgatorio, de faciendis Suffragijs pro mortuis: nihil habetur in Scriptura. ergo non eſt tenendum.* Vnde eius Argumentatio nihil concludit: licet enim expreſſè non habeatur in Scriptura, habetur tamen virtualiter. Tum haberi poteſt per vniuerſalis Eccleſiæ traditionem.

Quæ ſeruãda vt Argumenta ex Scriptura affirmatiua ſint firmiſſima?

40. *Nota vltimò.* Argumenta ex S. Scriptura affirmatiua eſſe firmiſſima; modò hæc tria habeant. *Primum* eſt Scriptura allegata in eo ſẽſu procedat, quem intendit Spirit⁹ S. & non ſit ex proprio iudicio, quem ſibi aliquis prætendit: Proinde Argumentum Diaboli contra CHRISTVM Dominum erat infirmum, quando ſic argumentatus eſt: *Mitte te deorſum,* quia ſcriptum eſt *Angelis ſuis mandauit de te, &c.* Volens Chriſtus Dominus oſtendere, quòd non in verò ſenſu ſcripturam adduxit, confutauit eum alio loco ſcripturæ; Scriptum eſt *Dominum Deum tuum non tentabis.* Sic Lutherus ex illo Matth. 12. *Quare & vos transgredimini mandata Dei, propter Traditiones veſtras.* inferrebat, quòd Chriſtus damnauit traditiones; quod falſiſſi-

falſiſſimum eſt. Quia non in eo ſẽſu allegat Scripturam, quem intẽdit Spiritus S.

Vitium Scripturæ quomodo fiat?

Secundum vt procedat Argumentum ex Scriptura non vitiata, ſed integra: fit autem Vitium Scripturæ, aut per *additionem,* aut per *detractionẽ.* Et ſic hæretici volentes probare ſolam Fidem ſine operibus ſufficere ad iuſtificationem, allegant ex *Epiſt. ad Rom. 3.* corruptè locum *Arbitramur homines iuſtificari per ſolam fidem.* Vitium eſt in Textu, propter verbum *Solam* additum, cùm non habeatur in Scriptura. *Similiter* ad neganda Bona opera adducũt Scripturam. *Satagite certam veſtram vocationem facere.* Et detraxerunt. *Per bona opera.* hoc itaq; modò, & alia loca S. Scripturæ adducta, non valẽt; quia non ſunt integra. *Tertiũ* vt Locus Scripturæ adducatur ex editione Authentica approbata, qualis eſt Vulgata per *Concil. Trid. Seſſ.* 14. approbata. Alias ſi liberum erit ad alias editiones Hebræam, Græcam confugere, quæ ſcatent vitijs, non erit finis diſputationis, nec quicquam certi concludetur: quia vnusquisque eum ſenſum, quem volet, eruet.

Traditio quid ſit?

41. Dico quintò. *Secundus locus Theologicus eſt* Traditio. Eſt autem *Traditio* doctrina à Chriſto Domino, aut à Spiritu S. aut ab Apoſtolis, ore tradita, aure recepta, animo retenta, & nullo ſcripto contenta. Et hæc doctrina non eſt minoris authoritatis & efficaciæ, quã Sacra: omnis ſiquidem doctrina illa, quam conſtat à Chriſto Domino, aut à Spiritu S. aut ab Apoſtolis emanaſſe, eſt ſummæ Authoritatis: ſed hæc, quæ eſt per Traditionem eſt talis. Ergo eiusdem authoritatis cum Sacra. *Probatur* Locis S. Scripturæ eſſe in Eccleſia *Traditiones* 2. ad Theſ. 2. *State & tenete* Traditiones *quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Verbum hoc *per Sermonem.* ſignificat fontem Traditionis, ex quo manauit. 1. ad Corinth. 11. *Cætera cum venero diſponam.* 2. ad Timoth. 2. *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus.* Et D. Ioannes 2. epiſt. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum. ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Et Marc. vlt. non dictum eſt Apoſtolis. *Ite ſcribite,* ſed *Ite prædicate Euangelium.* Idem ſentiunt S. Patres, vnus pro omnibus ſufficiat interim D. Aug. qui *lib. 8. de Bapt. cap. 2.* ſic ait: *Quòd vniuerſa tenet Eccleſia, nec à Concilijs eſt inſtitutum, ſed ſemper retentum fuit, nonniſi authoritate Apoſtolicâ traditum cenſetur.*

Scriptura S. & Traditio quomodo differant & conueniant?

42. *Nota 1.* inter ſcripturam & Traditionem, ſi quoad rem ipſam conſiderentur, nullã eſſe differentiã, vtrumq; enim eſt verbum Dei; tamen ratione diſtant: Scriptura enim S. eſt ſcripto tradita; Traditio autem non ſcripto, ſed voce viua, aut aliquo ritu externo.

Nota 2. Multis rationibus hæreticos oppugnare *Traditiones,* quæ videri poſſunt apud Melch. Canum *lib. 1. de Theol. cap. 1.* Horum reſolutio habetur cap. vlt.

Vera Traditio quomodo dignoſcatur?

Nota 3. Veræ *Traditionis* quatuor eſſe notas: *prima* quam D. Aug. *lib. 4. contra Don. cap. 14.* adducit, quando videlicet vniuerſalis Eccleſia aliquid tenet, quòd non eſt à Conciliis definitum: quale eſt ieiunium Quadrageſimale, Solennitas Ramorum. *Secunda* quando eſt Fidei

dogma,

dogma, quod Patres ab initio concorditer ſecundùm ſucceſſum temporis tenuerunt, & illius contrarium, tanquam hæreticum confutârunt: vt quòd B. V. MARIA *perpetuam Virginitatem coluerit*, & quòd *quatuor ſint Euangelia*. *Tertia* quando aliquid eſt eiuſmodi, quod nunc etiam in Eccleſia retinetur ex communi conſenſu fidelium, quod tamen humanâ poteſtate fieri nõ potuit; vt quòd *Matrimonium ratum, ſed non conſummatum, per ingreſsum Religionis ſoluatur*. *Quarta* ſi viri Eccleſiaſtici aliquam conſuetudinem vno ore teſtentur, & tanquam Catholicam defendant: vt quòd *hoc Symbolum, & non aliud ſit Apoſtolorum*.

Traditio magis eſt Neceſſaria quam S. Scriptura.

43. *Nota vltimò* ad ſalutem obtinendam non ſemper fuiſſe Scripturam neceſſariam: Traditionem verò ſemper. *Probatur*. Abel, Enoch, Seth ſunt vitam æternam conſecuti (vt conſtat ex 11. cap. ad Hebræos) & illorum tempore nulla erat Scriptura Sacra; fuit autem neceſſaria aliqua doctrina fidei in CHRISTVM, ſine qua nemo ſaluari potuit: ergo hæc doctrina Fidei fuit per traditionem. *Similiter* ante Moyſen, & ante Chriſti Aduentum plurimi ex Fide & Charitate in venturum Meſſiam ſaluati ſunt; & tunc nullum erat Teſtamentũ ſcriptum, ſed ſola Traditio. *Præterea*. Multò tempore Eccleſia fuit ſine ſcripto Euangelio; nam Apoſtoli docuerunt fidem ſine Scriptura. Tandem primus D. Matthæus, ſicut Hebræis prædicauit, ita iiſdem diſceſſum ad Gentes parans, Hebraicè Euangelium conſcripſit: Poſtea D. Marcus & S. Lucas Euangelium ſcripſerunt; vltimò S. Ioannes. Et hoc toto tẽpore non potuit eſſe Eccleſia ſine Euangelio: ſed hoc non fuit Scriptum: ergo Traditione, hoc eſt ore promulgabatur, & in tabulis cordium à Spiritu S. deſcribebatur.

Ordo Euãgeliſtarum.

Authoritas ex conſenſu Eccleſiæ

44. Dico ſextò. *Tertius Locus eſt*. Authoritas *ex conſenſu vniuerſalis Eccleſiæ*, ex hoc loco ſumuntur Argumenta infallibilia. *Probatur* Chriſtus D. Vniuerſalis Eccleſiæ eſt Caput, Spiritus autem S. eſt Cor: ſed ex lumine naturali conſtat, quòd actiones vitales Capiti & Cordi tribui debent: inter actiones autem Eccleſiæ, nulla eſt magis vitalis, quàm conſenſus Eccleſiæ; vnde ſi hunc contigeret errare, manifeſtùm eſt, quòd hic error Chriſto & Spiritui S. eſſet tribuendus, quod omnino falſum eſt. ergo ex conſenſu vniuerſalis Eccleſiæ, infallibilia Argumenta ſumuntur.

Eccleſia, S. Scriptura, Traditio, ſintne æqualis authoritatis?

Sed quæres. Horum trium locorũ quinam ſit maioris Authoritatis? *Reſp.* cũ diſtinctione; ſi S. Scriptura, & Eccleſia accipiantur in ordine quoad ſuum fundamẽtum, quod quidem eſt, Prima Veritas reuelãs, vtrumq; eſt eiuſdem Authoritatis; ſi autem hæc duo ſumantur quoad nos, tunc Maioris Authoritatis eſt Eccleſia, quàm Scriptura, quòd ita accipe; ſi non eſt certum, nec creditur, quòd hæc Scriptura ſit Canonica & Diuina; & in hoc ſenſu loquitur D. Aug. *Euangelio non crederem niſi ad hoc teſtimonium Eccleſiæ me moueret*. Abſolutè tamen loquendo Maioris eſt Authoritatis S. Scriptura, & maius teſtimonium, magiſq; conueniens, quàm Eccleſia: Intellige autem Eccleſiam cum Driedone *lib. 5. de Dogm.* in quantum non

includit

includit Sacros Scriptores Bibliorum. Ad illud verò D. Aug. *Euangelio non crederem, niſi ad hoc Eccleſiæ Authoritas me moueret.* Ergo Eccleſia maioris Authoritatis: neganda eſt Conſequentia, & Antecedens diſtinguendum: antequam credam eſſe Euangelium; & ſic concedendum: poſtquã verò credidero hoc eſſe Euangelium, & ſic eſt negandũ. Nam D. Ioannes Baptiſta CHRISTVM denuntiauit eſſe Agnũ Dei; ex eo tamen non ſequitur, quòd S. Ioannes Baptiſta fuerit maioris Authoritatis, quàm CHRISTVS Dominus. De Traditionibus iam diximus, quòd pari veneratione cum S. Scriptura ſint recipiendæ; quia ab ore Chriſti, ſeu à Spiritu S. ſunt dictatæ, ſicut & S. Scriptura.

Concilium quid ſit? & quæ ad illud cõcurrere debeant?

45. Dico ſeptimò. *Quartus locus eſt,* Authoritas Conciliorum; eſt autem Concilium *Congregatio Præſulum Eccleſiæ in Dei nomine, ad determinandum Dogmata fidei & morum.* Proinde ad Concilium quatuor cõcurrere debent. *primò* quòd multi adeſſe debent: nam vnus non facit Concilium: *ſecundò* debent eſſe Præſules Eccleſiæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Patriarchæ, Rectores Eccleſiarum: *tertiò,* Motiuum non debet eſſe priuatum, ſed in nomine Domini, hoc eſt, Diuina poteſtate conuocari debent, quæ reſidet in Summo Pontifice: *quartò,* quòd huius ſit determinare de rebus fidei, & quod ad rectam morum obſeruationem ſpectat.

Concilij diuiſiones.

Nota Concilium communiter diuidi ſolet in Generale & Particulare: *Generale eſt,* quod ex omnibus partibus Orbis congregatur: qualia ſunt quatuor; Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinũ, Chalcedonenſe, & alia multa. *Particulare* verò eſt triplex, *Patriarchale,* quod congregatur ex Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſub vno Patriarcha: *Prouinciale,* quod ſub vno Archiepiſcopo, & Epiſcopis cõſtat. *Diœceſanum,* quod conſtat ex Clero congregato ſub vno Epiſcopo. Et hæc Concilia vocantur Synodi.

46. *Nota* 2. Argumẽta ſumpta ab illis Concilijs, quæ ſunt Authoritate Apoſtolicâ Summi Pontificis cõfirmata, eſſe magnæ Authoritatis. *Probatur.* Quia Eccleſia in rebus fidei determinandis errare non poteſt ob aſſiſtentiam S. Spiritus. Sed Concilium congregatum à Summo Pontifice repræſentat Eccleſiã. Ergo non errat. Vnde eſt dictum D. Greg. in Decret. diſt. 15. cap. *Sicut* vbi dicit: *Ita recipio quatuor Concilia Generalia, ſicut quatuor Euangelia.* De Concilio Particulari, ſi approbatum fuerit à Papa, idem eſto iudicium, quòd argumentandi firmitatem habet.

47. Dico octauò. *Quintus Locus eſt* Authoritas Summi Pontificis Eccleſiæ Romanæ, *ita, vt illud, quod Sũmus Pontifex determinat, non vt Doctor particularis, ſed tanquam Vicarius Chriſti, in Cathedra Petri ſedens; & vult Dogma eſſe fidei in morumq; ſanctitate ſeruari, omnino & de fide ſit tenendum.* RATIO *eſt;* Quia CHRISTVS D. D. Petro & illius Succeſſorib⁹ peculiarem gratiam Spiritus S. promiſit, cùm dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* & profectò cum in Eccleſia tot hæreſes exoriantur, neceſſarium fuit vt CHRISTVS D. Vicario ſuo ſufficienter in terris prouideret, dando illi aſſi-

Authoritas Summi Põtificis Eccleſiæ Rõ:

illi aſſiſtentiam Spiritus S. vt infallibiliter de reb⁹ fidei determinaret.

Authoritas SS. Patrum & Eccleſiæ Doctorum.

48. Dico nonò. *Sextus Locus eſt*, Authoritas SS. Patrum & Eccleſiæ Doctorum, *à qua ducta Argumenta ſunt firma.*

Nota 1. Si Argumentum ex communi intelligentia omnium Doctorum ſumatur in rebus fidei, aut circa expoſitionem Scripturæ, illud tanquam certum, irrefragabile, & de fide habendum eſt. Huic qui contrarium tenent, errant in fide: Vnde *Concil. Trid. Seſs 4.* præſertim de Expoſitione Scripturæ ſic dicit: *Nemo innixus ſuæ prudentiæ contra communem ſenſum Patrum audeat S. Scripturam interpretari.* & hoc nomine Caiet: à nonnullis reprehenditur, quòd in principio Gen. dicat, nouam expoſitionem S. Scripturæ, quamuis ſit cõtra communem ſenſum Patrum, non eſſe repellendam. *Ratio.* Si enim vnicuiq; liceret pro arbitrio S. Scripturam interpretari occaſio daretur multiplicium ſẽſuum, & per conſequens multarũ hæreſum. Et D. Paul. ad Epheſ. 4. dicit: *Quoſdam dedit Doctores in Eccleſia.* Sed hi non in alium finem ſunt dati niſi vt Scripturam interpretentur. Ergo illorũ Sententiæ ſtandum. Banneſius *hic art. 10. dub. 6.* in fauorem Caietani quaſdam limitationes facit, ob quas aſſerit licere nouum Senſum adinuenire. *Primò*, ſi ille ſenſus ſit vtilis ad charitatis finem: *ſecundò*, ſi non ſit diſſimilis Contextui Sacrarum literarum: *tertiò*, ſi non ſit contrarius expoſitioni SS. Patrum.

Nouum ſenſum S. Scripturæ adinuenire non licet.

49. *Nota 2.* Argumentum ſumptum ex duorum, aut trium Doctorum Sententia, non eſſe efficax, ſed probabile. Quia nõ omnia, quæ ſcripſerunt SS. Patres ſunt de fide; imo nonnulli in iis, quæ ſunt fidei, errarunt. vt D. Bern. *in Serm.* 4. de Omnibus Sanctis, exiſtimans animas, vſq; ad diem Iudicij, non frui Diuina Viſione. & D. Cypr. *lib. 2. epiſtola 1.* errauit dicens: ab hæreticis conuerſos, eſſe rebaptizandos.

Nota 3. Sumptum Argumentum in rebus fidei ex Authoritate plurium Sanctorum Patrum, reliquis licet paucioribus in contrariũ ſtantibus; tum etiam in his, quæ ad fidem non ſpectant, eſſe valde probabile, non eſſe tamen de fide.

Quocirca collige. Si ſit conſenſus omnium Sanctorum Patrum in re, quæ eſt de fide; illorum doctrina eſt de fide: nam ſi omnes Doctores errarent, etiam Eccleſia erraret; cũ ipſi ſint Lumina Eccleſiæ; ſi autem varietas inter illos contingat, Argumentum deſumptum ex plurium ſententia eſt probabile.

50. Dico decimò: *Septimus Locus eſt*, ab Authoritate Scholaſticorum Doctorum. De hac tria obſeruãda. *Primò.* quando in ea re, quæ ad fidem ſpectat, eſt communis Sentẽtia Doctorum Scholaſticorum, tunc eſt de fide, & ab ea recedere eſt error in fide, aut proximum errori. *Probatur*, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sed hoc non ſolùm dictum eſt de S. Patribus, verùm etiã de Magiſtris Eccleſiæ, qaales ſunt Doctores Scholaſtici. *Tum* Quia his tanquam Magiſtris Eccleſiæ in Concionibus, Lectionibus, Confeſſionibus creditur, & ad credendũ obligatur populus Chriſtianus; vnde ſi hi errarẽt, & populus Chriſtianus erraret.

Authoritas Scholaſticorum Doctorum.

Obſerua

Obſerua 2. Si tota Schola Scholaſticorum conueniat, non quidem circa rem fidei aut morum, ſed quæ ſit grauis, & magni momenti, tunc ab illa recedere erit temerarium. & à tali conſenſu deſumptum Argumentum eſt valde probabile: *v.g.* omnes conueniunt, quòd *Angeli, quantò ſunt perfectiores, tantò per vniuerſaliores ſpecies intelligunt.* Et ab hac Sententia diſſentire, eſſet temerarium.

Obſerua 3. Si contingat, quòd ſint varij in aliqua doctrina, ita quòd ſint in duas partes diuiſi, quarum vtraque contrarium ſentiat, tunc illi parti adhærendum, quæ conformiùs S. Scripturæ & rationi naturali loquitur. Ad hunc Locũ ſpectat etiam Canoniſtarum Authoritas, præſertim ſi agant de Materijs, quæ ad illorum Profeſſionẽ pertinent, vt de Excommunicatione, Irregularitate, &c.

Authoritas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Dico vndecimò: *Octauus Locus eſt,* Authoritas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Et ab hac ducta Argumenta habent probabilitatem ſecundùm Hiſtoriæ rationem & ipſius Authoris.

Loci extrinſeci.

51 QVANTVM ad Locos Extrinſecos tres, quorum PRIMVS eſt *Ratio naturalis humana.*

Ratio naturalis humana. non eſt Loc⁹ Theologicus.

Dico primò. *Ratio humana naturalis, non eſt verè Locus Theologicus.* Nam ille eſt verè Locus Theologicus, qui ſubminiſtrat Argumenta ad probandum ea, quæ ſunt Fidei: ſed Ratio humana non habet ſe ſic: quia ad probandum ea, quæ ſunt Fidei, op⁹ eſt lumine ſupernaturali, quod rationi naturali non eſt inſitum, Ergo.

Dico ſecundò. *Ad probandas veritates, quæ de Deo lumine naturali inueſtigari poſſũt. v.g.* quòd ſit, ſeu exſiſtat quòd ſit vn⁹, quòd Author & Prouiſor vniuerſi: *poſſũt Argumẽta haberi firma ex lumine naturalis rationis.* Quia hæ veritates, vt ſic in ſe præciſè conſideratæ, non pertinent ad Fidem, & ſine lumine reuelato optimè cognoſci poſſunt, ac demonſtrari ratione naturali, quod plurimi Philoſophi naturales fecerunt: ergo ratio naturalis ad hæc probanda erit locus proprius.

52 Dico tertiò. *Illæ veritates, quæ ad fidem ſpectant, vt quòd* Deus ſit Trinus, *quòd* homo ſit factus: *non poſſunt ad ſui probationem habere neceſſaria Argumenta ex ratione naturali, poſſunt tamen habere probabilia.* Quia veritates Fidei excedunt captum rationis naturalis, & ideo humana ratio non poteſt illas demonſtrare, benè tamen poteſt, probabiliter probare.

Dico quartò. *Quandoq; Ratio humana eſt Argumentum neceſſarium propter debilitatem intellectus noſtri.* Nam cùm intellectus noſter propter ſuã infirmitatem non poſſit ſe erigere ſuapte ſponte ad myſteria ſupernaturalia; & quia res naturales quodam modo illa explicant, declarãt, idcirco ratio naturalis ad iuuandã debilitatem intellectus eſt neceſſaria: *primò* quia ad ea, quæ ſunt ſupernaturalia, quaſi manu ducit nos, declarando illa per naturalia: *ſecundò.* quia deſtruere poteſt poſitiones contrarias Fidei: *tertiò* quia apta eſt ad ſoluenda Argumenta, quæ ex lumine naturali proponuntur contra fidem: *quartò,* neceſſaria eſt ad ſtabilienda prima Principia, quæ ſunt Præambula fidei: vt quòd *Deus ſit vnus, Author vniuerſi, Sapiens, Æternus, &c.* Atq; ſic, non ex

Quas ob cauſas ratio naturalis ſit neceſſaria ad iuuandã debilitatem intellectus?

parte

parte rerum fidei, ſed ob debilitatem intellectus noſtri, ratio humana ſubminiſtrat Argumenta.

Ex quo collige, quòd ſicut Charitati inclinatio voluntatis deſeruit: ita ratio naturalis deſeruit Fidei. & ſicut per beneficia temporalia augetur charitas debilium: ſic per rationes naturales confirmatur fides debilium. & ſicut charitas vtitur inferioribus habitibus ad ſuum finem: ita & fides vtitur ratione, tanquam miniſtrâ.

53. Dico vltimò. *Tunc verè eſſe Argumentum Theologicum, quando in Argumento, aut vtraque Præmiſſa, aut vna eſt Supernaturalis. v. g.* Ex vna ſupernaturali infertur alia ſupernaturalis: vt *Chriſtus reſurrexit, ergo & nos reſurgemus*: Argumentum eſt Supernaturale; quia & Antecedens & Conſequens eſt ſupernaturale. quanquam & hoc Argumentum dici debet ſupernaturale, quòd ex vna Præmiſſa naturali & altera Supernaturali conſtet: vt *Omnis homo habet voluntatem humanam. Chriſtus Dominus eſt homo. Ergo Chriſtus habet voluntatem humanam.* In hoc Argumento Maior eſt naturalis, Minor ſupernaturalis, quam ſequitur Concluſio ſupernaturalis.

Nota Non immeritò à quibusdam vocari Theologiam, quòd ſit habitus ſupernaturalis habens aliquid naturale admiſtum. Habitus enim Theologicus, eſt habitus Cõcluſionum, qui deducitur ex Articulis Fidei. Et quia hoc fit per Cõſequentiam, quæ quidem formaliter eſt naturalis; idcirco eſt habitus ſupernaturalis, habens admiſtionem naturalis. Nam inquantum per neceſſarias Conſequentias infert Concluſiones, eſt naturalis. Proinde non temerè à quibusdam affirmatur: quòd lumen Fidei generat lumen Theologicum, per quod cognoſcimus Concluſiones Theologicas. *Theologia eſt habitus ſupernaturalis habẽs aliquid naturale.*

Secvndvs Locus Extrinſecus eſt *Authoritas*, ſeu *Placita*, ſeu *Sẽtentiæ Philoſophorum.* Et ex hoc Loco non ducuntur infallibilia Argumẽta ſed Topica, & quæ probabilitatem habent. Sententijs Philoſophorum ſæpiùs vtitur D. Paul. vt *Actor.* 17. illud Arati adducit. *Ipſius enim genus ſumus.* Et 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* *Placita ſiue ſententiæ Philoſophorum.*

Tertius Locus Extrinſecus eſt, *Authoritas Hiſtoriæ profanæ.* hæc ſumit firmitatem ab his rebus, quæ in Hiſtoria recitantur: Tum & ab Authore Hiſtoriæ. *Authoritas hiſtoriæ profanæ.*

DISPVTATIO IV.

De Sacra Scriptura.

Duobus in Articulis S. Doctor de Sacra Scriptura inquirit, *in nono*: An vtatur Tropis, Metaphoris, Similitudinibus. *in decimo.* An Locus Scripturæ poſſit habere plures ſenſus?

Nos

Nos quatuor Quæſita proponimus.

1. *An ſub eadem Litera ſint plures Senſus?*
2. *Quid ſit Senſus Literalis?*
3. *Quid Senſus Spiritualis?*
4. *Ex quo Senſu Argumenta firma ſumi poßint?*

QVÆSITVM I.
An ſub vna Litera Sacræ Scripturæ ſint plures Senſus?

1. CErtum eſt vnicuiq; nos hîc non agere de Senſu in ſua propria ſignificatione, inquantum ſignificat Potentiam Senſitiuam, aut illius officium; ſed in quantum hoc nomen Senſus tranſlatum eſt ad ſignificandam intelligentiam, & in hac ſignificatione loquitur S. Scriptura Sap. 7. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus*, id eſt, *intelligentia.* Et 1. Corint. 2. *Nos autem ſenſum Chriſti habemus*, id eſt, *mentem & intelligentiam Chriſti.* pro determinatione.

Scriptura S. ſub vna litera continet ſenſũ Literalem & Spiritualem

Dico primò. *S. Scriptura ſub vna Litera plures Senſus continet, ſ. Literalẽ & Spiritualem.* Probatur *ratione* D. Th. Author S. Scripturæ eſt Deus, ſicut homo eſt cauſa inſtrumentalis: ſed Deus eas res, quæ narrantur in Scriptura ad alias ſignificandas accommodare, & aſſumere poteſt: nam facit hoc homo, vt ad ſenſus animi ſui explicandos & verbis & rebus vtatur. ergo, & Deus poterit vti, vt res geſtæ explicatæ in Scriptura aliquid aliud ſignificent præter id, quod verba ſonant. Ergo vna litera Scripturæ plures Senſus habebit.

2. *Ratio 2.* Plurima ſunt loca S. Scripturæ, quæ habent Senſum Literalem & Spiritualem. ergo ſub vna litera ſunt plures Senſus. *Antecedens:* Primus *Locus* Oſeæ 11. dicitur *Ex Ægypto vocaui filium meum.* & in hoc loco quoad Literam loquitur Scriptura de Populo Iſraëlitico, quẽ ſibi Deus in filiũ elegerat, & ex Ægypto eduxerat: hunc eundem locum D. Matth. *cap:* 2. adducit in teſtimonium ad reuerſionem Chriſti ex Ægypto, quando redijt in Iudæam. Secundus *Locus* ille Exod. 12. *Os non comminuetis in eo.* quoad Literam eſt præceptum de non frangendis oſſibus Agni Paſchalis; D. autem Ioã. in Senſu Spirituali vtitur hoc loco, docens, quòd Iudæi in Chriſto Domino, Agno Paſchali pendente de Cruce, non debebant frangere crura. Tertius Deut. 20. vbi dicitur: *Non alligabis os boui trituranti.* quoad Literam in hoc loco loquitur de bobus, quòd his laborantibus ſit iuſtum, vt pabulum miniſtretur. & D. Paul.

1. Corint. 9. in Senſu Spirituali applicat hunc locum ad Concionatores, quòd non ſunt fraudandi in neceſſarijs alimentis vitæ.

3. Dico ſecundò: *In explicatione ſacrarum Literarum duplex Senſus Literalis ſeu Hiſtoricus, & Spiritualis ſeu Myſticus eſt eruendus.* Quia Chriſtus Dominus & Apoſtoli, in hoc duplici ſenſu ſunt interpretati S. Scripturam (vt ſuperiùs deductum) *Tum* 2. Corint. 3. *Qui idoneos nos fecit miniſtros Noui Teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu.* Et 1. Corint. 10. *Omnes eandẽ eſcam ſpiritualem manducauerunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt; biberunt autem de ſpirituali conſequente eos petra; Petra autem erat Chriſtus.* Quoad literam, ſignificat *Cibum Manna* quo veſcebantur Iudæi, in ſenſu ſpirituali, ſignificat *Corpus Chriſti*, ſicut aqua de petra erumpens, ſignificat Sanguinem Chriſti, ex latere eius tanquã ex petra profluentem. Et Chriſtus D. Ioan. 3. inquit: *Sicut ſerpens à Moyſe exaltatus: ita exaltari oportet filiũ hominis in cruce. Et ſicut à ſerpentibus læſi, per aſpectũ Ænei Serpentis ſalutem reperiebant: ita peccato originali inuidiâ Diaboli infecti per fidem in Chriſtum crucifixum ſalutẽ reperient.* & ſic multa alia ſunt loca, quæ & ex Chriſti doctrina, & ex Apoſtolorum interpretatione duplicem ſenſum habent.

Explicatio S. literarum habet tam ſenſum hiſtoricũ quã myſticum.

4. Idem ſentiunt S. Patres, qui admittunt hos duos Senſus: D. Cyril. ſuper Leuit. in Prol. dicit: *Ita ſe habent in S. Scriptura Senſus Literalis & Spiritualis, ſicut ſe habent in Chriſto Diuinitas & Humanitas.* Et D. Aug. ex illo loco S. Scripturæ Sapien. 7. *Spiritus intelligentiæ vnicus, multiplex,* dicit: *Vnicus quidem eſſentiâ, multiplex verò intelligentiâ & Senſu.*

Collige 1. Iudæi ſolùm Literalem Senſum agnoſcunt, vnde in ſola cortice Scripturæ verſantur. Hæretici Senſum Spiritualem excludunt; dicunt enim non eſſe intentum à S. Scriptura. & propterea ſenſus myſticos appellant Somnia, & fictiones Prædicatorum: quod apertè falſum eſt, cùm ipſe Chriſtus Dominus hâc duplici interpretatione, vſus ſit.

Iudæi & Hæretici ſenſũ Spirituale non admittunt.

Collige 2. Maximè cauendum Concionatoribus; ne omiſſo Senſu Literali, omnia in Senſu Spirituali interpretentur.

QVÆSITVM II.
De Senſu Literali.

5. Circa illius rationem explicãdã ſunt variæ Opiniones. *Prima* eſt Abul. Matth. 13. q. 28. vbi dicit: *Senſus Literalis eſt ille, qui eſt intentus ab Authore S. Scripturæ, videlicet à Spiritu ſancto.* Vnde quædam Loca ſic interpretatur, vt illud *Exod. 12.* quod à D. Ioan. *cap. 19.* allegatur: *Os non comminuetis in eo.* quoad Literam eſſe interpretadum de Chriſto: ſimiliter *Ex Ægypto vocaui filium meum* quoad Literam dicit intelligendum eſſe de Chriſto. *Ratio eius,* quia hæc Loca S. Scri-

ca S. Scripturæ adducuntur in teſtimonium ad aliquam veritatem confirmandã : ſed Senſus Spiritualis non eſt aptus ad confirmandam aliquam veritatem. ergo prædicta Loca non adducuntur in Senſu Spirituali, ſed Literali.

Opinio ſecunda.

Secunda Opinio affirmat Literalem Senſum eſſe, in quo Hiſtoria aliqua ad Literam refertur tribuiturq; D. Greg. qui lib. 3. Moral. dicit: *Dum narrat geſtum, prodit myſterium.* ſed reijcitur : quia ſequeretur in ſola illa Scriptura eſſe Senſum Literalem, quæ res geſtas narrat : & ſic Libri Prophet. Sapien. & alij, qui morum doctrinam tradunt. tum & Epiſt. D. Pauli, & aliorum carerent Senſu Literali; quia non referunt res geſtas; quod omnino falſum.

Opinio tertia.

6. *Tertia eſt* Nicolai de Lyra in 3. *Prol. Poſt. Bibl.* vbi dicit : *Senſum Literalem eſſe, quem voces immediatè ſignificant ſecundùm propriam ſignificationem; ſiue ſit intentus ab Authore Scripturæ, ſiue non.* Vnde per illum, Loca Scripturæ, quæ vtuntur Metaphoris & Parabolis, non habent Senſum Literalem, ſed ſolùm Myſticum; quod ſic deducit Matth. 5. *Si manus tuã ſcandalizat te, abſcinde eam.* Et Iudic. 9. *Ierunt ligna, vt eligerent ſupra ſe Regem.* In his Locis ſi aliquis eſt Senſus, eſt Literalis, ergo hic erit quem immediatè voces ſignificant: ſed ex tali Senſu ſequuntur abſurda, quòd aliquis debeat ſibi abſcindere manum: aut, quòd ligna Concilium fecerint, & Regem elegerint. ergo ſenſus horũ Locorum erit, non quem verba immediatè ſignificant, ſed quem res ipſæ; & hic erit Spiritualis : per *manum* enim ſignificatur *amicus*, à quo ſeparari debemus, ſi nobis eſt ſcãdalo; per *ligna* verò ſyluarum ſignificãtur *viri Sichemitæ*, qui ad eligendũ ſibi Regem conuenerant. Et ſic Lyra. illum Senſum Literalem tum demùm eſſe affirmat, qui ita vocibus à Spiritu S. exprimitur, vt illæ voces, ad aliam rem ſignificandam non transferantur: quòd ſi aliqua tranſlatio cõtingat, iam talis loci nõ erit Sẽſus Literalis, ſed ſolùm Spiritualis. Pro determinatione Quæſiti.

7. Dico primò. *Ad Senſum* Literalem *non requiritur ſemper, vt verba ſumantur in propria ſignificatione, cùm etiã ſumi poſſint in ſignificatione metaphoricâ & tranſlatitiâ, ita, vt ille ſit Senſus Literalis, quem Author S. Scripturæ Spiritus S. per verba, ſiue ſub propria ſignificatione, ſiue ſub metaphorica & impropria, ſignificare voluerit.* Proinde ille Locus *Vicit leo de tribu Iuda.* Senſũ Literæ habet, quòd Chriſtus de tribu Iuda fortiſſimus vicit. Nam *Leo* per tranſlationem *Chriſtum* ſignificat. & ſic Lyra nõ eſt audiendus, dum Locis Scripturæ, qui Metaphoris vtuntur, adimit Senſũ Literalem, & ſolùmmodò Spiritualem tribuit ijſdem; ſiquidem habent ſuum proprium & Hiſtoricũ ſenſum.

Senſus literalis præter propriã ſignificationem admittit Metaphoricam.

8. *Probatur 1.* Omnis Senſus Spiritualis fundatur in aliquo Senſu Literali; ſed iſtæ locutiones Metaphoricæ *Vicit leo de tribu Iuda.* & *Ego ſum vitis vera* non habent alium Senſum niſi vnicum. Nam *Leo vicit*, id eſt, *Chriſtus vicit.* & *Ego ſum vitis vera*, hoc eſt, *Chriſtus eſt initium vitæ Spiritualis.* ergo hic erit Senſus Literalis, qui Metaphoris ſignificatur. Et D. Hier. dicit in 3. Abac. *Ipſa Hiſtoria frequenter metaphoricè loquitur.* ergo ad Senſum Literalem exprimendum non ſufficiunt verba in propria ſignifica

tione

tione. Idem ſentit D. Th. *hîc art. 10. ad 3.* cùm dicit ſenſum Parabolicum ſub Literali contineri. Nam per voces ſignificatur aliquid propriè, & aliquid figuratiuè: nec eſt Literalis Senſus ipſa figura, ſed id quod figuratum eſt. quod ſic deducit: S. Scriptura nominat *Brachium Dei*. ſed intelligere non poſſumus quaſi in Deo ſit huiuſmodi membrum corporale. ergo id erit, quod per hoc membrũ ſignificatur, videlicet *Virtus operatrix*. Ex quo manifeſtè *colligitur* Lyrani Sententiam non poſſe ſtare, quaſi ille ſit Literalis Senſus, quẽ voces immediatè per ſuas proprias ſignificationes exprimunt.

9. *Probatur 2.* In multis enim Locis S. Scripturæ, vel nullus eſſet Senſus Literalis; aut ſi aliquis eſſet, tũc falſus eſſet: patet hoc ex figuratis locutionibus *Vicit Leo. Ego ſum vitis*. ſi in propria ſignificatione *leonem* ſumamus, hic erit animal ferox: cui ſi ea attribuerimus, quæ ibi Scriptura dicit, quòd ſ. *aperuerit librum*, & *ſoluerit ſeptem ſignacula*, omnino falſum erit: ſi autẽ intelligamꝰ per *leonem* CHRISTVM, ita, quod de victoria Chriſti loquatur Senſus Literalis, iam optimè conueniet, quòd ille aperuerit librum, & ſoluerit 7 ſignacula.

Probatur 3. S. Scriptura ſemper aliquid ſignificat, aut propriè, aut metaphoricè: ſed quòd ſub proprijs locutionibus ſignificet Senſum Literalem, non eſt dubium. de Metaphoricis ergo probandum. Senſus igitur Metaphoricus, nõ ſic ſe habet, ſicut Spiritualis & Myſticus: nam hic tãquam myſterium, aut tanquam Spiritus in corpore latet & nõ apparet: at Senſus Metaphoricꝰ non latet, ſed vulgò eſt notiſſimꝰ. Tum facile colligitur ex Antecedentibus & Conſequentibus ſecundùm ſubiectã Materiam. *Præterea* Quia Metaphora eſt nominis tranſlatio à propria ſignificatione & extenſio ad aliam rem ſignificandam; ſenſus autem Myſticus continetur ſub rebus, quæ communiter non ſignificant, niſi prout Scriptor pro arbitrio illas vſurpauerit. ergo erit Literalis & non eſt omnibus notus ſicut Metaphoricus, ſed eſt abſconditus. ergo Metaphoricus non eſt Spiritualis. ergo erit Literalis. Metaphora quid ſit?

10. Dico ſecundò. *Falſum eſt, quod quidam affirmant; quaſi ille Senſus ſit literalis, qui ſit intentus ab immediatè dicente, aut ſcribente, quamuis non ſit intentus à Spiritu S.* PROBATVR. Ioan: 11. habetur. *Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Sermo eſt Propheticus, quem Caiphas Pontifex protulit, & hic neſciebat, quid diceret ergo huius Loci Senſus Literalis non ab intentione proferentis deſumendus, ſed ab intentione Dei. *Similiter* Propheta Iſaias Ezechiæ Regi denuntiauit mortem iuſſu Dei, & hunc putauit ſtatim moriturum, quod tamen non eſt factũ: nam poſtea Deus eidem Regi vitam prolongauit. ergo & hic ſenſus non ab intentione dicẽtis Prophetæ, ſed Dei procedit. *Item* Ionas Propheta denuntiauit Niniue Ciuitati, quòd intra quadraginta dies ſubuertẽda eſſet, quod tamen non eſt factum, vt intendebat Propheta; & quia nõ factum, iraſcebatur, & coram Deo grauiter eſt conqueſtus. ergo & eiꝰ Prophetiæ Senſus Literalis non ex loquentis intentione, ſed Dei ſumẽdus: nam illa Prophetia fuit comminatoria, vt colligere licet.

11. *Proba-*

11. *Probatur 2.* Dicens aut ſcribēs, habet ſe per modum inſtrumenti, & cauſæ per accidens. ergo ſicut cauſa inſtrumentalis ad ſuam Principalem refertur, ita & Senſus Scripturę ad Deum eſt referendus.

Nvllus eſt locus Sacræ Script: q. nō habeat ſenſum Literalem.

Hīc collige nullū Locū S. Script: poſſe dari, qui non habeat Senſum Literalem. Omnis enim Scriptura, aut eſt locutio propria; aut metaphorica: ſed vtraq; habet Senſum intentum Literalem à Spiritu S. (vt iam deductum eſt) ergo quilibet locus S. Scripturæ habet Senſum Literalem.

Senſus Literalis eſt duplex.

Collige 2. Senſum Literalem duplicem eſſe ſ: *Metaphoricum, & non Metaphoricum.* & ſicut Metaphoricus conſurgit ex vocum ſignificatione non propria: ita non Metaphoricus ex propria. Hanc ſētentiam expreſſè docet Diuus Auguſtinus *libro duodecimo Confeſſionum* vbi dicit: *Nihil prohibet eſſe aliquem Senſum intentum à Spiritu S. per Literam, qui non eſt intentus à Propheta vel à Miniſtro.* & ſic (vt iam dictū) nec Iſaias nec Ionas perfectè penetrârunt ſenſum verborum, quibus mortem & ſubuerſionem annuntiabant: quia neſciebant hoc fieri comminatoriè.

Probatur 3. Si ſenſus Literalis eſt ille, quem intendit Scriptor, aut Propheta, ſequitur quòd Senſus Spiritualis erit Literalis: quia hūc ſæpius intendit: vt Moyſes plura myſteria de Chriſto venturo cognoſcebat, eademque intendebat: *v. g.* per Agnum Paſchalem Chriſtū crucifigendum: per Petram, ex qua fluxerunt aquæ, Chriſti latus perforatum. & per Manna intellexit illius Corpus in cibum tradendum.

12. Dico tertiò. *vna Litera, ſeu vnus Locus Sacræ Scripturæ poteſt habere plures Senſus Literales.* Eſt communis contra Medinam qui *libro 6.* de recta in Deum fide *cap. 25.* ex profeſſo defēdit, ſub vna Litera in S. Scriptura plures Senſus non contineri: Et tenet eam D. Thomas. *hîc art. 10.* Et *in q. 4. de Poten. art. 1.* Et *in 2. Sent. diſt. 12. a. 2. ad 7.* Alph. à Caſtro *lib. 1. cont. hær. cap. 3.* Driedo *lib. 2. de Dogm. c 2.* Abul. ſuper Matt. *cap. 13.* Nicol. de Lyra. *in Prol. 3. ſup. Script.* D. Aug. *lib. 12. Confeſ. cap. 20. 24. 26. 31. Et de Doctr. Chriſti. cap. 27.*

Litera ſiue Loc⁹ Script habet plures ſenſus literales.

Senſus literales plures habere quid ſit?

Nota Habere plures Senſus Literales nihil aliud eſſe, quā plura, quæ non reducuntur ad vnum, in eadem Litera ſignificari. Et hic Senſus Literalis non eſt multiplex, nec eſt ſumēdus ex intentione hominis ſcribentis, ſed ab intentione Spiritus S. contingit enim, vt hominis & Dei, ſint diuerſæ opiniones. Caiphas enim Pontifex cùm dicebat: *Expedit vt vnus homo moriatur.* Intēdebat Chriſti crucifixionē, ne Romani Iudæorum Rempublicam delerent: at Spiritus S. intendebat quidem Chriſti mortem, ſed per quam genus humanum à morte æterna redimeretur. & ideo Euangeliſta addit: *Hoc autem in ſemetipſo non dixit.* Demum Spiritus S. eſt Author S. Scripturæ, non homo, nam ille eſt, qui loquitur per Prophetas: nec dici poteſt, quòd Sacer Scriptor poſſit aliū intēdere Sēſū, præter eū, quē intēdit Spirit⁹ S. talis enī ſenſ⁹ immediatè ſūpt⁹ ex intētione hominis, eſſet falſus, vt de Caipha dictum.

13. *Ratio prima,* Deus, qui eſt Author principalis S. Scripturæ, poteſt omnia vno actu & conceptu intelligere. Ergo etiam vna voce, & vno ſermone, poterit plures Sēſus ſigni-

ſus ſignificare. *Confirmatur.* Scriptor profanus poteſt intendere plura ſignificata per aliquas voces, quæ multiplicem ſignificationem habeant. Ergo multò magis poterit De⁹

Ratio 2. Multa ſunt Loca S. Scripturæ, in quibus neceſſariò plures Senſus Literales admittere debemus. Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Huius Loci tres ſũt Senſus Literales. *Primus,* in principio, hoc eſt in Filio, & in Verbo: *ſecundus* in principio, id eſt, in initio temporis. quod eſt contra Democ: & Ariſt. qui mundum ab æterno eſſe voluerunt: *tertius* in prĩcipio, videlicet Ordinis, hoc eſt, ante cælum & terram nihil fuit. Et eſt contra Orig. & Auic. qui dicebant, priùs fuiſſe productas Animas & Intelligentias. Et Concil. Lateran. cap. *Firmiter,* ex his verbis allegatis duplicem ſenſum Literalem colligit: *primus eſt* quòd Spiritualis Creatura nõ fuit cõdita ante creationem cæli & terræ, ſed ſimul producta fuit cũ rebus creatis: *ſecundus eſt.* quòd mundus nõ eſt creatus ab æterno vt Ariſt. docuit. Locus quoq; ille. *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* triplicicem habet Senſum *Primus* loquitur de Æterna Chriſti generatione: *ſecundus* de Temporali: *Tertius* de Reſurrectione. Similiter 2. Reg. 7. *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* duos Senſus Literales habet. *Primus* eſt de Salomone Rege. *alter* de Chriſto. Et ſic in alijs locis, quæ lõgũ eſſet enumerare, reperiũtur plures Sẽſ⁹ Literales.

14. *Nota* Abulenſis dicit, plures Senſus contineri ſub vna Litera, eſſe prorſus de fide: ſed hoc nimiũ rigoroſum videtur Cumelio & Vasquezio: vnde potiùs dicendum eſt, temerarium eſſe, ſi quis neget vnius Literæ, dari plures Senſus Literales: quia eſt contra Sententias Patrum, & contra ipſam euidentiam.

Sed quæres: ex his Senſibus, quisnam verè Literalis iudicãdus? *Reſp.* cum Concil. Trid. Seſs. 4. ſtandum eſſe conſenſu Sanctorum Doctorum Eccleſiæ. Nulli enim licet in rebus fidei ac morum, contra vnanimem conſenſum Patrum S. Scripturã interpretari. ea enim de cauſa Spiritus S, Doctores in Eccleſia conſtituit. Ergo horum iudicio ſtãdum. Standum quoq; & Conciliorũ Decretis, Interpretationib⁹ Sũmorũ Pontificũ, ſi aliquẽ Locum in certo ſenſu fuerint interpretati. Senſus literalis ex cõſẽſu SS Doctorum cognoſcitur.

15. *Rurſum quæres.* In Parabolis quinam ſit iudicandus Senſus Literalis? duæ enim ſunt partes Parabolæ. *Prima eſt* res illa, quæ in ſimilitudinem, ſeu in exemplum adducitur, & habet ſe vt Hiſtoria: *altera* verò eſt res illa, ad quam applicatur & habet ſe tanquam myſteriũ: vnde dubium emergit, in quanã parte ſit Senſus Literalis? *Reſp.* Vtramque partem habere Senſum Literalem. Res enim Senſibilis & Exemplar habet ſe velut Hiſtoria; proinde Senſum Literalem habet; poſterior verò pro Senſu Literali habet Myſterium. Vt in illa Parabola. *Simile eſt Regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit &c.* Primo Senſu Literali ſcitur factum mulieris, quæ ex fermento & farina maſſã præparat: in altero autẽ cõtĩetur myſteriũ, & illi⁹ virt⁹ ſeu efficacia. Parabola duplex.

Nota Parabolas quandoque in Scriptura habere applicationẽ, quãdoq; non habere; & tunc ſubintelligi al-

ligi alteram partem ad quam applicari debet parabola.

16. *Nota 2.* Ex Alph. à Caſtro, & D. Aug. non ita accipiendam eſſe Hiſtoriã Parabolæ, quaſi re ipſa, vt narratur, fuerit geſta; ſed quòd eo modò potuit euenire, qualis eſt illa Matth. 20. *Simile eſt Regnum Cælorum homini Patriſamilias, qui primò mane exiit conducere operarios.* Res enim in ſimilitudinem adducta non opus habet, vt ſit re vera geſta; ſed quòd potuerit euenire. Quãdoq; etiã res adducta in ſimilitudinẽ re vera euenit, vt Parabola de Grano Synapis.

Nota 3. quoad res impoſſibiles & fabuloſas, quæ in Exemplum adducuntur (vt in lib. Iudic. de Concilio lignorum,) Senſum vnũ eſſe Literalem, licet res ipſa, prout narratur nõ euenerit, nec euenire potuerit, cùm ſit omnino impoſſibile: ſed hoc ideo adducitur, vt ſicut ex Fabulis in quibus animalia inducuntur ſecum colloqui; aliquis Senſus Moralis colligitur: ita & hîc hoc ideo fit, vt aliqua doctrina Moralis colligatur.

QVÆSITVM III.
De Senſu Spirituali.

17. AD Quæſitũ Dico primò *Sub vna Litera S. Scripturæ reperiũtur plures Senſus ſ. Literalis & Myſticus (vt iam ſufficienter deduximus.)*

Senſus Spiritualis quid

Dico ſecundò. *Senſus Spiritualis eſt ille, quẽ res ſignificatæ per voces inſinuãt.* vt Agnus Paſchalis Chriſtum in ara crucis immolandũ, ſignificat. Manna quoq; ſignificat Euchariſtiam. Sicut igitur Senſus Literalis ex vocibus conſurgit, ſiue propriis, ſiue Metaphoricis: ita Spiritualis colligitur ex reb*, quas voces ſignificãt.

Ratio prima.

Ratio 1. Voluit enim Deus in Scriptura nõn ſolùm verba, ſed etiam res, quæ ſignificantur verbis, habere vim ſignificandi. *Ratio 2.* Quia etiam profani Scriptores non ſolùm verbis ad ſignificandas res vti conſueuerunt; ſed etiam rebus ad alias res ſignificandas. vt patet in Symbolis & in Hieroglyphicis Ægyptiorum. Nam per apem depictam, quæ mel & aculeum habet, Regis clementiam & Iuſtitiam ſignificabãt. *Ratio 3.* D. Greg. *lib. 20. Moral. c. 1.* dicit: Scripturã hoc præſtare aliis Scientijs, quòd eodẽ Sermone dum narrat Textum, prodit Myſterium.

18. Dico tertiò. *Senſus Spiritualis eſt triplex: Allegoricus, Tropologicus, ſeu Moralis & Anagogicus. Allegoricus eſt* quando Scriptura per res, quæ ſunt geſtæ in Veteri Teſtamento declarat, quæ agi debuerunt in Nouo Teſtamento. Vt Iſaac ligna in ſuis humeris portans ad montem & locum Sacrificij, ſignificat baiulationem Crucis, quam Chriſtus in montem Caluariæ portauit. Et *ad Galat. 3.* Abrahã dicitur habuiſſe duos filios, vnum de ancilla, alterum de libera, ad declarandum vtrũq; Teſtamẽtũ, Vetus & Nouum. & ibidẽ Apoſtol* dicit, hæc fuiſſe dicta per Allegoriã.

Senſus Spiritualis quo tuplex? Allegoric* quid?

Moralis Senſus eſt, quando res vocibus ſignificatæ referuntur & accommodantur ad mores informandos. vt Deút. 25. *Non alligabis os boui trituranti,*

trituranti. Senſum moralem habet, Operariũ dignũ eſſe ſua mercede. Et Leuit. 13. *Præceptum eſt, vt leproſi oſtenderent ſe Sacerdotibus*: ex hoc loco hic Senſ⁹ Moralis elicitur, ad officiũ Sacerdotũ ſpectare, vt lepram ſpiritualem curent, abſoluẽdo à peccatis.

Anagogic⁹. *Anagogicus* ſẽſ⁹ vocatur, quãdo per Cerimonias & per Myſteria Eccleſiæ militantis denotãtur gaudia Eccleſiæ triũphantis. Et ſic vetus terreſtris Hieruſalem, fuit vmbra Hieruſalem cæleſtis, & illius beatitudinis. Et in hoc Senſu *Apocal. 11.* dicitur: *Vidi Ciuitatem Sanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo.*

Status Regni Chriſtiani duplex: 19. *Nota* Duo Senſus, videlicet *Allegoricus* & *Anagogicus*: ſic poſſunt deduci: Stat⁹ Regni Chriſtiani duplex eſt: *primus eſt*: in hac vita militantium, ſeu peregrinantiũ: *alter eſt* Triumphantium in cælo: ita etiam Senſus Spiritualis ſeu Myſticus duplex eſt: *vnus eſt*, cùm ex Literali Senſu ducimur ad Chriſtum & Regnũ, & ad regnum illius conſtitutũ ſub militia. et hic ſenſus vocatur Allegoricus. *alter eſt*, quo ſimiliter ex Senſu Literali ducimur in Chriſtũ & Regnũ illius conſtitutum ſub triumpho & ſub gaudio immortali. et hic Senſus vocatur Anagogicus. Hi omnes Senſus communiter his duobus verſibus traduntur.

Litera geſta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

Nota his nominib⁹ SS. Patres quãdoq; promiſcuè vti: nã tã Allegoria, quàm Anagogia ſine diſcrimine Sẽſus Spirituales ſignificat. Et ſic D. Aug. *lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 11.* vocat Allegoriam omnẽ Senſum. Et D. Hier. *ſup. Iſaiæ cap. 1. & 2.* explicans illa verba: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuũ.* Anagogiã appellat omnẽ Senſum.

20. D. Th. *Quodl. 7. art. 15.* horũ Senſuum ſufficientiam ſic deducit: Scriptura S. ſuas veritates, aut manifeſtat per verba aut per rerũ figuras: ſi fiat manifeſtatio per verba, erit Senſ⁹ Literalis: ſi autẽ per rerũ figuras, erit Senſ⁹ Spiritualis: hæc autẽ veritas per rerũ figuras manifeſtata dirigitur ad duo, vel ad rectè credẽdũ: vel ad rectè operãdũ; ſi ad rectè operãdũ, ſic erit Sẽſ⁹ Moralis, ſeu Tropologicus; ſi ad rectè credẽdũ, hoc dupliciter cõtingit ſecundùm rationẽ credibiliũ. Et quoniã ſecundùm D. Dion. *cap. 4. Cæl. Hier.* Stat⁹ Eccleſiæ eſt medius inter ſtatũ Synagogæ, & ſtatũ Eccleſiæ triũphantis: propterea Vetus Teſtamẽtũ figura fuit Noui Teſtamẽti; vtrũque autẽ Teſtamentũ Vet⁹ & Nouũ, ſimul ſunt figura cæleſtis Hieruſalẽ, & illius beatitudinis. Senſus igitur Spiritualis ad rectè credendũ ordinatus, ſi fundetur in quãtũ Vet⁹ Teſtamentũ, ſignificat Nouũ, ſic erit Senſ⁹ Allegoricus, ſecundũ quod illa, quæ in Veteri Lege contigerũt, exponũtur de Chriſto, & Eccleſia: ſi verò ſumatur Senſ⁹ Spiritualis in quãtũ fundatur ſimul & in Veteri, & in Nouo Teſtamento, ſic Eccleſiam Triumphantem ſignificat, & eſt Sẽſus Anagogicus: atq; ſic rectè quatuor Senſus ſtatuuntur. Senſus Spiritualis dupliciter ſumitur.

Nota de Senſu Morali, ſeu de Tropologico: quòd non omnis dicatur eſſe Moralis, ſed ſolũ ille, quãdo inſtructio morũ ſumitur ex ſimilitudine aliquarũ rerũ geſtarũ. nã Præcepta morũ & benè viuẽdi, quæ in Scriptura dãtur, habent Senſum Literalem; nec poſſunt dici, quod habeant Senſum Moralem.

Nota 2 nõ eſſe neceſſe, vt hi quatuor Sẽſ⁹ in quouis Loco S. Script.

reperiãtur, ſed ſufficere, vt q̃doq; aut duo, aut tres, aut quandoq; vnus tantùm contineatur.

21. *Sed quæres* q̃nã horũ Sẽſuũ Literalis an Spiritualis ſit nobilior? *Reſp.* ſi vniuerſaliter & in communi loquãur, æquè eádẽ nobilitate gaudere vtrũq;. Quia omnes de Deo, & deCreaturis in quantũ ordinãtur ad Deũ, agũt: ſi verò idẽ Sẽſꝰ cõſiderẽtur ex parte certitudinis, adhuc æquali præſtãtiã gaudẽt. quia omnes innitũtur in prima Veritate reuelãte: at ſi cõſiderẽtur quòad nos, præſtãtior eſt Literalis; quia ex certitudine Sẽſꝰ Literalis aliorũ Sẽſuũ pẽdet certitudo. D. Th. ſæpius dicit: quòd Spiritualis expoſitio ſumat fulcimẽtũ ex Literali. ſi deinde hi cõſiderẽtur ſinguli ĩter ſe, & ex parte Materiæ: plerũq; Sẽſꝰ Spiritualis, videlicet Allegoricꝰ & Anagogicꝰ, eſt præſtãtior Literali. *Ratio 1.* Quæ enĩ in Veteri Teſtamẽto ſũt per Allegoriã dicta, ſũt & ſignificãt Myſteria Noui Teſtamẽti: Nouũ autẽ Teſtamẽtũ eſt nobilius Veteri. Ergo & Allegoricꝰ nobilior Literali. *Ratio 2.* Senſꝰ Anagogicꝰ ducit ad cæleſtem beatitudinẽ: ſed hic præſtãtior eſt rebꝰ præſẽtibꝰ, quas ſignificat Literalis. Ergo Anagogicꝰ nobilior. Nã de Abrahá legimꝰ, quòd duos filios habuerit, vnũ de ancilla, alterũ de libera. quæ ſignificãt duo Teſtamẽta. & vt Iſaac natꝰ de libera, erat nobilior Iſmaële, q̃ natꝰ eſt de ancilla: ita N. Teſtamẽtũ, cuiꝰ eſt Author Chriſtꝰ D. eſt nobiliꝰ V. Teſtamẽto, quod à Moyſe originẽ duxit. Si deniq; cõſideretur Intentio Scribentis, ſæpenumerò nobilior eſt Senſꝰ Spiritualis, quã Literalis (vt videre eſt ex 1. Cor. 9.) vbi D. Paul. illa verba Vet. Teſtamẽti. *Nõ alligabis os boui triturãti,* in Sẽſu Spirituali explicat de ſtipẽdio prædicatorũ Verbi Diuini: nã poſtea addit. *Nam quid cura eſt Deo de bobus. propter nos hoc vtique dicit.*

Senſus quoplicitèr cõſideraretur

22. De Morali Senſu Dico. *Verum quidẽ eſſe, quòd res, quæ gerũtur in capite, ſunt magis nobiles, quã quæ gerũtur in mẽbris; vnde & magis intẽtæ à Spiritu S.* tamẽ quia Script S. facta eſt ꝓpter ſalutẽ animarũ noſtrarũ. ideo illiꝰ inſtitutio fuit propter nos homines; quæcunq; enĩ ſcripta ſunt, propter noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et ex hoc Nobilitatem habet.

Nota eſſe etiã plurimas cõſiderationes ſecũdũ quas Literalis Senſꝰ eſt excellentior Spirituali: *primò* ex parte *Intẽtionis*, q̃libet enĩ Locꝰ Script. habet ſuũ Sẽſũ Literalẽ genuinũ, nõ ſẽp autẽ Spiritualẽ: *2dò* ex parte *vniuerſalitatis*, quia latiꝰ patet Sẽſꝰ Literalis, quàm Spiritualis: qui enim percipit Senſum Spiritualem, neceſſariò debet percipere Literalem: ſed non è contra. ſunt & alii modi, quos Interpretes SS. Scripturarum annotare ſolent.

QVÆSITVM IV.
Ex quo Senſu Argumenta firma ſumi poſſunt?

Exſenſu literali ſumũtur argumenta ad veritates confirmandas.

23. PRo determinatione Dico primò. *Ex Senſu Literali poßũt ſumi, & de facto ſumũtur Argumenta ad cõfirmandas veritates fidei & morum.* Senſus enĩ Literalis vt plurimũ eſt manifeſt⁹ Eccleſiæ, tanquã hic, qui à Deo eſt reuelat⁹. Ergo in probando vim habet. Declaratur ex illo loco Deut. 6. *Audi Iſraël, D: Deus noſter, Deus vnus eſt.* ex quo efficaciter inferim⁹ Deũ eſſe vnũ. Tum ex illo loco *Verbum caro factum eſt.* optimè inferim⁹ Incarnationẽ Verbi Diuini. Et qui hoc negat, negat intentionẽ Spiritus S. proinde incredulus eſt.

Ex ſẽſu Spirituali abſolutè nequaquam.

Dico ſecundò *Ex Senſu Spirituali in ſe abſolutè conſiderato, non poteſt ſumi efficax Argumentũ, ad dogmata fidei confirmanda.* Quia in eo cõtingit error ob ſimilitudinẽ vni⁹ rei ad aliã, in qua fũdatur Senſ⁹ Spiritualis. & quia vna res poteſt eſſe ſimilis multis reb⁹, iiſdẽq; diuerſis: ideo trahere rẽ aliquã ad vnã peculiarẽ & particularẽ confirmandã, ſæpè fallaciæ obnoxiũ eſt, Vt accidit Donato, & eius aſseclis referente D. Aug. *lib. de vnit. Eccl. cap.* 14. qui ſuã hæreſim ſic confirmabat ex eo. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Quia hic hæreticus plagam Meridionalem incolebat, ideo ad ſolã illã plagã, Eccleſiã pertinere probabat. Et Lutherus ex 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotiũ.* cõcludit ſuũ dogma Hæreticũ, Omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes; nec vllum eſſe diſcrimẽ ĩter Laicos & Sacerdotes.

Senſus Spiritualis intẽtus à Spiritu S. magnam habet vim ad probandum.

24. Dico tertiò. *Quando autem Senſus Spiritualis eſt intentus à Spiritu S. & explicatus, vel per Apoſtolos, vel per Prophetas, vel per alios Scriptores Sacros, iam tunc magnam vim habet ad probandũ.* vt D. Paulus *ad Galat.* 4. volens oſtendere per Legem Euangelicã abrogandam eſſe Legẽ Veterẽ, adducit illa verba, quæ Deus ad Abrahã dixit: *Eijce ancillam & filium eius, nõ enĩ hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ.*

In Theologia ſunt Argumẽta duplicia.

Dico quartò. *Cùm in Diuina Theologia ſint Argumenta neceßaria & probabilia; neceßaria tunc tantùm ducuntur à ſenſu Spirituali: quãdo eſt à Spiritu S. intentus, & in S. Scriptura explicat⁹ (vt locum de boue triturante explicat de Prædicatoribus) aliàs ſolùm ab hoc Senſu Probabilia Argumenta ſumuntur. Proinde ſi quãdo SS. Patres à tali Sẽſu ducunt Argumẽta, illa nõ habẽt vĩ cõuincẽdi, ſed ſolũ ſuadẽdi.*

25. *Nota* Senſũ Spiritualẽ, qui eſt intentus à Spiritu S. eſſe perfectiſſimum. Et ſicut fides eſt fundamentum charitatis: ita Literalis eſt fundamentum Spiritualis: & ſicut charitas eſt forma & perfectio fidei: ita Spiritualis eſt forma & perfectio Literalis. Et propterea Spiritualis à D. Bern. *Serm.* 3. *Epiph. Nucleo medullæ comparatur,* Literalis verò Cortici ſeu teſtæ nucis. Orig. Senſum Spiritualem Diuinitati comparat, Literalem verò Humanitati. Et D. Greg. ſup Ezech. Senſum Spiritualem Grano aſſimilat, Literalẽ Paleæ.

Nota vltimò de Senſu Spirituali cũ Banneſio, quando plurimi SS. Patres in expoſitione alicuius Loci S. Scripturæ conueniunt ſecundùm Senſũ Spiritualẽ, iã propter authoritatẽ Cõſenſ⁹ SS. Patrũ, magnã vĩ habet Argumentũ, ex eo ſumptum.

Et de Natura Theologiæ, atq; etiam de S. Scripturæ ſenſibus; interim hæc, quæ ſunt dicta, ſufficiant.

IN TRA-

IN TRACTATVM DE SCIENTIA DEI PRÆFATIO.

POſtulabat ordo Angelici Doctoris, quem in eius Summâ Theologiæ exponenda, ſequendum nobis propoſuimus: vt poſt tractatum, in quo cõplexi ſumus ea, quæ ad rationem Theologiæ conſtituendam ſpectabant, primùm quidem de Exſiſtẽtia Dei ageremus; tandem de Attributis abſolutis, ſeu perfectionibus illis, quæ ſunt numero octo ſ: Simplicitas, Perfectio, Bonitas, Infinitas, Exſiſtentia in rebus, Immutabilitas, Æternitas, Vnitas. Sed in hac re ſequimur morem prælegentium Curſum Theologiæ, qui hæc omittere ſolent, eâ de causâ, quia hæc ſine operâ docentis per quemlibet ſtudioſum Theologiæ, mediocri adhibito ſtudio, cognoſci poſſunt: tùm quia horum magna pars in Metaphyſicis communiter explicari ſolet. idcirco ad ea explicãda ſtudium noſtrum transferimus, quæ innumeris ambagibus, & anfractibus difficultatum ſunt impedita; quorum de numero eſt Scientia Dei: & quoniam ratio connexionis ſuperiorum cum his, de quibus agimus, eſt manifeſta: illud hic noto in Diuinitate noſtro modo concipiendi, *duo* conſideranda eſſe, ſ: Subſtantiam & Operationem, ea quæ ad Diuinam Subſtantiam ſpectant, habentur in doctrinâ de Attributis: quæ autem pertinent ad operationem Dei, de his iam agendum, & cùm

Opera-

Operationes quædam ſint intrinſecæ & immanẽtes; vt intellectûs & voluntatis: nam intelligere eſt in intellectu; velle in voluntate: idcirco de his primò agem⁹, videlicet de Sciẽtia & Voluntate, tandẽ de Potentia, quæ eſt principium æternarum operationum.

DIVISIO TRACTATVS.

Doctrinam de Scientiâ Angelicus Doctor *16 articulis* incluſit, nos eam QVATVOR DISPVTATIONIBVS complectemur.

1. *Erit de Exſiſtentiâ, & de Modo, quo Scientia eſt in Deo*
2. *Latitudinem Subiecti explicabit.*
3. *Inquiret qualiſnam ſit hæc Scientia?*
4. *Aget de cognitione futurorum Contingentium.*

DISPVTATIO I.

De Exſiſtentia & de Modo Scientiæ DEI.

Quinque Quæſita habebimus.

1. *An Scientia ſit in Deo, quâ ſeipſum cognoſcat?*
2. *An Deus cognoſcit alia à ſe?*
3. *An cognoſcit in ſuâ Eſſentia? an in ſeipſo?*
4. *An præter* naturalem *&* liberam *Scientiam, ſit quædam alia* media *&* conditionata *admittenda?*
5. *An Scientia Dei ſit cauſa rerum?*

QVÆSI-

QVÆSITVM I.

An ſit in Deo Scientia, quâ ſeipſum intelligat?

1 PRo determinatione Nota nomine *Sciẽtiæ*, nos hîc intelligere cognitionem, quæ ſit certiſſima, veriſſima, euidentiſſima, immutabilis: ita, vt omne illud, quod Deus intelligit, ſit certiſſimum, veriſſimum, euidentiſſimũ, ac immutabile. Vnde omnes imperfectiones à Deo ſunt remouẽdæ, quæ in noſtra Scientia reperiũtur: ſunt autem hæ tres imperfectiones Scientiæ noſtræ: *primò* quòd ſit Qualitas: *ſecundò* Habitus; *tertiò* Diſcurſiua: proinde reijciendæ ſunt ob

Quicquid dicit imperfectionẽ tollendũ à Deo

rationem D. Th. quam habet *hîc art. 1. ad 1. Omne id, quod dicit imperfectionẽ, ſecludi debet à D o.* Sed Qualitas, Habitus, Diſcurſus dicũt imperfectionem. ergo à Deo remoueri debent. *Minor* Qualitas enim eſt Accidens, ſed Accidens non conuenit Deo: quia *quicquid eſt in Deo, Deus eſt:* Habitus quoque habet admiſtam potentialitatem; quia non ſemper eſt in actu, ſed quandoque in potentia: Dei autem Scientia actualis eſt; nã Deus eſt Actus purus.

Nota ſecundò. Latè loquendo de Habitu, in quantùm dicit facilitatẽ, celeritatem & certitudinem, Scientia Dei poteſt dici Habitus; non quidem per diſcurſum, quia vnico, & ſimpliciſſimo actu omnia intelligit, quæcunque intelligit; nec cognoſcit vnum per aliud, vt in diſcurſu accidit Ad Quæſitum

2. Dico primò. *Non eſt dubium inter Doctores, quinimò certâ fide credendum, in Deo eſſe verè & propriè dictam Scientiam ſine vllo defectu; & quæ omnes perfectiones Scientiæ contineat; nec ſolùm Scientiæ, ſed etiam Intelligentiæ, Sapientiæ, Prudentiæ, atq; inſuper Artis.* PROBATVR locis Scripturæ. Et *primò* de Scientia, quòd ſit in Deo. Heſter *14. Domine, qui habes omnem Scientiam.* Pſal. *138. Mirabilis facta eſt Scientia tua.* De Sapientia verò habetur Pſal. *103. Omnia in Sapientia feciſti.* Ad Rom. *10. O altitudo Sapientiæ, & Scientiæ Dei.* De Intelligentia Pſal. *135. Fecit cælos in intellectu*; & Iob. *14. Apud eum eſt Sapientia, & ipſe habet conſiliũ, & intelligentiam.* De Prudentia legimus Prouerbiorum 2. *Dominus dat Sapientiam, & ex ore eius prudentia.* & cap: 3. *Stabiliuit cælos prudentiâ.* De Arte, Sapientiæ 2. *Omnium artifex docuit me.* Et ad Hebr. 11. *Deus eſt artifex Ciuitatis cæleſtis.*

3. PROBATVR *ratione* D. Th. Immaterialitas eſt ratio, propter quam aliquid eſt cognoſcitiuum, & ſecũdùm modum immaterialitatis, eſt modus cognitionis. Sed Deus ſimpliciter eſt in ſummo gradu immortalitatis. ergo & in ſummo gradu cognitionis. ergo in Deo eſt Scientia perfectiſſima. *Maior*, in quâ vis argumẽti, probatur. Cognitio Actualis requirit, vt ſint Species receptę

actu: ergo omne illud, quod recipit ſpecies intelligibiles, eſt cognoſcēs. Sed id, quod eſt materiale, non eſt aptum recipere Species; id autem quod eſt immateriale eſt receptiuū. Ergo quod eſt materiale, non eſt cognoſcens, quòd verò immateriale, erit cognoſcens. *Minor* nā inter cognoſcentia, & nō cognoſcentia, hoc eſt diſcrimen, quod non cognoſcētia tantùm ſuas formas habent. cognoſcentia verò, vltra ſuam formā, & alias recipiunt.

Species recipiūtur ſine materia.

4 PROBATVR & auctoritate Ariſt. *2. de Ani.* vbi dicit: *Plantæ non cognoſcunt propter ſuam materialitatem*: & *1. de Anima tex. 4.* vſq; *ad 8.* apertè oſtēdit, Intellectum eſſe immaterialem; ex eo, quia eſt omnium intellectiu⁹. Ergo immaterialitas eſt ratio cognitionis. Contra hanc Maiorem obijciunt multa Aureolus, Gabriel.

Obijcies primò. Fides, Spes, Charitas, Lumen gloriæ, ſunt immmaterialia: ſed ſecundùm D. Thom. immaterialia ſunt cognoſcitiua. ergo & hæ Qualitates, cùm ſint immateriales, erunt cognoſcitiuæ, quod omnino eſt falſum *Reſpondeo*, Maiorem D. Th. intelligendam eſſe de immaterialibus illis, quæ per ſe ſubſiſtunt: iam autem Fides, Spes, Charitas, cùm ſint Accidentia, per ſe nō ſubſiſtunt, & ideò non ſunt cognoſcitiua.

Immaterialia p ſe ſubſiſtentia ſūt ſola cognoſcentia.

5. *Obijcies ſecundò.* ſi Deus produceret aliquā ſubſtantiā immaterialem, & huic demeret ſuum concurſum; quod quidem facere poteſt, cùm Deus in ſuis actionibus ad extra ſit liber. ergo hæc Subſtantia immaterialis non intelliget *Reſpondeo*, eſſe benè verum, quòd Deus poſſe[illegible] Subſtātiæ immateriali, qui omnino ad cognoſcendum eſt neceſſarius; & quidem reſpectu actus ſecūdi, qui eſt actualis intellectio, ſed non reſpectu act⁹ primi, nam repugnat dari aliquam Subſtantiam immaterialem, quæ nō ſit in actu primo intellectiua: ſeu quod idem eſt, quæ non ſit apta intelligere: nam ſi concurſus primæ Cauſæ acceſſerit, etiam intellectionem producet.

Status intellectionis duplex.

6. *Obijcies tertiò.* Voluntas eſt Potentia immaterialis, & tamen Voluntas non eſt cognoſcitiua. ergo immaterialitas non eſt ratio cognoſcendi. *Reſpondeo*, quòd immaterialitas in illis naturis apprehenſiuis, vel in Potentijs, eſt ratio intelligendi, à quibus recipi poſſunt Species intelligibiles, atque in illis ſubſiſtere: atverò voluntas nō recipit Species intelligibiles, nec intra ſe aliquam formam recipit, quæ ſit ſimulachrū rei intellectæ; ſed potiùs eſt potentia, quæ fertur ad extra in ſuis actionibus.

Voluntas fertur ad extra proinde ſpecies intelligibiles recipere nequit.

Obijcies quartò. Forma cæli eſt immaterialis, & tamen non eſt cognoſcitiua. ergo immaterialitas non eſt ratio cognoſcendi. *Reſpondeo* ſi ſumamus formam cæli, in quantum eſt Entis Phyſici materià conſtantis, ſic dico, quòd forma cæli ſit materialis; ſi verò loquimur de forma aſſiſtente, quæ dicitur eſſe Intelligētia, dico quòd hæc ſit immaterialis & quòd intelligat, ſed hæc forma non eſt intrinſeca & cōſtitutiua cæli in ratione Entis Phyſici: vnde cælum non debet dici immateriale.

7. *Obijcies quintò.* Materia nō impedit intellectionem. ergo immaterialitas non eſt cauſa intellectionis. *Antecedens.* Anima rationalis non impedi-

impeditur à Materiâ, videlicet à Corpore, nam æquè perfectè exſiſtens in corpore, atque cum eſt ſeparata, intelligit. *Reſpondeo* Animam Intellectiuam in ſua intellectione non pendere à corpore, tanquam illud ſit intellectionis productiuum & effectiuum, proinde vt ſic non impedit intellectionem; ſed ſolùm pēdet à corpore, tāquam ab Obiecto, & ſic impedire poteſt.

Anima Rationalis quo modo pendeat à corpore in intelligendo?

Obijcies ſextò. Poteſt Deus creare aliquam creaturam immaterialem, quæ non ſit cognoſcitiua, poteſt quoque creare materialem, quæ ſit cognoſcitiua. ergo immaterialitas non erit ratio cognitionis. *Reſpondeo primò* omnino repugnare, quòd producat Deus aliquam creaturam immaterialem & non cognoſcitiuā: quia non eſt cogitabile, cuius Subſtantiæ, & modi eſſet, cùm ſit immaterialis & non cognoſcitiua. ergo ſequeretur dari aliquam naturā ſine ſuâ propriâ operatione. *Reſpondeo ſecundò.* Nos interim non loqui de abſolutâ Potentiâ Dei, quæ poteſt, aut non poteſt hæc & illa producere; ſed loquimur de Potentiâ Dei Ordinariâ, quæ quòad præſens, non patitur talem productionem: nam ſecundùm ordinem naturalem præſentem, immaterialitas eſt cauſa cognitionis.

8. *Nota*, reperiri apud auctores varias rationes, quibus probant in Deo dari ſciētiam: Durā: ſic probat. Nobiliſſimo Agenti, nobiliſſimus modus agendi tribuendus eſt: ſed Deus eſt Nobiliſſimum Agens: nec actio poteſt eſſe nobilior, quàm quę fit per intellectum & voluntatem. ergò in Deo Scientia eſt cōcedēda.

Rationes Theologorum dari in Deo ſcientiam probãtes.

Alij ſic probant. Omne Agens naturale, debet dirigi & ordinari à Supremo Agente in ſuum finem: ſed hoc Agens Supremum, ſ: Deus, niſi & ſe, & alia à ſe, videlicet agentia naturalia cognoſcat; non poterit illa ordinare. ergo in Deo eſt Scientia. Sed hæ rationes ex communib⁹ Principijs ſunt petitæ, quibus etiam probari poteſt, quòd Deus ſit Bon⁹, quòd omnipotens: proinde ratio D. Th. eſt conueniens & immediata: ſ: quòd immaterialitas ſit ratio intelligendi: & per conſequens Scientiā dari in Deo, cùm ſit ſummè immaterialis.

9. *Quæres*, An Scientia Dei poſſit dici Vniuerſalis & Particularis? *Reſpondetur* cum D. Th. *hîc* ex reſponſione *ad 3.* Scientiā Dei neq; eſſe Vniuerſalem, neque Particularem. Contrarium Dur. tenet in *1. Diſt. 25. q. 4.* motus hac ratione; Scientia Vniuerſalis eſt, quæ Genericas rationes rerum contemplatur; Particularis verò, quæ rationes Specificas conſiderat. ſed Deus per ſuam Scientiam, cognoſcit rationes tam Genericas, quàm Specificas. ergo in illo eſt Sciētia Vniuerſalis & Particularis. *Reſpondetur* de Scientia Dei, quòd ſit Vniuerſalis & Particularis, tripliciter loqui poſſumus: *primo ratione medij*, ſeu cauſæ, per quam fit cognitio: & hæc eſt Eſſentia Diuina. Sed hæc non eſt Vniuerſalis, quia licet ſit communicabilis ſicut Vniuerſale, tamen diuerſo modo. nam Vniuerſale communicat ſe ſecundùm aliud & aliud *Eſſe*; Eſſentia verò Diuina communicat ſe Diuinis Perſonis ſecundùm vnum & idem numero. Neque eadem Eſſentia eſt Particularis; quia ſecundùm Philoſophum, quod eſt Particulare, eſt quoque Singulare, &

re, & Indiuiduum incommunicabile. ſed Eſſentia Diuina eſt trib' Perſonis communicabilis. ergo non eſt Particularis.

10. *Secundò Ratione Obiecti Primarij.* non poteſt dici Sciẽtia Dei Vniuerſalis, aut Particularis, ſiquidem primarium Obiectum ſcientiæ Dei, eſt Eſſentia Diuina. Sed hæc nõ poteſt dici Vniuerſalis, quia quodlibet Vniuerſale per additam Differentiã ſpecificatur: & quòdlibet Specificum, ſeu Particulare per additam Differentiam ſingularis indiuiduatur. Sed nihil horum Eſſentiæ Diuinæ conuenit; neq; enim eſt contrahibilis, aut per Differentiam ſpecificam, aut per principiũ indiuiduationis, quod eſt Materia & Forma. Ergo ratione Obiecti primarij neq; eſt Vniuerſalis, neq; Particularis.

Tertiò Ratione Secundarij Obiecti. ſũt autem *hoc* obiectum tale omnia illa, quæ ſunt alia à Deo; & horũ omnium quædam ſunt, ſecundùm rationes Vniuerſales, quædam ſecundũ Particulares: & ſic ratione horum extremorum, dico: quòd Deus cognoſcat Vniuerſalia & Particularia in ſeipſo perfectiſſimè. deinde dico: quòd Scientia Dei poteſt dici eminenter Vniuerſalis & Particularis, quia Vniuerſalis Scientia dicitur: cùm intelligit genericas rationes, & non demittit ſe ad particulares; Et Particularis Scientia eſt, quæ dum intelligit particulares rationes, non conſiderat vniuerſales; Scientia autem Dei vtrumque eminenter continet, quia ſimul conſiderat vniuerſales & particulares, vno eodemq; ſimpliciſſimo intuitu.

Ad extremum Dico: Scientiam Dei extenſiuè poſſe dici vniuerſalem, in quantùm attingit omnia à fine, vſque ad finem. nam res etiam poſſibiles, quæ nunquam erunt, cognoſcit: & nihil eſt, quod Scientiam Dei poſſit ſubterfugere.

11. *Obijcies* Scientia, ſic eſt Habitus Concluſionum; ſicut intellect' Principiorum. Sed Deus, nõ cognoſcit ſicut nos, ex Principijs colligẽdo Concluſiones, quia ſicut noſter intellectus, ita & Diuinus, deſcenderet à Principijs ad Concluſiones; quod cùm nec in Angelis reperiatur, multò minus erit in Deo. Ergo in Deo non erit Scientia. *Reſpondetur* quando aliquam perfectionẽ Deo tribuimus, quæ in rebus humanis reperitur; tùm ſi hæc annexam habet imperfectionem; hæc omninò remouenda eſt. Cùm igitur in nobis eo modo gignitur ſcientia, quòd ex Principijs deducantur Concluſiones, ita vt in nobis ſit cauſata Scientia, (quod dicit imperfectionem) in Deo non erit cauſata. nam Deus licet hominem eſſe riſibilem cognoſcat; quia eſt rationalis; vtrumque tamen vno ſimpliciſſimo intuitu, & actu cognitionis cognoſcit, nec in rationali cauſat Scientiam riſibilis.

Obiectio contra rationẽ vltimam.

Deus ſimplici intuitu omnia cognoſcit.

Ex quo collige: Scientiam vnius rei in Deo non eßе Priorem nec poſteriorẽ. quia vna alteram non cauſat. nam ſimul omnia cognoſcit; obiectiuè tamen ratione extremorum, & ad extra, apprehendit Deus, vnum eſſe cauſam vel effectum alterius; & ſic dici poteſt, quòd Deus habet ſcientiã *propter quid à priori*, ratione creaturarum, & ad extra.

12. Dico ſecundò. *Deus intelligit ſeipſum, ita, vt Eßentia Diuina ſit primarium, immediatum, & adæquatum Obie-*

ctum

ctum Scientiæ Diuinæ. Dictum hoc eſt de Fide. PROBATVR, 1. Cor. 2. *Quæ ſunt Dei, nemo nouit niſi Spirit⁹ Dei.* Sed ea, quæ ſunt Dei; ſũt de Eſſẽtia Dei. Ergo ſi Spiritus Dei nouit quæ ſunt Dei, ſequitur quòd nouit Eſſentiam Dei. Et ibidem dicitur: *Spiritus Dei ſcrutatur omnia profunda Dei.* Sed hæc profunda Dei, eſt Eſſentia Dei, & Spiritui Dei competit hæc Scientia. Ergo & Eſſentiæ.

Ad intellectionẽ quinque concurrunt.

Nota ad omnem intellectionem quinque concurrere: *primò* concurrit intelligens, hoc eſt, Suppoſitum; ſiue creatum, ſiue increatum: *ſecundò* intellectus, quo intelligit: *tertiò* Obiectum quòd intelligit: *quartò* ſpecies intelligibilis, per quam intellectus cõſtituitur in actu: *quintò* intellectio; & hæc quinque ſunt diſtincta in intellectione creata, in Diuina autẽ ſunt prorſus vnum & idem, vt docet D. Th. *hic Art. 2. & 4:*

13. PROBATVR quoque: ſecundum primum Dictum, in Deo eſt ſcientia: ſed quicquid eſt in Deo, eſt perfectiſſimè; ergo ſi in Deo eſt ſcientia; perfectiſſima erit: Et ſi ſcientia Dei perfectiſſima; hoc habebit ex Obiecto perfectiſſimo. at Diuina Eſſentia eſt perfectiſſima. ergo Deus ſeipſum per ſeipſum; ſeu per Eſſentiam ſuã intelligit; & per Conſequens Scientiæ Dei Obiectũ primarium erit Eſſentia Dei. *Confirmatur*. Intellectus Diuinus eſt perfectiſſimus. Ergo & illius operatio debet eſſe perfectiſſima: ſed quæuis operatio ſumit ſuam perfectionem ex Obiectis, iam autem nullũ Obiectum perfectius cogitari poteſt Eſſentiâ Diuinâ: Ergo non aliud Obiectum Scientiæ Dei erit, niſi Eſſentia.

Operatio ſumit perfectionẽ ex obiecta.

14. *Probatur præterea*, ratione D. Th. Intellectio tunc fit, quando intellectus eſt in actu: ſed intellect⁹ Diuinus ſemper eſt in actu, quia nunquam caret ſpecie intelligibili, & hæc ſpecies intelligibilis eſt ipſa Eſſentia Diuina; Ergo Deus intelligit ſeipſum per ſeipſũ. *Confirmatur*. ſi enim intellectus Diuinus non eſſet in actu, eſſet aliquando in potẽtia intelligendi; at Diuinus intellectus nullo modo eſt in potẽtia, ſed ſemper in actu; habet enim ſemper præſentiſſimum Obiectum, ſ. Eſſẽtiam. Ergo ſemper eſt in actu intelligendi, & ſemper eſt actus purus.

Dices Angelus cognoſcit ſeipſũ per ſuam eſſentiam, & ſpecies intelligibilis eſt idem cum ſubſtantia Angeli, & tamen Angelus reſpectu cognitionis ſuiipſius non eſt actus purus. ergo nec Deus intelligendo ſeipſum per ſeipſum, erit actus purus. *Reſpondetur* cum Caiet. quòd S. Doctor in ſua ratione, non loquitur de ſpecie, quæ eſt Principium cognitionis, ſed loquitur de ſpecie, quæ eſt ſimilitudo expreſſa; & quæ iam eſt terminus formalis cognitionis, quã appellamus *Verbum mentis*. Et ſic in Angelo ſpecies hæc expreſſa in cognitione ſuiipſius, eſt realiter diſtincta à Subſtantia Angelici intellectûs. Sed de Deo dici non poteſt, quòd eius Eſſentia, quæ vicem ſpeciei intelligibilis habet, ſit realiter diſtincta ab intellectu Diuino; eſt enim idem cum eo, & propterea, Deus in cognitione ſui eſt actus purus. Banneſius dicit: hanc ſolutionem non eſſe ad mentem D. Th. quia dubium tanquam certum ſupponit. Eſt autem dubium apud Thomiſtas, vtrum Angelus in

lus in cognitione ſuiipſius, formet verbum? vnde dicit potiùs D. Th. loqui de ſpecie impreſſâ, quæ eſt principium intellectionis, & hanc dicit ab intellectu Angeli realiter diſtingui; cum Deo autem intellectus Diuinus, Eſſentia, Species intelligibilis, ſunt idem realiter, & propterea Deus eſt actus purus.

15. *Probatur tertiò.* Ei, quod eſt perfectiſſimum, nulla perfectio deeſſe poteſt ſed Deus eſt Ens perfectiſſimum, & Diuinæ Eſſentiæ intellectio, eſt ſũma perfectio: Ergo hæc perfectio non deeſt Deo. ergo ſeipſum per ſeipſum intelligit.

Probatur quartò. Perfectio intellectionis ex duobus pendet: *primò* ex conformitate repræſentatiua ſ. ſpeciei intelligibilis cum re intellectâ. *ſecundò* ex perfectâ vnione intellectus cum ſpecie intelligibili: ſed Eſſentia Diuina, per quam Deus ſe intelligit tanquam per ſpeciem; eſt maximè conformis ipſi Deo, & maximè vnita Diuino intellectui, nam omnibus modis idem eſt cum Diuino intellectu. Ergo Deus ſeipſum per ſeipſum intelligit.

16. Hoc Dictum D. Th. *1. contra gentes cap. 46.* multis rationib⁹ cõfirmat ducens ad abſurda. *Primò* Si Deus intelligeret ſeipſum per ſpeciem, quæ non eſſet ſua Eſſentia. ergo neceſſariò per ſpeciem extraneam, quæ non ſit Deus, ſeipſum intelligeret: & quia ſpecies intelligibilis eſt principium formale, & efficitiuum cognitionis, ſequeretur inde id, quod eſt aliud à Deo, eſſe cauſa intellectionis Diuinæ; & per conſequens eſſe cauſam ipſius Dei, quod eſt blaſphemum. *Antecedens* Si enim intellectio Dei cauſatur per extrinſecam ſpeciem; cùm intellectio Dei ſit ipſe Deus, cauſando intellectionem, cauſaret Deum. *Secundò* ſequeretur, quòd eſſet quoddam aliud diuerſum, & diſtinctum à Deo æterno. *Sequela* nam illa ſpecies, per quam Deus eſt actu intelligens, eſſet ab æterno, atque ſic duo æterna, Deus, & ſpecies intelligibilis, extra Deum darentur. *Tertiò.* Species intelligibilis comparatur ad intellectum, ſicut actus ad potentiam, & ſicut perfectio ad perfectibile. Ergo ſequeretur quòd ſpecies, cùm ſit extranea, & alia à Deo; intellectum Dei actuaret, eũdemque perficeret; quod quia falſum eſt; idcirco Deus ſeipſum non per extraneam ſpeciem, ſed per eã, quæ eſt ipſa Eſſentia Dei, intelligit.

17. Dico tertiò *Deus intelligendo ſeipſu, perfectè ſeipſum comprehendit.* PROBATVR Cognoſcere aliquid in tãtum, inquantum eſt cognoſcibile, eſt illud cognitione comprehendere; ſed Diuinus intellectus, intelligit Eſſentiam ſuam inquantum eſt cognoſcibilis. Ergo cognoſcendo ſe, intelligit ſeipſum perfectiſſimè.

Secunda ratio Comprehendere ex *Quaſt. 12.* nihil aliud eſt, quàm rem aliquã ita cognoſcere, vt nihil cognoſcentem lateat. Sed Diuinus intellectus, ſic cognoſcit ſuam Eſſenſentiam, vt nihil illum latere poſſit, quod ſit in ea; ergo ſeipſum comprehendit.

Tertia ratio. Virtus Dei cognoſcitiua tanta eſt, quanta eſt actualis exſiſtentia Dei: ſed actualis exſiſtẽtia Dei eſt infinita. ergo & intellectus Diuinus infinitus, at infinitum infinito benè proportionatur. Ergo infinitus intellectus exſiſtentiam

ſiſtentiam, Dei infinitam, comprehendit.

Quarta ratio Cognitio Dei ita eſt perfecta, ſicut Eſſentia Diuina: at Eſſentia Diuina comprehendit omnia: tam quæ ſunt in Deo formaliter, quàm etiam eminenter; ergo etiam cognitio Dei hæc omnia cõprehendit.

18. *Nota* Quòd non ſolùm Deus ſuam Eſſentiã, ſed omnes alias creaturas comprehendit ſuâ cognitione. *Probatur* Certum eſt, quòd Deus omnes creaturas, ſecundùm modos exſiſtentiæ perfectiſſimos continet in ſe. ergo cùm Deus ſuam Eſſentiã intelligendo comprehendat, etiam omnes creaturas intelligendo comprehendet.

Probatur locis Scripturæ Eccleſ. 16. *Cælum, & cæli Cælorum: abyßus & vniuerſa terra, & quæ in eis, in conſpectu eius commouebuntur.* Et ad Hebr. 4. *Omnia autẽ nuda & aperta ſũt oculis eius*: Etiã ea, quæ nõ ſunt, nouit. Nã ad Rõ: 4. *vocat ea quæ nõ ſũt, tãquã ea, quæ ſũt*; quomodo autem vocaret, niſi intelligeret. Dan. 12. *Omnia noſti antequã ſunt.* nouit etenim futuras & liberas actiones hominum antequam fiant. Eccl. 23. *Oculi Domini circumſpicientes omnes vias hominum, & corda eorum intuentes, omnia etiam cognita ſunt omnium Domino, antequam crearentur.* Nouit etiam res & comprehendit minutiſſimas. Matth. 10. *Vnus paſſer nõ cadet in terrã ſine Patre cæleſti.* Qua de re D. Greg. *Moral. 16. cap. 5.* dicit: *ſic Deus ſumma regit, vt infima non deſerat: Sic imis præſens, vt à Superioribus, non recedat: ita omnibus intendit, vt adſit ſingulis: ita ſingulis, vt ſimul omnibus nunquam deſit.*

19. *Obijcies* D. Aug. *lib. 83. Quæſtionũ cap. 46.* dicit: *Deus in mundi creatione, nihil extra ſe intuebatur.* Et D. Th. idem confirmat, dicens: *Deus non videt res in ſeipſis, ſed in ſeipſo.* Sed loca enumerata dicunt: Deum res à ſe productas, in illis ipſis intueri. *Reſpõdetur* hæc omnia loca ſic eſſe intelligenda, quòd Deus omnes creaturas ſecundùm illarum exſiſtẽtias, & modos exſiſtendi perfectiſſimè & euidentiſſimè cognoſcit; non eo modo, quaſi res creatæ ſint motiuum intellectionis Diuinæ, & quaſi ab illis ſpecies ſumat: ſed per propriam ſuam Eſſentiã intelligit, quæ in ſe eminẽter cõtinet omnes creaturas, ſecundùm modũ perfectionis. Proinde D. Aug. explicandus eſt de Idæis Diuinis, videlicet quòd Deus in creatione vniuerſi, non reſpiciebat ad aliquas Idæas & imagines externas, ſicut artifices ſolent, ſed ſolùm ad imagines, quas mente gerebat.

20. Dico quartò cum D. Th. ex illi⁹ quarto Articulo *Intelligere Dei, eſt illius ſubſtantia.* PROBATVR D. Aug. *lib. 7. de Trin.* dicit. *Deo hoc eſt eſſe, quod Sapientem eße.* Sed Deo hoc eſt eſſe, quod intelligere. Ergo *Eße* Dei, eſt eius ſubſtantia. Ergo & intelligere erit Dei ſubſtantia.

Secunda ratio D. Thomæ, ſequeretur, quòd Eſſentia Diuina haberet ſe ad aliquid aliud, tanquam potẽtia ad actum perfectiorem: quod quidem falſum eſt, quia Eſſentia Diuina, eſt actus purus: vnde nunquam ſe habet vt potentia, neque vt perfectibile.

Ratio tertia. Con. gen. cap. 45. Quicquid in Deo eſt, De⁹ eſt: ſed intellectio, quâ Deus ſeipſũ intelligit, eſt in Deo. Ergo eſt Deus.

Quarta

Quartâ ratio. In Diuinis omnia ſunt vnum & idem, realiter, & formaliter. niſi detur aliqua oppoſitio inter intellectum & Eſſentiam Diuinam; ſed nulla hic oppoſitio dari poteſt. Ergo ſunt idẽ. Manifeſtũ itaq;eſt,in Deo dari Sciẽtiã, quâ ſe cognoſcit per ſeipſũ,atq; etiã cõprehendit: & quod illius Intelligere, ſit ſua Subſtantia.

QVÆSITVM II.
An Deus intelligat à ſe alia?

21. SEnſus Quæſiti eſt, an De⁹ cognoſcat alia,illa videlicet, quæ ſunt extra Deũ; & quæ non ſunt Deus, ſed ab illo ſunt diſtincta; & tales ſunt creaturæ.

Auer: adimit Deo Singularium cognitionem: *Ratio illius,* ſi enim Diuinus intellectus Singularia eademque minutiſſima, quæ ſunt in mũdo cognoſceret, vileſceret. Quidam eam ſententiam Ariſtoteli tribuũt: nam *3. de an. tex. 80. Et 3. Met. tex. 18.* contra Empedoclem hoc abſurdum infert. Si Deus Elementa, & ea; quæ ſunt ex Elementis non cognoſceret, ſequeretur Deum eſſe inſipientiſſimum; nam non cognoſceret omnia, quæ homines viſu percipiunt: proinde *textum 51. Met. 12,* in quo dicit de cognitione primæ Intelligentiæ,ita exponit D. Th. & S. Bonau. cum dicit: *Melius eſt quadã non videre, quã videre.* Quòd Deus non exit extra ſe ad cognoſcenda ea: quæ ſunt in mundo. Si enim exiret, iam vileſceret; ſi quidem à rebus creatis acciperet ſpecies. Inter Doctores Scholaſticos nulla eſt dubitatio vnde.

22. Dico 1. *Deus intelligit alia à ſe, ita, vt alia à Deo ſint creaturæ, & hæ ſecundarium Obiectum dicũtur Scientiæ Dei.*

PROBATVR locis Scripturæ. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona* Pſal. 32. *De cælo reſpexit Dominus, & vidit omnes filios hominum: de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper eos, qui habitant terram.* Et *qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Et Eccl. 1. *Diuina Sapientia metitur cælos, & dinumerat arenam.* Sed hæc & alia loca aptè tribuũt Deo cognitionem eorum, quæ ſunt alia à Deo. ergo illa Deus cognoſcit.

Probatur rationibus D. Th. Deus perfectè cognoſcit ſeipſũ: ergo & ſummè & perfectè cognoſcit ſuam virtutem: ergo & illa ad quæ ſe extẽdit virtus eius omnipotẽs, perfectè cognoſcit. ergo & Effectus prouenientes à ſua virtute cognoſcit. *Secunda ratio.* Deus eſt cauſa rerum per intellectum, & per voluntatem: quia *omnia quæcunq; voluit Dominus, fecit in cælo & in terra.* Et omne Agens per intellectum & voluntatem habet ſui cognitionem, & rerum à ſe productarum: ergo Deus cognoſcit alia à ſe.

Tertia ratio. Omnia viuentia, & omnes res naturales, etiamſi cognitione careant, appetunt ſuos fines, & in eos feruntur: ſed cùm careant cogni-

cognitiõe, nõ poſſũt eos ſibi prædefinire. ergo ab alio ordinari debent. & quia tamen feruntur in ſuos fines, id Deo tribuendũ eſt: nam op⁹ naturæ, eſt opus intelligentiæ. Sed quòd res naturales ſine cognitione exſiſtentes in ſuos fines ferantur, eſt op⁹ naturæ. ergo erit & intelligẽtiæ. ergo à Deo, qui eſt auctor Naturæ prædefiniuntur, & ad illos ordinãtur, & per cõſequẽs cognoſcuntur.

Quarta ratio. Eſſe primæ Cauſæ, eſt eius intelligere ſed hoc ipſũ Eſſe, eſt Eſſentia Diuina repræſentans Eſſẽtias creaturarũ. ergo eas intelligit.

23. Dico ſecũdò *Sciẽtia Dei, quâ De⁹ cognoſcit & ſe, & omnia à ſe, ſemper eſt in actu, & nunquam in potentia*: PROBATVR iiſdem rationibus quibus ſupra ſumus vſi. *Prima* Deus eſt purus Actus. ſed in puro actu nihil eſt potentialitatis. ergo ſemper eſt in actu ſuæ, & aliorum intellectionis *Secunda* Deus eſt ſummè perfectus, in ſũmè autem perfecto, nulla eſt imperfectio. ſed ſi Deus non omnia actu intelligeret, eſſet in Deo potentialitas ad aliquid intelligendum: & præterea daretur Compoſitio ex actu & potentia, quæ omnia ſunt abſurda. *Tertia* in Deo idem eſt intelligens, ſ: Deus, & Obiectum intellectum, ſ: Eſſentia eius omnia repræſentans, & actus intelligendi. ergo Deus, cùm omnia, quæ ad intelligẽdũ requirũtur in illo ſint tãquã in actu puro, actu omnia cognoſcit.

24. *Dices.* Quibus rationibus probas dari in Deo Scientiam in actu, his ipſis rationibus probari poſſe dari in Deo virtutem Dei in actu, quia omnia produxit, quod tamen falſum eſt: Deus enim non producit omnia actu, quæ poteſt. *Reſpondetur* cum D. Th. *in 1. diſt. 35. q. 1. art. 5. ad 3.* non eſſe eandem rationem Potentiæ Dei operatiuæ reſpectu operabilium; & Scientiæ Dei reſpectu ſcibilium: ſiquidem quando Deus operatur rem productam, ſtatim eandem in actu exſiſtẽdi conſtituit: quando autem creaturam intelligit, illam in actu exſiſtendi non ponit; quia ea quæ ſunt poſſibilia, & quæ nunquam futura ſunt, etiam Deus intelligit; cùm ad ea etiam extendat ſe illius infinita Potentia. Et propterea omnia, quę produxit quando voluit, ab æterno produxit. ab æterno intelligit, & tamen illa non ſunt in actu producta: quia eſt ſolius Potentiæ productiuæ, quæ quando vult producit. proinde Potẽtiæ productiuæ perfectio non in actu conſiſtit, ſed in eo, quòd poſſit producere, quando velit: Perfectio autem Scientiæ in eo conſiſtit, vt actu intelligat omnia: non eſt igitur eadẽ ratio Scientiæ Dei, & Potentiæ.

25. *Dices.* Si Deus cognoſceret alia à ſe, vileſceret Diuinus Intellectus teſte Ariſtot. *tex. 51. Met. 12. præſtat non cognoſcere vilia.* ſed creaturæ reſpectu Dei ſunt viliſſimæ. ergo ne vileſcat Diuinus intellect⁹ melius eas non cognoſcere. *Reſpondetur* cum D. Th. *ex 1. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2.* cognoſcere vilia ex tribus cauſis accidit. *primò* quãdo illorum cognitio retardat à cognitione pręſtãtiorũ: *ſecundò* quãdo ab illis ſpecies ſumit: *tertiò* quando proprio & diuerſo actu cognoſcuntur: ſed in Deũ, quãdo alia à ſe cognoſcit, hæc tria non cadunt: quia vnico actu ſe, & Eſſentiã ſuã cognoſcit, & omnia alia à ſe; & cognoſcendo alia à ſe, non retardatur à cognitione ſui.

QVÆSITVM III.
An Deus cognoſcendo alia à ſe, cognoſcat illa in ſua Eſſentia, an verò in ſeipſis?

26. DEterminauim⁹ præcedēti Quæſito Deū cognoſcere alia à ſe; nunc de modo, quo intelligat, inquiremus. Senſus Quæſiti non eſt iſte, tanquam De⁹ cognoſcat Creaturas diſtinctè, per diſtinctas cognitiones, ita quòd quamlibet creaturam diſtincta & ſeparatá cognitione cognoſcat: nā hoc omnino falſum. cùm Deus ſimpliciſſimo actu intellectionis ſuæ, & ſe, & alia à ſe intelligat. Senſus igitur erit Quæſiti. An cognitio Dei terminetur ad res extra ipſum exſiſtentes, ita, quod cognitio eius non ſolùm terminetur ad ipſum Deum verumetiam ad ipſa, quæ ſunt extra ipſum, quod quidem eſt terminatiuè intelligere? Circa hāc Quæſtionem ſunt tres opiniones.

27. Prima Scoti *in 1. diſt. 35. 26.* hic aſſerit: quòd Deus bis cognoſcat creaturas: *primò* in ſeipſo; *ſecundò* in ipſis creaturis. Hanc eius Sentētiam variè Thomiſtæ exponūt. Caiet. ſic eam exponit: ſicut enim, ſi quis intueretur Petrum, & rurſus eundem in Speculo contra eum poſito ſpecularetur, bis Petrū cognoſceret, & in ſeipſo, & in ſpeculo: ita Deus Creaturas bis intuetur, & in ſua Eſſentia repræſentante creaturas, & in ſeipſis. & ſic ſecundum Scotum cognitio Dei terminaretur etiam ad creaturas, in quantū ſunt in ſeipſis. Bannes dicit ſe in Scoto hoc non inuenire, quòd Deus cognoſcat in ſua Eſſentia, ſed quòd eas in illis ipſis cognoſcat: Vnde Scoti ſentētiā ſic exponit: Scot⁹ fingit duo inſtantia Originis in Dei Scientia: In primo inſtanti cognoſcit Deus ſuam Eſſentiam, ſed ſine ordine ad creaturas; & hæc cognitio non eſt omnino perfecta; quia nō extēditur ad creaturas: in ſecūdo v. inſtāti producit Deus creaturas ab æterno, in quodam *Eſſe* intelligibili, quod quidem *Eſſe* ſtatuit, non eſſe purè Ens rationis, nec purè vt Ens reale, ſed medium inter vtrumq;. Creaturas itaque ſic productas, cognoſcit in hoc ſecundo inſtanti, & cognoſcit eas in ſeipſis. Hanc Sententiam Scoti Ioan de Rada, eiùsdem Scoti acerrimus defenſor, copioſè refert libro 1. Cont. 29. art. 3.

28. *Secunda opinio* eſt Aureoli in 1. *diſt: 35. q, 2. Conc. 2.* hic duo dicit: *primò* quòd De⁹ nō cognoſcit creaturas in ſeipſis, ſed in ſua Eſſentia. *ſecundò* quòd Deus, neq; etiam mediatè cognoſcit creaturas in ſeipſis, ſed tantum ſecundùm illud *Eſſe*, quòd habent in Eſſentia Diuina. Et ſic ſecundum opinionem Aureoli, Creaturæ, neque ſunt immediatū & primarium Obiectum Diuinæ Cognitionis, neq; mediatum & ſecundarium: ſed cognitio Diuina vnicum tan-

eum tantùm Obiectum habet, nimirum Eſſentiam Diuinam, per quã & ſe, & alia à ſe cognoſcit.

Tertia opinio docet, quòd Deus cognoſcat creaturas in ſua Eſſentia, tanquam in Obiecto, & per eandem Eſſentiam, tanquam per ſpeciem, non ſolùm ſecundum Eſſe, quod habent in Eſſentia Diuina, ſed etiã ſecundum ſuum proprium & deſtinatum, quod habent in ſeipſis. Et hæc eſt Diui Thomæ *hîc, & in quæſt. de veritate quæſtione. 2. a. 3.* & *1. contra gentes. q. 49.* D. Bonau. *q. 9. a. 1. in reſp. ad 1. & 3.* Pro determinatione huius difficultatis

29 *Nota 1.* quando dicimus creaturas cognoſci à Deo in illius Eſſentia, non ſic intelligendum quaſi intelligantur ſecundum illud *Eße*, quod habent in Eſſentia Diuina; quia hoc modo cognoſcere creaturas, eſt ipſum *Eße* Diuinum cognoſcere, ſiquidem *Eße*, quòd habent res creatæ in Deo, idem eſt, quod *Eße* Diuinum: ſed quòd res creatæ, non ſolùm cognoſcantur ſecundũ *Eße*, quod habẽt in Eſſentia Diuina; verùm etiã ſecũdum illud *Eße*, quòd habent, aut ſunt habituræ in ſeipſis? & ſic Deus cognoſcit creaturas ſecundum *Eße* deſtinatum, quod habent in ſeipſis, ſeu in ſua natura. D. Bonau. hoc *Eße* rei, duplex ſtatuit: aliud in cauſa: aliud in proprio genere; *Eße* quod habent Effectus in ſua cauſa eſt illud, quod eſt ipſius cauſa, ſeu virtus cauſæ, potens illum effectum producere: illud verò *Eße*, quod habẽt res in proprio genere, eſt eſſe extra ſuam cauſam, & deſtinatum a ſua cauſa; proinde ſcopus erit difficultatis, an res creatæ ſecundum illud ſolùm *Eße* quod habent in Eſſentia Diuina cognoſcantur, an verò ſecundùm illud, quod habent in proprio genere extra ſuam cauſam, videlicet in ſeipſis?

30. *Nota ſecũdò* Diuini Intellectus Obiectum eſſe duplex: *quoddam* primarium & immediatũ, virtute cuius cætera intelliguntur, & talis eſt Eſſentia Diuina; eſt enim medium perfectiſſimum cognitionis Diuinæ. nam cùm Scientia Dei ſit quid perfectiſſimum etiam Obiectum eius debet eſſe perfectiſſimum, talis autem eſt Eſſentia Diuina: *quoddam* verò ſecundarium & mediatum, quod quidem ſunt omnes Creaturæ, inquantum videntur in Eſſentia Diuina. Sicut enim cognitio Diuina, primariò & immediatè terminatur ad cognitionem Diuinæ Eſſentiæ: ita mediatè & ſecundariò eadem cognitio terminatur ad cognitionẽ Eſſentiæ Diuinæ, in quãtum in ea relucent omnes creaturæ. ſcias autẽ creaturã nõ eſſe Obiectũ motiuũ Diuini Intellectus, nam ſic vileſceret; ſed ipſam ſolùm Eſſentiam Diuinam, tam ad ſui cognitionem, quàm etiam creaturarum.

Nota 3 poſſe creaturas dici Obiectum ſecũdarium terminatiuum Diuini Intellectus. quia cognitio Dei primariò & immediatè terminatur ad cognitionem ſuæ Eſſentiæ, ſecundariò verò ad cognitionem Creaturarum.

31. *Nota 4* cõmuniter dici, quòd Creaturæ in Eſſentia Diuina tanquã in Speculo videantur; proinde duplex differẽtia & triplex conueniẽtia inter Speculum & Eſſentiam Diuinam eſt notanda: *primò differunt.*

quia imagines repræſentatæ in ſpeculo ſunt multiplices, eædemq; diuiſæ, & diſtinctæ; in Eſſentia verò Diuina, non ſunt creaturæ multiplicatæ & diuiſæ inter ſe, neq; diſtinctæ, ſed ſunt vnitæ in vna virtute Diuina, quæ tanquam cauſa æquiuoca omnes Effectus cõtinet: & ſic, vt ſunt in Diuina Eſſentia, nullam habent diſtinctionem realem inter ſe. Et ſicut vnica virtus Solis eminenter in ſe habet ſiccum & calidum, nec in eo hæc multiplicantur: ita quoque Eſſentia Diuina tãquam in Speculo, continet vnitas omnes res creatas, aut creandas. *ſecundò* quia Speculum repræſentat quidem imaginem rei, ſed non repræſentat ſecundùm ea prædicata, per quæ in *Eſſe* particulari conſtituitur: Eſſẽtia v. Diuina, vnã quamque rem creatam ſecundùm propriam illius naturam, quam habent in ſeipſis, repræſentat.

Conueniunt vero. 1. Conueniunt autẽ in tribus: *primò* ſicut in Speculo, videntur omnia, quæ ſunt in illo per ſpeciem immediatam Speculi: ſic Creaturæ videntur in Eſſentia Diuina, tanquam per ſpeciem repræſentantem omnia; 2. *ſecundò* ſicut viſio primariò & immediatè terminatur ad Speculum, ſecũdariò v. & mediatè fertur & terminatur ad imaginem cognoſcendam, quæ in illo repræſentatur: ita & cognitio Diuina, primariò & immediatè fertur in cognitionem Eſſentiæ Diuinæ, ſecundariò v. & mediatè terminatur ad cognitionem creaturarum; 3. *tertiò* ſicut Speculum eſt primò viſum, imago autem relucens in Speculo, eſt ſecundariò viſum: ita in Cognitione Diuina Eſſentia Dei eſt primò cognitũ, creaturæ v. in Eſſentia Diuina repræſentatæ, ſunt ſecũdariò cognitum. His ita notatis.

32. Dico primò *Sententia Scoti parum eſt conſona fidei.* PROBATVR *primò*, Pugnat enim cum articulo æternitatis, in quo confitemur ſolùm vnum Deum eſſe æternũ; Ergo extra illum nullum aliud æternum admitti debet. ſed hoc admittit Sententia Scoti. nam ſecundum illum producuntur creaturæ in *Eſſe* intelligibili. ergo habebunt *Eſſe* participatum ab æterno; & quia hoc conſtituit non in primo inſtanti, in quo Deus ſuam Eſſentiam cognoſcit, ſed in altero; idcirco habebũt *Eſſe* extra Deum; atque ſic duo erunt æterna, ſ. Deus, & Res creatæ in *Eſſe* Intelligibili. *Confirmatur.* In illo *Eſſe* Intelligibili ſunt creaturæ in ſeipſis, ſed non ſunt Creator, quia ſunt extra Eſſentiam Dei. Ergo erũt creaturæ: niſi velis dicere, quòd nec ſunt creator nec creaturæ, ſed hic error Petri Abaylardi in Concil. Senon. condemnatus, qui affirmabat, aliquid dari extra Deum, quod neque ſit creator, neque creatura.

Scotì ſententia reprobatur.

5. *Probatur ſecundò* Quia ſequitur ex Sententia Scoti, quòd Intellectus Diuinus perficeretur à cognitione creaturarum: quod enim ab aliquo tanquam extrinſeco cognoſcitur, illud eſt illius perfectiuum: ſed in ſecundo inſtanti, non in primo, in quo Diuina Eſſentia cognoſcitur, creaturæ cognoſcuntur: Ergo ſunt extra Eſſentiam Dei, atque ſic ſunt Eſſentiæ Diuinæ perfectiuæ.

33. *Probatur tertiò* Secundũ Scotum Diuinus intellectus in primo inſtanti cognoſcit Eſſentiam ſuam: Ergo cognoſcit perfectiſſimè. ſi ſic

Ergo,

Ergo eandem comprehendet: Ergo & illa omnia comprehendet, ad quæ ſe extendit virtus illius omnipotens; ſed extendit ſe ad omnes creaturas, tã actu exſiſtentes, quã omnes poſſibiles: Ergo has in primo inſtanti cognoſcit: Ergo ſecundum inſtans Cognitionis creaturarum à Diuino intellectu, eſt temerè confictum: cùm cognitio in ſecundo inſtanti, non ſit Diuinæ Eſſentiæ Cognitio, ſed creaturarum: & Cognitio, quæ eſt in primo inſtanti, eſt Cognitio Diuinæ Eſſentiæ. Ergo ſi hæc eſt comprehenſiua omnium, ſequitur, quòd & creaturas comprehendat.

Probatur quartò. ꝑ hoc *Eſſe* cognitũ non poſſunt Creaturæ ſuum *Eſſe* accipere, quod eſſet extra Eſſentiam Diuinam. Quia hoc Eſſe cognitum, non dicit in ſe, niſi quandam denominationem extrinſecam & relationem rationis. ergo Deus cognoſcẽdo Creaturas non produxit eas extra ſuam Eſſentiam in aliquo *Eſſe*, ſed habentur in cognitione Eſſentię Diuinæ. *Præterea* ſi Deus produxit creaturas in *Eſſe* cognito, & in *Eſſe* diminuto extra ſeipſum, cur eas nõ produxit in primo inſtanti, in quo cognouit ſeipſum? nam in hoc inſtãti nec Deus, nec eius intellectus, nec Eſſẽtia fuit impedita, quominus cognoſcendo produceret; proinde à Doctoribus ſententia Scoti reijcitur.

Cognitionis diuinæ Obiectũ, eſt Eſſentia diuina.

34. Dico ſecũdò. *Obiectũ primariũ & immediatum Cognitionis Diuinæ, eſt ipſa Eſſentia Diuina, ita, quòd Cognitio Dei, primò & per ſe non terminatur ad creaturas ſecundum Eſſe, quod habent in ſe, ſed ad Diuinam Eſſentiam.* Ita tenet D.Th. *hîc & 1. con. Gent. cap: 48. 49. & de Verit. q. 2. art. 3.* Durã. *in 1. diſt. 35. q. 1.* Scot. *q. vnica,* & D. Aug. *in lib: 83. q. 46.* vbi dicit: *Sacrilegum eſt dicere, quòd Deus cognoſcat aliqua extra ſuam Eſſentiam,* hoc eſt, non per ſuam Eſſentiã; ergo docet Eſſentiam Diuinam eſſe primarium Obiectum. Et Ariſt. 12. *Metaph. capite. 9.* dicit: *Obiectum Diuinæ Cognitionis eſt aliquid honorabiliſſimũ, & diuiniſſimum,* quod quidem eſt ipſa Eſſentia, nam extra hanc nihil poteſt eſſe honorabilius & diuinius. & *Probatur primò.* Per Eſſentiam Diuinã, tanquam per Speciem intelligibilẽ, ſolus Deus immediatè repræſentatur: ergo Diuinæ intellectionis Eſſentia Diuina eſt primarium & immediatum Obiectũ. Quælibet enim Species intelligibilis debet habere immediatum & adæquatum Obiectum, quod per eam repræſentatur: ſed Eſſentiæ Diuinæ, quæ habet vicem ſpeciei intelligibilis, nullum aliud adæquatum & immediatum Obiectum aſſignari poteſt, præter ipſam Eſſentiam. ergo Eſſentia Diuina eſt adæquatum & immediatum Obiectum Diuinæ intellectionis.

35. *Probatur ſecundò.* id, quod intellectus primò & per ſe cognoſcit, eſt primum Obiectum, & habet ſe tanquam ſpecies intelligibilis eius: ſed id, quòd Diuinus intellectus intelligit, eſt illiꝰ Eſſentia Diuina, quæ ſe habet tanquam ſpecies intelligibilis. ergo Eſſẽtia Diuina eſt primariũ Obiectũ. *Probatur tertiò.* Si Eſſentia Diuina non eſt primarium & immediatum Obiectum Diuinæ cognitionis; ergo erunt creaturæ, ſi ſic: ergo Diuina Cognitio ſuam perfectionẽ accipiet à rebꝰ creatis, quod omnino eſt falſũ. *Sequela* quia quælibet Cognitio ab immediato Obiecto ſu-

ćto ſumit ſuam perfectionem; ſed hoc ſunt Creaturæ. ergo à Creaturis ſumet perfectionem, quod eſt abſurdum.

Creaturæ quæ in Eſſẽtia diuina continẽtur ſunt ſecundariũ & mediatum Obiectum.

36. Dico tertiò. *Creaturæ, quæ in Eſſentia Diuina tanquam in primario Obiecto continentur, ſunt ſecundarium, & mediatum Obiectum Diuinæ Cognitionis, ita, quòd Deus cognoſcat creaturas non in ſeipſis, ſed in ſua Eſſentia. Probatur primò.* Deus cognoſcendo Creaturas, cognoſcit eas per ſuam Eſſentiam, tanquam per ſpeciem intelligibilẽ, & non aliter. ergo cognoſcit illas mediatè, prout ſũt in ſeipſis. *Conſeq.* Eſſentia Diuina in ratione ſpeciei conſiderata non repræſentat immediatè creaturas, ſed mediatè, vt eſt quoque repræſentatiua creaturarũ.

Probatur ſecundò. Deus in ſua Eſſentia tanquam in Specie perfectiſſimè cognoſcit creaturas etiam ſecundum diſtinctionem, quam habent inter ſe. ergo cognitio Diuina ſecundariò ad res creatas terminatur, atque ſic erunt ſecundarium Obiectum cognitionis Diuinæ.

Probatur tertiò. Modus agendi & per conſequens intelligendi is Deo tribuendus eſt, qui ſit perfectiſſim⁹ ſed longè perfectior modus Intellectionis Diuinæ eſt, quando dicim⁹, quòd creaturas in ſua Eſſentia cognoſcit, quam cùm dicimus, quòd eas cognoſcat in ſeipſis, nam ex primo modo nullum abſurdum ſequitur, ex ſecundo v. hoc ſequitur, quòd neceſſariò concedendum :ſ: Diuinam Cognitionem pendere à Creaturis, quod eſt falſum. quælibet enim Cognitio eſt per Cauſam, Deus autem eſt Cauſa omnium creaturarum. ergo illarum Cognitio ex Deo pendet.

Inſtãtia prima.

37. Sed *inſtat Aureolus.* Nulla potẽtia poteſt attingere id, quod nõ participat rationem formalem ſui Obiecti; ſed creaturæ non participant rationem formalem Eſſentiæ Diuinæ: ergo intellectus Diuinus non intelligit creaturas, neque vt Obiectum primarium, neque vt ſecundarium. *Reſpondetur* licet Creatura non participet formaliter Diuinam Eſſentiam & illius perfectionem; participat tamen per ſimilitudinem, inquantum Eſſentia Diuina continet omnia eminenter. Et ideo D. Anſel. *in Monol. c. 34. 35.* creaturam in Deo appellat creatricem Eſſentiam; ſufficit ergo, quòd contineantur creaturæ eminentiſſimè in formali Obiecto, ſ: in Eſſentia Diuini Intellectus. Et hæc videtur eſſe mens S. Doct. *hic in art. 6. ad 1* vbi dicit: *videri à Deo creaturas inquantum ſunt in ipſo.* Et hæc particula *in quantum* non ſignificat modum ex parte Obiecti, ſed explicat modum ex parte rationis cognoſcendi. vt ſit ſenſus: propterea Creaturas videri in Deo, quia videntur per Eſſentiam Diuinam primariò repręſentantem ipſum Deum; & in hac res creatæ videntur ſecundariò, tanquam Effectus pertinentes ad Deum, prout ad cauſam. & quia cognoſcere aliquid in Communi & non in Speciali, vt dicit D. Th. *in 5. art.* eſſet imperfectè cognoſcere; ideo oportet dicere, quòd alia à ſe cognoſcit propriâ cognitione, non ſecundum quod communicant de ratione Entis, ſed ſecundum quòd, vnumquodq; habet ſuam propriam quidditatem. vnde ex *art. 5.* D. Thomæ

Solutio illius

Res cognoſcitur vel in ſe vel in alio.

38. *Noto.* Dupliciter aliquid cognoſci: *primò* in ſe, cùm aliquid per ſpeciem adæ-

ciem ădæquatam propriam ipſi cognoſcibili, cognoſcitur: vt, cùm homo per ſpeciem hominis cognoſcitur. *Secundò* in alio: videlicet dũ aliquid per ſpeciem continentis videtur. *v. g.* pars per ſpeciem totius, videtur in toto. Deus igitur videt ſeipſum in ſeipſo; quia videt ſeipſũ per Eſſẽtiam ſuam: alia autem à ſe videt non in ipſis, ſed in ſeipſo, inquantum Eſſentia eius continet ſimilitudinem aliorum in ſeipſo.

Inſtantia ſecunda. *Inſtat iterum Aureolus.* Quælibet intellectio ab eo Obiecto depẽdet ad quod termĩatur: ſed Diuina intellectio non dependet à creaturis. ergo non terminatur ad creaturas, neq; vt ad primariũ, neq; vt ad ſecũdariũ

Solutio ei9 Obiectũ. *Reſp. ad Maiorem.* In Diuinis nullã dari dependentiã, nã intellect9 Dei terminatur ad Deum; non tamẽ ab eo dependet. Tũ & creaturæ *Eſſe*, quod habet in Deo, eſt ipſe De9. nam õnes creaturæ verius & perfecti9 habent *Eſſe* in Deo, quàm in ſeipſis. Vnde ex cognitione creaturarũ non ſequitur depẽdentia, nã cognoſcũtur ſecũdùm *Eſſe*, quod eſt ipſe De9: Deus autem à ſeipſo non dependet. proinde nulla depẽdentia admitti debet

Proinde nullá depẽdentia admitti debet

39. Dico quartò. *Diuinus intellectus cognoſcendo alia à ſe, non cognoſcit illa obiectiuè in ſeipſis, ſed in ſua Eſſentia.* Ita tenet D. Th. *hîc art. 5. & 1. cont. Gen. 49.* Idem docet D. Dion. *c. 2. de Diu. Nom.* vbi dicit: Deum, ea, quæ ſunt cognoſcere, non ſcientia ipſarum rerum, ſed ſuiipſius. *Ratio prima.* Si Deus cognoſceret creaturas obiectiuè in ſeipſis: ergo cognoſceret, aut eadem cognitione qua ſeipſum, aut alia diuerſa: non diuerſâ, quia cùm Deus ſit ſimpliciſſimus actus, nõ poteſt in illo diuerſa duplex cognitio aſſignari: non eãdem qua ſeipſum cognoſcit, quia talis cognitio primò & per ſe terminatur ad Deum: ergo primò & per ſe non poteſt terminari ad creaturas: ergo cognoſcet inquantum creaturæ continentur in Eſſentia Diuina, & ſunt ſecundarium Obiectum.

Diuinus intellectus cognoſcit res in ſua Eſſentia non in ſeipſis obiectiuè,

Ratio 2, Si Deus creaturas in ſeipſis cognoſceret, ſequeretur, quòd creaturæ eſſent immediatum & adæquatum Obiectum cognitionis Diuinæ, & per conſequens ab illis acciperet ſpeciem. ergo & perfectionem, quod ſummè perfectioni Diuinæ repugnat. ergo illas cognoſcet non in ſeipſis, ſed in ſeipſo.

40. *Ratio 3.* Quælibet res per ſuam ſimilitudinem cognoſcitur: ſed in Deo ſunt ſimilitudines omniũ creaturarum: ergo eas tanquam relucentes in ſua Eſſentia cognoſcit. *Scias autem*, quòd Diuina Eſſentia ſit quędam propria & adæquata ſimilitudo ſuiipſius: Creaturarum verò, eſt quidem propria, ſed non adæquata; ſiquidem eſt infinita, Creaturæ autem ſunt finitæ.

Ratio 4. Cognitio Diuina terminaretur ad creaturas, vt in ſeipſis ſunt; ergo hoc accideret, aut ex parte Intelligentis, aut ex parte rerum intellectarum: *non primum* nam hoc accideret, ideo, quia Intellectus Dei non eſſet ſua Eſſentia, ſed aliquid additum Eſſentiæ, vt in nobis accidit: at hoc nõ, quia ſunt idem (vt iam deduximus) *non ſecundum*, quia Diuina Eſſentia non eſſet illarum repræſentatiua, ſed repræſentarentur Diuino intellectui per aliud. Ergo hoc aliud per quod repræſentarentur, aut eſſent res ipſæ, aut illarum ſpecies? Non res ipſæ, quia

ipſæ, quia cognitio Dei eſt ab æterno: Res autem propter ſuam entitatem & exſiſtentiam non ſunt ab æterno, ſed ſunt Deo ab æterno cognitæ. ergo non per res, quæ ſunt in tempore. non per ſpecies rerum, nam ſequeretur eas dari ab æterno, in *Eſſe* intelligibili (vt Scotus voluit) quod à nobis confutatũ eſt.

Intellectus diuin⁹ creaturas cognoſcit & ſecundum eſſe à Deo & quod habent à ſeipſis.

41. Dico quintò, *Intellectus Diuinus intelligendo creaturas, non ſolùm intelligit eas ſecũdũ eſſe quòd habẽt à Deo, ſed etiam ſecundum illud* eſſe, *quod habent in ſeipſis, ita, quòd cognoſcat creaturas ſecundum proprias quidditates, & alios omnes modos, quos habent in ſeipſis.* Ita tenet D. Th. *hîc* & *1. cont. Gent. c. 49.* Duran. *in 1. diſt. 35. q. 1. in ſol. ad 1.* Eadem eſt mens D. Aug. *lib. 5. de Gen. ad literam c. 5.* qui quidem affirmat creaturas cognoſci, ne dum intra Diuinam Eſſentiam, ſed etiam per Diuinam Eſſentiam. *Ratio 1. Eſſe* quod habent creaturæ in ipſo Deo, eſt ipſum *Eſſe* Diuinum. Ergo ſi ſolùm Deus hoc eſſe cognoſceret, De⁹ ſeipſum ſolùm cognoſceret, inquãtum eſt cauſa. ſed cognitio illa longè eſt perfectior, quæ habetur de rebus productis, & ſecundum *eſſe*, quod habent in cauſis, & ſecundũ *eſſe*, quod habent in ſeipſis, quàm ſi ſolùm cognoſcerentur ſecundùm *Eſſe*, quod habent in cauſis. Ergo Diuina Cognitio ſecundariò terminatur ad res creatas, tanquam ad Obiectum ſecundarium; quod quidem non tribuit ſpeciem Cognitioni Diuinæ. nam per Eſſentiam eius cognoſcuntur. *Ratio 2.* Deus eſt iudex viuorum & mortuorum. Ergo & homines, & opera illorum, ſecũdum propriam rationem cognoſcit *Confirmatur* Deus vnicuique reddet ſecundum opera illius. Ergo cognoſcit in particulari, & homines, & illorum opera.

42. *Obijcies.* Deus cognoſcit omnia alia à ſe in ſua Eſſẽtia, tãquã in Cauſa Vniuerſali; Ergo non cognoſcit illa ſecundum propriam & diſtinctam Cognitionem; ſiquidem cognoſcere aliquam rẽ in ſua Cauſa eſt cognoſcere in Communi, & non ſecundum propriam rationem. Obiectio 42.

Solutio ei⁹. *Reſpondetur* negando Conſequentiam, quando enim Diuinus Intellectus cognoſcit Creaturas in Eſſẽtia ſua, ſeu in Deitate, non cognoſcit eas quomodocunque, ſed tanquam in cauſa, quæ continet vniuscuiusque rei omnes rationes, tam in Vniuerſali quàm in Particulari, & ad hoc repræſentandum, eſt ſufficiens Eſſentia Diuina, vt Caiet. dicit: circa *art. 5. Deitas ita eſt ſpecies communis, vt ſit etiam propria ad repræſentandum vnamquamque rem in ſua propria quidditate.*

Deitas eſt ſpecies propria cuiusque rei.

Nota Deitas eſt ſpecies propria cuiuſlibet rei; quia vnaquæque res illam imitatur eà ratione. Nam *Eſſe* omnium rerum, deriuatum eſt ex ſimilitudine Diuinæ Eſſentiæ, & propterea Diuina Eſſentia, eſt ſimilitudo & propria ratio cuiuſlibet rei.

Sed dices. Idem nõ poteſt eſſe propria ratio multorum & diuerſorum *Reſpondeo* non poſſe ſecundùm idem, iam verò Diuina Eſſentia vna exſiſtens eſt propria ratio diuerſorum, non ſecundum idem; quia in Diuina Eſſentia proprium *Eſſe* vniuſcuiuſque rei continetur, quod res ipſæ ſuo modo imitantur.

Ex quo Collige Creaturas ſecundũ proprium *Eſſe* quod habent in ſe ipſis, poſſe in alio cognoſci, ſ. in Deo; ſi-

Creaturæ ſecundũ proprium Eſſe cognoſci poſſunt in Deo.

Deo; ſiquidem Diuina Eſſentia perfectiſſimè repræſentat illarum *Eſſe* quod habent in ſeipſis: Cognitio tamen Diuina non terminatur immediatè ad creaturas, ſed mediāte Obiecto primario & mediato, quod eſt Deitas, ſeu Eſſentia Diuina: *Declaratur.* Si enim daretur tale exemplar, quod ad viuum repræſentaret omnia, quæ ad illius imitationem & ſimilitudinem ſunt facta, etiam quoad *Eſſe* proprium, quod habent in ſeipſis. tum illæ res ſecundum proprium *Eſſe*, dupliciter poſſēt cognoſci, & in ſeipſis, & in illo exemplari: ſed Deꝰ eſt tale exēplar, ad cuiꝰ ſimilitudinē & imitationē ſingula ſunt creata: Ergo Diuinus Intellectꝰ in Eſſētia Diuina creaturarū proprias naturas cognoſcit diſtinctè.

QVÆSITVM IV.

An præter Scientiam ſimplicis intelligentiæ & Viſionis, ſit alia concedenda Scientia Media & conditionata.

43. Circa hoc Quæſitum duo determinabimus *Primò* quid ſentiendum de Scientia naturali & libera. *ſecundò* an inter has ſit alia intermedia admittenda quæ ſit Futurorum Contingentium.

QVANTVM ad Primum. Dico primò. *Quatuor ſunt Opiniones de conſtitutione Scientiæ in Deo.* Prima D. Greg. *in 1. diſt. 26. q. 1.* hic excluſâ ſcientiâ naturali ſeu ſimplicis intelligentiæ, ſecundam admittit ſ. ſciētiam liberam, ſeu Viſionis, & per hanc, affirmat Deum cognoſcere omnia poſſibilia, quæ etiam nunquam erunt. *Ratio eius.* Creaturæ non terminant intellectum Diuinum inquantum ſunt in ſeipſis, ſed inquantum in Eſſentia Diuina continentur, quæ eſt immediatum Obiectum eiusdem Diuini intellectus: Ergo ſiue exſiſtant ſiue non, eas nihilominus intelligit Deus. Ergo illarum actualis exſiſtentia in ſeipſis non requiritur. atque ſic Deus in ſua Eſſētia intuebitur creaturas, & erit ſcientia eius intuitiua ſiue Viſionis. *Reſpondeo* hanc ſententiam Greg. reiici: & ad Argumentum eius dico, conſiderando ſcientiam in Deo creaturarum, ex parte Dei cognoſcentis, tunc Deus omnes creaturas in ſeipſo tantùm, & per ſuā Eſſētiam cognoſcit (vt in præcedentibus docuimus.) & ſic currit Argumentum Greg. ſed conſiderādo ſcientiam creaturarū in Deo reſpectu Obiecti cogniti, dico, quòd non ſolùm creaturas cognoſcit in ſeipſo, ſeu in ſua Eſſentia; ſed etiam in ſeipſis. & quia hæ aliter ſe habent ad Scientiam Dei, quando actu exſiſtunt; & aliter, quando non exſiſtunt: ſi enim actu exſiſtunt, erit Scientia Viſionis; ſi non exſiſtunt, ſed ſunt poſſibiles, erit Scientia ſimplicis intelligentiæ,

proinde negatur Gregorij Argumentum.

44. & 45. *Secunda Opinio* Dur: in *1. diſt. 36 q. 1.* Aſturicenſis *in releſt. de Chr. Grat q. 6. dub. 1* qui in Deo triplicem Scientiam ſtatuunt: *primam*, ſimplicis intelligentiæ; *ſecundam* viſionis; *tertiam* approbationis. *Ratio illorum.* quia Scientia approbationis in ſola bona fertur; Scientia viſionis tam in bona; quàm in mala: ſed omnino tenendum eſt, quòd ſcientia viſionis & approbationis idem ſunt. & ad *rationem dico.* licet Deus non approbet mala, tamen illa permittit, & hanc permiſſionem approbat (vt inferius dicemus.) & *hîc in art. 16.* dicit D. Th. mala, licet à Deo non ſint operabilia, tamen ſub cognitionem eius Practicam cadere, ſicut & bona, in quantum permittit, vel impedit, & ordinat ea: ſicut & ægritudines cadunt ſub Scientiam Practicā Medici inquantum per actum ſuum curat eas.

Tertia Opinio Molinæ, Suarez. Vaſquez. Leſſij, & aliorum magnæ auctoritatis Scriptorum, qui inter ſcientiam naturalem ſeu ſimplicis Intelligentiæ, & liberam ſeu Viſionis, tertiam Intermediam ponunt, quæ ſit Futurorum Conditionatorum. Vnde ab illis ſiue Media, ſiue Conditionata Scientia appellatur.

Quarta Opinio eſt Communis & recepta, duas tantùm in Deo dari Scientias, Naturalem & Liberam.

46. Dico ſecundò. *Scientia ſimplicis Intelligentiæ, ſecundùm noſtrum modum intelligendi, antecedit omnem actum Voluntatis Diuinæ, & per illam Deus cognoſcit omnia poſſibilia, hoc eſt infinitas creaturas poſſibiles, & infinitos mundos quibus potuit ſeipſum communicare: Scientia verò Viſionis eſt, quæ ſequitur actum ſiue decretum voluntatis, Diuinæ, per quam decreuit iſtum creare mundum, cum omnibus ſpeciebus rerum; tam Spiritualium, quàm corporalium, deditque omnibus creaturis dona conuenientia vnicuique ſecundùm ſuam naturam debita.* Ita docet D. Th. in 3. Sent. ad Annibalem diſt. 14. q. vnica. a. 2. vbi dicit: *in Verbo, ſeu in Deo diſtinguitur duplex cognitio*: vna *quæ dicitur* viſionis, *per quam videt Deus omnia tãquam præſentia, quæ ſunt, erunt, & fuerunt.* Alia *dicitur* ſimplicis Intelligẽtiæ, *per quam non ſolùm illa ſcit, ſed etiam omnia, quæ poteſt facere.*

Sciētia ſimplicis intelligentiæ antecedit actũ voluntatis.

Scientia verò viſionis ſequitur illius decretum.

Nota Scientia ſimplicis intelligentiæ, etiã dicitur. cognoſcere ea omnia, quæ ſunt, erunt, & fuerunt. Sed ſecundum quidditates, vt videlicet relucent in Diuina Eſſentia, ad quæ ſe extendit omnipotens virtus eius: cùm v. habent actum exſiſtentiæ, iam ſola ſcientiâ Viſionis ſciuntur.

47. Dico tertiò. *Hæ duæ Scientiæ ex parte Dei ſcientis, non diſtinguuntur, ſed tantùm ex parte rei ſcitæ, ſeu Obiecti.* Ita docet D. Th. *q. 2. de Verit. art. 9.* vbi dicit: *Scientia ſimplicis notitiæ & Scientia viſionis nullam differentiam important in Deo ex parte ſcientis, ſed ſolùm ex parte rei ſcitæ.* Dicitur enim *Scientia Viſionis* in Deo ad ſimilitudinem viſus corporalis, qui res extra ſe poſitas intuetur. vnde per Scientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quæ ſunt extra ipſum; quæ quidem ſunt vel præſentia, vel præterita, vel futura; ſed Scientia ſimplicis intelligentiæ etiã eſt eorũ, quæ nec ſunt, nec erũt, nec fuerunt. nec alio modo ſcit Deꝰ iſta & illa. hinc collige à D. Thoma hic reijci mediam Scientiã.

Hæ ſcientiæ ex parte obiecti diſtinguuntur non ex parte ſcientis

48. Dico

Scientia Dei in ſimplicis intelligentiæ & viſionis ſufficienter diuiditur.

48. Dico quartò. *Scientia Dei ſufficienter diuiditur in Scientiam ſimplicis Intelligentiæ & Viſionis.* PROBATVR quia ſic D. Th. in multis locis diuidit: in *1. p. q. 34. art. 1. & in 3. p. q. 10. art. 2. ad 2. & art. 3. in fine corporis. & 1. cont. Gen. c. 66. & 69.* alijſque in locis. RATIO Inter Ens, & non Ens, nullum datur medium; ſiquidem ſibi contradictoriè opponuntur: ſed Scientiæ Viſionis Obiectum eſt Ens actu exſiſtens, in aliqua menſura & differentia tẽporis; Scientiæ v. ſimplicis intelligentiæ Obiectum eſt, non Ens, ſeu quod nõ exſiſtit in aliqua differentia tẽporis. ergo eſt ſufficiens diuiſio atque ſic alia Scientia non eſt admittenda. *Confirmatur* Deꝰ per Scientiam Viſionis cognoſcit omnia Entia, quæ habent exſiſtentiam in aliqua differentia temporis, ſiue præſentis, ſiue præteriti, ſiue futuri, quæ omnia in æternitate ſunt Deo præſentia. Per Scientiã autẽ ſimplicis intelligentiæ cognoſcit ea, quæ in nulla differentia tẽporis habent *eſſe*, & neque habebũt. ergo omnia cognoſcibilia cognoſcit Deus, per hanc duplicem Scientiam, ergo fruſtra Media aſſignatur.

49. QVANTÙM ad ſecundũ. Quid nimirum de Media Scientia ſit ſentiendum. *Nota imò* Mediam Scientiã eſſe, per quam Deus (vt illius authores aſſerunt) cognoſcit ex ſua altiſſima & inſcrutabili comprehenſione; quid liberum arbitrium creatum, ſi in hoc, vel illo ordine rerũ fuiſſet collocatum pro ſua innata libertate acturum eſſet, cùm tamen poſſet ſi velit contrarium facere. *Et ſi quæras ex illis*, an hæc Scientia Media, ſit appellanda libera? *Reſpondent* non eſſe appellandam; quia Media antecedit omnem actum liberum Diuinæ voluntatis, quem ſubſequitur libera. *Si iterum quæras* an ſit naturalis. *Reſpondent* non eſſe, quia hęc ita eſt innata Deo, hoc eſt, quòd Deus ſuam propriam Eſſentiam & virtutem omnipotẽtem cognoſcat, eſt Deo quaſi proprium innatum, vt non poſſit cognoſcere oppoſitũ; per Mediam verò agnoſcit oppoſitum. Nã nõ modò cognoſcit, quid liberum arbitrium ſit acturum, ſed etiam quid poſſit non facere; ideo autem dicitur Media, quia partem habet Scientiæ naturalis, vtraque enim eſt antè actum liberum volũtatis Diuinæ, partem quoque liberę Scientiæ ſeu viſionis, quia vt hæc potius partis eſt quàm alterius: ita ſi liberum arbitrium in hoc potius congruo ſibi & conuenienti ordine poneretur, ad hoc potius determinaret ſe, quàm ſi in alio fuiſſet poſitum.

50. *Nota 2* Cùm Scientia media dicatur eſſe Futurorum Conditionatorum: idcirco, vt ſit manifeſtum de quibus Conditionatis agat, aliqua de Conditionalibus Propoſitionibus dicemus. Sunt autem tria in qualibet Conditionali, *primò* Antecedens, *ſecundò* Conſequens, *tertiò* Ratio Conſequentiæ; dupliciter autem Conſequens ex Antecedente Conditionali inferri poteſt, *primò* ex vi Conſequentiæ, ſeu illationis neceſſariæ, ſiue ſit in materia neceſſaria, ſiue in impoſſibili, nam ad præſens parum refert, an Conſequens & Antecedens ſint in poſſibili? ſufficit, quòd poſito Antecedẽte, Conſequens ex illo vi neceſſariæ illationis inferatur. Conditionalis in materia neceſſaria hæc eſt. *ſi homo eſt ani-*

Conditionales Propoſitiones tria in ſe inuoluunt.

Conſequẽs ex Antecedente Conditionali dupliciter infertur.

eſt animal, homo eſt ſubſtantia. Conditionalis in impoſſibili. *ſi lapis eſſet homo, lapis eſſet animal. Secundò* Conſequens poteſt deduci, non iam ex vi neceſſariæ Conſequentiæ, ſeu illationis; ſed ex aliquo cõcomitante illud Antecedens. vt *ſi cras veneris ad me, dabo tibi equum.* Conſequens hoc *dabo tibi equum* non colligitur ex illo Antecedente *ſi cras veneris* vi neceſſariæ illationis, ſed hoc ſolùm ſequitur ex decreto voluntatis cõcomitante illud Antecedens, quo decreuit tibi equũ dare ſi impleueris conditionem, & cras veneris. & ſic clarum eſt, quòd hoc Conſequens *dabo tibi equum* non neceſſariò vi illationis colligitur, ſed ſolùm ſequitur ex decreto voluntatis meæ; quia ego ſic decreui.

51. Ex hac ſuppoſitione per illam regulam: *ſicut ſe res habet ad Eſſe, ita ad cognoſci*, collige duo. quomodo in Conditionalibus ponatur in *Eſſe* Antecedens atque Conſequens? & quomodo cognoſcatur? Dico itaque Conſequens ex vi illationis neceſſariæ, deducitur ex Antecedente ſic, quòd poſito Antecedente conditionato in *Eſſe*, ponitur quoque neceſſariò Conſequens in *Eſſe*, vt, poſito *quòd homo ſit animal*, ſequitur ex vi illationis *quòd ſit ſubſtantia:* Quãdo verò Conſequens pendet ex Antecedente ratione concomitantis, tunc poſito ſolo Antecedente conditionato in *Eſſe*, non ſequitur Cõſequens, niſi etiam illud cõcomitãs in *Eſſe* ponatur. vt *ſi cras pro me apud Regem interceſſeris, dabo tibi equum:* hoc ipſum vt huic detur equus, non ſequitur ex eo, quòd iſte pro eo apud Regem interceſſerit; ſed ſequitur Concomitans ſc: decretũ promiſſionis, quòd ſit daturus, ſi interceſſerit.

Ad aliud dico. Qui cognoſcit Antecedens primo modo, cognoſcit quoque Conſequens, vel poteſt cognoſcere ex vi neceſſariæ illationis: At qui cognoſcit Antecedens ſecũdo modo, nõ cognoſcit Conſequẽs neque poteſt cognoſcere, niſi cognoſcat Concomitans Antecedentis, cuius virtute Conſequens ponitur in *Eſſe*: nam ſi Antecedens iſtud ponatur in *Eſſe*, :ſ: *ſi cras pro me interceſſeris apud Regem*; & ſi Decretũ ſiue promiſſio dandi tibi equum non ponatur in *Eſſe*, neque cognoſcatur, nunquam ex eo Antecedẽte ſequetur conditionatũ Conſequẽs iſtud, *dabo tibi equum.*

52. *Nota tertiò* Futura ſub conditione, quæ ex Antecedente ſequuntur vi neceſſariæ Conſequentiæ, à Deo cognoſcuntur certò & infallibiliter ex Antecedente. v. g. *ſi Petrus eſt prædeſtinatus, Petrus ſaluabitur.* Hoc Conſequens futurum *Petrus ſaluabitur* certò cognoſcit Deus, quia ex illo Antecedente conditionato poſito in *Eſſe*, neceſſariò ſequitur; & propterea à Deo Scientiâ naturali ſcitur. Illud autem Futurum, quod pendet ex Antecedente conditionato, non ex vi neceſſariæ Conſequẽtiæ, ſed ex vi alicuius concomitãtis illud Antecedens, videlicet ex aliquo Decreto voluntatis, dico, quòd Deus non cognoſcat nec cognoſcere poſſit, niſi poſito Decreto & eodem cognito. *Et ratio eſt* quia illud Conſequens non pendet præcisè ex illo Antecedente conditionato, ſed pendet ab alio Decretum concomitante; quocirca illo Decreto ablato & ignorato, Conſequens illud

Futurũ ſub conditione ex vi neceſſariæ Conſeq: pendẽs certò Deus cognoſcit: ex vi V. nõ neceſſariæ non poteſt.

lud neque habet *Eſſe*, neque eſt cognoſcibile v. g. ſi Deus ab æterno decreuiſſet alios Angelos creare, & deinde ſi decreuiſſet efficaci ſuâ voluntate dare illis gratiam perſeuerantiæ, Angeli creati ſaluarentur. vnde hoc præmiſſo, dico ex iſto Antecedente conditionato, ſi *Deus crearet alios Angelos* non ſequitur neceſſariò, *quòd illi Angeli ſaluabuntur*, ſed neceſſarium eſt, vt poſito hoc Antecedente etiam illud Decretum ponatur. *quod ſuâ efficaci voluntate perſeuerabunt in gratia*, & ſic iam ſequitur Conſequēs, *quòd ſaluabuntur*. Proinde, ſi Deus cognoſcit hoc Antecedens, atq; etiam cognoſcit hoc Decretum, *quòd dabit illis gratiam, in qua permanebunt*. ex hoc Decreto Cōſequens habet ſuum verum *Eſſe*, ante autem hoc Decretum, ſolùm erat poſſibile, & non actu ac determinatè futurum.

Hinc collige de quib⁹ Cōditionatis ſit nobis ſermo, videlicet, non de his, quæ per neceſſariam Conſequētiam, ſeu illationem inferunt Conſequens; ſed de his, quæ ex Decreto concomitante Antecedens, inferunt conditionatum Conſequēs, & hoc adhuc duplex eſt: aut enim hæc Scientia Conditionatorum ſubſequitur Decretum, & de hoc nulla eſt controuerſia; aut antecedit, & de hoc eſt diſputatio. Quidā enim hæc Futura cōditionata ante decretum Diuinæ voluntatis per mediam ſcientiam affirmant eſſe cognita; quidam verò negant. Proinde pro determinatione.

Futura ſub conditione ante Decretum Diuinū à Deo ſciri non poſſunt.

53. Dico primò. *Deus Futura conditionata ante Decretum voluntatis ſuæ non cognoſcit.* PROBATVR. Scit Deus certò & infallibiliter, quòd ſi modò Angelos alios in gratia habituali creaſſet; & ſi ſuâ abſolutâ & efficaci voluntate decreuiſſet, vt perſeuerarent in gratiâ; ſciret hoc Futurum conditionatum, quòd *ſaluarentur*. Sed ſi hoc Decretum non eſſet, neſciret certò & infallibiliter De⁹, quòd illi Angeli ſi crearētur, in gratiâ determinatè facerent ex ſua innata libertate; nec Deus ſua infallibili Scientia cognoſceret, an ſint in gratia perſeueraturi, an in peccatum conſenſuri. *Probatur* hoc authoritate D. Aug. qui *lib. de Præd. c. 14.* explicans illa verba: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* inquit, id dictum eſſe, ſecundum pericula huius vitæ, non ſecundum præſcientiam Dei: quia hîc præſciuit, quòd futurum erat, non quod futurum non erat. ex quo eſt euidens Argumentum ſecundum D. Aug. Eorum quæ non ſunt futura, non eſt præſcientia. ergo neque erit eorū Scientia: ideo autē non ſunt futura, quia Decreto Dei non ſunt determinata. ergo vt ſic non ſunt futura: quia Decreto Dei, non ſunt decreta. quare neque ante Decretum Diuinum ſciri poſſunt. Ergo neque cognoſci poteſt, quòd liberū arbitrium cum talibus circumſtantijs & cum auxilijs ſibi ſufficientibus, ſed non prædeterminantibus ſit acturum, vel nō acturum. Idem D. Aug. in multis locis, & cum eo D. Proſper. & D. Hil. diſputantes contra errorem Maſſilienſium, qui docebant *paruulos ideo ex hac vita ſine baptiſmo decedere, & damnari; propter actuale peccatum, quod commiſiſſent, ſi vixiſſent*. concorditer tanquam falſum ex hoc Medio impugnant, quia hoc Conditionatum ante Decretum Voluntatis Diuinæ, non

non eſt cognoſcibile à Deo, vt futurum. :ſ: *quòd paruulus, ſi vixiſſet, peccaſſet mortaliter*: & rationem aſſignant, quia Deus id Futurum, quod nunquam futurum eſt, non cognoſcit, etiam poſitâ illâ conditione :ſ: *ſi eſſet in talibus Circumſtantiis*; nam poterat eundem per ſuam gratiã à peccato præſeruare. Idem D. Aug. in multis locis dicit, Præſcientiam, quâ Deus præſciuit bonum vſum liberi arbitrij, non antecedere in ſigno rationis, ſed ſubſequi Decretum Voluntatis diuinæ prædeſtinantis. ergo Præſcientia Dei, quòd liberum arbitrium ſit acturum in talib⁹ Circumſtantijs, non antecedit ſed ſubſequitur Decretum Voluntatis diuinæ & probatur rationibus.

54. *Ratio prima*. Si Deus iam crearet mundum alium ante Decretum ſuæ Voluntatis, Deus neſciret quot Angelos, & quot homines eſſet producturus! ergo ſimiliter ãte Decretũ ſuę volũtatis neſciret quot act⁹ & quales eſſet producturũ liberũ arbitriũ in tali ordine rerum conſtitutum. *Conſequentia*: ſicut enim omne illud quod Deus ad extra per ſemetipſum immediatè operatur (vt eſt creatio mundi) pendet ex Decreto illius voluntatis: ita omne illud, quod mediante causâ ſecundâ operatur; & quicquid ipſa Cauſa ſecunda operabitur, pendebit ex illius decreto. nam Dei tanquam primæ Cauſæ cauſalitas & prouidentia, ad quodcunq; Ens in particulari ſe extẽdit.

Inſtãtia aduerſariorũ. *Reſpondent aduerſarij*, negãdo Cõſequentiam, & dicunt: vt ſciat De⁹ quid hoc liberũ arbitrium, pro innatâ ſua libertate ſit acturum in talibus circumſtantiis, requiritur cõprehenſio, per quam penetrat liberũ arbitrium; & hæc quidẽ comprehenſio, non ſatis eſt, vt ſit qualiſcunque, neque etiam vt ſit maior, quàm ſit ipſa res; ſed requiritur altiſſima & eminẽtiſſima: Deus igitur licet comprehendat ſuum liberum arbitrium; non tamen illud comprehendit ſuâ altiſſimâ & eminentiſſima comprehenſione, nam illius comprehenſio non excedit liberum arbitrium, ſed illud adæquat, quia vtrumque habet ſe vt infinitum: iam verò liberum arbitrium creatum, comprehendit Deus ſciẽtiâ altiſſimâ & eminẽtiſſimâ; quia illud comprehendendo, adhuc in infinitum excedit: et hæc eſt cauſa, cur neque Angelus, neque homo, ante liberam dèterminationem ſuarum voluntatum cognoſcunt, in quam partem ſe inflectere debeant; quia eorum intellectus eſſentiam & voluntatem ſuam infinito modo non excedit.

55. *Sed contra*. Hæc differentia aſſignata, de eminentiſſima comprehenſione, & non ita eminenti tenet ſe ex parte cognoſcentis, non ex parte Obiecti cognoſcibilis, (de quo in præſenti ſermo eſt.) Ergo Deus æquè perfectè ſuam liberam voluntatem, atque etiam noſtram comprehendit. Quia comprehenſiua cognitio eſt, quando Obiectũ cognoſcitur in quantum eſt cognoſcibile, ita vt nihil ſit in illo actu vel potentiâ, quod cognoſcentis cognitionem lateat. Ergo ſicut ante determinationem liberam, nõ eſt cognoſcibile etiam à Deo, quot homines vel Angelos producturus eſſet Deus, ſi alium mundum crearet: ita etiam ante determinationem voluntatis illius, non eſt cognoſci- Solutio eſt

gnoſci-

gnoſcibile, quot actus & quales, productura eſſet libera voluntas, ſi in tali rerum ordine collocaretur.

Indifferētia volūtatis humanæ vnde proueniat? Quòd verò Angelus & homo ignorant, in quam partem ſuam voluntatem inflectant, ante determinationem ſuarum voluntatum, in cauſa eſt, quia ignorant conſilium Voluntatis Dei abſolutæ, quid in particulari prædeterminaret, circa futuros actus voluntatis: eorum ſi autem alicui reuelaret Deus, iam quilibet certò ſciret, ante determinationem ſuæ voluntatis, in quam partem ſe inflectat.

56. Sed contra hanc altiſſimam comprehenſionem liberi arbitrii; quam dicunt Deum habere, & penetrare, quid ſit acturum liberum arbitrium pro ſua innata libertate poſitum, in tali ordine rerum, ſic *Inſto*: aut enim in libero arbitrio, cognoſcit futurum contingens, vt iã à voluntate creata actu eſt? ſi ſic. ergo ſicut iſte actus, ita liberum arbitrium, eſt extra ſuam cauſam in ſeipſo exſiſtens. ergo cognoſcetur ſcientiâ liberâ ſeu Viſionis; quia hæc eſt horum, quæ actu exiſtunt: aut hoc liberum Contingens futurum conſideratur, vt eſt in ipſo libero arbitrio, tanquam in cauſa; ſi ſic; ergo non erit cognoſcibile: ſiquidem eſt omnino ambiguum & incertum. (vt ipſe Molina fatetur) *in Concor. Quæſt. 23. Art. 4. & 5.* quod autem in ſe eſt ambiguũ, illud certò & infallibiliter nõ poteſt cognoſci.

Impugnatur ſententia Molinæ

Confirmatur Hæc penetratio liberi arbitrii, vel eſt illi' potẽtiæ, quòd poteſt facere, hoc & illud, vel eſt penetratio, quòd de facto ad hoc determinabit ſe. ſed neutrum dici poteſt. Ergo. *Non primum*, quia penetratio Potentiæ liberi arbitrii eſt cum indifferentia, & ambiguitate. nam cauſa indifferens & indeterminata nõ habet infallibilem connexionem cum altero ex Oppoſitis quoad ipſius futuram exſiſtentiam. Ergo quocunque modo Potentia liberi arbitrii penetretur, ſemper penetratur vt indifferẽs. atq; ſic ex eo non poteſt certò & infallibiliter cognoſci quodnam oppoſitum ſit Futurum. *Non alterum* quia à Circumſtantiis, in quarum medio poſitum eſt, non determinaretur. nam omnes hæ circumſtantiæ moraliter mouent, & non determinant efficientiâ propria. ergo ex Circumſtã-tijs certò, & infallibiliter non poteſt ſciri quid ſit acturum.

Ex quo Collige, quatuor. *primum* certã & infallibilem præſcientiam Futuri liberi contingentis non poſſe haberi ex comprehenſione & penetratione liberi arbitrii; *ſecundum* ex his circumſtantiis, tanquam ex motiuis moraliter, tantùm moralĩ cognitionem colligi; cui ſubeſſe poteſt falſum: *tertium* horum liberorum Contingentium, ſaltem ſciẽtiã coniecturalem cõcedendã eſſe, quæ etiam homini ſagaci competere poteſt: *quartum* fruſtra confictam eſſe mediam ſcientiam ad concordiam conciliandam Futurorum actuum liberorum cum præſcientia Dei; quæ quidem certa & infallibilis omnino eſſe debet: per mediam autem ſcientiam non niſi coniecturalis colligitur.

57. *Ratio ſecunda* Ariſt. 1. de Interp. cap. 8. dicit. *Propoſitiones de futuro contingenti ſecundùm ſe ſumptæ non ſunt determinatè veræ; nec determinatè falſæ.* nam alias tolleretur natura Contin-

Contingentium:ſiquidem quod eſt Contingens habet ſe indifferenter ad vtrumque. ergo ante decretum Diuinæ voluntatis prædeterminātis voluntatem creatam ad alteram partem oppoſitionis, non eſt cognoſcibile, quid in particulari facturum eſſet liberum arbitriū collocatum in tali ordine rerum. *Conſequentia*, quia nihil eſt ſcibile, quod non ſit determinatè verum. Sed ante Decretum voluntatis Diuinæ nō eſt determinatè verum, quòd liberum arbitrium conſentiet, ſi poneretur in talibus Circumſtantiis. ergo non erit ſcibile.

Reſpondent quòd voluntas humana habet hoc proprium pro ſua innata libertate, vt poſſit ſe determinare quod hoc ita illi placet, quā uis poſſet, ſi vellet, ſe non determinare ad illam partem Contradictionis; & ſic illæ Propoſitiones de futuro Contingenti ſumunt determinationem à voluntate humana.

Sed contra. A cauſa contingenti ſeu indifferenti, in quantum eſt cōtingens & indifferens, non eſt actus determinatus, niſi ad illum ab aliquo determinetur, quia Contingēs in quantū Contingens eſt, ad vtrūque oppoſitum habet ſe indifferenter, ſed voluntas creata eſt contingens & indifferens. Ergo ad vtrumque oppoſitum habet ſe indifferenter. ergo ſi vult exire in actum determinatum; à Deo qui eſt radix determinationis, determinari debet: nam quamuis voluntas ſit proxima cauſa ſe mouens ad particulares rationes, ipſa tamen non eſt prima radix ſuæ determinationis, ſed eſt ipſa voluntas Diuina. itaq; ante Decretum illius non eſt ſcibile, quid voluntas humana ſit determinatè volitura; ſi in his, aut in alijs circumſtantijs fuerit collocata.

Reſpondent, quòd cognoſci poſſet ex Obiecto congruè propoſito quòd in illud volūtas eſſet conſenſura: quid ſit autem congrua Obiecti propoſitio, declarant, ſi quis eſurienti proponat cibum, quo ille libenter veſcitur, certum eſt, quòd illum comedet: ſi autem eſurienti exhibeatur cibus inſipidè præparatus, illum aſpernabitur: idem de voluntate dicendum; quod ſi illi congruum Obiectum, & conueniens propoſitum fuerit, determinabit ſe.

Sed inſto. licet negari non poſſit, quod Obiectum congruum & conueniens propoſitum voluntati eam determinabit quoad Specificationem, quia videlicet voluntas congruum Obiectum propoſitum non aſpernabitur, ſed proſequetur: tamen impoſſibile eſt, vt hoc tale Obiectum determinet voluntatem, quoad exercitium actus: ſi quidem ſolus Deus, quoad exercitium actˀ, eſt prima radix, & cauſa determinans Voluntatem; ſicut enim ſolus humanam creauit voluntatem; ita eandem ſolus immutare & determinare poteſt, iuxta illud Prouerb. 21. *Cor Regis, in manu Dei eſt, quocunq; voluerit, vertet illud.* Ergo ante hoc decretum Dei, non eſt omnino ſcibile, quid facturum eſſet liberum arbitrium, poſitum in talibus circumſtantijs.

58. *Ratio tertia.* Suppoſito illo, quod docet D. Th. *hîc a. 13.* quòd futura Cōtingentia dupliciter cognoſcuntur, *primò* in ſeipſo, *ſecundò* in cauſis. nam dupliciter videntur poſſe habere *eſſe*, primò in ſe, ſecundò in Cauſis.

Si igitur

Si igitur Futura conditionata ſciuntur per mediam Scientiam; ergo aut in ſeipſis, aut in ſuis cauſis. at neutro modo: ergo, *non primò* quia nullũ ex futuris cõditionaris, habet aliquando *eſſe* vt in ſeipſo, in aliqua temporis differentia: nam de his conditionatis interim loquimur, quæ nunquam erunt. ergo nunquã ſciri poterunt; nec in ipſa æternitate, ſiquidem æternitas, quæ eſt mẽſura Diuinæ cognitionis, habet ſimul & hunc ſtatum cum rebus, quæ ſunt in ſeipſis. *Non ſecundò;* quia quicunque Effectum contingentem in cauſa contingenti & indifferenti cognoſcit, non habet de eo cognitionem, niſi coniecturalem. ergo ſi Deus cognoſcit, quid Liberum Arbitrium ſit acturum, in tali ordine rerum, ſolùm coniecturaliter cognoſcit: quia Liberum Arbitrium eſt cauſa indifferẽs ſuarum actionũ.

Mediam ſcientiam admittere nõ eſt tutum in fide.

59. Dico ſecundò. *Non eſt conueniens, nec tutum in Fide Mediam Scientiam admittere.* PROBATVR, quia hâc vſi ſunt Ariani & Maſſilienſes, qui appellati ſunt Semipelagiani, Viro autem Catholico, nihil commune debet eſſe, cum Hæreticis, in eo præſertim, quo illi tanquam inſtrumento, ad ſuos errores confirmandos, vtuntur. Patet autem Arianos Scientia Media fuiſſe vſos: nam Alexander Alexandrinꝰ Epiſc. in ſua Epiſt. ad Alexandrum Epiſc. Conſtantinop. quæ habetur in Cõcilio Nicæno, refert, quòd impii Ariani affirmant, Chriſtum D. non eſſe Filium Dei naturalem, ſed ſolũ per gratiam ad eam dignitatẽ fuiſſe electum. Cùm verò obiicitur illis, cur D. Paulus, aut D. Petrus, aut alii nõ ſunt eo modo facti Filii Dei? *Reſpondent,* hoc factum eſſe, ex præſcientia boni vſus liberi arbitrii futuri; Verba ſunt Alexandri: *Deum, cùm eum præſcientiâ & præſenſione prænouiſſet neutiquam aſpernaturum; idcirco ex omnibus elegiſſe.* Et inferiùs: *propter ſingularem in vita & moribus ritè inſtituendis diligentiam, ac ſtudium, non ad vitia deflectere, Deum eum elegiſſe.* Ex quo manifeſtum euadit, quòd ſcientia Media eſt, quâ Deus præuidet, quid acturum ſit liberum arbitrium, conſtitutum in tali ordine rerum. ſed ſecundùm Arianos impios, hæc præuiſio facta eſt, in Chriſto Domino à Deo Patre. Ergo (vt impiè blaſphemant,) Chriſtus præ aliis eſt electus ob hanc præuiſionem. Hanc eandem præſcientiam, admittunt Semipelagiani ad ſtabiliendum ſuum ſenſum de Prædeſtinatione, quam ex præuiſis meritis ſtatuunt, de qua Sanctus Proſper in Epiſt. ad D. Auguſtinum ſic inquit: *ſed in tantùm quibuscunque commentitijs meritis electionem Dei ſubijciunt, vt quia præterita, quæ non exſiſtant; futura, quæ non ſint futura, confingunt.* Sed hoc ipſum dicit media Scientia: quia dicit eorum *Eſſe,* quæ nunquam futura ſunt. ergo incidit in errorem Semipelagianorum. Eiusdem Scientiæ memor eſt S. Hilariꝰ, ad D. Auguſtinum in Epiſt. Cùm autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi præ dicetur, vel modò prædicitur. dicunt id eſſe præſcientiæ Diuinæ, vt eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntietur, quando & vbi nuntiabatur eſſe credenda. Quibus in verbis ponuntur Circũſtantiæ, quas etiam Media Scientia ponit. & his, quod aliqui credãt, attribuũt; quòd etiam Media Scientia videtur fateri

cùm cognoſcat, quid Liberum Arbitrium pro ſua innata libertate ſit acturum.

Ex quo Collige, Sicut in Media Scientia, eſt Præſcientia boni vſus Liberi Arbitrii: ita & Semipelagiani & Ariani hanc Scientiam boni vſus Liberi Arbitrii ponunt.

Reſponſio quondam.

Reſpondent auctores Mediæ Sciẽtiæ: Mediam Scientiam nõ eſſe ideo aſpernandam; quia illâ abutuntur Hæretici. Nam ea de cauſa abiiciẽda eſſet Sacra Scriptura, ſiquidem eâ abutuntur iidem. *Contra Dico* hac reſponſione non euacuari difficultatem: nam in hac Scientiâ ponunt Præſcientiam; & quidem in ſigno rationis antecedentem decretum Voluntatis Diuinæ; proinde cauſa Prædeſtinationis eſt bonus vſus Liberi Arbitrii, à Deo præcognitus in talibus circumſtantiis. ſed idem dicunt Ariani, & Semipelagiani (vt iam deductum.) D. autem Aug. in Epiſt ad D. Proſp. & Hilarium apertè docet; Præſcientiam, qua Deus præſciuit bonum vſum Liberi Arbitrii, non antecedere in ſigno rationis, ſed ſubſequi decretum voluntatis Diuinæ prædeſtinantis. Proinde hæc illorum Media Scientia, eadem prorſus videtur eſſe, qua vſi ſunt Hæretici.

Inſtãtia cõtra.

In Deo duplex tãtum ſcientia datur.

60. Dico tertiò. *Omnis illa Scientia, quæ in Deo ponitur, aut eſt naturalis; aut libera; & præter has nulla intermedia dari debet*, PROBATVR auctoritatibus SS. Patrum, ex quibus colligere licet, in Deo non dari tertiam Scientiam. D. Damaſc. in Dial. contra Manich. ſic dicit. *Si Deus aliquem non condidiſſet quia præſciuit peccaturum, non eſſet hæc præſcientia, ſed impoſtura. nam ſicut cognitio eſt earum rerum quæ ſunt, ita prænotio eſt earum, quæ certò futura ſunt.* Ex his verbis colligo, duplicem eſſe Scientiam; nam ſi eſt earum rerum, quæ ſunt, erit Viſionis: ſi verò earũ, quæ certò futura ſũt, erit ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt poſſibilium: hæc autem quæ certò futura ſunt, ſunt poſſibilia. & præter hanc nullam aliã ponunt, immò confutant, cùm Præſcientiam dicant eſſe certò futurorum: Media autem Scientia cognoſcit, quæ nũquam futura ſunt. Ergo eam reiiciunt. Idem apertè aſſerit, D. Aug. *lib. de Prædeſt. cap. 14.* vbi ait: *hoc præſciuit Deus, quod futurum erat, non quod futurum non erat: quod enim nunquam exſecutioni mandatum nõ erat, nõ præſciuit Deus.* Proinde ea nouit Deus, quæ aut antecedunt decretum illius, & talis eſt Scientia naturalis: aut quæ ſubſequuntur decretum; & talis eſt libera, ſeu Viſionis. Idem D. Aug. *lib. 6. de Orig. an cap. 12.* reprehendit eós, qui affirmabant *Deum permittere, vt infantes ſine gratia baptiſmi decedant, & moriantur: quia hos, ſi vixiſſent, malè eſſe victuros præſciuit.*

Manich.

Media ſcientia excluditur.

Contra hos, qui hoc Futurum contingens conditionatum aſſerebant, ita ait: *quòd ipſa omninò Præſcientia exinanitur, ſi quod præſciuit, non erit, quomodo enim dicetur præſcire, quod non eſt futurum; ſi id, quod præſcitur, futurum non erit inane eſt.* Sed futurum conditionatum, quod eſt Obiectũ Mediæ Scientiæ, ſic ſe habet, quòd præſciatur futurum, quod nunquã erit. Ergo hæc media Scientia eſt inanis: atq; ſic duæ tantum in Deo ponendæ. Idem confirmatur verbis D. Proſperi in Epiſt. ad D. Aug. *nouo* (inquit) *abſurditatis genere, & non agenda præ-*

genda præſcita dicuntur, & præſcita acta non eſſe; Sed aſſertores Mediæ Scientiæ, ponunt Scientiam in Deo rerũ non agendarum, & tollunt realem Præſcientiam ex æternitate; ſiquidem Præſcientia eſt, pro tota æternitate. ergo nouum genus abſurditatis incurrunt. præterea probatur idem rationibus.

61 *Ratio prima* Deus, quando cognoſcit res, aut illas cognoſcit ſecundùm ſuas Entitates, & perfectiones poſſibiles, aut ſecundùm quod exſiſtunt extra cauſas? ſi cognoſcit ſecundùm Entitates poſſibiles; ergo cognoſcet ſcientia ſimplicis Intelligentiæ: ſi verò cognoſcit ſecundùm exſiſtentiam actualem; ergo cognoſcit Scientiâ Viſionis. Ergo nulla alia Scientia dabitur in Deo; nam pro tertia non habetur Obiectum.

Dices dari Obiectum ſ. futura conditionata, quæ nũquam erunt: *Sed contra.* Ergo hæc futura ſolũ habebunt futuritionem poſſibilẽ. ergo Scientia ſimplicis Intelligentiæ ſcientur; quia ad hanc ſpectat cognoſcere poſſibilia.

Ratio ſecunda. Si Deus non decreuiſſet creare hunmc undum, ſolùm in Deo glorioſo eſſet Scientia naturalis, ſeu ſimplicis intelligentiæ, per quam Deus ſeipſum & ſuã Omnipotentiam comprehendẽdo, non ſolùm ſeipſum; ſed etiam eſſe id comprehenderet, ad quod ſe extenderet omnipotens virtus eius; & ſic cognoſcit omnia poſſibilia ſiue libera, ſiue neceſſaria, ſiue contingentia, cum omnibus eorũ modis poſſibilibus. Sed poſtquam fide nos docente credimus, Deũ decreuiſſe ſuâ liberâ voluntate, hunc mundum in tali ordine creare; & has ſpecies rerum cum talibus perfectionibus producere: idcirco cogimur alteram Scientiã in Deo ſtatuere, quæ ſit libera ſeu Viſionis. Ergo non eſt cauſa, cur in Deo ponamus Scientiam Mediam, quæ neque ſit naturalis, neque libera. *Conſequentia*, quia noſtro modo intelligendi in Deo; aut eſt ſcientia poſſibilium, vt ſunt poſſibilia præciſè; aut futurorum, quæ erunt in aliqua differentia temporis, propter determinationem factam à voluntate diuinâ. ſi primũ ergo erit Sciẽtia naturalis; ſi alterum. ergo erit Sciẽtia libera atq; ſic tertia ſcientia, quæ ſit ab his diſtincta, non eſt admittenda.

62. *Reſpondebis* ideo admittenda eſt Scientia Media, quia per eã præſcit Deus, quid Liberum Arbitrium creatum, in his, aut in illis circumſtantiis collocatum, ſit facturum? & præſcit quidẽ, antequam ſtatuat illud creare.

Contra Secundùm hos authores, Deus antequam ſtatuat Liberũ Arbitrium; & antequam faciat determinationem circa hoc voluntatis ſuæ Liberum Arbitrium, ſolùm intelligit vt poſſibile; & actiones liberæ, quæ ab eo ſunt prouenturæ, ſolùm cognoſcuntur, vt poſſibiles. ergo ad Scientiam ſimplicis Intelligentiæ ſpectabunt. ſi autem cognoſcuntur vt futura, iam cognoſcuntur, vt determinata ad alteram partem. Sed Liberum Arbitrium, cũ ſuâ naturâ ſit indifferẽs, habet ſe ad vtrumque oppoſitum. Ergo ab alio ſ. à libero cõcurſu Dei, & ab illius determinatione determinari debet. ergo Sciẽtia Media nulla eſt in Deo,

Confir,

Cõfirmatur nõ eſt intelligibile, quòd aliquid ſit futurum; & non ſit determinatum à voluntate Diuinâ: quia futuritio dicit ordinem ad exſiſtentiam futuram, in aliqua differentia temporis. ſed exſiſtentia rei non poteſt eſſe ſine voluntate Dei hanc ipſam exſiſtentiam determinãte. ergo omnino non eſt intelligibile, quòd Deus præſciat, quid ſit liberum arbitrium acturum, in tali ordine rerũ collocatũ, antequã illud ſtatuat creare, & antequã determinet de operibus ab illo faciendis.

Reſpõſio altera. *Reſpondebis iterum.* Quòd hæc futura libera, & contingẽtia, cognoſcit in ſua Eſſentia, prout præueniunt actum, & determinationem Diuinæ voluntatis.

Contra inſtantia. *Contra*: licet verum ſit, quòd Eſſentia Diuina, non ſolùm omnia poſſibilia, ſed etiam omnia futura repræſentet: ſiquidem Eſſentia Dei habet in ſe rationes omnium: tamen dico in Eſſentia Diuinâ, conſideratâ ante determinationem voluntatis Diuinæ, non repræſentari illa futura libera; ſed ſolùm, vt poſſibilia. nam Eſſentia Diuina vt ſic, ante determinationem, dicit ordinem ad hanc ipſam determinationẽ voluntatis Diuinæ, vnde ſolùm cognoſcit vt poſſibilia.

63. *Ratio Tertia.* Prorſus eſt irrationabile, dari aliquem Actum, qui neque ſit naturalis, neque liber. ergo etiam irrationabile eſt, dari Mediam Scientiã. *Conſequentia*: quia Media Scientia neque eſt Naturalis, neque Libera. *Antecedens*, omnis act⁹ reſpicit potentiam, & ab illa procedit. ſed hæc potentia, aut eſt naturalis aut libera. Naturalis eſt, quæ ſuâ natura ad vnum & eundem actum eſt determinata producẽdũ, & hæc producit Actum Naturalem. Libera verò quæ natura ſua eſt indifferẽs ad vtrumlibet oppoſitum. & hæc producit Actum Liberum. Sed in Angelis & hominibus, non datur aliquis Actus medius, inter actum naturalem & liberum. ergo attollendo lumen noſtræ rationis, à creaturis ad Creatorem, cui omne id tribuere debem⁹, quod caret imperfectione, nec in Deo talis actus dari poteſt. atque ſic neque erit in eo talis Scientia, quæ neque ſit Naturalis, neque Libera *Conſequentia* omnis Actus, quicunq; eſt in homine, aut antecedit deliberationem, aut eandem ſubſequitur? ſi antecedit, ergo eſt merè naturalis. ſi ſubſequitur, ergo eſt deliberatio, quæ aut eſt plena, aut ſemiplena. at deliberationes ſemiplenæ, cùm ſint imperfectæ, nõ ſunt ponendæ in Deo. ergo erit plenæ deliberationis. atq; ſic Actus in Deo, aut erit plenè Naturalis, aut plenè deliberatus.

Solutio. *Reſpondent*, hanc Scientiam mediã, poſſe etiam dici liberã; quia per eã cognoſcit Deus, quid ſit acturum Liberum Arbitrium in tali ordine, & cum his circumſtantiis. Inſtãtia cõtra illam. *Contra.* Apertè eſt falſum, & inconueniens, quòd ſciẽtia ideò libera dicatur eſſe in Deo, quòd ſciat quem actum cauſa libera ſit productura, ſi in illis Circũſtantiis fuerit poſita: quod quidem

64. *Probatur primò*, Sequeretur enim, quòd libertas, quæ eſt in actibus Diuinis, non ſit per Eſſentiam in Deo, ſed participata à creaturis, quod eſt falſum; fide enim credim⁹ Deũ eſſe liberũ: & licet De⁹ nullas ꝓduxiſſet creaturas, nec ſe eas vnquã produ-

ćturum decreuiſſet; tamen Deus liber eſſet. ergo Deus non dicetur eſſe liber propter libertatem repertã in creaturis, & ſcitam à Deo.

Probatur ſecundò Libertas radicaliter ortũ habet ex indifferentia cuiuſlibet Agentis liberi. ergo indifferẽtia ab aliquo extrinſeco ſumi nõ poteſt. at in Deo eſt libertas. ergo & illius indifferentia eſt radicaliter in Deo. & ſic ex eo non ſumitur, quòd Deus ſciat, quid ſit acturum, aut non acturum Liberum Arbitriũ in his occaſionibus.

Probatur tertiò. Sciẽtia libera, quæ eſt in Deo, eſt perfectio Diuini Intellectûs. at nulla perfectio formalis, quæ eſt in Deo, deſumi debet à creaturis; cùm omnes perfectiones creaturarum ex Deo, tanquam ex authore omnium, promanarint. ergo non eſt admittenda ſi quaſi ideo ſit, quia cognoſcit actiones liberarum creaturarum.

Probatur quartò, ſequeretur, quòd Liberum Arbitrium Dei, non haberet à ſemetipſo determinationem, ſed ab extrinſeco, quod eſt falſum. *Sequela*, ſecundùm auctores Mediæ Scientiæ, Deus eſt indifferens ad cognoſcendum hunc, vel illum actum futurum conditionatum; ſiquidẽ determinatio (vt illi dicũt) ad vnam vel alteram partem prouenit, ex eo; quòd arbitrium creatum potiùs eſt facturum hoc, quàm illud. Ergo à Libero Arbitrio creato determinabitur.

Probatur quintò. Sicut intellectus humanus in cognitione commenſuratur rebus: nam ex eo, quòd res eſt, aut non eſt, mentalis Propoſitio, dicitur eſſe vera, aut falſa: ſic omnino ab ipſis rebus eſſet commenſuratus Diuinus Intellectus; nam ab illis determinaretur, quod eſt falſum.

65. Dico quartò. ***Nulla eſt neceſſitas, nulla vtilitas, propter quam, ſcientia futurorum ſub conditione, antecedenter ad Decretum diuinum ſit ponenda.*** PROBATVR. prima pars, *quòd non ſit neceſſarium,* quia maximè eſſet ad concordãdum Liberum Arbitrium cum Præſcientia & Prædeterminatione Diuinà. ac efficacia auxiliorum Dei. at hoc eſt falſum. Ergo. Pro intelligentia.

Nota. Non alia cauſa eſt, cur authores quidam mediam Scientiam introduxerunt, niſi quia aduertebant, quòd Prædeſtinationes, prædefinitiones, præſcientia, efficax auxilium Diuinum, vim inferãt libertati voluntatis: iam autem id, quod prædefinitum, quod prædeterminatum eſt fieri neceſſariò debet: vnde iã offenditur libertas: proinde induxerunt Mediam Scientiam, per quam Deus ante decretum voluntatis ſuæ præſcit, quid Liberum Arbitrium creatũ ſit acturum, ſi in talibus conditionibus fuerit poſitum: & ſic Liberum Arbitrium, ſuapte naturà ſe determinaret, ſuamque libertatem ſine læſione retineret. Dicunt ergo, quòd Deus præſciat hanc voluntatis determinationem, ſed ipſe Deus non prædeterminauit. atque ideo cum Præſcientia per mediam Scientiam optimè ſtat libertas Arbitrij. Fundamẽtũ, quo firmatur Media ſcientia.

Nota ſecundò. Admittũt in Deo dari Præſcientiam, ſed ſine decreto, & ſine vllà determinatione voluntatis eius; proinde mediam Scientiã ante decretũ eſſe volunt. hoc ea de cauſa faciunt, quia ſi agnoſcerent in Præſcientia decretum, & determinationem

tioné voluntatis humanæ, putarent quòd vim inferat humanæ voluntati, nam decreto Diuino regeretur ad hoc, & non ad aliud eligendũ, quia Deus determinaret; hac verò determinatione ſublatâ, iam Præſcientia Diuina, benè ſtat cum integrâ voluntatis humanæ libertate.

Probatur ergo, quòd non ſit neceſſaria ad hanc concordiam. Scientia media, maximè inuenta eſt propter cognitionem conditionatorum. ſed multa ſcit Deus ſine hypotheſi, ſeu ſine conditione; præſciuit enim Cõuerſionem D. Pauli, ſine hypotheſi: quia non congruo tempore facta eſt: erat enim tunc ſpirans minas & cædes in Diſcipulos Dei. ergo De⁹ ſine conditione multa ſcit per ſuam Scientiam Liberam, & per hãc optimè conciliatur liberum Arbitrium cum Præſcientia, quia hæc conuerſio liberè facta eſt à Diuo Paulo.

Secunda ratio. Chriſtus D. in carne noſtra multos Act⁹ liberos exercuit, quos tamen Deus prædefiniuit in ſuo decreto, nã Act. 2. legimus. *hunc definito conſilio & præſcientia Deî traditum, per manus iniquorum affligentes.* Ergo Deus in ſuo conſilio & præſcientia prædefiniuit, Chriſtum tradendum in manus iniquorum, & tamen certum eſt, quòd omnes dolores & ignominias Crucis liberè paſſus eſt; quomodo enim noſtram redemptionem fuiſſet promeritus, ſi liberè nõ fuiſſet paſſus.

67 *Tertia ratio.* Sententia eſt antiquorum & grauiſſimorum Theologorum, Deum in particulari prædefiniuiſſe omnes liberas actiones hominum. Sed ijdem cum hac Præſciẽtiâ prædefinitiua optimè cõcordãt Liberum Arbitrium (vt in Materiâ Prædeſtinationis atque hic adhuc dicemus) ergo hæc Scientia media fruſtra ad hanc concordiam eſt excógitata.

Quarta ratio. Hæc concordia, per mediam Sciẽtiam Liberi Arbitrij, cũ Præſcientia facit, vt Deus non ſit cauſa ſalutis animarum, nec Phyſica, nec vera; ſed ipſum Liberum Arbitrium: hoc enim auxilium ſi illi opportuno tempore fuerit oblatum iam tunc conſenſum dabit; atq; ſic nõ ſolùm erit, vt cauſa moralis, ſed etiam vt efficiens includens omnem efficientiam. atq; ſic erit ſe promouens ac determinãs ad conſenſum. Ergo ſalus animarum Liberi Arbitrij erit, tanquã veræ & efficientis cauſæ; quod apertè eſt contra Scripturam Prou. 31. *Cor Regis in manu Domini, quocunq; voluerit, vertet illud.* D. Aug. dicit in Enchyr. cap. 25. *Quiſnam impiè deſipiet, vt dicat, malas hominum voluntates, quas voluerit, vbi voluerit, & quò voluerit, in bonũ non poſſe conuertere.*

68. PROBATVR ſecunda pars, *quod ſ. non ſit vtilis,* quia ex illâ, multa abſurda ſequuntur. *Primùm* ſi enim Deus non determinat liberum arbitrium. ergo cùm ſit cauſa indifferẽs, ab aliqua cauſa naturali determinabitur. ergo vel à complexione corporis, vel ab aliqua conſtellatione, vel à particulari arbitrio, vel à circumſtantibus conditionib⁹. ſed hoc eſt falſum. Si enim determinaretur ab his cauſis, voluntas eſſet per naturam ad vnum determinata. & ſic iam in illo actu ad quem determinatur, non eſſet libera.

Reſpondebis. quòd ipſa volũtas determinet ſeipſam ad alterã partem, quæ ſibi placuerit! *Contra* quamuis ſit ve-

ſit verum, quòd natura voluntatis ſit libera ad vtrumlibet; nihilominus & hoc verum eſt, quòd ex naturâ ſuâ non poteſt habere, vt ſe determinet ad aſſenſum, vel ad diſſensũ: quia iam non eſſet libera, nec indifferens, ſed eſſet potentia naturalis & determinata ad vnum ſaltem in talibus circumſtantijs conſtituta: *Præterea* ſi voluntas ſe determinaret, nec determinaretur à Deo. ſequeretur, quòd ipſa eſſet primum agens, &primum determinans: & ſic eſſet Deus. quod eſt falſum.

Secundum abſurdũ. quia ex hac media Scientia ſequitur, dari cauſam Prædeſtinationis ex parte noſtra, vel ſaltem vt ſit conditio *ſine qua non. Sequela* Obiectum Scientiæ conditionatum, præcedit decretum Diuinæ volũtatis, nec dependet ab eo. ergo ante decretum prædeſtinandi Petrum ad gratiam, & ad gloriam, præſupponitur cooperatio Petri. ita quòd ſecundùm illorum ſententiam conſtitutus Petrus in talibus circũſtantijs, & cum talibus auxilijs non applicantibus efficaciter eius volũtatem ad conſenſum, eſt conſenſurus; & hoc primò ſcit Deus ante decretum illum prædeſtinandi. ergo cooperatio Petri, erit cauſa illius Prædeſtinationis: aut ſaltem habebit ſe vt conditio, ſine qua non prædeſtinaretur. ſi autem non eſt conſenſurus, manebit reprobatus.

69. *Tertium abſurdum.* Obiectum ſcientiæ conditionatæ præcedentis decretum nulla neceſſitate eſt neceſſarium. ergo de illo ſcientia non poteſt haberi, Conſequẽs ex 1. Poſter. *illud enim eſt ſcibile, quod aliquâ neceſſitate eſt neceſſarium.* Sed quòd Petrus, poſitus in talibus circumſtantijs, & cum talibus auxilijs non applicantibus efficaciter eius voluntatem ad conuerſionem, ſit conſenſurus, infallibiliter illi vocationi, & conuertatur, non eſt neceſſarium ſimpliciter: quia à cauſa defectibili & impedibili, videlicet à volũtate procedit. Ergo determinari deberet ab aliquo ſuperiori, & quod non poſſet impediri. ergo vt ſic Obiectum mediæ Scientiæ non eſſet ſcibile.

Confirmatur. Impoſſibile eſt, quòd aliquis effectus ſit, aut intelligatur futurus, niſi à causa ſua efficienter dependeat. Sed prima & vniuerſaliſſima cauſa, & à quâ primò quilibet effectus habet *Eſſe,* eſt decretũ Diuinæ voluntatis (vt dicetur in libro de Cauſis Propoſit.) ergo ante hoc decretum nulla res habet *eſſe.* ergo nec ſciri poteſt.

70. *Reſpondent*, quòd omne futurum tam conditionatum, quàm abſolutum, vt ponatur in *eſſe*, neceſſe eſt, vt à decreto Diuino, tanquàm à cauſa Efficienti intrinſecè depẽdeat: nihilominus dicunt, quòd, quando eſt Cauſa ſecunda libera, Deus non habet abſolutum decretum producendi cum illa effectum liberum; niſi præſuppoſitâ Præſcientiâ, ſi nimirũ in talib⁹ circũſtantijs ponatur, quòd illa ſuum influxum liberum præbebit, ſine quo Actus liber non poteſt produci. Solutio.

Cõtra dico, per hanc reſponſionẽ, hoc ſolùm haberi, quòd operatio Cauſæ ſecundæ pendet effectiuè ex decreto Diuino. ſed influxus cauſæ liberæ, quo influit in ſuum effectum liberũ, non pendet effectiuè ex eodem decreto. ſi enim non dependet, ergo voluntas creata erit prima cauſa, quod eſt impoſſibile. *Conſequentia* Omnis Inſtãtia cõtra ſolutionem.

tia. Omnis cauſa efficiens debet prę-cedere ſuum Effectum. ſed decretũ Diuinæ voluntatis non præcedit liberum influxum voluntatis creatæ: ergo Decretum non influit effectiuè in effectum Liberi Arbitrij. *Minor.* ſecundùm illorum ſententiam, Deus non ſtatuit, quòd volũtas influat & cooperetur priuſquã præuideat illã pro innata ſua libertate eſſe cooperaturam, ſi in talibus circumſtantijs collocetur. atq; ſic influxus voluntatis non pendet effectiuè à decreto Diuino, & ideo eſt prima Cauſa.

Præterea hæc Cauſalis erit concedenda (dum voluntas creata volet in ſuum effectum in particulari influere, Deus etiam influet in eundem in particulari;) & ſic voluntas creata erit prior, & Diuina poſterior creata erit domina, & Diuina pediſequa: nam creatura operabitur, & Deus cooperabitur. quæ omnia sũt abſurda, Sed contra hanc veritatẽ

Obiectũ 1. 71. *Obijcies primò* ex 1. Reg. 23. Dauid conſuluit Dominum, an ſi remaneret in ciuitate Ceila, Saul eſſet venturus? & ſi veniat, an ciuitatem exercitu cõcludet, & an eum Ceilitæ tradituri eſſent in manus Saulis? ad vtrumque reſpondit Dominus. *& Saul deſcendet, & tradent te*, hoc reſpõſo audito Dauid aufugit, & poſtea nec Saul venit, nec Ceilitæ Dauidẽ tradiderunt. ex quo ſic arguunt. has conditionales Propoſitiones *ſi manſeris veniet Saul, & ſi Saul venerit, tradent te;* cognouit Deus certò & infallibiliter. ſed nõ cognouit per ſciẽtiam Naturalẽ; quia hæc eſt de poſſibilibus: nec per Liberam, quia hæc ſolùm eſt de exſiſtẽtibus actu in aliqua differentia temporis: ergo per Mediam.

Reſpondeo hæc & alia Futura conditionata, cognoſci certò & infallibiliter à Deo, non antecedenter ad decretum conditionatũ Voluntatis Diuinæ, ſed in decreto, in quãtũ illud ſubſequũtur. ac proinde nõ per mediã Scientiã: ad Argumẽntum directè dico: hanc cõditionalem *ſi manſeris, Saul veniet, & ſi veniet Ceilitæ, tradẽt te*: cognouit Deus tanquam veram, & per conſequens ſibi cognitã; quamuis nec Antecedens, nec Cõſequens fuerat poſitum in *eſſe*; quia Conditionalis nihil ponit in *eſſe*: ſed ad veritatem eius requiritur, vt habeat bonam Conſequentiam, ſicut hæc conditionalis eſt vera, *ſi lapis eſt homo, lapis eſt animal rationale*, quamuis tam Antecedens, quàm Conſequens ſit impoſſibile; cognouit ergo Deus illas Conditionales, nõ per mediam Scientiam, quia in decreto ſuo. Solutio

72. *Quæres* per quam Scientiam cognouit, ſi non per mediam? *Reſpondeo*, quòd per liberam, ſeu Viſionis: *Quæres iterum* quomodo per liberam? ſi quidem hæc ſolùm eſt de ijs, quæ aut habent, aut ſunt habitura exſiſtentiam, in aliqua differẽtia temporis? hæc autem Conditionata non exſtiterunt; quia nec Saul venit nec Dauid eſt traditus. *Reſpondeo*, quòd Scientia libera non ſolùm eſt de exſiſtentibus in aliqua differentia temporis; ſed etiã de his, quæ ex decreto ſpeciali Dei exſiſtunt, ſi talis conditio fuiſſet appoſita; vnde hæ Conditionales *ſi manſeris Ceilæ: veniet Saul, & ſi venerit tradent te;* habent vim neceſſariæ Conſequentiæ, non ex ſe præcisè, ſed ex vi decreti diuini.

Dices ergo etiam hæc conditionalis. *Si*

lis, *Si Deus voluiſſet creare mundum, Deus creâſſet illum*, ad ſcientiam liberam ſpectabit. *Conſequẽtia*, quia hæc Cõditionalis ſupponit decretum conditionatum in Antecedente per illa verba *ſi Deus voluiſſet. Reſpondeo* hãc Conditionalem nõ per liberam, ſed per naturalem Scientiam cognoſci, quia infallibilitas illius illationis nõ fundatur in decreto Diuino; ſed in Omnipotentia Voluntatis Diuinæ, quæ naturaliter competit Deo. Ex hoc enim, quod eſt omnipotens, & cuius potentiæ nihil reſiſtere poteſt, omnia, quæcunque vult, facere poteſt; iam autem illatio Conſequentis ex Antecedente non fundatur in aliquo, quod pertineat naturaliter ad Deum, ſed in Decreto Diuino libero; proinde non eſt par ratio.

73. *Obijcies* 2. Lucæ. 10. habetur: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent hæ virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim, in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Hoc Futurũ conditionatum *ſi in Tyro & Sidone hæ virtutes fuiſſent factæ, pœnitentiam egiſſent*, cognouit certò Chriſtus D. tãquam Futurum conditionatum. ergo per ſcientiam conditionatam, quia hæc extendit ſe ad futura cõditionata, quæ nũquã futura ſunt.

Reſpondeo hæc futura conditionata cognouiſſe Chriſtum certò & infallibiliter, non per mediam Scientiam, ſed per liberam; in qua decreuit Tyriis & Sidoniis, dare efficacẽ gratiam per quam certò erant aſſẽſuri & iidem ſuſcepturi, nam nõ eſt poſſibile (alias eſſet Hæreſis Pelagij) quòd ex illis ſolis miraculis, & ſignis externis fuiſſent conuerſi ſine interueniente auxilio efficacis gratiæ, quod Deus ſtatuit illis dare miſericorditer.

Dices Vt quid ergo increpantur Bethſaidæ & Corozaitæ? nam & hi credidiſſent, ſi auxiliũ efficacis gratiæ donatum habuiſſent. *Reſpondeo* ideo illos iure increpari: quia maiora impedimenta oppoſuerunt gratiæ, & ſeipſos propria malitia obdurarunt, quæ quidem malitia non fuiſſet futura in Tyriis & Sidoniis: et quãuis Tyrij viribus naturæ non potuerint ſe præparare ad receptionem gratiæ: tamen poterant magis & minùs ſe obdurare, quominùs daretur illis gratia. Qua de re Diuus Auguſtinus *libro de Dono perſ. capite 14.* ſic ait: *non erant ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum & Sydoniorum quoniam credidiſſent, ſi, qualia iſti viderunt ſigna, vidiſſent*, Poſtea infert. *Sed nec illis profuit, quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ, nec iſtis obfuiſſet, quòd nõ poterãt credere; ſi ita prædeſtinati eſſent, vt eos Deus cæcos illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Et poſtea ſubijcit. *Audiunt hæc, & faciunt, quibus datum eſt; non autem faciunt, ſiue audiant, ſiue nõ audiãt, quibus nõ eſt datũ.* Ex quibus verbis collige in decreto Prædeſtinationis & reprobationis hæc omnia à Deo cognita eſſe per ſcientiam liberam.

74. *Obijcies* 3. Matth. 24. legimus *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fuiſſet ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur.* Prædicit Chriſtus D. hanc conditionalem à ſe tanquam à Deo cognitam, *Si Antichriſti perſecutio diutiùs duraret, etiam electi ſubuerterentur.* & non per aliam ſcientiã niſi per mediam. Ergo media ſcientia admittenda. *Reſpondeo primò* cum D. Aug. hoc dictum eſſe ſecundùm

R pericula

pericula huius vitæ præſentis, & nõ ſecundùm præſcientiam Dei. *Reſpõdeo ſecundò.* quòd certò & infallibiliter cognouit in decreto ſuo, quo illis ſtatuit conferre efficax auxiliũ gratiæ ſuæ, ad ſuperandas has & illas tentationes; quòd ſi grauiores habuiſſent, iam relicti ſuæ naturæ ſuccubuiſſent; ſed quia prædeſtinati erũt, idcirco breuiabitur dies perſecutionis, ne in hanc incidant.

Nota Quoad alia loca Scripturæ, quæ obijciunt, illa eſſe reſoluenda, aut concedendo, quòd Deus certò & infallibiliter cognoſcit conditionata, verùm non antecedenter ad decretum ſuæ voluntatis; ſed aut per naturalem ſuã ſcientiam, in qua ſuam omnipotentiam & efficientiã cognoſcit; quale eſt illud Iſaiæ 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobile ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* Per *ſemen*, viri iuſti, quales erãt Prophetæ & Apoſtoli, intelliguntur; niſi igitur per hos, & per alios illorum ſucceſſores, myſteria fidei annunciata fuiſſent, totaliter periiſſent. ſicut & nos per naturalem ſcientiã cognoſcimus. quòd niſi Deus hunc mundum, quem ex nihilo condidit, conſeruaret, in nihilum abiret: aut reducendo ad ſcientiam liberam, vt Lucæ 16. de fratribus Epulonis dicitur: *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexit, credent.* Hoc ita futurum in decreto ſuo cognouit, quo ſtatuit, non conferre illis auxilium efficacis gratiæ. Ad auctoritates SS. Patrum, quas communiter allegare ſolent, dicendum, quòd hi contra Manichæum ſuã ſcripturã dirigebant, qui negabat Liberum Arbitrium; & propterea pauca de gratia Dei ſunt locuti, nũquam tamen Mediam ſcientiam docuerunt.

Ad verba D. Aug. ex q. 2. ad Sĩpl. in quibus dicit: *Deum ſic eum vocare, quomodo ſcit congruè illi, vt vocantem non reſpuat,* dicendum, per hoc verbum *congruè* non intellexiſſe congruitatem, quæ eſt in Circumſtantiis, & in tali ordine rerum, ſed voluiſſe ſignificare vim efficacis gratiæ, quòd hos ita vocat, vt vocando conuertat, obſequentesque faciat.

75. Sed *inſtant ratione tali.* In Deo neceſſe eſt ſtatuere quicquid ad eius perfectiſſimam prudentiam & prouidentiam ſpectat: atqui ad perfectiſſimã prudentiã & prouidentiã Dei hæc media ſciẽtia ſpectat. Ergo in eo cõcedenda eſt *Minor* in reb[us] humanis conuenientiſſimè fieri ſolet: vt, ſi ego aliquid alicui cupio perſuadere, id prudenter agam, ad prudentiam namq; ſpectat, noſſe in quo tempore, & opportunitate, ſoleat eſſe meliùs diſpoſitus & quibus rebus ſoleat magis affici; vnde ſi quẽ in iis circũſtantiis conſtitutum exorauerimus, iam cõgruè obtinere poterimus. Eandem prudentiam Deo attribuunt, vt occaſiones captet, & in his liberum arbitrium conſtituat, & ſic quid acturus ſit homo intelligit. Inſtantia.

Reſpondeo hoc prudentiæ Diuinæ non conuenire; ſiquidẽ hæc efficaciſſima eſt, & omnia quæcunq; voluit fecit in cælo, & in terra vt S. Proſper ait: *Omnipotens hominem cùm gratiâ ſaluat, ipſe ſuũ conſumat opus, cui tempus agendi ſemper adeſt.* Ad humanã prudentiam dico, hãc ideo debere captare occaſiones; quia ex ſe non eſt efficax ad permouendam voluntatẽ alteri[us], & ad efficiendũ id, quod volun- Solutio illius.

voluerit, vnde debet exſpectare tẽp⁹, quo homo ſit magis diſpoſitus.

Obiectio. *Obijcies vltimò.* Quodlibet Cõditionatũ futurũ, eſt ſecũdũ ſe ſcibile. Ergo illi⁹ datur ſciẽtia; ſed Dei ſciẽtia ad omne ſcibile ſe extẽdit: Ergo & ad ſcibilia cõditionata, quorũ eſt præuia ſciẽtia.

Solutio. *Reſp.* nos nõ negare, quòd futura cõditionata sĩt ſcibilia Deo, ſed quòd ꝑ mediã ſcientiã ſint ſcibilia, hoc negam⁹, quomodo enĩ per eã ſcirẽtur, ſiquidẽ nõ eſſẽt futura; De⁹ autẽ præſcit id, quod futurũ eſt, nõ autẽ id, quod nõ eſt futurũ, ex doctrina D. Aug. Ergo cognoſcet illa Deus in decreto conditionato voluntatis ſuæ. Sed de his adhuc redibit Sermo.

QVÆSITVM V.
An Scientia Dei ſit Cauſa rerum.

76. NOta primò quoad titulũ Quæſiti, quòd nos inquirimus de Scientia hic; nõnulli verò (vt D. Bonau.) de Præſciẽtia, an hæc ſit cauſa rerum inquiũt Proinde ſciendum: in Deo Scientiã & Præſcientiam eſſe prorſus idem, licet videantur quoad nos differre Nam ſcientia dicitur eſſe illa cognitio, qua Deus cognoſcit omnia, ſiue ſint futura, ſiue non; ſiue ſint poſſibilia, ſiue impoſſibilia: Præſcientia v. ſolùm eſt, cognitio eorum, quæ futura ſunt. ex quo collige Obiectum Præſcientiæ eſſe illas res, quæ ſunt futuræ; proĩde omnes res præſentes, in quantùm ſunt præſentes ſub Obiectum Præſcientiæ non cadũt ſimiliter quoq; præterita neceſſaria, aut ſempiterna, quæ non poſſunt aliter ſe habere. Nec eſt Præſcientia de impoſſibilibus, quæ nunquam erunt; nec ad Præſcientiam pertinẽt illa poſſibilia, quæ nunquã erunt Erit igitur Præſcientia, quam Deus habet de futuris Contingentibus, quæ aliquando erunt.

Sciẽtia quid ſit & Præſcientia?

Obiectum Præſcientiæ

Nota ſecundò. Quando Philoſophi de Cauſalitate primæ Cauſæ agunt, etiam inquirunt de Scientia eius, & cùm eandem eſſe actionem concedunt, ſcrutãtur de modo, *an ſola ſcientia ſit Actiua, an verò ſimul cum Voluntate? Et an hæc duo, Scientia & Voluntas ſufficiant ad producendas res, an verò etiã Potentia exſecutiua requiratur?* Et quãuis hæc tria, *Intellectus, Scientia Volũtas* ſecundũm rẽ ſint eſſentialia Deo; differunt tamen ſecundùm rationẽ; nam vni horum aliquid attribuim⁹, quod alteri ſecundùm modum noſtrum concipiendi minimè conuenit. Diuinus enim Intellectus intelligit, & voluntas Diuina vult, & nõ dicimus, quòd Deus voluntate intelligit, & intellectu vult: quamuis hæ duæ potentiæ ſint idem in Deo ſecundùm rem, ita hic quoque inquirimus, *an ſola Scientia ſeu Præſciẽtia producat res ſcitas, an verò accedente voluntate? & an requiratur Potentia exſecutiua?* Pro determinatione.

77. Dico primò. *Scientia Dei eſt productiua rerum.* ita tenet D. Th. hic Duran. *in 1. diſt. 38. q. 1.* Ægid. *in 1. diſt 33.* Scientia eſt productiua rerum.

diſt 38. a. 1. q. 1. PROBATVR locis Scripturæ. Pſal. 138. *mirabilis facta eſt Scientia tua ex me.* particula *ex me,* notat effectum ſcientiæ. Ergo eſt productiua Pſalm. 103. *quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in Sapientia feciſti.* Et Sapien. 9. *Feciſti omnia verbo tuo, & Sapientiâ conſtituiſti hominẽ.* Ex his & aliis locis manifeſtè colligimus, Scientiam eſſe effectiuam omnium rerum: excipimus autem peccata, quæ, (vt inferiùs dicemus) ſciuntur quidem à Deo: verùm illorum cauſa non eſt Deus, ſed voluntas humana defectibilis Et D. Aug. *l. 6. de Trin. cap. vlt.* dicit: *hæc quæ facta ſunt, non ideo ſciuntur à Deo, quia facta ſunt, ſed potiùs ideo facta ſunt mutabilia, quia immutabiliter ſciuntur à Deo.* Ergo Sciẽtia Dei eſt Cauſa rerum, ſiquidem ideo, quia ſciũtur, ſunt facta.

Et ea cauſa Exẽplaris. Ad dictum iſtud, addo duo. Primum. *Scientia Dei, debet eſſe Cauſa Exẽplaris;* quia hæc habet rationes omnium rerum, ſecundùm quas erant producibiles, & iam de facto productæ ſunt; ergo Scientia eſt cauſa exemplaris. *Confirmatur,* ita enĩ Sciẽtia Dei quoad res habet ſe: ſicut idæa, in mente artificis ad res artificiatas: ſed Idæa in mente artificis, eſt verum exemplar. Ergo & ſcientia in Deo erit exemplar verum. *Deinde,* in vnoquoq; genere datur primum, à quo omnia dependent, & ad illud referuntur, & ſic in genere omnium viuentium, eſt primum viuens Deus. in genere bonorum, eſt primum bonum Deus. in genere intelligentium, eſt primum intelligẽs Deus, à quo ſunt omnia viuentia bona & intelligentia: ergo & horum, & cæterorum omnium ſunt in Deo rationes: Ergo eſt vt cauſa exemplaris.

Addo ſecundum. *non ſolùm Scientia Dei eſt Cauſa Exemplaris, verùm etiã Effectiua.* Probatur ratione D. Th. *ex a. 8. hîc.* Ita ſe habet Scientia Dei ad res creatas, ſicut ſe habet Scientia artificis ad res artificiatas; at ſcientia artificis, non ſolùm eſt exemplaris, (vt diximus) ſed etiam eſt cauſa effectiua artificialiũ; Ergo & ſciẽtia Dei erit effectiua rerum. *Minor* quia artifex operatur per ſuum intellectum, & ſicut calor ignis eſt cauſa calefactionis: ita & intellect⁹ eſt cauſa operationis. Sed Deus per intellectum efficit omnes res, & cũ *eſſe* Dei, ſit ipſum *intelligere* Dei. Ergo per intellectum efficit Deus omnes res. *Conſequentia,* ſi enim *eſſe* Dei, eſt ſuum intelligere; ergo ſicut omnes rationes rerum continentur in *Eſſe,* ſeu in Eſſentia Dei, etiam in ipſo *Intelligere* continebuntur. ergo omnes ab Intellectu, & à Scientia Dei producuntur. Ex quo *Collige.* Deum omnia illa, quæ operatur ad extra, operari per ſuum intellectũ: *Ratio,* Deus eſt primum & ſupremũ efficiens omnium; ergo illi modus ſupremus, & nobiliſſimus cauſandi, tribuendus; & hic eſt per Intellectum: ergo per Intellectum operatur.

78. Dico ſecundò: *Scientia Dei nõ ſimpliciter, ſed in quantùm adiunctam habet voluntatem, & dicitur eſſe* Scientia *approbationis, eſt cauſa rerum, vt etiã ſimul habet potentiam exſecutiuam.* Probatur, *prima ratione.* D. Th. Scientia non ſignificat rationem cauſæ, ex hoc ſolo tantùm, quòd ſit in Sciente, ſed vt inclinatur ad effectum. Ergo nonniſi ex adiuncta volunta- Sciẽtia Dei quomodo ſit cauſa rerum?

te pro-

te producit res; *Conſequentia*, Scientia ex ſe,, habet ſe ad oppoſita: ergo vt ſe determinet ad alteram partem, debet hoc habere ex appetitu adiuncto; *Antecedens*, ſicut ſe habet forma naturalis in agente naturali: ita ſe habet forma intelligibilis in ipſo intelligente; ſed forma naturalis eſt in agente manens, & ipſum perficiens. Ergo & forma intelligẽs ſolùm erit manens & perficiens; & vt forma naturalis ſit principium alicuiꝰ actionis, debet inclinari per voluntatem ad effectum producendum ita & Scientia Dei, vt ſit cauſa rerum, debet inclinari per voluntatem ad producendum res.

Secunda ratio. Cauſa indifferens ex ſe non producit effectum, antequã ab aliquo determinetur: ſed Scientia eſt Cauſa indifferens, quia æqualiter ſe habet ad vtrumque oppoſitum; ergo nunquam producit determinatum Effectũ, niſi ab aliquo determinetur. at hæc determinatio optimè fit per voluntatem: ergo accedente voluntate à Scientia res producuntur.

Tertia ratiò. Inter actum Intellectus & Voluntatis, hoc eſt diſcrimen; quòd in intelligendo fit motus rerum ad animam, in volendo verò fit quidam motus, & effluxus animę ad res. Ergo & Scientia Dei ideo dicetur cauſa rerum. inquantùm importat effluxum ad res, quem quidem voluntas facit, reſpiciẽdo productionem rerũ. Ergo Scientia Dei, vt ſit productiua rerum, requirit voluntatem.

Actus intellectus & voluntatis diſcrimen.

Nota Intellectum Dei Speculatiuum non eſſe Cauſam rerum, ſed Practicum, qui quidem fit per extenſionem ad opus, quam extenſionem per applicationem facit voluntas.

79. Dico tertiò. (cùm ex ſuperioribus conſtet, duplicem eſſe Scientiã, Simplicis intelligentiæ & Viſionis) *Scientia ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalis, non eſt cauſa productiua rerum.* PROBATVR, hæc Scientia habet rationem omnium factibilium à Deo; ſed quia antecedit determinationem Voluntatis Diuinæ, ad opus nõ procedit. ergo non eſt cauſa rerum *Cõfirmatur.* Per hanc Scientiam ſimplicis intelligentiæ non ſtatuit Deus, nec per voluntatem ſuam determinauit, vt aliquod opꝰ ex ea promanet ergo non eſt productiua: quia licet habeat omnium cognitionem; tamen ex determinatione pendet. quòad opus; proinde non eſt productiua. Scientia verò Viſionis, quę etiã dicitur approbationis, & beneplaciti, eſt Cauſa Productiua rerum, *Probatur* ad Epheſ. 1. *qui operatur omnia ſecundùm conſiliũ voluntatis ſuæ*; & hæc Scientia eſt Cauſa omnium, quæcũque ſunt in hoc vniuerſo producta. & Apocal. 4. dicitur: *omnia per volũtatem tuam ſunt creata.*

Scientia sĩplicis intelligentiæ nõ eſt productiua rerum

80. *Obijcies.* Cauſa neceſſaria, producit Effectus neceſſarios; ſed Sciẽtia Dei eſt neceſſaria, quia æterna; ergo Effectus neceſſarios producet; ergo tollentur Contingentia. *Reſpõdeo*, concedendo, quòd Scientia Dei ſit neceſſaria, ex eo tamen non ſequitur, quòd producat Effectus neceſſarios. nam efficacia huius Sciẽtiæ ſequitur modum & conditionẽ voluntatis, quam Deus voluit, & conſtituit, vt eſſet in rebus; proinde Scientia (vt iam diximus) habẽs adiunctam voluntatem, non neceſſitat res: nam Scientia Dei non dicitur

citur Neceſſaria ex eo, quòd à rebus auferat contingentiam, ſed quia eſt æterna & infallibilis in Deo.

Obijcies 2. Scientia Dei eſt ab æterno; ergo & mundus ab æterno; *Conſequentia*, quia Scientia eſt cauſa rerũ. *Reſpondeo* negando Conſeq Sciẽtia enim Diuina ſine determinatione, non eſt productiua rerum, niſi accedente voluntate; ſed voluntas non fuit in Deo ab æterno, vt res ab æterno producerentur, verùm in tempore; & ideo licet Scientia ſit in Deo ab æterno, res tamen factæ ſunt in tempore; quia talis fuit determinatio Voluntatis Diuinæ, vt in tempore producerentur *Præterea* Deus quando ſciuit, non produxit nos, ſed quando voluit; & quamuis ab æterno voluerit creare mundũ, non tamen voluit pro æternitate, ſed pro tempore eſſe productum.

DISPVTATIO II.

De Obiecto Scientiæ Diuinæ.

Primarium Obiectum ſcientiæ D. eſt Eſſentia diuina. Secundarium vero res omnes.

Ex ſuperiùs explicatis notum eſt, duplex eſſe Obiectum Scientiæ; *Primarium, idemq́; mediatum, & adæquatum,* & hoc eſt Eſſentia Diuina: *Secũdarium verò & immediatum*, ſunt omnes res, ſiue productæ ſiue producibiles. De Primario itaque Obiecto ſufficienter egimus præcedenti Diſput de Secũdario verò ſolùm in Communi diximus, quinã videlicet ſit modus cognoſcendi eorum, quæ ſunt à Deo. eſt autem is, vt cùm Deus ſuam Eſſentiam, & virtutem omnipotentem comprehendit, quæ eſt cauſa effectiua, cum voluntate productorum, & producendorum. Nunc iam in ſpecie perſequimur idem ipſum Secundariũ Obiectum, de quo quinque inquiremus:

1. *An Scientia Dei, ſit non Entium?*
2. *An ſit Malorum?*
3. *An ſit Singularium?*
4. *An ſit Infinitorum?*
5. *An etiam ſit Enuntiabilium?*

QVÆSITVM I.

An ſit Scientia Dei non Entium?

1. AD Quæſitũ iſtud præmitto quamuis *de Sciẽtia non Entiũ, quòd illa Deus cognoſcat, inter DD. non ſit dubium. tamen de modo quo illa cognoſcat, non parua oritur controuerſia*; proinde de vtroque determinabimus.

Dico primo, *In Deo eſt Sciẽtia eorũ, quæ non ſunt*

In Deo eſt Scientia eorũ quæ nõ ſunt.

non ſunt: ita cõmuniter DD. & eſt de Fide. *Probatur* Dan. 13. *Tu Domine omnia noſti, antequam fiant*, ſed res antequam fiant, ſunt non Entia: ergo nõ Entia cognoſcit De⁹. & ad Rom. 4. *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*, ex hoc loco *argumẽtor primò*. Hãc vocationem creaturarum, præcedit cognitio: ea enim Deus vocat, quæ nouit. ſed vocat ea, quæ non ſunt: ergo illa nouit. *Secũdò* vocare ea, quę non ſunt, eſt illa virtute omnipotẽtiæ ſuæ creare: ſed creare eſt Actus agentis per intellectum, cuius eſt effectum producendum præcognoſcere: ergo cùm vocat ea, quæ non ſunt, illa præcognoſcit. *Tertiò* Si De⁹ vocat ea, quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt. ergo non Entia eo modo cognoſcit, quo Entia: ſed Entia, ſiue ea quæ ſunt Deus cognoſcit, & in ſeipſo, hoc eſt, in ſua Eſſentia, & etiã in ſeipſis. *Probatur* primùm, quòd ſ: *cognoſcat in ſeipſo*. Deus totaliter cognoſcit virtutem, & perfectionem ſuæ Eſſentiæ. ſed EſſentiaDiuina, eſt repræſentatiua non tantùm eorum quæ ſunt, ſed etiam eorum, quæ nõ ſunt. ergo in ſeipſo nonEntia cognoſcit. *Minor* Eſſentia Diuina eſt ſimilitudo repræſentatiua, eorum, quæ ab ipſa procedunt, videlicet, aut actu, aut virtute; ſed res creatæ, actu exſiſtentes, non adæquant Virtutem, & Potentiam Dei: nam quælibet res creata habet ſuam eſſentiam finitã, & limitatam, ſola autem EſſentiaDiuina eſt infinita, & illimitata. ergo multò plurium, quàm ſunt, & quæ actu exſiſtunt, eſt repræſentatiua ſimilitudo.

De⁹ cognoſcit non Entia in ſeipſo.

Probatur ſecundùm, quod ſ: *cognoſcat non Entia in ſeipſis*, quamuis enim hæc non ſunt in ſeipſis, prout menſurantur tempore, vel æuo: ſunt tamen in ſeipſis etiam tunc, vt ad illa videnda, modo prorſus illo, quo in ſeipſis futura ſunt, pro tempore extenditur æternitas; proinde Deus videt Socratem, non ambulaturum tantùm, ſed & actu ambulantem, antequã Socrates acta ſit in ſemetipſo, apud ſemetipſum. *Sequela*, ſi De⁹ ab æterno non cognoſceret non Entia, eo modo quo actualiter ſunt in tempore: iam ſic ScičtiaDei eſſet variabilis, & imperfecta: *variabilis* ideo, quia quando illa non Entia reducerentur ad actũ in tempore, tũc de illis cognoſceret, quæ antea non cognoſcebat. ſed non cognoſcere & cognoſcere dicunt mutationem: ergo in Deo eſſet variatio. *Imperfecta* verò ideo, quia aliquid eſſet in rebus, ſ: non Entia, quæ ad plenum Deus non cognoſceret.

Probatur ratione ex lumine naturali: Deus non ſolùm cognoſcit ea omnia, quæ aliqua ratione eſſe poſſunt, nũquam tamen erunt, ſed etiã quæ fingi poſſunt & cogitari, nullo tamen modo eſſe. *Declaratur*: ea, quę cogitantur, nullaque ratione eſse poſſunt, concipiuntur per entia realia, ex quibus confinguntur componi, vt *hippocentaurus*, vel quæ cogitatione inter ſe componuntur, nullã tamen ratione cohærere poſſunt, vt quòd *lapis ſit homo*; ergo per entia realia ex quibus ipſa componuntur, & cohærere nòn poſſũt, cognoſcũtur. ſedDeus cognoſcit entia realia. ergo cognoſcit & illa quæ ex illis componuntur. *Ad extremum* Deus concipit Entia rationis (vt Relationes, Priuationes, &c) ſed hæ ſunt non Entia. ergo cognoſcit non Entia.

2. *Obijcies* Cognitio *an ſit*, præſupponitur Obiectio.

ponitur

ponitur cognitiõi *quid ſit?* ſed cognitio *an eſt*, non eſt non entium; quia non ſunt. ergo nec cognitio *quid eſt* erit de illis: *Reſpondeo negando conſequentiam*, licet enim quæſtio *quid ſit*, præſupponat quęſtionem *an ſit*, quoad nos: tamen quæſtio *quid eſt*, poteſt eſſe non exſiſtentium actu; quia intellectus in intelligendo *quod quid eſt*, abſtrahit ab actuali exiſtentia; & ideo, ſiue res ſit actu, ſiue non; intellectus benè apprehendit illi⁹ *quod quid eſt*. proinde quando dicis, quòd cognitio *an eſt*, præcedat *quid eſt*, non ſic intellige, quaſi priùs oporteat rẽ eſſe actu, & tandem cognoſci; ſed ſufficit, vt habeat naturam entis, & vt *eſſe* illi conueniat, aut in virtute ſuæ Cauſæ, aut pro certo tempore: iam autem Deus cognoſcit ea, quæ nunquam in rerum natura *eſſe* habebunt, ſed tamen poſſent eſſe; & cognoſcit illa eſſe entia, & habere *eſſe*, in virtute omnipotentiæ ſuæ.

Solutio 2.

Reſpondeo ſecundò iuxta D. Th. *de Verit. q. 2. art. 8.* quòd aliter ſit loquendum de Sciẽtia Dei, aliter de noſtra; nam Scientia Dei eſt cauſſa rerum, noſtra autem Scientia cauſatur à rebus. Proinde Sciẽtia Dei poteſt prędere res ſcitas; & ideò cognitio *quid eſt*, poteſt apud ipſum eſſe de re, quæ nunquam habuit *eſſe*, ſiquidem Cauſa poſſet ſuum effectum præcedere, vt patet de artifice, qui poteſt Idæam ædificij in mente ſua fabricare, quod nunquam in effectũ deducetur. Noſtra autem Scientia eſſe non poteſt, niſi res præexſiſtat, à quibus cauſatur; & proinde cognitio *quid eſt*, non poteſt à nobis haberi, niſi res priùs habeant *eſſe*, & niſi priùs via ſenſuũ illarum *Eſſe* cognoſcatur. Illa igitur Propoſitio, *cognitio an eſt, præcedit cognitionem quid eſt*, habet locum in acquiſitione noſtræ Scientiæ, dum prius per ſenſus cognoſcimus rem eſſe ſub actuali exſiſtentia, quàm fiat illi⁹ cognitio *quid eſt* in intellectu: ſed in Scientia Dei non habet locũ, quia hæc non cauſatur à rebus.

Sciẽtia Dei eſt cauſa rerum; noſtra autem cauſatur à reb⁹

Cognitio an ſit habet locũ in acquiſitione noſtræ ſcientiæ.

3. Dico ſecundò. *Deus etiam cognoſcit impoſſibilia, & omnia illa, quæ nos poſſumus imaginari.* ita expreſsè habet D. Th. *hîc art. 9.* de modo autem cognitionis impoſſibilium *Nota*, quòd De⁹ illorum non habet Idæas, vt Chymeræ, ſed per Idæam poſſibilium cognoſcit impoſſibilia, per actum negatiuum, videlicet Deus cognoſcit partes Chimeræ, & quòd hæ coaptari non poſſunt, vt vnumquid cõſtituant.

De⁹ cognoſcit non ſolum impoſſibilia; ſed et omnia quæ non poſſumus imaginari.

Probatur De⁹ cognoſcit omne Ens reale poſſibile; ſed cognitiones per quas poſſum⁹ imaginari res impoſſibiles, vt Chymeras, ſunt Entia realia, & poſſibilia; ergo illa Deus cognoſcit, & conſequenter illorum ſignificata: ergo impoſſibilia cognoſcit. *Præterea* Homo cognoſcit Chymeram & alia impoſſibilia. ergo à potiori etiam Deus illa cognoſcit. *Item* Deus nouit omne verum. ſed Chymeram eſſe non eſſe poſſibile, eſt verũ. ergo illud nouit Deus. *Tandem* Deus cognoſcit omnes Propoſitiones, quæcunque à creato intellectu formari poſſunt; ergo etiam cognoſcit hanc Propoſitionem, *Chymera eſt*. ſed hæc Propoſitio ſic formata eſt impoſſibilis; ergo Deus cognoſcit impoſſibilia.

4. *Obijcies.* Verum & Ens conuertuntur ſed non Ens, & illud quod eſt impoſſibile, non ſunt vera Entia, ergo non eſt de illis ſcientia. *Conſequen-*

quentia Scientia Dei eſt Cauſa rerũ: Sed impoſſibilium, & eorum, quæ nunquam erunt, Deus nõn eſt Cauſa; ergo illorum non habet ſcientiã. *Reſpondeo* Entia, quæ nunquam ſunt futura, ſed tamen ſunt Entia in potentia (nam verum eſt illa eſſe in potentia Dei,) cognoſcuntur à Deo; quia Deus in virtute ſua poteſt illa producere. Cognoſcit itaque illa Deus, non vt ſunt futura, ſed inquantum ſunt poſſibilia: Impoſſibilia verò (vt in ſecundo Dicto diximus) cognoſcit negatiuè, in quantum fieri non poſsũt; nam cognoſcit partes, & quòd ex illis impoſſibile eſt, aliquid conſtitui.

QVÆSITVM II.

An in Deo ſit Scientia malorum?

5. DIco primò *De Fide eſt Scientiam malorum, eſſe admittendã in Deo.* PROBATVR Malum, aut eſt naturæ, aut pœnæ, aut culpæ: ſed horum omnium habet Deus Scientiã; ergo in Deo eſt ſcientia malorum. *Nouit mala naturæ*, quia Sap: 8. legimus: *monſtra ſcit, antequam fiant*: monſtra autem ſunt mala naturæ. *item nouit mala pœnæ*, quia Amos 3. dicitur: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* per hæc mala, intelliguntur flagella, calamitates, quas Deus immittit tanquam iuſtus vindex peccatorum. *Nouit quoq; mala culpæ.* Nam Amos 5. habetur: *cognoui ſcelera veſtra,* Tum quoque Dauid dixit: *delicta mea non ſunt abſcondita. Probatur* etiam rationibus, quòd mala culpæ, ſeu peccata, Deus cognoſcit.

Ratio prima. cognito bono, cognoſcitur illius oppoſitum malum: ſed Deus cognoſcit omnia bona etiam in particulari, quibus mala opponũtur. ergo Deus cognoſcit mala. *Maior.* quicunque cognoſcit perfectè aliquid, oportet, vt etiam illius diſtinctionem, & differentiam ab alijs cognoſcat; ſed prima ratio diſtinctionis, conſiſtit in affirmatione & negatione, nimirum, vt cognoſcatur aliquid eſſe hoc, & non eſſe illud; ergo vt etiam bonum perfectè cognoſcatur, eſt neceſſe, vt illi differentia ab alijs cognoſcatur. ſed malum eſt priuatio boni; ergo hoc tanquam illius oppoſitum cognoſci debet: ergo cùm in Deo omnis cognitio ſit concedenda, cognoſcendo bonum, cognoſcit Deus & malum, inquantum illius cognitio ad perfectam boni ſcientiam ſpectat.

6. *Secunda ratio* Nulla intellectualis perfectio, poteſt deeſſe Deo: ſed cognitio mali ſpectat ad perfectionem intellectus. ergo à Deo cognoſcitur. *Minor.* verum, eſt perfectio Intellectus: ſed non ſolùm verum eſt, *bonum eſſe bonum*; ſed etiam *malũ eſſe malum*: ergo perfectio Intellectus Diuini etiam erit in cognitione mali.

Tertia ratio. D. Bonau. Deus non ſolùm eſt creator, & gubernator omnium; ſed etiam eſt futurus iu-

dex; ergo omnia cognoſcit: quomodo enim bonis præmia congrua, &malis debitas pœnas redderet? niſi illorum merita cognoſceret, quæ ſunt vel bona, vel mala;& nullus benè iudicare poteſt, qui ignorat ea, de quibus iudicaturus eſt.

Quarta ratio. Qui nouit rationes, ſeu media perueniendi ad ſcopum Beatitudinis, nouit etiã media, per quę aliquis, à fine Beatitudinis aberrare poſſit. ſed Deus, qui eſt ſumma bonitas, & felicitas hominis, nouit media, quibus ad ſeipſum, tanquã ad finem Beatitudinis peruenitur. ergo & modos nouit, quibus ab illo deuiari poſſit; ſed talia ſunt mala culpæ; ergo illa nouit.

Quinta ratio. Deus Scientiá Viſionis nouit illa omnia, quæ fuerunt, ſunt,& erunt.ſed mala ſeu peccata, ſunt, fuerunt, & erunt. ergo videt ea Scientia Viſionis; ſi autem aliqua non ſunt futura,nouit Scientia ſimplicis Intelligentiæ. *Præterea* Deus nouit Ens reale; ſed Peccatum cùm ſit actus contra rationẽ, eſt Ens reale: ergo à Deo cognoſcitur.

Obiectio cũ ſolutione. Peccatũ eſt duplex.

7. *Obijcies.* Peccatum eſt nihil; ergo non erit Ens reale. *Reſpondeo* in peccato eſſe duo, Formale & Materiale; Peccatum igitur quoad ſuum Formale, eſt nihil: at quoadMateriale, eſt actus realis poſitiuus.

Obiectio cũ ſolutione.

Obijcies ſecundò Peccatum omiſſionis, & pro ſuo formali, & pro materiali, nihil eſt, quia nullum actum ſupponit. *Reſpondeo,* quòd nulla talis pura omiſſio dari poteſt, abſque aliquo actu; tum licet detur, adhuc Deus, per actum contrarium commiſſionis,qui eſt verus & realis actu videt illam omiſſionem.

Obiectio 3.

Obijcies tertiò, Habacuc 1. dicitur: *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum,& reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Ergo non cognoſcit Deus malum. *Reſpondeo* hunc locum, & ſi quæ ſunt alia, explicandum eſſe, de Scientia approbationis, non autem de nuda cognitione; vnde D. Aug. *lib. 83. Quæſt. q. 60.* dicit: *Secundum hanc ſententiam Deus ſcire dicitur, quæ illi placent; neſcire, quæ illi diſplicent, non quia ignoret, ſed quia non approbat.* Solutio illius.

Deus quomodo cognoſcat mala dubium.

8. Dico ſecundò. *Dubium eſt de modo quo Deus cognoſcat mala* Marſilius *in 1. quæſt 38. artic. 4 Prop. 1.* Duran. *diſt. 35. q. 1* dicunt: quòd cognoſcat per Idæam boni contrarij: Ægidius verò Rom. & Cumel *hic Diſp. 1. Concl. 3.* aſſerunt Deũ per hoc, quòd ſuam Eſſentiam cognoſcit infinitã, quæ omnem rationem boni continet, etiam cognoſcere mala, ſecundum ſpecialem rationem boni vnde volũt, quòd Deus cognoſcat mala, per cognitionem Diuinæ Eſſentiæ.

Probãt primò authoritate D. Dion. *capite: 7. de D. Nomin.* vbi comparat Diuinam cognitionem lumini, dicens *quòd Deus per ſemetipſum accepit viſionem tenebrarum, non aliunde videns tenebras, quàm à lumine.* ex quo ſic argumentãtur: Si lumen eſſet intellectiuum, lumẽ intelligeret tenebras, non aliunde ſumens cognitionem, quàm à ſeipſo, & per ſeipſum. ergo cùm Eſſentia Diuina ſit ſummè intellectiua, & eſt infinitum pelagus bonitatis, ſequitur, quòd ſicut lumen ſi eſſet intellectiuum, cognoſceret tenebras, per receſſum à ſuo lumine: ita & Deus cognoſceret malum, tanquam receſſum à ſua bonitate.

Probant ſecundò. Malum cognoſcitur per oppoſitum bonum: ſed malum

lum opponitur bono Diuino generali, ac particulari oppoſitione. ergo per bonum Diuinum, quæ eſt ipſa Eſſentia, cognoſcitur malum. *Minor* Deus eſt cauſa vniuerſalis omnium, inquantum omnia ipſum Deũ imitantur, eſt quoq; & cauſa ſpecialis cuiuſlibet entis & boni in ſpecie. ergo Deus, per ſuam Eſſentiã cognoſcit mala, inquantum diſcordant à ſua bonitate.

Bona & mala Deus cognoſcit dupliciter.

9. Bannes & Petrus Trigoſus ſic conciliant has opiniones: ſi loquamur de primario Obiecto Diuinæ Cognitionis, quæ quidem eſt Eſſentia Dei, omnia bona & mala cognoſcit Deus immediatè per ſuam Eſſentiam, & in ſua Eſſentia, tanquam in formali & immediato ſuæ cognitionis Obiecto, & ſic exponenda eſt ſententia Ægidij & Cum ſij: ſi verò loquamur de Obiecto ſecundario mediato, Deus cognoſcit malum, per Idæam oppoſitam boni particularis, ita, vt Diuina cognitio non terminetur ad malum. niſi priùs ex parte Obiecti terminetur ad bonũ, cui opponitur malum Dixi ex parte Obiecti: nam ex parte cognoſcentis Dei, omnia ſimul cognoſcit, & hoc ſecundo modo intelligenda eſt ſententia Mul. Duran. atque ſic Deus, ſi loquamur de immediatione cognitionis, per Idæam oppoſiti boni intelligit malum. Ita ſentit D. Bonau. & colligitur ex D.Th. *reſp ad 3 & 4.*

Probatur primò Malum nõ cognoſcitur niſi per habitum ſibi oppoſitũ ſed malũ immediatè opponitur bono creato; Eſſentiæ verò Diuinæ nonniſi immediatè. ergo per ſuum immediatè oppoſitũ cognoſcit. *Maior*: cæcitas enim non definitur nec cognoſcitur niſi per contrarium habitum, ſ: per viſum.

Per habitũ oppoſitum, malum cognoſcitur

Probatur ſecundò iuxta D Dion. *c.4. de Diu. Nom.* & D. Damaſ. *2. de Fide cap.4.* & D. Aug. *lib. de Nat. bon.* Malum formaliter conſiſtit in priuatione alicui⁹ boni: ſed Priuatio eſt negatio alicuius boni apti ineſſe, quod quidem eſt bonum aliquod creatũ, & bono infinito nihil eſt immediatè oppoſitum, nec illius poteſt eſſe aliquid Priuatio. ergo malũ non cognoſcitur, niſi per illud bonum creatũ, quod eſt illi immediatè oppoſitum.

10 *Probatur tertiò* ex D. Bõ. Mala nõ ſunt in Deo ergo non habebũt Idæã in Deo. ergo nec cognoſcuntur à Deo. *Antecedens* illa dicuntur eſſe in Deo, ad quæ cooperatur Deus in genere Cauſæ formalis exemplaris; ſed malum, non habet Deum pro cauſa formali exemplari, quia malũ vt malum, ſolùm dicit priuationem, exemplar verò dicit imitationem, & aſſimilationem ad Deum, ergo malũ non habet Idæam in Deo. Ergo per Idæam boni immediatè ſibi oppoſiti cognoſcitur. Idem confirmat D. Aug. *lib. 83. Quæſt. q. 46.* vbi dicit: *Idæa eſt ratio Diuina principalis, aliquid faciendi.* Sed Deus non poteſt facere mala & peccata. ergo mala nõ habent Idæam, & per conſequens non cognoſcit Deus malũ per exẽplar mali, ſed p exẽplar oppoſiti bõi.

Malorum Idæa non eſt in Deo.

Ex Auct. D. Aug. collige, quamuis Deus peccata Angelorum & hominũ cognoſcat, tamẽ illa nũquã operatur. malum enim operari eſt à rectitudine deficere, & deuiare à bonitate. ſed Deus, qui eſt bonitas & rectitudo per Eſſentiam, non poteſt à ſeipſo deflectere, nec deficere. ergo non operatur malum.

Deus peccatum cognoſcit.

 11. Obij-

11. *Obijcies.* Peccatum eſt intrinſecè malum, ergo non poteſt repræſentari in Diuina Eſſentia, quæ eſt fons bonitatis, ſicut falſitas non poteſt repræſentari in veritate: ergo non cognoſcitur in Diuina Eſſentia. *Reſpondeo* malum nõ repræſentari in Deo, per Idæam mali, ſed per Idæã boni ſibi oppoſiti.

Nam Deus ſic cauſa peccati. *Inſtabis*, Deus eſt cauſa peccati. ergo peccatum habet Idæam in Deo. *Conſequentia* quęlibet enim cauſa per Idæam operatur. *Antecedens* Deus eſt cauſa cuiuſlibet Entitatis realis poſitiuæ; ſed quodlibet peccatum eſt quædam Entitas realis poſitiua, ergo illius Deus eſt cauſa. *Reſpondeo.* Cùm dicimus malum cognoſci & repræſentari in Idæa oppoſiti boni, non ſic intellige quaſi Idæa boni ſit Idæa mali; nam ſic bonum eſſet malum, ſiquidem eandem Idæam habent; ſed bonum eſt ideo Idæa mali, inquantum malum, tanquam priuatio boni ſibi oppoſiti dicitur, & inquantum dicit receſſum à bono, per quandam obliquitatem, & carẽtiam rectitudinis debitæ. dum verò dicis: *Deus eſt cauſa peccati,* dico hoc DictumCatholicæ veritati repugnare. Ad illud verò *Peccatum eſt Entitas realis poſitiua; ergo ad eam Deus concurrit* dico, quòd in peccato duo ſint, ſ: Actus & Deformitas: quoad ſubſtãtiam actus cõcedo, quòd concurrat; ſed quoad ipſam deformitatem non concurrit. ſed totum pendet ex malitia Voluntatis humanæ; nã facere peccatum, arguit defectum; & cùm voluntas ſit ex nihilo, ad defectum, & ad nihilum tẽdit, idque fit per peccatum quod *nihil* dicitur. Defectus autem nullo modo Deo conuenire poteſt. In peccato duo ſunt Entitas peccati & deformitas eiuſdem. Ad Entitatem peccati Deus concurrit ad deformitatem nequaquam.

QVÆSITVM III.
An Deus cognoſcat Singularia?

12. NEgarunt antiqui Philoſophi, Ariſt. *lib: de mundo* ad Alex. & *2. Mag. Mor. cap. 8.* vbi aſſerit, quòd *Deus omnium ſingularium non habet ſcientiam. Ratio prima illius*, quia plurima fiunt caſu, temerè, & quorũ nulla ratio reddi poteſt, proinde horũ ſcientia dari non poteſt. *Secunda ratio*, quia in hoc vniuerſo bonis malè fit, impiorum autem via proſperatur ſed horum ſi Deus prouidentiam & ſcientiam haberet, & hæc permitteret, Deꝰ nõ eſſet æquꝰ iudex. Ergo ſingularia non cognoſcit. *Tertia ratio.* quia horum cognitio minus conuenit Maieſtati Diuinæ, ſicut enim Regi, aut alteri dignitate fulgenti, minus conuenit faſciculos colligare, ſarcinas componere: ita ſummæ Maieſtati non conuenit, vt res mundi viliſſimas, & abiectiſſimas cognoſcat; & inania mẽtis humanæ deliramenta apprehendat. Auic. Deo tribuebat cognitionem ſingularium, at non in ſingulari, ſed in cauſa vniuerſali: quemadmodum à noſtro intellectu in animali, cognoſcitur Petrus, vt Effectus, in ſua Cauſa His non obſtantibus ad Quæſitum Opinio Auicennæ.

13. Dico. *Veritas eſt Catholica, quòd Deus,*

Solus Deus: ſophus 6. Ethi

Deus cognoſcat omnia ſingularia, etiam materialia, & cogitationes mutabiles, & ſingulares cordium. PROBATVR locis Scripturæ. Prouerb. 16. *Omnes viæ hominum patent oculis eius*, ſed viæ hominum ſunt ſingulares. ergo ſingularia nouit Deus, Et Pſal: 122. *Domine probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem, & reſurrectionem meã.* Ex quo loco ſic arguitur. Cognoſcere, quid vnuſquiſque hominum ſtans, ſedens, ſurgens, operetur, aut etiam cogitet, eſt cognoſcere non modò ſingularia opera, ſed etiam cogitata: atqui Deus hæc omnia cognoſcit (vt habent verba Pſal.) ergo ſingularia cognoſcit. Ibidem Pſalmiſta dicit: *Cogitationes meas de longè, ſemitam meam ac funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti.* Quid eſt, quod dicit *de longe?* hoc eſt, Deus, non modò tunc, cùm homo operatur, aut aliquid cogitat, aut proponit agendum, cognoſcit, ſed *de longè*, hoc eſt ab æterno, antequam incipiat de his cogitare, iam & præuidiſti & cognouiſti. Et Eccl. 16. *non dicas, à Deo abſcondar, & ex ſummo quis operis mei memorabitur? in populo magno non agnoſcar? quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura?* Ad hãc hominis cogitationem reſpondet: *Ecce cælum, & cæli cælorum, abyſſus & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commouebuntur.* & ibidem dicitur: *omne cor intelligitur à Deo.* Cognoſcit ergo Deus ſingularia.

Eſt de fide quod Deus cognoſcat ſingularia.

PROBATVR rationib⁹ *Prima* In Deo neceſſariò cõcedẽda eſt Sciẽtia perfectiſſima, & quæ omnibus numeris ſit abſolutiſſima: ſed hæc, tunc eſt perfectiſſima, cùm Deus non ſolùm vniuerſalia, ſed etiam ſingularia perfectiſſimè cognoſcit: & ideo Philoſophus, plùs tribuit Diuinæ Scientiæ, quàm humanæ, eandemq; negat poſſe comparari cũ humana.

14. *Secunda ratio.* Diuina Eſſentia per quam Deus cognoſcit res, repræſentat Intellectui Diuino omnes cõditiones vniuerſales, ſingulares, ſeu indiuiduas omnium rerum: ergo has in ſingulari cognoſcit.

Tertia ratio. Deus eſt Cauſa omniũ, tam Materiæ quàm Formæ, & omniũ, quæ ex his conſtant; actionũ quoque, accidentium, & cogitationum cordis; nam aliàs daretur aliquid excepto peccato, quod à Deo non dependeret, quod eſt falſum. quia ſoli Deo proprium non dependere, ergo omnia cognoſcit.

Quarta ratio. Res etiam minimæ, diriguntur à Deo in ſuos fines: ergo ab ipſo cognoſcuntur. quomodo enim eas dirigeret, niſi & ipſas, & fines earum penetraret?

Quinta ratio. Si Deus non cognoſceret ſingularia, hoc ideo accideret, quia impediretur à materialitate, aut à ſingularitate. nam hæc duo ſunt, in quouis ſingulari. ſed nihil horum. Ergo. *Non primum.* quia Deus ſeipſum, qui ſine Materia omni eſt, & ſingulariſſimus, cognoſcit: *non ſecundum*: quia cognoſcit Deus vniuerſalia, quæ habent Materiam, vt animal & Senſitiuum. ergo non impeditur à cognitione ſingularium.

Hoc abſente materialitate Deº cognoſcit ſingularia.

15. PROBATR vltimò *quoad cogitationes cordis.* In quantum ſe extendit Diuina cauſalitas; in tãtũ quoq; ſe extendit Diuina cognitio. atqui Diuina cauſalitas extendit ſe ad cogitationes cordis. Deus enim omnis operationis eſt cauſa, & cogitationes cordis ſunt operationes. ergo illarum

Altera pars Cõcluſionis.

illarum Deus eſt cauſa. ergo has cognoſcit. *Confirmatur.* Deus eſt cauſa & ſimilitudo totius *eſſe*, ſed cogitationes, & volitiões, ſũt Entia in animo hominis exſiſtentia. ergo à Deo cognoſcuntur.

Sed in contrariũ, ſunt verba D. Hier. in Habbac. *1 mũdi ſunt oculi tui Domine,* vbi dicit: Adulatores eſſe Diuinæ prouidentiæ, & iniurios rationali naturæ, qui dicunt, Deũ cognoſcere res minimas, vniuerſos culices. & ſimilia, & eorum curam habere: *Reſpondetur* non eſſe Senſum S. Hier. quaſi à Deo remoueat ſcientiam ſingularium, nam hoc veritati Catholicæ repugnaret; ſed voluit ſignificare, Deum non habere tantã curam de his rebus, quantam habet de hominibus: cuius rei ſignum eſt; quia multò plura contulit beneficia hominibus, quàm aliis creaturis. & in hoc ſenſu loquitur D. Paulus ad Rom. *9. Nunquid de bobus cura eſt Deo.* quaſi dicat principalem curam habet Deus de hominibus. *Reſpondetur ſecundò.* (vt Trigoſus obſeruat) quòd Diuus Hieron. (vt ipſe ad Rufinum ſcribens teſtatur) multa dicit, non ex propria ſententia, ſed ex aliorum; & ſic potuit hoc Dictum protuliſſe.

QVÆSITVM IV.

An Deus cognoſcat Infinita?

16. NOn loquimur interĩ de Eſſentia Diuina, quæ maximè eſt infinita, ſed loquimur de alio infinito, quod ſit diſtinctum ab Eſſentia Diuina, qualis eſt multitudo infinita cogitationum cordis humani. & hoc duplex eſt aliud Infinitum ſyncategorematicè, cuius partes nunquam actu ſunt poſitæ, ſed ſemper ſunt aliæ ſucceſſiuè ponendæ: aliud eſt actu, ſeu categorematicè Infinitum, cuius partes ſunt actu poſitæ. Hic igitur, (vt Valentia explicat) de Infinito ſyncategorematicè agimus. & hæc eſt mens D. Thomæ, quæ colligitur *primò* ex *q 7.* in qua S D. docuit. impoſſibilem eſſe aliquam multitudinem infinitam actu, ſeu categorematicè, & ſi hic expreſsè hoc ſtatueret, ſibi contradiceret. *Præterea* in ſolutione ad 3. conditionaliter ſic loquitur. *Si per impoſſibile daretur multitudo infinita actu,* id eſt, *categorematicè, illa etiam videretur à Deo.* Ergo manifeſtè colligitur, quod agit de infinito ſyncathegorematicè. *Tandem* quia videtur D. Th. hic agere de multitudine infinita earum cognitionum quæ in æternitate multiplicãtur in infinitum ſucceſſiuè: ſed hæ nunquam actu omnes ſimul ſunt. ergo de infinito ſyncategorematicè agit.

Infinitũ duplex.

hoc loci de infinito ſyncategorematicè agitur.

17. *Nota primò* quamuis hæc infinita multitudo cogitationum & affectionum futurarum, non ſit in ſe ſimul omnis actu: tamen ex parte Dei cognoſcentis ſemper eſt ſimul tota, & actu; inde tamen nõ eſt colligendum, quòd illa multitudo cogitationum, ſit actu & categorematicè

ticè infinitā, ſecundum *eſſe* intelligibile obiectiuum, quia *eſſe* intelligibile conuenit illi multitudini, in quantum actu eſt. ſed quia ipſa non eſt omnis ſimul actu categorematicè, ita neque ſimul actu obiectiuè eſt intelligibilis. Ex parte tamē Diuinæ Scientiæ, eſt tota ſimul actu.

Nota ſecundò Particula *actu* dupliciter referri poteſt, *primò* ad Dei cognitionem, *ſecundò* ad obiectum cognitum: ſi fuerit relata ad Dei cognitionem, hoc modo, *Deus actu intelligit multitudinem infinitam,* erit vera: ſi vero ad cognitum Obiectum: tali modo; *Deus cognoſcit multitudinem actuinfinitam,* erit falſa. His præmiſſis Controuerſia eſt in eo, An Deus; vltra illam multitudinem, quæ vnquam actu exſtiterit, etiam poſſibilia, cognoſcit actu, an verò ſecundum eſſe poſſibile? Negat Aur. apud Sonc. *in 1 diſt. 35 q. 2.* Similiter Dur. *diſt. 29 q. 2.* Almai. *in 3. diſt. 14. q. 1.* aſſeruntque Deum non cognoſcere actualiter diſtinctè in ſua æter nitate infinitam multitudinem. His non obſtantibus

18. Dico primò, *Cognoſcit Deus actu diſtinctè per ſuam Eſſentiam, infinitum.* PROBATVR Pſal. 146. *Sapiētia eius non eſt numerus.* Et D. Aug. *lib. 12 de Ciuit. Dei cap 18.* dicit: *quamuis infinitorum numerorum, nullus ſit numerus, non eſt tamen incomprehenſibilis ei, cuius intelligentiæ non eſt numerus.*

PROBATVR rationibus. *Prima* Si ea omnia eſſent actu ſimul, quæ Deus facere poteſt, daretur infinitum actu; ſed hæc omnia, quæcunque Deus facere poteſt, ſunt infinita, ſicut & potentia eius infinita, & hæc ſimul ſūt actu in intellectu Diuino. Ergo Deus cognoſcit infinita.

Secunda ratio. Si vni & eidem magnitudini, tota illa acceſſio partium extenſarum, quam Deus poteſt facere ſimul actu adderetur: magnitudo illa euaderet actu infinita; ſed Deus diſtinctè ſimul nouit omnem illam acceſſionem. nam Deum nihil latere poteſt, nec cognitio illius eſt ſucceſſiua. Ergo cognoſcit Deus actu multitudinem infinitam.

Tertia ratio Scientia Dei comprehendit ſuam Potentiam, & creaturarum: ſ. vim intelligendi, per quam formantur in infinitum cogitationes: ſed hæc Potētia Dei, extendit ſe ad infinita, & ſimiliter Potentia hominis intellectiua, ad infinitas cogitationes: ergo cognoſcit infinita.

Quarta ratio. D. Th. *1. cont. gen cap. 69. Intelligere* Dei eſt infinitum, ſicut & ſuum *Eſſe*: Ergo Deus cognoſcit infinitum: *Conſequentia*, ſicut enim habet ſe finitum ad infinitum, ita infinitum ad infinitum. Sed *intelligere* noſtrum finitum, poteſt per ſua intellectionem comprehendere, quæ ſunt finita; Ergo *intelligere* Dei infinitum comprehendet infinita

Quinta ratio. Continuum eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia in infinitum, & numerus eſt multiplicabilis in infinitum. Sed Deus tam cōtinui, quā diſcreti, omnes has partes infinitas; ſimul actu cognoſcit. Ergo infinita Deus cognoſcit.

19. *Obijcies.* Cum Aureolo. Si Deus videt in continuo diſtinctè, omnes diuiſiones poſſibiles ergo nulla diuiſio poſſibilis latet illum. & ita ſequitur videre Deum, quòd cōtinuum poſſit in indiuiſibilia diuidi, quod eſt abſurdū. *Reſpondetur,* non eſſe abſurdum, vt Deꝰ cognoſcat omnes continui diuiſiones

uiſiones poſſibiles; Quando autem infers. *Ergo poterit videre, quod continuũ poſſit diuidi in partes indiuiſibiles,* nego ſoquelam, & dico omnes illas diuiſiones poſſibiles, ſemper fieri in partes diuiſibiles, & nunquam in indiuiſibiles. & hoc videt Deus, *v.g.* Si Angelus per æternitatem diuideret continuum, & daret Deus infinitam multitudinem diuiſionum futurarum cõtinui ſecundum illarum eſſe actuale, & ſine illa vltima, quæ iam eſſet in partes indiuiſibiles, ſed infinities in alias infinitas, quòd poſſit diuidi, videret.

Continuum diuiditur in ſemper diuiſibilia in infinitum.

20. *Obijcies ſecundò* cum Dur. Eo modo res cognoſcuntur, quo ſunt; ſed multitudo infinita cognitionũ, ſic ſe habet, quòd illarum quædam ſunt in actu; quædam verò ſunt poſſibiles. Ergo non omnes actu cognoſcet, ſed quasdam ſecundùm *eſſe* poſſibile. *Reſpondetur* ſi hæc multitudo infinita cogitationum ſumatur ſecundum vnam differentiã temporis propriè determinatam; ſic cõcedo, quòd illa multitudo infinita cogitationũ habet quasdam actu partes, quasdam ſecundum *eſſe* poſſibile; ſed ſi ſumantur ſecundũ mẽſuram æternitatis, ſic habent *eſſe* actuale, & actualiter videntur à Deo, vnde Valentia contra Duran. ſic argumentum retorquet. Res cognoſcuntur à Deo, prout ſunt in duratione æternitatis. Sed multitudo futurarum cogitationum in æternitate, non ſolùm habet *eſſe* poſſibile, verùm etiã actuale. Ergo à Deo ſecũdùm *eſſe* actuale & potentiale cognoſcuntur.

21. Dico ſecundò. *Non ſolùm Sciẽtiâ ſimplicis intelligentiæ, ſed etiam Viſionis, cognoſcit Deus infinitum.* PROBATVR de Scientia ſimplicis Intelligentiæ. Quia cognoſcit Deus per eam, omnia illa, quæ ſunt in potẽtia ſua & creaturæ, Sed videt Deus, quòd ſua potentia nullo numero effectuum poteſt exhauriri, ſimiliter quòd vis intellectiua hominis in æternum producet cogitationes. Ergo ſimplicis Intelligentiæ Scientia cognoſcit infinita.

Deus futuras poſſibiles Deus cognoſcat ſcientiâ ſimplicis intelligẽtiæ.

Probatur de Scientia Viſionis. Quãuis ſubſtantiæ rerum futuræ non ſint infinitæ, quia generationes per quas in infinitum multiplicari poſſent, poſt diem iudicii finientur. nihilominus tamen cognoſcit Deus cogitationes Beatorum, & Damnatorum, qui, quia in æternum durabunt, etiam illorum cogitationes in æternum ſine fine multiplicabũtur, ergo cognoſcit infinitum Scientiâ Viſionis.

Obijcies Ex 3. Phyſic. tex. 60. *Infinitum eſt, quòd pertranſiri non poteſt.* Ergo infiniti in Deo non erit cognitio. *Conſequentia,* quod enim ſcitur comprehenditur, & per conſequens pertranſitur. Sed hoc eſt contra naturam infiniti. nam infinitum eſt in quo, datis quibuscunque partibus, adhuc plures, & longè plures, vsq; in infinitum dari debebunt. *Reſpondetur.* licet infinitum dicatur nõ pertranſibile, nihilominus tamen à Deo cognoſcitur perfectè. nã Dei cognitio non eſt per partes, ſed tota ſimul, ita, vt ſimul perfectiſſimè, & adæquatè, cõprehendat omnes partes infinitas, & hoc non eſt contra rationem infiniti, ſiquidem à Diuino intellectu infinito comprehenditur.

QVÆSI-

QVÆSITVM V.
An Deus cognoſcat Enuntiabilia?

22. SEnſus eſt Quæſiti, an De⁹ cognoſcat omnes Enuntiationes, & Propoſitiones, quas intellectus humanus format, & formare poteſt? &, an ſine vlla compoſitione, ſed ſimplici intuitu? Proinde duo hîc quærimus, *primò* an cognoſcat Propoſitiones? *ſecundò* quomodo? vnde pro Intelligentia.

Duo inquirũtur in hoc Quæſito.

Propoſitio triplex.

Nota primò. quòd triplex ſit Propoſitio, ſeu compoſitio: quædam eſt vocalis, quæ fit voce, vt cùm enuntiatur Propoſitio: quædam intellectualis, quæ fit in actu intelligendi complexo: quædam realis, quæ eſt vnius rei cùm alterâ. vnde Quæſitum poteſt intelligi de his trib⁹ Propoſitionibus, an Deus cognoſcat Propoſitiones vocales, intellectuales, & reales?

Diſcrimẽ inter cognoſcere cõponendo & diuidendo; & inter cognoſcere cõpoſitionem & diuiſionẽ.

Nota ſecundò. cum Rich. & Duran. aliud eſt cognoſcere compoſitionẽ & diuiſionem: & aliud cognoſcere componendo & diuidendo: primũ conuenit Deo, ſecundum minimè, ſicut enim Deus cognoſcit materialia immaterialiter: ita quoq; diuiſionem & compoſitionem cognoſcit per actũ intelligendi ſimpliciſſimũ; & propterea non cognoſcit componendo & diuidendo: quia vt intelligat res compoſitas, non indiget cõpoſitione aut diuiſione: proĩde Diuinus intellectus non format Propoſitiones: eas tamen, quas noſter intellectus format, aut formare poteſt, intelligit.

Operatio intellect⁹ quotuplex.

23. *Nota tertiò.* Ex 3. de Anima duplex eſt Operatio Intellectus: quædam eſt ſimpliciũ Apprehenſio: quædam verò Compoſitio & Diuiſio. quòd autem Intellectus noſter, cõponẽdo & diuidẽdo intelligat, hoc prouenit ex debilitate intellectionis noſtræ; quia intellectus non poteſt omnia vno actu, & per vnã ſpeciem, illa intelligere, quæ conueniunt, aut diſconueniunt alicui rei; ideo indiget pluribus actibus intelligendi, pluribus ſpeciebus, quibus & rem ipſam intelligat, & ea omnia, quæ illi conueniunt & diſconueniunt; ex quibus poſtea format Propoſitiones, in quibus dicit, *hoc eſſe illud,* aut *non eſſe,* & ex vna propoſitione ad aliam progreditur.

Nota quartò. Ex D. Bonau. intelligere multa per modum compoſitionis, ſi ad ſenſum referatur, eſſe perfectionem noſtri Intellectus. ſiquidem ſenſus non poteſt formare Propoſitiones, neque ſe ſupra ſuum actum reflectere; quemadmodum poteſt intellectus noſter. Sed ſi intelligere noſtrum, quod fit per compoſitionem, referatur ad Deum, iã ſic intelligere noſtrum, eſt imperfectio. nam quod intellectus Diuinus vno actu cognoſcit, & per vnicam ſpeciem: hoc intellectus noſter per plures actus, & per plures ſpecies. & hoc intelligendum eſt de præſenti ſtatu. nam anima ſeparata à corpore, iam non intelligit componendo, diuidendo, diſcurrendo; ſed vnico actu

co actu, vnamquamque rem cognoſcit, & ea omnia, quæ illi cōueniunt aut repugnant. *Et ratio eſt.* quia iam hæc anima eminentiorem ſtatum cōſequitur, & depoſita ſarcina corporis, iam non intelligit per conuerſionem ad phantaſmata, ſed per ſpecies infuſas, aut alio altiori modo, qui conuenit Subſtantijs ſeparatis. : ſ: Angelis. qui vno ſimplici intuitu, ſine compoſitione, ſine diuiſione, ſine diſcurſu intelligunt. Iam verò incluſa corpori, quia per conuerſionem ad phantaſmata intelligit, diſcurrit componendo, diuidēdo. His Notatis.

Animæ ſeparatæ per phātaſmata nō cognoſcunt.

24. Dico primò. *Deus, cognoſcit omnes res compoſitas, & omnes Propoſitiones, de illis per compoſitionem & diuiſionē formatas, vnico actu ſimplici.* PROBATVR Pſal 93 *Dominus cognoſcit cogitationes cordium;* ſed hæ (vt vnusquisque in ſe experitur) fiunt per compoſitionem, & diuiſionem. nam intellectus intra ſe ratiocinando, format intellectuales Propoſitiones. Ergo eas Deus cognoſcit. & Iſaiæ 55. vbi dicitur, *non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, viæ veſtræ.* ex quo argumentor. Quælibet comparatio, fit inter res benè cognitas. ſed hic Scriptura comparat cogitationes, & vias Dei, & hominis: loquiturq; in perſona Dei. Ergo ſicut Deus nouit ſuas cogitationes & vias: ita & hominis nouit, ſed viæ & cogitationes hominis fiunt componēdo & diuidendo. Ergo eas compoſitiones & diuiſiones nouit. Et D. Dion. *cap. 7. de Diu. nom.* ſic dicit, *Diuinā Sapientia cognoſcens ſeipſam, cognoſcit omnia, & materialia immaterialiter, & diuiſibilia, indiuiſibiliter & multa vnitiuè.* Ergo etiam compoſita & diuiſa intelligit ſine compoſitione & diuiſione.

Deus cognoſcit Compoſitionem & Diuiſionem ſine Compoſitione & Diuiſione.

PROBATVR rationibus. *Primò* Deus cognoſcit omnia per vnicam ſpeciem repræſentantem omnia ſ. per ſuam Eſſentiam; & quidem vnico actu intelligendi, quæ eſt Eſſentia illius. Ergo cognoſcit omnia ſine compoſitione. *deinde* Deus ea omnia ſcit, quæcunque creatura facere poteſt: nā nouit omnem virtutem creaturæ, & illius extenſionē; ſed inter alia, quæ poteſt facultas Intellectus facere, poteſt etiam componere & diuideret. Ergo nouit cōpoſita.

Deus omnia cognoſcit ſimplici intuitu.

25. Dico ſecundò. *Deus intelligēdo enuntiabilia, quæ admittunt compoſitionem & diuiſionem, non intelligit illa per modum intellectus componentis, & diuidētis* Ita docet D. Th. *hic & 1. cont. gen. cap. 58.* PROBATVR Deus cognoſcendo ſuam Eſſentiā omnia cognoſcit: ſed Deus ſuam Eſſentiam non cognoſcit cōponendo nec diuidendo; ſiquidem eſt ſimpliciſſima, & expers omnis cōpoſitionis. Ergo Deus cognoſcendo enuntiabilia, non cognoſcit illa componendo.

Ratio prima

Nota Ex *1. p. quæſt. 85. art. 5. ad 3.* Compoſitioni & diuiſioni Intellectus, oportere correſpondere aliquam compoſitionem ex parte rei, ſ. quod ſit ex Materiā & Formā, aut ex Subſtantiā & Accidente: & hoc aut conuenit rei ex natura ſuā, aut ſecundum quod eſt in conceptu noſtro: nam non ſemper requiritur, vt res de qua formatur compoſitio & diuiſio, in ſeipſa habeat compoſitionem & diuiſionem; aliàs enim ſequeretur, quòd omnes illæ Propoſitiones, quæ formantur de Deo, eſſent falſæ, cùm in Deo nulla ſit compoſitio, ſed

Vt ſe res habet ad eſſe ita ad cognoſcē

ſitio, ſed ſufficiat, quòd in intellectu ſit hæc multiplicatio, quæ ex imperfectione intellect⁹ noſtri prouenit. Quia enim Eſſentia Diuina, non eſt adæquatum Obiectum intellectus creati: ideo de illa multos conceptus format; Diuinus autem intellectus, quia eſt illi adæquatus; ideo eam vnico & ſimpliciſſimo actu comprehendit; vnde multiplicatis non indiget conceptibus; & per conſequẽs non indiget compoſitione.

26. *Secunda ratio*: Quæcunque intellectus componendo & diuidendo intelligit, illa etiam apta ſunt, vt ab eo ſeorsũ conſiderentur. ſed ſi Deus componendo intelligeret. ergo ſeorſum ſingula cognoſceret; atque ſic, non vno, nec ſimpliciſſimo actu, (vt iam antea docuimus,) omnia intelligeret. at intelligit omnia vnico actu. ergo non intelligit ſeorſum. ergo nec componendo.

Deus ſeorsũ res non cognoſcit.

Nota. Intellectus humanus ideo componendo & diuidendo cognoſcit; quia cùm procedat de potentia in actum, non ſtatim, nec ſimul perfectam rei cognitionem habet, ſed per partes. primò enim cognoſcit quidditatem rei: poſtea paſſiones: tandem habitudines, & alias Circũſtantias; & quæ ſic diuiſim cognouit, oportet, vt ea vniat componendo, & ſic perfectam cognitionem habebit. iã autẽ Intellectui Diuino nõ conuenit, qui vno actu ſimul ſine vlla compoſitione & diuiſione cognoſcit quidditatem cuiuslibet rei. & ex ea omnia, quæ illi conueniunt, ac diſconueniunt.

Cur intellectus human⁹ componendo & diuidẽdo cognoſcit?

Tertia ratio. Si intellectus Diuin⁹ per modum componentis & diuidẽtis intelligeret, eſſet in eo quid cõpoſitum: conſequens falſum. Ergo & Antecedens. *Conſequentia* compoſitio formata ab intellectu, exſiſtit in intellectu, non autem in re, quia eſt extra intellectum; quamuis aliquid illi ex parte rei correſpondeat. (vt iam dictum) Ergo ſi Intellectus Diuinus componit, dabitur in eo, quoddã compoſitũ inexſiſtẽs; quod eſt falſum.

Quarta ratio. Si intelligit Diuinus intellectus componendo & diuidẽdo. ergo *intelligere* Dei non erit vnũ; ergo nec Eſſentia illius erit vna. *Cõſequentia*. *Intelligere* Dei, eſt ſuum *Eſſe*, ergo cùm *intelligere* ſit per Compoſitionem, erit multiplex. ergo & *eſſe* Dei multiplex; & per conſequens, Eſſentia multiplex; quæ omnia ſunt falſa. *Confirmatur*, intellectus componens diuerſas compoſitiones, diuerſa iudicia de illis facit. nã in hac compoſitione. *homo eſt animal*, & in hac *Triangulus eſt figura*. ſunt diuerſa iudicia. Ergo quia diuerſæ compoſitiones, & vna quæque requirit diuerſum *intelligere*, & diuerſam ſpeciem intelligibilem. quæ cum Deo non conueniant; idcirco in eo non eſt ponenda cognitio compoſitorum, ſeu Propoſitionum per modum componentis.

Intellectus diuini Obiectũ eſt Eſſentia Dei.

DISPVTATIO III.
De Qualitate Scientiæ Diuinæ.

Quoniam S. Doctor in Quæſtione 14. quæ eſt de Scientia Dei, aſſignat quaſdam proprietates eiuſdē Scientiæ Diuinæ; has colligere & proponere viſum eſt in hac Diſputatione: ſunt autem hæ tres: Diſcurſus, Mutabilitas, & ſitne Speculatiua an Practica? Proinde tria inquiremus.

1. *An Scientia ſit Diſcurſiua?*
2. *An ſit Inuariabilis?*
3. *An partim ſit Speculatiua, partim Practica?*

QVÆSITVM I.
An Scientia Dei ſit diſcurſiua?

1. AD Quæſitum, Dico: *Sciẽtia Dei non eſt diſcurſiua.* PROBATVR ad Hebr. 4 *Omnia ſunt nuda & aperta oculis eius*; at ea quæ per diſcurſum cognoſcuntur non ſunt nuda, & aperta, ſed mediante diſcurſu aperiuntur, & nudantur. ergo in Deo nõ eſt diſcurſus.

In ſciẽtia humana duplex diſcurſus. *Secunda ratio.* In Sciẽtia noſtra duplex diſcurſus reperitur: *vnus* per ſucceſſionem: *alter* per cauſalitatẽ. ſed neuter Deo cõuenit. ergo Sciẽtia Dei non eſt diſcurſiua. *Minor* nõ conuenit per ſucceſſionem, quia in tali diſcurſu, vnũ poſt aliud cognoſcitur. ſed Deus omnia videt in vno actu, quod eſt ipſe ſua Eſſentia. Ergo non cognoſcit vnum per aliud. ergo non diſcurrit. Non per cauſalitatem: quod fit, cùm ex cognitione Principiorum deuenimus ad cognitionem Concluſionum: ſed hoc Deo non conuenit; quia omnia videt in vno: ſ: in ſua Eſſentia.

Tertia ratio. Diſcurſus, maximè ſecundum cauſalitatem, procedit ad cognoſcẽdum aliquod ignotum ex noto. at in Deo nihil ignotum, ſed omnia nota. Ergo in illo non eſt diſcurſus.

2. *Nota* ex D. Th. *1. p. quæſt. 58. a. 3.* & de verit. *quæſt. 8. art. 1.* ad rationem diſcurſus duo requiri: *Primum*, vt diſtĩctis cognitionibus plura cognoſcantur; vnde qui plures imagines in ſpeculo videt, non diſcurrit, quia vnica viſione omnes videt. *Secundum*, vt vna cognitio ſit cauſa alterius cognitionis; vnde ſi quis cognoſcat hominem, & poſtea lapidem, non dicitur diſcurrere; quia vna cognitio non eſt cauſa alterius. Ad diſcurſũ requiruntur duo.

Quarta

Quarta ratio: Quicunque ratiocinatur, hic alia ratione intuetur Prĩcipia, & alia Concluſiones: ſed De⁹ vnicã cognitione, quæ eſt ſuæ Eſſẽtiæ omnia cognoſcit: ergo illius cognitio non eſt diſcurſiua.

Nota cum Ferar. ſeu Principia ſeu Præmiſſas in Diſcurſu, dupliciter cõſiderari poſſe. *Primò* abſolutè, ſecundum ſe, vt, cùm per ſe conſidero hominem eſſe animal rationale, & hominem eſſe riſibilem, & ſic vnaquæque harum Propoſitionum ſecundum ſe conſideratur; *ſecundò* in ordine ad inferendam Concluſionem; vt cum præmiſſas Propoſitiones ſumo ad certam colligendam Concluſionem; & hæc cognitio Concluſionis præſupponit cognitionem Præmiſſarum.

Quinta ratio. Quælibet cognitio diſcurſiua, habet aliquid de potentiã, & aliquid de actu. nam Concluſiones ſunt in Principiis, vt in potẽtia. ſed Potentia. in Diuino Intellectu non habet locum; (vt iam probatum) Ergo nec diſcurſus. Potẽtia excluditur ab intellectu diuino.

3. *Dices*: Hæc ratio non cõcludit, quia Principia non continent Concluſiones, niſi in potentia actiua, ſi formaliter ſumantur. ſed aliqua ſic potentialiter contineri in Deo non eſt abſurdum: nam in Potentia Dei actiua continentur omnes creaturæ, in quantum ab illa ſunt productæ, aut producendæ. *Reſpondetur* verum quidem eſt, quòd in Principijs continentur Concluſiones, tãquam in potentia actiua: ſed cùm ad cognitionem habendam procedimus, neceſſe eſt in intellectu ponere potentiam paſſiuam, ad nouã actionem, hoc eſt ad eliciendum nouum actum cognitionis: Iam autẽ ex eo, quòd creaturæ ſit in Deo, ſecundum potentiam actiuam, non eſt neceſſe, vt in eo ponamus, aliquam potentiam ad eliciendum nouum actum cognitionis; vnde non currit Argumẽtũ, quia eſt diuerſitas.

Sexta ratio. In omni Scientia diſcurſiua, oportet eſſe aliquid cauſatum; nam Principia ſunt cauſa efficiens Concluſionis, & ideo demõſtratio dicitur, *Syllogiſmus faciens ſcire* Sed in Diuina Scientia nihil poteſt eſſe cauſatum, cùm ipſa Scientia ſit ipſe Deus, Ergo in Deo non eſt ſciẽtia diſcurſiua. Præmiſſæ ſũt cauſa cõcluſionis.

4. *Obijcies* Fundamentum cur diſcurſiua Scientia nõ detur in Deo, hoc eſt vnum, quia *Deus omnia per ſuã Eſſentiam nouit*: iam autem Eſſentia, ad illa cognoſcenda, non habet ſe, vt Principia ad Concluſiones; ſed ſicut ſpecies ad res cognitas. Atqui huic fundamẽto contrarium habetur *de verit. quæſt. 2. art. 4.* vbi dicit Diui. Thõ. *Res eſſe in Deo, aſſimilatur eo modo, quo Effectus ſunt in Cauſa & Concluſiones in Principiis* ergo videtur Diuus Thomas diſcurſum tribuere Deo. *Reſpondeo primò*. quòd in omni ſimilitudine, eſt aliqua diſſimilitudo: nam poſſunt dici ſimilia vno modo, & alio diſſimilia: Principia ergo noſtri intellectus comparantur ad Concluſiones, ſicut Cauſa ad ſuum Effectum, quem virtualiter continet: ſed non habent ſimilitudinem, quæ ſit actualiter & diſtinctè repræſentatiua Cõcluſionũ: Eſſentia enim Diuina, prout eſt cauſa omnium creaturarum, habet ſimilitudinem cum Principijs reſpectu Concluſionum, ſed inquantum eadem Eſſentia Diuina, actu & diſtinctè repræſentat omnes creaturas, Similitudo claudicat.

 ſic erit

ſic erit diſſimilitudo, quia Principia, Concluſiones in ſe virtute contentas, diſtinctè & actualiter non repræſentāt.

Reſpondeo ſecundò quòd hic agimus, de cognitione, qua vnum per aliud cognoſcitur, vnde p hoc differt Eſſētia Diuina à Principiis demōſtrationum; qua illa ducunt in cognitionem alterius, & poſtea ex illorū cognitione, deuenitur in cognitionem Concluſionum: quòd de Eſſentia Diuina dici non poteſt, quæ eſt vnica ſpecies omnium intelligibilium ab intellectu Diuino.

Eſſentia Diuina eſt vnica ſpecies intelligibilium Dei.

Obijcies ſecundò. Diſcurſus eſt perfectio, & tribuitur homini. Ergo & Deo tribui debet *Reſpondetur,* diſcurrere, & vti ſyllogiſmis, non eſt perfectio. ſed imperfectio noſtri intellectus; proinde Deo tribui non debet; eſt tamen in Deo Scientia Diſcurſûs, & Syllogiſmi; quia de his iudicare poteſt.

Diſcurrere eſt imbecillitas intellectus.

QVÆSITVM II.
An Scientia Dei ſit inuariabilis?

5. QVoad Senſū Quæſiti *Noto,* (vt ex præcedētibus patet) duplicē eſſe Scientiam: *Prima* eſt Simplicis Intelligentiæ, per quam Deus cognoſcit omnia poſſibilia: *ſecunda* eſt Viſionis, per quam cognoſcit Deus omnia exſiſtentia in aliqua differentia temporis: in hoc igitur Quæſito non quærimus de ſcientia Simplicis Intelligentiæ, quia hæc prorſus inuariabilis eſt. nam hæc nec augeri, nec minui poteſt, nec per illam Deus ſcit plura, aut pauciora, quam ſciuit; nec poteſt ſcire aliquid, quod ante ignorauit; per hanc enim Sciētiam ſcit omnia poſſibilia. Et hinc colligitur nihil eſſe, nec poſſe eſſe, quod Deus per hanc Scientiam neſciat. Eſt igitur Controuerſia de Sciētia Viſionis, per quā Deus ſcit ea, quæ habent exſiſtentiam actualem. Et probatur quòd *poſſit variari.* Deus poteſt facere plura, quàm facturus eſt. ergo poteſt plura ſcire, quàm ſcit Scientiā Viſionis. *Conſequentia* ſi enim Deus de facto faceret plura, quā facturus eſt, de facto ſciret plura, quàm ſcit; id enim facit Deus, quod ſcit.

Scientia duplex in Deo.

Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt immutabilis.

6. *De difficultate huius Quæſiti, variæ ſunt Opiniones. Prima* eſt Sylu. in conſl. quæſt. 14. Art. 19. qui tenet, quod voluntas Dei, quoad res quas erat productura in tempore, nō fuit ab æterno determinata ad vnū, ſeu ad vnam contradictionis partem; ſed habuit ſe voluntas liberè & ſuſpenſè, & ſolùm pro illo inſtanti, in quo res eſt producenda determinat ſe: hæc tamen opinio non tenetur.

Opiniones de ſcientia viſionis.

Secunda eſt, D. Bonau, *in 1. diſt. 39. art. 1. quæſt. 3.* Dur. *quæſt. 1.* Ægid. Gabr. *in quæſt. vnica.* hi docent, quod Scientia viſionis poteſt augeri, & poteſt minui; & per cōſequēs, quòd Deus modò ſcit, quod antea neſciebat; & poſſit modo neſcire, quod antea ſciuit. Huic ſententiæ videtur S. Doctor fauere in ſolutione ad ſecundum

cundũ huius *quæſt. art. 15.* vbi dicit: *Ex hoc, quod Deus poßet plura facere, quàm facit, non ſequitur, quod poſſit plura ſcire, quàm ſcit, niſi hoc deferatur ad ſcientiã Viſionis Tertia eſt,* Greg. Armi. in *1. diſt. 39. quæſt. vnica. art. 2. conc. 4.* quæ etiam D. Bonau. tribuitur, hic dicit loquendo de Enuntiabilibus: non poſſunt eſſe plura Scita; quàm fuerunt: quia tot ſunt Enuntiabilia vera, quot ſunt falſra, nã cuiuſlibet cõtradictionis, ſemper vna pars vera, & altera falſa: & ex conſequenti nõ ſunt in aliquo tempore plura ſcita, quàm in alio. ſi autem loquamur de rebus, & ſic D. Bonau. conceſſit, quòd Deus poteſt plura ſcire, quàm ſcit. *Ratio eius* poteſt plura facere quã facit: ergo & ea omnia quæ poteſt facere, poteſt ſcire. Si verò dicas *Ergo Scientia Dei augebitur?* negat conſequentiam, & reddit rationem, quare plura poſſit ſcire, quã ſciat; quia potuit Deus ab æterno determinare voluntatem ſuam, ad multò plura facienda; *v. g.* potuit determinare ſe, ad plures mundos producendos, & ita ab æterno potuit plura ſcire; quàm ſciuit ab æterno. Pro determinatione

Tempus quo modo ſe habeat ad nos & ad Deum

7. *Nota.* Tempus in quo aliqua res exſiſtit, ſub certa ſua diſpoſitione, aliter ſe habet ad noſtram cognitionem, & aliter ad cognitionem Dei: nàm ad noſtrã ſe habet, tanquam ad rem ſub tempore exſiſtentem, quæ ſecundùm differentias temporis variatur: iam autem ad Diuinam non comparatur tanquam ad rem ſub tempore exſiſtentem, & contentã: ſed tanquam ad rem ſupra omne tẽpus exſiſtentem, quæ æternitate mẽſuratur; quæ quidem æternitas, adeſt cuilibet differentiæ temporis præſentis, præteriti, & futuri; & his omnibus differẽtijs ſemper coexiſtit, & omnes ambit. Hinc prouenit, quòd ad variationem Obiecti ſit neceſſe noſtram cognitionem mutari, ſi permanere debet vera illa cognitio. ſed ad variationem Obiecti, non eſt neceſſe mutari Scientiam Dei ſicut enim Deus ab æterno ſcit, & ſciuit, me lecturum pro hoc tempore: ita ab æterno ſciuit, pro alio tempore me non lecturum; & ſic cognoſcit Deus rerum mutationem ſine vlla ſui, & ſuæ Scientiæ mutatione,

Ad variationem obiecti Cognitio mutatur.

Scientia dupliciter variatur.

8. *Nota ſecundò* Sciẽtiam dupliciter poſſe variari. *Primò*, ex parte rei cognitæ ſecundum veritatem & falſitatem, quando ſcilicet manente iudicio, ſcientia, opinione, in intellectu de aliqua re contingat, quòd illa res, de qua eſt Scientia, mutatur, etiam illud iudiciũ in intellectu mutari oportet; vt ſi prius erat verum, iam erit falſum. *Secundò* ex parte cognoſcentis & hoc tripliciter, *primò* quoad Scientiam: quando v. Scientia de nouo totaliter acquiritur, & in illo Subiecto habetur, in quo pri⁹ non erat: vt, quando Scientia alicuius rei penitus amittitur, cuius antea poſſidebatur. & ſic eſt quædam generatio & corruptio Scientiæ; & per cõſequẽs mutatio. *ſecũdò* quoad modum ſciendi, v. quando aliquid perſpicaciùs & perfectiùs intelligitur, quàm antea intelligebatur, & hoc accidit: aut ex diuerſitate medii quia priùs cognoſcebatur per medium probabile: nunc autem per demonſtratiuum; aut etiam accidit ex acumine ingenii, & ex præſtantia intellect⁹, qui enim acutiori ingenio eſt, hic per idẽ mediũ meliùs, ac exactiùs ve-

ctiùs veritatẽ cognoſcit. *Tertio* quoad actionem ſciendi: quod accidit, cùm quis aliquid conſiderat actu, & cum mentis applicatione, quod priº non conſiderabat; aut cùm quis ex habitu ad actum procedit; aut priº cognoſcit vnum, poſtea aliud; aut denique, cum ab vno diſcurrit ad aliud. Pro determinatione

9. Dico primò *Sẽtentiã Syluestri, in qua dicit, Deum ab æterno non habere voluntatem determinatam producendi res, ſed ſolùm pro eo inſtanti temporis, in quo eas produxit, non eſt tenenda, ſed prorſus reijcienda.* PROBATVR quia tollit præ determinationes, & prædefinitiões Diuinas, quas omnes Theologi admittunt, licet diuerſâ ratione: *Deinde,* quia facit Deum ab æterno ignorantem, cùm id Deº ſciat, quod ab æterno prædefiniuit. ſed ſecundum Sylu. ab æterno non prædefiniuit, ergo ab æterno ignorauit.

Reijcitur ſentẽtia Syl ueſtri.

Præterea quia non eſt conformis veritati S. Script. ad Epheſ. 1. dicitur; *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem;* ſi facta electio electorum, ante mundi conſtitutionem; ergo ab æterno. Ergo non pro illo inſtanti, quo electi producendi erant. Ex eadem auctoritate D. Pauli, ſequitur contra Sylu. Deum non prædeſtinare aliquem ad gloriam, niſi in illo inſtanti, in quo ex hac vita decedit; quia tunc poſtquam moritur ad gloriam inducitur. Ergo pro tunc eſſet determinatio voluntatis Diuinæ; quod expreſſè falſum; dicit enim, quòd *electio ſit facta, ante mundi conſtitutionem.* Ergo etiam ante conſtitutionem omnium temporum. Idem D. Paul. *ad Tit. in 1.* dicit. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus, ante tempora ſæcularia.* Ergo huius promiſſionis fuit determinatio, non pro aliquo inſtanti temporis, ſed ante omne tempus, v. ab æterno.

Confirmatur Voluntas Diuina ab æterno fuit determinata ad aliquã partem contradictionis, v. ad producẽdum nos, ergo falſum eſt, quòd dicit Sylu. quaſi modo pro illo inſtanti, in quo res eſt producenda, determinet ſe: *Antecedens,* Deus in nullâ potentia, neque eſſentiali, neque accidentali, fuit ſciens, ſed ſẽper fuit actu ſciens, ſicut ſemper actu fuit volens: ergo Diuina voluntas ab æterno determinata fuit: ergo & Sciẽtia illius ab æterno determinata. nam Scientia Viſionis ſequitur determinationem volũtatis. *Item* Volitio Dei eſt tota ſimul: quia æternitas qua menſuratur eſt tota ſimul; Actio quoque Dei eſt tota ſimul, quia & ſubſtantia Dei eſt tota ſimul; ſi ergo Volitio Dei ſicut Actio eſt tota ſimul: ergo pro vno inſtanti æternitatis extendit ſe ſimul ad omnia volita & ꝓducenda.

10. Dico ſecundò. *Quantacunque mutatio fiat in rebus, ex eo, non eſt ponenda mutatio in Scientia Dei, tanquam ab illarum mutatione, fiat mutatio in Scientia Dei.* PROBATVR, Eccleſ. cap. 23. Domino Deo *antequam crearentur, ſunt omnia agnita, ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.* Et Iacobi 1. *apud Deum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Ergo Deus eadem ſcientiâ res nouit, antequam eas creauit, & poſt quam creauit: ſciuit enim quæ creabat, & ſecundùm illam ſcientiam vnamquamque rem creauit; & ideo iam aliter, poſt ſui creationem, non poteſt ſciri à Deo.

Probatur ſecundò. Doctrina eſt D. Auguſt

Aug. *lib. 15. de Trin. cap. 7.* vbi ſic inquit: *Deus ſapientia ſua nouit omnia, ita, vt neque, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant: neque ea, quæ dicuntur ibi futura, quaſi deſint, expectentur vt veniant ſed & præterita, & futura, cum præſentibus ſunt cuncta præſentia.* Ex his verbis.

11. *Collige* quòd ſiue res mutentur, ſecundum *eſſe*, & non *eſſe*, ita, quòd aut ab Eſſentia tranſeant ad non *eſſe*, aut à non *eſſe* tranſeant ad *eſſe*, nulla erit mutatio in Scientia Dei; quia *eſſe*, & non *eſſe*, ſunt præſentia intellectui Diuino. Idem D. Aug. cap. 13. dicit: *vniuerſas creaturas tam Spirituales, quàm corporales, nõ quia ſunt, ideo nouit Deus, ſed ideo ſunt, quia nouit; non enim neſciuit, quæ fuerat creaturus; quia ergo ſciuit, ideo creauit; non quia creauit ſciuit, neque aliter ſciuit creata, quàm creanda: non enim eius ſapientiæ, aliquid acceſſit ex eis, ſed illis exiſtentibus, ſicut oportebat, & quando oportebat, illa mãſit vt erat.* Et reddit rationem D. Aug quia *in mirabili illius Diuinæ naturæ ſimplicitate, non aliud* Eſſe *quàm* ſapere *ſed quod eſt* ſapere, *hoc eſt* eſſe. ergo cùm *ſapere* Dei, ſit *Eſſe* Dei, ad hoc, vt res perfectè cognoſcat Deus, non eſt neceſſe, vt res determinentur per *eſſe* actuale: proinde ſiue res ſint, quæ antea non fuerunt; ſiue non ſint, quæ antea fuerunt: ſicut nihil accreſcit Diuinæ ſapiẽtiæ: ità de eadem nihil minuitur. ergo variatis reb' nõ variatur Sciẽtia Dei.

Probatur tertiò. Deus omnia cognoſcit per ſuum *Eſſe*: ſiquidem *Eſſe* Dei, cauſaliter & eminẽter cõtinet in ſe omne *Eſſe*. & ſic Deus primò ſeipſum; deinde omnes creaturas cognoſcit: ſed cùm modus ſciendi, & Scientia ſumatur ex Obiecto, illiusque conditionem ſequatur Sciẽtia; proinde, ſi Obiectum variabile, & Scientia variabilis; ſi inuariabile, & Scientia inuariabilis. ſed Obiectũ Scientiæ Diuinæ eſt *Eſſe*, ſeu Eſſentia Diuina, quæ non eſt variabilis. ergo & Scientia Dei non variatur.

Confirmatur. Deus prædeterminauit omnia, quæcunque futura ſunt, & erunt: ideq; prædefiniuit omnes modos contingentiæ. ergo iam tũc Deus cognouit, ſicut decreuit. ergo hæc variatio in rebus creatis, à Deo ſic volita, non facit variationem in Scientia Dei; ſiquidem hæc procedit ex decreto Diuino, ex quo infallibilitas ſequitur Diuini decreti, & Scientiæ Dei, quæ hoc diſpoſuit & ſciuit.

12. Dico tertiò. *Scientia Dei conſiderata quoad augmentum, & quoad decrementum, non eſt variabilis, ita, quòd Scientia Dei non acquirit cognitionem alicuius noui Obiecti, quod antea ignorauit, nec decedit illi ex ſcientia, quam habet.* PROBATVR. Omnis Scientia Dei aut eſt Simplicis Intelligentiæ aut viſionis. ſed per nullam harum eſt Variabilis Scientia Dei, ita, vt de nouo aliquid ſciat, quod antea neſciuit; aut vt deſinat ſcire, quòd antea ſciuit. ergo quoad augmentũ & quoad decrementum non eſt variabilis: *Minor* Scientia Simplicis Intelligentiæ nouit Deus omnia poſſibilia, etiã quæ nunquam ſunt futura. ſed nihil eſt poſſibile, quod Deo non ſit cognitũ. Deus enim per hanc ſcientiam neceſſariò ſeipſum intelligit, & virtutem ſuam omnipotentem, eandemque comprehendit. ergo & omnia poſſibilia, ad quæ ſe virtus eius extendit, ſcit. ergo vt ſic, ad hãc Scientiam nihil addi poteſt.

Probatur de Sciẽtia Viſionis, quia per hanc Deus nouit omnia, quæ verè in aliquâ differentiâ temporis exſiſtentiam actualem habebunt. ergo nulla additio fieri poteſt ad Scientiam Dei, vt v. Scientia eius terminetur ad aliquod Obiectum præſens, præteritum, & futurum, quod antea non nouit. Deus enim per Scientiam Viſionis nouit omnia in menſurâ æternitatis: ſed æternitas coëxſiſtit omnibus differentijs temporis. ergo omnia, quæcunque ſunt, fuerunt, & erunt, ſunr Diuinæ Scientiæ ſubiecta, tanquã præſentia. ergo ad eam nihil addi poteſt; & per conſequens nihil diminui ex ea.

Præterea Ioan. vlt. dicitur. *Tu Domine omnia noſti.* ex quo argumentor. Quicunque cognoſcit omne illud quod eſt ſcibile, ille cognoſcit omnia ſcibilia. ſed Deus cognoſcit omnia ſcibilia, ergo cognoſcit omnia; ſed ad hoc omne, nihil addi poteſt, nec de eo diminui. ergo non variatur Sciẽtia Dei, quoad augmẽtum & decrementum.

Etiam ſecũdum veritatem & falſitatem Sciẽtia Dei eſt inuariabilis

13. Dico quartò. *Etiam ſecundũ veritatem, & falſitatem non eſt variabilis Scientia Dei.* PROBATVR Scientia Dei de vero in falſum nõ poteſt mutari; ergo vt ſic, non eſt variabilis. *Antecedens* cognitio Dei, fertur in omnes res, tanquam ſibi præſentes, & omnium nouit quidditates, nouit diſpoſitiones, nouit Prædicata tam vniuerſalia, quàm ſpecifica, & indiuidualia: nouit quoque, quæ vnicuique rei pro aliquo tempore conueniunt, & quæ diſconueniunt, & hæc omnia nouit in prædeterminatione, quâ rerum Eſſentias, & illis conuenientia prædefiniuit. ergo nouit veritatem & falſitatem; quæ in rebus quidem faciunt mutationem, ſed in Deo nullam; quia hanc ante illorum productionem habuit.

14. Dico quintò. *Scientia Dei conſiderata quoad ſeipſam, & quoad actum ſciendi, & quoad modum ſciendi, non eſt mutabilis.* PROBATVR quoad Sciẽtiam Diuinam. Scientia eſt ipſa ſubſtantia Dei, ſiquidem Deus eſt ſimpliciſſimus. ſed Diuina Subſtantia eſt inuariabilis. ergo & Scientia Dei ſecundum ſeipſam eſt immutabilis.

Nulla res eſt quam Deus neſciat.

Collige hinc tria. primò Deum non poſſe ſcire rem, quam neſciuit; quia Deus omnia ſcit, & nulla res eſt, quam neſciat: non poteſt quoque illam rem neſcire, quam ſciuit; quia aliàs obliuio caderet in Deum. *Collige ſecundò* Deum non poſſe ſcire plura, aut pauciora, quàm ſciuit. *Tertiò* Deum de nouo non incipere ſcire, aut neſcire; quia ſi incipit ſcire antea neſciuit, ſi incipit neſcire, nunc neſcit, quod antea ſciuit; quæ omnino ſunt abſurda; ergo Scientia Dei, quæ eſt idem quod Subſtantia Dei, eſt inuariabilis.

Probatur quoad modũ ſciẽdi, quòd non ſit variabilis: quia talis variatio procederet aut ratione medij, aut ratione virtutis intellectiuæ ſed neutrũ horũ. ergo. *nõ primũ*, quia vnicum eſt medium cognitionis Diuinæ, ipſa Eſſentia Dei, quæ quidem inuariabilis eſt. *non ſecundum*, quia intellectus Diuinus eſt idem cum Eſſentia Dei, & cùm hæc ſit inuariabilis, etiam virtus Intellectus Diuini inuariabilis.

Probatur quoad actum ſciendi, quia Eccleſ. 23 dicitur: *Oculi Domini lucidiores ſunt ſole.* ſed ſol ſemper eſt in actu lucendi. ergo & Intellectus

Diuinus

Diuinus, ſemper in actu intelligendi. *Præterea* Intellectus tunc eſt in actu, quando ſpecies intelligibilis, eſt illi coniuncta: ſed Diuino intellectui eſt coniuncta Eſſentia Dei, eademq; vicem obit ſpeciei intelligibilis: ergo ſemper actu intelligit.

Quando intellectus eſt in actu.

15. *Obijcies* omnino concedendã eſſe mutationem in Scientia Dei. *Probatur* nam ſi ad mutationem rerum, non ſequitur mutatio in Sciẽtia Dei; ergo cùm aliquando Deus ſciuit Adam fore, & Adam eſſe, etiã nunc ſcit Deus, Adam fore, & Adã eſſe. ſed Conſequens eſt falſum; quia hæ Propoſitiones pro hoc tẽpore, *Adam erit, Adam eſt*, ſunt falſæ; & conſequenter non ſciuntur à Deo. ergo erit mutatio in Scientia Dei. Similiter Deus aliquando ſciuit, Chriſtum naſciturum & Chriſtum naſci. ergo & nunc ſcit Chriſtum naſciturum, & Chriſtum naſci: ſed conſequens falſũ; quia hæ Propoſitiones pro hoc inſtanti temporis ſunt falſæ. ergo mutatio eſt in Scientia Dei.

Reſpondetur cum Fer. *1. cont. gent. c. 6:7.* cum Caiet. *in 1. part. quæſt. 14. art. 16. ad 8.* cum Dur. *diſt 39. quæſt. vnicâ.* quòd in his propoſitionibus, *Deus non ſcit Adam fore, & Adam eſſe.* Similiter *Deus non ſcit Chriſtum naſciturum, & Chriſtum naſci*, importatur Tempus præſens per verbum *ſcit*, & per Aduerbium *nunc*, & ideo temp⁹ hoc dupliciter cõſiderari poteſt. *primò* ex parte cognitionis: *ſecundò* ex parte rei cognitæ: ſi cõſideretur ex parte cognitionis Diuinæ, Senſus erit, quòd nunc eſt cognitio in Deo, qua Deus cognoſcit Adam fore, & Chriſtum naſciturum pro illo tempore, in quo verum erat dicere quoad nos *Adam erit, & Chriſtus naſcetur.* quod quidem eſt veriſſimum; quia Dei cognitio eſt æterna, & æternitas tempus ambit, ac illius differentias; Vnde tempus in quo fuit verum dicere: *Chriſtus naſciturus. & Adam erit.* eſt præſens cognitioni Diuinæ; & propterea hæc Propoſitio: *nunc Deus ſcit Chriſtum naſciturum* eſt vera pro eo tempore, quo erat Chriſtus naſciturus, & modo eſt verum, quòd illius Deus habeat cognitionem pro eo tempore, quo erat naſcitur⁹. *Si autem* tempus præſens conſideremus ex parte rei cognitæ, tunc ſẽſus erit: quòd hæ Propoſitiones *Adã eſt futurus, Chriſtus eſt naſcitur⁹*, pro hoc inſtanti temporis ſciuntur à Deo, & ſic erunt falſæ: quia pro hoc inſtanti noſtri tẽporis non cognoſcit De⁹ Adam fore & Chriſtum naſciturum: ſi autem cognoſceret, verum eſſet: ergo & Adam deberet eſſe, & Chriſtus naſci, quæ omnia ſũt falſa. Vnde Durandus, loco cit. ad primum arg. alterius partis dicit: quòd apud Deũ omnes iſtæ propoſitiones, *Chriſtus naſcetur, naſcitur, natus eſt*, ſunt veræ: quia important certum tempus, in quo ſunt veræ. nam *Chriſtus naſcetur*, eſt vera pro illo tempore, in quo erat naſciturus: & *Chriſtus naſcitur*, eſt vera, pro illo tempore, in quo naſcebatur: & *Chriſtus natus eſt*, eſt vera pro eo tempore, in quo iã natus eſt. & ſic iſtæ Propoſitiones intellectæ pro certis temporibus ſemper manent veræ.

Temporis præſẽtis acceptio duplex.

16. *Obijcies ſecundò.* D. Th. *hîc art. 15. ad 3.* concedit, quòd modò Deus neſciat aliquod enuntiabile, quod antea ſciuit. *Reſpondetur* de reb⁹ ipſis hoc non concedit, quaſi modò De⁹ non ſciat aliqua re, quã antea ſciuit,

Inſtabis

Inſtabis. Eadem eſt omnino ratio de rebus, & de Enuntiabilib⁹: ſiquidem ſicut enuntiabile poteſt mutari de vero in falſum, & de falſo in verum: ita de *eſſe* ad non *eſſe*, res mutari poteſt. ergo quoad res mutatio concedenda.

Reſponſio ad inſtantiam prima. *Reſpondetur.* Omnino aliud eſt dicere de re, aliud de Enuntiabili: nā cùm dicimus: *Deus ſciuit Chriſtum naſciturum*, ſenſus eſt, quòd in aliquo tempore veritas huius Propoſitionis, ſtabat cum cognitione Diuinâ, ita, vt pro illo tempore antequam Chriſtus naſceretur, verum fuerit dicere, *Deus ſcit Chriſtum naſciturum*: iam verò poſtquam Chriſtus eſt natus, falſa eſt hæc Propoſitio. ſi enim eſſet vera quòd ſcit Deus Chriſtum naſciturum, deberet Chriſtus naſci, atque ſic apertè *colligitur*, quòd loquendo de Enuntiabili, verum eſt, dicere quòd Deus, pro nunc noſtri temporis, aliquod Enuntiabile neſciat, v. quòd Chriſtus ſit naſcitur⁹. quod antea ſciuit. *Si autem* loquamur de re, v. de natiuitate Chriſti, iam eſt diuerſa ratio. cum enim dicimus: *Deus ſcit Chriſti natiuitatem*, iā non denotatur aliquod tempus natiuitatis ipſius, quod ſit, aut iam præſens, aut futurum, ſed ſignificamus natiuitatem Chriſti, diſtinctam ab omni tempore. Proinde nulla erit mutatio in Scientia Dei. nam ſemper erit verum dicere, *Deus ſcit natiuitatem Chriſti.* Et ratio eſt. ſic enim loquendo, ſolùm ſignificamus, quòd natiuitas Chriſti terminet actum cognitionis Diuinæ; & eſt hoc verū pro omni tempore.

Reſponſio ad Inſtantiam alteram. 17. *Reſpondetur ſecundò*, Propoſitio hæc: *Deus nunc ſcit Chriſtum naſciturum*, ſi in ea tempus præſens cum aduerbio *nunc* ſumatur, ex parte rei cognitæ, falſa erit. nam illius hic eſt ſenſus: quaſi Deus, modò ſciat veritatem huius Propoſitionis, *Chriſtus eſt naſciturus*, quod eſt falſum: ſi autem tempus præſēs ſumatur ex parte Diuinæ cognitionis, tunc illa Propoſitio poterit concedi, & habebit ſenſum *Deus ſcit Chriſtum naſciturum*, pro eo tempore, in quo verum erat dicere, *quòd Chriſtus eſt naſciturus.* nam hoc tempus futurum æternitati tanquam præſens cöexſiſtit.

Quando verò vrges. Ab eo quod eſt, aut non eſt, dicitur propoſitio vera, aut falſa. ſed Deus deſiit ſcire hanc Propoſitionem *Chriſtus eſt naſciturus* poſtquam iam eſt natus. ergo etiam deſiit ſcire rem in Propoſitione ſignificatam. *Reſpondetur.* de re ſignificatā per Propoſitionem dupliciter loqui poſſumus: *complexè & incomplexè*: ſi loquamur de re ſignificata complexè, tunc eadem eſt ratio de Propoſitione, & de re complexè ſignificata; ſicut enim deſijt ſcire De⁹ hanc Propoſitionem, *Chriſtus eſt naſciturus*: ita & rem ſignificatam per Propoſitionem, v. Chriſti natiuitatem futuram deſiit ſcire. ſi verò loquamur de re ſignificatā incomplexè, in quātum ſignificatur per Prædicatum, & ſubiectum, vt ſignificatur Chriſti natiuitas, ſic fatendum eſt, quòd quācūq; rē De⁹ ſciuit, etiā nunc ſcit, nec deſinit illam ſcire. De re ſignificata per propoſitionem ſenſus duplex.

Nota primò. Quamuis cognoſcat Deus has variationes in Propoſitionib⁹; nulla tamē eſt variatio in Sciētia Diuina. nam hanc variationem, cognoſcit Deus ante omnium productionem, ac vnico & ſimpliciſſimo actu cognitionis ſuæ, nullam ſumendo à rebus Scientiam. Ad

extre-

extremum cognoſcit, non componendo nec diuidendo, proinde licet detur variatio in rebus, in Scientia tamẽ Dei nulla concedẽda eſt.

Nota ſecundò, his modis dicendi, *quòd potuit Deus plura ſcire, quàm ſcit*; aut *quòd nunc neſciat, aliquam Propoſitionem, quàm ante ſciuit*, paſſim nõ eſt vtendum: ne ſimplicioribus occaſio ſcandali præbeatur, qui, (vt dicit Cumel) noſtras Metaphyſicas conſiderationes non nôrunt.

QVÆSITVM III.

An Scientia Dei, partim ſit Speculatiua, partim Practica?

18. AD doctrinam elucidãdã huius Quæſiti, ſpectant ea, quæ diximus *in Tract. de Nat. Theol.* vbi fuſè egimus, quomodo Theologia ſit Speculatiua, aut Practica: & quomodo hæc duo *Speculatiuum & Practicum*, quæ in inferiorib⁹ ſciẽtiis ſunt ſparſa, in hac ſuprema Scientia ſimul collecta reperiantur.

Scientia duplex.

Nota Scientiam, quãdam eſſe Speculatiuam tantùm: quãdam Practicã tantùm: quãdam partim Speculatiuam, partim Practicam. *Item nota* Aliquam Scientiam tripliciter poſſe dici Speculatiuam, *primò* ex Obiecto, ſeu ex parte rerũ ſcitarum, quæ non ſunt operabiles à ſciente; & talis eſt ſcientia in homine de rebus Diuinis, & naturalibus. *ſecundò* quoad Modum Sciendi, vt ſi artifex conſideret domum, eam diuidendo, definiendo, & illius vniuerſalia prædicata conſiderando: *tertiò* quoad finem, & ſic intellectus, in *3. de An. tex.* 49. dicitur eſſe Speculatiuus & Practic⁹: differũt autẽ ratione finis. Practicus enĩ ordinatur ad finẽ operationis: ſpeculatiuus verò ad cõſiderationem veritatis; proinde ſi artifex gnarus ædificare domum, ſolummodò conſideret, quà ratione domus ſit ædificanda, non intendẽdo finẽ, hoc eſt productionẽ dom⁹, erit quidẽ ſciẽtia ei⁹ de re operabili; ſed quia non intendit opus; idcirco erit Speculatiua. His præmiſſis.

19. Dico primò. *Deus de ſeipſo habet Scientiam tantùm Speculatiuã.* PROBATVR. quia ipſe Deus, ſeu Eſſẽtia eius, non eſt Obiectum operabile Diuini intellectus. ergo in eo eſt Speculatiua Scientia.

Dico ſecundò. *De omnibus aliis, quæ ſunt alia à Deo, habet Deus Scientiã, partim ſpeculatiuã, partim Practicã.* Speculatiuã quidẽ; quia quicquid nos, modo ſpeculatiuo cognoſcimus, definiendo, diuidendo: hoc totum De⁹, modo perfectiori cognoſcit, v. vnico actu intellectionis ſuæ; quomodo autẽ ſit Practica iam patebit.

Dico tertiò. *De his, quæ poteſt Deus facere, ſed ſecundùm nullum tempus facit, ſolùm habet Scientiam Speculatiuam, & non Practicã: de his verò, quæ ſunt, & fiunt in aliqua differentia temporũ, habet Scientiam Practicam.*

Dico quartò. *Mala culpæ, hoc eſt peccata, licet à Deo non ſint operabilia, continentur*

nentur tamen in illius Sciẽtia Practica, in quantum hæc, aut permittit, aut ordinat aut impedit. Queadmodũ ſub Scientia Practica Medici cõtinẽtur ægritudines, in quãtũ eas, per ſuã artẽ curat.

20 Dico quintò. *Scotus in Prol. Sent oppoſitum tenet,* dicit enim duo, *Primo* Scientiam illam, quã Deus de ſeipſo habet, eſſe omnino Practicam *Ratio eius.* Scientia enim quam habet Deus de ſeipſo, eſt rectificatiua amoris Dei, erga ipſum Deum. Ergo eſt Practica.

prima aſſertio Scoti.

Nota Vt in nobis cognitio alicuiꝰ occultæ veritatis, amorẽ & delectationẽ gẽerat: ita in Deo cognitio Eſſẽtiæ Diuinæ amorẽ accẽdit in Deũ.

Nota ſecundò. Non ſic accepit Scotus *Practicã*, quòd ſit de opere faciẽdo; ſciebat enim Deum nõ eſſe operabilem; ſed quia Scientia præcedit, affectum amoris, eundemq; in Deo promouet. hãc ad affirmationẽ eiꝰ, *Reſpondeo* quòd his nominibꝰ v. *Practico, & Speculatiuo*, non eſt vtendum prout alicui libuerit, ſed ſecundùm communem rationem, quæ à Philoſophis & Theologis ſunt explicata, & ab his Scientia Practica dicitur, non ex eo quòd moueat affectum, aut quòd ſit regula operationis eius nam hæc ſũt accidẽtalia: ſed ex eo, quòd ſit de opere faciendo, & hæc eſt ratio cõſtitutiua *Practici*; & hoc planũ eſt, quòd ſcientia, quã habet Deus de ſeipſo, nõ eſt Practica, quia nõ eſt de opere faciẽdo. Quod verò moueat affectũ amoris, ex hoc non ſequitur, eam debere dici Practicã. nã ſequeretur, Speculatiuas eſſe Practicas: quoties enĩ in Speculatiuis rẽ aliquã ſublimẽ cõſideramus, aut occultã veritatẽ cognoſcimus, quæ nõ eſt de opere faciẽdo; toties ad amorem illius accendimur.

21. *Dicit ſecundò Scotus.* Scientiam quam habet Deus de aliis rebus, nõ eſſe Practicam. *Ratio eius,* Ad rationẽ Scientiæ Practicæ ſpectat, dictare voluntati, aut proponere aliquid faciendum. ſed nulla Sciẽtia Dei proponit voluntati, hoc modo aliquid eſſe faciendum: nam aliàs ſequeretur, quod omnia, quæ fecit, neceſſariò fecerit. *Conſequentia* iſta enĩ Scientia dictans, naturaliter præcederet omnem actum voluntatis, atque ſic voluntas neceſſariò hoc vellet, quod illi intellectus dictaret. ergo neceſſariò omnia producet: vnde Scientia de aliis non eſt Practica in Deo.

Secunda aſſertio Scoti

Reſpondetur cum Caietano: Falſum eſſe, quod Scientia Practica debeat eſſe dictatiua, ad operandum enim ſufficit, quod ſit regulatiua, nam ars domificatiua eſt Practica, & hæc nõ dictat ædificandum eſſe, ſed ad vtrumque indifferenter ſe habet. *& ratio eſt*, quia non eſt de ratione Scientiæ Practicæ, vt ante determinationem voluntatis, dictet aliquid operandum; nam in quauis re operabili & Practica Scientia, *primò* conſideramus in mente artificis artem fabrilẽ, *ſecundò* determinationẽ, quòd velit ædificare: *tertiò* conſideramus actum exſequentem iuxta determinationem voluntatis. et ſic aſcendẽdo ab inferioribus ad Scientiam Dei, dicimus *primò* eſſe in Deo ſcientiam, qua cognoſcit factibilia à ſe: *ſecundò* eſt determinatio voluntatis, quæ velit ex his, quæ poteſt facere, aliqua facere: *tertiò*, ſequitur exſecutiua potentia, quæ id quod voluntas eius determinat, in certã differentia temporis facit.

Practica ſciẽtia nõ debet eſſe dictatiua ſed tãtũ Regulatiua.

DISPV-

DISPVTATIO IV.
De Scientia Futurorum Contingentium.

Fatentur inſignes Theologi, hanc controuerſiam de Futurorum Contingentium Scientia, eſſe ſummè arduam, & quæ captum intellectus humani videtur exeedere: eius tamen diſputandæ præbet nobis occaſionem, D. Th. art. 13. In quâ hoc ordine progrediemur inquirendo,

1. *An Deus certò & infallibiliter cognoſcat futura Contingentia?*
2. *Quinam ſit modus, per quem Deus cognoſcit futura Contingentia?*
3. *An infallibilis Dei Præſcientia ſit dicenda cauſa futurorum Contingentium?*
4. *An Contingentia & libertas, poſſit ſtare cum infallibili Præſcientia Dei?*
5. *An, ſi Deus per modum naturæ operaretur, daretur rerum Contingētia?*
6. *An Præſcientia de futuris, ſit ſimpliciter neceſſaria, ita, vt hæ Propoſitiones,* Deus præſciuit Petrum peccaturum, & Deus præſciuit Antichriſtum futurum, *ſint ſimpliciter neceſſariæ, an contingentes?*
7. *An Deus infallibiliter cognoſcat futura conditionata, quæ nunquam erunt;* Et de his quantà poterimus breuitate, & perſpicuitate, cum adiutorio Dei agemus.

QVÆSITVM I.
An Deus certò, & infallibiliter, cognoſcat futura Contingentia?

1. DE Veritate huius Quæſiti, nulla eſt controuerſia inter Catholicos DD. ſed negotium eſt cum Philoſophis, & Hæreticis. Philoſophi negant, *Deum habere cognitionem inferiorum*; ijdem aſſerunt, *omnia moueri quodam fato, & neceſſitate abſolutâ*, & ideo admiſsâ abſolutâ neceſſitate, contingentiam tollunt. Hanc doctrinam Cicero de fato tribuit, Diodoro, Empedocli, & ipſi Ariſt. ſed immeritò (vt Cumel deducit) nam in *1. de Interpr. cap. 8.* euidenter omnino concedendam eſſe Contingentiam in rebus, dicit.

Ratio eius prima, niſi enim hæc eſſet, omnis gubernatio ciuilis, & Politica deberet ceſſare; quia non eſſet opus deliberatione conſiliorum in commune collatorum nam ſiue de rebus agendis ſuſcipiantur con-

ſilia, ſiue non; ita omnino vt eueniat neceſſe eſt; ſicut in fatis determinatum eſt.

Secunda ratio eius, quia idem Ariſt. hominem liberum in ſuis actionib⁹ conſtituit, ita, quòd poſitis omnib⁹ requiſitis ad agendum, poteſt agere & non agere. nam liberum eſt ei, quod placuerit eligere: in hoc tamen notandus eſt erroris, quòd dicit Deum futurorum Contingentium, non poſſe habere cognitionẽ, eâ de cauſa; quia non ſunt determinata: ſi enim eſſent determinata, neceſſariò euenirent; vt v.g. ſi determinatum eſt, & Deus hoc ſcit, *quòd Petrus ſit peccaturus*, tũc *Petrus neceßariò debebit peccare*, ſiue det operam vt non peccet, ſiue non det: hãc neceſſitatẽ Hæretici inducebãt, Alph: à Caſtro de Hæreſi *lib: 7.* verbo *futurũ contingens*, hunc errorem tribuit Petro Abail. eundem Ioannes Wiclef defendendum ſuſcepit, & promouent eum, Oecolã padi⁹, Philip. Melan. Luther. & alij ſequaces. Pro determinatione.

Fatum quot modis dicatur?

2. *Nota* hanc neceſſitatem abſolutam, à Philoſophis appellari *Fatum*: ſumitur autem *Fatum* quadrupliciter: *primò*, pro connexione, ſeu diſpoſitione, ſeu ordine, cauſarum vniuerſi ex quibus omnia proueniunt. Ita docet Diog. Laert. in vitâ Zen. *lib: 7.* quòd is dicebat: *Cælum, aſtra, ita eße ſuis ſitibus diſpoſita, & in motibus ordinata, vt neceßariò producerent omnes effectus, qui in his inferioribus contingunt, nec eorum curſum, & ordinationem poße Deum impedire, nec aliter poße mundum gubernare. ſecundò* pro Decreto Diuinæ voluntatis, quo decreuit, vt omnes cauſæ ſecundæ inferiores, neceſſariò ſuos effectus producerẽt atque etiam neceſſariò producunt, nec ab illis producendis, vlla ratione impediri poſſunt. in hac duplici ſignificatione, ſumptũ *Fatum*, omnino reijciendum eſt. ſi enim Deus (vt illi aiunt) decreuit, vt omnia neceſſariò fierent, ergo Liberum Arbitrium fruſtra. *tertiò* ſumitur pro ſerie & connexione Cauſarum ſecũdarum, naturaliter agentium, cum concurſu ordinario primæ cauſæ; ſed ab hoc ordine excludunt voluntatem Angelicam, & humanam, & hoc modo ſumptum *Fatum* admitti poteſt. quia hæ cauſæ naturaliter agunt; proinde naturaliter ſuos effectus producunt, vnde neceſſariò: & ſic concedi poteſt, quod eueniãt quâdam fatali neceſſitate, quamuis & in his reperiatur contingentia. nam à fortioribus impediri poſſunt quominus eundem ſemper neceſſarium effectum producant. *quartò* ſumitur pro Prouidentia voluntatis Diuinæ, quæ diſpoſuit, & ordinauit omnia, tam neceſſaria, quàm contingentia: & in hoc ſenſu D. Th. in *1. par. quæſt. 116. art. 1.* concedit dari *Fatum*.

Quale fatum reiicitur?

Angelus nũ ſubſit fato?

Nota primò ex D. Aug. in *5. de Ciu. Dei*, vbi dicit: *ſi propterea quiſpiam, res humanas Fato Dei tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem* Fati *nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat.* RATIO quia Fatum communiter acceptum, neceſſitatem fatalem inducit, & tollit Contingentiã; iã verò diuina volũtas, licet omnia certò & infallibiliter producat, & ordinet. non tamen ab actibus humanis & Angelorum contingentiã aufert. *Ratio* quia Diuina voluntas, & prouidentia, includit præſcientiã; Præſciẽtia verò includit decretũ, in quo-

in quo decreuit cum cauſis liberis liberè, & cum cauſis neceſſarijs, neceſſariò concurrere.

3. *Nota ſecundò* effectus contingẽtes eſſe in duplici differentia: *Quidam* ſunt, qui proueniunt à cauſis neceſſariò, & naturaliter agentibus, & hi effectus dici poſſunt contingentes, ex eâ ratione, quia poſſunt eſſe & non eſſe, fieri & non fieri. nam poſſunt impediri, à cauſa alia fortiori, ita, quòd eum effectũ, quẽ intendebant, non producant: propriè autem & verè non poſſunt dici contingentes; quia proueniunt à cauſis naturalibus, quæ non habent poteſtatem efficiendi, & non efficiẽdi, cum naturaliter agant, & neceſſariò efficiant: *Quidam verò* ſunt effectus contingentes, qui à cauſis liberè operantibus procedunt: qualis eſt voluntas humana. nam hæc, poſitis omnibus requiſitis ad agendum, adhuc poteſt, agere & non agere: & hi effectus ſunt propriè cõtingentes; quia procedunt à volũtate humana, quæ habet poteſtatẽ efficiendi, & non efficiendi. His pręmiſſis.

Effectus cõtingẽtes dupliciter cõſiderantur.

4. Dico primò. *Fides eſt Chriſtiana, quæ à Catholicis Theologis recipitur, Deũ habere certam & infallibilem Scientiam futurorum Contingentium.* PROBATVR locis Scripturæ *Sap. 8. ſcit præterita & de futuris æſtimat: ſigna & monſtra ſcit antequam fiant, & euentus temporum & ſæculorum.* Et Iſa 41. *annũtiate quæ ventura ſunt in futurũ, & ſciemus quia Dij eſtis vos*; Signum Diuinitatis aſſignatur, poſſe prædicere futuros euentus; Et Eccleſ. 23. *Oculi Domini lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes.* Poſtea addit: *Domino Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Et Chriſtus D. Ioan: 13. in illis verbis, *& nunc dixi vobis, antequam fiant, vt cùm factum fuerit credatis*: deducit ſuam Diuinitatem, ex ſubſecuturo euentu eorũ, quæ illis annũtiabat. vnde D. Chriſoſt. Homil. 18. *ſup. Ioan.* inquit: *futurarum rerum prædictione, Chriſtum Dominum, ſuam Diuinitatem confirmâſſe firmiùs, quàm miraculis*; quia *Prophetia* maximè Dei opus eſt, quod nec Dęmones imitari poſſũt, quãuis maiorem in modum admirentur: in miraculis enim faciles, cùm ſint veritatis vmbræ, decipi poſſumus. *Præterea* probatur rationibus.

Signũ diuinitatis.

Chriſtus D. vnde probat ſuam diuinitatem.

5 *Prima ratio.* Deus eſt cauſa productiua omnium Entium, ſiue ſint neceſſaria, ſiue libera, ſiue præſentia, ſiue futura; quia eſt agens per intellectum, cui priùs competit noſſe rem efficiendam. *Confirmatur.* artifex domus, prius Idæã habet domus, in qua omnia cognoſcit, antequam producat. ſed Deus eſt artifex vniuerſi. ergo priùs cognoſcit res, antequam eas producat.

Secunda ratio Ignorare res contingentes, eſt imperfectionis. nam omnino inuertit prouidentiæ ordinem. neceſſariò enim aliquid in rebus eueniret, quod Scientiam Dei præteriret.

Tertia ratio. Effectus euidẽter poteſt cognoſci in ſuâ cauſâ, antequã fiat, vt Eclipſis ab Aſtrologo euidenter cognoſcitur in ſuâ cauſâ antequam fiat. ſed voluntas Dei, eſt cauſa omnium futurorum; ſiquidẽ illa prædefiniuit fore. ergo illorum habet ſcientiam.

Quarta ratio. Deus cognoſcit hominum merita & demerita, tanquã

iudex eorum. ſed hæc merita & demerita ſunt futura Contingentia; quia pendent à liberis cauſis. ergo illa Deus cognoſcit.

6 *Obijcies* ſufficere, ſi Deus actus liberos relictâ contingentiâ, tunc ſciat, quando ſunt in tempore. *Reſpondetur* id nullo modo eſſe concedendum; quia aliàs mutabilitas in Deo eſſet concedenda; nam aliquid nunc Deus ſciret, quod antea ignorauit; & ſic viciſſitudo ignorantiæ, & ſcientiæ daretur.

PROBATVR *rationibus*, quod certò & infallibiliter cognoſcat. Niſi enim ſic cognoſceret, contingeret Deum falli circa futura contingentia. ſed hoc falſum: quia Deus non poteſt falli, cùm ſit ſumma ſapientia, non poteſt fallere, cùm ſit ſumma bonitas. Tum, quia falli & fallere, eſt omnino contra naturam Dei, cùm ſit ſumma veritas. *Præterea* ſequeretur, quòd cognitio Dei perficeretur à rebus, quod ex ſuperioribus eſt falſum. *Sequela*. ſi enim Deus futura contingentia, antequam fiãt, non cognoſcit certò. ergo poſtquã erunt facta, tunc ab illis certam accipiet cognitionem. nam non eſt alius modus cognoſcendi certò, niſi quando iam ſunt. ſi itaque certò non cognoſcit, antequam fiant. ergo cùm ſunt, tunc certò cognoſcũtur. *Tandem*, quomodo infallibilitas & certitudo ab ipſis contingentibus haberi poteſt? ſiquidem hæc incerta, & infallibilia ſunt.

Deus nec falli nec fallere poteſt.

7. Dico ſecundò. *Scientia Contingentium futurorum, ita eſt proprium attributum Dei, vt talis cognitio, nulli intellectui creato poſſit conuenire, niſi ex reuelatione Dei.* PROBATVR Iſa. 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt, & ſciemus quia Dij eſtis vos.* In hoc capite Propheta oſtendit idola gentium, non poſſe haberi pro Deo. *Ratio eius.* Diuinitatis certiſſimum experimentum eſt, annuntiare futura. ſed hoc idola nõ poſſunt facere. ergo non ſunt Dij. Et ad propoſitum *arguo.* Intellectus creatus, vt ſic in ſe conſideratus, ſimpliciter non poteſt annuntiare futura: ergo ea non cognoſcit. & *cap*: 44. dicit Deus in perſona ſua: *Abſq; me non eſt Deus. Quis ſimilis mei? vocet* & annutiet, & ordinem exponat mihi ex quo cõſtitui populum antiquum: ventura, & quæ futura ſunt, annuntient eis. Et Dan. 2. *Myſterium quod Rex interrogat, ſapiẽtes, magi, arioli, & aruſpices nequeunt indicare Regi: ſed eſt Deus in cælo reuelãs myſteria, qui indicabit tibi ô Rex Nabuchodonoſor, quæ ventura sũt, in nouiſſimis tẽporibus.* Ex his verbis Danielis duo colligimus: *Primò*, quod ſapientes, magi, myſterium hoc, v. res euenturas non poterant Regi annuntiare. ergo intellectus creatus futura noſſe non poteſt. *Secundò* poſſe tamen, creatum intellectum futura annuntiare, ſi Deus illi reuelauerit, ſicut Danieli & Prophetis reuelauit.

Futurorum contingentium Scientia eſt proprietas ſoli Dei.

Experimẽtũ diuinitatis.

8. *Probatur* ratione: Si creatus intellectus, futura Contingentia certò & infallibiliter cognoſcit. ergo aut cognoſcit, vt in cauſis illorum, aut vt in ſeipſis? ſed neutro modo. ergo. *Non in cauſis eorum*, quia futurorum contingentium cauſæ ſunt liberæ, ſunt indifferentes, quæ æqualiter ſunt diſpoſitæ & affectæ, tam ad operandum, quàm ad non operandum. ſed ex cauſis indifferentibus non poteſt quidquam certi cognoſci. ergo nec futura cõtingentia cognoſcẽtur *Non in ſeipſis*, ſi enim

Futurorũ cõtingẽtiũ ſcientiam certam intellectus creatus habere non poteſt.

ſic, iam hoc eſſet cognoſcere futura, vt præſentia. ſed hoc proprium eſt ſoli intellectui Diuino, qui (vt inferiùs patebit) omnia tanquam ſibi præſentia in æternitate cognoſcit. ergo intellectus creatus nullo modo futura Cõtingẽtia cognoſcit.

Habere poteſt Coniecturalem.

Nota nos hîc loqui, de cognitione certâ & infallibili, at ſi loquamur de cognitione, quæ fit per coniecturam, ſic concedo, quòd homines, maximè autem Angeli, cùm ſint perſpicaciores, poſſunt habere cognitionem de futuris cõtingentibus. nam Angelus comprehendit vniuerſum ordinem, & collectionem cauſarũ ad ꝓductionem aliquorum effectuum, concurrentium. ergo poterit cognoſcere; neque tamen certò, cùm Deus poſſit immutare ordinem cauſarum, quem conſtituit: poteſt itaq; aliquã cognitionem creatus intellectus de futuris Contingentibus habere.

QVÆSITVM II.

Quinam ſit modus, quod medium, per quod Deus cognoſcit Futura Contingentia?

Futura Cõtigẽtia quot modis cognoſcuntur à Deo.

9. PRo determinatione hui⁹ difficillimæ Quæſtionis *Suppono primo*. Futura Cõtingentia, quatuor modis à Deo cognoſci poſſe: *Primò*, in quantum ſunt præſentia Deo in illi⁹ æternitate; ſiquidem æternitas, omnes differentias temporis v. Præſens, Præteritum, & Futurum, ambit. Et ſicut viſio humana videt ea, omnia quæ continentur intra menſuram illius: menſura autem viſionis, ex eo ſumitur, quod ſint præſentia viſui, & à videndi facultate attingi poſſunt: ita quoq;, vt Deus videat omnia, opus eſt vt contineãtur intra menſuram Diuinæ Viſionis, quæ quidem eſt æternitas; & quia omnia contingentia, ſunt intra menſuram æternitatis: idcirco ſunt omnia præſentia Deo, & illius viſui ſeu intellectioni. *Secundò* Deus futura Contingentia cognoſcere poteſt ſecundum rationes, ſeu modos Eſſendi omnium rerum, quas vocare poſſumus Idæas; illius enim Eſſentia, eſt Idæa omnium creaturarum, quæ non ſolũ repræſentat quidditates rerum, ſed etiam veritates neceſſarias, liberas, contingentes; ſub diuersâ tamen ratione. *Tertiò* cognoſcere poteſt Deus futura Contingentia, in prædeterminatione ſuæ voluntatis. nam certum eſt de omnibus futuris contingentibus, quid de illis futurum, voluntas Diuina ab æterno prædefiniuit, & prædeterminauit. *Quartò* cognoſcere poteſt in ſuis cauſis proximis: ſicut ab Aſtrologo cognoſcuntur Eclipſes, antequam fiant, in ſuis proximis cauſis; ita & Deus, quia omnium contingentium effectuum, cognoſceret cauſas, etiã

 in his

in his futura contingentia poſſet cognoſcere.

10. *Suppono ſecundò* tres eſſe opiniones de cognitione futurorum Contingentium: *Prima* eſt Scot. in 1. *diſt.* 34. *quæſt. vnica,* Dur. *diſt.* 38. *q.* 3. dicentium, futura contingentia eſſe præſentia Deo, ſecundùm *eſſe* intelligibile obiectiuum: idem aſſerit Hen. in 1. *diſt.* 38. *q. vnica, art.* 3. Aure. quos plurimi recentiores ſequuntur; fatentur enim, quod omnino non poſſunt intelligere, quomodo futura ſint præſentia Deo, ſecundũ *eſſe* ſuum reale.

Opiniones authorum.

Secunda D. Bonau. qui dicit, quòd Deus cognoſcit omnia præſenter, non ſolùm, quia Idæas omnium rerum habet præſentes, ſed quia etiã omnia cognoſcit in ſua æternitate, quæ omnes differentias temporis, tanquam ſibi præſentes complectitur.

Tertia eſt D. Th. in 1. *par. q.* 14. *art.* 13. & de *ver. q. art.* 1. & 1. *con. gen. cap:* 66. 67. Ferar. ibidem; ſed maximè Caiet. hanc ſententiam defendendam ſuſcepit, ſeque ipſum prædicat genuinum eſſe ſectatorem ſententiæ S. Doctoris, dicitq; omnes res in quâcunque temporis differentia conſtitutæ fuerint, Deo eſſe præſentes ab æterno, ſecundùm ſuum *eſſe* reale.

Suppono tertiò, Sẽſũ huius Quęſiti duplicẽ eſſe poſſe. *Prim⁹,* quòd ea, quæ habebãt *eſſe* in aliqua differẽtia tẽporis, ſunt præſentia Deo, ſecundũ ſuum modum eſſendi, quem habent in Diuinâ Eſſentia in quâ continentur virtualiter, & eminenter. *Secundus* eſt, quòd futura contingentia, ſunt iam præſentia Deo in æternitate, ſecundùm ſuum *eſſe* proprium & reale, quod habebunt, quando in ſuâ certa & determinata differentia temporis, extra ſuas cauſas exſiſtẽt. atq; in hoc ſenſu quærimus de præſenti Quæſito.

Senſus quæſiti duplex.

11. *Suppono quartò,* Æternitas (vt iam ſæpiùs dictum) eſt quædam duratio carens principio, & fine: eſt quoque menſura indiuiſibilis, non habens partes, v. nec præteritum, nec futurum; & per conſequens nõ habet ſucceſſionem: eſt adhuc (vt dicit Gumel) vnicum nunc ſtans, & vnicum inſtans permanens, indiuiſibile: hacq; æternitate mẽſuratur Subſtantia Dei, *Eſſe* Diuinũ, & omnis eius Actio, atque etiam Cognitio, ſeu Viſio, per quam videt vniuerſa, æterna, temporalia, futura, contingentia, & ſub hac æternitate tẽpus noſtrum, cum ſuis differentijs, verum, imaginarium, continuum, diſcretum, humanum, & Angelicũ. comprehenditur.

Æternitatis deſcriptio.

Quæres quomodo ergo æternitas habet ſe ad noſtrũ tempus? dico, quòd eo modo ſe habeat, ſicut cõmunis menſura ad particularem: & ſicut in genere contentorum, eſt vnum commune continens, quod particularia contenta cum ſuis locis cõtinet. demũ ſicut in genere tẽporum, eſt vnum commune continens, quod particularia contenta, & menſuras particulares temporis, comprehendit: ita in genere durationis, eſt vna communis menſura, reliqua complectens; proinde ſicut ea, quæ continentur in hoc Lectorio, continentur in hoc Collegio, & quæ continentur in hoc Collegio, continentur in hac ciuitate; & quæ continentur à ciuitate, continentur:

Aeternitas ad noſtrum tempus habet ſe vt cõmunis menſura.

tur à cælo. nam minus continetur à maiori. atque ſic cælum erit communis, & in adæquata menſura cõtentorum cum ſuis locis. Similiter, ſicut ea, quæ continentur, in hoc inſtanti temporis horæ, continentur in hac hora: & quæ ſunt in hac hora, ſunt in hac die: & quæ ſunt in hac die, ſunt in hoc menſe: & quæ ſunt in hoc menſe, ſunt in hoc currenti anno, & ſic annus erit communis, & inadæquata menſura eorum, quæ continentur in particularibus menſuris temporum: ita quoque illa omnia, quæ continentur in diuerſis differentijs temporum, v. in præterito, & futuro, & quæ ſimul ſecum coëxſiſtere non poſſunt, ſunt ſimul in æternitate, tanquam in mẽſura communi, & inadæquata; ſiquidem (vt iam diximus) æternitas, eſt inſtans præſens, permanens, nunquam fluens, in eadem ſimultate attingens & comprehendens differentias temporis; & ſic futurum, cùm pro ſuo tempore coëxſiſtat æternitati, dicimus, quòd futura cõtingentia, ſecundùm ſuam actualem præſentiam, coëxſiſtant æternitati.

12. *Suppono quintò.* quando dicim⁹, quòd futura cõtingentia, ſunt præſentia Deo in æternitate, non ſic intelligendum, quaſi pro omni noſtro tempore ſint præſentia, ſed ſolùm pro illo pro quo ſunt; proinde Antichriſtus, quem ab æterno dicimus eſſe præſentem Deo, ſecundum ſuum *eſſe reale*, & ſecundum ſuam exſiſtentiam, non fuit Deo præſens ab æterno, pro tẽpore Adæ, nec pro tempore Noë, nec pro aliquo alio tempore, in quo non eſt, ſed ſolùm pro eo tempore, in quo tanquam in mẽſurâ adæquatâ Antichriſtus erit; quod quidem tempus: quia coexſiſtit æternitati; ideo & Antichriſt⁹ dicitur coexſiſtere æternitati: & quãuis Adam & Antichriſtus, nõ coëxſiſtant ſimul eodem tempore: dicũtur tamen coexſiſtere in æternitate ſimul. nam æternitas eſt menſura communis, vtrumq; tempus, in quo coexiſtunt, complectens; proinde hæc propoſitio: *Futura contingentia, ſunt præſentia Deo, ſecũdum ſuas exſiſtentias.* non ſic intelligenda, vt quidam volunt, quaſi verbũ (*ſunt*,) vniat extrema, pro inſtanti noſtri temporis, ſiue pro tempore præſenti. nam in hoc ſenſu intellecta propoſitio eſt falſa; ſiquidem in hac hora præſenti, futura contingentia non ſunt in rerum naturá, & per cõſequens pro hoc tempore præſenti, nõ ſunt præſentia æternitati: ſed verbum *ſunt* accipiendum, in quantum vnit extrema pro inſtanti æternitatis, licet pro futuro tempore ſint ventura; & ſic iam vera erit propoſitio. & enim omnia futura, quæ vẽturo tempore erunt, ſunt Deo præſentia in nunc æternitatis, & hæc eſt interpretatio Caiet. qui fatetur, ſenſũ D. Th. difficilem eſſe, & per plures annos nõ fuiſſe intellectũ; ſed hâc diſtinctione de inſtanti noſtri temporis, & de inſtanti æternitatis propoſitâ, dicit iam rem eſſe expeditam. Non enĩ D. Thomas loquitur, quaſi res tẽporales ſint præſentes æternitati in *nunc* noſtri temporis; quia hic ſenſus eſt falſus; ſed loquitur de *nunc* æternitatis, quòd in eo ſunt præſentes æternitati. Pro determinatione.

Futura contigẽtia quo modo ſunt præſentia in æternitate.

13 Dico. *Omnia futura cõtingẽtia, ſunt Deo præſentia ſecundum ſuas reales, & actuales exſiſtentias, & ſunt præſentia in* nunc

nunc *æternitatis*. Hoc Dictum, habet genuinam doctrinam S. D. & colligitur hic *ex 1. p. quæſt. 14. art. 13. & 1. con. gen. cap. 66. & 67.* eandéq; tuetur Ferar. ibid. Capreol. verò *in 1. d. 36. quæſt. 1. art. 2.* dicit ſe non intelligere nec poſſe penetrare doctrinam D. Th. eundemq; propter reuerentiã, non audere, impugnare: at Caiet. circa *hunc art.* & explicat Sententiam S. Doct. & eandem defendit (vt iã diximus.)

Loci S. Scripturæ. *Probatur* Locis Scripturæ, Pſal. 89. *Mille anni ante oculos eius, ſicut dies heſterna, quæ præteriit.* Sed ſicut dies heſterna, & illiꝰ opera licet præterierĩt, ob recẽtẽ memoriã ſunt nobis præſentia: ita multò magis mille anni, qui apud Deum non præterierunt, ſunt præſentes Deo. Eccleſ. 39. *Opera omniũ carnis coram illo*: ſed hæc ipſa opera præterita, ac futura, quia dicit Sacra Scriptura. *ſunt coram illo*; idcirco illi ſunt præſentia. Eadem Scriptura dicit: *à ſæculo, & vſque in ſæculum reſpicit*: hoc eſt, intuitus Diuini intellectus, in omnem reſpicit æternitatem; ergo omnia videt vt præſentia. nam ad Rõ. 4. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, vocare autem eſt propriè ea, quæ ſunt præſentia. ſed Deus vocat ea, quæ non ſunt. ergo ea quæ non ſunt, ſed tamẽ futura ſunt, ſunt præſẽtia Deo.

Autoritates Sanctorum Patrum. 14. *Probatur* Auctoritate SS. PP. D. Aug. *lib. 2* ad Simplic. ſic expreſſè dicit: *Quid enim eſt Præſcientia, niſi Scientia futurorum? quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?* quaſi ſic arguat. Præſcientia eſt Scientia futurorum. ſed futura nõ ſunt apud Deum; ergo neque præſcientia. Et inferiùs dicit. *Si enim in Scientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes, & per hoc non iam Præſcientia, ſed Scientia dici debet.* Ex quo ſic arguo. Scientia eſt rerum præſentium. ſed in Deo eſt Sciẽtia. ergo habet res præſẽtes, quæ apud nos ſũt futuræ. Idem D. Aug. ſic dicit: *In Deo, non eſſe propriè Præſcientiam ſi enim apud Deum futura non ſunt, ſicut neque in ordine rerum. præſentia ſunt; ergo Deus bis ea ſcit, vno modo tanquam futura præſciendo, altero tanquam præſentia ſciendo; ergo dabitur ſucceſſio, atque etiam mutabilitas in Scientia Dei.* Et D Greg. *lib. 20. Moral. cap. 23. 24.* hanc Sentẽtiam D. Aug. confirmat, *Quomodo Deus præſciens eſt, dum nulla, niſi quæ futura ſunt, præſciuntur, & ſcimus, quia Deo nihil futurum eſt, ante cuius oculos, præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt, quippe cui omne, quod nobis fuit, & erit, in eius conſpectu præſto eſt, & omne quod præſens eſt, ſcire poteſt potius, quàm præſcire.* Et D. Anſel. in opuſc. de Concor. *liberi arb. de prædeſt. cap. 1 de æternit. loquens*, dicit: *quemadmodum præſens tempus, omnem locum, & quæ in quolibet loco ſunt; ita æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus, & quæ ſunt in quolibet tempore.*

15. *Quod verò hæc doctrina ſit S. Doct.* colligitur ex hac fundamentali ratione: quia Dei, debet eſſe duratio, Doctrina S. Doctoris. quæ ſit pfectiſſima, ſine vlla ſucceſſione, & propterea debet eſſe infinita, perpetua, ſemper manens, & huius durationis, menſura eſt adæquata æternitas prĩcipio & fine carens, quæ ob ſuam permanentiam, dicitur *nunc* ſemper permanẽs, ſeu inſtans ſemper ſtans: quod quidem ſupergreditur omne tempus, comprehendens omnes differẽtias, præteriti, præſentis, & futuri. Ergo in hoc æternitatis *nunc*, res futuræ tã-

quam

quam præſentes continentur. Hanc eius doctrinam, declaramus ſimilitudinibus quinque.

16. *Prima ſimilitudo* ſi quis aſcẽdat in altiſſimam turrim, ex qua lõgiſſimè & latiſſimè pateat proſpectus, ex eaq; videat vniuerſos homines tranſeuntes, tam priores, quàm poſteriores; tũc quamuis hi, non coexſiſtant ſibi, nec dicantur ſibi eſſe præſentes: tamen illi, qui eos de altiſſima turri ſpeculatur, omnes ſunt præſentes. nam omnes ſunt illius oculis expoſiti: ita in illà æternitate, de ſuo ſupremo ſolio videt ſimul Deus & Adam, qui iam trãſiit, & Antichriſtum, qui venturus eſt, & ſunt illi in æternitate præſentes.

Secunda ſimilitudo 1. con. gen. cap. 66. fingamꝰ puncta, quæ ſint in aliquâ circumferentiâ eademque ſint fluẽtia, ſicut noſtri temporis inſtantia fluunt: rurſus fingamus punctum, quod in centro illiꝰ Circumferẽtiæ ſit ſtabile & permanens; hæc igitur puncta, quæ ſunt in circumferentiæ fluentia, coexſiſtunt puncto, quod eſt in centro. quamuis inter ſe non coexſiſtant, ſiquidem fluunt, & mutuò ſibi ſuccedunt: ſimiliter quamuis futura contingentia, non còexſiſtant inter ſe. poſſunt tamen còexſiſtere æternitati.

Tertia ſimilitudo. ſicut baculus fixus in medio fluuij, còèxſiſtit omnibus fluentibus aquis, quamuis hę quædam ſint priores, quædam poſteriores: idem dicendum de omnibus rebus præteritis, & futuris, quòd quamuis iſtæ res omnes in tẽpore productæ ſibi non coëxſiſtant, nec ſint ſibi præſentes, nihilominus ratione æternitatis ſunt coëxſiſtentes & præſentes.

17. *Quarta ſimilitudo.* Ponatur Circulus, in cuius medio ſit centrum, à quo ducantur lineæ ad circumferentiam illius, & hic quidem circulus circa centrum, cum ſuis lineis moueatur, ſicut rota circa axem ſuam moueri ſolet; & fingamꝰ, quòd centrum habeat animam intellectiuam: & ſic hoc centrum videret, intelligeret, omnes lineas, quarũ quædam quoad ſe, ſunt præteritæ, & futuræ, tanquam ſibi coëxſiſtentes & præſentes: ita *nunc* æternitatis, videt omnes tẽporis differentias, tãquã ſibi præſentes & coëxſiſtentes.

Quinta ſimilitudo. Sicut dies heſternus, & hodiernus, non ſunt ratione ſui ſimul præſentes, nec ſibi coëxſiſtunt: tamen ratione intellectus, vtrumque diem apprehendentis, dicuntur coëxſiſtere. & ſibi eſſe præſentes: idẽ dicendũ de præteritis & futuris, quòd licet ratione tẽporis in quo exſiſtunt, non ſint ſibi præſentia, tamen ratione *nunc* æternitatis, quod ambit & præteritum & futurum, ſunt ſibi præſentia, & coexſiſtentia.

18. *Probatur* rationibus: *Prima.* Diuina cognitio menſuratur æternitate. ſed æternitas vnico inſtanti permanenti & indiuiſibili menſuratur, quod ambit omnes differentias noſtri temporis. ergo vniuerſa, quæ in aliquo tempore ſunt in hoc mundo, cognoſcuntur à Deo, ſecũdùm ſuam exſiſtentiam præſentem. Mẽſura Diuinæ cognitionis æternitas.

Secunda ratio. Illud viſiuæ potentiæ dicitur præſens, quod intra diſtantiam illius viſionis continetur? ſed omnia futura cõtingentia, ſunt intra menſuram Diuinæ cognitionis, v. æternitatis. ergo continentur ſecundùm ſuam præſentiam.

Ratio

Succeſſio in cognitione diuina non eſt admittēda.

Tertia ratio. Si præterita, & futura, nō eſſent præſentia Deo in æternitate, ſequeretur, quòd in æternitate eſſet præteritum, & futurum; & per conſequens eſſet ſucceſſio in cognitione Diuina: ſed hoc eſt falſum. ergo. *Sequela* Antichriſtus, ſi nō coexſiſtit Deo in æternitate. ergo in æternitate daretur futurum, & per conſequens ſucceſſio. *Confirmatur ſequela*, Adam & Antichriſtus, vel ſimul coexiſtunt Deo, vel non? ſi coexſiſtūt: ergo tā præterita, quàm futura coexſiſtunt Deo in æternitate. ſi verò non coëxſiſtūt ſimul? quia Adam iam coexſtitit, Antichriſtus coexſiſtet in æternitate. ergo in æternitate, erit præteritum & futurum. nam nihil eſt præteritum aut futurum in ordine ad aliquam menſuram, niſi illa menſura habeat præteritum & futurum. ergo ſi Adam in ordine ad menſuram æternitatis non coexſiſtit Deo, ſed illi coexſtitit; ſimiliter, ſi quoque Antichriſtus non coexſiſtit Deo, ſed coexſiſtet in hâc menſurâ temporis, ſequitur manifeſtè quòd in æternitate ſit præteritum & futurum, quod eſt contra naturam æternitatis.

Cur ſecūdū ſuas exſiſtētias futura contingentia Deus cognoſcit.

19. Quòd verò futura contingētia ſint Deo præſentia, etiam ſecundùm exſiſtentiam realem. *Probatur*. Deus notitiâ intuitiuâ cognoſcit omnia futura. ſed notitia intuitiua fertur in rem, quæ iam habet realem exſiſtentiā. ergo futura ſunt præſentia Deo, ſecundum actualem exſiſtentiam. *Maior*. Deus Scientiâ viſionis, cognoſcit omnia futura contingentia. ſed Scientia viſionis, idem eſt quod intuitiua; quia eſt rerum habentium exſiſtentiā. ergo omnia futura, quæ Deus intuitiuè cognoſcit, ſunt illi ſecundùm *eſſe* reale præſentia in æternitate. *Prætereá* Scientiâ Viſionis non cognoſcit Deus poſſibilia, quæ nunquam erunt. ergo cognoſcit ea, quæ habent realem exſiſtentiam.

Dices ideo futura dicuntur præſentia Deo, quia illa clarè cognoſcit Deus. *Contra*. ergo & poſſibilia, quæ nunquam erunt, ſunt præſentia Deo; quia illa clariſſimè cognoſcit, quod eſt falsū. *Confirmatur* Deus per ſuam immenſitatem eſt in omni loco. ergo & per ſuam æternitatem eſt in omni tempore, & omnes res etiam futuræ, ſunt illi præſentes in æternitate.

20. Dico ſecundò. *Non benè quidā interpretantur hanc exſiſtentiam futurorum contingentium, docentes intelligendum eſſe de obiectiua, non verò de reali, quæ ſit extra ipſum Deum: proinde concedunt eſſe præſentes Deo, in exſiſtentia obiectiua.* Hanc ſuam ſententiam deducunt ex *1. par. q. 14. a. 13.* vbi talem diſcurſum circa hunc art. faciunt: dicunt enim, quòd Deus futura cōtingentia certò & infallibiliter cognoſcit, non ex eo, quòd ſint Deo præſentia & coexſiſtentia, ſecundū ſuas reales exſiſtentias, quas ſunt habitura pro diuerſitate temporum ſuccedentium: ſed ex eo, quòd Deus comprehendit illa, in ſuâ omnipotentiâ, & in potentiâ creaturæ. ergo ſunt obiectiuè in Deo. *Iidem auctores*, hanc obiectiuam præſentiam ſic deducunt: Futura contingentia cognoſcuntur à Deo, non in cauſis; quia cauſæ ſecundæ, quemadmodū voluntas viatoris ſunt indifferentes & indeterminatæ: ex cauſis autem indifferētibus, nihil certò cognoſci

Non ſecundum exſiſtētiam obiectiuam futura cognoſcuntur a Deo.

noſci

noſci poteſt: eſt autem de fide, quòd Deus futura contingentia libera infallibiliter cognoſcit. ergo cognoſcit in ſeipſis prout ſunt obiectiuè in Deo.

Nota primò hæc contingentia intueri Deum ſine ſucceſſione; ac proinde ab æterno. ibi enim eſt ſucceſſio, vbi omnia non ſunt ſimul; ſed in æternitate omnia ſunt ſimul, quia æternitas eſt tota & perfecta ſimul poſſeſſio, & cognitio eſt poſſeſſio Dei. ergo eſt tota ſimul.

21. *Nota ſecundò* licet veriſſimum ſit, Deum cognoſcere futura contingentia, etiam ſecundùm obiectiuam præſentiam (ſicut iam deductum eſt:) tamen dico, quòd cum D. Thomæ ratio procedat ex æternitate, quæ ambit differẽtias omnes temporis, in quibus res ipſæ, non tantùm dicuntur præſentes Deo, ſed etiam in ſuâ coexſiſtentia reali extra cauſas exſiſtere. per neceſſariam conſequentiam colligitur, mẽtem eſſe S. Doct. Deum cognoſcere futura contingentia, non ſolùm ſub obiectiuâ præſentiâ, & exſiſtentiâ, prout ſunt in Deo: ſed etiam quòd eadem contingentia cognoſcat in ſeipſis, & ſecundùm actuales exſiſtentias. Diuinus enim intellectus, fertur in hæc futura, non ſucceſſiuè, ſed ſimul, ſiquidem menſuratur æternitate, quæ æternitas ambit tempus cum omnibus differentijs, & res quoque ipſas in illis actu exſiſtentes. ergo habent actualem exſiſtentiam. *Confirmatur* hoc ipſum ex eodem art. D. Th. vbi dicit: Futurũ contĩgẽs, dupliciter poſſe conſiderari. *primò* in ſeipſo, ſecundùm quod iam actu exſiſtit; & ſic conſideratum, iam non eſt futurũ, ſed præſens; atque etiam ad vnum determinatũ. & hoc tale cõtingens, quod iam eſt, actu in ſeipſo cognoſcit Deus. ergo futura contingentia ſecundùm ſuam præſentiam actualem, infallibiliter cognoſcuntur à Deo. *Secundò* cognoſcitur futurum contingens vt in ſuis cauſis: ſed (vt iam dictum) cauſæ ſecundæ ſunt indifferentes; proinde ex illis non poteſt haberi, niſi cõiecturalis ſciẽtia; eſt igitur mens D. Tho. quòd Diuinus intuitus feratur ab æterno ſuper omnia, prout illius conſpectui ſubduntur ſecundùm ſuam præſentialitatem.

Verũm ſecũdum exſiſtẽtiam realem

22. *Sed obijcies* ex hac ſententiâ ſequi, hæc abſurda: *primùm*, quòd, ſi Deus ſecũdùm reales præſentias futura contingentia cognoſcit, erunt coæterna Deo. *ſecundùm* quòd De⁹ ab æterno eſſet Dominus; ſiquidem creaturæ ab æterno ſunt præſentes Deo: atque ſic Deus non acciperet denominationem extrinſecam in tempore. *tertium* Chriſtus ab æterno eſſet homo; ſiquidem Incarnatio fuit præſens Deo ab æterno. *quartum* Antichriſtus bis in actu produceretur, ſemel in æternitate, iterum in tempore. *quintum* hæ duæ Contradictoriæ eſſent ſimul veræ: *Antichriſtus eſt, Antichriſtus non eſt*, ideo vera *Antichriſt⁹ eſt*, quia in æternitate Deo præſens eſt; ideo vera *Antichriſtus non eſt*, quia in tempore noſtro non eſt adhuc productus. pro Reſponſione ex doctrina Caietani, quâ ſe illuminatum, operâ D. Thomæ fatetur, circa art. 13. ad has obiectiones

Quinque abſurda cõtra ſententiam D. Th. inferuntur.

Caiet. maximè in hac ſẽtentia deſudauit.

Nota primò. res temporales, quando dicuntur à nobis eſſe præſentes æternitati, duplicem habent ſenſum: *primus eſt*, quòd in quolibet *nunc* tẽporis

poris noſtri ſint præſentes æternitati; & hunc ſenſum D. Thõ. quidam tribuunt, ſed falſò; quia hoc (vt aduertit Caiet.) implicantiam ſecum importat. *ſecundus eſt*, quòd res temporales, in *nunc* æternitatis, ſunt præſentes Deo; & hic ſenſus eſt verus, & à D. Th. intentus. *Ratio* quia æternitas nõ habet niſi vnum *nunc*, quod adæquatur vniuerſæ æternitati, & quod ambit omne tempus; proinde omne *inſtans*, ſeu *nunc*, noſtri temporis, & etiã quicquid eſt in illo, complectitur ſecundùm ſuam actualem exſiſtentiam. vnde hanc Propoſitionem, *omnia quæ ſunt in tempore, ſunt præſentia in æternitate Deo*, ſic explicat (vt iam antè notauimus): quòd verbum *ſunt* ſi vniat extrema pro inſtanti noſtri temporis, ſic falſa eſt: ſi verò verbum *ſunt* vniat extrema pro *nunc* æternitatis, ſic eſt vera; ſiquidem omnia futura, quæ venturo tempore erunt, ſunt præſentia Deo in *nunc* æternitatis.

Quomodo futura ſunt præſentia in æternitate.

23. *Nota ſecundò* quando dicitur quòd futura contingentia ſunt præſentia Deo in æternitate, non ſic intellige, quaſi futura contingentia ſint præſẽtia Deo, pro quolibet tempore noſtro, ſed ſolùm pro tempore, in quo erunt præcisè.

Nota tertiò nõ eſſe dicendũ, res quæ in tempore fiunt, priùs exſiſtere in æternitate, quàm exſiſtant in tempore: ſed potius dicendum, nõ priꝰ eſſe præſentes Deo in æternitate, ſecundùm ſuas exſiſtẽtias, quàm ſint realiter præſentes, & exſiſtentes in tempore.

Nota quartò quando dicimus de cognitione Dei, quòd Deus ab æterno futura cognoſcat, intellige, quòd eius Diuinus intuitus fertur ab æterno ſuper omnes res, & ſupra omnia futura, non pro tempore, in quo nõ ſunt, aut priuſquam producantur; ſed præcisè pro eo tempore, in quo erunt. & hoc expreſsè D. Th. his verbis ſignificat, cùm dicit: *licet cõtingentia fiant in actu ſucceſſiuè, non tamẽ Deus ſucceſſiuè cognoſcit contingentia, prout ſunt in ſuo* eſſe, *ſicut nos; ſed ſimul, quia eius cognitio menſuratur æternitate, ſicut & illius* eſſe; *æternitas verò, eſt tota ſimul exſiſtens, & ambiens totum tempus, & omnes differentias, & omnes, res quæ in illũ exſiſtunt*; proinde Diuinus eius intuitus ſuper omnia fertur, prout ſunt in ſua præſentialitate: non pro tempore, in quo non ſunt, ſed ſolùm pro eo tempore, in quo ſunt, aut erunt. His notatis reſpondeo ad abſurda obiecta.

Diuinꝰ intuitꝰ in omnia fertur prout in præſẽtia.

24. *Ad primum* nego ſequelam: quia ad hoc, vt aliqua creatura dicatur eſſe Deo coæterna, requiritur vt ſuæ durationis, & exſiſtentiæ nunquam habeat initium. *Et quando vrges* Creaturæ ſecundùm te, ſunt præſentes Deo ab æterno, ergo sũt Deo coæternæ. *diſtinguo Antecedens*, sũt præſẽtes, pro qualibet duratione præſentio tẽporis veri & imaginarij, ſic nego. sũt præſẽtes ꝓ certa ſuâ differentia temporis, in quâ ꝓducũtur, & erunt, ſic concedo. *Et quando inſers.* ergo ſunt coæternæ Deo. *negatur*, quia ad hoc requiritur, vt ſint æternæ, & æternitate, tanquam ꝓpria menſurâ, menſurentur; quod nullo modo competit creaturis, quæ habent initium.

Primum abſurdum tollitur.

Ad ſecundum abſurdum reſpondeo primò negando ſequelam; quia vt Deꝰ dicatur actualiter Dominus requiritur, vt relatio Domini fiat in actu exercito, quod quidem tunc fit, cũ

Secundum reiicitur.

creaturæ

creaturæ ſunt in proprijs menſuris durationis ſuæ: iam autem ab æterno, menſuras durationis non habēt creaturæ. *deinde* vt dicatur Dominus ab æterno, requiritur, vt creatura pro quolibet tempore, ſit ab æterno: quod dici non debet, cùm ſolū in æternitate dicatur pro eo tempore, pro quo futura eſt. vnde, non dicitur Dominus, niſi pro tempore, in quo actualiter creatura producitur. *vel adhuc addo* Creatura, non poteſt fundare relationem coexſiſtentiæ, donec producta fuerit, & exſiſtat in propriá menſura ſua: ita neque relationem Domini fundat, niſi fuerit producta.

Secundò reſpondeo etiam Deus poteſt dici ab æterno Dominus, non pro quolibet tempore, ſed pro eo, in quo creaturę iam ſunt productę; atque ſic iam poterit Deus in tempore, habere externam denominationem Domini.

Tertium ſequeam non colligit.

25. *Ad tertium abſurdum dico* negando ſequelam; quia Incarnatio Chriſti eſt præſens in æternitate pro eo tempore, quò factus eſt homo; vídit igitur Deus Filium ſuum incarnatum, & hominem factum: at nō pro quolibet tempore, ſed pro eo in quo Incarnatio facta eſt.

Quartū ſoluitur.

Ad quartum reſpondeo negando ſequelam; quia ſemel tantùm in tempore determinato, à ſuis cauſis producetur; & propterea, quòd hæc productio contineatur in æternitate, non eſt dicenda duplex, ſed quæ in duplici menſura continetur. *primò* in nunc æternitatis tanquam in menſurâ inadæquatâ: ſecundò in tempore determinato, tanquam in propriâ & adæquatâ menſurâ.

Ad quintum Abſurdum Caietanus ipſe reſpondet, nullum eſſe incōueniens, vt duæ contradictoriæ ſint ſimul veræ, pro *nunc* æternitatis, non pro tempore noſtro: nam *Antichriſtus eſt*, & *Antichriſtus non eſt*. vtræque ſunt ſimul veræ, pro inſtāti æternitatis; quia æternitas ambit vtrumque tempus, pro quo vtraq; Contradictoriarum eſt vera, & hæc Caiet. reſponſio eſt probabilis. Ferrar. *in 1. con. gen. cap. 67.* negat, quòd etiam in æternitate ſint veræ ſimul duæ contradictoriæ. nam contradictio debet eſſe eiuſdem, de eodem, ad idem, ſecundùm idem, & pro eodem tempore. & quia hæ Propoſitiones *Antichriſtus eſt*, & *Antichriſtus non eſt*, ſunt quidem veræ in inſtanti æternitatis, non ſunt tamen contradictoriæ; quia non ſunt ad idem, neq; ſecūdùm idē. nā *Antichriſtus eſt*, non eſt vera in æternitate pro omni tempore, ſed pro illo tantùm pro quo erit. Similiter *Antichriſtus non eſt*, non eſt vera in æternitate, pro omni tempore, ſed pro illo determinato in quo non erit. & hac de cauſa, hæ duæ Propoſitiones non ſunt contradictoriæ, quia non ſunt de eodē tempore comprehenſo in æternitate.

Quintū nil infert.

26. *Obijcies ſecundò.* Sicut Deus, ſecundùm ſuam immenſitatem, extēdit ſe ad loca: ita ſecundùm æternitatem, extendit ſe ad tempus. nam ſicut immenſitas cōprehēdit omnia loca replendo: ita æternitas ambit omnes differentias temporis. ſed immenſitas non eſt in locis, quæ nō exſiſtunt in rerum naturâ, ergo & æternitas, non coëxſiſtit futuris tēporibus, adhuc non exſiſtentibus. *Reſpondetur* eſſe probabilem ſententiam, quod Deus per ſuam immenſitatē

ſitatem, non ſolùm eſt in veris locis, ſed etiam in imaginarijs. *Reſpondetur ſecundò* negando Conſequentiam, non eſt enim paritas: nam æternitas cùm ſit duratio, eſt menſura inadæquata omnium temporum & contentorum in differentijs iam autem immenſitas, non eſt menſura locorum; & ideo futura adhuc non exſiſtentia non continet; ac proinde non eſt eadem ratio, de immenſitate & æternitate.

Non eſt paritas loci & temporis.

Dices Deus non coexſiſtit locis non exſiſtentibus. *diſtinguo*, non coexſiſtit locis per præſentiam temporalem, illa replendo, & ſic concedo: non coexſiſtit per æternitatem, & ſic nego. *Ratio* ſicut enim futura contingentia coexſiſtunt Deo ratione æternitatis in qua illius Diuinus intuitus ſuper omnia fertur: ita & loci, qui iam in rerum natura non exſiſtunt, coexſiſtunt Deo in æternitate.

Obijcies tertiò. Quæcunque coexſiſtunt vni tertio, illa etiam coexſiſtunt inter ſe. ſed præterita, futura, præſentia coexſiſtunt vni tertio, v. æternitati. ſimiliter Adam, Noë, Antichriſtus, coexſiſtunt vni tertio, nimirum æternitati. ergo inter ſe coexſiſtunt. ſed hoc falſum. ergo & illud ex quo ſequitur, quòd ſint præſentia in æternitate. *Reſpondetur* Si coexſiſterent vni tertio, v. æternitati, pro eadem menſura durationis temporis noſtri, argumentum procederet: ſed quia coexſiſtũt pro diuerſis temporibus; idcirco nihil concludit.

Quæ ſunt eadem vni tertio, vno eodemq; modo. ſunt eadem inter ſe.

27. Dico tertiò. *Etiam Deus certò & infallibiliter cognoſcit futura contingentia, inquantum illorum habet rationes in ſua Eſſentia, v. cognoſcit per Ideas.* Hoc Dictũ collige ex his verbis *art. 13.* vbi dicit: *omnia quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, nõ ſolùm eâ ratione, quâ habet rationes rerũ apud ſe præſentes* (vt quidam dicunt) *ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia prout ſunt in ſuâ præſentialitate. Hinc collige,* in Deo eſſe duplicem rationem cognoſcendi futura contingentia: *primam* per rationes rerũ quas habet apud ſe præſentes, & hæ ſunt Ideæ: *ſecundam* quia in ſua exſiſtentia actuali, ſunt præſentes Deo; idem docet *1. con. gen. cap: 67.* ibid. Ferrar. Caiet. in hoc *art. 13.* Ægid. *in 1. diſt. 38. q. 1.*

Deus futura contingẽtia cognoſcit per Ideas.

Deus dupliciter futura contingentia cognoſcit.

PROBATVR Obiectum cuiuſlibet ſcientiæ debet eſſe certum & determinatum. ſed futurum contingens conſideratum ſub ratione futuri eſt incertum. ergo conſideratum, vt præſens, erit certum. ergo aut ſecundum rationes, quas habet apud ſe Deus præſentes, aut ſecundum actualem exſiſtentiam. *Deinde* Ideæ Diuinæ, ſunt certiſſima exemplaria futurorum, quæ repræſentãt res, ſecundùm omnes illarum circumſtantias. ergo per illas cognoſcit Deus omnes res futuras, tanquã præſentes, & ad vnũ determinatas.

28. *Obijcies cum Scoto.* Idea Diuina, non repræſentat Prædicata accidẽtaria, quæ rebus conueniunt; ſiquidem ſunt à cõditionibus abſtracta. ſed Exſiſtentia eſt accidentale Prædicatum, quod conuenit rei contĩgenti. ergo per Ideam non cognoſcit Deus futura contingentia. *Reſpondetur* quòd Idea Diuina, nõ ſolùm eſt principium cognoſcendi, ſed etiã operandi; & ſic, vt eſt Principium operandi, includit Dei voluntatem, ſine qua non poteſt operari; & pro-

propterea Deus cognoſcens in Idea voluntatis ſuæ determinationem, iam omnia futura cognoſcit etiam quoad Prædicata accidentaria. at Scotus non admittit in Diuino intellectu haberi rationes, ſed Ideas omnium rerum; prorſus tamen negat, quòd in ſua reali & actuali exiſtentia ſint præſentes, & ſic argumentatur. Lectio mea futura, prout eſt futura, & ſeſſio mea futura, prout eſt futura, aut cognoſcuntur à Deo certò & infallibiliter? aut nõ cognoſcuntur? ſi cognoſcũtur certò. ergo ſine eo, quòd hæc conſtituantur in ſua præſentiâ reali, tanquã futura à Deo cognoſcũtur. ſi nõ cognoſcũtur certò? ergo ſequitur, quòd Deus aliter cognoſcit præſentia, aliter futura, aliter facta, aliter facienda: quæ omnia falſa ſunt.

Pro ſolutione argumenti ſuppono, quòd futurum contingens, inquantum eſt futurum, non habet *eſſe* in ſeipſo, ſed in ſuis cauſis; & aut procedit ex cauſis indeterminatis, & indifferentibus, quæ non ſunt magis ad hunc effectum, quàm ad oppoſitum producendum determinatæ; aut procedunt ex cauſis omnino determinatis: ſi igitur procedunt ex cauſis nõ determinatis, non poteſt contingẽs futurum dici, vt futurum, ſed tantũ, vt contingens. nam tale futurum vt eſt in cauſis indeterminatis, tam eſt aptum eſſe, quàm non eſſe, ſiquidem illius talis eſt cauſa, quæ ad vtrumque eſt indifferens. ſi autem ex cauſa determinata procedit, tũc magis eſt futurum, quam contingens: quantò enim cauſa eſt magis determinata, tantò minus ex contingentia habet. hoc ſuppoſito.

Futurum contingens habet eſſe in ſuis cauſis.

aut in determinatis.

aut determinatis.

Axioma.

Solutio Obiectionis.

Ad Argumentum dico. Futurum contingens. vt eſt contentũ in ſuis cauſis indifferentibus, & indeterminatis, non cognoſcitur certò & infallibiliter à Deo, & hoc procedit, non ex aliquo defectu cognoſcẽtis Dei, qui perfectiſſimè & certiſſimè cognoſcit omnia, ſed ex defectu ipſius futuri contingentis, quia hoc, vt eſt in ſuis cauſis indifferentibus, & indeterminatis, non eſt aptum; immò eidem repugnat, vt certò cognoſcatur. *Dices* ergo aliter Deꝰ cognoſcit rem factam, aliter faciendam: *Reſpondeo* negando conſequentiam, & dico, quòd hoc verbum *aliter* duo connotat; *primò* diuerſum modum cognoſcendi in Diuino intellectu, & hoc eſt falſum. nam Deus vnico & ſimpliciſſimo modo, præſentia & futura cognoſcit. *ſecundò* quòd res ad Diuinam cognitionem aliter ſe habent: vt enim ſunt in cauſis indeterminatis, nõ ſunt certò cognoſcibiles, vt verò ſunt præſentes, iam certò cognoſcuntur. proinde dicimus, quòd Diuinus intellectus futuram lectionem, aut ſeſſionem, certiſſimè cognoſcit: non ex eo quòd futuritio ſit cauſa & ratio certæ & infallibilis cognitionis. ſed quia ſũt præſentia, & coexſiſtentia in æternitate ipſi Deo, & cognitioni eius.

29. Dico quartò. *Licet futura contingentia, ex eo quòd ſint præſentia Deo, ſint ab eo certò & infallibiliter cognoſcibilia: nihilominus dicimus, quòd Diuinus intellectus non ſumit infallibilitatem cognitionis ab ipſis rebus. vt ſunt in ſeipſis.* Hoc Dictum quoad primam partem iam probatum eſt; Probatur etiam quoad ſecundam; *quòd hæc infallibilitas Scientiæ Dei nõ ſumitur à rebus*; quia hæc omnia præſentia cognoſcit Deꝰ in ſua Eſſentia, tanquam in primario

Deus non ſumit infallibilitatẽ cognitionis à rebus.

riò Obiecto; & proinde ab eadem Eſſentia ſumit certitudinem infallibilem. Sed

Quæres primò. ã res poſſibiles, quæ nunquam futuræ ſunt, certò cognoſcat Deus? *Reſpondeo* quòd æquè perfectè & diſtinctè illas cognoſcit, ſicut cognoſcit futura, quæ in aliqua differentia tẽporis habebunt actualem exſiſtentiam. *Probatur* quia cognitio Dei, eſt vna & ſimpliciſſima ſcientia & per hanc perfectiſſimè cognoſcit, tam ea quæ ſunt futura in aliquâ differentiâ temporis, quàm quæ non ſunt futura. *Deinde*, quia vnicum eſt & ſimpliciſſimum Obiectum Diuinæ cognitionis, v. Eſſentia Diuina, in qua & poſſibilia, quæ nunquam erunt, & quæ futura ſunt, certò cognoſcit. ergo & res poſſibiles perfectiſſimè cognoſcit.

30. *Quæres ſecundò*, an cognoſcat Deus futura contingentia, in prædeterminatione ſuæ voluntatis? *Reſpondeo* quòd certiſſimò cognoſcat. *Ratio*. Siue enĩ producat res ſe ſolo, & ſine cauſis intermediis, infallibiliter cognoſcit. nam voluntas eius eſt efficax, & quæ à nullo impediri poteſt. vnde ſi aliquid prædefiniuit producendo illud infallibiliter erit, & per conſequens illud in determinatione ſuæ voluntatis cognoſcit. ſi verò cum cauſis ſecundis producit effectus, eoſdem ſimiliter infallibiliter cognoſcit, in prædeterminatione ſuæ voluntatis; ſiquidem Diuina volũtas eſt cauſa vniuerſalis pẽitꝰ omniũ effectuũ futurorũ in particulari, tã contingẽtium quàm liberorũ. ergo eſt de omnibꝰ prædefinitis quæ futura ſunt. Ergo illa in ſua prædefinitione certò cognoſcit: Excipimus peccatum, quòd Deus in illiꝰ prædefinitione non cognoſcit; quia illud non prædefiniuit. nam nõ vult eſſe peccata: in prædefinitione autem permiſſionis peccatorũ, benè cognoſcit; quia ſeruat homini priuilegium à ſe datum libertatis & permitti, t vt peccata faciat. *Diuina ſuã prædeterminatione nõ cognoſcit peccatum.*

Quæres tertiò. quid verò in cauſis proximis? an in illis cognoſcat futura contingentia? *Reſpondeo*. Manifeſtum eſſe ex reſponſione allata, ad Scoti obiectionem, quòd futura cõtingentia, ſi dependent à cauſis liberis, nullo modo poſſint cognoſci, cũ ſint naturâ indifferentes; ſi autem depẽdẽt à cauſis determinatis ad vnum, quales ſunt quæ naturaliter & neceſſariò agunt, certiſſimò poſſũt cognoſci; vt ſi quis cauſarum naturalium cognoſcat ordinem, hic poterit ex proximis cauſis futuros euentus cognoſcere. Sũt igitur quatuor modi quibus futura contingẽtia poſſunt cognoſci: Actualis præſentia, Ideæ, Prædeterminatio, & cauſæ proximæ; cognoſcit igitur Deus futura contingentia certò, in actuali præſentia; in Ideis; in prædeterminatione; minimè verò in cauſis ſecundis, ſi ſunt liberæ, & ad ſuos effectus producendos indeterminatæ. *Modis quatuor futura contingentia cognoſcuntur.*

QVÆSI-

QVÆSITVM III.
An infallibilis Dei Scientia ſit Cauſa rerum?

31. DVo in hoc Quæſito inquiremus *primò* An Sciẽtia viſionis ſit effectrix rerum? *ſecundò* An quia Deus nouit, ideo res ſunt? an vero quia ſunt, ideo nouit?

QVANTVM *ad primum* Quidam recentiores, & cum his Cumel, ad *artic. 8.* in appen. affirmant: ſcientiã liberam, quæ eſt eadem ac viſionis non eſſe cauſam efficientem rerum; ſed potius ſcientiam naturalem, ſeu ſimplicis Intelligẽtiæ in quantum ab actu voluntatis ſuperueniente determinatur. nam Viſionis Scientia, intra cancellos contemplationis, intuẽdo & admirando admirabilia Dei verſatur, ꝑ determinatione.

Scientia viſionis eſt effectrix futurorum contingentiũ.

DICO. *Scientia viſionis, quæ à Scientiâ Dei liberá, nec ratione ratiocinata diſtinguitur, eſt verè & propriè cauſa efficiens futurorum contingentiũ, etiam quoad omnem rationem Entitatis; & bonitatis, quã habet.* Pro Intelligentia.

Nota duplicem ſtatum huius Cõtrouerſiæ. *Primus* an Scientia viſionis conſiderata ſecundum ſuam formaliſſimam rationem, v. præciſè, in quantum eſt viſionis, ſit cauſa efficiens rerum? Et in hoc ſenſu nõ ponimus ſtatum controuerſiæ. nam nemo eſt, qui ſumpta ſcientia viſionis cum hac reſtrictione affirmet eſſe cauſam rerum. *Secundus.* An Scientia viſionis ſeu libera, vt eſt Practica, ſit cauſa rerum efficiens? & in hoc ſenſu admittimus. nam non arctamus ſcientiam viſionis ad illius formalem & præciſam rationem, v. vt eſt viſio, ſed abſolutè quærimus de ſcientia viſionis, quæ re & ratione idem eſt cum ſcientia libera, an ſit cauſa rerum?

Sciẽtiæ Dei partitio.

Nota ſecundò. Reducẽdo in memoriam, quòd ſufficienter Scientia Dei, in naturalem, ſeu ſimplicis intelligẽtiæ, quæ eſt poſſibilium, & in liberã ſeu viſionis diuiditur, quæ ſupponit decretum voluntatis Diuinæ, & eſt de rebus exſiſtentibus in aliqua differentia temporis. proinde Scientia media non habet hic locum; ſiquidẽ à nobis eſt remota: Scientia verò approbationis, (vt ſuperiùs docuimus) non diſtinguitur à Sciẽtia viſionis: nam hæ duæ Scientiæ, realiter & formaliter ſunt eædẽ, ſolùmque diſtinguuntur ratione ratiocinata, ſiue fundamentaliter, quia fũdant diuerſos conceptus, naturalis enim Sciẽtia, dicit ordinem ad res merè poſſibiles: Viſionis verò dicit reſpectum ad res in aliqua differentia tẽporis futuras, ex libero decreto voluntatis Diuinæ.

Diſtinctionis rationis ratiocinatæ fũdamentum.

Decreta ſua Deus approbat dupliciter.

32. *Nota tertiò.* Approbationem voluntatis Diuinæ dupliciter ſe habere poſſe; *primò,* vt cadit ſupra ipſũ actum volũtatis, quo ab æterno decreuit, vt in tempore ſint ea omnia, quæ facit. *ſecundò,* vt cadit ſupra ipſã rem, quam producit per ſuam ſcientiam Pra-

tiam Practicam. *Et ratio eſt*, prius enim præintelligitur res facta, quàm intelligatur ab eo approbata, vt colligitur ex 1. Geneſ. *dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux*, & poſtea additur *& vidit lucē, quòd eſset bona*; & in his verbis eſt approbatio ſeu ratihabitio, ita, quòd id quod factum eſt, pro rato habetur, His præmiſſis.

Probatvr *Dictum*. In Deo ſolùm eſt duplex ſcientia, ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: ſed per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non produxit res. ergo produxit per ſcientiam viſionis. *Minor primò* ſi enim per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ produxit. ergo cùm hæc Scientia ſit naturalis, ex neceſſitate naturæ, & nō liberè produxiſſet res, quod eſt cōtra fidem, Iacob. 1, *voluntariè genuit nos verbo veritatis*. *Deinde*: hic modus cauſandi tribuendus eſt Deo, qui eſt perfectior, at hic eſt perfectior, qui eſt per cauſam liberam, quàm qui per naturalem. ergo libera cauſandi ratio tribuenda Deo. *Præterea* Scientia naturalis eſt in Deo ab æterno: ergo ſi per hanc Scientiam res produxit, per bonam Conſequentiam concedendum, quòd eas ab æterno produxerit; quod eſt contra ſcripturam. *In principio creauit Deus &c.* hoc eſt in temporis initio. ergo non ab æterno. *Tādem* quia ſequeretur, quòd produxiſſet omnes creaturas poſſibiles: nam ſcientia naturalis, æqualiter ſe habet ad omnes res poſſibiles. ergo ſcientia viſionis in quantum eſt Practica, eſt potiùs cauſa efficiens creaturarum.

33. *Obijcies Gen. 1.* dicitur. *vidit itaq; Deus cuncta, quæ fecerat.* Verbum *vidit*, non poteſt intelligi, niſi de Scientia viſionis; verbum *fecerat* ſupponit iā res factas, per omnipōtentiam applicatā à volūtate. *Reſpondetur* quòd Scientia viſionis inquantum eſt Practica producit res efficienter, easdemque inquantum eſt viſionis, intuetur, & in eis ſibi complacet, & ſic in quantum eſt viſionis. ſupponit res in ſigno rationis, à ſe productas.

Scientia viſionis in ſigno rationis ſupponit res à ſe productas.

Obijcies ſecundò: Deus omnes res produxit per intellectum & per voluntatem; ſed immediatiùs produxit ad extra per voluntatem, quàm per intellectum; porrò ſcientia viſionis cùm pertineat ad intellectum, erit poſterior voluntate, per quam Deus ad extra operatur. ergo non erit cauſa efficiens rerum. *Maior ex 1. p. quæſt. 19. art. 4. ad 4.* vbi dicit, *Scientia & voluntas ſunt cauſa eiusdē operū, Scientia vt dirigens, voluntas vt imperans*: & poſtea comparat Deum, cum operante per artem. Nam ars, per quam concipitur forma operis, dirigit voluntatem: voluntas autem imperat & mouet potētiam exſecutiuā. Sed in artifice immediatiùs volūtas cōcurrit, ad opus producendum, quā ars. ergo & Scientia, quæ habet actū voluntatis, non erit cauſa rerum, Sed talis eſt viſio. ergo no eſt cauſa.

Reſpondeo primò, quòd Scientia viſionis, inquantum eſt viſio, non ſit cauſa efficiens rerum, ſed eadem in quantum eſt libera, & in quantum Practica, & in actu ſecundo, iam eſt cauſa efficiens.

Reſpondeo ſecundò quòd immediatiùs Intellectus concurrat; nam D. Th. *in 2. quæſt. 12. art. 1.* dicit in corpore; *Imperium eſt actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium, ad exercitiū actus.* ergo per ſcientiam quatenus per voluntatem determinatur ad producendas

cendas creaturas, eſt efficiens cauſa illarum; & talis eſt Scientia libera, & Practica. vnde hæc per imperium ſuum, quod eſt actus rationis, ſuppoſito actu voluntatis, immediatiùs influit.

Reſpondeo tertiò. In Deo, præter intellectum & voluntatem, non eſt conſtituẽda aliqua alia potentia exſecutiua; ſiquidem omnis potentia naturalis, debet eſſe ſecundum modũ illius naturæ, cuius eſt Potẽtia. ſed Diuina natura eſt purè intellectualis; ergo & illiꝰ potentia purè intellectualis. v. intellectꝰ vel volũtas. hæc autem voluntas exſecutiua, nõ eſt ſola voluntas, ſed eſt intellectus, ſeu Scientia Practica, vt mouetur à voluntate: Dicit enim Apoſtolus, *qui operatur omnia, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; Circa quæ verba Gloſſa annotat, priùs ponitur *conſilium*, quod pertinet ad intellectum: deinde additur *volũtatis ſuæ*, ꝑ quod ſignificat, quòd Intellectꝰ Diuinꝰ, ſiue ſciẽtia eius, vt determinatur à voluntate eſt cauſa rerũ, & talis eſt Scientia viſionis, ſeu libera. ꝑ inde eſt cauſa rerũ.

34. *Obijcies tertiò*: Deus per Sciẽtiam ſimplicis intelligentiæ, inquãtùm determinatur per voluntatem Dei, eſt cauſa rerum. ergo non per Scientiam viſionis. *Reſpondetur* Scientia ſimplicis intelligentiæ, hâc ratione ſumpta in quantum determinatur per voluntatem Diuinam, iã eſt Scientia viſionis, ſeu libera. nam de ratione ſimplicis intelligẽtiæ, eſt (niſi determinata fuerit,) vt ſit indifferens & tandem accedente determinatione voluntatis Diuinæ, iam eſt Scientia viſionis.

Obijcies quartò. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt in Deo, principium operãdi *ad extra*, in actu primo; quęlibet autem res, operatur per eam formã, quæ illam conſtituit in actu primo ad agendum; ſicut artifex per actualem conceptionem artis conſtituitur in actu primo ad artificioſè operandum, & ſolùm illi deeſt applicatio voluntatis, & potentia exſecutiua, vt per illam, tanquam per principium operetur: ita & Deus, per Scientiam ſimplicis intelligẽtiæ, conſtituitur ſupremus artifex, in actuali conceptione omnium faciendorum, & factibilium; vbi acceſſerit voluntas. Ergo per Scientiam ſimplicis intelligentiæ operatur Deus.

Reſpondetur. cõcedẽdo, quòd ſciẽtia ſimplicis intelligẽtiæ conſtituit Deum in actu primo, tanquam prĩcipium operandi *ad extra*: nam per hanc ſcientiam, poteſt Deus efficere, quodcunque vòluerit: reſpicit enim omnia poſſibilia: at eadẽ ſciẽtia in actu ſecundo, ſeu quoad exercitium, non eſt cauſa efficiens rerũ; ſed opus habet, vt per voluntatem determinetur, ſic verò determinata ad opus faciendum, iam erit ſcientia viſionis, ſeu libera; vnde facilè concedimus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ conſtitui Deum in actu primo, & in virtute ad producendas res: per ſcientiam verò liberam, conſtitui in actu ſecundo, & in exercitio; atq; ſic Sciẽtia viſionis, erit cauſa efficiens rerum.

Per Scientiam intelligẽtiæ res conſtituũtur in actu primo.

Per ſcientiã viſionjs conſtituũtur in actu ſecundo.

35. *Obijcies quintò.* Si eſt cauſa efficiens rerum, ſequetur hoc impoſſibile, quòd res tanquam ſuos effectus productos præſupponet: & ſic effectus antequam à cauſa fuerit productus præexſiſtet. *Sequela.* Sciẽtia enim viſionis eſt, quæ videt res & contemplatur. ergo præſupponit iã exſiſten-

exſiſtentes: Et ſecundum D. Aug. 4. *de Gen. ad literam, cap. 32. Cognitio fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedant*

Reſpondetur quamuis ſit inconueniens, vt effectus Cauſæ efficientis pro aliquo inſtanti temporis præexiſtat, antequã fuerit à ſua cauſa productus, ſiquidem ab illa, in ſua exſiſtentia dependet. non eſt tamẽ inconueniens, vt pro aliquo priori ſigno rationis præintelligatur, ſecũdum ſuam aliquam rationem, præcedere ſuam cauſam efficientem, *v. g.* Contritio in quantum eſt meritoria gloriæ æternæ, procedit efficaciter à gratia iuſtificantẽ, & ab habitu pœnitentiæ: eadem contritio, inquantum eſt vltima diſpoſitio, ad infuſionẽ gratiæ, præcedit in ſigno rationis ipſam gratiam, & habitum pœnitentiæ, in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuè. Sed

Nullum eſt abſurdum effectum præcedere in ſignorationis cauſam efficientem.

36. *Quares* Quænam ſit mens D. Thomæ, de hac Scientia viſionis? ſit ne efficiẽs cauſa rerũ? *Reſpõdetur* ſufficienter, & apertè ex multis locis poteſt colligi, quod ſit. *primò, ex 1. par. quæſt. 14. a. 8.* in corpore, vbi ſic inquit: *Scientia Dei eſt cauſa rerum; ſicut Scientia artificis, eſt cauſa artificiatorum: & ſicut calor, eſt principium calefactionis.* Sed Scientia artificis, eſt vera cauſa artefactorum; & calor eſt verum principiũ calefactionis. ergo ſcientia Dei eſt cauſa rerum. Idem colligitur ex ſolutione ad ſecundum, vbi dicit: *Scientia Dei eſt cauſa rerum ſecundùm quod res ſunt in Scientia.* atqui res ſunt tãquam ideæ & Exemplaria in Scientia Dei, & Ideæ ſunt cauſa rerum ergo & ſcientia eſt cauſa rerũ Et in *1. par. quæſt. 25. art. 1. in ſolut. ad 4. Ipſa Scientia, vel voluntas Diuina, ſecundum quod eſt principium effectiuum, habet rationem potentiæ.* Tũ *1. Sent. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1.* vbi ſic ait: *Conſtat quòd Scientia ſua, eſt cauſa per modum efficientis, & exemplaris omnium rerum;* et multa alia loca ſũt, quæ de induſtria omittimus.

Apertè ex auctoritatibꝰ D. Th. colligitur Scientiam viſionis eſſe effectricem rerum.

Si autẽ aliqua ex eodẽ D. Th. fuerint adducta in contrariũ, exponenda ſunt de Scientia viſionis, ſeu intuitione rerũ iam factarum & præſentium; nam vt ſic, nõ eſt cauſa efficiens, ſed inquantum eſt Practica ſic producit res. Ex hoc collige falſum eſſe, quaſi Scientia Dei ſolùm tribuat directionem, & non cauſalitatem; nam hoc euidentiſſimum eſt ex locis adductis.

37. QVANTVM ad ſecundum *An quia Deus ſcit ideo res ſunt; an verò, quia ſunt, ideo nouit?* Ad cuius difficultatis interpretationem, eſt eiuſmodi argumentum? Si Scientia Dei viſionis, eſſet cauſa rerum, ſequeretur hoc eſſe verum, quòd quidquid Deus nouit, illud futurũ eſt: & ideo futurum; quia Deus præſciuit. Sed hoc apertè falſum; Ergo.

Sciẽtia Dei non ſolùm dirigit ſed cauſat etiã.

PROBATVR: auctoritate SS. PP. Orig. ſup. Epiſt. *ad Rom. lib. 7.* explicans illa verba, *quos vocauit, hos & iuſtificauit.* inquit: *non propterea aliquid erit, quia id ſcit futurum, ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo, antequam fiat.* Et D. Hieronym. *ſupra Caput. 26.* Ierem. *noli ſubtrahere verbum* id dicit: *non ex eo, quia Deus ſcit aliquid futurum; ideo futurum eſt: ſed quia futurum eſt; ideo ſciuit:* Et D. Damaſ. *in Dial. cont. Manich.* ſic dicit: *Deus ea, quæ voluntariè à nobiſ futura ſunt, hoc eſt, quæ in poteſtate noſtra ſunt ſita; nimirũ virtutẽ ac vitiũ præſciẽs, eadẽ demum definit, quæ in arbitrio noſtro minimè cõſiſtũt.* ſed antequã ad has auctoritates reſpõdeam.

Auctoritates in contrarium.

38 Dico

Deus non ideo quia res ſunt eas nouit. ſed quia nouit ideo futuræ ſunt

38 Dico. Hæc cauſalis: *Quia res futuræ ſunt; ideo illas Deus nouit*, eſt falſa omnino: hæc verò *quia Deus ſcit hoc futurum; ideo futurum eſt*, eſt omnino vera: Probatvr auctorit. D. Aug. *lib. 15. de Trin. cap. 13.* vbi dicit: *vniuerſas autem creaturas ſuas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo nouit; ſed quia nouit, ideo ſunt: non enim neſciuit, quæ erat creaturus: quia ergo ſciuit: ideo creauit: non quia creauit, ſciuit*, ergo, quia ſcit Deus aliquid futurũ; propterea futurum eſt. Idem ſentit Magiſter Sent. *in 1. diſt. 28.* vbi ſic ait: *neq; enim res futuræ cauſa ſunt præſcientiæ Dei; ſi enim eßent, eius, quod eſt ab æterno, aliquid exſiſteret cauſa, & ab eo eßet diſtinctum, & diuerſum: Tum Scientiæ creatoris, penderet à creaturis; Et increati, v. Scientiæ Dei, eßet cauſa creatum* quæ omnia ſunt falſa. *Et ratio eſt*, Si quia res futuræ ſunt, ideo ſciuntur à Deo, ſequeretur, quòd Deus Scientiam ſuam acciperet à rebus, & ex his accreſceret aliquid Diuinæ Sapientiæ; Conſequens autẽ falſum, ergo & Antecedens. *Sequela* ſi, quia Diuus Paulus & reliqui conſenſuri erant Deo vocanti; ideo, Deus præſciuit illos conſenſuros. ergo cauſa, propter quam præſciuit Deus illos conſenſuros, eſt hæc; quia futurum erat, quòd illi erant conſenſuri. Ergo à conſenſione accepit Deus Scientiam. ergo augebitur eius ſapientia.

Deus nõ ſumit ſuam ſcientiam à rebus.

Reſpondent ad hanc rationem, quòd Deus, accipit ſuam ſcientiam à rebus tanquam ab Obiectis, non autem tanquam à cauſa efficiente.

Sed contra inſto tripliciter. *Primò*. hæc cauſalis *quia Deus ſciuit hoc eße futurum; idcirco futurum eſt*, eſt vera in genere cauſæ efficientis: *ſecundò* Obiectum primarium, ex quo Deus ſuã ſcientiam accipit, eſt illius Diuina Eſſentia. (vt iam probatum eſt) ergo non à rebus creatis futuris accipit ſcientiam: *tertiò* D. Th. quæſt. 2. *de verit. art. 14.* in corpore dicit. *Sciẽtia noſtra cauſata eſt à rebus, inquantum ſcilicet illam à rebus accipimus: ſed Scientia Angelorum, nec eſt cauſata à rebus, nec eſt cauſa rerum*. Ex quo ſic arguo. Angelus à rebus creatis tanquam ab Obiectis non accipit ſcientiam, quia ab eis non accipit ſpecies intelligibiles, per quas eaſdem res cognoſcat. ergo tantò magis dicendum, quod Deus à rebus, tanquam ab Obiectis, non accipit ſcientiam; ſed eius Scientia eſt cauſa rerum & ex ea res promanârunt.

Angelus nõ accipit ſpecies à rebus

39. *Secunda ratio.* Si quia futurũ eſt, aliquid ideo ſcitur à Deo, ſequeretur; quòd ſciẽtia Dei nõ eſſet infallibilis, ſed fallibilis. *Sequela*, quòd Antichriſtus naſcetur, eſt futurum: atqui hoc nõ eſt infallibile ſecundũ ſe, ſed eſt fallibile, ſiquidẽ eſt futurũ contingens, de cuius natura eſt, vt poſſit eſſe, & non eſſe. ergo ſi hoc Obiectum fallibile eſſet Sciẽtiæ Dei, ab hoc Obiecto ſumpta Scientia; eſſet quoq; fallibilis. proinde dicendũ, quòd propria ratio, & vera cauſa, quare Deus certò & infallibiliter nouit Antichriſtum naſciturum, non eſt hæc, quia naſciturus eſt; ſed quia Deus, nouit Scientia liberá, illum naſciturum.

Sciẽtia Dei eſt infallibilis.

Tertia ratio. Non alia ratio eſt, cur auctores oppoſitæ ſententiæ dicãt, hanc cauſalem, *quia aliquid futurum eſt, ideo illud Deus nouit*, eſſe veram, niſi vt defendant actus liberos, non eſſe à Deo abſolutá voluntate prædefinitos, ante omnem determinationem

Z z

tionem liberi arbitrii: ſed volunt Deum expectare, donec liberum arbitrium in his circumſtantijs poſitum ſe determinauerit: ex quo euidẽter hoc ſequitur abſurdum, quòd voluntas hominis prior erit, voluntas Dei poſterior: & per conſequẽs voluntas Dei erit pediſſequa voluntatis creatæ; *Conſequentia* quia ex illorum confeſſione, ad tuendam libertatem arbitrii creati, non debet voluntas Dei antecedere voluntatem creatam, donec illa in actum liberum proceſſerit, liberè ſe determinãdo, & nulla neceſſitate adactâ.

Actus liberi prædefiniuntur à Deo.

40. *Ad contraria Argumenta Reſpondetur, Primò* ad auctoritatem Orig. & D. Hier. cum S. Doctore hic *quæſt. 14. art. 8 ad 1.* quòd Origenes locutus eſt, attendens rationem Scientiæ, cui non competit ratio cauſalitatis, niſi adiuncta voluntate: quòd verò dicit, *præſcire Deum aliqua, quæ ſunt futura*, intelligendum ſecundũ cauſam Conſequentiæ, hoc eſt, ſi aliqua futura ſunt, neceſſariò illa Deus præſciuit; non autem ſecundum cauſam eſſendi, quia res futuræ non ſunt cauſa, quòd Deus ſciat. *Vel ſecundò reſpondetur. ex quæſt. 2. de ver. art. 14. ad 1.* quòd intentio Origenis, & aliorũ DD. eſt dicere, quòd Scientia Dei, non eſt cauſa, quæ inducat neceſſitatem in ſcitis, vt ex hoc cogatur aliquid euenire; quia Deus illud ſciuit.

Soluuntur auctoritates in Contrarium allatæ.

Ad verba D. Damaſ. dico Illorum ſenſum ponderandum eſſe, & colligendum ex materia, de qua in eo loco agit; agit autem contra Manich. qui dicebant. *peccatores ſuâ naturâ eſſe malos*, iidem libertatem arbitrii negabant, & omnia ferri affirmabant fatali neceſſitate. intendit ergo probare, Deum non eſſe cauſam efficientem humanarum actionum abſque concurſu liberi arbitrii, nec illius ſcientiam vllam neceſſitatem abſolutam inferre, Et quando dicit, *ea demum definit, quæ in libero arbitrio noſtro minimè conſiſtunt.* colligunt aduerſæ Sentẽtiæ auctores, quòd Deus non prædeterminet noſtros actus liberos. Et ad hoc cum D. Th. ex *1. par. quæſt. 23. art. 1. ad 1. Reſp.* quòd D. Damaſcenus, nominat prædeterminationem, impoſitionem neceſſitatis; ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ prædeterminatæ ſunt ad vnum quod patet ex eo, quod ſubdit, *non enim vult malitiam, neque compellit ad virtutem.* vnde prædeſtinatio, & per conſequens prædeterminatio non excluditur.

Manicheorum deliramenta.

Res naturales prædeterminatæ ſunt ad vnũ.

41. *Obijcies* Si hæc Cauſalis vera, *ideo aliquid futurum, quia illud Deus ſciuit* Ergo & hæc neceſſariò erit vera, *quòd Scientia Dei prædeterminet cauſas contingentes liberas, ad vnam partem contradictionis, antequam intelligatur, quòd ſe cauſa contingens libera determinet*, ſed hoc aduerſatur libertati voluntatis humanæ: ergo. *Sequela.* ſi prima radix & cauſa quare voluntas Petri, ad tali tempore ieiunandum ſe determinabit, eſt hæc: quia Deus præſciuit Petrum ieiunaturum. ergo volũtas Petri, ante omnem actũ liberum, quo ſe determinatura erat ad ieiunandum, iam à Scientia Dei eſt determinata. ergo illius libertas læditur.

Reſpondetur cõcedendo, quòd Scientia Dei, inquantum adiunctam habet voluntatem, prædeterminat cauſas ſecundas cõtingentes, liberas, ad ſuas operationes, priùs ratione, quàm ſe determinẽt, ſed quòd

ex eo

ex eo aliqua læſio libertatis humanæ fiat, id omnino negamus. *Ad impugnationem:*

Per Diuinã Prædeterminationem non læditur humana libertas.

Dico Satis eſſe, quòd Cauſa contingens libera, iam à primâ causâ prædeterminatâ, ſe determinet, tanquã ſecunda, & proxima. & hoc ſufficit ad libertatem eius conſeruandam; cùm ſimpliciter non eſt prima Cauſa ſuæ determinationis, ſed proxima & ſecunda. at de hac re adhuc inferiùs dicemus, & maximè in Tractatu de Prædeſtinatione.

QVÆSITVM IV.

An infallibilis Scientia Dei, ſtare poſſit cum Contingentia, & libertate futurorum Contingentium, & liberorum?

Sententia Scoti.

42. IN hac difficultate diſcrepant authores, Scotus *in 1. diſt. 2. quæſt. 2. Et diſt. 8. quæſt. 2.* Radicem contingentiæ, & libertatis aſſignat ipſam voluntatem Diuinam: *Ratio eius,* quia Deus vult eſſe liberos effectus, & contingentes, & D. Th. *2. con. gen cap. 85.* ex parte videtur ſententiã Scoti admittere, cùm dicit quòd *cauſa quare aliqui effectus contingenter eueniant, non ſolùm hæc eſt, quia illos vult eſſe habere, ſed etiam, quià vult, vt liberè eneniant*; & hoc tribuit efficaciæ Diuinæ voluntatis, quam tãtam eſſe vult, vt nõ ſolùm efficiat, quod vult, ſed etiam efficiat eo modo quo vult: vult autẽ, vt ea, quæ à cauſis liberis fiunt, liberè fiãt: & ideo ſic accommodat commenſuratque efficaciam ſuæ voluntatis & potentiæ cum cauſis liberis, vt in nullo earũ libertas lædatur. Hũc modũ *Sap. 8.* expreſſit ſcriptura. cùm dicit, *attigit ergo à fine vſq; ad finẽ fortiter, diſponit omnia ſuauiter. Fortiter* propter efficaciam, & infallibilitatem Diuinæ voluntatis, & potentiæ: *Suauiter* quia non infert neceſſitatem ſed ſe ad naturas cauſarum, & ad modos illarum operandi accommodat.

Caiet in Comment. ſuo in 1. par. quæſt. 22. art. 4. Et ſuper *Epiſt. ad Rom. cap. 9* quatuor dicit, duo quoad nos, duo quoad Deum. *Ex parte Dei,* deſcendẽdo à Deo vſque ad nos, hæc dicit: *primò* De⁹, quoſdam ab æterno prædeſtinauit ad gloriam, datque illis media neceſſaria, & efficacia ad conſecutionẽ gloriæ: quoſdam verò à ſe repulit. *ſecundò,* quicquid eſt à Deo ordinatum, illud neceſſariò, & infallibiliter eueniet.

Caietanus hæc adfert.

Ex parte verò noſtri, aſcendendo à nobis ad Deum, duo quoque dicit: *primò* in hominibus eſt libertas arbitrii, vt poſſint benè operari, poſſĩt quoq; & malè, ſicut illis placuerit: *ſecundò* Deus facienti, quòd in ſe eſt, non denegat gratiam & auxilium ſuum; Et hæc quatuor quomodo inter ſe concordent, & quo vinculo ſint ſociata dicit, eſſe prorſus incõprehenſibile humano intellectui: at

tamen inter ſe hæc conſentiunt; ſiquidem verũ vero cõcordat, faterurque ſe his quatuor ita credere, ſicut credit Myſterium Trinitatis, & Incarnationis: quamuis hæc viribus ingenii non comprehendantur, Et in hac ignorantia, ſuum ingenium conquieſcere affirmat.

D. Bonauẽturæ opinio

D. Bonau videtur concordare cum D. Th. dicit enim *art. 3. quæſt. 10.* quòd Diuina præſcientia, non imponit rebus neceſſitatem, omnia enim præcognoſcit, eo modo euentura, quo ordinauit, vt euenirent: Proinde infallibilitatẽ Diuinæ præſcientiæ, refert in ipſam Scientiam Dei: Contingentiam verò futurorum refert, in cauſas ſecundas. Pro intelligentia difficultatis.

Cauſæ ſunt in triplici differentia.

43. *Nota primò.* triplex eſt genus cauſarum; *Primò* ſunt Cauſæ Neceſſariæ, illæ nimirum, quæ ſuum effectum producunt, poſitis neceſſariis ad operandum, ita, vt non poſſint non producere; & nullum eſt impedimentum, à quo impediri poſſint, quominus ſuum effectum producãt vt, interpoſitio terræ, eſt cauſa Eclipſis. nam talis cauſa, neceſſariò ſuum effectũ, v. Eclipſim cauſat, nec à quoquam impediri poteſt. *Secundò* ſunt Cauſæ contingentes, quæ licet non poſſint non producere effectũ, quem producunt: contingit tamen, vt impediantur in eo producendo; vt, exhalatio ſurſum aſcendens, eſt cauſa pluuiæ contingẽs, & eandem quãdo producit, neceſſariò producit: contingit tamen ex impedimẽto interueniente, vt eandem pluuiã non producat, & tales ſunt plurimæ cauſæ Phyſicæ. *Tertiò*, ſunt Cauſæ liberæ, & talis eſt humana voluntas, quæ poſitis omnibus requiſitis neceſſariis ad operandum, poteſt operari, & non operari. et ſecundum hoc triplex genus cauſarum, etiam ſunt triplices effectus: *quidam* ſunt neceſſarii, qui eueniunt poſitis cauſis, quæ non impediuntur. *quidam* Contingentes, qui poſitis cauſis impediri poſſunt. *quidam* liberi, qui poſitis omnibus requiſitis, poſſunt eſſe, & non eſſe.

Neceſſariæ. Contingentes. Liberæ.

Effectus quoque triplices.

In Dei præſcientia notanda.

44. *Nota ſecundò.* in Præſcientia Dei, duo eſſe obſeruanda: *primò*, quod ſit Cauſa rerum; *ſecundò*, quòd ſit ſcientia earundem: & hæc duo, nullã neceſſitatem important; *non important in quantum eſt Præſcientia cauſa*, quia Præſcientia vt cauſa, concurrit cum cauſis iuxta illarum naturas, & modos operandi: ita quòd cum neceſſariis neceſſariò concurrit; cum cõtingẽtib⁹, cõtingẽter; cum cauſis liberis, liberè. Et in hoc notandus eſt modus eminẽtiſſimus operandi Dei, quòd neq; ſit ſimpliciter cõtingẽs, nec abſolutè neceſſari⁹, atq; liber: ſed quodam eminẽtiſſimo modo eſt hæc omnia. *nec Præſcientia vt eſt ſcientia, imponit neceſſitatem*: nam Deus in ſua Scientia videt omnia, determinatè in ſua exiſtentia actuali, quæ ab hoc triplici genere cauſarum, ſunt producenda. Et ſicut futura contingentia, quæ iam ſunt producta, non amittunt contingentiam ſuam: ita quoque eandem contingentiam nõ amittunt; quamuis à Deo videantur, iam extra ſuas cauſas producta, & à ſuis cauſis nihilominus contingenter & liberè producentur.

Quomodo Deus concurrit cum cauſis ſecũdis?

Nota tertiò modum, quo Deus cũ cauſis ſecundis concurrit; eſſe hunc potiſſimùm: quòd Deus in genere cauſæ efficientis, cauſas ſecundas modificat: cauſæ verò ſecundæ ſecundum

cundùm eum modum agendi, quem à Deo acceperunt, modificant concurſum Dei: ideo autem Deus, eſt modificans cauſas ſecundas; quia ipſe eſt cauſa prima & efficaciſſima, producens tales cauſas pro ſuo arbitrio, ad tales effectus producendos. voluit enim vt contingentes contingenter agant, liberæ vt liberè, *v. g.* ſicut pictor, cùm vult aliquam imaginem depingere, ipſe eſt, qui efficit penicillũ, ipſe quoque eſt qui colores miſcet & attemperat, ad eam ideam imaginis depingendam: quam in mente conceptam habet; ita Deus omnes cauſas ſecundas produxit, illisq; certos modos agendi attribuit, his contingenter, his verò liberè operandi. Hic iam.

Origo contingentiæ a Deo Efficientia à cauſis ſecundis.

45. *Obſerua 1*, quòd origo & radix contingentiæ, tota in Deum referenda ſit. quòd verò cauſæ ſecundæ in genere cauſæ materialis, modificant concurſum Dei, ex eo planum eſt, quia omne quod recipitur, in aliquo recipitur, ſecundùm modũ, & diſpoſitionem recipientis; & ſic, quia Cauſæ ſecundæ recipiunt cõcurſum Dei, eundem recipere debent, ſecundùm diſpoſitionem acceptam à Deo; & proinde eum modificant in genere Cauſæ materialis, v. g. ſcriptor calamum præparauit ad vſum ſcribendi, ille tamen calamus, ſic à ſcriptore præparatus ipſum ſcriptorem, à quo vim ſcribendi accipit, modificat in literis pingendis: ita quoque, quamuis Deus omnia quæcunque voluit determinauerit, eius tamen concurſus modificatur, ex causà ſecundà, ſecundùm exigentiam ſuæ naturæ, vt ſi concurrat cum cauſis liberis, concurſus eiuſdem dicetur liber; ſi verò cum contingentibus, appellabitur contingens.

Concurſus Dei modificatur ex cauſa ſecunda.

Obſerua 2. ex hac modificatione cõcurſus Diuini, facta per cauſas ſecundas, nullum inconueniens ſequi, ſiquidem hoc fit paſſiuè, & materialiter, & cum Diuinæ voluntatis diſpoſitione, quæ ſic ordinauit. eſſet autem abſurdum, ſi actio Dei immanens, quę eſt ipſe Deus, à Cauſis ſecundis tanquam ab intrinſeco dependeret, & ab eo modificaretur; ſed in eo ſuauis quædam, & mirabilis Dei ordinatio elucet, vt ſicut cũ igne producit caliditatẽ & cum aqua frigiditatem: ita & cum cauſa libera liberè; cum contingenti contingenter concurrit. & hunc talem concurſum cum liberis liberè, cum contingentibus contingenter, appellamus accommodationem paſſiuam, ſeu materialem; quam faciunt cauſæ ſecundæ. His præmiſſis.

46. Dico primò. *Indubitatum eſt, quòd infallibilitas præſcientiæ ſeu etiam prouidentiæ Diuinæ, ita coniungitur cum contingentia rerum, & libertate noſtri arbitrij, vt ſimul ſtare poſſint, nec vnum deſtruat alterum.* Hoc Dictum communiter tenetur; & eſt D. Th. hic & *quæſt. 22. art. 4. ad 1. & 3. con. gen. cap. 94.* & Greg. Arimi. hanc doctrinam præclarè explicat, *in 1. diſt. 38. quæſt. 2. art. 3. Concl. 1.* probaturque rationibus.

Infallibilitas præſcientiæ Diuinæ contingentiam rerum non tollit.

Ratio prima de fide eſt (vt iam ex multis locis Scripturæ probauimus) Deum omnia antequam fiant præſcire, & eundem omnia efficere, & experientia quotidiana nos docet, multa liberè & contingenter euenire. ergo cum Præſcientia Dei intelligibili, ſtat Contingentia. *Confirmatur.* de fide eſt, Deum ſcire futura libera &

Deus omnia antequam ſiant, præſcit.

bera, & contingentia, & hàc non obſtante infallibili præſcientiâ Diuinâ, manere in nobis libertatem arbitrij, & vſum eius; *poſuit enim De⁹ hominem in manu conſilij & ante hominẽ vita & mors, bonum & malum, quod placuerit illi, dabitur ei.* ergo etiam de fide eſt vt dicamus, iſta duo Præſciẽtiam Dei & contingentiam, non repugnare inter ſe, nec ſe mutuò tollere, ſed benè ſecum ſtare.

Secunda ratio. Si propter infallibilem Dei præſcientiam, tolleretur libertas & contingentia in effectib⁹, tũc per eandem rationẽ libertas ex voluntate Diuina quoad opera, quæ à ſolo Deo fiũt, eſſet tollenda, ita, quòd Deus non potuerit alia opera, neque aliter producere, niſi hoc modo, quo iam produxit, quod eſt falſum, imò Hæreticum: *Sequela* ſicut enim Deus ab æterno præſciuit, quæ erat operaturus per cauſas ſecundas: ita etiam ab æterno præſciuit, quæ ſe ſolo erat operaturus. ſed quia propter infallibilitatẽ Diuinæ præſcientiæ, ea quæ facturus eſt per cauſas ſecundas neceſſariò facit, & libertatem tollit. ergo propter eandem infallibilitatem ea quæ ſe ſolo operaturus eſt Deus neceſſariò operabitur: & ſic iam tolletur libertas ex Diuina voluntate.

Volũtas Dei maximè libera.

47. *Tertia ratio.* Si Deus ageret ex neceſſitate naturæ, & concurreret neceſſariò cum omnibus cauſis ſecundis, adhuc nihilominus darentur effectus contingẽtes; quia vnaquæque cauſa ſecundùm virtutem concurſus Diuini reciperet, iuxta ſuum proprium modum agendi, qui quidem aut eſt contingens, aut liber. ergo adhuc non tolleretur contingentia.

Quarta ratio. Præſcientia Diuina, nõ aliter præuidet res futuras, quã eo modo, quo ordinauit eas futuras ſed ordinauit, vt eſſent futuræ contingenter & liberè, v.g. Deus præſciuit Iudam peccaturum; & quia nemo peccat, niſi voluntariè & liberè; idcirco præſciuit illum liberè peccaturum. ergo præſcientia non tollit libertatem; *Conſequentia,* quoniam res futuræ, non ſunt aliter cognitæ Deo, quàm ſecundùm quòd ſunt futuræ, aliàs in præſcientia Dei daretur deceptio.

Nemo peccat, niſi voluntariè & liberè.

Quinta ratio. Diuina præſcientia dupliciter conſiderari poteſt: *primò* ſub ratione cauſæ: *ſecundò* ſub ratione Scientiæ: ſed neutro imponit neceſſitatem rebus. ergo non tollit contingentiam. *Probatur primùm* Diuina Scientia, quando præſcit futurum Antichriſtum, non imprimit Antichriſto aliquid reale & poſitiuum; ſicut quando ego video Petrum ſedentem, & Paulum ſtantẽ, mea viſio, nec Petro ſeſſionem, nec Paulo ſtationem imprimit: nam etiã dato, quòd ego non videã, nec hũc ſtantem, nec illum ſedentem, nihilominus, & hic ſederet, & ille ſtaret. *Confirmatur.* ſi enim tollamus de rebus præſcientiam Dei, adhuc in rerum natura eſſent res futuræ. nam euenirent in tempore. vnde erunt futuræ, antequam fuiſſent: eſſent & contingentes, quia eſſent Cauſæ liberæ & contingentes, à quibus producerentur. ergo ſublatâ præſcientiâ, daretur futuritio & contingentia; ſi ergo ſublata præſcientia ſtat contingentia. ergo poſita præſcientia, non tollitur contingentia. Ex quo

Collige, quòd præſcientia ad res futuras

Præſcientia ad res futuras non immutat cauſas rerum, nec modos cauſandi.

futuras, omnino extrinſecè ſe habet, & non immutat cauſas rerum, nec illarum modos cauſandi, ſed ſolùm ſcit & intuetur. Hæc ratio & aliæ deſumuntur ex D. Aug. *lib. 3.* de *Libero Arbit. cap. 4. & 5.* quo in loco duo dicit: *primò*, quod hæc præſciẽtia extrinſecùs ſe habet, nec immutat libertatem arbitrii: *ſecundò* Præſcientiam comparat cum cognitione rei in nobis, quæ nihil addit, & nihil tollit à rebus cognitis.

48. *Probatur alterũ, v. quòd non imponit neceſſitatem, in quantum eſt cauſa rerum.* nam in concurſu Diuino cum cauſis ſecũdis, duo ſũt. *primò* quòd ſit efficaciſſimus, ita vt Deus, tanquam auctor totius naturæ producat effect⁹ prout vult. *ſecundò* quòd in concurrendo ſit ſuauiſſimus, non deſtruens naturas, nec modos illarum operandi, ſed perficiens: ideò ſecundum eum modum, quem indidit cauſis, concurrit cum iisdem, v. cum cauſis liberis, liberè; cum contingentibus, contingenter: Deus enĩ meam voluntatem, ſuâ Præſcientiâ determinauit ad legendum; ſed quia voluit me eſſe liberum in hac actione; idcirco liberè ad legendum cum ſuo adiutorio concurrit, nec mihi neceſſitatem imponit.

Deus cum cauſis liberis liberè; cum contingentibus, cõtingenter concurrit.

Ad extremum. Si infallibilis Scientia Dei inducit neceſſitatem; ſequerentur plura abſurda: *in Sacra Theologiâ hoc*: fruſtra eſſet fides, Euangelium, & illius prædicatio; ſiquidem condemnandi & ſaluandi ſunt præſciti. ergo ſiue crediderint, ſiue non, certi ſaluabũtur, certi damnabuntur. *item* Deus iniuſtè puniret peccatores, ſiquidẽ neceſſitate Præſcientiæ adacti, & non liberè peccarunt. *Similiter* non iuſtè gloriam in præmium bonis conferret; ſiquidẽ ex neceſſitate legem impleuerunt, & Deum amauerunt: præmium autem ſupponit meritum: hoc verò libertatem operandi, quam neceſſitas tollit. *In Politicis*, fruſtra eſſent conſilia, magiſtratus, leges; ſiquidẽ omnia neceſſariò eueniunt. *In Æthicis*, fruſtra vituperiũ eſſet vitiorum, laus virtutum; ſiquidem homo, ſiue benè, ſiue malè viuat, & operetur; nihil meretur, nec demeretur: quia neceſſitate quadam fatali, ad ſuas actiones mouetur. *In Phyſicis*, fruſtra in infirmitatibus, & vulneribus, medicinæ adhiberentur; quia omnia neceſſariò eueniunt. Pro clariori euidentia.

Præmiũ ſuponit meritum: hoc verò libertatẽ operandi.

49. *Nota* Res futura contingens, ſeu libera, dupliciter conſiderari poteſt: v. g. lectio Mea: *primò* vt eſt in voluntate mea; & ſic quamdiu eſt in voluntate eſt indifferens, vt poſſit eſſe & non eſſe; *ſecundò* poſtquam iam in ſuo *eſſe* eſt producta; & ſic iam acquirit quandam determinationem, & ceſſat indifferentia, per quam poterat eſſe, & non eſſe; quare ſic cõſiderat⁹ effectus cõtingens, duo habet. *primò* neceſſitatem, ſed ex ſuppoſitione, ſeu ſecundùm quid. nam cùm aliquid eſt, non poteſt non eſſe pro eo tempore, in quo eſt: *omne etenim quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. ſecundò* in hoc effectu eſt contingentia. nam determinatio præſentis meæ lectionis non aufert ab ea libertatem & contingentiam; licet enim ſit determinata, & ex ſuppoſitione neceſſaria: liberè tamen à me exercetur: quia ſemper me habeo ad oppoſitum: vt ſi velim, poſſim non legere: Ita De⁹ omnipotens, in ſua Præſcientia infinita co-

Futuri contingentis cõſideratio duplex.

nita, cognouit omnia futura, antequam ſint; & cognouit omnia in ſuo *eſſe* determinato, & neceſſariò ex ſuppoſitione: tamẽ hoc nõ impedit, quominus contingenter eueniant. ſicut cùm ego Petrum currentem adſpicio, certò & infallibiliter adſpicio illum currere, & hæc infallibilitas viſionis meæ, nõ tollit, quòd contingenter Petrus currat: ſimiliter & Præſcientia Diuina, quæ cognoſcit futura, non tollit ab eis cõtingentiam.

50. Dico ſecundò, ſecundùm quod iam in Notabili præmiſimus: *Deus in genere cauſæ efficientis, modificat omnes cauſas, tanquam prima & efficaciſſima cauſa, ſiquidem omnia attingit, à fine vsque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: ſecundæ verò cauſæ modificant concurſum primæ cauſæ, in ſe receptum, in genere cauſæ materialis, ſecundùm eũ modum, quem ſibi à Deo inditum habent.*

Deus modificat omnes cauſas in genere cauſæ Efficientis. Et concurſ⁹ eius modificatur ab iisdem cauſis in genere cauſæ materialis. Prima pars concluſionis.

PROBATVR primum, *quòd Deus modificat cauſas ſecundas in genere cauſæ efficientis.* Ad Epheſ. *1. qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ;* atqui hæc operatio conſilii Diuini, maximè conſiſtit in productione, ſeu in modificatione naturarum, quas indidit De⁹ reb⁹ creatis, prout voluit. ergo hæc modificatio, ſeu aptatio creaturarum in ſuis naturis ad operandum ſuos effectus, eſt à Deo in genere cauſæ efficiẽtis. Idem docet D. Th. & cum eo Caiet. *in 1. par. q. 19. art. 8.* in quo loco docet. *contingẽtiam omnium rerum, non eſſe reducendam ad defectibilitatem cauſarum ſecundarum ſed ad voluntatem Dei, tanquam ad primã radicem efficientem.*

Et Ratio eſt prima. Niſi voluntas Diuina eſſet effectiua, & modificatiua omnium, ſequeretur, quòd effectus contingentes, eſſent præter intentionem, & electionem Dei. ſed hoc dici non debet; ſiquidem Deus omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ eſt operatus & elegit, vt eſſent cauſæ contingentes. ergo Deus eſt prima radix contĩgentiæ, & qui creatis à ſe cauſis ſecundis, tales eſſendi & agendi modos inſeruit.

Radix prima contingentiæ eſt Deus.

51. *Secunda ratio.* Si Deus non modificaret omnes cauſas, ſequeretur, poſſe dari aliquam talem cauſam ſecundam, quæ impediret efficaciam voluntatis Diuinæ. ſed hoc eſt intolerabile dictu. ergo. *Sequela.* quia talis cauſa ſecunda ſuæ conditionis eſt, nullam dependentiam à Deo, tãquam à prima cauſa, habens; & ideo euenire poſſet, quòd ob ſuam non accommodationem, eſſet impedimento. *Falſitas probatur:* quia omnia in cælo & in terra creauit Dominus quoad ſubſtantiam; & quoad omnẽ modum efficiendi perfectè; idcirco voluit quaſdam cauſas eſſe neceſſarias, quæ effectus neceſſarios producerent: quaſdam contingentes & impedibiles, quæ contingentes cauſarent effectus.

Tertia ratio: Id propriè dicitur alia modificare, in genere cauſæ efficiẽtis, quod cætera determinat ad ſpeciales effectus producendos. Sed Diuina voluntas eſt quæ ſeipſam determinat, & omnes alias cauſas, ad certos effectus ex ſe producendos, determinauit. Ergo Deus omnia modificat. *Confirmatur.* Graue enim eſſet abſurdũ, ſiquis ſic exiſtimaret, quòd ſicut ſolis generalis concurſus, ideo diuerſos producit effectus; quia à diuerſis cauſis ſecũdis modificatur, non ſolum in genere cauſæ materialis, ſed etiam efficientis; *Sol enim generat he-*

Deus omnia modificat.

nerat hominem cum homine, bouem cum boue, & ſic reliquos effectus naturales, ſecundum quod virtus eius determinatur à cauſis ſecũdis: ita quoque concurſus Diuinus, determinaretur à cauſis ſecundis, non ſolùm in genere cauſæ materialis, ſed etiã efficientis. Ergo Deus eſt, qui hæc pótius attemperat, modificat, determinat.

Quarta ratio. Sicut ſe habet liberum arbitrium hominis reſpectu eorum, quæ ſibi totaliter ſubiiciuntur: ita quoque ſe habet, imò efficaciùs voluntas Diuina, reſpectu eorum quæ ſibi ſubiiciuntur. ſed voluntas humani arbitrii, cùm ad aliquid operandum procedit, omnia media ſubordinata efficit, modificat, & ipſa ab eis non modificatur, ergo tantò magis de voluntate Diuina dicendum, quòd illa modificat. *Declaratur* quoties artifex v. g. pictor, ex artis ſuæ præſcripto, vult imaginem depingere, ipſe penicillum aptat, colores miſcet, attemperat; ita quòd hæc accommodatio fiat ſecundùm beneplacitum voluntatis eius. tali quoq; ratione & voluntati Diuinæ omnia ſubiiciũtur, quæ illa pro arbitrio ſuo modificat, & attemperat.

52. PROBATVR alterum: *quòd cauſæ ſecundæ, concurſum Diuinum in genere cauſæ materialis modificent;* quia hæc modificatio, in genere cauſæ materialis, nullam inconuenientiã importat, cùm ſit à Deo, ſic volente, diſponente, & præordinante: nam quia voluit eſſe cauſas ſecũdas, & modũ illarũ talem eſſe; voluit etiã vt concurſum Diuinum reciperent ſecundùm eam rationem, quam in ſe habent. ergo hæc modificatio eſt conueniens. *Omne enim quòd recipitur, ſecundùm modum recipientis recipitur:* & talis receptio, eſt modificatio in genere cauſæ materialis.

Altera pars Concluſionis deducitur.

Ratio ſecunda Modificare in genere cauſæ materialis, non eſt agere, ſed ita ſe paſſiuè habere, vt concurſus primæ cauſæ, ſecundum modum illarũ agat: atqui ſic accidit cũ cauſis ſecundis in concurſu Diuino, quòd illarum naturis & conditioni ſe accommodat. ergo modificare dicuntur concurſum Diuinum; *Declaratur.* Sicut pictor pro voluntate ſuâ accommodat, & modificat penicillum, ad depingendam imaginem; & ſic modificatus penicillus habet ſuam certam aptitudinem, acceptã à pictore; proinde, quando eum pictor artificiosè mouet, idem ille penicillus modificat, pro ratione ſibi indita virtutem pictoris, in imagine depingenda: eodem modo cauſæ ſecundæ ſunt modificatæ à Deo, & ad certos effectus producendos determinatæ; & hæ nihilominus concurſum Diuinum modificant, ſecũdùm eum modum, quem à Deo acceperunt. Idem experitur in ſeipſo, quilibet ſcriptor. ille enim, (vt iã toties dictum,) aptauit calamum ad vſum ſcribendi, nihilominus quando ſcribit & mouet calamum, virtus eius ſcribendi modificatur à calamo ſecundum eum modum, quem à ſcriptore accepit. Ita & De⁹ omnia modificauit; nihilominus cauſæ ſecundæ efficientiam Dei modificant ſecundum ſuos diuerſos modos cauſandi, quos à Deo acceperũt.

Modificare in genere Cauſæ materialis quid ſit?

Tertia ratio: Effectus contingens dupliciter referri poteſt; aut ad Deum, aut ad cauſam proximam ex qua emanat. at hic effectus relatus ad Deum, iam non dicitur Contingẽs, ſed in-

Idẽ effect⁹ poteſt dici cõtigẽs & nõ contingens reſpectu diuerſo.

ſed infallibiliter eueniens: relatus verò ad proximam cauſam, iam eſt contingens; quia procedit à cauſa contingenti, impedibili, atque etiã defectibili. ergo ipſe concurſum Dei modificat in genere cauſæ materialis.

53. *Obijcies.* Quælibet modificatio, ſupponit dependentiam ab eo, quod illud modificat. Sed voluntas Dei in ſua ratione, à nulla cauſa dependet. Ergo neque illius actio, ab aliqua cauſa modificatur. *Maior*: videmus enim quod primum Mobile, in quantum eius concurſus à cauſa proxima modificatur, & ad particularem, ac ſpecialem effectum producendum accommodatur, dependeat ab eadem illa causa: ſicut & Citharœdus dependet à fidibus. quia hæ modificant illius actionem.

Actio diuina dupliciter poteſt conſiderari

Reſpondetur. Actio Diuina dupliciter conſiderari poteſt: *primò* in quantum eſt ſubſtantia Dei, & hæc à nullo dependet, cùm ſit ipſe Deus, atque etiam à nullo modificari poteſt. *ſecundò* inquantum actio Dei eſt ille concurſus, & motio recepta in cauſa ſecunda, & ſic iam eſt extra Deum, tum vt ſic, non eſt inconueniens vt talis actio Diuina modificetur à cauſa ſecunda, in qua eſt recepta: nam hæc eſt ſuauis diſpoſitio Dei, vt omne quod recipitur, ſequatur naturam recipientis: *Tum* quia hæc modificatio primò fit à Deo, in genere cauſæ efficientis: *Tùm* quia ſic ordinauit Deus; & ſecundùm hanc illius ordinationem concurſus Dei ad extra, in cauſis ſecundis receptus, nihil efficit, niſi contrahatur, & modificetur, atque etiam determinetur ab eadem cauſa ſecunda, ad ſpecialẽ effectũ producendũ.

Ad probationem Maioris dico, quòd diuerſa eſt ratio de concurſu cæli, reſpectu ſecundarum cauſarum; nam cælum, propriè dependet à modificatione cauſarum ſecundarum. *Ratio*; quia Cælum ſicut Deus, non modificat cauſas ſecundas; nec modificatio, quæ reperitur in cauſis ſecundis, cadit ſub electionem cæli, ſicut cadit ſub electionem ipſius Dei. vnde diſpar eſt ratio.

Cælum non modificat ita cauſas ſecundas; ſicut Deus.

Accedit huc, quòd hæc modificatio, merè ſe habet paſſiuè, proinde nullam ſupponit dependentiam. ſiquidem eſt in genere cauſæ materialis. nam tota dependet ab electione Dei: quemadmodum enim ſi ſit in inſtrumento defectus, tunc ille defectus, aut cadit ſub electionem artificis, aut non? ſi eſt ab electione eius? ergo per tale inſtrumentum defectuoſum, intendit tale opus imperfectum producere: ſi verò non cadit ſub electionem, tunc illius concurſus, non modò non modificatur, ſed impeditur: ita Deus elegit cauſas ſecundas defectibiles, & impedibiles, & voluit, vt ſuus concurſus ab illis exceptus modificaretur, & effectus cõtingentes produceret: tamẽ nulla eſſe poteſt dependentia illius à cauſis ſecundis; cum hoc totum ab electione Dei dependeat.

54. Dico tertiò. *Optimus & conuenientiſſimus modus conciliandi, & ſaluãdi contingentiam futurorum ſimul cum infallibilitate Diuinæ præſcientiæ, & prouidentiæ, eſt hic, quòd non ſolum omnes res, & omnes cauſæ ſecundæ ſubijciuntur Diuinæ Præſcientiæ, & prouidentiæ, ſed etiam illarum omnes modi eſſendi, & cauſandi; proinde non ſolùm Deus præſcit, & præuidet aliqua eſſe futura, ſed etiam voluit, quædam eſſe*

Modus, per quem ſaluatur Præſciẽtia Dei cũ futuris contingentibus

dam eſſe

dam eſſe neceſſariò, quædam contingenter, quædam liberè Hæc Concluſio ex ſuperioribus manifeſtè deducitur, cū S. Doct. hæc eſt aperta mens *in 1. part. quæſt 16. art. 8.* vbi docet: non ſolùm efficaciam Diuinæ volūtatis, ſimul eſſe poſſe cum contingentia, & libertate effectus: verùm etiam ex ipſa efficacia emenauit eiusdem Diuinæ voluntatis, vt quidam effectus contingenter eueniant, quod quidem ex ſumma efficacia Diuinæ voluntatis accidit, vt cuncta eo modo eueniant, quo illa vult Deus euenire; & quia vult, vt quædam neceſſariò, quædam contingenter, & liberè; idcirco ea ratione eueniunt,- quia cuncta ſequuntur ductum voluntatis eius.

55. *Nota* ex eo, quòd aliquid à Deo eſt præſcitum, non eſſe ſtatim inferendum, quòd neceſſariò eueniat, ſed quòd eo modo eueniat, quo Deus præſciuit, & diſpoſuit, & quia præſciuit, & ordinauit cauſas ſecundas neceſſarias, contingentes, liberas; idcirco vult vt quædam contingenter, liberè, & quædam neceſſariò eueniant. *atq; hinc collige*, quòd hæc præſcientia infallibilis, non euertat libertatem, ſed eam ſaluet; ſiquidem cum ea liberè concurrit. nam Deus præſciuit me hac horá lecturum; & ego eadem lego: non neceſſariò tamen, ſed liberè: quoniam Deus præſciuit me cauſam liberam, hunc actum lectionis exerciturum. Proinde dico hæc duo bene ſtare. & *quòd ego liberè*: & *quòd neceſſariò lego.* deducitur hoc ex *quæſt. 6. de verit. art. 3.* ad 7. & 8. vbi dicit: quòd vni eidemque rei, poteſt ſimul competere modus neceſſitatis, & contingentiæ. ſed contingentia conuenit illi ſimpliciter ab intrinſeco, & ex propria natura; quia ex cauſa proxima: neceſſitas verò conuenit ſecundùm quid, per reſpectum ad extrinſecum, ſ: ad diſpoſitionem Diuinæ Scientiæ, & ad determinationem Diuinæ voluntatis, atque ſic nullum erit inconueniens, quòd aliquis effectus ſit ſimpliciter contingens & ſecundùm quid neceſſarius: ſicut etiam benè ſtat, quòd aliquis ſit ſimpliciter niger, & ſecundùm quid albus, ſ: quoad dentes.

Præſcientia infallibilis non euertit libertatem.

Liberè agere & neceſſariò agere quomodo ſtare poſsūt.

56 *Dices* Cur potius effectus nō dicatur ſimpliciter neceſſarius, cum reſpectu Dei infallibiliter & neceſſariò eueniat? *Reſpondetur* hoc ideo accidere; quia reſpectu Dei, nullo modo cōtīgētia dici poteſt, ſiquidē vt ſic, conuenit illi neceſſitas. nam contingentia ad ſecundæ cauſæ contingentiam refertur: quemadmodum & homo dicitur ſimpliciter eſſe criſpus; quamuis criſpitudo, ſecundùm certam partem, v. ſecundùm caput illi conueniat. nam ſolū, ſecundùm caput aptus eſt criſpitudinem recipere: ita & effectus, licet ex præſcientia Dei neceſſariò emanet, dicitur ſimpliciter eſſe contingens, ratione Cauſæ ſecundæ, nam ratione illius tantùm poteſt habere contingentiam. Ita ſentit D. Tho. quando in contrarium tale Argumentum reſoluit: à cauſa neceſſariá, neceſſarius effectus procedit. ſed Scientia Dei eſt neceſſaria, eademque cauſa rerum. ergo neceſſariò res ab ea prouenient.

Contingentia reſpectu Dei nullo modo dici poteſt.

Reſpondetur à S. Doct. quòd, quāuis cauſa ſuperior, quæ quidem eſt Deus, ſit neceſſaria; effectus tamē poteſt eſſe contingens, propter cauſam proximam contingentem; velut germi-

lut germinatio plantæ, eſt contingens, ac impedibilis, propter cauſam proximam contingentem; quãuis motus ſolis, qui eſt prima cauſa, ſit neceſſarius.

57. *Obijcies.* Diuina voluntas imponit neceſſitatem omnibus rebus. ergo cum hac neceſſitate contingẽtia ſtare non poterit; *Antecedens* De⁹ ab æterno, voluit eſſe res omnes in tempore, ſicuti ſunt. ſed Antecedens eſt neceſſarium. ergo & conſequens. *Minor* illud Ancedens habet Propoſitionem de præterito; & ideo verum, cùm ad præteritũ nulla detur potẽtia. ergo ſicut Antecedẽs erit neceſſarium neceſſitate infallibilitatis. etiã & Conſequens ſimiliter erit neceſſarium, non contingens.

Reſpondetur varias reſolutiones haberi huius Argumenti; ſed quia de hoc adhuc recurret nobis ſermo in ſequenti Quæſito; idcirco breuiter ad Argumentum reſpondeo negando, quòd voluntas Dei imponat neceſſitatem rebus, *ad probationem dico.* illud Antecedens non eſſe neceſſarium abſolutâ neceſſitate, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, cùm enim dicitur *Deus voluit res eſſe*, voluit quidẽ, ſed non ſimpliciter & abſolutè neceſſariò, verũ liberè. *Præterea* voluit neceſſariò ex ſuppoſitione; quia enim voluit, ideo ſunt: & ſic, vt erit Antecedens neceſſarium ex ſuppoſitione, ita etiam Conſequens erit neceſſarium ex ſuppoſitione. nam conſequẽs eſt effectus antecedẽtis: iam autem effectus, non eſt præſtãtior ſuâ cauſa; ſed ſi antecedens ex ſuppoſitione, & conſequens erit ex ſuppoſitione. at neceſſitas ex ſuppoſitione non deſtruit contingentiam & libertatem, ſed eam ſecum compatitur.

Voluntas Dei non imponit rebus neceſſitatẽ.

QVÆSITVM V.

An ſi Deus ageret naturali neceſſitate, daretur contingentia, & libertas in rebus?

58. DEveritate hui⁹ Quæſiti, duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ. *Prima* eſt Scoti, quæ negat contingentiam in *1. diſt. 2. quæſt. 2*, & *diſt. 8. q. 5.* & *diſt. 39.* & in *2. diſt. 1. q. 3.* hic poſtquam vniuerſam rerum contingentiam tranſtulit in voluntatẽ Diuinam, hanc Concluſionem conſequenter ſtatuit: *Si Deus (per impoſſibile) non liberè ageret, ſed neceſſitate duntaxat naturali, nulla omninò foret in rebus contingentia, ſed naturali neceſſitate vniuerſa euenirent.* Tandem veteres Philoſophos, quòd apertam contradictionem committerent, reprehẽdit: dicebant enim Deũ omninò neceſſariò, & non liberè mundũ produxiſſe; tamẽ nihilomin⁹ contingentiam in rebus admittebãt; quod inuoluit contradictionem. ſed cùm Deus ſit cauſa ſimpliciter neceſſaria, &

Opinio antiquorum à Scoto oppugnatur.

ria, & quæ operatur neceſſitate naturæ operatur, nullus iam effectus contingenter eueniret.

Secunda eſt ſententia in oppoſitum, affirmans, quòd etiamſi Deus, eſſet cauſa neceſſaria, & neceſſariò operaretur, (vt affirmabāt Philoſophi,) & darentur cauſæ ſecundæ liberæ, contingentes; adhuc effectus ab eis producerentur liberi & contingentes, propter contingentiam & libertatem, quæ in ſecundis cauſis reperitur. Et hæc eſt ſententia D. Tho. *hîc & 1. con. gen. c. 67. & de verit. quæ. 2. art. 14.* ad 5. & *q. 5. a. 9.* ad 10. & in 1. *diſt. 38. quæſt. vnica, art. 1.* idem ſentiūt Caietan. Ferrar. & communiter alij. Pro determinatione Quæſiti.

Deus ad extra libere agit. 59. *Suppono primò* in operibus, quæ ſunt ad extra, Deus non eſt cauſa neceſſaria. *Probatur* quia hoc repugnat, ſummæ libertati Diuinæ; ſiquidem eſt liberrimus in productione omniū creaturarū Deus. *Deinde*, quia poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere & non agere. ergo omnino eſt liber. *Præterea* quia modus agendi, ille Deo eſt tribuēd⁹, qui eſt perfectiſſimus: iam autem mod⁹ agendi liberè, eſt perfectior, quàm modus agendi ex neceſſitate; ſiquidem hic ſolùm ad vnum eſt determinatus, ille autē ad vtrūq; propendet, & ad agendum, & ad non agendum. Non eſt etiam Deus cauſa cōtingens; quia contingentia ſecum importat defectum, & mutabilitatem: intelligimus autem hic causā contingentem, quæ poſſit impediri, propter imperfectionem ſui *eſſe*, & ſuæ virtutis, quæ nullo modo poſſunt conuenire Deo, cùm ſit cauſa efficaciſſima *Nihilominus dico*, quòd Deus, etiam modum & perfectionē

Modus agēdi liberè perfectior eſt modo agēdi ex neceſſitate.

cauſæ neceſſariæ, liberæ, contingētis, virtualiter & eminenter in ſe continet. *tum* quia Deo, tanquam primæ cauſæ, propter ſummam eius perfectionem, conuenit, vt omnium cauſarum perfectiones in ſe habeat: & cùm hæ quædam ſint neceſſariæ, quædam liberæ, quædam contingentes; harum omnes modos includit. *tum* quia, quæ ſunt diſperſa in inferioribus, debent eſſe vnita in ſuperioribus, & cum omnium inferiorum, & ſuperiorum ſit Deus ſupremus; ideo hæc in ſe habet.

Cauſarum omnium etiam contingētiū Deus in ſe perfectiones includit.

60. *Suppono ſecundò.* Aliquid neceſſarium dupliciter poteſt dici: *primò* ſimpliciter & abſolutâ neceſſitate: vt, Deum eſſe, infinitum eſſe, æternum eſſe; ſimiliter hominē eſſe animal rationale, hæc enim conſiderata in ſuis naturis, aliter ſe habere nō poſſunt: *ſecundò* neceſſarium eſt neceſſitate ſuppoſitionis, quod iam non abſolutè, ſed aliquo ſuppoſito eſt neceſſarium: vt, Antichriſtum eſſe, eſt neceſſarium, non neceſſitate abſoluta, ſed ſuppoſito, quòd eū Deus eſſe voluerit, & hoc neceſſarium ex ſuppoſitione idem eſt, quod infallibile & immutabile; quia enim Diuina voluntas eſt immutabilis, & infallibilis; ideo ſuppoſito, quòd De⁹ aliquid voluerit eſſe, vt Antichriſtum, id iam neceſſariò ex ſuppoſitione fieri debet. Cùm igitur neceſſitatem tribuimus Deo, & dicimus, *quòd Deus ſit cauſa neceſſaria*, non intelligimus, de neceſſitate quæ ſit ſimplex & abſoluta. Deus enim in operibus *ad extra* habet ſe liberè, & non neceſſariò. erit igitur cauſa neceſſaria ex ſuppoſitione, ita vt ea, quæ Deus in ſuo decreto conſtituit fore; neceſſariò eſſe debeant; ſiquidem

Neceſſariū dupliciter dicitur.

Deus in operibus ad extra habet ſe libere & non neceſſariò.

quidem eius voluntas eſt immutabilis & infallibilis. His præmiſſis.

Sentẽtia antiquorum Philoſophorum approbatur.

61. Dico. *Si Deus eſſet cauſa neceſſaria, & neceſſariò ageret (quemadmodum opinati ſunt veteres Philoſophi) & ſi cauſæ ſecundæ eſſent liberæ, & contingentes, dico: quòd adhuc effectus producerentur liberi, & contingentes, propter libertatem & contingentiam, quæ eſt in cauſis ſecundis.* Hoc Dictum eſt directè contra Scotum, & eſt D. Th. hîc, & Caiet. & *1. con. gen. cap 67.* & *de verit. quæſt. 2. nart. 14.* ad *5.* & *in 1. diſt. 38. quæſt. vnica, art. 5.*

PROBATVR Motio primæ cauſæ, non pertingit ad effectum, niſi recepta in cauſa ſecunda. ſed quodlibet quod recipitur, per modum recipientis recipitur: ſiquidem act⁹ actiuorum, ſunt in patiente diſpoſito. ergo motio primæ cauſæ recepta in cauſa libera, & contingenti. liberè & contingenter modificabitur; & ſic modificata, pertinget ad effectus, ſecundùm modos cauſarũ ſecundarum; ergo non neceſſariò, ſed contingenter & liberè effectus producentur. Pro intelligentia hui⁹ rationis.

In cauſa ſecunda duo ſunt.

62. *Nota*, quòd in cauſa ſecunda ſunt duo: *inprimis* eſt motio cauſæ primæ: *deinde* præter hanc motionẽ in ſe receptam, cauſa ſecunda habet propriam virtutem: proinde cauſa ſecunda, duplici virtute influit in effectum, ſ. motione primæ cauſæ, & motione ſeu virtute propriâ, ac innatâ ſibi. ſicut calamus mot⁹ ſcriptoris manu, operatur, ob virtutem in ſe receptam; & nihilominus per ſuam propriam virtutem pingit literas: ita virtus primæ cauſæ recepta in ſecunda, habet ſe non per modum permanentis, ſed per modum tranſeuntis: Hæc eadem virtus primæ cauſæ, prius recipitur in cauſa ſecunda, quàm attingat effectum; vnde ex conſequenti, concurſus ille primæ cauſæ, pri⁹ modificat, quã cum ſecunda progrediatur ad effectum producendum. Ex quo iam manifeſtum euadit, quòd etiamſi cauſa prima, hoc eſt Deus, neceſſitate naturæ agat, & ſi ſint cauſæ cõtingentes liberæ, modificantes cõcurſum, & virtutem primæ cauſæ, effectus producti non erunt neceſſarij, ſed aut liberi, aut contingentes. *Ex quo reſolutio patet ad Argumentũ Scoti*, quod eſt tale: Cauſa ſecunda mouet, in quantum eſt mota, ita, vt ſi neceſſariò moueatur, etiam neceſſariò mouebit. ergo ſi voluntas mouet, vt eſt mota à prima cauſá, ſiquidem illa neceſſariò mouet, etiam voluntas humana neceſſariò mouebit. ergo ceſſabit libertas, & contingentia effectuum.

Cauſa ſecunda ſi eſt neceſſaria, neceſſariò agit; ſec⁹ nõ etiamſi à cauſa prima neceſſaria moueatur.

Reſpondetur negando, quòd cauſa ſecunda, etiamſi moueatur à cauſa prima neceſſaria, neceſſariò moueat ſiquidem illa motio neceſſaria primæ cauſæ, modificatur à cauſa ſecunda; in qua eſt recepta. vnde iã illa motio primæ cauſæ, recipiet cõditiones cauſæ ſecundæ, iuxta illius modum.

Probatur ſecundò quando effectus neceſſariò procedit à pluribus cauſis, inuicem ſibi ſubordinatis, tunc, ſi contingat aliquam eſſe cauſam defectuoſam; effectum neceſſe eſt ſubſequi defectuoſum. ſed in productione futurorum ſic ſe habet; quia cauſa ſecunda concurrendo cum prima, eſt defectuoſa, nã eſt cõtingens. ergo erit effectus contingẽs; *Sequela*, dicit enim D. Dionyſ. *Bonum ex integra*

ex integra cauſa: malum autem ex ſingularibus defectibus.

Operis naturæ & rationis conformitas.

63. *Probatur tertiò.* ſicut ſe habet opus rationis: ita etiam neceſſe eſt, vt ſe habeat opus naturæ; ſiquidem opus naturæ, eſt opus intelligentiæ non errantis. ſed in operibus rationis, v.g. in Syllogiſmo, Concluſio, quæ eſt effectus Præmiſſarũ, ſic colligitur; quòd, quando vna eſt neceſſaria, &altera probabilis Præmiſſa, ſequitur debiliorẽ partẽ; hoc eſt, nõniſi probabilis efficitur atque infertur. ergo idem accidit in operibꝰ naturæ, quòd quamuis prima cauſa ſit neceſſaria in concurrendo: tamẽ quia ſecunda eſt contingens; idcirco effectus erit contingens.

Argumentũ ab experiẽtia.

Probatur quartò quotidianâ obſeruatione docemur, quòd ſol & aſtra quãuis neceſſariò agãt, nihilominꝰ eorum ſũt contingẽtes effectꝰ: hoc ideo, quia ſol, & reliquæ influentiæ aſtrorum, licet neceſſariò agant, non tollunt tamen contingentiam, & libertatem à cauſis ſecundis. ergo neque ſi cauſa prima ex neceſſitate agat, auferet ab ijſdem cauſis contingentiam: ſicut enim immutabilitas Diuinæ voluntatis, non aufert ab arbitrio hominis libertatem: ita ſi Deus ex neceſſitate naturæ agat, non adimet cauſis ſecundis contingentiam: *Conſequentia* nam vt immutabilitas opponitur mutabilitati; ita neceſſitas contingentiæ.

Ad extremùm ſi à Deo, tanquam prima cauſa operante ex neceſſitate naturæ, effectus neceſſarij prouenirent, ſequeretur, quòd actio hominis non eſſet magis libera, quàm calefactio ignis. ſed ignis calefactio tollit libertatem, ob ſibi inditam neceſſitatem. ergo & concurſus neceſſarius primæ cauſæ, tolleret libertatem ab actione hominis.

Contingentia non in voluntatem Dei ſed in cauſas proximas referenda eſt.

64. Dico ſecundò. *Voluntas Diuina, licet ſit prima radix contingentiæ, effectus tamen contingentes, nõ in voluntatẽ Dei, ſed in proximam cauſam contingentem, ſunt referendi.* Oppoſitum Scotus tenet, v. *quòd contingentia effectuum, principaliter proueniat ex contingẽtia Diuinæ voluntatis; quia contingenter ſe habet, ad vtrumq; oppoſitum:* quod nos negamus. quamuis enim Deus, in operibus ad extra, liberè ſe habeat, *nullam tamen contingentiam in Deo ponimus.* ita docet D. Th. *7. con. gen. cap. 85. quæſt. de verit. 33 art. 5. & hîc in 1. par. quæſt. 19. art. 8.* PROBATVR primũ, quòd *ſit prima radix contingentiæ.* quia efficacia ſumma diuinæ volũtatis in eo cõſiſtit, vt nõ per eã ſolã id fiat, quòd vult fieri, ſed vt eâ ratione, & modo fiat, quo vult. atqui ſic voluit, & ordinauit; (in quo etiã perfectio Vniuerſi conſideratur;) vt aliqua fiant neceſſariò, quædam liberè, quædam contingenter. ergo huiuſmodi contingentia neceſſariò debet procedere à diuina voluntate ſummè efficaci, *Confirmatur.* Eadẽ Diuina voluntas voluit & ordinauit, immò & de facto ꝓduxit cauſas ſecundas, cum certis modis agendi, vt quædam agerent neceſſariò, quædam liberè, &c. ergo contingẽtium eſt radix diuina voluntas.

Ratio prima.

Contingentium eſt radix diuina voluntas.

65. PROBATVR ſecundũ ſ: *quòd licet Deus ſit radix, & prima cauſa contingentiæ; effectꝰ tamẽ contingentes nõ in Deũ, ſed in cauſas proximas cõtingẽtes referẽdi ſint.* Prima *ratio.* quia effectꝰ cõtingẽs, dicit formaliter imperfectionẽ. ſed Deo ob ſũmã eiꝰ perfectionem, non conuenit imperfectio. ergo nec contingens effectus.

Quidquid includit imperfectionẽ a Deo remouendum.

Secunda ratio. Sicut homo, non dicitur formaliter & intrinſecè homo, per habitudinem ad Deum, ſed per habitudinem ad ſua formalia principia conſtitutiua: ita & effectus contingens, non dicitur formaliter & intrinſecè contingens, per habitudinem ad Deum; ſed per habitudinem ad cauſam ſecundam, à qua productus eſt.

Tertia ratio Actio libera humana, non dicitur libera, per habitudinem ad Deum, ſed per reſpectum & habitudinem ad liberum arbitrium hominis. ergo & actio humana non dicitur cõtingẽs, per habitudinẽ ad Deum, ſed ad voluntatem hominis.

Quarta ratio Actus contingens, habet poſſibilitatem ad non *eſſe*. ſed hæc poſſibilitas ad non *eſſe*, non ſumitur per habitudinem ad Deum, nec ad illius actionem; ſiquidem poſſibilitas ad non *eſſe*, ex eo prouenit, quòd poſſit impediri: actio autem Dei impediri non poteſt. ergo non ſumitur per habitudinem ad actionem Dei ſed per habitudinem ad cauſam proximam.

66. *Obijcies.* Deus eſt prima radix contingentiæ, idemque eſt cauſa, quòd effectus contingẽtes eueniãt. ergo effectus contingentes habebunt neceſſariam habitudinem ad Deum. *Reſpondetur* hæc duo, benè poſſe ſecum ſubſiſtere, & quòd De^9^ prima ſit radix cõtingentiæ, & quòd effectus contingentes non referantur ad Deum. nam Deus, eſt cauſa vniuerſalis actionis & paſſionis, & tamen paſſio non dicitur formaliter paſſio, ſed motus, ex habitudine ad Subiectum, in quo recipitur; porrò recipitur in cauſa ſecunda. ergo ex habitudine ad cauſam ſecundam dicitur paſſio. ita & contingens effectus ad proximam cauſam referri debet: quæ quia impediri poteſt; idcirco cõtingẽtes producit effectus.

Deus licet ſit origo & radix cõtigẽtiæ tamẽ hæc eadem contingentia in eum non eſt reiicienda.

Obijcies ſecundò. Quòd Deus facit mediantibus cauſis, poteſt etiam ſe ſolo producere; ſed per cauſas ſecundas producit effectus contingẽtes. ergo eoſdem immediatè per ſeipſum producere poterit: ſicut creauit mundum, & producit gratiam, ac virtutes ſupernaturales. *Reſpondetur* cum Caiet. licet Deus in operationibus *ad extra*, ſit cauſa formaliter libera, nihilominus modos operandi aliarum cauſarum, v. contingentis, ac neceſſariæ, eminẽter in ſe continet; & ſic poterit Deus, ſe ſolo producere effectus contingentes, ac neceſſarios: tales autẽ effect^9^ producti poterunt ad Deum referri, non quidem liberè operantem, ſed per modum cauſæ contingentis: at hæc reſponſio Caietani, quamuis ſit ingenioſa, quibuſdam non placet; *proinde dico*, quòd hic talis effectus, quem Deus immediatè ſe ſolo produceret, non appellaretur contingens; ſed liber; quia poteſt eſſe, poteſt & non eſſe. ideo verò non debet dici contingens; quia de ratione effectus contingentis eſt, quòd ei us productio poſſit impediri, cùm actioni, quam Deus ſe ſolo producit, repugnet Quocirca iſte ſic ꝑductus effectus, erit dicendus liber, non contingens. ex quo collige, quòd effectus propriè, & formaliter contingens, non poteſt dici, niſi in reſpectu ad cauſam ſecundam proximam contingentem.

Contingentia formaliter quomodo conficiatur.

67. *Obijcies tertiò.* Cauſa quæ eſt prior, & vniuerſalior, prius actione reſpicit,

reſpicit, & influit in effectum, quàm cauſa ſecunda, quæ eſt poſterior. ſed Deus eſt cauſa prior, & vniuerſalior: ſecunda autem eſt poſterior. ergo illa priùs effectum attinget, & producet. ergo ſi erunt contingentes effectus, ad Deum ſunt referendi. *Maior* quia cauſa prior, immediatiùs operatur immediatione virtutis, & eſt minùs dependens. *Reſpondetur* huius Obiectionis reſolutionem pendere ex illa quæſt. *An Deus prius attingit effectum, quàm cauſa ſecunda?* nihilominus dico, quòd Deus in nullo inſtāti priori operatur priꝰ ad effectum producendum, quàm cauſa ſecunda operetur; propterea prima Cauſa non attingit productionem effectus, niſi priùs fuerit modificata à cauſa ſecunda. Quādo verò dicitur, *quòd cauſa prior eſt, quæ primò reſpicit effectum.* dico hoc ideo accidere, quia eſt vniuerſalior, & quia independentiùs operatur, ac immediatione virtutis: nullo tamen modo concedendum eſt, quòd in aliquo priori naturæ, aut temporis attingat effectum, quàm cauſa ſecunda. & ideo neque etiam admittēdū eſt, quòd, ſi Deus neceſſariò moueret, ſed mediante cauſa contingenti, illi effectui tribuat neceſſitatē, quæ quidē accipit contingentiā à causa contingenti, quæ modificat virtutem primæ cauſæ.

Deus nō prius ad effectum quàm cauſa ſecunda operatur

68. *Dico vltimò* Pro intelligentia ſententiæ Scoti, quæ in eo conſiſtit fundamento, ſi Deus ex naturæ neceſſitate ageret, & ſi cauſæ cōcurrerent ſecundæ, contingentes, neceſſariæ, & liberæ, ad producendos effectus, eo modo, quo iā concurrunt, tūc hęc virtus neceſſariò agēs mutaret illarum naturas, & modos agendi. *Confirmat hoc Ioannes Zamorus* dicens: ſupponere, quòd prima cauſa neceſſariò agat, & nihilominus, quòd cauſa ſecunda liberè & contingenter ageret, manente inter illas eſſentiali dependentia, eſt manifeſtam admittere contradictionē. *Probatur* quia ſecunda cauſa à prima pendebit, & non pendebit; pendebit, quia in virtute eius aget. nō pēdebit, quia habet poteſtatem liberè & cōtingenter agendi; ſed quia cauſa ſecunda eſſentialiter à prima dependet, per neceſſariam conſequentiam ſequitur, vt neceſſariò à prima dependeat; & quia hæc neceſſariò agit, ſimul ab ipſa pendebit in determinatione producendi effectum determinatum; ſiquidē in virtute eius neceſſariò operatur. *Quod idem vult & ratio Scoti.* Cauſa omnipotens perfecta, & quæ à nullo impediri poteſt, ſi eſt neceſſariò agēs & operans, neceſſariò ponit in *eſſe* omnem illū effectum, quem vult. ſed Deus eſt eiuſmodi. ergo omnem effectū ponit in *eſſe* neceſſariò.

Fundamentum ſententiæ Scoti tollitur.

Ad hoc ergo fundamentum breuiter dico (vt aduertit Mol. Vaſq) quòd iā alius ordo vniuerſi eſſet ponendus: nos autem à principio ſuppoſuimꝰ, quòd ſtantibus cauſis ſecundis, in ea naturæ ſuæ perfectione, in qua iā productæ ſunt, nimirū, quòd quædam ſint liberæ, quædam contingētes, iam darentur effectus contingentes; Diſcurſus itaque Scoti, illarum naturæ proprietatem, & vim agendi inſitam euertit, & nouum mundum inducit.

QVÆ-

QVÆSITVM VI.

An hæ Propoſitiones, *Deus ſciuit Petrum peccaturum, Deus præſciuit Antichriſtum futurum,* ſint neceſſariæ abſolutè & ſimpliciter?

69. HVius difficultatis pro ponendæ præbet nobis occaſionem S. D. in *art.3.* in *ſolut. argu.2.* quare de his ꝓpoſitionibꝰ, variæ sũt opiniões Doctorũ. D.Th. in loco al legato, Capr. in *1. diſt. 38. art. 2. Concluſ 6.* referunt, quòd duæ erant celebres ſẽtẽtiæ, apud antiquos Theologos. *Prima:* quòd hæc Propoſitio *Deus ſciuit Antichriſtum fore*; eſt contingens: *Ratio* quia pendet ex vna de futuro cõtingẽti, v. ex hâc, *Antichriſtus erit*: ſicut enim iſta propoſitio, *hoc futurum fuit,* eſt contingens; quia illud præteritum, non eſt neceſſariũ nã quòd fuit futurũ, potuit nõ eſſe futurum: ita & hæc propoſitio, *Deus ſciuit Antichriſtum fore,* eſt contingẽs, quia inuoluit hanc, *Antichriſtus erit,* quæ quidem eſt contingens.

Prima ſententia.

Secunda dicit, quòd illa propoſitio, *Deus ſciuit Antichriſtum fore,* eſt miſta ex contingenti & neceſſaria, ſicut hæc propoſitio: *Petrus eſt homo albus,* duo habet Prædicata, vnum contingens *eſſe album,* & alterum neceſſarium, *eſſe hominem*: ita hæc propoſitio, *Deus ſciuit Antichriſpum fore,* duo habet Prædicata, vnum quod eſt neceſſarium, v. *Deus ſciuit,* alterũ contingens, *Antichriſtum fore.* ſed vtraſque has ſententias, refutat S.D. *in reſpon. ad 2.* maximè hanc poſteriorem; quia non tollit neceſſitatem. nam reſpicit ad id, quod propoſitio materialiter includit; opus autem eſt reſpicere ad formale, & ad principalem compoſitionem, in qua fundatur veritas propoſitionis. Et quia in hac propoſitione, *Deus ſciuit Antichriſtũ fore,* eſt hoc materiale, ſcilicet *Antichriſtus erit,* quod quidem eſt cõtingens. iã verò principale, ex quo eſt ſumẽda veritas, & neceſſitas propoſitionis, eſt iſtud *quòd Deus ſciuerit per modum præteriti.* vnde hæc propoſitio regulanda eſt, per regulam de præterito.

Secunda ſententia.

70. *Tertia opinio* D. Bonau. in *1. diſt. 38. quæſt. 2.* hic docet, quòd in hac propoſitione *Deus ſciuit Antichriſtum fore,* & in hac, *Deus ſciuit Petrum ſaluandum,* ſunt duo actus: *primus* eſt ſciendi futura, qui eſt neceſſarius: *ſecundus* ordinatio ipſius futuri, ad actum ſciendi, per quem ſcitur & cognoſcitur Antichriſtus, & iſte eſt contingẽs; quia, quòd cognoſcatur Antichriſtus, eſt contingens.

Opinio D. Bonauenturæ.

Thomas Walden, *l. 1. doctrinæ fid. c.29.* hanc ſententiam dicit eſſe sũptam ex doctrina D.Aug. quam tali exemplo illuſtrat. Sol enim cùm illuminat, omne illud, quod ſibi eſt præsẽs illuminat, & in hoc ſunt duo actus,

actus. *primus* quòd ſol illuminet; & hic quidem eſt neceſſarius: *ſecundus* eſt, quòd pręſentia illuminet, vt hominem, leonem, &c. & iam eſt contingens. Hæc ſententia (vt dicit Cumel) eſt quidem vera, quia duo includit, quæ negari non poſſunt: & quòd actus ſciendi in Deò ſit neceſſarius: & quòd Antichriſtus futurus ſit, ſit contingens. ſed non videtur diſſoluere difficultatem: nam coincidit cum priori ſententia; iam autem diximus, non materiale, ſed id quod eſt formale & principale in propoſitione, eſſe inſpiciendum.

Quarta grauiſſimorum Theologorum, Fran: Victoriæ, Dominici Soto, Melch: Cani. qui dicunt tria: *primùm*, hãc propoſitionẽ, *Deus ſciuit Antichriſtum fore*, ſola voce eſſe de præterito, re ipſa eſſe de præſenti. *ſecundùm* quamuis illa propoſitio eſſet de præterito, nihilominus eſſet ſimpliciter contingens, & neceſſaria ſecundùm quid; quia includit vnam de futuro contingenti, v. *Antichriſtus erit*. *tertium* ijdem DD. dicũt, quòd poſtquam Deus ſciuit Antichriſtum futurum, manet in Deo potentia ad hoc, vt Antichriſtus non ſit, & ex conſequenti ad hoc, quòd Deus nõ ſciuerit Antichriſtum futurum.

Opinio Caietani.

71. *Quinta eſt Caiet.* oppoſità, in *Commen.* hic ad *art. 13.* dicitque inprimis, quòd iſta propoſitio, *Deus ſciuit Antichriſtum futurum*, ſit ſimpliciter neceſſaria: nam ſimpliciter eſt de præterito; & omnino regulandã eſſe per leges aliarum propoſitionũ de præterito, & quia ad pręteritum nulla eſt potentia, conſequenter dicit, nullam eſſe potentiam, neq; ex parte Dei, neque ex parte creaturæ, ad falſam reddendam illam propoſitionem, & ad faciendum, quòd Deus non ſciuerit Antichriſtum futurum. Idem Caiet. fatetur; quòd ſi loquamur de re, v. de Scientia Dei, idem eſt dicere, *Deus ſcit*, & *Deus ſciuit Antichriſtum fore*; quia in Deo, non eſt differentia præſentis & præteriti tẽporis: ſi verò loquamur de propoſitionibus, dicit illam, quæ eſt de præterito, v. *Deus ſciuit*, eſſe neceſſariam & verã, quæ verò eſt de præſenti eſſe contingentem. Pro determinatione.

Propoſitiones neceſſariæ ſunt duplices.

Suppono primò Propoſitiones neceſſarias, eſſe in duplici differentia: quædam ſunt neceſſariæ ex habitudine terminorum, vt quando Prædicatũ eſt de eſſentia Subiecti, qualis eſt hæc: *Deus eſt, homo eſt animal rationale*: quædam ſunt neceſſariæ, illæ nimirum, quarum cauſa veritatis & neceſſitatis iam præceſſit; & tales ſunt omnes illæ propoſitiones de præterito, quæ dicunt ordinem ad præteritum, non ad futurũ. vt *Adam fuit*. quæ ſimpliciter eſt neceſſaria; quia cauſa veritatis & neceſſitatis iam præceſſit.

Scientia Diuina ſemper eſt præſens & nunquam præterita aut futura.

72. *Suppono ſecundò.* Licet Scientia Diuina ſemper ſit præſens, & nunquam ſit præterita, nec futura: nihilominus plurimùm intereſt, quomodo de hac Scientia diuina enuntiamus? an per propoſitiones de præſenti, an verò de præterito? Si enim ſit propoſitio de præſenti, qualis eſt hæc. *Deus ſcit Antichriſtum fore*, non erit abſolutè neceſſaria; quia Deus liberè ſcit, & potuit non ſciuiſſe, ſicut liberè quoque vult, nam potuit noluiſſe: ſi verò ſit propoſitio de præterito, qualis eſt hęc, *Deus ſciuit Antichriſtum fore*; ex modo enũtiandi erit neceſſaria; quia iam cauſa

illius neceſſitatis præterijt. *Declaratur. Petrus ſcribit, Petrus ſcripſit,* idem eſt contingens; nam eandem ſcripturã ſignificat, ſed illa tamen quæ ſignificat in præſenti, dicitur eſſe contingens; quia liberè & contingenter ſcribit: quæ verò ſignificat in præterito, eſt neceſſaria, quia præceſſit cauſa neceſſitatis, v. habuit vnam veram de ineſſe ſcriptionem actualem. Idem dicendum eſt de his Propoſitionibus *Deus ſcit,* & *Deus ſciuit Antichriſtũ fore.* Illud tamẽ hic aduerte, quòd propoſitio illa *Deus ſciuit Antichriſtum fore;* non pendet ex iſta de futuro *Antichriſtus erit,* ſed pẽdet ex ſua de ineſſe, v. ex hac, *Deus ſcit Antichriſtum fore.*

Triplex gradus propoſitionũ neceſſariarum ex ſuppoſitione.

Suppono tertiò. Propoſitiones neceſſariæ ex ſuppoſitione, tres habẽt gradus. *Primus* eſt earum, quæ ſunt de præterito, quas vocat D. Bonau. pro præterito; quia non dicunt ordinem ad futurum, vt *Adam fuit, Chriſtus mortuus fuit. Secundus* eſt earum, quæ ſunt de præterito pro futuro. hæ dicũt ordinem ad quoddam futurum contingens, quo quidem futuro contingenti non poſito, per bonam conſequentiam ſequitur *Antichriſtus non eſt, nec erit,* & *quod Deus ſciuit Antichriſtum fore. Tertius* eſt earũ, quæ ſunt conditionales, quæ quãuis ſeorſum ſumptæ ſint ſimpliciter contingentes, tamen ad inuicem coniunctæ, ſunt conditionaliter neceſſariæ, qualis eſt hæc, *ſi Petrus currit, Petrus mouetur,* eſt conditionaliter neceſſaria. nam ſi currit, neceſſariò mouetur. pro determinatione

Futura contingẽtia nõ ſunt abſolutè neceſſaria, etiam vt ſunt ſcita à Deo.

73. Dico primò. *Futura contingentia, etiam in quantum ſunt ſcita à Deo, nõ ſũt abſolutè neceſſaria.* hoc eſt, quod volo dicere, *ex eo quòd Deus ſciuerit ab æterno, & voluit Antichriſtum fore, non ſequitur, quod Antichriſtus abſolutè neceſſariò erit.* PROBATVR ſi enim, ideo omnes effectus contingentes futuri ſunt abſolutè neceſſarij; quia ſubiacent Diuinæ Scientiæ, ſequeretur quòd nullus effectus eſſet contingens, & liber: ſed omnes neceſſarij, & ſic in Hæreſim Wiclef. incideremus, qui affirmabat omnia fatali neceſſitate euenire, quæ in Concilio Conſtantienſi *Seſſ. 8.* damnata eſt.

Sciẽtia Dei non imponit abſolutam neceſſitatem rebus futuris, nec tollit liberum arbitrium.

Probatur ſecundò. Scientia Diuina, non imponit abſolutam neceſſitatem rebus futuris, neque tollit liberum arbitrium noſtrum. ergo futura contingentia, etiam inquantum à Deo ſunt ſcita, non ſunt abſolutè neceſſaria, ſed ſunt ſua natura contingentia.

Probatur tertiò. Sicut enim nõ valet hæc conſequentia, *Lapis eſt cognitus. ergo eſt immaterialis. ergo abſolutè immaterialis:* ita quoque non valet: *futura contingentia in quantum ſunt ſcita à Deo; ſunt neceſſaria. ergo abſolutè neceſſaria,* quia eſt argumentatio à Dicto ſecundùm quid, ad Dictum ſimpliciter, ſicut & hæc conſequentia non tenet. *Domus in mente artificis eſt ſpiritualis. ergo domus eſt ſpiritualis.* quia eſt illatio ſimiliter à Dicto ſecundũ quid, ad Dictum ſimpliciter,

Probatur quartò. Futura contingẽtia ex natura ſua formaliter & intrinſecè ſunt contingentia. ergo vt ſcita à Deo, non ſunt abſolutè neceſſaria. nam quòd ſint ſcita à Deo, habet ſe extrinſecè, & ſecundùm quid, non verò abſolutè. ex quo collige, quòd ea, quæ à Deo ſciuntur, ſunt nobis euitabilia, quia ſunt contingentia.

Elegãs Corollarium.

74 Dico ſecundò. *Iſtæ Propoſitiones.* Deus ſciuit Antichriſtum fore, & Deus ſciuit Petrum peccaturum, *& aliæ his ſimiles loquendo de rigore neceſſitatis, non ſunt ſimpliciter & abſolutè neceſſariæ*, Ita docet Alex. Alen. *in 1. par. quæſt. 24. membro* 4. D. Bonau, *diſt. 38. quæſt. vlt.* Scotus *ibid. in reſp. ad 5.* Gregor. Armin. *ead. diſt. 38. quæſt 2. art 3.* Gabriel *quæſt. vnica.* Eadem ſententia ex multis, D. Thomæ. locis colligitur. *in 1. diſt. 38. quæſt. vnica. art. 5. ad 4.* ſed maximè *in hoc artic. in reſp. ad 2.* vbi ſic dicit. *quando aliquid ponitur in antecedente, quod pertinet ad actum animæ, conſequens eſt accipiendum non ſecundum quod in ſe eſt, ſed ſecundum quod eſt in anima* nam aliud eſt *eſſe* rei in ſe, aliud *eſſe* in animâ. Id enim, quod anima intelligit, eſt immateriale: eo tamen modo, quòd ſit immateriale, inquantum eſt in anima, non vt in ſeipſo. Similiter cùm dico *Si Deus ſciuit Antihriſtũ fore, Antichriſtus erit.* conſequens intelligendũ, prout ſubeſt Diuinæ Sciẽtiæ, in ſua præſentialitate; & ſic neceſſariũ eſt, ſicut & antecedens; quia omne quod eſt, dũ eſt, neceſſe eſt eſſe. Ex quo

Iudiciũ de his propoſitionibus.

75. *Collige*, quòd ſi hoc cõſequẽs, *Antichriſtus erit*, eſt nëceſſarium, ſicut antecedens, tunc, non erit abſolutè neceſſarium. quia antecedens v. *Deus ſciuit Antichriſtum futurum*, eſt ſolùm neceſſarium, vt ſubeſt Scientiæ Diuinæ: ſumptum autem extra in ſeipſo, non erit neceſſarium. Tum hæc regula vltima: *omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe*, loquitur de neceſſario ex ſuppoſitione. Ergo non de neceſſariò abſolutè, hoc ipſum Cor recta explicat, cùm dicit, *licet, quidquid ſcitur à Deo ſit neceſſarium, in ſenſu antecedentis, id eſt, ſit neceſſarium ſecundum quod ſubeſt Scientiæ Diuinæ, tamen non ſemper eſt neceſſarium, in ſenſu alio*, id eſt, *non eſt neceſſarium, ſecundum quod eſt in ſeipſo, ad extra productum*: *Præterea* hoc conſequens, *Antichriſtus erit*, eſt neceſſarium, quatenus eſt ſcitum à Deo. ergo non eſt abſolutè neceſſarium: nam hæc duo inter ſe pugnãt: eſſe neceſſarium abſolutè; & eſſe neceſſarium in quantum eſt ſcitum à Deo: ergo ne ſit contradictio, intelligendus D. Th. quòd non ſit abſolutè neceſſarium. Idem D. Th. *in 1. diſt. 38. quæſt. vnica. art. 5. ad 4.* dicit: quòd illud antecedens. *Deus ſciuit Petrum peccaturũ*; eſt neceſſarium, *primò* ex immobilitate Diuini actus, *ſecundò* in ordine ad ſcitum, inquantum ſunt præſẽtia in æternitate: ſed iſtæ duæ cõditiones, v. immobilitas Diuinæ ſcientiæ, & præſentia rerum in æternitate, non faciunt illud antecedẽs in toto rigore & propriiſſimè neceſſarium. ergo non intendit D. Th. quòd illud antecedens ſit abſolutè neceſſarium. Tandem quamuis D. Th. ſcientiam Dei per propoſitionem præteriti temporis ſignificet, intelligendus tamen eſt quòd loquatur de Scientia, prout eſt in ſe: nam illæ duæ conditiones, *immobilitas & præſentia rerum*, conueniunt Scientiæ, prout eſt in ſe. Nec quiſquam exiſtimet, tanquam vniuerſaliter ſit verum, quòd omnis propoſitio vera de præterito, ſit abſolutè neceſſaria. nam Deus ab æterno potuit non creare Adam. ergo hæc propoſitio, *Adam fuit*, quæ modò eſt vera, abſolutè loquendo potuit non eſſe vera. Probatur quoq; rationib9.

Omne quod eſt dum eſt neceſſe eſt eſſe.

76. *Ratio prima.* Sequeretur, ſi hæc propoſitio *Antichriſtus erit*, ſit abſolutè neceſſaria, quòd Deus nec de ſuâ abſolutâ potentia poſſet facere, vt Antichriſtus non ſit futurus. nam

cum ſit abſolutè neceſſarium, neceſſariò eſſe debebit. ſed hoc cõſequẽs falſum. ergo & antecedens.

Secunda ratio. Hæc propoſitio *Antichriſtus erit.* extra conſequentiam, non eſt abſolutè neceſſaria, ſed merè contingens. ergo neque in conſequentia; erit neceſſariò abſoluta; *Conſequentia.* infertur enim ex eo, *quòd Deus ſciuit futurum Antichriſtum.* ergo non abſolutè, ſed ratione conſequentiæ erit neceſſaria. nam alias omnes propoſitiones de futuro cõtingenti, eſſent abſolutè neceſſariæ. quia omnes inferri poſſunt ex eo, quod omnia futura Deus ſciuit.

Nota Ferar. *1. con. gen. cap. 67.* tenet, quòd iſta propoſitio, *Deus ſciuit Antichriſtum fore,* ſit neceſſaria ex triplici cauſa: *primò* neceſſitate immutabilitatis: quia Diuina Scientia, ex ſe eſt immobilis, ſeu immutabilis: *ſecundò* dicitur neceſſaria, ratione Obiecti; quia Obiectum Diuinæ Scientiæ eſt præſens in æternitate: quodlibet autem præſens, eſt quodammodo neceſſarium; quia omne quando eſt, neceſſe eſt eſſe: *tertiò* eſt neceſſaria neceſſitate cõſequentiæ; quia ex eo, *quòd Deus ſciuit Antichriſtum fore,* per bonam conſequentiã ſequitur, *Antichriſtus erit.*

Caietani ſẽtentia probabilis.

77. Dico tertiò. *Probabilis eſſe videtur ſententia Caiet. in qua duo dicit:* primò, *quòd iſta propoſitio,* Deus ſciuit Antichriſtum fore, *ſit ſimpliciter de præterito:* ſecundò *quòd illa abſolutè ſit neceſſaria, & regulãda eſt per leges propoſitionum de præterito.* PROBATVR æternitas, quamuis ſit menſura ſimpliciſſima, ſine vlla ſucceſſione nullas differentias præteriti & futuri continens. tamen propter ſui eminentiam eaſdem comprehẽdit; quocirca ea quæ ſunt in æternitate, non ſolùm ſignificari poſſunt per verba de præſenti, ſed etiam per verba de præterito, & futuro. ergo propoſitiones de præterito formatæ, habebunt locum in æternitate: ergo ſunt regulandæ per leges de præterito. Sed quando id, quod eſt in æternitate, ſignificatur per modum præteriti, illa præteritio ſignificata, licet non ſit formaliter in æternitate, reperitur tamen eminenter. Ergo illa propoſitio, ſiue quoad neceſſitatem, ſiue quoad contingentiam, regulãda eſt per leges de præterito. Eſt autem hæc regula; *quoties propoſitio de præterito, habuit vnam de ineſſe veram, illam quoque, quæ eſt de præterito, eſſe neceſſariò veram oportet.* ſed hæc propoſitio, *Deus ſciuit Adam fore,* habet hanc de ineſſe veram; *Adam eſt,* pro illo tẽpore, quo fuit, & hæc vera eſt. ergo & de præterito *Adam fuit,* neceſſariò vera. *Confirmatur.* eſt enim communis vox, quòd *ad præteritum non eſt potentia,* Sed hæc propoſitio. *Deus ſciuit Antichriſtum fore,* eſt de præterito, eademque vera. ergo per nullam potentiam fieri poteſt, vt quod Deus ſemel ſciuit, iterum non ſciuerit. Ex quo ſequitur, illam propoſitionem *Deus ſciuit Antichriſtum fore,* eſſe abſolutè neceſſariam.

Ad præteritum non eſt potẽtia.

78. Dico quartò. *Nihilominus probabilior eſt ſententia, hanc propoſitionem,* Deus ſciuit Antichriſtum fore; *eſſe de præſenti, & regulandam eſſe per leges Propoſitionum de præſenti ſimpliciter loquendo;* ideo dico, *ſimpliciter loquendo.* nam ſecundùm quid, v. ſecundùm modum ſignificandi terminorum, eſt propoſitio de præterito, ſed in ordine quoad contingentiã, & quoad neceſſitatem propoſitionis, non

eſt reſpi-

eſt reſpiciendum ad modum verbalem, & ad modum ſignificandi, ſed ad menſuram quà menſuratur; hoc eſt ad æternitatem, quæ eſt menſura tota ſimul in æternitate eminenter comprehendens differentias temporis. Et quia hæcpropoſitio, *Deus ſciuit Antichriſtum fore*, eſt verificanda, cum menſura æternitatis; proinde pro inſtanti præſenti: quia in æternitate nulla eſtſucceſſio, nullapræteritio.ergo illa propoſitio, *Deus ſciuit Antichriſtum fore*, pro præſenti accipienda.

79. Dico quintò. *Hæc propoſitio*, Deus ſciuit Antichriſtum fore, *eſt ſimpliciter contingens*, *& ſecundum quid neceſſaria*: ita D. Bonau. tenet (vt iam retulimus) et Th. Valden., eãque ſententiam affirmat ex D. Aug. ſumptam. PROBATVR. Ego poſsũ facere, vt hæc propoſitio non ſit vera, *Deus ſciuit me peccaturũ.* Ergo hæc propoſitio ſimpliciter eſt contingens. *Antecedens* Ego poſſum non peccare; ſed ſi ego non pecco, Deus non ſciuit me peccaturum. *Confirmatur.* nam quando ego pecco, liberè pecco. ergo poſſum non peccare. ergo poſſum facere, quòd illa propoſitio *Deus ſciuit me peccaturum,* non ſit vera, & per conſequens non erit ſimpliciter neceſſaria, ſed cõtĩgens.

Dum homo peccat, liberè peccat.

Secunda ratio. Omnis illa propoſitio, quæ per locum intrinſecum infert contingentem propoſitionem, eſt ſimpliciter contingens. Sed hæc propoſitio *Deus ſciuit Antichriſtum fore* infert hanc contingentem; *Antichriſtus erit*. Ergo eſt contingens.

Tertia ratio. quia ſequerẽtur, ex oppoſita ſententia, hæc abſurda: v. quòd Deus neceſſariò creauerit mundum, eundemque neceſſariò redemerit, *Sequela*. quia Deus ſciuit ſe creaturum mundum, & redempturum; ergo creauit & redemit. Sed per te Antecedens eſt ſimpliciter neceſſarium, ergo & conſequens erit neceſſarium; v. quòd non liberè, ſed neceſſariò creauit & redemit: ergo omnino tenendum, hanc propoſitionem, *Deus ſciuit Antichriſtum futurũ* eſſe ſimpliciter contingentem, & ſecundùm quid neceſſariam.

80. Dico ſextò. *Non eſt abſurdum, quod tenet Bannes*, (quamuis videatur contrarium ſentire Cumel) vt dicamus: *Deum habere potentiam, vt non ſciuerit Antichriſtum futurum*. PROBATVR Deus liberè ſcit Antichriſtum futurum. ergo habet potentiam ſciendi, aut non ſciendi futurum: id enim quòd aliquis liberè facit, etiam in eodem inſtanti poteſt non facere.

Nota Hoc tamen intelligendum in ſenſu diuiſo. Deus enim habet potentiam liberam, ad cognoſcendum Antichriſtum fore, vel non fore; & quia potentia Dei nunquam deperditur, hinc eſt, quòd poſtquã ſciuit Antichriſtum fore, manet cũ eadem potentia, quòd potuerit non ſcire. Si autem ſumamus in ſẽſu compoſito, erit omnino falſa. nã hæc propoſitio, *poteſt Deus non ſciuiſſe Antichriſtum futurum poſtquam ſciuit*, in rigore eſt falſa; quia reddit ſenſum compoſitum, illud enim verbum *poteſt*, cadit ſuper vtrumque actum v. *ſciendi & non ſciendi*, ita, quòd ſimul & coniunctim ſumantur. Proinde conſultum erit, hanc diſtinctionem in promptu habere, vt has propoſitiones, & his ſimiles, in ſenſu diuiſo tanquam veras, concedamus; in ſenſu compoſito, tanquam falſas negemus.

Deum habere potentiã in quo ſenſu intelligendum.

QVÆSITVM VII.

An Deus Futura Conditionata, quæ nunquam erunt, certò & infallibiliter cognoſcat.

Per futura cõditionata intelliguntur effectus contingentes: qui nunquam de facto futuri ſunt.

81. PEr hæc futura Conditionata, intellige effectus contingentes cum conditione, qui nunquam de facto futuri ſunt: quemadmodum Chriſtus Dominus prædixit *Tyrijs, & Sidonibus pœnitentiam in cilicio, ſi ea ſigna apud eos facta fuiſſent, quæ ſunt facta in Corozaim, & Bethſaida*: Hæc tamen pœnitentia, nunquam ab illis facta eſt; quia neque conditio adimpleta v. non eſt illis prædicatio facta, nec virtutes factæ, ob quas fuiſſent ad pœnitentiam conuerſi; proinde quærimus, an hoc futurum conditionatum, v. quòd *Tyrii egiſſent pœnitentiam, ſi illis prædicatum fuiſſet*, certò & infallibiliter cognouit Deus, & quidem in decreto?

Opiniones Doctorum.

De hac re variè ſentiunt Theologi: quidam recentiores aſſerunt, nõ eſſe de facto in Deo decretum conditionatum, reſpectu contingentium; quæ futura eſſent, ſi talis conditio poneretur in *eſſe*; quæ tamen de facto nunquam ponitur. *Fundamentum eorum*, hoc tale conditionatum decretum, eſt fruſtra; quia ponitur in Deo actu exſiſtens eius rei, quæ nunquam futura eſt: ergo eſſet fruſtra. *Confirmatur*. quia hoc decretum conditionatum, non pertinet ad prouidentiam, quæ ſimul cum efficientia Dei extẽdit ſe ad ea, quæ in aliqua differentia temporis ſunt habitura *Eſſe*: qualia hæc non ſunt.

Secunda opinio eorum, qui affirmãt hæc conditionata decreta, non ſolùm non eſſe de facto in Deo, ſed quòd hæc illius perfectioni repugnant: ſicut enim velleitas, actus voluntatis dicitur imperfectus: ita decretum conditionatum includit intrinſecè imperfectionem, ſed velleitas non ponitur formaliter in Deo. Ergo nec decretum conditionatum ponendum.

82. *Tertia opinio dicit*. quòd, quemadmodum in Deo cõceditur decretum abſolutum, quod ſe extendit ad omnia futura contingentia abſolutè: ita quoque concedendum eſt, dari in Deo decretum conditionatum, quod ſimiliter extendit ſe, ad futura contingentia conditionata, quæ abſolutè non ſunt futura, eſſent tamen futura, ſi adimpleretur cõditio. Et inde eſt, quòd ſicut Deus futura abſoluta in decreto ſuo abſoluto certò & infallibiliter cognoſcit: ita quoque in decreto cõditionato, infallibili certitudine cognoſcit futura conditionata. Gumel. tã *in 1. par. quàm in 2.* in ſuis variis diſputationibus, quandam explicationẽ, quale hoc ſit decretum, adducit. quam videre potes folio 189. nos interim omittimus; quia coincidit

dit cum Scientia media, quæ iam à nobis refutata eſt. Pro determinatione

Nota: quòd duplex eſt decretum: quoddam eſt abſolutum, vt cùm quis excluſa omni conditione, ſtatuit hoc aut illud futurum: quoddam eſt conditionatum, quod duobus modis fit: *primò* ex parte obiecti voliti, vt ſi quis ſtatuat firmiter ſe velle dare Eleemoſynam craſtinâ die, ſi pauper petierit, hæc conditio cadit ſupra obiectum volitum, non autem ſupra actum volendi. nam talis volitio dandi Eleemoſynam eſt actu in voluntate volentis. *Secundò* ex parte actus volendi, vt cùm quis nullum prorſus actum voluntatis habet, circa aliquod Obiectum: haberet tamen, ſi ſe offerret talis aut talis occaſio. Hoc præſuppoſito.

Decretũ Dei aliud abſolum, aliud conditionatum.

83. Dico primò, *Decretum conditionatum, quod nos præſupponimus neceſſarium, ad certam & infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum, non rectè explicatur de decreto Dei conditionato, ex parte actus volendi, quod eſſet in Deo ex hypotheſi, ſi voluntas creata in talibus circumſtantiis poneretur.* PROBATVR. Certitudo infallibilis Diuinæ cognitionis, non poteſt inniti in fundamento incerto, & fallibili; ſed hoc tale eſt decretum, quod eſſet in Deo ex hypotheſi, incertum, & fallibile, nam ante omne decretum liberum voluntatis Diuinæ, eadem voluntas Diuina, non eſt determinata ad volendum, vel faciendum ex eadem hypotheſi hoc futurum contingens conditionatum potius, quàm eius oppoſitum. *Confirmatur* Hoc cõtingens habet ſe indetermi natè ad vtrumlibet. ergo antequam ſe determinet, non eſt certum. ergo non eſt dicendum, quòd in tali hypotheſi potius ſe determinabit, ad vnam partem futuri conditionati, quàm ad oppoſitam; ſi enim ad alteram potius; ergo habebit connexionem naturalem & neceſſariam, cum voluntate Diuinâ: ſi ſic; ergo datâ tali hypotheſi, voluntas Diuina, eſſet naturalis & determinata, ad volendum alteram partem futuri conditionati in particulari; ita quòd ad oppoſitum non poſſet ſe determinare; atq; ſic ex Diuinâ voluntate, liberum arbitriũ tollerem.

Decretum Diuinũ conditionatum non eſt ex parte volitionis Diuinæ ſed ex parte Obiecti voliti.

84. Dico ſecundò *Vt certa & infallibilis veritas futurorum conditionatorum in Deo haberi poſſit, omnino ſtatuendum eſt, in Deo decretum condionatum actu exſiſtens, quo ſtatuit, vt hoc in particulari ſit futurum, ex hypotheſi, quòd talis vel talis conditio poneretur in eſſe.* Hoc Dictum Cumel, quanquam valde rationabile, in ſuis variis diſputationibus ſuſcepit defendendum, tum & Didacus Aluarez. *in reſp. ad obiect. lib. 1. cap. 4.* PROBATVR. Quemadmodum futuri abſoluti, vt certa & infallibilis habeatur cognitio, neceſſariò ponendum eſt decretũ abſolutũ in voluntate Dei: ita, vt Deus, certò & infallibiliter futurum conditionatum cognoſcat, ponendum eſt in Deo decretum conditionatum; ſiquidem hoc decreto excluſo, conſequens de futuro contingenti conditionato, nullam habet infallibilem connexionem cum cõditione, etiamſi poneretur in *eſſe*. ergo neceſſariò tale decretum ponendum in Deo.

Decretum Conditionatũ omnino Deus ſtatuit

Obijcies Deum cognoſcere futura conditionata, in comprehenſione liberi arbitrii, & eorum omnium, quæ il-

lud circumſtant. *Reſpondetur*, quòd eſſet cognoſcere effectum in ſuâ cauſa libera, & indifferenti, ex quà certò non poteſt ſciri futurus effectus.

Emolumenta Decreti Conditionati.

85. *Ad fundamentum Primæ Opinionis dico.* Hæc futura conditionata, non eſſe fruſtra, ſed neceſſaria: nam Scientia futurorum conditionatorum eſt in Deo, eademque certa & infallibilis, tum ex decreto conditionatorum, plurima redundant in vtilitatem hominum, vt v g. homines ad fidem inducantur, & ad pœnitentiam, quemadmodum illud de Tyriis & Sidoniis quòd egiſſent illam, & Chriſti fidem amplexi fuiſſent.

Ad ſecundum fundamentum ſecundæ Opinionis reſpondeo. Decreta cõditionata non includere in ſe imperfectionem intrinſecè ex parte actus volẽdi; ſed ſolũ ex parte Obiecti voliti: ſicut & velleitas, non dicit intrinſecam imperfectionem ex parte actus voluntatis in ipſo Deo, ſed ſolùm ex parte Obiecti v. g. voluntas Diuina, amat ſuam bonitatem neceſſariò, bonitatem autem creaturarum non amat neceſſariò, ſed liberè, quòd non accidit ex imperfectione actus voluntatis Diuinæ, ſed propter imperfectionem Obiecti ſecundariò voliti; quia non amat neceſſariam connexionem cum bonitate Diuina, ſed liberè; & ideo nõ eſt diligibilis à Deo neceſſariò, ſed liberè.

Decretum hoc nullam inuoluit imperfectionẽ ex actibus volendi.

Reſpondeo ſecundò, quòd velleitas ſit in Deo eminenter (vt quidam volunt) quamuis meliùs dici poſſit quòd ſit formaliter. nam D. Th. *in 1. diſt. 46. quæſt. 2. art. 6.* dicit. *quòd ſicut iudex habet illam voluntatem antecedentem, velle omnes homines rectè viuere: ita Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Sed in iudice velleitas eſt formaliter. ergo & in Deo. De hac infallibili ſcientia futurorum Conditionatorum, quæ ex decreto conditionato in Deo exſiſtenti habetur, qui plura velit ſcire, videat Franciſcum Cumel, & Didacum, Aluarez in locis à nobis allegatis. Nos iam anguſtia tẽporis iubẽte ſubſiſtimus: Diuino Numini acceptũ cũ omni debitâ gratiarũ actione, referẽtes; quòd tãdẽ noſtra interpretatio, cum illius adiutorio, optatũ finem attigerit.

Responſio ſecunda ad idem argumentum.

IN TRA-

IN TRACTATVM DE PRÆDESTINATIONE

PRÆFATIO.

MYſterium PRÆDESTINATIONIS ideò immediatè, poſt controuerſias de Scientia Dei reſolutas explicandum proponimus, quia in eo emergentes difficultates, ex ijſdem prope fundamentis reſoluuntur, ex quibus, in Tractatu de Scientia Dei, opiniones contrarias, parum veritati conſonas reſoluim⁹. Prima enim radix emergentium difficultatum, tam in Scientia Dei, quàm in Prædeſtinatione, eſt media ſeu conditionata Scientia, cuius primus author exſtitit Petrus Fonſeca *in 6. Metaph. q. 4. ſect. 8.* quam poſtea Suarez *3. p. q. 1.* & in opuſculo de auxilijs. Molina in concordia *1. p.* ad *q. 14.* Vaſquez *1. p. q. 14.* Mendoza in quodlib. & alij ſunt amplexati. Cuius reperiendæ non alia occaſio fuit; niſi vt libertatem arbitrij humani defenderent, & conciliarent. Et hæc per varias difficultates, latiſſimè ſe diffundit, tollens prædeterminationes Diuinas, tanquam iniurioſas libertati arbitrij, cùm neceſſitatem abſolutam introducant, efficaciam gratiæ eneruent, namq; eam ex conſenſu liberi arbitrij pendere affirmant, cauſamque electionis, ad bonum vſum liberi arbitrij referunt, non autem ad liberalem & gratuitam miſericordiam Dei, quæ cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Meritò igitur hunc Tractatum de Prædeſtinatione, Tractatu de Scientia Dei ſubiunximus; ſiquidem eadem hic Sciẽtia Prædeſtinationis cur immediatè ſequatur Scientiam Dei.

hic principia, in reſoluendis controuerſijs adhibebimus. Eſt quoque & hæc cauſa: nam Prædeſtinatio, eſt eius amplitudinis, vt adſui notitiam, requirat cognitionem Intellectus Diuini, prouidentiæ, gratiæ, gloriæ, atque inprimis ſcientiæ & præſcientiæ. Nam ſecundum D. Aug. *Prædeterminatio eſt præſcientia Diuinorum beneficiorum.*

Prædeſtinationis definitio.

Ad extremùm, quia hoc eſt noſtrum inſtitutum, vt nonniſi difficillimas in Theologia materias attingamus Et talis eſt Prædeſtinatio, quam ſummis difficultatibus impeditam explicandam ſuſcepimus. Hæc enim eſt (vt in proceſſu patebit) quæ pendet à ſola voluntate Diuina, & quæ lumine intellectus naturalis, comprehendi non poteſt; atque proinde, multis obnoxia naufragijs. plurimi enim ſuo confidentes ingenio, qui plùs, quàm oportuit ſapere voluerunt, in graues prolapſi errores. Quocirca D. Pauli conſilium ſequemur. & cum omni modeſtia, ac reuerentia, captiuantes intellectum noſtrum in obſequium fidei, accedemus. Nam D. Auguſt. monet, lumen fidei, cum in omnibus Myſterijs cognoſcendis, tum maximè in Prædeſtinatione, affulgere nobis debere. Potius igitur S. Scripturæ authoritati, Conciliorum determinationi, & SS. Patrum placitis credemus, & in eis acquieſcemus. quàm in rationibus in cõtrarium adductis, & à ratione purè naturali petitis.

DIVISIO TRACTATVS

Vniuerſam doctrinam Prædeſtinationis, ſeptem abſoluemus Diſputationibus.

1. *De Natura ſeu de Quidditate Prædeſtinationis.*
2. *De Cauſa.*
3. *De Effectu.*
4. *De Neceſſitate.*
5. *De Reprobatione.*
6. *De Certitudine.*
7. *De Suffragijs, ſeu de precibus, an aliquibus poſſit iuuari?*

DISPVTATIO I.

De Natura Prædeſtinationis.

Quatuor habebit Quæſita.

1. *Quidnam ſit Prædeſtinatio?*
2. *An Prædeſtinatio ſit actus voluntatis, an verò intellectus?*
3. *In quo ſigno ſit facta?*
4. *An ſit ſolùm hominum, an verò etiam Angelorum?*

QVÆSI-

QVÆSITVM I.
Quid ſit Prædeſtinatio?

1. CVm ex doctrina Poſteriorum, Quæſtio *quid ſit*, præmittat Quæſtionem *an ſit*; proinde ſciendum eſt, nos in præſenti non inquirere.

Prædeſtinatio multis ex locis ſcripturæ colligitur.

De Exſiſtentia Prædeſtinationis, ſed eam tanquam certiſſimam præſupponere; cùm euidenter ex multis locis ſcripturæ colligatur Ad Rom. 8. *quos præſciuit & prædeſtinauit, conformes fieri imagini Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus;* Et ibidem *quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.* Et ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius, qui prædeſtinauit nos, in adoptionem Filiorum, per Ieſum Chriſtum*: Ex quibus locis, & aliis, quæ conſultò omittimus clarè & euidenter, exſiſtentia Prædeſtinationis colligitur.

Prædeſtinatio vnde componitur?

2. Dico primò. *Hoc nomen* PRÆDESTINATIO (*vt eſt apud omnes indubitatū,*) *componitur ex Præpoſitione* præ *& verbo* deſtino, *ita quòd ex vi compoſitionis ſignificet præuiã, & antecedētē deſtinationem*: verbum autē *deſtino* duo in S. Scriptura ſignificat. PRIMO *definire, ſtatuere, decernere*, Eccleſ. 17. *Deſtinauit illi* (hoc eſt definiuit) *ſortem veritatis*. Et Sapien. 5. *in locum deſtinatum*, (hoc eſt determinatum.) Et 2. Corinth. 9. *vnusquiſque prout deſtinauit in corde ſuo*. Secundo ſignificat *mittere*. 1. Malach. 5. *deſtinarunt aliquos de Populo, & miſerunt ad Regem*. Et in hoc ſignificato vſ⁹ eſt hoc verbo Sueton. in vitâ Galbæ: *Prætorianos cum mandatis ad Imperatorem deſtinauit*: Et Lampridius inquit in Diadumeno, *exſtat eius Epiſtola ad matrem deſtinata*, hoc eſt miſſa.

Acceptio illi⁹ duplex

Vtrumque ſignificatū includit.

3. Dico ſecundò. *Prædeſtinatio hoc vtrũque ſignificatum videtur includere. v. & prædefinitionem, & præmiſſionem.* nã ſicut Prædeſtinatio, ſignificat prædefinire: ita etiám ſignificat aliquem præmittere. D. tamen Th. in 1. p. q. 23. a. 1. Similiter Duran. in 1. diſt. 40. q. 1. Driedo in Concor. Liberi Arbitrii, & Prædeſt. Prædeſtinationem in ſecunda ſignificatione accipiunt, ita, vt ſecundùm illos prædeſtinatio ſit, tranſmiſſio rationalis creaturæ, in æternam beatitudinẽ. Rationem reddit. D. Th. cũ inquit: Finis ad quem res creatæ à Deo ordinantur eſt duplex: *alius eſt excedens proportionem, ſeu vires naturæ creatæ*; & hic eſt *æterna beatitudo, quæ in Diuina virtute & voluntate conſiſtit*, vnde ad eum viribus ſuis pertingere non poteſt; proinde neceſſe eſt, vt ab alio transmittatur: ſicut ſagitta, quæ ex ſe non poteſt ſcopum attingere, ad eundem per virtutem ſagittantis tranſmittitur: ita rationalis creatura, quæ eſt capax æternæ beatitudinis, cùm per ſe eãdem conſequi non poſſit, ab alio, videlicet à Deo, per decretum & auxilia ſupernaturalia efficacia, tranſmittitur,

tamen ſecũdùm potiori modo.

Finis ad quẽ res creatæ ordinantur eſt duplex

mittitur; & ſic Prædeſtinatio erit tranſmiſſio à volũtate Diuina: *Alius verò eſt naturæ creatæ proportionatus, & hunc vnaquæque res, ſecundum virtutem naturæ ſuæ attingere poteſt.* Quidam malunt, potiùs Prædeſtinationem, ductam eſſe ex priori acceptione, in quantum Deus per Prædeſtinationem decreuit aliquos, infallibiliter ſaluos facere, & per certa media, eademque efficacia, ad cæleſtem beatitudinem perducere, ſed vtraque ſignificatio retinenda; ſiquidẽ vtraque, propriam prædeſtinationis materiam explicat; nam *prædeſtinati*, verè dici poſsũt *prædefiniti*, *prædeterminati*, atque etiam *tranſmiſſi*, decreto Diuino, ad vitam æternam conſequendam.

Opinio quorundam ſed iniuſta.

4. Dico tertiò. Amb. Catharinus. l. 1. de Prædeſt. c. 1. & ad cap. 9. ad Rom. dicit, quòd in nomine *Prædeſtinationis*, præpoſitio *præ*, ſignificat anteceſſionem dignitatis, vnius electi ad eum, qui nõ eſt electus, nec prædeſtinatus, ita, vt etiam nomina *vocationis*, & *iuſtificationis*, dicant anteceſſionem dignitatis, reſpectu eorum, qui non ſunt vocati, nec iuſtificati. Sed verior eſt Sententia, quæ aſſerit, *Præpoſitionẽ* præ *in nomine Prædeſtinationis, ſignificare anteceſſionem illius actus, quo Deus ex omni æternitate, voluit ordinare quoſdam, ad vitam æternam, in ordine ad eoſdemmet ipſos, qui eam in tẽpore ſunt conſecuturi.* Erit igitur *Prædeſtinatio, decretum & electio in mente Diuina, ante omne tempus, ante omnem creationem rerum; & antequam prædeſtinati actu exſiſterent; Proinde dictio* (Præ) *denotat ordinem durationis, & exſiſtentiæ ab æterno antecedentem.*

Probatur primò. Ad Epheſ. 1. *elegit nos in ipſo, ante mũdi cõſtitutionẽ.* Matt. 25. *Venite poſſidete Regnum, quod paratum eſt vobis, à conſtitutione mundi.* Sed Prædeſtinatio, ſignificat electionẽ, atque etiam regnum, ante mundi conſtitutionem præparatum. ergo ſignificat anteceſſionem durationis ab æterno, qua ordinauit certos, ad vitam æternam. Et Origenes dicit: *Homines deſtinati, quando ſunt: prædeſtinati verò, quando non ſunt.* Ergo Prædeſtinatio facta eſt electorum, quando non exſtiterant. Ergo ab æterno.

Prædeſtinatio ſignificat *electionem.*

Probatur ſecundò. In verbo *Præſcientia*, particula *præ* ſignificat anteceſſionem illius cognitionis, quæ datur in Deo de rebus futuris, in certa differentia temporis exſiſtentibus. ergo & in nomine *Prædeſtinationis* particula *præ* ſignificabit actum, quo Deus in ſua æternitate, ordinauit certas creaturas in vitam æternam, infallibiliter obtinendam.

Probatur tertiò. Prædeſtinatio dicit actũ, intra ipſũ Deũ immanentẽ, cuius effectus eſt in tempore producendus. ergo particula *præ* dicit anteceſſionem in æternitate; in ordine ad ea, quæ in tempore futura ſunt.

Sed inſtabis cum Catharino. Si præpoſitio *præ* in nomine *prædeſtinationis*, ſignificat ordinem æternitatis, ad ea, quæ fiunt in tempore. ergo eadem particula *præ* iungenda eſt illis nominibus, quæ ſignificant actus Diuinos circa electos vt eſt *vocatio*, *iuſtificatio*. ergo dicendum, quòd ſint præuocati, præiuſtificati. ſed D. Paulus ad Rom: 8. aliter dicit: *quos prædeſtinauit, hos & vocauit. & iuſtificauit.* RESPONDEO. Inter Prædeſtinationem, Præſcientiam, & Vocationem, ac Iuſtificationem, eſſe diſcrimen. Nam Prædeſtinatio & Præſcientia, dicunt Actus internos, intra De-

Prædeſtinatio, Præſciẽtia Vocatio, & Iuſtificatio, quo differunt.

tra Deum immanentes; & ideo ab æterno exſtiterunt: Vocatio verò & iuſtificatio, ſunt Actiones tranſeuntes, & ſupponunt effectum externum; & proinde nonniſi in tempore exſiſtentem; quamuis non negemus, quòd decretum vocandi, & iuſtificandi præceſſit in æternitate.

5. Dico quartò. *Hoc nomẽ* Prædeſtinatio, *ſumptum largè & impropriè, etiã ad reprobos ſignificandos ſe extendit: at verò ſumptum propriè, ſolùm dicitur de Electis, qui infallibiliter ad gloriam ſunt ordinati.* PARS *prima patet.* Nam Prædeſtinatio vt ſic dicit Dei decretũ, & ratam illius voluntatem; ſignificat enim ordinem ab æterno, quo aliquæ res in ſuos fines ordinantur. & ſic reprobi, quia propter ſua peccata ordinantur ad pœnam æternã; idcirco dicuntur prædeſtinati. ita loquitur D. Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 1. *Ciuitatem Dei prædeſtinari ad gloriam: ciuitatem autem diaboli ad ignem æternum.* Et D. Iſid. l. Sent. ſeu de ſummo bono cap: 6. duplicẽ ſtatuit Prædeſtinationem. *vnam* electorum, *alteram* reproborum. Et Concil Valen. ſub Leone IV. cap: 3. dicit: *Confitemur Prædeſtinationem electorum ad vitam, & Prædeſtinationem impiorum ad mortem.* PARS *ſecunda patet,* quia radix & cauſa Prædeſtinationis, eſt Deus: reprobationis verò, eſt peccatum,

Prædeſtinationis definitiones variæ.

6. Dico quintò. *Prædeſtinatio, non vna, nec eadem ratione definitur.* Scotus definit:, *quòd ſit ordinatio alicuius, ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam:* Nobis placet definitio D. Aug, quã habet in lib. de dono Perſe. cap. 14. *Prædeſtinatio eſt præſcientia, ac præparatio Diuinorum beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberatur.* Hac definitione ſæpiùs Diu. Th. vtitur, quanquam ſub aliis verbis. dicit enim quòd *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio gratiæ, in præſenti, & gloriæ in futuro.* Et hic art. 1. ſic definit *quòd ſit ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis, in vitam æternam.*

Nomine Præſciẽtiæ quid intelligẽdũ

Pro intelligentia huius definitionis: per *Præſcientiam* intelligenda eſt, aut *Scientia ſimplicis intelligentiæ,* quâ Deus cognoſcit res futuras poſſibiles. nam talis præſcientia in ſigno rationis præſupponitur in Deo, ad prædeſtinationem; aut *Scientia libera,* quâ Deus cognouit ſubiectum prædeſtinandum ſed nequaquam *Scientia media:* per quam volunt quidam, quòd Deus præſciat, quid facturum ſit liberum arbitrium, ſi fuerit à tali gratia, & à talibus circumſtantiis excitatum.. *Et ratio eſt.* quia præſcientia & præparatio, reſpiciunt Diuina beneficia, tanquam Obiectum: at media Scientia non habet pro Obiecto beneficia Dei, ſed affectionẽ ac propenſionẽ voluntatis humanæ, conſtitutæ in talibus Circumſtantijs.

Dicitur adhuc Prædeſtinatio *Præparatio,* quæ quidem; aut eſt in præparato: vt in Angelo, & in homine; aut eſt in præparante, videlicet in Deo prædeſtinante: hæc igitur præparatio intelligenda eſt, inquantũ eſt in Deo, vt præſciente, ita & præparante. per *Beneficia* intellige, quæ D. Paulus enumerat, *quos prædeſtinauit, hos & vocauit, iuſtificauit, glorificauit.* & his beneficiis quicunque ornantur, certiſſimè ex maſſa perditionis liberantur, & fruitioni vitæ æternæ, infallibiliter adſcribuntur.

Alia definitio cum explicatione.

Vel ſic faciliùs Prædeſtinatio poteſt definiri; *eſt ordinata deſtinatio, ſeu præpara-*

præparatio creaturæ rationalis ad gratiā, & ad gloriam, facta ab æterno à Deo liberè: In qua ſeptem tanguntur: *primò* cū dicitur *ordinata*, ſignificatur Actus in mente Diuina, per quem ordinatio, & præparatio eſt facta: *ſecundò* cùm dicitur *creaturæ rationalis* tangitur Obiectum excludens omnia, quæ vſu rationis ſunt priuata: *tertiò* cùm dicitur, *ad gratiam*, tangitur mediū, quo ad vitam æternam peruenitur. *quartò* cùm dicitur *ad gloriam* tangitur finis prædeſtinationis, qui quidem eſt gloria æterna. *quintò* cùm dicitur *ab æterno*, tangitur menſura Actus Diuini, quæ quidem eſt æternitas. *ſextò* cùm dicitur *à Deo*, tangitur cauſa efficiens, ſ. ipſe Deus, & SS. Trinitas. nam Trinitatis opera ad extra, ſunt indiuiſa; & tale eſt opus Prædeſtinationis. vnde meritò toti Trinitati attribui debet: Deo tamen PATRI appriari ſolet, (vt licet colligere, ex D. Paulo ad Philip.) *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui prædeſtinauit nos, in adoptionem filiorum*: cùm dicitur *Benedictus Deus* exprimitur *Trinitas*: poſtea nominatur Perſona PATRIS cui appropriatur *opus Prædeſtinationis*, cū ſit opus Omnipotentiæ, quæ Patri tribuitur: ſicut Filio Sapientia & Spiritui S. Bonitas. *Septimò* cùm dicitur *liberè*, exprimitur, quòd in Prædeſtinatione ſit libertas pendēs ex beneplacito voluntatis Diuinæ; & ſaluandorum liberum conſenſū connotans.

Prouidentia & Prædeſtinatio tripliciter differunt.

7. Dico ſextò. Inter *Prouidentiam*, & *Prædeſtinationem* triplex eſt diſcrimen. *Primum* quia Prouidentia Diuina latiſſimè ſe extendit, ad vniuerſas res creatas, & continet in ſe tam finem naturalem, quàm ſupernaturalem, nam *v. g.* homo dupliciter cōſiderari poteſt: *primò* iuxta ſuam naturam, & eam formam, quam habet in ordine, & genere Entium naturalium: Et ſic quemadmodum & alia creatura, reſpicit Deum, vt finem naturalem. *ſecundò* iuxta formam, quæ foris, & ab extrinſeco venit, vt non ſolùm eſt rationalis, ſed etiam illi ex mera voluntate Diuina conuenit, vt ſit ordinatus, ad amandum Deum ſuper omnia, tanquam finem ſupernaturalem. ſic Prouidentia reſpectu hominis erit, & naturalis, & ſupernaturalis; huiuſque ſic latè ſumptæ, & vt abſtrahit à Prouidentia naturali, & ſupernaturali, eſt vnus finis, ſ. Deus. *omnia enim propter ſeipſum operatus eſt Dominus* Prouerb. 16. & Obiectum tale Prouidētiæ eſt omne illud, quod eſt ordinabile in hunc generalem finē; & ſic iam diſtinguetur Prouidentia: quia vniuerſis rebus prouidet de finibus, & de mediis: Prædeſtinatio verò eſt pars ſubiectiua prouidentiæ, & ſolummodò complectitur Angelos, ac homines, vt ordinantur ex gratia, ad finem ſupernaturalem Beatitudinis.

Secundum diſcrimen eſt: ſicut Prædeſtinatio ſolùm intendit finem ſupernaturalem, ita quoque ſolùm conſiderat media proportionata, hoc eſt, ſupernaturalia, vt eſt *gratia, vocatio, iuſtificatio*: Prouidentia verò quia vtrumq; finem, tam naturalē, quàm ſupernaturalem conſiderat; idcirco & media, vnicuiq; fini proportionata tam naturalia, quàm ſupernaturalia conſiderat.

Tertium diſcrimen. Prædeſtinatio,

dicit

dicit infallibilem aſſecutionẽ finis; Prouidentia verò in genere ſumpta ſolùm dicit ordinationem in finem, ſed nequaquam illius certiſſimam aſſecutionem; ſi tamen conſideretur Prouidentia, vt Deus, non ſolũ vult ordinare talia media in finẽ, ſed etiam vult vt infallibiliter finis conſequatur; & ſic talis Prouidentia, includet aſſecutionem finis.

QVÆSITVM II.

An Prædeſtinatio, dicat actum Intellectus Diuini, an verò Voluntatis Diuinæ?

8. DIco primò id, quòd eſt certum. *Prædeſtinatio ad vtramq; potentiam Diuinam tam intellectus, quàm voluntatis pertinet.* Pars prima ſ: *quòd Prædeſtinatio ſit actus Diuini Intellectus; probatur* locis S. Script. ad Rõ. 11. *non repulit Dominus plebem ſuam, quã præſciuit,* hoc eſt *prædeſtinauit.* ſed præſcire ad intellectum ſpectat; ergo & prædeſtinare. et 2. ad Timoth. 5. *nouit Dominus, qui ſunt eius;* ſed hæc notitia eſt ad vitam æternam, & cùm notitia ordinetur ad intellectum, ideo & Prædeſtinatio erit in Intellectu.

Prædeſtinatio tã ad potentiam Intellect⁹ quã voluntatis pertinet.

Pars ſecunda probatur: *quòd v. pertineat ad Actum Voluntatis.* quia D. Paulus, in multis locis appellat Prædeſtinationem vocabulis, quæ ad voluntatem pertinẽt, vt ad Eph. 1. *elegit nos in ipſo.* ad Rom. 9. *vt ſecundùm electionem, propoſitum Dei maneat.* Sed tam electio, quàm propoſitum, ad voluntatem ſpectat; ergo & Prædeſtinatio. Et D. Aug. in l. de Prædeſt. cap. 17. & in libro de Bono Perſeu. definiens Prædeſtinationem, vtrũque Actum includit, cùm inquit: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio Diuinorum beneficiorum.* ſed Præſcientia eſt Actus Intellectus, & præparatio eſt Actus voluntatis. Ergo Prædeſtinatio in vtroq; Actu conſiſtit.

Probatur & ratione. Ad Prædeſtinationem, neceſſaria eſt excogitatio, & ordinatio efficacium mediorũ: ad eãdẽ quoq; ſpectat, electio & approbatio mediorum, quæ ad finẽ ſunt ordinata congrùa: ſed excogitatio & ordinatio, eſt Actus Intellectus, electio & approbatio eſt Actus Voluntatis. ergo Prædeſtinatio ad vtrumque pertinebit. Sit igitur certum, quòd prædeſtinatio, vtrumque Actum, Intellectus & Voluntatis, includat.

9. *Nota* Controuerſum eſſe cuinam Potentiæ principaliùs prædeſtinatio conueniat? nam D. Bonau. in 1. diſt. 40. art. 1. quæſt. 2. Scotus ibidem quæſt. vnica affirmat; principaliùs conſiſtere in Actu Voluntatis. Vaſquez. in 1. p. Tomo 1. diſp. 87. c. 3. licet affirmet vtrumq; poſſe probabiliter ſuſtineri, in ſententiã tamen D. Bonau. propẽdet. Suarez. l. 1. de Prædeſt. c. 17. idem dicit, quod Vaſquez: relinquitq; voluntati vni-

Opiniones diuerſorum.

tati vniᵘcuiusq; ſequi partem, quã voluerit. in fine tamẽ capitis num. 15. magis adhæret Scoto. Leſſius in Prædeſt. diſput. Sect. 1, commodio rem modum dicendi eorum eſſe affirmat, qui Prædeſtinationẽ in Actu Voluntatis conſtituunt.

Sãctᵘ verò Doctor Prædeſtinatio nem in Actu Intellectus principaliter ponit. Colligitur *ex 1. p. q. 22. a. 1. ad 3.* vbi cùm dixiſſet, Prouidentiã eſſe in intellectu, licet ſupponat actum voluntatis: poſtea in hac q. 23. ſæpè innuit: Prædeſtinationem eſſe partem Prouidentiæ. Ex quo *Argumentor,* In qua potentia reponitur totum, in eadem reponi debet pars illius totius; ſed Prouidentia reſpectu Prædeſtinationis, habet ſe vt totum, & hæc eſt in Intellectu; ergo & prædeſtinatio, tanquam pars, erit in intellectu. & a. 4. vt probet dilectionem eſſe priorem, quæ eſt Actus Voluntatis, quàm Prædeſtinationem, dicit, illam eſſe prouidentiam, quæ eſt ratio in Intellectu exſiſtens. D. Thomam ſequuntur. Caiet. ad art. 1. huius q. Bannes. ad a. 2. dub. 1. Cumel. ibidem q. 2. tum ex recentioribus Valentia. Bellarm. in tomo 3. l. 2. de Gratia & Lib. Arbitrio. Molina ad a. 1. diſp. 2. quidam ex recẽtioribus dicit, hãc Quæſtionem eſſe de nominibus; proinde ſic eam reſoluit: ſi prædeſtinatio ſumatur pro apta & congrua diſpoſitione mediorum ad finem, & pro cõ uenienti illorũ ordine, ex quo nullus error penitus contingat, tunc ad Actum Intellectus pertinet. *Ratio illius.* quia præſupponit, certam & infallibilem præſcientiam, per quam Deus infallibiliter, & ſine vllo errore videt, quos ad vitã æternam per media certa; ordinauit, ſed Præſcientia, ad intellectum ſpectat. ergo & Prædeſtinatio. *Si autem* cõſideretur Prædeſtinatio, tanquam decretum Diuinum, firmum & certum, approbans & acceptans ordinem; ſic ad Actum voluntatis pertinebit. Sed parum videtur eſſe, ad noſtrum negotium; ſiquidem, comparatè loquimur & inquirimus, vtri magis potentiæ Prædeſtinatio competat, Intellectuine an voluntati? proinde pro determinatione.

Prædeſtinatio ſumitur dupliciter.

Prædeſtinatio licet ſit actio Intellectus Diuini tamen præſupponit voluntatis.

10. Dico ſecundò. *Prædeſtinatio, principaliter, formaliter, & intrinſecè, atque etiam per ſe, eſt Actio Intellectus Diuini: connotat tamen & ſupponit, actum voluntatis Diuinæ acceptantis.* Hoc Dictum, eſt D. Th. (vt iam deductũ.)

Probatur primò. authorit. D. Aug. lib. de dono Perſeu. cap. 17. vbi dicit: *Prædeſtinari eſt in Præſcientia futura diſponere, & ordinare.* Sed diſponere & ordinare, intrinſecè, & principaliter ſpectant ad actum intellectᵘ. ergo prædeſtinatio eſt in Intellectu Diuino. Ex lib. 6. Hypogn. in principio dicit: *Prædeſtinatio à prouidendo; & ordinando, id quod futurum eſt dicitur:* cõfirmatq; ex Act. 17. *crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Sed præordinatio ad vitã æternam, eſt Prædeſtinatio, & præordinatio eſt Actus Intellectus; ergo & Prædeſtinatio erit. Et D. Hieron. ſupra cap. 1. ad Eph. dicit. *Prædeſtinatio appellatur liber Vitæ, in quo prædeſtinatorum ſunt nomina ſcripta.* Sed liber ad intellectum ſpectat. ergo & Prædeſtinatio. Tũ Boetius lib. 4 de Conſol. Proſa 5. ait. *Prouidentia eſt ipſa Diuina ratio, in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Sed

Prædeſtinatio eſt pars Prouidentiæ: Ergo etiam erit ratio Diuina, ſiue Actus Diuini Intellectus.

Dilectio & electio ſunt de ratione illius.

Probatur rationibus. In Prædeſtinatione hi duo Actus, ſ: *dilectionis* & *electionis* reperiuntur, ita, vt Prædeſtinatio ſupponat electionem: electio autem ſupponat dilectionem. nam diligere, eſt velle alicui bonũ: eligere verò eſt inquantum hoc bonum, aliquibus præ alijs volumus, & ad illud eligimus. ſed hi duo act⁹ non ſunt formaliter Prædeſtinatio, ſecundùm quos poſſet referri ad Actum Voluntatis. ergo ad Intellectum pertinebit. *Minor.* electio & dilectio, eſt actio ſimpliciſſima voluntatis Diuinæ, quâ vult dare quibuſdam gloriam; ergo non eſt formaliter Prædeſtinatio. nam Prædeſtinatio tam ſecundùm D. Th. quàm D. Bonau. pertinet ad Prouidentiã, cùm in via D. Th. ſit pars illius: ſecundùm autem D. Bon. præſupponit Prouidentiam: ſed Prouidentia verſatur circa media, quibus finis conſequitur; ſiquidem prouidere eſt adhibere, ſeu ordinare congrua, & apta media ad finem obtinendum; hoc verò ipſum facit Prædeſtinatio, ordinans electos per media apta, ad vitam æternam. ergo ad Prouidentiam ſpectat: ſeu Prouidentia eſt Actus Intellectus Diuini. ergo & Prædeſtinatio erit.

Obiectio.

11. *Obijcies.* In illo priori, quo Deus elegit homines ad gloriam, iam intelliguntur eſſe electi, & per conſequens prædeſtinati: ergo ille Act⁹ electionis erit formaliter Prædeſtinatio.

Solutio 1.

Reſpondeo primò in Diuinis omnia eſſe ſimul, & nihil eſſe prius, aut poſteri⁹ in aliquo genere cauſæ, nihilq; eſſe ab alio realiter diſtinctum, vbi non obuiat oppoſitio relationis: ſecundùm tamen modum noſtrum concipiendi, qui vnam rem ſimpliciſſimam & infinitam, vno conceptu adæquatè concipere non poteſt, neceſſe habet, multos imperfectos conceptus formales, eoſdẽque ad eum modum, quo creaturas intelligimus, concipere: & hinc eſt, quòd inter Actus Diuinos, ordinẽ ponimus prioris & poſterioris: ſimiliter ſucceſſionem, & diſtinctionem, non quòd iſta ſint in Deo, ſed quia nos aliter cognoſcere non poſſumus. & ſic dicimus, quòd Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt in Deo prior, quâlibet volitione Diuina; & quælibet volitio Diuina, prior eſt Scientiâ viſionis. nam noſtro modo intelligendi, velle, ſupponit cognitionem, & viſio, ſupponit volũtatem, cùm ſit cauſa viſionis. Similiter in materia Prædeſtinationis, ordinem prioris & poſterioris, debemus in Deo ſtatuere, propter modum noſtrum intelligendi, quo pri⁹ concipimus finem, deinde eundem, tanquam bonum expetimus: Deum per voluntatem diligimus, & illius aſſecutionem intendimus. Ad extremum, per Intellectum inquirimus, media illius âſſequendi, & ex his aptiora deligimus; tandem proponimus aſſequi.

Prius & poſteri⁹ in Deo datur ſecundum noſtrum tãtum modum concipiendi.

12. *Reſpondeo ſecundò* in illo priori Actu Electionis, non eſt Prædeſtinatio, nec illi ſic electi, poſſunt dici propriè prædeſtinati; quia nondum illis prouiſum de medijs, per quæ gloriã æternã poſſint aſſequi.

Obiectio 2 cum ſolutione.

Obijcies ſecundò. Homo ſic electus, ex vi electionis, atque etiam dilectionis ſaluaretur. ergo eſſet prædeſtina-

deſtinatus, ſine vllo alio actu. *Reſpondeo* de ſalute conſequenda dupliciter loqui poſſumus: *primò* ordinariè: & ideo ſolus actus dilectionis & electionis abſque vllis medijs, non daret ſalutem; quia ex natura Prædeſtinationis prærequiritur ordinatio, & obſeruatio mediorum. *ſecundò* extraordinariè, de Potentia Dei abſoluta, & tūc talis homo, circa quem eſt actus electionis, ſalutē conſequeretur; ſed non eſſet verè ac propriè prædeſtinatus: quia ſine medijs ſaluaretur; ſed diceretur dilectus, & electus ad gloriam, ſicut Deus per abſolutam ſuam potentiā, poſſet creare hominem, qui ſtatim, viſione Eſſentiæ Diuinæ frueretur: vt accidit cum anima Chriſti: & hic homo eſſet beatus, ſed non meruiſſet beatitudinem, per media ordinata in Prædeſtinatione.

Salutis conſecutio fit dupliciter.

Quòd verò requiratur, acceptatio Voluntatis Diuinæ, ad Prædeſtinationem. *Probatur*, ille Actus Diuini Intellectus, inquantum in ſe habet ordinationem mediorum, ſic præciſè, & ſolitariè conſideratus, prout antecedit actum voluntatis approbātis, non eſſet adhuc prædeſtinatio.

Ratio Durandi: quia talis Actus Diuini Intellectus, non haberet decretum, nec rationem ſtatuti: iam autem Prædeſtinatio, includit decretum Diuinæ Voluntatis, quod facit eam inuariabilē, ita, quod ſuo euētu; fruſtrari non poteſt. ergo ille Actus non eſſet Prædeſtinatio. *Confirmatur.* Prædeſtinatio eſt Diuina prouidētia, ordinata ad exſecutionem operis, per voluntatem efficacem; ſed ratio mediorum, vt ſic, præciſè conſiderata, antecedēs voluntatis approbationem, non habet rationem prouidētiæ ad exſecutionem operis, per voluntatem efficacem; ſiquidem caret decreto; ergo ille actus vt ſic, non erit formaliter Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio ordinatur per efficacē voluntatem ad operis exſecutionē.

13. *Obijcies tertiò.* ergo in Actu Voluntatis principaliter erit Prædeſtinatio. *Reſpondeo* negando conſequentiā; quia voluntas Diuina, quæ ordinem mediorum ab intellectu Diuino excogitatum acceptat, & approbat, non eſt principaliter Prædeſtinatio. nam ratio eſſentialis Prædeſtinationis, eſt ordinatio mediorum, facta ab intellectu ad conſequendam beatitudinem.

Nota Voluntatem Diuinā in Prædeſtinatione, habere ſe antecedenter; quia (vt iam diximus) ſupponit dilectionem, & electionem habere ſe conſequenter, inquantum acceptat, approbat, & format ordinem mediorū, per quæ beatitudo æterna haberi poſſit; & hic ordo mediorum excogitatus, & præſcriptus, facit Prædeſtinationem; idcirco Prædeſtinatio principaliter eſſentialiter eſt in Potentia Dei intellectiua.

Voluntas Diuina in Prædeſtinatione habet ſe dupliciter.

Quæres. Quinam ſit ille Actus Intellectus Diuini, in quo præparatio Prædeſtinationis ſit poſita, *Reſpōdeo* non eſſe illum actū, quo Deus intelligit aliquas creaturas eſſe capaces æternæ beatitudinis: neque illum, quo intelligit, per hæc media, infallibiliter poſſe electos conſequi beatitudinem; quia hi duo actꝰ, noſtro modo concipiendi, antecedunt in diuino Intellectu, ipſum actum Prædeſtinationis; erit igitur Prædeſtinatio ille Actus in Diuino Intellectu exſiſtens, quo Deus certas rationales creaturas, ex beneplacito vo-

Prædeſtinatio eſt actus Intellectus diuini rationales creaturas eligens.

cito voluntatis ſuæ ad vitam æternam elegit, illiſque media apta & congrua præparauit: quibus ſeruatis, poſſint certò & infallibiliter Deo ſuo coniungi, & illius viſione, quæ eſt æterna beatitudo, frui.

Inſtantia 1. 14. *Inſtabis* cum Scoto: Prædeſtinationem in S Scriptura, appellari electionem, conſilium, ad Eph. 1. *elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem.* & ad Rom. 9. *vt ſecundùm electionem, propoſitum Dei maneret.* ſed hæc nomina Prædeſtinationem ſignificantia, ad voluntatem ſpectant. ergo Prædeſtinatio eſt actus Voluntatis. *Reſpondetur primò* Prędeſtinationē in S. Scriptura, appellari quidem nominibus, quæ ad Voluntatem ſpectant, vt vocabulo, *Electionis, Dilectionis, Propoſiti*: ex eo tamen non ſequitur, quòd Prædeſtinatio ſit principaliter actus Voluntatis, ſed ſolùm ſequitur, quòd Prædeſtinatio includit, & ſupponit Actum Voluntatis. *Reſpondetur ſecundò.* quòd quemadmodum reperiuntur nomina in S. Scriptura, quibus ſignificatur Prædeſtinatio, pertinentia ad Voluntatem: ita etiam, non pauca loca Scripturæ inueniuntur, in quibus ſunt vocabula denotantia Prædeſtinationem, quæ pertinent ad intellectum, vt ſupra notauimus.

Solutio illius prima.

Solutio 2.

Inſtantia 2. *Inſtabis ſecundò.* Prædeſtinatio ſumit efficaciam ex voluntate Diuina. ergo. *Reſpondeo* ita eſſe: ex eo tamen non ſequitur, quòd Prædeſtinatio, ſit principaliter actus Voluntatis. nam ſicut ars eſt producens artefacta, ipſa tamen, cùm ſit ex ſe indifferens, & indeterminata ad aliquem effectum producendum, neceſſariò debet determinari à voluntate artificis; tamen ex hoc non ſequitur, quòd ars ſit actus Voluntatis; quāuis ab illa determinetur ad ſuum effectum particularem producendū. ita Prædeſtinatio licet efficaciam à voluntate Diuina ſumat; nihilominus non ad voluntatem, ſed ad intellectū principaliter pertinebit.

Solutio eius

15. *Inſtabis tertiò* cum D. Bonau. quando duo aliqua, ad vnam ſpeciem conſtituendam, concurrunt: quorum vnum prius, & alterum poſteriꝰ, tum id, quòd eſt poſterius, eſt formale & completiuū. ſed ad Prædeſtinationem duo concurrunt: ſ: Actus Intellectus, & Actus Voluntatis: actus voluntatis eſt poſterior; quia eſt acceptans & approbans. ergo eſt formale complementū Prædeſtinationis. *Reſpondetur* quòd tectum eſt complementum domus, & tectum non eſt principalis pars. Similiter Paſſiones, ſunt complemētum ſubſtantiæ & tamen hæ; non ſunt principalior & formalior pars Subſtantiæ. Inſtantia 3.

Solutio

Inſtabis quartò quòd non ſit par ratio. nam Paſſiones Subſtantiæ, conſequuntur rationem formalem Subſtantiæ, & ſunt illius accidentia: ſed actus voluntatis non conſequitur Prædeſtinationem, cùm ſit ipſa ratio formalis Prædeſtinationis. nam ſine certitudine, & ſine infallibilitate, nequit eſſe: ſed certitudo & infallibilitas, ab actu volūtatis procedit. ergo Prædeſtinatio in Actu Voluntatis. *Reſpondetur.* Si loquamur quoad complementum Prædeſtinationis, ita Actus Voluntatis præſupponitur, & in Prædeſtinatione requiritur: ſed ſi loquamur de ratione eſſentiali conſtituente Prædeſtinationem, ſic in intellectu cōſiſtit; quia ratio eſſentialis Prædeſtinationis Inſtantia 4 Solutio illi[illegible]

ſtinationis, in ordinatione mediorũ conſiſtit, quod quidem ad Intellectum ſpectat.

Inſtantia 5. *Inſtabis vltimò* Actus oppoſiti, circa eandem Potentiã verſantur. ſed Prædeſtinatio & Reprobatio ſunt actus oppoſiti, & reprobatio eſt in Voluntate; quia ſignificat Actum Voluntatis reijcientis quoſdam ab æterna gloria; ergo & Prædeſtinatio erit Actus Voluntatis.

Solutio illius. *Reſpondetur* negando Reprobationem eſſe in Voluntate, ſed potius dicimus, quòd ſicut Prædeſtinatio eſt in Intellectu, præſupponẽdo Actũ Volũtatis: ita & Reꝓbatio eſt in Intellectu, ſupponendo Actum Voluntatis. nam ſecundùm D. Th. in *1. p q. 23. a. 4.* Reprobatio eſt pars prouidentiæ, pertinet enim ad Prouidentiam defectus permittere: ſed Prouidentia eſt in Intellectu. ergo & Reprobatio in Intellectu. *Tum* Prædeſtinatio eſt ordinatio permiſſionis peccati, & punitionis reproborum pro peccato, ad oſtenſionem iuſtitiæ Diuinæ in reprobis, & miſericordiæ in electis: ſed ordinatio eſt Actus Intellectus. ergo & Reprobatio eſt in Intellectu. Reprobatio ſupponẽdo actum volũtatis, eſt in Intellectu.

QVÆSITVM III.
Quando, & in quo ſigno, facta eſt Prædeſtinatio?

16. Loquimur præcipuè de Prædeſtinatione hominum, quanquã & Angelorum: Senſus Quæſiti eſt: *An Deus ante præuiſum peccatum originale, præelegit quoſdam homines ad gloriam, habueritq́, efficacem voluntatem perducendi eos, & non alios?*

Scot. in *3. diſt. 7. q. 3.* loquens de Prædeſtinatione Chriſti, dicit: Chriſti Prædeſtinationem, & omnium ſaluandorum, factam eſſe ante Præſcientiam peccati Originalis. *Ratio eius fundamentalis*: quia Prædeſtinatio, ſeu electio hominum ad gloriam, ex mera & gratuita liberalique voluntate, & miſericordia Dei proceſſit, non autem ex operibus. ergo Prædeſtinatio non pendet ex operibus. & cùm peccatum ſit quoddam opus deordinatum; idcirco ei⁹ præuiſio non requirebatur. Eandẽ ſententiam ſequitur Greg. Arimin. in *1. diſt. 41. q. 1. a. 1. & 2.* dicit enim, Deum non ſolùm habuiſſe Actum elicitum dandi gloriam aliquibus, ſed etiam Actum elicitum ſuæ voluntatis, quoſdam excludendi à gloria, ante præuiſum peccatum. ſed oppoſita ſententia eſt verior, & cõmuniter tenetur; pro qua

Suppono quoad ſigna rationis, quòd aliter D. Th. & aliter Scotus, circa Actus Diuinos, quos habuit erga electos & reprobos, eadem ſtatuant D. Th. ſequitur Ordinem Executionis, & ſic ſex ſigna numerat, ac ordinat. *In primo ſigno* vidit Deus naturam ſuam, infinitis modis communicabilem; & in hoc ſtatuit vniuerſum mundum creare, omnibusque & ſingulis creaturis, ſecundùm exigentiam

exigentiam illarum naturæ, conceſſit dona naturalia: *In ſecundo* voluit Deus ſuam liberalitatem extẽdere, intellectuales creaturas, Angelos ſ: & hominem producere, qui ad cæleſtem beatitudinem peruenirent: & propterea ſtatuit illis media ſufficientia conferre, quibus ſi vellent, poſſent vitam æternam conſequi. *In tertio* vidit lapſum quorundam Angelorum, & hos ad ſupplicia æterna deputauit: quorundam verò vidit merita, & hos glorificauit.

In quarto vidit lapſum primi hominis, & per peccatũ, factam amiſſionem donorum ſupernaturalium: *In quinto* voluit Deus, vt Chriſtus in carne paſſibili veniret, hominem perditum redimeret, & ad felicitatem amiſſam reuocaret: *In ſexto* facta eſt efficax electio ſaluandorum, reliquorũ verò reprobatio. Ex quo iam manifeſtè patet, quòd poſt præuiſum peccatum, Chriſti Aduentus, & Prædeſtinatio ſaluandorum ſit facta.

Iuxta Scotũ verò octo.

17. E contra Scotus, ſeruando Ordinem Intentionis, octo ſigna ſtatuit. *In primo* voluit Deus, per creaturas manifeſtare ſuam potentiam, ſapientiam, bonitatem, gloriam: *in ſecundo* voluit, vt filius eius in carne impaſſibili veniret, nam hic fuit conuenientiſſimus modus, & manifeſtandi ſuam gloriam, & communicandi ſuam bonitatem: *in tertio* ſtatuit propter Chriſti ſummam perfectionem, & merita, vt eſſet Collegium hominum & Angelorum prædeſtinatorum, cuius caput eſſet Chriſtus in æternum: *in quarto* decreuit Angelos & homines tam ſecundùm naturam, quàm ſecundùm gratiam, creare; & ſufficiẽtia auxilia, vt ſalutem ſi vellent, cõſequerentur. *in quinto* conſtituit hũc mundum in obſequium hominis, cũ omnibus creaturis producere: *in ſexto* vidit Angelos quoſdam ſe humiliaſſe, & hos beatos effecit, quoſdã rebelles exſtitiſſe, & hos igni æterno mancipauit: *in ſeptimo* vidit hominem primum, cum tota ſua poſteritate peccaſſe, decreuitque, vt Chriſtus D., quem iam in ſecundo ſigno venturum ſtatuerat, ſed in carne impaſſibili, iam in paſſibili veniret, & pro homine ſatisfaceret: *in octauo* ſtatuit quoſdam homines, nõ ſolùm per media ſufficiẽtia, ſed efficaciſſima ad gloriã pducere: alios verò reliquit in manu ſui conſilij, viditque, in fine vitæ ſuæ in peccato morituros; & proinde voluit eos à gloria ſua excludere, & in æternũ punire. Hoc ſuppoſito

Deus ante præuiſũ peccatũ originale intendebat omnes beatitudinẽ conſequutu[ros].

18. Dico primò *Deus ante præuiſum Peccatum Originale, habuit generalem actum Voluntatis ſuæ, quantùm erat ex parte illius, vt omnes conſequerentur beatitudinem: prouiditq́ illis de medijs, quæ illorum naturæ liberæ & defectibili conuenirent, vt ſi vellent, vitã æternã cõſequerẽtur, non neceſſariò, ſed liberè.* Hoc Dictum eſt certum, & contrarium ſentire, eſt errori proximum. colligitur ex locis Scripturæ 1. ad Timot. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* 2. Petri 3. *Deus neminem vult perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire.* Et Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt, mors impij, & non magis, vt conuertatur & viuat?* Quòd verò etiam media neceſſaria & conuenientia dederit hominibus, *Probatur.* ſtatim enim à prima creatione hominis, dedit gratiam, ac iuſtitiam originalem, & pro primo generis humani parente, &

pro ſucceſſorib' eius, ſi ipſe in obedientia permanſiſſet. ergo Deus voluit, ante præuiſum peccatum ad beatitudinem perducere. *Tum* peccatum deordinauit hominem à fine ſupernaturali. ergo ante peccatum fuit ordinatus ad gloriam.

Poſt peccatum originale præuiſũ facta eſt.

19. Dico ſecundò. *Poſt præuiſum peccatum Originale, facta eſt Prædeſtinatio, à Diuino Intellectu, omnium ſaluandorum.* Ita D. Aug. in multis locis, in epiſt. 105, & duabus ſequentibus, & lib. 1. ad Simpl. q. 2. in Ench. c. 94. & de Prædeſt. ac Gratia, c. 3. expreſsè docet, *quòd Deus, antequam aliquem hominem eligeret, aut reprobaret, priùs vidit totam Maßam labe Originalis peccati infectam, ex qua quoſdam elegit, quoſdam in ea reliquit.* Idem ſentit D. Th. hîc q. 23. a. 1. ad 3. vbi docet, *quòd & Angeli, & homines ſunt prædeſtinati, ſed diuerſo modo: Angeli ſunt prædeſtinati, antequam eßent miſeri: homines verò, qui iam erant miſeri, hoc eſt in peccato* & in 3. diſt. q. 3. quæſt. 2. ait: *Terminum à quo noſtræ Prædeſtinationis fuiße peccatum, quia prædeſtinati ſumus, vt liberaremur à peccato.* probatur rationibus.

Propter merita Chriſti ſumus prædeſtinati.

Ratio prima. Certum eſt in omni via, quòd nos homines, propter merita Chriſti, ſumus prædeſtinati. ſimiliter certum eſt, in via D. Th. quòd Chriſti Domini Incarnatio, eſt prædeſtinata poſt præuiſum peccatum originale. ergò neceſſariò ſequitur, quòd & noſtra Prædeſtinatio ſit facta, poſt præuiſum peccatum originale.

Ratio ſecunda. Si Prædeſtinatio facta eſt omnium electorũ, ante præuiſum peccatum originale. ergo illa Prædeſtinatio fuiſſet omnium hominum, ſiue peccaſſent, ſiue non peccaſſet: quod quidem eſt falſum; ſiquidem commiſſum peccatum priuat beatitudine. *Sequela* quia illa electio eſſet abſoluta, efficax; & ideo certa, infallibilis; proinde neceſſariò implenda.

Ratio tertia. Nunquam homines ad eos gradus gratiæ, & gloriæ peruenirent, ad quos nunc perueniũt. Dicit enim Chriſtus Dominus: *ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* ſed ſi Prædeſtinatio, ante præuiſum peccatum eſt facta, ſolùm haberent vitam prædeſtinati, ſed non haberent abundantiùs, hoc eſt abundantiores gradus gratiæ & gloriæ non conſequerentur; quia Chriſtus non veniſſet in carne noſtra.

Ratio quarta. Beatiſſima virgo, non fuiſſet prædeſtinata, ad tantã plenitudinem gratiæ. nam Matris Deĩ dignitate non fuiſſet honorata, ſiquidem Prædeſtinatio ante præuiſum peccatum facta.

20. *Ratio quinta.* ſequeretur, quòd prædeſtinati, cum maximo incremento gratiæ, deberent intrare in æternam beatitudinem; iam autem hoc falſum. nam videmus paruulos poſt ſuſceptum Baptiſmũ, decedẽtes, ſine vllo augmento gratiæ, in gloriam intrare. *Sequela* quia ſi Prædeſtinatio ante præuiſum peccatũ. ergo prædeſtinati eſſent in ſtatu innocentiæ. ergo eſſent immortales, ijdemque naſcerentur in gratia, & eandem augerent per bona opera: ergo nonniſi cum magno incremẽto gratiæ, in gloriam intrarent.

Ratio ſexta. ſequeretur, ablato peccato originali, quòd Prædeſtinatio ſolùm haberet electos ad gloriam, & non haberet reprobos. *Sequela* nã durante iuſtitia originali, poſſent

homines

homines vitare omnia peccata collectiuè; cùm non eſſent tot occaſiones peccandi, ſicut modò ſunt; ſiquidem ex lapſu hominis, & ex naturæ corruptione, orta eſt multitudo peccatorũ, & perditio hominis.

Ratio ſeptima. ſequeretur, Deum ante præuiſum peccatum Originale, non potuiſſe habere abſolutam voluntatem, aliquos excludendi à gloria; quia non fuiſſet cauſa, ſi peccatum, quod ſolùm præuiſum, excludit à beatitudine.

Ratio octaua. ſequeretur, (quod eſt contra D. Aug. de Natura & Gratia, c: 16. & contra D. Th. 3. con. Gentes. cap. 59.) Deũ deſerere hominẽ, antequã ab illo deſereretur: ſumma autem eſt deſertio, excluſio à gloria.

Ratio nona. ſequeretur, quòd Deus hominem, quem ad habendam Beatitudinem creauit, gratis & ſine cauſa excluderet; ſiquidem in illo ſigno ante præuiſum peccatum, odio haberet hominem, in quo nihil erat dignum odio: nã quicquid erat in eo, totum erat à Deo; Deus autẽ cuncta quando fecerat, vidit, quòd eſſent valde bona: ſolùm igitur peccatum præuiſum, odium in Deo cõcitauit.

Ratio decima. In Prædeſtinatione, duo relucẽt, Miſericordia in electis & Iuſtitia punitiua in damnatis: at ante peccatũ Originale præuiſũ, nõ potuit eſſe Miſericordia, nec Iuſtitia punitiua, quia Miſericordia & Iuſtitia ſupponit peccatum.

Ratio vndecima. ſi in Deo daretur talis Actus, *volo homines excludere à gloria, ſine vlla prouiſione peccati,* profectò hic Actus eſſet abſque omni iuſtitia & miſericordia; quia excluſio à gloria eſt pœna, ſed pœna non infligitur, niſi pro culpa. ergo ante præuiſionem peccati, non eſt facta electio prædeſtinatorum ad gloriã, nec reproborum facta eſt excluſio à gloria.

Ad Fundamentũ Scoti dico: nos confiteri (vt inferiùs patebit) quòd Deus ex mera & gratuita ſua Voluntate fecit electionem prædeſtinatorum: ſed tamen ſupponendo cognitionem omnium hominum futurorum in particulari; & quia hæc non poterat eſſe, ante præuiſum peccatum Originale; proinde electionem, & reprobationem, præceſſit præuiſio peccati Originalis.

QVÆSITVM IV.

An Prædeſtinatio ſit hominum, an etiam Angelorum?

21. PAulò fuſiùs hoc Quæſitum explicabimus. in quirem enim, quibuſnam Prædeſtinatio cõueniat. Proinde Dico primò. *Prædeſtinatio nullo modo Deo conuenire poteſt.*

Prædeſtinatio nullo modo Deo cõuenire poteſt.

PROBATVR. Prædeſtinatio eſt præordinatio ad beatitudinem, quam id, quod prædeſtinatur, non habet. ſed Deus per Eſſentiam, & neceſſariò Beatitudinem habet, ac in illo tanquam in principio, & fonte, plenitudo

nitudo beatitudinis reſidet. ergo Deus non poteſt prædeſtinari.

Probatur ſecundò. Illud prædeſtinatur, quod eſt beatificabile. ſed Deus non habet naturam beatificabilem, quia beatificabilitas ſupponit potētiam, & aptitudinem, quæ quidem Deo non conuenit, cū ſemper actu beatitudinem, tanquam propriam, & coæternam hæreditatem, poſſederit. ergo non conuenit Deo prædeſtinari.

Nota quòd ſola natura in Angelis & in hominibus eſt beatificabilis; quia hæ naturæ duæ in potentia erant ad beatitudinem, & gratuitò ex beneficentia Dei, conuenit illis.

Omnis creatura rationalis eſt prædeſtinata prædeſtinatione & voluntate antecedēte

21. Dico ſecūdò. *Omnis creatura, quæ eſt ratione prædita, eſt à Deo prædeſtinata, prædeſtinatione & voluntate antecedente.* PROBATVR ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* ergo omnes prædeſtinauit voluntate antecedente; *Conſequ.* nam Prædeſtinatio ſupponit voluntatem. *Tum* Chriſtus Dominus mortuus eſt pro peccatis omnium hominum; ergo vult omnes intrare in gloriam. ergo eoſdem prædeſtinauit. *Antecedens* 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Præterea* Prædeſtinatio antecedens eſt, per quam Deus creaturas capaces Beatitudinis deſtinauit ad gloriam æternam; ſed omnes homines ſunt Creaturæ rationales, & per conſequens capaces vitæ æternæ. ergo omnes ſunt prædeſtinati.

Nota Prædeſtinatio, quædam eſt *Antecedens*, quæ ſolùm aduertit, in creaturis capacitatem Beatitudinis, præſcindendo ab omnibus circumſtantijs, & medijs: quædā verò *Conſequens*, quæ iam conſiderat omnia media, per quæ prædeſtinatus, infallibiliter poſſet perduci ad gloriā æternam; & proinde conſequens, ſemper infallibiliter coniuncta eſt cum ſuo effectu: quia certò & infallibiliter conſequitur beatitudinē: antecedens verò minimè.

Conſequente verò non omnes ſed quidam.

23. Dico tertiò. *Prædeſtinatione cōſequenti, non omnes homines, ſed quidam & certi, ijdemq́; ſoli Deo noti, ſunt prædeſtinati.* Ita hic D. Th. *in* 1. *p. q.* 23. *a.* 1. PROBATVR ad Rom. 8. *quos præſciuit, & prædeſtinauit.* & ibidem, *quos prædeſtinauit, hos & vocauit.* Particula *quos* dicit particularem rationem, & ſecretionem; ergo quidam ſolùm ſunt prædeſtinati. *Tum* ad Eph. 1. *Elegit nos in ipſo.* ſed electio fit ex multis, ex quibus nonnulli aſſumuntur, & cæteri relinquuntur. ergo certos prædeſtinauit. *Præterea* ad Rom: 9. *cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali; non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Iacob dilexi*, hoc eſt, elegi. *Eſau autem odio habui*, hoc eſt non elegi. ergo Deus quoſdam eligit, quoſdam non eligit.

Et ratio eſt prima. Illi verè dicūtur eſſe prædeſtinati Prædeſtinatione conſequenti, qui eā de facto cōſequuntur, per merita Chriſti, & per media perducentia ad beatitudinē, & qui perſeuerant in gratia & charitate vſque ad mortem. ſed non omnes homines ſeruant media perducentia ad Beatitudinem; & non omnes perſeuerāt in gratia & charitate. ergo non omnes ſunt prædeſtinati Prædeſtinatione conſequenti.

Ratio ſecunda. Fides, eſt medium ordinatum ad ſalutem obtinendam *Qui crediderit hic ſaluus erit.* ſed multi

ſunt

ſunt homines, qui Chriſti fidem habent. ergo hi non ſunt prædeſtinati.

Ratio tertia. Prædeſtinari Prædeſtinatione conſequenti, nihil aliud eſt, quàm quòd aliqui ita ſunt ordinati ad vitam æternam, vt eandem infallibiliter ſint cōſecuturi, per media congrua in vita ſeruata; ſed certū eſt ex Scriptura, quòd nō omnes perducentur in vitam æternam. nā Matth. 25. conſtitutis à ſiniſtris dicetur. *Diſcedite à me maledicti in ignē æternum*: ergo non omnes Prædeſtinatione conſequenti ſunt prædeſtinati.

Ratio quarta Ex communi & recepta ſententia Theologorum, longè maior erit numerus damnandorū, quàm ſaluandorum. colligitur ex 20. Matth. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* ergo non omnes prædeſtinati.

Prædeſtinatio conuenit & hominibus & Angelis ſed

24. Dico quartò. *Prædeſtinatio non ſolùm conuenit hominibus, ſed etiam Angelis, quamuis diuerſo modo*: Ita D. Th. hic *a. 1. ad 3.* Alex. Alen. *1. p. q. 28. membro 2. & 4.* Rich. Ægid.

Probatur. Quæ habent vnum & eūdē finem ſupernaturalem, & eundē ſuis viribus conſequi non poſſunt, indigent directione, vt illum conſequi poſſint. ſed Angeli & homines eundem finem ſupernaturalem habent, v. clarā Viſionē Dei, & perfectam illius fruitionem; & hanc nec Angeli, nec homines, ſuis viribus cōſequi poſſunt. ergo oportet, vt per gratiam Dei, in illum finē deſtinentur, & trāſmittantur. ſed hoc fit per Prædeſtinationem. ergo tam Angelis, quàm hominibus Prædeſtinatio conuenit.

Diuerſo modo.

Iam verò *quòd non eodem modo conueniat*, docet D. Th. in *1. diſt. 40. q. 2. a. 1.* vbi dicit, Prædeſtinationem diuerſo modo conuenire hominibus, & Angelis. nam in Prædeſtinatione hominis, eſt anteceſſio æternitatis ad naturam, & naturæ ad gratiam, & gratiæ ad gloriam: in Angelo autē, ſecundùm eos, qui dicunt Angelos non fuiſſe creatos in gratia, inuenitur anteceſſio æternitatis ad naturam, & naturæ ad gratiam, & gratiæ ad gloriā. at ſecundum eos, qui dicunt Angelos in gratia creatos, iā non inuenitur anteceſſio naturæ ad gratiam. nam ſimul erat Deus creans, & gratiam infundēs. vnde erit ſolùm gratiæ ad gloriam.

Opinio duplex de Angelis.

Prædeſtinatio duplex.

25. Alexander Alenſis loco citato diſtinguit Prædeſtinationem; *Prima eſt.* vt idem ſit, quod præſciētia Dei & præordinatio ad gloriam; *ſecunda eſt.* vt idem ſit, quod propoſitum miſerendi. *primò* igitur modo, æqualiter tam Angelis, quàm hominibus conuenit Prædeſtinatio; *ſecundo* autem, ſolùm conuenit naturę humanæ. nam in Angelis non fuit miſeria, ideo nec propoſitum fuit miſerendi, reſpectu illorum; homo verò ex miſeria peccati eſt prædeſtinatus.

Inſtantia.

Obijcies Prædeſtinatio, ſecundùm D. Aug. eſt propoſitum miſerendi, ſed Angeli nunquam fuerant miſeri: ergo illius non competit propoſitū miſerendi: ergo nec Prædeſtinatio.

Solutio 1.

Reſpondeo primò. ex ſententia D. Th. *hîc art. 1. ad 3.* quamuis Angeli nunquam fuerint miſeri, illis tamen, ſicut & hominibus conuenit Prædeſtinatio. Motus enim non accipit ſpeciem à termino *à quo*, ſed à termino *ad quē.* Nam ad rationem dealbationis, nihil prorſus refert, an illa res, quæ dealbatur, fuerit flaua, aut nigra; ſimiliter

militer ad rationem Prædeſtinationis nihil refert, vtrum aliquis à ſtatu miſeriæ prædeſtinetur, vel non. *Reſpondeo ſecundò*. Collatio beneficij ſupra debitum eius, cui confertur, pertinet ad miſericordiam: ſed quia Deus, tam Angelis, quàm hominibus, ſupra illorum debitum (quia poterant eſſe in ſtatu naturalium) confert beneficia beatitudinis; idcirco electio Angelorum, includit in ſe miſericordiam; & proinde cõuenit eis Prædeſtinatio.

26. Dico quintò. *Cùm homines, duplici modo poſſint conſiderari*: vno modo *vt exſiſtunt in ſua propria natura*: ſecundò *vt ſunt in præſcientia Dei. Prædeſtinatio ergo hominum, non eſt facta primo, ſed ſecundo modo, ita, quòd hominum, qui actu non exſiſtebant, ſed futuri erant, pro tempore facta eſt; vnde prædeſtinatio, aliquo modo videtur eſſe non Entium*. PROBATVR ex D. Aug. lib. de Prædeſt. SS. vbi dicit: *Bonum, quod præſcit Deus, prædeſtinat, & priùs quàm ſit in re, præordinat*. Atqui bonum eſt Prædeſtinatio ergo hæc antequam in re exſtitit, præordinata fuit, ergo nondum eramus, quando Deus nos prædeſtinauit. *Probatur 2*. Prædeſtinatio eſt ab æterno, & Prædeſtinatio eſt creaturæ rationalis. ſed creatura rationalis non eſt ab æterno. ergo Prædeſtinatio eſt hominis non exſiſtentis actu.

Prædeſtinatio non eorum hominum qui exſiſtebãt, ſed & qui futuri erant, eſt facta.

Probatur 3. Prædeſtinatio dicit anteceſſionem prædeſtinantis, reſpectu prædeſtinati. ſed illa anteceſſio, eſt ab æterno; quia ante mundi cõſtitutionem elegit nos ad æternam beatitudinem. ergo tunc quando nõ eramus, ſumus electi, & per conſequens Prædeſtinatio eſt non exſiſtentium actu.

Probatur 4. Omne agens per intellectum, habet in ſe rationem ordinis, eorum, quæ agere debet. Sed Deus, eſt agens per intellectum. ergo habet in ſe rationem ordinis, quę agere debet in tempore. ſed in tempore producit homines ad vitam æternam. ergo ab æterno prædeſtinauit, & ſic eſt hominum actu non exſiſtentium.

27. Dico ſextò. *Prædeſtinatio propriè ſumpta, non eſt hominum omnium, ſed electorum*. Hoc Dictum Magiſter tenet. *in 1. diſt. 35. & 40.* vbi dicit. *quòd Prædeſtinatio eſt ſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*. Prædeſtinatio enim ſumpta in propria ſua ſignificatione, infallibiliter ſuum finem conſequitur. ſed electi, etiam infallibiliter vitam æternam conſequuntur, ergo electis propriè ſumpta Prædeſtinatio, conuenit.

Non eſt omnium hominum, ſed electorum.

Obiicies. Deus habet Præſcientiã, & voluntatem ſaluandi omnes. 2. ad Timoth. 1. *vult omnes homines ſaluos fieri*. ergo omnes prædeſtinat. Et D. Dion. de D. Nom c. 1. dicit. *Summũ bonum, magis diffundit ſuam bonitatem quàm ſol ſuum lumen?* Sed Sol, æqualiter diffundit ſuum lumen, in omnes res. ergo & Deus æqualiter, diffundit ſuam gratiam, & gloriam in omnes. ergo prædeſtinati ſunt omnes.

Obiectio.

Reſpondetur quòd verba D. Pauli intelligenda ſint, de voluntate antecedẽte, per quam vult omnes homines ſaluos fieri; quia omnes capaces Diuinæ viſionis creauit. at hæc voluntas non ſufficit, ad propriè dictã Prædeſtinationem, ſed requirit voluntatem conſequentem efficacem: vnde quamuis Deus velit omnes homines ſaluos fieri, multi tamen non ſaluabun-

Solutio illius.

ſaluabuntur; proinde impropriè dicuntur prædeſtinati. Ad D. Dionyſii authoritatem dico: quòd quantùm ad ipſum Deum, paratus eſt ſuã gratiam & gloriam conferre: & ſicut Sol lumen ſuum, ita Deus diuitias bonitatis ſuæ, videlicet gratiam & gloriam diffundit; ſed homines, ad receptionem gratiæ, quam illis Deus offert, non habent ſe æqualiter. ideo nõ omnes ſaluãtur, neq; omnes aut prædeſtinãtur, ſed tantũ Electi.

Chriſto D. ſecundum naturam humanam etiã conuenit.

28. Dico ſeptimò. *Etiam prædeſtinatio, conuenit Chriſto Domino, ſecundùm naturam humanã*: Colligitur ex Epiſt. ad Rom. 1. vbi loquens de Chriſto Domino, dicit: *qui prædeſtinatus Filius Dei virtute*: nam Chriſtus vt homo, eſt prædeſtinatus filius Dei. Hoc ipſum ſufficienter deducit D. Th. cũ dicit. *In Chriſti prædeſtinatione, non inuenitur anteceſſio æternitatis, ad Diuinam perſonam, & naturam; quia perſona Filij Dei, vna cum Natura Diuina eſt æterna: nec in eadem prædeſtinatione Chriſti, inuenitur anteceſſio, ſiue prioritas naturæ humanæ, ad gratiam & gloriam; quia in inſtanti ſuæ conceptionis. ſuit plenus gratia, & gloria; ſiquidem ſecundùm partem ſuperiorem animæ ſuæ, fruebatur viſione Diuinâ: niſi forte dicamus, quoad ipſum corpus, fuiſſe quandam anteceſſionem ad gloriam; quia corpus, non habuit ſtatim gloriam, nec dotes illius beatificas, niſi poſt reſurrectionem. & ſic reſpectu corporis, concedi poteſt anteceſſio gratiæ, & naturæ ad gloriam.* ſed de hac re, in 3. p. in Myſterio Incarnationis locus eſt agẽdi.

DISPVTATIO II.

De Natura Prædeſtinationis?

Ad Quidditatem, ſeu Eſſentiam Prædeſtinationis ſufficienter intelligendam, de qua præcedenti Diſputatione egimus, pertinet, vt de Cauſa illius agamus: in qua aſſignanda, non mediocris eſt controuerſia; quare pro eius determinatione hæc Quæſita proponemus.

1. *An detur aliqua Cauſa Prædeſtinationis?* ſiue, *an præuiſio bonorum, operum; ſit Cauſa Prædeſtinationis?*
2. *An Deus ſaluandos elegerit, ad certum & determinatum gradum gratiæ, & gloriæ?*
3. *An in Prædeſtinatione, fuit aliqua ſucceſſio, an verò ſimul eſt facta?*
4. *An Chriſti merita ſint cauſa meritoria, noſtræ Prædeſtinationis?*

QVÆSI-

QVÆSITVM I.

An Prædeſtinationis detur aliqua Cauſa?

1. QVia multis difficultatibus implicata eſt iſta Quæſtio; idcirco hæc quatuor, circa illius determinationem attingemus. *primò* ſenſum Quæſiti conſtituemus. *ſecundò* Errores proximos Hæreſi, & ipſas ſententias Hæreticas referem' *tertiò* quænam ſint opiniones, ſeu ſententiæ Scholaſticorum Doctorum. *quartò* ipſam veritatem determinabimus.

Prædeſtinatio, inquantū eſt Actus diuinus nullam habet cauſam, nec intra Deum

QVANTVM *ad Primum.* Dico Primò. *Prædeſtinatio conſideratur, inquantum eſt Actus Diuinus, quo Deus ab æterno prædeſtinauit aliquos ad vitam æternam, certiſſimo & infallibiliter conſequendam: ſic in eo ſenſu, nulla poteſt eſſe, nec dari cauſa, quæ ſit intra Deum, aut extra*: PROBATVR. I. Sic ſumpta Prædeſtinatio, eſt ipſe Deus: ſed Dei inquirere cauſam, eſt abſurdum. ergo & Prædeſtinationis, quæ eſt Actus Diuinus.

Probatur 2. Hic Actus, eſt ipſa Eſſentia Diuina; ſiquidem, quicquid eſt in Deo, Deus eſt: Cauſa autem ſecundùm D. Aug. id dicitur eſſe, ad cuius *eſſe* ſequitur aliud. Sed in Deo, non poteſt ſequi, quòd ſit aliud. ergo nec actus Diuini erit Cauſa.

Probatur 3. Sequeretur, quòd in Deo admittenda eſſet realis compoſitio, quod quidem eſt falſum. nam poſita cauſa actus Diuini intra Deum, neceſſe erit, hæc in Deo ſtatui, *actum, cauſam, eſſentiã.* ex quibus pullularet compoſitio.

Probatur 4. Actus ille, quo ſe Deus determinauit, ad prædeſtinãdas creaturas rationales, nihil addit, ſupra Diuinam Eſſentiam; niſi quendam ordinem, habitudinem, tendentiam ad ea, quæ ſunt extra Deum. Vnde ſolùm erit relatio rationis, quam includit ad prædeſtinatos; talis autẽ relatio eſt Logica, & Ens rationis, in intellectu exſiſtens. ſed Entium rationis, non dantur Cauſæ Phyſicæ, Ergo nec Prædeſtinationis vt eſt Actus Diuinus.

Probatur 5. In Diuinis omnia ſunt vnum, & idem realiter & formaliter niſi interueniat oppoſitio relationis. ſed inter Actum, & Eſſentiam Diuinam, nulla interuenit relatio oppoſitionis. ergo sũt vnum & idẽ.

Iam verò, *quòd hic Actus extra Deum nullam habeat cauſam*, ex eo manifeſtũ eſt; quia (vt iam dictum) idem eſt cum Eſſentia Diuina. Sed Eſſentiæ Diuinæ eſt impoſſibile aſſignare cauſã, cùm ipſa ſit õmniũ prima, & ſic primum Ens, & primus Actus: primo autem, non datur prius. nec extrà Deum

2. Dico ſecũdò. *Nõ eſt negandũ, quòd huius Actus Prædeſtinationis, poſſit intra Deum aliqua ratio dari, quæ mouit eum ab æterno ad prædeſtinandos aliquos* PROBATVR. Omne agẽs ꝓpter intellectũ, ſemper operatur per aliquem finẽ. ſed Deus eſt agens per intellectum in Præ-

Niſi quæmoueat eum ab æterno ad prædeſtinandos aliquos

in prædeſtinatione, & reprobatione. ergo aliquem finem intendit; hic autem quis ſit? Prouerb. 16. dicitur. *vniuerſa operatus eſt, propter ſemetipſum*: D. Paulus clariùs 1. ad Eph. expreſſit, cùm dicit, *in laudem gratiæ, & gloriæ ſuæ*. Tum ad Rom. 9. *vt oſtenderet diuitias, ſuæ gloriæ in vaſa miſericordiæ*. Ergo cauſa, mouens Deum ad prædeſtinandum, eſt manifeſtatio ſuæ bonitatis, miſericordiæ: ſicut in reprobis eſt manifeſtatio Iuſtitiæ punitiuæ.

3. Dico tertiò. *Si hanc Quæſtionem reſtringamus ad Cauſas Phyſicas, non eſt dubium, Deum authorem eſſe gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro*: *quoad realẽ & phyſicam vtriuſque Entitatem*; ſiquidem omnes res naturales, & tantò magis ſupernaturales, ab illo dependent. Erit igitur *Cauſa efficiens* proxima Prædeſtinationis, ipſe DEVS: ſecũdaria verò homo, qui per gratiã Dei, & per liberum arbitrium cooperari debet; *Cauſa Materialis ſubiectiua* erit HOMO, in quo tanquam in ſubiecto, omnia Prædeſtinationis media, & effectus recipiuntur: Formalis. *Cauſa verò formalis*, vel nulla eſt, (vt quibuſdam placet,) vel conſiſtit in ipſis mediis, & effectibus Prædeſtinationis, v. in vocatione, iuſtificatione, glorificatione; ſunt enim hæ formæ accidentales reſidentes in Finalis duplex. prædeſtinatis: *Cauſa demum Finalis*, eadẽq; propinqua, eſt cæleſtis *Beatitudo*: vltima verò eſt ipſe De⁹, qui ſuã gratiam & gloriam, in hoc Myſterio illuſtriorem & clariorẽ reddit. Sed in hoc Quæſito non de his cauſis inquirimus. Proinde ſcias totam Controuerſiam eſſe, *an in Prædeſtinatis, illorum Prædeſtinationis, detur aliqua Cauſa meritoria, vel de condigno, vel de congruo? vel tanquam conditio ſine qua nõ? ita, quod hæc cauſa, incitauerit & induxerit ab æterno Deum, ad prædeſtinandum aliquos, minimè verò alios* quòd puncto vltimo patebit.

4. QVANTVM *ad ſecundùm*. nimirum ad *Errores*, qui Hæreſim redolent, hi ſunt numero ſex. Errores hæreſim redolentes. *Primus Manichæi*. qui totam cauſam & rationem noſtræ Prædeſtinationis, 1. Manichæi ac ſalutis æternæ, refert in diuerſam habitudinem, inclinationem, propenſionem, ex variis conſtellationib⁹ prouenientẽ. Hic error duo habet: *primò* ſignis cæli Prædeſtinationem tribuit: *ſecundò* tollit libertatẽ arbitrii; ſed hoc vtrumque erroneũ eſt; ergo hic error grauiſſim⁹, & ꝓpterea reiiciendus. *Probatur primum*. Prædeſtinatio nulli rei præterquam Diuinæ volũtati tribuitur: ad Ro. 9. *non volentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Et Hier. 10. dicitur *à ſignis cæli, nolite timere, quæ gentes timẽt*. *Probatur ſecundum*. quia eſt cõtra ſcripturam adimere libertatem arbitrio humano: Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus*. Matth. 23. *quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti*. verbum *noluiſti* ſignificat *libertatem*. hunc errorem D. Aug, *lib. 1. ad ſimp. q. 2*. confutat: & D. Hier. in Epiſt. ad Demetriadẽ. ad finem. Proſper *lib. 1. de vocat. gentium cap. 14*.

Secundus error. cuius meminit Origenes libro 1. & 3. Periarchon. fuitq; eorum, qui putãrunt ex animabus hominum, quaſdam eſſe corporeas; & ideo malas: alias verò ſpi- 2. error etiam. rituales, & ideo bonas. Et ſicut hæ, propter bonitatem ſunt prædeſtinatæ: ita illæ propter malitiam, ſunt reprobatæ: Hic error duo habet: duo habet. *primò*, opus Dei, videlicet animas facit malas

 cit malas

cit malas, quod eſt contra Scripturam. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: Et 2. ad Timoth. 4. dicitur: *Omnis creatura Dei, bona eſt*: *ſecundò* dicit, animas eſſe corporeas, quod eſt prorſus falſum. nam de anima primi parentis dicitur: *inſpirauit Deus ſpiraculum vitæ, & non finxit animam, ſicut corpus, de limo terræ*. Et Sapientiæ 3. dicitur de Anima hominis: *et Spiritus redit ad Dominum, qui dedit illum.*

5. *Tertius error* tribuitur Origeni, qui putauit animas hominum, vna cum Angelis, ante hunc mundum viſibilem, eſſe creatas. in hac igitur vita, quam cum Angelis duxerunt, quæ animæ honeſtas actiones exercuerunt, hæ prædeſtinatæ ſunt: quæ verò turpiſſima peccata commiſerunt, antequam ſuis corporibus cō iungerentur, hæ ſunt reprobatæ: Hic error ſimiliter duo habet erronea: *primum*. animas ante corpus eſſe creatas, quod omnino falſum eſt; nā ſimul, & creantur. & corpori infunduntur: *ſecundum*. Prædeſtinatīonē ex antecedentibus meritis, prouenire; quod ſimiliter falsū; quia contra Scripturam, ad Rom. 9. *cùm nondum nati eßent, aut aliquid boni egißent, aut mali, Iacob dilexi*, id eſt, *prædeſtinaui*; *Eſau odio habui*, id eſt, *reprobaui*. & 2. ad Timoth. 1. *vocauit nos vocatione ſuâ ſanctâ, non autem ſecundùm opera noſtra*. Hic error condemnatus eſt in Concilio Later. ſub Leone X. & in V. Synodo Generali Conſtantinop. eundē quoq; confutat Hier. epiſt. ad Pamachium, qui eſt de erroribus Origenis. D. Aug. Serm. 7. de verbis Apoſt. & Leo Papa. ep. 93.

3. Error

Duo itidem habet.

6. *Quartus error* Pelagij, qui fuit profeſſione Monachus, magnus naturæ aſſertor, & gratiæ Dei inſignis deſtructor: hic vnâ cum Cæleſtino aſſerebat, *primò* poſſe hominem, proprijs & naturalibus viribus, vitam æternam conſequi, dummodò eſſet actu exſiſtens, & audiret verbum prædicationis; proinde dicebat, hominem duobus tantùm auxilijs egere, Creationis, & Prædicationis. *ſecundò* ex hoc fundamento inferebat, Prædeſtinationem Electorum, pendere ex præuiſis hominum operib⁹, tanquam ex cauſis meritorijs. *tertiò* dicebat, quòd ſit in poteſtate cuiuſlibet hominis, ſine vllo ſpeciali auxilio, vt poſſit exercere operationes morales, & per illas, ſine vlla peculiari gratia, conſequi gloriam æternam: *quartò* dicebat, nos etiam iuſtificari, & vitam æternam promereri gratia Dei: atqui hanc nō ad ſimpliciter, ſed ad meliùs, & facili⁹ conſequendam, hoc eſt iuſtificationem, & glorificationem, tribuit. at hæc Hæreſis prorſus reijciēda, cùm ſit apertè contra Scripturā, ad Eph. 1. *elegit nos in ipſo, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, vt eßemus ſancti, & immaculati*. non dicit Apoſtolus, quòd *elegit nos ex operibus*, ac multò minùs *ex ſolis*, ſed ſimpliciter dicit, *in ipſo*, hoc eſt, *in Chriſto*. & cùm addit, *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*. excludit prorſus *opera bona*. neque etiam dicit *nos ideo elegiße; quia futuri eramus ſancti*, ſed *vt eßemus ſancti*. nam hanc ſanctitatem in electis, operatur. Eadem Scriptura dicit, *non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis*. 2. Corynth. 3. & Ioan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere, & nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.*

4. Error.

Et *ratio eſt*. nam opera moraliter bona, ſunt ordinis naturalis: æterna autem

autem felicitas, eſt ordinis ſupernaturalis: & quia media, debent eſſe proportionata ad finem; ideo opera moralia, quæ ſunt media ordinis naturalis, non poſſunt eſſe cauſa æternæ felicitatis, quæ eſt ordinis ſupernaturalis. Hic error condemnatus eſt à Concilio Mileuitano, Arauſicano 2. Palæſtino, Africano 2. maximè contra eum egit D. Aug. lib. contra duas epiſtolas Pelagij, & de Bono Perſeuerãtiæ, de Gratiæ ac Libero Arbitrio: tũ de Prædeſtinatione Sanctorum.

7. *Quintus error* fuit Semipelagianorum, qui etiam vocati ſunt reliquiæ Pelagianorum: inter quos præcipui ſunt Maſſilienſes, eorũq; Dux & Anteſignanus dicitur fuiſſe Ioannes Caſſianus (vt patet ex epiſtolis B. Proſperi, & B Hilarij Arelatenſis, ad S. Aug.) hi affirmabant, ad obtinendam Beatitudinem, non ſufficere (vt dicebat Pelagiꝰ) beneficium creationis, & prædicationis, ſed neceſſariam eſſe Diuinam gratiam, ac internas inſpirationes; & præter hęc quædam initia æternæ ſalutis conſequẽdæ, quæ ex nobis eſſe ponebãt, eaque de congruo mereri ſequẽtem iuſtificationem. Vnumquemq; igitur hominem, ſalutis ſuæ negotium propria naturali virtute incipere volebant: hæc autem inceptio, in hoc eſt, quòd homo velit, & deſideret ſalutem ſine vlla ſpeciali gratia. Hæc tamen deſideria, ſic à nobis profecta, dicebant eſſe irrita, tam ad iuſtificationem, quàm ad glorificationẽ, niſi Deus ſpeciali auxilio ſuæ gratię adiutrices manus porrexerit. Vnde illorum vox erat: *Deum inuitare volẽtes, trahere deſiderantes, erigere admittentes*, ita, vt nos prius velimus, deſideremus, admittamus, quàm Deus inuitum trahat, erigat, vt apertè colligitur ex Fauſto Reginenſi, l. 1. de Libero Arbitrio. c. 17. hic quoad Prædeſtinationẽ dicebat, quòd hæc eſſet ex meritis congruis noſtri liberi arbitrij, non autem ex condignis.

Sed hanc Sententiã prorſus reijcimus; quia initium iuſtificationis, glorificationis, viribus naturæ attribuit. & eſt condemnata in Concil. Arauſic. 2. ſub Felice. Can. 6. *Si quis dixerit, ſine gratia Dei, credentibꝰ, volentibus, deſiderantibus, pulſantibus, miſericordiam conferri, non autem confitetur diuinitus fieri, vt accedamus, velimus, Anathema ſit.* & Can. 7. dicitur: *Hæretico ſpiritu fallitur, quiſquis per naturæ vigorẽ, aliquod bonum, ad ſalutem conferens, cogitari, aut prædicari, & conſenſum dari poſſe, affirmat, abſq; Spiritus S. illuminatione & inſpiratione.* Ijdem Semipelagiani crediderũt, ex paruulis aliquos, ideo eſſe prædeſtinatos, licet ante vſum rationis moriantur, quòd præuiderit Deus, illorum bona opera futura, ſi perueniſſẽt ad ætatem maturam: alios item eſſe reprobatos, quòd ſimiliter præuidit Deus, eorum mala opera futura, ſi ad vſũ rationis perueniſsẽt, quod manifeſtè falſum eſſe colligitur ex locis Scripturæ, *vnuſquiſq; recipiet in corpore, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* & Sapien. 4. legimꝰ: *quendam adoleſcentem fuiſſe ex hac vita tranſlatum, ne malitia mutaret eius intellectum, aut ne fictio deciperet animam eius* ergo ſicut Deus neminem præmiat, propter opera, quæ potuit facere, ſed non facit: ita neque aliquem punit, propter opera futura mala, quæ potuit facere, & non facit: ſed infãtes ſine Baptiſmo decedẽtes nullam culpam admiſſerunt; ergo non

ideo punientur; ſed quia lauacro regenerationis, non ſunt abluti.

Sextus error Hæreticorum, præſertim Caluini. qui affirmat Prædeſtinationẽ Electorũ, & abiectionẽ improborum, fieri ex beneplacito voluntatis Diuinæ. & idem addit: ſicut Deus prędeſtinatos inducit ad opera bona: ita & reprobos inducit & ſolicitat ad opera mala; & ſic Deum authorem peccati facit. Hæc illius impietas reijcitur ex cap. 32. Deut. *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate.* & Pſal. 144. *Sanctus in omnibus operibus ſuis.* & ad Rom. 9, *Nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit.* Habacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas vanitatem, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* ergo falſum eſt, quòd Caluinus aſſerit, tãquam Deus reprobos ad peccatum inducat.

Opiniones 7. de Cauſa Prædeſtinationis.

8. QVANTVM ad tertium, v. *quænam ſint Doctorum Scholaſticorum ſententiæ, de cauſa Prædeſtinationis?* Dico, has eſſe ſeptem, quarum priores ſex, cauſam ex parte prædeſtinatorum ponunt: ſeptima Prædeſtinationem, in ſolam voluntatem Diuinam gratuitam reijcit.

1. Sententia dicit gratuitam bonitatem.

Prima eſt ſententia Ambr, Catherini, *l. 1. de Prædeſt. in c. vltimo, & l. 3. c. 1. & 2.* qui, hoc primum quaſi Proloquium ſtatuit, *quòd Deus ab æterno ſuâ gratuitâ bonitate, omnes homines, nemine excluſo nouit, dilexit, elegit, deſtinauit, vt ſalua libertate arbitrij, vitam æternam conſequerentur:* pòſt, duas claſſes ſtatuit prædeſtinatorum, tertiã reproborum. *In prima* conſtituit eos, tanquam ſpecialiter prædeſtinatos, & ſpecialiter præelectos, ac præuocatos, vt B. Virginem, Apoſtolos, & alios pauciſſimos, quos Deus æterno ſuo decreto, & efficaci voluntate prædeſtinauit, illiſque eximia auxilia gratiæ conferre ordinauit, vt ſaluâ libertate arbitrij, nullo modo à ſalute æternâ excidere poſſint. Horum Prædeſtinationis cauſam, ſtatuit ſolam voluntatem Dei, quâ decreuit, dare illis gratiam, nullo habito reſpectu, boni vſus liberi arbitrij præuiſi; atque ſic eximiè prædeſtinatos, ita exiſtimat confirmatos eſſe in gratia, vt ab ea, in hac vita, nulla ratione excidere poſſint.

Statuitque tres claſſes prædeſtinatorum.

1. Claſſis præelectorũ

2. Saluandorum.

Secunda claſſis eſt eorum, quos *ſaluandos* appellat, & de his dicit, *quòd ſint à Deo prædeſtinati, non abſolutè, nec efficaciter decreto Voluntatis illius, ſed cum conditione, ſi ipſi voluerint benè operari; atq; ſic ſtatuit illis Deũ dare gloriam, ex præuiſis meritis.*

3. Claſſis damnandorum

Tertia claſſis damnandorũ, de quibus dicit, *quòd eos Deus, nunquam à gloria ſua excludat, niſi ex præuiſione peccatorum, in quibus duraturi erant, vſq; ad mortem.*

De certitudine numeri harum trium claſſium, dicit: *quòd eximiè Prædeſtinatorum, eſt certus numerus collectus, non ex præuiſione meritorum, ſed ex ſola Voluntate Dei efficaci; horum demum, qui ſunt in ſecundo & tertio ordine, non eſſe certum numerum decretum ante merita; nam vtriſq; liberum erat habere merita, & non habere, & per conſequens ſaluari aut damnari.*

9. Hanc Sententiam Catharini, Sixtus Senen. illius diſcipulus (vt ipſe de ſe teſtatur) ſecutus eſt, & eãdem per decem annos, in multis & præcipuis Italiæ vrbib⁹ prædicauit, ſed cùm poſtea animaduertiſſet hãc doctrinã multis difficultatibus premi, & ob id multis doctis Theologis non probari, ſatiùs duxit, ab ei⁹ prædicatione deſiſtere, quàm pio iudicio

Refutatio illius.

dicio eruditorũ improbatã docere. Verùm recentiores ſufficiẽter hanc opinionem refutant;& D.Aug. l. 6. Hypogn. in fine eam condemnauit: cùm dicit, *Prædeſtinationem igitur negare, quam apud Deum eſſe, breuiter probauimus immanis blaſphemiæ eſt quam non tantùm, vt ſoletis dicere, in Apoſtolis debemus accipere, ſed etiam in Patriarchis, Prophetis, Martyribus, Confeſſoribus, & in omnibus Sanctis, & Deo dignè ſeruientibus.*

Ex quo collige variam eſſe Catharini diſtinctionem Prædeſtinationis, illiusque vnam cauſam ſolam Voluntatem Dei gratuitam. Hanc opinionem ex profeſſo confutant Soto, *in c. 9. ep. ad Rom. digreſ. de Prædeſt.* Anton. de Corduba *l. 1. q. 58* Barthol. Camer. *in Dial. Cathol. cap. 10.* Vaſquez. *in 1. p. q. 23. diſp. 90. c. 1.*

2. Opinio opera moralia antecedentia iuſtificationem ſtatuit.

10. *Secunda Sententia eſt*, quæ cauſam meritoriam Prædeſtinationis, quoad omnes effectus, ſtatuit opera bona moralia, antecedentia iuſtificationem, in quantum ſunt à Deo ab æterno præuiſa; non quidem de condigno, ſed de congruo: ita ſentit Gabriel *in 1. diſtinctione. 41. q. vnica, a 3. dub. 3.* Chriſoſtomus Iauell⁹; quanquam Dominicus Bannes, dicit illas quæſtiones de Prædeſtinatione, quæ habentur ſuperadditæ ad 1. D. Th. in Lugdun. editione, poſt illi⁹ mortẽ, ſub eius nomine fuiſſe editas. dicitur enĩ in illis Quæſtionibus, quòd bonus vſus liberi arbitrij moralis, antecedens gratiã, eſt vt diſpoſitio congrua: non tamẽ condigna ad gratiam, eademque eſt cauſa Prædeſtinationis & reprobationis.

3. Opinio ſubſequẽtia

Tertia ſententia eſt eorum, qui exiſtimârunt, quòd merita non antecedentia gratiam, ſed ſubſequentia ſint cauſa *Prædeſtinationis*. Deus enim ab æterno præuidit illos, qui gratiam eius erant accepturi, non fore otioſos, ſed ſicut ſerui acceptis talentis, ea amplificârunt: ita & illi acceptam gratiam, per bona opera erant amplificaturi. quos ergo huiuſmodi fore ab æterno cognouit, his deſtinauit dare gratiam, vocationis, iuſtificationis, & glorificationis; quod tali ſimili declarant. ſi Rex daret militi equum, & arma, ſciens, quòd ſit benè vſurus, & quòd ſuis præclarè & fortiter geſtis, ſit promeriturus equum & arma: ita De⁹ vocat, & iuſtificat eos, quos ſcit per bona opera ſubſequentia promerituros gratiam vocationis, & iuſtificationis. Hanc ſententiam refert D.Th. hic *a. 5.* in corpore Duran. in *1. diſt. 41. q. 2.*

Similitudo

4. Sententia dicit quoddam præuiſũ ſimul exſiſtens cum gratia.

11. *Quarta ſentẽtia eſt* Hẽrici Gand. *quod l. 4. q. 19. & quodl. 6. q. 5.* Alb. Pegij *l. 8. de Lib. Arb. c. 8.* Oſorij *de Iuſtitia l. 9.* qui docẽt, quòd ex parte noſtra, detũr aliquid, non quidem præcedens, neque ſubſequens gratiam vocationis, ſed ſimul cum illa exſiſtens; & hoc quidem eſt cauſa, non meritoria, ſed ſine qua non: & hoc præuiſum, quod eſt ſimul exſiſtens cum gratia, dicunt, quòd fuit cauſa, cur Deus nos prædeſtinauit ab æterno; ſicque deducunt: omnis actio humana prouenit tũ à gratia, tum quoque à libero arbitrio, ita, vt tota ſit à libero arbitrio, tota à gratia. ſed diuerſa ratione. nam licet liberum Arbitrium, in tali operatione nõ habeat aliquid proprium, quod etiam ſimul non ſit à gratia: tamen in modo operandi, habet hoc proprium, quòd liberè aſſẽtitur gratiæ, & cum

Hoc autem præuiſũ. eſt non reſiſtentia duci ſe à gratia vocante.

& cùm poſſit illi reſiſtere, non reſiſtit, ſed permittit ſe duci à gratia. Hæc igitur non reſiſtentia, ſeu non repugnantia,, ſeu permiſſio, ducendi ſe à gratia vocante, & iuſtificante, eſt cauſa ſine qua non: nam ideo vocantur & iuſtificantur, & tandem gloriam conſequuntur, quia ſe duci permittunt, & ſic propter hanc non reſiſtentiam, & non repugnantiam præuiſam ab æterno, facta eſt Prædeſtinatio.

5 Opinio aſſerit Præſcientiam.

12. *Quinta Sententia*, quorundam recẽtiorum. non longè ab hac recedens: dicunt enim Prædeſtinationem factam eſſe, cum Præſcientia boni vſus liberi arbitrii, futuri ex hypotheſi, hoc eſt, ſi in talibus circumſtantiis conſtitueretur. Et hanc talem Præſcientiam, dicunt eſſe cõditionem ſine qua decretum conferendi adultis media ad ſalutem, non habuiſſet rationem Prædeſtinationis, ſed tantùm rationem prouidentiæ communis ſupernaturalis; et nomine *Præſcientiæ*, intelligunt *Scientiam mediam*; probantque his Rationibus. *Prima.* ad Rom. 8. *quos præſciuit & prædeſtinauit &c.* hæc verba de nulla Præſcientia commodiùs intelligi poſſunt, quàm de Scientia media; ſiquidem hæc præuia eſt ad Prædeſtinationem; nam per eam Deus cognoſcit, quid Liberum Arbitriũ cuiusque hominis, pro ſua libertate ſit acturum ex hypotheſi, hoc eſt, ſi in tali ordine rerum. & cum talibus auxiliis conſtitueretur. *Ratio 2,* Deus, decreto æterno volũtatis ſuæ, eo modo prædeſtinauit nos iuſtificandos, ſaluandos, quo iam in tempore, de facto iuſtificamur, & ſaluamur; ſed omnes adulti, iuſtificãtur, ſaluantur, dependenter à bono vſu liberi Arbitrii; quia requiritur conſenſus illius. & cooperatio; ergo quod ex æternitate fuerint prædeſtinati, per hæc media, per quæ iam iuſtificantur & ſaluantur, non ſolũ pendet ex Diuina voluntate; quia Deus ſic decreuit, talia media conferre prædeſtinatis ad ſalutem, ſed etiam pendet ex libera cooperatione Arbitrii præſciti à Deo.

6 Sententia Electionem ad Gratiam & Electionem ad gloriam dicit

13. *Sexta Sententia eſt*, etiã recentiorum, qui diſtincta Electione ad Gratiam, & Electione ad Gloriam, *Dicunt primò.* Electionẽ, ſeu prædeſtinationem ad gratiam, factam eſſe ante omnem præſcientiam boni vſus liberi Arbitrii. Et in ſuam ſententiam trahunt D. Aug. explicantes, quòd, quando contra Pelag. & Semipelag. oſtendit electionem nõ eſſe ex meritis, ſed ſolùm ſecundùm gratuitam voluntatem Dei, loquatur de Prædeſtinatione ad Gratiam: nam Gratia nullum meritum antecedere poteſt. cuius intuitu conferatur; aliàs enim non eſſet gratia, ſed merces.

Dicunt ſecundò efficacem electionem ad Gloriã, factam eſſe ex præuiſis meritis: quod ſic probant; voluntate antecedente vult omnibus hominibus Deus gloriam æternam dare, non autem voluntate conſequente, quæ eſt volũtas efficax; ſed voluntas antecedens eſt ante præuiſa omnia merita; & proinde reſpectu omnium eſt æqualis. voluntas autem conſequens, non eſt ante præuiſa merita, ſed poſt illa præſcita; & ideo dicitur *voluntas conſequens*: quia eſt in Deo poſt præſciẽtiã, meritorum, & non eſt iam æqualis reſpectu omnium hominum: ergo electio

lectio efficax ad gloriam, facta eſt poſt præuiſa merita, procedentia ex gratia.

Sententia vltima Electionem efficacẽ, ex ſola gratuita volũtate Dei nullis præuiſis meritis, procedẽtem.

14. *Septima Sententia* eſt communis, nullam eſſe rationem, ſeu cauſam, vllo modo meritoriam, ex parte prædeſtinati, ſcilicet Prædeſtinationis ſumptæ, quoad omnes illius effectus; proinde electio Dei efficax tam ad gratiam, quàm ad gloriam, antecedit in ſigno rationis, præuiſionem meritorum, ita, quòd intentio efficax dandi prædeſtinatis gratiam, & gloriam, procedit ex ſola gratuita voluntate Dei, nullis præuiſis meritis. Ita D. Aug. docet, in multis ſuis libris, quos cõtra Pelag. conſcripſit, maximè *in lib. de Præd. SS. de dono Perſeu. de Gratia & Lib. Arb.* D. Th. hic *in 1. p. q. 13. a. 5.* Alex. Alen. *p. 1. q. 30. memb. 5.* D. Bonau. *in 1. diſt. 41. a. 1. q. 1. & 2.* Scotus *in 1 diſt. 41. q. vnica* Rich. *eadem diſt. a. 2. q. 1.* Ægid. Rom. *ib. q. 2. a. 1.* Duran. *ib. q. 2.* quam etiam defendendam, plurimi recentiores ſuſceperunt, vt Báneſ. Cumel, Aluarez, Et alii quàm plurimi.

15. QVANTVM ad quartum videlicet, *quoad determinationem veritatis.*

Prædeſtinatio non ſolùm includit finẽ ſed etiã media ad gloriam æternam.

Dico primò. *Prædeſtinatio non tantùm eſt propoſitum conferendi gloriam, ſed etiam eſt ordinatio mediorum, quibus ad gloriam æternam, ſit perueniẽdum, ita, quòd Prædeſtinatio, non ſolùm includit finem, ſed etiam media; quæ ordinantur ad finem conſequendum.* PROBATVR ſic cõmuniter. Theologi definiunt Prædeſtinationem, quòd ſit propoſitũ conferendi gloriam in futuro, & gratiam in præſenti: ſed gloria eſt finis, gratia verò vocationis, iuſtificationis ſunt media: & D. Aug. *lib. de Prædeſt. SS. cap. 10.* dicit: *quòd prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ, & beneficiorum Dei.* ſed hæc ſunt media ad Beatitudinem ordinata: ergo Prædeſtinato includit media ordinata ad gloriam. Idem D. Aug. adducens illa verba D. Pauli ad Eph. 2. *Creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis,* hoc inquit D. Aug. *eſt gratia* quod autem ſequitur, *quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* hoc inquit. *Prædeſtinatio eſt,* Tandem concludit: *quocirca Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: Gratia verò ipſius Prædeſtinationis effectus.*

Et D. Paul. ad Rom. 8. *quos præſciuit. hos prædeſtinauit, hos vocauit, hos iuſtificauit, hos glorificauit* Ergo Prædeſtinatio includit vocationem, iuſtificationem, glorificationẽ. ſed glorificatio eſt finis, vocatio verò & iuſtificatio ſunt media: ergo prædeſtinatio & finem & media includit. nã Prædeſtinatio eſt pars Diuinæ Prouidentiæ; ſed ad Prouidentiam pertinet, non ſolùm intentio finis, ſed etiam ordinatio mediorum, quibus in finem peruenitur. ergo & Prædeſtinatio habebit finem, v. gloriam: & media, v. vocationem & iuſtificationem.

Opera moraliter bona antecedentia gratiam non ſũt cauſa meritoria de congruo Prædeſtinationis.

16. Dico ſecũdò. *Opera moraliter bona, antecedentia gratiam præuenientem, non ſunt Cauſa meritoria, de congruo Prædeſtinationis.* Hoc Dictum eſt contra Gabr. Thomam de Argent Chriſt. Iau. *Probatur primò* Iſaiæ 65, quæ verba citat D. Paulus ad Rõ. 10. in Perſona Dei dicens: *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Sed hi, qui non quærunt Deum, nec de illo interrogant ſunt peccatores, qui nulla opera moraliter bona habent, & tamen hi inueniunt Deum, & palam ſe illis manifeſtat. ergo ſignum eſt, quòd opera mo-

ra moraliter bona, non ſunt Cauſa gratiæ; ergo. & per conſequens nec Prædeſtinationis *Probatur ſecundò*. Chriſtus Dominus exprobrat ciuitatibus, quibus annuntiabat Euangelium, & quæ videbant miracula eius, & tamen pœnitentiam non egerunt; *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone, factæ fuiſſet virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent*. In his verbis ſignificat Saluator, quod præuidebat in Tyriis & Sidoniis, quòd ſi illis fuiſſet prædicatum, vterentur benè libero Arbitrio, & operibus moraliter bonis: & tamen propterea, non eſt illis euangelizatum; quia reprobati erãt. ergo opera moraliter bona, & ipſe bonus vſus liberi Arbitrij, nihil confert ad prædicationem.

17. *Probatur tertiò.* Ad Eph. 2. *Ipſius factura ſumus, creati in bonis operibus.* hinc argumentor. Creationem nihil antecedit, ex parte eius rei, quæ creatur: quomodo enim antecedere poteſt; ſiquidem necdum eſt creatura? Tum, quia virtus omnipotens Diuina, omnia ex nihilo produxit; atqui vocatio, & iuſtificatio eſt quædam creatio Spiritualis, iuxta illud: *Cor mundum crea in me Deus.* Ergo hanc non antecedunt, opera moraliter bona. Idem D. Paul. ad Tit. 3. *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos.* In hoc loco Apoſtolus, non dicit, *ex meritis de condigno*, ſed abſolutè dicit, *non ex operibus.* volens ſignificare, vniuerſaliter opera, etiã antecedentia gratiam iuſtificantem quamuis ſint moraliter bona, nihil conferre; neque ad iuſtificationem, neque ad Prædeſtinationem.

Probatur quartò Deus per ſuã miſericordiam, prædeſtinauit, & vocauit ad gratiam, & ad gloriam ſuam, quos præuidebat fore maximos peccatores, vt D. Paulũ, Magdalenam, Latronem, qui maximè erant abuſi libero Arbitrio: Alii verò in liberi Arbitrii bono vſu inſtituti erant, ita, quòd dictamen rectæ rationis ſequebantur; quia in diſciplina inſtituti erãt; vt Socrates, Plato, Ariſtoteles, & alii Ethnici Sapientes, qui tamen ſunt reprobati. Ergo ſtultum eſt tribuere gratiam Prædeſtinationis; tanquam debitam bono vſui liberi arbitrii, & operibus moraliter bonis. Qui dictamen rationis non ſequebantur ſunt electi, qui verò ſequebantur, minimè.

18. *Probatur quĩtò.* Sequeretur, quòd initium ſalutis eſſet ex nobis. *Sequela*; quia ſecundũ hos authores, Deus decreuit in ſua æternitate, propter opera moraliter bona, ſolis naturæ viribus geſta, cùm generali concurſu, vocare, iuſtificare, glorificare; ergo ex viribus noſtris liberi Arbitrii, ſalus noſtra oriretur, quod quidem eſt falſum. nam condemnatum in Concil. Mileu. Arauſic. contra Pelag. Et D. Paul. expreſſè dicit: *quis prior dedit illi? & retribuetur ei.* ſed ſi bona opera antecederent Prædeſtinationem, prius illa Deo daremus, quod eſt falſum.

Obijcies Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuã; ſed qui opera moraliter bona operatur. facit quod in ſe eſt; ergo illi Deus, non denegat gratiam vocationis, iuſtificationis. ergo opera moraliter bona, antecedentia gratiam, ſunt cauſa Prædeſtinationis. *Reſpondetur* Homo in ſolis naturæ viribus conſtitutus, non poteſt facere totum, quod in ſe eſt: nam fieri poteſt, quòd aliqua opera moraliter bona, faciet, Obiectio.

ſed in aliis ſuis operibus, multùm offendit Deum; proinde ad hoc vt faciat totum, quod in ſe eſt, requiritur auxilium gratiæ. nam ſine hoc non poteſt facere totum, quod in ſe eſt; vnde Deus, eâ eſt prouidentiâ, circa ſalutem peccatorum, quòd ad oſtium cordis illorum ſtat, & pulſat, offerendo auxilia gratiæ ſuæ, vt à peccatis reſurgant, & huic vocationi Diuinæ obeſt, quod peccatores reſiſtunt.

Merita ſubſequentia gratiam nõ poſſunt cauſa eſſe Prædeſtinationis.

19. Dico tertiò. *Neque merita, quæ ſubſequuntur gratiam, poſſunt eſſe cauſa Prædeſtinationis.* Hoc Dictum eſt contra Alex. Alen. *in 1. p. q. 26. memb. 3. art. 2.* PROBATVR hæc merita ſic ſubſequentia, maximè de congruo eſſent meritoria: ſed hoc non: ergo non ſunt Cauſa Prædeſtinationis. Si enim eſſent meritoria, ergo eſſẽt meritoria primæ gratiæ iuſtificantis; ſed hoc falſum; quia prima gratia non cadit ſub meritum; proinde ſecundùm fidem prima gratia, non datur ex meritis, ſed gratis. *Confirmatur.* ex Concil. Arau. cap. 25. vbi dicitur: *quòd ipſe Deus nobis, nullis præcedentibus meritis, & fidem & amorẽ ſui inſpirat.* Tũ hæc opera procedẽtia ex gratia ſunt effectus Prædeſtinationis; quia procedunt à gratia excitante, præueniente; quæ quidem gratia eſt primus effectus prædeſtinationis. vnde talibus operibus ſubſequentibus, non mouetur Deus, ad prædeſtinandum. nam hæc opera, vt talia eſſent, ordinauit in prædeſtinatis; proinde ſunt effectus.

Simile 3. ſententiæ diſſoluitur.

Quoad ſimile de Rege, & equo militi donato, *Reſpondetur primò* cum 1. Duran. *ex 2. Sen. diſt. 5. q. 3. a. 8.* Equus donatus militi à Rege, aut eſt datus gratuitò & ſimpliciter, & tunc opera ſequentia, non ſunt meritoria. nemo enim meretur id, quod ſuum eſt, ſed id ſolùm, quod non erat ſibi debitum facit per merita, vt ſit debitum: ſi autem equus ſub conditione eſt datus, vt militando & faciendo ſequentia opera, illum mereatur: ſic opera ſubſequentia merentur equum. at æterna beatitudo, non datur, ſub conditione, ſed ſimpliciter; id circo nemo prædeſtinatorum illam meretur per ſubſequentia merita. *Reſpondetur ſecundò* cum D. Th. *ex 1. 2. q. 114. a. 5. ad 3.* inter gratiam, & inter equum, ſeu humanum donum, hæc eſt differentia: equus, ſeu humanum donum, non poteſt dari ob ſpem meriti: quia bonus vſus equi, aut alterius boni humani, tribuitur dexteritati equitis, ac induſtriæ illi⁹, nõ autẽ dono: hæc verò ipſa dexteritas, & induſtria quæ donum aut equum accipit, eſt tanta ex ſe, vt digna ſit equo, aut dono, quo in ſeruitio Regis vtatur: at talis bonus vſus gratiæ, non tribuitur virtuti Arbitrii humani, ſed gratiæ principaliter; nec gratia datur ideo, quod liberum arbitrium ſit dignum tali dono, ſed potiùs vt idem liberum Arbitrium, potens efficiatur, & virtutem ab eo accipiat, vt operetur benè: & ita bonus vſus gratiæ, non poteſt eſſe meritum propter quod gratia detur, ſed potiùs eſt finis ad quem gratia donatur.

Bonus vſus liberi Arbitrij non eſt cauſa Prædeſtinationis.

20. Dico quartò. *Bonus vſus liberi Arbitrij concomitans, qui in non repugnantia conſiſtit, non eſt cauſa Prædeſtinationis*: Pro Intelligentia

Motus liberi Arbitrij dupliciter cõſideratur

Noto cum Scoto. *ex 1. diſt. 41. q. 1.* Motus liberi arbitrii dupliciter cõſiderari poteſt: *primò*, vt eſt à Gratia. *ſecundò*, vt eſt à libero Arbitrio. Tandem his

dem his poſitis, dicit Henricus: *ſi ille motus, vt eſt à gratia, conſideretur, ſic non eſt cauſa prædeſtinationis, ſed effectus: ſi verò conſideretur, vt eſt à libero Arbitrio, ſic eſt Cauſa Prædeſtinationis.* Hæc Sententia valde eſt abſurda, quia docet, quòd Deus ex parte prædeſtinatorũ, habuit aliquã cauſam; non quidem, quæ illum impulit ad prædeſtinandum; ſed quæ ſit ratio, & cauſa, quam Deus ſecutus fuit, vt illa diſcretio bonorum & malorũ, rationabilis eſſet. Nam valde rationi conſonum eſt, vt quos præuidit ſuæ vocationi non repugnaturos, illos prædeſtinaret: quos verò præuidit repugnaturos, illos reprobaret; & hanc non repugnantiam, dicit eſſe cauſam, non propter quam homo prædeſtinetur, tanquam propter meritum, ſed ſine qua non fieret prædeſtinatio, & qua accedente ſunt prædeſtinati, ex quadam congruitate: nam decens eſt, & conueniens, vt Deus eum prædeſtinet, quẽ videt per non repugnantiam cooperaturum gratiæ.

Opinio Henrici duo habet reprehẽdenda.

Nota in hac Henrici Opinione duo, reprehẽſione digna eſſe *primum* quia diſtinguebat gratiam à libero Arbitrio, quòd facere non debuit. nam opera quæ facimus gratia adiuuante, non ſunt partim à gratia, partim à libero Arbitrio, ſed totum illud opus ſit indiuiſum ab vtroque: quanquam ſecũdùm fidem certum eſt, quòd liberum Arbitrium dum cooperatur gratiæ, poſſit pro ſua libertate, eidem reſiſtere, ac repugnare: Ita decernit Concil. Trid. *Seſſ. 6. de iuſtif cap. 5.* vbi ſic dicit: *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis, per Chriſtum Ieſum, à præuenienite gratia, ſumendum eſſe: vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem & adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe, ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponãtur, ita, vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus Sancti illuminationem, neque ipſe homo nihil omnino agat, illam inſpirationem recipiens; quippe qui illam & abijcere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei, mouere ſe ad iuſtitiam, libera ſuâ voluntate poſſit.*

Nota 2.

Nota 2. quando homo motus à Deo, & ab illius gratia, incipit moueri, & non repugnat motioni, tunc iam eſt in via ad ſalutem, & eſt donum Dei; proinde priùs Deus modo noſtro intelligendi, decernit & facit hominem non repugnaturũ, & poſtea præuidet. His notatis.

21: *Probatur Dictum*: ſentẽtia Hẽrici, apertè ſapit Pelagianam Hæreſim, quæ dicit initium ſalutis eſſe ex nobis. ergo omnino tanquam proxima hæreſi eſt reijcienda. *Sequela* ſecundùm Henricum, quando Deus duos vocat, per omnia ſibi pares, tum, ſi horum vnus non repugnat vocationi: alter verò repugnat, hic qui non repugnat, eſt prædeſtinatus: qui autẽ repugnat eſt reprobatus. ſed repugnare & non repugnare, prouenit à libero Arbitrio, ab omni gratia deſtituto: ergo liberum arbitrium, relinquitur in viribus ſuæ naturæ; & quia ex his nõ repugnat. ergo ex illis erit principium ſalutis, quod eſt aperta Pelagii Hæreſis.

Sed dices Hoc genus Cauſæ, ſ. non Repugnantia ex parte hominis prædeſtinati, non impedit, quominus Prædeſtinatio, ſit etiã ex miſericordia Dei; nam ſola repugnantia non Obiectio.

ſufficit

ſufficit, ad tantum donum obtinendum; niſi miſeratio Dei acceſſerit. *Reſpondetur.* Senſum eſſe inſtantiæ. non repugnantiam inchoare ſalutẽ noſtram, miſericordiam Dei conſummare; atqui hæc eſt aperta Pelagii Hæreſis. *Probatur 2.* Non repugnantia, non eſt conditio ſine qua non, Prædeſtinationis; nam dicit ſcriptura, *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone, factæ fuiſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent. Sed* Tyrii & Sidonii, (vt D. Aug. argumentatur, *lib. 1. adSimpl. q. 2.*) præuiſi ſunt non repugnaturi, diuinæ vocationi, immò præuiſi, quòd erāt facturi de peccatis ſuis pœnitentiam: & tamen iſti non ſunt à Deo prædeſtinati. Ergo non Repugnantia præuiſa, nō eſt Cauſa Prædeſtinationis.

22. *Probatur 3.* Si non Repugnantia eſt Cauſa noſtræ Prædeſtinationis. ergo Repugnantia erit Cauſa reprobationis. hoc falſum. ergo & illud. *Conſequentia* Infantes, qui decedunt ſine Baptiſmo ſūt reprobi. ſed hi, quia ad ætatem maturam nō peruenerunt, non poterant repugnare gratiæ vocanti. ergo non ſunt præuiſi, tanquam repugnaturi gratiæ Dei. ergo illorum reprobationis non erit Cauſa, repugnantia.

In infantib^9 non baptizatis ob iniuſtam ætatem non eſt cauſa repugnandi.

Reſpondetur à nonnullis, horum infātium repugnantiam, reuocandam eſſe ad eam, quæ fuit in Adam quando peccauit; quia in eo verè peccauerunt, & in illo, motibus gratiæ repugnarunt.

Soluitur hoc à nonnullis.

Sed contra. non modò hi infantes, ſed omnes nos eſſemus reprobandi; quia omnes in Adam peccauimus, omnes motibus gratiæ, & inſpirationi Diuinæ gratiæ repugnauimus.

Inſtantia 1.

Reſpondetur iterum ab aliis. His infantibus fuit Cauſa reprobationis, præuiſa repugnantia, quæ futura erat, ſi illi ad vſum rationis perueniſſent:

Solutio illius.

Sed contra. hæc reſpōſio cōtra doctrinam D. Aug. quæ habetur *in lib. de Prædeſt. SS. cap. 12. 13. 14.* vbi ſic argumentatur: Futura, quæ non ſunt futura, neque puniri, neq; præmio affici poſſunt; ſed hæc infantium repugnantia, non potuit præuideri vt futura, ſed ſolùm vt poſſibilis, quia nunquam fuit futura; non eſt igitur cauſa repugnantia, illorum reprobationis.

Inſtātia rurſum 2.

Confirmatur Si enim in his paruulis non baptizatis, punirentur peccata, quæ habituri erant, ſi ſuperuixiſſent, conſentaneum etiam eſt, vt his, qui cum Baptiſmo deceſſerunt remittantur, quæ admiſſuri erant, ſi vixiſſent: nam iniuria fieret gratiæ Dei, ſi peccatum futurum, quod ſolùm eſt præcognitum puniretur, & non ignoſceretur, nec dimitteretur, à Deo baptizatis infantibus. ſed hoc imprudenter dicitur, quòd peccata futura, ſi vixiſſent, peccatorib^9 verè dimittantur. ergo etiam abſurdum, quòd eadem peccata, quæ erāt futura, nunquam tamẽ poſitiuè futura, infantibus imputentur.

Peccata poſitiua puniūtur, non quę ſunt poſſibilia.

23. *Probatur 4 Dictum.* Cooperatio, quæ ſe tenet ex parte prædeſtinati, & procedit à libero Arbitrio, eſt vnus effectus Prædeſtinationis. ergo nullo modo poterit eſſe Cauſa. nam alias concedendum eſſet, quod idem ſuiipſius eſſet cauſa, vt videtur concedere Henricus, cùm (vt iam notauimus) cooperationẽ hanc diſtinguit, dicens: ſi eſt à gratia, eſt effectus Prædeſtinationis: ſi à libero Arbitrio, nequaquā, ſed

Cooperatio procedens à libero non eſt Cauſa Prædeſtinationis.

ſed cauſa: *Tum quæro ex eodem.* Hæc cooperatio, procedens à libero Arbitrio, an ordinetur ad gratiam iuſtificationis? ſi ſic? aut eſt meritum, aut diſpoſitio? ſed vtroque modo accepta, eſt effectus Prædeſtinationis; quia gratia & ipſum meritum ſunt effectus. ergo & cooperatio, ſiue ſit vt diſpoſitio, ſiue vt meritũ, erit effectus Prædeſtinationis.

Sed effectus

Probatur 5. id, quod conducit Prædeſtinato ad Beatitudinem conſequendam, eſt Prædeſtinationis effectus. ſed ſecundùm Henricum, cooperatio à libero arbitrio procedẽs, conducit ad Beatitudinem conſequendam. ergo eſt effectus Prædeſtinationis.

Obiectio.

Obijcies. Electio, propriè loquendo, non poteſt eſſe ſine iudicio diſcretionis, tenentis ſe ex parte rei, quæ eligitur. ſed in Prædeſtinatione eſt electio. ergo debet eſſe cum iudicio diſcretionis, vt hos Deus eligat ad vitam æternam, qui non ſunt repugnaturi, illos verò repellat, quos præſcit repugnaturos. ergo ex parte hominis oportet aliquid aſſignare, quòd ſit cauſa, cur à Deo ſit electus.

Solutio illius.

Reſpondetur Electionem, quæ à nobis fit, aliquid ſupponere, quod ſe tenet ex parte rei electæ, ratione cuius fit electio, cum iudicio diſcriminis: electionẽ verò Dei nullum bonum ſupponere, quod ſit ex parte creaturæ, ſed totum eſt, ex parte eligẽtis Dei. *Et ratio eſt*, quia nos in ea re quã eligim⁹, bonũ ſupponim⁹. proinde in nobis, priùs eſt electio, propter bonum animaduerſum in re electa, tandem ſequitur dilectio, quæ fertur in bonum, propter quod aliquam rem eligimus: iam autem in Deo, priùs eſt, dilectio cõcedens & donans bonum rei creatæ, & tandẽ electio ſequitur. Et hæc eſt cauſa, quòd aliter contingit electio in nobis, & aliter in Deo; ſiquidem in Deo dilectio præcedit electionẽ: in nobis verò prior eſt electio, quàm dilectio.

In nobis prius eſt electio quam dilectio, è cõtra in Deo.

24. *Obijcies ſecundò.* ſi Deus, ex ſua ſola volũtate gratuita, aliquos prædeſtinaret, nullo habito intuitu non repugnantiæ, & boni vſus liberi Arbitrij, atq; etiam meritorum, ſequeretur, quòd De⁹ eſſet acceptor perſonarum, eſſet præterea & crudelis; quia citra vllam cauſam, quæ ſe teneret ex parte hominis, ſola ſuà voluntate deſtinaret aliquos ad gloriam, reliquos verò excluderet: ſed Deus nõ eſt acceptor Perſonarum, ex c. 10. Act. nec crudelitas in eum cadit; quia eſt miſericors, & miſerator. ergo Prædeſtinationis erit Cauſa nõ repugnantia. *Reſpondetur* in bonis liberalib⁹, ſeu gratuitis, acceptio perſonarum, non habet locum. ſed ſolũ in his quãdo æqualib⁹ dãtur inæqualia, quæ illis debentur. nã hoc eſt contra iuſtitiam, quæ vnicuique reddit, quod ſuum eſt. Cùm igitur Prædeſtinatio, donum ſit liberale & gratuitum, ac quod ſine vllis meritis confertur, & nulli debetur, tunc nulla eſt acceptio perſonarum; quia nemini quicquam debet Deus, nam obligatio in Deum non cadit, & non eſt cuiquam debitor, vnde Paterfamilias Matth. 10. dicit: *tolle quod tuũ eſt, & vade, an non licet mihi de meo facere, quod volo?* proinde quando Deus æqualibus inæqualiter diſtribuit, nulla eſt iniuſtitia, nulla acceptio Perſonarum; nec ideo Deus, dici debet crudelis, ſiquidem quando punit, id

Obiectio 2.

Solutio.

Obligatio non cadit in Deum.

nit, id facit ob culpas, ab homine cõmiſſas, quæ vindicatiuæ iuſtitiæ ſub iacerent. nam permiſſo, eſt quidem à Deo, ſed peccatum ipſum, iam nõ à Deo, verùm ab homine.

Influxus Liberi Arbitrij eſt effectus Prædeſtinationis.

25. *Probatur 6.* Influxus liberi Arbitrij, quo prædeſtinatus liberè cõſentit Deo vocãti, & excitanti, etiãſi conſideretur formaliter, vt procedit à libero Arbitrio, eſt Effectus Prædeſtinationis. ergo non poteſt eſſe Cauſa. *Antecedens probatur* verbis D. Th. ex *1. par. q. 23. a. 5.* in corpore, vbi ſic dicit: *Iſti videntur diſtinxiſſe, inter id, quod eſt ex gratia, & id, quod ex libero Arbitrio, quaſi non poſſit eſſe, idem ex vtroq; ? manifeſtum autem eſt, quòd id, quod eſt gratiæ, eſt Prædeſtinationis effectus, & hoc non poteſt poni, vt ratio Prædeſtinationis, cùm ſub Prædeſtinatione concludatur.* Si igitur aliquid aliud, ex parte noſtra, ſit ratio Prædeſtinationis, hoc erit præter effectum illius, hoc eſt, non debet eſſe effectus Prædeſtinationis: non eſt autem diſtinctum, quod ex libero Arbitrio, & Prædeſtinatione, ſicut non eſt diſtinctum, quod eſt ex cauſa ſecunda, & ex cauſa prima; Diuina enim Prouidentia producit effectus, per operationes cauſarum ſecundarum; vnde & id quod eſt per liberum Arbitrium, eſt ex Prædeſtinatione: & in *l. 2. q. 111. a. 2. ad 2.* dicit. *quòd Deus, non ſine nobis, nos iuſtificat.* quia per modum liberi Arbitrij dum iuſtificamur, Dei iuſtitiæ conſentimus: ille tamen motus, non eſt cauſa gratiæ, ſed effectus. vnde tota operatio, pertinet ad gratiam.

Deus non ſine nobis nos iuſtificat.

Ex quibus locis D. Th. apertè quilibet colligere poteſt, cooperationẽ liberi Arbitrij, eſſe effectum Gratiæ & Prædeſtinationis.

26. *Probatur 7.* Deus per ſuam efficacem gratiã, quæ eſt effectus Prædeſtinationis, concurrit cum libero Arbitrio, non ſolùm influendo in actum, vnà cum eodem libero Arbitrio, ſed etiam efficienter mouendo liberum Arbitrium, vt faciat. ergo ille actus, etiam vt à libero Arbitrio prouenit, eſt effectus gratiæ efficacis præuenientis; & per conſequens Prædeſtinationis. *Reſpondetur à nonnullis.* ſi ille motus proueniens à gratia efficaci præueniente, ita influit in liberum Arbitriũ, vt ad hoc non ſit neceſſarius peculiaris mot⁹ liberi Arbitrij, qui ſe opponere gratiæ motui, aut ſuum actum ſuſpendere poſſit, ſic negant Antecedens: ſi autem præter illum motum gratiæ influentem in liberum Arbitriũ adhuc neceſſariò requiritur propri⁹ motus liberi Arbitri, quem peculiariter, ſupra motum gratiæ adhibet, ſic concedunt Antecedens, ſed Conſequentiam negant: in qua infertur, quòd ille motus liberi Arbitrij, ſit à gratia præueniente, & quòd ſit ipſius Prædeſtinationis effectus.

Liberum arbitrium eſt effectus Gratiæ vnde & Prædeſtinationis.

Solutio huius à nõnullis.

27. Ad *hanc reſpõſionẽ* dico nos fateri, præter concurſum gratiæ præuenientis, eſſe neceſſariam cooperationẽ liberi Arbitrij, per quam homo conſentit Deo vocanti: cum tamẽ, ſi velit, poſſit diſsẽtire: fatemur quoque, motum ſeu influxum, qui à libero Arbitrio procedit, eſſe illi proprium, ſed non eſſe ita illi proprium, vt ſub ea ratione, quà emanat à Libero Arbitrio, non depẽdeat à Deo, tanquam à cauſa efficiente ipſum; proinde hunc motum liberi arbitrij non poſſe præcisè, vt emanat à libero Arbitrio, conſiderari: ſicut enĩ conceptus vltimæ differentiæ, non poteſt

Solutio Solutionis.

poteſt conſiderari præciſè, ab Ente, ſiquidem eſt vniuerſaliſſim⁹, & propterea intimus omni & ſingulari rationi formali Entis, & ſi ratio Entis, ab vltima differentia præſcindatur, nihil in ea remanebit: ita & operatio Diuina, quia eſt vniuerſaliſſima, cauſa, ſic eſt intima vnicuiq; rationi formali operationis, ſeu concurſui cauſæ particularis, vt actio creata, non poſſit conſiderari, quòd procedat ab agente particulari, niſi in ea includatur operatio Diuina, & dependentia à Deo, vt à Cauſa vniuerſali. quocirca ſi ab actione cauſæ particularis, qualis eſt liberum arbitrium, præſcindamus operationem Diuinam, nulla prorſus erit.

Obiectio. 28. *Obijcies* ad Rom. 8. *quos præſciuit*, v. *benè vſuros libero arbitrio, hos prædeſtinauit*. ergo Præſcientia boni vſ⁹ liberi Arbitrij, eſt Cauſa Prædeſtinationis.

Solutio. *Reſpondeo primò* licet Præſciētia, priori loco ponatur, quā Prædeſtinatio: tamē modo noſtro cōcipiēdi, Prædeſtinatio eſt prior, quā Præſciētia. priùs enim De⁹, noſtro modo intelligendi, voluit prædeſtinatos eligere, & ordinare ad ſalutem conſequēdā; tandē præſciuit illos cōformes fieri imagini Filij ſui. nā veritas futurorū cōtingentiū pendet à determinatione Voluntatis Diuinæ, & propterea Voluntas Diuina determinās, prior eſt: priùs enim hoc fore determinat, & tandem futurum eſt contingens. & ſecundùm hunc ſenſum, interpretandus D. Hieron. ſuper Ierem. c. 26. quando dicit: *non ex eo, quòd Deus præſciuit aliquid futurum, illud erit, ſed quia futurum eſt, & præſciuit, hoc eſt, quia Deus voluit hoc fore, ideo præſciuit illud fore.* Scientia enim Viſionis, per quā ea, quæ futura ſunt, De⁹ cognoſcit, ſupponit decretum, ſeu determinationem Voluntatis Diuinæ; nam futura contingentia, non eò futura ſunt, quia illa Deus cognoſcit; ſed quia illa voluit eſſe, ideo erunt.

Noſtro modo concipiēdi Prædſtinatio prior eſt præſcientia.

Reſpondeo ſecundò, quòd hoc verbū *præſciuit* (vt interpretatur D. Aug.) *l. de Bono Perſeu. c. 18.* ſignificat idem quod prædeſtinare, ſeu approbare, ſeu diligere, quæ in Prædeſtinatione includuntur. Et *ratio eſt*, quia Scientia Dei, ſæpe in Scriptura ſumitur, pro dilectione, vt Pſal. 1. *Nouit Dominus viam iuſtorum*, hoc eſt, *dilexit*. & 1. ad Timoth. 2. *Nouit Dominus, qui ſunt eius.* & Matth. 25. *Neſcio vos.* erit igitur ſenſus verborum, *quos præſciuit*, hoc eſt, *quos dilexit*, & *approbauit*, hos prædeſtinauit, fore conformes imagini Filij ſui.

Verbum *præſciuit* denotat prædeſtinare, approbare, & diligere.

Reſpondeo tertiò, quòd Coniunctio *&*, copulatiua, non ſit ſumenda copulatiuè, ſed cauſaliter, vt habetur in Salutatione Angelica: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Particula *&* ſumitur cauſaliter, vt ſit ſenſus, *quia fructus ventris tui benedictus; idcirco tu benedicta* ita hic *præſciuit, & prædeſtinauit*, particula *&*, cauſaliter ſumenda; vt ſit ſenſus: *quia prædeſtinauit; ideo præſciuit.*

Coniunctio & ſumenda eſt cauſaliter non copulatiuè.

29. Ad Authoritates SS. PP. vt Diu. Ambr. Hier. Aug. & aliorum, pro ſua ſententia allegatas, quaſi merita præuiſa, ſint cauſa Prædeſtinationis, dico, quòd gloſſandi, & interpretandi ſūt SS. Patres, qui de vltimo effectu Prædeſtinationis, videlicet de conſecutione gloriæ, tanquam vltimi finis loquantur. Nam gloria correſpondet meritis, & non datur niſi habentibus merita; ſed ſi ſumatur Prædeſtinatio, in ſua latitudine,

Merita præuiſa ſūt cauſa Prædeſtinationis in ordine ad Gloriam.

tudine, & pro omni effectu, ſic iam ex parte noſtra, nulla datur cauſa. vnde neque merita noſtra. Vel etiã dicendum eſt, quòd Deus per quãdã cõcomitantiã; præuidit bona opera, vnde habēt ſe cõcomitãter vt ſit ſenſus, quòd, ſi Deus, nõ præuidiſſet prædeſtinatorũ bona opera, nõ prædeſtinaſſet; præſciuit autē illa concomitãter futura, non autē antecedēter, hoc eſt, non ſic præſciuit, vt antecederēt Prædeſtinationē, ſed vt eandē infallibiliter cõcomitarētur.

Deus prædeſtinauit via intentionis non exſecutionis.

Vel ad extremùm. ſecundùm Decanum Louan. *a. 7. de Lib. Arb.* Et Sixtum Senen. *in Bibl. S. lib. 6: annot. 248* interpretandi ſunt, quòd via intentionis prædeſtinauit Deus electos, ſine vllis præuiſis illorum meritis: ſed via exſecutionis non; cùm illis non det gloriam, niſi habeant bona opera.

Prædeſtinatio cuilibet homini debet eſſe curæ.

Ad illam verò auctoritatem D. Aug. *Si non es prædeſtinatus, fac vt Prædeſtineris*, dico, quòd hæc verba non habentur, apud D. Aug. ſed ſolùm iſta, *Si non eſt tractus, fac vt traharis*; & debent intelligi de conſummata, & de exſecutiua Prædeſtinatione; de qua commodè dici poteſt; *ſi non es prædeſtinatus.* hoc eſt, ſi non es aſſecutus cõſummationem Prædeſtinationis, videlicet gloriam, *fac vt prædeſtineris.* hoc eſt, fac vt aſſequaris, per bona opera; Et ſic, etiam aliæ auctoritates, ſi fuerint intellectæ in certo ſenſu admitti poſſunt, in certo negari.

Merita præuiſa neque ad Gloriam Prædeſtinationis, neq; ad Gratiam dari poſſunt

30. Dico quintò. *Non tantùm Prædeſtinationis ad Gratiam, ſed neque Prædeſtinationis ad Gloriam, vlla poßunt dari merita præuiſa, quæ ſint cauſa Prædeſtinationis.* Hoc Dictum eſt contra auctores diuerſæ Sententiæ, qui ex occaſione ſcriptorum, D. Aug. maximè contra Maſſil. Semipelag. commenti ſunt hanc diſtinctionem: quod alia eſt *Prædeſtinatio, quoad primam gratiam*, & alia *quoad gloriam*; & ſic aſſerunt, quòd loca Scripturæ, & auctoritates D. Aug. quæ contra illos allegantur, ſint intelligendæ de Prædeſtinatione quoad primam Gratiam, quæ ſine vllis meritis cõfertur; ſed Prædeſtinatio quoad Gloriam, eſt ex præuiſis meritis: *contra quos dicimus*, quòd ſicut ex illorum confeſſione, Prædeſtinatio quoad primam gratiam, eſt gratis, & ſine vllis meritis: ita quoq; prædeſtinatio ad gloriam gratis, & abſque vllis meritis. Et quia hanc Sententiam tribuunt D. Aug. proinde oſtendam de hac nunquã cogitaſſe D. Auguſtinum.

Quod quidã parui, quidã adulti mori tur cauſa eſt beneplacitum Dei.

PROBATVR *ex lib. de Dono Perſeu. cap. 13.* vbi docet: *ex paruulis, propterea aliquos non mori, ante ſuſceptionem Baptiſmatis. alios verò mori, ſuſcepto Baptiſmate*; Sed hi paruuli, qui ſuſcepto Baptiſmate moriuntur, ſunt prædeſtinati: qui autem non ſuſcepto moriuntur, ſunt reprobi; quæ ergo cauſa erit, niſi quia ita gratum & acceptum fuit Deo? Et ib. dicit: *Ex iuſtis adultis, vnus perſeuerat in ſua iuſtitia, vſque ad vltimum ſpiritum: alius verò non priùs moritur, quàm inciderit in peccatum mortale*; huius autem diuerſitatis, quænam cauſa? *Reſpondet* D. Aug. quia ſic eſt beneplacitum Deo. ergo Prædeſtinationis ad gloriam, ſecundùm D. Aug. non ſunt Cauſa præuiſa merita, ſed gratuita Dei volũtas.

Quod etiã quidam ſūt prædeſtinati quidã reprobari cauſa voluntas diuina.

Idem colligitur *ex cap. 14. de Præd. SS.* & ex *Epiſt. 10.* vbi ſic dicit: *cur ille credat, ille non credat, cùm idem ambo audiunt, & eadem miracula vident? huius*

huius diuerſitatis, non alia cauſa, præter inſcrutabilia iudicia Dei. Et paucis pòſt *cur illum potius, quàm illum liberet? ſcrutetur qui poteſt, ſed caueat præcipitium.* Et Tract. 26. in Ioã. 1. *quare illũ trahat, & illum non trahat, noli velle indicare, ſi non vis errare.* Tũ ex variis Propoſitionib⁹ D. Aug. hoc ipſũ colligitur.

Propoſitiones D. Aug. Prædeſtinationem certificantes.

Prima. Ex *lib. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. 1. cap. 21. de Pecc. meritis.* Et *lib. 2. contra duas Ep. Pelag. epiſt. 15.* vbi ſic dicit *per peccatum primorum Parentum, tota natura humana coniecta fuit in Maſſam perditionis, ex qua, nullus ſine ſpeciali miſericordia Dei, liberari poteſt.*

Ex peccato parentum reprobati ſumus.

Secunda: Ex Maſſa perditionis potuit Deus aliquos eripere, alios verò in eadẽ deſerere, ſine vllo vitio iniuſtitiæ, & acceptationis perſonarum: colligitur ex *lib. 4. contra Iulianum cap. 8. & lib. 5. cap. 5 & lib. 15. de Ciuit. Dei. cap. 1. 2. 3.*

Quod De⁹ alios ſaluat alios condemnat, non eſt contra eius iuſtitiã

Tertia Numerus Prædeſtinatorũ, apud Deum, ita eſt certus, vt hic nullam pati poſſit detractionem, aut etiam additionem: colligitur ex *lib. 4. de Ciuit. Dei. cap 16. & de Correp. & Gratia cap. 13.*

Numerus prædeſtinatorum apud Deum eſt certus.

31. *Quarta.* Propterea Deus ſolâ ſuâ voluntate, & ante merita, ex Maſſa perditionis, quoſdam liberauit, & ad vitam æternam deſtinauit, alios verò deſeruit, præuiſo illorum peccato finali, vt in prædeſtinatis ſuam manifeſtaret bonitatem: in reprobis verò iuſtitiam punitiuam exerceret: colligitur ex *Epiſt. 105. 106. & lib. 14. de Ciuit. Dei.*

Cur Deus quoſdam liberet quoſdam condemnet.

Quinta Ideo Deus, ante præuiſa merita, quoſdam ex Maſſa perditionis liberauit, vt ſalutem ſuam, cum timore & tremore operarẽtur, & perficerent: colligitur ex lib. de Dono *Perſeu. cap. 13.*

Sexta. Idem D. Aug. *Ep. 105. & lib. de peccat. meritis. cap. 21. & 22. & de Dono Perſeu. cap. 8.* docet: ex duobus æquè indiſpoſitis, ad receptionẽ iuſtificantis Gratiæ, propterea vnum conuertit, quòd illi ſolâ voluntate Dei confertur Gratia efficax: alterum verò minimè, ſed tantùm datur illi gratia ſufficiens. Ex his Propoſitionibus, quilibet colligere poteſt, nullam aliam cauſam totalis Prædeſtinationis agnouiſſe D. Auguſtinum, præter gratuitam, & miſericordem Dei Voluntatem.

Volũtas Dei eſt totalis Cauſa Prædeſtinationis.

Obijcies. quòd in omnibus illis locis, in quibus D. Aug. docet, nũllã in nobis dari cauſam Prædeſtinationis, ſed totam refũdendam eſſe in voluntatem Dei miſericordem, diſputat contra Maſſil. Pelag. qui aſſerebant, gratiam in nobis dari, propter noſtra merita. *Reſpondeo.* verum quidem eſt, quòd D. Aug. in certis locis, diſputat contra Maſſil. non tamen in omnibus. Nam in *lib. de Prædeſt. SS. cap. 14.* agit de Prædeſtinatione quoad Gloriam, minimè quoad Gratiam; & ib. oſtendit homines prædeſtinari ad Gloriam, ſine dependentia, quoad merita. Ex quo manifeſtè colligitur. D. Auguſtinĩ eſſe mentem, quòd Prædeſtinatio, nõ ſolùm quoad Gratiam, ſed etiam quoad Gloriam facta eſt ſine intuitu meritorum, ex ſola gratuita, & libera voluntate Diuina.

Obiectio.

Solutio.

32. Dico ſextò. *Prædeſtinatio, nullo modo eſt ex præuiſis meritis, neque tanquã ex cauſa, neque tanquam ex ratione, neque tanquam ex conditione,* ſine qua nõ; *ſed tota Prædeſtinationis cauſa, referenda eſt in voluntatem Diuinam.*

Prædeſt. nullo modo eſt ex meritis præuiſis.

Nota primò, Hoc dictum intelligẽdum eſſe de totali Prædeſtinatione, ſumpta

ſumpta cum ſingulis, & omnibus effectis. Nam ſi loquamur in particulari, de aliquo effectu Prædeſtinationis, ita, vt vnum alteri comparemus, ſic vnᵘ effectᵘ poteſt eſſe cauſa, & ratio alterius. Gloria enim æterna in particulari conſiderata, poteſt eſſe finalis Cauſa bonorum operum, quæ prædeſtinati faciunt: ſimiliter opera meritoria, in gratia ex charitate facta, poſſunt eſſe Cauſa vitæ æternæ.

Nota ſecundò. Licet Gloria, quæ datur Prædeſtinatis adultis, non detur gratis ſine vllis operibus bonis; nam gloria (vt iam diximus) correſpondet meritis, & eſt brauiũ, quod teſte Apoſtolo, his promiſſum eſt, qui per Dei gratiam legitimè certauerint: tamen in prima illa intentione, quà voluit Deus dare gloriam aliquibus adultis, non habuit hanc voluntatem, ex præuiſis meritis. Et hæc quidem merita non repulit Deᵘ, ſed ſolùm non reſpexit ad illa; nec in illo ſigno intentionis, ex præuiſis meritis, & ex præuiſa cooperatione noſtra, habuit voluntatẽ dandi gloriam. Deus igitur in Prædeſtinatione adultorum, ſic ſe habuit, quòd priùs prædeſtinatos elegit ad gloriam; deinde prædefiniuit merita, quibus aſſequerentur gloriam. *Et ratio eſt.* quia quodlibet agens per intellectum, priùs finem intendit, poſtea media ordinat, quæ faciunt ad finem: ſed Deus eſt agens per intellectum, ergo in illo ſigno intentionis, priùs voluit dare gloriam: poſtea, modo noſtro concipiendi, prædefiniuit media.

Deus prædeſtinatos priùs elegit, deinde merita ad gloriam prædefiniuit.

33. *Probatur Dictum.* Doctrina noſtri Dicti, eſt doctrina S. Scripturæ, D. Pauli, D. Aug. D. Th. & reliquorum SS. PP. ergo eſt recipienda, & tuenda. Pars prima, *quod ſit doctrina S. Script.* PROBATVR, quia Luc. 10. dicitur: *Confiteor tibi Pater Dñe cœli & terræ, quòd abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* In hoc loco comparantur paruuli, hoc eſt prædeſtinati, cum ſapientibus, & prudentibus, hoc eſt cum reprobis; & eſt cõparatio in reuelatione Myſteriorum ſalutis; curque ſit hæc facta paruulis, & non prudentibᵘ huius ſæculi, cauſam reddit: *Etiam Pater, quoniam ſic placitũ eſt ante te.* Et D. Marc. c. 23. dicit de Elect. hoc eſt, de prædeſtinatis. *Niſi breuiâſſet Dominus dies, non eſſet ſalua omnis caro; ſed propter electos, quos elegit, breuiábit dies.* D. Matt. c. 24. cauſam reddit, *ita, vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* In his verbis eſt ſpecialis prouidentia, quam habet Deus circa electos, vt eos perſeuerare faciat, quòd etiam propter eoſdem breuiabuntur dies, ne in errorem inducantur. ergo ex parte horum electorum præſcientia meritorum, non eſt cauſa; ſiquidem in errorem induci poſſunt: Cauſa autem Prædeſtinationis ex qua infallibiliter ſequitur ſalus, & vita æterna, eſt ipſe Deᵘ auertendo pericula.

Ex parte prædeſtinati nulla datur cauſa Prædeſtinationis.

Hæc doctrina eſt primo S. Scripturæ.

Præterea verba ſunt Chriſti D *ſicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos,* in hoc loco loquitur Chriſtus D. de ſeipſo, tanquã de homine; nã, vt argumẽtatur D. Aug. *l. de Præd. SS. c. 15.* Chriſti Prædeſtinatio eſt lumen, & exẽplar Prædeſtinationis SS. qui ſunt mẽbra Chriſti: ſed Chriſtus vt homo, gratis eſt electus, & dilectus, vt eſſet Filius Dei connaturalis: ita etiam & nos ſumus gratis dilecti, & electi ab ipſo, vt eſſemus filij adoptionis.

34. *Pars ſecunda; quòd hæc doctrina ſit D. Pauli*, ex locis, quos hic adducam patebit. *Primus locus.* 1. ad Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ nos fecimus, ſed ſecundùm ſuam magnam miſericordiã ſaluos nos facit.* In his verbis, opponit Apoſtolus operibus iuſtitiæ, magnam miſericordiam Dei, & excludit opera à cauſa Prædeſtinationis, & ſolam miſericordiam Dei conſtituit. Et 2. ad Timoth. c. 1. *vocauit nos vocatione ſuá ſanctá, non ſecundùm opera noſtra.* hic ſimiliter opponit opera noſtra vocationi Diuinæ, ac eadem excludit, vocationem autẽ, ſeu Prædeſtinationem factam ex vocatione, hoc eſt, ex beneplacito Dei, conſtituit.

Secundus locus. ad Rom. 9. *Non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt* Iacob dilexi, *hoc eſt elegi, ſiue prædeſtinaui.* Eſau odio habui, *hoc eſt reprobaui.* Et ad Eph. 2. *gratiá eſtis ſaluati per fidem, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* ergo prædeſtinati electio, non ex operibus, ſed gratis eſt facta; proinde ad gratuitam Voluntatem Dei eſt referenda

Reſpondetur à quibuſdam ad loca D. Pauli, quòd ille reijcit opera à Prædeſtinatione, antecedentia noſtram iuſtificationem, non verò ſubſequentia eandem.

Opera alia antecedentia iuſtificationem alia ſubſequẽtia.

Contra oſtendo hoc omnino gratis dici. *Primò* quia D. Paul. vniuerſaliter, nõ diſtinguẽdo, de omnib⁹ operibus loquitur; excludẽdo illa à Prædeſtinatione. *ſecundò*, quia iuxta D. Aug. *l. 2. c. 2.* contra duas epiſt. Pelag. cõtradicunt Apoſtolo dicenti, *non ex operibus*, quaſi non poſſet dicere, & diſtinguere, non ex præſentibus, aut præteritis, vel etiã futuris ſed ait ſimpliciter, *non ex operibus*, vt gratiã commendaret, quòd hæc ſine vllo intuitu meritorum conferatur. *tertiò* quia opera futura ſubſequẽtia, reſpectu Dei, eadem prorſus ſunt, ſiue præſẽtia, ſiue præterita, ſiue futura; ſiquidem iuxta illud ad Rom. 4. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

35. *Pars tertia. quòd eadem ſit doctrina* D. Aug. patet, (vt iãdeduxim⁹) ſupra, & adhuc addim⁹, 1. Corynth. 4. *Quis enim te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quid gloriaris?* Ex hoc loco D. Aug. ep. 105. ad Sixtum Præſbyterum, dicit: *vbi nunc merita, vbi opera præterita, vel futura, tanquam liberi Arbitrij viribus adimpleta, vel adimplenda.* Quibus verbis, bona opera, ſine viribus liberi Arbitrij noſtri producta, ſiue ex grãtia adiutrice profecta, repellit à Prædeſtinatione. *Tum* l. 1. ad Simpl. verba D. Pauli ad Rom. 9. explicans oſtendit nullam ex parte prædeſtinati, poſſe dari cauſam Prædeſtinationis. Cum enim dicit Apoſtolus, *ſed & Rebeca ex vno concubitu* excludit occaſionem, referendi Prædeſtinationem, in Complexionem, aut in Aſtrorum conſtitutionem, vt Manichæi docebant: *habens Iſaac Patriũ noſtri*, excludit occaſionem referendi Prædeſtinationem in merita parentum: *antequam nati eſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent.* excludit gloriandi occaſionem & referendi in propria merita, qualiacunque illa ſint, ſiue præterita, ſiue futura. Demũ omne illud excludit, quicquid aſſignari poſſit, ex parte liberi Arbitrij noſtri, cùm veram cauſam Prædeſtinationis aſſignat, in his verbis, *vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, maior ſeruiet minori. Iacob dilexi, & Eſau odio habui:*

3. D. Aug.

Ex parte prædeſtinati nullam dat Cauſã prædeſtinationis.

Deus,

Deus ergo ſuâ gratuitâ voluntate, quos voluit prædeſtinauit, quos voluit reprobauit. *Quid ergo dicemus?* inquit D. Paul *Nunquid iniquitas eſt apud Deum?* Reſpondet, *abſit*: vt ab hac ſuſpicione, & nota iniquitatis, liberaret Deum, non aſſignauit pro cauſa, quòd ideo Deus Eſau odio habuit; quia illum præſciuit malè vſurũ ſuâ gratiâ: neq; ideo dilexit Iacob; quia præſciuit benè vſurum, ſed inquit *Abſit*: nam Moyſi dixit. *Miſerebor, cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo ei, cui miſerebor*, ac ſi diceret: Nihil iniquè, aut iniuſtè facit Deᵘ. ſi quoſdam homines dilexit, ex ſuo beneplacito miſericordiæ ſuæ: ſi enim totum ex miſericordia Dei profluit, quod electos amet, & eligat, poterat liberè in quem vellet, hanc Miſericordiam ſuam conferre: iniquitas autem eſt, cùm alicui, ſine cauſa id adimitur, quod ei debetur; ſed miſericordia Dei, & electio, nemini debetur: vnde liberum illi, ſine vlla nota iniquitatis, ſuã miſericordiã Prædeſtinationis cui velit conferre.

Vltimo eſt hæc doctrina D. Th. 36. *Pars quarta, quòd idem ſenſerit D. Thom.* manifeſtè colligitur *ex 3. con. gen. c. 163. & q. 6. de verit. & ſuper c. 15. Ioan. lect. 5. & ad Rom. 9. lect. 10. ad Eph 1. lect. 1.* in quibus locis, aſſerit præſcientiam meritorum, non eſſe cauſam Prædeſtinationis, quantum ad integrum illius effectum. idem colligitur ex *1. p. q. 23. a. 5. ad 3.* vbi hanc differentiam, inter voluntatem Diuinam, & humanam ſtatuit; quia voluntas Dei, non ſupponit in creaturis bonitatem, quas diligit & eligit, ſed diligendo & eligendo cauſat in illis bonitatem. iuxta illud Apoſtoli, *idoneos nos fecit miniſtros, noui teſtamenti*: primò poſuit *idoneos* quàm *miniſtros*: priùs enim Deus confert hominibus idoneitatem, ad aliquod miniſterium Voluntas autem creata in re illa, quam diligit, & eligit, ſupponit bonitatem veram, aut apparentem, ab alio cauſatam. Probatur eadem doctrina Rationibus.

Ratio 1. Nulla ratio poteſt aſſignari, vel cauſa, vel conditio *ſine qua non*, ex parte creaturæ, æquè ſic dependens, cur Deus hunc mundum condidit, & non alios, ad quos producendos, qui erant poſſibiles, extendebat ſe omnipotentia Diuina? niſi beneplacitum Diuinum. *Similiter*, cur Deus ex omnibus Angelis poſſibilibus, hos creauit, & non illos? non eſt cauſa ex parte Angelorum, ſed id totum referendum eſt, in voluntatem Diuinam: ita neque ratio reddi poteſt, ex parte creaturæ, cur hos potius, quàm illos prædeſtinauerit, ſed hoc totum referendum eſt in beneplacitum voluntatis Diuinæ *Confirmatur*. Gubernationis naturalis, nulla ex parte rerum cauſa dari poteſt; ſiquidem Deus facit ſolem oriri, ſuper bonos & malos, & humore pluuiæ ſuæ, tam bonorum, quàm malorum, irrigat ac fecundat agros ergo & prouidentiæ ſupernaturalis, qualis eſt Prædeſtinatio, non datur, ex parte noſtra cauſa.

37. *Ratio 2.* Si prædeſtinati adulti ex præuiſis operibus eliguntur, & prædeſtinantur. ergo aut ex vno & altero actu huius virtutis & meriti, aut ex perſeuerantia in bono, & in iiſdem actibus bonis? ſed neutrum dici poteſt. ergo. *non primum*. quia ſequeretur, qui vnum aut alterum actum meritorium facit, vt fecit Iudas in Apoſtolatu, quòd hic eſſet electus, quod omnino eſt falſum.

non alterum. quia aliàs homo,ſeu electus mereretur perſeuerantiam in bono, cùm ſecundùm aduerſarios, electus ex præuiſis meritis, mereretur ſuam Prædeſtinationem. ergo & perſeuerantiam,quæ ex vi Prædeſtinationis profluit; iam autem perſeuerantia in bono, & gratia vſque ad finem, gratis datur.

Ratio 3. vſus liberi Arbitrij, qui Deo vocanti,& excitanti conſentit, tum & opera bona, quæ ex illo manant, ſunt effectus Prædeſtinationis. ergo non ſunt cauſa Prædeſtinationis ex parte Prædeſtinati.nam effectus non poteſt præſupponi,ante ſuam cauſam.

Quòd Deus eligat per ſolam voluntatē non cū præiudicio Gratiæ Diuinæ.

38. *Ratio 4.* Hic modus eligendi prædeſtinatos,per ſolam voluntatē efficacem, ſine intuitu meritorum, &ſine prçiudicio Diuinæ gratiæ, eſt abſque detrimēto libertatis noſtræ. ergo eſt retinendus *Antecedens* quod *non lædat Gratiam,*ex illis verbis Mat. 20. probatur, vbi moleſto operario Paterfamilias ſic reſpondet? *Amice non facio tibi iniuriam,tolle quod tuum eſt,* & addit, *an non licet mihi, de meo facere, quod volo.* ſed Deus eſt Dominus, & hæres ſuæ gloriæ,& electionis ad gloriam. ergo eandem pro libertate ſua poterit illi conferre, cui voluerit; quia in hoc nulli facit iniuriam. Gloria enim & electio ad eandem,non eſt alicui debita, ſed pendet ex miſericordi gratia, & voluntate Dei; idcirco ei cui dat ſufficiētia media,poteſt dicere, *tolle quod tuū eſt,& vade*, ſi quis dicat, *quod ſibi non dat efficacem*, illi reſpondetur: *an non licet mihi de meo facere quod volo.* ergo talis electio,non lædit gratiam, nec Iuſtitiam Diuinam.

PROBATVR quoque *quòd nec libertatem Arbitrij noſtri lædat,* quia electio Diuina, non deſtruit, ſed perficit noſtram libertatem; ſiquidē pro modo operandi,quem ſecundis cauſis indidit, concurrit: cum neceſſarijs neceſſariò, cum contingentibꝰ contingenter.ergo & cum liberis liberè; ſed homo eſt liberum agens. ergo liberè Deus cum eo concurrit.

Neque Liberi noſtri Arbitrij.

39. *Nota.* Si prædeſtinatos cum reprobis,in particulari conferre ad inuicem voluerimus, v. cur hos potius prædeſtinauit? hos verò reprobauit? iſtius electionis nulla ratio dari poteſt;ſed hoc reijciendum in ſimpliciſſimam, & nudam voluntatem Dei.Ex parte autem reproborum,aut prædeſtinatorum,nulla poteſt dari ratio. nā ſi dixeris,ideo hos prædeſtinauit, vt in illis ſuam miſericordiam manifeſtaret, in illis verò Iuſtitiam punitiuā exerceret. dico, quòd tā benè poterat Deus, in Prædeſtinatis,ſi illos reprobâſſet,manifeſtare Iuſtitiam punitiuam, ſicut iā manifeſtat in reprobis: ſimiliter in reprobis, æquè benè potuit miſericordiam ſuam oſtendere,ſi illos prædeſtinâſſet, ſicut iam in prædeſtinatis declarat.proinde hæc electio referenda eſt in beneplacitum voluntatis Diuinæ. Declarat hoc D.Th.*hic q. 23. a. 5. in ſolut. ad 1.* cùm materia prima in ſe, tota ſit vniformis, &ſi quæras, *quare vna pars Materiæ, ſit ſub forma ignis, & alia ſub forma terræ?* Ratio aſſignari poteſt, *vt in vniuerſo ſit diuerſitas ſpecierum.* Sed ſi rurſum quæſieris, *quare hæc pars materiæ,ſit ſub forma ignis,& illa ſub forma terræ?* Reſpōdemus, *hoc totum dependere, ex ſimplici voluntate Diuina.* Similiter quod vnꝰ lapis, ſit in vna parte parietis, ille verò in alia, id ratio artis poſtulat:

Cur Deus bonos prædeſtinet malos vero reprobet, nulla ratio dari poteſt; niſi beneplacitum diuinum.

quod

quod verò hic lapis, magis ſit in iſta parte, quàm in alia, ex ſimplici volũtate artificis pendet. idem in negotio Prædeſtinationis dicendũ, quòd Iudam reprobauerit, & Petrum elegerit, id totum referendum eſt in voluntatem Dei.

Obiectio. 40 *Obijcies* illud, quod pleriq; obijciunt: ſi ſum prædeſtinatus, quomodocunque viuam, ſaluabor, nec indigebo meritis; ſiquidem Prædeſtinatio facta eſt, ſine præuiſione meritorum. *Reſpondetur*, quòd licet Deus, ſine noſtris bonis operibus, intẽdat dare gloriam: tamen de facto in exſecutione non dabit; niſi propria merita habueris. & *Ratio eſt*. quia voluntas finis, non excludit voluntatem mediorum, quæ media in ordine exſecutionis ſunt neceſſaria. Opus igitur tuis meritis, ſi cupis, vt tua Prædeſtinatio exſecutioni mandetur.

Solutio illius.

Deus non dat Gloriã niſi de facto videat bona opera.

Obiectio 2. *Obijcies ſecundò* hanc opinionem, quæ docet, quòd Prædeſtinatio ſit referenda, in ſolam Dei voluntatem, eſſe duram, & quæ auocat ab exercitio virtutum, & per conſequens timoratis conſcientijs, iniicit laqueos deſperationis. *Reſpondetur* multipliciter *primò* negando, id verum eſſe. nam omnes fatemur, quòd Deus omnium hominum vult ſalutem. *ſecundò* dicimus Chriſtum Dominum, omnium hominum nullo excepto, eſſe Redemptorem. *tertiò* omnibus hominibus dari ſufficientiſſima auxilia gratiæ, per quæ poſſunt ſalutem ſuam operari. *quartò* verba eſſe Saluatoris, quòd *vnuſquiſque iuxta ea, quæ in carne ſua operatus remunerabitur. quintò*, quia omnes nullo excepto hortatur Deus, ad benè viuendum, ad ſeruandum mandata ſua, ſicut Caim Gen. 4. *Nonne ſi benè egeris, recipies; ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit. ſextò* nemo damnatur, niſi propter peccata commiſſa, quæ quilibet, adiutus gratiâ Dei, poteſt vitare.

Solutio ei⁹. Solutio 2. 3. 4. 5. 6.

QVÆSITVM II.

An Deus, ante Præuiſionem bonorum operum, elegerit Prædeſtinatos, ad certum gradum gloriæ?

Opinio 1.

41. DVas hîc reperio opiniones. *Prima eſt*. quæ dicit, ſi Electio & Prædeſtinatio conſideretur ante Præuiſionem meritorum, tũc ex vi talis electionis, prædeſtinati minimum gradum gloriæ ſortientur: qualis dari ſolet infantibus, qui ſuſcepto Baptiſmo decedunt. Nam ſic conſiderata electio diuina ante præuiſa merita, non fuit determinata ad certum gradũ; ſed ſolùm in communi, & in confuſo. Si verò electio, & prædeſtinatio conſiderentur ex præuiſis meritis; ſic iam vnusquisque electus, habet certum gradum gloriæ, determinatum. Et ſic, hi Theologi, concedunt

cedunt quidem certum gradum Gloriæ, ſed nonniſi ex præuiſis meritis. & hanc determinationem, volunt eſſe à Deo relictam, vniuscuiusque libero Arbitrio, ita, quòd gradus gloriæ pendet ex libero Arbitrio, Deo cooperante, non autem ex Prædeſtinatione, ſeu electione Dei.

Opinio 2.

Deus cuilibet electo certum gradum Gratiæ ſuæ & Gloriæ determinat.

Secunda eſt verior priore. pro qua Dico. *Prima Gratia, atque etiam prima gloria, datur ex ſola electione Dei, ita, quòd Deus cuilibet electo certum gradum & determinatum gratiæ, & gloriæ, determinauit.* PROBATVR ad Rom. 12. *vnicuique Deus diuiſit menſurā fidei.* Et ad Epheſ. 4. dicitur. *vnicuique data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Ex quo ſic argumentor. Ad promerendam gloriam æternam, duo ſunt neceſſaria, fides & gratia. ſed hæc duo, vnicuique Prædeſtinato, ſecūdùm certam menſuram ſunt diſtributa. ergo & gloria habebit menſurā, ſuæ donationis.

Probatur ſecundò. Apocal. 21. dicitur. *totam ciuitatem Hieruſalem cæleſtē, & omnes muros eius conſtitutos eſſe, ſecūdùm certam menſuram.* Atqui lapides ex quibus conſtruitur, nō ſunt alii, quàm prædeſtinati, de quibus Eccleſia canit: *Tonſionibus preßuris, expoliti lapides ſuis cooptantur locis, per manus artificis* ſed. quia Hieruſalem menſuram certam retinet. ergo & prædeſtinati, qui eam conſtituunt, certam menſurā Gloriæ habebunt.

Probatur tertiò. Matth. 25. dicitur; de talentis: quòd hæc ſecūndùm menſuram, ſint diſtributa; vni enim quinque talenta, alii verò duo, & alii vnum. ergo merita ſunt determinata, & per Conſequens ipſa Gloria: Probaturque hoc idem etiam Rationibus.

42. *Ratio prima.* Prædeſtinati, aut ſunt omnes electi ad æqualem Gloriam, aut ad inæqualem; ſed non ad æqualem; quia cùm Gloria reſpondeat meritis, & merita ſint, ac debeāt eſſe, ex auxilio gratiæ Diuinæ; iam omnibus prædeſtinatis, æqualia auxilia Gratiæ fuiſſent data. at hoc falſum. nam Apoſtolis alia auxilia ad prædicandum, & Martyribus alia ſunt collata. ergo electi ſūt determinati, non ad æqualem gradum gloriæ. nam Ioan. 5. legimus: *In domo Patris mei multæ ſunt manſiones;* Et 1. Corinth. 15. *ſtella à ſtella differt in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum* ergo electi ſunt ad inæqualem gradum; & per conſequens vnusquisque electus habet certum, & determinatum gradum Gloriæ.

Ratio ſecunda. vnusquisque prædeſtinatus, electus eſt ad certam dignitatem, & officium ſeu miniſterium exercendum, in Eccleſia Dei; ergo vnusquisque, ad certum gradum Gratiæ, charitatis; & per conſequēs Gloriæ, eſt electus. *Antecedens.* nam B. Virgo, ſicut ad dignitatem Matris Dei electa eſt, ita hic in via, habuit tantam plenitudinem Gratiæ, quæ tali dignitati proportionaretur; & ſicut ſublimem gradum charitatis, ſupra omnes creaturas obtinuit: ita etiam ſublimem, ſupra creaturas omnes, Gloriæ gradū habet. Similiter Apoſtoli ad dignitatem Apoſtolatus, & alij Sancti ad diuerſa miniſteria electi. ergo & illis certa auxilia gratiæ ad tantam dignitatem conceſſa.

B. Virgo ſublimē gradum Gloriæ ſupra omnes creaturas obtinuit.

QVOD verò hoc fiat, ex vi Electionis, & non ex vi cooperationis

Prædeſtinatio eſt ex vi electionis

Liberi non ex coo-

peratione liberi arbitrij. liberi Arbitrii, inde patet: ſi enim prædeſtinati, qui iam cum Chriſto regnãt, fuiſſent ad certum gradum Gloriæ ex præuiſis meritis electi, & ſi ſuo arbitrio viuere permiſſi fuiſſent, nunquam ad tã inſignẽ gradũ Gloriæ, cùm liberum Arbitrium ſit defectibile, perueniſſent, ergo potiùs ex vi electionis habent gradum determinatum gloriæ. *Tum etiam* Ratio mediorum, ſumitur ex ratione finis; ſed omnia media (vt iam dictum eſt) ſunt prædeterminata à Deo, ad conſequendam Gloriam; ergo & conſecutio finis determinata ad talem & tantum gradum; ergo & determinatio pendet ex vi electionis.

Inſtantia 1. 43. *Inſtabis.* Prima Gratia, atque etiam prima Gloria datur ex ſola electione Dei. ergo ſi merita non fuerint præuiſa, & prædeterminata in via, etiam gloria in patria, non poterit eſſe determinata. ergo ex præuiſione meritorũ, cognoſcit Deᵒ certum gradum Gloriæ: *Reſpondetur* quòd prima gratia datur, ex vi electionis; & ideo non cadit ſub meritũ: ſed negamᵒ de prima gloria; quia hæc cadit ſub meritum: nam, ſi quis extra Sacramẽtum, de peccatis ſuis conteratur, qui quidem actus contritionis, eſt ex motu Spiritus S. ſic contritus, iuſtificatur; actus tamen talis non eſt meritorius primæ Gratiæ, ſed æternæ Gloriæ; quia iuſtificationis præmium eſt Gloria: ſed hic peccator ſic contritus eſt iuſtificatus; ergo illi præmium Gloriæ debetur; proinde prima Gloria cadit ſub meritum.

Solutio.

Prima Gratia datur ex vi electionis Gloria non item.

Inſtantia 2. *Inſtabis ſecundò.* Si gradus Gloriæ, eſſet à Deo, prædeterminatus, ſequeretur, quòd etiam opera noſtra omnia in particulari, eſſent determinata. ergo tolleretur libertas voluntatis noſtræ. *Conſequentia.* ſecundùm tuam determinationem, quilibet prædeſtinatus, habet certum gradũ gloriæ, ac determinatũ. ergo & media, ſ. opera bona, quibus ad gradum hunc conſequendum ducimur, erũt determinata; ſi opera, quæ ex voluntate procedunt determinata; ergo & voluntas determinata ergo non habebit libertatem conſẽtiendi, aut diſſentiendi, aut etiã refutandi, aliquod opus bonum. *Reſpondetur* falſum eſſe, quòd per determinationem factam à Deo in particulari, omnium operum noſtrorũ, tollatur libertas voluntatis. Nam Sapientia Diuina, ita diſponit omnia, vt ſecundùm operandi modum, quẽ cauſis ſecundis conceſſit, cum eis concurrat, v. cum liberis liberè, cum neceſſariis neceſſariò, cùm contingentibus contingenter: et ideo vnamquamque cauſam ſecundã, mouet ſecundùm illius naturam, eamque non deſtruit, ſed perficit. vnde quamuis affirmemus, gradum Gloriæ, & Gratiæ, eſſe prædeterminatum à Deo, tamen ex eo non ſequitur, quòd voluntas noſtra amittat libertatem. Solutio illius.

Inſtantia 3. 44. *Inſtabis* 3. In Concil. Vien. ſub Clem. v. (vt habetur in Clemẽt. *Ad noſtrum* de Hæreticis.) determinatum eſt, quòd viator nõ poteſt peruenire ad tantam charitatem, vt nõ poſſit progredi vlteriùs. Ergo ſi charitas in via, non habet determinatum gradum, nec gloria in Patria habebit. Nam ſi haberet, ſequeretur, quòd ille iuſtus, qui iam ad deter-

minatum

minatum ex electione gradum charitatis peruenit, ſi oraret, aut Eleemoſynam faceret, his actibus in charitate factis, iam non mereretur; quia iam ad determinatum gradum peruenit, vltra quem progredi non poteſt. ſed hoc falſum. nam eſt contra communem doctrinam DD. qui dicunt, quòd homo quamdiu eſt in hac vita, ſemper per quodlibet op⁹ ex charitate factum meretur. *Reſpondeo*, negando Conſequentiam. nam ſicut eſt determinatus gradus in Patria Gloriæ: ita quoque & gradus charitatis, determinatus eſt in via, vltra quem electus in compoſito ſenſu, progredi non poteſt, niſi in diuiſo. *Ad Concil. dico*, quòd in eo determinatur de Prædeſtinatione, non ſuppoſitâ determinatione; & ſic viator poteſt ampliùs, & ampliùs creſcere gratiâ, & charitate; ſed ſuppoſitâ determinatione, non poteſt. Ad *Confirmationem argumenti dico* illum caſum non dari, quanquam loquendo ex ſuppoſitione Diuinæ vocationis & Prædeſtinationis, ſit conceſſibilis: abſolutè tamen non eſt concedendus. Nam ſemper homines præueniuntur à Deo priùs, quàm ipſi cooperentur; & ideo defectus in augmento non poteſt referri in Deum, ſed in hominem; quia Diuinum auxilium ſemper ſuperat cooperationem noſtram, proinde difficulter poteſt aliquis, ad gradum determinatum charitatis peruenire. nemo itaque conqueri poteſt, de auxilio gratiæ, quaſi per illud eueniat, quòd ad gloriam B. Petri & Pauli non perueniat: ſed de ſeipſo, et de ſua ſocordia conqueratur, quòd non correſpondeat diuino auxilio vocanti.

QVÆSITVM III.

An Prædeſtinatio, ſit ſimul facta, an verò ſucceſsiuè?

45. DE hoc Quæſito tres ſunt Opiniones. *Prima eſt* Syluestri *in Cõflat: q. 22. a. 15. & q. 23. a 8.* duo de Prædeſtinatione dicentis. *Primum* quòd voluntas Dei, de aliquo prædeſtinato, non ſit ita perfectè & completè determinata, vt non poſſit in contrarium; quia ſemper eſt in egredi, & nunquam in præteritum abit; proinde conſiderata, vt eſt egrediens, ſemper eſt libera, & poteſt velle illius oppoſitũ. *Secundùm* quòd Voluntas in Deo, tunc eſt perfectè determinata, quãdo viator prædeſtinatus, eſt poſitus in vltimo inſtanti vitæ ſuæ. hoc verò inſtans, eſt primum ſalutis, & ingreſſus in Gloriam. Et ſecundùm hanc opinionem, quilibet prædeſtinatus, non dicitur completè prædeſtinatus; niſi in illo inſtanti, in quo Gloriam ingreditur; quia ante hoc inſtans, ſemper Voluntas Dei potuit oppoſitum velle. nam potuit prædeſtinare Petrum, & non prædeſtinare: potuit prædeſtinare plures, & pauciores.

Opinio

Opinio ſecunda dicit in Prædeſtinatione dari ſucceſſionem. nam omnes homines, qui ſunt futuri, non ſunt Deo præſentes in vno inſtanti, & ſigno rationis, ſed ſeruat Deus ſucceſſionem: Solet enim Prædeſtinare quosdam, propter orationes aliorum, vt fecunditatem Rebecæ prædeſtinauit propter orationẽ Iacob: tum & propter opera bona Patris, ſolet prædeſtinare filium. ergo ſecundùm noſtrum modum intelligẽdi, priùs videt Deus orationem, aut opera bona Patris, quàm filium prædeſtinat.

Opinio tertia. docet, quòd Deus ſimul in eodem inſtanti æternitatis, habuit omnes præſentes homines, naſcituros ex Adam, ex quibus ſimpliciſſimo ſuo actu, & vnico, elegit tot, & tales homines ſaluandos. Pro determinatione

Actus Intellectus & volũtatis diuinæ, duo in ſe côntinet.

46. *Nota primò.* Actus ille Intellectus & voluntatis Diuinæ, quo Deus electos prædeſtinauit, duo in ſe cõtinet; Abſolutum & Reſpectiuum. *Abſolutum* tunc, inquantum illa volitio Diuina, ſecundùm ſe cõſiderata eſt ſimpliciſſima; & ſic, quia eſt æterna, nullam ſucceſſionem admittit. vnde de hac Prædeſtinatione, vt eſt abſoluta, quoad præſens non quærimus. *Reſpectiuum verò*, cùm intellectus, concipit illam volitionem Diuinam, terminatam ad hoc, vel ad illud obiectum ſecundarium; & in hoc ſenſu diſputamus præſens Quæſitum.

Volitio diuina non admittit differẽtias temporis.

Nota ſecundò. Volitio Diuina, non admittit differentias temporis, v. Præſens, Præteritum, & Futurum, niſi inquantùm ad Obiectum ſecũdarium terminatur, ita, quòd, ſi Obiectũ Volitionis Diuinæ fuerit præſens, dicitur & Volitio Diuina præſens: ſi fuerit præteritum, dicitur præterita: ſi fuerit futurum, dicitur futura: proinde hi modi dicendi, admittendi ſunt. *Deus voluit Adam fuiſſe: Deus vult me eſſe: Deus vult Antichriſtum eſſe, pro eo tempore, pro quo eſt futurum.* Et licet hæc volitio, quà Deus voluit, vult, & volet, ſit omnino ſimpliciſſima, menſurata vno ſimpliciſſimo inſtanti æternitatis: terminata tamen ad ſecundarium Obiectum, differentias tẽporis ſuſcipit.

Nota tertiò duplicem eſſe Prædeſtinationem: quædam eſt *Actiua*, quæ ſe tenet ex parte Dei Prædeſtinantis; & habet in ſe Actum Voluntatis Diuinæ, acceptantis electos, ad certum gradum Gloriæ, per certa media, in tempore exſequẽda. Quædã *Paſſiua*, quæ ſe tenet ex parte prædeſtinati, & ponit in eo effectus Prædeſtinationis, v. vocationem, iuſtificationem, & glorificationem. Et ſicut homo, quamdiu non eſt iuſtificatus, adhuc non accipit totaliter omnes effectus Prædeſtinationis: ita etiam quamdiu non eſt glorificatus, non dicitur totaliter prædeſtinatus, Prædeſtinatione paſſiuâ; quia hæc in eo, debet ponere omnes Effectus Prædeſtinationis Actiuæ. Si verò loquamur de his, qui erant cõfirmati in Gratia, (vt B. Virgo, & Apoſtoli) tunc hi Prædeſtinatione paſſiuâ, quæ haberi poteſt in via totaliter erant Prædeſtinati; quia habuerunt vocationem, iuſtificationem, cum perſeuerentia in Gratia. Ad Quæſitum

Prædeſtinatio duplex.

Sumpta pro actu voluntatis, eſt ſimul ab æterno, ſine vlla ſucceſſione, facta.

47. Dico primò. *Prædeſtinatio. ſumpta pro Actu Voluntatis Diuinæ, in quo electos, ad certum gradum gloriæ, per certa media, in tempore exſequenda, determinauit, eſt*

uit, eſt ab æterno ſimul facta, ſine vlla ſucceſſione.

Æterna nec prius nec poſterius habẽt.

Ratio prima. In æternis, nihil eſt prius, nihil poſterius. ſed omnis Prædeſtinatio, ſiue Angelorum, ſiue hominum eſt in Deo æterna. ergo in illa, non eſt prius, nec poſterius. ergo neque ſucceſſio.

Ratio ſecunda In æternitate, apud Deum, nihil eſt præteritũ, nihil futurum? ſed omnia ſunt illi præſentiſſima, iuxta illud ad Rom. 4. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* ergo non ſucceſſiuè.

Ratio tertia. Inſtantia, & ſigna rationis, non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate. ſed nulla eſt neceſſitas, vt in Prædeſtinatione Actiua multiplicentur ſigna rationis; ſiquidem Deus, vnico, & ſimpliciſſimo Actu Voluntatis ſuæ, vniuerſos electos prædeſtinauit.

Ratio quarta. Si Prædeſtinatio non eſſet ſimul, & in eodem inſtanti facta; ergo poſt aliquod tempus trãſactum, vt v. poſſit precibus SS. iuuari. hoc falſum (vt hic *q. 23. a. 8.* D. Th. docet, & nos inferiùs docebimus) ergo eſt ſimul.

Prædeſtinatio in quãtũ eſt paſſiua non eſt ſimul, ſed ſucceſſiuè.

48. Dico ſecundò. *Prædeſtinatio, conſiderata inquantùm eſt Paſſiua, & quæ ponit, ac dicit Effectus Prædeſtinationis Actiuæ, eſſe in ſe completos, tanquam in ſubiecto prædeſtinato, non eſt ſimul, ſed ſucceſſiuè.* PROBATVR. Prædeſtinatio paſſiua, habet in ſe collectiuè, omnes Effectus Prædeſtinationis, ſ: vocationem, iuſtificationem, glorificationem ſed non omnes prædeſtinati, ſimul vocati, ſimul iuſtificari, ac ſimul glorificati. ergo non omnes ſimul prædeſtinati.

Nota Obiectiones in contrarium, per hanc diſtinctionem, quod Prædeſtinatio ſit alia Actiua, alia Paſſiua, facilè ſólui.

Dico tertiò. *Chriſtus Dominus ante omnes prædeſtinatos, eſt priùs prædeſtinat⁹.* Huius Dicti, ex Qu. ſubſequẽti, patebit veritas. *Probatur* tamen ad Eph. 1. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem.* & ib inferiùs, *qui prædeſtinauit nos, in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum.* ergo Chriſtus Dominus, eſt primus inter prædeſtinatos & D. Aug. *l. de Prædeſt. SS. c. 10.* dicit: *Prædeſtinatio, eſt præparatio gratiæ ad gloriã, & beneficiorum Dei, quibus, quicunq; liberantur, certiſſimè liberantur.* ſed (vt iam patuit) ex locis Scripturæ adductis, ſtatuit De⁹, & ordinauit, vt propter merita Chriſti, nobis gratia, & alia beneficia Diuina conferrentur. ergo Prædeſtinatio Chriſti, præſupponitur ad noſtram.

Chriſtus prius eſt, quàm omnes alij, prædeſtinatus.

49. Dico quartò. *B. Virgo, ante omnem creaturam, ſtatim poſt Chriſtum Dominũ, ſecundo loco eſt prædeſtinata* Hoc Dictum communiter tenetur, & cõfirmatur ex D. Bern. *Serm. 51* vbi dicit: *tu autem, ante omnem creaturam in mente Dei præordinata fuiſti, vt omnium fœminarum caſtiſſima, Deum ipſum, hominẽ verum, ex tua carne procreares; & pro omnibus, poſt Filium, Regina cælorum eſſecta, glorioſa regnares.* Probatur rationibus.

B. Virgo ſtatim poſt Chriſtũ prædeſtinata.

Ratio prima. Illud omne, quod piè credi poteſt, & ſine præiudicio Fidei ac Eccleſiæ, B. Virgini tribuendum. ſed cùm aſſerimus, *quòd illa in particulari, ante omnem creaturam, ſtatim poſt Chriſtum ſit prædeſtinata,* nullũ ex eo fit præiudicium Fidei, ac Eccleſiæ. ergo piè credendum, quòd ſit ante omnem creaturam prædeſtinata.

Ratio ſecunda. Sicut enim cùm credimus,

dimus, *quòd ab omni labe peccati fuerit præſeruata*, cedit hoc in ſummam gloriam eius: ita ſimiliter, ad eandem dignitatem pertinet cùm dicimus, *quòd ante omnem creaturam ſit prædeſtinata.*

Inſtantia. *Inſtabis.* Multi ſunt prædeſtinati, poſt certum exactum tempus illorũ vitæ. ergo Deus in prædeſtinando, ſeruat ſucceſſionẽ. *Antecedẽs pbatur 1.* Multi euent⁹ pẽdẽt ex peccato. ſed Deus ad peccatum non habet ſe poſitiuè, verùm permiſſiuè: permiſſio autem, non inducit certitudinẽ infallibilem; quia peccatum pendet, ex determinatione voluntatis humanæ. ergo omnes prædeſtinatos, non prædeſtinauit ſimul, nec in eodem ſigno rationis. *Probatur 2.* Deus ſolet prædeſtinare vnũ, propter orationem alterius: vt propter opera bona Patris, filium prædeſtinat, & noſtro modo intelligendi, priùs De⁹ videt orationẽ, aut bona opera Patris, quàm prædeſtinat filium. ergo datur ſucceſſio.

Solutio. *Reſpondeo* falſum eſſe quòd Deus exſpectet ſucceſſionem temporis, in ſua Prædeſtinatione; ſiquidem ille, omnes creaturas futuras, ſecundùm omnes particulares rationes, abſoluta ſua volũtate prædeterminat.

Quoad peccatum dico, quòd illi⁹ permiſſio ſecundùm ſe ſumpta, non inducit infallibilẽ certitudinem, niſi, in quãtũ in ſe includit determinationẽ cõcurrẽdi, ad materiale peccati.

Falſum eſt quòd Deus prædeſtinet aliquem propter orationem alteri⁹. *Ad illud verò.* quòd Deus vnum prædeſtinat, propter Orationem alteri⁹ *dico* hoc eſſe falſum; quia omnes actiones humanæ, & ipſa oratio, ſunt quid tẽporale: Prædeſtinatio autem eſt æterna. atqui temporale, non poteſt eſſe cauſa æterni; nec valet ſi dicas: orationes, opera bona, inquantùm ſunt in Præſcientia Diuina æterna, eſſe Cauſã Prædeſtinationis. non valet (inquam) quia præſcientia meritorum, ſiue propriorum, ſiue alienorum, exceptis meritis Chriſti, non eſt cauſa noſtræ Prædeſtinationis (vt iam deductum)

50. *Inſtabis 2.* Voluntas Diuina, non eſt ab æterno determinata, ad prædeſtinandum aliquem; niſi pro illo tempore, in quo ille prædeſtinatus exſiſtet in rerum natura, extra Deum. ſed homines Prædeſtinati, in diuerſis temporibus exſiſtunt. Ergo & Prædeſtinatio in diuerſo tempore. ergo habebit ſucceſſionem. 2. Inſtantiã *Antecedens.* ſi enim voluntas Diuina, fuiſſet ab æterno determinata; ergo nunquam fuiſſet indifferens, & non eſſet libera, libertate contradictionis; quia non haberet ſe ad oppoſitum: proinde vt ſit libera, dicendũ, quòd voluntas Diuina, non fuit determinata ab æterno, ad Prædeſtinãdum Petrum, antequam Petrus exſiſtat. ergo nõ in inſtãti, ſed ſucceſſiuè, fit prædeſtinatio electorum.

Solutio. *Reſpondetur.* quòd Volũtas Diuina fuit ab æterno determinata ad vnũqđẽque electum prædeſtinandum, non exſpectãdo, donec in rerum natura exſiſtat. *Ad hoc* verò quod dicitur, Voluntatem Diuinam, non eſſe indifferentem, nec liberam, dico: de indifferentia tripliciter loqui poſſumus: Indifferentia ſit tripliciter. *Primò,* quòd Deus in aliquo inſtanti noluerit Petrum prædeſtinare, & quòd poſtea voluerit: talis itaq; indifferentia, non eſt in Deo. nam Deus, de potentia in actũ prodiret; quod omnino negandum: *Secundo.* quòd ita Deus ad hunc prædeſtinandum ſe determinauit, vt iam

 non

non poſſit ad oppoſitum;& ſic quoque talem dari in Deo negamus: *Tertiò* quòd Voluntas Dei, liberè ſe habuit ad prædeſtinandum,& ad nõ prædeſtinandum; & ſi ab æterno prædeſtinauit, quòd etiamſi voluiſſet, poterat ab æterno non prædeſtinare. & ex hoc, non daretur mutatio in Voluntate Diuina, ſed eſſet ſubiectiuè in prædeſtinatis.

QVÆSITVM IV.
An Chriſti merita,ſint Cauſa noſtræ Prædeſtinationis?

51. REfert D. Bannes, hãc antiquitus fuiſſe ſententiam communem, quòd Chriſtus ſit Cauſa exemplaris,&finalis noſtræ iuſtificationis ac Prædeſtinationis; ſed non eſſe Cauſam meritoriam.efficiẽtem;cùm ipſum tantùm, beneplacitum voluntatis Diuinæ,ſit cauſa efficiens. Ad hanc ſententiam quidam accedunt,qui etiam negabant,quòd Chriſtus,fuerit cauſa meritoria noſtræ Prædeſtinationis; inſuper dicebant, quòd gratia vocationis, fides, & diſpoſitiones ſupernaturales, quæ præcedunt gratiam iuſtificantem,non conferantur nobis,ex meritis Chriſti,ſed ex ſolo beneplacito Dei:ita ſentit Driedo, *l. de Capt. & Redemptori generis humani. Tract 4. cap. 2.* Similiter Ruardus Taper *a. 6.* contra Lutherum: eandem opinionem ſequitur Capr. *in 3. diſt. 18. q. 1.* & Ferrar. *4 con. gen. cap. 55.* circa ſolut. ad 7. rationem; ſed Franciſcus Sonnius, Epiſc. Antuerp. *l. 2. Demonſtr. Chriſt. Religionis. Tract. 3. de Paſſione D. c 19.* videtur quidem concedere,quòd Chriſtus D. omnium diſpoſitionum, quæ requirũtur ad gratiam,& ad gloriam,ſit Cauſa meritoria;negat tamẽ omnino,quòd fuerit Cauſa meritoria noſtræ Prædeſtinationis. *Ratio illius* quia Chriſtus non meruit ſuam ipſius incarnationem, quæ eſt potiſſimum medium,noſtræ Prædeſtinationis. Pro determinatione Quæſiti.

52. Dico primò. *Chriſtus Dominus eſt Cauſa Exemplaris noſtræ Prædeſtinationis.* Hoc Dictum eſt certum, & omnes ferè Theologi concedunt. *Probatur* ad Rom. 8. *quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imagini Filij ſui* & 6. *ſi enim complantati ſacti ſumus, ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis eius.* ſed imago,ſimilitudo,ſignificãt cauſam exemplarem. ergo Chriſtus ad cuius imaginem,& ſimilitudinem nos conformare tenemur, erit cauſa exemplaris. Ex his locis Scripturæ

Prædeſtinationis noſtræ Chriſt⁹ Domin⁹ eſt cauſa exemplaris.

Colligo primò, quòd gloria Chriſti, & illius merita, ſunt exemplar gloriæ,ad quam prædeſtinati ſumus, tũ & mediorum, per quæ Deus decreuit, vt gloriam æternã aſſequamur.

Colligo ſecundò cùm dicimus, quòd *Deus prædeſtinet homines,* intelligimus, quòd ſtatuerit, vt haberent gratiã, fidem,gloriam; & hæc quidem per Chriſtum,per quem & creati ſumus ita, vt gloriæ Chriſti ſimilitudo, in nobis reluceret.

Colligo tertiò. Licet Deus ab æterno, & nos

Quid inter-

ſit inter prædeſtinationem Christi & noſtrã

no, & nos, & Chriſtum prædeſtinârit: tamen in hoc diſcrimen eſt; quia Chriſtum prædeſtinauit, ad certum gradum gloriæ, eundemque excelſum, ſublimem, & perfectum in ſuo genere: nos verò prædeſtinauit, vt qui ex plenitudine Chriſti eramus participaturi, eandem gloriam.

53. Dico ſecundò. *Chriſtus & illius gloria, eſt cauſa finalis noſtræ Prædeſtinationis.* Hoc itidem Dictum, eſt euidẽs. Probatur nihilomin⁹ ad Eph. 4. *alios autem dedit Paſtores, & Doctores, ad conſummationem SS. in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Christi*, hoc eſt, omnes electi, ſunt membra, componentia corpus Myſticum Chriſti, cuius Chriſtus eſt Caput, & Princeps: & ſicut in naturali corpore, membra ſunt diſtincta, quæ diuerſa officia habent: ita in corpore Myſtico Chriſti, ſunt diſtincta membra, diuerſa officia habentia. nam alij Paſtores, alii Doctores & quemadmodum membra corporis naturalis, referuntur ad caput, à quo omnem vigorem ſumunt: ita etiam & electi, tanquã membra, ad Chriſtum, prout ad caput, ex quo in eos omnis gratia influit, referũtur. ſed id, ad quod aliquid refertur, eſt illius finalis cauſa. ergo & Chriſtus erit cauſa finalis Prædeſtinationis.

Probatur ſecundò. Ex Conc. Trid. Seſs. 6, cap. 7. in decreto de iuſtif. vbi dicitur: *Cauſa finalis noſtræ iuſtificationis eſt gloria Dei, atq; Chriſti.* ergo & cauſa finalis Prædeſtinationis noſtræ, erit gloria Dei, atque Chriſti. *Conſequentia* nam iuſtificatio eſt effectus Prædeſtinationis.

Probatur tertiò. 1. Corinth. 3. dicitur. *Omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* hoc eſt vniuerſa in mundo exſiſtentia, ordinantur ad hominem, tanquam ad finem: homines autem ordinantur ad gloriã Chriſti: humanitas autem Chriſti, ordinantur ad gloriam Dei, tanquã ad finem vltimum; omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. ergo ſi nos ſumus Chriſti, Chriſtus erit finalis cauſa noſtri; & per cõſequẽs Prædeſtinationis noſtræ.

Probatur quartò. D. Th. *in 3 p. q. 24. a. 4.* hoc ipſum confirmat, cùm dicit: *Deus ab æterno, ita prædeſtinauit electorũ ſalutem, vt vitam in eodem actu Prædeſtinationis, prædeſtinaret, vt per Chriſtum compleretur. Nam ſub Prædeſtinationem æternam cadit, non ſolùm id, quod faciendum eſt in tempore, ſed etiam modus, & ordo ſecundum quem complenda eſt.* ergo Prædeſtinatio Chriſti, eſt Cauſa finalis, noſtram cõplens & perficiẽs.

Chriſtus Dominus ſuis meritis promeruit nobis prædeſtinationem.

54 Dico tertiò. *Chriſtus D. promeruit nobis ſuis meritis, Prædeſtinationem, & efficacem electionem ad gloriam; non quidẽ quantùm ad abſolutum ipſius Actus prædeſtinantis, ſed quantùm ad obiectum ſecundarium, ſeu quantum ad terminationem, ad aliquas perſonas,* PROBATVR *primò.* voluntas enĩ Dei efficax quãdo ordinabat electos ad gloriam, habuit quoddam fundamentum, in præuiſis meritis Chriſti, & propter eadem merita, talis dilectio & prædeſtinatio liberè terminata eſt, ad tales perſonas, tanquam ad obiectũ ſecundarium: Et ita tenet S. Doctor ſcribens ſuper illud Apoſtoli: *elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionẽ:* vbi ſic dicit: *Benedixit nos, non meritis noſtris, ſed ex gratia Chriſti: ſicut elegit, & gratis à maſſa perditionis ſeparandos præ-*

ordinauit

ordinauit nos in ipſo, hoc eſt per Chriſtum Nam præpoſitio *per* cauſam denotat meritoriam electionis.

Probatur ſecundò. Ad Eph. 1. *Benedixit nos, omni benedictione ſpirituali, in cæleſtib⁹ in Chriſto.* Sed inter omnes benedictiones, hæc eſt principalis, nimirum Prædeſtinatio, ex qua cæteræ profluunt. ergo hæc eſt ex meritis Chriſti.

Probatur tertiò. Chriſtus Dominus eſt prim⁹ omnium prædeſtinatorũ; ergo ante omnes prædeſtinatos, præceſſerunt merita Chriſti, in ſigno rationis, in mente Diuina; ergo illius merita, præuiſa à Deo fuerũt cauſa noſtræ Prædeſtinationis; quia non poteſt aſſignari cauſa, propter quam ſunt præuiſa merita Chriſti, niſi, quòd Chriſtus, & illius merita, ſint cauſa meritoria, efficiẽs noſtræ Prædeſtinationis.

Probatur quartò. Pertinebat hoc ad dignitatem, & ad ſummam excellentiam Chriſti, illiusque meritorum, vt ex præuiſione illorum, prædeſtinarentur electi.

Nota. Si loquamur de Abſoluta Dei Potentia, non fuit neceſſarium, vt ex meritis Chriſti præuiſis, tãquã ex cauſa efficienti, prædeſtinarentur electi: cùm neque hoc ad iuſtificationẽ, neque ad augmentũ gratiæ, aut gloriæ fuerit neceſſariũ poterat enim Deus gratiam adoptionis filiorum, conferre hominibus, & per hanc, poterant iuſtificari, ac pro mereri ſibi gloriam. nam & Angeli habuerunt gratiam, cùm in ea creati ſint; & per hanc meruerunt gloriam. ſed hæc gratia, (vt communis opinio tenet) non fuit illis data, ex meritis Chriſti. Ergo idem fieri potuit in hominibus. *Præterea,* multi tẽnent, quòd prima gratia, quæ collata fuit primo parenti, non fuit ex meritis Chriſti; & per hanc potuit ipſe, & illius poſteritas, conſequi gloriam æternam. *Denique* ſecundùm ſententiam D. Th. *in 3. p.* ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus humanam naturam non aſſumpſiſſet; & tamen fuiſſet meritum gloriæ æternæ. ergo loquendo de abſoluta Dei potentia, merita Chriſti non fuerunt neceſſaria, ad prædeſtinationẽ: loquẽdo niſi de ordinaria Dei autem potentia, quia ſic iam decreuit Deus, & prædefiniuit, vt prædeſtinatio electorum, iuſtificatio, augmentum gratiæ, ac gloriæ, fieret per Chriſtũ. iã ſic omnia, quæ ad ſalutẽ, & ad cõſeruationem gloriæ ſpectant, nobis per Chriſtum, intuitu illius meritorum, dantur.

De abſoluta Dei potẽtia non fuit neceſſariũ, vt ex meritis Chriſti præuiſis, electi prædeſtinarentur.

55. Dico quartò. *Electionem comparatiuam Prædeſtinatorum, meruit Chriſtus Dominus particularem; non autem materialem*: iam verò per *Comparatiuam*, intellige, quòd vnus, aliis relictis, ſit ex Maſſa perditionis electus. nã Chriſtus obtulit ſua merita, non in particulari pro his, aut illis; ſed in communi, relinquens Patri electionem, vt pro ſua voluntate & miſericordi benignitate, eos elegeret, quos vellet. Sicut, ſi quis, habẽti captiuos, conferret ſummam ingentẽ pecuniæ, pro redemptione illorum, permittens poſſidentis voluntati, vt quos vellet dimitteret: ita electio redimendorum, fieret ex voluntate poſſidentis captiuos; redemptio autẽ, ex ſumma pecuniæ ad id collata.

Electionem cõparatiuã prædeſtinatorum meruit Chriſt⁹ Dominus particularẽ, non materialem.

Vel, ſi quis offerret ſua bona magiſtratui alicuius ciuitatis, vt ea in pauperes diſtribuat, & relinqueret

voluntati

voluntati magiſtratus diſtributionem, vt his pauperibus, quibus vellet diſtribueret. hic duo reperiũtur; *Primò* electio in diſtribuendo : *ſecundò* ſumma collata pauperibus, per manus magiſtratus diſtribuenda : Ita Chriſtus Dominus, obtulit Patri ſuo infinitum theſaurum meritorum, relinquens ei vt eligeret quos vellet. ad hũc itaq; actũ electionis, duo concurrunt : *primò* voluntas Patris eligẽtis : *ſecundò* Merita Chriſti.

56. *Probatur Dictum.* Ex locis ſcripturæ ſuperiùs adductis colligim⁹, quòd, qui præordinati ſunt ad vitam æternam, per Chriſtum ſint præordinati; quia hæc præordinatio, in ipſo, & per ipſum, facta eſt. ſed præordinatio ſiue electio formaliter loquendo habet hoc in ſe, quòd vnus aſſumatur, & alter relinquatur; ſiquidem electio, eſt inter plures. ergo Chriſtus Dominus electionem formaliter ſumptam meruit nobis.

Chriſtus D. ſeipſum obtulit Deo Patri quoad ſufficientiã pro omnib⁹ quoad efficaciam pro quibusdam.

Probatur ſecundò, Chriſtus Dominus, venit tanquam vniuerſalis redẽptor; vnde ad illum pertinebat, vt ſeipſũ, & merita ſua offerret Deo Patri : quoad ſufficientiam pro omnibus, quoad efficaciam, pro quibusdam; permittens Deo Patri electionem, vt pro ſua ſapientia & miſericordi voluntate, eligeret quos vellet. ergo meruit nobis comparatiuã electionem.

Multitudo prædeſtinatorũ eſt præmium paſſionis Chriſti.

Probatur tertiò. Chriſto Domino, in præmium Paſſionis, promiſſa eſt magna filiorum multitudo, in quibus merita eius, ſortirentur ſuum effectum. ergo Chriſtus hanc electionem meruit. *Antecedens* Eſaiæ 53. legimus; *ſi poſuerit pro peccato, animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini, in manu eius dirigetur*. hoc eſt. in pretium Paſſionis, habebit multitudinem electorum, quos Diuina voluntas eliget. nam promiſit ſe adimpleturum voluntatem in manu eius, hoc eſt, ita eligere electos, vt eſſet intuitus meritorum Chriſti. Idem confirmant vlteriora verba, *Generationem eius quis enarrabit; quoniã abſciſſus eſt de terra viuentium* : ac ſi diceret; quia, innumerabilis multitudo filiorum dabitur ei, propter ſanguinem fuſum in Paſſione.

57. *Obijcies.* Electio hæc comparatiua, non poteſt fũdari in meritis Chriſti : ſi enim fundatur. Ergo ſequitur, quòd ideo Petrus, præ aliis eſt electus; quia huic Chriſtus ſua merita applicuit. ſi ſic; Ergo totum negotium Prædeſtinationis, pendebit ex humana Chriſti voluntate, creata, & non ex Diuina. *Reſpondetur* electio, materialiter *huius* loquendo in particulari, non fuit ex meritis Chriſti; ſed ex gratuita Dei voluntate. Nam Chriſtus D. in præſcientia Dei, antequam intelligeretur noſtra Prædeſtinatio, applicuit ſua merita electis : formaliter verò, vt aliqui in particulari eligerentur, & vt in eis, ſua paſſio conſequeretur effectum, ſic deſignationem, ſeu determinationem certorum electorũ, voluntati Diuinæ permiſit. Quòd vt melius intelligatur.

Obiectio.

Solutio.

Tria ſigna rationis in electione.

Nota. Suppoſito Myſterio Incarnationis, & Prædeſtinationis noſtræ, tria ſigna rationis, in electione, quoad modum noſtrum intelligendi, aſſignanda eſſe. *In primò ſigno*, ante quã Deus aliquid determinaret, de Prædeſtinatione noſtra, præuidit, in ſua Præſcientia Chriſtum, & illius merita; atque etiam illius voluntatem humanam, offerentem eadem merita. Ita

rita: *in ſecundò*, eſt iam gratuita voluntas Dei & libera, vt poſſet, quos vellet, pro libertate ſua eligere: hos tamen elegit, & eos Chriſto donauit. *in tertiò ſigno*, intelligenda applicatio, per quam Chriſtus his electis ſua merita applicuit, ſciens, quòd gratis à Deo eſſent electi. Et in hoc ſenſu rogat Patrem Ioan. 13. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* Et ex hoc facilè colligere licet, quòd in meritis Chriſti, ſic fundatur electio, vt particularis pendeat ex voluntate Diuina.

Chriſtus D. quæ nobis meruerit.

58. Dico quintò. *Chriſtus Dominus, non ſolùm nobis meruit iuſtificationem, ſed etiam fidem, primam gratiam, augmẽtum gratiæ, & gloriæ: tum & diſpoſitiones ad gratiam, prædicationem Euangelij applicationem Sacramentorum; inſuper omnia media ad ſalutẽ pertinentia.* Huic Dicto, quod eſt omnino Catholicum, oppoſitum dicere, eſt valde erroneum; maximè, ſi quis diceret, quòd non meruerit nobis fidem. Oppugnatque Dried. Capr. & alios, (vt in principio annotauimus.) Ita ſentit D. Th. *in 3. p. q. 7. a. 9. 10. 11.* maximè verò. *queſt. 19. de verit. in Reſpon. ad 8.* vbi dicit: *meritum Chriſti ſufficienter operatur, vt quadam cauſa vniuerſalis ſalutis humanæ ſed oportet hanc cauſam ſingulis applicare, per Sacramenta; & per fidem formatam, quæ per electionem operatur; ac ideo requiritur aliquid aliud, ad noſtram ſalutem, præter merita, nempe applicatio: cuius tamen meritum Chriſti, eſt cauſa.* ergo D. Th. tenet, quòd merita Chriſti, ſunt cauſa omnium, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant.

Probatur ſecundò Verbis Scripturæ Ioan. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* ſed In iuſtificatione, fide, & in aliis, quæ pertinent ad ſalutem noſtram, ſunt gratia & veritas: quæ quidem ſunt per Chriſtum. Ergo & omnia hæc per Chriſtum. Et Ioan. 15. dicit Saluator: *Sicut palmes, non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ita & vos, niſi manſeritis in me.* Hunc locum Conc. Trid. *Seſſ. 6. c. 16.* ſic explicat: *Ille ipſe Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtute influit, quæ virtus bona opera noſtra, ſemper antecedit, concomitatur, & ſubſequitur: & ſine qua, nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſunt.* ergo Chriſtus, ſicut caput in membra, & ſicut vitis in palmites: ita ille in homines iuſtos, infundit virtutem. Tũ Ioan. 1. habetur: *de plenitudine eius, nos omnes accepimus;* ex quibus verbis D. Aug. & D. Chryſoſt. colligunt bona Spiritualia, deriuari in nos per Chriſtum: ibid. dicitur: *& gratiam pro gratia*, qui modus loquendi eſt Hebraiſmus, illiusque ſenſus colligi poteſt, ex verbis Iob c. 2. vbi dicitur: *pellem pro pelle, & cuncta quæ poſſidet homo dabit pro anima ſua*: ita cùm dicitur *gratia pro gratia*, hoc eſt omnis gratia, incipiendo à prima, vſque ad vltimam, per Chriſtum daretur.

Diſpoſitiones ad gratiam ſunt à Chriſto.

De Diſpoſitionibus verò, quòd ſint à Chriſto, *Probatur* ex D. Th. in 3. p. q. 8. vbi docet, Chriſtum eſſe Caput totius Eccleſiæ, & influere in Chriſtianos omnem motũ, quem habẽt ſupernaturaliter, & in omnes, qui habent fidem ſine charitate. & ibid. *a. 3. in ſolut. ad 1.* dicit: quòd quamuis infideles non ſint actu membra Chriſti, ſunt tamen membra eius in potentia; quæ potentia deducitur in actum dupliciter: *primò* & principaliter in virtute Chriſti; *ſecundò*

inli-

in libertate arbitrii, ita, quòd virtus Chriſti, diſponit infideles (maximè in voluntate) vt ſint mẽbra Chriſti. ergo diſpoſitiones ſunt à Chriſto.

Obiectio cũ Solutione.

59. *Obijcies* Chriſtum eſſe cauſam effectiuam Fidei, & diſpoſitionum, ſed non meritoriam. *Reſpondetur* hoc fruſtra dici. nam ſecundùm communem ſententiã Theol. Chriſtus id in nobis effecit, quod & nobis meruit, vt D. Th. *in 3. p. q. 49. a 1.* dicit: *Paſſio Chriſti eſt vniuerſalis medicina, ad curandas omnes infirmitates noſtras.* ſed ad quamuis medicinam ſpectat, nõ ſolùm conferre ſanitatem, ſed etiã diſpoſitiones ad eandẽ: ergo à Chriſto ſunt diſpoſitiones, quas ſuà paſſione meruit.

Eſt doctrina hæc & Diui Auguſtini.

Vltimò D. Aug. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 3. ſic dicit: *nemo poteſt, aliquid boni velle, niſi adiuuetur ab eo, quod non poteſt velle malum; & talis eſt gratia Dei per Chriſtũ.* ſed velle credere, velle diſponi ad gratiã, iuſtificationẽ, eſt aliquid velle boni. ergo cũ auxilio Gratiæ poterit hæc habere.

Eccleſia pro infidelibus orat.

Probatur auctoritate Eccleſiæ, quæ multas habet orationes, in quibus orat Deum, vt infideles ad Fidem Chriſti, & peccatores Chriſtiani, ad iuſtificationem diſponantur, ſed hæ orationes omnes clauduntur per Chriſtũ, hoc eſt cupit ea, ſibi dari p merita Chriſti.

Homo iuſt' poteſt mereri alteri peccatori iuſtificationem.

Probatur & rationibus: *prima* quilibet homo iuſtus, exſiſtens in gratia, poteſt alteri mereri peccatori de congruo iuſtificationem. ergo aliquid dignius tribuendum eſt Chriſto, videlicet quòd efficaciter meretur, vt diſponantur homines ad gratiam. *Antecedens* B. Stephanus, meruit ſuà oratione, conuerſionem Diui Pauli, vt tenet D, Auguſtinus.

Abſurdum 1

60. *Secunda ratio*, quia multa abſurda, ex oppoſita ſententia ſequerentur. *Primum*, quòd merita Chriſti, non magis eſſent cauſa prædeſtinatorum, quàm reproborum. *Sequela* nam Chriſtus pro omnibus, quoad ſufficientiam ſatisfècit æqualiter: ſed in hoc differentia: quòd quibuſdam applicatur meritum Paſſionis Chriſti, quibuſdam autem nõ. vnde ſi hæc applicatio, non cadit ſub meritum Chriſti, ſequitur, quòd meritum Chriſti, æqualiter reſpicit prædeſtinatos & reprobos; & quòd nõ magis meruit pro prædeſtinatis, quàm pro reprobis.

Abſurdũ 2

Secundum, quòd Chriſtus, non fuiſſet perfectus redemptor; ſiquidem non meruit diſpoſitiones, nec gratiam, nec fidem, nec efficientiam, nec applicationem ſuorum meritorum, ſed tantùm meruit ſufficientiã: proinde ſequitur, quòd redemptio facta per Chriſtum, non eſſet perfecta; nec ſimpliciter redemptio: quia pro nullo in particulari exſoluit pretium.

Abſurdum 3

Tertium quod omnes, quicunque iuſtificantur, non iuſtificarentur ex meritis Chriſti, ſed ex ſola miſericordia Dei Patris. *Sequela.* ſi enim diſpoſitiones ad iuſtificationem, & ad quamuis gratiam, non ſunt ex meritis Chriſti. ergo nec iuſtificatio, nec gratia. erit ex meritis Chriſti. nam diſpoſitio vltima ad formã recipiendam, eadem eſt cum forma, vt in igne videre licet; poſtquam enim vltima diſpoſitio ignis, in lignum fuerit introducta, ſtatim & forma ignis introducitur: ita & vltima diſpoſitio ad iuſtificationem & ad gratiam, eſt ipſa iuſtificatio & gratia.

61. *Obijcies* cum Franc. Sinonio. Datur quidã effectus noſtræ Prædeſtinationis, quem Chriſtus non meruit. nã Incarnatio Chriſti, eſt principalis effectus noſtræ Prædeſtinationis; & Chriſtus Incarnationem non meruit. ergo Chriſtus non meruit omnia, ad ſalutem humanã pertinentia.

In via Scoti Incarnatio noſtræ Prædeſtinationis non eſt mediũ neq; effectus ſed cauſa & finis.

Reſpondetur 1. ſecundùm viam Scoti, qui aſſerit: quòd etiamſi Adam non peccaſſet, Chriſtus in carne veniſſet: proinde in illius via certum eſt, Incarnationem non eſſe mediũ, neque effectum noſtræ Prædeſtinationis, ſed potius cauſam, & finem ipſius. Nã in ſecũdo ſigno, voluit Deus Incarnationẽ Chriſti, ante omne peccatum, ad manifeſtandam gloriam ſuam: videns poſtea in ſeptimo ſignó peccatum Adæ, quòd ex inſtinctu Diaboli eſt commiſſum, qui voluit impedire Incarnationem Chriſti, voluit Deus, vt veniret in carne paſſibili, vt, & conſilia Diaboli euerteret, & ſalutem generis humani reſtauraret. vnde iuxta eundẽ benẽ ſibi conſentiunt hæc tria, & quod Chriſtus non meruit Incarnationem ſuam: & quòd homines ex meritis Chriſti ſunt prædeſtinati: & quòd incarnatio non eſt noſtræ Prædeſtinationis medium, ſed potius cauſa.

Reſpondetur 2. iuxta viam D. Th. qui *primò* dicit, quòd Deus, priùs vidit peccatum, quàm voluit Incarnationem: *ſecundò* dicit, quòd viſo peccato, voluit incarnationem. nam ſi peccatum non fuiſſet, Chriſtus in carne non veniſſet: ſed quia vidit Deus peccatum, idcirco decreuit, vt eſſet Incarnatio, ad deſtructionem peccati. Hoc poſito dico, quòd etiam in hac via, Incarnatio non eſt effectus noſtræ Prædeſtinationis, nec mediũ ad illam ordinatum, vt ad finem. Licet enim Chriſtus, vno & ſimpliciſſimo actu Diuino, ſit cum electis prædeſtinatus: priùs tamen decreuit Deus, de Chriſto incarnando, & gloria ipſius, quàm de gloria cuiuſuis electi in particulari; ſiquidem, (vt Scriptura dicit,) *in illo & per illũ, dilecti & electi, atque etiam prædeſtinati ſumus, à Patre cœleſti.*

Solutio obiectionis.

Obiectio 2. cum ſolutione.

62. *Obijcies* Incarnatio ſaltim eſt medium ordinatum ad noſtram ſalutem? *Reſpondetur 1.* cum quibuſdã, nõ eſſe mediũ. nã illud eſt mediũ ordinatũ, ad noſtra Prædeſtinationẽ, quod in prædeſtinatis recipitur: qualis eſt vocatio, iuſtificatio, glorificatio, quæ ſũt ſubiectiuè in prædeſtinatis. Sed quia incarnatio non recipitur in prædeſtinatis; idcirco non eſt mediũ, ſed poti⁹ cauſa Prædeſtinationis. *Reſpondetur 2* Incarnatio & meritũ Chriſti, dupliciter cõſiderari poteſt: *primò* reſpectu Dei, & reſpectu actionis illius Diuinæ: *ſecundò* reſpectu noſtri ſi igitur cõſideretur Incarnatio, reſpectu Dei, tãquã principalis agẽtis, ſic erit effect⁹, & mediũ ordinatum ab ipſo Deo, ad ſuã actionẽ, qua vult ſaluare homines: ſi verò cõſideretur Incarnatio reſpectu noſtri, vt eſt quoddã bonũ noſtrũ, ſic non eſt effectus noſtræ Prædeſtinationis, ſed cauſa: neque etiam eſt medium ordinatum ad noſtram ſalutem vt ad finem, ſed potius eſt finis noſtræ Prædeſtinationis; quia omnes prædeſtinati, ſaluantur propter Incarnationem, & merita Chriſti: inquantum igitur Deus, vult ſaluare homines, & prædeſtinare per Incarnationem Filij, intantũ Incarnatio

Incarnatio & meritũ Chriſti dupliciter cõſideratur.

natio reſpectu Dei, eſt mediũ ordinatum ad ſaluandum homines. nam ſaluatio eſt actio Dei. ſed inquantũ iam hæc actio, nimirum ſaluatio eſt recepta in ſubiecto prædeſtinato, tunc non eſt Incarnatio effectus, ſed cauſa: neq; eſt medium, ſed finis noſtræ Prædeſtinationis.

Obiectio. 63. *Obijcies rurſum.* Si Chriſtus, eſt cauſa efficiens meritoria, noſtræ Prædeſtinationis, ſequitur, quòd ſi Adam in ſua innocentia permanſiſſet, non eſſet prædeſtinatus. nam licet illa gratia, & originalis iuſtitia, non ſit illi collata ex meritis Chriſti: tamen Adam, per hanc ordinabatur ad vitam æternam. ergo dato & conceſſo, quòd, ſi in iuſtitia originali perſeueraſſet, conſequeretur vitam æternam ſine Chriſto: ac proinde eſſet prædeſtinatus; quia aſſequeretur vitam æternam: & non eſſet prædeſtinatus; quia non per merita Chriſti.

Solutio. *Reſpondetur* ad illam conditionalem, *ſi Adam in gratia perſeueràſſet, Adam non eſſet prædeſtinatus*: eum eſſe prædeſtinatum, ſed non eà ratione, ſicut iam modò de facto eſt prædeſtinatus, per merita Chriſti. *vel clarius*, ſi loquamur de Prædeſtinatione, ſecundùm eam præordinationem Diuinam, quæ de facto iã ſeruatur, quòd v. nemo prædeſtinetur, niſi per Chriſtum, & ſic verum eſt, quòd ſi Chriſtus non veniſſet, nullus homo eſſet prædeſtinatus; quia remota cauſa, remouetur effectus: ſed ſi loquamur de Potentia Dei abſoluta, ſic iam negatur; quia poterat Deus, abſque meritis Chriſti, prædeſtinare electos; ſiquidem meritum Chriſti non eſſet abſolutè; & ſimpliciter, neceſſarium ad Prædeſtinationem, ita, quòd aliter non poſſet Deus de potentia ſua abſoluta prædeſtinare hominem.

Dupliciter Prædeſtinamur.

64. Dico ſextò. *Prædeſtinatio ſumpta quoad totum, & integrum effectum, vnde corpus Myſticum Chriſti componitur, ita, quòd ſimul coniunctum, ſiue collectiuè membra & caput ſumatur, non eſt ex meritis Chriſti.* DECLARATVR. Sicut enim in eodem homine prædeſtinato, datur vnus effectus Prædeſtinationis, qui ſit cauſa alterius. nam merita ſunt cauſa gloriæ, & iuſtificatio eſt cauſa glorificationis; ita quoque debemus conſiderare, ipſum corpus Myſticum, cuius Chriſtus Caput eſt, quòd in eo vnus effectus ſit cauſa alterius: vt Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ Prædeſtinationis, & eiuſdem Chriſti merita, ſunt cauſa noſtræ iuſtificationis; ſed totius corporis Myſtici, iam non datur cauſa. *& ratio eſt*, quia ipſe Chriſtus, ex ſimplici voluntate, & miſericordia Dei abſque vllis meritis, vel ſuis vel alienis, eſt prædeſtinatus. & hæc eſt doctrina D. Aug. *l. de Prædeſt. ſ. c. 15.* vbi ſic dicit: *Chriſtum eſſe præclariſſimum iubar Prædeſtinationis, fuiſſeque prædeſtinatum, non ſolùm, vt homo ille eſſet Filius Dei, ſed vt eſſet Caput & Redẽptor.* Si igitur eſt Caput omnium prædeſtinatorum, quomodo poteſt eſſe cauſa Prædeſtinationis corporis Myſtici? nihil ſuipſius eſt cauſa. *deniq;* ex *3. p.* D. Th. clarum eſt, quòd *Chriſtus non meruit Hypoſtaticam vnionem, nec gratiam habitualem, neque vlla ſua merita*. atqui hæc in Prædeſtinatione, ſumpta quoad integrum ſuum effectum continentur. ergo vt ſic, talem Prædeſtinationẽ Chriſtus non meruit.

Prædeſtinatio corporis Myſtici v. quoad Chriſtum in quãtum eſt caput illi⁹, nõ eſt ex meritis Chriſti.

65. Dico ſeptimò. *Si verò ſumantur Prædeſtinati, diſtincti à Chriſto; ſeu ſi ſumantur*

mantur electi, tanquam membra, à ſuo capite diuiſa, ſic merita Chriſti, ſunt cauſa noſtræ Prædeſtinationis. nam Chriſtus totũ effectum noſtræ Prædeſtinationis meruit. PROBATVR 1. Omnia dona, quæcunque nobis dantur à Deo Saluatore, & ſunt pertinentia ad æternã ſalutem, nõniſi per Chriſtum, & per illius merita nobis donantur. ergo Chriſtus meruit nobis, totum effectum Prædeſtinationis noſtræ.

Probatur 2. Omnia bona, quæ fiũt in tempore, ordinata ad noſtram ſalutẽ, ſunt ab æterno à Deo ſtatuta, vt ita fierent, quo pacto in tempore fiunt. ſed de facto in tempore ita fiunt, quòd Chriſtus meruit nobis omnia, quæcunque à Deo recipim⁹ ordinata ad noſtram ſalutem. ergo ſic ab æterno ordinatum eſt, quòd omnis effectus Prædeſtinationis mẽbrorum, procedat & cauſetur, ex meritis Chriſti, tanquam Capitis. ita tenet Duran *in 3. diſt. 10 q* 3. vbi dicit: *quòd Chriſtus eſt cauſa noſtræ Prædeſtinationis efficiens, quantum ad effectus; quia eſt cauſa meritoria: omnis autem cauſa meritoria in moralibus, eſt cauſa efficiens.*

Obiectio. 66 *Obijcies* Ad Eph. 1. dicit D. Pau. *in quo nos ſorte vocati ſumus. prædeſtinati ſecundũ propoſitũ eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, ſed ſors nullum reſpicit meritum. ergo ſicut nõ reſpicit meritum noſtrum: ita non reſpicit meritum Chriſti; & per conſequens, non ſumus prædeſtinati ob meritum Chriſti, ſed omnis noſtra Prædeſtinatio, reducenda eſt ad voluntatem Dei.

Solutio 1. *Reſpondetur 1.* de Prædeſtinatione dupliciter poſſumus loqui: *primò* vt comprehendit Chriſtum, & omnes prædeſtinatos. nam omnes, vnà cũ Chriſto, vnico & ſimpliciſſimo actu voluntatis Diuinæ, prædeſtinati ſumus: huiuſque Prædeſtinationis effectus ſunt, gratia, gloria Chriſti, ac Prædeſtinatorum: & ſic acceptæ Prædeſtinationis, nulla alia cauſa datur, niſi ſola Voluntas Diuina. nã Prædeſtinatio Chriſti, fuit ſine vllis meritis, tam ſuis, quàm alienis. *ſecundò* ſumi poteſt comparatiuè, inquantum vnum effectum, alteri comparamus: vt gratiam & gloriam Chriſti, cum gratia & gloria prædeſtinatorum; & ſic Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ Prædeſtinationis, & gratia Chriſti, atque gloria eſt cauſa noſtræ gratiæ, ac gloriæ. D. ergo Paul. quãdo noſtrã Prædeſtinationẽ refert, ad voluntatem Dei, loquitur de Prædeſtinatione, primo modò intellecta, quæ videlicet, ſimul & Chriſtum & prædeſtinatos continet, & huius nulla datur cauſa, niſi ſola voluntas Dei.

Prædeſtinatio ſumitur dupliciter.

Solutio. *Reſpondetur 2.* quòd ex adductis verbis D. Paul. confirmatur noſtra ſentẽtia: nam *propoſitum Dei*, ad quod reducit Prædeſtinationem, non excludit merita Chriſti, ſed includit: colligitur hoc ex eodem c. 1. vbi dicit: *elegit nos in ipſo, & prædeſtinauit nos in adoptionem filiorũ, per Ieſum Chriſtũ.* ergo nõ excludit merita Chriſti. *Ad Sortẽ dico*, quòd hæc, licet non reſpiciat merita noſtra: reſpicit tamẽ merita Chriſti ꝑpter quę prædeſtinati ſum⁹.

Solutio 3. *Reſpondetur 3.* cùm dicit D Pau. *quòd prædeſtinati ſumus, ſecundum propoſitum voluntatis Diuinæ.* id ita intelligendum, nẽpe licet nos ex meritis Chriſti ſimus prædeſtinati; tamen, quòd merita Chriſti, huic & non illi, applicantur, id iam non pendet, ex meritis Chriſti, nec datur aliqua cauſa.

cauſa ex parte Chriſti, ſed ex beneplacito voluntatis Diuinæ: & ſic *ſorte vocari* ſumitur, quia applicatio meritorum Chriſti, pendet ex ſola voluntate Diuina.

Ad illud verò Diui Pauli ad Roman. 3. *Iuſtificati gratis.* ergo non ex meritis Chriſti. *Neganda conſequ.* nam iuſtificatio noſtra, conſiderata ex parte noſtri, habet miſericordiam, & gratiam: conſiderata verò ex parte Chriſti, habet iuſtitiam; proinde vtrumque continet, vt habetur Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in miſericordia, & deſponſabo me tibi in iuſtitia.*

DISPVTATIO III.

De Effectibus Prædeſtinationis.

Doctrinam de Effectibus Prædeſtinationis, vnico complexu iſtius Diſputationis explicabimus, pro quorum determinatione

I. Nota primò. Theologos ex *a. 2. q. 23.* arripere occaſionem diſputandi, de Effectibus Prædeſtinationis. in hoc enī art inquirit S. Doctor, *an Prædeſtinatio, ponat aliquid in prædeſtinato?* & reſoluit ſic: *Prædeſtinatio ſecundùm ſe ſumpta, vt eſt in Deo prædeſtinante, non eſt in Prædeſtinato.* nā prædeſtinatus, non dicitur ex aliqua forma ſubſtantiali, aut accidentali ſibi inhærente. vnde nihil ponit in prædeſtinatis. *Tum* quia talis Prædeſtinatio, eſt Actio Dei immanens in Deo prædeſtinante: ſed effectiuè, ſiue exſecutiuè ſumpta, inquantum dicit actualem exſecutionem, quæ fit, cùm prædeſtinatus omnia dona & media ordinata, & ſibi à Deo data accipit, quibus tanquam medijs innixus, ad gloriam æternam peruenit; & hæc quidem dona ac media, ſunt in prædeſtinato, & dicuntur eſſe effectus Prædeſtinationis.

Prædeſtinatio idem duplex.

2. *Nota ſecundò.* Propriè ille effectus dicitur eſſe, qui à cauſa ſua habet Eſſe; proinde Prædeſtinationis illi erunt effectus, qui ex illa prodeunt, & ex vi illius habent eſſe, atque ſunt à Deo prædeſtinante, ac in vitam æternam tranſmittente, beneficiaq; quibus efficaciter homo ſaluatur, præparante.

Nota tertiò. Hos effectus eſſe duplices: *quidam* enim ſunt ordinis ſupernaturalis, vt collatio gratiæ, gloriæ, perſeuerantia in gratia, vocatio, iuſtificatio, augmētū gratiæ, opera bona ſupernaturalia in charitate facta, ſiue antecedentia iuſtificationem, ſiue ſubſequentia: *quidam* verò ſunt ordinis naturalis, vt ſunt bona animi & corporis, hominis ingenium propenſum ad certa ſtudia, euentus felices, vel aduerſos: corporis diſpoſitio bona, vel mala, diuitiæ aut paupertas, perſecu-

Effectus Prædeſtinationis ſunt duplices.

tiones, pax, tranquillitas; & de his dubium eſt, an ſint effectus?

Quòd ſint, ex eo manifeſtum eſt; quia per hos enumeratos caſus, ſæpenumerò homines, reuocantur à peccatis. ergo ſunt media, ſeu effectus, quibus vitam æternam aſſequimur. In cõtrariũ autẽ *quòd non ſint effectus Prædeſtinationis*, ex eo colligitur, quia Prædeſtinatio eſt bonum ſupernaturale, & diſtinguitur à prouidentia, quòd hæc verſatur circa finem naturalem, & ſupernaturalem, circa media naturalia, & ſupernaturalia: Prædeſtinatio verò, ſolùm circa finem ſupernaturalem, & media ſupernaturalia occupatur. & ideo ea, quæ ſunt naturalia, non videntur ſpectare ad Prædeſtinationem. his ſuppoſitis

Prædeſtinationis effectus tres.

3. Dico primò. *Prædeſtinatio, hos principales effectus, in genere producit; vocationem, iuſtificationem glorificationem*, vt colliguntur ex illo D. Pauli, *quos prædeſtinauit. hos vocauit, & quos vocauit, hos iuſtificauit. & quos iuſtificauit, hos & glorificauit* locumq; habent in adultis: nam in pueris, qui ſuſcepto Baptiſmo, ante vſum rationis decedũt, duplex tantum effectus reperitur, *iuſtificatio* per virtutem Baptiſmi, & *glorificatio*, quia ingrediuntur in vitam æternam.

1. Vocatio.

Vocatio duplex.

Nota Vocatio, quæ eſt primus effectus Prædeſtinationis eſt duplex: quædam eſt *interior*, quam Deus, in corde hominis operatur, inclinando ad credendum Euangelio, & articulis Fidei, iuxta illud Ioan. 6. *omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* quædam verò *exterior*, per prædicationem Euangelij, per quam homines trahuntur ad credendum. Fides enim ex auditu: auditus autem per verba Dei perficitur. Hàc exteriori vocatione, vtitur Deus, in hoc tempore reuelatæ gratiæ, & prædicationis Euangelij: interiori verò vtebatur Deus, quando non erant prædicatores, quamuis etiam & nũc vtatur eadem; ſiquidem in verbo prædicationis eſt intùs magiſter, hoc eſt Deus, qui corda audientium tangit, diſponit, accendit.

Quòd autem Vocatio ſit effectus *Probatur*. Omnis prædeſtinatus, aſſequitur beatitudinẽ, aut ante vſum rationis. vt infantes, qui ſuſcepto Baptiſmo moriuntur, aut poſt vſum rationis, ſed nullus iſtorum, aſſequitur beatitudinem ſine vocatione. nam infantes vocantur in parentibus ſuis, aut in his, qui procurant vt baptizentur, ſed hæc vocatio impropriè dicitur: adultorum verò, nullus peruenit ad iuſtificationem, niſi vocatione aut interiori, aut exteriori fuerit vocatus, ſecundùm illud Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum.*

Infantes vocantur, aut in parẽtib⁹; aut in his qui procurant illis baptiſmum.

4. Dico ſecundò. *Effectus ſecundus Prædeſtinationis eſt Iuſtificatio, quæ fit per charitatem Chriſtianam, per quam diffũdit ſe Spiritus Sanct⁹ in corda credentium.* PROBATVR, 1. Corynth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut Cymbalum tinniens.* Sed charitas & gratia, ſunt principia Iuſtificationis. ergo ſine illa impoſſibile eſt aſſequi beatitudinem. ergo eſt effectus prædeſtinationis.

2. Iuſtificatio.

Nota 1. Quòd filii gloriæ, diſtinguuntur per charitatem à filiis gehennæ; quia multi ſunt, qui efficaciter vocantur ad fidem; & tamen hunc ſecundum effectum, videlicet Iuſtificationis non conſequuntur.

Filij gloriæ à filijs gehennæ charitate diſtinguuntur.

Nota 2.

Nota 2. Hæc iuſtificatio intelligenda eſt cum dono perſeuerantiæ. multi enim ex reprobis veram fidem ſuſceperunt, iidemq; iuſtificati ſunt per charitatem, ſed ad tempus: at verò ſoli prædeſtinati eandem iuſtificationem retinent, per donum perſeuerantiæ, quibus ſolũ datur.

Glorificatio.

5. Dico tertio. *Aſſecutio gloriæ, ſiue glorificatio. eſt effectus tertius Prædeſtinationis.* Negat Duran. *in 1. diſt. 41. q. 2* dicit enim *quòd glorificatio eſt finis Prædeſtinationis, proinde non eſt medium, nec effectus.* verùm D. Thomas, multis in locis huius Quæſiti, vult eſſe Prædeſtinationem, cauſam gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Et ad Rom. 3 dicitur: *quos prædeſtinauit, hos & glorificauit*

Vox *glorificauit* quid notet.

Nota SS. PP. vt D. Ambr. Theoph. hoc vocabulum *glorificauit* explicant de honore, & gloria præſentis vitæ. Nam Sancti in hoc ſeculo, habent Gratiam Adoptionis, per quam fiunt filii adoptiui Dei, ſæpiusque miraculis, per quæ Deus illis gloriam in præſenti conciliat, coruſcant; & in hoc ſeſu loquitur Scriptura Sap. 10. *honeſtauit illum in laboribus.* ſed reliqui PP. (vt Orig. Sedul. D. Anſel) explicant de beatitudine, & de gloria cæleſti: Fauet locus Euangelii: *gaudete puſillus grex, complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*: loquitur de prædeſtinatis, & de regno Dei Et D. Fulg. lib. 1. ad Mon cap. 11. dicit: *Omnia, & Vocationis initia, & Iuſtificationis augmenta, & glorificationis præmia, in ſua Prædeſtinatione ſemper habuit Deus* Eſtq; *ratio illius*; quia Deus & in Vocatione, & in iuſtificatione, & in Glorificatione SS. præſciuit omnia futura eſſe gratiæ ſuæ opera, ſed in re clara nõ multùm laborandũ; ſiquidem gloria verè obtinetur per gratiam, ac per actus meritorios, & per ipſam Dei Prædeſtinationem. ergo Glorificatio, eſt verè effectus Prædeſtinationis. Denique poſita Vocatione & iuſtificatione cum perſeuerantia, vsque ad finem vitæ, neceſſariò ſequitur Glorificatio, tanquam effectus. Sed cum Durando

Obiectio.

Obijcies. Glorificatio eſt finis ergo non eſt effectus. na finis nequit eſſe effectus. *Reſpondetur 1* glorificatio, poteſt dici & effectus, & finis, ſed diuerſa ratione: dicitur finis, inquãtum media Prædeſtinationis ad illã ordinantur: effectus verò, inquantum per media obtinetur; & ſic domum, appellamus effectum architecti; quia ab illo fabricata eſt: appellamus & finem; quia hunc intendebat, vt produceret domum. *Reſpondetur 2.* Glorificatio in intẽtione ſpectata, eſt finis Prædeſtinationis, & antecedit eam In exſecutione verò *glorificatio* eſt ſubſequens Prædeſtinationem; & per conſequens eſt effectus. nam id quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in exſecutione

Solutio 1.

Glorificatio conſideratur diuerſimodè.

Solutio 2.

Bona animi, corporis & fortunæ poſſunt eſſe effectus Prædeſtinationis.

6. Dico quartò. *Bona ſiue mala tẽporalia, eu tus felices, ſiue infelices dotes naturales, defectus corporis & animi, poſſunt eſſe effectus Prædeſtinationis.* PROBATVR. quamuis hæ res enumeratæ, non habeant ex natura ſua, ordinem & connexionem cũ beatitudine, quia hæc eſt ſupernaturalis: res vero enumeratæ ſunt naturales: poſſunt tamen aſſumi, & ordinari à Deo, vt ſint tanquam inſtrumenta, quæ aut præparent homines ad ſupernaturalem ſalutem, aut remoueant impedimenta impedientia Iuſtificationem.

nem. ergo vt ſic, poſſunt eſſe media ad finem ſupernaturalem, atque etiam poſſunt eſſe effectus Prædeſtinationis. Colligitur hoc ex loco ad Rom. 8. vbi dicitur: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* hunc locum, ſic explicat D. Aug. *l. de Grat. & Lib. Arb. c. 17.* vbi ſic dicit: *Quid eſt, quod omnia, cooperantur in bonum, niſi etiam ipſæ ſæuiſſimæ perſecutiones?* & *l. de Correp. c. 9.* ait: *vſq; adeo, diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, quòd ſi aliquando deuient, & exorbitent, etiam hoc facit illos perficere; quia reſurgunt humiliores, & cautiores.* Idem confirmant verba ad Rom. 14. *qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Domino. & qui non manducat, Domino nō manducat, & gratias agit Deo. nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur, ſiue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur; ſiue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.*

Ex quo ſic argumentor. *Hæc omnia, manducatio nō māducatio, vita mors,* ſunt ordinis naturalis: & quia ordinantur in Deum, tanquam in finem ſupernaturalem, poſſunt eſſe illi' aſſequendi media; Sed ſecundum præceptum D. Pauli, *electi ordinant hæc in Deum*: ergo erunt effect' Prædeſtinationis.

Bona Fortunæ. Qvod verò *bona fortunæ ſint effectus Prædeſtinationis*: inde patet: quia cōducunt ad vitam æternam. Colligitur ex illo Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum,* & reddit cauſam. *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*: porrigere enim eſurienti panem eſt res naturalis: ſed per hāc porrectionem regnum poſſidetur: ergo bona fortunæ ſunt effectus Prædeſtinationis. Et Lucæ 16. *Facite vobis amicos ex māmona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et Daniel ſuadet Nabuchodonoſori: *Redime peccata tua Eleemoſynis.*

Qvod verò *bona animi & Corporis, ſint effectus Prædeſtinationis,* etiam hoc habent non ex ſua natura, ſed ex accidenti, inquantum poſſunt eſſe inſtrumenta virtutum. poteſt enī quilibet, per dotes ſui intellectus, tum etiam corporis proximum in ſalute æterna obtinenda ex charitate iuuare. Animi & corporis ſunt effectus Prædeſtinationis.

7. *Obijcies.* Media, debent eſſe eiuſdem ordinis cum fine: ſed finis Prædeſtinationis, ſ. gloria æterna eſt ſupnaturalis: bona verò animi & corporis ſunt naturalia. *Reſpondetur* ſi bona hæc ſecundū proprias quidditates & naturas conſiderentur, tunc nullo modo poſſunt eſſe effect' Prædeſtinationis, nam vt ſic, ſunt res merè naturales, & ineptæ ad aliquam rem ſupernaturalem obtinendam; ſed ſi conſiderentur, vt aſſumuntur & extrinſecè afficiuntur, ab aliqua virtute ſupernaturali, ſic iam ex accidēti ordinari poſſunt ad Prædeſtinationem: vt Martyrium, conſideratum ſecundùm propriam ſuam Eſſentiam eſt effectus virtutis fortitudinis; quia eſt actus elicitus à fortitudine. ſed hoc idem Martyrium comparatum cum charitate, inquantum ex motiuo charitatis in Deum ſuſtinetur, eſt effectus Prædeſtinationis. nam ſummopere conducit, ad vitam æternam conſequēdam. iuxta illud Ioan. 15. *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis.* Obiectio. Solutio. Bona dupliciter ſumuntur. ſicut & Martyrium.

8. *Quares.* An etiam mala culpæ, Peccata nō poſſunt eſſe

hoc

hoc eſt peccata, ſint effectus Prædeſtinationis? *Reſpondetur* non eſſe, nec poſſe dici: *primò* ideo; quia malum culpæ, ſiue peccatũ eſt, cui debetur pœna æterna, non gloria: *ſecundò* ideo; quia quilibet effectus Prædeſtinationis, debet eſſe à Deo, tanquam à cauſa efficiente; ſed peccatum nullo modo poteſt eſſe à Deo: *tertiò* ideo; quia effectus Prædeſtinationis, vt Vocatio, Iuſtificatio, ordinant, & conducunt ad vitam æternam: ſed mala culpæ commiſſa, arcent peccatorem ab illa. nam illis dicetur *diſcedite à me maledicti.*

Quæres ſecundò. permiſſio peccati, vt cùm Deus electo non dat auxilium efficax; ſed eum permittit in peccatum incidere ſitne effectus Prædeſtinationis? *Reſpondetur* eſſe, non ex ſe, ſed ex accidenti: quia hæc permiſſio eſt à Deo volita, & ordinata in bonum, & vtilitatem electi. nã ſic agnoſcit ſuam fragilitatem, de ſe humiliter ſentit, & omnẽ ſuam fiduciam in Deo collocat. Et vt dicit D. Aug. humilior & cautior reſurgit.

etiamſi illa De⁹ permittat, niſi ex accidenti.

9. *Nota* quòd etiam permiſſio qua reprobi incidunt in peccata, eſt quandoq; electis, effectus Prædeſtinationis. nam ideo reprobos permittit peccare, vt electi hinc incitamenta ad ſalutem ſumant. Patet ex 11. ad Rom. vbi dicitur: *Nolo vos ignorare fratres Myſterium hoc, quia cæcitas ex parte contingit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* Et paulò inferiùs, *delictum eorum* (hoc eſt Iudæorum) *eſt ſalus gentium.* ad Rom. demum 9. habetur. *quòd ſi Deus, volens oſtendere iram,* (hoc eſt iuſtitiam vindicatiuam) *ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam.* Hic Apoſt. deſcribit finem permiſſionis peccatorum, & punitionis eorundem: reſpectu reproborum, iram ſuam vindicatiuam: reſpectu autẽ electorum, diuitias miſericordiæ; ergo permiſſio peccatorum in quæ reprobi prolabuntur, eſt propter bonum electorum.

DISPVTATIO IV.
De Reprobatione.

Poſt Diſputationem ſatis difficilem, & perplexam de Prædeſtinatione expeditam, ordo doctrinæ requirit, vt de Reprobatione agamus. Hæc enim, tanquam ſibi oppoſita, videntur ſe mutuò explicare. vnde huius Diſputationis vndecim erunt Quæſita.

1. *Quomodo Deus habet ſe erga reprobos?*
2. *An Reprobatio pertineat ad actum intellectus Diuini, an verò voluntatis?*
3. *Quænam ſit Cauſa Reprobationis?*
4. *An reprobi omnibus auxiliis ſupernaturalibus ſint deſtituti?*
5. *An ſit aliquis homo, qui in ſolis naturalibus ſit poſitus, ſine vllo auxilio ſupernaturali?*

6. *An præter auxilium ſufficiens, ſit aliud efficax concedendum?*
7. *Efficax auxilium, quomodo ſe habeat in prædeterminatione voluntatis?*
8. *An dato æquali auxilio in duobus vnus conuertatur, & alius minimè?*
9. *Quinam effectus Reprobationis?*
10. *An Deus, habet ſe negatiuè erga reprobos, an verò poſitiuè?*
11. *An hæ Propoſitiones ſint veræ?* prædeſtinatus neceſſariò ſaluabitur, & prædeſtinatus non poteſt damnari, & reprobus neceſſariò damnabitur, & non poteſt ſaluari.

QVÆSITVM I.
Quâ ratione habet ſe Deus erga reprobos?

1. ANte determinationem Quæſiti: ex quibus & affectus Dei erga reprobos colligi poterit, & quidnam ſit Reprobatio?

Quod Deus reprobet peccatores, eſt de fide.

Noto primò. Sicut de Fide eſt, quòd Deus quoſdam prædeſtinauerit; ita etiam de fide eſt, quod etiam quoſdam reprobauerit, vt colligitur ex S. Script. *Iacob dilexi, Eſau odio habui.* Et ad Timoth. 2. *In magna domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Sed per vaſa aurea & argentea, & quæ ſunt in honorem, intelliguntur prædeſtinati, per vaſa verò fictilia, & lignea, & in contumeliam facta, intelliguntur reprobi. ergo de fide eſt, quòd quidam ſunt prædeſtinati, quidam reprobati. Hoc idem confirmat Apoſt. ad Rom. 9. *An non poteſt figulus luti ex eadem maſſa facere vas aliud in honorem, & aliud in contumeliam:* Ita Deus facit vaſa in honorem, quoſdam prædeſtinando; facit in contumeliam, quoſdam reprobando. *Præterea* Scriptura reſpectu prædeſtinatorum, tribuit Deo notitiam & ignorantiam. tribuit ſcientiam, reſpectu reproborum cùm dicit: *nouit Deus, qui ſunt eius.* tribuit ignorantiam: nam Virginibus fatuis dicitur: *Neſcio vos.* hoc eſt, ignorauit illas ſcientia approbationis. ergo de fide eſt, ſicut electio ad gloriam prædeſtinatorum: ita etiam excluſio à gloria reproborum. & D. Thomas hic *quæſt. 23. art. 6.* rationẽ aſſignat, dum dicit: *Decens eſt iuſtos præmio afficere, & malos pœna affligere; & hoc vtrumque, etiam ad Diuinam prouidentiã ſpectat, vt prædeſtinatos præmiet, reprobos puniat.*

Gratiã gratum facientem contulit Deus creaturis à principio mũdi

2. *Nota ſecundò.* ſtatim à principio mundi, quando Deus creaturas rationales creabat in eodem illo inſtanti temporis, contulit creaturis gratiam gratum facientem; & ſic factum eſt cum Angelis; quia Deus ſimul erat creans, ac gratiam infundens: ſimiliter factum cùm homine protoplaſto, & humani generis propagatore; accepit enim gratiam innocentiæ, quam ſi ſeruaſſet, in eadẽ nos ex illo progeniti naſceremur

Not

Resquælibet diuerſimodè conſiderari poteſt.

Nota tertiò: ne quis Deum accuſet iniquitatis, illud hic obſeruandum; quod vna res diuerſimodè poteſt conſiderari: *primò* ſimpliciter, & abſolutè: *ſecundò* attendendo in particulari ad circumſtantias, vt iudex, cùm ad ſuſpendium damnat latronem, vellet illum, cùm ſit homo, & ciuis Reipublicæ, ſaluum eſſe; ſed quia eſt latro, ne fiat præiudicium Iuſtitiæ vindicatiuæ, vult illum mori: ita Deus, omnes homines vt ſũt creaturæ rationales, & capaces æternæ beatitudinis, vellet ad gloriam perducere; ſed quia ex his ſunt plurimi flagitioſi: idcirco propter iuſtitiam vindicatiuam, vult eos eſſe damnatos: proinde duplex eſt voluntas in Deo: *Antecedens*, quæ fertur in aliquam rem abſolutè conſideratam, vt cùm vult omnes eſſe ſaluos: *Conſequens*, quæ in eoſdem homines fertur, ſecundùm conditiones in particulari; & ſic vult eſſe punitos.

Voluntas eſt duplex in Deo.

3. *Nota quartò* S. Scriptura, *reprobos*, ſeu *damnatos*, variis nominibus appellat; quòd *ſint odio habiti*: *quòd ſint parati in ignem æternum*: *quòd ſint vaſa in contumeliã*: ſed præcipuè his duobus nominibus, *reprobos* & *præſcitos*. *Reprobos* ideo; quia tanquam res malæ à Deo contemnuntur, & ad ſupplicium æternum patiendum, abijciuntur; & ſic quoq; Chriſtus Dominus, dicitur lapis reprobatus à Iudæis, hoc eſt, ad ſupplicium deſtinatus. *Præſcitos* verò, varios ob cauſas: nam hoc nomen *præſcitus*, non ſolùm reprobis, ſed etiam prædeſtinatis conuenit, cùm ſit illis commune: ſicut enim reprobus dicitur eſſe præſcitus: ita & prædeſtinatus dicitur eſſe præſcitus, *quos præſciuit hos & prædeſtinauit*. D. Bonau. *in 1. diſt. 40. dub. 3.* ſuper text. Magiſt. refert hanc cauſam: quia Prædeſtinatio ſupra Præſcientiam, ſuperadditur; idcirco hoc nomine Prædeſtinati, tanquam proprio appellantur; ſed reprobatio, quia nihil ſuperaddit, idcirco nomine communi, Præſciti appellantur.

Reproborũ appellatio multiplex.

Cur & præſciti?

Solutio.

4. Hanc Solutionem impugnat, idem D. Bonau. dicit enim; quòd ſicut Prædeſtinatio ſupra Præſcientiam ſuperaddit: ita & Reprobatio, ſupra Præſcientiam addit pœnam, quia eſt Præſciẽtia pœnæ, cuius Deus eſt cauſa; proinde hanc ille cauſam reddit: reprobatio non addit tantùm ſupra præſcientiam, quòd illã diſtrahat, ſicut in prædeſtinatione habetur, beneplacitum Dei, quod Prædeſtinationem trahit, ad genus Scientiæ Practicæ ſimpliciter, & abſolutè reſpectu totius connotati: ſed non ſic eſt in reprobatione; quia voluntas Dei non eſt reſpectu mali culpæ, ſed ſolùm reſpectu pœnæ, eſt etiam conſequens, non antecedens, & quaſi tracta, & propterea, quòd minùs diſtrahit à ratione ſcientiæ, nomen præſcientiæ retinuit.

Impugnatio eiuſdem.

D. verò Thomas *in 1 diſt. 40 q 4. a. 1.* hanc rationem aſſignat: *præſcire*, quantum eſt de ſe, nõ importat cauſam eorum, quæ præſciuntur. nam Deus præſcit bona & mala, & tamẽ non eſt cauſa malorum: *Prædeſtinare* verò, ex vi ipſius nominis, dicit cauſam & efficaciam circa ea, quæ prædeſtinantur; ad ſignificandum ergo, quòd Deus ſit cauſa, omnium bonorum, quæ eueniunt electis, appellantur electi prædeſtinati, non præſciti: ad ſignificandum quoq; quòd Deus non eſt cauſa omnium malo

Diui Thõ. quid præſcire &

quid prædeſtinare.

malorum, quæ accidunt reprobis; quia non eſt cauſa culpæ, ſiue peccati, à Theologis dicuntur, præſciti, non prædeſtinati.

Nomen generis infimæ ſpeciei additur.

Vltimò quidam hanc rationem reddunt: nomen generis, ſolet quãdoque accomodari in fine ſpeciei eius generis, tanquam proprium illius: quemadmodum bruta, quæ in genere animalium infimum locum tenent, ſolemus appellare animalia, quamuis hoc nomen animal, ſit cõmune tam brutis, quàm hominibus: ita hoc nomen *præſcitus*, licet ſit commune, & genericum electis ac reprobis; tamen ſolùm reprobis accommodatur; quia ſunt infimi in hoc genere. His ſic notatis ad Quæſitum.

Quòd Deus reprobet aliquos nulla eſt ei iniquitas aut crudelitas tribuenda.

5. Dico primò. *Quòd Deus aliquos reprobauerit, nulla iniquitas, aut crudelitas, aut indecentia, propterea illi tribuẽda.* PROBATVR *Ratione 1.* Omne illud opus externum, quod Deus facit, licet illius nos homines cauſã ignoremus, æquiſſimum, decentiſſimum, iudicãdum eſt; omnia ſiquidem, quæ facit Deus, in ſumma ſapientia & æquitate facit: ergo tanto magis illud opus, à nobis æquiſſimum dicendum, cuius cauſam agnoſcimus Sed reprobatio eſt opus Dei, & illius cauſam agnoſcimus, videlicet peccatum. Ergo quòd reprobet aliquos, iniuſtitia in Deo nõ eſt ponenda.

Reprobationis cauſa eſt peccatum.

Ratio 2. Omnes nos, ſumus præuiſi peccaturi in Adam parente noſtro. ergo omnes nos vna cum Parente noſtro, poterat excludere ab omni regno ſuo, in pœnam peccati; quia hoc à Deo, iuſtitia vindicatiua iure ſuo requirebat. Sed quia nõ omnes, verùm aliquos reprobauerit, ſummæ miſericordiæ Dei tribuendum eſt.

Quòd quoſdam prædeſtinet hoc miſericordiæ Dei tribuendum.

Ratio 3. Ex parte hominis habuit Deus ſufficientiſſimam cauſam, vt omnes homines excluderet, à gloria cœleſti. nam tota natura humana, propter peccatum Originale, exſtitit inimica Deo. ergo iuſtiſſimè feciſſet, ſi illam in ſuo peccato reliquiſſet, & à regno excluſiſſet.

Ob originale peccatum omnes deſſerenus excludi à gloria cœleſti.

Ratio 4. Qui in peccato Originali ex hac vita, vt infantes ſine baptiſmo, decedunt, iuſtiſſimè excluduntur à regno Dei, propter hoc ſolum peccatum; ergo ſi hoc idem feciſſet Deus cum omnibus hominibus qui erant in peccato Originali, pro ſua iuſtitia & æquitate feciſſet.

Infantes nõ baptizati iuſtiſſimè excluduntur.

Ratio 5. Præſuppoſito Originali peccato commiſſo, nulla eſt cauſa ex parte Dei, per quã Deus teneretur, & ex iuſtitia obligaretur, ordinare homines in vitam æternam, illiſque conferre media, ad illam obtinendam; quin imo ipſum peccatum habuit cauſam, vt nos abiiceret à ſuo regno.

Ex parte Dei nulla eſt cauſa cur media ad ſalutem obtinendam debeat dare.

6. *Ratio 6.* Cùm D. Paulus loquitur, de reprobatione Eſau & dilectione Iacob; ad Rom. 9 infert: *nũquid apud Deum eſt iniquitas?* Reſpondet *abſit.* quaſi dicat: quicquid Deus vult, illud & ordinat, & quicquid non vult, illud non ordinat. ergo & quicquid Deus permittit circa reprobos, vel facit, præſertim autem præſuppoſita culpa, id pro ſua voluntate æquiſſima facit.

Volũtas Dei quod vult hoc facit.

Ratio 7. Paterfamilias Euangelicus, quando nouiſſimis operariis, parem denarium diurnum dabat. ex æquando eos operariis, qui æſtũ totius diei ſufferebant, non faciebat illis iniuriam; Reſpondet enim impor-

importuno cuidam: *vade, & tolle quod tuum eſt; an non licet mihi de meo facere, quod volo?* Ex quo arguo. Si vnicuiq; liberum eſt, & licitum de ſuo facere, quod velit. ergo etiam & Deo, præſuppoſito peccato liberum ei facere, quod vellet. ergo, quòd aliquos reprobauerit, non eſt appellādus iniuſtus.

Nota primò. Si quis ob paruitatem ingenii ſui non poteſt capere, quomodo Deus in reprobatione, non eſt acceptator perſonarum; & quòd apud Deum, nulla ſit iniquitas, captiuet intellectum ſuum in obſequium fidei. Et cum D. Paulo ad Rom. 11. dicat: *O altitudo diuitiarum, Sapiētiæ & Scientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.*

Salus quorūdam eſt ex miſericordia Dei.

Nota ſecundò: quòd Deus generi humano p olapſo in peccati fœditatem, voluit oſtendere miſericordiam, cui⁹ nullam habuit cauſā ex parte hominum, in quibus erat peccatum, vt, quòd non omnes in gehennam præcipitauerit, ſed quibusdā voluit ſalutem, totum hoc, miſericordiæ Dei aſſignandum: quòd verò reliqui damnentur, peccatis illorum, & iuſtitiæ Diuinæ vindicatiuæ, adſcribendum.

Reprobatio ex iuſtitia vīdicatiua.

In hominis volūtate eſt benefacere vt habeat vitam æternā

7. Dico ſecundò, *Certum eſt, & indubitatum, quòd quamuis Deus, ab æterno plurimos reprobauerit, tamen ab his, neque ab æterno, neque in tempore, abſtulit liberum arbitrium, ita, quod ſi vellent poſſent benè operari, & ſalutem conſequi.* PROBATVR *primò* Deus per Prædeſtinationem, à ſuis electis, non abſtrahit libertatem arbitrii, vt poſſint benè vel malè operari. ergo neque per reprobationem, abſtrahit à reprobis eandem libertatem. Si enim abſtuliſſet, ſequeretur, quod imponeret neceſſitatem reprobis, non adimplendi præcepta. ſed hoc falſum, quia Deus omnibus hominib⁹, tam prædeſtinatis, quàm reprobis, propoſuit præcepta ſua ſeruanda: iam autem non eſſet Sapientiæ, id alicui præcipere ſeruandum, quod non poſſet præſtare. *Tum* eſſet iniuſtitia pro eo, velle aliquem punire. ergo ſicut omnes prædeſtinati: ita & omnes reprobi, habent libertatem arbitrii.

Etiā improbiſſimo Deus, non denegat auxilium ſufficiens.

Probatur ſecundò. De⁹, vnicuiq; reprobo, quantumuis facinoroſo, non denegat auxiliū ſufficiens, quo adiutus ſi voluerit operari, & præcepta poterit implere, & peccata vitare. ergo Deus per reprobationem, non aufert à reprobo libertatem arbitrii, nec media neceſſaria ad ſalutem. *Confirmatur* Præcepta enim Dei, maximè ſunt Fidei, Spei, Charitatis, quæ, cùm ſint ſupernaturalia, p vires naturæ impleri non poſſunt. ergo obligatio eſſet otioſa, niſi Deus ſufficiens auxilium ſupernaturale daret; ſed de hoc inferiùs recurret nobis ſermo.

Deus ex parte ſua voluit omnes ſaluare ſi præcepta illi⁹ ſeruaſſent.

8. Dico tertiò. *Deus ab æterno habuit hunc actum Voluntatis, quòd quātum erat ex parte illius, in communi voluit omnes homines ſaluare & ad vitam æternam perducere, iidemque de mediis ſufficientibus, ac neceßariis, quæ illorum naturæ liberæ, & in vtramque partem flexibili atque etiam defectibili conuenirent, voluit prouidere: & ſi hæc ſeruarent, poterant ſalutem conſequi, non tamen neceßariò conſequerentur.* PROBATVR Apoc. 3. dicitur: *Ego ſto ad oſtium & pulſo,* loquitur ſcriptura de gratia, de qua duo dicit: *primùm* quòd ſtet ad oſtium cordis vniuscuiusq; animæ: *ſecundùm* pulſat,

ſat, per illuminationem, ad auxilia recipienda excitans. Et Ioan. 1. dicitur: *qui illuminat omnem hominem venientē in hunc mudū*, hæc illuminatio, ſimiliter gratiæ Diuinæ tribuenda. Tū 1. ad Timoth. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* item Ezech. 18. *nolo mortē peccatoris*: ſi non vult mortē; ergo vult illius vitam æternam.

patet ex auctoritate D. Auguſt.

Idem ſentiunt SS. PP. maximè D. Aug. lib. reſpondendo ad art. ſibi falſò impoſitos a. 2. vbi ſic ait: *ſine exceptione credendum eſt, quòd omnes homines Deus vult ſaluos fieri, ex quibus qui pereunt, ex meritò pereuntium; quod autem ſaluentur alij, ſaluantis eſt donum.* Et in cap. *Firmiter*, de Summa Trinit. definitum eſt, quòd indiſcriminatim omnibus hominibus, ſemper patet aditus ad cælum. Sed hæc ſalus, & ad illam aditus, non poteſt haberi ſine Diuino auxilio. ergo Deus vult omnium ſalutem; quia omnibus decreuit dare auxilia neceſſaria.

Gratia Dei eſt ſimilis ſoli vel fonti.

Vnde SS. PP. gratiā Dei, quæ eſt primarium auxilium, comparant ſoli, qui quantùm eſt de ſe, paratus eſt omnes homines illuminare: comparant & fonti, qui itidem paratus cuilibet haurienti, aquas ſufficienter ſuppeditare. Probatur etiam Rationibus.

9. *Ratio prima* Deus omnibus hominibus in præſenti tempore, prouidet de neceſſariis auxiliis. ergo quantùm eſt ex parte Dei voluit ab æterno omnes homines ſaluare; *Conſequentia:* quòd enim Deus ab æterno decreuit, id cognoſcimus ex effectu in præſēti tempore. *Antecedens* manifeſtum; quia præparauit præter gratiam Sacramenta, & pia monita Confeſſariorū, ac Prædicatorū.

Peccatum primùm iuſtitiam vindicatiuam ſolicitabat, non neceſſitabat.

12. *Ratio ſecunda* Licet primū peccatum, Iuſtitiam Diuinam vindicatiuam ſolicitabat ad puniendum, non tamen neceſſitabat, ne noſtri miſereretur: imo ipſum peccatum, Diuinam implorabat miſericordiam, vt non permitteret, totum genus humanum penitus perire. ergo habuit Deus hunc actum voluntatis, ab æterno, quātùm fuit in illo, vt omnes per media neceſſaria ſaluarentur, & nemo periret.

Actus voluntatis Dei vt quoſdam reprobaret, quoſdam eligeret, præuiſum habuit peccatum

10. Dico quartò. *De⁹ ab æterno non habuit hunc actum voluntatis, vt vellet aliquos reprobare, & à gloria ſua excludere, ſine ordine ad peccatum præuiſum; vnde ſimpliciter & abſolutè, voluit aliquos ideo reprobare, quia id ab eo peccata reproborum exigebāt. Ratio eſt.* Excluſio a gloria eſt pœna damni. Sed pœna nemini a Deo irrogatur, niſi ob commiſſam culpam. ergo ſimpliciter, ſine intuitu peccati, noluit Deus aliquos reprobare.

Pœna fit ob culpā commiſſam.

Ratio ſecunda ſi Deus haberet hunc actum voluntatis ſuæ, *volo aliquos excludere à gloria, ſine ordine ad peccatum,* iſtæ actus non eſſet miſericordiæ, neque iuſtitiæ; quia nulla culpa ſupponitur. Ergo talis actus non fuit in Deo.

Ratio tertia. Hi qui damnātur, aut erant ordinati ad gloriam voluntate generali Diuina, aut non erant? ſi non? ergo non eſt illis pœna, excluſio à gloria; ſiquidem ad eam, nec ex conditione naturæ ſuæ: nec ex beneplacito Diuino ordinati erāt: ſin autem ordinati erant ad gloriam ergo non poterant ab ea excludi, niſi pro ſuo magno demerito accedente. ergo Deus neminem ſtatuit excludere, niſi ob peccatum.

Circa reprobos quint Deus ab æter-

11. Dico quintò. *Deus ab æterno circa reprobos, hos habuit actus*: primùm quòd omnibus

No habeat a ctus. *omnibus hominibus, de mediis neceſſariis prouidit*: ſecundum *quòd habuit voluntatem permittendi, vt nonnulli peccarent; & præter Originale, alia actualia peccata committerent*: tertium, *habuit præſciẽtiam eorum, qui peccaturi erant*: quartum *habuit voluntatem deſerendi eos, in ſuis peccatis*: quintum *habuit actum reprobandi & ordinandi in pœnam æternam atque etiam condemnandi, ob commiſſa peccata*: Hi omnes actus ſunt euidẽtes, & quidam mutuò ſe de neceſſitate ſubſequentes.

Vſus mediorum ad conſequendam ſalutem. *Probatur* DEVS generali ſuâ voluntate diſpoſuit, & ordinauit homines per media illorum naturæ conuenientia, vt, pro libertate ſui arbitrii illa media & auxilia acceptarent, & refutarent. ſed nonnulli ſuâ abutentes libertate, refutãt hæc media permittente Deo. ergo permiſſio præcedit peccatum; poſtea ſequitur peccatum; tandem derelictio in illo, adextremùm damnatio.

Obiectio. 12. *Obijcies* Prædeſtinatio & Reprobatio ſunt ſibi mutuò oppoſita; & oppoſitorum eadem eſt ratio: ſed in prædeſtinatione, hic eſt primus actus, quòd Deus voluit electos ſaluare, ex qua voluntate, poſtea ſecuta eſt ordinatio mediorum & præuiſio meritorum. ergo ante præuiſũ peccatum, hic fuit primus actus, in Deo: *volo reprobos condemnare.* Nam ſicut ille actus Prædeſtinationis, eſt ante præuiſa merita: ita & reprobationis debet eſſe ante præuiſa demerita: *Reſpondetur* negando Conſeq. nam inter Prædeſtinationem & Reprobationẽ, eſt hoc diſcrimẽ: quòd in Prædeſtinatione, Deus eſt cauſa omnium mediorum, & meritorum, per quæ prædeſtinatus conſequitur vitam æternam; proinde neceſſarium fuit, vt Deus poſitiuè, priùs vellet ſaluare homines, quàm ordinaret media; per quæ ſeruata ſaluarẽtur. In Reprobatione verò, non eſt Deus cauſa omnium, quæ ſunt in illa. nam in reprobatione ſunt peccata, ſunt demerita, quorum Deus nõ eſt cauſa; & propterea non fuit neceſſe, vt illos priùs vellet excludere à gloria, quàm præuidiſſet illorum peccata. ſed è contra, priùs vidit illos peccare, proindeque conſtituit eos reprobare. Solutio. Prædeſtinatio & Reprobatio quo differãt?

QVÆSITVM II.

An Reprobatio, ſit actus Intellectus Diuini, an verò voluntatis?

13. QVæſiti huius determinatio, pẽdet ex Quæſ. 2. Diſput. 1. huius noſtri Tract. in quo determinauimus, quòd Prædeſtinatio ſpectat ad actum intellectus Diuini præſuppoſita voluntate; nihilominus tamẽ pro Reſponſione ad Quæſitum

Nota primò de veritate huius Quæſiti, eſſe controuerſiã inter D. Th. & D. Bonau. nam D. Thomas, ſicut tenet, quòd Prædeſtinatio ſimpliciter pertinet ad actum Intellectus: ita conſe- Controuerſia inter D. Th. & D. Bonauenturã.

conſequenter Reprobationem eſſe actus Intellectus, non Voluntatis. D. Bonau. contrarium ſentit: nã vt Prædeſtinationem ad actũ Diuinæ Voluntatis refert: ita & reprobationem: vterque tamen horum SS. DD. concedit, tam actum intellectus, quàm voluntatis ad reprobationem concurrere: ſed in eo diuerſitas; quia S. Angelicus Doctor docet, quòd ſit Eſſentialiter actus Intellectus: Seraphicus autẽ, quòd completiuè conſiſtat in actu volũtatis.

Reprobatio & approbatio cui⁹ reſpectu dicãtur?

14. *Nota ſecundò*: Hoc nomen *Reprobatio*, dicitur reſpectu alicuius obiecti mali, vel falſi; ſicut approbatio dicitur reſpectu boni aut veri: & tã approbare, quàm reprobare, dicitur & de intellectu, & de voluntate. nã voluntas, quando aliquid vult, dicitur illud approbare: quando non vult, dicitur reprobare. Similiter & Intellectus, cùm iudicat de aliqua re, quòd ſit vera aut bona, dicitur illam approbare: quãdo verò è cõtra iudicat, quòd ſit falſa aut mala, dicitur reprobare. Hoc tamen nomẽ *Reprobatio*, tranſlatum eſt ad ſignificandum actum Diuinæ voluntatis, & prouidentiæ, quem habet circa damnandos & non ſolùm eſt in Deo præſcientia peccatorum & prouidentia punitionis illorum, ſed etiam eſt voluntas permittendi, vt cadant in peccatum, & relinquẽdi eos in peccatis, vſq; in finem vitæ; & tandem eos damnandi. Vnde hic actus Diuinus, non accipit nomen à permiſſione, quæ eſt bona, & ordinata ad bonum finem, ſed ab vltimo effectu Prouidentiæ, qui eſt damnatio propter culpam. & proinde dicuntur reprobari, & odio haberi. cur verò dicũtur præſciti; hæc eſt cauſa, quia Deus illorum peccata præſciuit, ratione quorum damnandi ſunt: horum tamen peccatorum Deus, non eſt cauſa.

Voluntatis eſt approbare vel reprobare: Intellectus iudicare.

Reprobatio eſt ab vltimo effectu ſæpe damna-tione, ſuſcepta.

Approbatio & Prædeſtinatio quomodo dicantur partes Prouidẽtiæ Dei.

Nota tertiò: Reprobatio & Prædeſtinatio, appellatur ſæpenumerò pars Prouidentiæ: quòd Dictum ſic velĩ intelligas: *Non ideo eſt* pars, quòd ſit aliquis actus diſtinctus à Diuina Prouidentia: neque etiam, quòd ſit pars ſubiectiua, aut integralis reſpectu Diuinæ ꝓuidẽtiæ; ſed ex parte rerũ præuiſarũ, quòd quædã sũt prædeſtinatæ quędã verò ab eodẽ actu ꝓuidẽtiæ, reꝓbatæ. Proinde idẽ eſt & vnus actus Diuinæ Prouidẽtiæ, qui reſpectu ſaluandorum, dicitur *Prædeſtinatio*, reſpectù damnandorum, *reprobatio*. His ita Præmiſſis antequam ad Quæſitum dixero, priùs *quid eſt Reprobatio* exponam: poſtea, *ad intellectum ne, an ad voluntatem Diuinã pertineat* determinabo?

15. Dico primò. *Voluntas illa generalis, quâ voluit Deus homines per media à quibus tamen poſſent deficere, ad gloriam æternam perducere*: Similiter *& illa voluntas permittendi, vt de facto deficiant, qui velint, propriè & formaliter loquendo, nõ eſt reprobatio; ſed eſt id, quod præſupponitur ad reprobationem.* PROBATVR *primum* quòd illa voluntas generalis perducendi ad gloriam, non ſit reprobatio; quia hæc talis voluntas, admittit ad gloriam: Reprobatio verò arcet, & excludit in gloria; ergo illa voluntas non eſt Reprobatio.

Volũtas perducendi ad gloriam nõ eſt reprobatio.

Probatur ſecundum: quòd voluntas illa generalis permittendi, vt deficiant, qui velint non eſt reprobatio. Nam reprobatio, eſt aliquorum certorum, & determinatorum in particulari hominum. Sed illa generalis voluntas

neq; voluntas permittendi vt deficiant.

voluntas permittendi vt deficiant, nōdum intelligitur determinata ad certos homines in particulari. ergo non eſt Reprobatio. *Præterea* Velle permittere, vt deficiant homines, eſt ita ſe habere cum hominibus, quos ad gloriam ordinauit, ſicut poſtulat ratio Diuinæ prouidentiæ. Sed hoc propriè loquendo non eſt reprobatio; quia non eſt iudicare, quòd homines ſint mali, neq; etiam eſt velle illis malum, ſed eſt ita illis velle bonum ſupernaturale, vt illorum ratio, nimirum libertas arbitrii, poſtulat; & ſecundùm hanc poſſunt media ſibi propoſita admittere, aut abijcere: hoc tamen non eſt adhuc Reprobatio.

Peccatū prouenit ex libero arbitrio humano.

16. *Nota* rationem deficiendi, prouenire ex radice libertatis arbitrii: quæ ſiue ad bonum, ſiue ad malum extendit ſe; vnde, vt hoc priuilegium libertatis non læderetur, ordinauit Deus media, quæ nō cogūt hominem, ſed liberum eſt ei, illa acceptare, vel refutare.

Permiſſio præſupponitur ad reprobationem.

Probatur tertium. quāuis hæc permiſſio, non ſit reprobatio: præſupponitur tamen ad reprobationem, & eſt tanquam fons ac origo Reprobationis. nam ex eo, quòd Deus per talia media, ſtatuerit homines, ad gloriam perducere, ſi pro ſua libertate, à peccatis deficerēt; nihilominus accidit, quòd nonnulli ſua libertate abutentes, peccent, atque deficiant; vnde poſtea Reprobatio ſuccedit.

Nota. quando apud D. Th. legis, *quòd voluntas permittendi ſit Reprobatio.* id ita intellige, non quòd talis permiſſio, ſit propriè Reprobatio; ſed quia neceſſariò præſupponitur ad Reprobationem: patet hoc ex *a. 4. q 23.* vbi dicit: *quòd dilectio, quâ Deus dilexit, & elegit quoſdam ad gloriam, præſupponitur quidē, ad Prædeſtinationem, nō tamē eſt propriè Prædeſtinatio.* ſicut igitur dilectio quorūdā ad gloriā, nō eſt propriè Prædeſtinatiò, ſed ad illā præſupponitur: ita & permiſſio deficiēdi, non eſt propriè Reprobatio, ſed præſupponitur ad Reprobationem.

17. Dico ſecundò. *Præſcientia culpæ, ſeu peccati, quamuis præſupponatur ad Reprobationem, non eſt tamen Reprobatio.* PROBATVR. Præſcientia culpæ, nō eſt prouidentia. ſed Reprobatio eſt prouidentia. ergo Præſcientia culpæ, non eſt Reprobatio. *Maior.* quia Præſcientia ſolummodò extendit ſe ad obiectum cognoſcibile à Deo. *Minor* quia iam diximus in 3. Notādo quomodo ſit pars Prouidentiæ. *Tum quoq;* Præſciētia, eſt quid generaliùs, quàm Reprobatio. nam Præſcientia eſt omnium futurorum contingentium: Reprobatio verò ſolùm eſt damnandorum, Præſcientia peccati non eſt reprobatio.

Dico tertiò. *Reprobatio, addit ad præſcientiam culpæ, ordinationem ad pœnam æternam.* Probatur ita Magiſter *in 3. diſt. 40. cap. 5.* dicit: *Reprobatio, eſt intelligēda præſcientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundē.* In hac deſcriptione ponit *præſcientiā iniquitatis*, vt quid genericum: *præparationē verò damnationis*, vt quid ſpecificum. nam reprobatio ſupra præſcientiam, videlicet propter præſcitum peccatū, ordinationem ad pœnam æternam ſuperaddit. Reprobatio ad præſcientiam culpæ addit pœnā æternam.

18. Dico quartò. *Cùm ad reprobationem, Intellectus Diuinus, & voluntas concurrant: reprobatio principaliter ſpectat, ad intellectum; quia illius eſt ordinare media ad finem, præſuppoſita tamen approbatione voluntatis.* Reprobatio ſpectat ad intellectum principaliter: ſuppoſita tamē approbatione voluntatis.

Nota pro

Nota pro hoc Dicto recurrunt hîc rationes, quæ allatæ ſunt in *q. 2. diſp.* 1. vnde mutato nomine *Prædeſtinationis*, in *Reprobationis* etiam hîc concludunt; & *Probatur*, nam reprobatio ita reſpicit reprobos; ſicut Prædeſtinatio reſpicit prædeſtinatos. ſed Prædeſtinatio eſt ratio ordinans media, per quæ prædeſtinati vitam æternam conſequantur. ergo & Reprobatio erit ratio ordinationis reproborum in finem, à Deo intentum, vt in eis manifeſtetur diuina iuſtitia vindicatiua. *Præterea* quia ſicut Prædeſtinatio eſt pars Prouidentiæ, ita & reprobatio. ſed prouidentia principaliter ad intellectum pertinet. ergo & partes eius, v. Prædeſtinatio & Reprobatio. Cætera videantur in 2. *q.* allegato, vbi etiam ſufficienter ad contraria argumenta D. Bonau. reſpondimus.

Prędeſtinatio & reprobatio ſunt partes Prouidentiæ.

QVÆSITVM III.
Quænam ſit cauſa Reprobationis?

19. Nota. *primò* quòd nos non quærimus hîc de cauſa, quæ ſe habeat in ordine ad actum Diuinum; nam cuilibet manifeſtum, quòd huius actus efficiẽs cauſa, ſit voluntas Diuina: iuxta illud Apoſt. *quem vult indurat*, clarum quoq; eſt, quòd huius actus Reprobationis ſit finalis cauſa, oſtenſio iuſtitiæ vindicatiuæ in reprobis: ſed inquirimus de cauſa meritoria: *an videlicet ex parte reprobi, detur aliquod demeritum præſcitum à Deo, quod in reprobum cadat?* idemque num fuit cauſa, quæ Deum impulit, vt quoſdam reprobaret. & huius Quæſiti, longè maior eſt difficultas, quàm fuit de Prædeſtinatione. nam in Prædeſtinatione, omne illud quod eſt bonum, eſſe effectus Prædeſtinationis dicitur. ſed in Reprobatione eſt aliquid, videlicet peccatum, quod nullo modo eſt effectus Reprobationis; pròinde meritò dubitatur: *an præuiſum peccatum, ſit cauſa, propter quã Deus aliquos reprobet?* De hoc Quæſito primùm ſe offert ſententia examinanda Caluini *l. 3. Inſtit. c. 23.* vbi dicit: *nullam in reprobis dari cauſam reprobationis poſitiuam, ſed totam reſundendam, eſſe in voluntatem Dei: ſicut & Prædeſtinatio, tota tribuitur eidem voluntati Diuinæ.* Idem dicit: *ante præuiſum mortale peccatum finale, deſtinâſſe Deum, ab æterno reprobos, ad pœnam æternam.* Tum poſtea eo impietatis deuenit, vt affirmaret: *Deum eſſe auctorem illius peccati, propter quod reprobat improbos.* ad remouendam hanc opinionem.

Cauſa efficiens & finalis reprobationis quænam?

Sententia Caluini qui dicit ex parte hominis non eſſe cauſam reprobationis.

2. Deum ante peccatũ præuiſum quoſdam reprobâſſe.

3. Peccati Deũ authorem eſſe.

20. Dico. *Hæreſis eſt impia, & ſummæ impietatis, affirmare, ſ. quòd ex parte reprobi nulla ſit cauſa reprobationis, ſed tota referri debeat in Voluntatem Diuinam.* PROBATVR locis Scripturæ Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* & 2. Petri 3. *patienter agit nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* tum Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt, mors impij dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* Ex his locis eſt

Refutatio illius.

Ratio prima

Ratio 1. Deus non fecit mortẽ, Deus non lætatur in perditione, Deus nõ vult mortem peccatorum; ſed cùm dicit Caluin. & cum eo Buccerus, quòd ante præuiſum peccatum finale mortale, Deus reprobos deſtinat, ad pœnas inferni. ergo dicere debemus, quòd Deus mortem fecit, quòd vult mortem peccatoris, quæ fit per peccatum; & quòd lætatur in perditione. atqui hæc eſt exſecranda blaſphemia. ergo & hæc eſt quoq; talis omnino, quòd Deus aliquos reprobet ſine reſpectu ad peccatum.

Prædeſtinatio præſupponit merita: reprobatio peccatũ. *Ratio 2.* Retributio vitæ æternæ, ſaltim in exſecutione, præſupponit merita; ergo & damnatio, præſupponit ex parte reprobi peccatum, propter quod damnatur. fundatur hæc ratio in loco Scripturæ. *& qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.*

Omnis actio diuina cõiuncta eſt cũ miſericordia & iuſtitia. *Ratio 3.* Omnis actio Diuina, coniuncta eſt cum miſericordia, & iuſtitia, Pſal. 54. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi* ſed hæc actio, ſi Deus ſecundùm Calu. reprobaret ad pœnas æternas, ante vllam culpam præuiſam, non haberet miſericordiam, nec iuſtitiam. ergo talis actio non eſt tribuenda Deo.

Deus peccatoribus exprobrat peccata. *Ratio 4.* Deus peccatoribus exprobrat illorum peccata, vt Matth: 15. *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* & in Pſal. 94. *Filij hominum vſquequo graui corde.* ſed ſi Deus (vt dicit Caluin.) peccati eſt cauſa, ſibi ipſi potiùs exprobraret hoc, quàm peccatori, quod dicere de Deo eſt impium.

Obiectio Caluini. 21. *Obijcies* cum Calu. ad Rom 9. quando loquitur de Prædeſtinatione D. Pau. electorum, & reprobatione reproborum, loquitur ſine vlla dependentia à meritis aut à demeritis: dicit enim, *cùm nondum nati eſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent, Iacob dilexi, & Eſau odio habui*: & *non eſt volentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei, & cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* RESPONDETVR hæc particula *Eſau odio habui*: non ſignificat actum odij, qui ſit dilectioni Dei contrarius; quælibet enim creatura cenſetur eſſe bona, antequam in ea detur peccatum, 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*, id autẽ quod eſt bonum non poteſt Deus odio habere; ſed cùm in Eſau non fuerit peccatum, non potuit illum Deus odio habere; quocirca hæc particula *odio habui*, ſumenda eſt comparatiuè, vt ſit ſenſus, *non ita Eſau dilexi, ſicut dilexi Iacob* Colligitur ex locis Script. Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* verbum *odit*, non ſignificat actum odij, qui ſit contrarius dilectioni; ſiquidem Deus præcipit Patrem diligere; vnde ſenſus erit, qui non diligit minus Patrem quàm me, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Idem innuunt illa verba: *qui odit animam ſuam in hoc mundo*, hoc eſt, qui minus diligit animam ſuam, quàm Deum, cuſtodit eam in vitam æternam; proinde hic locus non fauet Calu. Ad verba verò *non eſt volentis*, &c dico ſolùm probare, Deum eſſe cauſam principalem efficientem cõuerſionis, non autem eſſe totalem. nam de fide eſt, vnum quemque hominem debere cooperari ad ſuam vocationem, & iuſtificationem, vt definitur in Con. Trid. Seſſ. 6. c. 4.

Solutio eius.

Odio habuî quomodo ſumendum?

Vnusquisq; debet cooperari ad ſuã vocationẽ

Ad illud quoque *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* dico quòd

 Deus

Quod aliquis hominum indureſcat in malitia, non eſt ex Deo effectiuè ſed permiſſiuè.

Deus, qui eſt ſummè bonus, nullam malitiam infundit in cor hominis, per quam indureſcat; & proinde quoad indurationem, non habet ſe effectiuè, ſed permiſſiuè. Et quando dicitur Deus indurare, hoc ita intellige, quia non confert gratiam efficacem, ſed tantùm ſufficientem. permittit enim creaturas rationales operari conformiter ad naturā ſuā; & quia natura hominis eſt libera, etiā illi eſt liberū, ſiue ad bonū, ſiue ad malum operandum ſe conferre.

Doctorum opinio 1.

22. Sed omiſſis Hæreticis ad Doctorum Opiniones tranſeo. *Prima eſt Ambroſij Catherini*, quam habet in tribus libris de Prædeſtinatione, vbi negat aliquos eſſe ab æterno deſtinatos ad gehennam, priuſquam ipſi de facto, hoc eſt, per peccata in tēpore commiſſa, dignos ſe odio feciſſent. ſed hæc opinio apertæ falſitatis conuincitur, per illa verba, *Eſau odio habui, Iacob dilexi*, priuſquā quicquam boni, aut mali egiſſent. & daretur in Deo quædam mutatio. nam ei aliquid ex tempore accideret, ſ: propter peccata commiſſa, odium. atqui hoc falſum. ergo Deus ab æterno odio habuit reprobos.

Opinio 2.

23. *Secunda Origenis.* hic cauſam Reprobationis in reprobis, ſtatuit peccatum originale, à Deo præuiſum, quo tota natura humana, in primo parente eſt infecta. omnes enim nos in Adam peccauimus, & meruimus iram Dei, & pœnam æternam. Hanc ſententiam D. Aug. ſuſcepit defendendam, vbicunq; agit de Reprobatione: nā explicans verba illa *Iacob dilexi* &c. ſic inquit: *quid enim diligebat in Iacob, antequam natus fuißet, aut feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau, antequam fecißet aliquid mali niſi originale peccatū?* Tum multi Thomiſtæ, (vt refert Aluarez) ſecuti ſunt, conuicti auct. D. Aug. videnturque tria dicere: *primum* Peccatum originale eſſe cauſam generalem Reprobationis. Deus enim ab æterno præuidit, totam maſſam naturæ humanæ inficiendam, propter peccatum primi parentis *ſecundum*, quòd pro ſua miſericordi liberalitate, quoſdam elegit ex hac maſſa perditionis, & prædeſtinauit, vt in illis oſtenderet abundantes diuitias miſericordiæ ſuæ: quoſdam verò, iuſtè reliquit in eadem maſſa perditionis, & per talem diſcretionem, ſeu electionem nemini fit iniuria. quēadmodum enim, ſi duo facinoroſi propter idem facinus commiſſum, in carcere detinerentur; tunc ſi rex ingreſſus, vni pro miſericordia ſua condonaret culpam, & ex morte eū eriperet: alium autem relinqueret, vt propter delictum ſupplicio afficeretur; iam ſic in vno iuſtitia Regis, in alio miſericordia manifeſtaretur; & cùm hoc liberum ſit Regi facere, iniuſtum non debet dici: *tertium* peccata actualia præuiſa, non eſſe cauſam Reprobationis, quod D. Aug. ex illis verbis deducit: *antequam nati fuißent, aut aliquid boni egißent.* ergo ſicut Prædeſtinatio, ante præuiſa merita facta: ita reprobatio abſq; præuiſis actualibus peccatis, quæ quis commiſit, ſimiliter facta eſt. *Confirmatur.* Eſau reprobatio, eſt exēplar cæterorum reproborum. ergo quæ eſt ratio reprobationis Eſau, illa etiam eſt reliquorum reproborū, ſed reprobatio Eſau, non fuit propter propria, & actualia ſua demerita. ergo & reliqui reprobi, non propter

pter

pter actualia peccata ſunt reprobati.

Opinio 3.

24. *Tertia opinio tribuitur Dom. Soto,* qui in Comment. ſuper c. 9 ad Rō. Cauſā Reprobationis aſſignat quidem ex parte noſtra, ſed non eandē in omnibus. nam in paruulis, qui ſine Baptiſmo decedunt, ſtatuebat Originale peccatum præuiſum: in adultis verò baptizatis, & in Angelis, peccatum mortale actuale affirmabat: in infidelibus quoque, qui cum peccato originali, & actualibus decedunt, tam originale, quàm actuale peccatum, dicebat eſſe Cauſam Reprobationis.

Opinio 4.

Reprobatio nis ex parte noſtra, eſt cauſa peccatum.

Permiſſionis v. eſt voluntas ipſa diuina.

Quarta opinio aſſerit, quòd Reprobationis, quantùm ad vltimū illius effectum, v. quoad pœnam æternam detur cauſa, ex parte noſtri, ſ: peccatum: quantùm verò ad primum effectum Reprobationis, qui eſt permiſſio peccati, propter quod damnatur reprobus, nulla datur cauſa ex parte reproborum; ſed illius permiſſionis, eſt cauſa mera voluntas Diuina. Hanc ſententiam tuentur doctiſſimi Thomiſtæ: Bannes, Cumel, Didacus, Aluarez in ſuis Diſpu. de Auxilijs. pro intelligentia difficultatis.

Prædeſtinatio eſt vltimi effectus ſ: vitæ æternæ cauſa. Reprobatio verò pœnæ æternæ.

25. *Nota primò* Ex multis locis D. Th. manifeſtum eſt, quòd Prædeſtinatio, aliter ſe habet ad prædeſtinatos, aliter quoq; reprobatio ad reprobos: nam Prædeſtinatio, non ſolùm eſt cauſa vltimi ſui effectus, ſ: vitæ æternæ, ſed etiam omnium mediorum, quæ ordinantur, ad cōſecutionem eiuſdē finis vltimi; ſiue per modum meriti, ſiue per modum cauſæ materialis: ſicut accidit in diſpoſitionibus, quæ antecedunt infuſionem gratiæ: Reprobatio verò quāuis ſit cauſa vltimi ſui effectus; qui eſt pœna æterna: tamen non eſt cauſa mediorum, per quæ reprobus meretur damnationem. nam nō eſt cauſa peccati.

Nota ſecundò. Ordo in Reprobatione, & quantùm ad effectum, & quantùm ad ea, quæ ſupponuntur ad cōſecutionem vltimi finis, ſ: damnationis, eſt talis: *primò* eſt permiſſio peccati: nullum enim peccatum fieri poteſt, niſi Deo permittente, vt docet D. Aug. *in Ench. ad Laurent. c 95. & 96.* vbi dicit: *Nihil fit, niſi omnipotens fieri velit, vel ipſe faciendo, vel ſinendo, vt fiat*: *ſecundò* permiſſionem, ſequitur peccatum: *tertiò* permanentia in peccato: *quartò* derelictio, quæ fit iuſto Dei iudicio: *quintò* eſt pœna æterna, ſiue ſit ſenſus, ſiue damni. — Reprobatio nis ordo.

Nota tertiò. Senſus Quæſiti præsētis, duplex eſſe poteſt: *primus* abſolutè, & in communi: *An v. quòd aliqui reprobentur, habeant cauſam reprobationis, ex parte ſui? ſecundus* in particulari, & comparatiuè, vt ſit ſenſus: *an datur cauſa ex parte reproborum, propter quam iſti potius, quàm illi ſint reprobati.* Pro determinatione.

26. Dico primò. *Peccatum originale, non eſt cauſa totalis, & adæquata, reproborū omnium.* PROBATVR Matt. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*: cauſam reddit, *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare.* & Luc. 16. *mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* Hi omnes reprobantur, & quidem propter actualia peccata. ergo non propter originale. — Originale peccatum non eſt cauſa adæquata reprobationis.

Probatur ſecundò. Deus propter peccatum, quod eſt ab illo remiſſum, neminem punit, nec odio habet. ſed peccatum originale, per ſuſceptionem Ba- — Deus propter peccatum remiſſum neminē punit.

nem Baptiſmi remittitur: horum autem plurimi, quibus remiſſio facta eſt originalis peccati, reprobantur. ergo Originale non eſt Cauſa Reprobationis.

Solutio quorundam. *Reſpondent* fautores ſententiæ D. Aug. Peccatum Originale, per Baptiſmum abolitum poſſe redire; non quidem ſecundùm ſe, ſed ſecundùm quandam ingratitudinem, quæ eſt contra miſericordiam, in Baptiſmo acceptam.

Confirmatur. Sicut enim peccata actualia per pœnitentiam dimiſſa, redeunt per peccatum ſubſequens commiſſum, ſecundùm quandam ingratitudinem: ita propter ingratitudinem, quæ eſt in actuali peccato commiſſo, redit peccatum originale; proinde erit Cauſa Reprobationis.

Contra inſtantia. 27. *Dico contra* hoc non concordare cum doctrina D. Aug. nam hæc ingratitudo eſſet ſpeciale peccatū, & ad actuale pertineret. ſed D. Aug. omnino negat peccatum Actuale, eſſe Cauſam Reprobationis. ergo *Confirmatur.* ſi infans modò baptizatus, raperetur à Paganis, & in eo loco conſtituatur, in quo nō poſſit notitiam habere, ſe eſſe baptizatum, & ſi hic poſtea multa Actualia peccata committeret, hic damnaretur, & illius damnationis, nō eſſet Cauſa peccatum Originale, rediens per ingratitudinem; quia ingratitudo eſt cōtra beneficium acceptum. ſed hic ignorat ſe accepiſſe beneficium Baptiſmi. ergo Originale rediens ob ingratitudinem non eſſet Cauſa illius damnationis

Solutio rurſum. *Reſpondent* quidam ſic: quamuis Originale, & quoad culpam, & quoad pœnam æternam, ſit dimiſſum: manet tamen, quoad ſuos effectus, v. quoad fomitem peccati, & quoad calamitates, ac mortem temporalē; & hinc eſt, quòd homines in peccata incidunt: quia illos Deus relinquit, in auxilijs ſufficientibus ſuæ gratiæ, abſq; auxilio efficaci; & ideo peccant ac damnantur.

28. *Contra inſto primò.* Nullus punitur pœna ſpirituali, propter peccatum iam dimiſſum. ſed ſubtractio auxilij efficacis gratiæ, eſt magna pœna ſpiritualis. nam ex hoc infalibiliter ſequuntur peccata; & per conſequens damnatio hominis. Contra inſtantia. Subtractio auxilij efficacis gratiæ eſt pœna ſpiritualis.

Inſto ſecundò, quod eſt Cauſa Reprobationis, illud etiam debet eſſe cauſa omnium effectuum illius, ſicut iam dictum eſt de Prædeſtinationis Cauſa: quòd opera procedentia ex gratia, ſimpliciter non ſunt Cauſa Prædeſtinationis; quia non ſunt Cauſa omnium effectuum illius. v. vocationis primæ. ſed peccatum Originale dimiſſum, non eſt cauſa omnium effectuum Reprobationis; quia non eſt cauſa inflictionis pœnæ æternæ: ideo verò non eſt; quia iam eſt dimiſſum. Originale peccatū nō eſt cauſa inflictionis pœnæ æternæ.

29. Hanc ſententiam D. Aug. nōnulli auctores excuſant, & illam tripliciter interpretantur: *primò* quòd quando ſtatuit, peccatum Originale eſſe Cauſam Reprobationis, loquitur de Reprobatione poſitiua paruulorum; non autem de Reprobatione adultorum, vt *l. 6. Hypogn* ſtatuit diſcrimen inter cauſam Reprobationis paruulorum, & adultorum: tum in *l. de Bapt. contra Donat.* dicit: *Peccatum originale, remitti in paruulis per ſuſceptionem Baptiſmi.* ſed cauſa reprobationis, nunquam à reprobis tollitur. ergo originale, non poteſt eſſe vni- 1. Interpretatio ſententiæ D. Aug.

ſe vniuerſaliter Cauſa, totius Reprobationis.

2. Interpretatio

Secundò, quòd in locis, in quibus ſtatuit, peccatum originale eſſe Cauſam Reprobationis, loquitur de cauſa remota, non autem proxima. nam reprobationis paruulorum, qui ſine Baptiſmo moriũtur, poteſt eſſe cauſa proxima. ſed adultorum baptizatorum, ſolùm erit remota; ſiquidẽ peccatũ Originale, quamuis quoad culpam, & quoad reatum pœnæ ſit dimiſſum: manet nihilominus, quoad fomitem in omnibus baptizatis, per quem inducuntur ad peccata Actualia, quæ ſunt cauſa reprobationis.

3. Interpretatio.

Tertiò interpretantur, quòd D. Aug. in his locis, in quibus aſſignat peccatum Originale eſſe Cauſam Reprobationis, hoc vnum intendebat, vt Pelagianorum dogma, aſſerentium bona opera præuiſa, eſſe causã Prædeſtinationis confutaret. Si igitur diceret hic Doctor: Præſcientiam malorum operũ eſſe Cauſam Reprobationis, ſtatim poterant inferre, quòd ſicut in Eſau mala opera præuiſa, sũt Cauſa Reprobationis. ergo in Iacob præuiſa bona opera, ſunt Cauſa Prædeſtinationis. nam oppoſitorum eadem eſt ratio. quanquam hæc Cõſequentia, (mala opera præuiſa in Eſau, ſunt illius cauſa reprobationis. ergo bona opera præuiſa in Iacob, ſunt cauſa Prædeſtinationis,) non valet nec concludit; quia bona opera ſunt effectus Prædeſtinationis. ſed mala opera, non ſunt effectus reprobationis; vnde peccata dici poſſunt Cauſa Reprobationis: bona autem opera, eſſe causa Prædeſtinationis, nequaquam. Et ſic ſententia D. Auguſt. ſecundùm aliquem modum horum trium exponenda eſt.

30. Dico ſecundò. *Reprobatio comparatiuè ſumpta in paruulis, qui ſine baptiſmo decedunt, cum ſolo peccato originali, nullam habet cauſam ex parte illorum, ſi conſiderentur in particulari, & comparatiuè quoad alios, cur ſ: hi cum peccato originali mortui ſunt, & reprobati, alij verò non?* Probatur hic ex *a 3.* vbi ĩic inquit *cùm Deus homines, qui in iiſdem peccatis detinentur, hos quidem præueniens conuertit: illos verò ſuſtineat, ſiue permittat, ſecundùm ordinem rerum procedere, non eſt ratio, loquendo quare hos conuertat & non illos; hoc enim, ex ſimplici eius voluntate procedit, ac dependet: ſicut ex ſimplici eius voluntate proceſſit, quòd, cùm omnia ex nihilo faceret, quædam fecit aliis digniora quædam verò abiectiora. Sicut & ex ſimplici voluntate pendet artificis, qui ex eadem materia ſimiliter diſpoſita, quædam vaſa format ad nobiles vſus, quædam ad ignobiles.* Sed omnes paruuli, quoad peccatum Originale, ſunt ſibi æquales, omnes enim propter illud, naſcuntur filii iræ. ergo ex parte illorum, non poteſt aſſignari cauſa, cur hi cum originali decedunt: illi verò minimè? ergo, quòd hos & nõ illos, ex maſſa perditionis extraxerit, id totum pendet ex ſimplici Dei voluntate.

Quòd quidam paruuli ſaluentur: quidam reprobentur non eſt ex illis.

31. Dico tertiò. *Etiam reprobatio adultorum ſumpta comparatiuè, quoad alios, nullam habet ex parte hominis cauſam: hoc eſt, ſi reprobus conſideretur in ordine ad alterum, v. prædeſtinatum, vt Eſau & Iacob qui ambo erant, in peccato originali, quare potius Eſau reprobauerit, & Iacob dilexerit? huius rei, ex parte illorum, nulla cauſa dari poteſt, ſed totum, referendum eſt ad ſimplicem voluntatem Diuinam.* PROBATVR. Si enim ex

Adulti etiã quod quidã prædeſtinentur quidam non, non eſt ex illis ſed ex voluntate Dei.

parte

parte reprobi eſſet Cauſa, non alia fuiſſet, niſi peccata: ergo loquendo more noſtro, qui grauiora peccata committunt, hi maximè reprobandi eſſent: qui verò minora, hi eſſent prædeſtinandi. atqui contrarium docet Euangelium & Eccleſ. Hiſtoria, quòd grauiſſimi peccatores, ſũt prædeſtinati, vt D. Paulus, qui erat ſpirans minarum & cædis, in Chriſti fideles: Maria Magdalena, ex qua Chriſtus ſeptem dæmonia eiecit: Maria Ægyptiaca, quæ peccato luxuriæ commaculata fuit: alii verò, qui in minoribus peccatis erant, ſũt condemnati; quare igitur hos prædeſtinauerit, & illos reprobauerit, huius Diuini actus, non eſt attendenda cauſa ex parte hominis; ſiquidẽ hoc totũ pendet, ex Diuina volũtate. Vnde D. Paulus ad Rom. 9. dicit: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo: nunquid dicet figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* Et ad Eph. 1. *Qui operatur omnia, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ:* ſi omnia ergo & opus Reprobationis, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.

Peccatores maximi ſaluati.

Reprobationis ſumptæ ſimpliciter nulla poteſt dari cauſa ex parte reprobi.

32. Dico quartò. *Sicut Prædeſtinationis, ſumptæ ſimpliciter & abſolutè, nulla poteſt dari cauſa, ex parte Prædeſtinati: ita quoque Reprobationis, ſumptæ ſimpliciter nulla ex parte reprobi.* PROBATVR. Hæc eſt mens S. Doctoris, qui in *a. 3. in Corpore*: ſic inquit: *Sicut Prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita Reprobatio includit voluntatem permittendi, aliquem cadere in culpam, & ferendi damnationis pœnam pro culpa.* Idem non obſcurè docet Caiet. cùm dicit: *Reprobationem eſſe Præſcientiam, cum voluntate permittendi culpam, & damnandi pro culpa.* & *Ratio eſt.* Permiſſio primi pecca ti, propter quod reprobus damnatur, eſt effectus reprobationis. ſed huius permiſſionis ex parte reprobi nulla poteſt dari cauſa; ſi enim daretur, hoc eſſet peccatum: ſi ſic, ergo ſequeretur, quòd permiſſionem antecederet peccatum; atque ſic aliquod peccatum nõ permittẽte Deo committeretur, quod eſt falſum, ex D. Aug. (vt iam notauimus:) Sequeretur etiam hoc primum peccatum, quod eſt ex permiſſione prima, antecedere aliud, quòd primum dici deberet: quod etiam falſum; quia primo non dicitur prius.

33. *Probatur ſecundò.* D. Th. *in 3. a. hic ad 1* dicit: *In quantum igitur De⁹ quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos odio habere, vel reprobare:* ſed hoc ipſũ, quòd aliquib⁹ non vult Deus hoc bonum, quod eſt vita æterna, totum pendet ex ſimplici voluntate Diuina. Nam in gratuitis, poteſt quilibet pro arbitrio ſuo, abſque vlla cauſa, huic dare aliquid & alteri non dare. Idem D. Th. in *q. 23. hîc* docet: Prædeſtinationis & Reprobationis nullam poſſe dari Cauſam, niſi ſolam Voluntatem Diuinã verba illius: *Quare hos eligat ad gloriã, & illos reprobet, non habet rationem, niſi Diuinã Voluntatem.* Nec valet ſi dicas, in his locis, non loqui D. Th. de Abſoluta Prædeſtinatione & Reprobatione: ſed de Comparatiua, non valet (inquam;) quia Diui Thom. quando loquitur de cauſa Prædeſtinationis & Reprobationis, ſemper eodem modo loquitur: ſed ſecundùm D. Th. non ſolùm Prædeſtinationis comparatiuæ, ſed etiam abſolutæ nulla datur cauſa, præter voluntatem Diuinam. ergo nec reprobationis dabitur. Et, quòd illius hæc mens fue.

Tam prædeſtinationis abſolutæ quàm comparatiuæ eſt cauſa voluntas Dei.

mens fuerit, colligo ex illius duobus locis comparando illa inter ſe: *q. 6. de veritate. a. 2. ad 9.* vbi aſſignat cauſam Reprobationis duplicem: *Primam;* cum D. Aug. quòd ſit Peccatum Originale: *ſecundam* quòd ſit Voluntas Diuina, quæ rationabiliter poteſt velle, aut denegare aliquid alicui, quod illi non debetur. Tandem *in 1. p. q. 23. a. 3.* vbi ex profeſſo inquirendo cauſam Reprobationis, primam ſubiicet, v. Peccatum Originale: ſecũdam verò ſtatuit, quòd ſit Voluntas Diuina. ergo illius ſẽtentia eſt, quòd Reprobationis ſumptæ cum omnibus effectibus, non eſt cauſa peccatum Originale, ſed Voluntas Diuina.

In electione Deus abſoluta aut reꝓbatione nó reſpicit ad merita aut demerita.

34. *Probatur tertiò.* Verbis Apoſtoli ad Rom. 9. *Cùm nondum nati eſſent.* &c. ex quo loco colligo ex doctrina D. Aug. & D Th. toties allegata: quòd in electione & reprobatione abſoluta, non reſpexit Deus ad merita, aut demerita præuiſa; ſed pro beneplacito volũtatis ſuæ, hos prædeſtinauit, illos reprobauit.

Qvidam (vt Barthol. Camerarius Ioan à Bononia, hunc locum D. Pauli interpretantur, non de Prædeſtinatione, nec de Reprobatione, ſed de beneficiis partim corporalibus, partim ſpiritualibus. Ideo enĩ dilexit Iacob; quia ex illius poſteritate, debuit Chriſtus naſci; ꝓindeq; & ſũmis beneficiis eũ, ac illi⁹ poſteros ditauit, nõ ex operib⁹ ſed ex beneplacito ſuo. Verùm iſtorũ authorũ non eſt tãti faciẽda interpretatio vt à communi SS. PP. expoſitione recedere debeamus, qui cũ D. Aug. vnanimiter docent: quòd loquatur Apoſtolus de Prædeſtinatione & Reprobatione, in ordine ad finem ſupernaturalem. & hoc ita eſſe colligitur ex textu D. Pauli: *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat:* Hæc verba accipienda per oppoſitum; ſed induratio pertinet ad Reprobationem: ergo miſericordia ad Prædeſtinationem. Tandem per *vaſa iræ apta ad interitum,* quid aliud intelligere? debem⁹ niſi reꝓbos: ſicut p *vaſa miſericordiæ,* in quibus oſtendit diuitias gloriæ ſuæ, intelligimus prædeſtinatos.

Peccatũ ſiue actuale, ſiue originale quoad effectus nõ eſt cauſa adæquata reꝓbationis ſed quoad ipſũ peccatum.

35. Dico quintò. *Quamuis peccatũ, ſiue ſit Originale, ſiue Actuale, non ſit Cauſa neceſſaria, adæquata, & totalis Reprobationis, ſumptæ, quoad omnes effectus, (vt iam probatum) nihilominus, quoad ipſum peccatum eſt cauſa reprobationis, ſumptæ pro vltimo effectu, hoc eſt, quoad pœnam æternam; & propterea dicimus, quòd Deus non ſolùm in exſecutione, ſed etiam in intentione efficaci, non habuit voluntatem puniẽdi aliquem pœnâ æternâ, niſi propter peccatum præuiſum.* Hoc Dictum ab omnibus recipitur, & per rationem naturalem eſt notum. nam non decet diuinam bonitatem, condemnare creaturam & punire in igne æterno, ſine aliquo illius demerito. voluntas enim puniendi reprobos in æternum, ſpectat ad iuſtitiam vindicatiuam; atqui hæc neceſſitas præſupponit culpam. nam Deus non eſt vindex, niſi peccatorum. Tum patet ex locis Scripturæ Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael.* ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum:* cauſam reddit huius funeſtæ miſſionis; *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare:* ergo peccata ex parte reproborum, ſunt Cauſa Reprobationis, ſumptæ pro igne æterno.

Nota quòd SS. PP. & quicunque

 aſſerunt

aſſerũt dari ex parte noſtra, cauſam Reprobationis, intelligendi ſunt de Reprobatione ſumpta pro vltimo effectu, qui eſt damnatio, ſeu ignis æternus.

Obiectio.

36. *Obijcies* Deus ante præuiſa merita, habuit voluntatem efficacẽ, conferendi electis gloriam (vt iam in ſuperioribus oſtenſum eſt) ergo etiam, ante præuiſum demeritum reproborum, habuit efficacem voluntatem, puniendi quoſdam igne æterno, ad oſtenſionem Iuſtitiæ vĩdicatiuæ.

Solutio.

Reſpondetur negando Conſequentiam. Cùm ſit diſparitas nam pœna æterna, & inflictio illius non poteſt habere rationem doni gratuiti, ſed ſpectat ad iuſtitiam vindicatiuam, quæ præſupponit culpam; iam autem intentio dandi gloriam electis, eſt donum Dei gratuitum; & proinde in ſigno rationis, præcedit præſcientia meritorum. Vnde S. Scriptura gloriam, non tantùm appellat coronam Iuſtitiæ, ſed etiam gratiam; quia non tam noſtra merita, quàm ſuam gratiam, in nobis Deus coronat.

Reprobationis cauſa præter voluntatem Diuinam datur oſtenſio miſericordiæ & manifeſtatio iuſtitiæ vindicatiuæ.

37. *Quæres* An ſimpliciter præter Voluntatem Diuinam, poſſit dari aliqua Cauſa Reprobationis? *Reſpondetur* ſufficiẽs Cauſa Reprobationis, ex parte Dei, eſt oſtenſio miſericordiæ in electis: & manifeſtatio Iuſtitiæ vindicatiuæ in reprobis. Colligitur hoc ex cap. 9. ad Rom. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet miſericordiæ ſuæ diuitias, in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriã.* ergo ſecundùm doctrinam, D. Pauli cauſa Reprobationis, ex parte Dei, eſt manifeſtatio vindicatiuæ Iuſtitiæ in reprobis: in prædeſtinatis verò, oſtenſio miſericordiæ, & gloriæ, Tũ Exod. 9. dicit Deus de Pharaone: *in hoc ipſum excitaui te, vt oſtenderem virtutem meam in te.*

Omnipotentiam, ſapientiam, bonitatem, prouidentiam, & iuſtitiam vindicatiuã quomodo Deus manifeſtet.

Nota. Deus in operibus ad extra, non intendit aliquam perfectionẽ acquirere, ſed potius ſuam illis vult communicare, vt per hanc communicationem manifeſtare poſſit ſuã Omnipotentiam, quam oſtẽdit creando Vniuerſum ex nihilo: Sapientiam, dando rebus á ſe productis diſtinctionem: Bonitatem, in ornatu vniuerſi: Prouidentiam deniq;, cùm de omnibus creaturis curam gerit. Et ſic Deus inuiſibilis, videtur in creaturis, in illis ſuas perfectiones declarando. In reprobis ad extremũ Iuſtitiam vindicatiuam, voluit manifeſtare, vt ſentit D. Th *in 1. p. q. 23.* vbi dicit: *hæc eſt ratio, quare quoſdã elegit & quoſdã reꝓbauit, vt repræſentaretur bonitas eius, in electis per modum miſericordiæ, parcendo: & in reprobis per modum iuſtitiæ puniendo.* Idem docet Caietanus in quadam reſponſione, ad Confirmationem Aureoli, vbi dicit: *reprobatio quantum ad permiſſionem demeriti, etiamſi nulla alia fuiſſet cauſa, niſi relucentia Diuinæ Iuſtitiæ, mala non eſſet.*

38. *Nota ſecundò.* Oſtenſio Diuinæ Iuſtitiæ, eſt finis vniuerſaliſſimus permiſſionis peccati; & qui ſub ſe continet alios particulares fines, vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum, hoc eſt; non ideo Deus opera ad extra produxit, vt acquirat ex illis perfectionem, ſed vt in eis eandem manifeſtet. Et hoc ſequentia verba explicant. Im-

cant: *impium quoque ad diem malum.* hoc eſt, Deus creauit hominem rectum, qui per peccatum ſeipſum fecit impium, vt in die malo, ſ. in die Iudicii, in punitione illius, oſtendat Deus ſuam vindicatiuam Iuſtitiam.

Obiectio. *Obijcies.* Si Deus ideo permittit peccata, vt illa punire poſſit, & vt in punitione manifeſtet ſuam vindicatiuam iuſtitiam; profectò repugnat hoc clemētiæ, & miſericordiæ Dei. *Antecedens.* Nam Princeps eſſet omnino vituperabilis, immo & crudelis, qui cùm poſſit impedire peccata, non impedit; ob eam ſolùm cauſam, vt oſtendat ſuā vindicatiuam iuſtitiam. *Reſpondetur cum Caietano.* Deus non eo fine peccata permittit vt illa puniat; ſed permittit, & punit peccatum, vt iuſtitia eius reſplendeat. nam permiſſio, & punitio, nō poſſunt habere rationem finis: cùm is ſit quoddam bonum, & appetibile: hæc verò non habent ex ſe, quòd poſſint eſſe appetibilia, niſi ſecundùm habitudinem, & ordinem quem habent, vt gloria Dei, & illius vindicatiua iuſtitia oſtendatur.

Solutio illius.

Deus permittit peccata non vt puniat, ſed vt iuſtitia eius reſplendeat

39. Ad *ſimilitudinem dico*: quòd Princeps terrenus, non eſt eiuſdem rationis, quoad Rempublicam, ſicut Deus eſt reſpectu Vniuerſi. nam ad Deum, tanquam ad finem optatiſſimum, omnes creaturæ ordinātur ad gloriam eius manifeſtandā; ſed Reſpublica non ordinatur per ſe ad Principem, neque ad manifeſtandam illius gloriam, tanquam ad finem; ſed potius Princeps ad Rempublicam ordinatur.

Creaturæ ordinantur ad Deū vt manifeſtēt gloriam eius.

Qvoad *permiſſionē peccatorū dico.* quòd Princeps, cùm ſit particularis Gubernator ſuæ Reipublicæ, tenetur illius peccata impedire: Deus autem eſt Gubernator vniuerſalis; & ideo illius prouidentiam concernit, vt quædam mala particularia permittat, & ex his maiora bona educat: ſicut permiſit Adam peccare, & ex hoc res ſummè bona, v. Incarnatio Verbi ꝓmanauit; quia *propter nos homines & ꝓpter noſtram ſalutem deſcēdit de cælo. Tum* quandoque prudens Princeps, debet diſſimulare minora peccata, ne maiora eueniant.

Minora diſſimulantur ne eueniant maiora.

Obijcies non eſſe facienda mala vt eueniant bona. *Reſpondetur* cum D. Thoma, ex quæſt. *de veritate 6. a. 4. ad 10.* interdum permittenda eſſe mala, non ſolùm vt inde eueniant bona, ſed ne maiora mala ſubſequātur. ſic in ciuitatibus tolerantur infames mulieres, vt maiora peccata euitētur, hoc eſt ne pudicitia ingēuarū oppugnetur, atq; etiā expugnetur.

QVÆSITVM IV.

An reprobi deſtituantur Auxiliis neceſſariis?

40. SEnſus Quæſiti: cū Deus (vt iam toties deductū eſt) etiam poſt præuiſum peccatum Originale habuerit quandam generalem Voluntatem, ſaluandi omnes homines, videtur eſſe conſequens, quòd etiam omnibꝰ hominibus, prouidit de mediis, &

diis, & auxiliis neceſſariis, conſequendi ſalutem: & cùm reprobi in hoc numero hominum habeantur, ideo proponimus: *An Deus etiam reprobis, prouidit de mediis, & de auxiliis ad ſalutem neceßariis?*

De hac difficultate, quorundam Hæreticorum, & Catholicorum, fuit hæc opinio, quòd, reprobus, poſt multa cõmiſſa peccata, poteſt peruenire ad eum ſtatum, vt iam non poſſit ſemetipſum attollere, & ad Deum conuertere, vt conſequatur ſalutem: modo tamen diuerſo, ſunt locuti.

Nã Hæretici dicũt, quòd ſũt quædam peccata, in quæ, cùm reprobus inciderit, iam non poteſt à Deo remiſſionem habere, licet de his pœnitentiam agat. Hunc errorem tribuit D. Hier. in Epiſt. ad Marcellũ, Moneritano. aſſirmabat enim illis veniam non eſſe concedendam, qui poſt Baptiſmum ſemel peccaſſent. Nouatus quoque dicebat, quòd hi, qui à fide defeciſſent, non poſſunt ampliùs veniam obtinere; Similiter Armacanus, *lib 9. de err. Armenorum cap. 27.* dicit: dari aliquod peccatum irremiſſibile, de quo iam non eſt venia petenda, nec remiſſio ſperanda.

Sed hanc doctrinam tanquam Hæreticam, vnà cum Eccleſia reprobamus. Stat enim firma promiſſio Dei, cum in multis locis, tum apud Ezech. 18. *In quacunque hora peccator ingemuerit, illius peccatorum non recordabor.* Tum nullum eſt peccatũ, quod apud Deum ſit irremiſſibile, & cuius per actus pœnitentiæ, nõ poſſit impetrari condonatio.

Opinio 2. 41. Doctores verò Catholici arbitrãtur quidem, quòd reprobi peccãdo, ad eũ ſtatũ peruenire poſsũt, vt in eo ſalutẽ cõſequi nõ poſſint, (hæc verba *non poſſint*, intelligas, quod difficulter poſſint) *Ratio illorũ*, quia in eo ſtatu iã deſtituũtur à Deo, ita, quòd Deus nõ det illis auxilia neceſſaria ad ſui cõuerſionẽ. Horum DD. quidam certũ & determinatũ peccatorũ numerũ ſtatuũt, adquẽ cũ reprobus peruenerit, à Deo, & ab illis auxiliis deſtituitur: quidã verò, nõ aſſignãt certũ numerũ peccatorũ; ſed dicũt, quòd reprobi peccãdo, poſsũt Deũ ad tantam iracundiam prouocare, vt eos prorſus relinquat in puris naturalibus, adimendo auxilia ſupernaturalia. Ita ſentiunt Abulenſis *ſupra Exod. cap 4. q. 12.* Roffenſis *art. 36. contra Lutherum*, Ioan. Driedo *in lib. de Captiu. & Redempt. generis humani.* Pro determinatione.

Nota primò. Auxilia, quæ Deus peccatoribus præparauit, vt illis mediantibus ad eum conuertantur, ſũt quadruplicia: *Primò*, ſunt naturalia, vt dona naturæ, facultates animæ & corporis, quæ ad benè operandũ ſunt cõceſſæ: ad eundẽ quoq; ordinẽ ſpectat, hæc Oeconomia vniuerſi, vt cœlum, illius ornatus, elementa, infinitæ creaturæ, quas ſi quis diligenter intuebitur, neceſſe eſt, vt ad Deum conuertatur. *ſecundò*, ſunt varii euentus particulares, circa vnumquemque hominem, vt ſalus, morbus, diuitiæ, infortunia, & hæc quoque, vim habent excitandi homines ad Deum: *tertiò* ſunt iam lõgè maiora, vt reuelata doctrina, Prædicatio Euangelii, Lectio Sacra miracula *quartò* ſunt motiones Diuinæ, inſpirationes, illuminationes quæ iam attingunt cor, emolliũt, ac ad conuerſionem diſponunt.

Auxilia ad cõſequendã ſalutem ſũt quadruplicia.

42. *Nota ſecundò.* In his auxiliis quadru-

In his auxilijs eſt duplex modus Extraordinarius & ordinarius.

quadruplicibus, duplicem modum applicandi illa, ſeruat Deus: *Primus eſt* de lege extraordinaria: quando Deus peccatoribus etiam in feruore peccati exſiſtentibus, dat, & immittit congrua, ac efficacia auxilia, quibus ſic emolliti euadunt, vt à propoſito peccandi reſiliant, & ſe ad Deum conuertant, qualis fuit conuerſio D. Pauli, qui plenus minarum & cædis, in Damaſcum ibat, vt homines fidem Chriſti profitentes comprehenderet, & ſupplicio afficeret: In hoc igitur itinere, & propoſito crudelitatis, de cœlo auxilio efficaci conuerſus eſt. Idem cum Magdalena, cum Latrone, cum Maria Ægyptiaca, factum.

Quomodo Deus in peccatoris conuerſione procedat.

Secundus modus eſt Ordinarius, quē Deus, vt plurimùm ſeruat, ad conuertendum peccatorem, à ſua impietate. in primis enim incipit Deus conuerſionem Peccatoris operari, dando illi generalia, & minora auxilia, apta tamē ad ſuos effectus producendos: deinde ſi homo illa admittat, & permittat ſe ab illis duci, ita, quòd iam voluntatem retrahit à peccando, iam Deus maiora illi confert; quibus ſi benè vtatur, tantò magis abducendo voluntatem ſuam à peccatis, ita, quòd ſibi incipiat diſplicere, tunc Deus per auxilia abundantiora efficit, vt perfectè peccata deteſtetur, & ſe toto corde in Deum conuertat. *Si verò* peccator contempſerit priora auxilia, Deus iam hic ſubſiſtit, & vlteriora non dat; ſed illa ipſa priora ei proponit, quibus ſi benè vtatur, paratus eſt vlteriora & maiora conferre: in hoc modo applicandi auxilia, ſeruat De⁹ modum ignis. nam ſicut ignis in ligno, priùs inducit minimum gradū caloris, deinde maiorem, & ſic conſequenter vlteriores, donec peruētum fuerit ad ipſam formam ignis: ſi autem lignum impedimentum ponat, nimia humiditate, non recipiendo illum gradum caloris ignis minimum, tunc ignis ab operando ceſſat: ita Deus incipit à primis & generalibus auxiliis, vt poſſit cor peccatoris emollire, quæ ſi admiſerit, & cum illis operetur conuerſionem, tunc illi maiora adiungit, vsque ad vltimam gratiæ introductionem: quòd ſi priora repudiauerit, Deus ſemper illi priora proponet, & ad vlteriora danda non progredietur.

Peccator repudians priora auxilia non accipit alia à Deo ſed eadem quæ repudiauerat.

Et ratio eſt ex loco Euangelii: *Euge ſerue bone, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam*: qui enim in minimis eſt fidelis, præſumitur quòd in maioribus erit fidelis; & è contra, qui in minimis eſt infidelis, etiam in maioribus erit infidelis: & qui minora contempſit auxilia, etiam maiora contemnet. His præmiſſis.

Qui in minimo fidelis aut infidelis in maximo fidelis vel infidelis.

43. Dico primò. *Loquendo de lege ordinaria, poſſibile eſt, quemlibet hominē viatorem, quam diu eſt in hac vita, ſaluari. Probatur* Deus circa omnes homines, ſic ſe habet, quòd illos ordinauit ad ſemetipſum, illiſque auxilia & media ſufficiētia præparauit. ergo quilibet homo poterit vitam æternam conſequi. *item* quia magnum eſſet præiudicium Fidei Chriſtianæ, quaſi illa non eſſet ſufficiens, ad ſaluandos omnes homines. *Deinde* fieret quoque præiudicium, & grauis iniuria Paſſioni Chriſti, ac illius copioſæ redemptioni, quaſi ſimpliciter non eſſet ſufficiens, ad ſalutem obtinendam,

De lege ordinaria poſſibile eſt quemq; hominē in hac vita exſiſtētem ſaluari.

Præterea D. Pauli verba ſunt, hoc ipſum confirmantia: *Deus vult omnes*

Omnes ſaluaret Deus ſi omnes ad eum accederent.

hominès ſaluos fieri. huic Dicto D. Aug. addit, *ſi ipſi accedant ad Deum, non enim vult, vt nolentes ſaluentur,* Et D. Damaſ. *de Fide Orth. c. 29.* inquit: *Deus vult homines omnes ſaluos fieri, & eſſe participes ſui regni; non enim plaſmauit nos ad puniendum.* Rurſũ D. Aug. ad Simpl. *q. 2.* dicit. *Noluit Eſau, & ideo non cucurrit; ſed ſi voluiſſet cucurriſſet.* Denique ipſe Deus, incitabat Cain ad pœnitentiã dicens: *Nonne ſi benè egeris, recipies.* ergo ſecundùm legem ordinariam poterat Cain ad Deum conuerti, & ſaluari. Tũ ipſe Deus, cum his auxiliis ſufficientibus, quòd illa cuilibet homini viatori ſit paratus dare, ſic proteſtatur apud Iſaiam *Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem* Hoc denique probant Euangelii parabolæ, de ſemente iacta in omne genus terræ: de inuitatis ad cœnam: de vocatis ad vineam, Et concludo verbis D. Pauli. *Idem Dominus diues in omnes, qui inuocant illum.*

Deus incitat ad pœnitentiam.

Nec quantũ eſt ex ſe denegat auxilia ſufficientia etiam reprobis.

44. Dico ſecundò. *Deus, quantùm eſt in ſe, non denegat auxilia ſufficientia reprobis. Ratio prima.* Hæc voluntas Dei, qua vult homines ſaluare, non eſt inanis, nec otioſa; ergo cum hac voluntate ſtat, quòd vult omnibus dare media ſufficientia, & auxilia neceſſaria. nam velle ſaluare omnes non eſt aliud, quàm velle illis dare media, & auxilia ſufficientia.

Ratio ſecunda. Deus vult, vt omnes homines, quamdiu ſunt in hac vita, conuertantur per pœnitentiam, & perſeuerantiã in bono; quod ſi peccatores non fecerint, pœnæ illos manent. ergo dat omnibus Deus ſufficientia auxilia, & ad pœnitentiam, & ad perſeuerandum in bono. nam aliàs diceretur aliquid præcipere, quod eſſet impoſſibile ad implendum.

Ratio tertia. Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt. ſed non poſſunt homines peccata vitare per ſe, & ex illis reſurgere. ergo non peccarent; ſed hoc falſum: poſſunt enim vitare, cum adiutorio auxilij ſufficientis, quod omnibus proponitur.

Homo auxiliãte ſibi gratia diuina poteſt vitare peccata facillimè.

Ratio quarta. Laborum operariorum, qui vnà tantùm horà laborârunt, in vinea nonne fuit merces? ergo nulli pœnitenti deerit merces, etiamſi in vltima hora conuertatur. ergo cùm habeant auxilia neceſſaria, conuerti poſſunt.

Nulli pœnitenti deerit merces.

Verbum dare dupliciter accipitur

45. Dico tertiò. *Si hoc verbum* dare *accipiatur pro eo, quod eſt* offerre, *ſeu* rẽ aliquã in cõmuni proponere, & inuitare, *ſic Deus dat omnibus hominibus, auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem ſi verò* dare, *accipiatur prout dicit ordinem ad accipere; ita, vt hæc duo correlatiua,* dare *&* accipere *ſimul de facto reperiantur, ſic Deus, non dat auxiliũ ſupernaturale ſufficiens hominibus omnibus, vel ad credendum, vel ad agendum pœnitentiam, vel ad amandum Deum ſuper omnia.*

1. pro offerre ſeu proponere.

PROBATVR primùm, videlicet, quòd *dare ſumptum pro offerre, & p proponere, dat omnibus ſufficientia auxilia.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* hoc eſt, *offerret, proponeret,* quamuis hic vnigenitus Filius Dei, ab vniuerſo mũdo non ſit receptus. *in propria enim venit, & ſui eum non receperunt.* & 1. ad Timoth. 4. de Chriſto dicitur: *quia eſt Saluator omnium, maximè fidelium,* omnium quidem *quoad ſufficientiam:* maximè fideliũ, *quoád efficaciam.* Denique Chriſtus Dominus, pro omnibus dedit legem gratiæ, fidem, Euãgelicam illius prædicationem, & Sacramenta, in quibus ſunt theſauri

gratiarum

gratiarum. nam Marci vltimò dictũ Apoſtolis: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ:* ſed non omnes hanc prædicationem receperunt. ergo ſi *dare* accipiatur pro *offerre*, ſic omnibus Deus dat ſufficientia auxilia.

2. Cum correlatiuo ſuo accipere ſi quod de facto gratiæ datæ recipiantur.

46. PROBATVR ſecundum, videlicet, *quòd ſi dare ſumatur, cum ſuo correlatiuo* accipere, *ita, quod de facto gratiæ datæ recipiantur, ſic non omnibus dat*; quia non omnes recipiunt. ſi enim omnes reciperent, ſequeretur, quòd omnes ſpeciali peccato infidelitatis peccarent; quia reſiſtunt Deo vocanti illos ad fidem, & pœnitentiam; & per conſequens, peccatũ infidelitatis incurrerẽt omnes. *Sequela.* omnes enim homines, ſine vlla exceptione, tenentur ex præcepto Diuino ad recipiendam fidem. ergo ſi non recipiunt incidunt in peccatum infidelitatis. atqui hoc falſum eſt. nam ſecundùm D. Th. *2 2. q. 10 a. 1.* infidelitas duplex eſt: *Prima eſt* ſecundùm puram negationem: eſt autem tunc, quando aliquis, non habet fidem; non habetque ideo, quia illi non eſt annuntiata: & in talibus gentibus eſt ignorantia inuincibilis fidei; & propter infidelitatem non damnantur, ſed propter alia peccata nam D. Th. dicit, quòd his infidelitas non eſt in peccatum, ſed in pœnam. Diuinorũ enim ignorantia, ſecuta eſt peccatum primi parentis. *Secunda eſt*, quæ contrariatur fidei, quæ annuntiatur. ex quo iam inferre licet: ſi omnes reciperent, ſequeretur, quòd non daretur ignorantia inuincibilis fidei, & infidelitas puræ negationis, quod eſt falſum in doctrina D. Thomæ.

Infidelitas eſt duplex.

Fidei ignorantia non annunciatæ non eſt in peccatũ ſed in pœnam.

47. SED quò perſpicaciùs, difficultas hæc intelligi poſſit, deſcendo ad particularem determinationem; & quia inter reprobos, ſunt paruuli, qui in vtero materno moriuntur, ſunt & infideles, ſunt quoq; obcæcati, & indurati; idcirco de his inquiremus: *an illis ſufficienter ſit prouiſum de auxiliis ſupernaturalibus?*

QVANTVM ad *Paruulos* dico: quòd Greg Arm. *in 1. diſt. 46.* ſatis liberè, atque etiam temerè docet, Deum non omnibus hominibus prouidere de auxiliis ſufficientibus; hæc ſententia, tanquam error in fide, paſſim oppugnatur. tollit enim in Deo voluntatem antecedentem, quâ vult omnes homines ſaluare, quib⁹ etiã de ſufficientibus medijs proſpexit.

De paruulis habeantne auxilia ſufficientia ad ſalutem conſequendã. Opinio 1.

Caiet. *in 3. p. q. 68. a. 11.* duo dicit: *primò*, quòd infantibus præter Baptiſmum, prouidit Deus de auxilio ſufficienti obtinendæ ſalutis, ſi parentes pro illis preces Deo obtulerint, illos cultui Diuino offerendo: *ſecundò* pueri in lucem editi, ſi ob penuriam aquæ non poſſunt baptizari, & immineat periculum mortis, ſufficit, quòd ſignaculo crucis cum inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis muniantur. Huic ſententiæ contradicitur ab omnibus, & oppugnant eam verba Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S., non poteſt introire in regnum cælorum.* & Mar. vltimò dicitur. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſaluus erit.* ſed paruuli nõ ſuſcipiunt Baptiſmum in re. ergo non poſſunt ſaluari.

Opinio 2. Caiet.

Opinio 3.

48. Quidam dicunt, paruulis, qui in vtero materno moriuntur, datũ fuiſſe ſufficiens auxilium, in primo parente; ſiquidem illi data fuit originalis iuſtitia, non pro illo ſolo, ſed etiam pro omni poſteritate eius: tamen hoc

men hoc ſtare non poteſt; nā Deus, non ſolùm ante præuiſum peccatū, ſed etiam poſt præuiſum, prouidit & ordinauit omnibus ſufficientia auxilia: cùm iuſtitia originalis, in primo parente per peccatum, fuerit deperdita. *Præterea* inter media ſalutis noſtræ numeratur Chriſt⁹, ſub ratione Redemptoris, qui ſecundū D. Th. non erat venturus, niſi poſt peccatum commiſſum. *Ex quo argumentor.* Deus, ſaluandi paruulos, poſt præuiſum peccatum originale, aut habuit voluntatem antecedentem? aut non habuit? ſi habuit? ergo quantùm eſt ex ſe, dedit illis ſufficiens remedium contra peccatum: ſed hæc non poteſt eſſe iuſtitia originalis; quia in primo parente amiſſa eſt, ergo debuit aliud remedium ordinare. ſi non habuit voluntatem antecedentem ſaluandi illos? ergo Chriſtus non venit tanquam illorum Redemptor, quod eſt falſum. *Tum*, ſequeretur, quòd illa doctrina, iam ſuperiùs probata, eſſet falſa, in qua aſſerimus, Deum poſt præuiſū peccatum Originale, habuiſſe antecedentem voluntatem, omnes ſaluandi.

Impugnatio illius.

Deciſio.

Deus prouidit paruulis ſufficiens remedium cōtra originale peccatū ſ. baptiſmū.

49. Vera igitur *reſponſio* ad hoc dubiū eſt talis: quantùm eſt ex parte Dei, prouidet Deus paruulis de ſufficienti remedio, contra Originale peccatum, v. Baptiſmum; quia Chriſtus D. pro omnibus mortuus eſt, & pro omnibus inſtituit Sacramenta, tanquam remedia; ſi verò contingat, quòd huius remedij, ſ. Sacramenti, non eſt poſſibilis applicatio, hoc iam non accidit ex ordinaria Dei voluntate, ſed ex permiſſiua. ſicut enim Deus creauit Solem, vt omnes homines illuminaret, & tamen accidit, quòd multi naſcantur cæci, qui non illuminantur à Sole: cur igitur Deus non abſtulit cæcitatem à quibuſdam? *reſpondeo* ideo: quia ſatis erat, quòd prouiderit de ſufficienti illuminatiuo: cæcitas autem ex ſecundis cauſis, & non ex parte ipſius Dei prouenit. *Tum* ad perfectam prouidentiam alicuius Reipublicæ, ſufficit, quòd remedia ſufficientia contra peccata ordinētur: ſi autem aliquod interueniat impedimentum, propter quod illud remedium non poſſit applicari, prouidentia inde non eſt appellanda inſufficiens: ita ſufficiebat, quòd Deus ordinauerit quædam certa remedia, contra peccata, vt, pro paruulis Baptiſmum; quia verò remedium Baptiſmi, in particulari non eſt illis applicatum, qui in vtero materno ſunt mortui, id cauſis ſecundis, quas permittit, vt ſuo ordine operentur, non Deo tribuendum, nam non eſt conueniens, vt illarum ordinem turbet, & immutet.

Applicatio ſacramenti ſi nō eſt poſſibilis, fit ex permiſſiua voluntate Dei, non ordinaria.

Deus ordinem cauſarum ſecundarum non turbat, nec immutat.

50. Secundò inquirimus. *An etiam infidelibus, prouidit Deus de auxilio ſufficienti, per quod poſſent ſuam ſalutem conſequi?* Quidam dicunt: infidelibus, qui cum ignorātia fidei inuincibili, ſunt vſq; ad mortem perſeueraturi, non prouidiſſe Deum de auxilijs neceſſarijs, nec ideo dicendus eſt iniuſtus, aut acceptor perſonarum, quia denegatio talium auxiliorum, illorum peccatis debetur.

Quòd Deus non prouideat infidelibus auxilia ſufficientia Opinio 1. falſa.

Sed hanc opinionem tanquā falſam reijcimus. namq; multa ſecum trahit abſurda: *primò* ex parte Dei: quia Deus voluntate antecedenti, nollet illos ſaluos fieri; quod eſt abſurdum: *ſecundò*, quia Chriſtus nō eſſet illorum Redemptor, neq; quoad ſuffi-

ad ſufficientiam, neque quoad efficaciam: *tertiò* ex *parte infidelium,* ſequeretur enim, quòd non tenerentur credere; quia talia non habent auxilia. *quartò* eſſent extra ſtatum ſalutis; quia illis Deus, non prouidit de auxilijs neceſſarijs.

Opinio 3.

Quidam deinde dicunt, ſatis ſufficienter infidelibus omnibus fuiſſe prouiſum de auxilijs neceſſarijs: quando Deus, vt Euangelium in toto orbe annuntiaretur, cum ea intentione, vt ad omnes & ſingulos perueniret, prouidit: ſi verò aliquibus non eſt euangelizatum, id non culpâ Dei, ſed hominum accidit; nam licet Chriſtus D. pro omnibus paruulis inſtituerit Baptiſmum, vt illis applicaretur: tamen quòd aliquibus non eſt applicatus, non eſt iam defectus ex parte Dei. ſed neq; hic modus dicendi ſatisfacit; quia ſolùm eſt pro adultis, qui vſum rationis habent, & ſuſcipere poſſunt Euangelium: paruulis autem hoc non ſeruit, tum neque ipſis adultis, per hunc modum ſufficienter eſſet prouiſum; quia ad quoſdam difficilis eſt acceſſus, & moraliter loquendo impoſſibilis; aut propter hoſtiũ incurſus; aut propter aquarum magnam diſtantiam: proinde potius

Refutatio iſtius opinionis.

Deciſio.

Etiam infidelibus Deus auxilia ſufficientia ſi illis benè vſi fuerint, ad ſalutẽ cõſequendam prouidit

51. Dico: *quòd Deus pro ſua miſericordia, omnibus infidelibus ſufficientia auxilia ſalutis conſequendæ prouidit, paratus vlteriora dare, ſi prioribus generalibus benè vſi fuerint.* Ita ſentit D. Th. *q 14. de Verit. a. 11. ad 1 & 2.* vbi ſoluens argumentum de puero in ſyluis educato, dicit: *ſi aliquis eßet enutritus in ſyluis, inter bruta animalia, tunc ad Diuinã prouidentiam ſpectaret, vt, ſicut cæteris hominibus, ita & illi prouideret de neceßarijs auxilijs, ad ſalutem: dummodò ex parte illius, non ſit impedimentum.* Et ſi aliquis, ſine mẽtione religionis educaretur, ſi tamen ductum rationis naturalis ſequeretur, in proſecutione boni, & fuga mali, certiſſimò tenendum eſt, quòd Deus ei, vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum mitteret, ſicut miſit D. Petrũ ad Cornel. Idem D. Th. *in Solut ad 2.* dicit: *ſi homo fecerit quod in ſe eſt ductũ rationis naturalis ſequendo: Deus non deſeret in eo, quod eius ſaluti eſt neceßariũ.* ib. dicit, quòd homo in primo inſtãti vſ⁹ rationis, tenetur de ſeipſo deliberare, ſeque in Deum conuertere; & ſi faciat, iuxta præceptũ quod habet: Deus illi auxiliũ præſtabit, in tam excellenti opere; & conſequẽter illum illuminabit, præſertim ſi vrgeat tempus neceſſitatis, conſequendæ ſalutis

Homini vbicunq; manẽti ad Deum pertinet, de auxilijs neceſſarijs prouidere.

52. *Nota primò.* Videtur D. Th. hoc axioma præſupponere in his allegatis locis: *facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* hoc Dictum ita exponendum eſt. *Facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ,* ſic hoc non eſt intelligendum. nam in Pelagianiſmum incurreremus. eſſet enim initium ſalutis ex nobis. proinde ſic eſt exponendum. *Facienti quod in ſe eſt, ex auxilio ſupernaturali ſuperuenientis gratiæ, atq́; etiam excitantis, Deus non denegat gratiam.* vnde hic homo, qui in inſtanti vſus rationis de ſeipſo deliberat, & optimè viuere proponit, iam videtur habere auxiliũ Dei ſupernaturale, cũ quo faciẽs quod in ſe eſt, excitatur vlteriùs, ad extremùm illuminatur.

Nota ſecundò: facienti quod in ſe eſt, non obligatur Deus, quaſi quadam le-

non lex quædam, ſed bonitas efficit, quòd Deus

nobis omnibus det gratiam. dã lege infallibili ſit obſtrictus, dare gratiam; quia nullus per ſolas vires naturæ, poteſt facere quod in ſe eſt; tum, etiamſi faciat, non eſt Deus obligatus dare illi gratiam, ſed ſolùm facit hoc, ex quadam congruitate, quæ fundatur in Diuina bonitate. habet enim probabilitatem: quòd, qui ſe cum naturalibus benè geſſit, credendum eſt, quòd Deus propter ſuam bonitatem, dabit illi ſupernaturalia: *habenti enim dabitur*, hoc eſt, *benè vtenti prioribus bonis, vlteriora & abundantiora auxilia gratiæ dabuntur.*

Obiectio I. 53. *Obijcies primò.* Act. 14. habetur. *Deus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* ergo videtur Deus, illarum non habere curam *Reſpondetur* per hæc verba, intelligit Apoſtolus, gentes fuiſſe destitutas auxilio Prædicationis Euangelicæ, non autem auxilio generali, quod vnicuique in particulari dat, Deus paratꝰ ſemper dare maiora, ſi benè vſi fuerint prioribus.

Obiectio 2. *Obijcies ſecundò.* Si gentes illuminantur à Deo. ergo peccant ſi non credunt, nam non ignorãt inuincibiliter; & quia faciũt, quod in ſe eſt, Deus non denegat illis gratiam. ergo poſſunt vincere ignorantiam. Solutio eiꝰ. *Reſpondetur* ex hoc, quòd illuminãtur & benè viuendo, etiã faciunt, quod in ſe eſt, non ſequitur, quòd ex ſe vincant illam ignorantiam. nã quãuis aliquid faciant, quo poſito, tollerentur impedimenta fidei, hoc illi tamen ignorant, nec ſciunt, quòd hoc ſit medium ordinatum ad fidẽ, & quòd hoc obligantur facere, propter fidem; & licet in eo, qui non facit quod in ſe eſt, ex auxilio gratiæ Diuinæ, ponatur impedimentum fidei: nõ peccat tamen ſpeciale peccatum infidelitatis, ſed ſemper eſt inuincibiliter ignorans: ſi verò illi fides fuerit ſufficienter explicata, tunc iam peccaret.

54. *Quæres* quid ſentiendum de obcæcatis, & induratis? nam quidam (vt Ruardus Taper. *a. 6.* Driedo & Armacanus) docent, quòd Deus abſoluta ſua voluntate, non decreuit dare illis auxilia, pro quocunque tempore, & inſtanti, ſed ſolùm regulariter, ſi ſemetipſos, per bona opera dignos effecerint; & appellant hoc *punitionem*, dicuntq; non derogare miſericordiæ Dei, nec redemptioni Chriſti copioſiſſimæ, ſed hoc totum illorum habitui prauo, tribuendum eſt, quem ex multitudine, & magnitudine peccatorum cõtraxerunt. *Reſpondeo* quòd his Deus, quantùm eſt in ſe, dat ſufficientia auxilia, vt conuerti poſſint. *Ratio eſt 1* Hoc enim dicere, eſt dicere, quaſi Deus non decreuerit illis auxiliari, quòd quidẽ eſt erroneũ. *Ratio 2.* ſeq̃retur, quòd obduratio, eſſet peccatum irremiſſibile. atqui D. Th. in *3. p. q. 86. a. 1.* expreſsè confutat hũc errorẽ, quaſi aliquod peccatum ſit eiuſmodi, cuius in hac vita non poſſit impetrari condonatio. *Ratio tertia* ſuffragantur multa Scripturæ loca Dei miſericordiã in peccatores prædicantia Iſaiæ 49. *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt nõ miſereatur filij vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego non obliuiſcar tui.* & Ierem. 3. *tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus. Ratio 4.* obdurati, quamdiu ſunt in hac vita ſemper obligantur ad pœnitentiam agendam, omnibus enim dicitur: *Pœnitentiam agite, appropinquauit vobis regnum*

Obcæcatis & induratis Deus quantum in ſe eſt dat auxilia ſufficientia vt conuertã poſſint.

regnũ cælorũ. ſed nemo obligatur ad id quod eſt illi ĩpoſſibile, homo enĩ nõ obligatur ad volãdũ, nec brutũ ad ratiocinãdũ. ergo De⁹ obduratis præbet auxilia ſufficiẽtia, vt poſſint per pœnitentiam conuerti & ſaluari.

QVÆSITVM V.

An ſint aliqui homines, in ſolis naturalibus conſtituti, ſine omni auxilio ſupernaturali?

55. RESolutio huius Quæſiti magna ex parte pẽdet à ſuperiori; nihilominus pro meliori determinatione, duo Dicta præmittã ac ad obiectiones reſpondebo.

Omnibus viatoribus Deus parat⁹ eſt dare ſpecialia auxilia ad ſuam cõuerſionem.

Dico primò. *Deus omnibus viatoribus, paratus eſt dare auxilium, cum quo ſint potentes, ad faciendam ſuam conuerſionẽ, paratus quoq; & ſpecialia auxilia dare, quibus vſi conuertantur, ſi velint.* Dictum ex ſe manifeſtum, & ex præcedentibus. vnde hic

Deus nõ eſt indifferens in collatione auxilij ſupernaturalis.

Nota nos reijcere quorundã opinionem, qui arbitrantur, quòd in collatione auxilij ſupernaturalis, Deus ſit indifferens, & quòd inferiores cauſæ, nimirum creati arbitrij, exſpectent determinationem; quod quidem repugnat Diuinæ perfectioni. nam Diuina voluntas, eſt cauſa efficaciſſima omnium bonorum, & ſicut efficaciter vult: ita etiam efficaciter, & determinat omnia media, nec illius actiuus concurſus, ab aliquo extrinſeco retardari poteſt. ita determinat Concil. Arauſ. *Deus non exſpectat noſtram voluntatem, vt purgari velimus, quin potius ipſe præparat, & diſponit voluntatem, vt velimus.* ſi igitur Deus, vt quidam volunt, exſpectaret, vt nos velimus recipere, ſequeretur Concilij falſam eſſe definitionem, haberet enim ſe Deus, ſicut mercator, qui paratus eſt ſuas merces vendere illis, qui velint; ſed vt velint, mercator non efficit: Deus autem velle noſtrum efficit, ad Philip. 2. *Deus enim eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere.* idem confirmant & multa alia loca; proinde nõ eſt ita ſentiendum de voluntate Diuina, ſicut ſentiunt Philoſophi, de cauſis vniuerſalibus creatis, quarũ vniuerſalitas in cauſando, determinatur ad effectus particulares producendos. Deus enim cùm ſit cauſa totius Entis, nihil præſupponit, quod ſit ab alio factum, cuius ipſe non ſit cauſa; proinde ipſe cùm ſit cauſa independens, omnia determinat, & à nullo determinatur.

Deus decreuit ſe nõ daturum auxilia supernaturalia his qui ea in tẽpore de facto non recipiunt.

56. Dico ſecundò. *Deus ab æterno decreuit, voluntate ſuâ abſolutâ, & beneplaciti, ſiue conſequenti, ſe non daturum auxilia ſupernaturalia his, qui ea in tempore de facto non recipiunt.* PROBATVR. Quidquid Deus in tempore facit, aut non facit, ab æterno decreuit ſe facere, aut non facere: ſed in tempore ita ſe res habet, quòd aliquibus auxilium ſupernaturale non eſt datum

tum (vt iam à nobis deductum) ſi *dare* accipiatur pro *offerre* ſeu *proponere*. nam Chriſtum *dedit* mundo, hoc eſt *obtulit*, & tamen eum ſui non receperunt. ergo.

57 *Si quis quærat.* Cur potiùs, quibuſdam in ſingulari hæc dona conferat, alijs verò deneget? *Reſpondet* D. Th. 1. *con. gen. c. 161.* non eſſe rationem quærendam, ſiquidem hoc pendet ex ſimplici voluntate Diuina. & D. Aug. *l. de Corrup. & Gratia c. 8.* inquit: *Si à me quæratur, quare hoc donum ille non recipiat? me ignorare reſpondeo.* Tum *l. 9. de Perſeu. c. 10.* dicit: *quoniam vt crederent non erat illis datum, & vnde crederent, eſt negatum,* Demum *c. 8.* inquit: *ex duobus paruulis, originali peccato pariter infectis. cur ille aſſumitur, & ille relinquitur? & ex duobus iam ætate grandibus impiis, cur ita iſte vocetur, vt vocantem ſequatur? ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem ſequatur? inſcrutabilia ſunt iudicia Dei.* Quocirca cauendum, ne quid contrarium doctrinæ D. Aug. dicamus, & in errorem Pelagij incidamus, referendo hanc conuerſionem, & non conuerſionem ſeu vocationem, & non vocationem, in libertatem arbitrij, tanquam in radicem & cauſā; ſ: (quia hic voluit, ideo cõuerſus eſt: & quia ille noluit, ideo non eſt cõuerſus.) nam licet hoc ſit verum, (quòd nemo cõuertatur, niſi volēs, & nemo non conuertatur, niſi nolens.) *Similiter* quamuis hoc ſit verum, (quòd quia hic vult, cõuertitur, & ille alius, quia non vult, non conuertitur,) tamen hæc particula *quia* quæ cauſalitatem dicit, quando applicatur ad eum, qui vult conuerti, & conuertitur, non dicit cauſam primam, & radicalem ſuæ conuerſionis, ſed ſolùm dicit cauſam, per modum liberæ diſpoſitionis, quam quidem diſpoſitionem, à Deo, tanquam à prima cauſa & radice, efficaciter monente accipit, ita, quòd hic, ideo dicendꝰ eſt conuerſus, quia eum Deus, efficaciter mouit, vt conuerteretur. Quando verò particula *quia*, applicatur ad eum, qui non cõuertitur, ita vt dicamus, hunc ideo non eſſe conuerſum; quia noluit, præſertim ſi ille homo, qui non conuertitur, peccat, quia recuſat cõuerti; iam ſic particula *quia*, dicit cauſam radicalem ſuæ non conuerſionis.

Quòd Deus in ſingulari quibuſdam ſua dona cõferat, pēdet hoc ex volū tate diuina

58. *Si quæras,* quare hic nõ conuertitur? *Reſpondeo.* quia liberum arbitrium defectibile, eſt cauſa efficiēs, peccati non conuerſionis. Si verò *non conuerti* dicat puram negationem actus, tunc Deus erit cauſa negatiua non conuerſionis, nihil agendo: nam ſecundùm D. Aug. dicitur indurare, nõ impertiēdo malitiam, ſed non largiendo gratiam, qua quidem negatione poſita, ſequitur, quòd aliquis non conuertatur. ſi autem ſumatur *non cõuerſio*, vt eſt omiſſio moralis, ſic liberum arbitrium creatum deficiens, eſt cauſa non conuerſionis; proptereaque iuſtè punitionem Diuinam incurrit.

59 Dico tertiò. *Ex his duobus prædecedentibus Dictis ſequitur, quòd aliqui ſunt hominum, qui ſunt prorſus deſtituti, ab omni auxilio ſupernaturali;* diximus enim in primo Dicto, *quòd Deus omni homini viatori, paratus eſt dare auxilia,* ſi *dare* accipiatur pro *offerre*, aut pro *proponere*, vt Deus dedit filium, quem tamen multi non receperunt; & hi ſunt in puris naturalibus: in ſecundo Dicto diximus, *quòd Deus non dat*

his,

his, qui in tempore non ſunt accepturi. ergo hi tales erunt in puris naturalibus.

Obiectio 1. *Obijcies primò.* Omnis homo viator, poteſt ad Deum conuerti, & ſaluari. ergo quilibet in hac vita, habet auxilium gratiæ ſupernaturalis: ergo nullus erit in puris naturalib⁹.

Solutio ei⁹. *Reſpondetur* Antecedens eſſe verùm, ſed Conſequentia negatur. nam plùs eſt in Concluſione, quàm in Antecedente. Antecedens enim eſt de poſſibili, Concluſio ſeu Conſequens de facto. proinde ſicut hæc Conſequẽtia, *lignum poteſt eſſe album, ſed ſine albedine non poteſt eſſe album*: ergo *habet albedinem*, non concludit. nam in Antecedente eſt de poſſibili, in Conſequente de facto: ita hoc argumẽtum non concludit. *Homo viator poteſt conuerti, & ſaluari, ſed non poteſt ſine auxilio ſupernaturali.* ergo *illud habet*. ſimiliter Conſequens concludit de facto, Antecedens de poſſibili; & ideo negatur Conſequentia.

Obiectio 2. 60. *Obijcies ſecundò.* Nemo poteſt eſſe conſtitutus in puris naturalib⁹, niſi Deus ab eo ſubtrahat auxilium omne ſupernaturale: ſi ſic, ergo ſequetur, quòd Deus erit Cauſa non conuerſionis illius hominis. *Sequela confirmatur* ex illa Maxima Ariſt. 1. Poſt. c. 3. *Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio erit cauſa negationis.* ſed Deus præbens auxilium ſupernaturale, eſt cauſa conuerſionis. ergo etiam Deus, non præbens auxilium ſupernaturale, erit cauſa non conuerſionis.

Solutio quorundam falſa. Reſpondetur à quibuſdam. Max: Ariſt. valere, in cauſa adæquata alicuius effectus; ſicut patet in hoc exemplo: *ſi quid eſt rationale, illud etiã eſt riſibile.* ergo etiam ſequitur: *quod non eſt rationale, non eſt riſibile*, & ſic auxilium ſupernaturale, non eſt cauſa adæquata conuerſionis in Deũ. nã non eſt ſola cauſa; ſiquidẽ præter hanc concurrit liberum arbitrium, cum auxilio Diuino.

Refutatio illius. Hæc reſponſio non eſt admittenda; quia & liberum arbitrium, & gratiam ſupernaturalem, facit duas cauſas partiales: nos autem affirmamus, quòd concurſus liberi Arbitrij, eſt effectus, ex efficaci gratia, neceſſitate Conſequentiæ promanans. ipſe enim Deus ſuaui, & ſingulari ſua miſericordiâ, voluntatem hominis ad ſe conuertit, ita, vt conuerſio peccatoris ſit actualis effectus Diuinæ miſericordiæ. Proinde ad argumentum:

Solutio vera. 61. *Reſpondeo.* Abſentia gratiæ in aliquo ſubiecto, quod idem eſt, quod abſentia conuerſionis, dupliciter cõſiderari poteſt: *primò*, vt eſt pura negatio Entis, ita, vt illa abſentia, non conſideretur, ceu priuatio alicuius debiti ineſſe: *ſecundò*, vt eſt priuatio gratiæ, vel actionis debitæ ineſſe, *hic, & nunc*, quæ tamen non ineſt, propter defectum Liberi Arbitrij. ſi ergo priori modo, ſumatur negatio conuerſionis, tunc quemadmodum auxilium efficax, eſt cauſa conuerſionis in Deum: ita negatio auxilii efficacis, eſt cauſa negatiua non conuerſionis, quatenus eſt pura negatio Entis, & hoc modo dicitur Deus indurare, & excæcare, negando illud efficax auxilium, & non largiendo malitiam. nam nihil agendo, & negando efficax auxiliũ neceſſitate non Conſequentis, ſed Conſequentiæ, ſequitur, quòd non conuertatur.

(Abſẽtia Gratiæ dupliciter conſideratur.)

Obiectio 3. *Obijcies tertiò.* Ioan. 3. *Illuminat omnem*

omnem hominem venientem in hunc mũdum. ergo nullus eſt in puris naturalibus. *Reſpondetur* per hanc illuminationem, ſi ſumatur lumen naturale, non omnes illuminari, v. g. paruulos, qui ante vſum rationis decedũt, *ſimiliter* qui ex vtero materno, ſunt amentes: ſi autem intelligatur de lumine ſupernaturali, tunc hæc verba *illuminat omnem hominem*, duplicẽ ſenſum habent: *primus eſt* D. Chryſoſt. Hom. 7. in Ioan. quòd Deus illuminat omnem hominem, quantùm eſt ex ſe, & inquantùm ad illum ſpectat; quia voluntate ſuâ antecedente, paratus eſt omnes illuminare: *ſecundus eſt*, D. Aug. *l. de Peccatorũ meritis, c. 25.* Illuminat omnem hominem, non quod de facto omnis homo ſit illuminatus; ſed quia quicunque ſunt illuminati, ab eo ſunt illuminati.

Solutio ei⁹. Hæc verba *illuminat hominem* duplicẽ habent ſenſũ

QVÆSITVM VI.

An præter auxilium ſufficiens, ſit aliud Efficax concedendum?

62. HOc Quæſitum, videtur ſpectare ad materiam de auxiliis; ſed quia ſæpiùs à nobis facta eſt mentio auxilii ſufficientis, & efficacis, ad plenam cognitionẽ, iam ad nos determinatio videtur pertinere, vt inter hæc diſtinguam⁹. Eſt igitur ſenſus Quæſiti: *an dato auxilio ſupernaturali gratiæ præuenientis, iam liberum arbitrium viribus ſuis poſſit ſe diſponere ad gratiam? an verò ſupra hoc, conſtituendum ſit aliquod auxilium efficax, quod ſe habeat antecedenter, ad bonũ vſum gratiæ præuenientis?*

Antiqui PP. Proſperus & Hilarius, in epiſt. ad D. Aug. quæ apud eum habentur *Tomo 7.* ante librum *de Prædeſtinatione* referunt affirmantes: quòd poſito ſufficienti auxilio, iam homo per vires naturæ poteſt ſe diſponere ad gratiam, ita, vt efficax auxilium non ſit neceſſarium. Pro determinatione

63. Dico primò. *Hæ duæ gratiæ, ſufficiens & efficax, differunt inter ſe*: ſufficiens enim *conſtituit voluntatem hominis in actu primo, cùm illi dat poſſe, quantum eſt ex parte principii operatiui*. Efficax verò *dat actualiter operari, reducendo ſufficientem gratiam, ad actum vt operetur*; proinde habens auxilium ſufficiens, poteſt quidem conuerti in Deum, ſed actualiter non conuertitur: habens autem auxilium efficax, iam actualiter conuertitur: & ſic auxilium ſufficiẽs, facit vt poſſim⁹, efficax, vt actualiter faciamus.

64. Dico ſecundò *Præter auxilium ſufficiens, quo Deus hominem peccatorem, per præuenientem gratiam ſuam mouet & excitat, vt ad ſe conuertatur, neceſſariò aliud auxilium, ſ. efficax conſtituendum eſt, vt in effectu conuertatur.* Hæc Concluſio eſt Catholica, reddens Deo quod ſuum eſt; & quia Deus eſt auctor noſtræ ſalutis, & de illius munere venit, quòd quis in effectu cõuertatur, & hoc facit per gratiam efficacem. ergo efficax ſuperaddenda eſt.

Gratia efficax & gratia ſufficiẽs, quo inter ſe differant?

da eſt. ita tenet Ægid. *in 2. diſt. 28. q. 1. a. 4.* Ruard. Taper. licet in aliquibus diſſentiat, Driedo de *Capt. & Redempt. generis humani*. Soto *l. 1. de Nat. & Grat. c. 16.* Tum Arauſic. Cōcil. *c. 20.* ſic definit dicens: *multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla etiam bona facit homo, quæ Deus non præſtet & faciat.* Ratio *eſt.* Si gratia ſufficiens, & efficax idem eſt, & non requireretur efficax, fruſtra Concilia, SS. PP. inter hæc diſtinguerent. nam ſolùm iam ſufficiens eſſet neceſſarium. atqui diſtinguunt. ergo efficax diſtinctum eſt concedendum.

In omni cōuerſione ſunt duo.

Ratio ſecunda. Quia in omni cōuerſione ſunt duo: *primò* quòd poſſit cōuerti: *ſecundò* quòd actualiter cōuertatur. Sed primum habet à ſufficienti gratia, alterum ab efficaci. ergo præter ſufficiens auxilium, ſtatuendum eſt efficax.

Ratio Tertia. Si præter ſufficiens, nō daretur efficax, ſequeretur, quòd inter electos & reprobos, nulla eſſet differentia. Nam omnibus dat Deus ſufficientia auxilia, & tamen electi in fine vitæ conuertuntur: reprobi verò non; & huius rei non eſt alia cauſa: niſi quia electis datur efficax auxilium, quo actualiter conuertātur: reprobis verò tantùm datur ſufficiens, quod in eis facit, vt poſſint conuerti, ſed actu non conuertuntur. ergo præter ſufficiens auxilium, aliud efficax ponendum; quo mediante peccator actualiter conuertitur.

Auxilium efficax non ſolùm ſe habet cum determinatione voluntatis noſtræ concomitā:

65. Dico tertiò. *Hoc auxilium efficax, non ſolùm ſe habet concomitanter & ſimultaneè cum determinatione noſtræ voluntatis, ſed etiam habet ſe antecedenter, per modum prædeterminantis voluntatem noſtram:* Proinde dicēdū eſt, quòd *non ſolùm efficit poſſe benè vti gratiâ præueniente, ſed etiam determinat voluntatem, ad benè vtendum.* Probatvr *poſtremū;* nam priora duo concedunt aduerſarii: ſi hoc auxilium efficax, non haberet ſe antecedenter, ad vſum liberi arbitrii, ſequitur, quòd ille qui conuertitur, & iuſtificatur, ſeipſum diſcerneret ab eo, qui non conuertitur, neque iuſtificatur. ſed hoc Cōſequens eſt contra D. Paul. 1. Corinth. *Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti?* Seqvela; quia hi cōuertuntur, & hi, qui nō cōuertuntur ex auxilio præuenienti & ſufficienti nō diſcernūtur, quia ſupponit, quod in vtroq; ſit æquale. ergo tota diſcretio non erit ex gratia, quia in vtriſq; æqualis. ergo erit ex bono vſu ſufficiētis gratiæ; atq; ſic ad bonū hūc vſū, determinauit ſe liberū arbitriū, ita, vt hæc determinatio, non ſit ex auxilio ſufficienti, & præcedenti ipſam determinationem; atque ſic ſequetur, quòd Deus non diſcernet inter homines; ſed ipſi diſcernēt ſe, quod eſt contra D. Paulum, Idem ſentit Cœleſt. Papa. *Epiſt. 1. cap. 4. & 7.* vbi dicit: *nemo niſi per gratiam Dei, benè vtitur libero arbitrio.* Innocentius I. in Ep. 25. ad Concil. Carthag. D. Aug. ad Simpl. dicens: *Gratia Dei, & eius vocatio, non ſolùm dat poſſe bene velle, ſed etiam eſſe effectricem bonæ voluntatis.*

ter, ſed & antecedenter.

66. Dico quartò. *Quilibet adultus, in omni tempore vitæ ſuæ, habet ſufficiens auxilium, ad ſuam ſalutem, per modum actus primi, non omnes tamen habent auxilium efficax quod eſt per modum actus ſecundi.* vtraque pars clara eſt. *Prima* Si enim ſufficiens auxilium non haberent, non poſſent conuerti. ergo illorum non conuerſio, non illis

Quiſq; adultus in omni tempore vitæ ſuæ, habet ſufficiēs auxilium ad ſuam ſalutē, non omnis tamē efficax

illis, ſed Deo tribuenda eſſet, quod eſt falſum. *Secunda*, ex eo euidens; quia ſi omnes efficax auxilium haberent, omnes actualiter & efficaciter conuerterentur, quod eſt falſum, quia plurimi damnantur.

Nota Quoad efficaciam auxilij efficacis, dicunt aduerſarii, quòd hæc pendet à libero arbitrio. nam hanc efficaciam habet, ſi liberum arbitrium eo operetur; & allegant Concil. Trident *Seß. 6. c. 5. Can. 4.* Sed dicimus. Concilium in loco allegato; non dicit, quòd efficacia auxilii efficacis, proueniat à libero arbitrio ſed ſolùm, quòd liberum arbitrium non habet ſe merè paſſiuè, & veluti quoddam inanime, reſpectu iuſtificationis; & quòd verè cooperetur, Deo excitanti atque vocanti, quo ad gratiam iuſtificationis diſponimur. quamuis enim liberum arbitrium hominis, dum efficaciter à Deo mouetur, habeat ſe paſſiuè recipiẽdo motionem Diuinam efficacem: tamen non habet ſe merè paſſiuè, tanquam nihil agat; quia & verè cõſentit, & verè cooperatur.

QVÆSITVM VII.
An dato Diuino auxilio æquali in duobus, vnus conuertatur, & alius non?

67. DIfficultas huius Quæſiti non mediocris eſt, dum enim ex quibusdam quærimus, *Vnde hoc proueniat quod poſito æquali auxilio ſupernaturali in duobus impiis, vnus conuertatur, & alter non?* Reſpondent hoc ideo fieri; *quia vnus vult, & alter non vult;* atque ſic, qui vult, efficax facit auxiliũ Dei, alter verò qui non vult nõ facit. Hic modus dicendi eſt valde periculoſus; quia conuerſionem hominis impii, non ad Deum refert, neque ad illius auxilium, ſed ad Liberum Arbitriũ; atque ſic incidit in errorem Pelagii. nam initium ſalutis erit ex nobis: Quidam verò ad hanc interrogationem reſpondent: ideo non conuertitur: quia in eo, qui conuertitur continuatur auxiliũ; in altero verò non, propterea que non conuertitur. Ad Quæſitũ

Dico primò. *Si loquamur de auxiliis externis, vt ſunt bona corporis, fortunæ, prædicatio Euangelii, miracula; aut etiam de internis ſufficientis gratiæ, contingit multoties, quòd ex duobus hominibus, æqualiter à Deo vocatis, vnus ex peccato cõſurgat, alius in eo permaneat; contingit etiam, quòd hic, qui minora habet auxilia conuertatur, qui verò maiora habet, non conuertatur:* Hoc Dictum eſt certum, & ab omnibus conceditur; manifeſtumque euadit, ex illo Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone, factæ fuißent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egißent;* Loquitur Scriptura de Conuerſione Tyriorũ, & Iudæorum, quòd illi ad pœnitentiam conuerſi fuiſſent ſi vidiſſent eas virtutes, quas Iudæi viderunt: qui tamen non ſunt conuerſi. ergo Tyrij in ęquali auxilio cũ Iudæis, conſtituebantur à Chriſto, & Tyrii

Homines auxilia tam interna quàm externa habentes, quidam conſurgunt à peccato: quidā permanent.

&Tyrii fuiſſent conuerſi, Iudæi nõ item. *Praterea* Iudæi maiora, quàm Tyrii auxilia habuerunt, v. Scripturas: quæ de Chriſto nuntiabant.

68. Dico ſecundò. *Si autem loquamur vniuerſaliter de omnibus auxiliis, præuenientis gratiæ, omnino videtur eſſe impoſſibile, quòd poſito æquali auxilio, in duobus, vnus conuertatur, & alius non.* Ita D. Th. *1. 2. q. 79. a. 2. in Corpore.* docet. & *q. 132. a. 3.* vbi dicit, *qui conuertitur habet efficax auxilium Diuinæ gratiæ, hic qui non conuertitur, non habet, ſi enim haberet, infallibiliter conuerteretur.* Et *Ratio eſt*; efficax auxilium, eſt multò maius auxiliũ, quàm cætera omnia auxilia, ſine auxilio efficaci. ſed ille, qui conuertitur facit actum maximum. ergo hic actus pendebit ex efficaci gratia.

Ratio ſecunda. Sequeretur, quòd is, qui conuertitur, ſeipſum diſcerneret, ab eo. qui non conuertitur. *Sequela* vterque enim ſunt in æquali auxilio ſufficienti, ſecluſo tamen auxilio gratiæ efficacis. ergo cùm non habeant à gratia ſufficienti vt actualiter conuertantur. habebunt à libero arbitrio; quia hic voluit, ille verò noluit; atq; ſic iam ſeipſum diſcernet, quod quidem eſt contra D. Paulum. *Quis te diſcernet?* Et contra D. Aug. de Prædeſt. SS. c. 5. vbi dicit: *nunquid enim per hæc dona, quæ ſunt omnibus hominibus communia, diſcernuntur homines, ab hominibus.* Idem inferiùs dicit: *poßet quidem dicere homo inflatus aduerſus alterum: diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, vel ſi quid aliud.* Talibus occurrens cogitationibus Diuus Doctor, *quid autem habes*, inquit, *quod non accepiſti? à quo? niſi ab illo, qui te diſcernit, cum alteri non donauit, quod donauit tibi.*

Obijcies. D. Aug. *l. 83. quæſt. 68.* adducit exemplum de inuitatis ad nuptias: ex quibus æqualiter vocatis & inuitatis ad nuptias, quidam venerunt, quidam non venerunt. D. Greg. de his inuitatis, quòd quidam venerunt, quidam non venerunt, ſic loquitur aſſignans, cauſam; *Quia non erant æqualiter affecti.* ergo poſſibilis caſus, quòd cum æquali auxilio poteſt vnus conuerti & alius nõ conuerti. Obiectio.

Reſpondetur. præallegati in argumento, omnes profectò ad nuptias veniſſent, & omnes pœnitentiam egiſſent, ſi omnes auxilium efficacis gratiæ habuiſſent; & ideo qui venerunt, præter ſufficiens, habebãt efficax auxilium: qui verò non venerunt, illo caruerunt, quod ipſorum culpâ accidit. ſicut, qui Sole lucente claudit oculos, non illuminatur; quod itidem illius culpá accidit. Solutio ei⁹

QVÆSITVM VIII.

Efficax auxilium in Prædeterminatione Voluntatis humanæ, quomodo ſe habeat?

69. QVidam hanc Prædeterminationem, tanquam Libero Arbitrio pernicioſam, & iniurioſam abominantur. Dicunt enim, quòd non ſolùm diminuat, ſed penitùs tollat illius libertatem, De hac igitur re, placuit breuiter determinare nam exacta reſolutio huius difficultatis, ad materiam de auxiliis ſpectat. Proinde.

Deus dat auxilium efficax, quod prædeterminat liberum cuiuſq; arbitrium.

Dico primò. *Datur efficax de facto auxilium idemq; prædeterminans Liberum Arbitrium.* Hoc Dictum multi etiam ex aduerſariis videntur admittere, cõcedentes quibusdam Sanctis collata fuiſſe, dona gratiarum; quæ tamen non erant neceſſaria ad actus ſupernaturales producendos. & *probatur.* Anima Chriſti Domini, fuit Phyſicè prædeterminata ad bonum, ita, quòd nec à bono deficere, nec peccare poterat. *Similiter* Anima B. Virginis, fuit etiam prædeterminata ad bonum, per gratiam efficacẽ, maximè in illis actionibus, quæ opus redemptionis concernebant, vt cùm dixit, *Ecce ancilla*: nã aliàs, per voluntatem Virginis contrariam, ordo Diuinæ prouidentiæ poterat perturbari, ac impediri; quod eſt impoſſibile. Tum D. Th. *in 1. 2. q. 112. a. 2. ad 2.* dicit: *Conuerſio D. Pauli, cùm fuerit miraculoſa, in inſtanti conſummata eſt.* quòd videntur illa verba inſinuare. *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* hoc eſt, quantumcunque volueris libero tuo arbitrio reſiſtere, nón tamen efficaciſſimæ voluntati Dei reſiſtes, nam per gratiam in bono firmaberis. Idem accidit in BB. Apoſtolis, qui erant confirmati in gratia ergo gratia efficax eſt prædeterminans voluntatem.

70. Dico ſecundò. *Auxiliũ efficax quo Peccator ad conuerſionem excitatur, priùs eſt naturâ, quàm ipſa conuerſio peccatoris:* ita ſentit D. Th. *in 1. p. q. 105. a. 5.* vbi dicit: *Deum, duplici ratione operari cum cauſis ſecundis*: Primò *quia illis virtutes tribuit ad agendum, easque actu conſeruat*: ſecundo, *quia eas ita ad agẽdum mouet, vt virtutes earum applicet ad agendum. non ſecus atque artifex, mouet & applicat ſecurim ad ſcindendum*: Et reddit cauſam huius rei; quia quando multa ſunt agentia, inter ſe ordinata, ſecundùm agit in virtute primi, vt ab eo ad agendum moueatur. ergo hoc magis verum erit in agentibus ſupernaturalibus. IdemD. Th. *l. 2. q. 9. a. 6. ad 3,* ſic inquit: *quòd Deus ſpecialiter determinat quosdam, ad aliquid determinatè volendum. quos ſpecialiter mouet per gratiam*

Auxiliũ efficax peccatorem excitãs priꝰ eſt natura, conuerſione.

Solutio.

Reſpondent aduerſarij: Deum mouere quidem liberum arbitrium priùs; ſed ratione, non autem natura.

Contra inſtantia.

Contra inſto. Deus mouet liberum arbitrium in genere cauſæ efficientis; ergo priùs naturâ mouet. nam ex conſenſu Theologorum, & Philoſophorum, prioritas Cauſalitatis eſt prioritas naturæ. *Et ratio eſt,* ſecundum D. Aug, Gratia Dei eſt effectrix bonæ voluntatis. ſed id, quod efficit habet ſe antecedenter, ſeu prius; gratia autem eſt, quæ efficit. ergo eſt prius Tũ idem *l. 3. Hypogn.* dicit: *In omni opere Sancto, prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrii, ac proinde prior eſt concurſus Dei, poſterior liberi arbitrii.* ex his itaque locis iam adductis manifeſtum eſt Dictum.

71. Dico tertiò *Hoc auxilium efficax, eſt prædeterminans Liberum arbitrium ad actus particulares, & indiuiduos, ſupernaturales. Ratio prima,* Auxi-

Auxiliũ efficax prædeterminat liberum arbitrium ad actus particulares ſupernaturales.

Auxilium adiuuantis gratiæ, præuenit ordine naturæ, (vt ſuperius deductum) & cauſalitatis, liberam cooperationem arbitrii noſtri, eſtq; per illud immediatus Dei influxus, ipſum liberum arbitrium ad operandum applicans. ergo liberum arbitriũ ad actus ſupernaturales prædeterminatur, ab efficaci gratia. *Sequela.* Si enim in genere cauſæ efficientis concurrit, applicans ad operandum. ergo & prædeterminat, vt hoc opus in particulari operetur.

Auxiliũ efficax etiam attrahendo facit nos operari.

Ratio ſecunda. verè efficienter, & efficaciter facit nos operari, non ſolùm ſuadendo, alliciendo, ſed moraliter attrahendo: ergo efficaciter prædeterminat.

Ratio Tertia. non ſubiicitur poteſtati liberi arbitrii, ſed potius illud ſubiicit ſibi, vt ſit obſequens. ergo illud etiam prædeterminat. *Sequela* nam hæc ſuperioritas & ſubiectio non alium finem reſpicit, niſi Prædeterminationem.

Ratio quarta. Sequeretur, quòd Deus, non cognoſceret effectus liberos in decreto ſuo, & in determinatione eorum, ſed ſolùm ex arbitrio voluntatis noſtræ coniecturaliter; ſed hoc arbitrium, vt volunt aduerſarii, ſolùm moraliter mouetur, & non prædeterminatur efficaciter: ergo ex illo coniecturalis cognitio ſolũ ſumenda eſſet: talis autẽ ſcientia non tribuitur Deo.

Ratio quinta. Deus eſt prima cauſa in reſpectu liberi arbitrii, & effectuum liberorum. nam liberum arbitrium, inquantùm eſt liberum, dependet à Deo, tãquam à prima cauſa efficiente: ergo Deus priùs Cauſalitate, in genere cauſæ efficientis concurrit, quàm liberum arbitriũ.

Liberum arbitrium depẽdet à Deo

ergo illud efficiẽter prædeterminat.

Concludo verbis D. Aug. quæ habentur *in Epiſt. 106.* ad Bonif. vbi appellat, voluntatem noſtram, in operibus, & in actionibus ſupernaturalibus, pediſſequam, & non præuiam. Et in *l. de Prædeſt. SS. c. 3.* dicit *Licet credere & benè agere ſit vtrumque noſtrum; quia non fit niſi volentibus nobis præter arbitrium voluntatis: tamen vtrumque datum eſt à Deo, quia neque velle poſſumus, niſi vocemur, & cum poſt vocationem voluerimus, nòn ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter; niſi Deus vires currentibus præbeat, & perducat, quò vocat.*

Deus prius ad actiones noſtras concurrit quàm liberum arbitrium.

72. Dico quartò. *Hæc præmotio ſiue determinatio, quam facit gratia efficax, neque deſtruit, neque tollit, immo perficit libertatem arbitrii noſtri.* Ita Concil. Trid. *Seſſ. 6. 7. de Iuſtif. cap. 16 Can. 4.* dicit: *liberum Arbitrium excitatum, & motum à Deo. poteſt diſſentire ſi velit:* Per hæc verba *arbitrium excitatum,* ponit in illo Diuinam motionem, ponit & libertatem, quæ eſt in his verbis, *poteſt diſſentire ſi velit* ergo præmotio non deſtruit libertatem arbitrii. Tum Cæleſt. Papa, *in Ep. ad Epiſcopos Galliæ, c. 12.* ait *quod vtique auxilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur; vt de tenebroſò lucidum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum.* Idem D. Aug. *in lib. de Spiritu & Litera. cap. 29.* ſentit, dicens: *Liberum Arbitrium euertimus per gratiam, abſit: ſed magis ſtatuimus. ſicut enim lex, per fidem: ita liberum arbitrium per gratiam, non euacuatur, ſed magis ſtatuitur.* Et *ratio eſt;* quia libertatis origo, fons, plenitudo, eſt in Deo. ergo concurrendo cum libero arbitrio, perficit illud; ſiquidem cum cauſis neceſſariis neceſſariò, cum contingentibus contingenter

Gratia efficax non deſtruit ſed perficit libertatem arbitrij noſtri.

Deus cum cauſis neceſſarijs neceſſariò concurrit.

tingenter, concurrit. ergo etiam cum liberis, quale eſt liberum arbitrium, liberè concurrit. plura videri poſſunt in Aluarez *opuſculo de Auxilijs. & in Reſponſione ad Obiectiones.*

QVÆSITVM IX.
De Effectibus Reprobationis.

Effectus reprobationis quot & qui.

73. AD Quæſitũ Dico primò. *Tres ſunt effectus reprobationis, qui in reprobo reperiuntur.* Primus *priuatio gratiæ, non ſufficientis (hæc enim omnibus quantumuis impiis conceditur)ſed efficacis.* Secundus, *pœna damni, apud inferos, quæ conſiſtit in priuatione gloriæ cæleſtis, & viſionis beatæ*: Tertius eſt. *pœna ſenſus, in igne inexſtinguibili. vtrumque enim merentur improbi, qui in peccato mortali moriuntur: & ſine Pœnitentia decedunt.*

Effectus culpæ non poſſunt eſſe effectus reprobationis.

Dico ſecundò. *Effectus reprobationis quidam ſunt* culpæ, *quidam* pœnæ. *Hi qui ſunt culpæ, non poſſunt eſſe effectus reprobationis.* PROBATVR Reprobatio eſt quædam ordinatio certa, ſeu ratio exſiſtens in Deo ſed mala culpæ. non ſunt effectus Dei, nec poſſunt exſiſtere in eo ergo non ſunt effectus reprobationis: Effectus verò, qui pœnam conſequuntur; vt damnatio, punitio reproborum, ſunt effectus reprobationis. nam ad Deum ſpectat iuſtitia vindicatiua. ergo ſunt a Deo, & per conſequens, damnatio, punitio, ſunt effectus reprobationis.

Permiſſio peccati non eſt effectus reprobationis.

74. Dico tertiò. *Permiſſio ſumpta, inquantum eſt prima, non eſt effectus Reprobationis.* PROBATVR, quia hæc permiſſio præſupponitur, ante omnem reprobationem. Permiſſio enĩ peccati in Angelo, quo perit, & permiſſio peccati inobedientiæ formaliter loquendo, non eſt effectus reprobationis. nam in Deo voluntas permiſſiua eſt, qua, vult vt creaturæ, quæ deficere poſſunt, permittantur quando volunt; vt deficiant ſubtracto auxilio efficacis gratiæ, quod nemini debetur; & per hanc permiſſionem non determinatur peccator ad peccandum: ſed ipſe tunc liberè reſiſtit gratiæ ſufficienti: proinde talis voluntas Dei permiſſiua, non pertinet ad reprobationem, ſed ad ſuauem Dei prouidentiam, ad quam ſpectat, vt vnaquæque res, ſecundum modum naturæ ſuæ tractetur.

Probatur ſecundò. Sicut voluntas electiua Dei Prædeſtinatorum; quæ eſt ante præuiſionem operum, non poteſt eſſe effect⁹ Prædeſtinationis quia antecedit totam Prædeſtinationem: ita & permiſſio peccati, quia antecedit omnem reprobationem, non poterit quoque effectus eſſe reprobationis.

75. *Nota 1.* Prima illa permiſſio peccati, quãuis neceſſariò præſupponatur ad peccatum, non eſt cauſa peccati; nec per ſe, nec per accidens. Nam aliàs Deus eſſet cauſa peccati; aut per ſe, aut per accidens: quod eſt falſum.

Nota 2. Volũtas ꝑmittẽdi peccatũ, licet

Voluntas in Deo permittendi peccatum non eſt cauſa reprobationis.

licet præſupponatur, ad reprobationẽ, nõ eſt in Deo cauſa reprobationis; ſed conditio ſine qua non. Nam aliàs ſequeretur quòd Deus illos omnes reprobaret quibus permiſit peccare; quod eſt falſum. Peccauit enim D. Petrus, peccauit Magdalena, & alii quàm plurimi, & non ſunt reprobati.

Peccatum quod eſt in pœnam, non eſt à Deo.

Dico quartò. *Licet Peccator, fuerit in pœna præcedentis peccati, nullo tamen modo concedendum eſt, illud peccatum, quod eſt in pœnam, eſſe à Deo, nam omnino concedendum eſſet etiam peccatũ quod eſt in pœnam, eſſe à Deo:* Deus enim ſua abſoluta voluntate, non poteſt ordinare tale peccatum in pœnam præcedẽtis peccati. Sed vt plurimũ poteſt illud permittere; ſiquidem ſecundùm D. Aug. peccata nõ ſunt à Deo vt volente, ſed ſolùm vt à permittente.

Deus indurat & obcæcat reprobos, non intendẽdo tamen reprobationem.

76. Dico quintò, quoad obcæcationem, & obdurationẽ: *Ex multis locis S. Scripturæ clarum eſt, Deum obdurare & obcæcare reprobos.* Nam de Pharaone, in perſona Dei loquitur Scriptura; *indurabo cor Pharaonis.* Et Iſaiæ 6. dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua;* nihilominus, nemo debet exiſtimare, quaſi excæcatio, & obduratio, ſit effectus reprobationis. *Probatur 1.* aliàs refũdenda eſſet excæcatio in Deum. Sed excæcatio & obduratio ſunt peccata. in Deum autem, qui eſt ſummè bonus, & perfectus, nulla culpa ne minima poteſt refundi.

Subtrahendo gratiam Deus obcæcat & indurat.

Probatur 2: Deus dicitur eſſe cauſa obcæcationis, non quòd de facto eam producat, ſed quia gratiam ſubtrahit; Proĩde (vt inferiùs dicemus) non eſt cauſa poſitiua, & directa, influendi in hominem, vt indureſcat, ſed ſolùm ſe negatiuè habet: videlicet non largiendo gratiam efficacem. quã Deus non tenetur dare.

Obiectio.

Obiicies ex allegatis locis Scripturæ colligitur, quòd Deus, videtur aliquid facere eã intentione, ex qua ſequatur induratio.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando Antecedens. nam licet Deus facit aliquid, ex quo peccator ſumit occaſionem peccandi: tamen non intendit peccatum, ſicut enim Sol (vt D. Hier. docet) liquefacit ceram, & indurat lutum: ita & Deus intendit illuminare reprobum, ex quo ille materiam indurationis colligit.

QVÆSITVM X.

An Deus Poſitiuè an verò negatiuè, habeat ſe circa Reprobos?

Deus non vult neque agit aliquid poſitiuè vt reprobi in peccata incidãt & in illis perſeuerent.

77. HVius Quæſiti reſolutio pendet ex ſuperioribus; nihilominus Dico primò. *Deus neque vult, neque agit aliquid poſitiuè, vt reprobi in peccata incidant; vel vt in peccato vſq; ad extremum vitæ ſuæ perſeuerent:* PROBATVR quia ex hoc ſequeretur, quòd Deus procuraret lapſum peccatoris, aut vt in peccato perſeueret; atq; ſic eſſet Deus cauſa peccati; quod eſt falſum. *Tum* Quia eſt expreſſè

expreſſè contra mentem Scripturarum, Oſeæ 13. *perditio tua ex te Iſrael tantummodo in me auxilium tuum*. Et ad Rom. 9. dicitur: *Deus in multa patientia ſuſtinuit, vaſa iræ apta ad interitum*: ergo ſi exſpectat ad pœnitẽtiã peccatores, non vult poſitiuè illorum peccata.

Deus non eſt cauſa poſitiua obdurationis ſed negatiua.

Dico ſecundò, *Deus non eſt cauſa poſitiua, extremæ obdurationis, influendo; ſed eſt negatiua, iuſto ſuo iudicio nõ dando auxilia efficacia.* Pars Pr̃ia *ex priori Dicto patet.* Et *Præterea.* ad hanc obſtinatam voluntatem, neceſſaria eſt malitia; ſi ergo hoc Deus poſitiuè vult, vellet malitiam.

Probatvr *pars ſecunda.* Pſal. 8. *Et non audiuit populus meus vocem meam: Iſrael non intendit mihi.* in his verbis contemptus auxiliorum Diuinorum. *Tum dimiſit eos ſecundum deſideria eorum; ibunt adinuentionibus ſuis.* Ecce abiectio reproborum, ex iuſto iudicio: iuſtum enim eſt, vt ab obcæcatis, & induratis ſubtrahantur auxilia congrua, & efficacia, in extremo vitæ; quia ſe illis indignos fecerunt ſuis peccatis. *Confirmatur* quia Deus, non tenetur illis dare auxilia cùm illa non meruerint. ſatis enim eſt, quòd det illis ſufficientia, vt ſi velint poſſint relĩquere peccata ſua.

Deus quòd induat, non facit hoc quaſi inducat tenebras aut duritiẽ in affectum; ſed quòd nõ det gratiam

78. Dico tertiò *Deus non eſt dicendus, quaſi ille poſitiuè immittendo tenebras in intellectum, aut duritiam in affectum, faciat obcæcationem, & indurationem: ſed ſolùm hoc facit negatiuè; quia non dat gratiam, quæ Intellectum illuminet & affectum emolliat*: Ita D. Aug. *ep. 105.* ad Sixtum, vbi ait: *Deus non indurat impertiendo malitiam, ſed non impertiendo gratiam;* Proinde in eo ſenſu intelligendus eſt locus, ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, non compellendo, ſed non conferendo gratiam ſimiliter, *ego indurabo cor Pharaonis;* hoc eſt, non inferendo malitiam, ſed non largiendo gratiam. Origenes. *lib. 3. de Principiis rerum*, dicit: *Deus nunquam aliquem cogit ad peccatum, ſed vnusquiſque peccat, ſuâ propriâ voluntate.*

Ex bonis operibus Dei etiam reprobi peccandi occaſionem ſumunt.

Nota. Quandocunque Deus aliqua facit, ſunt illa quidem verè bona, ſed ex his reprobi, occaſionem peccandi ſumunt, & in peccatis perſeuerandi. ſicut enim Sol ſuo calore ceram liquefacit, & lutum indurat, propter variam materiæ diſpoſitionem: ita ex opere Diuino, boni in amore Dei perficiuntur, mali in malitiam ruunt: vt cùm Deus in Ægypto faceret miracula per Moyſem: Iudaicus Populus, ad cultum Dei accendebatur: Pharaonis cor indurabatur. ſermo quoq; ille Christi, quo promiſit carnem ſuam ſe daturum ad manducandum, Apoſtolis fuit ſalutaris; quia tantò magis dilectione in Chriſtum inflammabantur, Phariſæi verò hunc abominabantur dicentes: *Durus eſt ſermo iſte.* Et D. Pauli expreſſa ſunt verba: *diligentibus Deum*, quales ſunt electi, *omnia cooperantur in bonum.* ergo non diligẽtibus Deũ, quales ſunt reprobi, omnia cooperantur in malũ.

Obiectio.

79. *Obijcies* Quòd reprobi in peccatis perſeuerant, eſt quidam effectus Reprobationis. atqui effectus Prædeſtinationis ſunt à Deo: ergo quoque & perſeuerantia in peccato erit à Deo. *Reſpondetur* falſum eſſe, quòd perſeuerantia in malo, ſit effectus reprobationis; ſed potius derelinqui à Deo, eo modo, vt iam explicuimus. Proinde *Obſerua*: quòd Deus, non eſt auctor culpæ, ne-

Solutio eſt.

Perſeuerantia in malo non eſt effectus reprobationis; ſed derelictio à Deo.

pæ, neque directè; quia poſitiuè nō influit: neque indirectè; quia licet auxilium gratiæ ſubtrahat, quod ſi daret, conuerteretur peccator: tamen non tenetur illud dare. *Deinde* Prædeſtinatio Diuina, eſt cauſa eorū omnium, quæ circa Prædeſtinatos fiunt, v. vocationis, iuſtificationis, glorificationis. In reprobatione autem, hoc non accidit; ſiquidem in ea reperitur peccatum, cuius Deus non eſt cauſa.

Nota ſecundò multos eſſe in Scriptura, modos dicendi, qui Deo tribuunt quaſi ille poſitiuè indurationem. & alia peccata velit & faciat.

Scripturæ loca teſtantur Deū poſitiuè indurare reprobos

Ita Iſaiæ 19. legimus: *Miſcuit Deus Spiritum vertiginis, in medio eorum, & errare fecit Ægyptum; ſicut errat ebrius. Et cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Hæ, & aliæ locutiones, ſunt figuratæ. nam Deus propriè & poſitiuè, non excæcat hominem, nec inducit in errorem, qui eſt peccatum; ſed dicitur facere; quia permittit illud fieri. ſic. D. Damaſc. docet *l. 4. de Fide Orth c. 14.* dicēs: *Eſſe morem S. Script. permiſſionē Dei, illiꝰ actionē vocare.*

Sed quomodo?

QVÆSITVM XI.

In quonam ſenſu, ſunt veræ hæ Propoſitiones? *Prædeſtinatus neceſſariò ſaluatur;* & *Prædeſtinatus non poteſt damnari.*

80. Ad Quæſitum dico primò. *Hæ propoſitiones dupliciter ſumi poſſunt*; aut coniunctim, *hoc eſt in ſenſu compoſito*; aut diuiſim, *hoc eſt, in ſenſu diuiſo, ſi ſumantur hæ propoſitiones in ſenſu compoſito, ſunt veræ, & concedendæ.* Nam huius Propoſitionis *prædeſtinatus neceſſariò ſaluatur*, hic erit ſenſus, non poſſe hæc ſimul ſtare. *eſſe prædeſtinatum, & non ſaluari.* Similiter huius *Prædeſtinatus non poteſt damnari*, erit ſenſus; quia hæc ſtare non poſſunt, *quòd hic ſit prædeſtinatus, & damnetur.*

Qui eſt prædeſtinatus non poteſt damnari, eſt verum, in ſēſu compoſito.

Sicut reprobatus non poteſt ſaluari.

Probatur autem has propoſitiones in ſenſu compoſito eſſe concedendas. nam aliàs Diuina Prædeſtinatio, non eſſet certa, & infallibilis, ſi hæc, quæ ſunt incompoſſibilia, ſimul conſiſterent, *quòd aliquis eſſet prædeſtinatus, & quòd non ſaluetur.* ergo ſunt veræ in ſenſu compoſito *Tum* etiam ſequeretur, Deum eſſe mutabilem; ſi enī, quē ſemel prædeſtinauit ad vitā æternā deſereret prædeſtinare; & ad mortē æternam damnaret. ergo in ſēſu compoſito erit vera hæc Propoſitio, *qui ſemel eſt prædeſtinatus neceſſariò ſaluatur.*

81. Dico ſecundò. *Si verò diuiſim, ſeu in ſenſu diuiſo ſumantur, hæ Propoſitiones iam erunt falſæ, ac proinde negandæ.* nam huius Propoſitionis *Prædeſtinatus neceſſariò ſaluatur*, ſenſus erit iſte *prædeſtinatus non liberè ſaluatur, ſed ex quadam neceſſitate.* ſimiliter *prædeſtinatus non poteſt damnari*, ſenſus erit hic, *non eſt poſſibile, quod hic prædeſtinatus damnetur.* Et *Ratio eſt*, quamuis enim cer-

Prædeſtinatus neceſſariò hoc eſt non liberè ſaluatur diuiſim ſumpta prop: falſa.

enim certum eſt, quòd Prædeſtinatio Dei, ſit certa, efficax, infallibilis, immutabilis. tamen quia illius effectus, v. vocatio, iuſtificatio, prouenīūt à prædeſtinati libero arbitrio, quod eſt cauſa contingens, & efficiens, ideo illi effectus, non ſunt neceſſarij ſed contingentes; atque ſic hæ Propoſitiones, in ſenſu diuiſo erunt falſæ.

Cōcluſio de biliorem partem etiam in Theologia ſequitur.

Ratio ſecunda. Idē hic accidit, quod in Dialecticis; quia ſicut ex vna propoſitione neceſſaria, & altera contingenti, ſequitur Concluſio contingens: ita in propoſito, effectus Prædeſtinationis, procedunt à Diuina Prædeſtinatione, quæ eſt immutabilis, & infallibilis; ſed quia mediāte libero arbitrio, erūt cōtingētes.

Operationes Dei liberæ nō neceſſariæ.

82. Dico tertiò. *Hæ Propoſitiones ſi abſolutè ſumantur, ſunt faſæ.* PROBATVR, quia operationes Dei ad extra, ſunt liberæ, non neceſſariæ. ſed vocatio, iuſtificatio, glorificatio, ſunt operationes ad extra, quas Deus circa homines operatur. ergo non ſunt neceſſariæ, ſed liberæ. *Confirmatur* De⁹ liberè dat ſuam gratiam, & gloriam, omnibus prædeſtinatis à ſe. ergo nō neceſſariò. ergo qui ſaluatur, non neceſſariò ſaluatur, ſed liberè per hoc fundamentum, reiicienda eſt ſententia, Ambr. Cather. qui tres libros de Prædeſtinatione conſcripſit, affirmans in eis, quòd hæ propoſitiones, *Prædeſtinatus neceßariò ſaluatur*, *Prædeſtinatus non poteſt damnari* ſimpliciter & abſolutè nō ſūt cōcedendæ. *Ratio illius*, nam ſaluari prædeſtinatum, non eſt neceſſarium ex ſuppoſitione, ſed eſt neceſſariū ſimpliciter & abſolutè; ex cuius doctrina hoc ſequitur, quòd Prædeſtinatio imponat neceſſitatem abſolutā, non ex ſuppoſitione, quòd omnino eſt falſum: vt ex iam dictis patet.

DISPVTATIO V.

De Certitudine Prædeſtinatorum.

Abſurda Catherini.

1. NEgat Ambr. Cather. in lib. ſupra allegato, & dicit tria: *Primò* eſſe contra S. Scripturam, quòd ſoli prædeſtinati ſaluentur, & quòd ſoli reprobi damnentur. *ſecundò* dicit ſententiam D. Th. & Aug. eſſe crudelem, & quæ occaſionem deſperationis præbet. *tertiò* omnes homines, in tres claſſes diſtribuit: *in prima* collocat eos, qui ſunt in gratia confirmati, quales erant Apoſtoli, & de his intelligenda eſſe loca Scripturæ, quæ de Prædeſtinatione loquuntur: *in ſecunda* ponit homines facinoroſos, inſignes malitiā, quales erant Phariſæi, & Iudas, & de his dicit intelligenda eſſe loca, quæ de reprobatione loquuntur. *in tertia* conſtituit reliquos homines & hos affirmat, neque eſſe prædeſtinatos, neque reprobos; ſed quòd hi ſecun-

hi, ſecundùm vſum ſui liberi arbitrii, aut ſaluabuntur, aut damnabũtur. Tandem infert, quòd prædeſtinatorum non ſit certus numerus. Pro determinatione Quæſiti.

Qui ſaluantur, sũt præ deſtinati.

2. Dico primò. *Secundùm fidem certum eſt, quòd hi omnes, qui ſaluantur, ſunt prædeſtinati.* PROBATVR ex illo Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnũ paratũ vobis ab origine mundi.* ſed hæc præparatio, eſt Prædeſtinatio. nã ad Rõ. 9. dicitur, *in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloria*, hoc eſt *prædeſtinauit.* & ſic cõmuniter D. Aug. ac cũ eo DD. loquũtur: quòd Prædeſtinatio ſit præparatio, Diuinorũ beneficiorũ. ergo omnes hi quicunq; in regnum Dei intrant, ſunt ab æterno prædeſtinati.

Probatur 2. Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imagini Filij ſui: ſed omnes quicunq; ſaluantur, ſunt Chriſto conformes in gratia iuſtificante, & in aſſecutione gloriæ. ergo ſunt prædeſtinati.

Probatur 3. ex illo ad Rõ. 9. *vt oſtẽderet diuitias gloriæ ſuæ ĩ vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloria. Quos & vocauit, nõ ſolũ ex Iudæis ſed etiã ex gẽtib⁹* Ergo õnes hi quicunq; vocati sũt, ſiue ex Iudæis ſiue ex gentib⁹ ad gratiã & ad aſſecutionẽ gloriæ, sũt sĩpliciter prædeſtinati. ergo falſũ quòd dicit Cather quaſi ſit quædã multitudo hominũ, quę nec reprobetur. nec prædeſtinetur. falſum quoque quaſi loca Scripturæ, quæ loquũtur de Prædeſtinatione, sĩt intelligẽda ſolũ de his, qui erãt cõfirmati, & sũmæ ſanctitatis. SED

Obiectio Catherini.

3. *Arguit Cather.* ex eo, ſi numerus eſt præ definitus prædeſtinatorum, & reproborum, ſequi tria inconuenientia: *primum* tolleretur prædicatio; ſiquidem, quod futurum ſit, iã eſt prædefinitum: *ſecundum*, fruſtra De⁹ exhortaretur homines ſuis bonis inſpirationibus: *tertium*, quia prædefinitus numerus, cauſat in hominibus deſperationem.

Solutio ad ſingula abſurda.

Reſpondetur ad primum inconueniens; quia Chriſtus Dominus prædicauit Apoſtolis, & aliis Diſcipulis, cùm dicebat: *Gaudete & exſultate, quia merces veſtra copioſa in cælis: & quia nomina veſtra, ſcripta ſunt in libro vitæ.* Sed Apoſtoli ſecundùm Cather. erant prædeſtinati, & his tamen prædicatio facta. ergo certitudo Prædeſtinationis, non deſtruit prædicationẽ.

Ad ſecundum dico, Deum in hominibus, ſapienter, miſericorditer, & iuſtè operari. nam in quibuſdam, miſericordia Diuina vertitur in irã, propter duritiam cordis, idipſum Deo permittente, vt in his oſtẽdatur iuſtitia Dei: in aliis verò ex abundantia gratiæ euenit, quòd admittant Diuinas inſpirationes.

Ad tertium dico cùm D. Aug. hanc ſententiam nõ eſſe rudi populo annuntiandam, ne ſuboriatur deſperatio, ſed vrgente neceſſitate, v. vt Hæreſis exſtirpari poſſit, palam promulganda & aſſerenda eſt.

Inter homines nullus eſt, qui non ſit aut prædeſtinatus aut reprob⁹ cùm duo sĩt tantùm ordines eorũ.

4 Dico ſecundò. *Nullus eſt inter homines, qui non ſit prædeſtinatus, aut reprobus.* PROBATVR Matth. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, oues à dextris, hædos à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui à dextris erunt*: venite benedicti. *his verò qui ſunt à ſiniſtris*: diſcedite à me. *Probatur ſecundò.* D. Paul. ad Rom. 9. ad deſignãdos prædeſtinatos, & reprobos, tantummodò refert Eſau reproborum exemplar, & Iacob, qui erat imago prædeſtinatorum.

Probatur tertiò Apocal. 17. omnes, vel ſi

vel ſignantur ſigno Thau, vel illo carent; hi qui ſignantur, ſunt prædeſtinati: qui illo carent, ſunt reprobi. *Obiicit* Cather. ex Scriptura, quòd quidam amittent coronas, & gloriã, nã dicitur Apoc. 3. *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* ſed reprobis nulla debetur corona, niſi ſolis prædeſtinatis: hi verò non poſſunt eam amittere. ergo neceſſariò concedendum, quòd Scriptura loquitur de his, qui neque ſunt reprobi, neque prædeſtinati.

Obiectio alt era Catherini.

Solutio ei9.

Reſpondetur hoc, quod infert Cather. non ſequi ex eo loco, ſed ſolùm, quòd aliqui amittant coronas ſuas: quia voluntate Dei antecedente, ſunt prædeſtinati, quæ nunquam habitura eſt ſuum effectum.

Numerus Prædeſtinatorum apud Deũ eſt certus etiã quo ad certas pſonas.

5. Dico tertiò. *Numerus prædeſtinatorum, in Scientia Diuina, eſt certus, prædefinitus, non ſolùm formaliter, ratione numeri in abſtracto, ſed & materialiter in concreto, reſpectu certarum perſonarum.* Ita docet D. Th. *hîc a. 7. Deus non ſolùm nouit ſaluandorum numerum, eſſe centum aut mille, in confuſo, & indeterminatè, ſed vnumquemque nouit diſtinctè, in ſuo indiuiduo, quod ſit. v. g. B. Virgo, D. Petrus & Paulus, & alii.* nam aliàs Scientia Dei, non eſſet infinita, nec comprehenſiua omnium, ſed haberet ignorantiam admiſtam, & in tempore mutaretur. vnde Scriptura loquitur: *gaudete, quia nomina veſtra, ſcripta ſunt in libro vitæ.* & Apocal. 3. *Audiui numerum ſignatorum.* Tum 2. ad Timoth. 2. *Nouit Dominus, qui ſunt eius.* Ioan. 10. *Ego cognoſco oues meas.* & D. Aug. *l. de Correpț. & Grat. c. 13.* dicit: *ita eſt certus numerus Prædeſtinatorum, vt nec addatur illis quidquam, nec minuatur. nam impoſſibile eſt falli Scientiam Dei.* D. Proſper. etiam *l. 2. de Vocatione gentium, c. 33.* dicit: *Præſcientia Dei, falli non poteſt, nihil perdit, de plenitudine membrorum Corporis Chriſti, & nullo detrimento, minui poteſt ſumma præcognitio.*

6. Dico quartò. *Numerus prædeſtinatorum, tam formaliter, quàm materialiter, ſoli Deo cognitus eſt, ita quòd nemo per legem ordinariam, niſi illi reuelatum fuerit, ſcire poteſt euidenter, quòd ſit in numero prædeſtinatorum, ſed ſolùm ſub dubio, & per coniecturas.* ita ſentit D. Th. *hîc, a. 7.* & fauet Scriptura Pſal. 30. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ.* & Pſalm. 11. *ſecundùm altitudinem tuam, multiplicaſti filios hominum.* ad Rom. 11 *quis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Apocal. 6. *Liber ſignatus ſeptem ſigillis, & nemo eum aperuit, niſi ſolus agnus.* Per hunc librum, quidam Prædeſtinationis ſcientiam, interpretantur. & Eccleſia in Quadrageſima, his verbis orat; *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus prædeſtinatorum, in ſuprema felicitate locandus.*

Soliq; Deo notus, niſi p reuelationẽ alicui ſed tamen ſub dubio.

PROBATVR alterum, *quòd nemo euidenter nouit, ſe eſſe certò prædeſtinatum.* Eccl. 9. *Neſcit homo, vtrum ſit odio, an amore dignus, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* & Prouerb. 28. dicitur: *Beatus qui ſemper eſt pauidus.* Tum Pſal. 2. *Apprehendite diſciplinam; ne pereatis de via iuſta.* D. Aug. *l. de Correp. & Grat. c. 13.* dicit: *Quis ex numero fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, præſumat ſe eſſe in numero prædeſtinatorum? id enim occultare opus eſt, in hoc loco, vbi cauenda eſt elatio.* Et D. Hier. in c. 9. Eccl. *Iuſti nequeunt ſcire, vtrum amentur à Deo, ſed in ambiguo fluctuant, ſcient autem in futuro, cùm ex hac vita deceſſerint.* Demum Concil. Trid. *ſeſſ 6 Can. 16,* dicit: *ſi quis magnum illud perſeuerantiæ donum, ſe certò habiturum,*

turum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ſpeciali reuelatione didicerit, Anathema ſit.

Pluresmultò reprobātur, quàm prædeſtinātur.

7. Dico quintò. *Numerus reproborum, abſolutè & ſimpliciter conſideratus, longè eſt maior prædeſtinatorum.* PROBATVR Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex, complacuit enim Patri veſtro, dare vobis regnum.* Expreſsè loquitur de prædeſtinatis, & eos appellat puſillum gregem, reſpectu reproborum. & Matth. 7. *Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam: laxa verò quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam.* & c. 20. *multi ſunt vocati, pauci electi.*

ET *Ratio eſt.* Ex tanta multitudine Nationum, pauci ſunt Chriſtiani, & ante Fidem Chriſtianam, ſola Iudæa verũ cultũ Deo perſoluebat, cæteræ verò nationes, Idola adorabant; ex quo manifeſtè colligitur, quòd reprobi longè ſint plures,

Etiam Chriſtiani pauci prædeſtināti.

Quæres quid de Chriſtianis ſentiendum, an ex his plures prædeſtinati, an verò reprobi? *Reſpõdetur*, quòd Sylu. Carthagena, Cather. affirmãt: lõgè plures eſſe prædeſtinatos, quã reprobos. *Ratio illorum*, quia Sanguis Chriſti, eſt maximè efficax & potẽs, qui per vſum Sacramentorum Chriſtianis applicatur. ſed communior eſt ſententia, quòd etiam ex Chriſtianis, plures erunt reprobi, patet ex Parabola ſeminis, quæ explicatur de Chriſtianis, tertia autem pars ſeminis cecidit ſupra bonam terram, & auctor imperfecti operis Homil. 68. dicit, *ex mille Chriſtianis, vix centũ conſecuturos ſalutem.* quocirca cum timore & cum tremore operemur ſalutem.

Ad rationem in contrarium dico, quòd Chriſtiani ſuſcipiunt quidem Sacramenta, ſed non cum ea, qua par eſt diſpoſitione; proinde non omnes Sanguinis Chriſti meritum conſequentur.

DISPVTATIO VI.

An Prædeſtinatio poſſit iuuari precibus Sanctorum?

1. PRo reſolutione huius difficultatis *Noto primò*, quòd habet S. Doctor *a. 8.* duos ſ: circa hoc Quæſitum fuiſſe errores.

1. Error Epiſurcorum,

Primus error eorum, qui manauit ab Epicureis, qui dicebant: *ſi attendamus ad certitudinem Prædeſtinationis, ſuperfluæ ſunt orationes; ſiue enim fiant, ſiue non, prædeſtinati ſaluabuntur, & reprobi damnabuntur.* eſtque hic error contra vſum Eccleſiæ, quæ verbis Scripturæ, multoties nos exhortatur ad mutuas orationes.

2. Ægyptiorum & Stoicorum.

Secundus illorum, qui ex Ægyptiis manauit in Stoicos; defenditq; eundem, vt refert D. Th. *q. 6. de Verit. a. 6.* Auicena. aſſerebant enim, quòd per orationes SS. mutetur ordo Prædeſtinationis, quod quidem falſum

falſũ. nã Scriptura dicit 1. Reg. 15. *Porro triũphator in Iſrael, nõ parcet & pœnitudine nõ flectetur.* ergo ordinatio Diuina, moueri non poteſt. & ad Rom. 2, dicitur: *ſine pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio.* ergo ſi mutaretur ordo prædeſtinationis, pœniteret eum factæ ordinationis.

In prædeſtinatione duo ſunt. *Noto ſecundò.* In Prædeſtinatione Diuina duo eſſe: Præordinationem & effectum. Pro determinatione itaque

Prædeſtinatio ſumpta pro præordinatione SS. precib. non poteſt iuuari. 2. Dico primò, *Prædeſtinatio ſumpta pro præordinatione, Sanctorum precibus non poterit iuuari.* PROBATVR, Diuus Thomas *hîc, in 1. diſtinctione 41.* dicit: *Eo modo, quo Diuina Prædeſtinatio, habet cauſam. poteſt iuuari Sanctorum precibus.* Sed Prædeſtinatio vt eſt præordinatio, & vt eſt actus prædeſtinandi, non habet vllam cauſam ex parte noſtra. ergo non poteſt iuuari Sanctorum precibus. Idem Diuus Thomas *quæſtione 6. de veritate. articulo 6.* dicit: *Preces Sanctorum, etiam ſecundùm quòd ſunt præuiſæ ab æterno, non poſſunt iuuare Prædeſtinationem, quoad actum prædeſtinandi.* Sicut enim Deus, licet cuiuſlibet electi præuiderit proprias preces, & merita: illorum tamen intuitu, non ſunt ab eo prædeſtinati: Idem dicendum de Sanctorum precibus, & meritis, quòd Prædeſtinationem quoad actum præordinationis, non poſſunt iuuare.

Pro effectibus verò poteſt. 3. Dico ſecundò. *Prædeſtinatio ſumpta pro ſuis effectibus, iuuari poteſt, precibus Sanctorum,* PROBATVR. locis Scripturæ, quibus excitamur ad orandum inuicem, 1. ad Theſſalonicenſes. 5. *ſine intermiſſione orate,* & Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini, multum enim valet oratio iuſti aſſidua.* & *Ratio eſt.* Primus effectus Prædeſtinationis, qui reperitur in prædeſtinatis, eſt vocatio. ſed aſſenſus vocationi, fit per gratiam, & poteſt Sanctus precibus ſuis, Peccatori impetrare vt vocetur. nam Diuus Auguſtinus, de Diuo Stephano dicit: *Niſi Stephanus oràſſet, Eccleſia Paulum non haberet:* Et Diuus Gregorius, *libro. 1. Dialogorum, capite. 8.* dicit: *Iſaac orauit pro vxore ſua ſterili Rebecca, eiuſque precibus factum eſt, vt conciperet Iacob, qui prædeſtinatus erat, & in cuius ſemine promiſit Deus ſe daturum benedictionem omnibus gentibus.* ſed vt refert Diuus Thomas. Prædeſtinatio non eſſet impleta, ſi natus non fuiſſet. ergo Prædeſtinatio, iuuatur precibus Sanctorum. Tum idem Doctor *3. contra gentes cap. 96.* dicit: *Dicere non eſſe orandum, vt conſequamur aliquid à Deo, ob id, quòd Prouidentia eius eſt immutabilis, idem eſt atque dicere, non eſſe ambulandum, ad hoc vt perueniamus: & non eſſe comedendum ad hoc vt nutriamur; quæ omnia ſatis ſunt abſurda.*

4. Dico tertiò. *Si ſumamus Prædeſtinationem, vt ſic pro omnibus effectibus intrinſecis, qui in nobis reperiuntur, vt ſunt gratia, Iuſtificatio, gloria, poteſt iuuari precibus Sanctorum:* Ita ſentit Diuus Bonaventura, cum dicit: *iuſtus, meretur merito digni primam gratiam peccatori.* Tum Diuus Thomas *libro ſecundo. quæſtione vltima:* docet, quòd. *iuſtus poteſt mereri, de condigno alicui peccatori, non ſolùm primam gratiam, ſed etiam diſpoſitionem ad illam:* Si itaque iuſtus poteſt mereri peccatori primam gratiam; ergo etiam poteſt mereri exſiſtentiam in gratia; & per conſequens augmentum gratiæ,

Etiã pro intrinſecis effectibus ſupra.

gratiæ, ipsâq; tandem; gloriam; ergo poteſt impetrare effectus Prædeſtinationis intrinſecos: Et Diuus Gregorius, *libro primo, Dialogorum, capite octauo.* dicit: *Obtineri à Deo non poßunt, quæ ab eo prædeſtinata non fuerunt.* ergo per contrarium, ea poſſunt obtineri à Deo, quæ ſunt prædeſtinata à Deo. ſed Deus prædeſtinauit preces Sanctorum; vt quibusdam effectus Prædeſtinationis impetrarent. ergo vt ſic, iuuant preces Sanctorum Prædeſtinationem. Demum Diuus Auguſtinus, *libro ſecundò. de Bono Perſeuerantiæ capite 22.* dicit: *Si qui nondum vocati ſunt, pro eis oramus, vt vocentur, quia fortaße ſic ſunt prædeſtinati, vt noſtris orationibus concedantur.*

Prædeſtinatio precib⁹ SS. iuuatur quomodo intelligend?

Nota. Quando dicimus, *quòd Prædeſtinationem iuuant preces Sanctorum,* id ita intellige, non quòd Sanctorum preces, ſint causa, propter quam Deus prædeſtinat; ſed quia ſic Deus præordinauit ab æterno, vt iuuari poſſit. Priùs enim Deus, ex ſua gratuita & mera voluntate, aliquem prædeſtinat, & poſtea ordinat, ac diſponit illum conſecuturum gratiam & gloriam, per medium orationis alicuius Sancti.

Obiectio.

5. *Sed Obijcies.* Si precibus Sanctorum, iuuatur Prædeſtinatio alicuius; ergo per easdem poterit impediri; quia eiusdem eſt cauſæ, poſſe iuuare, & poſſe impedire. *Sequela* nam effectus primæ cauſæ poteſt impediri, per defectum ſecundæ: ſicut in animali motrix facultas impeditur fractione cruris. ſed effectus Prædeſtinationis, qui à Deo ſunt, fiunt mediante cauſa ſecunda libera. ergo ob defectum illius, poterit impediri; ſi autem prædeſtinatio poſſet impediri, non eſſet certa nec infallibilis.

Solutio illius.

Reſpondetur certiſſimum eſſe, (vt iam deduximus) quòd Prædeſtinatio iuuari poteſt precibus Sanctorum, ſed non impediri. *Ratio eſt,* quia omnes cauſæ ſecundæ, quæcunque illæ ſunt, continentur ſub ordine cauſæ primæ; & ſunt ſubiectæ Diuinæ præordinationi; proinde impoſſibile, quòd ab illo ordine deficere poſſint, aut quòd poſſint impedire cauſam primam, in ordine ſuorum effectuum.

Cauſa ſecunda non poteſt impedire primam.

6. Ad illud verò quòd dicitur: *motrix facultas in animali, impeditur fractione cruris.* dico, quòd talium cauſarum effectus, poſſunt impediri à ſecundis, quæ non ſunt primæ ſimpliciter, qualis eſt Deus, & illis omnes cauſæ ſecundæ, quantùm ad omnia non ſunt ſubiectæ: Iam autem Deus eſt ſimpliciter prima cauſa, & ille omnibus cauſis, dedit & determinauit certos particulares modos operandi, ita, quòd omnes cauſæ ſecundæ, ſunt illi ſubiectæ; & eo modo agunt, vt Deus in illis ordinauit; ſed ſic ordinauit, vt preces Sanctorum iuuarent aliorum Prædeſtinationem, quoad effectus, & nequaquam ordinauit vt impedirent, ergo iuuant & non impediunt.

Niſi quæ nõ ſit prima ſimpliciter.

Dico quartò. *Prædeſtinatio ſumpta, pro omnibus effectibus, tam intrinſecis, qui in nobis recipiuntur, quàm extrinſecis, qui ſunt media ordinata à Deo ad noſtram vtilitatem, precibus Sanctorum ſimul omnes collectiuè, non poßunt mereri, nec impetrari ab eo* Probatur, Si enim hoc poſſent, iam preces Sanctorum eſſent cauſa Prædeſtinationis, Atqui ſunt effectus. nam De-

Prædeſtinatio includẽs effectus tam intrinſecos quàm extrinſecos. SS. precibus nõ poteſt iuuari.

nam Deus, per orationem huius, ordinauit hunc vocare, vt Diuum Paulum, propter orationem Sancti Stephani. ergo non poſſunt preces Sanctorum, omnes effectus collectiuè ſimul impetrare.

Et hic iam Tractatui de Prædeſtinatione, finem imponimus. Nos modò ea, quæ ſunt ſalutis operemur, & ſic ſumma ac omnipotens Benignitas Dei, illius comparticipes nos efficiet. Cui ſit Laus in omnem Æternitatem.

IN

IN TRACTATVM DE SANCTISSIMA & INDIVIDVA TRINITATE

PRÆFATIO.

OMnis, quæ de Deo habetur cognitio, ſecundùm D. Dion. *c. 2. de Diu. Nom* potiùs ignorantia appellanda eſt, quàm ſcientia. Deus enim, qui lucem inacceſſibilem inhabitat, poſuit tenebras latibulum ſuũ; quia ab homine, cùm ſit ſupra eius captum, intelligi perfectè non poteſt. Salomon Rex, cùm templum magnificum à ſe conſtructum Deo conſecraret, videretq; illud nebula impleri, ita, vt Sacerdotes non poſſent ſtare in ſuis officiis, exclamauit: Deum habitare in nebula. & Moyſi Deus in caligine locutus eſt. Et hæc eſt cauſa, cur in gloria, & in Maieſtate Diuina aſſequenda, omnis lingua titubat, acies ingenij hebeſcit, proximumq; crimini eſſe arbitratur, velle ſe immiſcere Diuinis arcanis; quæ religioſo ſilentio magis, quàm vocis prædicatione coli debent. Sed cùm ex his, quæ ad vnitatem Diuinæ Eſſentiæ pertinebant, aliquot difficiliores Tractat. maximè de Scientia Dei, & de Prædeſtinatione, cum adiutorio Diuino expediuerimus: ordo à nobis poſtulare videtur, vt ad Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, pro modulo noſtro explicandum tranſeamus. quod quidem iam aggredimur; Deum

nobis,

nobis, cùm ſit illius Maieſtatis negotium, propitium fore certò promittentes, præſertim in lumine fidei adaugendo, non defuturum. Ordo autem, & connexio præcedentis doctrinæ, cum præſenti, habetur apud D. Th. in *1. p. q. 27.* in his verbis: *Conſideratis his, quæ ad Diuinæ Eſſentiæ vnitatem pertinebant, reſtat conſiderare de his, quæ pertinent ad Trinitatem Perſonarum in Diuinis:* hoc eſt, quoniam de Deo in quantùm eſt vnus, & de illius Attributis egimus, nunc de Deo, vt eſt trinus in Perſonis, agemus.

DIVISIO TRACTATVS.

Ordinem S. Doctoris, cum interpretibus eiuſdem in hoc Tractatu, qui ſe extendit à *q.* 27. vſque ad *q.* 43. ſequemur.

Erunt igitur Diſputationes 17.

1. *De Proceſſione Diuinarum Perſonarum.*
2. *De Relationibus Diuinis.*
3. *De Perſona in Communi.*
4. *De pluralitate Diuinarum Perſonarum.*
5. *De his, quæ pertinent ad vnitatem vel pluralitatem in Diuinis.*
6. *De cognitione Diuinarum Perſonarum.*
7. *De Perſona Patris.*
8. *De Perſona Filij, vt eſt Verbum.*
9. *De Perſona Filii, vt eſt imago Patris.*
10. *De Perſona Spiritus ſancti.*
11. *De Perſona Spiritus S. vt eſt amor.*
12. *De Perſona Spiritus S. vt eſt donum.*
13. *De Perſonis comparatis cum Eſſentia.*
14. *De Perſonis comparatis ad Relationes, & proprietates Perſonarum.*
15. *De Perſonis comparatis ad actus notionales.*
16. *De Æqualitate Perſonarum Diuinarum.*
17. *De miſſione Diuinarum Perſonarum.* Et has Diſputationes, quantâ poterimus facilitate & breuitate explicare contendemus.

DISPV-

DISPVTATIO I.

De Proceſſione Diuinarum Perſonarum.

Primùm quædam generalia præmittentur, quæ ſeruient vniuerſo huic Tractatui; poſtea hæc Quæſita ſequentur:

1. *An in Diuinis ſit Proceſſio?*
2. *An aliqua Proceſſio in Diuinis dici poſſit Generatio?*
3. *An præter hanc detur alia?*
4. *An hæc Proceſſio dici poſſit Generatio?*
5. *An ſint plures Proceſſiones?*

PRÆAMBVLA GENERALIA.

1 CVm in nulla materia, quàm in hac de SS. Trinit. grauiùs, & periculoſiùs errari ſoleat, ad hoc euitandum, quædam præmittemus, v. quatuor Proloquia:

PROLOQVIVM PRIMVM.

Ratio naturalis fuit occaſio pluriũ errorum; idcirco cum D. Greg. Nazian *Orat. 34.* dicò, quòd in hoc Myſterio Trinitatis potiùs ducem ſequemur Fidem, quàm rationem; ſiquidẽ captum rationis ſummè excedit. Cauſam reddit D Th. *in. 1. diſtin. 33 q vnica, a 1 ad 2* dicẽs: *in nulla re creata inuenitur aliquid Diuinæ ſimplicitati ſimile, vt habens ſit id quod habetur*, hoc eſt, cùm non modò ſecundùm Philoſophiam, ſed etiam ſecũdùm D. Paul. *inuiſibilia Dei à creatura, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciãtur*; omnium verò inuiſibilium, maximè Myſterium Trinitatis ſit inuiſibile, iam illud cognoſcendum eſſet per ea, quæ facta ſunt; ſed hoc non poſſe fieri dicit D. Th. ſi enim per ea quæ facta ſunt, hoc Myſteriũ cognoſceretur, in aliqua re creata inueniretur aliquid Diuinæ ſimplicitati ſimile. atqui non inuenitur; dicit enim idem Doctor Angelicus: *Omnia ſimilia, quæ poſſent induci, vel de punctis, vel de differentiis exſiſtentibus in genere, plùs habent de diſſimilitudine, quàm de ſimilitudine, & omnino magis abducunt à veritate, quàm in verum inducunt intellectum.* D. Epiph etiam *Hæreſi 76. ad c 7.* dicit: *nemo nouit Filium, niſi Pater, & Patrem niſi Filius, & cui is reuelauerit: reuelat autem per Spiritum S. non his, qui de ipſo per ſyllogiſmos ratiocinantur, ſed qui in ipſum legitimè & perfectè credunt.* Agimus enim de Deo vno, & trino, nec iam amplius

plius de illius exſiſtentia, aut de attributis, quæ in creaturis cognoſci poſſunt inquirem*; ſed quòd omnino ſit Deus ſecundùm ſe, in quo identitas Subſtantiæ; ſeu Eſſentiæ, coniuncta eſt cum reali diſtinctione Relationum. quæ excedunt captum luminis naturalis; proinde primas partes damus Fidei. Nemo igitur à nobis, exſpectet Demonſtrationes, quæ ex notioribus nobis procedant, & quæ ex immediatis principiis concludant, ſed noſtra determinatio ſumitur, ex S. Scriptura, Sacrorum Concil. definitionibus, ac SS. PP. teſtimoniis. vnde Eunomius inſignis Hæreticus, non eſt audiendus, qui (vt D. Baſil. *lib. 1.* aduerſus eundem ſcribens dicit) volebat SS. PP. eneruare auctoritatem, ne his fides haberetur, & ne plùs illis, quàm ſibi tribueretur.

PROLOQVIVM SECVNDVM.

2. Quia nõ pauci arbitrati sũt, huic Myſterio ſubeſſe falſum, & parũ eſſe conſonum rationi; ideo dico, licet hoc Myſterium, ſuperet intellectum noſtrum, ita, vt illius veritatẽ, propter ſummam altitudinem comprehendere non poſſit, tamen certiſſimè tenendum eſt, nullam in eo falſitatem poſſe latere: nam hoc Myſterium, habetur ex reuelatione ipſius Dei: Deus autem ipſiſſima veritas eſt; vnde ſicut falli non poteſt: ita etiam non fallit. Ex quo ſequitur, doctrinã de Sacroſancta Trinitate, quãuis ſit Fidei, nõ repugnare lumini naturali, nec veræ Philoſophiæ. *Ratio eſt* Deus enim, ſicut eſt author fidei & gratiæ, ita etiã & luminis naturalis: & ſi hæc inter ſe pugnarent aliqua contrarietate, Deus ſibi contrarius eſſet, quod eſt impoſſibile.

In Myſterio Trinitatis SS nulla poteſt latere falſitas.

PROLOQVIVM TERTIVM.

3. Quia etiã vſus verborũ promiſcuus, genuit Hæreſes; idcirco dicim*, in hoc Myſterio, hi ſolùm modi dicẽdi diligẽter ſeruãdi sũt, quibus S. Scriptura, Concilia, SS. PP. vtuntur. ita præcipit D. Dion. Aug. Baſil. Nazian Hieron. & omnes Scholaſtici: D. Aug. *l. 10 c. de Trinit. c. 23.* ſic dicit: *Nobis autem ad certam regulam fas eſt loqui, ne verborum licentia de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* & D. Th. *q. 31. a. 2.* in corpore dicit: *Ex verbis inordinatè prolatis, incurritur Hæreſis*

In hoc Myſterio, quã ſunt modi ſeruandi?

PROLOQVIVM QVARTVM.

4. In hac materia SS. PP. & Concilia, vtuntur vocabulis, quæ licet non ſint expreſſa in Scriptura, res tamen illis ſignificatæ habentur: ſunt autem hæc: *Trinitas, Eſſentia, Subſiſtẽtia, Perſona, Hypoſtaſis, Perſonæ notio, Actus notionales, Relatio, Homouſion,* & aliis his ſimilibus, vt in progreſſu Diſputationum patebit, hæc autem verba, *Pater, Filius,* & *Spiritus S.* expreſſa habentur in Scriptura.

Quartum.

Vocabula quibus SS. Patres & Cõcilia, licet in Scriptura non ſint, vtuntur.

Nota his vocibus, Hæreticos præſertim Arrianos eſſe iuratos hoſtes; ſicut enim Myſteriũ Trinitatis exſtinctum eſſe volunt: ita & nomina, eandem ſignificantia ex hominum memoria exſtirpata, & abolita cupiunt.

Sed quæres An in hoc Tractatu de Myſterio Trinitatis, ſit aliquod Subiectum, ſint aliqua Principia, atque etiam Partes ſubiectiuæ? *item* an ſint Proprietates, & paſſiones, quæ ex illius quidditate, atq; etiam ex ſingulis partibus profluant? *Reſpondeo* huius Tractatus Subiectum, poteſt commodè dici, *Trinitas Perſonarum*, quæ Diuinas Perſonas, vnius

Diuinæ

Prīcipia ſūt origines ac Relationes

Diuinæ Eſſentiæ numero ternario numeratas, ſignificat: *Principia* verò conſtitutiua, atque etiam diſtinctiua, ſunt origines, ſunt & Relationes: *Partes deinde ſubiectiuæ*, eſt inprimis Perſona Diuina in communi conſiderata; atque etiam ſingulares in particulari, quæ conueniūt Perſonis, inquantùm Eſſentia comparatur Relationi, & Actui notionali: *Proprietates* demum ſunt, æqualitas, ſimilitudo, miſſio, de quibus in hoc Tractatu agemus. His ita præmiſſis venio ad

Partes ſubiectiuæ ſunt *Perſona diuina in cōmuni ac etiam ſingulares*;

Proprietates ſunt æqualitas ſimilitudo, miſſio.

QVÆSITVM I.
An in Diuinis ſit Proceſſio?

Proceſſio in Diuinis neceſſariò cōcedenda.

5. PRo determinatione Dico primò. *In Diuinis neceſſariò concedēda eſt Proceſſio.* PROBATVR. S. Scriptura in rebus Diuinis, quæ eſſentialiter ſunt Diuinæ, quales ſunt Perſonæ, vtitur nomine *Proceſſionis.* ergo Proceſſio in Diuinis concedenda. *Antecedens* Ioann. 8. dicit Saluator: *Ego à Patre proceſſi.* loquitur de ſua Perſona, cùm dicit *Ego*: loquitur & de Perſona Patris, cùm dicit *à Patre*: loquitur & de Proceſſione, cùm dicit *proceſſi.* ergo Proceſſio concedenda eſt prima, quæ eſt Verbi ſeu Filii Dei. & c. 15. Ioan. dicit: *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, loquitur de altera Proceſſione, quæ eſt Spiritus S. ergo Proceſſio admittenda. *Præterea* Sapientia genita, hoc eſt, Filius Dei, Eccleſ. 24. ſic de ſe loquitur: *Ego ex ore*, id eſt ex intellectu, *altiſſimi prodii primogenitus, ante omnem creaturam.* & Micheæ 5. de Chriſto dicitur: *Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* in Symbolo quoque confitemur de Spiritu S. *qui ex Patre Filioq; procedit.* ergo omnino Proceſſio in Diuinis admittenda.

De Proceſſione duæ Hæreſes.

6. DICO ſecundò. *De hac Proceſſione ſunt duæ impiæ, & abominandæ Hæreſes.* Prima *Arrii*, ſecunda *Sabellii.* Arius in Diuinis eo modo Proceſſionem admittit, quo effectus à ſua cauſa procedit, dicebatque Filium à Patre procedere, tanquam primam eius creaturam, & Spiritum S. à Patre & Filio tanquam vtriuſq; creaturam.

Sabellius verò Diuinam Proceſſionem eſt interpretatus ſic, quomodo cauſa dicitur in ſuum effectum procedere, vel cùm mouet illum, vel cùm illi ſuam ſimilitudinem imprimit; proinde dicit, Deum Patrem dici Filium, ſecundùm quod carnem ex Virgine aſſumpſit: & eundem dici Spiritum S. ſecundùm quod creaturam rationalem ſignificat. Hæ vtræq; Hæreſes confutantur *hîc a 1.* à S. Doctore.

Refutatio opinionis 1.

Prima reiicitur ſic. Sequeretur per hanc Hæreſim, quòd neq; FILIVS, neque SPIRITVS S. eſſet verus Deus; ſed contrarium docet Scriptura. dicit enim de Filio, Ioan. vltimo: *vt ſimus in vero Filio eius, & hic eſt verus Deus.* QVOAD Spiritum S. PROBATVR. 1. Corinth. 3. *Neſcitis quia membra veſtra, ſunt templum Spiritus S.* ſed templum habere, eſt ſolius veri Dei.

 ergo

ergo & Spiritus S. eſt verus Deus; quia templum habet.

Secunda ſic reiicitur. quia multa ſũt loca Script. quæ oſtendunt, non eſſe eundem Patrem, qui Filius, & qui eſt Spiritus S. & in Symbolo Athan. confitetur, *alia eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus S.* Hæc autem vtraque Hæreſis, ex eo ſumpſit originẽ, quia in Deo ſtatuebat Proceſſionẽ ad extra. Proinde.

Opinionis 2.

7. Dico tertiò. *Diſtinguenda eſt Proceſſio: quædam enim eſt* ab extra, *quædam autem* ad intra. PROBATVR. quælibet Proceſſio, eſt ſecundùm quandã actionem. ſed actio duplex eſt: *quædam* ad extra, quæ tendit in materiã exteriorem, vt calor ab igne tendit in lignũ: *quædam ad intra,* quæ manet in ipſo agente; hæc autem Actio manens in agente, eſt in ſubſtantiis rationalibus, quorũ Actio eſt intelligere. omne enim agens per intellectum, ex hoc ipſo, quod intelligit, producit aliquid intra ſeipſum; hoc autem eſt conceptus rei intellectæ, ex vi intellectiua procedens: & hũc conceptum, ſignificat nomine *Verbi.* ſicut enim verbum ex ore, ita & mentis verbum, ex vi intellectiua procedit. ergo in ſubſtantiis rationalibus, eſt Proceſſio ad intra, ſecũdùm Actionẽ, quæ manet in agẽte.

Proceſſio duplex.

Actio itidẽ.

Conceptus intellectus nomine *Verbi* exprimitur.

8. Dico quartò. *Proceſſio, quæ in Diuinis inuenitur, accipienda eſt, ſecundùm emanationem intelligibilem.* PROBATVR. ea, quæ tribuimus Deo, non ſunt accipienda, ſecundùm modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundùm ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quæ ſũt intellectuales ſubſtantiæ: ſed Proceſſio eſt perfectio, quam tribuim⁹ Deo: ergo non eſt accipienda, ſecũdùm quod eſt in corporalibus, vel per motum localem, vel per Actionẽ alicuius cauſæ in exteriorem effectum, ſed ſecundùm emanationem intelligibilem, ſ: verbi intelligibilis, quod procedit ab intellectu, & manet in ipſo. & hoc modo Fides Catholica admittit Proceſſionem.

Proceſſio quæ in Diuinis, eſt ſecũdùm emanationem intelligibilẽ accipienda eſt.

9. Dico quintò. *Intelligens, in qualibet ſua intellectione format verbũ.* PROBATVR. Intellectus noſter, nullam rem intelligere poteſt, niſi illi fiat præſens, vt obiectum: ſed nulla res, poteſt eſſe præſens intellectui, vt obiectum, niſi per verbum, in ipſo intellectu formatum. ergo intellectus format verbum, in quauis intellectione. *Confirmatur.* Obiectum proportionatum noſtri intellectus, eſt quidditas materialis, à ſingularibus abſtracta. nã talis quidditas, vt eſt in re ſub conditionibus materialibus, non poteſt eſſe obiectum, immediatè terminatiuum noſtræ intellectionis. ergo neceſſe eſt, in intellectu noſtro produci verbum, ad quod immediatè terminetur act⁹ intelligendi: ita enim aſſerit D. Th. *q. 4. de verit. a. 2.* vbi ſic dicit: *verbum intellectus noſtri, eſt id, ad quod intellectus noſtri operatio terminatur, quod eſt ipſũ intellectum, quod dicitur conceptio mentis, ſeu intellectus.* & inferiùs dicit: *omne autem intellectum, in nobis eſt aliquid reale, progrediens ab altero: vel ſicut progrediũtur à Principiis conceptiones Concluſionum: vel ſicut conceptiones Quidditatum, rerum poſteriorum, à Quidditatibus priorum: vel ſaltem ſicut conceptio actualis, progreditur ab habituali cognitione; & hoc vniuerſaliter eſt verum de omni, quod à nobis intelligitur.* Idem D. Th. hunc modum intelligẽdi in corpore Deo tribuit *q. 9. de Potentia, a. 5.* vbi ſic dicit:

Intelligens in qualibet intellectione format uerbum.

cit: *Oportet ergo, quòd intelligere Deo conueniat, & omnia quæ ſunt de ratione eius.*

Verbũ à Diuino Intellectu productum habet ſimilitudinẽ cum verbo Intellectus creati.

10. Dico ſextò. *Verbum, quod Diuinus intellectus producit, habet quandam ſimilitudinem, atq; etiam diſſimilitudinem, cum Verbo intellectus creati*: ita ſentit D. Aug. *l. 15. de Trinit. c.10.* vbi ſic dicit: *Etſi verba non ſonent, tamen in corde ſuo dicit vtiq; qui cogitat.* & Matth. 9. quidam Phariſæi, cùm audiuiſsẽt à Domino dictum Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Dixerunt intra ſe, *hic blaſphemat*: quid ergo dixerunt intra ſe niſi cogitando? ergo quemadmodum intellect' noſter cogitando: ita & Diuinus ſe comprehendendo, Verbum producit. Proinde Verbi Diuini, cum creato, ſunt hæ ſimilitudines: *Prima*, ſicut enim homo, verbum ſuum cogitatione producit: ita Deus Pater, Verbum ſuum per intellectum generat, comprehendo, atq; etiam cognoſcendo ſuam infinitam Eſſentiã, & omnes creaturas. *Secunda*, ſicut verbum noſtrum, producit intellectus ſine motu immaterialiter, quia intellectus eſt immaterialis; vnde & actio ei competit, quæ ſit immaterialis: ita & Diuinus intellectus, abſque motu & immaterialiter Verbum Diuinum producit. *Tertia* ſicut verbum, quod ab intellectu humano producitur, eſt in eodem immanens, ſecundùm Fulgent. qui *lib: 3.* ad Mominum dicit: *Mens cogitando verbum intra ſe generat, & ſic generat verbum de ſe, vt genitum habeat apud ſe.* ita & Verbum Diuinum, in ipſo Patre manet, à quo generatur; vnde Ioan. 1. dicitur: *vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* *Quarta*, ſicut verbum intellectus noſtri, eſt imago rei, quæ intelligitur: ita & verbum Patris, eſt imago Patris, quam ſemetipſum intellectione infinita comprehendẽs, producit. *Quinta*, ſicut verbum in mente artificis, eſt principium operandi: ita & Verbum Diuinum in mente Patris, eſt Principium operãdi; *omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* *Sexta*, ſicut verbum mentis noſtræ manifeſtatur per vocem: ita Verbum Diuinũ, per aſſumptam humanitatem, manifeſtatum eſt mundo. Diſſimilitudines etiam inter verbum noſtrum & Diuinum ſunt obſeruandæ: nam (vt inquit D. Baſilius) impoſſibile eſt parua & vilia, Diuinis æterniſq; ad vnguem accommodari.

Verbi Diuini cum creato ſimilitudo. 2. 3. 4. 5. 6. Diſſimilitudo.

Verbum ſolet accommodari his quæ habent reſpectũ ad verbũm Diuinũ vel vt effectus, vel vt ſignum.

11. Dico ſeptimò. *Hoc nomen verbum ſolet etiãm accommodari his, quæ habent reſpectum ad ipſum Verbum Diuinum, vel tanquam effectus, vel tanquam ſignum eius.* ſicque S. Scriptura, &, quælibet illius pars, inquantùm ſignificat conceptum mentis Diuinæ dicitur verbum Dei Act. 6. *verbum autem Domini, creſcebat & multiplicabatur.* & *igitur fides ex auditu, & auditus per verbum Chriſti* & D Paul. dicit: *Cùm accepiſsetis à nobis verbum, auditus fidei, accepiſtis non vt verbum hominum, ſed vt eſt verè verbum Dei.* Tũ & omne id, quod ex præſcripto Voluntatis Diuinæ fieri debet, verbum Dei appellatur, in hocque ſenſu loquitur Deus, ad Samuel. 1. Reg. 3. *Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod qui audierit tinnient aures eius.* Ex quo iam manifeſtè colligi poteſt: quòd Proceſſio in Diuinis, fit per emanationem intelligibilem & immanentem; ſiquidem Filius à Patre procedens, manet in Patre, vt habetur Ioan. 1. *vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.*

12. *Nota* Molina & Suarez, licet admittant has Proceſſiones, eſſe emanationes intelligibiles: negant tamen eſſe per Actiones immanentes, dicuntque, has emanationes, nõ eſſe actiones; nihilominus.

Proceſſiones Diuinæ ſunt ſecundùm rationem Actionis intelligibilis.

Dico *Proceſſiones Diuinas eſſe ſecundùm rationem Actionis intelligibilis.* patet enim ex locis D. Th. *hic art. 2.* vbi dicit, *quòd Perſona Verbi, eſt per modum Actionis intelligibilis, quæ eſt operatio vitæ,* Tum *a. 3.* dicit. *Proceſſio in Diuinis eſt ſecundùm Actionem, quæ manet in agente.* Et iterum ibidem dicit: : *Proceſſio verbi attenditur, ſecundùm actionem immanentem,*

Probatur. In Deo eſt potentia, nõ potentia quæ ſuſpendat actum, ſed quæ eſt coniuncta cum exercitio actus: eſt autem hæc potentia; reſpectu actuum notionalium; ergo in Deo eſt actio; quia potentia nihil eſt aliud, niſi Principium alicuius actus: at in Diuinis intelligimus Patrem vt Principium productiuum Filij: ſimiliter Patrem & Filium intelligimus, tanquam Principiũ productiuum Spiritus Sancti. nã quodlibet generans generat potentia generatiua, & quodlibet Principium ſpirans, ſpirat Potentiâ ſpiratiua; ergo in Deo datur potentia productiua, nimirum generatio & ſpiratio; & per conſequens Proceſſio, habet rationem act ionis.

Potentia eſt principiũ alicuius actus

Inſtantia.

13. *Obijcies* De ratione Actionis productiuæ, eſt, vt per eam producatur effectus, qui ſit realiter diſtinctus à producente; quod enim per actionem producitur, eſt actum; atque ſic producens erit efficiens, & productum per actionem, erit effectus, qui à ſua cauſa realiter diſtiguitur. ſed hoc Deo non poteſt cõpetere; ergo nec nomen *Actionis productiuæ* competet illi.

Solutio ci.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens; quando producens, producit aliquid per Actionem, quæ eſt coniuncta cum materia & motu, & eſt realiter diſtincta à ſuo principio, ſic conceditur Antecedens: ſed quãdo eſt aliquid producens, per actionem, quæ eſt ſine materia, & ſine motu, realiterq; non eſt diſtincta à ſuo Principio, in hoc ſenſu negatur Antecedens. nam Proceſſiones in Diuinis ſicut non habent materiã: ita neque motum; nec ſunt realiter diſtinctæ ab Eſſentia, quæ eſt Principium *Quo* earum.

Proceſſiones in Diuinis non ſunt diſtinctæ ab Eſſentia.

Actio ſeparata ab õni imperfectione poteſt tribui Proceſſionibus Diuinis.

14. *Nota* nullum eſſe abſurdum, vt nomen *Actionis* tribuatur Diuinis Proceſſionibus, ſi fuerit ſeparatum, & abſtractum ab omni imperfectione, cum qua reperitur in rebus creatis. nam in his Actio, eſt qualitas, recipiturq; in paſſo, & producitur per veram cauſalitatem ac efficientiam: Iam autem magnũ eſſet in conueniens, ſi de Proceſſionibus Diuinis diceremus, quòd ſint qualitates, aut quòd recipiantur in ſubiecto, aut quòd per veram cauſalitatem producantur; proinde illa ſolùm actio, locum in Diuinis habebit, quæ eſt ſegregata, ab his imperfectionibus.

Proceſſiones Diuinæ non ſũt qualitates, nec recipiuntur in ſubiecto, nec per veram cauſalitatem producuntur.

Proceſſiones Diuinæ poſſunt appellari productiones.

15. Dico iterum. *Proceſſiones Diuinæ, poſſunt propriè appellari Productiones.* PROBATVR. vbi enim datur propriè Producens & Productum, ibi debet dari productio: in Diuinis Proceſſionibus, datur propriè Producens & Productum; nam Perſona Patris, eſt producens Filium; ſimiliter Perſona Patris & Filii, eſt producens Spiritum Sanctum, ſecundùm

enim

enim Regulam D. Aug. lib. 1. de Trinit. *nihil ſeipſum poteſt producere.*

Producẽs & productum quo diſtinguantur?

Nota hic 1. inter *Producens* & *Productum*; eſſe diſtinctionem; Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. diſtinguuntur inter ſe realiter; non quidē realiter eſſētialiter, ſed realiter pſonaliter

Producẽs eſt prius producto

Sed quomodo?

16. Nota 2. Producens, eſſe quidem prius producto, vt Pater Filio, & Pater & Filius, Spiritu S. ſed non natura, non tempore, non cognitione, ſed origine; nam vtique Filius, habet ortum à Patre & Spiritus Sanctus habet ortum à Patre & à Filio, vt ſunt vnum principium Spirantium.

Nota 3. Quando audis, nomen *productionis* conuenire Proceſſionibus Diuinis, non ideo concedas, dari nouitatem eſſendi, in Perſonis productis, ita, quòd quæ antea non erant, modum eſſendi acquiſiuerīt. *Ratio eſt* quia ſicut Proceſſiones in Diuinis: ita & pductiones ſunt ab æterno; æternitas autē ignorat nouitatē eſſēdi *Declaratur.* ſi enim p impoſſibile, hic mūdus ab æterno eſſet pduct⁹ caruiſſet nouitate eſſēdi: ſicut etiā, ſi ignis ab æterno extitiſſet, ignis ab æterno calefaceret, ſine nouitate eſſendi. ergo idem dicendū, de Perſonis Diuinis, quòd cùm illarum productio ſit ab æterno, ignorat nouitatem eſſendi.

Deus ignorat nouitatē eſſendi.

QVÆSITVM II.

An aliqua Proceſſio in Diuinis poſſit dici Generatio?

17. PLura dicemus, quàm ſint in Quæſito. nam in primo Dicto, erit nobis negotium cum Durando: in ſecundò cum Arrianis: in tertio ad Quæſitum Reſpondebimus.

Dico itaque primò. *Cùm ſit manifeſtum ex præcedenti Quæſito, in Diuinis duas eſſe Actiones immanentes,* Intellectus & Volūtatis, *nunc iā dicimus. quòd Proceſſio Filij ſit per Actionem Intellectus, Spiritus verò S. per Actionem Voluntatis.*

Proceſſio Filij eſt per actionem Intellectus Spiritus S per voluntatis.

Hoc Dictum eſt contra Durandum in *diſt. 6. q. 2.* eſt quoque contra Greg. *in 1. diſt. 10. q. vnica, & diſt. 13. q. vnica.* qui negant vtramq; Proceſſionem, tam Filii, quàm Spiritus S fieri per Actiones Intellectus & Voluntatis; ſed affirmant, quòd ſit ex fecunditate naturæ Diuinæ, ſeu ex ipſa natura, vt eſt fecunda: per quandam tamen accomodationem, poſſe reuocari Proceſſionem Verbi ad Intellectum: & Spiritus S. ad Voluntatem; Proinde in Contrarium cum Diuo Thoma. D. Bonau. & aliis Scholaſticis

18 Dico *Fili⁹ re ipsâ pducitur per operationem Intellectus: Spiritus verò S per actionem Voluntatis.* PROBATVR primùm de Proceſſione Filii Dei. S. Scriptura, quoties loquitur de Productione Filii, ſemper vtitur nominibus, quæ ſpectant ad intellectum: ergo ſignum eſt, quòd Proceſſio Filii fiat per Intellectum: *Antecedens* Eccleſ. 24. dicitur: *Ego ex ore altiſſimi prodii.* ſed os altiſſimi, non eſt aliud niſi

Fili⁹ re ipſa producitur per operationem Intellectus.

ud, niſi Intellectus; nam ſubſtantiæ intellectuales, vt Angeli, alio modo non loquuntur, niſi per Intellectionem. *Præterea* idem Filius Dei vocatur, in Scriptura VERBVM: Ioan. 1. *In principio erat* VERBVM *&* VERBVM *erat apud Deum.* Et 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo,* PATER, VERBVM, *&* SPIRITVS SANCTVS, Apocalyp. 9. *nomen eius* VERBVM *Dei.* Sed verbum in natura Spirituali, ſeu intellectuali, nihil aliud eſt, quàm notitia intellectûs completa. ergo ad intellectum ſpectabit.

19. *Nota* D. Aug. & reliqui SS. PP. explicant hæc verba, de verbo increato, ſeu de ſecunda perſona. nam quidam codices legunt: *In principio erat ſermo,* & hanc lectionem Eraſmus retinet; ſed editio vulgata quam Concil. Trid. Seſſ. 4. in decreto de libris Canonicis, præcipit in omnibus eſſe retinendam, & tanquam Scripturam S. & Canonicã legi *In principio erat verbum.* Et quamuis hoc nomen *Sermo,* cùm ſit explicatiuus conceptûs mentis, pertineat ad Intellectum, nihilominus eſt quoddam complexum & multiplex: nomen autem *Verbum,* eſt ſimplex; vnde meliùs conuenit ſecundæ Perſonæ in Trinitate.

Spiritus S. per actionẽ voluntatis procedit.

Idem probamus de Spiritu S. *quòd per actionem Voluntatis procedat.* Nam S. Scriptura, quoties etiam de Spiritu S. loquitur, ea illi nomina tribuit, quæ ad Voluntatem ſpectant, nimirum tribuit bonitatem, charitatem, ad Rom. 1. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum,* & cap. 15. *obſecro vos per charitatem Spiritus Sancti.* Tum Concil. Tolet. 11 Canone Spiritum S. appellat, charitatem amborum, hoc eſt Patris & Filii. Et D. Aug. lib. 9. de Trinit. cap. 12. dicit: *Sicut Dei verbum, Filium eſſe nemo Chriſtianorum dubitat: ita & charitatem, eſſe Spiritum S.* ſed Charitas ad voluntatem ſpectat; ergo & Proceſſio Spiritus S. ad voluntatẽ ſpectabit. *Præterea* inferiꝰ patebit, quòd per quandam attributionem peculiariter Spiritui S. tribuitur bonitas, & peccata ex mera malitia prouenientia, dicuntur committi contra Spiritum Sanctum. ſed bonitas propriè, ad voluntatem ſpectat. ergo & Proceſſio Spiritus Sancti.

20. *Obijcit Durandus,* In creaturis generatio prouenit ex illarum naturis. ergo idem de natura Diuina dicendum. *Sequela* quia in rebus creatis, eſt quoddam veſtigium Trinitatis. *Reſpondeo 1.* falſum eſſe, quòd à natura generatio proueniat; ſiquidem eſt in illa vis generandi, diſtincta ab earum naturis, per modum proprietatis, illamque Deus contulit creaturis, poſt illarum creationẽ illis verbis: *Creſcite & multiplicamini* *Reſpondeo 2* plurimos homines eſſe, qui quamuis in matrimonio viuant, & eodem vtantur, ſunt tamen ſteriles, & ſine prole; & tamen hi habent naturam humanam; ergo ſignum, quòd generatio naturæ non conuenit, ſed vi generandi. ſimiliter in Angelis eſt natura, & tamen Angeli non generãt. ergo generatio non eſt à natura.

Obiectio Durandi.

Solutio 1.

Solutio 2.

Obiicit 2. ex 9. *Metaph cap.* 9. Actiones Intellectus & Voluntatis, per ſe nihil producunt; ergo nec vllas perſonas producent. *Reſpondeo.* non eſſe Ariſtotelis eam mentem, quaſi actiones intellectus & voluntatis nihil producant. nam ſi ſic, inuolueret

Obiectio altera.

Solutio eius.

uolueret Contradictionem, & ita eſſet Actio, qua nihil agitur; atque ſic, ſine ſuo termino eſſet. ſed quælibet Actio Intellectûs, habet ſuum terminum immediatum, qui illam complet & perficit; & vocatur, *verbum mentis.* ſimiliter Actio Voluntatis, producit amorem, inclinationẽ ad rem amatam; ſolùm igitur Ariſt, in eo loco voluit oſtendere, quòd actiones immanentes, eo modo quo tranſeuntes nõ producunt aliquod opus, quod ſit ad extra in materia.

Actionis Intellectus terminus eſt Verbum mẽtis.

Voluntatis amor.

Obiectio 3.

21. *Obiicies 3* Actiones per quas Perſonæ Diuinæ producuntur, deberent eſſe non communes, ſed peculiares. nam non Filius, ſed Pater generat, nec Spiritus S. ſpirat, verũ Pater & Filius. ſed actiones Intellectus & Voluntatis, ſunt communes tribus Perſonis, & quidem æqualiter. ſicut enim Pater intelligit & vult, ita etiam Filius & Spiritus S.

Actiones intellectus & Voluntatis ſunt æqualiter communes tribus perſonis.

Solutio illius.

Reſpondeo ſupponendo illud, quòd habet D. Aug. *l. 15. de Trinit c 17.* in Deo duplex eſt *Sapientia*, duplex & *Charitas:* quædam eſt *communis & vniuerſalis*, ſeu *eſſentialis & abſoluta*: quædam verò eſt *ꝓpria, ſeu Notionalis, & Perſonalis*: ita quoque nos, in Deo, duplicem *Actum intelligendi*, atq; etiam *volendi*, ſtatuimus; prior eſt *eſſentialis & abſolutus*: alter verò eſt *notionalis, perſonalis*, & actus quidem intelligendi, atq; etiam volendi, inquantùm eſt eſſentialis, conuenit æqualiter omnibus tribus Perſonis. Et ſic, (vt Philip Gammache* aſſerit,) non eſt verè Actio; quia nihil ad intra producit, v. nullã producit perſonam per ſe ſubſiſtentẽ: poſterior verò Actus, qui eſt Notionalis, & Perſonalis, eſt vera actio; & per eã, Filius Dei, & Spiritus S procedit & ſic per intelligere & velle, vt ſũt actus Perſonales, iidemque peculiares, fit in Diuinis Proceſſio.

In Deo duplex eſt ſapientia & Charitas.

Actus etiam duplex.

Actus volendi atq; intelligendi eſſentialis æqualiter omnibus tribus perſonis conuenit.

Inſtantia.

22. *Obiicies. 4.* Intelligere, quod eſt commune tribus Perſonis, non producit verbum; quomodo ergo tale intelligere ſine verbo producto erit? *Reſpondeo* nos concedere, quòd hoc *intelligere* producat *verbum eſſentiale*, quod eſt commune tribus perſonis Diuinis. nam omnis cognitio, ſupponit ſimilitudinem obiecti cogniti, quod quidem eſt verbum mẽtis; ſed verbum, quod eſt perſonale, ſolus Pater in Diuinis producit.

Solutio ei*

Inſtantia altera.

Obiicies vltimò. Inter naturam Diuinam, Intellectum Dei, & Voluntatem, non eſt realis diſtinctio, ſed ſolùm rationis, quid igitur impedit? quominus ſicut intellectui, & voluntati, proceſſiones Perſonarum tribuimus, etiam & naturæ Diuinæ attribuamus. *Reſpondeo 1.* obſtare, quia eſt contra communem & vnanimem conſenſum SS. PP. & DD. Scholaſticorum, qui (vt iam docuimus) Proceſſiones tribuunt intellectui & voluntati. *Tum* quia non poſſumus rationem Theologicam reddere, cur proceſſio Spiritus S. nõ dicatur generatio, ſicut proceſſio Filii dicitur generatio, niſi recurſus fiat ad actiones intellectus, & volũtatis, vt inferiùs patebit.

Solutio illius. 1.

Reſpondeo 2. hæc diſtinctio rationis, quæ eſt inter naturam Diuinã, & inter intellectum ac voluntatem, non impedit, vt aliter loquamur de natura, & aliter de intellectu, ac de voluntate: ſicut enim bonitas in Deo eſt formaliter idem, quod æternitas, iuſtitia, & tamen aliter loquimur de æternitate. & aliter de bonitate; quia ad hoc ſufficit diſtinctio

Solutio altera.

 rationis,

rationis, ſeu virtutis: ita quamuis Perſona idem ſit formaliter, quod natura Dei, tamén ob diſtinctionem rationis, dicimus catholicè Perſonam generare, de natura autẽ quod generet, citra Hæreſim non poſſumus dicere.

Perſona generat non Natura.

23. Dico ſecundò. *Primæ proceſſionis Diuinæ, quæ fit per intellectionem Patris, terminus eſt verus Deus.* Hoc Dictũ eſt de Fide, contrariũq; ſentire, eſt Hæreſis Arrii.

Primæ proceſſionis diuinæ quæ fit per Intellectionem Patris termin⁹ eſt verus Deus.

Probatur 1. ad Philip. 2. *non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo.* loquitur de Chriſto, & de illius æqualitate cum Deo, & hanc æqualitatem, dicit non eſſe rapinam. vnde D. Auguſt. in Pſal. 126. dicit: *quare non eſt rapina? quia eſt natura.* nam ſicut Lucifer, qui voluit eſſe ſimilis, & æqualis Altiſſimo, quia non habuit naturam Deitatis, voluit eam rapere: Chriſtus verò, quia habuit naturam Dei, idcirco non dicitur eam rapuiſſe, ſed per generationem æternam, à Patre accepiſſe; & ideo eſt æqualis Deo.

Lucifer naturam Deitatis voluit rapere.

Probatur 2. Ioan. 4. vbi ſic Chriſtus alloquitur Apoſtolos: *Creditis in Deum, & in me credite:* Conſequẽtia huius Dicti; quia *credere*, propriè extendit ſe ad Deum: ſed ego ſum verus Deus. ergo & in me credite.

Probatur 3. c. 16. Ioan. dicit; *omnia quæcunq; habet Pater mea ſunt*: ſed Pater habet Deitatem, æternitatem, infinitatem, omnipotentiam, Maieſtatem. ergo etiam hæc omnia habet Filius. ergo eſt verus Deus. *Confirmatur* hoc, ex cap: 17. Ioan. *mea omnia, tua ſunt, & tua mea ſunt.* ergo eſt verus Deus.

24. *Reſpondent Arriani* Filium vocari Deũ non eſſentialiter, ſed quia auctoritatem, & poteſtatem in res omnes accepit à Patre: ſicut Magiſtratus accipit poteſtatem. verùm hæc reſponſio eſt contra Scripturam. nam Ioan. 5. de Filio dicitur, quòd ſit vnum cum Patre & Spiritu S. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo,* PATER, VERBVM, & SPIRITVS S. *& hi tres vnum ſunt.*

Solutio Arrianorum.

Confutatio ſolutionis.

Iterum dicunt Arriani Patrem & Filium, eſſe vnum, non natura, ſed animorum conſenſione. atqui hoc falſum, quia dicit ipſe Saluator: *non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* ſed quæ ſic habent ſe, vt ſit vnum in alio, non poſſunt habere diſtinctas eſſentias, & exſiſtentias; & per conſequens ad inuicem ſeparari nõ poſſunt; ſunt enim vnum per eſſentiam.

Obiectio Arrianorum.

25. *Tandem* quando probamus, quòd Chriſtus eſt Filius Dei, vt patet ex his locis: *Hic eſt filius meus dilectus. & ex vtero ante Luciferum genui te.* dicunt, quòd eſt Filius Dei, at non naturalis, ſed adoptiuus, & per gratiam. Quod iterum illorum Dictũ eſt falſum: quia ex S. Scriptura manifeſtum eſt, Chriſtum appellari Filium Dei nam ad Hebr. 1. dicitur: *Differentiùs præ illis nomen hæreditauit.* hoc nomen quodnam ſit, inferiùs explicat, cùm dicit, ad Filium autem dicit: *Thron⁹ tu⁹ De⁹ in ſæculũ ſæculi, virga æquitatis, virga regni tui.* & ſic expreſſè Pater Filium appellat Deum.

Confutatio eorundem cum ſuis dictis.

Ad extremùm dicunt Arriani, quòd ex illis verbis D. Ioan. *In principio erat Verbum*, non poteſt colligi, quòd nomen *Verbum*, ſignificet ſecundam in Trinitate perſonam, ſed ſolùm illud verbum, quo Deus in tempore produxit omnes res creatas, de quo in Pſal.

Obiectio altera.

Confutatio rurſum illorum.

Pſalm. 32. dicitur: *verbo Domini cæli firmati ſunt*, ſed hæc interpretatio Arrianorum, eſt commentum ſine fundamento. nam in Euangelio, de hoc Verbo, quod erat in principio, hoc eſt, ab æterno, dicitur, quòd *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & quòd ſit *Caro factum*. ſed huic Verbo, quo Deus omnia creauit, non poteſt hoc conuenire. nam non fuit in principio, hoc eſt, ab æterno; neque hoc illuminat, omnem hominē venientem in hunc mundum, nec denique hoc ipſum verbum, aſſumpſit humanam carnem, hæc autē verificantur de Verbo, quod eſt ſecunda Perſona in Trinitate.

Proceſſio verbi dicitur generatio; & ipſum verbum procedens dicitur Filius.

26. Dico tertiò cum S. Doctore hic *a. 2. Proceſſio Verbi in Diuinis, dicitur Generatio, & ipſum* VERBVM *procedens, dicitur* FILIVS. & hic primū

Generatio ſumitur dupliciter 1.

Noto, quòd Generatio dupliciter ſumitur. *Primò* inquantùm ſignificat tranſitum, de *non eſſe* ad *eſſe*, & talis generatio non reperitur in Diuinis; quia talis generatio, apertè importat ſecum mutationem. dicitur enim de *non eſſe* ad *eſſe*: ſed mutatio Deo non conuenit ex 3. Malach. *Ego Deus & non mutor.* & Iacobi 1. *apud quem, non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* ergo talis generatio non eſt in Deo. *Tum* ratio eſt naturalis: omnes Philoſophi, nomine DEI, intelligunt primam Cauſam, primum Principium, primum Ens, primum & puriſſimum Actum, & infinitam eſſe immutabilitatem. ergo illi non conuenit procedere, de *non eſſe* ad *eſſe*. *Secundò* ſumitur generatio, vt ſignificat proceſſionem viuentis à viuente coniuncto, in ſimilitudinem naturæ, & talis generatio appellatur *Natiuitas*, inuenitur

2. acceptio Generationis.

que in Diuinis; ſed hæc talis generatio, ſola fide tenenda eſt, cùm per nullam rationem naturalem probari poſſit. ita habetur Eſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* & B. Clemens in epiſt. ad S. Iacob. fratrem Domini inquit: *Quâ ratione Pater genuit Verbum, hoc & Angeli neſciunt, & Prophetis incognitum eſt, quodam ex illis dicente: Generationem eius quis enarrabit?* Deinde addit: *quam ſecretam originem, cum proprio Filio, ſolus nouit, qui genuit, neq; Deus à nobis diſcutiendus, ſed credendus eſt.* Quod etiam ex eo patet; quia neq; nos ſcimus, qualiter mens noſtra generat verbū; *Tum* D. Aug. *l. 2 de conſenſu Euangeliſtarum, c. 1.* dicit: *Secreta illa & æterna generatio, ſecundùm quod Filius vnigenitus, ante omnem creaturam, eſt ineffabilis, & cùm ſit ineffabilis, eſt tamē vera & propria.*

27. PROBATVR Dictum. *quòd hæc proceſſio Verbi, ſit generatio:* S. Scriptura, quoties loquitur de proceſſione Verbi, vtitur verbis quæ ſpectant ad generationem viuentium. ergo hæc proceſſio Verbi eſt generatio *Antecedens* Pſal. 2. *Ego hodie genui te.* & 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te* Hoc verbum *genui*, loquitur de proceſſione Verbi, quod quidem ſignificat generationem. ergo hæc proceſſio ſpectat ad generationem. *Confirmatur* ſicut prima Perſona in Diuinis dicitur PATER: ita ſecunda dicitur FILIVS, Matth: 11. *nemo nouit Filium, niſi Pater, nemo Patrem niſi Filius.* atqui vocabula *Patris* & *Filii*, reſpiciunt veram generationem. nam nemo vocatur *Pater*, niſi is, qui generat, & nemo vocatur *Filius*, niſi genitus.

28 *Probatur ſecundò* ratione D. Th. ex definitione generationis, quam habet

habet Ariſt. *2. Metaph. t. 28* & *l. 8. Ethyc. c. 12 Generatio, eſt origo viuentis à viuente coniuncto, in ſimilitudinem naturæ.* ſed hæ omnes particulæ, & conditiones, reperiuntur in proceſſione Verbi. ergo proceſſio Verbi eſt verè generatio. *Minor.* Tres ſunt conditiones generationis: *Prima*, vt ſit viuẽtis à viuente. atqui hæc proceſſio Verbi, eſt viuentis; quia eſt verè Filius Dei, eſt & à viuente Patre, qui cum Filio ſuo, eſt vita eſſentialiter, fons vitæ, in quo omnes creaturæ viuunt, ſunt, & mouentur. *ſecunda* à viuente coniuncto. atqui hæc conditio, longè perfectiùs proceſſioni Verbi, quàm alijs creaturis conuenit. nam in generatione humana, Filius non coniungitur Patri ſubſtantialiter, niſi ſecundùm quid, v. per quandam partem ſubſtantiæ paternæ, quæ illi communicatur, & ex qua generatur: in Diuinis autem, Verbum habet ſimpliciter totam ſubſtantiam Patris. nam Subſtantia ſeu Eſſentia Dei, eſt ſimpliciſſima & nõ eſt capax diuiſionis in partes. *Præterea* Eſſentia ſeu natura Dei Patris, eadem eſt numero formaliter, & realiter, quæ eſt Filii, ſolaque ratione diſtinguitur: in generatione autem hominum, ſemper alia eſt eſſentia, & diſtincta numero, parentum, & filiorum. *Tandem* generatio creaturarum fit per actionem tranſeuntẽ, nam Pater gignit Filium extra ſe, & à ſe diſtinctum: in Diuinis proceſſio Verbi, eſt Actio immanens (vt iam docuimus) quod declarant illa verba Ioan. c. 14. vbi dicit Saluator: *Neſcitis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.*

Conditiones Generationis ſunt tres 1.

2.

In Diuinis habet Filius totam ſubſtantiam Patris, quod in humanis nõ currit.

3. Conditio. *Tertia conditiò.* In ſimilitudinem naturæ. nam generans & genitum, in rebus creatis, ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſi quando videmus, ex equo generari mulum, hoc contra ordinẽ naturæ accidit. Hæc autẽ ſimilitudo naturæ in productione Verbi Diuini, longè eſt perfectior. nam quando generat homo hominem, & aquila aquilam, eſt quædam ſimilitudo, ſed ſpecifica, ſupponens numericã diſtinctionem realem, & Eſſentiæ & Suppoſiti, Inter Patrem & Filium: in Diuinis autem, ſolùm eſt realis diſtinctio Perſonarum, non Subſtantiæ, ſiue Naturæ Diuinæ. nam hæc vna eſt, & eadem numero formaliter ac realiter in tribus Perſonis, ſolùmq; ratione diſtinguitur. vnde hæc conditio, nobiliori modo competit generationi Diuinæ.

In humanis inter Patrẽ & Filium eſt diſtinctio realis etiã Eſſentiæ & Suppoſiti in Diuinis, ſolùm perſonarũ, & non naturæ.

29. *Nota* Generatio, conuenit quidem creaturis, & Deo, non vniuocè ſed analogicè; quia perfectiori modo eſt in Deo. vis enim generandi in creaturis, cùm ſit proprietas, eſt quoddam accidens: in Deo autem, idem eſt realiter cum Eſſentia. nam hæc omnia ſibi identificantur cum ſola diſtinctione rationis. *Tum* ipſa actio generandi in creaturis eſt accidentalis, & terminus eius, eſt contingens: ita quòd poſſit eſſe & non eſſe: in Deo autem omnia ſunt neceſſaria, & actio generandi & terminus. *Præterea* in creaturis generans & genitum, habet diſtinctionẽ realem, & naturæ & ſuppoſiti: in Deo verò, ſolùm habet diſtinctionem Suppoſiti, hoc eſt Perſonarum, non Naturæ. *Ad extremùm* Generatio in creaturis, tam actiua, quàm paſſiua, idem eſt realiter cum termino producto. nam in Filio, & actiua, & paſſiua reperitur generatio. in Diuinis autem, ſolùm paſſiua eſt idem cum

Generatio conuenit & Deo & creaturis, ſed analogicè.

In creaturis generatio & actiua & paſſiua eſt idẽ realiter cum termino. in Diuinis ſolum paſſiua.

cum termino producto: nam actiua eſt cum Perſona Producente. vnde in creaturis, quot ſunt termini realiter producti, tot etiam ſunt productiones, & actiuæ, & paſſiuæ, realiter inter ſe diſtinctæ: in Deo verò, ſoli productioni paſſiuæ, ad intra conuenit, vt conſtituat terminum; actiuæ non item. nam actiua generatio atq; etiam ſpiratio, quæ ſunt duæ productiones, non ſunt diſtinctæ ſed idem realiter; cùm nullam habeant Oppoſitionem Relatiuam, quæ in Diuinis conſtituat realē diſtinctionē. ex hoc itaq; collige: quòd generatio perfectiori modo cōuenit Deo, quā creaturis; proinde habet ſe nō vniuocè, ſed analogicè.

Generatio perfectiori modo conuenit Deo quā creaturis.

QVÆSITVM III.

An in Diuinis, ſit alia Proceſſio, à Proceſsione ſeu Generatione Verbi?

30 QVOAD ſenſum Quæſiti. *Nota 1.* nos hic quærere: *An in Diuinis, præter eam proceſſionem, quæ eſt ſecundùm intellectum; ſit alia proceſſio quæ ſit realiter diſtincta, ita, ut quemadmodum per eam proceſſionem, quæ eſt Verbi, procedit Filius, qui eſt verus Deus: ita etiam per aliam proceſſionem, procedat alia Perſona, nimirum Spiritus S. quæ ſit verus Deus?*

Nota 2. cum Nazario de hoc Quæſito diſputare Theologos duplici modo. *Quidam* enim arctant controuerſiam, ad ſolum actum noſtræ voluntatis, ea de cauſa, vt eò clariùs, illa quæ ſpectant ad Diuinā voluntatem, cognoſcamus: *Quidam* autem agunt hic, de actu voluntatis abſolutè, abſtrahendo & ab humano, & ab Angelico, & à Diuino. Ad Quæſitum.

31. Dico primò. *Præter Proceſſionem Verbi, admittenda eſt alia Proceſſio, quæ ſit Spiritus S.* Hoc Dictum eſt de Fide. nam Ioan. 15. dicitur: *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Et Nicæna Synodus habet: *Qui ex Patre Filioq; procedit.* Et Symbolum Athan. *Spiritus S. à Patre & à Filio eſt, non factus nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Hæc loca enumerata, dicunt de Spiritu Sancto, & dicunt de illius proceſſione; ergo neceſſariò Proceſſio Spiritus Sancti admittenda. *Tum* determinatum eſt in Conciliis; Nycæno 1. Conſtantinop. 1. Chalcedon. Tolet. 11. idem ſentiūt SS. PP. Baſil. contra Eunomium, Cyrillus Alexandrinus de Spiritu Sancto, & alii plurimi.

Præter proceſſionem Verbi danda quoq; eſt & *Spiritus S.*

Probatur Ex S. Scripturis, ac ex Conciliis notum eſt, quòd Spiritus S tam verè producitur intra Diuinā Eſſentiam, ſicut & Filius. Sed Spiritus S. non poteſt produci realiter diſtinctus à Filio, niſi etiam detur aliqua Proceſſio, quæ ſit diſtincta, ab ea Proceſſione, per quàm Filius Dei producitur. ergò neceſſariò aſſignanda eſt alia proceſſio, quæ ſit voluntatis, & quæ ſit realiter diſtincta, ab ea, quæ eſt Intellectûs. *Confirmatur.* Tot ſunt in Diuinis Proceſ-

ſiones, quot ſunt diſtincti termini producti. ſed duo ſunt tantùm termini intra Diuinam Eſſentiam producti, Filius, & Spiritus Sanctus; &hi duo termini realiter inter ſe diſtinguuntur. ergo etiam & hæ duæ Proceſſiones realiterdiſtinguentur,

Per actum intellectus producitur Verbum p actum quoque voluntatis pducitur Amor.

32. Dico ſecundò. *Sicut per Actum Intellectus, producitur Verbum, quòd eſt terminus intellectionis: ita per actum Voluntatis, producitur aliquid, quod terminus ſit in ipſa voluntate; & hoc quidem eſt Amor productus per actum amandi.* Et hic pro meliori intelligentia.

Nota 1. cum Cumelio: Ea, quæ ſũt in volũtate, ſũt nobis min⁹ nota &min⁹ nominata; &ideo ex his, quæ reperiuntur in intellectu, transeũdũ nobis, per quãdã proportionem, ad ea, quæ ſunt in voluntate; & ſic S. Doctor, ex hac proportione, quæ eſt inter volũtatem ad intellectum, concludit; quòd ſicut per Actum intellectus, eſt Proceſſio Verbi; quia intelligendo formamus conceptum, ſecundùm quem res intellecta, dicitur eſſe in intelligente: ita per Actũ Voluntatis, eſt Proceſſio Amoris, ſecundùm quem amatum eſt in amante, & ſic voluntas amando, producit intus ipſum amorem, qui eſt inclinatio, impulſus, in rem amatã.

Res intellecta in intelligente dicitur ſimilitudo amata in volũtate dicitur amor.

Nota 2. Res intellecta, vt eſt in intelligente, dicitur eſſe ſimilitudo, & imago rei: res autem amata, vt eſt in voluntate, non eſt iam ſimilitudo, ſed eſt affectio, ſeu amor. hæc deide ſimilitudo rei intellectæ, quæ eſt terminus, non ſolùm habet modum *termini*, ſed & nomen. dicitur enim eſſe *verbum*, ſeu *conceptus mentis*, in quo conquieſcit intellectus: Res autem, quæ eſt terminus in voluntate, v. Amor, licet ſecundùm rem verè terminet, tamen neque modũ neque nomen *termini* habet. amor enim productus per Actum voluntatis, eſt in aliud tendens, &impellens, & habet ſe per modum motus, quod termino non conuenit, ſed eſt potius via, & tendentia in aliud.

Amor ſecundum rem verè terminat non tamen ſecundũ modum.

Differentia inter obiectum intellectûs, & Voluntatis.

33. *Nota 3.* inter Obiectum Intellectus, & Voluntatis, hanc eſſe differentiam: quia obiectum intellectus eſt in intellectu: obiectum autem voluntatis, eſt in rebus externis: ita Philoſophus docet, *in 6. Metaph. t 8.* his verbis: *Intellectus obiectum, quòd eſt verum, eſt in intellectu, bonum autem, quod eſt obiectum voluntatis, in rebus exſiſtit.* Et ipſe D. Th. in a. 4. & alibi, hanc ſæpenumerò ſtatuit differentiam, inter Intellectum & voluntatem: quòd intellectus fit in actu per hoc, quòd res intellecta, per ſuam ſimilitudinem ſit in intellectu. voluntas autem fit in actu, nõ per hoc, quòd aliqua ſimilitudo voliti, ſit in voluntate, ſed ex hoc, quòd voluntas, habet quandam inclinationem, in rem amatam.

Aliquid in alio dici poteſt tripliciter.

Nota 4. Tripliciter aliquid in alio dici poſſe: *primò*, per identitatem eſſentiæ: & ſic Filius eſt in Patre, & è conuerſo *ſecundò*, per ſimilitudinem, & ſic cognitum eſt in cognoſcente *tertiò* per impulſum & inclinationem: & ſic amatum eſt in amãte. Scias autem, quòd ſicut amatum eſt in amante: ita & amans eſt in amato: amatum enim eſt in voluntate amantis, vt docet D. Thomas *4. contra gentes. cap. 19.* vt inclinans, & quodammodo impellens intrinſec⁹ amantem, in ipſam rem amatã. Proinde cum Caietano.

Obſerua Amatum in amante, non fieri vt tractum, ſed vt trahens ipſã

voluntatem; amari enim non eſt trahi, ſed amantem trahere. *Similiter* quoq; amans dicitur eſſe in amato, vel per amorē cõcupiſcentiæ inquãtùm illius bona amat, quem amat, vel per amorem amicitiæ, inquantũ bona amati, vt ſua habet, & vt voluntatem amici; ſuam eſſe æſtimat.

Volũtas nõ producit p ſuum actum obiectum ſuæ Volitionis ſicut intellectus.

34. Dico tertiò. *Euidenter ſequitur ex præcedentibus, quòd voluntas per ſuum actum non producit aliquid intra ſe, in quo tanquam in obiecto propinquo & immediato amat res ad eum v. modum, quo intellectus per actum ſuum intelligendi, producit verbum, quod eſt obiectum intrinſecum & immediatum ſuæ intellectionis.* RATIO *eſt.* quia voluntas non rapit, nec trahit, ad ſe res volitas, ac amatas, ſed potius ab illis trahitur, & rapitur, in quod immediatè tendit, ſicut intellectus tendit in verbum à ſe productum.

Obiectio cũ Solutione.

Obijcies Cùm omnis proceſſio, ſit actio productiua, quem tandem terminum voluntas producet? *Reſpondetur,* quòd producat terminum realem, videlicet amorem, qui eſt propenſio & impulſus in obiectum: actio enim voluntatis, ſicut & Intellectus eſt immanens; ergo ſicut Intellectus, per ſuam actionem producit realem terminum :ſ: verbum: ita & voluntas per ſuam actionem, producet Amorem.

35. Dico quartò. *Quando quidem in creatura intellectuali, nobiliori quodã modo, relucet Myſterium Sanctiſſimæ* TRINITATIS, *hinc inferimus, quòd ſicut in nobis eſt alia Proceſſio Intellectus, per quam procedit* VERBVM, *et alia eſt Proceſſio Voluntatis, per quam procedit* AMOR: *ita & in Diuinis, alia erit Proceſſio* VERBI, *alia Proceſſio* AMORIS, *qui eſt Spiritus S.*

Sicut in creaturis alia eſt proceſſio intellectꝰ producens verbũ alia voluntatis producens amorem ita in Diuinis.

Inſtantia.

SED *Obijcies.* In Diuinis, Intellectus & Voluntas, non ſunt aliud, ergo nec proceſſio Amoris, erit alia à proceſſione Verbi. *Reſpondetur* cum S. Doctore: licet in Deo non ſit aliud Intellectus, & Voluntas, tamẽ de ratione Intellectus & voluntatis eſt, vt Proceſſiones, quæ ſunt ſecundùm Actionem vtriusque, habeant ſe ſecundùm quendam ordinem. nam Proceſſio Amoris, non poteſt eſſe niſi in ordine ad Proceſſionem Verbi. nihil enim à voluntate poteſt amari, niſi ſit in intellectu conceptum. Proinde neceſſe eſt Proceſſionem illam, quæ eſt per voluntatem oriri ab ea, quæ eſt per Intellectum; ſiquidem ex intellectuali cognitione boni, naſcitur eius amor in voluntate, & eſt impoſſibile, vt Voluntas illud amet, quod non ſit prius ab intellectu, vt bonum, comprehenſum: iam autem obiectum voluntatis eſt bonum, illud igitur ab Intellectu iudicari debet; proinde ſi vna ex alia oritur, ſeu originatur, alia erit Proceſſio *Verbi,* & alia *Amoris.*

Solutio eiꝰ

Voluntas nihil amat, quod nõ ſit prius in intellectu.

QVÆSI-

QVÆSITVM IV.
An Proceſſio Amoris in Diuinis ſit Generatio?

36. IN hoc Quæſito quærimus, quid cauſæ? cur SPIRITVS S. non ſit genitus? nec vocetur Filius? ſiquidem, ita eſt de ſubſtantia Patris, ſicut VERBVM, quod eſt ſecunda Perſona in Trinitate. Determinatio huius Quæſiti habet difficultatem magnam, D. Aug. lib. 3. *contra maximum Arrianum.* ſuam hic ignorantiam confitetur, dicens: *Quid autem inter naſci & procedere interſit, in excellentiſſima illa natura Dei, quis explicare poteſt?* & inferiꝰ dicit: *diſtinguere inter illam Generationem, & hanc Proceſſionem non valeo, non ſufficio.*

Ex quo iam collige, quòd nulla euidens, aut demonſtratiua ratio haberi vel adferri poſſit, per quam probari queat, quòd Proceſſio FILII ſit generatio & Proceſſio SPIRITVS S. non ſit generatio.

37. Circa hanc difficultatem, tres ſunt Opiniones, *Prima Turriani Torrenſis Epiſcopi.* qui in 4. p. *Comment.* dicit: Ideo VERBVM dici FILIVM, Opinio 1. &eius proceſſionem dici generationem; quia de ratione FILII eſt, vt procedat à PATRE; non ſolùm ſimilis in natura, ſed etiam per modum *imaginis*: Proceſſio autem SPIRITVS S. non procedit per modum *imaginis*, ſed per modum *ſimilitudinis.* & & ſic Proceſſio Spiritus S. non eſt generatio. Hæc ſententia Vaſquezio non diſplicet.

Altera eſt Sententia Zuareſii, qui aſſerit, VERBI in Diuinis productionem ideo appellari generationem: Opinio 2. quia natura Diuina, per Eſſentiam eſt intellectualis, ita, vt Intellectio actualis, ſit quaſi illius formale cõſtitutiuum. ſed Verbo Diuino formaliſſimè cõmunicatur Intellectio; quia per intellectionem producitur: Naturaq; Diuina ſecundùm propriam rationem formalem, ex vi ſuæ proceſſionis communicatur illi. ſed Amor ex ratione ſua, eſt tanquam quid conſequens intellectionem, ſicut appetitus conſequitur *eſſe* rei; proinde nõ cõſtituit naturã rei, ſed iam conſtitutam concomitatur.

Tertia eſt ſententia D. Thomæ, quam tuentur Bannes. Cumel. Ferarien. Opinio 3. *4. contra Gentes cap. 11.* ideo Proceſſionem VERBI eſſe generationem in Deo, quia eſt ſecundùm rationem ſimilitudinis, in eadem natura; & Verbum ideo eſſe genitum, quoniã ex vi ſuæ proceſſionis, procedit vt ſimile in eadem natura: Proceſſionem autem SPIRITVS Sancti; ideo non eſſe, nec dici generationẽ; quia non eſt ſecundùm rationem ſimilitudinis, nec SPIRITVM Sanctum eſſe genitum: quia ex vi proceſſionis non habet, vt ſit ſimilis in natura ſuo Principio, videlicet PATRI & FILIO. Pro determinatione.

38. Dico cum Diuo Thoma, *Proceſſio*

ceſſio Amoris in Diuinis, non eſt generatio; & per conſequens, Perſona procedens per modum Amoris, non eſt genita. Pro declaratione huius Dicti

Diſtinctio harum proceſſionũ ſumenda eſt non ex vnitate eſſẽtiæ, ſed ex modo proceſſionis.

Noto primò quòd ratio huius diſtinctionis, inter has Proceſſiones, ex vnitate Eſſentiæ Diuinæ non eſt ſumẽda, nec ex perfectionibus, quæ eædem ſunt cum Eſſentia Diuina, ſed ſumenda erit, ex diuerſo modo proceſſionis, ſeu communicationis. Ita docet D. Th. *quæſt. 10. de Potentia art. 2. & hîc, ad 1.* vbi dicit, *Quidquid eſt in Diuinis, eſt idem, cum Diuina Natura*; vnde ex parte huius vnitatis, non poteſt ſumi propria ratio huius Proceſſionis, vel illius, ſecundùm quàm vna diſtinguatur ab alia; ſiquidem ea quæ ſunt communicata FILIO per generationem, ſunt etiam communicata SPIRITVI Sancto per Proceſſionem; atque ſic diſtinctio Proceſſionum, non poteſt ſumi ex parte eorum, quæ per Proceſſiones communicantur. ſicut enim Pater communicat Filio quicquid habet, excepta Paternitate, v. naturam, intellectum, voluntatem, Potentiam, & omnes alias perfectiones: ita & Perſonæ procedenti per voluntatẽ, Spiritui S. eadem numero natura, & aliæ perfectiones communicantur. Proinde ex his communicatis perfectionibus, non poteſt ſumi diſtinctio Proceſſionum. neceſſe eſt ergo, vt eam accipiamus ex diuerſo modo communicationis, ſeu ex diuerſa ratione formali, ſub qua natura communicatur ac accipitur. *Declaratur.* Si Petrus, per Diuinam virtutem ſibi conceſſam, ex proprio ſanguine formaret hominẽ, eo modo, quo formatur vas à figulo: &, ſi hic idem Petrus, modo naturali procrearet hominem, tũc hic homo formatus à Petro ſimilis eſſet in natura, & in omnibus perfectionibus humanis, illi homini, qui via naturali eſt productus; & tamen proceſſio illius formati hominis, non diceretur *generatio*, neque vocaretur *Filius*: Proceſſio autem alterius hominis, qui modo naturali proceſſit, eſſet *generatio*: & productum, diceretur *genitus*, & *filius*; & ſic hi duo homines ſic à Petro producti, non diſtinguerentur per ea, quæ illis per Proceſſiones ſunt communicata, ſed ſolùm penes modum diuerſum procedendi, & accipiendi naturam humanam à Petro; quia hic per formationem proceſſit: ille verò per generationem. Idem in Diuinis dicendũ, quòd eadem natura, cum omnibus abſolutis communicatur Filio, & Spiritui S. ſed vterque, non eodem modo illam accipit. nam Filius accipit naſcendo, Spiritus S. procedendo: ideo hæ duæ Proceſſiones, hâc ratione diſtinguuntur, quòd vna dicatur generatio: altera autem ſpiratio.

Filius Dei & Spiritus S. eandem habẽt naturã, ſed non eodem modo illam accipiunt.

39. *Probatur Dictum.* Generatio ex natura ſua, intendit genitum aſſimilare generanti, ita, quòd hoc ipſum ſit illi intrinſecũ; vnde Ariſt. *7. Metapht. 26.* dicit: *in tantum generans producit ſibi ſimile, vt ſi quando non poteſt ſimile producere in natura ſpecifica, producat aliud in proximo genere, vt patet ex promiſcua commixtione animalium*; cùm enim equ⁹ nõ poteſt equum ſimilem ſibi ſpecie producere, generat mulum in proximo genere; ſed in hac proceſſione, quæ fit per intellectum eſt productio ſimilis. nam ſecundùm D. Th. hîc a. 4. intellectus fit in actu, per hoc, quod ſimilitudo rei co-

rei cognitæ, quæ eſt ipſa ſpecies intelligibilis eſt in intelligente. ergo proceſſio per intellectum producit ſimile. ergo eſt generatio. *Confirmatur* omne productum, ex vi productionis. aſſimilatur ſuo producenti, in forma, qua mediáte facit productum; ſed id, quod producitur per actum intellectus, producitur mediante ſimilitudine obiecti. ergo neceſſe eſt, vt ex vi & modo proceſſionis ſit ſimile: Sed

Productum aſſimilatur producenti

Obiectio.

40. *Obijcies.* Spiritus Sanctus, ex vi ſpirationis procedit, in quantùm eſt Spiritus Sanctus. ſed vt ſic, eſt ab intrinſecó Deus. ergo ex vi ſpirationis procedit vt ſimilis Patri & Filio; ergo vt Deus, procedit. ergo illius proceſſio, eſt generatio: *Reſpondeo,* quando in argumento dicitur, ex vi ſpirationis procedit vt Deus, tũc diſtinguo: ꝓcedit vt Deus Spirat⁹, cõcedo, procedit vt Deus genitus, nego: qui autem procedit vt Spirit⁹, ꝓcedit per modum impulſus, & propenſionis, & non per modum ſimilitudinis. Tũ quãdo etiã dicitur, quod ꝓcedit per voluntatẽ, procedit vt Deus, iterum diſtinguo: vel procedit vt Deus per modum impulſus, & inclinationis, & ſic concedo: vel procedit vt Deus per modum imaginis, & ſimilitudis, & ſic nego: *Ratio eſt.* Spiritus enim Sanctus, quia habet eandem naturam, cum Patre & Filio; procedit vt ſimilis, ſed hæc ſimilitudo, non conuenit illi ſecundùm doctrinam D. Th. ex vi proceſſionis: VERBVM autem Diuinum, non ſolùm ideo eſt ſimile; quia habet eandem naturã; ſed quia procedit per modum ſimilitudinis, & imaginis: & ideo actus intelligẽdi in Patre dicente, eſt vera generatio; quia intellectio ex ſua natura producit ſimile: Actus verò amandi in Deo non habet ex ſua natura, vt producat ſimile, ſed vt producat Amorem; & propterea non eſt generatio. Proinde nos concedimus ſimilitudinem eſſe in SPIRITVS. eſt enim ſimilis PATRI & FILIO, ſed quòd hanc ſimilitudinem habeat, ex vi & modo proceſſionis per voluntatem, hoc negamus. Pro meliori adhuc Intelligentia.

Solutio ei⁹.

Spiritus S. proceſſio

41. *Nota* inter obiectum Intellectus & Voluntatis, hanc eſſe differentiam. *Obiectum Intellectus.* neceſſariò debet vniri & coniungi cum ſuo intellectu; *aut* per ſuam Eſſentiam, vt contingit in Deo, & in Angelis reſpectu ꝓpriæ cognitionis, & in BB. reſpectu viſionis beatificæ, in quibus ipſum obiectum viſum, vnitur cum eorum intellectu, in ratione ſpeciei, & eſt illi intimum: *aut* coniungitur ꝑ ſimilitudinẽ, ſeu per ſpeciem intelligibilem, quæ realiter inhæret & vnitur intellectui non minus quàm forma materiæ. *Obiectum autem Voluntatis,* nec per ſuam Eſſentiam, nec per aliquam ſimilitudinem deriuatam ab illo, vnitur cum ipſa voluntate, ad productionem Amoris: ſed illud ipſum obiectum ei⁹, manet in intellectu, per apprehenſionẽ ipſius intellectus, qui eſt potentia diſtincta, ibique exiſtens, eſt ratio agendi voluntati.

Inter obiectum Intellectus & voluntatis quæ eſt differentia?

Quæres Quomodo bonum apprehenſum per Intellectum, poſſit concurrere cum voluntate ad productionem Amoris? ſi non coniungitur cum ipſa voluntate, à qua producitur Amor. *Reſpondeo,* quamuis hæ potentiæ, intellectus & voluntas, ſint diſtinctæ, tamen quoad

hoc, vt

hoc, vt poſſit intellectus apprehenſum obiectum voluntatis illi proponere, & ad amorem producendum excitare, ſufficit, quòd ſint cōiunctæ, & radicatæ in Eſſentia animæ. Et hinc

Proceſſio p voluntatem non habet ex vi talis p ceſſionis vt ſibi producat ſimile.

42. *Collige primò*. Proceſſionem, quæ fit per voluntatem, non habere ex vi talis Proceſſionis, vt ſimile producat rei volitæ: ideo, quia res volita, neque per eſſentiam, neque per ſuam ſimilitudinem coniungitur, realiter cum voluntate: ſicut obiectum intellectus vnitur, cum intellectu, aut per ſuam eſſentiam, aut per ſimilitudinem inhærentem intellectui. (vt iam dictum.)

Res exſiſtēs in intellectu facit eū in actu.

Secundò Collige. Intellectum tunc fieri in actu, quando res intellecta eſt in intellectu per ſuam ſimilitudinem: voluntas autem non fit in actu, per hoc, quòd ſimilitudo voliti ſit in volente; ſed quando habet inclinationem in rem volitam.

Inter actionem Intellectus ac volūtatis quæ differentia?

Collige tertiò. inter actionem intellectus, quæ eſt intellectio, & inter actionem voluntatis, quæ eſt volitio, hanc eſſe differentiam; quia per actionem intellectus procedit ſimilitudo rei cognitæ, per actionem autem voluntatis, non procedit ſimilitudo rei amatæ, ſed ipſe amor, qui eſt inclinatio ſeu impulſus ad rem amatam, & non eſt ſimilitudo rei amatæ.

Proceſſus p intellectum eſt verè generatio, per voluntatem non item.

Collige quartò. meritò aſſerendum eſſe, quod Proceſſio per intellectū; quia eſt in ſimilitudinem naturæ, ſit verè generatio: Proceſſio autem per voluntatem; quia non producit ſimile, non ſit generatio. Sed

Obiectio.

43. *Obijcies* Quamuis Amor cōmuniter loquendo, non ſit ſimilis ſuo principio: tamen hic, qui eſt Spiritûs S. eſt ſimilis in natura, v. Patri, & Filio: habet enim eandem naturam & Eſſentiam cum Patre & Filio. *Reſpondeo* verum eſſe, quòd Spiritus S. ſit ſimilis Patri & Filio, à quibus procedit, in natura; at nō habet hoc, ex vi Proceſſionis, ſed ex eo, quia omne illud quod eſt in natura Diuina, oportet vt ſit Deus; idcirco tamen Proceſſio Spiritûs S. non eſt dicenda generatio; quia nō habet hoc ex vi proceſſionis, niſi inquantùm Proceſſio eſt quid Diuinum.

Solutio eiꝰ

Solutio fundamenti opinionis I

43. QVANTVM *ad ſolutiones*: ad Fundamentum Turriani, qui dicebat, *Proceſſionem Spiritus Sancti, eſſe per modum ſimilitudinis: Proceſſionem verò Filii, eſſe per modum imaginis, ita, quòd procedere per modum imaginis, addit ſupra procedere per modum ſimilitudinis*, dico, quòd hæc proceſſionum diſtinctio, per modum ſimilitudinis, & per modum imaginis videtur eſſe impoſſibilis; ſiquidem imago eſt ſimilitudo ab alio expreſſa, tanquam ab exemplari; & D. Th. *q. 35.* quærit: *Cur Filius ſit imago, & non Spiritus Sanctus?* Reſpondet: *quia Filius procedit per modum ſimilitudinis, & non Spiritus Sanctus* ſed ſecundum Turrianum procedit Spiritus Sanctus. per modum ſimilitudinis; ergo ſecundùm illum erit imago; quod eſt abſurdum. Tandem cū dicit, *quòd imago ſit ex intentione ad repræſentandum*, iſtud videtur eſſe minus verum. nam vt Filius ſit genitꝰ, non eſt neceſſe, quòd generans habeat elicitam intentionem generandi illum, vt repræſentet; generari enim eſt opus naturæ, & non procedit ex intētione generātis: *Tum* ignis producēdo ignē, nō habet intētionē, vt eū repræſētet productus.

Solutio Fũdamenti opinionis. 2.

AD Fundamentum Zuaretſii dico, quòd Diuina natura, eſt per eſſentiam intellectualis, & actualis intellectio, eſtque illius formale conſtitutiuum. Proinde quemadmodũ Filius, per hanc Eſſentiam, cuius formale conſtitutiuum eſt actualis intellectio, procedit, ita & Spiritus Sanctus, ab eadem tali Eſſentia Diuina procedit; ergo vt Filius eſt genitus, ita & Spiritus Sanctus erit genitus.

QVÆSITVM V.

An ſint plures Proceſſiones in Diuinis?

In Diuinis duæ tantùm ſunt proceſſiones, per intellectum & per voluntatem.

44. AD Quæſitũ dico primò cum S. Doctore: *in Diuinis, non ſunt plures, nec pauciores proceſſiones, niſi hæ duæ, v. per intellectum, & per eius actũ intelligendi: per voluntatẽ ac illius actũ volendi ſiue amandi.* Hoc Dictũ eſt de fide, contrariũ ſẽtire, aperta Hæreſis. *Probatur primò.* Ioan. vltimò: *Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cælo,* PATER, VERBVM, & SPIRITVS S. *Ex quo argumẽtor:* tres sũt pſonæ in Diuinis, Pater, Filius, & Spirit⁹ S. ſed Pater eſt imꝓduct⁹, Fili⁹ ſol⁹ eſt genit⁹ Spirit⁹ S. ſolus eſt procedẽs, ſeu ſpiratus ergo duæ tantùm erunt proceſſiones. *Confirmatur.* Multiplicatio proceſſionũ Diuinarũ, ſumẽda eſt ex terminis ꝓductis, in Diuina Eſsẽtia, ſed duo tãtũ sũt termini, intra Diuinã Eſſẽtiã ꝓducti, Filius, & Spiritus S. Filius per intellectionem Patris, Spiritus S. per volitionem Patris & Filii. ergo duæ tantùm, & nõ plures ſunt proceſſiones.

Multiplicatio diuinarũ proceſſionũ ſumenda eſt ex terminis

Durandi ſẽtentia eſt erronea, qui dicit proceſſiones immediatè ab eſſẽtia emanare.

45. Dico ſecundò. *Temeraria eſt, & ſingularis, immò & erronea ſentẽtia Durãdi, qui in 1. diſt. 6. q. 2. & diſt. 27. q. 2. & 3* dicit, iſtas proceſſiones, proximè & immediatè emanare ab Eſſentia; ſiquidem SS. PP. docent, Filium à Patre produci per intellectum, v. per Actum intellectionis Patris: Spiritum autem S. ſimiliter pròduci à Patre & Filio, per actum volitionis eorundem. ita ſentiunt & docent Irenæus *l. 2. contra Hæreſes c. 48.* Baſil. *Homil. ad c. 1. Ioan.* D. Aug. *l. 5. de Trinit. c. 6. 13. 14.* & ſic affirmant omnes Scholaſtici vnico Durando excepto; ſed quia eius ſententiam in noſtro Quæſito 2. confutauimus, & ad quædam illius fundamenta reſpondimus; proinde lectorem eò remittimus.

Eſſentia diuina nõ eſt principium *Quod* generationis & proceſſionis ſed *Quo*.

46. Dico tertiò. *Eſſentia Diuina, non eſt Principium* Quod *generationis Filii, & proceſſionis Spiritus S. ſed optimè eſt Principium* Quo. Pro intelligentia.

Prĩcipiũ duplex *Quod* & *Quo*.

Nota cuiuſlibet productionis duplex eſſe Principium; *Quod* & *Quo* Principium *Quod* eſt illud, cui propriè tribuitur actio; & cùm actiones ſint Suppoſitorum, dicim⁹ quòd Suppoſitum eſt principium *Quod.* nã illud eſt quod agit: Principium verò *Quo* eſt id, quò fit actio, & cui nõ tribuitur actio tanquam agenti, ſed tanquam modo agendi. *verbi. gratia* faber lignarius, dicitur eſſe principium

cipium *Quod* ſecandi ligna; nam ille eſt, qui ligna ſcindit, atq; accõmodat: ſecuris verò, ſeu ſera eſt principium *Quo* illius ſciſſionis. Idem in naturalibus accidit. nam Suppoſitum eſt principium *quod* generandi; Forma verò, quæ eſt ratio agendi, eſt principium *Quo*. Tum in Diuinis id quoque accidit: Pater enim eſt Principium *Quod* generationis Filij. nam ille eſt, qui generat, & producit Filium: intellectus verò eſt Principium *Quo*; nam non generat, neque eſt id quod producit Filium: Pater deinde & Filius, ſunt vnum principium *Quod*, productionis Spiritùs S. voluntas verò eſt principiũ *Quo*, & minimè eſt id, quod producit Spiritum S.

47. *Quæres* Si Filius & Spiritus S. producuntur per Eſſentiam, qualenam principium erit Eſſentia? *Reſpondetur*, quòd licet Filius & Spiritus S. producantur, per Eſſentiam tanquam per principium *Quo*: tamẽ ex hoc non inferas, quaſi plura ſint Principia *Quod*. nam Eſſentia & intellectus ſunt vnum Principium *quo* generationis Filii. Eſſentia enim Diuina eſt intellectus & è conuerſo. Similiter proceſſionis Spiritus S. Eſſentia, & Voluntas ſunt vnum Principium *Quo*. Ex quo iam

Eſſentia & intellectus ſunt vnum principium *Quo* generationis & proceſſionis.

Collige, quòd Eſſentia, neq; generat, neq; generatur, neq; ſpirat, neque eſt ſpiratum (vt inferiùs patebit) ſed Pater eſt, qui generat, & Filius, qui generatur: Pater & Filius ſunt qui ſpirant, & Spiritus S. eſt qui ſpiratur. Hoc ſuppoſito. *Probatur primum*, quòd Eſſentia Diuina non eſt principium *Quod*. Generans realiter diſtinguitur, à generato, ſimiliter ſpirans, & ſpiratum realiter differunt. ſi enim Diuina Eſſentia eſt principium *Quòd* Ergo erit generãs, & cum generans realiter diſtinguatur à genito, Eſſentia realiter diſtinguetur à Perſonis productis. Sed hoc apertè eſt falſum. eſt enim idem realiter cum omnibus Diuinis Perſonis. ergo Eſſentia non eſt principium *Quod* generationis, neque Spirationis.

Eſſentia nõ generat, nec ſpirat, ſed Pater & Filius.

48. PROBATVR *alterum*. quòd Eſſentia ſit Principium *Quo* generationis & Spirationis. Omnis actio, quæ alicui Diuinæ Perſonæ tribuitur, debet illi conuenire, aut ratione Eſſentiæ, aut ratione perſonalis proprietatis. v. g. generare eſt actio, & tribuitur Patri. ergo aut ratione Eſſentiæ, aut ratione proprietatis perſonalis; ſed Perſonalis proprietas, eſt Relatio; vnde non eſt ratio agendi aut producendi. ergo illi non conuenit ratione proprietatis Perſonalis. ergo ratione Eſſentiæ, vt eſt principium *Quo*. *Confirmatur*. Productum aſſimilatur producenti in forma; at Filius non eſt ſimilis Patri in Paternitate, ſed in Diuina Eſſentia. ergo Paternitas non eſt ratio, neque Principium *Quo* generationis Filii, ſed eſt ipſa Eſſentia.

Actio, quæ diuinæ Perſonæ tribuitur, conuenit, aut ratione eſſẽtiæ aut ratione proprietatis perſonalis.

Confirmatur iterum. Relatio in Diuinis Perſonis ſic ſe habet, vt in creaturis; habet enim ſe proprietas indiuidualis, reſpectu indiuidui: ſed in Indiuiduis, proprietas indiuidualis, non eſt Principium *Quo* generandi. nam aliàs Socrates generaret Socratem; cùm tamen non generet niſi hominem. ergo ſicut in Socrate, non proprietas Indiuidualis, ſed ipſa natura humana, quæ eſt in Socrate, eſt Principium *Quo* generationis, etiam in Patre Paternitas non eſt

Proprietas indiuidualis non eſt principium *Quo* generandi.

non eſt principium *Quo*, ſed ipſa Eſſentia Diuina.

Eſſentia diuina non eſt proximū & immediatū pricipiū generationis & ſpirationis.

49. Dico quartò. *Licet Eſſentiæ Diuinæ tribuamus, quòd ſit Principium* Quo *generationis, & Spirationis, tamen non eſt principium proximum; & immediatum harum actionum: nam inter Diuinam Eſſentiam, & Generationem mediat noſtro modo intelligendi, Diuinus intellectus Patris, à quo, tanquam à principio proximo & immediato, procedit Filius.* Similiter *inter Diuinam Eſſentiam, & Spirationem Spiritus Sancti, mediat voluntás Diuina, à qua tanquam à Principio proximo, & immediato, procedit Spiritus Sanctus* PROBATVR. Inter animā intellectualē, & illi⁹ operationes mediant Potentiæ, v. Intellectus & Voluntas; nam Anima per intellectum intelligit, & per voluntatem vult. ergo ſimiliter inter Eſſentiam Diuinam, & illius operationes, mediant potentiæ, hoc eſt, intellectus & voluntas, ex quibus tanquam à Principio proximo & immediato, Proceſſiones Perſonarum fiunt. *Confirmatur* Gratia conſtituit hominem in *Eſſe* ſupernaturali, & hæc eadem ſola immediatè non operatur, ſed mediantibus virtutibus infuſis, videlicet Fide, Spe, Charitate, ita, quòd immediatè à gratia, non procedant actiones, ſed mediantibus Potentiis. ergo idem dicendum in Diuinis, quòd actiones non proueniunt immediatè ab Eſſentia, ſed à Potentiis.

Inter Animā intellectualem & illi⁹ operationes mediant potentiæ.

Gratia conſtituit hominem in *Eſſe* ſupernaturali median te Fide, ſpe, & charitate

Diuina Eſſentia quomodo eſt principium *Quo* generationis & ſpirationis.

50. *Nota.* Quando dicimus, *quòd Eſſentia Diuina, ſit Principium* Quo *generationis Filij*, ita hoc intellige, inquantùm videlicet Eſſentia, ſolùm eſt in Patre. eſt quoque eadem Eſſentia Principium *Quo* ſpirationis, etiam ſolùm prout eſt in Patre & in Filio; quia Principium *Quo* debet eſſe in Principio *Quod* Ex quo contra Durandum.

Principium *Quo* debet eſſe in principio *Quod*

Obſerua quòd ſecluſo intellectu, & voluntate à natura Diuina, etiamſi per impoſſibile maneret natura, nec generaretur Filius, nec ſpiraretur Spiritus Sanctus; quia natura non operatur, niſi mediantibus potentiis.

Natura non operatur niſi mediantibus potentiis?

Obiectio.

Quæres cur natura non poteſt operari, & ſeipſam communicare ſecluſis potentiis? *Reſpondeo* quia eſt Natura, cui conuenit tantùm, eſſe Principium primum operatiuum, non autem proximum; nam proxima principia ſunt, v. intellectus voluntas, quibus Natura, tanquam inſtrumentis, vtitur ad agendum.

Solutio.

Obiectio altera.

Quæres iterum. cur Sancti Patres loquantur, quòd Pater producat Filium per naturam, ſeu vt natura? *Reſpondeo 1.* cum Diuo Thoma *quæſtione 30. articulo 2 ad 2.* quòd hæ particulæ, *vt natura, per naturam.* idem ſignificant quod *per intellectionem. Reſpondeo ſecundò.* ideo Pater generat Filium per naturam; quia productio Filii, non habet ſe liberè, ſed neceſſariò.

Solutio 1.

Solutio illius. 2.

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Relationibus Diuinis?

Poſtquam ex Proceſsionibus collegimus dari in Diuinis Perſonas: hæ itaque debent per aliquid conſtitui, & ad inuicem inter ſe diſtingui. Sed Relationes ſunt, quæ conſtituunt Perſonas, & eaſdem ab inuicem diſtinguunt; ergo nobis agendum de Relationibus. Quinque autem inquiremus.

1. *An in Diuinis ſint Relationes, eædemque reales?*
2. *An Relationes in Deo ſint idem cum Eſſentia Diuina?*
3. *An Relationes dicant aliquam perfectionem?*
4. *An plures Relationes, poſſint in Deo dari realiter inter ſe diſtinctæ?*
5. *Quot ſint numero?*

QVÆSITVM I.

An in Deo ſint aliquæ Relationes reales?

In Deo ſunt Relationes eaq; reales

1. AD Quæſitum Dico. *Certiſſimè aſſerendum eſt, & firmâ fide credendum, in Deo eſſe aliquas Relationes, eaſdéq; reales.* PROBATVR locis Script. 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dāt in cœlo, Pater, verbum & Spiritus Sanctus.* & Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit Filio.* Tum *nemo nouit Filium, niſi Pater.* &c, *neſcitis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ex quo argumentor. In his locis enumeratis, & aliis quàm plurimis, Perſonæ Diuinæ appellantur nominibus Relatiuis, v. *Patris, Filii, & Spiritus S.* nam Pater eſt alicuius Filii Pater: & Filius eſt alicuius Patris Filius: & Spiritus S. eſt alicuius ſpirantis Spiritus: *Similiter* verbum eſt alicuius Dicentis Verbum; ergo nomina Diuinarum Perſonarum ſūt Correlatiua. *Præterea* Relationibus conſtituūtur Diuinæ Perſonæ. nam impoſſibile eſt eſſe Patrem, ſine Paternitate; ergo Pater in Diuinis, conſtituitur in *Eſſe* Patris paternitate; *Tum* impoſſibile eſt Filium eſſe ſine Filiatione; ergo Filius in *Eſſe* Filii, conſtituitur Filiatione, *Demum* impoſsibile eſt, eſſe Spiritum S. ſine ſpiratione, ſeu ſine proceſsione; ergo hæc nomina correlatiua, ſunt cōſtitutiua Diuinarum Perſonarum. Idem etiam docent Concilia Toletanum II. *in Confeſſione fidei.* vbi habetur: *In Relatiuis nominibus Diuinis, referri Patrem ad Filium, & Filium ad Patrem, Spi-*

Relationib⁹ conſtituuntur Diuinæ Perſonæ;

trem, Spiritum verò S, ad vtrumque: & tres Perſonas dici relatiuè, nec Patrem eſſe ad ſe, ſed ad Filium, nec Filium ad ſe, ſed ad Patrem, nec Spiritum S. ad ſe, ſed relatiuè, ad Patrē & Filiū. Et Concil. Florentium *Seſſione 9* dicit: *ſola Relatio Perſonas multiplicat.* & *Seß. 19. Perſonæ Diuinæ, quamuis ſecundùm ſubſtantiam, ſint vnus Deus, tamen per proprietates reuera diſtinguuntur; quia ſunt ad aliquid.* Concilium quoq; Later. ſub Innocentio III. *c. firmiter* dicit, *hæc S. Trinitas, ſecundùm communem Eſſentiam, eſt indiuidua, & ſecundùm proprietates partiales, eſt diſcreta.* ſed hæ proprietates, nihil aliud ſunt quàm Relationes; eademque eſt doctrina D. Aug. *l. 5. de Trinit. c. 5.* vbi dicit: *Patrem & Filium, non appellari ſecundùm ſubſtantiam, id eſt, ſecundùm* Eſſe *abſolutum, ſed potiùs ad aliquid, & ſecundùm* Eſſe *Relatiuum, nec Patrem dici ad ſe, ſed ad Filium, nec Filium ad ſe, ſed ad Patrem.*

Relationes in Diuinis ſunt reales vt ſupra.

2. Dico ſecundò. *Hæ relationes in Diuinis ſunt reales.* RATIO *prima.* aliàs enim eſſent rationis nam eſſent per opus intellectus noſtri. ergo ſequeretur, quòd Deus eſſet Pater, & Filius, & Spiritus S. non re ipſa, ſed ſecundùm opus rationis noſtræ. atqui hæc eſt Hæreſis Sabelliana, vt Quæſito 1. docuimus. ergo dicendum quòd ſint reales.

Ratio ſecunda. vbi datur generans, & genitum, ſpirans & ſpiratum, ibi neceſſariò admittendæ ſunt diſtinctiones reales. nam ex communi doctrina, inter generantem, & genitū, dantur Relationes Paternitatis & Filiationis. ſed Pater eſt generans, Filius eſt genitus, Pater & Filius ſunt vnum principium ſpirans, & Spiritus S. eſt ſpiratus. ergo in Diuinis ſunt reales relationes.

Generatio & Spiratio ſunt reales actiones.

Ratio 3. Generatio & Spiratio sūt reales actiones. nam Deus Pater verè generat Filium, actione immanēte ad intra: Filius ſimiliter verè generatur ab intra: demum & Spiritus S. per actionem immanentem, re ipſa à Patre & Filio procedit, nulloq; hoc modo pendent ab operatione intellectus noſtri. ergo Relationes ſunt reales.

Actio generandi ſpirandi in Deo ſunt perpetuæ.

3. *Ratio quarta.* Hæ actiones generandi, ſpirādi, ſunt perpetuæ, nec vnquam deſinunt in Deo, & tam ſunt hodie, quàm fuerunt ab æterno. ergo ſunt reales.

Fundamenta & extrema realia, faciunt Relationes reales.

Ratio vltima. Illæ Relationes ſunt reales, quorum fundamenta ſunt realia, & termini reales. ſed fundamenta ſunt realia, nimirum Intellectus & Voluntas, ipſi quoq; termini ſunt reales, v. Pater, Filius, Spiritus S. ergo reales ſunt.

Nota 1. quando has Relationes reales, formaliter & extrinſecè ponimus in Deo, nemo cogitare debet, quaſi adinuicem ſint ſibi cauſæ. nihil enim eſt in Deo, quod poſſit ab alio produci, tanquam à cauſa. nam cauſa inducit diuerſitatem Eſſentiæ inter id, quod cauſat & cauſatur; ſed Relationes Diuinæ, idem habent *eſſe*, ſeu eandem numero Eſſentiam, proinde de ſolis relatis creatis, hoc concedendum, quòd ſint ſibi mutuò cauſæ.

4. *Nota 2.* Quamuis hæ Relationes, ſint reales in Deo, tamen ideo non eſt concedendum, quaſi Deus relatione reali, referatur ad creaturas; cùm ſolùm referatur relatione rationis. *Ratio eſt.* Id enim, quod procedit ab aliquo principio neceſſariò refertur ad ipſum relatione reali; nam reuera producitur ab illo, & ſecundùm

ſecundùm ſuam naturam, habet habitudinem ad illud: ipſum autem principium non eſt neceſſe, vt referatur Relatione reali, ad ſuum productum; vt Scientia refertur ad Scibile Relatione reali; quia Scibilis eſt effectus ſcientia: Scibile autem ſolùm relatione rationis refertur. Idē de Creatura dicendum, quòd relatione reali refertur ad Deum. nam dependet à Deo: ipſe verò Deus, ſolùm relatione rationis refertur ad Creaturam; Reddit cauſam D. Th. *hîc q. 28. ad 3.* quia creatura procedit à Deo, in diuerſitate naturæ. nam Deus eſt extra ordinem totius creaturæ, & in eius natura non eſt habitudo ad creaturas, cùm non producat creaturas, ex neceſſitate naturæ, ſicut in Diuinarum Perſonarum productione accidit. Ex quo

Creaturæ ad Deū referuntur relatione reali.

Inferre licet. Quando Relationes ſunt eiuſdem naturæ & ordinis, neceſſariò iam ſunt reales. ſed Paternitas, Filiatio, Spiratio, ſunt Relationes eiuſdem ordinis, & eiuſdem numero naturæ. ergo ſunt reales Relationes, quæ reali relatione ad ſe referuntur.

5. *Nota 3.* Quidam dicunt, quòd Relationes Diuinæ, ſunt quidem reales, inquantùm vniuntur ſuo fundamento, v. Eſſētiæ Diuinæ, ſed, prout referunt vnam perſonam ad aliã, non habent aliquid reale. ergo Relatio vt Relatio, ſeu, vt dicit *ad*, vel *refert*, vel etiam reſpectum, non erit realis.

Verùm contrarium probatur primò, quòd *Relationes, etiam vt dicunt* ad, *ſeu* reſpectum, *ſunt reales.* nam ſi relatio, *vt refert.* non eſſet realis, ſequeretur, quòd in Deo id eſſet reale, quod eſſet abſolutum; ſed Perſonæ Diuinæ non ſunt quid abſolutum. ergo non erunt quid reale, quod quidem falſum eſt.

Relationes vt dicunt *ad* ſeu reſpectū ſūt reales.

Probatur ſecundò. Sequeretur adhuc, quòd Pater vt Pater, formaliter loquendo. non eſſet quid reale, *Sequela.* Pater enim vt Pater, dicit ordinem, ſeu reſpectum ad alium, & quia hic reſpectus non eſt realis. etiam nec pater erit realis.

6. Contra hanc aſſertionem Catholicam, ſunt quædam argumenta Philoſophorum, & Hæreticorum, quibus conantur auferre à Deo Relationes reales, quæ videri poſsūt apud Cumelium, & Valentiam, quale hoc eſt vnum: ſi relatio realis eſſet in Deo, tunc prædicaretur de Deo, vel ſecundùm accidens, vel ſecundùm ſubſtantiam? *Non primo modo*, quia teſte D. Aug. *l. 5. de Trinit. c. 4.* nihil de Deo accidentaliter prædicatur. accidens enim eſt cum mutatione illius rei, cui accidit, & poteſt etiam amitti. ſed in Deo nihil eſt mutabile, nihil amiſſibile. ergo Relatio non poteſt prædicari de Deo, ſecundùm accidens. *Neq. ſecundo modo.* nam, quæ ſecundùm ſubſtantiam prædicantur, ad ſe dicuntur. ſed Relatiua non dicuntur ad ſe, vt Pater, & Filius, non dicuntur ad ſe. ſed Pater ad Filium, Filius ad Patrem. ergo ſi Relationes non prædicantur de Deo ſecundùm accidens, neq; ſecundùm ſubſtantiam, Relationes non erunt in Deo.

7. *Reſpondeo.* Etiamſi concedam⁹, quòd relationes non prædicentur ſecundùm ſubſtantiam, ex eo tamē, non ſequitur, quòd prædicentur ſecundùm accidens; quia accidens (vt iam dictum) eſt mutabile & amiſſibile: Relationes autem in Diuinis

Refutatio illius.

uinis; non ſunt mutabiles, atque amiſſibiles; proinde in Deo, duo tãtùm ſunt modi prædicandi: ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm relationem: aliorum verò Prædicamẽtorum, nullus modus prædicandi reperitur in Deo. Huius rei D. Th. in 1. *diſt.* 8. *q.* 4. *a.* 3. hanc aſſignat cauſam: quando illa, quæ in creaturis inueniuntur, de Deo prædicantur, tunc remouenda eſt ab illis omnis imperfectio: duo autem ſunt in Generibus accidentium, quæ dicunt imperfectionem: *Primum* eſt inhærere, ſeu ineſſe, & hoc eſt commune, omnibus generibus accidentium. *alterum*, eſt propria ratio formalis, per quam quodlibet genus accidẽtis conſtituitur, & ab alio diſtinguitur; & hæc propria ratio, ſumitur ex eo, in quantùm quodlibet genus accidentis afficit ſubſtantiam; & ſecundùm hanc duplicem rationẽ, neq; Relatio, neque aliud accidens, poteſt prædicari de Deo; quia dicit imperfectionem. *inhærere* enim ſeu *ineſſe* dicit imperfectionem, quia dicit dependentiam à ſubiecto, & cum eo facit compoſitionem. Propria quoq; ratio cuiuſlibet accidentis, dicit imperfectionem, quia ſumitur ex eo, inquantùm afficiũt ſubiectũ. vnde etiam ſumuntur, ex comparatione ad ſubiectum. Relatio igitur ſecundùm communem rationem, non prædicatur de Deo; quia dicit imperfectionem. ſed ſumpta ſecundùm hanc propriam rationem, inquantùm habet ſe ad aliud, ſic, quia nullam dicit imperfectionem. nam illius ratio, non ſumitur per comparationem ad ſubiectum, nec dicit à ſubiecto dependentiam, prædicatur de Deo.

In Deo duo tantum modi prædicã di.

In generib⁹ accidentiũ duo ſũt quæ dicunt imperfectionem.

Relatio ſecundum cõmunem rationem nõ prædicatur de Deo, niſi ſecundũ ꝓpriam hoc eſt, vt eſt ad aliud.

QVÆSITVM II.

An Relationes in Diuinis, diſtinguantur realiter ab Eſſentia Diuina necne?

8. PRo determinatiõe Quæſiti, Dico primò cum S. Doctore: *Relatio realiter exſiſtens in Deo, eſt idem cũ Eſſentia Diuina, ſecundùm rem.* Contrarium aſſerit Gilbertus Poretanus Pictauienſis Epiſc. dicitq; tria: *primò*, Relationes eſſe res diſtinctas ab Eſſentia *ſecundò* Relationes Diuinas, non eſſe Eſſentiam Diuinã, ſed tantùm eſſe affixas, & exterius aſſiſtentes Perſonis Diuinis. *tertiò* Relationes in abſtracto. non poſſe prædicari de Deo, ſed ſolùm in concreto. vnde has Propoſitiones non admittebat: *Deus eſt Paternitas*, vel *Paternitas eſt Deus*, vel *Deus eſt veritas*: has verò concedebat; *Deus eſt Pater, & Pater eſt Deus, & Deus eſt verus.* verũ hæc ſententia, damnata eſt in Concil. Rhemenſi, præſidente & præſente Eugenio III. docetq; ita & Bernar. qui fuit contemporaneus Eugenij, & magna pars huius erroris condemnandi. Senſus igitur Catholicus eſt, quem S. Mater Eccleſia tenet: *Relationes in Deo idem eſſe ſecundùm rem, cum Eſſentia Diuina, & exſecratur*

Relatio realiter exſiſtẽs in Deo eſt eadem Eſſentiæ Diuinæ ſecundùm rem.

Contraria ſententia.

Refutatio illius.

Eſſentia Di-

tina à ſuis relationibus non differt realiter. *ſecratur diſtinctionem realem Eſſentiæ Diuinæ à Relationibus.* PROBATVR Admiſsâ reali diſtinctione inter Eſſentiam & Relationem, ſequitur naturam Diuinam, non eſſe ſimpliciſſimam, ſed realiter ex pluribus entibus compoſitam; ſed hoc eſt impiũ & Hæreticum. ergo realis diſtinctio non eſt admittenda.

9. *Probatur ſecundò.* Sequeretur, quòd Relationes Diuinæ eſſent formaliter aliquid creatũ. *Sequela,* quia Relationes Diuinæ non ſunt idem realiter, cũ natura & ſubſtantia Dei. ergo erunt quid creatum. inter Deũ enim & creaturam, nullum eſt medium *Confirmatur* argumento D. Th. Quicquid non eſt Deus, debet eſſe aliquid creatum: ſi verò relationes ſunt creaturæ. ergo nõ poſſunt, nec debẽt adorari cultu latriæ; quia hic ſoli Deo debetur. SED contrarium Eccleſia tenet. quando in Præfatione, de Sanctiſſima Trinitate canit, *vt in Perſonis proprietas, & in Maieſtate adoretur æqualitas,* ſed hæ proprietates, nihil aliud ſunt, quàm relationes, nec Relationes aliud ſunt, quam proprietates. VEL ſic breuiùs hanc collige rationem. Si Relatio eſt Entitas realiter diſtincta ab Eſſentia Diuina. ergo non eſt Deitas. ergo non eſt Deus ergo creatura. ergo vel temporalis, vel æterna? *non æterna;* quia daretur aliqua creatura æterna, quod eſt contra fidem. *non tẽporalis:* nam Perſona Diuina, ſiquidem per relationem conſtituitur, eſſet quoq; temporalis, quod ſimiliter eſt contra fidem. Sed

Obiectio. 10. *Obiicies.* Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt etiam eadem inter ſe. ſed ſecundùm te, Relationes ſunt eædẽ formaliter cum Eſſentia Diuina. ergo etiam inter ſe erunt eædem. ſed hoc falſum. nam Paternitas & Filiatio realiter inter ſe diſtinguuntur.

Reſpondeo primò, hoc Axioma, eſſe receptum tanquam verum, in rebus creatis, ſed in hoc Myſterio ſupernaturali, quod nec Ariſtoteles agnouit, nec vllus Philoſophorum potuit cognoſcere lumine naturali, locum no habet. Solutio 1. *Reſpondeo ſecundò,* explicando ſenſum huius Axiomatis: Solutio 2. *Quæ ſunt eadẽ vni tertio, ſunt quoq; eadẽ inter ſe,* id eſt *ſunt eadem inter ſe, eo ipſo, quo cum tertio vniuntur,* & quia Relationes vniuntur vni tertio, nimirũ Eſſentiæ. ergo inter ſe erunt eædem in Eſſentia: diſtinguentur autem ſecundùm eſſe notionale, & Perſonale, ſiue Relatiuum. *& Ratio eſt.* quia talis debet aſſignari identitas extremorum, quale fuerit tertium in quo conueniunt. ſed Relationes identificantur in Eſſentia Diuina. ergo etiam debent inter ſe identificari eſſentialiter, hoc eſt, in eadem illa Eſſentia, non autem relatiuè, nec notionaliter. Relationes identificãtur in Eſſẽtia diuina.

Reſpondeo tertiò hoc Axioma in his ſolùm valere, quæ ſunt eadem cum tertio adæquatè, & omnibus modis, non ſolùm realiter formaliter, ſed etiam ratione & virtute: Relationes verò Diuinæ, non ſunt eædẽ adæquatè cum Eſsẽtia; quia virtute & ratione ab Eſſentia diſtinguuntur. Solutio 3.

11. Dico ſecundò. *Inter Eſſentiam Diuinam, & Relationes Diuinas, nulla diſtinctio actualis ex natura rei, quæ præcedat omnem operationem intellectus, poteſt dari.* Hoc Dictum eſt contra Scotũ, qui in *2. diſt. 2. q. 3.* aſſerit, quòd licet Relatio non diſtinguatur realiter ab Eſſentia, tanquam res à re, diſtinguitur tamen ex natura rei formaliter, Inter Eſſentiam Diuinam & Relationes, nõ poteſt dari diſtinctio ex natura rei.

maliter; & hanc diſtinctionem vult eſſe mediam, inter realem & rationis, quam maiorem eſſe dicit diſtinctione rationis, ſed minorem diſtinctione reali. *Fundamentum eius.* Ante omnem operationem intellectus noſtri, in Deo eſt Eſſentiæ realitas, quæ eſt communicabilis; eſt quoque realitas Relationis, quæ eſt incõmunicabilis. Ergo ante operationẽ intellect⁹, vna, nõ eſt formaliter alia ergo ex natura rei diſtinguuntur. Dictum noſtrum tenet D. Th. *hîc q. 39. a. 1. & de Potentia q. 8. a. 2.* Fauent antiquiores Theologi, D. Bonau. Ægid. Capr. Greg. & alij quàm plurimi recentiores. *Probatur* Concil Florent. *Seſſ. 19.* loquens de Eſsẽtia, & de Perſona, ſic dicit: *haud quaquam, putare debetis, quod re differant, quandoquidem ſola ratione, aut intelligentiâ, differre creduntur.* ſi ſolâ ratione differũt. ergo nõ ex natura rei; quia diſtinctio ex natura rei, eſt maior diſtinctione rationis. & Concil. Later. c. *Damnámus,* vbi dicitur: *id quòd eſt Pater, nempe Eſſentia eſt Filius, & Spiritus S. & idem omnino cum illis* Particula *idem,* inducit identitatem, excludendo diſtinctionem, tam realem, quàm ex natura rei. PROBATVR & rationibus.

12. *Prima.* Si Relatio eſſet diſtincta ex natura rei ab Eſſentia, ſequeretur Deum, ſeu Diuinam Perſonã, non eſſe ſimpliciſſimam, ſed poti⁹ compoſitam. *Sequela,* Perſona Diuina conſtituitur ex Eſſentia & Relatione. ſed hæc ſecundum Scotum ſunt diſtincta ex natura rei. Ergo Perſona Diuina erit compoſita.

Dices. Ad compoſitionem veram, requiri diſtinctionem. quæ ſit realis tanquam rei à re.

Solutio rationis.

Contra inſto. Plures dari compoſitiones, eaſdemq́; veras, in quibus non eſt diſtinctio realis, ſeu rei à re. nam in creaturis, figura facit compoſitionem cum quantitate, & tamen hæc, non diſtinguuntur tanquam res à re. *Tum* & Metaphyſica compoſitio. licet non ſit compoſitio rerum, vt cùm ſit ex genere & differrentia, tamen eſt vera compoſitio. Deinde in homine, eſt compoſitio ex natura & ſuppoſito, & tamen inter naturam & ſuppoſitum ſecundùm probabilem opinionem, non eſt diſtinctio tanquam rei à re, ſed ſolùm eſt formalis.

Contra inſtantia.

Figura à quantitate non diſtinguitur vt res à re.

Ratio ſecunda. Si inter Relationem & Eſſentiam, daretur diſtinctio ex natura rei, ſequeretur, quòd Pater ſeu Paternitas, non eſſet realiter Eſſentia Diuina, ſed hoc eſt contra Concil Later. in cap. *Damnamus.* vbi dicitur: *vna ſumma res eſt, v. Eſſentia Diuina, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus S.* Et infra dicit: *Eſſentia, non eſt generans, ſed Pater eſt qui generat, vt diſtinctio ſit in Perſonis, vnitas in natura.*

13. *Ratio tertia.* Quæ differunt ex natura rei, poſſunt ſeparata à ſeipſis exſiſtere; ita aſſerit communis doctrina. atqui nec Eſſentia ſine Relationibus, nec Relationes Diuinæ ſine Eſſentia exſiſtere poſſunt. ſunt enim hæc vna Entitas ſimpliciſſima & indiuiſibilis, & ſemper neceſſaria. ergo Relationes ab Eſſentia Diuina ex natura rei non diſtinguuntur.

Quæ differunt ex natura rei, poſſunt à ſeipſis ſeparata exſiſtere.

Ratio quarta. Conc. Later. definiuit, ſub Innocentio c. 3. nullam in Deo dari quaternitatem. ſed ſi Relationes ab Eſſentia diſtinguuntur, ex natura rei, iam darentur tres Perſonæ realiter diſtinctæ, & quarta

Eſſentia

EſſentiaDiuina;ſiquidem à Relationibus ſecundùm Scotum, ex natura rei formaliter differt. ergo erunt quatuor realia extrema,inter ſe realiter diſtincta, quod eſt contra Cōcilium.

Abſurda ex Scoti diſtinctione promanātia 1. Ad extremùm, ex hac diſtinctione Scoti, ſequuntur hæc abſurda: *Primum.* Eſſentia Diuina, non contineret in ſe, formaliter omnes perfectiones. atque ſic eſſet quoddam finitum, & ad quod additio fieri poſſet. quod eſt falſum. *Sequela.* quia Eſſentia diſtinguitur ex natura rei à Perſonis. ergo non haberet perfectiones Perſonarum; cùm ab ea diſtinguantur.

Inſtantia. 14. *Obiicies.* Omnino diſtinctionem ex natura rei, eſſe concedendā. nam Relatio vt relatio præcisè ſumpta,videtur aliquid addere ſupraEſſentiam, cùm hæc ſit abſoluta, illa in ordine ad aliud. *Reſpondeo* nihil omnino poſſe ſuperaddi Eſſentiæ Diuinæ, quod ſit diuerſū, ſed eſſe ipſámet Eſſentiam, variis modis conceptam; & pluribus perfectionibus realiter diſtinctis æquiualentem:

Solutio.

Obijcies ſecundò. Quod eſt per ſe ſuâ natura incommunicabile, differt realiter ex natura rei ab eo, quod eſt per ſe ſuâ naturâ communicabile. ſedEſſentia eſt communicabilis tribus Perſonis: Perſona autem ex natura ſua, non eſt communicabilis. ergo Eſſentia & Perſona formaliter ex natura rei, differunt ante intellectus noſtri operationem: *Reſpondeo* diſtinctio ex natura rei dupliciter conſiderari poteſt: *Primò* quando ſunt plures, & diuerſæ rationes formaliter, quarum vna in conceptu alterius non continetur: *ſecundò* inquantùm non pendet, ex ſola operatione intellectus noſtri. nam non eſt Logica,nec fictitia.ſed habet veros terminos reales, & fundamenta realia, quamuis nec termini, nec fundamenta realiter inter ſe differant, ſed ſolùm pluribus realiter diſtinctis æquiualent. In primo itaque ſenſu negamus maiorem Propoſitionem. nam ad hoc,vt aliquid ſit cōmunicabile& incōmunicabile ſuâpte naturâ,nō eſt neceſſaria diſtinctio formalis ex natura rei, ſed ſufficit diſtictio virtutis,ſeu rationis,per quam Eſſentia Diuina, propter ſuā infinitatem includit formaliter perfectiones omnes, & ſeipſa ſola variis modis conſiderata, præſtat hoc totum, quicquid fieret per diuerſas Entitates formaliter inter ſe diſtinctas. *In ſenſu autem ſecundò,* concedimus poſſe hanc diſtinctionem, appellari quodamodo ex natura rei. Et Gamachus addit,poſſe etiam realem aliquomodo dici,non quidem ſimpliciter, ne detur occaſio ſcandali: ſed cum hoc addito, vt ſit realis virtualis æquipolenter. *Ratio eſt.* quia hæc diſtinctio, non eſt Logica, nec conficta, ſed habens fundamentum in Diuina infinitate; & nemine cogitante, cuilibet æquiualet diſtinctioni reali, ſuppletque omnia neceſſaria, quæ fieri poſſent per Entitates realiter formaliter differentes.

Inſtantia 2. Eſſentia Diuina eſt cōmunicabilis. Solutio illius. Diſtictio ex natura rei dupliciter cōſideratur

15. *Obiicies tertiò.* Quòd Eſſentia ſit communicabilis: Perſona autem incommunicabilis,eſt contradictio. ergo danda eſt diſtinctio ex natura rei. *Reſpondeo* hæ Propoſitiones: *Eſſentia eſt communicabilis.& eadem Eſſentia, contracta ad Perſonam Patris, reduplicatiuè*

Inſtantia vltima. Solutio eiꝰ

plicatiuè incommunicabilis, diuerſo modo conueniūt Eſſentiæ Diuinæ: *Præterea* hæ Propoſitiones, non ſunt Contradictoriæ. nam ſecundùm doctrinam Ariſt. receptam: illæ Propoſitiones ſunt contradictoriæ, quæ ſunt ad idem, ſecundùm idem, & eodem modo. ſed Eſſentia Diuina, aliter eſt communicabilis, & aliter incommunicabilis: eſt communicabilis, inquantùm conſideratur in ratione abſoluta: communicabilis verò, inquantùm conſideratur in ratione Perſonæ Patris, Filii, & Spiritus S. Sicut etiam eadem Eſſentia, dicitur improducibilis, vt habet rationem abſoluti: producibilis verò, vt ſupponit Perſonam Patris, Filii, vel Spiritus S. tantùm.

Contradictoriarū cōditiones tres.

Eſſentia cōſiderata in ratione abſoluta eſt communicabilis: in ratione Perſonarum ſingularum nō.

16. Dico vltimò. *Eſſentia Diuina ſolâ ratione ratiocinata diſtinguitur à Relationibus.* Probatvr Ita Concil. Florent. definit. *Seſſ 17 18. 19 & 25.* vbi ſic habet: *Relationes ſolâ ratione, ab Eſſentia diſtinguuntur.* Et ex iam confutatis colligitur nam Relationes & Eſſentia, neceſſariò aliquā diſtinctione diſtinguuntur; ſed non realiter, neque etiam ex natura rei, (vt iam probatū eſt.) ergo ſolâ ratione; & perconſequens ratiocinata; quia non eſt gratis conficta per intellectum, ſed habet in re fundamentum. *Maior.* de Eſſentia, & de Relationibus verificantur duo Contradictoria, ante operationem intellectus, v. Eſſentia eſt communis tribus Perſonis, & nulla Relatio eſt communis tribus perſonis. ergo debet omnino diſtingui. Probatvr *ſecundò.* Concil. Florent. docet, quod in Diuinis, omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio Relationis: ſed inter Eſſentiam Diuinam, & Relationem non eſt oppoſitio Relatiuā ergo ſunt vnum, ſolâ tamen ratione diſtinguuntur. Probatvr *tertiò.* Eſſentia Diuina, eo modo diſtinguitur ab attributis Relatiuis, quo ab attributis abſolutis. nam attributa reſpectiua, non inducunt maiorem aut etiam vllam compoſitionem, aut multiplicitatem diuerſam ab ea, quā inducere poſſunt attributa abſoluta, ſaltem ſi comparentur abſoluta attributa cum Eſſentia; quod ea de cauſa addo, ſi enim attributa Relatiua inter ſe comparentur, tunc realiter diſtinguuntur: ſed attributa abſoluta, & Eſſentia diſtiguuntur inter ſe ſolâ ratione ratiocinatâ. nam hæc ſunt vnum, & idem realiter, ac formaliter: in ordine tamen quoad noſtrum intellectum, dicuntur eſſe varia & multiplicia ergo & Eſſentia Diuina non diſtinguetur ab attributis Relatiuis, niſi ſolâ ratione.

Eſſentia Diuina ſolâ ratione ratiocinata diſtinguitur à Relationibus.

De Eſſentia & Relationibus ante opus intellectus verificātur Contradictoria

Attributa ab Eſſentia ſolâ ratione ratiocinata diſtinguuntur.

17. *Quæres* An, cùm Eſſentia habeat ſuam rationem formalem, ſimiliter & Relatio, Relationes ſint de ratione formali conceptus Eſſentiæ Diuinæ, ita, vt nequeat concipi ſine Relatiōibus? *Reſpōdeo*, quòd licet Relationes, non includantur in conceptu formali Eſſentiæ Diuinæ, tamen Eſſentia Diuina, poteſt benè concipi ſine Relationibus Diuinis. nam SS. Patres docent, in Deo dari attributa, quorum quædā ſunt propria, quædam verò communia: ſed ſi Relationes, includuntur in conceptu formali Eſſentiæ Diuinæ, iam non eſſent in Deo attributa propria, ſed ſolùm communia. nam Eſſentia Diuina eſt vna & eadem omnino in omnibus Perſonis. atque ſic, vt Eſſentia eſt communis, etiam attributa quæ in ea ſunt, erunt communia. ergo

Eſſentia Diuina poteſt benè concipi ſine Relationibus Diuinis.

Attributa Diuina alia ſūt Propria alia communia.

ergo nulla erunt attributa propria. *Confirmatur* ſi Paternitas eſt de conceptu Eſſentiæ formali: ergo Paternitas eſſet formaliter in Filio. *Sequela.* quando enim aliquid eſt in aliquo, tunc quicquid eſt in conceptu illius. eſt in illo. *v. g.* ſi homo eſt in aula, etiam animal eſt in aula; quia animal eſt de conceptu formali hominis. *Similiter* ſi aliquid communicatur Petro, quicquid eſt de ratione formali illius, quod communicatur Petro, totum Petro communicari debet: v. g. Petro communicatur vt ſit homo, ergo eidem communicatur, vt ſit animal; nam animal eſt de Eſſentia hominis. Ita quoque Eſſentia Diuina communicatur Filio, & Paternitas eſt de ratione formali ipſi' Eſſentiæ Diuinæ. ergo Paternitas communicatur Filio, quod quidem eſt falſum. nam in Concil. Florent. Seſſ. 13. definitum eſt: Patrem generando Filium, communicare illi totum, quòd in ſe habet, præter Paternitatem.

Ex quo iam *Collige*, quòd Relationes non continentur in formali cõceptu Eſſentiæ: in eo tamen ſenſu dici poteſt, *Pater eſt de conceptu Eſſentiæ Diuinæ*: quòd non poteſt intelligi Eſſentia Diuina, quin intelligatur Pater. Et idem dicendum de aliis Relatiuis, vt de Filiatione, ac Spiratione. *Ratio eſt.* quando enim talis eſt natura, quæ neque realiter, neque formaliter differt à ſuo Suppoſito, non poteſt intelligi ſine eo. ſed ſic ſe habet natura Diuina, v. Eſſentia. ergo non poteſt intelligi ſine Paternitate: in eo verò ſenſu, *quòd nihil ſit Eſſentia Diuina, quin ſit Pater*, non eſt iam de conceptu, ſeu de ratione formali eſſentiæ Diuinæ.

Eſſentia Diuina nõ poteſt intelligi, quin Pater, vel Filius vel Spiritus S. intelligatur.

QVÆSITVM III.

An Relationes Diuinæ dicant perfectionem?

18. In omni Relatione ſũt hæc duo Eſſe in & Eſſe ad. Relatio dupliciter cõſideratur.

PRo intelligentia Quæſtionis *Noto* In omni Relatione duo contineri ſcilicet: *eſſe in, & eſſe ad* quia dupliciter Relatio conſiderari poteſt: *Primò* Materialiter ratione ſui fundamenti, inquantùm res vna ad aliam refertur, & ſic dicitur Relatio *eſſe in: ſecundò* formaliter hoc eſt Relatio vt Relatio, ſeu, vt dicit reſpectum vnius rei ad alteram, & appellatur Relatio *eſſe ad;* Proinde in hoc Quæſito inquirim', an *Relationes Diuinæ, vtroque modo conſideratæ, dicant perfectionem: an verò ſolùm priori modo.*

Multæ hic habentur Opiniones: Opinio 1.
PRIMA eſt Scoti *in 1 diſt. 8.* vbi dicit, *Relationes ratione diſtinctas ab Eſſentia, nec dicere perfectionem, nec imperfectionem.* Idem ſentit Caiet. de Ente & Eſſentia. *Secunda eſt Fonſecæ;* qui dicit, quòd hæc perfectio Relationis non ſit formalis, quæ pertineat ad 2.
Eſſentiam, & ad attributa Dei, ſed eſt tranſcendentalis; quia non deficit ſibi aliqua debita conditio. *Tertia* 3.

Clicht.

Clychtouej. ſuper *lib. 1. Damaſceni, de Fide c. 11.* Heruæ, Gabrielis, qui affirmant, quòd Relatio *ad* vt præciſa ratione dicit perfectionem. *Quarta* eſt Torris, *hic diſput, 3. p. 2.* qui dicit, quòd Relationes, vnam & eandem perfectionem cum Eſſentia habent; ſiquidem in Eſſentia Diuina includuntur. Pro determinatione

Relatio ſecundùm vtráq; acceptionem & referibilitatem eſt quædam perfectio.

19. Dico. *Relatio Diuina, non ſolùm ſecundùm communem rationem & materialem, vt dixit in, ſed etiam vt dicit* ad, *eſt quædam perfectio.* PROBATVR D. Th. hic *q. 27. a. 7. ad 3.* dicit: In perfectione ESSE *Diuini*, contineri Verbum, & Principium eius, & quæcunque pertinent ad Relationem illius. ſed Relationes pertinent ad perfectionem Verbi; quia Perſonam Verbi conſtituunt. ergo vt ſic, Relationes habent perfectionem.

Entitas vera & realis dicit perfectionem.

PROBATVR *Ratione prima.* Quæuis Entitas vera & realis, dicit aliquã perfectionem. ſed Relatio Diuina. præciſa ab Eſſentia ſecundùm noſtrum modum concipiendi, eſt verum Ens, & reale. ergo dicit perfectionem:

Solutio quorundam.

Reſpondent quidam, ſi loquamur de Entitate vera & reali, quæ ſit abſoluta, ſic dicit perfectionem: ſed Relationes, vt ſunt ab Eſſentia præciſæ, non ſunt abſolutæ Entitates, ſed reſpectiuæ. ergo non habent perfectionem.

Impugnatio eius.

Contra gratis hoc dicitur. *Primò.* quia Ens verum & reale, communiter diuiditur in Abſolutum, & Reſpectiuum; & quia membra, ſeu diuiſa participant naturam eius, ex quo diuiduntur. ideo etiam Ens reſpectiuum, quia deſcendit ex Ente vero, erit Ens verum. *Secundò.* Relatiua in rebus creatis conſiderata, conſtituunt realem Cathegoriam, diſtinctam ab alijs. ergo Relatio eſt Ens reale. *Tertiò* Relata creata, eandem dicunt perfectionem cum fundamentis, quibus innituntur, & cum quibus realiter identificantur. ſed fundamenta Relationum creatarũ, dicunt veram & realem Entitatem. nam ſunt aut Qualitas, aut Quantitas, aut Actio, aut Paſſio, quæ ſunt Entia realia. ergo falſum eſt, quòd Relatio, vt dicit *ad*. non habeat perfectionem; ſiquidem (vt iam probatum) eſt Ens reale; & quodlibet Ens reale, habet perfectionem.

Ens diuiditur in Abſolutũ & Reſpectiuum.

Eſſe ad in Deo modificatum & contractũ dicit neceſſarium perfectionem.

20. *Probatur ſecundò* Licet Relatio *ad*, vt eſt quid abſtractum, per intellectum, & vt eſt quid commune Enti reali, & rationis, non diceret perfectionem, illud tamen *eſſe ad*, vt eſt in Deo modificatum, & contractũ, neceſſariò debet dicere perfectionem. *Declaratur.* Ratio ſubſtantiæ, prout eſt communis Spiritui, & corpori, non dicit immaterialitatem, niſi vt eſt contracta in Angelo, quæ iam neceſſariò eandem dicit: ſicut etiam ratio animalis præciſè ſumpta, non dicit tantam perfectionem quantam habet homo, niſi prout eſt contractum per definitionem hominis, ſic eandem habet: ita quoq; Relatio *ad*, vt eſt abſtractum ab eſſe reali & rationis, licet non neceſſariò diceret perfectionem, tamen inquantùm hæc modificatur in Deo, dicit perfectionem.

Solutio.

Inferes Ergo Relatio nõ ex ſe dicit perfectionẽ, ſed ex ſuo cõtractiuo, ſiue ex eo à quo modificatur, & cum quo identificatur.

Obiectio.

Reſpõdeo parũ referre ad noſtrũ intentũ propoſitũ, vnde relatio habeat perfectionem? nam ſolùm hoc intendimus oſtendere, quòd eam habeat.

21. *Proba-*

21. *Probatur tertiò.* Relatio Diuina eſt intrinſecè inDeo.ergo eſtDe⁹ quicquid enim in Deo eſt,Deus eſt. ſedDeus habet infinitamperfectionem. ergo &Relatio eandem infinitam perfectionem habebit.

Subſtantia dicit etiam quãdam p-fectionem.

Probatur quartò. Subſiſtentia in reb⁹ creatis, dicit aliquam perfectionem ſed Relationes ſunt res quædã ſubſiſtentes, eædemq; conſtituentes Perſonas Diuinas. ergo dicunt perfectionem. *Dices* Argumentum concludere, de Relatione *in*, non verò de Relatione *ad*,præcisè conſiderata. *Contra.* Hæc Relatio *ad*,dicit *Diuinum ad*,.ergo dicit perfectionem, eandemq; infinitam. *Sequela,* quia nos non conſideramus hic purum *ad*, ſed vt eſt *Diuinum;* & propterea Paternitas Diuina vt ſic, dicit infinitam perfectionem Paternitatis.

Solutio rationis.

Impugnatio Solutionis.

Omnis relatio abſolutè loquendo eſt formaliter perfectio.

Probatur quintò. Omnis Relatio abſolutè loquendo, eſt formaliter perfectio; ſiquidem tam Paternitas, quàm Filiatio eſt perfectio, ſiue ſit creata ſiue increata, dummodò ſit realis, & dicat *ad reale*, ac prædicamentale. *Confirmatur.* omnis enim Relatio creata,includit in ſuo conceptu formali,quod ſit accidens inhærens ſubiecto. ſed Entis per accidens ineſſe ſubiecto, eſt illius perfectio. ergo Relatio abſolutè conſiderata,eſt perfectio.

22. *Nota 1.* Paternitas prout dicit *ad reale*, ſi conſideretur præcisè, vt abſtrahens à creata, ac ab increta Paternitate non dicit finitam,neque infinitam perfectionem,ſed tãtùm ab vtraque abſtrahit:conſiderata tamen vt ſic dicit perfectionẽ.

Nota 2. Perfectio Relationis, non eſt ſecundùm eandem rationem in omnibus Relationibus: quemadmodum perfectio eſſentialis, eſt in omnibus perſonis. Perfectio enim quæ àRelatione prouenit,vt ſic formaliter loquendo, non eſt communis,ſed propria illi⁹Relationis, à qua prouenit. ergo per eam diſtinguitur ab aliis.

Obiectio.

Obiicies. Si perſonæ in Diuinis,haberent diſtinctas perfectiones relatiuas. ergo concedendum, quòd ſit aliqua perfectio in Patre, quæ non ſit in Filio. *Reſpondeo* concedit Gabriel *in 1. diſt. 7. q. 3. a. 3.* & apertè docet, quòd in Patre eſt aliqua perfectio relatiua, quæ non eſt in Filio. *Ratio eius.* Quia in Deo ſunt tres perfectiones relatiuæ, realiter diſtĩctæ ergo ex his poteſt vna Perſona habere vnam perfectionem, & non alias. adhucq; confirmat: in Deo ſũt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, quarum vna eſt in vna Perſona, & non in alia,&Subſiſtentia dicit perfectionẽ. ergo quod conceditur deSubſiſtentia, concedendum & de Perfectione relatiua.

Solutio.

Solutionis refutatio.

23. Cumelio non placet hæc reſponſio,quòd aliqua perfectio ſit in vna Perſona,quæ non ſit in alijs. nã ſequeretur, quòd in Diuinis Perſonis plures eſſent perfectiones, & perconſequens, plures eſſent perfecti, quod non eſt concedendum: ſicut neq; concedimus, tres Perſonas Diuinas eſſe omnipotentes, aut æternos tres eſſe, aut tres bonos. *Conſequentiam* deducit, quia ex D. Auguſt. *l. 1. de Trinitate c.* 8. nomen ſubſtantiuum,plurificatur ad plurificationem formæ. ſed in Diuinis dantur per Gabrielem tres perfectiones. ergo dabuntur plures perfecti; proinde ſic *reſpondet*, quamuis Relatio,quæ

Solutio verior.

tio, quæ eſt in Patre, non ſit in Filio, ex eo tamen non ſequitur, quòd ſit aliqua in Patre perfectio, quæ non ſit in Filio.

Ratio eius. Quicquid enim perfectionis eſt in Paternitate, atq; etiam quicquid eſt in Filiatione, eſt idem cum Eſſentia Diuina, & propterea, Paternitas & Filiatio, non ſunt duæ perfectiones, ſed vna eademq;.

Explicatio eius.

Deducitur hoc clariùs. Eſſentia Diuina, omnes illas Relationes, quæ ſunt in Perſonis, formaliter ſibi identificat, quocunq; modo ſumptas, ſiue ſecundùm *in*, ſiue ſecundùm *ad*, ſiue abſolutè, ſiue relatiuè, ſiue ſubſtantialiter, ſiue notionaliter, nec aliam ab his habet Entitatem formalem, ſed vnam eandemq; prorſus ſola ratione diſtinctam. Ex quo *ſequitur*, quòd poſita Eſſentia Diuina, ponitur realiter identicè formalis Entitas, & perfectio illarum Relationum, ſicut & omnium attributorũ Dei abſolutorum; atq; nulla eſt Perſona Diuina, quæ non habeat ſimpliciter totam Eſſentiam Diuinam, eiq; formaliter identificetur. ergo nulla erit Perſona Diuina, in qua nõ ſit realiter, omnis perfectio omniũ aliarum Perſonarum; quamuis non eodem modo, ſed cum aliqua ſemper diſtinctione rationis. Filius enim quamuis non ſit Pater, tamen identicè formaliter, mediante Eſſentia, eſt id quod Pater. *Similiter* Pater, quamuis non ſit Filius, tamen identicè ſubſtantialiter, eſt id quod Filius, eadem mediante Eſſentia. ſit igitur certũ, quòd Relationes, quocunque modo conſideratæ, dicant perfectionem, & ſint prorſus eadem formalis entitas cum Eſſentia.

Quælibet Perſona Diuina ſimpliciter totam Eſſentiã Diuinã habet eique realiter identificatur.

QVÆSITVM IV. & V.

Quotnam ſint Relationes, & an realiter inter ſe diſtinguantur?

Relationes reales in Deo quæ, & quot?

24. PRo determinatione Dico primò. *Quatuor tantùm ſunt Relationes reales in Deo, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Proceſſio ſiue Spiratio paſſiua.* ita docet D. Th. *hîc q. 26. a. 4.* & eiuſdem interpretes cum Magiſtro Sent. *Et probatur.* Relationes, neceſſariò conſequuntur Proceſſiones: quia per Proceſſiones procedunt Perſonæ, quas neceſſariò Relationes conſtituunt. *Tum*, quia Relatio, eſt reſpectus reſultans ex re, iam in Eſſe abſoluto conſtituta. ſed in Diuinis dantur Proceſſiones duę, prima per actũ intelligẽdi, quæ dicitur generatio, altera per actũ volẽdi Patris & Filij. quæ dicitur ꝓceſſio: ſed omnis Proceſſio realis, neceſſariò duos exigit oppoſitos reſpect⁹, nimirũ producentis & producti; atq; ſic erũt quatuor Relationes, quarũ duæ ſpectant ad generationem, v. Paternitas & Filiatio, aliæ verò duæ, v. Spiratio actiua & paſſiua, ad proceſſionem Spiritus S. ergo quatuor erunt Relationes, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua & Spiratio paſſiua.

25. Dico

Hæ Relationes diſtinguuntur inter ſe realiter.

25. Dico ſecundò. *Relationes* Paternitatis, Filiationis, & Spirationis paſſiuæ, *diſtinguuntur inter ſe realiter.* PROBATVR c. *Firmiter* de SS. Trinit. & Fide Orthodoxa, vbi dicitur: *Sancta Trinitas, ſecundùm communem Eſſentiam indiuiduam, & ſecundùm proprietates Perſonales diſcreta.* ſed hæ proprietates Perſonales, diſcernentes Perſonas in Diuinis. v. Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio paſſiua ſunt Relationes, quæ Perſonas diſcernunt hoc eſt diſtinguunt. ergo etiam & ſeipſas diſtinguent; & quia diſtinguunt Perſonas realiter, etiam inter ſe debent eſſe diſtinctæ realiter.

Data productione dandum & producẽs ac productum.

Probatur ſecundò. vbi datur productio, ibi debet dari producẽs, & productum: nam nihil ſeipſum producit. ſed in Diuinis productio datur. ergo datur producens & productũ, ſecundùm actiuam & paſſiuam productionem. ergo inter hæc dabitur oppoſitio relatiua, ac realis diſtinctio.

Oppoſita diſtinguuntur realiter.

Probatur tertiò. Illa diſtinguuntur realiter, quæ ſibi opponuntur. ſed Paternitas & Filiatio opponuntur inter ſe: ſimiliter Spiratio actiua opponitur Spirationi paſſiuæ. ergo diſtinguuntur realiter.

Obiectio.

26. *Obiicies.* Paternitas & Filiatio ſunt idem. ergo non diſtinguentur inter ſe realiter. *Antecedens* illa enim ſunt idem, quæ ſe mutuò definiunt. ſed ſic ſe habent Paternitas & Filiatio. nam Pater eſt Filij Pater, & Filius eſt Patris Filius, tum de definitione Patris eſt Eſſentia Diuina, & de definitione Eſſentiæ Diuinæ eſt Pater, Filius, & Spiritus S. ergo sũt idem

Solutio eius.

Reſpondeo primò Verũ quidẽ eſt, quòd de definitione Patris eſt Eſſentia Diuina, & de definitione Eſſentiæ, eſt Filius: non tamen ſequitur, quòd Pater ſit Filius, propter variationem appellationis. ſicut non ſequitur, de definitione Patris eſt Diuina Eſſentia, & de definitione Eſſentiæ eſt, quòd ſit communicabilis. ergo de ratione Patris eſt, quòd ſit communicabilis.

Solutio 2.

Reſpondeo ſecundò. quòd Filiatio diuerſo modo includitur in definitione Diuinæ Eſſentiæ, & diuerſo modo in definitione Patris. nam in definitione Diuinæ Eſſentiæ, ponitur per modum identitatis; in definitione autem Patris, tanquam correlatiuum contra poſitum, manifeſtans ſibi oppoſitum.

Solutio 3.

Reſpondeo tertiò. quòd definitio Patris eſt habere Filium, quæ non cõuenit Filio: ſicut definitio Filij eſt habere Patrem, quæ non conuenit Patri. Sed rurſum

2. Obiectio cum ſolutione.

Obiicies. Paternitas eſt Diuina Eſſentia, Filiatio eſt Diuina Eſſentia. ergo Paternitas eſt Filiatio. *Reſpondeo.* Argumentum non concludere. nam procedit Medio non diſtributo, v. Eſſentia Diuina: quandoquidem nos concedimus *Eſſe* in Paternitate, ſed vt non acceptum ab alio: concedimus quoq; *Eſſe* & in Filio, ſed vt acceptum ab alio, nimirum à Patre.

Spiratio actiua diſtinguitur realiter à paſſiua nõ tamẽ à Relationibus Paternitatis Filiationis.

27. Dico tertiò *Spiratio actiua diſtinguitur realiter à ſpiratione paſſiua; ſed nõ à Relationibus Paternitatis & Filiationis.* PROBATVR *primum.* Diſtinctio oppoſita datur in Diuinis, & inter oppoſita eſt diſtinctio realis. ſed Spiratio actiua, quæ eſt in Patre & Filio, tanquam in vno Principio ſpiratiuo, opponitur Spirationi paſſiuæ. ergo diſtinguũtur realiter. PRO-

BATVR alterum. *quòd Spiratio actiua, non diſtinguatur realiter, à Paternitate & Filiatione*; quia Relatio Spirationis actiuæ, vna & eadem eſt numero, in Patre & in Filio, & quidem ex æquo. ergo non diſtinguitur realiter à Paternitate, & à Filiatione. *Antecedens* eſt de fide, v. quod Pater & Filius ſit vnus Spirator, & vnum principium productiuum Spiritus S. Tū in Diuinis omnia ſunt vnum realiter formaliter, vbi nō obuiat oppoſitio Relationis. ſed inter Relationes Paternitatis, & Filiationis ex vna parte, & Spirationis actiuæ ex altera, nulla datur oppoſitio Relatiua. nam Spiratio actiua eadem eſt perfectiſſimè cum Paternitate & Filiatione. ergo non diſtinguuntur realiter.

Vnum idemque non diſtinguitur realiter.

In Diuinis Oppoſitio eſt Relatiua.

Obiicies 1. Pater & Filius, non opponūtur Spiritui S. & proinde nō producunt Spiritum S. nam Pater opponitur Filio, Filius ſimiliter Patri, Spiritui autem S. non videntur opponi. *Reſpondeo*: Licet Pater & Filius, in ratione Paternitatis & Filiationis, non opponantur Spiritui S tamen inquantùm Pater & Filius, ſunt vnum principium ſpiratiuum & productiuum Spiritus S. ſic opponuntur.

Obiectio 1.

Solutio.

28. *Obiicies* 2. Paternitas & Filiatio realiter à ſeipſis diſtinguuntur. ergo cum Spiratio actiua tota reperiatur in Patre & Filio, diſtinguetur à Paternitate & à Filiatione. *Reſpondeo* Conſequentiam non valere. nam pari modo poſſem argumentari, & inferre Eſſentiam Diuinam diſtingui realiter, à Perſonis; ſiquidem Pater eſt Eſſentia; Filius eſt Eſſentia, & Pater & Filius, ſunt realiter diſtincti. ergo & Eſſentia ab eis erit realiter diſtincta, quod eſt falſum.

Obiectio 2.

Solutio.

Quæres. Cum iſtæ Relationes quatuor ſint realiter in Deo, poſſim' ne vti hoc modo dicendi: *in Deo ſunt plures res*, vel *plura Entia*? *Reſpondeo* poſſe hunc modum dicendi admitti, dūmodò *plures res*, vel *plura Entia*, non ſumantur ſubſtantialiter, ſed notionaliter ac relatiuè, hoc eſt, ſi ſit ſermo de re abſoluta, qualis eſt Diuina Eſſentia, iam plures res, aut plura Entia non debent dici eſſe in Deo. nam Diuina Eſſentia non multiplicatur: ſi verò ſermo ſit de re Relatiua, tunc admitti poteſt, quòd ſint plures res, & plura Entia relatiua.

In Deo ſūt plures res plura entia quomodo accipiendū.

DISPVTATIO III.

DE PERSONA.

Quia hæ Relationes Perſonas conſtituunt, meritò de Perſonis agendum, & primò de Perſona in Communi: ſecundò in particulari. Hæc verò Diſputatio quatuor Quæſita habebit:

1. *Quid ſit Perſona?*
2. *An hoc nomen* Perſona *ſit ponendum in Diuinis?*
3. *An Perſona ſit idem quod Hypoſtaſis, Suppoſitum, Subſiſtentia & Eſſentia?*
4. *An Perſona ſignificet Relationem?*

QVÆSI-

QVÆSITVM I.
Quidnam ſit Perſona?

Perſonæ definitiones variæ.

1. AD QuæſitumDico. *Definitiones Perſonæ varias haberi.* PRIMA eſt apud Rich. de S. Victore, *l. 4. de Trinit. c. 23.* qui Boetij definitionē volens corrigere, ſic Perſonam definiebat: PERSONA, prout de Deo dicitur, *eſt Diuinæ naturæ incommunicabilis exſiſtentia:* SECVNDA eſt quorundam, qui D. Th. temporibus ſic definiebant: PERSONA *eſt hypoſtaſis proprietate diſtincta, ad dignitatem pertinente.* TERTIA eſt Boetij, quam habet in *l. de duabus Naturis*, quæ eſt eiuſmodi: PERSONA *eſt rationalis naturæ, indiuidua ſubſtantia:* & hanc definitionem ex omnibus alijs, D. Th. *hîc a. 1.* eligit, ac approbat, quē interpretes eius ſequuntur.

Definitio vera & recta.

2. Hæc definitio, vt tantò perfectiùs intelligi poſſit, declaratur: quando enim dicitur, quòd *Perſona ſit rationalis naturæ*, per *naturam rationalem* intellige, non ſolùm eam naturam, quæ per diſcurſum componendo, & diuidendo, ratiocinatur, ſed omnem illam quæcunq; intellectu pollet, ita, vt & naturā Dei, & Angelicam, & humanam complectatur. Per hoc quoq; verbum *rationalis* excludimus à nomine *Perſonæ*, omnes ſubſtantias ratione carentes. nam neq; equis, neq; bobus nomen *Perſonæ* tribuimus, quamuis nomina *Hypoſtaſis* & *Suppoſiti* tribuamus. tum idem nomen *rationalis*, excludit omnes genericas, & ſpecificas naturas, cùm ſint accidentales, & in quibus nulla reperitur ratio. Dictio verò *indiuidua* ſignificat, quòd Perſona ſit incommunicabilis alteri, & denotat, quòd indiuiduum ſubſtantiæ, omnino debet eſſe completum, perfectum, & quòd per ſe ſubſiſtat, ſuâ propria Hypoſtaſi terminatum, ita, vt non habeat rationem partis, nec in aliquo exſiſtat, ſed ſolùm in ſeipſo; proinde à nomine *Perſonæ*, remouet ſecundas ſubſtātias. nā hæ nō ſūt indiuiduæ, ſed plurib⁹ cōmunes: remouet & partes integrantes, vt caput, manus; quia in alio, non in ſeipſo ſubſiſtūt: Animam rationalem, inquantùm eſt à corpore ſeparata. nam non eſt per ſe completa, ſed eſt pars naturæ humanæ, habens eſſentialem ordinem ad componendum; tum, quia non eſt incommunicabilis. nam in reſurrectione ſuo corpori vnietur: tollit etiam quòd humanitas Chriſti non poteſt dici Perſona, quia hæc ad vnitatē ſuppoſiti Perſonæ VERBI Diuini, fuit aſſumpta: nec item Deitas, aut hic Deus, qui tribus Perſonis eſt communis poteſt dici Perſona: ad extremùm, nec Spiratio actiua, quia cōmunis eſt Patri, & Filio. Dictio deinde *Subſtantia* excludit à ratione *Perſonæ*, quodlibet accidens, quodcūq; illud ſit. Et *Probatur*. quòd hæc definitio ſit bona. Ad rationem Perſonæ quinque conditiones ſunt neceſſariæ: *Prima*, vt ſit res indiuidua & ſingularis. *ſecunda*, vt per ſe ſubſiſtat. *tertia*, vt ſit completa. *quarta*, vt

Explicatio illius.

Naturæ intellectū habentes humana Angelica & Diuina.

Perſona vna eſt incommunicabilis alteri.

Humanitas Chriſti non poteſt dici pſona; nec Deitas.

Ad rationē pſonæ quæ requirātur.

ta, vt ſit rationalis. Sed hæ omnes conditiones perfectiſſimè continẽtur in allata definitione Boetij (vt iam explicatum eſt) ergo hæc definitio optima eſt.

Refutatio Laur. Vallæ qui abutitur nomine Perſonæ.

3. *Nota* Meritò Laur. Vallam, à Theologis reprehendi, qui *l. 6. Elegant. c. 34.* ſed minùs cautè dicit: *primò* hoc nomen *Perſonæ*, non magis inueniri in Deo, quàm in bruto: *ſecundò* eandem non ſubſtantiam, ſed qualitatem ſignificare. *tertiò* Perſonas, quas Theologi in Deo ponũt eſſe Qualitates, & quia tres eſſe Perſonas aſſerunt. ergo hæ tres erunt Qualitates. Hæc ſententia Vallæ eſt periculoſa, & proxima errori; quia communis vſus Concil. & SS. PP. obtinuit, vt hoc nomen *Perſona*, non ſolùm ad ſignificandam Qualitatem, ſed etiã Subſtantiã accõmodetur.

Præterea. S. Scriptura, hoc nomine *Perſonæ* vtitur, ad ſignificandum ſuppoſitum humanum; ad Eph. 2. *Perſonarum acceptio non eſt apud Deum.* & Act. 10. *Non eſt Perſonarum acceptor Deus*, Et Concil. Later. c. *Firmiter* de Sanctiſſima Trinitate, & Fide Orth. dicit: Pater, & Filivs, & Spiritvs S. *tres quidem Perſonæ, ſed vna Eſſentia.* Et D. Th. *hîc a. 3. ad 2.* dicit: *hoc nomen* Persona, *in prima ſui impoſitione, aliquid alìud ſignificabat: vltimò tamen & principaliter impoſitum eſt, ad ſignificandam Subſtantiam intellectualis Naturæ incommunicabilem.*

Perſona eſt quid Analogum.

Nota ſecundò. Perſonam poſſe dici nomen Analogum; nam primò & principaliter ſignificat, ſubſtantiam incommunicabilem, abſolutè ſumptam: deinde Subſtantiam, ſub qualitate ſumptam: & ſic fictæ facies, aut etiam hiſtriones in theatro dicuntur Perſonas repræſentare, hoc eſt, qualitates huius, vel illius Perſonæ. eſt igitur error in fide, negare Perſonam eſſe Subſtantiam, & eandem Deo adimere.

QVÆSITVM II.
An hoc nomen Persona, ſit ponendum in Deo?

Aſſertio Laur. vallæ falſa.

4. Laurentius Valla negat. *Ratio eius.* Perſona ſignificat qualitatem. ſed in Deo non eſt qualitas. ergo nec Perſona. ſed eius ſententia eſt confutata, & apertè concluſum: Perſonam primò & principaliter, ſignificare Subſtantiam.

Nomen Perſonæ conuenienter tribuitur Deo

Dico itaque, cum S. Doctore, *conueniens eſſe, vt hoc nomen* Persona, *Deo tribuamus*. *Probatur* Symbolo Athan. *alia eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus S.* Et in Capitulo *Damnamus*, dicitur: *Pater, Filius, Spiritus S. tres quidem Perſonæ, vna Eſſentia.*

Probatur Ratione, Omnis perfectio tribuenda eſt Deo: ſed hoc nomen *Perſona* ſignificat id, quod eſt in tota natura perfectiſſimum: eſt autem hoc perfectiſſimum, quando Natura intellectualis, omnium naturarũ perfectiſſima, eſt in ſuo *Eſſe* completo: tunc autem eſt, quando ſuâ ſubſiſtentia, terminata, & completa

per ſe

per ſe ſubſiſtit; ſed hoc ſignificat nomen *Perſona*. ergo Perſona, id quod eſt in tota natura perfectiſſimum, ſignificat; ergo in Deum eſt referenda.

Perſona eſt rationalis Naturæ, indiuidua ſubſtantia.

Ratio ſecunda. Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. ſed hæc definitio Perſonæ conuenit Patri, Filio, Spiritui S. ſicut enim Pater eſt intellectualis natura, indiuidua, incommunicabilis, ſubſtantia: idem dicendum de Filio, & Spiritu Sancto. ergo illis ratio *Perſonæ* conuenit.

5. *Nota* Quando dicimus *rationem Perſonæ conuenire Patri, Filio, & Spiritui S.* non ſic intelligas, quaſi *Perſona* ſit quid abſtractum à Patre, Filio, & Spiritu S. & tanquam illis ſit commune; nam certum eſt, nihil dari commune, tribus Perſonis Sanctiſſimæ TRINITATIS, quod ſit, vel tanquam genus, vel tanquam Analogum; ſed volumus ſignificare per rationem Perſonæ, quòd ſit vna & eadem numero perfectio Perſonalis, quæ in tribus Perſonis reperitur. Quemadmodum vna & eadē numero Eſſentia Diuina, dicitur de tribus Perſonis: ita etiam vna & eadem numero Perſonalis perfectio, in illis reperitur. ſi verò ratio *Perſonæ* conſiderata fuerit, vt eſt in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, iam vt ſic, realiter ad inuicem diſtinguentur, propter oppoſitionem Relatiuam, quam inter ſe dicunt.

Perſona nō eſt quid cō mune aut analogū in Diuinis, ſed eſt vna eademq; numero perfectio perſonalis

Deitatis proprietates.

Ratio tertia. Deus Pater, verè & propriè eſt Subſtantia, ſingularis, intellectualis, actu exſiſtens; habens naturam omninò completam, & terminatam, nec alteri ſubſiſtenti communicabilem. Nam aliàs daretur proceſſus in infinitum. ſed idem de Filio & Spiritu S. dicendum. ergo verè & propriè hoc nomen *Perſonæ* conuenit Patri, Filio, & Spiritui Sancto.

6. *Nota* Propter Myſterium Incarnationis quando dicimus PERSONAM *eſſe incommunibabilem alteri naturæ*, Per nomen *naturæ* intelligo, quæ iam ſuâ propria ſubſiſtentia eſt terminata. nam non repugnat, quòd Perſona poſſit communicari alteri naturæ: quæ non ſit terminata, nec completa ſuâ ſubſiſtentia, vt conſtat in Myſterio Incarnationis, in quo Perſona Verbi terminauit naturam humanam ſuâ perſonalitate, antequam ſua ſubſiſtentia fuiſſet terminata: Proinde ſolùm negamus. *Perſonam poſſe eſſe communicabilem illi naturæ. quæ ſuâ ſubſiſtentiâ, ſeu naturâ ſit terminata.*

Obiectio.

Obiicies. In S. Script. hoc nomen PERSONA non habetur tributū Deo. ergo fruſtra Deo tribuitur. *Reſpondeo.* quamuis nomen *Perſonæ*, non inueniatur in S. Scriptura tributū Deo: res tamen ipſa ſignificata nomine *Perſonæ*, habetur in Scriptura; & ideo nomen ipſum v. *Perſona*, Deo erat tribuendum. Habetur enim in Scriptura *Vnitas Diuinæ Eſſentiæ, & Trinitas*. Ioan. vltimò. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo,* PATER, VERBVM, *&* SPIRITVS S. *& hi tres vnum ſunt. Præterea.* hoc nomen *vnus* reperitur in Scriptura cum ſubſtantiuo ſibi addito nimirum cum *Deo*. Deuter. 6. *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt.* Ex quo argumento habetur in Scriptura, quòd ſint *tres*, quòd ſit *vnus*; & hoc ipſum *Perſona* ſignificat. ergo rectè Deo tribuitur.

Solutio illius.

7. *Nota.* Non eſt quidem expreſſum in Scriptura, quid ſint hi tres? & cùm

&cùm Hæretici ex Græcis interrogabant, *Quid ſint hi tres?* Reſponderunt. *Tres ſubſtantiæ.* Latini PP. ne in Arii inciderent errorem, dicentes *tres eſſe Subſtantias*, reſpondebant. *tres eſſe Perſonas.* Qua de re D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 9.* ſic ait: *Quando quæritur*, quid ſunt tres? *magna prorſus inopia laborat humanum eloquium; à Græcis noſtris dictum, vna Eſſentia, tres Subſtantiæ: à Latinis vna Eſſentia ſeu Subſtantia, tres autem Perſonæ*: proinde licet hoc nomen *Perſona*, expreſſè non habeatur in Scriptura, tamen res hoc nomine ſignificata quia *vnus eſt & Trinus*, rectè tranſlata eſt in Deum *Tum* quia Romana Eccleſia, hoc nomine ad id ipſum ſignificandum vtitur, cui D. Aug. in epiſt. contra Manich. tantùm tribuit, vt profiteatur, *Euangelio non crederem, niſi ad hoc auctoritas Eccleſiæ me commoueret, v, proponendo.* Qua de re Rich. Vict. *lib. 4. de Trinit. cap. 5.* ſic loquitur: *Ecce dicamus, quia hi, qui hoc nomen* PERSONA, *primò ad Diuina tranſtulerunt, hoc ipſum ex neceſſitate fecerunt, vt haberent quod reſponderent quærentibus*, quid tres illi in Trinitate eſſent? *& cum tres eſſe Deos reſpondere non poſſent, ſed quod ab eis ex neceſſitate factum fuit, nouit* SPIRITVS S. *qui eorum corda poſſidebat, quâ ratione id fieri voluerit.* Ex quo licet colligere op[9] fuiſſe Spiritus S. quòd hoc nomen PERSONA, ſit tranſlatũ ad Diuina.

Latini Patres cur ipſo nomine vtantur Perſona.

QVÆSITVM III.

An PERSONA, ſit idem, quòd Hypoſtaſis, Subſiſtentia, & Eſſentia.

Subſtantia dupliciter ſumitur.

8. PRimò doctrinam D. Th. præmitto; ex eaq; *Colligo primò.* Hoc nomen SVBSTANTIA dupliciter ſumitur, *primò.* pro Eſſentia & quidditate rei, quam definitio explicat: *ſecundò*, pro naturæ ſuppoſito. Hoc autem *naturæ ſuppoſitum.* tribus nominibus appellatur: *Res naturæ, Subſiſtentia, & Eſſentia.*

Nomina rẽ eandem ſignificantia

Colligo ſecundò. PERSONA idem eſt, quod *Suppoſitum, Hypoſtaſis, res naturæ, & Subſiſtentia,* & quidem in naturis intellectualibus; quia hæc nomina, eandem rem ſignificant, hoc eſt. primam Subſtãtiam intellectualẽ, vt ſub diuerſis rationib[9] cõſideratur. Dicitur enim *Suppoſitũ* ſecũdò intentionaliter, prout concipimus, quòd ſubiiciatur in propoſitionib[9]: *Hypoſtaſis* verò primò intentionaliter prout concipimus illam Suſtentare accidentia. *Res* autem primo intentionaliter conſiderata, eſt illa prout ſupponitur illi rei, quæ eſt natura ſpecifica; *Subſiſtentia* deinceps dicitur, inquãtùm illam eandẽ Subſtantiam concipimus, per ſe ſubſiſtentem & nullo modo in alio.

Perſona cur ... dicatur ſuppoſitum? ... cur Hypoſtaſis.

Colligo tertiò. ESSENTIA, non ſignificat idem, quòd nomina prædicta. nam dicit quidditatem, & naturam ipſius Suppoſiti.

Colligo quartò. Ex reſponſione ad 3. quamuis Græci concedant in Diuinis *eſſe tres Hypoſtaſes,* rectiùs tamẽ dicitur,

dicitur, quando dicimus: *tres eſſe Subſiſtentias*, ne occaſio detur errandi; ſiquidem *Hypoſtaſis*, quandoque ſumitur pro Eſſentia; Proinde ad euitandum, ne, cùm dicimus *in Diuinis eſſe tres Hypoſtaſes*, cogamur etiam cõcedere, quòd *ſint tres Eſſentiæ*, ab hoc dicendi modo abſtineamus. QVOAD ſufficientem verò horum nominum cognitionem quædam Dicta adferimus.

In Deo ſũt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ.

9. Dico primò. *In Deo dantur tres Subſiſtentiæ Relatiuæ*, Hoc Dictum eſt de fide: in V. enim Synodo Generali. Can. 1. dicitur: *vnam Deitatem in tribus Subſiſtentiis eſſe profitendam. Et* in Concil. Conſtantinop. quod fuit VI. Generale. *act. 13* dicitur: *Trinitatem glorificamus, pro tribus Subſiſtentiis.* Et edictum Iuſtin. Imperatoris, ad Ioannem II. Papam; à quo fuit approbatum, habet: *In Deo eſſe tres Subſiſtentias; & rationem Subſiſtentiæ, quam Deo tribuimus, accipimus prout eſt Relatiua Et hæc nihil aliud ſignificat, quam Perſonam Diuinam.* Sed confitemur in Diuinis: dari tres Perſonas ergo confitebimur quoque eſſe tres Subſiſtentias.

Obiectio.

Obiicies Subſiſtentia in rebus creatis, ſignificat Subſtantiam abſolutã. ergo Subſiſtentia non eſt relatiua.

Solutio eiꝰ

Reſpondeo, Conceſſo Antecedente, negamus conſequentiam: nam Subſiſtentia in rebus creatis, ideo eſt abſoluta; quia in his, eſt quidam modus Subſtantialis, complens & terminans vltimò Subſtantiam indiuiduam, & ſingularem, quæ in ſe eſt quiddam abſolutum; Perſonæ autem Diuinæ ſunt veræ relatiuæ; nam ſignificantur nominibus, PATRIS, FILII, & SPIRITVS S. quæ dicunt Relationem, & non aliquid abſolutum, vt ex ſe clarum eſt. Deinde, quia fides noſtra docet Subſiſtentias Relatiuas in Diuinis, habere rationem *Perſonæ* propriè dictæ.

In Diuinis tres Hypoſtaſes poſſunt admitti.

10. DICO ſecundò. *In Diuinis poſſunt admitti tres Hypoſtaſes*: Ita D. Th. *a 2. hîc ad 3.* non eſt, quare trepidemus, tres Hypoſtaſes in Deo fateri. conſtat enim apud omnes hoc nomen *Hypoſtaſis*, ſignificare Subſtantiã incommunicabiliter ſubſiſtentem: RATIO *eſt prima*. Hypoſtaſis, Perſona, Subſiſtentia, pro vno & eodem in Diuinis accipiuntur (vt iam dictum ex Diuo Thoma.) ſed in Diuinis dantur tres Perſonæ; ergo & tres Hypoſtaſes.

Hypoſtaſis Perſona & Subſiſtẽtia idem ſunt in Diuinis.

Differentia inter Naturam & hypoſtaſim.

Ratio ſecunda, Hoc intereſt inter Naturam & Hypoſtaſim; quia *Natura* ſignificat Eſſentiam, *Hypoſtaſis* verò Subſiſtentiam, ſeu Perſonam, (vt docet D Damaſc. *lib. 1 de Fide cap. 9.*) ſed ſicut non licet affirmare in Diuinis tres eſſe Eſſentias, ſeu Subſtantias: ita licet affirmare, vt de fide ſit, tres eſſe Hypoſtaſes

Ad ſignificandam vnitatẽ nomine *Hypoſtaſis* non eſt tutum vti.

Nota. Vox *Hypoſtaſis*, eſt nomen antiquum in Eccleſia, & Græci PP. hoc nomine ſunt vſi ad ſignificandam Trinitatem; docebantq; in Deo tres eſſe Hypoſtaſes: Latini verò Patres abhorrebant, ab hac voce in plurali. Ita D. Hieron. in Epiſt. ad Damaſum Papam ſcribit: Latere ſub nomine *Hypoſtaſis*, venenum; Hoc enim nomine vtuntur Arriani, & dicunt: *in Deo tres eſſe Hypoſtaſes*, & hoc quidem ea intentione, vt poſſet docere in Deo dari tres Subſtantias, ſeu Eſſentias; Proinde idem D Hieron. in eadem epiſt. vt hæc dubitatio tollatur, orat inquiens. *Diſcernite ſi placet obſecro, non timeo tres Hypoſtaſes dicere, ſi iubetis.* itaque ab Eccleſia, in

ſia, in quo ſignificato accipi debet, (quãdo Arriani, qui hoc nomine *Hypoſtaſis,* ponebant in Deo tres Eſſentias ſeu Subſtãtias, damnati ſunt,) eſt determinatũ: *Hypoſtaſim* pro nomine Subſtantiæ ſeu Eſſentiæ ſumptam, non habere locum in Diuinis in plurali, vt dicamus, tres eſſe Hypoſtaſes; ſed ſumpta pro nomine Perſonæ, ita vt dicam⁹ tres Hypoſtaſes, hoc eſt, Perſonas.

Hypoſtaſis ſumpta pro Eſſẽtia excluditur in Diuinis, niſi pro perſona.

11. Dico tertiò. *In Diuinis vna tantùm Subſtãtia eſt admittenda.* Ita D. Hieron. in Epiſt. iam allegata: *Quis Sacrilego ore, audeat tres ſubſtantias in Deo concedere.* Et in Concil. Tolet. 2. dicitur, *cùm Relatiuè tres Perſonæ dicuntur, vna tamẽ naturalis ſubſtãtia creditur.*

In Diuinis vna tantùm ſubſtantia.

Nota. Quòd quidam Theologi aſſerunt, licitum eſſe, vt etiam dicamus, tres eſſe ſubſtantias in Diuinis. Ita D. Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 6.* aſſerit: *Pulſo omni ſcandalo huius nominis* SVBSTANTIA, *in conſpectu doctiſſimorum Virorum & Catholicorum, nullum erit inconueniens dicere in Diuinis tres eſſe Subſtantias.* Et D. Hilar. *in lib. de Synodis* dicit, ſe interfuiſſe cuidam Synodo, in qua admiſſum fuit, tres eſſe Subſtantias in Diuinis: tutiùs tamen eſt, (quamuis hæc limitatio fiat, quòd Subſtantia tunc ſumitur pro Perſona, quia iam vſus Eccleſiæ obtinuit, & communis eſt apud Theologos, & Philoſophos, Subſtantiam communiter pro Eſſentia accipi, ne ſub melle venenum lateat, ab hoc modo dicendi abſtinere. Ita D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 9.* Et *lib. 6. cap. 4.* vbi dicit: *Noſtræ locutionis conſuetudo obtinuit, vt nomine* ſubſtãtiæ, *intelligamus Eſſentiam.*

Subſtantia communiter pro Eſſẽtia accipitur.

QVÆSITVM IV.

An hoc nomen *Perſona* dicat Relationem.

12. HOc Quæſitum D. Th. *in 1. diſt. 25. & 26.* & *de Potentia, quæſt. 9. a. 4.* diſputat, ibidemque nouem opiniones refert: in hoc Articulo ſolùm tres, ad quas reliquæ reducuntur, vt in corpore illius videri poteſt. Pro determinatione ipſius rei

Dico primò. *Si nomen* Perſona, *ſumatur in communi, non ſignificat Relationem, ſed omnino eſt quid abſolutum:* PROBATVR I. ſine Relatione optimè conſtituitur humana Perſona, & Angelica. ergo Perſona non ſignificat Relationem.

Perſona in cõmuni nõ eſt quid relatiuũ, ſed abſolutum.

Probatur 2. Ens & res ſunt abſoluta, & nullo modo ſignificant Relationem; ſunt tamen communia, abſolutis & relatiuis. ſed Perſona, eſt quid commune abſolutis & relatiuis. ergo non ſignificat Relationẽ.

Ens & Res ſunt abſoluta, nec ſignificãt Relationem.

Probatur 3. Definitio Perſonæ quæ eſt talis, *quòd ſit naturalis naturæ indiuidua ſubſtantia,* non ſignificat Relationem. ergo nec ipſa Perſona ſignificabit. Idem aſſerit D. Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 6.* vbi dicit: *Cùm dicimus,* Perſonam Patris, *non aliud dicimus, quàm* ſubſtantiam Patris; *ad ſe quippe dicitur Perſona, non ad Filium:* Idem

expreſsè

expreſſè aſſerit D. Th. hîc, ad 1. dicens: *Hoc nomen* Perſona *dicitur ad ſe, non ad alterum*; ergo Perſona non dicit Relationem.

Perſona prout eſt diuina formaliter dicit Relationem.

13. Dico ſecundò. *Perſona, prout eſt Diuina formaliter & directè dicit, ſignificat; Relationem* Soto in Summulis contrariũ tenet; dicit enim, quòd ſicut *album* de materiali ſignificat Corpus, & de formali ipſum album: ita & *Perſona Diuina*, ſignificat de formali Eſſentiam, de materiali verò Relationem. Idem ſentit Turrianus *q. 29. de Trinit. art. 4.* vbi dicit, quòd ſicut nomen *album*, formaliter ſignificat album; quia ad hoc ſignificandum eſt impoſitum: matelialiter verò ſignificat corpus; quia album non poteſt eſſe niſi in corpore: ita nomen *Perſona*, formaliter ſignificat ſuppoſitum naturæ Diuinæ, materialiter verò Relationem. nã Perſona Diuina non poteſt eſſe, niſi ſit Relatio.

Perſona dupliciter accipitur.

D. Th. (vt dicunt eius interpretes, & in corpore Articuli videri poteſt,) varius eſt, & ſibi quaſi contrarius: nam modò dicit, quòd hoc nomen *Perſona* ſignificat Relationẽ in recto, Eſſentiam verò in obliquo, modò Eſſentiam in recto, Relationẽ in obliquo. Valentia. *quæſt. 3. puncto 4.* ſic conciliat hanc contrarietatem: ſi Perſonam conſideremus, vt eſt quid indiſtinctum in ſe, & diſtinctum ab aliis, ſic erit ipſa Relatio Diuina ſubſiſtens, conſtituens Perſonam Diuinam; & ſic in recto dicit Relationem, in obliquo Eſſentiam: ſi verò conſideremus Relationem Diuinam, præciſè ſub conceptu cõmuni Relationis, & tunc à nobis iam non conſideratur vt Perſona Diuina, ſed potius vt aliquid in Perſona; ac proinde Perſona dicet Relationem in obliquo, & Eſſentiam in recto. PROBATVR. Dictum *Ratione 1.* Per quod aliquid conſtituitur, & diſtinguitur, illud formaliter ſignificat: vt homo, conſtituitur & diſtinguitur per rationale; proinde illud de formali ſignificat: ſic Perſona Diuina conſtituitur & diſtinguitur per Relationem. ergo de formali, & in recto dicit Relationem.

Perſona quomodo dicat Relationem, & quomodo Eſſentiam.

14. *Ratio 2.* Perſona Diuina, ſignificat Subſtantiam indiuiduam incõmunicabilem: ſed vt ſic, facit eam talem Relatio. nam PATERNITAS habet tria *Primùm*, quòd ſit conſtitutiua Perſonæ Patris: *ſecundùm*. quòd refertur: *tertium*, quòd ſit ſubſiſtens in natura Diuina incommunicabiliter; ergo de formali dicit Relationem. *Ratio 3.* In Diuinis ipſa Diuina Relatio eſt Perſona, ergo Perſona Diuina de formali dicit relationem. *Ratio 4.* Abſoluta in Diuinis, vt Eſſentia, Iuſtitia, Sapientia, non admittunt pluralitatem, nec multitudinem; nam non dicimus, in Diuinis tres eſſe Eſſentias, tres iuſtitias, tres ſapientias; ſed Perſona recipit pluralitatem & multitudinem; nam dicimus, quòd in Diuinis ſint tres Perſonæ; ergo Perſona non dicit quid abſolutum; ergo Relatiuum.

Paternitas tria in ſe habet.

Abſoluta in Diuinis nõ admittunt pluralitatẽ.

Ex quo *Collige*, Opinionem, quæ dicit, quòd nomen *Perſona* in Deo, ſignificat ſolam Dei Eſſentiam, vt eſt quid abſolutum, non poſſe ſubſiſtere; quia natura Diuina, inquantùm eſt præciſa à Relatione, non eſt Perſona; cùm vt ſic, ſit communicabilis tribus Perſonis: Perſona autem, eſt quid incommunicabile.

Natura eſt communicabilis tribus Perſonis: Perſona verò non.

DISPVTATIO IV.
De Pluralitate Perſonarum Diuinarum.

DOctrinam huius Diſputationis, quatuor Articulis complectitur S. Doctor: quærit enim, *primò*, an ſĩt plures Perſonæ in Diuinis? *ſecũdò*, an ſĩt plures vel pauciores tribus? *tertiò*, an termini numerales ſint ponendi in Deo? *quartò* an aliquid commune, hoc nomen *Perſona* habeat. Ad hos quatuor articulos, totidem Dictis reſpondebimus.

In Deo plures dantur Perſonæ.

1. QVANTVM ad primùm, *An in Deo ſint plures Perſonæ?*

Dico *eſſe omnino plures*. PROBATVR *ratione*. D. Th. In Diuinis ſunt plures Relationes reales. ſed Perſona in Diuinis ſignificat Relationem, vt rem ſubſiſtentem in Natura Diuina. ergo ſunt plures res ſubſiſtentes, & hæ ſunt Perſonæ. De veritate huius Dicti, diſputatio cum Hæreticis, videri poteſt apud Bellarm. *lib. 2. de Chriſto Tomo 1.* Valentiam ſuper hunc artic: Suarez. *lib 1. de Trinit cap 2.*

Tres tãtùm & non plures, nec pauciores dantur Perſonæ

2. QVANTVM ad ſecundùm, *An ſint hæ Perſonæ plures tribus?*

Dico *tres tantùm eſſe, & non plures nec pauciores*. PROBATVR locis Scripturæ, Ioan. vltimò *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo*, PATER, VERBVM, & SPIRITVS S. Idem affirmat Symbolum S. Athan. ab vniuerſa Eccleſia receptum, quòd dicit: *Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum, in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, non confundentes Perſonas, nec ſubſtantiam ſeparantes*. Et, *alia eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. & Deus Pater, Deus Filius; Deus Spiritus S. nec tamen tres Dei, ſed vnus Deus.* Tum & Symbolum Apoſtolorum id confitetur: *Credimus in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum Sanctum.* Concil Lateran. cap, *Firmiter* ſtatuit: *Firmiter credendum & confitendum eſſe, Trinitatem Perſonarum in vna Eſſentia.* & in cap. *Damnamus*, omnis quaternitas reprobatur. *Ratio eſt* D. Th. Perſonæ ſunt Relationes ſubſiſtentes, ad inuicem realiter diſtinctæ, ratione oppoſitionis, Sed Relationes Perſonales ad inuicem oppoſitæ, ſunt tantùm tres, v. Paternitas, Filiatio, Proceſſio, ſeu Spiratio paſſiua; ergo tantùm tres erũt Perſonæ in Diuinis.

Obiectio.

3. *Obiicies*. In Deo ſecundùm tuam rationem, tot ſunt Perſonæ, quot Relationes reales. atqui quatuor ſunt, v. Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio paſſiua: atque ſic, vt ſunt quatuor extrema: ita etiam quatuor erunt Relationes, vna Paternitatis ad Filiationem, alia Filiationis ad Paternitatem, tertia Spirationis actiuæ ad Paſſiuam; quarta Spirationis Paſſiuæ ad actiuam. ergo neceſſariò erunt quatuor Perſonæ; quia tres non ſunt quatuor, nec quatuor ſunt tres.

Solutio eius.

Reſpon-

Reſpondeo Ex his quatuor Relationibus, non benè colligi, quatuor eſſe Perſonas; quia Paternitas & Filiatio, ſunt idem cum Spiratione actiua; & ſola ratione ab ea diſtinguuntur: *ſimiliter* Spiratio Paſſiua, non propriè opponetur Paternitati, vt eſt Paternitas, nec Filiationi, vt eſt Filiatio præciſa, ſed ſolùm mediatè. nam ſub ratione actiuæ Spirationis, inquantùm Pater & Filius ſimul ſpirant; proinde quamuis ſint quatuor Relationes reales, non tamen quatuor Perſonæ; cùm non omnes Relationes conſtituant Perſonam, ſigillatim diſtinctam; quia ad hoc requiritur, vt ſit oppoſitio realis, quæ quidem inter Spirationem paſſiuam & Paternitatem non eſt propriè dicta oppoſito. *Tum* hoc ipſum ſimiliter videmus in rebus creatis, eſſe quatuor Relationes Originis, tres verò tantùm Perſonas. v. g. Abraham genuit Iſaac, & Iſaac genuit Iacob, nonne hic tantũ ſunt tres Perſonæ, & tamen quatuor Relationes Originis: vna eſt Abrahæ ad Iſaac ſuum Filium: ſecunda Iſaaci ad Abraham Patrem ſuum: tertia Iſaaci ad Filium Iacob: quarta deinde Iacobi ad Iſaac Patrem ſuum; *Similiter* ſi quis Pater habeat duos filios, vt Iſaac genuit Eſau & Iacob. hic etiã erunt quatuor Relationes Originis, & tantùm ſunt tres Perſonæ: Ita etiam dicendum, quòd licet quatuor Relationes reales originis, ſint in Diuinis: tamen ex illis non quatuor, ſed tres tantùm colliguntur Perſonæ.

4. QVANTVM ad tertium. *An termini numerales, ponant aliquid in Deo?*

Noto primo Termini numerales ſũt illi, quibus ſignificamus, aut vnam Eſſentiam, aut tres Perſonas Diuinas. *Notò ſecundò.* Hic numerus, quidam eſt Cathegoricus: quidam verò transſcendens. Hoc poſito.

Dico primò. *Numerus Categoricus nullo modo reperitur in Deo.* RATIO. quia De⁹ eſt ſuper omnẽ Categoriã *Tum* quia numerus Categoricus, eſt ſpecies Quantitatis, & per conſequens eſt accidens. ſed Deus non eſt capax accidentis; ergo nec numeri Categorici. Ita D. Bern. *in l. 1. de Conſideratione* cap. 7. vbi ſic ait. *In Perſonis Diuinis, eſſe numerum ſine numero, hoc eſt, ſine Categorico.* Et Concil. Tolet. II. in fidei confeſſione dicit, Deum non recedere à numero, nec tamen capi numero. Numer⁹ Categoricus non reperitur in Deo.

Nota 1. Nos poſſe negare tres Perſonas Diuinas inter ſe differre numero, propriè & ſtrictè loquendo; quia diſtinctio numerica exigit diuerſam naturam, & eſſentiam ſingularem, cum aliqua reali ipſius diuiſione, Phyſica, aut Metaphyſica: iã autem in tribus Perſonis, vnica eſt & eadem prorſus natura ſingularis, quæ nec Phyſicè, nec Metaphyſicè per vllam Potentiam, ne quidem Logicam, diuidi poteſt.

Nota 2. Etiamſi Deus, ſit ſummè vnus, & ſimplex, ſtrictè tamen & propriè loquendò, non dicimus illum eſſe vnum: D Baſil. *epiſt. 141.* reddit cauſam; quia numerica vnitas, recipitur reſpectu alterius vnitatis, ſeu alterius indiuidui, ſi non actu, ſaltem poteſtate Logicà exſiſtentis, intra latitudinem eiusdem ſpeciei, atque ſic ſupponit naturam eſſe indiuiſibilem, & poſſe in pluribus indiuiduis reperiri; ſed Deitas ſignificata per vocabulum DEVS, nullam prorſus admittit diuiſionem realem: Diſtinctio numerica exigit diuerſam naturã & eſſẽtiam ſingularem. Deitas nullam admittit diuiſionem realẽ.

realem: nam per nullam Potentiam tres Dii eſſe poſſunt: vnde propriè & ſtrictè Deus, non dicitur eſſe vnus numero, ſed potius vnus plusquàm numero.

Tranſcendens numerus reperitur in Deo.

5. Dico ſecundò. *Tranſcendens numerus, verè reperitur in Deo.* PROBATVR quia nullam inuoluit compoſitionem, nec diuerſitatem naturæ realem, aut multiplicitatem, nullum accidens, ſed ab his omnibus per ſe abſtrahit, conuertiturque ſimpliciter cum Ente, ac ſola ratione ab eo differt, ita, quòd vnitas trāſcendēs, addit Enti ſolam negationem identitatis, cum altero Ente, & negationem diuiſionis, vel multitudinis in ſeipſo.

Præter Eſſētiam in Diuinis vnam etiam Perſona præciſè conſiderata eſt vna

Nota. Non ſolùm Eſſentia Diuina eſt vna, ſed etiam quælibet in Diuinis Perſona eſt vna, in ſe præcisè cōſiderata. nam vnus eſt tantùm Pater, non plures, vnus Filius, vnus Spiritus S. atq; ſic tres Perſonæ Diuinæ includunt tres vnitates trāſcendētes, ex quibus reſultat numerus trāſcendens, numerus enim, nihil eſt aliud, quàm collectio vnitatū, qualeſq; vnitates, talis & numerus; hæ ſunt tranſcendentes. ergo & numerus erit tranſcendens.

6. QVANTVM ad quartum, *An hoc nomen* PERSONA *poſſit eſſe commune tribus Perſonis?* Dico breuiter cum D. Th. *hoc nomen* PERSONA, *eſt nomen commune ſecundùm rationem, non ſecundùm rem.* nam non datur aliqua Perſona realis, quæ ſit communis trib⁹ Perſonis, niſi hæc vna, v. quòd Perſona ſit rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, & incommunicabilis. hæc itaq; ratio in communi ſpectata, tribus Perſonis conuenit; cùm quælibet Perſona, ſit rationalis naturæ indiuidua Subſtantia & incommunicabilis.

Perſona in Diuinis eſt cōmunis ſecundùm rationem, non ſecūdùm rē

DISPVTATIO V.

De his, quæ ad vnitatem, vel ad pluralitatem pertinent in Diuinis.

HÆc Diſputatio, inquirit de nominibus, & illorum vſu; ſeu inquirit de modis dicendi, quinam ſint admittendi in hoc Myſterio, qui verò remouendi? ſiquidem ex vocabulis prolatis hæreſes oriūtur. nam vnum iota in Homouſion adiunctum, magnas Tragœdias in Eccleſia excitauit. Pro determinatione.

1. Dico primò. *Vocabulū* TRINITAS *optimè in hoc Myſterio vſurpatur, ad ſignificandum tres Perſonas in Diuinis:* ita Athanaſius docet dicens: quòd *vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate ſit adoranda.* *Et ratio eſt,* quia *Trinitas* ſignificat determinatum numerum Perſonarum. nam ſicut *Pluralitas* ſignificat indeterminatè: ita *Trinitas* determinatè, & formula orandi eſt in Eccleſia: *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.*

Nomen Trinitas optimè in hoc myſterio ad ſignificandum tres Perſonas in Diuinis, vſurpatur.

2. Dico ſecundò. *Verè & Catholicè, atq;*

Adiectiuè verè poſſumus dicere Patrem alium eſſe à Filio & è contra, non ſubſtantiuè.

cè, atq; etiam conuenienter, poſſe dici, quòd Filius eſt alius à Patre, & Pater alius à Filio adiectiuè, non tamen aliud ſubſtantiuè. ita D. Aug. ſiue (vt alij volunt) Fulgentius, de Fide ad Petrum: *vna enim eſt Eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus S. & in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. quamuis perſonaliter alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus S.* Et *Ratio eſt* D. Th. quia *alius* adiectiuè ſolùm importat diſtinctionem Suppoſiti: *aliud* autem diuerſitatem naturæ: ſed in Diuinis Perſonis eſt diſtinctio Suppoſitorũ. ergo hoc vocabulo *alius*, quod hoc ipſum deſignat, poſſumus vti: non eſt autem diuerſitas Naturæ. ergo hoc vocabulo *aliud*, quod hoc ipſũ ſignificat, non poſſumus vti.

Alius importat diſtinctionem ſubiecti: *aliud* diuerſitatẽ naturæ.

Diuinæ Perſonæ nõ debẽt dici inter ſe differre.

Nota 1. cum D. Th. ex *a. 2.* non debere dici, *Diuinas Perſonas eſſe differẽtes;* quia verbum *differre*, formæ diſtinctionem ſignificat: in Diuinis autem vna eſt forma, hoc eſt, natura, iuxta illud ad Philip. 2. *in forma Dei eſſe.* ergo hoc modo *differre Diuinas Perſonas*, non eſt vtendum.

Nec eſſe diuerſæ, diſcrepantes, ac ad inuicem alienæ.

Nota 2. ex eodẽ art. nõ debere dici Perſonas Diuinas *inter ſe diuerſas*, nec *diſcrepantes*, nec *ad inuicẽ alienas*; quia hi modi loquendi denotant aliquod reale diſcrimen in Eſſentia, & ſic eſſet ſenſus Hæreticus.

3. Dico tertiò. *Particula excluſiua* ſolus, *poteſt addi & coniungi terminis Eſſentialibus Syncategorematicis, non Categoricis.*

Solus dupliciter ſumitur.

Nota: Pro intellectione Dicti: *ſolus* dupliciter accipitur, *primò.* Categorematicè, quando abſolutè ponit rem ſignificatam, circa aliquod ſuppoſitum; vt *albus* circa hominem, cùm dicimus *homo albus*: *ſecundò* Syncategorematicè, quando importat ordinem prædicati ad ſubiectum, ſicut hæc dictio *Omnis, nullus.* & dictio *Solus*, quia excludit omne aliud ſuppoſitum à conſortio prædicati: (vt, cùm dicitur *ſolus Sortes ſcribit*) non ſignificat quòd Sortes ſit ſolitarius, ſed quòd ſolus inter alios ſcribat. Si igitur dictio *ſolus* accipiatur Categorematicè, nullo modo poteſt adiungi alicui termino in Diuinis; quia poneret in Deo ſolitudinem, quod eſt falſum: vt, ſi dicerem, *ſolus eſt Deus*, ponerem in Deo ſolitudinẽ, & creaturas actu exſiſtentes tollerem: ſi autem ſumetur Syncategorematicè, poteſt adiungi eſſentialibus terminis in Diuinis; nam cætera alia, quæ non ſunt Deus, excludi poſſunt à conſortio prædicati: vt, cũ dicimus *Solus Deus eſt æternus*; quia nihil præter Deum eſt æternum: vel, *ſolus Deus eſt infinitus. ſola Eſſentia eſt communicabilis*, & *ſola Eſſentia non generat.* Et hi modi dicendi ſunt veri: hi verò ſunt falſi, *Deus eſt ſolus, ſolus eſt Deus, ſola eſt Eſſentia.* ſi deinceps particula excluſiua *ſolus* termino Perſonali adiungatur, piè eſt exponenda. v. g. *ſolus Pater eſt Deus*, hic modus dicendi, duas habet expoſitiuas: *Prima* Pater eſt Deus: *ſecunda* quòd nullus alius à Patre ſit Deus; Et hæc ſecunda Propoſitio eſt falſa; quoniã *Deus* eſt commune tribus Perſonis.

DISPV-

DISPVTATIO VI.

De Cognitione Diuinarum Perſonarum.

DVo inquiremus: *Primò*, an naturaliter poſſit cognoſci, tres Perſonas eſſe in vna natura? *ſecundò* agemus de Notionibus.

1. QVANTVM *ad primum*: ſunt nõnulli vt Rich. de Sancto Victore *lib. 1 de Trinit. cap. 4.* Henricus Gandau. *quodl. 4. quæſt. 14.* Raimundus Lullus vt refert Vaſquez. *diſput. 133. cap. 1.* qui affirmant, quòd naturaliter poſſit cognoſci; nam hoc ipſum, nonnulli Philoſophi in ſuis libris ſunt confeſſi, vt Mercurius Triſmegiſtus dicit: *Monas genuit Monadem, & in ſe reflexit ardorem*, quibus verbis inſinuat Filii generationem, & Spiritus S: proceſſionem, & Plato *lib. 1. de Republ.* docet Patrem habere Filium, ſibi in omnibus ſimillimum; ſed his & aliis omiſſis, pro determinatione.

Triſmegiſtꝰ voluit declarare Trinitatem in naturalibus

2. Dico *Myſterium Sanctiſſimæ* TRINITATIS, *v. tres Perſonæ, in vna Eſſentia, non poſſunt ab vllo homine naturaliter cognoſci, & probari.* PROBATVR locis Script. Matth. 11. *confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.* Loquitur de hoc Myſterio, & modum cognoſcendi tradit eſſe reuelationẽ. & Pſal. 17. dicitur: *Poſuit Deus tenebras latibulum ſuum;* Tum D. Aug. *lib. 7. de Trinit cap. vltimo* inquit: *ſi intellectu capi non poteſt, fide teneatur, donec illuceſcat in cordibus illis, qui dicit*, niſi credideritis, non intelligetis. ET *Ratio eſt* D. Th. Ea, quæ à nobis cognoſcuntur de Deo cognitione naturali non poſſunt cognoſci, niſi à poſteriori, hoc eſt per effectus. ſed nullus eſt effectus naturalis, qui nobis euidenter referat, Deum eſſe vnum in Eſſentia, & ſimul trinum in Perſonis. nam omnia opera ad extra, ſunt tribus Perſonis æqualiter communia, atque indiuiſa; Deus enim, vt trinus, non operatur ad extra, ſed in quãtùm eſt vnus operatur per ſuã Bonitatẽ, Sapientiã, Omnipotentiã, Prouidẽtiã; ſicut prima cauſa, & primum Principiũ, quæ omnia attributa in Deo ſunt vnũ idẽque, & nõ niſi ratione diſtinguũtur; neque magis cõpetũt vni, quàm alteri Perſonæ, reſpectu creaturarũ. ergo effectꝰ naturalis, non poteſt nobis repræſentare, hoc Myſterium. *Præterea* demonſtrare per rationes naturales, derogat dignitati Fidei; quia hæc eſt ſupra captum luminis naturalis, & de rebus inuiſibilibus, atque à Patre luminum reuelata: derogat etiam vtilitati horum, qui ad Fidem trahi poſſunt; ſi quis enim ad probandam Fidem, induceret rationem naturalem; & hæc non eſſet conueniens, nec cogens, infidelibus deridenda Fides Catholica proponeretur.

Nullo ab homine naturaliter poteſt cognoſci Trinitas trina in Perſonis, vna in Eſſentia.

Deus trinus in Perſonis vnꝰ in Eſſẽtia, nec à poſteriori cognoſcitur.

3. Dico ſecundò. *Credibilitas huius Myſterii euidenter probari poteſt.* RATIO: quia id eſt credibile, quod ab omnibus prudentioribus, ſapientioribus,

tioribus, doctioribus, & ſanctimonia fulgentioribus viris creditur; ſed tale eſt Myſterium Trinitatis; ergo habet euidentem credibilitatẽ.

Myſterium Trinitatis eſſe impoſſibile, nulla ratione poteſt demonſtrari.

Dico tertiò. *Per nullam rationem naturalem, demonſtrari poteſt, quòd Myſterium* TRINITATIS, *ſit impoſſibile*. PROBATVR, quia Myſterium Trinitatis, eſt de facto, vt Scripturæ loquuntur, ergo non poteſt dici quòd ſit impoſſibile. *Tum* verum vero contrarian non poteſt; Si ergo aliqua ratio naturalis eſſet, quæ oſtẽdat impoſſibilitatẽ Trinitatis, ſequeretur, hoc verũ eſſe in Philoſophia Et quia diuinitus eſt reuelatum hoc Myſterium, eſſet quoque verum in Theologia; ergo verum vero contrarium eſſet, quod omnino falſum eſt, & condemnatum in Concilio Later. ſub Leone X.

QVOAD Philoſophos Dico, quòd hi libros Moyſis, & quorundam Prophetarum inſpexerant; vnde aliqua confuſè de Trinitate locuti ſunt: hoc enim Myſterium vt cognoſcatur, requirit fidem, quæ eſt donum Dei, requirit auxilium gratiæ, quod adhuc in antiquis Philoſophis non luxerat.

Notiones Diuinæ omnino sũt ponendæ.

4 QVANTVM ad ſecũdum Dico primò. *Notiones Diuinæ omninò ſunt ponendæ* Quia notiones ſunt notæ, ſeu ꝓprietates, ꝑ quas vnaquæq; Perſona in Diuinis innoteſcit, & per quas docemus, quomodo vna Perſona ab alia diſtinguatur. *Tum* quia vna & eadem Perſona, quandoque ad duas refertur, vt Pater ad Filium, & vterq; ad Spiritum S. ſed hoc fieri nequit, per vnam & eandem proprietatem, ſeu notionem; ergo fiet per diuerſas.

Notiones Diuinæ sũt quinque.

Dico ſecundò. *Hæ notiones ſunt ſimpliciter quinque, Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio Paſſiua*: Ita docet D.Th. *hîc a. 3* PROBATVR. Per has quinque Notiones, ſufficienter innoteſcunt nobis Diuinæ Perſonæ: Per *Innaſcibilitatem* enim, ducimur in cognitionẽ Perſonæ Patris, inquantùm Pater eſt Principium totius Trinitatis, ſed Principium ſine Principio; nam aliàs daretur progreſſus in infinitum: Per *Paternitatem* verò cognoſcimus Patrem, vt diſtinctum à Filio, cui opponitur: Per *Filiationem* intelligimus Filium vt diſtinctum à Patre Per *Spirationem actiuam* cognoſcimꝰ Patrem & Filium, inquantùm ſunt vnum Spiratiuum Principium Spiritus S. Per *Spirationem Paſſiuam* cognoſcimus Spiritum S, diſtingui à Patre, & à Filio: Ita ſentiunt SS. PP. D. Baſil *Epiſt. 44.* ſic notionem definit: *quòd ſit ſignum cognoſcibile, quo cognoſcitur vna Perſona, prout diſtinguitur ab alia.*

Definitio notionis.

Notiones quatuor tãtùm ſunt ꝓpriè dictæ.

5. Dico tertiò. *Ex his quinq; notionibus, tantùm ſunt quatuor Relationes, propriè dictæ v. Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, Spiratio Paſſiua.* nam *Innaſcibilitas* non eſt propriè Relatio, ſed tãtùm denotat, Patrem eſſe per ſe abſolutè, & non produci ab alio. vide D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 7.*

Ex his notionibꝰ tres tantùm proprietates ꝑſonales.

Dico quarto. *tres ſolùm sũt ꝓprietates ex his quinque notionibus Perſonales, Paternitas, Filiatio, Spiratio Paſſiua* RATIO *eſt.* quia proprietas Perſonalis eſt, quæ conſtituit perſonam. ſed hæ tres conſtituũt, v. Paternitas Patrẽ, Filiatio Filiũ, Spiratio Paſſiua Spiritũ S. nã Innaſcibilitas ſupponit Perſonam Patris iam conſtitutam, ſic & Spiratio actiua Patris & Filii, iã exiſtẽtes Perſonas quoq; ſupponit.

Notio Sexta à Scoto ſtatuitur.

Nota Scotus *in 1. diſt. 28. q. 1.* ſextam notionem v. Inſpirabilitatem Filio tribuit, quó ſignificare voluit eum non ſpirari, nec produci per voluntatem; ſed dicimus hoc includi ſub proprietate Filii, quæ eſt generari; nam ex eo facilè quilibet cognoſcit, Filium non ſpirari; ſiquidem generatur, ſicut cùm dicimus Spiritum S. ſpirari, colligimus, quòd non generetur.

Obiectio.

6. *Obiectio* Innaſcibilitates ducit nos in cognitionem Spiritus S. ergo etiam illi cõuenit. *Sequela* quia Spiritus S. nullo modo generatur. *Reſpondeo* Innaſcibilitatem nullo modo poſſe eſſe notionem Spiritus S. nam vt aliquid habeat naturam notionis requiritur, vt ſignificet quandam perfectionem in illa re, cuius eſt notio: innaſcibilitas autem comparata cum Spiritu S. dicit negationem generationis, & negatio non eſt perfectio, *Tandem* ſi Spiritus S. eſſet innaſcibilis eo modo, quo Pater; eſſet etiam improducibilis, quòd eſt falſum: nam (vt iam docuimus) producitur. Quandò verò innaſcibilitatem tribuimus Patri, docent SS. PP. non eſſe merè negationem, ſed ſimul aliquid poſitiuum ſignificare, quod quidem ſpectat ad dignitatem Patris, v. quòd ſit per ſe, & non ab alio.

Solutio illius.

Dico quintò. *Spiratio actiua, non differt à Patre vt res à re, nec formaliter, nec ex natura rei, ſed ſolùm per rationem ratiocinatam, ſeu virtute, & eminenter.* Ita docet D. Th. *hîc quæſt 32. a. 2. & 3. & quæſt. 40. art. 1.* PROBATVR; quia oporteret concedere in Diuinis quaternitatem Perſonarũ, quod quidem falſum eſt. *Sequela*: Si enim differt vt res à re. ergo realiter. ſed Relationes reales, & realiter diſtinctæ conſtituunt Perſonas; ergo & ſpiratio actiua, tanquam Relatio realis quartam Perſonam conſtitueret, quod eſt falſum & condemnatũ in Concilio Lateran. ſub Innocentio cap. *Damnamus*.

Spiratio actiua à Patre ſolâ ratione ratiocinata diſfert.

DISPVTATIO VII.

De Perſona PATRIS.

1. IAm ab hac Diſputatione, agendum nobis ſigillatim, de Perſonis, & primò de Perſona Patris. de qua quatuor ſe offerunt explicanda *primò* quòd Pater eſt principium; *ſecundò* quòd hoc nomen PATER, conueniat primæ Perſonæ: *tertiò* quòd Pater per priùs dicatur de Diuinis: *quartò* quòd ei conueniat eſſe ingenitum.

QVANTVM ad Primum Dico primò. *Pater eſt Principium.* D. Aug. *in 4. de Trinit. cap. 29.* addit, *quod ſit Principium Deitatis.* PROBATVR *ratione,* D. Th. Hoc nomen *Principium* nihil aliud ſignificat, quàm id à quo aliquid procedit; ſed Pater eſt à quo Filius, & Spiritus S. procedit, ergo Pater eſt principium. *Nota* nomen *principii* ſũptũ reſpectu Creaturarũ, æqualiter competit tribus Perſonis Diuinis, nam opera Trinitatis ad extra ſunt

Pater eſt Principium

Principium quid?

Principium ad intra ſoli Patri ac Filio, conuenit.

tra ſunt indiuiſa; at verò ad intra ſumptum Principium, ſecundùm actiones immanentes (vt deductũ) ſolùm Patri conuenit, atquè etiam Filio, quatenus ambo ſimul producunt Spiritum S. quod confirmant Verba Pſal 109. *Tecum Principium in die virtutis tuæ*, hæc itaq; vox *Principium* denotat Patrem, reliquæ ſignificant Perſonam Filii.

Obiectio cũ Solutione.

2. *Obijcies* Si Pater Principium, eſt etiam Deitatis. ergò Deitas ſeu Eſſentia Diuina producta à Patre. *Reſpondeo*. Eſſentiam Diuinam, (vt diximus) non produci, nec producere; proinde libenter concedimus, Patrem non eſſe Principium notionale productiuum Diuinæ Eſſentiæ ſiquidem Eſſentia, nec producit nec producitur: cum hoc tamen benè ſtat, vt Pater ſit principium notionale, communicatiuum Diuinæ Eſſentiæ, ſiquidem generando Filium, verè hanc ei, & item Spiritui S. cõmunicat, producendo eum cum Filio.

Pater eſt Principium Filij, non tamen cauſa.

Nota Quamuis Pater ſit Principium productiuum Filii, & communicatiuum Eſſentiæ, non poteſt tamen dici *cauſa* Filii, & Spiritus S. quia nomen *Cauſæ*, importat diuerſitatem naturæ, & dependentiam vnius ab alio, quod vtrumque negandum in Diuinis.

Nota ſecundò Quando dicimus, quod *Pater eſt Principium* non eſt dicendum, quòd Filius ſit, & Spiritus S. principiatus; quia hoc nomen *Principiatus*, ſignificat ſubiectionem & minoritatem, quæ in Diuinis locum non habeat.

3 QVANTVM ad alterum: *De nomine* Patris, *cui conueniat?*

Dico *Si hoc nomen* PATER *ſumatur eſſentialiter, reſpectu Creaturarum, æqualiter tribus Perſonis conuenit.* nam talis Paternitas ſignificat omnipotentiã Diuinã, & Bonitatem erga creaturas omnẽs, præſertim rationales inquantum omnibus dat *eſſe*, & cõſequentia ad *eſſe*; & ſic ad Trinitatem ſpectat; in hocque ſenſu iubemur orare: *Pater noſter*, vbi dictio *Pater*, ſumitur eſſentialiter, inquantùm ad tres Perſonas refertur *Si verò hoc nomen* PATER *ſumatur notionaliter, ſecundum internam generationem, ſoli primæ Perſonæ conuenit.* quia huic primæ Perſonæ ſoli conuenit generare Filium. *Tum* quia id, per quod Perſona Patris in Diuinis diſtinguitur, eſt Paternitas. ergo idem erit nomen Proprium.

Nomen Pater reſpectu creaturarum æqualiter tribus Perſonis conuenit.

Sumptũ verò notionaliter ſoli primæ Perſonæ.

4. QANTVM ad tertium, *An hoc nomen* Pater *per prius dicatur?*

Dico. *Nomen* Patris *eſſẽtialiter ſumptum, in ordine ad Creaturas eſt commune tribus Perſonis, & ſic dicitur*, Pater miſericordiarum *ſumptum verò notionaliter, ſecundùm internam generationẽ, ſoli primæ Perſonæ in Diuinis competit.* ſicque dicitur; *Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et ideo, priùs & magis dicitur hoc nomen ſumptum perſonaliter de Patre Diuino. PROBATVR *ratione prima.* Æternum priùs eſt temporali, ſed Deus ab æterno eſt Pater Filii, ex tempore autem eſt Pater creaturæ. ergo per priùs dicetur in æternitate Pater Filii, quàm creaturæ.

Hoc nomen *Pater*, priꝰ competit Filio quàm creaturis.

Ratio ſecunda De illo per prius dicitur nomẽ *Patris*, in quo perfectè ſaluatur tota ratio Paternitatis; ſed tota ratio Paternitatis reſpectu Filii perfectiſſimè ſaluatur in Diuinis; ergo de illo ꝑ priùs dicetur. *Ratio tertia* Nomen *Patris* ſumptum eſſentialiter reſpi-

In Filio perfectiſſimè ſaluatur ratio Patris.

ter reſpicit creaturas: ſumptum perſonaliter reſpicit Perſonam Diuinā productam, v. Filium. atqui Perſona Filii infinities eſt perfectior quibuscunque creaturis. nam generatio Diuina terminatur ad imaginē infinities nobiliorem in Filio, quàm ſit in vllis creaturis. ergo hoc nomē *Pater* priùs ſumitur, & perfectiùs ad ſignificandam Perſonam Filii.

5. QVANTVM ad quartum Dico. *Hoc nomen* ingenitum *Perſonæ Patris conuenit.* PROBATVR Illud verè eſt ingenitum, quod nec producitur, nec communicatur per vllam proceſſionem, aut communicationem, & quo omnia, quæcunque producuntur intra Deum, producuntur, & communicantur. ſed hoc ſoli Perſonæ Patris conuenit. nam Perſona Patris ſimpliciter eſt improducta, producit tamen Filium, eidemque conuenit, vt cum Filio producat Spiritum S. ergo Patri conuenit quòd ſit ingenitus.

Solus Pater eſt ingenitus.

Nota hoc nomen *Ingenitus* dupliciter ſumi, *primò* pro eo, quod non exſiſtit per veram generationem, ſtrictè ſumptam; & ſic non ſolùm Patri, ſed etiam Spiritui S. conuenit. nam licet Spiritus S. procedat: non procedit tamen per veram generationem, ſed per veram ſpirationem: *ſecundò* ſumitur pro eo, quod nullo modo, & nullo genere emanationis producitur, & ſic *Ingenitus* ſoli Patri in Diuinis conuenit. nam ſolus Pater in Diuinis eſt Principium ſine Principio.

Ingenitus hoc nomen dupliciter ſumitur.

Nota in hanc dictionem *Ingenitus* quandoque SS. PP. fuiſſe grauiter inuectos; quia illâ per fraudes ſuas abutebantur Arriani. nam ex eo, quòd *Pater ſit ingenitus*, inferebant differre Patrem eſſentialiter à Filio, quod eſt impium; ſed hodie hæc dictio ab omnibus ſine vllo ſcrupulo vſurpatur.

DISPVTATIO VIII.

De FILIO vt appellatur verbum.

1. TRia attingemus: *primò* an hoc nomen *Verbum*, ſit Perſonale? *ſecundò* an ſit proprium Filii? *tertiò* an importet reſpectum ad creaturas?

QVANTVM ad primum dico. *Verbum in Diuinis aliquando ſumitur eſſentialiter.* Exodi 9. *Cras faciet Dominus verbum iſtud*, hoc eſt *hanc rem.* & 1. Reg. 3. *Ego faciam verbum in Iſrael, quod qui audierit, tinnient ambæ aures eius: aliquando propriè & ſtrictè, & ſic eſt nomen Perſonale, & nullo modo Eſſentiale.* ita Scriptura docet, Ioan. 1. *In principio erat* VERBVM, *&* VERBVM *erat apud Deum.* & D. Aug. 5. *de Trinit.* c. 13 inquit: *Verbum relatiuè dicitur ſicut & Filius.* & lib 6. c. 2. dicit: *Verbum ſolus Filius accipitur.* PROBATVR primò

Verbum dupliciter ſumitur.

primò. Verbum ſemper denotat aliquam emanationem ab altero, nam eſſe verbũ, eſt alicui⁹ eſſe verbũ, v. loquentis aut dicentis. ergo in Deo debet eſſe Perſonale, ſecundùm Relationem originis.

Verbum mẽtis producitur per actum intelligendi: vocale per actum loquẽdi,

Probatur ſecundò. Verbum omne eſt terminus productus per aliquam actionem, nam verbum mentis immediatè producitur, per actum intelligendi: verbum vocale producitur per actum loquendi: verbum quoq; ſcriptum, per actum ſcribendi. ergo verbum ſemper in ſe includit Relationem producti ad producens. ergo eſt perſonale. nam perſonæ Relationibus conſtituuntur.

Probatur tertiò. Verbum propriè dicitur in Deo, ſecundùm quod verbo ſignificatur conceptus Intellectûs, ſed conceptus Intellectûs de ratione habet, quòd procedat ab alio, v. à concipiente. ergo eſt Perſonale. *Sequela* nam procedere ab alio in Diuinis, Perſonis conuenit.

In Diuinis ſolus Filius propriè dicitur Verbum.

2. QVANTVM ad ſecundum dico. *Solus* FILIVS *in Diuinis, propriè dicitur* VERBVM. *Probatur 1.* Non conuenit Patri, cùm ſit ingenitus (vt iam probatum) nec Spiritui S. quia Verbum per actionem intellectûs Diuini procedit; Spiritus autem S. per actionem voluntatis, (vt quoq; deductũ.) ergo ſoli Filio cõuenit.

Probatur 2. Verbum propriè dictũ ſignificat quandam emanationem intellectûs, ſecundùm quam emanationem, Perſona procedens eſt ſolus Filius. ergo Verbum eſt nomẽ proprium Filii. *Confirmatur.* id, quod in nobis habet *eſſe* intelligibile, nõ pertinet ad naturam noſtram, quia in nobis non eſt idem *eſſe* & *intelligere*: in Deo autem, *intelligere* pertinet ad Eſſentiam Dei, quia *eſſe* Dei, eſt ipſum *intelligere* Dei; proinde Verbum Dei non eſt aliquod accidens, ſicut in nobis; nec aliquis effectus eius; ſiquidem ad naturam Dei pertinet, & eſt ſubſiſtens: effectus autẽ diuerſus eſt à natura producentis.

Eſſe Dei eſt ipſum intelligere.

3. QVANTVM ad tertium dico. *Verbum in Deo, non ſolùm importat reſpectum ad Patrem, ſed etiam ad omnes creaturas.* ita D. Aug. *l. 83. quæſt. q. 63.* vbi dicit: *in nomine* verbi, *non ſolùm ſignificatur reſpectus ad Patrem, ſed etiam ad alia, quæ per verbum facta ſunt operatiua potentiâ.* ſed hæc ipſa ſunt creaturæ. ergo ad creaturas refertur Verbum. *Tum* verbum mente conceptum eſt repræſentatiuum omnium illarum rerum, quæ actu intelliguntur; ſed Deus vnico actu intelligendi, & ſe, & omnes creaturas intelligit. ergo Verbum erit repræſentatiuum & Dei & creaturarum. *Præterea* Verbũ in Diuinis procedit ex cognitione Diuinæ Eſſentiæ attributorum, triũ Perſonarum, omnium creaturarum tam futurarum, quàm poſſibilium. nam eſt ſimpliciter infinitum, cùm ſit verus Deus, vnde debet etiam produci per intellectionem ſimpliciter infinitam. ſiquidem Deus Pater ſeipſum omnibus modis comprehendit. ſed cognitio ſimpliciter infinita, & comprehenſiua debet extendi ad omnia prorſus obiecta, quæcunq; habent rationem Entis. proinde & Verbum Diuinum ex his omnibus debuit procedere, & ad illa debet reſpectum habere. *Demum* D. Aug. *l. 13. de Trinit. c. 14.* dicit: *Deus* PATER *non integrè perfecteq; dixiſſet ſeipſum, ſi aliquid minus eſſet in* VERBO *quàm in ſeipſo*: ſed in Patre eſt notitia ſimpliciter

Verbum in Deo nõ ſolùm ad Patrẽ, ſed etiã ad creaturas importat reſpectum.

Verbum in Diuinis vnde ꝑcedat?

ſimpliciter, omnium prorſus rerum, etiam creaturarum futurarum, & poſſibilium. ergo ſunt omnia in Verbo Diuino.

4. *Nota.* Quando dicimus, quòd VERBVM *Diuinum per intellectionem Patris, ex cognitione creaturarum poſſibilium, & futurarum, in certa temporis differẽtia producitur*, intellige, quòd hoc fiat concomitanter identicè, & materialiter; quia hæc cognitio per quam Pater producit Filium, attingit quodlibet intelligibile, cùm ſit hæc cognitio ſimpliciter infinita. ſed creaturæ quæ ſunt futuræ in aliqua differentia temporis, pertinent ad intelligibile Patris ergo ex illarũ cognitione ſaltem concomitanter procedit Verbum.

Obiectio.

Obiicies 1. Verbum Diuinum cùm ſit Deus eſt ſimpliciter neceſſariũ. ergo & cognitio per quam producitur erit neceſſaria. atqui cognitio rerũ futurarum non eſt quid neceſſarium, ſed liberum. ergo per eam Verbum non producetur. *Reſpondeo.* quòd cognitio rerum futurarum, conſiderata ſecundùm ſuam Entitatem, præcisè eſt neceſſaria, ſicut & Deus Pater, conſiderata verò ſecundùm terminationem, quam dicit ad creaturas extra Deum, eſt libera. Addo tamen, quòd poſito decreto Diuino de rebus futuris producendis, iam non poterunt non eſſe, & ſic ſaltem ex Hypotheſi erunt neceſſaria.

Solutio ei⁹

Rerum futurarum cognitio dupliciter cõſideratur.

5. *Nota* Circa diſtinctionem obiectorum noſtro modo concipiendi, quòd Eſſentia Diuina productiua VERBI habet ſe vt obiectum primarium, & vt principium *Quo*, ſimiliter & attributa, quæ ſunt eadem prorſus cum Eſſentia, & ſola ratione diſtinguuntur ab ea; intelligim⁹ autem hic Attributa quæ ſunt abſoluta & eſſentialia, non autem Relatiua, & perſonalia. Perſona enim Patris productiua Verbi, eſt principium *Quod*. ideq; notionale, & Hypoſtaticum; ſiquidem actiones ſũt ſuppoſitorum.

6. *Quæres.* An etiam Perſona VERBI ad productionem Verbi concurrat? *Reſpondeo* concurrere, & quidẽ antecedenter. nam cùm dicit: *verbũ illud ſine cognitione, fieri non poteſt*: verbum autem eſt ipſa intellectio, & quidem verbum, vt intellectio ſumitur paſſiuè, terminatiuè, eſt ipſe Filius; quamuis realiter diſtinguatur ab intellectione actiuè conſiderata, & habet ſe Verbum antecedẽter, prout actio paterna, per quam Verbum producitur, habet ſe actiuè. Sed

Perſona antecedenter ad productionẽ verbi cõcurrit

Obiicies. Si Verbum ſeu Filius producitur antecedenter ex notitia ſui. ergo ſequitur, quod ſit, antequam ſit. *Reſpondeo* non ſequi, quia magnũ eſt diſcrimen, inter *verbum* & *notitiã*, quæ eſt de Verbo, & per quam VERBVM exſiſtit; nam quamuis non poſſit ſe anteire, nec à ſeipſo produci, illa tamen cognitio, quam habet Pater de Verbo; & qua Pater illud generat, facilè à nobis intelligitur, quod ſit anterior Verbo: ſicut actio prior eſt ſuo termino: tum noſtro modo concipiendi, priùs intelligit Deus Pater Verbum, quam illud producit: nam Pater eſt agens per intellectũ. ergo nihil producit, niſi quòd intelligat ſimul.

Obiectio et ſolutio.

7. *Quæres iterum* An etiam ex cognitione Spiritus S. producatur Verbum? *Reſpondeo.* quòd ſic: nam Verbũ producitur ex intellectione notionali

Etiã ex cognitione Spiritus S. producitur Verbũ, ſed cõcomitãter.

tio nali Patris eorum omnium, quæ ſunt,& cognoſcuntur à Deo Patre; ſed Pater non ſolùm Eſſentiam, verùmetiam & Perſonas, ac perconſequens & Spiritum S. cognoſcit: cognitio enim hæc Patris eſt infinita,& comprehenſiua. ergo erit productio Verbi ex cognitione Spiritus S. ſed non antecedenter verùm concomitanter. *Declaratur* illa cognitio actiua, quâ Pater dicit & generat Verbum, quamuis ſimul feratur in Spiritum S. & in res poſſibiles,in illa æternitate,in qua nihil eſt prius nec poſterius: tamen dicendũ non eſt, quaſi Spiritus S. ſit principium Verbi,ſed potiùs ipſe à Verbo ſeu à Filio producitur; vnde ſolùm ſe habet concomitanter. *Ratio eſt.* Illud ſe antecedenter habet,quo ſublato nõ ampliùs res producitur, ſed noſtro modo intelligendi loquendo,non exſiſtente cognitione Spiritus S. adhuc ſufficienter concipimus, Verbum produci à Patre dicẽte. ergo concomitanter ſe habet.

DISPVTATIO IX.

De FILIO prout eſt *Imago*.

1\. CONcluſimus in ſuperioribus, Filium verè ac propriè generari; ideo quia ex vi Proceſſionis, habet veram rationẽ imaginis; proinde quoad ſufficientem cognitionem, duo de imagine dicemus: *Primò* An nomen *Imago* ſit Perſonale in Diuinis? *ſecundò* an hoc nomen ſit proprium Filio?

QVANTVM ad primum dico. *Nullum eſſe dubium, quòd* Imago *ſit nomẽ Perſonale in Diuinis.* PROBATVR I. Illud eſt Perſonale, quòd conſequitur Proceſſiones Diuinas; ſed ratio *imaginis* conſequitur primam proceſſionem, quæ fit per intellectionẽ Patris. ergo *imago* eſt nomen Perſonale.

Imago eſt nomen Perſonale in Diuinis.

Probatur 2. Ad rationem imaginis duo requiruntur: *primò*, vt ſit expreſſa & perfecta ſimilitudo, ſecundùm Eſſentiam illius, cuius dicitur eſſe imago: *ſecundò*, vt aſſimiletur ex vi ſuæ proceſſionis, & ex ſpeciali intẽtione operantis. ſed Filius eſt perfectiſſimè ſimilis Patri, ſecundùm Eſſentiam, & quidem ex vi ſuæ proceſſionis. nam ex generatione Filius, eſt ſimilis Patri, ac perconſequens erit imago ſubſtantiæ eius.

Ad rationẽ Imaginis duo requiruntur.

2\. QVANTVM ad ſecundum dico. *Imago ſumpta ſecundùm propriam & ſtrictam rationem, ſoli Filio Dei conuenit:* ita D. Aug. l. 7. de Trinit. c 2. vbi dicit: *Solus Filius eſt imago Patris.* & D. Th. in hoc a. quòd in Canonica Scriptura: *Imago ſoli Filio tribuitur;* tenẽt. Tum ad Coloſſ. *Primogenitus omnis creaturæ,& imago Dei inuiſibilis* ad Rõ. etiam 8. *Prædeſtinauit nos, conformes imaginis Filii ſui.* ad Hebr. 1. *Splendor gloriæ Dei, & figura ſubſtantiæ eius* Textus Græcus habet: *Imago expreſſa ſubſtantiæ.* RATIO eſt *prima.* De ratione imaginis eſt ſimilitudo ad ſuum principium; ſed de ratione quoque eſt proceſſionis Filii, ſimilitudo ad ſuum

Imago propriè ſumpta ſoli Filio Dei conuenit.

ſuum

ſuum Principium. ergo Filio conuenit Imago.

Ratio ſecunda. Imago non conuenit Patri, quia non eſt genitus; proinde & rationem ſimilitudinis non poteſt habere, nec etiam dici imago Non conuenit Spiritui S. nam licet verè producatur à Patre & Filio, & dicatur illis eſſe ſimilis, nõ eſt tamen ſimilis, per ſe, ex vi & natura productionis; quia Spiritus S. non producitur per actiònem intellectus, ſed voluntatis. Voluntas autem prout voluntas, ſimpliciter & abſolutè non producit ſimilitudinem, nec terminus productionis per voluntatem, dicitur eſſe imago, aut ſpecies expreſſa, aut verbum mentis, ſicut eſt illa imago, quæ cõuenit Filio. ergo Spiritui S. non conuenit imago.

Imago nec Patri nec Spiritui S conuenit.

3. *Nota.* Nomen *Imaginis* latè ſũptum, poſſe & Patri & Spiritui S. tribui. Gen. 1. dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Hic modus dicendi in plurali, ſignificat, eſſe quandam communem imaginis & ſimilitudinis rationem, quæ tribus Perſonis conueniat. Hæc autem eſt Eſſentia; itaque in Perſona qualibet, eſt vnitas, hoc eſt vna Eſſentia, cum diſtinctione; quia tres Perſonæ in illa diſtinguuntur

Imago latè modo ſumpta etiam Patri ac Spiritui S. cõuenit.

Nota, quòd S. Doctor ſupra Gen. diſtinguit inter *imaginem* & *ad imaginem* nam Verbum increatum nullo modo eſt ad imaginem, ſed eſt ipſiſſima imago Patris. daretur enim Verbum Verbi, & imago imaginis, & ſic proceſſus in infinitum. ſolùm ergo de homine dici poteſt, quòd ſit ſimul & imago, & ad imaginem Dei.

Imaginem eſſe, & ad imaginem creari diſtinguuntur.

DISPVTATIO X.
De Perſona Spiritus S.

1. DVo hic attingem⁹: *primò*, An hoc nomen *Spiritus S.* ſit proprium alicui Perſonæ in Diuinis? *ſecundò* de Proceſſione Spiritus ſancti.

QVANTVM ad primũ dico. *Hoc nomen* SPIRITVS S. *ex communi vſu, & ex accommodatione Eccleſiæ, & SS PP. eſt proprium ſolius tertiæ Perſonæ* PROBATVR. quia hæc tertia Perſona, eſt quædam ſubſtantia ſpiritualis, & præterea ſanctiſſima, imo ipſa ſãctitas per eſſentiam. ergo illi proprie hoc nomen conueniet.

Nomẽ *Spiritus Sãcti* propriè ſoli tertiæ perſonæ competit.

Nota 1 Hæ duæ voces SPIRITVS SANCTVS non diuiſim ſed coniũctim ſumendæ ſunt conſtat enim Patrem eſſe ſanctum, & Filium eſſe ſanctum; ſimiliter Patrem eſſe Spiritum, & Filium eſſe Spiritum; quocirca hæ duæ dictiones tanquam in vnam compactæ ſunt accipiendæ ad ſignificandum tertiam Perſonam in Diuinis.

Nota 2. Si quis dicat FILIVM eſſe SPIRITVM SANCTVM, etiamſi mente & intellectione ſubintelligeret, ſe in hoc modo dicendi improprie ſumere vocabulum SPIRITVS

SANCTI

SANCTI, eſſet modus dicendi ſcandaloſus, loquendum enim ſimpliciter, vt plurimi loquuntur, in hoc Myſterio, in quo periculosè erratur.

2. QVANTVM ad alterum *de Proceſſione Spiritus S.* grauis eſt controuerſia cum Græcis, qui Spiritum S. volunt ita procedere à Patre, vt nullo modo procedat à Filio. Hoc virus vnà cum Schiſmate, erupit circa annum 1054. vt docet Baronius in ſuis Annal. contra hos

Dico, *quòd* SPIRITVS S. *& à* PATRE *& à* FILIO *procedit*. Hoc Dictũ eſt de fide; & habetur in III. ac in IV. Synodo Gener. *act. 1.* & 5. & in V. Synodo *Act. vltima.* inq; aliis plurimis.

PP. Græci antiquiſſimi, ſic ſentiunt: Greg. Niſſenus Hom. 4. ſuper *Pater noſter*, vbi dicit: *Spiritus autem S. & ex Patre dicitur, & ex Filio præterea eſſe oſtenditur.* & Greg. Nazianzen. *Orat. 49 miſit nobis Chriſtus* SPIRITVM S. *protectorem ſignationis, & ductorem in vitam æternam, ex Patre & ex ſe procedentem.* Tum Athan. in Symbolo dicit: *Spiritus S. & à Patre, & à Filio procedens.* PROBATVR locis Script. Ioan. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis:* & c. 16. *Cùm abiero, mittam eum ad vos.* Ex quo

Ratio prima: Nulla Perſona Diuina mittitur, niſi ab ea, à qua procedit; miſſio enim præſupponit Proceſſionem, vt docet D. Th. hic *q. 43.* ſed Spiritus S. mittitur à Filio. ergo à Filio procedit. Sed

Miſſio præſupponit Proceſſionem.

3. *Inſtant Græci.* quòd etiam Filius à Spiritu S. dicitur mitti. Eſaiæ 40. *Nunc Deus miſit me & Spiritus eius.* Mat. 4. *Ductus eſt Ieſus à Spiritu.* RESPONDEO hoc non eſſe ad propoſitum, nam nos loquimur de Miſſione, quæ Diuinæ Perſonæ conueniat, adducta verò loca loquuntur de Chriſti humanitate, vnde de natura humana non de Diuina ſunt intelligenda. *Tum* ſi loquamur de humana Chriſti miſſione, non ſolùm Spiritus; ſed etiam & Pater mittit, ſiquidem hæc miſſio eſt opus ad extra, ad totam Trinitatem ſpectans.

Inſtantia.

Solutio.

Ratio ſecunda. Ioan. 16. Chriſtus de ſe loquitur: *Omnia quæ habet Pater mea ſunt.* & c. 17. *omnia tua mea ſunt, & mea tua ſunt.* Ex quo loco argumẽtor, nihil eſt in Patre quòd non ſit in Filio, exceptis iis, quæ ad Paternitatem ſpectant, ſeu ad oppoſitionem relatiuam; ſed virtus ſpirandi eſt in Patre. ergo eadem erit in Filio. ergo ſicut Pater ita & Filius ſpirãt, & producunt Spiritum S. hoc argumentum ſumitur ex D. Aug. *lib. 5 de Trinit. c. 14.*

Ratio tertia. Ioan. 16. *Non enim loquetur à ſemetipſo*, loquitur Chriſtus de Spiritu S. & *ille me clarificabit quia de meo accipiet.* ex quo ſic arguo. Spiritus S. accipit à Filio. ſed non poteſt accipere, niſi per proceſſionem. ergo procedit à Filio.

Pater & Filius ſunt vnũ tantũ principium productiuũ Spiritus S.

4. Dico ſecundò. *Pater & Filius ſunt vnum tantùm Principium productiuũ* SPIRITVS S. hoc Dictum eſt de fide definitum in Concil. Lugdun. ſub Greg. X. refertur in cap. *firmiter* de Summa Trinit & in Concil Flor. *Seſſ vltima,* in literis vnionis. D. etiam Aug. *l. de Trinit. c. 14.* docet: *Fatendum eſt, Patrem & Filium eſſe principium Spiritus S non duo principia.* Et *Ratio eſt,* Principium productiuum Spiritus S. v. virtus ſpiratiua non opponitur Patri & Filio. ergo hoc principium vnum atq; idem eſt in perſona Patris & Filii. nam in Diuinis omnia

 ſunt

ſunt communia, vbi non obuiat oppoſitio Relatiua. ſed vis ſpiratiua, nec Patri nec Filio opponitur. ergo vis ſpirandi vna & eadem eſt in Patre & in Filio.

Pater & Filius ſunt vn' ſpirator nō ſpiratores.

Nota. Pater & Filius ſunt vnus Spirator, reſpectu Spiritus S. nullaque ratione poſſunt dici duo ſpiratores, niſi ſpirantes, quia ſubſtantiua nomina, vt *Deus*, *intellectus*, *voluntas*, nunquam multiplicantur, niſi etiam multiplicentur formæ, per hæc nomina intra Diuinam Eſſentiam ſignificatæ; ſed per Deum & voluntatem formæ ſignificatæ non multiplicantur. nam non dicimus, plures eſſe Deos, nec plures intellectus, ob identitatem formæ per hæc nomina ſubſtantiua ſignificatæ: nomina verò adiectiua, multiplicantur multiplicatis ſuppoſitis ſtante hypotheſi, quod forma ſignificata per huiuſmodi nomen ſit in diſtinctis ſuppoſitis. Sed per hoc nomen *Spirator* forma ſignificata, v. virtus ſpiratiua multiplicatur in Patre & Filio. ergo ponitur quaſi diſtincta; ergo non benè dicimus quòd ſint Spiratores duo: hoc verò nomen *Spirans*, quia ſignificat eandem formam, v. virtutem ſpiratiuā in duobus ſuppoſitis. ideo benè dicimus, quòd ſint duo ſpirantes.

Pater & Filius ſunt duo ſpirantes.

5. *Quæres* ſi Spiritus S. non procederet à Filio ſed à ſolo Patre, an realiter diſtingueretur à Filio? Scotus in *1. diſt. 11.* & cum illo Nominales affirmant, quòd realiter diſtingueretur; verùm oppoſitum.

Dico *Si Spiritus S. non procederet à Filio ſed à ſolo Patre, tunc realiter à Filio non diſtingueretur.* RATIO eſt *prima.* Diſtinctio realis in Diuinis, ſumenda eſt ex proceſſionibus oppoſitis: ſed dato, quòd Spiritus S. non procederet à Filio, ſequitur, quòd ſicut nulla eſt Proceſſio, ita & nulla eſſet oppoſitio. Diſtinctio.

Ratio ſecunda. Cur iam Spiritus S. diſtinguatur à Filio, nulla alia ratio datur, quàm quia à Patre & à Filio, velut ab vno principio producatur. ergo ſi à Filio non producitur, etiam nec ab eodem realiter diſtinguitur.

Ratio tertia. Spiratio actiua, quæ eſt principium proceſſionis, & productionis Spiritus S. non conſtituit vllam Perſonam; quia nullam dicit oppoſitionem cum Patre & Filio. ſed Spiritus S. in eo quòd non procedat à Filio, nullam dicit cum eo oppoſitionem. ergo & nullam diſtinctionem. *Confirmatur.* Tota hæc oppoſitio non eſt ſumenda ex Eſſentia; quia Eſſentia ex æquo eſt communis tribus Perſonis: nec à Perſonis, quia quòd vna Perſona in Diuinis alteri opponatur, tota ratio ex eo ſumitur, quòd ab ea procedat ſed hic ſupponitur, quòd non procedat à Filio. ergo nec diſtinguitur ab eo. Ex his fundamentis facilis eſt reſponſio ad argumenta Nominalium.

Spiratio actiua, quæ eſt principium proceſſionis & productionis Spiritus S. non conſtituit vllā Perſonam.

DISPV-

DISPVTATIO XI.

De SPIRITV S. prout eſt *Amor.*

1. DVo ſunt determinanda: *Primò*, an *Amor* ſit nomen Perſonale in Diuinis? *ſecundò*, an Pater & Filius ament ſe Spiritu S?

Amor in Diuinis dupliciter ſumitur.

QVANTVM ad primum *ſuppono*. Amor in Diuinis dupliciter ſumitur: *primò* eſſentialiter: *ſecundò* perſonaliter. *Eßentialiter* ſumitur, quando denotat Relationem rationis ad rem amatam. & ſic ſicut intellectio eſſentialis eſt communis tribus Perſonis: ita etiam & Amor. & in hoc ſenſu loquitur Script. 1. Ioan 4 *Deus charitas eſt. Perſonaliter* autem ſumpt⁹ dicit realem relationem Principii ad terminum productum. Hoc notato

Pater & Filii ſe amando producunt Spiritum ſanctũ.

2. Dico. *Amor actiuè & in ratione Principii eſt ſolius Patris & Filii; quia ſe inuicem amando, producunt* SPIRITVM S. *Amor verò paſſiuè, in ratione termini erit nomen Perſonale* SPIRITVS S. *Ratio eſt*, quia in hoc Amore importatur habitudo rei procedentis, per modum amoris ad ſuum principium. *Tum* Amor in nobis id dicitur, quòd immediatè producitur per actionem amandi. ſed Spiritus S. verè & immediatè producitur per actionem, quâ ſe mutuò Pater & Filius amant. ergo Spiritui S. nomen *Amoris* eſt Perſonale. *Obiicit Aureolus* vnum tantùm eſſe Amorem in Deo. *Reſpondeo* vnũ eſſe re ipsa, tamen duos eſſe virtute & ratione, v. Eſſentialem & Perſonalem.

Obiectio eſt ſolutione.

Pater & Filius diligũt ſe inuicẽ Spiritu S. nõ eſſentialiter ſed perſonaliter.

3. QVANTVM ad alterũ dico. *Pater & Filius diligunt ſe inuicem Spiritu S. non quidem eßentialiter ſed perſonaliter*, nam amor Eſſentialis reſpicit ſolùm Eſſentiam, & ideo æqualiter tribus Perſonis conuenit; talique amore dum ſe diligunt Pater & Filius, non producunt Spiritum S. niſi inquantùm Amor ſumitur notionaliter, ſeu perſonaliter: ſic Pater & Filius amãt ſe Spiritu S. & creaturas.

Et ratio eſt, quia Amor notionalis eſt idem quod *ſpirare* Amorem, ſicut *dicere* eſt producere verbum; ſed Pater dicit Filium. ergo & Pater & Filius amando Spiritum S producũt.

Amor quid.

Ratio ſecunda. Amor eſt id, quo aliquid propriè amatur; ſed in Diuinis datur amor. ergo Pater & Fili⁹ notionaliter ſiue relatiuè amant ſe inuicem Spiritu S. tanquam termino producto. *Demum* in rebus creatis dicimus de igne, quòd calefaciat ſuo calore, de arbore, quòd floreat ſuis floribus, & ſic de aliis; quare ergo negabimus, quòd Pater & Filius amant ſe Spiritu S?

DISPVTATIO XII.
De SPIRITV S. prout eſt *Donum.*

1. CIrca rationẽ Doni, duo inquirem⁹: *primò* an ſit Perſonale: *ſecundò* an ſit proprium Spiritui S.

Donum latè ſumptum eſt quid Eſſentiale.

QVANTVM ad primum dico primò, *quòd ſi Donum latiùs ſumptum fuerit, eſt quoq́; eſſentiale.* Declaratur, ad rationem *Doni* generaliter ſumpti, non eſt neceſſe, vt Donum ſit realiter diſtinctum à donante. nam poteſt homo ſeipſum alicui donare, vt habetur 2. Corinth. 8 *Sancti dederunt ſeipſos Domino.* ſic & Eſſentia Diuina poteſt dici donum, quia eam nobis donauit Deus fruendam, tanquam ſummum bonum, in hoc quoq; ſenſu hoc nomen *Donum*, eſt eſſentiale tribus Perſonis; nam omnes Perſonæ poſſunt nobis ſeipſas donare, ſiquidem opera Dei ad extra, quæ reſpiciunt creaturas, ſunt indiuiſa. ergo per hæc opera ad extra poterit Trinitas ſeipſam nobis donare.

Donum ſtrictè ſumptũ eſt Perſonale, cõuenitque etiam Filio.

Dico ſecundò. *Hoc nomen* Donũ, *ſumptum ſtrictè & propriè eſt Perſonale, ſicq́; ſumptum conuenit etiam Filio. Probatur.* Donum propriè eſt id, quod donatur; vnde debet eſſe alterius, v. donantis. ſed Pater non eſt alterius per originem paſſiuam; quia à nulla perſona procedit, Filius verò eſt alterius, quia procedit à Patre, & hunc nobis Pater donat, iuxta illa verba: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.*

Donum inquantũ eſt Perſonale, peculiari modo ſoli Spiritui S. conuenit non Filio

2. QVANTVM ad alterum dico. *Donum inquantùm eſt Perſonale, peculiari modo ſoli Spiritui S. conuenit, & potiùs quàm Filio. Probatur.* Donum ad voluntatem propriè ſpectat, nam is, qui inuitus dat, non cenſetur donare. ſed Spiritus S. exſiſtit per voluntatem, & per amorem mutuum Patris ac Filii. ergo ex vi proceſſionis debet dici donum: ita D. Aug. *lib.* 4. *de Trinit. c.* 20. vbi dicit: *ſicut Spiritui S. donum Dei eſſe eſt à Patre procedere.* & Eccl. canit in Hymno de Spiritu S. *Qui Paracletus diceris Donum Dei altiſſimi.* Act. 8. dicitur, cùm Magus Simon tulit Apoſtolis pecuniam, vt ab illis poteſtatem acciperet largiendi Spiritum S. dicitur ei: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti Donum Dei* (id eſt *Spiritum S.*) *pecuniâ poſſidere.*

Obiectio.

Obiicies. Id quòd donatur, debere eſſe in dominio illius à quo donatur; ſed vna Perſona Diuina non habet dominiũ in aliam, quia omnes ſunt æquales. ergo Spiritus Sanctus non debet dici Donum. *Reſpondeo* ad rationem Doni non requiri dominium, nec ſubiectionem; ſiquidem diximus, quòd poteſt homo ſeipſum alteri donare, & propriè loquendo, non eſt homo ſeipſo ſuperior nec inferior. ergo ſufficit, vt id quod donatur, ſit illius à quo donatur.

Solutio eiᵘ

DISPV-

DISPVTATIO XIII.

De Perſonis comparatis cum Eſſentia

1\. Dicemus de modis loquendi comparando *primò* Eſſentiam cum Perſonis, & an nomina Perſonalia dicantur de Diuinis Perſonis in plurali numero? *ſecundò* an Eſſentialia in numero etiam plurali de Diuinis efferantur? *tertiò* an Eſſentialia poſſunt accipi pro Perſonis?

Essentia Diuina eadem eſt formaliter cum Perſonis, ſolaque ratione diſtinguitur.

QVANTVM ad primum dico primò *Eſſentia Diuina eadem eſt formaliter cum Perſonis & ſolâ ratione diſtinguitur,* verè enim & Catholicè dicimus tres Perſonas eſſe inter ſe vnius Eſſentiæ, inquantùm omnes & ſingulæ eãdem numero Eſſentiam habẽt. *Probatur* Ioan 10. *Ego & Pater vnum ſumus*: & *in Diuinis omnia ſunt vnum & idem. vbi non obuiat oppoſitio Relationis.* ſed inter Eſſentiam & Perſonas Diuinas nulla eſt oppoſitio Relationis. ergo Eſſentia & Perſonæ ſunt idem.

Relatio quo modo differat, & quo modo non.

Nota 1. Relatio quæ conſtituit Diuinam Perſonam, vt Paternitas relata ad Eſſentiam Diuinam, non differt niſi ſola ratione: Relata autem ad oppoſitam Relationem, v. ad Filiationem habet diſtinctionem realem.

2\. *Nota 2.* Pro intellectione vlterioris comparationis, quæ fiet inter Perſonalia & Eſſentialia cum Diuinis Perſonis: Nomina quæ de illis enuntiantur; aut ſunt *Eſſentialia,* quæ ſignificant ipſam Eſſentiã, vt Deus, Deitas, vel proprietatem illius, vt Bonitas, iuſtitia, omnipotẽtia, aut *Perſonalia*, quæ vel perſonas ſignificant, vt ſunt Pater, Filius, Spiritus S. vel proprietatem Perſonæ, vt Paternitas, Filiatio, Proceſſio. hæc deinde nomina, aut ſunt *abſtracta:* vt Deitas, Paternitas, & ſignificant nudè ac ſimpliciter ſine ſubiecto aliquam formam exſiſtentem; aut *concreta,* & ſignificant formam iam in ſubiecto exiſtentem, vt De⁹ Pater, Filius, Spiritus S. rurſum hæc nomina: aut ſunt *Subſtantiua,* vt De⁹, Deitas, Pater, Paternitas, aut *Adiectiua,* vt iuſtus, ſapiens, ſpirãs, æternus, & alia his ſimilia. Et hic

Nominum quæ de Diuinis Perſonis enuntiãtur, Diuiſio 1.

Diuiſio 2.

Diuiſio 3.

Adiectiua de Perſonis Diuinis dicta dupliciter ſumũtur

3\. *Nota 3.* Nomina *Adiectiua,* quæ de Perſonis Diuinis dicuntur, interdum ſumuntur ſubſtantiuè, interdũ adiectiuè: vt patet in Symbolo D. Athan. vbi dicitur: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S.* & negat de his tribus, quòd ſint *tres æterni*; ſed fatetur eſſe *vnum æternum,* ac ſi diceret vnam tantùm in Diuinis dari æternitatem. idem docet de nomine *Omnipotens*, v. omnes tres Perſonas eſſe omnipotentes: & tamen de his aſſerit, quod ſit vnus tantùm omnipotens, quia hoc nomen ſumitur pro Omnipotentia, quæ eſt vna, & eadem in tribus Perſonis

Sanctiſſimæ Trinitatis, atq; ſic *omnipotens* licet ſit Adiectiuum, ſubſtantiuè tamen pro omnipotentia vſurpatur.

Perſonalia quotuplicia?

Nota 4. Nomina Perſonalia: quædam ſunt communia ſecundùm nomen tantùm, omnibus Perſonis Sãctiſſimæ Trinitatis, vt *Perſona*, *Res*, *Relatio*, *Notio*: quædam communia duabus Perſonis, ſecundùm rem, vt *Spiratio actiua*: *quædam* vni Perſonæ peculiaria, ita quòd nullo pacto aliis Perſonis conueniant, vt ſunt nomina *Paternitatis*, *Filiationis*, & *Proceſſionis*. His præmiſſis

Nomina Perſonalia tam abſtracta quã concreta dicuntur de Diuinis Perſonis in plurali.

4. Dico ſecundò. *Nomina Perſonalia, tam abſtracta, quàm concreta, dicuntur de Diuinis Perſonis in plurali numero.* PROBATVR. Hæc nomina *Perſona*, *Res*, *Relatio*, ſunt Perſonalia, & dicũtur de Patre, Filio, & Spiritu S. in plurali numero, nam dicimus de his quòd ſint *tres Perſonæ tres Relatiuæ res* ex 1. Ioan. c. 5. *Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cælo*: & Symbolo Athan. *Tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Tandem de Paternitate, Filiatione, Spiratione actiua, & ſpiratione paſſiua, dicim⁹ quòd ſint quatuor Relationes reales, & quòd ſint quinq; notiones (vt iam docuimus) ergo nomina Perſonalia tam abſtracta, quàm concreta dicuntur in plurali de Perſonis Diuinis.

Nomina perſonalia in cõcreto ſumpta ſubſtantiuè nõ prædicantur in plurali de Diuinis Perſonis.

5. Dico ſecundò. *Nomina Perſonalia in concreto ſumpta, non prædicantur in plurali numero de Diuinis Perſonis, etiamſi ſint communia duabus. ſi ſumantur ſubſtantiuè: benè tamen vſurpantur adiectiuè.* PROBATVR ex Concil. Lugd. celebrato ſub Greg X. & ex Florent. in literis vnionis, conſtat Patrem Filium, vnum tantùm eſſe principiũ productiuum Spiritus S. proinde licet Pater & Filius de facto producant Spiritum S. & licet diſtinguantur realiter, vnam tamẽ & eandem habent vim ſpiratiuam, qua producunt Spiritum S. nam nõ dicimus, nec licet dicere, eſſe duo principia Spiritus S. ſed tantùm vnũ. ergo hæc nomina Perſonalia ſumẽda ſunt in ſingulari, nunquam autẽ in plurali.

Quæ requiruntur ad multiplicationẽ ſubſtãtiui.

Ex hoc *collige* Patrem & Filium eſſe vnum ſpiratorem, non autem duos (vt Diſp. 10. dictum) nam vt poſſit multiplicari nomen Subſtantiuum, duo requiruntur: *primò* multiplicatio ſuppoſitorũ: *ſecundò* multiplicatio formæ ſignificatæ per nomen Subſtantiuum; ſed forma ſignificata per hoc nomen *Spirator*, quod eſt Perſonale, non multiplicatur in Diuinis; quia vna & eadem eſt numero, v. vis ſpirandi in Patre & Filio, vnde in numero plurali non poteſt enuntiari. *Si verò* vſurpentur adiectiuè. in plurali enuntiari poſſũt. Omnes enim fatentur de Patre & Filio, quòd *ſint duo ſpirantes Spiritum S.* ſimiliter quòd ſint *duo producentes.* nam hic modus dicendi nihil aliud dicit quàm quòd Pater & Filius habent vim ſpirandi Spiritũ S. & quòd eundem de facto producant.

Nomina perſonalia, propria vni perſonæ nullo modo de aliis enuntiari poſſunt in numero plurali.

6. Dico tertiò. *Nomina Perſonalia, quæ ſunt propria vni Perſonæ, (vt* Paternitas Patri, Filiatio Filio, Spiratio, paſſiua, *ſiue* Proceſſio Spiritui S *nullo modo de aliis enuntiari poſſunt, in numero Plurali.* DECLARATVR Omnes enim DD. confitentur, quòd vna tantùm ſit Paternitas in Diuinis, & quòd hæc ſoli Perſonæ Patris conueniat: *tum* de Filiatione confitentur, quòd ſit vna tantùm, & quòd ſoli Filio conueniat, & quòd de illo ſolo

ſolo enuntiatur: de Proceſſiòne denique aut Spiratione Paſſiua, quòd hæc ſit vna & ſoli Spiritui S. competat, & quemadmodum Spiritum S. in ESSE Spiritus S. conſtituit, ita & de illo ſolo enuntiatur.

7. QVANTVM verò ad nomina Eſſentialia ſpectat: *An dicantur in numero Plurali de Perſonis Diuinis?*

Nomina Eſſentialia abſtracta, non poſſunt vllo modo enuntiari in numero plurali de Perſonis Diuinis.

Dico primò, *Nomina Eſſentialia abſtracta, non poſſunt vllo modo enuntiari, in numero plurali, de Diuinis Perſonis.* nam vt aliquod nomen eſſentiale, dicatur in numero plurali de Diuinis Perſonis, neceſſe eſt vt formæ ſignificatæ, per illud nomen Eſſentiale, fiat multiplicatio; ſed formæ intra Eſſentiam Diuinã non poſſunt multiplicari; cùm non ſint plures Deitates, nec plures ſimplicitates, nec plures miſericordiæ. ergo nomina Eſſentialia abſtracta, non prædicantur in plurali de Perſonis.

Nomina Eſſentialia in concreto ſumpta nõ poſſunt in plurali enũtiari de Diuinis Perſonis ſi ſubſtantiuè ſumãtur.

8. Dico ſecundò. *nomina Eſſentialia ſumpta in concreto. non poſſunt in numero plurali enuntiari, de Diuinis Perſonis, ſi ſumantur ſubſtantiuè.* PROBATVR, deductum eſt iam, duo requiri ad ſubſtantiuum nomen eſſentiale, vt & Perſonæ multiplicentur, & ipſa forma per nomen ſubſtantiuè ſumptum ſignificata; ſed formæ ad Eſſẽtiam pertinentes, vt *Omnipotentia, ſimplicitas,* non multiplicantur. ergo non poſſunt enuntiari.

Probatur 2. Certum eſt ſecundùm Theologos, quòd ſi Pater & Spiritus S. eandem illam numero humanitatem, quam aſſumpſit Filius aſſumerent, non dicerentur tres homines; quia hæc forma humanitas, non multiplicatur, ſed eadam eſt in tribus Perſonis. ergo ſimiliter in Diuinis, multiplicantur quidẽ ſuppoſita, ſed non multiplicantur formæ ſignificatæ per nomina concreta ſumpta ſubſtantiuè; idcirco non poſſunt enuntiari in plurali, ſed ſolũ in ſingulari de Perſonis Diuinis.

Nomina Eſſentialia ſũpta in concreto adiectiuè, poſſunt in plurali enuntiari.

9. Dico tertiò. *Hæc tamen Eſſentialia, ſumpta in concreto, & adiectiuè, poſſunt in plurali enuntiari.* Ita habet D. Athan. in Symbolo. *Totæ tres Perſonæ, coæternæ, & coæquales ſibi ſunt:* ſed coæternus & coæqualis ſunt nomina eſſentialia in concreto & adiectiuè ſumuntur; quia multiplicantur ſuppoſita non multiplicatis formis. nã eandem æqualitatem, & æternitatem ſupponit in tribus Perſonis. Tandem iam in præcedentibus determinauimus, quòd dicuntur eſſe *duo Spirãtes Spiritum S.* ſimiliter quòd Pater, & Filius, & Spiritus S. ſunt *tres creantes*; quia hæc nomina ſunt eſſentialia concreta, & adiectiuè ſumuntur; ideoque vſurpantur in numero plurali. & in hoc ſenſu, loquitur Concil Lateran. ſub Innocentio III. habeturque in Capitulo *Firmiter.* de Summa Trinit. & de fide Catholica, vbi dicitur: *Pater generans, Filius naſcens, Spiritus S. procẽdens, conſubſtantiales, coæquales Omnipotentes. coæterni.* Sed

Obiectio.

10. *Obijcies.* D. Athanaſiũ cõtrariũ dicere, in ſuo Symbolo; affirmat enim de Patre, Filio, & Spiritu S. quòd non ſit *tres æterni, ſed vnus ab æterno, & quòd nõ ſit tres omnipotẽtes. ſed vnus omnipotẽs.* *Reſpõdeo,* D. Athanaſiũ nomina Eſſẽtialia vt *Omnipotens, Æternus*, ſumere ſubſtãtiuè, nõ autẽ adiectiuè; ac proinde dicit vnam ſolùm omnipotentiam, & æternitatem eſſe in Deo, eandemque numero. Cùm verò ſumit hæc eadem verba Eſſentialia concreta adiectiuè, enuntiat in numero plurali

Solutio eius.

rali de Diuinis Perſonis, ita vt ſit ſenſus, Patrem, Filium, & Spiritum S, eſſe tres Perſonas realiter diſtinctas, in quibus vna eademque numero Æternitas, & omnipotentia reperitur.

Nota quãdo cõtingit te legere in Hebræa verſione, *In Prĩcipio creauit Dii* in numero plurali *Eſſentiæ* nomen, ideo enunciari ad declarandum Myſterium Trinitatis, vt SS. Patres docent.

11. QVANTVM ad tertium. *An Eſſentialia, accipi poſſint pro Perſonis?*

Eſſentialia abſtracta nõ poſſunt accipi pro Perſonis.

Dico primò. *Eſſentialia abſtracta, vt* Deitas *non poſſunt accipi pro Perſonis: Concreta verò vt* Deus *poſſunt tunc accipi, quando eſt ſermo de actibus notionalibus.*

PROBATVR *primum*: Si non liceret ſumere abſtracta, inquantum ſunt abſtracta pro Perſonis. ſequeretur has Propoſitiones eſſe veras: *Eſſentia generat, Eſſentia generatur, Deitas producit, & Deitas producitur.* atque ſic productio: tàm actiua, quàm Paſſiua, conueniret Eſſentiæ ſub ratione illius, quòd quidem damnatum eſt in Concil. Lateran. Generali ſub Innocentio III. c. *Damnamus*, hæcq; damnatio eſt contra Ioachimum Abbatem, qui dicebat: *Eſſentiam & Deitatem generari.* Et in Toletano I. excommunicantur, qui dicebant Deitatem eſſe naſcibilem.

Eſſẽtialia cõcreta poſſunt accipi pro Perſonis.

Probatur alterum. quòd concreta poſſint accipi, quia concreta ſimul cum Eſſentia includunt Perſonam; ergo non mirum, quòd ſumantur pro Perſonis, v. g. *Deus generat*: hoc nomen DEVS eſt eſſentiale concretum, & includit Perſonam Patris; quia eſt cum actu notionali Perſonæ Patris; vnde pro Perſona Patris accipitur. *Similiter* cum dicimus: *Deus ſpirat*, intelligenda eſt perſona Patris & Filii, quia hic actus notionalis ſpiratio, conuenit Patri & Filio.

Deus quomodo ſignificat Eſſentiam, quomodo Perſonam?

Nota hoc nomen DEVS, in Recto ſignificat Eſſentiam; in obliquo verò connotat Perſonam; non quãdo ſimpliciter dicitur *Deus*, ſed quãdo actum notionalem alicuius Perſonæ adiunctum habet, vt *Deus generat, Deus ſpirat.*

12. *Quæres* Hæc Propoſitio, *Deus creat, Deus conſeruat*, quomodo accipienda? *Reſpondeo*, quòd ſignificat Ens indiuiduum ſimpliciſſimum, quod quidem eſt natura & Eſſentia Diuina, inquantùm identificat ſibi tres Perſonas Diuinas, & in illis perfectè ſubſiſtit, nam creatio cõuenit Deitati, inquantum ſubſiſtit in tribus Perſonis.

Creatio cõuenit Deitati in quantum ſubſiſtit in trib. Perſonis.

Quæres 2. quomodo hæ propoſitiones, *Deus generat, Deus non generat*, ſint intelligendæ? *Reſpondeo*, hic eſſe varium ſenſũ, ſi enim ſumatur hoc nomen DEVS generaliter, pro qualibet perſona, ſic erunt falſæ: ſi verò cum reſtrictione ad certam Perſonam, v. ad Patrem, quòd generet, & ad Filiũ & Spiritum S. quòd nõ generet, & ſic erunt veræ. Sed

Nomen Deus dupliciter ſumitur.

Obijcies. Si Deus generat. ergo alium Deum. *Reſpondeo* non alium Deum generat, ſed aliam Perſonam quæ eſt Deus.

Obiectio & ſolutione.

DISPV-

DISPVTATIO XIV

De Perſonis in Comparatione ad Relationem.

1\. POtiſſimùm hic agemus, de Perſonarum Conſtitutione, an *per Proprietates Relatiuas conſtituantur?* pro determinatione.

Proprietates in Perſonis omninò admittēdæ.

Dico contra Præpoſitiuum, qui adimebat proprietates Perſonis: *quòd hæ omnino ſunt admittendæ;* nam in præfatione canit Eccleſia *in Eſſentia vnitas, in Perſonis proprietas, & in Maieſtate adoretur æqualitas.* Ita Concil. ſentiunt, Lateran. ſub Innocentio III. in cap. *Damnamus.* ET *Ratio eſt.* In Diuinis admittimus proprietates Eſſentiales, attributa, quæ concipiuntur à nobis, tanquam quædam proprietates quæ dicuntur de Eſſentia Diuina. ergo etiam proprietates perſonales ſunt admittendæ.

Quælibet Perſona diuina, conſtituitur ꝑ proprietatē Perſonalem Relatiuam in Eſſe Perſonæ.

2\. Dico ſecundò. *Qualibet Perſona Diuina, in* eſſe *Perſonæ, conſtituitur per proprietatem Perſonalem Relatiuam,* Hoc Dictum eſt de fide determinatum in Concil. Lateran. cap. *Firmiter:* vbi dicitur: *Hæc S.* TRINITAS, *ſecundùm communem Eſſentiam indiuidua & ſecundùm Perſonales Proprietates diſcreta;* Idem dicitur in II. Tolet. & in Florent. in literis vnionis *Omnia quæ ſunt Patris, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter* Eſſe *Patris.*

ET *Ratio eſt.* Illud Conſtitutiuum eſt Perſonæ Diuinæ, quo diſtinguitur ab aliis Perſonis, ſed Pater diſtinguitur à Filio, & à Spiritu S. per proprietatem Perſonalem, quæ eſt *Paternitas.* ergo per eandem in *Eſſe* Patris conſtituitur, Ex quo.

Perſonæ Diuinæ nō diſtinguūtur ſeipſis.

3\. *Collige primò,* Perſonas Diuinas non diſtingui ſeipſis, vt quidam veteres Scholaſtici docebant. nec valet ratio Præpoſitiui, quòd Perſona Diuina eſt Ens ſimpliciſſimum omni compoſitione carens. nam omnes Patres, & Concil. non ſolùm admittunt hanc ſimplicitatē, ſed etiam aliquid virtute diſtinctū, quo Perſonæ Diuinæ dicuntur inter ſe differre dicit enim *Seſſ.19.* Concil. Florent. Perſonam conſtare ex Eſſētia & proprietate.

Collige ſecundò. Falsò quosdam docuiſſe, tanquam Perſonæ Diuinæ, quibusdam abſolutis perfectionibus conſtituerentur. nam Perſonæ Diuinæ, Pater, Filius, Spiritus S. sūt Relatiuæ: Relatiuum autem in *Eſſe* relatiui, per abſolutum non conſtituitur.

Collige tertiò. Non benè affirmare eos, qui dicunt Perſonas Diuinas, conſtitui per Origines; nam conſtitutiuum Perſonæ debet illi eſſe intrinſecum: Origines autem & proceſſiones habent ſe extrinſecè ad Perſonas Diuinas; ſiquidem concipiuntur à nobis, per modum viæ & tendentiæ ad Perſonas Diuinas.

Cōſtitutio Perſonæ Diuinæ per ꝓprietates

4\. Dico tertiò. *Conſtitutio Perſonæ Diuinæ, per Proprietates Relatiuas, non eſt realis,*

relatiuas non eſt realis,ſed rationis.

realis, ſed rationis tantùmmodò, quia cõſtitutio realis, fit ex rebus realiter inter ſe diſtinctis: Paternitas verò non diſtinguitur realiter à Patre, nec Filiatio à Filio, nec proceſſio à Spiritu Sancto niſi ſola ratione ratiocinatâ; ergo non eſt conſtitutio realis.

Quæres Si à Perſonis Diuinis per intellectum abſtrahantur proprietates Perſonales, an adhuc Perſonæ manerent? *Reſpondeo* Si abſtractio fiat eo modo,quo Vniuerſale abſtrahitur à Particulari, tunc ſic abſtractis Relationibus, ſeu proprietatibus non manent iam Perſonæ, ſed natura v. Deitas, quæ eſt communis tribus Perſonis, quia per talem abſtractionem remouetur id, quod eſt conſtitutiuum Perſonæ, ſ: proprietas Relatiua: *ſi verò* abſtractio ad eum modum fiat, quo forma abſtrahitur à Materia, tunc opus eſt diſtinctione: nam ſi fiat ſermo de proprietatibus non Perſonalibus, qualis eſt ſpiratio actiua, quæ eſt communis Patri & Filio, tunc tali proprietate Relatiuâ abſtracta, adhuc Perſona manebit: ſi verò loquamur de proprietatibus perſonalib⁹, tunc ſi hæ abſtrahantur, non manebunt Perſonæ.

In Diuinis abſtractis proprietatibus Perſonalibus, Perſonæ ipſæ nõ manebunt.

DISPVTATIO XV.

De Perſonis in Comparatione ad Actus Notionales?

Actus notionales Diuinis Perſonis omnino tribuendi.

1. PRo determinatione. Dico primò. *Actus notionales ſunt omnino tribuendi Diuinis Perſonis.* Euidenter hoc colligitur ex Scripturis. Pſal. 2. *Ego hodie genui te.* Pſal. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit*, Ioan 15. *Spiritum veritatis qui à Patre procedit.* atqui iſta vocabula, *gignendi*, *procedendi*, ſignificant actus Notionales; ergo ſunt admittendi. *Et ratio eſt.* D Th. Perſonæ Diuinæ diſtinguuntur ſecundùm originem;ſed origo non poteſt conuenienter deſignari, niſi per aliquos actus, hi verò ſunt notionales, vt *generare*, *generari*, *procedere*, tribuunturque Perſonis Diuinis. in capit. *Damnamus.* PATER *eſt qui generat.* FILIVS *qui generatur* SPIRITVS S. *qui procedit.* ergo act⁹ notionales ſunt admittendi.

Actus notionales ſũt actus voluntarij.

2. Dico ſecundò. *Actus Notionales, ſunt actus voluntarii, ita quòd Pater æternus generat Filium voluntariè*, Ita habet D Hilarius. *lib de Synodis Definit* 25. vbi dicit: *Si quis nolente Patre, natum dicat Filium, Anathema ſit; non enim coactus Pater, vel naturali neceſſitate adductus, cum nollet, genuit Filium, ſed mox vt voluit.*

Nota Quando dicimus, *Actum generationis Filii, eſſe voluntarium*, non ſic intelligas, quaſi in Patre ſit aliquis actus voluntatis,quo Pater antecedenter genuit Filium; quia per actũ voluntatis Pater & Filius, producũt Spiritum S. *Tum* quia in Diuinis, duo

In Diuinis duo tātum ſunt actus notionales productiui

duo tantum ſunt actus notionales productiui: *Primus* eſt Actus intellectus, qui ſolius eſt Patris: *Alter verò* eſt actus voluntatis, Patri & Filio cõueniens; ſed intellige de actu voluntatis concomitante, & conſequente actum generationis. nam voluntas Diuina, tam verè amat actum, quo Pater producit Filium, quàm amat Eſſentiam Diuinam; eſt enim hic actus æquè neceſſarius, cũ Eſſentia Diuina. ſed voluntas Diuina, neceſſariò amat Eſſentiam Diuinam. ergo & actum, quo Pater generat Filium. vnde SS. PP. fatentur. *quòd æternus Pater nec volens, nec nolens genuerit Filium, ſed voluntariè & concomitater, ſecundum noſtrum modum concipiendi.*

Obiectio.

3. *Obiicies* Actus Eſſentiales priores eſſe Notionalibus; ſed actus voluntatis Patris, eſt Eſſentialis; ergo præceſſit actum generationis Filii; ſaltem ſecundùm noſtrum modum concipiendi. *Reſpondeo* Actus notionales, ſi comparentur cum eſſentialibus, nec eſſe priores, nec poſteriores; Prioritas enim & Poſterioritas, ſi quæ eſt in Deo, ſumenda eſt ex Origine. ſed actus notionales, non ducunt originem ab actibus Eſſentialibus neque è contra; ergo; hi actus non ſunt Priores nec Poſteriores ſecundùm rem.

Solutio ei.

Diſcrimen inter productionem Filii & Spiritus S.

Nota 1. Diſcrimen inter productionem Filii, & Spiritus S. quia licet vterque voluntariè producatur. abſque vlla coactione, tamen Filius ſolùm producitur voluntate cõcomitante, Spiritus autem S. voluntate antecedente, & per modum Principii; quia Filius non per voluntatem exſiſtit, ſed per intellectũ; nec per modum Amoris, ſed Verbi: Spiritus autem S. re ipſa per voluntatem, & per Amorem producitur. Sed.

Quæres An ille actus, quo Pater & Filius, producunt Spiritum S. ſit liber?

4. Dico primò *non repugnare quominùs dicamus, quòd ſit liber.* PROBATVR duplex eſt libertas, vna à neceſſitate, altera à coactione. ſed Pater & Filius non coguntur, in productione Spiritus S. ergo illius productio erit libera. Ita docet D. Th. *quæſt. 10. de potentia a. 2. ad 5.* Scotus *quodl. 2. a. 2.* Et in *1. diſt. 10.*

Libertas duplex.

Dico ſecundò. *Simpliciter tamen & abſolutè, non eſt concedendum, quòd ille actus, quo Pater & Filius producunt Spiritum S. ſit liber.* PROBATVR. Illud enim ſimpliciter & abſolutè eſt liberum, quod poſitis omnibus neceſſariis ad agendum, poteſt agere & nõ agere; ſed Pater & Filius, non poſſunt non producere Spiritum S. ergo non ſunt ſimpliciter liberi, ad producendum & ad non producendum. Et Theologi communiter dicunt, in his operibus, quæ ſunt ad extra, Deum eſſe liberum: in his autem, quæ ſunt ad intra, qualis eſt generatio, & productio Spiritus S. habere ſe neceſſariò.

Productio Spiritus S. à Patre & Filio nõ eſt libera, ſed neceſſaria.

Opera ad extra ſunt libera, ad intra neceſſaria.

5. *Quæres rurſum.* An actus Notionales, ſint ex nihilo, an de aliquo? *Reſpondeo* eſſe de aliquo, nimirum de Subſtantia, & Eſſentia Diuina; nam Generatio Filii. eſt de Subſtantia Patris, & Spiratio Spiritus S. eſt de Subſtantia vtriuſque.

Actus notionales ſunt de ſubſtantia & Eſſentia Diuina.

Quæres tertiò. Cùm actus neceſſariò debeant profluere ex aliqua Potentia, tanquam ex ſuo Principio, quænam erit potentia actuum Notionalium? *Reſpondeo* Potentia adæquata actus notionalis generãdi in

 Patre,

Patre, eſtEſſentia, ſimul cum intellectu, & proprietate Perſonali Patris; *Similiter* Potentia ſpirandi, huius notionalis actus, Patris & Filii, eſt Eſſentia, cum voluntate & proprietate perſonali. *Declaratur* D. Damaſcenus docet: Potentiam generandi nihil aliud eſſe, quàm vim inſitam à natura, per quam res quælibet poteſt producere ſibi ſimile, ſecundùm ſpeciem. Atqui Pater, per Eſſentiam Diuinam, & per Relationem Paternitatis, producit Filium, ſibi in omnibus ſimillimum: ſimiliter Pater & Filius, per Eſſentiam Diuinam, & per proprietatem ſpiratiuam, producunt Spiritum S. ergò Eſſentia Diuina, vna cum proprietatibus Relatiuis, erit Potentia actuum Notionaiium.

Actuum notionalium principium

DISPVTATIO XVI.

De Æqualitate Diuinarum Perſonarum.

1. PRo determinatione *Noto.* nos non loqui in præſenti de æqualitate, quæ fundatur in magnitudine molis, quia hæc locum non habet in Deo, cùm ſit Spiritus ſed loquimur de æqualitate, quæ fudatur in magnitudine virtutis & perfectionis. Vnde

Perſonæ Diuinæ ſunt inter ſe æquales.

Dico primò. *Neceßariò concedenda eſt æqualitas in Diuinis Perſonis*: ita docet Symbolum D. Athan. *in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.* ibid. etiam dicit: *qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S.* PROBATVR *Ratione prima* ibi datur æqualitas, vbi nulla eſt maioritas aut minoritas. ſed hæc in Diuinis pſonis eſt nulla. ergo in Diuinis Perſonis eſt æqualitas.

Ratio ſecunda. Vnaquæq; Perſona Diuina verè & formaliter eſt Deus. Ergo omnes infinitas perfectiones comprehendit; ergo ſunt æquales.

Perfectio Dei exſiſtit in Eſſentia.

Ratio tertia Quælibet Perſona Diuina totam poſſidet Eſſentiam, ſed nulla eſt perfectio Dei, quæ non exſiſtat in Eſſentia, illiq; identificetur. ergo etiam nulla eſt Perſona, quæ ſit maior aut minor. ergo omnes ſunt æquales.

2. *Obiicies 1.* Verba Saluatoris Ioã. 14 *Pater maior me eſt.* ergo non erit æqualitas. *Reſpondeo 1.* hunc locum intelligendum eſſe de humanitate Chriſti, vt D. Aug. *l. 1. c. 7. de Trinit.* docet. Obiectio. Solutio 1.

Reſpondeo 2. Locum hunc etiam poſſe intelligi de Filio, non inquantùm Deus eſt, ſed inquantùm eſt quædam Perſona originem ſumens à Patre: in ordine ergo quoad iſtam originem, quam Filius accipit à Patre, nihil repugnat, Filium eſſe minorem Patre. vide D. Aug. *lib. de Trinit. c. 2.* Solutio 2.

Obiectio.

Obiicies 2. Filium non eſſe æqualem

lem Patri, quia non generat. *Reſpondeo.* Eodem modo poſſe dici Patrem non eſſe æqualem Filio; quia Pater non generatur. Dicendum ergo, ſatis eſſe vt quælibet Entitas, & perfectio cuiuſlibet Perſonæ, ſit identicè in altera Perſona per Eſſentiæ vnitatem. & quamuis Filius non ſit Pater, tamen eſt id, quod Pater, vt docet D. Nazianzen. *Reſpondeo 2.* Diuinas Perſonas dici inter ſe æquales, ſecundùm potentiam, Eſſentiã, & durationem, non autem ſecundũ actus notionales. & ſic *generare* eſt actus notionalis Patris. non eſt tamen negandum, quòd Filius & Spiritus S. virtute ſaltem & eminenter, habeant potentiam generandi; ſiquidem Potẽtia generandi eſt eadẽ realiter & formaliter cum Eſſentia Diuina, hæc verò continet omnem perfectionem, ſiue ſimpliciter ſimplicem; ſiue ſecundùm quid. & proinde etiam Filius continebit omnes iſtas perfectiones, ſicq; ex ea ratione poterunt etiam Diuinæ Perſonæ eſſe æquales, quoad act⁹ notionales.

Solutio 2.

3. *Quæres.* An æqualitas ſit Relatio realis, an Rationis? *Reſpondeo* cõtra Aureolum, non eſſe negandum, quòd æqualitas importet Relationẽ; ſiquidem æquale dicitur, reſpectu alterius æqualis. Scotus in *1. diſt. 3. q 1. quodl. 6.* affirmat eſſe realem Relationem, nam fundamentum, id eſt Eſſẽtia, eſt quid reale, extrema quoque realia, & realiter diſtincta, Pater, Filius, & Spiritus S. & de his dicitur, quod ſint æquales. nihilomin⁹

Dico. *quòd æqualitas non eſt Relatio realis; ſed rationis.* PROBATVR *Ratione 1.* ad relationẽ realẽ, non ſufficit reale fũdamentum, niſi etiam realiter differant in terminis Correlatiuis. ſed fundamentum æqualitatis, v. Eſſentia, non eſt quid diſtinctum nec realiter, nec formaliter in Diuinis Perſonis, ſed ſolùm ratione & virtute: nam hæc ipſa Eſſentia Diuina eſt vna & indiuiſibilis, & ſolà ratione diſtincta à Perſonis.

Æqualitas in Diuinis non eſt Relatio realis ſed rationis

4. *Ratio 2.* Eiuſdem ad ſeipſum nõ eſt Relatio realis, ex D. Th. *a. 1.* hui⁹ *quæſt 42.* ſed quando Pater, & Filius, & Spiritus S. dicuntur inter ſe eſſe æquales, idem dicitur de ſeipſo; nã Perſonæ nec realiter nec formaliter ab Eſſẽtia, neq; etiam ipſa Eſſentia diſtĩguitur à perſonis, ſed ſunt vna res ſimpliciſſima. ergo inter hæc nõ erit Relatio realis.

Perſonæ in Diuinis nõ diſtinguun tur ab Eſſen tia realiter aut formaliter vel è cõtra ſed ſũt vna res ſimpliciſſima.

Ratio 3. In Diuinis nulla datur Relatio realis, quæ ſit communis tribus Perſonis; ſiquidem Perſonæ Relationibus realibus diſtinguuntur realiter. ſed æqualitas eſt communis omnibus Perſonis Diuinis. ergo non eſt realis.

5. Dico ſecundò quoad ordinem *quòd hic omninò ſit concedendus inter Diuinas Perſonas.* PROBATVR nam ordo nihil aliud eſt, quàm habitudo plurium ad aliquod vnum Principium. ſed in Diuinis dantur plures Perſonæ, & ſecunda reſpicit primã, tanquam ſuum principium, & tertia primam & ſecundam. Hic tamen ordo non habet Prius nec Poſterius naturæ, temporis, cognitionis, ſed ſolùm originis. *Probatur primum.* Relatiua ſunt ſimul natura, tempore, cognitione, definitione. ſed Diuinæ Perſonæ ſunt Relatiuæ. ergo ſimul ſunt ordine, naturæ, temporis, & cognitionis. *Probatur alterum.* quòd ſit ordo originis in Sanctiſſima Trinitate. Pater eſt prima Perſona, Filius ſecunda, Spiritus S. tertia. ſed Fili⁹

Inter Diuinas Perſonas datur ordo.

Ordo quid

Ordo in Diuinis ſolam prioritatẽ Originis habet.

eſt à

eſt à Patre, Spiritus S. à Patre & à Filio. ergo ſaltem originis habent ordinem. *Tum* notum eſt ex ſuperioribus, quòd Filius producatur à Patre per æternam generationem, Spiritus verò S. à Patre & Filio per ſpirationem actiuam. & hæc proceſſio Spiritûs S. præſupponit proceſſionem Filij. ergo Spiritus S. erit poſterior origine Filio. Sed

6. *Quæres.* An vna Perſona ſit in alia? *Reſpondeo* affirmatiuè, vnam in alia eſſe: ita loquitur Scriptura. *Ego in Patre & Pater in me eſt,* Ioan. 14. hæc inhabitatio Diuinarum Perſonarum appellatur à Theologo *Circum INSESSIO*, quaſi intima & perfectiſſima inhabitatio vnius Perſonæ Diuinæ in altera & ibid. habetur: *qui videt me videt & Patrem, non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt. & Pater in me manens, ipſe facit opera.* ad Corinth. quoq; 5. *Erat Deus in Chriſto, mundum ſibi reconcilians.* Per verbum *Deus*, intelliguntur tres Perſonæ Diuinæ, quæ ad reconciliationẽ generis humani in Chriſto operabantur. *Tum ratio eſt.* Perſonæ Diuinæ realiter inter ſe diſtinguuntur, ſecundùm Hypoſtaſes Relatiuas, ita tamen quod ſint idem ſecundùm eandem numero Eſſentiam. ergo omnino neceſſe eſt, vt per identitatem & ſimplicitatem, aliæ in alijs viciſſim inhabitent.

Vna Perſona Diuina eſt in alia.

7. *Nota.* Quidam hoc Myſterium variis exemplis ſumptis à rebus creatis nituntur illuſtrare, vt eiuſdem formæ, ſi per miraculum tria corpora informaret, aut etiam triũ corporum, ſi in vno loco ponerentur, & ſe mutuò penetrarent. ſed fatendum eſt, nihil tale poſſe inueniri in rebus creatis. nam hæc Circuminſeſſio, non tantùm requirit præſentiam vnius Perſonæ in alia, ſed etiam realem identitatem Eſſentiæ, & pluſquàm numericam naturæ vnitatem in Perſonis, per quam vt D. Auguſt. *lib. 6. de Trinit. c. 7.* dicit: *ſingula exſiſtãt in ſingulis, omnia in omnibus, & omnia in ſingulis, & omnia vnũ ſint.*

Circuminſeſſio in Diuinis præter præſentiam requirit identitatem realem Eſſentiæ & vnitaté numericam.

DISPVTATIO XVII.

De Miſſione Diuinarum Perſonarum.

1. PRo determinatione dico primò. *Miſſio duo in ſe includit:* primò *Proceſſionem Diuinæ Perſonæ ab altera.* ſecundò *aliquem effectum nouum, & temporalem in creatura rationali: ita vt miſſio ſit proceſſio æterna, vnius Perſonæ ab altera, cum ordine ad aliquem effectum externum temporalem, circa creaturas rationales; proinde miſſio hæc eſt originis.* PROBATVR. Hæc miſſio in Diuinis, non eſt per imperium, ſicut Dominus mittit ſeruum; ſiquidem omnes tres Perſonæ ſunt ſibi æquales; & par in parem non habet imperium: non eſt quoq; per modum conſilij aut directionis, aut ſuaſionis; nam quælibet Perſona eſt De⁹,

Miſſio quæ in ſe includat?

Miſſio in Diuinis nõ eſt per imperium.

& non

Nec p modum concilij, directionis, aut ſuaſionis.

& non indiget conſilio, aut directione, aut ſuaſione, cùm nihil poſſit ignorare: neque fit rogando, obſecrando; nam talis modus mittendi per obſecrationem denotat quãdam inopiam, egeſtatem, quòd Diuinis Perſonis non conuenit; non deniq; hæc miſſio eſt p motũ localẽ, ſicut mittitur ſagitta, aut epiſtola, aut nuntius; nam cùm quælibet Perſona ſit Deus, quælibet etiam per ſuam Eſſentiam, præſentiã, & omnipotentiam, omnem locum replet. ergo hic vnus modus miſſionis reſtabit, vt ſit reſpectu originis proceſſionis, ſiue emanationis vnius Perſonæ ab altera. *Tum* hoc verbum *mittere*, ſumitur pro producere, vt Hier. 17. *Quaſi lignum quod ad humores mittit radices.* & Apocal. 6 *Ficus mittit groſſos ſuos*: dicimus quoq; ſolem mittere lumen, & radios, hoc eſt, producere; ſed conſtat, quòd quædam Perſonæ Diuinæ producantur per originem, & per actus notionales. ergo illis cõuenit, quòd mittãtur.

Nec per motum localẽ.

Sed eſt per originem, proceſſionẽ emanationem vnius Perſonæ ab alia.

Pater nõ dicitur mitti cùm ſit ipſũ principium miſſionis.

2. Dico ſecundò. *Illa tantùm Perſona dicitur mitti, quæ ab alia procedit;* proinde Pater, non dicitur mitti, quia Miſſio in Diuinis, importat proceſſionem: ſed Pater à nullo Originem ſumit. ergo non dicitur mitti. et D. Aug. *lib. 2, de Trinit. cap. 5.* dicit: *Nunquam legitur, quòd Pater ſit miſſus.*

Nota. Licet Pater non mittatur, exſiſtit tamen, modo peculiari in creatura rationali, vna cum Perſonis miſſis. vt habetur Ioan. 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Miſſio propriè conuenit Filio & Spiritui S.

Dico tertiò. *Hæc Miſſio, propriè conuenit Filio, & Spiritui S.* quia (vt dicit D. Th.) *Mitti Diuinam Perſonam* duo ſignificat: *Primò.* illius Perſonæ nouum modum inhabitandi creaturam: *ſecundò* Originem ſeu proceſſionem illius, ab alia Perſona. ſed Filius & Spiritus S. nouo quodam modo inhabitant rationales creaturas, & originem ſumunt ab alia Perſona. ergo Filius & Spiritus S. mittuntur: Ita habet Scriptura Matth. 15: *non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt.* Et de Spiritu S. legimus, Ioan. 14. *Spiritus S. quem mittet Pater, in nomine meo.*

Mitti diuinam Perſonam duo ſignificat.

3. Dico quartò. *Miſſio iſta eſt duplex*: quædam eſt viſibilis, *cùm fit in ſpecie viſibili, vt Filius Dei in ſpecie vera hominis miſſus eſt*, quòd confirmant illa verba: VERBVM CARO FACTVM EST. Similiter Miſſio Spiritus S. facta eſt in die Pentecoſtes in viſibili ſigno, Act. 2. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Ecce *ignis* & *linguæ* erant ſignum viſibile, & cum Chriſtus in Iordane, à Ioanne baptizaretur, in ſpecie Columbæ decendit ſuper illum. *Altera* eſt Miſſio, quæ fit ſinẽ vlla ſpecie viſibili. di itur q; ideò inuiſibilis.

Miſſio in Diuinis eſt duplex.

Nota primò. Ex Reſponſione *ad 2. hic art. 6.* quod etiam ſecundùm profectum virtutis, aut augmentũ gratiæ, fit Miſſio inuiſibilis: Ita D. Aug *l. 4 de Trinit. cap. 20.* loquitur: *quòd tunc cuiquam mittitur Filius, cùm à quoquam cognoſcitur, atque percipitur; quantùm cognoſci, & percipi poteſt, pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deo.*

4. *Nota ſecundò* Miſſio inuiſibilis, intelligenda eſt de qualibet collatione gratiæ, tam primæ iuſtificantis, quàm ſecundæ, maximè ſi fiat. augmentum valde excellens, & notabile ad inſignem effectum, v. ad confeſ-

Miſſio inuiſibilis quænam ſit?

confeſſionem Chriſti in mediis tormentis, & ad obtinendam Martyrii laureolam: *ſi verò* aliquando Miſſio fiat, ad gratias gratis datas, hæc nō dicitur eſſe perfecta, ſed inchoata, & ſecundum quid, inquantùm illæ gratiæ ſunt ſupernaturales: vt cū aliquibus datur Spiritus Prophetiæ, Donum curationum Linguarū, quæ etiam viris non Sanctis dantur vnde cum ad tenebras exteriores mittentur, dicent: *Nonne in nomine tuo prophetabamus, Dæmonia eiiciebamus* Et dicetur illis. *Non noui vos.*

Nota tertiò. Cum gratia iuſtificante, ſimul etiam dari Perſonam Diuinam, quæ mittitur. ad Rom. 5. *Gratia Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui dat⁹ eſt nobis.*

5. *Quæres.* Miſſio Spiritus S. facta eſt in linguis igne, & in columba, an hæc fuerint vera? an tantùm apparentia? *Reſpondeo primò.* Linguas & ignem, fuiſſe hæc apparentia. nam Linguæ non erant de Subſtantia carnis; quia hoc eſſet multiplicare miracula ſine cauſa; ſufficiebat enī ſola ſimilitudo linguarum, ad ſignificandū id, quod intēdebatur. Ignis quoq; ſolùm ſimilitudinem habuit, dicit enim Scriptura: *quaſi ignis.* Miſſio Spiritus S. in līguis: igne & columba fuit apparēs

De Columba res eſt incertior, D. Th. *in 3. p. q. 39. art. 7.* vult fuiſſe verum animal: Idem ſentit Tertull. *in lib. de Carne Chriſti. cap. 3.* Sed D. Ambr. *lib. 1. de Sacramentis, cap. 5.* dicit. non fuiſſe Columbam, ſed quaſi Columbam; Conſentiunt Euangeliſtæ Luc. 3. Matth. 3. *ſicut Columbæ.* Marc. 1. *tanquam Columba,* Ioan. 1. *quaſi Columba,* & ita communiter DD. tenent, fuiſſe imaginē Columbæ. Sed vtrumque probabiliter teneri poteſt.

Et hucuſq; de Myſterio Sanctiſſimæ TRINITATIS, cum ea quâ potuimus facilitate, & breuitate egimus: omnia quidem attigimus, & quædam, quæ erant ſcitu neceſſaria, cum diſquiſitione exacta ſumus perſecuti, ſed non ſingula. nam Tyronem in Theologia informamus.

Totum hoc diuiniſſimo SS. Trinitatis honori quantulumcunq; eſt conſecramus.

TRACTA-

IN TRACTATVM *DE* ANGELIS

PRÆFATIO.

POſt explicatam intrinſecam Emanationem Diuinarum Perſonarum, quam in Tractatu de DIVINISSIMA TRINITATE ſumus complexi, ordo S. Doctoris requirebat, vt de extrinſeca Proceſſione, & de illius modo, quo Creaturæ à Deo primo omnium Principio proceſſerunt, diſputaremus; tandem Boni & Mali natura, & differentia expedita, vt, tum demum de Spirituali Creatura, v. de Angelis tractationem exordiremur. Sed hoc ideo prætermittendum eſſe duximus, cùm ſit immenſi laboris, velle omnia perſequi, quæ in Summa Theologiæ S. Doctoris continentur; tum quia hoc à noſtro inſtituto eſt prorſus alienum, qui difficiliores Quæſtiones reſoluendas ſuſcepimus, cùm illa priuato ſtudio intelligi poſſint. Meritò itaq; poſt abſolutum Myſterium Trinitatis, ad Angelorum Naturam conſiderandam tranſitum fecimus. Illud tamen hic à principio monemus, Materiam de Angelis eſſe ſummè difficilem; quia pauca de Angelis ſciri poſſunt per Demonſtrationem. nam de his valde exigua reuelata habemus: & propterea, tam per naturalem rationem, quàm per reuelationem multò plura de Deo cognoſcimus, quàm de Angelis. cognitio namq; Dei, fuit nobis apprimè neceſſaria: cognitio autem de Angelis, non erat tantæ neceſſitatis; & ideo S. Scriptura noſtræ ſaluti & profectui ſpirituali

Materia de Angelis cur difficilis.

consulens, plura nobis de Deo reuelauit, quàm de Angelis. Hoc idem Naturali Scientiæ tribuendum, quòd per eam plura de Deo cognoſcimus, quàm de Angelis. Nam effectus Diuini multò plures ſunt nobis manifeſtati; Angelorum verò exigui. & proinde certior videtur eſſe cognitio naturalis circa Deum, quàm circa Angelos. In hac igitur Materia Angelorum, vſus erit Argumentorũ non demonſtratiuorum, ſed probalium & coniecturalium. Hoc autem Angelicæ Scientiæ dignitati non debet obeſſe, cùm Ariſt. in 10. *Ethyc. c. 9.* dicat: *Præſtat aliqua de ſuperioribus & cæleſtibus noſſe probabiliter, quàm de rebus inferioribus, multa demonſtratiuè.*

De⁹ per Naturalem Scientiam poteſt cognoſci, Angeli non item.

Probabiliter tantùm Angelorũ natura inueſtigari poteſt.

DIVISIO TRACTATVS.

D. Th. ſtatim in ingreſſu ſuo, quatuor proponit ſe conſideraturum de Angelis. *Primò* de his, quæ pertinent ad illorum Subſtantiam. *ſecundò* quæ ad Intellectum. *tertiò* quæ ad Voluntatem. *quartò deinde* quæ ſpectant ad illorum creationem; ſed cùm hoc in alias multas Quæſtiones excreſcat, idcirco nos quindecim Diſputationes de Angelis proponimus.

1. *De his, quæ pertinent ad illorum Subſtantiam.*
2. *De Comparatione Angelorum quoad Corpora.*
3. *De Comparatione eorundem quoad loca.*
4. *De motu locali illorum.*
5. *De Cognitione eorundem.*
6. *De medio Cognitionis Angelicæ.*
7. *De Cognitione Angelorum ex parte immaterialium.*
8. *De Cognitione ex parte materialium.*
9. *De Intellectu Angelico.*
10. *De voluntate eorundem.*
11. *De amore & dilectione Angelorum.*
12. *De productione Angeli in Eſſe Naturæ.*
13. *De Perfectione Angelorum in Eſſe gratiæ & gloriæ.*
14. *De Malitia Angelorum quoad culpam.*
15. *De pœna Dæmonum.*

DISPVTATIO I.

De Subſtantia Angelorum abſolutè conſiderata.

Quinque cum S. Doctore examinabimus:

1. *An Angeli ſint omnino incorporei?*
2. *Suppoſito quòd ſint tales, an ſint compoſiti ex Materia & Forma?*
3. *An Angeli ſint in magno numero?*
4. *An Angeli differant ſpecie?*
5. *An ſint Incorruptibiles?*

QVÆ-

QVÆSITVM I.
An Angeli ſint omnino Incorporei?

Nomẽ *Angelus* quid ſignificat?

1\. PRo determinatione Quæſiti Dico primò. *Hoc nomẽ* ANGELVS, *non eſt nomen Naturæ, ſed Officij.* PROBATVR. nam nomen Αγγελ☉ Græcè idem eſt, quod apud Latinos, *miſſus nuntius.* Ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in Miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.* & hoc nomine *Angeli* etiam Sacerdos dicitur, Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt Scientiam, Angelus enim Domini exercituũ eſt.* De Ioanne quoq; Baptiſta Chriſtus dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* ipſe Chriſtus D. apud Iſaiam 9. dicitur magni conſilij Angelus. & apud Irenæum *l. 4. aduerſus Hæreſes c. 29. habetur*, quòd etiam homines improbi Dæmones Angeli vocari poſſunt, quia mittũtur in orbem terrarum ad annuntianda flagitia, & ad ſolicitandos homines, vt ea opere compleant. Conſentiunt & alij PP. Tertull. *lib. aduerſus Iudæos c. 9.* dicit: *Nec nouum eſt Spiritui S. Angelos appellare illos, quos virtutũ ſuæ miniſtros Deus facit.* Tum Athanaſ. *ſermone 4. contra Arrianos* inquit: *Angeli proprium eſt mandatis Dei inſeruire.* & D. Hilarius *lib. 5.* de Trinit. *in Angelis officii potius, quam naturæ intelligentia eſt.* Deniq; Philo ſufficienter hoc videtur expreſſiſſe his verbis: *Angelos vocant ſacræ literæ aptiſſimo nomine. ſũt enim internuntii Patris, mandata proferentes ad filios, & ad illum viciſſim preces filiorum; & ideo inducuntur aſcendere & deſcendere.* Ne quis autem arbitretur, quòd Deus his internuntijs indigeat, ſubiungit: *non quòd indicibus opus habeat Deus, qui iam ante ſcit omnia, ſed quia conducit nobis mortalibus habere mediatores illos, & arbitros, quò magis reuereamur ſeruorum Præſidem, & eius maximam Potentiam.*

Angeli sũt internuntii Patris mandata proferẽtes ad filios, & viciſſim preces illorum.

Nomẽ *Angelus* præter officiũ cur Naturã ſignificat?

2\. *Noto 1.* Quamuis hoc nomen *Angelus*, officium non naturam ſignificet: nihilominus & S. Script. & SS. PP. hoc iam nomine vtuntur, ad ſignificandas naturas intellectuales, ipſo homine nobiliores.

Quid p Angelũ intelligendum?

Noto 2. Per *Angelum* intelligimus Creaturam ſpiritualem, ſeu Subſtãtiam intellectualem, per ſe ſubſiſtẽtem, quæ ſit prorſus immaterialis, & nullum ordinem habeat ad corpus, ita, quòd nulli corpori ſit coniuncta, & nullam materiam admixtam habeat. Hoc Notabile patebit meliùs ex ſequenti Diſput. noſtra Quæſito 1.

Noto 3. Cùm inquirit D. Th. *An Angelus ſit omninò incorporeus?* videtur iam exiſtentiam Angelorum præſupponere. nam ſicut cùm inquiro, *an homo ſit albus* aut *doctus?* ſuppono exſiſtentiam hominis, & ſolùm quæro de accidentibus, an ſit doctus, an ſit albus? ita D. Th. cùm inquirit, *An Angelus ſit incorporeus?* ſupponit exſiſtentiam Angelorum, & ſolùm quærit, *an ſint incorporei?* nihilominus quia Saducei (vt refert idẽ S. Doctor *hîc a. 1.*) negabant dari Spiritus, ideo ad hunc tollendum errorem.

3. Dico ſecundò *Subſtantias Spirituales à Deo creatas exſiſtere.* Hoc Dictum non tantùm oppugnat Saduceos, ſed etiam Hæreticos Doſiteanos, & quendam Dauidem, qui vixit circa annum 1525. Eugubinus *de Perenni Philoſophia*, & cum eo nonnulli ſunt in eo extremo, vt aſſerāt, quòd Exſiſtentia Angelorum, poſſit demonſtratiuè ratione naturali probari. atq; vt ordinatè in hoc Dicto comprobando procedamus.

Exſiſtentia Angelorũ demonſtratiuâ ratione probari non poteſt.

Probatur primum, *quòd Exſiſtentia Angelorum nulla demonſtratiuâ ratione naturali probari poteſt.* Si enim poteſt probari. ergo hoc neceſſe eſſet per aliquam cauſam, quæ habeat neceſſariam connexionem cum eadem Exſiſtentia Angelorum; aut per effectus, qui ſimiliter habeant neceſſariam connexionem cum Exſiſtentia Angelica, & quòd à nulla alia re produci poſſint. ſed nulla talis datur cauſa. nam Deus eſt cauſa Angelorum, liberè & non neceſſariò eoſdem producens. ſi liberè, ergo eoſdem potuit non producere. *Tandem* multi effectus neceſſariò procedunt ab Angelis, qui aut ſunt boni: ergo Deo tribui poſſunt, aut mali: ergo homini; cùm hic ex defectibilitate ſua peccet. ergo nec per cauſam, nec per effectus, quæ habeant neceſſariam connexionē cum Exſiſtentia Angeli, hæc eadem ipſa Exſiſtentia poteſt probari. *Præterea* Demonſtratio Naturalis procedit ex Principiis per ſe notis. ſed Angelorum Eſſentia & Exſiſtentia non habent principiis per ſe nota, hoc eſt, quæ ſint expoſita ſenſibus; ſiquidem Angelus eſt Spiritualis ac Intellectualis Subſtantia ſeparata ab omni concretione materiæ. ergo naturali Demonſtratione, ex ſolo lumine naturali non poteſt Angelorum Exſiſtentia probari.

Deꝰ eſt cauſa Angelorum liberè & non neceſſariò eoſdem producens.

Eſſentia & Exſiſtentia Angelorũ non habet principia p ſe nota.

Inſtantia 1.

4. Sed *Inſtabis primò.* Omne agens producit ſibi ſimile. ſed DEVS eſt Cauſa effectiua Angelorum, & eſt ſimpliciter Spiritualis. ergo vt Deus eſt ſpiritualis, ita etiam aliquas creaturas purè ſpirituales ſ. Angelos ꝓducit. ergo ex hac ratione, & quidem demonſtratiua purè naturali Exſiſtentia Angelorum probatur.

Solutio 1.

Reſpondeo 1. ad Maiorem Omne illud agens producere ſibi ſimile, ſi agat neceſſariò & non liberè; ſed Deus ad extra non operatur neceſſariò, ſed liberè; proinde non producit ſibi ſimile ex omni parte. *Reſpondeo* 2. quòd per hanc Maiorem daretur odioſa multiplicatio Deorum, & per hoc implicantia in gubernatione Vniuerſi. ergo hæc Maior abſolutè loquendo, non eſt concedenda.

Solutio 2.

Inſtantia 2.

Inſtabis ſecundò. Ariſt. *in 12. Metaph.* ex motu Cælorum inueſtigauit Exſiſtentiam Subſtantiarum ſeparatarum, id eſt Angelorum ſed hæc cognitio Ariſt. fuit merè naturalis, & demonſtratiua. ergo demonſtratiuè poteſt probari Exſiſtentia Angelorum. *Reſpondeo.* Ex motu Cælorum non potuit Ariſt. demonſtratiuè cognoſcere Exſiſtentiam Intelligentiarum. nam illius probatio patitur Inſtantiam, cùm Cæli à ſeipſis moueantur. videmus enim grauia deorſum, leuia ſurſum à ſeipſis moueri. tum & bruta animantia à ſeipſis mouētur. ergo etiā potuit Deꝰ cælis dare motricem facultatem, vt à ſeipſis mouerentur.

Solutio eiꝰ

5. ALTERVM contra Saduceos, qui negabant Exſiſtentiam Angelorum.

rum. *Probatur ratione prima.* In S. Scriptura legimus de Apparitionibus Angelorum. nam in lib. Gen. Angeli SS. Patriarchis apparuerunt: Chriſto Domino etiam, & illi miniſtrabant: Gabriel Archangelus apparuit B. Virgini: demum Paſtoribus, cum quo etiam facta eſt multitudo Angelorum canentium *Gloria in excelſis.* ſed apparitiones non poſſunt eſſe rerum non exſiſtẽtium. ergo Angeli exſiſtunt.

Subſtantiæ Spirituales à Deo creatæ exſiſtũt

Ratio ſecunda. In Concilio Conſtantinopol. habetur: *factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium.* ſed per nomen *Inuiſibilium* ſignificantur Angeli. ergo exſiſtunt. & in Concil. Later. ſub Innocentio III. vt habetur in cap. *firmiter* de Summa Trinit. & Fide Catholica, vbi leguntur iſta verba: *Deus ab initio temporis condidit Creaturam Spiritualem & Corporalem, ac deinde humanam.* ſed per ſpiritualem creaturam, nulla alia intelligi poteſt, niſi Angelica. ergo ſi Angeli ſunt conditi, exſiſtunt.

Ratio tertia. Ex S. Scriptura colligimus, Angelos eſſe deſtinatos ad cuſtodiam & ad miniſterium hominum: ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.* Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis ſuis.* & D. Hieron. ad caput Matth. 8. inquit: *magna eſt dignitas humanæ naturæ, vt vnaquæq; ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui, Angelum habeat delegatum.*

Angeli ſũt deſtinati ad cuſtodiam & miniſterium hominũ

6. *Ratio quarta.* Eccleſia tota in orbe celebrat feſtum SS. Angelorũ, eorumq; veneratur imagines, eo ſtatu depictas, quo ſe conſpiciendos exhibuerunt. ſed rei non exſiſtentis, non habetur feſtum. ergo Angeli exſiſtunt, ſicut etiam rei nõ exſiſtenti, non demandatur miniſterium.

Ratio quinta. Energumeni Dæmoniaci, qui cùm ſint idiotæ, & qui vix eam ſolùm linguam norunt, in qua ſunt nati: tamen hi linguis Hebræâ, Græcâ, Latinâ loquuntur, & quædam faciunt, quæ vires humanas excedunt, multi etiam obſcura annuntiant. ergo hoc fit ab Angelo malo, qui corpus hominis obſidet. ergo exſiſtũt Subſtantiæ Angelicæ.

Ad hoc argumentum dicunt Sadducæi: hos tales effectus non in Angelos, ſed in virtutem Dei eſſe referendos: ſed hoc prorſus eſt falſum; quia Exorciſtæ imperant Dæmoniacis, & faciunt imperata: virtuti verò Diuinæ non poteſt creatura imperare; quia nec Deus nec virtus eius ſubiacet creaturæ. *Tum* idem Dæmoniaci linguâ peregrinâ mentiuntur, nugantur, & varias ineptias faciunt, quæ Deo non poſſunt cõuenire; multas blaſphemias in Deum, & B. Virginem euomunt: virtus autem Diuina non eſt Maieſtatis blaſphematrix. *Demum* Exorciſtæ multis maledictis, opprobriis, verbis pungitiuis famam illorum lacerantibus vtuntur, ſed ſi hoc ad virtutem Dei aliquo modo ſpectaret, non permitteret Eccleſia vſum tam probroſorum verborum, & Deus Exorciſtas tales poſſet in inſtanti flammis vltricibus tradere. ſi igitur hæc in virtutem Dei referri non poſſunt, in quem igitur referentur.

Solutio argumenti. Refutatio Solutionis.

RESPONDENT rurſum Atheiſtæ & Sadducæi, eſſe quaſdã animas malas ſeparatas, quib⁹ hoc tribuendũ. *Contra dico.* Si dantur animæ malæ ſepa-

Solutio iterum Refutationis.

Refutatio deinde illius.

læ ſeparatæ, quæ affligunt Energumenos, & hæ ſunt Spiritus; ergo debent agnoſcere Atheiſtæ animas non interire, ſed eſſe Spiritus, qui ſunt incorruptibiles.

7. *Nota* Quamuis demonſtratiuè naturali ratione non poſſit probari Exiſtentia Angelorum: probabilibus tamen Argumentis deduci poteſt; ſiquidem illud Ariſt. *Ethic, c. 3.* veriſſimum, non eſſe æqualem euidentiam exigendam in omni materia; ſed eam ſolùm, quæ in tali haberi poteſt. Et hoc verificatur in materia Angelorum, nam ſunt Subſtātiæ à materia ſeparatæ, & paucos habent effectus naturales, ſibi appropriatos, ex quibus ad euidentē illorum cognitionem peruenire poſſimus. *& hac ratione probari poteſt.* In hoc vniuerſo datur Materia corporea, quæ eſt coniuncta Intellectui, & talis eſt humana: datur & Natura pura corporea nullum intellectū habens. ergo per quandam exigentiam concedi debebit, vt ſint puræ Intellectuales naturæ ſine admiſtione corporis. Idē probat ratio Ariſt. quæ habetur 12. *Metaph. cap. 7. & 8.* vbi dicitur: *certum eſt corpora cæleſtia moueri.* ſed non mouentur à ſeipſis. nam talis actio in tanto tempore iam motricem virtutem conſumeret. ergo mouentur ab alio. ergo ab Intelligētiis motricib⁹; at hæ ſūt Angeli. ergo Angeli exiſtunt. Idem Ariſt. *lib. 1. de Cœlo cap. 9.* dicit: ſupra cæli ambitum eſſe quædam Entia Diuina incorporea nullis perturbationibus obnoxia & beatam vitā ducentia. dicit Philoſophus in plurali *Entia*, inter quæ eſt ſupremum Ens, ipſe Deus. ergo præter hunc, dabuntur alia Entia, & hi ſunt Angeli. ergo exſiſtunt. Et D. Th. in *2. contra Gentes. cap. 46. & 48. & de Potentia q. 6. a. 6.* adducit rationes ex naturali diſcurſu, quibus probat Exſiſtētiam Angelorum; & tandem dicit: *Licet hæ rationes hominem improbum non conuincant, benè tamen cordatum.*

Sed ad Quæſitum veniamus. Dico ergo cum D. Th. *neceſſe eſt ponere in vniuerſo aliquas Subſtantias Incorporeas* PROBATVR ratione D. Th. Ordo Vniuerſi poſtulat, vt dentur aliquæ Creaturæ, quæ ipſi Deo in modo agendi, ſeu operandi aſſimilentur. ſed modus agendi Diuinus, eſt per Intellectum, & per Voluntatem. ergo conueniens erat, vt aliquæ eſſent Creaturæ intellectuales, & per conſequēs Immateriales atq; Incorporeæ.

Subſtantias incorporeas neceſſarium eſt in vniuerſo ponere.

8. *Obiicies.* Contra hanc rationē, quòd non videtur in bona Conſequentia procedere. nam hæc Conſequentia non valet: *Effectus procedit ab Agente per Intellectum; ergo illi aſſimilatur quantùm ad virtutem Intellectiuam.* ita, vt effectus ſit Intellectualis, ſicut eſt cauſa; ſed ſufficit, vt aſſimiletur formæ conceptæ, quæ eſt exemplar rei producendæ, nam domus quæ producitur, non aſſimilatur Potentiæ Intellectiuæ Artificis: ſed ſolùm formæ, quæ exſiſtit in mente illius; proinde licet Intellectus Diuinus ſit cauſa creaturarum in Vniuerſo exſiſtentium, non videtur tamen ſequi, quòd aliquæ creaturæ debeant eſſe Intellectuales; aut ſi Conſequentia tenet, omnes etiā Creaturæ deberent habere Intellectum; ſiquidem omnium Principiū productiuum eſt Diuinus Intellect⁹

Obiectio.

Reſpondeo primò. rationē D. Th. benè procedere, ſic enim dicit: *neceſſe eſt*

Solutio I.

vniuer-

vniuerſum eſe perfectum. ergo perfectè debet eſse ſimile Deo. Conſequentia nam perfectio vniuerſi conſiſtit in aſſimilatione ad Deum; & hæc quidem principaliter eſt intenta à Deo, in rebus creatis. ergo neceſſe eſt, vt ſit vniuerſum aſſimilatum Deo. ſecundùm naturam Intellectiuam; ſiquidem Deus agit ſecundùm Intellectum; & hæ tales creaturæ Intellectuales ſunt in ſuo eſſe totali, completo, & integro. Si enim (vt dicit Caiet.) in gradibus inferioribus rerum, quàm plurimæ Creaturæ totales & completæ reperiũtur, quantò magis hoc conuenit iis, quæ ſunt in ſupremo gradu. v. Intellectualitatis, in quibus ſplendet perfectio Vniuerſi, & virtus primi Agentis.

Solutio 2.

9. *Reſpondeo ſecundò.* quamuis Deus producat res per Intellectum, ſicut artifex producit domum: inter hæc tamen eſt duplex diſcrimen: *primum* quia Diuinus Intellectus, ita eſt Principium productiuum Creaturarum, vt ipſius intelligere ſit ratio operandi, per quam realiter & formaliter producuntur Creaturæ. Intellectus autem Artificis non habet ſe eo modo. nam intelligendo domum, nondum eandem realiter produxit ad extra, ſed requiritur ad hoc alia Potentia exſecutoria: *ſecundum* quia forma, per quam artifex producit rem artificioſam, non eſt idem cum Intellectu, & ſpecie Intelligibili, per quam actus intelligendi dicitur, ſed eſt potius ipſius effectus. at verò forma per quam Deus producit Creaturas, eſt idem realiter formaliter cum Intellectu, tanquam cum Principio productiuo rerum, & cum ſpecie per quam Deus intelligit, & ea eſt cauſa, cur non omne agens per Intellectum producat ſibi effectum ſimilem; quia illius intelligere, non eſt ipſius ratio operandi; quòd ſoli Deo proprium: intelligere enim eius, eſt ratio operandi, & forma ſeu Idæa rei producendæ, eſt idem formaliter cum Intellectu. vnde ille ſolus producit Creaturas ſibi ſimiles in Intellectualitate.

Inter Deum & artificem duplex diſcrimen.

10. *Reſpondeo tertiò.* Quia Deus liberè & non neceſſariò producit Creaturas; ideoque quas voluit vt eſſent intellectuales, produxit, quas verò noluit, non produxit; ſi quidem hoc totum fit ſecundùm beneplacitum Voluntatis eius. Solutio 3.

Præter hanc rationem D. Th ſũt & aliæ. *lib. 2. contra Gentes. cap. 46.* quibus *Exſiſtentia Creaturæ Intellectualis. Probatur*: Qualis eſt hæc: Ad cõſummatam vniuerſi perfectionem ſpectabat, vt creaturæ ad ſuum prĩcipium productiuum redirent non ſolùm ſecundùm ſimilitudinem naturæ, ſed etiam ſecundùm ſimilitudinem operationis. ſed cùm natura Dei ſit intellectus, eademque per Intellectum operetur. ergo quædam creaturæ ob vniuerſi perfectionem debent exſiſtere, quæ ſimilitudinem habeant, & naturæ, & operationis Intellectualis.

Obiectio altera.

Obiicies rurſum. Si datur Creatura Intellectualis, quæ Deo perfectiſſimo modo aſſimilatur, ſequeretur Deum produxiſſe Creaturam perfectiſſimam, quâ iam aliam perfectiorem producere non poteſt. Sed hoc omnino falſum, vt deducit D. Th. ex *quæſt. 25.* vbi determinatur, Potentiam Dei per Creationẽ, quantumuis perfectiſſimæ Creaturæ, non poſſe exhauriri; ſed ſemper

per poſſe aliam atq; aliã perfectiorem producere. Solutio. *Reſpondeo* negando ſequelam. nam in adducta ratione, non dicit D. Th. quaſi Angelus ita ſit perfectiſſima creatura, vt illa perfectiorem non poſſit creare; ſed ſolùm intendit dari aliquas Intellectuales Creaturas, per quas Vniuerſum ſumit ſuam perfectionem, redeundo ad ſuum Principium elicitiuum & productiuum, videlicet ad Deum.

QVÆSITVM II.

An Angelus ſit compoſitus ex Materia & Forma?

11. NOta primò. Ne cui videatur eſſe otioſum, quòd, poſt determinationem factam in præcedenti Quæſito, Angelum eſſe incorporeum, rurſum inquiramus, *an ex Materia & Forma ſit compoſitus?* Si enim Incorporeus, profectò non eſt ex Materia compoſitus, quæ eſt radix Corporeitatis; ſed hoc ideo facimus, quia nonnulli PP. vt Alexander *quæſt. 10. memb. 2.* D. Bonau. *in 2. diſt. 3.* Rich. *art. 1. quæſt. 2.* aſſerunt: non eſſe quidem Angelum corporeum, componi tamen ex quadam Materia & Forma, hoc eſt ex Potentia, quam appellant Materiam, & ex Actu, quem dicunt eſſe Formam. Inter hos tamen dubium: *An hæc Materia ſit vniuocè eadem cum Materia corporea, & inuiſibili?* Sed meliùs D. Th. & ſequaces eius dicunt, quòd, quãuis Angelus ſit ex actu & potentia, non eſt tamen compoſitus ex Materia & Forma. nam ſicut nõ omnis potentia eſt materia: ita nec omnis actus eſt forma materiæ.

Nota ſecundò. de Senſu Quæſiti: cùm quærimus, *An Angelus ſit compoſitus ex Materia & Forma?* non inquirimus: *an naturaliter corpori vniatur.* ſed ſiue habeat corpus, ſiue non, *an id, quod eſt intelligens in Angelo, ſit compoſitum ex Materia & Forma?* Quemadmodum, ſi quæramus de Anima rationali, an hæc ſit compoſita ex materia & forma? de hac tamen non dubitamus, quòd corpori vniatur. Pro determinatione:

12. Dico cum S. Doctore *Impoſſibile eſt, vt Subſtantia Spiritualis habeat aliquam Materiam ex qua ſit compoſita.* Subſtantia Spiritualis caret materia ex qua cõponatur. Hoc Dictum directè eſt contra Auicebronem, qui in libro Fontis Vitæ aſſerit & probat, Angelos eſſe cõpoſitos ex Materia & Forma. PROBATVR Dictum *primò*. Operatio cuiuſlibet rei eſt ſecundùm modum ſubſtantiæ illius ipſius rei. ſed intelligere eſt operatio Angeli penitus immaterialis. ergo eſt Subſtantia Angeli penitus immaterialis. Operatio rei cuiuſuis eſt ſecundũ modum ſubſtantiæ ſuæ. *Conſequentia.* nam *intelligere*, ita eſt Spirituale & Immateriale, vt vnumquodque intantùm intelligat, inquãtùm eſt à materia abſtractum; & formæ, inquantum ſunt indiuiduales in materia, non apprehenduntur; ſed neceſſe, eſt vt per abſtractionem à materia depurentur. ergo intelligere penitus

penitus immateriale; & quia eſt operatio Angeli. ergo & ſubſtantia Angeli penitus immaterialis.

Inſtãtia Durandi. *Inſtat Durandus.* Rationem D. Th. non concludere ſic probans: *Intelligere* hominis eſt immateriale. nam ex hoc non ſequitur, quòd homo ſit immaterialis. ergo ſimiliter ex intellectione immateriali Angeli, nõ colligitur, quòd Angelus ſit ſubſtantia immaterialis. *Reſpondeo* D. Th. ſupponere Angelum in genere Intellectualium creaturarũ eſſe Creaturam totalem, completam, perfectam; vnde ſi Angelus eſt Subſtantia completa, & immaterialis; etiam ipſius operatio eſt completa & immaterialis: hominis verò operatio, non eſt verè immaterialis (cùm dependeat à corpore) niſi ratione ſpeciei intelligibilis; proinde non valet iſta cõſequẽtia: *operatio hominis eſt immaterialis: ergo homo eſt immaterialis.* nam Antecedens includit Differentiam: Cõſequens verò Genus Operatio autem Angeli, & ratione ſpeciei ſeu differentiæ, & ratione generis eſt immaterialis.

Solutio eius.

13, *Probatur ſecundò* Dictum. Anima rationalis ſeparata à corpore caret omni materia, & habet operationes Intellectus ac Voluntatis. ergo danda eſt aliqua forma completa totalis, eademque vt ſit immaterialis. QVOD verò Anima Separata caret omni materia, patet inde; quia duæ Materiæ admittendæ eſſent in homine: prima, ex qua eſſet corpus: altera, quam Anima à corpore ſeparata, ſecum deferret. quòd omninò eſt falſum.

Anima ſeparata caret omni materia.

Probatur tertiò. Gradus immaterialitatis completus requiritur ad perfectionem vniuerſi. ergo debet reperiri in Creatura ſuperiori: *Conſequentia.* Anima rationalis exſiſtens in corpore dependet in ſuis operationibus à corpore, nam intelligentem opus eſt ſpeculari Phantaſmata. ſed cùm Angelus ſit ſuperior homine idcirco habebit operationes nõ dependentes à corpore. ergo eſt ſine materia, Tum quia non datur infimum in formis creatis; debet ergo dari ſupremum, vt inde mirabilis pulchritudo exſurgat vniuerſi. ſed datur quod forma hominis Intellectualis in ſua operatione dependet à corpore. ergo etiam danda erit, quæ nullo modo dependeat à corpore.

Angeli habent materiam *in qua* nõ *ex qua*

14. *Quæres.* Cùm ſit certũ, quòd per adductas rationes Angelus non habet Materiam *ex qua*: an habeat Materiam *in qua?* *Reſpondeo* Materiã *in qua,* reperiri in Angelis. nam Materia *in qua,* eſt quid receptiuũ. ſed Eſſentia Angeli eſt receptiua v. Perſonalitatis à qua terminatur. *Tum* & Exſiſtentiæ per quam in actu exſiſtit, eſt quoque receptiua ſpecierũ Intelligibilium à quibus in actu intelligendi conſtituitur: *ad extremùm* receptiua eſt operationum *tum* & generis & differentiæ. ergo in Angelo eſt Materia *in qua* quæ non eſt propriè dicta Materia, ſed Metaphoricè.

In Angelo datur compoſitio Metaphyſica.

Quæres ſecundò. An aliqua adhuc ſit alia Compoſitio in Angelo? *Reſpondeo* quòd ſit ex genere & differẽtia: negat quidem Durandus dari hanc Compoſitionem quæ ſit ex Genere & Differentia; quamuis admittat, quòd Angelus ſit in genere prædicamentali. vnde videtur ſecum pugnantia dicere Angelus enim ſecundùm

cundum eundem eſt in Genere: ſed non in genere generaliſſimo, vt certũ eſt ergo in ſubalterno; ſed omne genus ſubalternum conſtat ex genere proximo ſuperiori & differentia. ergo componitur. *Tum* in Angelo eſt id, quod eſt vniuocum & omnibus commune v. Eſſe ſpirituale & Immateriale, & hoc eſt Genus: eſt etiam aliquod Eſſentiale proprium, per quod diſtinguintur ab aliis Angelis. ergo in vnoquoque Angelo eſt Compoſitio ex Genere & Differentia.

15. *Quæres*. In rebus ſpiritualibus à quonam ſumitur ratio Generis & ratio Differentiæ? *Reſpondeo* ab eadem Eſſentia Angeli; ſed diuerſimodè conſiderata. nam ſi conſideretur inquantum eſt determinabilis, iam erit ratio Generis: conſiderata verò inquantùm eſt determinans, ſic erit ratio Differentiæ. Nam vnaquæque ſpecies continet duo, v. id, quòd ſibi eſt commune cum aliis; & ſic eſt Genus: & id, quod eſt determinans gradum; & ſic eſt differentia: vt in homine; anima ſenſitiua eſt id, quod eſt illi commune cum brutis; & proinde dicitur animal: eſt & Anima Intellectiua ſecundùm quàm diſtinguitur ab illis: ita in Spiritualibus, cùm inter illa ſit aliquid in quo conueniunt inter ſe, & eſt aliquid in quo diſtinguntur ſecundum determinatos gradus Entis. Ergo in Angelis Genus & differentia eſt, quæ ab vna & eadem Angeli Eſſentia ſumuntur.

Ratio generis & differentiæ in Angelis ſumitur ab illius Eſſentia.

Species quę in ſe contineat?

16. *Quæres tertiò*. An Angelus ſit compoſitus ex Eſſentia & Eſſe? *Reſpondeo* quod ſic: ita docet D. Th. hic *art 2. in Reſp. ad 3.* nã dicit quòd ipſa *forma* Angeli ſeu *Eſſentia* eſt id, quod eſt: ipſum autem *Eſſe* illius eſt id, quo ſubſtantia eſt: ſicut Curſus eſt id quo Currens currit. Marſilius *in 2. quæſt. 2. art. 1. Concl. 3.* docet, quòd Angelus non eſt compoſitus ex partibus diuerſarum rationum, ſiue hæc vocetur *Materia* & *Forma*, ſiue *Actus* & *Potentia*, ſiue *Eſſe* & *Eſſentia*: non aduertens, quòd ex eius ſententia ſequatur: *Eſſentiam* Angeli eſſe ſuũ *Eſſe*; quod quidem nonniſi ſoli Deo competit. *Sequela* in Angelo neceſſariò concedi debet *Eſſentia* & *Eſſe*; ſiquidem *Eſſe* Angeli non diſtinguitur ab eius Eſſentia. ergo nõ facit cum illa compoſitionem. ergo Eſſentia illius eſt ſuum *Eſſe* propriũ, quod tantùm Deo conuenit. *Confirmatur* quando aliquid alicui ſecundùm Eſſentiam conuenit. illud ipſũ ſi aliis conueniat, iam non per Eſſentiam, ſed per Participationem conueniet: vt calor conuenit igni per Eſſentiam, ergo ſi calor in aliis reb⁹ exſiſtet, conueniet per Participationem. ſed *Eſſe* conuenit Deo per Eſſentiam. ergo aliis per Participationem conueniet; atque ſic Angelus non erit ſuum *Eſſe*. vnde verè cõponitur ex *Eſſentia* & *Eſſe* proĩde Angelus nunquam adæquat Diuinam ſimplicitatem, quamuis ſit immaterialis.

Angelus eſt compoſitus ex Eſſentia & Eſſe.

Quæ illius Eſſentia & quod Eſſe.

Eſſe Angeli non diſtinguitur à ſua Eſſentia.

17. *Quæres quartò*. Hoc ipſum *Eſſe* quid confert Eſſentiæ Angelicæ? *Reſpondeo* hoc, quia terminat illius dependentiam ad hoc, vt fiat & ſic extra nihil. ſicut etiam Eſſentia Angeli limitat ipſius *Eſſe* quia Exſiſtentia etiam creata, hoc habet propriũ, vt ſit terminus complens dependentiam ſubſtantiæ, quantum ad hoc, vt fiat & ſit extra nihil.

Eſſe quid confert Eſſentiæ Angelicæ.

Quæres vltimò. An in Angelis detur Perſona

Perſona ſeu ſuppoſitum? *Reſpondeo* dari. nam Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua Subſtantia. ſed hoc Angelo conuenit. ergo in Angelo eſt Perſona; hæc verò eſt quid reale realiter diſtinctum ab Eſſentia Angelica. nam ſicut punctus terminat lineam, & linea terminat ſuperficiẽ, & pũctus eſt aliquid lineæ ab ea realiter differens; & vt linea eſt aliquid ſuperficiei realiter ab ea diſtinctũ, quia ſicut punctus non eſt linea, nec linea eſt ſuperficies: ita in Angelo eſt Perſona aliquid ipſius Eſſentiæ: diſtincta tamen realiter ab Eſſentia.

In Angelis datur Perſona ſeu ſuppoſitum.

QVÆSITVM III.
An Angeli ſint in magno Numero?

Innumerabili multitudine Angeli ſũt creati à Deo ita vt excedant numerum rerum corporaliũ.

18. PRo determinatione dico. *Angeli in multitudine innumerabili ſunt creati à Deo excedente numerũ rerum corporalium.* Hoc Dictum intelligendum eſt quoad ſpecies, non quoad Indiuidua. nam vix hoc perſuaderi poteſt, quòd ſint plures Angeli, quàm arenulæ maris, aut guttæ aquæ, aut quàm grana tritici, hordei, & aliorum, & quàm Indiuidua omnium animalium quadrupedum, auium, piſcium, reptilium: Ita Caiet. hic *art. 3.* Ferarienſis *lib. 2. contra Gentes cap. 92.* PROBATVR *ratione* D. Th. quantò aliqua ſunt perfectiora, tantò in maiori numero ſunt à Deo producta. ſed Angeli Creaturis ſunt perfectiores; quia ſunt naturæ Immateriales & Intellectuales ergo in maiori numero ſũt producti.

Inſtãtia Durandi.

Durandus *in 2. diſt. 3. quæſt. 4.* admittit quidem Concluſionẽ D. Th. ſed dicit, rationem eius non concludere quod vult. nam hæc Propoſitio: *quantò aliqua ſunt perfectiora, tantò in maiori numero debent produci.* patitur Inſtantiam ſequeretur enim ex ea quod numerus Diuinarum Perſonarum deberet eſſe infinitus. nam hæ longè ſunt omnium perfectiores. conſequens falſum. ergo & id ex quo ſequitur.

19. *Reſpondeo 1.* Rationem D. Th. loqui de his rebus, quæ ſunt intra ordinem vniuerſi: Diuinæ autem Perſonæ ſũt extra ordinem vniuerſi. Solutio eius 1.

Reſpõdeo 2. quòd hæc ipſa ratio loquitur per comparationẽ ad res creatas corporeas, quæ liberè à Deo producuntur, quod Diuinis Perſonis non conuenit. Pater enim non poteſt, non generare Filium, & Pater & Filius, non ſpirare Spiritum Sanctũ. Solutio 2.

Reſpondeo 3. Loquitur de his, quæ ſunt partes vniuerſi; Diuinæ autem Perſonæ non ſunt partes integrantes & conſtituentes vniuerſum. Solutio 3.

Reſpondeo 4. Illa Propoſitio intelligenda eſt de his rebus & naturis, quæ ſunt multiplicabiles: Diuina verò Eſſentia licet tribus Perſonis ſit communicabilis, non eſt tamen multiplicabilis; quia non ſunt tres, ſed vnus Deus. Solutio 4.

Inſtantia 2.

20. *Inſtat ſecũdò.* Sequeretur, quòd Sol, Luna, Planetæ, eſſent multiplicandi; quia hæc ſunt perfectiora creaturis inferioribus: *Præterea* ſequeretur, quòd quantitas auri, argenti

genti gemmarum, debet eſſe maior cæteris, cuius contrarium videmus *Reſpondeo primò.* quoad Solem & Stellas: rationem D. Th. procedere ſaluo ordine vniuerſi; ſed ſi dato caſu eſſent plures Soles, aut Lunæ, aut Planetæ, iam ordo vniuerſi perturbaretur. *Reſpondeo ad ſecundum* cum Caiet. hic art. 3. quòd ratio D. Th, intelligenda eſt de præcipuis partibus vniuerſi, quæ primò & per ſe pertinent ad illius perfectionem: iam autem multiplicatio Indiuiduorum ordinatur non per ſe, ſed per accidens ad perfectionem vniuerſi. nam ſecundùm Ariſt. *ex 3. Metaph: cap. 11.* multiplicatio ſpecierum, per ſe ordinatur ad perfectionem vniuerſi. vnde non eſt neceſſe multiplicare Soles, Lunam, aurum; quia hæc multiplicatio eſſet Indiuidualis. quæ ad perfectionem vniuerſi, minùs principaliter ſpectat.

Solutio ei[9]

Solutio altera.

Multiplicatio ſpecierum per ſe ordinatur ad perfectionem vniuerſi.

21. Dico ſecundò. *Numerus Angelorum maximus ſecundum fidem adſtruendus eſt.* PROBATVR nam in Scriptura legimus Matth 26. vbi Saluator Petrum alloquitur: *An non poſſum rogare Patrem meum & exhibebit mihi pluſquam duodecim Angelorum legiones.* & Apocal. 5. dicitur. *Audiui vocẽ multorum Angelorum & erat numerus illorum millia millium.* Ex quo ſic argumentor in his locis adductis. loquitur Scriptura de Angelis. & loquitur de illorum multitudine, quã quidem ſignificat nominibus innumerabilem multitudinem ſignificãtibus, v. nomine *Legionũ millia millium.* nam *Legio* conſurgit ex 6666. & *millia millium* ſignificat innumerabilem multitudinem & numerum Angelorum. Idem affirmant SS. PP. qui docent Angelorum multitudinem tantam eſſe, vt à nullo hominũ cognoſci poſſit, niſi à ſolo Deo. Ita D. Greg. *lib. 17. Moral. cap. 9.* PROBATVR & *ratione prima*, Singulis hominibus aſſignantur ſinguli Angeli Cuſtodes; & hi ſunt ex infimo ordine, ergo ſi ſimul omnes nouem ordines ſumantur oportet eſſe innumerabilem multitudinem Angelorum.

Numerus Angelorũ maximus ſecundum fidem eſt adſtruendus.

22. *Nota* cum Banneſio, quamuis certum ſit de Fide, quòd ſingulis hominibus deputantur Angeli ad cuſtodiam: tamen ex eadem non eſt certum, quòd diſtinctis hominibus diuerſi & diſtincti Angeli ſint deputati. nam idem Angelus poteſt quatuor homines cuſtodire: tum fieri poteſt. vt Angelus, qui erat cuſtos Petri mortui, Paulo recens nato ad cuſtodiam mittatur.

Ratio ſecunda. Vt ſe habet amplitudo cælorum ad globum terræ: ita ſe habet multitudo Angelorum ad multitudinem omnium creaturarũ *Conſequentia* vt enim cælum datum eſt in domicilium Angelis: ita creaturis corporalibus terra relicta eſt ad habitandum, ſed terra cũ omnibus animalibus, plantis, Elementis, & aliis creaturis eſt inſtar puncti reſpectu Firmamenti; immò nec vllã proportionem videtur habere cum magnitudine cæli, ſi verũ eſt, quòd vna ſtella primæ magnitudinis continet terram tanquam centies vt Mathematici dicunt. & quòd in cõcaua ſuperficie firmamenti ſtellæ primæ magnitudinis poſſint collocari ſupra 70. & 1. milliones & ſi Firmamentũ tantæ eſt molis. quid ſentiendum de magnitudine noni & decimi Cæli atque ipſius Empyrei? cùm igitur Angeli ſint ciues cælorum,

Stellæ primæ magnitudinis quãtæ?

cælorũ, neceſſe eſt illos eſſe in magno numero. Sed

Obiectio 1. 23. *Obiicies 1.* Apocal 1. 5. & 8. ſolùm ſeptem Angelorum adſtantium in conſpectu Dei fieri mentionem. *Reſpondeo* præter hos eſſe alios

Solutio eis innumerabiles, nam in cap. 5. allegato additur. *& audiui vocem multorũ Angelorum & erat numerus illorum millia millium;* vnde illi ſeptem intelligendi ſunt inter alios Principales.

Obiectio 2. *Obiicies 2.* Ex Sententia SS. PP. vt D. Aug. *21. de Ciuit. cap. 1.* & in *Ench. cap. 29. & 62.* D. Anſel. *lib. 1. cur Deus homo cap. 18.* tot ſunt homines ſaluãdi, quot ſunt Angeli damnati. ſed præter prædeſtinatos adhuc homines damnandi ſunt in maiori numero. ergo numerus hominum videtur ſuperior. *Reſpondeo 1.* non valere

Solutio 1.

rationem nam ſequeretur nullos fuiſſe homines ſaluandos ſi Angeli non peccàſſent, quod omnino falſum. *Reſpondeo 2.* Etiamſi concedamus, quòd homines aſſumantur ad implendas ruinas, ex quibus mali Angeli ceciderunt ad huc non ſequitur, quòd tot numero homines aſſumantur quot Angeli perierunt. nã poſſunt aſſumi plures vt D. Aug. & Anſelmus in citatis locis affirmãt Poteſt etiam fieri, vt ex hominibus pauciores admittantur, & tamen reſtaurabunt omnes Dæmonum ſedes ſecundum Proportionem. inquantum gloria vnius hominis erit æqualis gloriæ plurium Angelorũ, vt apparet in Martyribus, Apoſtolis, & in B. Virgine. quæ omnium gloriam ſuperauit.

Solutio 2.

QVÆSITVM IV.

An Angeli differant Specie?

24. AD Quæſitum Dico primò. *Hanc difficultatem eſſe controuerſam, & in ea tres opiniones reperio.*

Opinio 1. *Prima eſt Alberti Magni in 2. p. Summæ. Tract. 2. quæſt. 8.* D. Bonau. *in 2. diſt. 9. art. 1. quæſt. 1.* Gulielmi Pariſienſis *in 2. part. 2. æ. p. de vniuerſo cap. 116.* hi omnes vnam ſpeciem Athomam ſeu infimam omnium Angelorum ſtatuunt, ſub qua tanquam Indiuidua continentur.

Opinio 2. *Alia eſt*, quæ docet plures eſſe ſpecies Angelorum, quarum vnaquæque habet ſub ſe Angelos numero inter ſe differentes. & hæc tribuitur Alexand Alenſi *in 2. p. quæſt. 20. n. 6. a. 2.* Rich. de S. Victore. *in 2. diſt. 5. art. 5. quæſt. 7.* Scoto *diſt. 3. quæſt. 7.* Eandem tuentur ex recentioribus Molina, Valentia, Vaſquez, Rada & alii.

Opinio 3. *Tertia eſt*, quæ affirmat omnes & ſingulos Angelos inter ſe ſpecie differre, & eſſe prorſus impoſſibile, duos Angelos eſſe vnius ſpeciei: eſtque D. Thomæ. in multis locis, & omnes Thomiſtæ ſequuntur, vno Ferarienſe excepto *contra Gentes cap 93.* qui Contrarium ſentit, v. plures Angelos indiuidualiter diſtinctos eſſe vnius ſpeciei: huius autẽ diſtinctionis, dicit ſe Cauſam ignorare.

Angeli, ſpecie an numero differant, nõ habetur ex fide.

25. Dico ſecundò. *De hac diſtinctione,* an Angeli ſpecie an verò numero

mero inter ſe differant? *non habemus certo compertum ex Fide.* PROBATVR. quia de hac diſtinctione nihil habetur expreſſè in Scriptura; tum nec Eccleſia definiuit, nec hæc ipſa diſtinctio poteſt ſufficienter colligi ex variis Officiis Angelorum. Conſentit D. Aug. lib. contra Priſcilianiſtas. cap. 11. vbi dicit, ſe has Angelorum differentias ignorare, nec tamen in iſta ignorantia periclitari; quia nempe res nihil ad fidem pertinet. & in *Ench. cap. 58.* dicit: *quamuis ſint nobis nota Angelorum nomina, tamen ignorari quæ ſint differrentiæ Angelorum.* D. Damaſcenus etiam *l. 2. c. 3.* dicit, æqualitatem aut inæqualitatem Angelorum ſoli Deo eſſe cōpertam.

Angelos ſub vna ſpecie tanquam in diuidua cō tineri, eſt minus probabile.

26. Dico tertiò. *Minùs probabilis eſt Sentenita, quæ dicit omnes Angelos contineri, tanquam indiuidua ſub vna ſpecialiſſima & infima Specie.* PROBATVR nam minus conuenienter loquitur cum Scriptura. Ezech. enim 26. legimus vocari Luciferum ſignaculū ſimilitudinis, & initium viarum Dei & hoc illi tribuitur ratione perfectionis, quàm à Deo acceperat. vnde colligimus, quòd tantæ perfectionis nullus alius Angelus fuit: quia de nullo hæc dicta legimus. Ergo ſpecie differebat ab aliis. & ad Coloſ. D. Paul. ANGELOS vocat, quosdam *Thronos*, quosdam *virtutes*, quosdam *Dominationes* & *Poteſtates*; Sunt etiam in Angelis diuerſæ Hierarchiæ, diuerſi ordines Principatus quæ omnia oſtendunt in eis diſtinctionem ſpecificam. D. Greg. Nazian. etiam *in Serm. de Natiu. D* dicit Angelos conſtituere mundum intelligibilem & ſpiritualem: ſicut hæc viſibilia mundum viſibilem. ſed hic mundus viſibilis conſtat ex pluribus ſpeciebus. ergo etiam mundus Inuiſibilis ex pluribus ſpeciebus conſtabit. MINVS quoque conuenienter çum ratione naturali loquitur. nam. Ariſt. 12. Metaph. concludit: ex pluralitate motuum perpetuorū ſpecie differrentium, diuerſas ſpecie Intelligentias eſſe conſtituendas. Idem dicit, quòd Intelligentiæ ſint perpetuò permanentes. ſed in perpetuis nulla eſt neceſſitas indiuiduorum; quia in corporalibus ideo ponunrur, vt in eis ſpecies conſeruentur. ſed perpetua ſemper durant ergo ad ſui Conſeruationem non indigent pluralitate Indiuiduorum.

27. Dico quartò. *Omnes Angeli inter ſe ſpecie differunt*: hæc eſt Sententia D. Th. quam in locis multis defendit, vt de *Spiritualibus Creaturis. a. 8. & 2. & contra Gentes cap. 93* Eandē tuetur Caiet. de *Ente & Eſſentia c. 5. quæſt. 9.* Capr. *in 2. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2.* D. Thomas de Argent. *quæſt. 1. a. 2.* & omnes alii, qui ſunt verè Thomiſtæ. *Probatur 1.* ſecundùm Philoſophum diſtinctio numerica ſumitur ex materia ſed Angeli non conſtant matēria, neque ea quæ eſt, *Ex qua.* neque pet quam vniantur materiæ, vt Anima rationalis vnitur corpori. ergo ſpecie differunt: Ita ſentit Auicena 5. Metaph. c. 5. vbi expreſſè tenet, quòd omnes Subſtantiæ ſeparatæ differunt ſpecie. *Ratioq; eius eſt.* quia tales Subſtātiæ ſunt ſimplices, & à materia ſeparatæ; proinde non poſſunt differre, niſi formaliter.

Omnes Angeli ſpecie inter ſe differunt.

Numerica diſtinctio vnde ſumēda?

Subſtantiæ ſeparatæ differunt ſpecie.

Probatur 2. ſecundùm Ariſt. *1. de Cælo. t. 95.* & *2. de Anima t. 34.* & *35.* multiplicatio Indiuiduorum in eadem ſpecie tunc accidit, quando

ſpecies

ſpecies in vno Indiuiduo conſeruari non poteſt; ſed quilibet Angelus in ſua ſpecie, cùm ſit incorruptibilis conſeruatur. ergo ad ſui conſeruationem non indiget multiplicatione Indiuiduorum.

Angelus ad ſui conſeruationẽ nõ indiget multiplicatione indiuiduorum.

28. *Probatur 2.* Omnia corpora cæleſtia differunt ſpecie. ergo & Angeli. Auerroes negat conſequentiam. D. Th. probat illam: *2. de Cælo Lect. 16.* quia Angeli ſunt ſimpliciores & perfectiores corporibus cæleſtibus. ergo ſi his conuenit vt differant ſpecie, tantò magis conueniet Angelis.

Diſtinctio quælibet, vel à forma vel à Materia ſumitur.

Probatur 4. Quælibet diſtinctio, aut à forma, aut à materia ſumenda præſertim ſi loquamur de diſtinctione indiuiduali; ſed non poteſt ſumi à materia; quia hæc non reperitur in Angelis: ergo ſumenda à forma; at forma non poteſt eſſe cauſa Indiuidualis Diſtinctionis, verum ſpecificæ, & Eſſentialis. nam forma eſt quid conſtitutiuum Eſſentiæ. ergo cum in Angelis ſit forma ſeparata à materia, ab illa in omnibus Angelis ſumetur diſtinctio ſpecifica.

Forma eſt conſtitutiua Eſſentiæ.

Probatur 5. Si Deus produceret hominem abſtractum ab omnibus Indiuiduis, talis homo non poſſet eſſe in ſe vnus & ſic ſeipſo diſtingueretur, ab aliis ſpeciebus ergo cùm Angeli ſint producti ab omni materia ſeparati, vnusquisque illorũ erit vnus. ergo vt ſic, ſeipſis diſtinguentur.

29. *Quæres.* Cùm iam conſtet Angelos inter ſe differre ſpecie, nũ etiam indiuiduentur, ita, vt quemadmodum Sol eſt vnum indiuiduũ in ſua ſpecie, ita, & quilibet Angelus ſit vnum indiuiduum in ſua ſpecie. *Reſpondeo* ita eſſe: nam quamuis Angeli careãt omni materia per ſemetipſos, tamen ſunt indiuidui, ſine ordine ad aliquid extrinſecum: ſicut etiam natura Diuina per ſemetipſam eſt indiuidua. Angelus enim in ſua natura eſt perfectiſſim⁹ & in ſuo Indiuiduo adæquat totam ſpeciem. nam ea de cauſa eſt multiplicatio indiuiduorum corporaliũ; quia nullum illorum ſumptum ſigillatim continet totam perfectionem ſpeciei: benè autem continebit, ſi omnia ſimul ſumantur. ergo çùm Angel⁹ habeat formam, illa ipſa indiuiduatione naturæ Angelicæ facit abſque vlla ſuperaddita limitatione vnde ab eadem differentia ſpecifica non limitata Angelus eſt Angelus, & eſt hic Angelus. ergo à ſeipſo, & à ſua forma habet quòd ſit indiuiduus.

Angelus eſt quid vnum indiuiduũ in ſua ſpecie.

Nota. Forma Angelica dupliciter poteſt conſtituere Indiuiduum. *primò*: per ſemetipſam, ita, quòd immediatè ſemetipſam conſtituat mediatè autem Indiuiduum, ex eo quòd ſit forma non receptibilis, nec participabilis in aliquo alio ſubiecto, & indiuiduo: *ſecundò* per quandam proprietatem ſubſtantialem reſultãtem, ex forma Angelica; & hæc proprietas eſt æqualis ſeu adæquata Angelicæ formæ ſeu naturæ, conſiderata in ſua latitudine.

Forma Angelica dupliciter poteſt conſtituere Indiuiduum.

30. Dico quintò. *Sententia Scoti, magnam probalitatem habet plures eſſe ſpecies Angelorum, & intra vnamquamque contineri plurimos Angelos, numero differentes.* Ita ſentit D. Dion. *lib. de cæleſti Hierarchia. cap. 6.* vbi dicit: *primam Hierarchiam eſſe per omnia æqualem.* ſed ſi Angeli in eadem Hierarchia exſiſtentes differant ſpecie nõ eſſent æquales. ergo ſolo numero differunt

Sententia] Scoti magnam habet probabilitatem plures eſſe ſpecies Angelorum dicens.

differunt. Et Diuus Damaſcenus *l. de duabus Voluntatibus Chriſti. cap. 2.* dicit, Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei & naturæ, & ſub ſpeciei vnius communione differre ſolùm Characteriſticis proprietatibus. *Probatur ratione.* In hoc vniuerſo nulla poteſt eſſe ſubſtantia, quæ non ſit indiuidua, & ſingularis. ſed Angeli ſunt ſubſtantiæ, ergo debent eſſe indiuidui; ſed non à forma: quia forma prout eſt forma, non eſt Principium conſtitutiuum indiuidui, ſed naturæ ſpecificæ. ergo debet habere aliquod Principium; quòd ſit ſuæ formæ limitatiuum, ratione cuius ab alio Angelo diſtinguatur.

Forma non eſt principium indiuidui ſed naturæ ſpecificæ.

31. *Quæres.* Quidnam ſit hoc? *Reſpondeo* quòd in Angelis datur proprietas indiuidualis poſitiua, per quam natura Angeli limitatur, & determinatur, vt ſit capax talis vel talis exſiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ: & ſecundùm hanc talem proprietatem Angeli indiuiduantur. & ſic Angeli ab his proprietatibus multiplicari poſſunt numero inter ſe differētes.

PROBATVR *ſecunda ratione* Dictum. Animæ rationales ſeipſis indiuiduantur, & non per commenſurationem ad corpora, (vt Thomiſtæ volunt) & hæ tamen ſolo numero differunt. Quodque non differant per commenſurationem ad corpora patet; quia aliàs anima rationalis educeretur de Materia; atque ſic in ſuo *Eſſe* dependeret à materia: cùm tamen ſit à Deo creata per ſe ſubſiſtens. Anima enim in illo inſtanti, in quo à Deo creatur, prius eſt per ſe ſubſiſtens, quā corpus informet. ergo ſeipſa diſtinguetur, & per conſequens numero.

Animæ rationales ſeipſis indiuiduantur.

Nòn per cōmenſurationem ad corpora.

32. *Nota* Sententiā Scoti habere quidem probabilitatem: nihilominus veriorem eſſe D. Th. affirmam⁹. vnde ad rationem primam pro Scoto adductam dicendum. quòd quilibet Angelus eſt Indiuiduum, & prima Subſtantia ſecundū proprietates: at non ſatis eſt dicere, quòd duo Angeli indiuidualiter inter ſe differant, ſed addendum, quòd etiā ſpecie ſint diſtincti; ſiquidem (vt iam docuimus) forma Angelica eſt Principium conſtitutiuum indiuidui, non primariò nec immediatè; quia ſic ſpeciem conſtituit, ſed mediatè & ſecundariò.

Solutio argumēti Scoti.

AD illud verò quòd anima ſeparata ſeipsà indiuiduatur, & nō per cōmenſurationem ad corpora reſpondeo quòd Anima ſic ſumpta, habet nihilominus commenſurationem, & aptitudinem naturalem ad tale corpus, & ad talem naturam, ratione cuius diſtinguitur ab alia animà: Angeli autem ſunt prorſus à materia ſeparati, & ad illam nullum dicunt ordinem, per quem diſtinguerentur. Sed

Solutio rationis ſecundæ.

33. *Quæres.* loquendo de Abſoluta Dei Potentia, an intra eandem latitudinem ſpeciei poſſit Deus plures Angelos numero differentes ꝓducere? *Reſpondeo* cum Ferar. & Capr. qui ſentiunt in via D. Th. eſſe probabile, quòd hoc poſſit Deus facere nam Diuinæ Potentiæ nihil eſt denegatum, præſertim, ſi non inuoluat manifeſtam Contradictionem. ſed quòd Deus poſſit producere plures Angelos numero differentes nullam inuoluit Contradictionem, ergo poteſt. nā *nō eſt impoſſibile apud Deū omne verbum.* & hoc obſtare non debet, quomodo hi Angeli differrent inter ſe intra eandem ſpeciem. nam longè

Deus longe plura poteſt facere quã intellectus noſter capere. longè plura poteſt Deus producere, quàm noſter Intellectus capere; cùm(licet ſecundùm rationem naturalem à priuatione perfecta, non detur regreſſus ad habitum) Dei potentia doceat nos, quòd per eam mortui reſurgant, cæci videãt; proinde hoc idem poteſt facere in Angelis, vt ſint plures numero. *Praterea*. Poteſt Deus per abſolutam ſuã Potentiam facere, quòd natura Gabrielis, licet de facto habeat omnẽ perfectionem ſibi debitam, habeat aliam maiorem perfectionem ſubſtantialem : quemadmodum, poteſt lumen Solis, licet habeat omnem perfectionem ſibi debitam augere; ergo poterit Deus præter hunc Solem alium perfectiorem producere. ergo & naturam Gabrielis adhuc magis perfectam creare; atque ſic vna natura ſpecifica in duobus indiuiduis erit. Paulus Nazarius contrarium ſentit; vnde videri poteſt circa articulũ 4. in 2. Controuerſia.

QVÆSITVM V.
An Angelus ſit Incorruptibilis?

Opinio 1.

34. CIrca hoc Quæſitum tres ſunt Opiniones. *Prima eſt* quorundam Philoſophorum, qui affirmabant Angelos conſtare corpore corruptibili: vitam tamen agere longè diuturniorem, quàm ſit humana; & tandem deficiunt, & corrumpuntur. In hac Sentẽtia eſt Cardanus in *librũ de ſubtilitate*.

Opinio 2.

Secunda eſt Gabrielis in 2. *diſt. 2. quæſt. 1 Concl. 6*. dicentis, Angelos ſuâ naturâ eſſe corruptibiles; ſed per quandam manutenentiam extrinſecam Dei, conſeruabuntur in æternum.

Opinio 3.

Tertia eſt. D. Th. affirmantis Angelos ſua naturâ, eſſe Incorruptibiles, quam in hoc 5. *art.* defendit, & in 2. *contra Gentes cap 55*. tredecim rationibus confirmat. Pro determinatione *Nota*. Corruptibile, & Incorruptibile, dupliciter ſumi poſſe: *Primò. Corruptibile* eſt illud, quod habet Principium ſuiipſius corruptiuum; & ſic omnia, quæ ex quatuor elementis conſtant, ſunt corruptibilia; ſiquidem hæ qualitates Elemẽtorum ſibi inuicem contrariantur; & vna alteri interitum machinatur: *Incorruptibile* verò eſt illud, quod caret Principio intrinſeco ſuiipſius destructiuo; & ſic aſſerunt Philoſophi cælos & animas rationales eſſe Incorruptibiles. nam in his non datur aliquod Intrinſecum Principium, per quod corrumpi poſſint. *Secundò* dicitur *Corruptibile*, quod quidem caret Principio Intrinſeco ſuiipſius deſtructiuo : poteſt tamen ab alio Principio extrinſeco corrumpi, idque propter dependentiam, quam dicit à tali Principio. *Incorruptibile* verò eſt, quod & omni Principio Intrinſeco ſuiipſius deſtructiuo caret & à nullo alio extrinſeco dependet, à quo poſſit corrumpi; & hoc modo aſſerimus ſolum Deum eſſe incorruptibilem

Corruptibile & incorruptibile dupliciter ſumitur.

ruptibilem. nam eſt Ens ſimpli-citer neceſſarium, quod non poteſt non eſſe His poſitis.

Angeli ſunt in perpetuũ durabiles.

35. Dico primò. *Angeli ſunt in perpetuum durabiles.* hoc Dictum eſt certum & in lumine naturali, & in lumine Fidei. *Probaturq;* rationibus ex lumine naturali ſumptis.

Ratio 1. Corpora Cæleſtia ea de cauſa dicũtur incorruptibilia, quia carent omni contrarietate, à qua corrumpi poſſint; ſed Subſtantia Angelorum caret omni contrarietate; quia ex contrariis qualitatibus non eſt compoſita. ergo ſubſtantia Angelorum eſt incorruptibilis.

Subſtantia Angelorum caret omni contrarietate.

Ratio 2. Si Angeli ſua naturâ eſſent corruptibiles. ergo annihilarẽtur à Creatura. Conſequens falſum ergo & antecedens. *Sequela* à quo enim aliquid oritur, in idem poſt ſui corruptionem recedere debet. Sed Angeli ex nihilo ſunt creati; ergo poſt corruptionem in nihilum conuertentur. ergo annihilabuntur. ergo vel à Deo, vel à creatura. Non à Deo. nam in Concilio Conſtantinopoli. VI. Act. 11. expreſſè dicitur, quod Anima & Angeli, & reliquæ creaturæ inuiſibiles, creatæ ſunt, atque factæ incorruptibiles. ergo ſtat firma Dei Sententia, quòd Angeli non corrũpũtur à Deo. ergo reſtabit, vt à creatura annihilentur. ſed hoc falſũ: ſicut enim creare, ſic & annihilare infinitæ, & omnipotenti virtuti conuenit, non creaturæ. vt docet D. Th. in *3. part. quæſt. 13. art. 2.*

Creatio & annihilatio omnipotentiæ Diuinæ conuenit.

36. *Ratio 3.* In omni corruptione remoto actu manet potentia. nam corruptionis terminus non eſt non Ens ſimpliciter; ſed in Angelis, ipſũ *Eſſe* eſt actus, & Eſſentia Angeli eſt potentia; ergo ſi Angelus corrumperetur, poſt illius corruptionem maneret Eſſentia Angeli; & percõſequens illius ſubſtantia, quod eſt impoſſibile.

In Angelis ipſum Eſſe eſt actus: Eſſentia verò eſt potentia.

Ratio 4. Quod p ſe alicui cõuenit neceſſariò inſeparabiliter illi cõueniet: vt *rotũdũ* pſe cõuenit *Circulo*, & illud *rotundũ* eſt inſeparabile à Circulo: per accidẽs autẽ Circulo facto ex ligno conuenire poteſt. vnde & lignũ poteſt dici rotũdũ, licet nõ p ſe. ſed *Eſſe* Angelo conuenit per ſe. nam vnumquodque habet *Eſſe*, ſecundũ quod habet formam. ſed Angeli habent formas per ſe ſubſiſtentes. ergo & *Eſſe*. ergo hoc ipſũ illorũ *Eſſe*, nũquã ſeparari poteſt, ergo ſunt Incorruptibiles. Idem Probatur *quòd ſit certũ ſecundùm fidẽ*; quia definitũ eſt à Cõcilio Cõſtant. 6. iã allegato. *Tum* ſecundùm fidẽ Angelis bonis parata ſunt præmia æterna, malis ſimiliter ſupplicia æterna ergo tam boni, quàm mali Angeli sũt incorruptibiles. *Cõſequẽtia* quãdo enim aliquod accidẽs, quod inexſiſtit ſubſtantiæ, dicitur eſſe æternũ, etiam & ſubſtãtia debet eſſe æterna ſed præmiũ & ſuppliciũ sũt accidẽtia; & hæc inexſiſtũt, tã bonis, quàm malis Angelis; ergo ſi hæc sũt æterna, & Angeli, qui ſunt illorũ ſubiectũ erũt æterni. *Antecedẽs* de malis dicitur Iudæ 1. quòd *reſeruati sũt à Deo vĩculis perpetuis*: de bonis verò certũ eſt, quia his in præmiũ vita æterna & beatitudo deſtinata eſt; & Iuſtitia exigit, vt, ſi malis pœnæ æternæ ſunt decretæ, etiam bonis præmia æterna reddantur. *Demum.* De fide eſt animas noſtras eſſe immortales & perpetuò duraturas. nam Saluator dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt oc-*

Angeli habẽt formas per ſe ſubſiſtentes.

Angelis bonis parata præmia æterna: malis ſupplicia.

Animæ noſtræ ſunt immortales & ꝑpetuò durantes.

ſunt occidere. & Sap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentũ mortis.* ſed Animæ noſtræ poſt ſeparationem à corpore ſunt Angelis ſimiles. erunt enim ſicut Angeli Dei. ergo & Angeli ſunt Incorruptibiles.

Angeli inquantum in ſuo Eſſe ab extrinſeco pricipio depẽdẽt, sũt corruptibiles.

37. Dico ſecundò. *Si ſumatur* Incorruptibile *ſecundo modo, inquantùm caret quidem intrinſeco Principio ſuiipſius deſtructiuo: tamen, quia ab alio extrinſeco in ſuo* eſſe *dependet, tunc Angeli natura ſua ſunt incorruptibiles.* PROBATVR. quia hoc modo ſolus Deus, ſicut eſt æternus, ſic & immortalis nam caret principio & intrinſeco ſuiipſius deſtructiuo, & ex intrinſeco, à quo dependeat; vnde 1. ad Timoth. 6. dicitur: *quòd ſolus habet immortalitatem*: & cap. 1. *Regi ſæculorum immortali.* Idem docent SS. PP. ſolum Deum eſſe incorruptibilem: Angelos verò non naturâ, ſed gratiâ eſſe incorruptibiles. *Tum* D. Damaſc. *lib. 2. de Fide cap. 3.* dicit: *Immortalis, non quidem natura, ſed gratia Angelus eſt: ita enim naturâ comparatum eſt, vt quicquid ortum habuit, finem quoque aliquando ſit habiturum. Solus enim Deus ſemper eſt.* Et Iuſtinus Martyr. *in lib. Quæſt. quæ proponebantur à Gentibus q. 13.* quærit: *An id, quod genitum eſt, Incorruptibile eſſe poſſit.* Ad quod his verbis reſpondet: *quorum corruptibilitas ex alterius voluntate dependet, ea nequeunt eſſe ſine generatione incorruptibilia.* Quapropter, ſolùm Deum obtinere immortalitatem dicimus; quia ex ſuiipſius natura, non ex alterius voluntate hoc illi adeſt. Idem affirmat Concil. Conſtantinop. III. vbi dicit de Angelis, & animabus noſtris: *nullatenus oriuntur, neq; corrumpuntur. iuxta quod ſenſibilia defluunt atq; pertranſeunt, non tamen ſunt immortalia per naturam; neque in Eſſentiam incorruptibilem tranſeunt, ſed gratiam eis largitus eſt à corruptione, & à morte coercentem.* Ex quo argumentor. Angeli habent ortum, quia à Deo ſunt creati: Item intrinſecè dependent à Deo in eſſe, fieri, & conſeruari. ergo, quâ facilitate Deus produxit eos ex nihilo, eadem facilitate poteſt eos in nihilum conuertere.

Angelus immortalis & incorruptibilis nõ natura, ſed gratia.

Angeli, inquantum carent principio intrinſeco ſui deſtructiuo, & non dependẽs ab alio in ſuo Eſſe extrinſeco, ſunt incorruptibiles,

38. Dico tertiò. *Si verò* Incorruptibile *ſumatur inquantùm caret Principio intrinſeco ſuiipſius deſtructiuo, ſic Angeli ex ſe, & ex ſua natura ſunt incorruptibiles.* PROBATVR Luc. 20. dicit Saluator de hominibus: *In ſæculo illo, neque nubunt, neque vxores ducunt, ſed æquales ſunt Angelis* quaſi dicat: quòd Angelis in illo ſæculo ex natura ſua conuenit, hoc etiam hominibus conueniet. ſed Angeli non nubunt, neque vxores ducunt. nam Matrimonium ſolũ inſeruit, ad multiplicationem indiuiduorum illius ſpeciei. quæ eſt corruptibilis. ergo, cùm & homines erunt incorruptibiles, non indigebunt Matrimonio.

Matrimonium cur eſt inſtitutum.

Ex quo *Collige*, quòd ſicut Angeli ſunt incorruptibiles, ita & homines erunt incorruptibiles. in tota enim naturali Philoſophia, non alia cauſa redditur, cur ſublunaria, ſeu miſta ſua natura ſint corruptibilia, niſi, quia ſunt compoſita, & quidem ex quatuor qualitatibus contrariis. Angeli autem non habent compoſitionem ex quatuor qualitatibus. proinde non habent deſtructiuum Principium ſuiipſius. ergo ſunt incorruptibiles. *Præterea* Principium Corruptionis eſt Materia; quia hæc dicitur eſſe primum ſubiectum, ex quo inexſiſtente aliquid fit,

Materia eſt principium corruptionis.

quid ſit, & in quod vltimò omnia reſoluuntur: in Angelis verò (vt iam probatum) nõ eſt Materia; proinde nec Principiũ intrinſecũ corruptionis, vt docet Ariſt. *1. de cælo t. 36. & 12. Metaph. t. 44.* & D. Th. *2. contra Gentes cap. 55.* efficacibus rationibus hoc ipſum probat.

DISPVTATIO II.

De Comparatione Angelorum quoad Corpora?

Tria proponimus.

1. *An Angeli habeant naturaliter ſibi vnita corpora?*
2. *An eadem aſſumant?*
3. *An in aſſumptis opera vitæ exerceant?*

QVÆSITVM I.

An Angeli habeant corpora ſibi vnita?

Angeli non habẽt corpora quæ ſint illis naturaliter vnita.

1. AD Quæſitũ Dico. *Angeli non habent corpora, quæ ſint illis naturaliter vnita.* Hoc Dictũ eſt contra quoſdam antiquos PP. qui Angelis tribuebant corpora. Orig. *l. 2. Periarchon. capite. 2.* dicit: *impoſſibile eſſe affirmare vllam naturam viuere poſſe, ſine corpore præter Patrem, Filium, & Spiritum S, ſolius namquè Trinitatis vita incorporea eſſe putatur.* Tertull. verò *libro de Virginibus velandis* tenet Angelos habere corpora naturaliter ſibi vnita. & D. Aug. *in Ench. c. 59.* dicit, & *l. 2. ſupra Geneſim ad literam c. 17.* & *l. 8. de Ciuit. c. 16.* & *l. 9.* p totũ. deniq; Caiet. ſupra epiſt. ad Ephes. c. 2. dicit, Dæmones habere corpora tenuiſſima, & aërea. *Probatur.* Hoc nomen *Spiritus* tribuitur Angelis. atqui Spiritus eſt ſine corpore, ſine carne. *Deducitur* Ioan. 4. vbi Chriſtus Samaritanam docet, in omni loco poſſe commodè Deum adorari: & reddit rationem: *Spiritus eſt Deus.* quaſi dicat: moles corporis non impedit Deum, quominus in omni loco adeſſe poſſit, vt adorantium preces exaudiat. ergo *Spiritus* ſignificat Subſtantiam ſine corpore intelligentem. & D. Paul. ad Eph. 6. de malis Spiritibus dicit: *non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus ſpiritualia nequitiæ;* ſed in hoc loco caro & ſanguis opponuntur ſpiritualibus. ergo etiam Spiritꝰ

nequam.

Spiritus nequam etiam sūt ſine corpore.

nequam ſunt ſine corpore. & Luc. 24. dicitur: *Spiritus carnem & oſſa non habet.* & Luc. 8. Mar. 5. dicitur, quòd intra vnum hominem erat Legio Dæmonum: ſed ſi Angeli mali haberent corpora, quantumuis tenuiſſima, hoc eſſet impoſſibile, vt tā innumerabilis multitudo, intra corp⁹ vnius hominis comprehenderetur. ergo ſunt ſine corpore. Idem ſentiunt SS. PP. D. Dion. *c. 4 de Diuin. Nominibus*, qui Angelos immateriales & incorporeas ſubſtantias eſſe dicit. & D. Ignatius *in epiſt. ad Tralianos*, vbi Angelos vocat incorporeas creaturas. idem omnes reliqui PP. tam Græci, quàm Latini deducunt. E t *ratio eſt prima.* Anima rationalis eſt ſpiritualis. ergo & Angelus eſt ſpiritualis. *Conſequentia.* Angeli enim ſunt præſtantiores creaturæ, quàm animæ. *Antecedens* autem eſt de Fide.

Angeli non ſumunt ſcientiam à ſēſibus.

2. *Ratio ſecunda.* Sunt quædam ſubſtantiæ intellectuales, quæ non ſumunt Scientiam à ſenſibus. ergo non indigent, vt habeant corpora naturaliter ſibi vnita; ſed tales ſunt Angeli. ergo non habent corpora naturaliter vnita. *Conſequētia*, quod enim accidit alicui naturæ, non inuenitur naturaliter in omni illa natura: vt habere alas accidit quibuſdam animalibus, non tamen neceſſe eſt, vt omne animal alas habeat: ita Animæ intellectiuæ accidit, vt ſit vnita corpori, non eſt tamē neceſſe, vt ſubſtātiæ omnes intellectuales vniantur naturaliter corporibus. nam Anima rationalis non habet plenitudinem Scientiarū, ſed eam accipit à ſenſibus; & ideo indiget vt corpori vniatur: Angelus verò non accipit Scientiam à ſenſibilibus. ergo vnione naturali cum corpore non indiget.

Anima rationalis cùm non habet plenitudinē ſcientiarum, eas à ſenſibus accipit.

Ad authoritates SS. PP *reſpondeo*, quòd pauci ſint, qui hoc abſolutè aſſerant, ſed vel dubitando, vel refellendo; tum, multi loquuntur per comparationem ad Deum, qui eſt ſimpliciſſimus; tum, quia hæc veritas, quòd Angeli non habeant naturaliter ſibi vnita corpora, nondū erat manifeſtata: iam verò nunc contrarium ſentire eſſet periculoſū in Fide.

Sed dices de D. Auguſtino. *Reſpondeo*, quòd hic *1. Retract. c. 11.* & ſequētibus videtur hanc ſententiam retractaſſe, & docere, Angelos eſſe ſubſtantias purè ſpirituales.

3. *Obiicies.* Gen. 6. dicitur: *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ* 70. legunt *videntes Angeli*, vt ſit ſenſus: Angeli acceſſerunt ad mulieres, & ex eis genuerunt Gigantes. ergo Angeli habent corpora naturaliter vnita. *Reſpondeo* SS. PP. D. Chriſoſt. *Hom. 22 in Gen.* D. Athan. *q. 98. ad Antiochum.* D. Aug. *l. 15. de Ciuit.* per filios Dei, non Angelos, ſed filios Seth intelligere: qui ideo filii Dei vocabantur; quia & cultū, & legem Dei obſeruabant: alij verò quia relicto Deo ad Idololatriam deſciuerunt, dicuntur homines, aut filij hominum; & hi à Cain deſcendebant. non enim intelligendi ſunt Angeli luxuriantes.

QVÆSITVM II.
An Angeli aſſumant corpora?

4. NEmini dubium eſt, in aſſumptis corporibus Angelos apparuiſſe. nam hoc expreſsè S. Scriptura in vtroq; Teſtamento cõprobat; ſed dubium eſt de modo, quo aſſumpta corpora ſibi coniungant: ſunt autem quinq; modi: *primus* ſecundùm imaginationem: *ſecundus* hypoſtaticè: *tertius* per modũ Formæ: *quartus* per modum accidẽtis: *quintus* per modum motoris; ſed non coniungũt ſibi primis quatuor modis. ergo neceſſe eſt, vt coniungant quinto modo. vnde pro probatione Minoris.

Apparitiones Angelorũ fuerũt in veris corporibus.

5. Dico primò. *Quamuis non pauci fuerunt, qui admittebant quidẽ apparitiones Angelorũ, quas fuiſſe imaginarias dicebãt: & quæ ſenſus hominũ decipiebãt tamẽ omnino tenẽdũ eſt, quòd hæ apparitiones fuerũt in verũ corporib⁹. nã poterant palpari.* Legim⁹ enim Gẽ. 18. & 19 quòd Angeli ab Abrahã excepti ſint hoſpitio, & ibid. dicit Abraham: *afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri.* & hoc non detrectauerunt Angeli, ſed annuerunt illius verbis. ergo Abraham illorum pedes lauit, & contrectauit. ergo hoc non fuit per imaginationem. *ſimiliter* iidem Angeli, cùm Loth & vxor eius cunctarentur egredi, manus eorum apprehenderunt, & extra ciuitatem eduxerũt. ſed hoc non potuit eſſe imaginariũ; quia ſenſus tactus omnium eſt certiſſimus; & propterea S. Th. dubitans de Reſurrectione Chriſti, dixit: *niſi tetigero, & manum meam in latus eius miſero, non credam.* nam ſenſus tactûs certum eſt experimentum. *Demum* Raphael Angelus in illo itinere à multis eſt viſus in corpore, & pro homine iudicatus. ergo non erat illud imaginarium. *Ad extremùm* duo illi adoleſcentes, qui Heliodorum, volentem ſpoliare ærarium tẽpli, flagellarunt, à multis ſunt viſi, & liuores ac vibices flagellationis in corpore Heliodori erant, non in phantaſia. quare D. Aug. *l. 15. de Ciuit. c. 22.* dicit, Angelos viſibiliter & notabiliter apparuiſſe, nec ſolùm in Phantaſmate manducaſſe, ſed re ipſa. ergo intellexit D. Doctor Angelos, non quidem ſicut animalia manducâſſe corpore organico, ſed quia illorum manducatio fuit oculis ſubiecta, & non in Phantaſia. *Tũ* Iſid. *l. Sent. 1. c. 13.* dicit Angelos, qui ad nos veniunt, aſſumere ſolidam ſpeciem de aere ſupremo, per quam humanis obtutibus manifeſtiùs detegantur. quando verò D. Damaſc. *l. 2. de Fide c. 4.* dicit Angelos tranſformare ſe in quas volunt Figuras, ſecundùm imaginationem, per hæc verba *ſecundùm imaginationem* non excludit veritatem corporis, quaſi nõ fuerit ſubiectum ſenſibus, ſed ſolùm ſignificat, quòd corpora, quæ Angeli aſſumunt non ſint ipſorum propria, nec verè animata & organica, licet ſic videantur. *Tum & Ratio eſt.* Angelus facit, quòd illi eſt facilius; ſed facilius eſt, vt viſibile corpus cõ

ponat

ponat, quàm in tot diuerſis & multiplicibus hominum Phantaſiis immutationes faciat. ergo hoc non facit per imaginationem.

Angeli corpora aſſumpta non vniunt ſibi hypoſtaticè.

6. Dico ſecundò. *Angeli corpora aſſumpta non vniunt ſibi hypoſtaticè, vt Tertull. exiſtimauit in l. de* Carne Chriſti. *Ratio prima.* quia hoc Myſteriũ vnionis Hypoſtaticæ, quæ facta eſt in VERBO, dicitur eſſe ineffabile, mirabile, ſingulare. ſed ſi cõmune Angelis, quomodo erit ineffabile? *Tum* parum eſſet conueniens, vt quoties Angelus appareret in corpore, toties eſſet neceſſe cum illo corpore aſſumpto vnionem hypoſtaticam fieri, & tandem illã annihilare poſt peractum Myſterium

Vnio hypoſtatica eſt opus miraculoſum.

Ratio tertia. Vnio hypoſtatica, eſt opus miraculoſum. nam immutat ordinẽ naturalem rerum, quælibet enim res & natura debet habere ſuã propriam ſubſiſtentiam; iam autem vnio hypoſtatica fit, cùm vna natura impeditur, ne ſe in ſuam ſubſiſtẽtiam explicet, & vt aliena ſubſiſtẽtia ſuſtentetur, illius v. naturæ cui hypoſtaticè vnitur; & ad hoc peragendum virtus infinita requiritur, quã Angelus caret.

Quodlibet ſuppoſitum creatum eſt limitatum & coarctatum ad vnã numero naturã ſuſtentandam.

Ratio quarta. Quodlibet ſuppoſitũ creatum, eſt limitatum & coarctatum ad vnam numero naturam ſuſtentandam. ſed ſuppoſitum Angeli cùm ſit creatura, ad ſolam naturã Angelicam ſuſtentandam eſt limitatum: ergo non poterit aliam naturam ſuſtentare; aut ſi ſuſtentabit, erit limitata & non limitata: limitata quoad ſe, nõ limitata quoad corpus ſuſtentandum: quod inuoluit contradictionem.

Angeli corpora aſſumpta non vniũt ſibi eo modo, quo forma naturalis vnitur materiæ.

7. Dico tertiò. *Angeli aſſumpta corpora in quibus apparent, non vniunt ſibi eo modo, quo forma naturalis vnitur materiæ* ita docent Theologi in 2. diſt. 8. D. Th. Capr. & alii. PROBATVR & *Ratione prima,* id quod eſt completũ, & perfectum, nequit eſſe incompletum & imperfectum. ſed Angeli ſuppoſitum eſt perfectum, completum, ergo nequit eſſe imperfectum; ſed ſi ſuppoſitum Angeli, corpus aſſumptum per modum formæ actuaret, eſſet imperfectũ, & incompletum. nam forma, quæ materiæ coniungitur ad conſtituendum totale indiuiduum, eſt quid imperfectum & incompletum. ergo Angelus eſſet completus; quia eſt Ens per ſe ſubſiſtens: eſſet & incompletus; quia debet actuare corp⁹ aſſumptũ.

Forma adueniens materiæ eſt quid imperfectũ

Ratio ſecunda. Omnis illa forma, quæ vnitur alicui corpori, tanquã illius actus, debet habere naturalẽ ordinem ad illud. ſed Angelus ad corpus non habet naturalem ordinem; quia Angeli (vt iam probatũ) non habent corpora naturaliter ſibi vnita. ergo per modum Formæ non coniungit ſibi corp⁹ aſſumptũ.

Actus informationis eſt à ſola forma.

Ratio tertia. Actus informationis non poteſt eſſe, niſi à propria forma. ſed Angelus non eſt forma; ſiquidem eſt Ens completum. ergo nec effectum actuandi formalem producere poteſt.

Angelus nõ poteſt informare corp⁹ humanum.

Ratio quarta. Etiamſi concedam⁹, quòd Angelus poſſit alia corpora informare: nihilominus dicimus, quòd corpus humanum non poteſt informare; quia hoc eſſentialiter refertur ad ſolam animam humanam. nam ſicut anima humana non poteſt animare corpus cæli, nec anima bouis poteſt animare corpus equi; quia hæc ſpecie ſunt diſtincta; ita nec Angelus poteſt infor-

mare cor-

mare corpus hominis. nam Angelus & Anima rationalis, plus quàm ſpecie differunt

Angeli, non coniunguntur corporibus aſſumptis, vt accidens coniũgitur ſuo ſubiecto.

8. Dico quartò. *Angeli non coniunguntur corporibus aſſumptis, ſicut accidens coniungitur ſuo ſubiecto.* PROBATVR Accidens eo modo eſt in ſubiecto, vt ſine eo naturaliter non poſſit eſſe. ſed Angelus benè poteſt eſſe & de facto eſt ſine corpore aſſumpto; quia eſt ſubſtantia totalis, perfecta per ſe ſubſiſtens. ergo non habet ſe vt accidens. *Tum.* nulla ſubſtantia poteſt eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto; quia hoc diſtinguitur accidens à ſubſtantia, quòd ſubſtantia per ſe ſubſiſtat: accidens autem inſit alteri. ergo Angelus non eſt in corpore aſſumpto, ſicut accidens in ſubiecto.

Angeli, aſſũptis corporib⁹ eo modo vniũtur quo motor ſuo mobili.

9 Dico quintò. *Angeli aſſumptũ corporibus, eo modo vniuntur, quo motor vnitur ſuo mobili, ſeu rei, quæ mouetur.* PROBATVR. *Aſſumere* eſt ad ſe *ſumere*, id eſt, ad ſuum *Eſſe.* ſed non ad propriũ *eſſe* naturale. ergo ſaltem ad repræſentandum, vel ad vtendum illo corpore aſſumpto, tanquam inſtrumento ad manifeſtandum ſe, & ſuos cõceptus: vt, cùm Gabriel Angelus aſſumpſit corpus humanum ad annũtiandum B. Virgini Incarnationis Myſterium, dicebatur illud aſſumere; quia illi definitiuè vniebatur, ita quòd mouebat illud corpus motu locali, & progreſſiuo, & per illud manifeſtabat ſuos conceptus.

Nota corpus illud, quod Angelus aſſumit debere eſſe formatum ad finem intentum, aut ab Angelo, aut à Deo, aut à ſuperiori Angelo.

Probatur ſecundò. Nullus mod⁹ excogitari poteſt, quo Angelus vniatur aſſumpto corpori: nam neque hypoſtaticè: neq; per modum formæ actuantis: neq; per modum accidentis. ergo neceſſariò vnitur eodem modo, quo motor vnitur mobili.

Obiectio.

10. *Obiicies.* Si Angelus habeat rationem Motoris, reſpectu corporis aſsũpti, ſequeretur quòd cæli, quos mouent Angeli, eoſdem etiam aſſumerent. Conſequens falſum. ergo. *Reſpondet* Peſantius, & nonnulli cum eo affirmant poſſe concedi, quòd Angeli aſſumant corpora cæleſtia; ſed ſatiùs eſt dicere: ad hoc, vt dicatur aliquod corpus eſſe aſſumptum ab Angelo, non ſatis eſſe, quòd ab illo aſſumatur, ſed neceſſariò, vt corpus aſſumptum eo conſilio moueatur, vt ſeipſum, aut ſuas actiones per illud aſſumptum corpus manifeſtet: iam autem Angeli, non ideo cælos mouent, vt ſeipſos, & actiones ſuas manifeſtent. ergo non aſſumit corpus cæleſte, licet illud moueat. Prætere a nonnulli Philoſophi tenent cælos moueri à ſeipſis; proinde cũ D. Thoma *Reſpondeo,* non omnia corpora, quæ dicuntur ab Angelis moueri, eſſe ab illis propriè aſſumpta; ſed illa tantùm, in quibus Angeli intendunt nobis apparere, & ſuas actiones volunt nobis manifeſtare. vnde Angelus, quando linguam aſinæ Balaam mouebat; aut quando muſcas, ranas, in Ægyptũ mittebat, quando nubem ſub ſpecie columnæ mouebat, horum non fuit propriè dicta aſſumptio. quia in his omnib⁹ non intendebat ſe declarare, ſed ſolùm voluit voluntatem Diuinam exſequi.

Solutio 1.

Solutio 2.

11. *Quæres* in veteri Teſtamento, factæ fuerunt apparitiones ipſius Dei, qui cum primis parentibus, &

Patriarchis

Patriarchis loquebatur, an hæ viſiones in corpore aſſumpto, immediatè à Deo fuerint factæ? *Reſpondeo* Deum potuiſſe aſſumere quodlibet corpus, & in eo manifeſtare ſe hominibus. nam Fides noſtra docet, VERBVM Diuinū in humana natura aſſūpta apparuiſſe: *Præterea* quod facit creatura in ratione cauſæ efficientis Phyſicæ, illud ipſum poterit Deus præſtare. ſed iam deduximus, quòd Angelus per virtutem ſibi cōnaturalem poteſt aſſumere corpus & in eo apparere. ergo hoc ipſum poterit Deus cùm ſit virtutis infinitæ ſecluſis tamen imperfectionib⁹; quia Deus vt Angelus non poteſt vniri definitiuè, ita, vt ſit in hoc loco & non in alio. *Reſpondeo 2.* quòd in vniuerſis apparitionibus veteris Teſtamenti, nunquam Deus aſſumpſit corpus, ſed ſunt peractæ mediantibus Angelis in aſſumptis corporibus; proinde cum dicit Scriptura. quòd *Deus loquebatur*, id factū eſt miniſterio Angelorum Ita docēt SS. PP. D. Cypr. *lib. de Bap. Chriſti* dicens: quod *Deus per Angelos ſemper loquebatur.* & D. Cirill. *lib. 3.* in Ioan. 3. dicit, Angelum fuiſſe locutum Moyſi & eſt communis ſententia. Idem patet ex S. Scriptura ad Hebr. 2. ad Galat. 3. Act. 7. vbi expreſſè dicitur. quòd Angelus Domini loquebatur cum Moyſe, & in Rubo, & cùm ei legem tribueret.

Angelus dupliciter apparere poteſt,

Nota quòd Angelus dupliciter apparere poteſt: *primò* ſuam Perſonam repræſentans: & ſic Raphael Tobiæ, Gabriel B. virgini apparuit. *ſecundò* ſuſtinens & repræſentās Perſonam Dei, & vtroque modo, qui immediatè aſſumit Corpus, & in eo apparet, eſt Angelus: in primo modo tantùm Angelus dicitur loqui, in ſecundo verò etiam Deus dicitur loqui: ſicut Rex dicitur loqui, quādo Iudex, aut Nuntius in Perſona illius loquitur.

Chriſtus in vero & reali corpore apparuit quibusdam

12. Dico tertiò. Etiam quoad apparitiones, quæ factæ ſunt in nouo Teſtamento, Deus non aſſumit tale corpus, vt Angelus aſſumit: excepto Myſterio Incarnationis, quæ quidem eſt veri corporis humani aſſumptio; proinde certiſſimo tenendum Chriſtum Dominum in aſſumpto corpore, vero & reali, ſe videndum exhibuiſſe D. Stephano. vidit enim cælos apertos, & Ieſum ſtantem in reali corpore, Apparuit etiā D. Paulo, eunti in Damaſcum ipſe enim de ſe teſtatur 1. ad Corinth. 9. *Non ſum Apoſtolus? nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi?* & cap. 11. dicit. *nonne viſus eſt, & mihi tanquam abortiuo?*

QVOAD Columbam *Noto.* quòd eam tota Trinitas operata eſt, ad oſtendendam Spiritus S. perſonam eam tamen Spirirus S. non aſſumpſit ad vnitatem ſuæ perſonæ. ita D. Aug. *lib. 4. de Trinit. 2. cap. 66 & lib. 4. cap. vlt.* exiſtimat, quòd illa columba Miniſterio Angelorum eſt facta, & non immediatè per Spiritum S. & eādem arbitratur fuiſſe verum animal; cùm dicit probabilius eſſe, illam columbam efformatam fuiſſe à Spiritu S. & in ea illum apparuiſſe nam tunc vox Patris audita eſt. *Hic eſt, &c.* ſuper Chriſtum Dominum. vnde non erat decens, vt per Angelum illa Columba fieret.

13. *Quæres rurſum.* Corpus illud; quod Angelus aſſumit, ex quanam materia ſit formatū? *Reſpondeo* quòd Tertull. in *lib. de Carne Chriſti.* affirmat eſſe

Corpꝰquod aſſumit Angelus fit ex aëre, cui ad miſcentur vapores, & exhalationes.

mat eſſe formatum ab Angelo ex nihilo: ſed non videtur; quia creatio ex nihilo ſoli omnipotentiæ Diuinæ ſubiacet: vnde potius dicendum, quòd fiat ex materia præſuppoſita, v. ex aere, cui admiſcétur vapores, exhalationes, ita, quòd illud corpus ex his cōdēſatū tāqua nubes figuratur & coloratur: proinde ſi quādo Angelꝰ poſt ſuū negotiū expeditum, dimittit illud, ſubitò in eandem materiam reſoluitur.

QVÆSITVM III.
Num Angelus in corpore aſſumpto poſsit exercere Operationes vitales?

14. Nota quòd p actiones vitales intelligatur *loqui; ambulare, videre, ridere, comedere*, & hæ ſi ſumantur in veritate.

Actiones vitales Angelus non poteſt exercere, niſi ad ſimilitudinem.

Dico itaque. *Actiones nullo modo ab Angelo exerceri poſſunt: benè autem ſecundùm ſimilitudinem, vt ſint ſimiles vitalibus:* Ita docet D. Th. *hic quæſt. 51. art. 3.* D. Bonau. & alii in *1. diſt. 8.* Probatvr locis Scripturæ. Tob. 12. loquitur Angelus ad Tobiam: *videbar vobis manducare & bibere: ſed ego cibo & potu inuiſibili vtor* hoc verbū *videbar* ſignificat comeſtionem, & potus ſuſceptionem non fuiſſe veram, ſed ſimilitudinariam. & Ioan. vlt. Chriſtus apparens diſcipulis poſt ſuam Reſurrectionem volens oſtendere ſe non eſſe Spiritum, ſed in verò corpore reſurrexiſſe, iuſſit cibum apponi, & manducauit. ſed hoc argumentum v. *manducatio* non haberet firmitatem ad probandum, ſi etiam Angelus in corpore aſſumpto poſſet verè manducare. Probaturque hoc rationibus.

Actio vitalis intrinſecè & realiter pendet à principio vitali.

Ratio prima. Actio vitalis pendet intrinſecè, & realiter, à principio vitali vitaliter operante. ſed in corporibus aſſumptis ab Angelo nullū datur principium vitale. nam hæc ſunt miſta imperfecta, inanimata, & ſolùm ex vaporibus admiſtis cōdenſata ac formata. ergo non habét in ſe principium vitale.

15. *Ratio ſecunda.* Si Angelus verè commederet, verè loqueretur & biberet, ſequeretur, quòd has actiones exerceret per inſtrumenta vera organica; quia à principio vitali cōiuncto procederent, ſed Angelus (vt iam dictum) non habet verum corpus humanum. ergo nec inſtrumenta corporea habet vera. ergo non poteſt actiones vitales veras exercere.

Angelo nec habet verū corpus nec vera inſtrumenta.

Ratio tertia. Viſio oculi ſenſibilis non poteſt fieri (vt quidam dicūt) etiam per omnipotentiam Diuinam niſi ab oculo ſenſibili. Similiter motus progreſſiuus nonniſi ab animali producitur. ergo. *Conſequentia:* quælibet enim actio immanens vitalis non poteſt produci niſi à principio vitali vitaliter operante, & debet ab eo recipi tanquam in ſubiecto; quia hoc differt trāſiēs actio ab immanēte, quòd illa recipitur in ſubiecto priùs diſtincto a prīcipio pducente

Actio vitalis non poteſt produci niſi à principio vitali.

ducente; hæc verò neceſſariò recipitur ab illo ipſo principio, à quo exit. ſed Angelus in corpore aſſumpto non habet principia vitalia nec Inſtrumenta vera, per quæ viſio & ambulatio fieri poſſet. ergo has operationes vitales ſub ea ratione vt ſunt vitales, non poteſt exercere.

Actio tranſiens & immanẽs quo differant.

16. *Nota* de Comeſtione Angeli, motũ maxillarum (licet videatur diuidere cibum, & traiicere intra corpus aſſumptum;) non eſſe verum; quia illius cibi non fit conuerſio in corporis ſubſtantiam, quod eſt de ratione vitalis comeſtionis. Vnde comeſtio Chriſti poſt Reſurrectionẽ fuit vera, vitalis: quia ille cibus ſũptus, erat conuertibilis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſecundùm propriam ſuam naturam, licet non fuerit conuerſus; ſed corpus aſſumptum ab Angelo, non eſt talis naturæ, vt poſſit cibum conuertere in ſubſtantiam aliti; proinde non fuit illa vera comeſtio, ſed quæ tantùm habuit quandam ſimilitudinem cum vera comeſtione.

Motus maxillarũ Angeli, nõ eſt verus.

Chriſti poſt reſurrectionem fuit vera comeſtio

DISPVTATIO III.

De Comparatione Angelorum quoad Loca?

Tria proponimus inquirenda.

1. *An Angelus ſit in loco?*
2. *An ſimul poſſit eſſe in diuerſis & diſtantibus locis?*
3. *An plures Angeli poſſint eſſe ſimul in eodem loco.*

QVÆSITVM I.

An Angelus ſit in loco?

1. DVo hic attingemus, *primò*: an ſit in loco? *ſecundò* ſi eſt. quænam ratio formalis eſt, ſeu quis modus per quem dicatur eſſe in loco?

Angelus eſt in loco non circumſcriptiuè, ſed definitiuè.

QVANTVM ad primum Dico: *Neceſſariò fatendum Angelum eſſe in loco; non quidem vt in eo conſeruetur: ſicut corpora naturalia conſeruantur: neque etiã circumſcriptiuè, cùm careat magnitudine molis, ſed eſt definitiuè inquantùm eſt in hoc & non in alio loco.* PROBATVR Ex Scriptura colligimus, bonorum Angelorũm locum eſſe in Cælis: Matth. 13. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei.* Ex eadẽ Scriptura colligimus, malos Angelos habitare in igne inferni. Matth. 25, *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo &*

bolo & Angelis eius. E T vltimo dicitur Angelum deſcendiſſe de cælo, & quòd accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum: hic duo loci notandi. primus cælum à quo deſcendit: alter lapis, ſuper quo ſedebat.

2. Et propterea Heruæi ſententia non eſt tenenda, qui dicit per modum agendi eſſe Angelum in loco, & non per propinquitatem Subſtantiæ. nam Apocal. 20. legimus *Angelus apprehendit Draconem, qui eſt Diabolus, & ligauit eum per mille annos.* & in epiſt. Iudæ habetur quòd *Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatũ, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* in Hiſtoria etiã Tobiæ cap. 8. *Raphael Angelus apprehendit Dæmonium & ligauit in deſerto ſuperioris Ægypti.* ergo hæc ligatio & detentio fuit ſecundùm propinquitatem Subſtantiæ Dæmoniorum. *Probatur ratione.* Angelus quodammodo eſt in eo loco, in quo eſt præſens ſed ex 12. Metaph. Angelus mouet cælum. ergo eſt in cælo. Iidem Angeli mittuntur in miniſterium hominum. ergo ſunt præſentes in hoc vniuerſo. ergo in eo tanquam in loco ſunt. *Præterea* Si Angelus nõ eſſet in loco, hoc maximè fieret, quia eſt immaterialis; ſed hoc non impedit; quia Deus eſt maximè immaterialis, & tamen dicitur eſſe vbique nam apud Ierem. legimus: *Cælum & terram ego impleo:* primaria tamen ratione cælum eſt Sedes Dei & conſentiunt Philoſophi. nam nõ negant abſolutè, Angelos eſſe in loco, ſed quòd non ſint eo modo, quo ſunt corpora commenſuratiuè ſiue circumſcriptiuè, verũ alia ratione.

3. *Obiicies.* D. Aug. *lib. 83. Quæſt.* affirmat. Angelos eo modo eſſe in loco, quo Deus eſt in tẽplo. Sed Deus nõ eſt in tẽplo tanquã in loco, ergo neq; Angel⁹ *Reſpõdeo* quòd D. Aug. ſic eſt explicãd⁹: Deus dicitur eſſe in tẽplo per certũ aliquẽ effectũ v. quòd ibi preces noſtras exaudiat, & quòd in eo operetur, & non alibi: ita & Angelus dicitur eſſe in loco, inquãtum operatur, vel in aliquo ſpatio, vel in corpore, & non alibi. Obiectio. Solutio.

Nota Quamuis *eſſe in loco* ſit proprietas corporum, nihilominus etiã Angelis conuenit; ſed modo quodam altiori. ſicut enim dicimus in Angelo eſſe verum motum, & realem, licet ſit alterius rationis à motu corporum. Similiter duratio tẽporis dicitur eſſe in Angelis, non quidem per actionem materialem, ſicut accidit in nobis, ſed longè altiori modo: ita etiam exſiſtẽtia hæc in loco, altiori & ſpirituali modo Angelis eſt tribuenda. Eſſe in loco eſt proprietas corporũ

4. QVANTVM ad alterum. *Quænam ſit ratio formalis per quam Angelus ſit in loco?* Pro determinatione.

Dico primò *Durandi Sententiam in qua aſſerit Angelum eſſe vbique, & non in determinato loco, eſſe errori proximam.* Fundamentum Durandi. Putauit ille, quòd Angelus eſt in loco, in quo operari poteſt; ſed cùm nullus ſit locus in quo Angelus non poſſit operari. ergo eſt vbiq;, ſeu in omni loco. *Cùm verò* contra Durandum obiicitur *Eſſe vbiq;* eſt ſolius Dei proprium. *Reſpondet* quòd eo modo, quo Deus eſt vbiq; non eſt Angelus vbiq;. nam Deus eſt in omni loco per ſuam Præſentiam, Eſſentiam, atque potentiam, conſeruando & fouendo vniuerſum: Angelus verò Sententia Durandi dicens Angelum eſſe vbique, eſt erronea.

ſolùm

Angelus dũ eſt in hoc loco nõ eſt in alio.

ſolùm eſt vbique; quia in omni loco poteſt operari. Sed valde errat Durã dus: ſiquidem Angelus non ſolùm eſt in loco, ſed etiam in determinato loco: ita quidem, vt, cùm dicatur eſſe in loco, iam pro illo tempore non eſt in alio. *Probatur* Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer?* & poſtea ſubiungit *verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* & Lucæ 10. *videbam Sathanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* Et Apocal. 12. *Non eſt inuentus amplius locus eorum in cælo.* Ex quo *Ratio 1* Angeli mali ſunt tranſlati ex vno loco in alium, ita, quòd prior locus ab illis ſit deſertus, poſtquam in alium ſunt tranſlati. ergo non ſunt vbiq;, ſed in certo & determinato loco.

Refutatio fundamenti Durandi.

Ad Fundamentum Durandi dico, quòd Angelus non ideo ſolùm eſt in loco, quòd in eo poſſit operari, ſed quia actu operatur, & eidem virtutẽ ſuã applicat; & quia virtus & operatio Angeli, atque etiam ipſa ſubſtãtia eſt finita. idcirco vẽdicabit ſibi aliquos determinatos terminos, intra quos exſiſtet & extra quos operari non poterit.

5. *Ratio 2.* Sphæra actiuitatis cuiuſlibet Angeli, eſt determinata & limitata. ergo naturaliter non operatur vbiq;. *Ratio 3.* Deus non propterea eſt vbiq; quia res omnes cõſeruat; ſed quia eſt infinitus, immenſus, vt habetur *q. de immenſitate Dei*: at Angelus caret hac immenſitate, cùm ſit creatura finita. ergo non eſt vbiq;.

Qua de cauſa Deus ſit vbique.

Inſtantia 1. Durandi.

Sed inſtat Durandus. Angelus antequam ſit in loco habet virtutem & facultatem operandi. at hæc virtus non extenditur ad aliquem locum determinatum, ſed indifferenter ad omnem. ergo vbiq; erit, aut certè erit in determinato loco, aut in nullo: non in determinato; quia non eſt maior ratio, cur ſit in hoc loco, quàm in illo: non in nullo; quia ſecundùm D. Aug. quod facit ſitus in corporibus, hoc facit ordo in ſpiritualibus. ſed impoſſibile eſt corpus non habere ſitum, quando in loco eſt. ergo impoſſibile eſt & Angelum habere ordinem ad locũ, quando ſit in loco. ſed habet ordinem ad omnem locum. ergo eſt in omni loco. ergo vbiq;. *Reſpondeo* cõcedendo, quòd Angelus antequam operetur habeat quantitatem operandi, & indifferenter ad hunc vel ad illum: per hoc tamen non poteſt dici, quòd ſit in omni loco, niſi per Potentiam diſtributiuam & ſecundùm ſucceſſionem. Solutio ei⁹

Inſtantia 2.

Rurſum inſtat Durandus. habet ordinem ad omnem locum. *Reſpondeo,* quòd Angelus priuſquam alicubi operetur, non habet ordinem ad omnem locum ſimul, neq; ad aliquẽ determinatè, ſed ſolùm habet ordinem indeterminatè, & vagè ad quẽlibet ſucceſſiuè. Solutio.

6. Dico ſecundò. *Quamuis (vt vult Scotus) Subſtantia Angeli ſit in loco, ipſa tamen Subſtantia non eſt ratio exſiſtendi in loco, ſed aliquid aliud præter illam, v. Quantitas.* Hoc Dictum eſt contra Scotum in *2. diſt. 2. q. 6. contra Gabrielem ibid. q. 1. & contra Nominales.* PROBATVR 1. Petrus ſeu ſubſtantia Petri eſt in loco, & tamen ipſa ſubſtantia Petri non eſt immediata ratio exſiſtendi in loco, ſed quantitas eius cõtingens locum: ita ſubſtantia incorporea v. Angelus non eſt ꝓpria ratio exſiſtẽdi in loco. ſed præter hãc aliquid aliud nẽpe Quãtitas vir-

Exſiſtentia Angeli in loco, eſt ratione quantitatis, non ſubſtantiæ.

titas virtualis. *Conſequentia.* ſi ſubſtantia corporea cui propriè conuenit eſſe in loco, non eſt immediata ratio exſiſtendi in loco. ergo multò minùs ſubſtantia incorporea per ſeipſam immediatè exſiſtet in loco, ſed per aliquid aliud, v. per virtualē quantitatem, per quam attingit locum.

Subſtantia Angeli eſt indifferens ad quéque locum.

Probatur 2. Subſtantia Angeli ſecundùm ſe conſiderata eſt indifferens ad quemlibet locum. ergo vt ſit in loco ſingulari & determinato, neceſſe eſt aliquid aliud præter ipsā aſſignare, ratione cuius erit in loco.

Inſtantia.

Inſtabis. Si Deus auferret quantitatem à ſubſtantia corporea, quæ eſt in loco, illa ſubſtantia eſſet in loco, per ſeipſam manens in eodem illo loco, in quo antea erat: & non eſſet per aliquem contactum virtutis ergo eſſet per ſubſtantiam. *Reſpondeo.* dato caſu, quòd Deus auferret quantitatem à ſubſtantia corporea, quæ eſt in loco, illa ſubſtantia non eſſet in loco reali, & propriè dicto ſed eſſet in ſpatio imaginario. verū ad hoc inferiùs clariùs dicemus.

Solutio.

Angelus per applicationē ſuæ virtutis ad locum, eſt in loco.

7. Dico tertiò. *Angelus eſt in loco per applicationem ſuæ virtutis ad locum.* ita ſentit D. Th. *hîc a. 1. & 2.* quanquam eius expoſitores vt Capr. in *2 diſt. 2. q. 1.* ſic videtur explicare Angelum non poſſe determinari ad locum, niſi per actionem, quæ quidem eſt præſidentiæ aut miniſterii, aut cuſtodiæ. Ferrar. *in 3 con gentes c. 68.* dicit mentem eſſe D. Th. quòd Angelus ſit in loco per operationē tranſeuntem, qua effectus certos in illo loco producit, ita, vt Angelus ibi tantùm ſit vbi operatur.

PROBATVR Dictum 1. Præſentia in loco eſt Relatio. ſed relatio nō fundatur immediatè in ſubſtantia. ergo Angelus non habet hanc præſentiam immediatè à ſua ſubſtātia. ergo per applicationē ſuæ virtutis.

Probatur 2. ſecundùm Ariſt. 4. Phyſic. quantitas eſt ſimpliciter neceſſaria ad hoc, vt ſit aliquid in loco propriè dicto. ſed ſecluſa applicatione virtutis, non eſt alia quantitas in Angelo. ergo Angelus non erit in loco, quod eſt falſum. *Confirmat* hoc D. Th. corpus eſt in loco per contactum quantitatiuum. ergo Angelus eſt in loco per contactum virtualem. *Conſequentia.* omne enim quod eſt in loco, ratione ſuæ quantitatis eſt in eo. ſed quantitas eſt duplex, molis & virtutis: in Angelo non eſt molis. ergo erit virtutis. ergo per applicationē virtutis erit in loco.

Quantitas duplex.

Inſtantia 1

8. *Inſtabis.* Ponamus quòd Angelus nunc operetur in aere; ponamus quoq; quòd hic idem Angelus poſtea ceſſet ab iſta operatione, per ſolam ſuſpenſionem actus in ſua voluntate, nulla facta mutatione in ſua ſubſtantia. ergo Angelus ſubſtantialiter erit in loco, & non per applicationem virtutis. *Reſpondeo* ſi Angelus ceſſet ab operatione, & ab applicatione ſuæ virtutis Angelus nullibi erit, & ſic Angelus eſſet quidē in vniuerſo, ſeu in rerum natura, ſed nullibi localiter.

Solutio eius.

Inſtantia 2.

Inſtabis iterum. Angelus nullam fecit mutationem quoad ſuam ſubſtantiam, niſi quòd ceſſauit ab operatione: manet tamen in illo ipſo loco, in quo antea operabatur illius præſentia: ſicut, ſi Deus ab aqua exiſtente in vaſe auferret quantitatē,

nihilomi-

nihilominus ſubſtantia aquæ manebit in vaſe, & in illo erit tanquam in loco. *Reſpondeo* negando, quòd Angelus poſtquam ceſſauit ab applicatione ſuæ virtutis, maneat in illo aere præſẽtialiter: ſicut & aqua ſi ab illa ſeparetur quantitas, iam non eſſet præſens. vnde ſicut aqua ablata ab illa quantitate, eſſet quidem in rerum natura, ſed nullibi localiter; quia (vt iam diximus) de ratione loci eſt quantitas. ergo hac ablatâ non erit in loco: ſed ſolùm in rerum natura. ita idem de Angelo dicendum. Sed

Solutio eius.

Inſtantia 3

9. *Inſtabis tertiò.* Si ab homine videri poſſet ſubſtantia Angeli, vt ceſſauit ab operatione in aere, in illo ipſo aere videretur, & ſic eum videt Deus. *Reſpondeo*, ſi videretur ab homine, non videretur ibi localiter, neq; præſentialiter, ſed videretur ſine relatione præſentialitatis, & vt exſiſtens in rerum natura; proinde nego, quòd ibi videatur, vt *ibi* dicit exſiſtentiam in loco. nam ſicut res corporea dicitur eſſe ibi propter contactum quantitatiuum; ita & Angelus dicitur ibi propter contactum virtutis, qui cùm non ſit dicitur in rerum natura exſiſtere; ſed non in loco.

Solutio illius.

Inſtantia 4.

Inſtabis quartò Priùs eſt Angelum eſſe, quàm operari: ergo etiam priùs eſt Angelũ eſſe in loco, quàm applicare virtutem ad locum. *Reſpondeo* negando Conſequentiam; Quia ſicut priùs natura eſt homo, quàm ſit quantus: & tamen non ſequitur, priùs eſſe hominem in loco, quàm ſit quantus: item ſicut, priùs eſt natura Deum eſſe, quàm operari ad extra in creatura: & tamen non ſequitur, priùs Deum eſſe in creatura, quàm operari in ea; Immò priùs natura operatur in creatura, quàm ſit in illa: ita non ſequitur, quòd Angeli Eſſe ſit priùs, quàm operari: quia eſſe in loco Angeli eſt ſecundũ applicationem virtutis, & per operationem. Ex quo *Collige* quòd ratio formalis exſiſtentiæ Angeli in loco eſt applicatio illius virtutis; quia ad *Eſſe in loco* duo requiruntur: *primò* Quantitas virtualis *ſecundò* quod illa Quantitas virtualis attingat locũ nam agens priùs natura attingit paſſiuũ, quàm in illo operetur. vnde & Angelus priùs naturâ attingit locum; quàm in illo operetur. Sed

Solutio ipſius.

Ad eſſe in loco duo requiruntur

10. *Inſtabis vltimò* Angeli ſunt in cælo Empyreo; quia ſecundùm dictum Chriſti, *Angeli in cælis vident faciem Patris.* ſed hæc viſio faciei eſt in cælo Empyreo. ergo ibi ſunt, ſed per nullam applicationem virtutis ibi ſunt. ſi enim applicarent virtutem cælo, cælum Empyreum eſſet alterationi obnoxium. quod dici nõ debet: nec mouetur ab Angelo quia eſt quietiſſimum. ergo Angeli ſunt in cælo ſine applicatione ſuæ virtutis ad cælum *Reſpondeo* varias aſſignari Reſponſiones. *Prima eſt.* Capr. in *2. diſt. 2 quæſt. 1.* vbi dicit: *Angeli in cælo Empyreo nihil quidem agunt. ſed illud exornant, ſicut aues aerem, piſces aquam, feræ ſyluas pecora terram.* Sed hanc Reſponſionem refutat Caiet. cum Ferrar. ſiquidem exornare præſupponit eſſe in loco; vnde ad hoc vt Angeli cælum exornent, aſſignanda ratio exſiſtentiæ Angelorum in cælo.

Inſtantia 5.

Solutio illius.

Confutatio eius.

Secunda eſt Caiet. qui dicit, quòd ibi ſunt non propriè, ſed metaphoricè; quia ſunt in gloria, propter quam creatum eſt cælum Empyreum. Sed neq; hoc ſtare poteſt, nam ſecundum

Solutio 2.

Confutatio illius.

ſecundùm communem opinionem omnes Angeli ſunt creati in cælo Empyreo: & tamen omnes nõ ſunt creati in gloria. ergo ante gloriam erant in cælo, & Dæmones dicuntur cecidiſſe de cælo, non autem de gloria; quia eã nunquã habuerunt.

Solutio 3. 11. *Tertia eſt.* Ferar. *3. contra Gentes. cap. 68.* qui dicit, quòd Angeli in cælo Empyreo habent quandã actionem tranſeuntem, ſed nobis occultam & incognitam. Malonius non recipit hanc Reſpouſionem, & dicit abſurdum eſſe confugere ad talem actionem, cuius non poſſit reddi ratio cùm non ſit res de medio eorum, quæ ſunt fidei, quæ quamuis nobis ſint occulta ea tamen tenemus. Quidam Reſpondent Angelos eſſe in cælo Empyreo per hoc, quòd habent virtutem operatiuam applicatam ad operandum, quicquid ſibi fuerit iniunctum.

Confutatio eius.

Solutio 4.

Solutio 5. Banezius & Cumeli⁹ ſic reſpõdẽt: quãuis D.Th in *2.diſt.2.q.3.* teneat, quòd cælũ Empyreum nõ influit in hæc inferiora; quia hic influx⁹ fit p motũ: hoc autẽ cælũ non mouetur, ſed quieſcit eſſe tamẽ p virtutẽ trãſeũtẽ in nos. Sed alii vt Durãd⁹ oppoſitũ tenẽt, & ipſe D.Th. in *1.p.q.66.a.3.* *ad 2.* quòd ſicut Angeli, qui ſunt in conſpectu Dei, lumine influunt in inferiores, & illis voluntatem Dei denuntiant, ad quam implendam mittuntur: ita Empyreum cælum licet quieſcat, tamen in inferiora corpora hanc nobiliſſimam operationem exercendo influit, vt habeant ſtabilitatem, perpetuitatem circa motum & generationem rerum naturalium: Angeli igitur, qui ſunt in cælo Empyreo, perficiunt, vt efficaciùs hunc ſuum effectum poſſit producere: ſicut ſol attingit generationem viuentium vt inſtrumentum motricis intelligentiæ: ita Angeli dicuntur eſſe in cælo Empyreo, inquantùm illius vim virtute ſuâ perficiunt, vt dent ſtabilitatem reb⁹.

Refutatio illius.

Ad extremùm *Reſpondeo* cum D. Th. *de Potentia q. 3. a. 19. ad 4.* quòd Angeli ſunt in cælo Empyreo, vt in loco, qui eſt illorum contemplationi conueniens. ibi namq; Deus principaliter dicitur eſſe manifeſtãs ſuã gloriam & beatitudinem, eandemq; cõmunicans Angelis; proinde Angeli ſunt in operatione perfectiſſimæ cognitionis Dei, & ardentiſſimi amoris. & ſic per hanc operationẽ dicuntur eſſe in cælo. Solutio vera.

QVÆSITVM II.

An Angelus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis?

12. DVpliciter de veritate huius Quæſiti loqui poſſumus: *primò* ſecundùm ordinariam Potentiam: *ſecundò* ſecundùm abſolutam.

QVANTVM ad ordinariam dico primò. *Angelus naturaliter non poteſt eſſe in pluribus locis adæquatis, ſed neceſſariò in vno tantùm adæquato debet eſſe.* ita docet D. Th. *a. 2.* & eius interpretes: ipſe quoq; Duran. quando dicit Angelum

gelum eſſe vbiq; non ſic intelligendum, quòd ſit ſimul in pluribus, ſed quòd diſtributiuè & ſucceſſiuè poſſit eſſe in illis. nam aliàs ſequeretur quòd orbis vniuerſus eſſet loc⁹ adæquatus Angeli, quòd eſt falſum.

Virtus Dei ad omnia ſe extendit, & contingit omnia.

Ratio eſt D.Th. talis: Deus ſuà virtute ad omnia ſe extendit, & omnia contingit. ſed virtus Angeli non extendit ſe ad omnia, neque attingit omnia, verùm ad aliquod vnum determinatum. ergo ſicut ſoli Deo cõuenit, vt ſit vbiq; : ita Angelo, vt ſit in vno determinato & adæquato loco. *Confirmatur.* Deus enim habet Eſſentiam & virtutem infinitam. ergo illa omnia attingit: Angeli autem virtus, per cuius applicationem eſt in loco, eſt finita & limitata; idcircò non poteſt illam niſi vni loco applicare. Hoc ipſum præterea his verbis D. Th. confirmat: *quicquid comparatur ad vnam virtutem, oportet vt vnum aliquid comparari ad illam.* ſed ſicut vniuerſum Ens comparatur, vt vnum aliquid ad vniuerſalem Dei virtutem: ita & quilibet locus, vt vnum ad virtutem Angeli comparari debet. ergo vt Deus eſt vbique: ita Angelus in vno loco adæquato ſuæ virtuti conuenienti erit.

Dei Eſſentia & virtus eſt infinita.

Angelus poteſt eſſe in duobus locis partialibus & inadæquatis dũ modo non longiùs diſtēt quã &c.

13. Dico ſecundò. *Angelus benè poteſt eſſe in duobus locis partialibus, & inadæquatis: dummodò duo illa loca in adæquato contineantur: & dummodò non diſtent ab inuicem maiori diſtantia, quàm poſſint comprehendi ſub quantitate loci adæquati.* Angelus enim in ſuis operationibus eſt agens liberum. ergo in illius voluntate virtutem ſuam applicare intra Sphæram actiuitatis ſuæ ad quam voluerit partem.

Nota. quòd illæ duæ partes, ad quas Angelus applicat ſuam virtutem, habent ſẽper modũ vnius loci; quia ab eadem virtute Angeli hic & nunc continentur: quemadmodum ſi baculus vnà ſui medietate exſiſtat in aqua, & altera in aere, ſimpliciter loquendo, baculus erit in vno loco; quamuis duæ ſuperficies aeris & aquæ ſint inter ſe realiter diſtinctæ; quia hæc diſtinctio eſt materialis, reſpectu autem vnitatis loci ambæ habent rationem ſimul vnius menſuræ continentis & menſurantis locatum; ita & Angeli locus conſiderandus eſt ex vnica applicatione virtutis, quæ quia continet illas duas partes ſpatio actiuitatis ſuæ, & ſunt intra illam; idcircò ſunt per modum vnius loci.

Angelus in locis minimis, extra ſphærã ſuæ actiuitatis diſtantibus exſiſtere non poteſt.

14. Dico tertiò. *Angelus in duobus locis partialibus quantumlibet minimis nõ poteſt exſiſtire, ſi ab inuicem diſtent extra Sphæram ſuæ actiuitatis.* nam aliàs ſequeretur, quòd Angelus poſſet eſſe ſimul in cælo & in terra: vt ſi in terra habens Sphæram ſuæ actiuitatis, extra illam minimum quid cæli attingeret, & ſic tolleretur motus ab Angelo. nam cùm Angelus ſit in cælo & in terra, non indigeret motu locali, ſicq; eſſet neceſſe, vt cælum relinquat: cuius contrarium habetur in Scriptura quæ dicit: *Angelus deſcendit de cælo & commouit aquam.* & *deſcendit de cælo remoto lapide ſedit ſuper eum.*

Angelus dupliciter poteſt eſſe in duobus locis partialibus & inadæquatis.

15. Dico quartò. *Angelus dupliciter poteſt eſſe in duobus locis partialibus, & inadæquatis*: primò *continuè, vt cùm eſt in toto ſpatio ſui loci, & in omnibus illius partibus*: ſecùndò *diſcretè, vt ſit in duobus diſcontinuis locis partialibus, qui tamẽ vnum locum adæquatum conſtituunt.* & hoc adhuc dupliciter: *primò* vt ſit Angelus præſens, & operans in duobus

Hoc rurſũ dupliciter.

bus diſcontinuis locis partialibus, & in intermediis ſit tantùm per cõtactũ virtutis & nõ operãs. & quòd hoc fieri poſſit, *declaratur.* Angelus enim cùm ſit liberum agens, poteſt ſuam ſubſtantiam toti corpori, vel ſpatio non operando, vel etiam operando applicare. ergo poterit in- quibuſdam partibus operari, non- operando in intermediis: *ſecundò* poteſt eſſe, vt ſit in partibus diſcontinuis ſui ſpatij per præſentiam & operationem; in intermediis autem, neq; per præſentiam, neq; per operationem. hoc poſſe fieri deducitur: Angelus non eſt in loco per continuationem, neq; cum dependentia à ſuo loco. ergo poterit eſſe vel in- hac parte, vel in illa, per operationẽ in alijs, in intermedijs autem non-. *Præterea* Angelus eſt totus in ſingulis partibus ſui ſpatij, tã in intermediis quàm in extremis. ergo poterit manere in extremis non manendo in intermediis. Angelus enim non habet dependentiam à partibus ſui loci, nec deficit virtus eius. *Ad extremum* Corpus Chriſti D. eſt in Sacramentis diſtantibus, quamuis non ſit in locis mediis. quod ergo communicatum eſt corpori ſupernaturali; hoc ipſum poterit naturaliter An-gelo conuenire. ſed contrarium tenet D. Th. hic & expreſsè in *1. diſt. 37. q. 3. a. 2.* Ferrar. in 3. *con. gen. c 68.* Caiet. Capr. *in 2. diſt. 2 q. 1. Concl. 3.* & probatur: hic modus exſiſtẽdi nõ eſt poſſibilis Deo, nec animæ rationali. ergo & Angelo non erit poſſibilis. quod non ſit poſſibilis Deo; quia Deus immenſitate ſua replens totum vniuerſum, non dicitur eſſe in extremis, non exſiſtendo in mediis: non eſt poſſibilis animæ; quia neq; anima poteſt informare partes externas corporis, non informando medias. ergo neq; hoc Angelus poterit, ſed hoc non obſtante.

Angelus nõ habet depẽdentiam à partibus ſui loci.

16. Dico. *Poteſt Angelus eſſe in pluribus locis diſcontinuis partialibus, & inadæquatis, licet non ſit in toto illo ſpatio, quod interiacet inter illa loca partialia.* PROBATVR *primò.* ſupponamus, quòd hoc Gymnaſium ſit locus adæquatus Angeli, quid igitur impedit cur non poſſit Angelus in angulis huius Gymnaſii operari, non operando in medio; ſiquidem Angelus eſt liberum agens, & natura ſenſibilis eſt illi ſubiecta. ergo poterit Angelus in extremis angulis operari ſui ſpatii, non operando in medio.

Angelus poteſt eſſe in pluribus locis diſcontinuis partialibus licet non ſit in toto ſpatio

Probatur ſecundò Anima rationalis tota mouetur, quotieſcunq; manus mouetur: & tota quieſcit in pede, quoties pes quieſcit; & hoc accidit propter eius indiuiſibilitatem-. ergo eadem facilitate, quã poteſt anima tota moueri naturaliter in- manu, quotieſcunq; manus mouetur, & tota in eodem inſtanti quieſcere in pede, quoties ille quieſcit; poterit etiam Angelus in medio ſpatio huius Gymnaſii, quòd interiicitur inter angulos, & in ipſis angulis certas operationes exercere.

Mota vel quieſcente parte, tota mouetur vel quieſcit, ob indiuiſibilitatẽ ſuã Anima

17. *Obiicies* Anima rationalis (vt iam inſinuatum) non poteſt informare manum & pedẽ, quæ ſũt extrema, niſi etiam partes medias inter manum & pedẽ interiacẽtes informet: & ſicut lucerna accenſa nõ poteſt illuminare extremas partes hu-iꝰ Gymnaſii, niſi etiã illuſtret partes intermedias: ita neq; Angelus poterit in extremis partibus huius Gymnaſii operari, niſi etiam in medio operetur. *Reſpondeo* diſparem eſſe rationem

Obiectio [?]

Solutio &c.

tionem inter animam rationalem informantem corpus, & inter Angelum: nam ideò anima non poteſt informare pedem & manum, niſi etiam partes intermedias informet; quia neceſſariò eſt forma toti corporis humani, eademq; eſt tota in toto, & in qualibet parte eſt tota neceſſariò: Angelus autem in hoc ſpatio Gymnaſii non eſt neceſſariò, ſed liberè; & pro ſua libertate poterit in extremis partibus operari, non operando in medio. Idem dicendũ de immenſitate Dei, quòd hæc neceſſariò omnem locum debet implere; quia aliàs non eſſet immenſitas, ſicut neq; lucerna verè illuminaret, niſi medium cum extremis illuſtraret.

Anima neceſſariò totum corpus informat.

Angelus liberè.

18. *Obiicies 2.* Angelus eſt diuiſus à ſeipſo. nam ex ſuppoſitione præcedenti Angelus operatur in angulis, & non operatur in medio ergo eſt diuiſus. *Reſpondeo* ſolùm colligi, quòd actiones Angeli inter ſe diuiſæ & ſeparatæ ſint: ſed Angelus à ſe non eſt diuiſus: quemadmodum & anima rationalis in manu mouetur, & in pede quieſcit, & hæ actiones ſunt diuiſæ: anima autem nequaquam diuiſa eſt.

Obiectio 2.

Solutio eiꝰ.

Quæres. Si Angelus non eſt in locis intermediis, ſed ſolùm in extremis, quomodo erit in loco intermedio? *Reſpondeo* erit tanquam in vbi nõ autem vt in loco propriè dicto.

Angelus eſt in loco tanquã in vbi.

19. Dico vltimò. *Si loquamur de omnipotentia Diuina, tunc per illam Angelus poteſt conſtitui in pluribus locis adæquatis.* ita docet Caiet. hic Scotus in *2. diſt. 2. q. 6. & 7.* Greg. *q. 3.* Alenſis *4. p. q. 4. memb. 7.* Et *ratio eſt.* nihil eſt denegandum omnipotentiæ Diuinæ, ſi nullam inuoluit contradictionem. ſed quòd Angelus in pluribus locis per Diuinam potentiam conſtituatur, nulla eſt contradictio ergo poteſt conſtitui.

Deꝰ poteſt conſtituere Angelũ in pluribus locis adæquatis.

Ratio 2. Corpus Chriſti eſt in cælo, idem ſimul eodem tempore eſt in Sacramento, & in pluribus locis diſtinctis; & hoc fit per omnipotentiam Diuinam. ergo idem fieri poterit, vt per eandem ſit Angelus in pluribus locis.

Obiicies. Angelus conſtituitur in vno loco adæquato, in quo eſt per applicationem ſuæ virtutis, & per operationem ergo in illo loco erit ſecundùm valorem omnem virtutis ſuæ ergo iam in alio non poterit conſtitui; ſiquidem non eſt alia virtus in alio Angelo, per quam in alio poſſit conſtitui loco. *Reſpondeo*, quòd Angelus, quamuis naturaliter non poſſit operari in alio loco, poterit tamen ſupernaturaliter, vel aliud idem operari, vel huic ſimile.

Obiectio.

Solutio illius.

QVÆSITVM III.

An plures Angeli poſſint eſſe ſimul in vno & eodem loco?

20 QVæſitum hoc diſputandum proponimus, tam de Potentia naturali, quàm de abſoluta, quam Caiet Logicam vocat.

Et primò Quantùm ad Opiniones

Opiniones.

 Scotus

Scotus in 2. *diſt.* 2. *q.* 8. Gabriel *q* 2. Greg. *q.* 3. Ocham *quodl.* 1 *q.* 4. hi, quia tenent, quòd Angelus ſecundùm ſubſtantiam eſt in loco, conſequenter dicunt, plures Angelos naturaliter poſſe eſſe ſimul in eodem loco; quia ſunt immateriales. Lucæ 8. legitur, quòd in vno homine fuit legio Dæmonum. ſed legio cõtinet in ſe innumeram multitudinẽ. ergo hæc multitudo fuit in vno homine tanquam in vno loco. Ferrar.

Opinio 2. in 3. *con. gen. c.* 68. affirmat, non ſolùm eſſe impoſſibile, vt plures Angeli naturaliter ſint in eodem loco, ſed etiam implicare cõtradictionẽ, vt vnus & idem effectus, à duabus cauſis per ſe adæquatis producatur.

Opinio 3. D.Th. hîc & in 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *a.* 3. docet, quòd plures Angeli naturaliter non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco: non propter impoſſibilitatem ſubſtantiarum, cùm ſint immateriales, ſed propter impoſſibilitatem operationum: hunc ſequuntur Albertus, Ægidius, Irenæus, & alii plurimi. Caietanus vtitur hîc diſtinctione; dicitq; duos Angelos poſſe eſſe in eodem loco ſimul incompletè, ſed non completè.

Angeli naturaliter loquendo, nõ poſſunt eſſe plures ſimul in eodem loco vt ſunt cauſæ immediatæ alicuius effectus.

21. Pro determinatione dico primò. *Naturaliter loquendo, non poſſunt eſſe plures Angeli ſimul in eodem loco conſiderati vt ſunt cauſæ totales & immediatæ alicuius effectus.* RATIO *prima.* In homine, in genere cauſæ materialis non eſt niſi vna materia, & in genere cauſæ Formalis, non eſt niſi vna forma: & in genere cauſæ efficientis, non eſt niſi vna cauſa efficiens. ſed Angelus vnitur loco in genere cauſæ efficientis. ergo nõ erunt duo Angeli in vno loco.

In genere cauſæ efficientis Angelus vnitur loco.

Ratio ſecunda. In Scriptura legim*. ad effectus inſignes producendos, vnum ſolùm Angelum fuiſſe miſsũ Iſai. 37. *Angelus Domini ingreſſus eſt, & percuſſit viros centum octuaginta quinque in caſtris Aſſyriorum.* & ipſe Ariſt. 12. Metaph. t. 43. & 44. ſingulis orbibus vnam tantùm intelligentiam motricem aſſignat.

Angeli boni nihil faciunt ſuperfluè.

Ratio tertia. Angeli boni nihil faciunt ſuperfluè. ergo ſi vnus ſufficit per applicationem actiuam ſuæ virtutis ad producendum effectum, alius erit ſuperfluus. ergo ſi vnus Angelus, tanquam cauſa totalis & immediata applicuit ſuam virtutem alicui loco, ad certum effectum producendum, iam alius Angelus non applicat.

Eiuſdem numero effectus nõ poſſũt dari plures cauſæ totales.

22 *Ratio quarta.* Videtur eſſe impoſſibile, quòd eiuſdem numero effectus poſſint dari plures cauſæ totales & immediatæ, & eiuſdem ordinis, nam ex quo eſt cauſa totalis, eſt omninò ſufficiens ad ſuum effectum producendum.

Effectus determinatus debet habere cauſam determinatam.

Ratio quinta. Effectus determinatus debet habere cauſam per ſe determinatam. ſed ſi duo Angeli ad vnum effectum in vno & eodem loco producendum concurrant, iam ille effectus poterit ab vno, atque etiam ab alio Angelo produci. ergo ille effectus non habebit cauſam determinatam; atq; ſic daretur effectus determinatus ſine cauſa determinata.

23. *Inſtabis.* Contingere poteſt, quòd duo Angeli velint ſimul producere eundem effectum, v. volunt mouere vnum eundemq; lapidem. nam fieri poteſt, quòd vnus Angelus ignorat voluntatem alterius; & ſic vterq; applicabit ſe ad eundem lapidem mouendum. ergo erunt in *Inſtantia.*

vno

Solutio illius. vno loco. *Reſpondeo.* hi duo Angeli non producent eundem effectum, hoc eſt, non mouebunt eundem lapidem, ſed ſe mutuò impedient, vnus enim poſtquam ſe applicuit virtute ſua, & eſt in vltima diſpoſitione, quòd velit operari, iam illud ſubiectum reddit incapax ad recipiendā virtutem alterius Angeli, vt ab eo poſſit moueri. ſicut enim aqua, quæ vas implet ad ſummum, reddit illud incapax ad aliam aquam recipiendā ita virtus Angeli, poſtquam locum impleuit, reddit locum incapacem ad alterius Angeli virtutem recipiendā. proinde, licet vnus Angelus non intendat formaliter & explicitè alterum Angelum impedire, intendit tamen implicitè & conſecutiuè. nam, cùm intendit producere effectum vt cauſa totalis, intendit omne id conſecutiuè, quicquid inde ſequitur, & quia ex hoc, quòd vult totaliter operari circa aliquod corpus, conſequitur illud ipſum impedimentum reſpectu alterius Angeli iam explicatum; ideò illud implicitè vult.

Angelus quomodo poſſit impedire alium.

Inſtantia. 24. *Vrget Scotus.* Plures Sacerdotes tanquam cauſæ totales & adæquatæ, poſſunt eandem numero hoſtiam conſecrare, & eundem numero puerum baptizare: ergo etiam idem effectus poteſt produci à pluribus Angelis, tanquam a cauſis totalibus.

Solutio eius. *Reſpondeo*, quòd quando cauſæ Phyſicæ agunt propriá virtute, non poſſunt eundem numero effectum producere ſimul, vt cauſæ totales; quia eſt repugnantia: ſed quādo illæ plures cauſæ agunt non propriā ſed aliena virtute, & tanquam inſtrumenta, quæ mouentur à cauſa principali, tunc nō eſt inconueniēs, vt plures cauſæ pducāt vnū effectū; & ſic ſe habent in obiectione propoſita: plures enim illi Sacerdotes non ſunt cauſæ principales conſecrationis, & poſitionis Corporis Chriſti, ſed ſunt miniſteriales & inſtrumentales: Chriſtus autem eſt Cauſa Principalis, conſecrans atq; etiam baptizans; atq; ſic Deus poterit pluribus cauſis tanquam inſtrumentis vti ad aliquem effectum. *Tum* Sacerdotes, & in baptizando, & in conſecrando, non vtuntur aliquā virtute ſibi connaturali, ſed gratuitò ſibi conceſſa: iam autem Angelus, quandò ſe in aliquo loco cōſtituit, eſt cauſa principalis, totalis, & partialis, vtens virtute connaturali, & ideò illa ratio exſiſtendi in loco, qua ſe in illo conſtituit, non poteſt eſſe ratio exſiſtēdi alteri Angelo: ſiquidem iam ſubiectum factum eſt incapax ad recipiendam aliam operationem.

Plures ſacerdotes vnā hoſtiam cōſecrantes ſunt vt cauſæ miniſteriales & inſtrumentales, non vt principales

25. Dico ſecundò. *Duo vel plures Angeli, ſecundùm ſuam naturalem potentiam, poſſunt eſſe ſimul in eodem loco materiali, atq; etiam formali, ſed tanquam cauſæ partiales & inadæquatæ eiuſdem numero effectus.* Pro intelligentia Dicti.

Duo vel plures Angeli poſſunt eſſe ſimul in loco eodē vt cauſæ partiales & inadæquatæ.

Noto Locum Angeli duplicem eſſe Materialem & Formalem. *Materialis* locus eſt corpus, ſiue res illa, cui Angelus ſuam applicat virtutem. vnde plures Angelos eſſe ſimul in eodem loco naturaliter eſt eſſe in vno ſubiecto, & operari diuerſos effectus, ita, quòd ſolùm conueniūt in loco. *Formalis verò* eſt quoq; idem corpus, ſeu eadem res, cui Angelus ſuam virtutem applicuit, non abſolutè, ſed in ordine ad certam operationē producendam. Vnde plures Angelos eſſe ſimul in eodem loco formaliter

Locus Angeli duplex.

liter ſumpto, eſt eſſe Angelos ad vnum & eundem numero effectum producendum, tanquam cauſas partiales.

26. *Noto ſecundò.* Angelus dupliciter ſuam virtutem applicat alicui loco: *primò* tanquam cauſa partialis, ita, quòd ex plurium Angelorum operationibus, vna totalis operatio conſurgit: quemadmodum accidit, cùm plures homines eandem nauē trahunt. & ſic tractio eſt vna totalis actio, ex pluribus partialibus tractionibus reſultans: *ſecundò*, vt cauſa totalis & immediata illius operationis. Hoc notato

Angelus dupliciter ſuā virtutem applicat loco

Pʀᴏʙᴀᴛᴠʀ primùm, *quòd in vno loco materiali poſſunt eſſe ſimul plures Angeli:* tunc plures Angeli dicuntur eſſe in eodem loco materiali, quando eidem loco applicant ſuam virtùtem ad diuerſos effectus producendos. ſed hoc non eſt impoſſibile; ſiquidem duo agentia naturalia poſſunt eidem paſſo ſuas virtutes applicare, vt diuerſos effectus producant, nimirum; vt vnum agens calorem, alterum nigredinem inducat. ergo Angeli plures in vno loco materiali ſimul eſſe poſſunt. *Tum* quælibet ciuitas habet præſidē Angelum, & quilibet hominum in illa ciuitate habet alium Angelum Cuſtodem; & hi, qui in ea ciuitate gerunt magiſtratum, habent aliū Angelum dirigentem, & opitulantem ad dignè producendos effectus; & quilibet homo præter Cuſtodem Angelum, habet alium aduerſariū. ergo duo erunt circa eundem hominem.

In vno loco Materiali, plures Angeli poſſūt eſſe.

27 Pʀᴏʙᴀᴛᴠʀ Aʟᴛᴇʀᴠᴍ: *quòd plures Angeli tanquam cauſæ partiales poſſunt eſſe ſimul in eodem formali loco.* nam Angelus vt agens liberum liberè ſuam virtutem applicat. ergo etiam liberè & pro arbitrio voluntatis poterit tantùm virtutis ſuæ applicare, quantùm voluerit, poterit enim ſolùm partem applicare reſpectu alicuius effectus producendi, ſed hoc idem poteſt etiā aliꝰ Angelus facere reſpectu eiusdem effectus. ergo in nullo loco formali poterūt duo eſſe Angeli aut etiam plures, tanquam Cauſæ partiales. *Confirmatur* duo agentia naturalia, vt duo homines, poſſunt ad eundem effectum producendum, hoc eſt, ad portandum onus, tanquam Cauſæ partiales concurrere: quamuis vnū quodq; ſit ſufficiens ad eundē producendum. ergo hoc ipſum poterūt Angeli facere.

In loco formali plures etiam Angeli, vt cauſæ partiales ſimul eſſe poſſunt.

Ex quo Collige quòd aliquando plures Angeli concurrunt ad vnum, & eundem effectum producendum, quem quilibet illorum per ſe producere valet vt ad cibandum Chriſtum D. ſufficiebat vnus Angelus, plures tamen acceſſerunt ad declarandam Chriſti D. excellentiam. *Tum* vnus Angelus ad Chriſti Natiuitatem annuntiandam, & ad gloriam decantandam Deo ſufficiebat, & tamen, facta eſt multitudo Angelorum, nec in eo fuit aliqua ſuperfluitas; quia hoc ad dignitatem ſpectabat nati Saluatoris; proinde quoties Angeli boni conuentum faciūt, id nonniſi ex ordinatione Diuina fit, & ex cauſa iuſta: Dæmones verò ſine cauſa concurrunt ad crudelitatem in homines declarandam.

28. Dico tertiò *Deus ſuâ abſolutâ potentiâ poteſt duos Angelos, aut etiam plures tanquam cauſas totales in eodem loco adæquato collocare:* Ita ſentit Caiet. hic.

Deꝰ poteſt abſolutâ ſuâ potētia duos Angelos aut plures, in eodē loco vt cauſas totales collocare.

hîc & Scotus, Ferar. *8. contra Gentes cap. 68* contradicit: Dicit enim implicare, quòd vnus & idem numero effectus à duabus cauſis totalibus producatur, nam ſequitur Contradictio, quòd ab vtraq; pendebit, & à neutra. verùm in hoc videtur eſſe deceptus, quando putauit, quòd ordo, quem dicit effectûs ad ſuam cauſam efficientem, exceptâ primâ Cauſa, eſt ita intrinſecus; vt nō poſſit mutari, etiam per potentiam Diuinam quod quidem negamus, & dicimus poſſe immutari illum ipſum ordinem à Deo, per ſupernaturalē illius virtutem; atq; ſic idem effect⁹ ſecundùm ordinem naturæ pendet per ſe à generante proximo, poteſt etiā immediatè à Potentia Dei produci & idem homo, qui eſt productus à generante Patre, poterat immediatè à ſolo Deo produci: & idē homo, qui habet eſſe à ſuo generāte in futura Reſurrectione habebit eſſe dependens, non à generante, ſed à Deo reſuſcitante. atſi effectus haberet neceſſariam connexionem cum cauſa Efficiente, ita. vt nullo modo à Deo immutari poſſet, tunc hoc fieri non poſſet, atqui in propoſito poteſt (vt iam probatum) *Præterea* nulla eſt implicatio contradictionis, quòd duo, aut plures Angeli ſint virtute Diuina alligati corpori vni, & quod ab eodem tanquam ab Inſtrumento Diuino patiantur: quemadmodum Angelus, poteſt in plura corpora agere contenta intra ſphæram actiuitatis ſuæ. ergo pari ratione poteſt Diuina potentia facere, vt ſint plures Angeli, qui in vnū ſubiectum, tanquam cauſæ totales agant. *Demùm* poteſt Deus facere, vt duo corpora ſint ſimul in eodem loco. fides nāq; docet, Corpus Chriſti D. clauſo oſtio ex ſepulchro exiuiſſe, & clauſis ianuis ad diſcipulos fuiſſe ingreſſum, quod fieri non potuit, niſi per penetrationem dimenſionis, atque; ſic Corpus Chriſti cū alio quod penetrabat, fuit in eodem loco. ergo eodem modo dicendum: quamuis ſpectando ordinem naturæ, videtur implicare, quòd plures Angeli in eodem genere Cauſæ poſſint vnum & eundem effectum producere: tamen ſpectando Omnipotentiam Dei, id ſine vllâ contradictione fieri poteſt. *Deinde.* Poteſt Deus tres Angelos aſſumere. & eoſdem in eodem loco, ac ſubiecto collocare, illiſq; tanquam inſtrumentis vti, quorum vnus producat albedinem, alius caliditatem, tertius illuminationem in eodem ſubiecto. ergo plures Angeli per Diuinam Potentiam poſſunt eſſe in eodem loco.

Opinio Ferar. contraria. Refutatio eius.

De⁹ poteſt facere vt duo corpora ſit ſimul in eodē loco.

29. *Ad extremum* Poteſt Deus corpora luminoſa tria in vno loco collocare: tunc demus, quòd quodlibet illorum ſit actiuum ad producēdum lumen vt quatuor, ſit quoque diaphanum ad recipiendum lumen diſpoſitum, vt quatuor. ergo producent lumen vt quatuor. & nō producetur ab vno tantùm, nec ab altero tantùm, ſed ab omnibus ſimul. ergo plures cauſæ adæquatæ, & virtute Diuina in eodem loco collocatæ, poſſunt vnum & eundem numero effectum ſibi adæquatum producere. Hæc enim duo luminoſa, non habent ſe ſicut tres portantes vnum lapidem; quorum vnus illorum, non poteſt illum ſupportare, ſed ſe habēt quòd vnumquodque luminoſum horum trium, poſſit eundem effectum

ctum v. lumen vt quatuor, perfectiſſimè producere. ergo eadem virtus Diuina poteſt præſtare, vt plures Angeli, tanquam cauſæ adæquatæ in vno loco ſimul exſiſtentes, eundem producant effectum.

DISPVTATIO IV.

De Motu Angelorum.

Conuenienter poſt locum aſſignatum Angelis, venit inquirendum de motu illorum locali: tria inquiremus:

1. *An Angelus localiter moueatur?*
2. *An moueatur de loco in locum, ſeu ab extremo ad extremum, non per tranſeundo ſpatium medium?*
3. *An motus Angeli ſit in tempore, an verò in inſtanti?*

QVÆSITVM I.

An Angelus poſsit moueri localiter?

Opinio Durandi.

1. NEgat Durandus *in 1. d. 37. p. 2 q. 1. Ratio eius*, quia locum aufert ab Angelis & per conſequens ab illis auferebat motum, qui neceſſariò præſupponit locum. dicebat enim (vt iam docuimus & confutauimus) quòd Angelus vbique eſt. ſi ſic? ergo omnia ſpatia locorū occupabit. ergo non poteſt Angelus vnum locum relinquere, & alium acquirere, quòd in motu neceſſariò requiritur. Quando autem dicitur contra eum, quòd Angeli de cælo in terram deſcendunt. Reſpondet hoc non ideò dici, quaſi verè deſcendāt; ſed quia viſibiles in corpore aſſumpto apparent: ſicut & Filius Dei: qui tanquam Deus implet cælum & terram dicitur tamen deſcendiſſe de cælo, quia viſibilis in noſtro corpore aſſūpto factus homo apparuit.

Angeli mouētur, & de loco in locum tranſeunt.

2. Pro determinatione Dico primò. *Veriſſima eſt Sentētia quæ affirmat Angelos moueri localiter, & tranſire de loco ad locū* Ita docet D. Th. hic D. Bonau. Scotus in *2 diſt 2.* & alii. PROBATVR locis Scripturæ: Ioan. 1. *videbatū Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominiū. & 5. Angelus Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam.* Sed omnis deſcenſus fit intra duos terminos, *à quo & ad quem*. ergo ſi Angeli deſcendunt, Angeli mouentur. Et Luc. 1. legimus: *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* hæc miſſio eſt intra terminos v. inter terminum *à quo*, cum dicit à Deo, & terminum *ad quem*, cū dicit ad virginem. Daniel etiam 14. habetur: *apprehendit eū Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitū ſui.* Angelus tulit Habacuc ex Iudæa in Meſopotaniam. (ecce termini motus) *poſuitq́ ſupra locum Leonum.*

num. Et Luc. 8. Dæmones rogant Chriſtum, ne mittantur in abyſſum ſed in porcos, qui ſimiliter ſunt termini, Nec interpretatio Durandi ſtare poteſt. nam quando dicitur Iſaiæ 64. *quomodo cecidiſti Lucifer*. hic idem Lucifer, & illius ſequaces, nõ cœperunt eſſe in inferno per hoc, quòd in aſſumptis corporibus apparuerint. *Tum* & in illius ſententia periculoſum eſt, cùm affirmat, Chriſti animam, non verè deſcendiſſe ad inferos, ſed ibi apparuiſſe per certum effectum, quod quidem eſt contra ſenſum Eccleſiæ. Deſcenſum quoq; Filii Dei, & deſcenſum Angelorum, longè aliter ſumere debemus, & nõ ſecundum eandem rationem, quia Fili⁹ Dei non deſcẽdit, neq; venit eò: vbi antea nõ erat, ſed apparuit in humana carne, ſecũdùm quã antea nõ erat illic: ſed Angelus, cùm deſcẽdit ſecũdùm ſuã ſubſtãtiã, deſerit cælũ, & incipit eſſe vbi antea nõ erat. vnde in articulo Fidei cõfitemur Chriſtũ aſcẽdiſſe ad cælum, credim⁹ illũ aſcẽſũ corporis Chriſti, fuiſſe ſecundùm verùm realẽ, & propriũ motũ. *Præterea* idẽ ſẽtiũt SS. PP. D. Ambr. *lib. 1 de Spiritu S. cap. 10.* vbi dicit Spiritum S. non moueri, quia eſt infinitus, & vbiq; exſiſtit: at verò alios Spiritus moueri à loco ad locum; quia ſunt finiti & creati. Et D. Damaſc. *lib. 1. de Fide cap. 17.* dicit, Angelum ob ſuã pernicitatem celeriter tranſire.

3. Dico ſecundò. *Moueri ſecundùm locum æquiuocè conuenit corporibus & Angelis*: Ita hic D. Th. *a. 1* Et Probatur; quia Angeli & corpora, nullam habent communem rationem exſiſtentiæ in loco, & motus ſecundùm locum, ſed penitus diuerſam. Ratio exſiſtendi in loco, & motus localis, qui Angelis conuenit eſt contactus virtualis & operatio: Ratio autem motus & loci, quæ competit corporibus, eſt continentia paſſiua, immo commenſuratio & Conſeruatio proueniens à loco in locatum. ergo habent diſtinctam rationem. ergo æquiuocè motus de illis dicitur. Ratio mot⁹ itidẽ quæ?

4. Dico tertiò. *Quamuis nõnullis videatur, (vt Caiet.) quòd Angelo impropriè conuenit exſiſtere in loco, & moueri ſecundùm locum: nihilominus probabilius eſt, (vt Scotus tenet in 4 Phyſ. Quæſt. 2. art. 2.) quòd Angelus & propriè exſiſtit in loco & propriè mouetur ſecundùm locum* PROBATVR *ratione prima*. Angelus ꝓpriè exſiſtit in loco & mouetur ſecundum locum. Quamuis enim Angelis & corporibus eſſe in loco conueniat æquiuocè, nihilominus æquiuocum de ſuis æquiuocatis propriè dicitur. Nam hoc nomen æquiuocum *Canis* propriè dicitur & de Cane animali latrabili, & de piſce marino & de ſydere cæleſti. ergo idem dicendum de loco, & de motu ſecundũ locum. quòd quamuis æquiuocè de Angelis, & de corporibus dicatur, de vtroque tamen propriè dicitur.

Ratio ſecunda. Angelum eſſe in loco, & moueri ſecundùm locum, nõ ſignificat formaliter habitudinem, ſeu ſimilitudinem. at exſiſtere in loco, & moueri ſecundùm locũ, quod corporibus conuenit, ſignificat realem contactum virtutis Angelicæ ad locum, ſiue permanentem, ſiue ſucceſſiuum: *Declaratur* quemadmodum à principio, quando hoc nomẽ *Canis* imponebatur piſci, ſyderi, erat ratio ſimilitudinis, quam habuit piſcis marinus, & ſydus cæleſte cum cane: hoc tamen nomen non eſt impoſitum eis ad ſignificandam ſimilitudinem, ſed ipſam ſubſtantiam: ita

hic, quamuis à principio, habita quidem fuerit ratio ſimilitudinis in attribuendo loco Angelo. (nam ipſi corpori verè conuenit motus:) tamē poſtquam iam dicim⁹ Angelum moueri, non intendimus formaliter ſignificare habitudinem, ſeu ſimilitudinem, ſed realem modum exſiſtendi in loco.

Mot⁹ Angelici ſubiectum eſt illius ſubſtantia, cumqua motus eſt idem realiter non formaliter.

5. Dico quartò. *Subiectum immediatum motus Angelici, eſt illius ſubſtantia cum qua motus, eſt idem realiter non formaliter* Probatvr Motus Angeli eſt quidam modus illius. ſed modus eſt in re, quam modificat ergo motus erit in Angelo, tanquam in ſubiecto. *Tum* Motus eſt in mobili, ſeu in re quæ mouetur. ſed Angelus eſt, qui mouetur. ergo in Angelo eſt motus. *Præterea.* Moueri localiter eſt verè & realiter mutari. ſed Angelus localiter mutatur; quia acquirit diuerſa *vbi*, & facit ſucceſſiuam repletionē noui ſpatii. ergo localis eſt motus in Angelo.

Nota Caietanum contrarium ſentire. dicit enim ſubſtantiam Spiritualem moueri abuſiuè. nam non mouetur quaſi ſit ſubiectum mot⁹ ſicut neque eſt in loco, quaſi ſit ſubiectum loci. ſed contrarium ſentiendum; ſiquidem (vt iam dictum) motus eſt in mobili, & Angelus ſecundùm ſuam ſubſtantiam mouetur de locó ad locum; proinde motus eſt in eo, alioqui non eſt credibile, quòd moueatur.

Mot⁹ Angeli localis cōſiſtit in applicatione virtutis ſuæ alicui ſpatio.

6. *Quæres.* In quonam conſiſtat moueri Angelum localiter? *Reſpondeo* in hoc conſiſtere, quòd applicet ſuam virtutem alicui ſpatio. de nouo per præſens operando. vnde D. Th. dicit: *Motus Angeli nihil aliud eſt, niſi diuerſi contactus diuerſorum locorum ſucceſſiuè: ſicut enim ſubſtantia Angeli eſt in loco per contactum propriæ virtutis: ita & Subſtantia Angeli eſt quæ mutat locum. & localiter mouetur.* Et hic motus localis, quomodo ſit in Angelo, hinc patet: quia in ſubſtantiis materialibus ratio exſiſtēdi in loco eſt quātitas: Ratio autem mouendi localiter, non eſt à quantitate. nam motus localis eſt intrinſecus mobili, & ab alio principio, quàm à quantitate oritur, & à potentia exſecutiua producitur: Ita etiam motus Angeli in Angelo eſt per contactum virtutis Angelicæ, inquantùm in diuerſis ſpatiis ſituatur: hic tamen motus non iam à ſolo contactu, ſed ab intellectu, voluntate. & electione Angeli, ſimulque ab imperio, & à Potētia exſecutiua procedit. Ex quo

Mot⁹ Angeli vnde procedat?

Collige quòd Angelus applicat ſuā Subſtantiam diuerſis locis quibus continuè vel diſcretè ſit præſens de nouo, per iudicium practicum, & electionem voluntatis, mediante potentiā exſecutiuā, tanquam inſtrumento. Et hic notanda eſt differentia inter corpora, & Angelos ratione motus. corpora enim quando mouentur, maximè, ſi per ſe primò mouentur, ſemper relinquunt vnū terminum, & alium acquirunt, vel totaliter vel partialiter : quod in motu Angeli non eſt neceſſarium, niſi quando Angelus exſiſtit in loco adæquato, & vult alium nouum adæquatum acquirere; & tunc, quia non poteſt eſſe ſimul, & in hoc adæquato, & in illo; ſi igitur vult nouū adæquatum acquirere, neceſſe eſt vt priorem deſerat, vel totaliter, vel partialiter : ſi verò Angelus penitus erat in loco inadæquato, tunc poteſt ſe de nouo applicare ad nouam partem

Inter corpora & Angelos ratione motus quæ differentia?

partem ſpatii, non relinquendo priorem; & in hoc à motu corporum differt. nam Angelus totus eſt in ſingulis ſpatii ſui partibus: corpus verò non poteſt eſſe totum in ſingulis partibus ſui loci, ſi contingat illud moueri. Rurſum.

7. *Quæres* Motus Angeli qualisnam ſit operatio? *Reſpondeo* quòd ſit vitalis: ſicut enim motus animalis, eſt quædã operatio vitalis, intrinſecè ꝓcedẽs à Subſtãtia animalis, vt à cauſa principali: à virtute verò motiua, vt à cauſa inſtrumẽtali. ita in Angelo Motꝰ localis eſt, operatio vitalis intrĩſecè ꝓcedẽs à ſubſtãtia Angeli, vt à cauſa principali; à virtute autem exſecutiua tanquam ab inſtrumẽtali. Et ſicut quando ſe mouet Anima, motus ille ei eſt maximè naturalis, & voluntariꝰ eſt enim ab intrinſeco cum cognitione finis: ſi verò renuat, eſt violentns: ita & in Angelo eſt motús naturalis, idemque voluntarius, quando ſeipſum mouet, vel quãdo ab alio ſeipſo cõſentiente mouetur: violentus ſi ſeipſo renuente moueatur ab alio.

Motus localis Angeli eſt operatio vitalis.

8. *Quæres deniq.* An Angelo conueniat motus continuus & diſcretus? *Reſpondeo* poſſe vtrumque conuenire. QVOD conueniat continuus *probatur*. Motus continuus eſt per quẽ prior locꝰ non relinquitur totꝰ ſimul, nec poſterior totꝰ ſimul acquiritur; ſed ſucceſſiuè & per partes inter ſe cohærentes: ita quòd quantum prioris loci deſeruerit, tãtum acquirat poſterioris. ſed tali motu conuenit Angelo moueri. nã eo mouebatur Raphael, quando in corpore aſſumpto iter faciebat cũ Tobia: talis quoque erat Angeli liberantis è carcere B. Petrum, quando eum duxit à carcere vsq; ad portam ferream; & hic motus ex duplici cauſa competit Angelo: *primò* quia in corpore aſſumpto apparet, quo quidem indiget vt continuè ſine interruptione per ſpatium moueatur: *ſecundò* reſpectu horũ, quos Angeli deducebant & comitabãtur.

Motus continuus conuenit Angelo.

Motus continuus duplici de cauſa cõpetit Angelo.

9. *Obiicies*. Ad motum continuũ requiri, vt mobile ſit partim in termino *à quo*, partim in termino *ad quẽ* ex 6. Phyſ. cap 4. ſed hoc Angelo non conuenit, cùm non habeat partes quantas, nec extenſas. *Reſpondeo* in Subſtantia Angeli non eſſe extenſionem; in eius autem operatione tranſeunte & exerna reperiri. *Reſpondeo 2.* quamuis Angelus per ſolam ſubſtantiã moueatur absq; vlla actione externa, tamẽ adhuc Angelus continuo motu mouebitur; non quòd per vnam quandam partem Subſtantiæ ſuæ, ſit in termino *à quo* & per aliam ſit in termino *ad quem*: nam partes non habet, quæ ſint extra alias ſed quia ſubſtantia Angeli, habet quandam præſentiæ ſuæ latitudinem. & eſt tota in vna parte ſpatii, & tota in altera, ſimulque tota in medio interiacente; atque ſic ſecundùm illam præſentiam, poterit ſucceſſiuè continuò motu moueri à loco in locum, ita, vt nulla ſit extẽſio, aut diuiſio partiũ in Angelo ſed ſolũ in ſpatio, ꝑ quod mouetur.

Obiectio.

Solutio.

Solutio 2.

QVOD verò præter motum continuum conueniat Angelo Motus Diſcretus, *probatur* Motus Diſcretus eſt, cuius partialia loca, nullo communi termino inter ſe coniunguntur, ſed vnus locus totus ſimul acquiritur, & aliꝰ totus relinquitur non per partes continuas, ita, quòd conſtet pluribus inſtantaneis mu-

Motꝰ diſcretus conuenit Angelo.

 tati

tationibus, ſiue pluribus *mutatũ. Eſſe* ſed vt deſerat totum priorem locum, & ſimul alium totũ acquirat

10. *Nota hîc.* quamuis Angelus ſecundùm ſuam Subſtantiam, non poſſit migrare ab extremo ad extremum, quin tranſeat ſubſtantialiter per medium; ſiquidem tota eius Subſtantia ſemper durat, eſtq; actu exſiſtens, quamdiu durat motus: tamen ſi motum eius conſideremus ſecundùm extremam operationem, iam tunc non eſt neceſſe vt Angelus tranſeat per medium, ſed poteſt immediatè ſe ab vno loco in alium transferre; & erit tunc motus diſcretus per diuerſas præſentias locales, ſecundùm diuerſas operationes ſucceſſiuas, quæ nullo modo inter ſe cohærent, ſed in locis diſtantibus concipiuntur.

Angel⁹ poteſt ab extremo ad extremum tranſire nõ attingendo medium.

11 Qvòd autem poſſit Angelus ab extremo ad extremum non attingendo medium tranſire, inde patet: quia Angelus eſt liberum agens, & idem (vt iam diximus) eſt in loco per contactum virtutis. ergo ſuſpẽſa ſuâ actione in medio, poterit in extremis alicuius ſpatii operari. Idẽ Angelus poteſt deſerere priorẽ locum totum ſimul, & deinde totum alium acquirere. ergo Angelus mouebitur ad extrema ſine medio.

Quæres An hic Motus Diſcretus Angeli dici poſſit vnus; ſiquidem illius partes nullam inter ſe connexionem habent? *Reſpondeo* poſſe vocari vnum vnitate ordinis, & relationis: ſicut numerus dicitur vnus: quia omnes illius vnitates habent ordinem, & relationem ad certam ſpeciem numeri; quamuis inter ſe non cohæreant, nec aliquo communi nexu iungantur: ita in Angelo omnes illæ operationes, & exſiſtentiæ partiales, referuntur & ordinantur ad vnum eundemq; terminũ; & ſic erit vnũ quid.

Mot⁹ diſcretus Angeli eſt vnus vnitate ordinis & relationis.

QVÆSITVM II.
An Angelus ex vno loco in alium poſsit moueri non pertranſeundo Medium

12. DICo primò. *Quandò Angelus mouetur motu continuo non poteſt moueri ab vno extremo in aliud, niſi pertranſeat medium.* Probatvr *ratione prima. 6. Ariſt. Metaph t. 40. 41. & 42.* dicit, id, quod mouetur continuè, priùs venire ad medium, quàm ad vltimum ſed Angelus (vt probatum) mouetur motu continuo. ergo prius venit in medium, quàm in extremum.

Angel⁹ dũ mouetur motu continuo, nõ poteſt moueri ab vno extremo in aliud niſi p. tranſeat medium.

Ratio ſecunda. Idem Ariſtoteles *4. Phyſicorum texru 99.* dicit, quòd in motu continuo, eſt ordo prioris & poſterioris, & hic quidem ordo, eſt ſecundùm ordinem prioris & poſterioris in magnitudine. ſed hic ordo in magnitudine extendit ſe per medium. ergo ſi Angelus mouetur mo-

In motu cõtinuo eſt ordo prioris & poſterioris.

uetur motu continuo, vt quidem mouetur, in motu eius erit prius & poſterius. ergo tranſibit per mediũ.

Ratio tertia. Id quod mouetur motu continuo partim eſt in termino *à quo*. partim in termino *ad quem*, ita vt quò magis procedit à termino, *à quo*, magis accedit ad terminum *ad quem*. ſed hoc fieri nequit, niſi mobile tranſeat ab extremo ad extremum per medium. ergo & Angelus tranſibit per medium in motu continuo.

Ratio quarta. Angelus per ſe continuè ſucceſſiuè poteſt applicare virtutem operandi ad diuerſas partes loci continuas. ergo motus eius erit continuus. ſicut enim Angelus eſt in loco, quando virtute propria contingit locum: ita motus Angeli continuus, erit continuatio eiuſdem contactus ſucceſſiua, ad diuerſas partes continui. ergo in Angelo eſt motus continuus per medium.

Obiectio.

13. *Obiicies*. D. Th. in 1. diſt. 2. q. 4. a. 1. ad 1, Oppoſitum tenet, v. Diſcretum Motum Angelo conuenire, & non continuum. *Reſpondet* Bannes, quòd in hac q. 53. a. 2. fortaſſis retractauit Dictum ſuum; ſed potiùs *Reſpondeo* quòd D. Th. in 1. Sent præciſè loquitur de motu conſiderato ex parte ipſius Angeli & ſic motus diſcretus magis eſt pro prius Angelo, quàm continuus. *Ratio eſt*, quia Angelus per diuerſas operationes, applicat ſe ad diuerſa loca independenter à Quantitate loci & ſpatii. in hoc verò art. loquitur abſolutè, non ſolùm vt motus ab Angelo procedit, ſed in quantũ Angelus in corpore aſſumpto eſt; & ſic mouetur motu continuo: quã uis ratio continuitatis cõſurgat ex quantitate ſpatii, circa quod ſucceſſiuè operatur.

Solutio illius.

Mot⁹ diſcretus magis eſt propri⁹ Angelo, quàm continuus.

Niſi informando corpus aſſũptũ

14. Dico ſecundò. *Quando Angelus mouetur motu diſcreto, poteſt tranſire ab vno extremo in aliud non pertranſeundo medium*. Hoc Dictum eſt contra Scotùm *in 2. diſt. 2. q. vlt.* Alb Magnum Alex. Alenſem. D. Bonau. Ægid. Rich. Peſantium. Radam. Valentiam: D. verò Thomas hic Capr. *in 2. diſt. 6.* Durand. *in 1. diſt. 37 q. 3.* Marſil. Ferar. & alii plurimi illud tuentur. *Probatur* Angelus ſecundùm ſubſtantiam ſuam non pendet à loco, nec à conditionibus illius, ſed pro ſua voluntate applicat ſe loco. ergo poſtquam ſe applicuerit vni loco etiam adæquato ſibi poterit ſimul totum illum deſerere, & alteri loco adæquato virtutem ſuã applicare, non applicando eandem medio. ergo non pertranſito medio, tranſibit ad extremum. *Confirmatur 1.* moueri Angelum nihil eſt aliud, quàm, cùm per electionem, & iudicium practicum applicat ſuam virtutem ad diuerſa loca. ſed ex ſua electione & voluntate, poteſt Angelùs ſuam virtutem applicare vni loco, & rurſum applicare in alio, non applicando circa medium; ſiquidem hæc applicatio eſt illi libera, ſpontanea, voluntaria. ergo mouebitur ab extremo ad extremum, non exſiſtendo in medio. *Confirmatur 2* Homo, cùm ſit liber in ſuis cogitationibus, poteſt duo extrema loci contemplari, nihil cogitando de medio. ergo & Angelus ſimiliter, per ſuam electionem liberam, poteſt duobus extremis applicare ſuam virtutem, abſtrahendo eandem à medio.

Angel⁹ mouendo ſe motu diſcreto poteſt tranſire ab vno extremo in aliud abſque medio.

Angelus ſecundùm ſuã ſubſtantiam non pendet à loco nec à conditionibus loci.

Moueri Angelum quid ſit?

Hhh 3 *Probatur*

15. *Probatur ſecundò.* Si hoc fieri non poſſet, maximè ideò, quòd repugnaret & implicaret contradictionem, ſi v. aliquod mobile tranſit ab extremo ad extremum, non attingendo medium. ſed hoc etiam corpori non repugnat. Corp⁹ enim Chriſti, quod eſt in cælo poſt conſecrationem Sacerdotis peractam, eſt in terris ſacramentaliter, ſine vllo tranſitu per medium. ergo hoc ipſum Angelo, tanquam ſpirituali ſubſtantiæ conuenit.

Ad extremùm. Si Angelus non poteſt trāſire ab extremo ad aliud extremum, non exſiſtendo in medio, ſequeretur, quòd non poſſet moueri, niſi in tempore ſucceſſiuo. hoc falſum; ſiquidem SS. PP. docent, Angelum ſubitò ad quemlibet locum poſſe moueri. D. Damaſcenus dicit, Angelum non eſſe vbiq; ſicut Deum, ſed velocitate ſuæ naturæ, promptè & citò, varia loca pertranſire. Tertul. etiam, *Angeli in momento vbiq; ſunt*, hoc eſt, non quidem omnia loca ſimul occupando, ſed diſtributiuè & ſucceſſiuè (vt iam docuimus) & D. Hieron. ait, nimia velocitate naturæ ſuæ vbiq; dicuntur præſentes.

Angeli in momēto vbi que ſunt, quomodo?

Obiectio.

16. *Obiicies 1.* Ordo naturalis præfixus à ſuperiori, non debet violari ab inferiori ſed hic eſt ordo, quem De⁹ in reb⁹ præfixit, vt inter omnia extrema corpora ſit medium aliquod. ergo Angelus cùm ſit inferior, non poteſt ab extremo ad aliud tranſire, non attingendo medium. nā aliàs violaret ordinē præfixū à Deo. *Reſpondeo* cum Caiet negando, quòd hic ordo ſit præfixus Angelo, & eius virtuti motiuæ, inquantùm motiua eſt in motu diſcreto. nam virtus Angeli, cùm ſit immaterialis, eſt abſoluta à conditionibus diſtātiæ ſitualis, à qua dependet corpus mobile, nec habet neceſſe, quantū eſt ex parte ſua, vt medium attingat, dum ab extremo ad extremum tranſit. *Tum* hic ordo ideo præfixus, vt intra corpora ſit medium, quo ſe mutuò contingant. ſed Angelus cū ſit ſpiritualis, nō opus habet hoc medio. ergo poteſt ab extremo ad aliud, nō exſiſtendo in medio tranſire.

Solutio ei⁹

17. *Obiicies 2.* Medium ſecundùm Ariſt. eſt id, in quod priùs venit illud quod mouetur ergo contra rationem medij eſt, vt aliquod mouēs non pertranſito medio, ad extremū perueniat. *Reſpondeo* Ariſt. loqui de eo motu, quem ipſe intellexerat. nullum enim alium intellexit præter continuum, proinde de hoc verum eſt, quod medium eſt id, in quod priùs venit id, quod mouetur motus autem Angeli præſertim diſcretus non pendet à loco, nec à magnitudine ꝑ quā mouetur: ſicut mot⁹ corporis. vnde nō tāgēdo mediū poteſt moueri. corp⁹ autē ea de cauſa nō poteſt moueri ab extremo ad extremū, niſi trāſeundo ꝑ mediū quia mot⁹ corporis pēdet à loco, & à magnitudine, per quā fit motus.

Obiectio.

Solutio.

Mediū motus quid?

Corpus quare non poteſt moueri niſi per medium?

18. *Obiicit* Scotus *in 2. diſt. 4. q. vlt.* ex D. Hier. *in Serm. de Aſſumpt B. Virginis*, quòd Chriſtus in cæleſti curia occurrit ei in cælum aſcendenti. ergo ſi occurrit, erat tranſitus per medium. & in Hiſtoria B Martini legimus, quòd Dæmones occurrerint illius animæ aſcendenti in cælum. ergo tranſibat per medium. *Reſpondeo* B. Virginem aſſumptam fuiſſe cum corpore & Anima; & ideo gradiebatur motu continuò, & eodem

Obiectio Scoti.

Solutio illius.

& eodem motu comitabantur eam exercitus Angelorum. Ad Hiſtoriam D. Martini dico, quòd Deo diſponente, ita anima eius per mediũ ferebatur, vt ſpirit⁹ maligni, qui in aere inhabitant, confunderentur, iuxta illud Pſal. 111. *Peccator*, hoc eſt Diabolus, *videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorũ peribit.* atq; ſic Angelus motu diſcreto poteſt moueri ab extremo ad extremũ, non exſiſtendo in medio.

QVÆSITVM III.
An Motus Angeli ſit in inſtanti?

Opinio quorundam dicens motũ Angeli eſſe omnino in inſtanti.

19. SVnt qui affirmant motũ Angeli omnino eſſe in inſtanti, vt Alb. Magnus in *1. diſt. 37.* Henricus *quodl. 13. q. 8.* Scotus in *2. diſt. 2. q. 11.* & *hic* aſſerit, quòd Angelus toto tempore vnius horæ eſt in cælo, & in vltimo inſtanti terminatiuo illius horæ eſt in terra. Sequuntur illum Gabriel ibid. *q.* 3. Greg. *in 2. diſt. 6.* RATIO *illorum.* Duratio temporis requiritur ad motum localem, quando aliqua occurrit reſiſtentia in medio; proinde Ariſt. 4. *Phyſ. t. 61.* affirmat; quòd, ſi corpus aliquod v. lapis demiſſus de cælo per vacuum moueretur, ille motus eſſet in inſtãti; quia nulla eſſet reſiſtentia in medio. ſed Angelo cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis nihil reſiſtere poteſt in medio. ergo in inſtanti moueretur. Pro determinatione.

Motus Angelici menſurantur tẽpore.

20. Dico cum D. Th. *Motus Angelici menſura eſt tempus.* PROBATVR. Motus Angeli aut eſt continuus aut diſcretus. ſed vterq; menſuratur tẽpore. ergo tempus eſt menſura Angelici motus. *Probatur* de motu continuo.

Motus continui eſt mẽſura temp⁹

In motu cõtinuo tranſit Angelus, & debet tranſire ab vno extremo ad aliud per medium. ergo impoſſibile eſt, quod hic motus fiat in inſtanti. *Tum* Motus Angeli continuus, habet quandam ſimilitudinem cum motu corporum. ſed corpus in motu continuo ſucceſſiuè relinquit vnum terminum, & accedit ad alterum, omnia media ſua magnitudine attingendo, ita & Angelus poterit cùm voluerit, priùs habitum locum ſenſim deſerere, & accedere ad alium, ſuà virtute attingendo medium; & ſic ille Angelus, qui ſtellam deferebat, quæ Magos ducebat, applicabat ſuam virtutem diuerſis locis, diuidendo aerem, & congregando materiam aptam lumini. ergo in tempore mouebatur.

Stella ducẽs Magos qua li cõſtabat materia.

Probatur de Diſcreto Motu, quòd ſit in tempore. Motus Angeli diſcretus neceſſariò componitur ex pluribus *mutatis Eſſe.* ergo neceſſariò menſuratur tempore, quòd componitur ex pluribus inſtantibus. *Conſequentia.* hæc enim duo, *mutatum Eſſe* & *Inſtans*, correſpondent ſibi. ſicut enim plura *mutata Eſſe* componunt motum: ita plura *inſtantia* component tempus.

Mot⁹ diſcretus menſuratur tempore.

21. *Nota 1.* Pro intellectione antecedentis motus Angeli diſcretus, quando componitur ex pluribus

mutatis

Mutata eſſe quid ſint?

mutatū eſſe non quomodocunq; conſideratis, ſed inquantùm ſumuntur per quandam ſucceſſionē, ita, quòd ad inuicem ſibi ſuccedant. nam de ratione intrinſeca mot⁹ eſt ſucceſſio. ergo debent ſibi ſuccedere.

Quæ requirantur ad mutata eſſe?

Noto 2. vt hui⁹modi *mutata Eſſe* cōponāt motū, nō ſatis eſt, quod ſibi ſuccedāt, & vnum ſit poſt aliud ſed op⁹ eſt, vt vnū ordinetur ad aliud; & ſic deſertio vni⁹ loci, ordinari debet ad acquiſitionē noui loci. *Declaratur.* Si enim Angel⁹ nuſquā eſt tanquā in loco, & ſi applicaret virtutē alicui loco ad operandū, & finita illa operatione, ſi rurſum non applicaret ſuam virtutem ad aliquem certum locū, ſed ſic permaneret ſine loco, ſine operatione, tunc ſi poſtea applicaret ſuam virtutem alicui loco, propriè loquendo non eſſet motus; quia neq; prior applicatio virtutis, neq; etiam poſterior, ordinata erāt ad inuicem: ſumpto tamen largo modo motu poteſt dici motus.

Motus componitur ex plurib⁹ mutatis *eſſe*.

Tempus ex pluribus inſtantibus.

22. *Noto 3.* Sicut motus componitur ex pluribus *mutatū Eſſe*, ita tēpus Angeli diſcretum quo menſuratur motus diſcretus ex pluribus *inſtantibus*, quæ reſpondent pluribus *mutatis eſſe*, quia menſura & menſuratum debēt proportionari, ſed motus qui componitur ex multis *mutatū Eſſe* inquantùm ſibi ſuccedunt, eſt id quod menſuratur. ergo tempus hunc ipſum motum menſurans, cōponetur ex pluribus *inſtantibus* ſuccedentibus ſibi.

Noto 4. Vnum *mutatum Eſſe* Angelici motus, & vnum *inſtans* temporis diſcreti, vnicam operationem Angeli faciunt: duo autem *mutata Eſſe* atq; duo *inſtantia*, faciunt duas operationes ſibi ſuccedentes, quæ cōſideratæ ſecundùm ſucceſſionem, faciunt motum diſcretum Angeli: conſideratæ verò in ratione temporis, faciunt tempus diſcretum.

Mutatū eſſe & inſtans, dupliciter conſiderantur.

Noto 5. Hæc *mutata Eſſe*, & *inſtantia* diſcreti motus & temporis Angelici, non habent neceſſe, vt correſpōdeant inſtantibus noſtri temporis, ſed indifferenter, aut parti noſtri tēporis, aut inſtanti. poteſt enim operatio Angelica coexſiſtere vni, aut duabus horis noſtri temporis, aut inſtanti.

Obiectio Scoti.

23. *Obiicies cum Scoto 1.* Angelus motu diſcreto non poteſt moueri in tempore. ergo in inſtanti mouebitur. ergo inſtans erit menſura motus Angelici. *Antecedens* tempus diſcretum Angeli, componitur ex duobus inſtantibus, à quibus non diſtinguitur. ſed Angelus in primo inſtanti non mouetur; quia tunc eſt in eodem loco, in quo erat priùs, & ob id non mutauit locum. ergo debebit moueri in ſecundo inſtanti, ſiquidē inter hæc duo inſtantia non mediat aliud inſtans intermedium, in quo poſſit dici, quòd Angelus mouetur nec valet ſi dicatur iſta duo inſtātia eſſe ſimul, in quib⁹ mouetur Angel⁹. non valet (inquit) quia illa duo inſtantia mutuò ſibi ſuccedunt: nā vnum eſt poſt aliud. ergo non ſunt ſimul.

Solutio illius.

Reſpondeo. Tempus diſcretum ab illis duobus inſtantibus non diſtinguitur materialiter; ſiquidem ex illis, tanquam ex ſuis partibus integralibus componitur: formaliter autem diſtinguitur. nam forma, quæ eſt in toto, non eſt in partibus: oratio enim eſt pars quantitatis diſcretæ ſucceſſiuæ, & hæc materialiter componitur ex ſyllabis, & morulis

Tempus ab inſtantibus quomodo diſtinguatur.

quibus-

quibuſdam, tanquam ex partib⁹ quibuſdam indiuiſibilibus: forma autẽ orationis non eſt in vna ſolùm, aut in altera, ſed in omnibus ſimul: ita & tempus diſcretum Angeli ex inſtantibus componitur, tanquam ex partibus: & ſicut primum inſtãs, ita neq; ſecundùm dicitur motus, ſed vtraq; ſimul ſumpta faciunt tẽpus: ita quoq; ratio motûs diſcreti, neq; eſt in primo inſtanti, neq; in ſecundo, ſed in omnibus ſimul: (ſimul) inquantùm conſtituunt vnũ tempus diſcretum ſiue motum.

24. Quando verò obiicitur, quòd inter illa duo inſtantia nihil mediet, in quo poſſit verificari, quod Angelus mouetur. *Reſpondeo*, quòd quãuis nihil ſit intermedium inter hæc duo inſtantia, nihilominus illa duo inſtantia conſiderata ſecundùm prius & poſterius faciunt tempus, quo motus diſcretus menſuratur. quando etiam dicit, duo illa inſtãtia ſunt ſimul: *dico* ſunt ſimul ſimultate immediationis, quia nullum inſtans inter illa mediat, vel dici poſ ſũt ſimul Metaphyſicè, inquãtùm tẽporis quidditas ex duobus inſtantibus ſimul concurrentibus componitur, & hoc ſatis eſt, vt dicatur Angelus ſimul moueri in vtroque inſtanti.

Duo inſtantia quomodo tempus faciunt.

Duo inſtantia quomodo ſint ſimul?

Obiectio 2.

25. *Obiicies 2.* Angelus in vnico inſtanti poteſt locum adæquatum acquirere, ſaltem per operationem tranſeuntem ergo in inſtanti mouebitur, & non in tempore. *Reſpondeo.* aliud eſt acquirere locũ, aliud moueri localiter. loci enim acquiſitio poteſt præcisè intelligi de vno tantùm loco. ſi enim Deus crearet Angelum in aliqua mundi parte definita, hic Angelus ſic creatus, acquireret in vnico inſtanti locum adæquatum, qui tamen non fuit in alio loco. ergo loci acquiſitio non indiget pluribus locis, quæ omnino ad motum localem Angeli requiruntur. nam illius motus ſunt plures contactus ad diuerſa loca ſucceſſiuè cum tranſitu ab vno loco ad alium; & ſic neceſſariò indiget tempore: cùm Angelus (vti iam dictũ) non poſſit eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis, & de ratione motûs eſt ſucceſſio, quæ ſecum tempus trahit.

Solutio eiuſdem.

Acqrere locum & moueri localiter qd ſit?

Motus Angeli qd ſit?

Obiectio 4.

26. *Obiicies. 3.* Tempus eſt menſura rerum. corruptibilium, quales non ſunt Angeli. ergo Angeli motus non menſuratur tempore. *Reſpondeo* quòd aliud eſt loqui de Subſtantia Angeli, & aliud de operatione: & rurſum, aliud eſt loqui de operatione immanente, & aliud de tranſeunte. Subſtantia igitur Angeli & illius actiones immanentes, nõ menſurantur noſtro tempore, vt obiectio vult: benè tamen menſurari poterunt illius actiones extrinſecæ tranſeuntes, inquantùm in ſubiecto ſenſibili, & corruptibili recipiuntur.

Solutio.

Operatio duplex.

27. *Quæres.* An tempus quo menſuratur motus Angeli, ſit idem cum tẽpore noſtro? *Reſpondeo* verbis D. Thomæ, quæ habentur *hîc a. 3. in Corpore* circa finem: *Iſtud tempus* (v. Angelicum) *ſiue ſit continuum, ſiue non, non eſt idem cum tempore, quòd menſurat motum cæli & quo menſurantur corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cæli. motus enim Angeli non dependet ex motu cæli.* Ex quo. *Collige* ſecundùm mentem D. Th. quòd tempus Angelicũ ſit diuerſũ à noſtro Expreſſit hoc idem in *1. p. q. 10. art. 5.* vbi ait: *Opera-*

Temp⁹ quo menſurãtur Angeli eſt diuerſum à noſtro.

ait: *Operationes naturales Angelorum, non menſurantur tempore ſed æuo: operationes autem liberæ immanentes, tempore ſuo menſurantur.* Pro meliori Intelligentia adhuc.

28. Dico primò. *Subſtantia Angeli & operationes illius connaturales non mẽſurantur tempore, ſed æuo: operationes verò liberæ tempore menſurantur non æuo.*

Subſtantia Angeli & operationes connaturales, menſurantur æuo operationes vero liberæ tẽpore

RATIO *eſt.* quia habent inter ſe rationem prioris & poſterioris: prius autem & poſterius, ſicut ad tempus ita & ad motum ſpectant. *Tum* quia hæ actiones ſunt mutabiles. nam incipiunt & deſinunt eſſe. ergo non menſurantur æuo. *Præterea.* Tempus eſt menſura motus ſecũdum prius & poſterius. ſed in actionibus Angelorum eſt mutatio ſecũdùm prius & poſterius. ergo menſurantur tempore. Æuum enim eſt menſura rei immutabilis.

Æuũ quid?

29. Dico ſecundò. *Tempus quo mẽſurantur actiones liberæ Angelorum, non eſt tempus noſtrum, ſed aliud diuerſum.* Ita docent Theologi circa *quæſt. 10. art. 5.* & PROBATVR. Ratio temporis ſumitur ex ratione motus vt docet Ariſt. *4. Phiſ. t. 97.* ſed motus in corporalibus eſt diuerſa ratio à motu Angelico. motus enim Angelorum eſt ſpiritualis, & conſtat ex impartibilibus & indiuiſibilibus mutationibus, quæ non inueniuntur in motu rerum corporalium. ergo eſt diuerſa ratio motûs. ergo quoq; erit diuerſa temporis, *Tum* quia tempus quo menſurantur actiones liberæ Angelorum eſt diſcretum. ergo eſt diuerſum à noſtro, quod quidem ſecundùm ſuam Eſſentiam eſt continuum.

Temp⁹, quo menſurãtur actiones liberæ Angelorũ eſt diuerſũ à noſtro.

Motus Angeli quibus conſtet?

30. Dico tertiò. *Actiones Angelorũ tranſeuntes in Materiam exteriorem, & prout in ea re recipiuntur, menſurantur tempore noſtro.* nam motus ille continuus, quem Angelus in corpore aſſumpto exercet menſuratur noſtro tempore: deinde Animæ rationalis actiones, vt intellectus & voluntatis propter dependentiam à Phantaſmatibus, tempore noſtro menſurantur. denique motus Raphaelis, quem vna cum Tobia exercebat, an non iiſdem paſſibus & greſſibus conſtabat, quibus & Tobiæ? ergo ſicut Tobiæ iter menſurabatur tempore: ita & Raphaelis menſurari debuit.

Actiones Angelorũ trãſeuntes menſurantur tẽpore.

31. Dico quartò. *Si ratio exſiſtendi in loco conueniret Angelo per operationem tranſeuntem, talis exſiſtentia in loco, poteſt menſurari tempore, ſecundùm conditionem ipſius operationis.* nam ſi operatio ſit ſucceſſiua, menſurabitur tempore: ſi verò ſit operatio tota ſimul, vt illuminatio, menſurabitur inſtanti.

Exſiſtentia Angeli in loco, menſuratur tempore.

Nota Operatio Angeli tranſiens in Materiam exteriorem, dupliciter conſiderari poteſt: *primò*: vt eſt in paſſo recepta, & in re corporea; & ſic iam menſuratur tempore noſtro quia eſt quædam ſenſibilis res, & corruptibilis. *ſecundò.* ſi conſideretur inquantum eſt ab Angelo egrediens, & eſt applicatio virtutis Angelicæ ſic non menſuratur tempore noſtro, ſed Angelico, tanquam propria menſurâ.

Operatio Angeli in materiã exteriorẽ trãſiens, dupliciter conſideratur.

AD Fundamentum opinionis reſpondeo cõcedẽdo quidẽ, quòd ad motum requiratur reſiſtẽtia medii, ſed quæ ſit cũ ordine prioris & poſterioris: cum verò obiicitur de graui, quòd in vacuo in inſtanti moueretur. Reſpondeo etiam quòd illud graue habet partes continuas, & inter

Solutio opinionis cùm ſuis rationibus.

Graue, ratione ſuarum partium cõtinuarũ habet intrinſecam reſiſtẽtiam.

& inter ſe diſtantes, & ſic ratione harum partium habebit reſiſtentiã intrinſecam. nam harum partium vna eſt prior, altera poſterior. vnde prior pars, debet priorem partem ſpatii tranſire, hanc debet ſubſequi ſecunda, ſecundam tertia, & ſic per conſequens. ergo non da. bitur motus in inſtanti etiam in vacuo.

Dictum vero Scoti, quòd Angelus tempore vnius horæ, eſt in cælo, & in vltimo inſtanti terminatiuo illius horæ, eſt in terra, limitat Caietanus; ſed potiùs dicendum; quòd in hoc motu, quem Scotus fingit eſſe duo inſtantia, vnum reſpectu quietis Angeli in cælo, vt eſt terminatiuum: alterum, quòd eſt initiatiuum motus localis, videlicet vt ſit in terra. ergo in hoc motu erunt duo inſtantia, quæ faciunt tempus. vide Banneſium *quæſtione 53. articulo 3. dubit 3.* Cumelium: Paulum Nazarium circa eundem articulum.

DISPVTATIO V.
De Cognitione Angelorum.

Hæ Diſputationes, quæ præceſſerunt, de his determinarunt, quæ pertinebant ad Subſtantiam Angeli; nunc inquirendum, & determinandum de Angeli actione, quæ quidem eſt *intelligere*: Duobus Quæſitis conſtabit.

1. *An intelligere & Eſſe Angeli, tum & Intellectiua Potentia ſit eius Subſtantia.*
2. *An in Angelo ſit Intellectus agens & Poſſibilis.*

QVÆSITVM I.
An Intelligere Angeli ſit illius Subſtantia?

1\. QVatuor cõplectemur *primò.* an intelligere ſit Subſtantia Angeli? *ſecundùm* an intelligere ſit eius Eſſentia? *tertium*, an Potentia intellectiua ſit ei⁹ Eſſentia? *quartum* an ſola intellectiua cognitio ſit in Angelo?

QVANTVM *ad primùm* Antiqui Philoſophi, vt Philopon⁹ Themiſtius *2. & 3. de Anima.* aſſerunt, Angelum intelligere omnia per ſuam ſubſtantiam: Ipſe quoq; Ariſt. *12. Metaph. cap. 8. & 9.* dicit: quòd *Subſtantia mouens immota, eſt ſua contemplatio,* hoc eſt, contemplari Intelligentiæ eſt ſua ſub-

ſua Subſtantia: & *t.29. & 30.* dicit: *In Subſtantiis ſeparatis, nullam eſſe Potentiam paſſiuam*: inſinuans eſſe puros actus Duran- *in 2. diſt. 3.* affirmat, quòd ſaltem illa intellectio, qua Angelus ſeipſum intelligit, non diſtinguitur à Subſtantia eius. *Ratio eius.* quia hinc maior perfectio Angeli colligitur; quando illius intelligere, ſit eius Subſtantia. Pro determinatione.

Intelligere Angeli, diſtinguitur à Subſtantia eius.

2. Dico primò. cum D.Th. *Intelligere Angeli. quæ eſt eius actualis operatio, diſtinguitur à Subſtantia eius*: ita Magiſter in 2. Marſil. ib. *q. 3.* Alenſis 2. *p. q. 24.* D. Dion. *de cæleſt. Hier. cap. 11.* dicit, quòd in Angelis diſtinguũtur Subſtantia, virtus, & Operatio. & SS.PP. confitētur ſolius Dei proprium eſſe habere Subſtantiam non permixtam accidentibus: iidem dicunt Angelos eſſe mutabiles in ſuis intellectionibus. & in illis eſſe illuminationes reuelationes. quæ intelligi non poſſunt ſine facta diſtinctione, inter intelligere Angelicum, & Subſtantiam eius. PROBATVR rationibus D. Th. *Ratio prima:*

Actio rei differt à ſubſtantia rei.

Actio rei, plus differt à Subſtantia, rei quàm ipſum *Eſſe* illius. ſed nullius creaturæ *Eſſe*; eſt illius Subſtantia. ergo nec intelligere Angeli, quòd eſt illius actio, nec alterius creaturæ Actiones erunt idem cum illius Subſtantia *Confirmatur* quod eſt actus purus, nullam potentialitatem admiſtam habens illius *intelligere* eſt ſua ſubſtantia. ſed Angelus non eſt purus actus; ſiquidem admittit potentialitatem. ſed hoc proprium eſt ſolius Dei. ergo nec illius *intelligere* eſt ſua ſubſtantia.

3. *Ratio ſecunda.* eiuſdem ducens ad Impoſſibile. ſi *intelligere* Angeli eſſet Subſtantia eius, *intelligere* eſſet ſubſiſtens. ergo tantum eſſet vnum ſiquidem abſtractum ſubſiſtens, nō plurificatur: quæ quidem plurificatio Materiam ſupponit, quæ hic nō habetur. ergo Subſtantia Angeli nō diſtingueretur à Deo. Deus enim eſt ipſum *intelligere* ſubſiſtens.

Abſtractum ſubſiſtēs nō plurificatur

Ratio tertia. ſequitur ex ſecunda ſi ſubſtantia Angeli eſſet ſuum intelligere. ſequeretur, quòd nō poſſent dari grad⁹ in intelligendo, videlicet quòd hic Angel⁹ perfectè, & hic perfectiùs intelligit. atqui dantur in Angelis hi gradus. ergo intelligere non eſt ſubſtantia. nam Subſtantia non ſuſcipit gradus maioris & minoris.

In Angelis dantur gradus intelligendo.

Operationes Angeli quotuplices.

4. Dico ſecundò. *operationes Angeli naturales, & ſupernaturales diſtinguuntur ab Eſſentia Angeli;* PROBATVR *primū.* quia omnis operatio naturalis eſt accidens abſolutum: ſed tale accidens habet diſtinctam formalitatem ab ipſa Eſſentia. nam Subſtantia per hoc, quòd ſit ſubſiſtens accidens verò ex eo quod inſit & inhæreat cognoſcitur ergo actio naturalis non eſt Subſtantia Angeli. *Probatur* ſecundum quòd operatio ſuper naturalis non ſit Eſſentia Angeli. Viſio beatifica & gaudium æternum ſunt actiones Angelorum ſupernaturales. ſed ſi hæ non diſtinguuntur ab Eſſentia Angeli, ſequeretur Propoſitiones has omnes eſſe veras *ſubſtantia Angeli eſt viſio beatifica: & Subſtantia Angeli eſt gaudium æternum*: Conſequens tamen eſt falſum. nam ſequeretur, quòd Angelus per ſuam naturam eſſet beatus; quod damnatum eſt in Clement. *At vniuerſum* de Hæreticis.

Naturales actiones, nō ſunt idē cū Eſſentia Angeli.

Viſio beatifica & gaudium æternū. ſunt actiones Angelorum ſupernaturales.

5. Dico tertiò. *Operationes Intellectus &*

Operationes Intellectus & voluntatis diſtinguitur realiter ab Eſſentia Angeli.

ctus & voluntatis, diſtinguuntur realiter ab Eſſentia Angeli. Ita communiter Theologi & Philoſophi, vno excepto Commentatore, qui in *12 Metaph. t. 51.* aſſerit, quòd in Subſtantiis ſeparatis, Eſſentia & operatio non diſtinguuntur contra; illum videtur D. Th. art. 1. direxiſſe: PROBATVR *ratione.* Angeli inferiores habent quaſdam operationes per illuminationem à ſuperioribus. ſed has non haberent niſi à ſuperioribus illuminarentur, ſiquidem ante illuminationem eſt Eſſentia Angeli. ergo tales operationes ab Eſſentia Angeli diſtinguentur.

Angeli inferiores, habent quaſdam operationes p illuminationem à ſuperioribus.

6. *Ratio ſecunda.* In Angelis Intellectio & volitio diſtinguuntur inter ſe realiter. ergo neutra operatio eſt idem formaliter cum Eſſentia. nam aliàs in Angelis id reperiretur, quòd eſt in myſterio Trinitatis, videlicet quòd duæ res realiter diſtinctæ ſint vna res formaliter, hoc eſt, ſicut perſonæ in Diuinis realiter diſtinguuntur inter ſe, & eædem cum Eſſentia Diuina ſunt idem realiter: ita Intellectio & volitio; quæ diſtinguuntur inter ſe realiter, erunt vna res, hoc eſt vna Eſſentia Angeli, quod quidem eſt falſum.

Intellectio & volitio in Angelis diſtinguuntur realiter.

Ratio tertia Sequeretur, quòd ſubſtantia Dæmonis, eſſet peccatum & quòd auctor ſubſtantiæ Dæmonis, nimirum Deus, eſſet auctor peccati. *Sequela* quia peccatum eſt actio Dæmonis, & hoc ipſum eſt ſubſtantia illius. ergo vt Deus eſt author ſubſtantiæ, eſſet author peccati, cùm peccatum quod eſt actio, ſit ſubſtantia Angeli.

Peccatũ eſt actio Dæmonis ac ſubſtantia illi9

7. Dico quartò. *Omnes operationes Angelorum, diſtinguuntur ab eorum Eſſentia, non ſolùm realiter formaliter, ſed etiam tanquam res à re:* Ita communiter docent Theologi. *Probatur 1.* Operatio Angeli eſt viſio beatifica, ſed hæc eſt ordinis ſupernaturalis, quia procedit à lumine Gloriæ ſupernaturalis. ergo viſio beatifica eſt alia res ab Eſſentia Angeli.

Operationes Angelorum etiam vt res à re ab eorũ Eſſẽtia diſtinguuntur.

Operatio Angelica eſt viſio beatifica.

Probatur 2. Operatio Angeli eſt quidam effectus proueniens à Subſtantia Angeli operantis. ſed effectus à ſua cauſa efficiente; tanquam res à re diſtinguitur. ergo habent hanc diſtinctionem.

Effect9 à ſua cauſa vt res à re diſtinguitur.

8. Ad rationes Ariſt. & aliorum Philoſophorum. *Reſpondeo* illos non eſſe audiendos; quia hanc perfectionem, quæ eſt ſolius Dei Angelis attribuebant. Deus enim propter ſummam ſimplicitatem omnẽ prorſus reſpuit compoſitionem: Angelus autem eſt compoſitus ex Eſſentia & exſiſtentia, ex Potentia & actu ex genere & differentia, ex ſubiecto & accidente (vt iam docuimus) Repugnat enim Angelo, vt eius operatio ſit idem quod ſua Eſſentia.

Solutiones argumentorum.

In Deo nulla datur cõpoſitio.

Ad Durandi Fundamentum *dico*: non ideo aliquam perfectionem alicui rei tribuendam eſſe, quia illius maiorem dignitatem oſtendit, ſed videndum, an hæc attributa perfectio, ſit illi debita, & naturæ eius conueniens iam autem ex doctrina D. Thomæ patet, quòd ſolius Dei eſt, vt illius *intelligere* ſit ipſius *Eſſe.*

9. QVANTVM ad alterum Dico ex art. 2. *Intelligere Angeli non eſt illius Eſſe* PROBATVR Actio Angeli, & cuiuſlibet Creaturæ eſt duplex, trãſiẽs quæ in materiam exteriorem tranſit, vt currere ſecare: & *immanens* quæ manet in agente, nec tranſit in aliquod exterius. vt intelligere ſentire. ſed nulla harum eſt idem quod *Eſſe* An-

Intelligere Angeli non eſt illius Eſſe.

Actio duplex.

Eſſe Angeli eſt intra Eſſentiam Angelicam.

Eſſe Angeli: *non tranſiens*: nam hæc eſt quidam fluxus in paſſum: idem vero *Eſſe* Angeli eſt intra ipſam Eſſentiam Angelicam; *non immanens* quia actio immanens Angeli, licet ſit intra ipſum, de ſua tamen ratione habet quandam infinitatem. intelligere enim quantum eſt de ſe, extẽdit ſe ad omnia intelligibilia: ſicut & velle habet ſe ad omnia appetibilia. ergo eſt quodammodo infinitum. ſed *Eſſe* cuiuſlibet creaturæ, & per Conſequens Angeli eſt determinatum & finitum. ergo neque actio immanens, eſt idem quod *Eſſe* Angeli.

Cuiuſlibet creaturæ eſt Eſſe determinatum.

10. QVANTVM ad tertium Dico. *Quòd neque in Angelis neque in aliqua creatura Potentia eſt idem quod ſua Eſſentia.* PROBATVR I. nulla ſubſtantia immediatè operatur per ſuam Eſſẽtiam, ſed indiget, vt ad operandum habeat ſuperadditam ſibi virtutem, ſeu Potentiam *Declaratur* ſi enim aliqua ſubſtãtia immediatè operaretur ſecundũ ſuam Eſſentiam, talis vel eſſet Anima rationalis, vel Angelus hoc fieri non poteſt. nam D. Dion. *lib. de cæleſt. Hier.* diſtinguit in Angelis Eſſentiam: virtutem, & operationem: & nomine *virtutis* intelligit naturalem Potentiam: qualis eſt in Angelis Intellectiua. ergo Potentia intellectiua non eſt idem, quod Eſſentia Angeli.

Potentia in Angelo ſiue in creatura aliqua non eſt idẽ quod ſua Eſſentia.

Vbi diuerſi Actus ibi & diuerſæ potentiæ.

Probatur ſecundò. Vbi ſunt diſtincti & diuerſi actus, ibi etiam diuerſæ & diſtinctæ potentiæ dari debent. ſed actûs Eſſe, & operatio intellectiuæ Potentiæ ſunt actus diſtincti. nam *Eſſe* eſt actus Eſſentiæ Angeli: Operatio verò ſiue intelligere eſt actus Potentiæ intellectiuæ. ergo Potentia Intellectiua, & Eſſentia Angeli diſtinguuntur.

In Angelis præter intellectiuam cognitionẽ nulla alia poteſt dari.

11. QVANTVM ad quartum Dico. *Præter intellectualem cognitionem nulla alia in Angelis dari poteſt* PROBATVR. Si enim aliæ præter hanc eſſent in Angelis, oporteret hanc eſſe Senſitiuam, quæ per ſenſus tam internos, quàm externos acquiritur. ſed tales ſenſus non ſunt in Angelis, quia ſicut corpore carent: ita & organis corporeis. nã Angeli dicuntur Intelligẽtiæ & ſubſtãtiæ ſeparatæ, ac ſpirituales. ergo in Angelis nõ eſt cognitio Senſitiua

QVÆSITVM II.
An in Angelo ſit Intellectus Agens, & Poſsibilis?

12. SCot⁹ in 2. *diſt.* 3. *quæſt vlt.* quem ſequitur Greg. in 2. *diſt.* 7. aſſerit, & ſuis rationibus oſtendit, in Angelis verè, & propriè dari Intellectum Agentem, & Poſſibilem; ſed hæc eius opinio paſſim reiicitur. Proinde

Intellectus Agẽs & Poſſibilis non eſt ſecundũ proprias ſuas rationes in Angelis.

13 Dico primò. *Intellectus Agens & Poſſibilis ſecũdùm ſuas proprias rationes nõ eſt in Angelis.* PROBATVR Propria ratio Intellectûs Poſſibilis, eſt vt ſit potentia in genere intelligibiliũ, tã ad actũ, primũ v. ad recipiẽdas ſpecies, quàm ad actum ſecundum, v. ad in-

ad intelligendum. idem quoque eſt pura potentia. nam ſicut Materia prima dicitur eſſe pura potentia; quia eſt in potentia ad recipiendas formas: ita & Intellectus poſſibilis eſt in potentia ad recipiendas ſpecies. vnde eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil depictum. nam à principio caret actibus & ſpeciebus, ſed eſt in potentia, & capax illorum. at hæc propria ratio Intellectus Poſſibilis non eſt in Angelo; ſiquidem Angelus habet ſpecies congenitas, & ſemper habet aliquem actum. vnde eſt in actu, & non in potentia reſpectu omnium Intelligibilium: & quamuis Angelus poſſit etiam de nouo aliquas recipere ſpecies rerũ ſupernaturalium; videlicet quando illuminatur à ſuperiori Angelo, vel etiam quando recipit ſpecies cogitationum cordis: tamen ſimpliciter nõ poteſt dici intellect⁹ Poſſibilis; quia non eſt pura potentia, cùm non poſſit ceſſare ab omni actu: propria verò ratio Intellectûs Agentis hæc eſt, quòd ſit Potentia quædam ſpiritualis, quæ Intellectum poſſibilẽ reducit effectiuè de potentia ad actum primum, producendo ſpecies Intelligibiles, cum concurſu Phantaſmatis. ſed hæc ratio non competit Angelo. nam Angelus (vt diximus) habet ſpecies congenitas. ergo non opus habet illas abſtrahere nec facit conuerſionem ad Phantaſmata; ſiquidem eſt ſubſtantia Spiritualis non alligata corpori ergo Intellectus nec Agens, nec Poſſibilis ſecundùm propriam rationẽ conuenit Angelis.

Intellectus à principio caret actibus & ſpeciebus.

Angelus habet ſpecies congenitas

In Angelo nulla ratio ne poteſt dari Intellectus Poſſibilis.

Neque etiam agens.

14. *Obiicies 1.* quòd Angelus poſſit inſpicere Phantaſiam, & imaginationem hominis, & ex illis colligere ſpecies. *Reſpondeo* hoc fieri non poſſe; quia cùm Angelus ſit Intellectualis natura, non habens ordinẽ cum Phantaſia hominis, neque etiã habebit vnionem. *Tum* ſi in genere intelligibilium dependeret Angelus à Phantaſia hominis, ſequeretur, quòd Angelus reſpectu hominis eſſet quid infimum ſupremi. hoc dici non debet, ſed potius ipſa Anima rationalis eſt ideo infimum ſupremi, hoc eſt; quia in genere intellectualium eſt ita infimum, vt in ſua intellectione depẽdeat ab organo corporeo, quod eſt Phantaſia.

Obiectio 1.

Solutio illius.

Anima ſupremi infimum, quomodo ſit?

15. Obiicies 2. Magnus Alb. *3. de Anima Tract. 2. cap. 18.* Intellectum Agentem ponit in Angelis, non ad productionem Specierum, ſed vt Angelus poſſit ſe reflectere. per lumen ſuum, ſuper formas intelligibiles exiſtentes intra ſe: ſicut etiã nonnulli ponunt in homine intellectum agentem, non ſolùm ad productionem ſpecierum; ſed etiam, vt faciat euidentiam primorum Principiorum. *Reſpondeo* quòd Angeli intellectus ex natura ſua ſatis eſt ſufficiens ad reflectendum ſupra ſeipſum, & ſupra omnia, quæ in eo ſunt; ſiquidem eſt Potenria Spiritualis perfectiſſima. *Præterea* Intellectus Agentis in nobis ſolùm eſt officium producere ſpecies; & hoc modo & non alio facit euidentiam Principiorum.

Obiectio 2.

Solutio ei⁹

16. *Obiicies 3.* Intellectus Angeli quandoque eſt in Potentia ad cognoſcendum ſuum obiectum, & poſtea reducitur ad actum; quia Angelus non ſemper, nec ſimul cognoſcit omnia, quæ poteſt cognoſcere. ergo dabitur in eo intellectus poſſibilis qui

Obiectio 3.

bilis qui

bilis, qui eſt in potentia ad intelligendum: *Reſpondeo* cũ D. Th. nos loquide tali intellectu poſſibili, qui ſit in remota potentia ad intelligendũ, priusquam recipiat ſpecies Intelligibiles, per quas conſtituitur in potentia proxima ad intelligendum. atqui Angelus habet ab authore ſuo inditas & congenitas ſpecies omnium rerum. vnde nõ poteſt eſſe in eo Poſſibilis intellectus.

Solutio.

Obiectio 4 Scoti.

17. *Obiicies.* cum Scoto, Adæ inditæ erant ſpecies omnium rerum à Deo nihilominus in Adam fuit Intellectus Agens & Poſſibilis. ergo hoc idem de Angelis dicendum *Reſpondeo* quòd Intellectus Angeli ſemper eſt in actu ſecundo, per actualem cognitionem ſui obiecti proportionati, quod quidem eſt Eſſentia Angeli: Sicut enim Deus per cognitionem ſuæ Eſſentiæ cognoſcit omnia, & ſingularia, & in communi: ita proportionaliter Intellectus Angeli cognoſcendo ſuam propriã Eſſentiam, non impeditur, ſed iuuatur vt alia cognoſcere poſſit, ſiue ſint materialia Entia, ſiue immaterialia, & vel in communi, vel in ſingulari. vnde intellectus Angeli non poteſt dici Poſſibilis. Ad illud quod de Adam obiicitur *reſpondeo* quòd illæ ſpecies, quas accepit in ſui creatione, fuerunt per accidens infuſæ quia non erant illi debitæ. vnde nõ mirum, ſi in Adam intellectus Agẽs reperiebatur; quia debuit de facto intelligere, & debuit etiam ad Phantaſmata per cõuerſionem, ſine qua Intellectio humana in hac vita fieri non poteſt, recurrere.

Solutio illius.

Deus p cognitionem ſuæ Eſſẽtiæ cognoſcit omnia.

Species, quas Adam in ſui creatione accepit fuerunt peraccidẽs ꝑ infuſæ.

18. *Obiicies 4.* Eſto ſit obiectum Intellectus Angelici: hoc tamen aut erit quidditas ſingularis, aut in communi? non ſingularis; quia Intellectus Angeli non poſſet ſe extendere ad plura, niſi ad illam ſolã rem ſingularem. non in communi. nam in Angelo debebimus neceſſariò concedere Intellectum Agentẽ, cuius eſt officium abſtrahere Quidditatem, & ſic illius communem rationem conſtituere.

Obiectio 4

Reſpondeo 1. nos non negare quidditatem rei immaterialis, eſſe etiam obiectum Intellectûs Angelici, nihilominus tamen addo, quòd eius Obiectum formale eſt Eſſentia illi⁹ propria, & hoc quidem non eſt verè motiuum, quia non recipit ſpecies ab obiecto, ſed eſt quaſi motiuum. nam illius cognitio eſt illi naturalis, & eá mediante cognoſcit omnia alia, vt docet D. Th. *q. 55. a. 1. ad 3.* vbi dicit: *tam ea, quæ ſunt infra Angelum, quàm ea quæ ſunt ſupra, ſunt quodam modo in eius Subſtantia, non perfectè, nec ſecundùm propriam rationem, ſed in communi.* ergo vt ſic Eſſentia erit Obiectũ Intellectus Angelici.

Solutio eius.

Mediante ſua cognitione Angelus cognoſcit omnia.

19. *Reſpondeo 2.* Non quæcunque abſtractio eſt propria Intellectus Agẽtis, ſed illa ſolùm, quæ fit à phãtaſmatibus; & in eum finem, vt Intellectus Agens ſit in actu, & Poſſibilis ſit intellectiuus. & talis abſtractio non eſt in Angelis; quia habet ſpecies à Deo ſibi congenitas.

Solutio 2.

Demum reſpondeo. quòd ſingularitas non impedit, quominus alia intelligantur; ſi ſit ſpiritualis, qualem hic intelligimus. Deus enim ſingulariſſimam ſuam Eſſentiam intelligens, omnia alia cognoſcit: ita & Angelus ſuam ſingularem cognoſcendo Eſſentiam, cognoſcit & alia quæ in illa ſunt.

Solutio 3.

Deus ſingulariſſimam ſuam Eſſentiam cognoſcendo, cognoſcit omnia.

20. *Quæres.* An aliquo modo reperiatur

Intellectus Agēs & Poſſibilis reperitur in Angelis, ſed nobiliori modo.

periatur in Angelis Intellectus Agēs & Poſſibilis. *Reſpondeo* reperiri, ſed nobiliori modo, quàm in nobis. nam ita natura comparatum eſt, vt perfectiones, quæ ſunt in inferioribus ſparſæ, nobiliori quodā modo ſint & reperiantur in ſuperioribus, v. quæ erant in inferioribus ſparſæ, in ſuperioribus ſint collectæ & vnitæ. Vna enim virtus corporis cæleſtis, continet in ſe omnes perfectiones inferiorum corporum cæleſtium, & elementorum, ſed altiori modo. idem conſtat in potentiis ſibi ſubordinatis. nam vnicus ſenſus communis iudicat de obiectis quinque ſenſuum, & illorum operationem exercet. ita loquendo in Propoſito, Lumen intelligibile, quòd eſt in Intellectu Agente, nobiliori modo eſt in Angelo, quòd videt plura & meliora intelligibilia: ipſa quoque receptio ſpecierum intelligibilium, quod eſt officium Intellectûs Poſſibilis, perfectiori modo eſt in Angelo, eò, quòd magis & modo ſubtiliori intellectus Angeli vnitur reb⁹ intellectis.

Senſus Cōmunis iudicat de obiectis aliorum ſenſuū.

Lumen intelligibile eſt in intellectu agente receptio ſpecierum in poſſibili.

DISPVTATIO VI.

De medio cognitionis Angelicæ.

Medium, per quod Angelus cognoſcit, aut eſt illius ſubſtantia, aut ſunt ſpecies: & hæ, aut à rebus acceptæ, aut illis à Deo inditæ: hæ rurſus an eodem modo in omnibus Angelis reperiantur? proinde tria hîc inquiremus.

1. *An Angeli cognoſcant omnia per ſuam Eſſentiam?*
2. *An intelligant per ſpecies eaſdemq́; recipiant à rebus?*
3. *An Angeli ſuperiores cognoſcant per ſpecies magis vniuerſaliores quàm inferiores.*

QVÆSITVM I.

An Angeli cognoſcant omnia per ſuam Eſſentiam?

Subſtantia Angeli nō eſt ſufficiēs ad omnia pfectè cognoſcenda.

I. PRo determinatione. Dico primò cum D. Th. *Subſtantia Angeli eſt quidem medium intelligendi, ſed non eſt ſufficiens, vt per illam poſſit omnia perfectè & diſtinctè cognoſcere.* PROBATVR I. talis cognitio eſt propria ſoli⁹ Dei, illiuſq́; Eſſentiæ, vt ſit perfectiſſimū medium

mediũ, vt poſſit omnia cognoſcere.

Differentia inter Deum & creaturã

Declaratur. Hoc intereſt inter Deũ & creaturam, quòd Deus eſt cauſa omnium, eorumq; quorum eſt cauſa, tã rationes cõmunes, quàm ꝓprias tã ſubſtantiales, quàm accidẽtales, eaſdemq; indiuiduas continet, quod nulli creaturæ conuenire poteſt. & eam ob cauſam, quòd omnia à ſe producta ſecundùm omnes rationes, tam communes, quàm proprias, perfectiuè & eminenter contineat, non ſolùm ſecundùm *eſſe* reale, ſed etiam ſecundùm *eſſe* intelligibile, & repræſentatiuum intelligit omnia; idcirco diſtinctè & perfectè omnia cognoſcit: Angelus autem quamuis ſit ſupremus & perfectus, ſicut non poteſt eſſe cauſa omnium, ita neq; perfectè per ſuam ſubſtantiam cognoſcit omnia.

De⁹ eſt cauſa omnium. Angelus verò non poteſt eſſe cauſa, licet ſit perfectus.

2 *Probatur 2.* Vt Angelus per ſuã Eſſentiam, tanquam per formã intelligibilem poſſit omnia cognoſcere, neceſſe eſt, vt eadem Eſſentia potentiã Intellectus Angelici expleat omnibus his, ad quæ ſe intellectus intelligenda extendit. ſed per Eſſentiam Angeli non expletur illius intellectûs potentia, vt in illa habeat omnia, ad quæ ſe illius intellectio cognoſcenda extendit. ergo per ſuã Eſſentiam non cognoſcit omnia diſtinctè. *Minor.* forma enim, quæ nõ continet in ſe perfectionem omniũ ad quæ ſe extendit aliqua potentia, nunquam explet talem potentiam. v. g. in materia eſt habilitas ad recipiendas formas naturales. ſi igitur poſſet aliqua forma talis reperiri, quæ omnium formarum naturalium perfectiones in ſe contineret, illa ipſa forma expleret omnem habilitatem Materiæ ad formas: ita quoq; ſi potentia intellectiua Angeli poſſet per ſuam Eſſentiam explere illius habilitatem, quæ eſt ad cognoſcendum omnia perfectè, tũc illa iam habilitas non eſſet ad alia cognoſcenda; ſed quemadmodum nulla eſt forma naturalis, quæ contineat omnes perfectiones in ſe formarum naturalium: ita neq; Eſſentia Angeli poteſt omnia intelligibilia, ad quæ ſe intellectus extendit in ſe continere. ergo Eſſentia Angeli nõ eſt ſufficiẽs, vt per eã Angelus diſtictè & perfectè cognoſcat omnia.

Angelus nõ poteſt per ſuam Eſſentiam cognoſcere omnia diſtinctè.

Forma naturalis nõ poteſt in ſe cõtinere perfectiones ſuas omnes.

3. Dico ſecundò. *Cùm Eſſentia Angeli* (vt deductum) *non ſit ſufficiens medium ad cognoſcenda omnia, neceſſariò in Angelis ſunt ponendæ ſpecies*: ita ſentiunt Scholaſtici & ipſe Scotus. D. Dion. *de Diu. Nomin. c. 4. & 7.* vbi dicit: *ſoli Deo conuenire, vt ex ſeipſo & per ſuam ſubſtantiam omnia cognoſcat: Angelos autem nonniſi participatione Diuinæ lucis.* quod ita intelligendum: Deus, cùm ſit cauſa omnium rerum à ſe productarum, continet omnium proprias rationes. vnde per ſuam Eſſentiam omnia diſtinctè & perfectiſſimè cognoſcit, quòd quidem Angelo non conuenit, cùm non ſit cauſa efficiens omnium. Et *ratio eſt* D. Th. Angeli Eſſentia eſt finita, nec continet res in ſe eminenter, neq; habet cum illis vllam habitudinem, & connexionem cauſæ, aut effectus. ergo Eſſentia Angeli ſola non eſt ſufficiens ad cognoſcendas res diſtinctè; proinde admittendæ ſunt ſpecies intelligibiles. *Tum* per intellectionem producitur à cognoſcente naturalis quædam ſimilitudo rei cognitæ. ſed hãc ſe ſolo non poteſt intellectus producere. ergo indiget aliquâ formâ,

In Angelo neceſſariò ponẽdæ sũt ſpecies.

Angeli Eſſẽtia eſt finita.

& hanc

& hanc dicimus eſſe ſpeciem intelligibilem.

Obiectio. 4 *Obiicies* Subſtantia Angeli eſt ſufficiens ad repræſentandum. ergo

Solutio ei⁹ ſpecies non ſunt neceſſariæ. *Reſpondeo* Eſſentiam Angeli eſſe quidem ſufficiens principium ad cognoſcẽdum: non tamen eſt proximum principium, nam hoc eſt intellectus cum ſpecie.

QVÆSITVM II.

An Angeli intelligant per ſpecies à rebus acceptas?

Opinio Scoti.

TRes hic reperio Opiniones: *Prima eſt* Scoti *in 2. diſt. 3. q. 11. 12.* qui dicit tria: *primò*, quòd Angelus accepit à Deo ſpecies concreatas, repræſentantes ſibi ſubſtantias ſpirituales, & quidditates rerũ materialium genericas ac ſpecificas *ſecundò* quòd, ſi hæ ſpecies non eſſent Angelo inditæ, poterat Angelus virtute ſua naturali illas à rebus accipere. *tertiò* quòd Angelus à principio ſuæ conditionis non accepit ſpecies repræſentantes rerum materialium indiuidua futura contingentia, & eorum quæ pendent ex libero arbitrio, ſed horum omnium colligit ſpecies ab ipſis rebus.

Opinio 2. *Secunda eſt* Alexan Alenſis in *2. p. q. 23.* quam Gabriel approbat, & hic duplices ſpecies in Angelo ponit: *concreatas & à rebus acceptas*; & per ſpecies à rebus collectas, dicit fieri cognitionem naturalem: per concreatas verò, ſeu per infuſas fieri cognitionem ſupernaturalem.

Opinio 3. *Tertia eſt* quæ dicit quòd Angeli ſtatim à principio ſuæ creationis, ſpecies omnium rerum naturalium habent, & quòd nullas à rebus accipiunt. eſtq; D. Th. hic in *1. p. q. 55. a. 2. & 2. con. gen. c. 96 & 98.* quam paſſim tuentur Thomiſtæ maximè ex recentioribus Cumelius Nazarius. Pro determinatione

6. Dico. *Species, per quas Angeli intelligunt, non ſunt à rebus per illos acquiſitæ, ſed ſunt illis à primo inſtanti ſuæ creationis infuſæ.* PROBATVR ex c. 28. Ezechielis, vbi in figura Regis Babylonis dicitur ſupremo Angelo: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ perfectus decore*, & tandem ſubiicit *in die qua conditus es.* Ex qua argumentor ſic. — Species per quas Angeli intelligunt, ſunt illis à primo inſtanti ſuæ creationis infuſæ.

A prima die ꝓductionis ſuæ, nõ habuit Angel⁹ ſpecies infuſas. ergo non ſapiẽtiâ ſed ignorantia fuit plen⁹ & quòd eſt falſũ & D. Aug. *l. 2 de Geneſi c. 8 & c. 30.* dicit: *Corporales creaturas priùs fuiſſe factas in mente Angelica, quàm in ſeipſis, & factas fuiſſe in Angelis ſecundùm creatam in illis ſapientiam, id eſt ſecundùm eſſe obiectiuum, vel ſecundùm ſpecies & ſimilitudines impreſſas.* Ex quo colligere licet: ſi Angeli (vt D. Auguſt. docet) habent in mente ſua res corporeas, & non quidem ſecundũ *eſſe* reale, ſed ſecundùm ſpecies cõgenitas. ergo illas habuerunt antequam creaturæ fuiſſent creatæ. ergo illas à creaturis non accipiunt,

& D Di-

& D. Dion. *c. 7. de Diu. Nomin.* dicit: *Angelos ſcire ea, quæ in terris fiunt, non quidem ea ſenſibus hauriendo, ſed propriâ ad Dei imaginem effectæ mentis virtute atq; naturâ*, hoc eſt, cognoſcere per ſpecies ſibi inditas, neq; haurire cognitionem ex ipſis rebus.

Angelus, & in eſſe & in fieri, & conſeruari pendet à Deo.

7. PROBATVR & *ratione prima* D. Th. Angelus & in *eſſe* & in *fieri* & in *conſeruari* pendet à Deo; quoniã ab eo ſolo producitur. ergo etiam à ſolo Deo pendebit in intelligẽdo.

Inſtãtia Durandi.

Reſpondet Durandus etiam anima rationalis, & in *eſſe*, & in *fieri*, & in *cõſeruari* à Deo ſolo pẽdet: & tamẽ in intelligendo, non à Deo, ſed à phantaſmatibus pendet. *Reſpondeo* diuerſam eſſe rationem de anima rationali. hæc enim, quamdiu eſt in corpore, ita ordinante Deo dependet à ſenſibus: ſeparata autem à corpore, intelligit per ſpecies ſibi gratuitò à Deo infuſas.

Solutio inſtantiæ.

Cæli à primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt vim inditã ad motum ſphæricum exercendum.

Ratio ſecunda. Angelus non minùs in primo inſtanti ſuæ creationis, fuit perfectus in ratione formæ intellectiuæ, quàm fuerint cæli in ratione formæ Sphæricæ. ſed cæli à primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt omnem vim ſibi inditam, & neceſſariam ad motum Sphæricum exercendum. ergo & Angeli ſtatim ab initio ſuæ productionis habuerunt omne præſidium neceſſarium, ad intelligendum omnes & ſingulas res naturales. ſed hoc præſidiũ non potuit eſſe ſine infuſis ſpeciebus, quæ ſingulas res creatas exprimebant. ergo illas ſpecies habent à primo inſtanti creationis.

Primis parentibus in inſtanti creationis ſpecies erãt infuſæ.

8. *Ratio tertia.* Ex communi doct. Theologorum, primis parentibus infuſæ fuerunt ſpecies à primo inſtanti creationis, quæ repræſentabant res naturales: idem fatendum de Anima Chriſti. ergo idem de Angelis affirmandum.

Ratio quarta. Angelus nullo modo poteſt accipere ſpecies à rebus. ergo reſtat vt eas à Deo habeat, quoad ſui perfectionem. *Antecedens.* Si enim Angelus acquireret ſpecies. ergo ſucceſſiuè. ergo hoc fieret, vel quia eas Angeli producerent? vel quia ipſa obiecta ſpecies ſuas in Angelos transfunderent? neutrum dici poteſt. ergo non producunt. *Probatur primum.* Angeli antequam habeant ſpecies, nullo modo cognoſcunt res externas, nec poſſunt earum ſimilitudinem in ſe producere.

Angeli non poſſunt ſpecies ſibi producere.

9. *Obiicies.* poteſt Angelus à reb⁹ ſenſibilibus abſtrahere ſpecies; ſiquidem lumen intellectus eius ſit potentius & fortius noſtro. *Reſpondeo.* quantumcunq; hoc lumen ſit potentiſſimum, non poterit adhuc Angelus accipere ſpecies, quia ab extremo ad extremum non peruenitur niſi per medium: *Eſſe* formæ in materia, & *Eſſe* formæ in intellectu, ſunt duo extrema, inter quæ eſt medium, *Eſſe* formæ in imaginatione. vnde ſi vult Angelus abſtrahere, vt iſtud *Eſſe* formæ in intellectu, ſit etiam in ipſius intellectu, debet per medium tranſire, v. vt ſit *Eſſe* formæ in imaginatione. hoc impoſſibile; ſiquidem caret imaginatiuâ Angelus. ergo non poterit abſtrahere ſpeciem.

Obiectio. Solutio eius.

Obiicies iterum. quòd ipſa præſentia Obiecti ſufficit. *Reſpondeo* non ſufficere; quòd enim intellectus humanus ad præſentiam obiecti excitatur ad intelligendum, id accidit propterea, quia illud obiectum præſens diffundit ſpecies per medium, vſ-

Obiectio 2. cum ſolutione.

dium, vſque ad ſenſus exteriores: & ſic mediante ſenſu externo & interno, mouetur intellectus humanus; & tandem à phantaſmatibus abſtrahit ſpecies intelligibiles: intellectus autem Angelicus eſt extra corpus, nec vllos ſenſus, tam externos quàm internos Organicos habet. vnde nullo modo excitari poteſt, etiam poſita præſentia obiectorum ad ſpecies producendas.

Intellectus humanus à phantaſmatibus abſtrahit ſpecies intelligibiles.

Obiecta nō poſſunt trāſfūdere ſpecies in Angelos.

10. PROBATVR alterum, quòd *obiecta non poßunt transfundere ſpecies in Angelos.* nam obiecta externa ſunt materialia, ſunt ipſa corpora. ergo non poſſunt producere niſi ſpecies corporeas, quæ non ſunt aptæ vt exſiſtant ſubiectiuè in intellectu Angeli; *Conſequentia*, quia ad *eſſe* ſequitur operari. *eſſe* obiectorum eſt *eſſe* corporeum. ergo ſolùm corporeas ſpecies producit, quæ (vt dictum) ab Angelis non poſſunt recipi. *Præterea* corpus nequit virtute ſua attingere ſpiritū. ergo nec in illum agere. ergo tantò magis non poterit imprimere qualitatem ſeu ſpeciem corpoream.

Inſtantia.

11. *Inſtabis* Phantaſmata ſunt corporea, & tamen agunt in animam rationalem, & ſimul cum ea producunt ſpecies intelligibiles. *Reſpondent* quidam, ſolùm phantaſma concurrere in genere cauſæ materialis, non autem efficientis; ſed potiùs *Reſpōdeo.* Phantaſmata non habent hunc concurſum immediatè, directè, & per ſe, ſed inquantùm ſunt ſimul in eodem ſuppoſito cum anima intellectiua, ita, quòd actiones phantaſiæ, & animæ rationalis Intellectus in eadem numero anima radicantur & hinc accidit, quòd Intellectus à Phantaſia facilè excitetur, ad producendas ſpecies; quia eadem eſt numero Anima, & idem ſuppoſitū, quòd vtroque modo & per Phantaſiam, & per intellectum operatur: In Angelo autem nihil corporeum habetur, ſed eſt ſola & mera Eſſentia & Subſtantia intellectualis; & in eius ſuppoſito non eſt Phantaſia. ergo non poterit concurrere cum Intellectu Angeli.

Solutio eius.

Actiones phantaſiæ, & animæ rationalis intellectus, radicatur in eadem numero Anima.

12. *Obiicies* Stet iam, quòd obiecta corporea non poſſunt afficere Angelos: poterit tamen Angelus obiecta corporea illuminare. ergo ſaltem per hanc illuminationem abſtrahet ſpecies. *Reſpondeo* hanc illuminationem ſolùm obiici, ſed qualisnam hæc ſit? ab illis ſufficienter non explicatur: Proinde *Reſpondeo* 2. Hæc illuminatio, neq; eſt Spiritualis neq; corporalis. *Probatur* ſi enim Spiritualis eſſet. ergo nō haberet aptitudinē, vt ſubiectiuè à medio, vel etiam à ſubiecto corporeo recipiatur: ſi materialis & corporea? ergo ab omnibus hominibus videri poſſet. nam Angelus lumen infunderet rebus corporalib⁹. ſed nemo vnquā hoc lumē vidit *Tādē* hoc lumē materiale, nō haberet ſufficiētē ꝓportionē cū Spirituali natura Angelorū. ergo hæc illuminatio cum ſuo lumine eſt aliquid fictū *Demum reſpondeo.* cū D. Th *hic quæſt. 55. art. 2. ad 2.* dato quòd Angelus poſſet abſtrahere ſpecies intelligibiles à rebus materialibus: illas tamen non abſtraheret; quia non indiget illis cum habeat ſpecies intelligibiles connaturales. Ex quo iam manifeſta eſt Reſponſio ad Alenſis opinionem: quòd duplices ſpecies in Angelo non ſunt neceſſariæ; ſiquidem iam probatum, quòd à

Obiectio.

Solutio illius.

Illuminatio abſtrahens ſpecies neq; corporalis neq; ſpiritualis eſt

Reſpōſio ad opinionem.

quòd à rebus non poteſt eas abſtrahere, & ſi poſſet abſtrahere non abſtraheret vtique cum habeat à Deo ſibi inſuſas. Sed

Species Angeli ſintne naturales?

13. *Quæres* An hæ ſpecies ſint naturales Angelis? *Reſpondeo* quòd Ferar. *lib. 2. contra Gentes.* negat debere dici naturales, ſed ſolùm connaturales; quia ſunt congenitæ: ſicut & Apoſtolus vocat nos naturâ filios iræ; quia à natiuitate tales ſumus.

Soluitur 1.

Baneſius Camacheus diſtinguunt & dicũt, quòd ratione Principii Paſſiui, ſeu ratione aptitudinis, & cõgruitatis cùm ſit talis natura Angeli, quòd debeantur illi ſpecies intelligibiles, dici poſſunt connaturales: ratione autem Principii actiui non poſſunt quia ab Eſſentia Angeli non fluunt: ſicut paſſiones naturales. Sunt autem tres cauſæ. propter quas dici poſſunt connaturales: *prima* quia ſimul eas cum *Eſſe* naturæ ſuæ acceperunt. & hoc modo Iuſtitia Originalis eſſet connaturalis homini, ſi Adam non peccaſſet: *Secunda* quia habent aptitudinem ad has recipiendas ſpecies: & ſicut diaphanum per exceptionem luminis à Sole perficitur: ita & Eſſentia Angeli à ſpeciebus inditis ſibi perficitur: *tertia* quia Angelus eſt in ſummo gradu ſpiritualis creaturæ; proinde ſpecies Intelligibiles ſunt illi debitæ, vt per eas vniuerſas rerum naturas, & ordinem vniuerſi poſſit cognoſcere.

Soluitur 2.

Species Angelis ſunt connaturales, ob triplicem cauſam.

Capreolus in *2. diſt. 3. quæſt. 2. ad 8.* dicit, quod ſint ſicut naturales proprietates. Id enim dicitur naturale, quod alicui ſimul cum natura eſt tributum, & ab ea natura eſt inſeparabile. ſed ſic ſe habent in Angelis ſpecies. ergo ſunt naturales proprietates: cum autem dicimus, ſpecies inditas Angelis eſſe naturales proprietates, nequaquam exiſtimandũ eſt, quaſi propria virtute Angelorũ producantur; aut quòd ex illorum Subſtantia naturaliter profluant.

Soluitur 3.

QVÆSITVM III.

An Angeli Superiores intelligãt per Species magis vniuerſales, quàm verò inferiores?

14. D. Th. affirmat *hic art. 3.* nam Angeli inter ſe ſunt ſpecie differentes, (vt docuimus) vnde ſunt alii aliis perfectiores: tunc tres Angelorum traduntur eſſe Hierarchiæ, & in qualibet Hierarchia ſunt tres ordines. ergo cùm modus cognoſcendi ſequatur modum Eſſendi, Angeli ſuperiores cognoſcent modo perfectiori, quã inferiores: v. per pauciores cognoſcent ſpecies, & magis vniuerſales. Scotus in *2 diſt. 3. q. 10* pro ſuo ingenio negat, ſimulque & Concluſionem, & rationem D. Th. impugnat Pro determinatione.

Dico, Cum D. Th. *quanto Angelus ſue-*

Quantò Angelus eſt ſuperior, tantò per pauciores ſpecies & magis vniuerſales cognoſcit.

gelus fuerit ſuperior, tantò per pauciores Species, & magis vniuerſales cognoſcet. Pro intellectione Concluſionis.

Noto quòd ſpecies vniuerſalis dupliciter intelligi poteſt: *primò* inquãtùm repræſentat aliquam naturam communem non repræſentando diſtinctè, & ſecundùm propriam rationem formalem ea, quæ ſub illa communi natura continentur. v. g. Species animalis in nobis, eſt repræſentans in communi quandam naturam, quæ ſit ſenſitiua; vt hominis, leonis, & non repræſentans proprias rationes indiuiduorum; & hæc dicitur cognitio confuſa: *ſecundò* dicitur aliqua ſpecies vniuerſalis, quæ non ſolùm in communi repræſentat aliquam Eſſentiam, ſed etiam Eſſentias diſtinctè & clarè eorum omnium, quæ ſub illa continentur; & hæc ſpecies vniuerſalis eſt diſtincta. Concluſio igitur non eſt intelligenda de Specie vniuerſali primo modo; quia eſt confuſa, ſed de ſpecie ſecundo modo; quia eſt diſtincta. nam in Angelo, non eſt ſcientia confuſa, cùm eius cognitio non procedat ab inferioribus ad perfectiora, neq; à magis vniuerſalibus ad minùs vniuerſalia, ſicut in nobis accidit. Hoc Præmiſſo.

Species vniuerſalis dupliciter intelligi poteſt.

In Angelis non eſt Scientia confuſa.

15. Probatvr Dictum ex D. Dion. qui *de cæleſti Hierarchia cap 12* ait. ſuperiores Angelos habere ſcientiã vniuerſalem, hoc eſt, quæ paucioribus plura complectitur: & *cap. 13. de Diu. Nomin.* dicit, omnia magis eſſe vnita, & collecta in ſuperioribus Angelis. inquantùm magis ad Deum accedunt. *Probatur ratione prima.* D. Th. quò Angelus eſt ſuperior, eò magis debet imitari & æmulari Diuinam perfectionem, & ſimplicitatem. ſed Deus omnia cognoſcit per vnicum & ſimpliciſſimum medium v. per ſuam Eſſentiam. ergo & Angelus, quò fuerit ſuperior, eò p pauciores ſpecies intelligit omnia. *Confirmatur.* Rex in ſuo regno, quia eſt ſupremus, idcircò eius cognitio, & prudentia eſt vniuerſalior, quàm Ducis: & Ducis quàm militis: & in Scientiis Metaphyſica eſt Princeps, & generaliori modo omnia pertractat; (quia agit de Ente inquantùm eſt Ens,) quàm aliæ Scientiæ, quæ agunt de partialibus Entibus. Et ſenſus communis, quia eſt cæteris ſuperior, obiecta aliorum ſenſuum v. viſus &c. cognoſcit, illa inter ſe confert, & de illis iudicat. Et in hominibus, quò quis acutiori ingenio eò plura ſimul cognoſcere poteſt, quæ rudiores nequeunt, niſi illis ſeorſum & ſeparatim fuerint explicata: Idem accidit in cauſis naturalibus. Sol enim vnicò lumine ſuo influit in omnes effectus producendos cauſarum ſecundarum. & ſicut lineæ à centro ductæ, quantò magis ab illo ducuntur, tantò magis inter ſe diſtant: quantò autem magis ad centrum accedunt, tantò magis vniuntur: ita & Angeli, quantò ſuo Centro v. Deo fuerint propinquiores, tantò magis habent obiecta vnita in vna ſpecie vniuerſali.

Angelus, quò ſuperior, eò magis debet imitari & æmulari Diuinã perfectionem.

16. *Ratio ſecunda.* Diuina Eſſentia ſimpliciſſima res etiam creabiles per modum ſpeciei intelligibilis & exemplaris repræſentat diſtinctè & expreſsè. ergo non erit conueniens, quòd vna ſpecies intelligibilis creata prout eſt particeps Diuinæ Eſſentiæ participet hanc Eſſentiam, vt cùm ſit vna, nihilominus repræſentet diſtinctè plura obiecta.

Ratio tertia. In potentia Intellectiua perfectiori conſtituendæ ſunt ſpecies perfectiores, v. magis vniuerſales. ſed potentia Angeli ſuperioris, eſt perfectior, quàm inferioris. ergo in illa erunt ſpecies magis vniuerſales. Sed

Potẽtia Angeli ſuperioris eſt perfectior, quã inferioris.

17. *Quæres.* An poſſint dari tales ſpecies vniuerſales, quæ plura obiecta diſtinctè repræſentent. *Reſpondeo* dari. Sed.

Suppono Quòd hic nõ loquimur de ſpeciebus, quæ à rebus abſtrahũtur. nãm ſpecies à rebus abſtractæ ſunt ipſis rebus & quidditatibus illarum adæquatæ. vnaquæq; enim Quidditas, ſolummodò illam ſpeciem producit, quæ ſit ſui repræſentatiua? ſicut ſemen deciſum ab arbore, aut ab herba, aut ab animali non producit niſi ſimile; aut arbori, aut herbæ, aut animali: ſed loquimur de ſpeciebus, quæ à Deo producente creatæ ſunt, & Angelis inditæ, & hæ, quia non cauſantur a rebus ſingularibus: idcircò ſunt eleuatiores; & eminentiores omnibus noſtris ſpeciebus, quæ ſumuntur à rebus. proinde ſpecies in Angelò ſuperiore licet ſit vnica; poterit tamẽ intellectui Angelico repræſentare plura obiecta diſtinctè; quia eſt eleuatior & eminentior. & Deus, qui creauit has ſpecies; ita eas accommodauit & adaptauit, vt poſſint plures quidditates repræſentare.

Species aliæ ſunt inditæ à Deo aliæ abſtractæ à rebus

In intellectu Angelico plura obiecta repræſentari poſſunt diſtinctè,

18. *Obiicies* Non poteſt dari aliqua talis Quidditas in *eſſe* naturali, quæ Quidditates plures eminenter contineat. ergo etiam nulla Quidditas in *Eſſe* intelligibili poterit dari, quæ plures Quidditates repræſentet. *Reſpondeo* negando conſequẽtiam: quia non eſt paritas. nam certum quidem eſt non poſſe dari Quidditatem vnam in *Eſſe* naturali, & Entitatiuo, quæ alias Quidditates contineat: tamen in *Eſſe* intelligibili & repræſentatiuo, poterit dari: vt, cùm ſit altioris ordinis, quàm aliæ quidditates intelligibiles inferiores: qualis eſt ſpecies in Angelis, quæ licet non accipiatur à rebus, tamen cum ſit vna, plura repræſentat, eò, quòd ſit quædam impreſſio, & participatio Diuinæ Eſſentiæ, per quam vnam, Deus diſtinctè omnia cognoſcit.

Obiectio.

Solutio.

In Eſſe naturali nulla datur Quidditas, quæ alias contineat.

Species Angeli cùm ſit participatio diuinæ Eſſẽtiæ, plura repræſentare poteſt

19. *Nota 1.* Licet Diuina Eſſentia ſecundùm noſtrum modum intelligendi, ſit diſtinctè repræſentatiua omnium rerum poſſibilium: in eo tamen nulla eſt repugnantia, quòd ſpeciei intelligibili creatæ communicet perfectionem: vt cùm ſit vna poſſit repræſentare plures quidditates, quamuis illi non communicet perfectionem alteram in *Eſſe* Entitatiuo, vt easdem quidditates eminenter contineat. nam in Diuina Eſſentia duplicem intelligimus perfectionem: *alteram in Eſſe Entitatiuo* pro ut continet in ſe omnia eminenter, & formaliter: *alteram verò in Eſſe repræſentatiuo & intelligibili.* prout continentur in ea omnia intelligibiliter; vnde non erit abſurdum, quòd vna perfectio illarum, finito modo, communicetur alicui ſpeciei creatæ & non communicetur altera in Eſſe Entitatiuo,

In Diuina Eſſentia eſt duplex perfectio.

20. *Nota 2.* Quamuis ſpecies Angeli repræſentent plures quidditates; tamen non poterit vnum verbum, ſeu conceptum formare, per quem tres aut plures quidditates repræſententur, quæ ſunt inter ſe diuerſæ: vt leonis, hominis, bouis, ſed

neceſſe

neceſſe erit diuerſa verba; ſeu conceptus formare: modò vnum, modò alterum ſucceſſiuè.

Nota 3. Species illæ vniuerſaliores, ſic ſe habent ad vniuerſaliores, ſicut ſe habet tabella, in qua tota ciuitas cum ſuis ædificiis diſtinctè depicta eſt, ad alias tabellas, in quibus ſeorſũ ſingulæ partes eiuſdem ciuitatis ſunt depictæ, vt templa, theatra, ædificia, arces.

Obiectio 1. 21 *Obiicies.* Si Angeli ſuperiores, intelligunt per magis vniuerſales ſpecies, ſupremus Angelus intelliget per vnam ſpeciem, hoc falſum; quia talis cognitio requirit virtutẽ infinitam. Solutio ei⁹. *Reſpondeo* negando Conſequ. namq; ſecundùm ſententiam D. Th. ſolũ ſequitur, quòd ſuprem⁹ Angelus per pauciores intelligeret ſpecies, quã Angeli inferiores.

Obiicies iterum. Producat Deus Angelum, qui per vnã ſpeciem omnia intelligat, rurſum, producat aliũ ſuperiorem illo Angelo. ergo ſequetur, quòd hic Angelus intelliget ſine ſpecie per ſuam Eſſentiam. Obiectio 2. *Reſpondeo* non ſequi, ſed ſolùm hoc, quòd hic poſterius productus Angelus, per vnam ſpeciem cognoſcet plura, quàm alter. Solutio illius. nam præter obiecta præſentią, quæ ſub illo Angelus intelligit, adhuc poterit cognoſcere ſimul aliqua futura, aut etiam plura poſſibilia, vel deniq; clariùs, perſpicatiùs, pluribus modis cognoſceret omnia, quàm ab altero cognoſcerentur.

DISPVTATIO VII.

De cognitione Angelorum reſpectu immaterialium.

Explicato iam principio formali cognitionis Angelicæ, ſequitur, vt de obiecto diſſeramus, quòd eſt duplex: *Spirituale* & *Materiale.* & primò quidem de ſpirituali, tanquam de nobiliori; quod etiam triplex: *primũ* ſubſtantia ipſius Angeli cognoſcentis: *ſecundum* Eſſentia aliorum Angelorum: *tertium* ipſe Deus: proinde tria proponimus inquirenda.

1. *An Angelus cognoſcat ſeipſum?*
2. *An vnus Angelus cognoſcat alterum?*
3. *An Angelus per ſua naturalia cognoſcat Deum?*

QVÆSITVM I.

An Angelus cognoſcat ſeipſum?

1. DE ſenſu huius Quæſiti ſatis prudenter aduertit Caiet. nos cum D. Th. non ſimpliciter, *an Angelus ſeipſum cognoſcat* (nam hoc certum eſt,) ſed de modo, quo cognoſcit ſeipſum, *v an per ſuam Eſſentiam, an verò per ſpeciem intelligibilẽ ſuperadditam?* inquiremus.

Nota. quando D. Th. docet, quòd Angelus ſeipſum per ſuam Eſſentiã cognoſcit, non ita exponendus eſt; quaſi doceat, quòd ipſa cognitio ſit eius Eſſentia, (vt nonnulli arbitrati ſunt, præſertim Marſil. in *2. q 7. Concl°. 2.*) quia cõtrariũ *q 54.* dicit, quòd neq; intellectus Angeli, nec illi° intellectio ſit eius Eſſẽtia. ſed hoc vult & intendit: *num Angelus cognoſcat ſeipſum per aliquam ſpeciem ſuperadditam intelligibilem? an verò per ſuã Eßentiam, vt per ſpeciem intelligibilem, quæ habeat rationem ſpeciei intelligibilis?* Pro determinatione.

Angelus ſe ipſũ cognoſcit per ſuã ſubſtãtiam & Eſſentiã.

2. Dico. *Angelus non vtitur ſpecie intelligibili ſuperaddita ad intelligendum ſeipſum, ſed de facto ſeipſum cognoſcit per ſuam ſubſtantiam & Eßentiam.* In hac ſẽtẽtia etiã Metaphyſici conueniũt: dicunt enim, ſeparatas ſubſtantias in tantùm eſſe perfectas, quòd nullò extrinſeco ad ſui cognitionem vtantur. idem docet D. Th. *hîc & de Verit q. 8. a 2.* & cũ eo D. Bonau. Durã. Rich. Marſil. conueniunt: Scotus in parte conuenit: dicit enim, quòd ſubſtantia Angeli ſit totum principium efficiens intellectionem: ipſa verò potentia intellectiua habet ſe vt recipiens: non aduertit tamen, quòd hoc ſit contra rationem potentiæ, maximè verò intellectiuæ, cuius operatio debet eſſe vitalis. idẽ videtur aſſerere, quòd quamuis Angelus ſeipſum cognoſcat per ſuam Eſſentiam, nihilominus iſtius cognitionis ſuiipſius habet ſuperadditam ſpeciem intelligibilẽ, ita, quòd intuitiuè cognoſcit ſeipſum per ſuã Eſſentiam, abſtractiuè, vt per ſpeciem. Sed hæc ſpecies Scoti videtur eſſe ſuperflua. nam Angelus nũquam, niſi intuitiuè ſeipſum cognoſcit: & dato, quòd etiam abſtractiuè ſeipſum cognoſcat, ad hoc tamẽ ſufficit ipſa Eſſentia Angeli, cum præciſione intellectûs.

Angelus intuitiuè ſeipſũ cognoſcit, nõ abſtractiuè.

3. *Nota* Scotus putabat, quòd Angelus, & ſe, & alia à ſe cognoſcat cognitione intuitiuã ſine vlla ſpecie: per abſtractiuam verò cognitionẽ ſe, & alia à ſe cum ſpecie. verùm in hoc videtur eſſe deceptus, exiſtimãs omnem cognitionem per ſpeciem eſſe abſtractiuam. nam contrarium experimur. cognitio enim ſenſus exterioris eſt intuitiua: & tamen fit per ſpeciem: *Tum*. Intellectus noſtri cognitio eſt intuitiua, & hæc eſt cũ ſpecie; & ſi forte Angelus ſuam Eſſentiam ꝑ propriã ſpeciem intelligeret, talis cognitio eſſet intuitiua. Probatur itaque Dictum.

4. *Ratio prima* D. Th. quam Caietanus ſic format: ſi aliquid in genere intelligibilium habet ſe vt forma intelligibilis ſubſiſtens, tunc illud intelligit ſeipſum per ſeipſum. ſed Eſſentia Angeli eſt in genere intelligibilium per ſe ſubſiſtens, ergo Angelus per ſuam Eſſentiam, tanquam per ſpeciem intelligibilem per ſe ſubſiſtentem, ſeipſum intelligit. *Confirmatur* Species intelligibilis ad hoc eſt neceſſaria, vt rem intelligendam, faciat actu intelligibilem & tunc facit, ſi faciat vnionem Obiecti cum potentia. ſed hoc facit Eſ-

Eſſentia Angeli eſt in genere intelligibilis per ſe ſubſiſtens.

ſentia An-

ſentia Angeli. ergo ſpecies intelligibiles non requiruntur. *Conſequentia* pluralitas enim ſpecierum intelligibilium nõ eſt multiplicanda ſine cauſa. ſi igitur ipſa Eſſentia poteſt id facere, quod facit ſpecies, non eſt admittenda. quòd verò faciat *probatur.* quia Eſſentia Angeli coniungitur & vnitur intellectui, & nobilior eſt, quàm ſpecies intelligibilis; ſiquidem hæc inhæret: ſubſtantia autem Angeli, quia eſt pars per ſe ſubſiſtens, non inhæret, ſed ei vnitur. vnde & efficaciꝰ cauſat cognitionem. nam inhærentia non tribuit ſpeciei efficaciam. ergo Eſſentia Angeli cauſabit cognitionem Angeli.

5. *Ratio ſecunda.* Angelus (vt notum ex ſuperioribus) habet ſpecies intelligibiles infuſas, tunc quæro: ſi Angelus intelligit ſpeciem intelligibilem. ergo intelliget, aut per alteram? aut per eandem ipſam? ſi primum? ergo erit proceſſus in infinitum. ſi ſecundum? ergo etiam ſicut ſpeciem intelligibilem intelligit per ipſammet ſpeciem: ita & ſeipſum cognoſcit per ſuam Eſſentiam.

Beati ſine ſpecie Deũ intuentur.

Ratio tertia. Beati ſine ſpecie Deũ intuentur; quia Eſſentia Dei per ſeipſam eſt præſens mentibus illorum, & cum illis vnitur. atqui Eſſentia cuiuſlibet Angeli, vnita cum intellectu, eſt illi præſentiſſima, immediata, proxima, & quidem ſic, vt per nullam potentiam poſſit ſeparari ab intellectu. ergo per ſuam Eſſentiam intelligit ſeipſum.

Ratio quarta. Si daretur lux per ſe ſubſiſtens, illa per ſeipſam ſine ſpecie viſibili poſſit videri; & de facto lux corporalis videtur intuitiuè per ſemetipſam ſine ſpecie. ergo Eſſentia Angeli, cùm ſit quædam lux intelligibilis actu per ſe ſubſiſtens, per ſemetipſam intelligit, præſertim, cũ ſit vnita cùm intellectu intelligente.

Obiectio 1.

6. *Obiicies 1.* Ex præcedentibus ſequitur, quòd anima exſiſtens in corpore ſeipſam per propriam Eſſentiã intelligeret; ſiquidem eſt vnita intellectui, & eidem eſt intima, atque etiam præſentiſſima: ſicut Eſſentia Angeli eſt vnita intellectui Angelico. ſed hoc falſum. *Reſpondeo* de Anima dupliciter dici poteſt: *Primò* quãdo eſt in corpore: & ſic dicimus, quòd anima dependet à phantaſmatibus, & ab illorum operationibus in ſui cognitiòne; propter eaque nõ poteſt intelligere ſeipſam; quia deberet ſe conuertere ad phantaſmata, & ſic pro hoc ſtatu non intelliget ſeipſam per ſuam Eſſentiam: *ſecundò* vt eſt ſeparata à corpore. & ſic iam habet modum cognitionis Angelicæ, v. iam ſeipſam cognoſcet per ſuam Eſſentiam, tanquam per ſuam ſpeciem intelligibilem.

Solutio eiꝰ

Anima quo modo ſeipſam poteſt intelligere?

Obiectio 2.

7. *Obiicies 2.* Si Angelus intelligit ſeipſum per ſuam Eſſentiam, tanquam per ſpeciem intelligibilem, ſequitur, quod Eſſentia Angeli ſit Principium *quo* Intellectionis, quâ ſeipsũ intelligit. hoc falſum: quia Eſſentia Angeli non informat principium intellectiuum Angeli, ſed Intellectꝰ ipſam Eſſentiam. *Tum* ſi Eſſẽtia Angeli eſſet formale principium *quo* Intellectionis, Angelus immediatè operaretur per ſuam Eſſentiam, quod falſum. nam non per Eſſentiam, ſed p̃ ſuas potentias, Intellectum v. & voluntatem dimanantes ex Eſſentia, operatur. *Reſpondeo 1.* concedendo, quòd, cùm Angelus ſeipſum cognoſcat per ſuam Eſſentiam, tanquam per ſpeciem intelligibilem, Eſſentia

Solutio 1.

 habeat

Eſſentia Angeli habet ſe tanquam principium quo intellectionis.

habeat ſe tanquam principium formale *quo* intellectionis, quo ſeipsũ intelligit. verùm ad hoc, vt aliquid ſit principium formale *quo* cognitionis, non eſt neceſſe, quòd vna forma ſubordinetur potentiæ, & illi inhæreat. ſatis enim eſt, quòd habeat vnionem cum potentia, & hanc habet, Eſſentia Angeli in intellectu illius in *eſſe* intelligibili, ad producẽdam Intellectionem: vnde Caiet. benè aduertit eos, qui impugnant hanc doctrinam D. Th. in eo eſſe deceptos, quòd putarent docere D. Th. quaſi Eſſentia Angeli ſit forma Intelligibilis, ſeparata ab intellectu Angelico. cùm contrarium doceat. docet enim, quòd Intellectus Angeli, & illius Eſſentia, habent inter ſe intimam vnionem, & longè maiorem, quàm poſſit eſſe inter Intellectum Angeli, & quamlibet ſpeciẽ intelligibilem illi ſuperadditam.

Solutio 2.

Reſpondeo 2. Speciem Intelligibilem, tunc tantùm poſſe dici formam intellectus, quando illi inhæret: ſed quãdo illud obiectum, qualis eſt Eſſentia Angeli, eſt intimum & proportionatum intellectui, vt proximè poſſit elicere cum illo intellectionem, iam non dicitur verè forma.

8. *Quæres* An Angelus intelligẽdo ſemetipſum producat Verbũ? *Reſpõdeo* quòd Caiet. *1. p q. 27.* circa 1. art. D. Th. negat: Ferar. autem in *4 contra Gentes cap. 11.* affirmat: verũ vtraq; opinio tanquam probabilis circumfertur. Multò tamen probabiliùs eſt iuxta mentem D. Th. quòd Angelus intelligendo ſuam Eſſentiam producat verbum mentale, tanquam imaginem intellectualem ſuæ quidditatis: namq; in *q. 4. de Verit. art. 3.* dicit: *quòd, etiamſi res cognoſcatur per ſuam Eſſentiam, in eius tamen cognitione producitur verbum.* & *lib. 4. contra Gentes cap. 11 art;* *quòd conceptio intellecta ab Angelo in eius cognitione, non eſt illius ſubſtantia*: Per nomen *Conceptionis* intelligit *verbum*: & negat eſſe idem cum Subſtantia Angeli. PROBATVR Rationibus.

Angelus intelligendo ſuam Eſſentiam producit verbum mentale.

9 *Ratio prima.* Si Angelus ſeipſũ cognoſcendo, non produceret Verbum; hoc ideo accideret; quia Eſſẽtia Angeli eſt immaterialis, eademq; præſens & intrinſeca illius intellectui. hoc non obſtat. nam Diuina Eſſentia eſt maximè immaterialis, eademque maximè præſens, & intima Diuino intellectui: & tamen cognoſcendo Eſſentiam, producit Verbum, (vt ex Fide conſtat, & nos in Tract. de Myſterio Trinitatis docuimus) ergo Angelus ſeipſum cognoſcendo, producit Verbum.

10. *Ratio ſecunda.* De ratione intrinſeca actus intelligendi eſt Verbum. ergo Angelus ſeipſum actu intelligendo, Verbum producit. *Antecedens* quãdo enim, quis intelligit, ex hoc ipſo quòd intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod quidem eſt conceptio rei intellectæ: hoc verò eſt Verbum. vt D. Th. *q. 9 de Potẽtia art. 5.* docet, dicens, illud eſſe Verbũ, quod reſultat ex intellectione.

Ratio tertia. Intellectus non poteſt intelligere rem aliquam, niſi illam habeat intra ſemetipſum, in *Eſſe* Intelligibili, tãquam obiectum actu intellectum. ſed Eſſentia Angeli nõ poteſt eſſe intra Intellectum illius, in *Eſſe* intelligibili, tanquam obiectum actu cognitum, niſi Intellectus formet verbum, quod eſt expreſſa ſimilitudo illi*: nõ poteſt autẽ verbum

Intellectus non intelligit rem aliquam, niſi illam intra ſemetipſum habeat.

Verbum eſt expreſſa ſimilitudo intellectionis

verbum formare, niſi inquantùm trahit Eſſentiam ipſam ad ſemetipsã, per intellectionem; & ſic format ſimilitudinem expreſſam, quæ eſt verbum

11. *Inſtat Caietanus.* Non eſt de intrinſeca ratione intellectionis, vt producat verbum. nam Beati in viſione beatifica, ſecundùm magis probabilem ſententiam, non formant verbum; quia Eſſentia Diuina, quæ eſt obiectum viſionis beatificæ, eſt proportionata in *Eſſe* intelligibili cũ intellectu beato, lumine gloriæ illuſtrato. *Reſpondeo* certum eſſe, quòd Beati non producant verbum: nihilominus tamen adhuc verum eſt, hoc eſſe de ratione intrinſeca cuiuslibet Intellectionis, vt immediatè terminetur ad aliquod intrinſecũ ſibi obiectum, quòd nos appellamus *Verbum*, & hoc ipſum verificatur in Beatis. nam ad Eſſentiam Diuinam immediatè terminatur viſio beatifica, tanquam, ſi eſſet verbum ab intelligente productum.

Inſtãtia Caietani.

Solutio.

Intellectio terminatur ad verbum.

12. *Nota* Differentiam inter Speciem Intelligibilem & Verbum, quã D. Th. *q 8 de Potentia art 1. & 1. contra Gentes, cap. 53.* tradit: Licet Species & Verbũ, eandẽ rẽ repræſẽtẽt: differunt tamẽ, quòd ſpecies habeat rationẽ Pricipii cõſtituẽtis intellectũ in actu primo: verbum autem rationẽ termini intellectiõis actualis, ita, quòd ceſſante intellectione ceſſat verbũ: ſpecies autẽ manet in intellectu, etiãſi ĩtellectus nõ intelligat.

Differentia inter ſpeciem intelligibilem & verbum.

QVÆSITVM II.

An Angelus vnus cognoſcat alterum?

Vnus Angelus cognoſcit alterũ naturaliter

13. AD Quæſitum Dico primo. *vnus Angelus cognoſcit alterũ naturaliter*. colligitur ex Scriptura Apocal. 7 dicitur: quòd *vnus clamauit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: nolite nocere terræ & mari.* Et Iſaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterũ.* Et Zach. 2. *Angelus vnus dicit alteri: Curre ad puerum iſtum.*

Ex quo argumentor S. Scriptura tribuit Angelis locutionem mutuã. ergo etiam tribuit & intellectionẽ, ita, vt quemadmodum ſeipſos mutuò alloquuntur, etiam ſeipſos mutuò intelligant. Idem dicendum de malis Angelis, quòd etiam ſui notitiam habent mutuam. Luc. 11 *Cùm immundus Spiritus exierit ab homine aſſumit alios ſeptem ſe nequiores, & ingreſſi habitant ibi.* Et cap. 8. vnicus homo vexabatur à legione Dæmonum, & hi ſciebant ſe illic eſſe, & ſimul à Chriſto petierunt, ne mitterentur in infernum, ſed in porcos Et Diuus Chriſoſtomus ex Matth 10 colligit, inter Dæmones eſſe ordinem, & Prælationem.

Nota Angeli boni poſſunt ſe inuiſibiles præſtare malis, non virtute propria, ſed Diuinâ, & hoc per miraculum, Deo ita volente, & diſponente.

Angeli boni poſſunt ſe inuiſibiles præſtare malis.

14. Dico

Angelus cognoſcit alterū per ſpeciē ſibi inditam.

14. Dico ſecundò. *Angelus vnus cognoſcit alium per ſpecies infuſas, & inditas ſibi.* PROBATVR. Si enim non per infuſas. ergo vel per Eſſentiam ſuam? vel per Eſſentiam Angeli, quem cognoſcit? vel per ſpecies ab illo receptas? atqui nihil horū poteſt dici. Ergo per ſpecies infuſas & inditas ſibi

Non per Eſſentiam propriam.

PROBATVR *primum.* (quòd ſ: Angelus cognoſcens alium Angelum, non poteſt illum cognoſcere per ſuam Eſſentiam, quia Eſſentia vnius Angeli, non habet rationem cauſæ, nec effectus. *Non cauſæ;* quia vnus Angelus non producit alium. ideo enim cauſa dicitur cognoſcere, quia habet in ſe Idæas rerum à ſe productarum, per quas illas cognoſcere poteſt. ſed Angelus, quia non eſt cauſa productiua, ideo neq; Idæas aliorum Angelorum à ſe productorum habet. *Non effectus;* quia Angelus cognoſcens non eſt product⁹ ab illo Angelo, quem cognoſcit. *Tū* Eſſentia cuiuſlibet Angeli ſuo tantùm intellectui, & non alterius Angeli eſt proportionata; quia omnes Angeli differunt ſpecie. ergo vnius Eſſentia non eſt proportionata intellectui alterius Angeli. ergo ſicut bos non cognoſcitur ex homine; quia ſpecie differunt: ita nec Angelus ex ſua Eſſentia cognoſcet alterum; ſiquidem Eſſentias ſpecie diſtinctas habent.

Eſſentia cuiuslibet Angeli ſuo tātùm intellectui, & non alterius eſt proportionata.

Obiectio cum Solutione.

Obiicies. quòd ſolo numero differunt. *Reſpondeo* hoc etiam ſtante, adhuc quilibet Angelus non includit ſingularem proprietatem, & differētiam alterius Angeli, in Eſſentia ſua.

Angelus nō cognoſcit alterū per illius Eſſentiam.

15. PROBATVR *ſecundum*(quòd ſ: non cognoſcit alterum per illius Eſſentiam) quia quælibet Eſſentia Angeli, eſt limitata & determinatā. ergo non poteſt vniri intellectui alterius Angeli. *Conſequentia.* quilibet enim actus determinatus, reſpicit ſuam potentiam determinatam, quā determinat, & non poteſt quamlibet actuare. *Tum* omne intelligibile eſt intra intellectum. ſed Eſſentia vnius Angeli non poteſt eſſe intra intellectum alterius: ſi enim ſic. ergo neceſſariò illaberetur. ſed iſte illapſus ſolius eſt Dei, qui eſt intimè in omnibus rebus per Eſſentiam, præſentiā & potentiam. *Reſpondet* Ferar. non poteſt quidem illabi in intellectum alterius Angeli in *eſſe* Entitatiuo & naturali, benè tamen in *eſſe* intelligibili, hoc eſt per modū formæ, ſeu ſpeciei intelligibilis.

Solutio rationis.

16. *Contra.* Si, vt Ferar. affirmat, non poteſt Angelus illabi in intellectum alterius in *eſſe* Entitatiuo, & naturali. ergo nec poterit in *eſſe* intelligibili. *Sequela.* quia perfectio in *eſſe* intelligibili, fundatur in perfectione in *eſſe* Entitatiuo. ergo ſi nō eſt intra intellectum Angeli in *eſſe* Entitatiuo, neq; erit in intelligibili.

Confutatio Solutionis.

Inſtat 2. Per hanc rationem nulla ſpecies indita poterit vniri intellectui Angeli. *Sequela.* quia ſpecies infuſa Angelis eſt creatura, atq; ſic illabetur in intellectum Angeli. *Reſpondeo* 1. quòd ſpecies intelligibiles non diſtinctè, ſed ſimul cum Eſſentia Angeli concreantur. vnde ſimul cum Eſſentia ſunt. *Reſpondeo* 2. nos hic nō loqui de illapſu formali, inquantùm aliquæ qualitates inhærēdo intellectui eundem informāt, ſed de illapſu vnius Eſſentiæ per ſe ſubſiſtentis in aliam Eſſentiam ſubſiſtentem, quales ſunt Angeli ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes; & propterea

Inſtantia.

Solutio eiꝰ.

Solutio 2.

pterea addidi *per ſe ſubſiſtentes*. nam fieri poteſt, vt pars ſubſtantialis illabatur in aliam partem ſubſtantialem, quod accidit in compoſitione ſubſtantiali, quando forma illabitur in materiam, & cum illa facit vnum. ſed Deus quando illabitur in creaturam, non illabitur ſicut pars, neq; ſicut forma, ſed ſimpliciter & perfectè, tanquam virtus effectrix & conſeruatrix illius Eſſentiæ.

Angelus nō intelligit a liū per ſpecies ab eo acceptas.

17 PROBATVR *tertium* (quòd ſi non intelligit per ſpecies acceptas ab alio Angelo.) ſi enim Angelus cognoſcens, abſtraheret ſpeciem ab Angelo, quem vult intelligere, ſequeretur, quòd poſſet has ſpecies producere, ſed non poteſt. quia hæc ſpecies eſt comproducibilis. *Antecedens*. quando enim eſt aliqua eiuſmodi forma, quæ ex natura ſua habet comproduci cum aliqua eſſentia producibili, illa iam forma non eſt factibilis per aliam actionem. ſed ſpecies Angelicæ ſic ſe habent, quòd ſimul cum eſſentia Angeli ſint productæ. ergo iam à nulla potentia produci poſſunt. *Confirmatur 1.* quando etiam aliqua potentia paſſiua ex natura ſua non eſt ſeparabilis à ſuo actu, tunc actus illiꝰ, non eſt producibilis per aliam potentiã, ſed ſolùm per illam, quæ eſt productiua Eſſentiæ & Obiecti. ſed ſpecies Angelicæ ſunt actus inſeparabiles à ſua potentia, nimirum ab intellectu. ergo per aliam potentiam non poſſunt produci nec ſeparari. *Confirmatur 2.* vna quæq; res ex ſua natura, vnum tantùm habet modũ producendi ſui, à ſuo agente naturali. ſed ſpecies Angelicæ hunc vnicum habent modum ſui productiuum, vt comproducantur. ergo non producuntur per aliam potentiam, nec per alium modum.

Species Angelicæ, ſunt actus inſeparabiles à ſua potentia.

Modus producẽdi ſpecies Angeli cas eſt tantùm vnus.

18. *Ratio ſecunda.* Si intelligeret per ſpecies alterum Angelum: ergo cùm Angelus intelligens non poſſit illas ſpecies producere (vt iam probatum,) Angelus qui cognoſcitur, immittet ſui ſpecies in intellectum alterius. hoc nequit eſſe. nam aliàs illapſus deberet concedi, quod iam confutatum. Sed

Dices. Hunc illapſum non requiri, ſed ſufficit, vt vnus Angelus ſit iuxta alium Angelum: *Contra* vix, aut prorſus nõ eſt intelligibile, quomodo hæc propinquitas efficiat ſpeciem in intellectu Angeli cognoſcentis, niſi detur huiuſmodi illapſus. nam non videtur eſſe pertinẽs ad huiuſmodi operationem, quòd ſint iuxta ſe, aut quòd ſint diſtãtes. ſed omninò neceſſarium eſt, vt vnꝰ Angelus ſit intra intellectum alterius: ſiquidem in eo imprimenda eſt ſpecies *Tandem* ſequitur, quòd vnus Angelus non poſſet alterũ Angelum quando vellet cognoſcere, ſed ſolùm dependenter, ſi placuerit alteri Angelo, immittere illi ſpecies in illius intellectum, quòd eſt abſurdum. Ex quo *Collige*, quòd ſi Angelus non cognoſcit alterum per ſuam eſſentiam, nec per Eſſentiam illius, quem vult cognoſcere, nec per ſpecies receptas ab alio Angelo, neceſſariò concedendæ erunt ſpecies intelligibiles, repræſentantes reliquos Angelos, quæ ſunt illi à ſolo Deo infuſæ; quia nullus alius modus reſtat cognoſcendi. Sed

Angelꝰ qddi tatiuè aliũ Angelũ cognoſcit.

19. *Quæres* An Angelus quidditatiuè alium Angelum cognoſcat? *Reſpondeo* quòd ſic *Ratio prima*. D.Th. quæ habetur in 1. p. q. 12. a. 4. & q. 8. a. 1. vbi

a 1. vbi obiecta humana Angelico &Diuino intellectui aſſignat,eſt talis: obiectum Angelorum eſt illud, quod eſt proportionatum illius intellectui ſed ſicut Angelus cognoſcens eſt immaterialis:ita &alij Angeli, qui ab illo cognoſcuntur, ſunt immateriales. ergo ſunt obiectum proportionatum. ergo cognoſcent quidditatiuè.

Cognitio quidditatiua quomodo fiat?

Ratio ſecunda. Cognitio quidditatiua eſt, quæ fit per communia prædicata, & per proprias differentias. ſed Angel⁹ inferior, cognoſcit quod eſt commune illi, cognoſcit & vltimam differentiam; quia hæc eſt finita,& eſt ordinis naturalis, & quilibet Angelus habet ſibi ſpeciem inditam vna cum lumine ſufficienti, & proportionato ad intelligendum, cùm ſit in ordine ſuo quid perfectum. ergo ſuperiorem quidditatiuè cognoſcet. Sed rurſum

20. *Quæres.* An cognoſcat vnus Angelus alterum comprehenſiuè? *Reſpondetur* à D. Th. non eſſe definitum,an hæc cognitio quidditatiua ſit comprehenſiua: affirmat Soto cum Victoria, quòd Angelus inferior comprehendat ſuperiorem. Cumel hanc ſententiã probat eſſe probabilem, ſed nihilominus cum Baneſio,& eodem Cumelio,atque Nazario.

Angelus inferior non comprehẽdit ſuperiorem.

Dico *Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem.* PROBATVR *ratione prima.* D. Th. in *4. diſt. 49. q. 2. a 3.* dicit de cognitione comprehẽſiua, quòd ſit tunc, quando cognitũ ſtat ſub actu virtutis cognoſcitiuæ, & non excedit ipſam. nam excedit intelligibile virtutem intellectiuam, quando plùs eſt ſub intelligibili, quàm intellectus cognoſcere poſſit, vel actu cognoſcat. ſed ſuperior Angelus, atq; adeo ſupremus, plùs eſt intelligibilis, quàm poſſit inferior Angelus, & præſertim infimus ſuo intellectu cognoſcere, aut actu cognoſcat. ergo ſua cognitione non comprehendit ſuperiorem.

Supremus Angel⁹ cur ſe comprehendat?

Ratio ſecunda Supremus Angelus, ideo ſeipſum comprehendit; quia tanta eſt illius cognoſcibilitas, quãta eſt & virtus eius cognoſcitiua. ſed inferior Angelus non eſt tantæ virtutis cognoſcitiuæ, quantæ ſupremus. ergo eundem cognitione comprehenſiuã non cognoſcit. nam aliàs illius virtus cognoſcitiua adæquaretur virtuti cognoſcitiuæ ſuperioris Angeli.

21. *Ratio tertia.* Tria requiruntur ad cognitionem comprehenſiuam: *primò* rei cognoſcibilitas, ſeu obiectum: *ſecundò* modus cognoſcitiu⁹, ſeu virtus cognoſcendi intellectiua *tertiò* vt inter hæc ſit adæquatio. nã ſi mod⁹ cognitionis eſt inferior modo rei cognitæ, iam non eſt adæquatio. ſed in Angelo inferiori ſic accidit. nam Angelus ſuperior ſuperaddit gradum ſpecificum ſupra gradũ ſpecificum Angeli inferioris, & non ſolùm ſuperaddit gradum, ſed etiam modum maioris actiuitatis in intelligendo. vnde iam intellectus inferioris Angeli, neq; modum eſſendi, neq; cognoſcendi ſuperioris Angeli poterit adæquare; & perconſequens non poterit comprehendere. *Deducitur* hoc etiã ex *q. 16 de malo a. 8.* vbi D. Th. ſic ait: *vn⁹ quiſq; intellect⁹ aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ad ſpecies intelligibiles inferioris intellectus.* nam ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, ſunt vniuerſaliores; & ideo nõ

poſſunt

poſſunt comprehēdi per ſpecies intelligibiles inferioris intellectûs, niſi quæ ſunt in inferiori intellectu, tanquam magis particulares, de quibus per ſuas vniverſaliores ſpecies, poteſt etiam iudicare.

Modus Eſſendi ſuperioris Angeli eſt nobilior, quàm inferioris.

22 *Nota 1* diuerſum eſſe modum eſſendi ſingulorum Angelorum. nā ſuperiores Angeli nobiliorē habēt, quemadmodum & ſpecies ſuis inferioribus.

Nota 2. Eſſentia & ſpecies ſuperioris Angeli non poſſunt comprehendi ab intellectu inferioris: ſiquidē ſequeretur, quòd vis cognoſcitiua inferioris Angeli tanta eſſet, quanta & ſuperioris *Obſerua* quòd Cumel, licet hanc ſententiam dicat eſſe valdè probabilem: tamē oppoſitam dicit ſuâ probabilitate non carere, & ſoluit argumentum: quanquam (vt Nazarius dicit) debiles ſunt ei⁹ ſolutiones. videri tamē poteſt vterque circa hunc 2. *art.* D. Th.

Angelus inferior, Eſſentiam & ſpecies ſuperioris. cur nō poſſit cognoſcere?

QVÆSITVM III.

An Angeli per ſua naturalia poſſint cognoſcere Deum?

23. Vpponimus tanquā certum, quòd Angelus poſſit habere cognitionem Dei lumine ſuo naturali. nam Deus eſt principium, & vltim⁹ finis naturalis Angeli: cuilibet autem rei naturali inſita eſt cognitio ſui finis. verùm hæc cognitio non eſt intuitiua Dei, prout eſt Deus in ſe ipſo, Scriptura atteſtante: *nemo Deum vidit vnquam* nam intuitiua cognitio, iam alio lumine, non naturali ſed ſupernaturali indiget, v. lumine gloriæ. Hoc ſuppoſito inquirimus: *per quodnam medium Angelus naturaliter cognoſcat Deum num per ſuperadditam ſpeciem? an verò per ſuam Eſſentiam?* Proinde

Angelus nō cognoſcit Deū p ſpeciem ſuperadditā quæ repræſentet Eſſentiam.

24. Dico primò. *Angelus non cognoſcit Deum per aliquam ſpeciem ſuperadditam, quæ ſit immediatè repræſentatiua Diuinæ Eſſentiæ* Hoc dictum eſt D Th. *hic* Capr. in 2 *diſt.* 3 Henr. *quodl* 3 *q.* 3. & plurimorum contra Scotum in 2. *diſt.* 3. *q.* 9. Gabriel. ib. Alenſem 2. *p. q.* 23. Marſil in 2 *q* 7. qui dicūt, quòd quilibet Angelus habet ſpeciem ſuperadditā, per quam cognoſcit Deum diſtinctè & propriè, quāuis abſtractiuè.

Et *Probatur.* Si enim ſic (vt vult Scotus) daretur hæc ſpecies, neceſſariò danda eſſet, quæ immediatè repræſentaret Eſſentiam Diuinam, vt eſt in ſeipſo; & cùm Deus ſit infinitus, hæc etiam ſpecies ſuperaddita eſſe deberet infinita, vt ſit commenſurata ſuo obiecto, à quo fluit, ſed hoc eſt apta cōtradictio, quia hæc ſpecies ſuperaddita eſſet creata, ſiqdē eſt ſpecies; nō eſſet verò creata; ſiqdē eſt infinita. ergo talis ſpecies nō eſt impoſſibilis. *Tū.* dato & nō cōceſſo, quòd eſſet poſſibilis talis ſpecies, adhuc Angel⁹ per eā nō cognoſceret Deum, quia loquimur de cognitione Angeli naturali, quam de Deo habet: ſed hæc cognitio ſiſtit

in lumine naturali: illa autem ſpecies, quæ repræſentat Deum prout in ſe eſt, v. totum & totaliter, tanquam illius expreſſa ſimilitudo, nõ eſt iam ſub lumine naturali. ergo opus haberet lumine ſupernaturali gloriæ, quod quidem concedi non debet, ſiquidẽ de naturali loquimur cognitione. Sed

Inſtantia Scoti.

25. *Inſtat Scotus.* Hanc cognitionẽ Dei per Eſſẽtiam, fore diſcurſiuam; quia cognitio, quæ fit per ſimilitudinem, eſt diſcurſiua: qualis eſt cognitio Regis per imaginem. ergo cũ ſubſtantia Angeli repræſentat Deũ, vt ſimilitudo, erit diſcurſiua. *Reſpondeo* ad cognitionem diſcurſiuam, nõ eſſe ſatis, vt vna res cognoſcatur in alia; ſiquidem Deus in vna ſua Eſſentia cognitus, ſine vllo diſcurſu, & ſe, & alia omnia à ſe cognoſcit, & Angelus ſine vllo diſcurſu principijs cognitis, cognoſcit & Concluſiones, ita, quòd eadem cognitione cognoſcendo hominem eſſe rationalẽ, cognoſcit ſtatim & ſimul, quòd ſit animal rationale, quod ſit riſibile: iam autem Angelus ſimplici cognitione, & ſeipſum, & Deum cognoſcit; quia tamen hæc cognitio terminatur immediatè ad Angelum, tanquam ad obiectum; propterea dicunt Theologi, quòd Angeli præſuppoſita ſui cognitione, mediatè Deum cognoſcunt, quæ tamen cognitio, licet per priùs reſpiciat Angelum, quàm Deum, eſt vnica. nam hæc prioritas non eſt durationis, ſed ordinis naturæ.

Solutio illius.

Angelus ſĩplici cognitione & ſe & Deum cognoſcit.

26. Dico ſecundò. *Angelus cognoſcit Deum per ſpecies intelligibiles, quas habet inditas ſibi omnium rerum creatarum, & naturalium.*

Angelus cognoſcit Deum per inditas ſibi omnium rerum ſpecies intelligibiles.

Nota. quamuis D. Th. cognitionem Dei tribuat Angelo per ſuam Eſſentiam: nihilominus non negat, quæ fit per ſpecies inditas rerũ creatarum, ſed ſolùm negat, quòd cognoſcat per ſpeciem immediatè repræſentatiuam Dei. PROBATVR. Dictum. ad Rom: 1. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* ſed homo, per ea quæ facta ſunt, naturaliter cognoſcit Deum, tanquàm authorem vniuerſorum. ergo tãtò magis cognoſcit Angelus per ſpecies ſibi inditas omnium creaturarum Deum eſſe authorem omnium. *Præterea* quia naturale eſt, vt quælibet cauſa cognoſcatur per ſuos effect⁹. ſed Angelus habet ſpecies omnium rerũ creatarum, & hæ ſpecies ſunt effectus Dei. ergo tanquam per effectus cognoſcit Deum.

Cauſa cognoſcitur per ſuum effectum.

27. Dico tertiò cum D. Th. *hîc a. 3. Angelus cognoſcit Deum, ſuâ eſſentiâ concurrente ad hanc cognitionem, non modò per modum ſpeciei intelligibilis ſed etiã per modum effectus.*

Probatur primum. quòd per modũ ſpeciei intelligibilis, Eſſentia Angeli eſt quædam ſimilitudo, & imago Dei, & hæc ipſa Eſſentia eſt actu intelligibilis, & intimè vnita intellectui Angelico. ergo cognoſcet Deum per Eſſentiam, tanquam per modum ſpeciei intelligibilis.

Angelus cognoſcit Deum, non modo per modum ſpeciei intelligibilis. Sed per modum effectus.

Probatur alterum. quòd cognoſcat per modum effectus. Angelus contemplando ſuam eſſentiam, cognoſcit ſe, non eſſe cauſam ſuperiorem omnium rerum, cognoſcit ſe non ſemper extitiſſe, ſed aliquando incepiſſe, cognoſcit ſuam Eſſentiam eſſe immaterialem intellectualem, cognoſcit & alia attributa ſua; & hæc, ſicut & Eſſentiam cognoſcit

ſ. ab

ſe ab alio accepiſſe: nō verò ab alio, quàm Deo. ergo per modum effectus cognoſcit Deum.

Aliter effectus repræſentat ſuam cauſam & aliter ſpecies intelligibilis ſuum obiectum.

28. *Nota.* Aliter effectus repræſētat ſuam cauſam, & aliter ſpecies intelligibilis ſuum obiectum ſpecies enim immediatè ſine ſui cognitione præſuppoſita obiectum ſuum repræſentat, vt ſpeculum ſine ſui præmiſſa cognitione, imaginem in ſe relucentem, immediatè viſui repræſentat: effectus autem non repræſentat ſuam cauſam immediatè, ſed mediatè ſui cognitione præmiſsà. Et hæc quidem repræſentatio dupliciter accidit: *primò* cùm cognoſcimus effectum per vnam ſpeciem propriam: cauſam verò per aliam ſimiliter ſpeciem, repræſentantem cauſam, vt ex fumo cognoſcimus ignem, ex veſtigio cognoſcim⁹ animal: *ſecundò*, quando per eandem & vnicam ſpeciem, per quā repræſentatur effectus, ſimul & cauſa repræſentatur, & cognoſcitur: & hoc modo Eſſentia Angeli habet repræſentationem; ſiquidem eſt ſimilitudo cauſæ in *eſſe* intelligibili.

Hæc repræſentatio dupliciter accidit.

29. *Nota.* hæc duplex repræſentatio, quòd Angelica Eſſentia repræſentet Deum, v per modum ſpeciei intelligibilis, & per modum effect⁹, non facit duplicem Dei cognitionē in intellectu Angelico, ſed vtraque vnitur & copulatur in vna cognitione, propter excellentiam naturæ Angelicæ, & illi⁹ cognitionis.

Cognitio in intellectu Angeli per ſpeciē intelligibilem, & per effectū non facit duplicem Dei cognitionem.

Tandem directè contra Scotum non dari v. ſpeciem ſuperadditam, per quam Angelus cognoſcat Deū. *Probatur.* Si enim daretur hæc talis ſpecies, eſſet adæquata Deo, aut nō? neutrum dici poteſt. ergo. *Non primum* ſi enim eſſet adæquata: ergo Angelus per eam intelligeret Deum inquantùm eſt intelligibilis. ſed quia Diuinus intellectus Eſſentiam Diuinam intelligit inquantùm eſt intelligibilis, & propterea eandem comprehendit. ergo & Angelus cognoſcens Deum, inquantùm eſt intelligibilis, etiam eundem comprehēdet. hoc falſum ex illo Hierē. *Magnus conſilio & incomprehenſibilis cogitatu.* ergo Deus nullius creaturæ cogitatiòne & intelligentia comprehendi poteſt. *Non ſecundum* quia ſi illa ſpecies eſt inadæquata. ergo eſt ſuperuacanea. nam ex eo, quòd eſt inadæquata, eſt etiam imperfecta, ſed ex omnib⁹ imperfectis, perfectior eſt Eſſentia Angeli. ergo potiùs Angelus per ſuam eſſentiam perfectiorem alijs imperfectis Deū cognoſcit. ergo non eſt neceſſaria ſpecies inadæquata. *Confirmatur* quādocunque ſpecies prouenit ab aliquo obiecto, debet talis prouenire, prout eſt ipſum obiectum. nam ratio repræſentandi obiectum, tanta debet eſſe, quantùm eſt ipſum obiectum. quale enim eſt obiectum talē ſpeciem emittit; proinde ſi aliqua ſpecies à Deo procedit, neceſſariò talis proueniet, qualis eſt Deus. vnde erit adæquata ſimilitudo ipſius Dei. ergo erit & illius comprehenſiua. ſed cùm hoc ſit impoſſibile. idcirco Angelus per ſuam eſſentiā cognoſcet Deum.

Diuinus intellectus in quātùm eſt intelligibilis intelligit Eſſentiā Diuinam.

Ratio repræſentandi tā tū eſt. quātum & obiectum.

30. *Obiicies 1.* Eſſentia ſuperioris Angeli eſt perfectior imago Dei; quàm autem eſſentia inferioris Angeli. ergo potiùs cognoſcet per eſſentiam ſuperioris Angeli, tanquā per perfectiorem, quàm ſit ſua eſſentia. *Reſpondeo* concedendo, quòd eſſentia ſuperioris Angeli, eſt longè

Obiectio 1. cum ſolutione.

 perfectior

perfectior, quàm inferiorum Angelorum: melius tamen & perfectiùs inferior Angelus cognoſcit Deum per ſuam propriam eſſentiam; quia hæc magis eſt proportionata ſuo intellectui, quàm eſſentia ſuperioris Angeli.

Obiectio 2. *Obiicies 2.* Si eſſentia Angeli ideo eſt ſpecies intelligendi; quia eſt imago & ſimilitudo procedens à Deo. ergo Deus etiam per ſpeciem ſuper additam poterit intelligi. quia etiã ſpecies intelligibilis procedit à Deo

Solutio ei⁹ *Reſpondeo* quòd aliter ſpecies à Deo fluit, & aliter eſſentia Angeli, hæc enim in tantùm procedit, inquantùm Deus vult & præcipit: ſpecies autem ſi procederet, deberet procedere à Deo prout eſt Deus, non prout vult; quia ſpecies eſt ratio repræſentandi obiectum, in quantùm eſt *eſſe* obiecti; atque ſic prout Deus eſt infinit⁹, ita etiã hæc ſpecies eſſet infinita, quòd iam confutatum.

Obiectio 3. 31. *Obiicies 3* Si Angelus naturaliter cognoſcit Deum per ſuam eſſentiam, ſequeretur, quòd Angelus cognoſcens, cognoſceret reliquos Angelos per ſuam eſſentiã, ſine ſpecie ſuperaddita. *Sequela*, quia eſſentia vnius Angeli, magis eſt ſimilis eſſentiæ alterius Angeli, quàm Eſſentiæ Dei. nam eſſentiam Angeli magis, quàm Dei exprimit. ergo ſi per eſſentiam cognoſcit Deum, meliùs poterit cognoſcere per eandem reliquos, tanquam ſibi in natura conſimiles.

Solutio 1. *Reſpondeo 1.* Species intelligibilis ideo conſtituitur, vt cognitio exacta & perfecta haberi poſſit: & quia vnus Angelus alterum perfectè & exactè cognoſcit; idcirco opus erat ſpecie intelligibili, & propterea eandem Deus infundit illis; ſed quia Angelus in naturalibus exiſtendo non poteſt habere perfectam cognitionem Dei; idcirco nõ opus eſt ſpecie intelligibili, ſed ad hanc imperfectam cognitionem habendam ſufficit illi ipſius eſſentia.

Reſpondeo 2. Si Angelus conſideretur ſecundùm ſuum *eſſe* naturale, iã ita ſimilior eſt ſubſtantiæ alterius Angeli: ſi autem conſideretur reſpectu cognitionis, tunc magis eſt apt⁹ & ordinatus ad hoc, vt repræſentet Deum, quàm autem alterum Angelum. quia Angelus per ſui creationem procedens ex Deo, non ſolùm accipit ſuũ *eſſe* naturæ, ſed etiã hoc, vt repræſentet ipſum Deum; ſiquidem omnia ideo creauit, vt eundem repræſentarent, & manifeſtarent iuxta Pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* & ſicut homo ſecundùm ſuum *eſſe* naturale eſt alteri homini ſimilis magis, quàm imago, & tamen vn⁹ homo alterum non ſic exactè repræſentat, ſicut imago, ob eam cauſam, quia non homo, ſed imago eſt inſtituta ad repræſentandum hominem. Solutio 2. Quælibet creatura magis repræſentat Deum, quàm ſpeciem ſibi ſimilem.

32. *Quæres* An Angelus perfectiùs cognoſcit Deum per ſuam eſſentiã, quã autẽ per ſpecies proprias aliarum rerum? Pro determinatione

Dico primò. *Cognitio, quam habet Angelus de Deo per ſuam eſſentiam longè eſt perfectior illa, quam habet per ſpecies creaturæ inferioris* PROBATVR Perfectior cognitio habetur p ſpeciẽ effect⁹ perfectioris quàm p ſpeciẽ effectus imperfectioris. ſed eſſentia Angeli eſt effect⁹ pfectior Dei, quã ſpecies aliarũ creaturarũ. ergo per ſuã eſſẽtiã, tanquam per effectum perfectiorẽ, perfectiùs intelliget Deum Cognitio Angeli de Deo perfectior eſt p ſuam Eſſentiam quàm per ſpecies creaturæ inferioris.

33. Dico ſecundò. *Angelus inferior perſe-*

Angelus p. fectius cognoſcit Deum per ſuam Eſſentiam, quàm p ſuperioris.

perfectiùs cognoſcit Deum per eſſentiam propriam, quàm per ſpeciem Angeli ſuperioris. PROBATVR quælibet res cognoſcitur perfectiùs & diſtinctiùs, per ſpeciem propriam quæ immediatè illam repræſentat, quàm per ſpeciem, quæ repræſentat aliam rem. ſed eſſentia cuiuſlibet Angeli eſt

Eſſentia cuiuſlibet Angeli eſt ꝓpria ſpecies Dei illum immediatè repræſentãs.

propria ſpecies Dei, illum immediatè repræſentans: ſpecies autem Angeli ſuperioris non eſt propria ſpecies Dei, illum immediatè repræſẽtans, ſed potiùs eſt illa ſpecies ſuperioris Angeli, relucens in intellectu inferioris, imago eſſentiæ illius v. ſuperioris. ergo perfectiùs per ſuam eſſentiam, quàm per ſpeciem ſuperioris Angeli cognoſcet Deum.

Species inferiorũ creaturarũ nullam addũt perfectionẽ Angelo ad cognoſcendum Deum.

34 Dico tertiò. *Angelus ſuperior perfectiùs cognoſcit Deum per ſuam eſſentiã, quàm per ſpeciem, vel ſpecies omnium rerum ſeipſo inferiorum, etiamſi collectiuè ſumantur.* PROBATVR. Eſſentia enim ſuperioris Angeli, quæ eſt medium cognoſcendi Deum eſt perfectior, & ideo ex illa habet cognitionem perfectiorem. nam quemadmodum collectio numerorum, qui ſunt infra denarium, non attingit perfectionem denarij: & ſicut collectio rerum inferiorum homine, v. bouis leonis, &c. non attingit ſpecificam differentiam hominis ſ. rationale: ita nec collectio reliquorum Angelorum inferiorum, & etiam ſpecierum rerum creatarum, attinget perfectionem, ſeu ſpecificam illam differentiam conſtituentem ſuperiorem Angelum. Sed

Obiicies. Angelus per vnum effectum non cognoſcit plura, quàm per alium. nam dum cognoſcit de Deo, *quòd ſit*, per ſuam eſſentiam, cognoſcit & alia attributa, quòd ſit immutabilis, æternus, infinitus. Obiectio.

Reſpondeo. licet quilibet effectus ſit repræſentatiuus Dei, & illius attributorum: nihilominus tamen vnus effectus, v. vnus Angelus, qui eſt ſuperior, poteſt perfectiùs cognoſcere Deum, & illius attributa; ſicut & Beati vident in Deo omnia attributa: vnus tamen alio perfectiùs inquantùm perfectiori lumine gloriæ eſt illuſtratus: ita & Angelus naturaliter perfectiùs cognoſcit Deum per cognitionẽ ſui, quàm p cognitionem alterius effectus; quia clariùs maiori lumine naturali videt & *eſſe* Dei, & attributa Diuina. Solutio.

DISPVTATIO VIII.

De cognitione Angelorum reſpectu materialium.

Quatuor proponimus:

1. *An Angelus habeat cognitionem de rebus materialibus iiſq; ſingularibus?*
2. *An cognoſcat futura?*
3. *An cognoſcat cogitationes cordium?*
4. *An cognoſcat myſteria Gratiæ.*

QVÆSITVM I.
An Angeli cognoſcant res materiales, eaſdemq́ue ſingulares?

Res materiales Angeli cognoſcut.

1. QVANTVM *ad primum* Dico primò. *Angeli cognoſcunt res materiales.* conſtat enim ex Scriptura, Angelos fuiſſe miſſos ad Abraham, Loth, Tobiam, Habacuc, & ad alios. ſed hi ad certa officia, & opera exercenda miſſi erant. ergo antequã hæc exercuerunt, priùs cognouerunt: hæc autem opera erant materialia. ergo cognoſcũt res materiales. Ijdem Angeli circa res materiales exercuerunt tam multa. nã Angelus afflixit Ægyptum plagis, & primogenita interfecit: & alius Angelus in caſtris Aſſyriorum vna nocte centum octuaginta millia virorum occidit. ſed hi actus erant materiales, & ſine intellectione non poterant fieri; ſiquidem Angeli sũt naturæ intellectualis. ergo Angeli cognoſcunt res materiales. Tandẽ Tobias iunior alloquitur Angelum Raphaelem, interrogando de cognitione rei materialis, ſic enim dicit: *Noſti viam, quæ ducit in regionem Medorum*: reſpondet Angelus: *noui. & omnia itinera illius frequenter ambulaui.* vnde reſpondet de re materiali, v. de *via*, quòd eam iam nouerit. ET *ratio eſt* D. Th. intellectus Angeli perfectior eſt intellectu hominis. ſed homo intelligit res materiales. ergo tantò magis eaſdem cognoſcit intellectus Angeli. nam aliàs daretur quædam imperfectio in cognitione Angeli; quia res materiales, quas cognoſcit Deus, & homo, non cognoſceret Angelus.

Intellectus Angeli eſt perfectior intellectu hominis.

Angeli cognitione diſtincta omnia cognoſcuntur.

2. *Nota.* Nos loqui non de cognitione Angeli cõfuſa, quã illis Auerroes *12 Metaph t. 51.* tribuit dicens, *quòd Angeli res corporeas ſolùm apprehendunt in ratione Entis*: ſed de diſtincta. nam Angeli multa particularia & diſtincta opera exercuerunt, quæ nunquam fuiſſent operati, niſi horum diſtinctam cognitionem habuiſſent.

Res materiales cognoſcuntur ab Angelis non per ſpecies ab illis acceptas, ſed connaturales ſibi.

Dico ſecundò. *Angeli cognoſcunt res materiales, non per ſpecies ab illis acceptas, ſed per connaturales & ſibi à Deo infuſas.* Hoc Dictum ex ſuperioribus eſt clarum: & colligitur ex D. Aug. *lib. 2 ſupra Gen. ad litteram cap. 8.* vbi dicit: *res inferiores priùs exſtiterunt in mentibus Angelicis per proprias rationes, & intelligibiles formas, vt ab eis cognoſcerentur.* Idem D. Aug. *lib. 8. ſuper Gen. capite 25.* dicit: *Spiritus Angelicus nullo modo iuuatur à rebus corporalibus, quãtum ad cognitionem & ſapientiam, ſed tantùm ab æterna charitate veritatis ipſius creatoris, qui Sanctis Angelis infudit Species.*

Angelus etiam ſingularia rerum materialiũ cognoſcit.

3. QVANTVM *ad alterum.* Dico primò *Angelus cognoſcit ſingularia rerũ materialium*: Conſtat apertè ex Scriptura Angelis commiſſam eſſe à Deo cuſtodiam, gubernationem, & prouidentiam hominum iuxta illud: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant*

ſtodiant te in omnibus viis tuis: ſed actus prouidentiæ & gubernationis ſunt ſingulares. ergo cognoſcet illos Angelus. Et Eccl. 5. dicitur: *Ne dicas coram Angelo prouidentia non eſt.* D. Th. hæc verba ſic explicat: *Ne dicamus non eſſe prouidentiam in Angelis Dei, qui nobis aſſiſtunt*: ſiue *non negemus Angelos eſſe deputatos ad cuſtodiam noſtram, & ad prouidendum rebus noſtris*: at hæc ſunt ſingularia, ergo illa cognoſcit *Et ratio eſt.* 1. Angeli præſertim ad noſtrum miniſteriũ miſſi, ſunt pars vniuerſi, & quaſi conciues noſtri. habent enim naturale deſiderium ſciendi ea, quæ circa nos gerunt. ſed natura in his, quæ ad deſideriũ naturale alicuius rei ſpectant, nunquam deficit vt illud impleatur. ergo ſi Angelus habet naturale deſiderium ſciendi ea, quæ circa nos geruntur, illud debet complere, & quidem per Scientiam ſingularem.

Angeli naturale deſiderium habent ſciendi ea, quæ circa nos geruntur.

4. *Ratio 2.* Omnis perfectio ſimpliciter ſi inuenitur in natura inferiori, etiam in ſuperiori debet reperiri. ſed cognitio ſingularũ eſt cognitio ſimpliciter: & hæc in intellectu humano, qui eſt inferior, reperitur. ergo etiam in Angelico Intellectu, tanquam in ſuperiori reperietur.

Ratio tertia D. Th. Intellectus cognoſcit omnia genera rerum, ſed diuerſis viribus. nam per Intellectum cognoſcit vniuerſalia & immaterialia: ſenſu verò cognoſcit ſingularia. ergo Angelus tam vniuerſalia, quàm ſingularia per vnam intellectiuam virtutem cognoſcet. *Conſequentia.* quæ enim ſunt diſperſa in inferioribus, in ſuperioribus debent eſſe vnita. ſed vniuerſalia & ſingularia ſunt diſperſa; quia diuerſis potentiis intelliguntur. ergo in Angelo vniuntur, quando per potentiam ſolam Angeli intellectiuã cognoſcuntur.

Rerum genera intellectus humanus diuerſimodè cognoſcit.

Diſperſa in inferiorib⁹ vniũtur in ſuperiorib⁹

Nota. non modò Angeli boni, ſed etiam mali Dæmones cognoſcũt ſingularia. hi enim nobis aſſiduò inſidiantur, & obſeruant calcaneum noſtrum, & perpetuò dolos ſtruunt. 1. Petri 5. *Aduerſarius veſter Diabolus circuit quærens quem deuoret.* & Lucæ 22, Saluator ad Apoſtolos dicit: *Sathanas expediuit, vt cribraret vos quaſi triticum.* ſed hæc cribratio fuit circa actiones, locutiones, atque etiam fit penes ſenſus, quæ omnia ſunt ſingularia. ergo ſingularia nouit,

Etiã Dæmones cognoſcunt ſingularia.

5. Dico ſecundò. De modo quiſnam is ſit, per quem Angelus ſingularia cognoſcat: Auicenna Tract. de fluxu Entis cap 4, affirmat, Angelos cognoſcere ſingularia, ſed in cauſis vniuerſalibus; quia omnes effectus particulares ad cauſas vniuerſales reducuntur. Hanc opinionem D. Th. reiicit hic art 2. dicens: *Impoſſibile eſt. vt vniuerſales cauſæ ſint ratio ſufficiens cognoſcendi ſingularia, niſi in ſeipſis cognoſcantur aliquo modo.* Scotus in *2. diſt. 3. quæſt 2.* dicit, rerũ eſſentias ſeu quidditates cognoſcere Angelum per ſpecies infuſas: ſingularia autem per ſpecies à ſingularibus ſumptas: nec aliter eas cognoſcere poteſt. Sed hæc eius opinio, iam à nobis impugnata eſt, quando oſtendimus, quod Angelus nullo modo poteſt ſumere ſpecies à rebus. D. Dion. vniuerſaliter negat, Angelos intelligere res inferiores ab ipſis accipiendo ſpecies, ſicut nos accipiendo, intelligimus. D. Aug. 2. *de Gen. cap. 8.* dicit, prius in mente

Auicennæ opinio.

Refertur D. Tho.

Scoti opinio.

Reprobatur.

D. Dioniſii ſententia.

D. Auguſtini.

in mente Angelica ſpiritualiter fuiſſe creatas creaturas: deinde verò in proprio genere, & in propriis naturis ſi gitur Angeli acciperent ſpecies à ſingularibus, illæ priùs eſſent in propriis naturis, quàm in mente Angelica, quòd eſt contra eundem. nam ſi accipiunt has ſpecies, neceſſariò concedendum eſt, quòd res corporales agunt in Spirituales, & quòd illis ſuas qualitates imprimunt: quòd quidem falſum eſt. Proinde explico quinam ſit modus per quem Angelus cognoſcit indiuidua. Et quidem cum D. Th. *de verit. quæſt. 8. art. 11 ad 9*, & *quæſt. 13.* Angelus per vniuerſalem ſpeciem, quæ immediatè repræſentat naturam communē, cognoſcit omnia ſingularia illius naturæ, & omnia accidentia, quæ pro temporum varietate indiuiduis accidere poſſunt vnde Angelus per quas ſpecies infuſas cognoſcit naturas genericas & ſpecificas, per easdem cognoſcit res ſingulares cum ſuis accidentibus, & circumſtantiis: dū modò illæ, aut exſtiterint, aut ſint actu exſiſtentes.

Sententia vera.

Angelus p vniuerſalē ſpeciē. quæ immediatè repræſentat naturam cō munem cognoſcit ſingularia.

Ratio prima. Virtutes cauſādi quātò ſunt propinquiores Diuinæ cauſalitati, tantò ad plures effectus particulares attingunt. ſed Species Angelorum à Deo impreſſæ magis appropinquant ad cognitionem Dei. ergo effectus particulares magis attingunt.

6. *Ratio ſecunda.* Species Angelica, eſt quædam ſimilitudo deriuata ab exemplari Diuinæ Ideæ. ſed Idea Diuina repræſentat & quidditates rerum, & omnia ſingularia ſub illis contenta cum ſuis accidentibus. ergo & ſpecies Angelica non ſolùm quidditates, ſed etiam omnia ſingularia ſub illis contenta repræſentabit. Ex quo Argumento *Collige* nos, non aliam cauſam aſſignare, cur ſpecies Angelica, & communem quidditatem rerum, & illius indiuidua cum accidentibus repræſentet, præter hanc, quia eſt ſimilitudo, repræſentatio, & participatio Diuinæ Ideæ.

Species Angelica eſt ſimilitudo à diuinæ ideæ exemplari deriuata.

Ratio tertia. Præter hanc cauſam non poteſt alia dari. *Antecedens* Tres ſunt modi dicendi, in quibus tenēt quidam Theologi, quòd participatio Diuinæ Ideæ non tribuit ſpeciei intelligibili Angelicæ, vt poſſit & communem naturam, & illius indiuidua repræſentare.

Angelus quod non poſſit per participationem diuinæ Eſſentiæ repræſentare communem naturam & illi' indiuidua

Modus dicēdi prim'.

7. *Primus modus* tribuitur Ægid. Rom. *Tract. de cognitione Angelorum. q 9.* vbi dicit, quòd efficacia, & virtus luminis intellectus Angelici eſt cauſa. nam ſpecies Angelica vnita lumini intellectûs Angelici, ob ſuā efficaciam, cognoſcit & quidditatem rei, & omnia indiuidua cum accidentibus. ſed hic modus dicendi non poteſt ſubſiſtere. nam lumē intellectus Angelici, non poteſt tribuere ſpeciei intelligibili virtutem repræſentatiuam eius obiecti, cuius illa naturaliter non eſt repræſentatiua: quia hoc ſolùm eſt opus Diuinæ virtutis. *tum* ſpecies intelligibiles determinant lumen intellectûs, quantùm ad actualem cognitionem obiecti. nam lumen naturale intellectus, illa tantùm obiecta illuminat, quæ ſunt naturalis ordinis: ſicut & lumen ſupernaturale ea, quæ ſunt ſupernaturalia.

Refutatio illius.

8. *Secundus modus dicendi eſt*, quòd Species Angelicæ formaliter loquēdo ſolùm repræſentant naturas cōmunes

munes

munes : nihilominus tamen cùm Angelus perſpicaciſſimo ſuo Intellectu, eandem ſpeciem comparat ad indiuidua, quæ vult & intendit cognoſcere, ſic iam indiuidua cognoſcit. verùm neque hoc congruè dicitur. nam hæc comparatio ſpeciei repræſentantis communem naturã ad ſingularia, iam præſupponit cognitionem eorũdem Indiuiduorũ, atque fit comparatio vel ad minimum ſupponit, quòd quemadmodũ humanus intellectus excitatur à phãtaſmatibus, ad cognoſcẽda indiuidua : ita & Intellectus Angeli ab indiuiduis excitatur ad faciendam cõparationem. *Demum* ſi ſpecies intelligibilis non habet in ſe vim repræſentandi ſingularia. ergo eandem non poterit illis tribuere talis comparatio.

Confutatio etiam ipſi9.

Modus 3.

9. *Tertius modus dicendi:* quòd ſpecies intelligibilis Angeli, primò & immediatè repræſentat naturam ſpecificam: ſecundariò & mediatè indiuidua illius naturæ ſpecificæ; & hæc eadem ſpecies repræſentat etiã omnia accidentia, quæ illis indiuiduis accidere poſſunt, inquantum v. in potentia actiua vel paſſiua ipſorum indiuiduorum continẽtur, ſed neq; hoc ſubſiſtere poteſt. omnis enim cognitio debet habere determinatum obiectum; & hæc determinatio fit per actualitatem. ergo non per potentialitatem, quæ quidem habet annexam quandam contingentiam.

Etiam refellitur.

Quare ſtandum eſt doctrinæ D. Th. quòd ſpecies intelligibilis non alia de cauſa, & communem naturã, & illius indiuidua, atque etiã horũ accidẽtia repræſẽtat, niſi, quia eſt participatio diuinæ Ideæ. *Ratio eſt* ſicut enim res effluunt à Deo, vt ſubſiſtant in ſuis naturis propriis : ita etiam ſunt in cognitione Angelica. ſed à Deo effluunt non ſolùm ad naturam vniuerſalem, ſed etiam quantùm ad ſingularem, ergo & Angelus per eandem ſpeciem, & communem naturam, & illius indiuidua cum accidentibus cognoſcet.

Species Angelica ob participationem diuinæ ideæ, & cõmunẽ naturã & indiuidua cognoſcit.

10. *Obiicies 1.* Si ſpecies Angelica, repræſentaret naturam ſpecificam cum omnibus indiuiduis ſub illa cõtentis, & omnibus accidentibus, ſequeretur, quòd talis ſpecies adæquaret repræſentationem Diuinæ Ideæ : hoc eſt infinitæ perfectionis. ergo etiam Species Angelica eiuſdem eſſet perfectionis infinitæ. *Sequela* Species intelligibilis Angelica repræſentat humanam naturam cũ omnibus indiuiduis poſſibilibus, atque etiam accidentibus, & cum proprietatibus perſonalibus. ſed hoc idem etiam repræſentat Idea Diuina. ergo adæquaret perfectionem Ideæ Diuinæ *Reſpondeo* Species Angeli conſiderata in *Eſſe* repræſentatiuo, & inquantùm exemplaris eſt effectiua, non poteſt adæquare perfectionem Diuinæ Ideæ : ſi autem ſpecies Angelica conſideretur ex parte rerum repræſentatarum, v. indiuiduorum, non autem ſimpliciter, ſic aliquo modo dici poteſt, quòd repræſentationem Diuinæ Ideæ adæquet, v ex parte rerum ad quas terminatur, & ſecundũ quid.

Obiectio.

Solutio ei9

11. *Obiicies 2.* Si Angelus cognoſcit indiuidua materialia & immaterialia per ſpecies ſibi congenitas. ergo in quolibet Angelo infinitæ ſpecies ſunt ponendæ. nam indiuidua tam materialia, quàm immaterialia videntur continere numerum infini-

Obiectio 2.

Solutio illius.

infinitũ. *Reſpondeo* 1. negando, quòd infinitæ ſpecies ſint concedendæ in quolibet Angelo; ſiquidem illa infinita multitudo indiuiduorum, optimè per vnam & eandem numero ſpeciem intelligibilem cognoſci poteſt. nam hæc talis ſpecies non eſt cenſenda, neque æſtimanda ſecundũ rationem earum ſpecierum, quæ à rebus accipiuntur: ſunt enim Angelicæ ſpecies altioris ordinis. vnde perfectiſſimè omnia indiuidua, & illorum accidentia repræſentant. *Reſpondeo* 2. non eſſe inconueniens, vt multa prout ſunt multa, cognoſcantur diſtinctâ cognitione: quãdoquidem perfectiſſimè repræſentantur per vnam & eandem numero ſpeciem: & ſic Beatus in vnica ſua viſione videt Eſſentiam Diuinã: videt ſimul omnia & ſingula Diuina attributa. *tum* vt quidam affirmant per eandem viſionem, videt omnia illa, quæ ad ſtatum illius ſpectant. ergo ſimiliter Angelus per eandem numero ſpeciem poterit intelligere, & quidditatem rei in communi, & ſingula eius, & indiuidua cum Accidentibus ſed rurſum.

Solutio altera.

Inſtantia.

12. *Inſtabis* Vnius obiecti vna tãtùm debet eſſe ſpecies intelligibilis & quia id, quod eſt vnum, repugnat eſſe plura. idcirco Angelus per vnam ſpeciem non intelligit plura indiuidua. *Reſpondeo*. Argumentum procedere de illis ſpeciebus, quæ à rebus accipiuntur; quia hæ ſicut ab vno obiecto fluunt, ita etiam non poſsũt niſi vnum obiectum repræſentare: ſpecies autem Angelica, cùm ſit à Deo producta, in eius poteſtate eſt efficere, vt ſint ſimilitudines perfectæ, & quidditatũ in communi, & indiuiduorum cum ſuis accidentibus; proinde ſpecies intelligibilis eſt vna propter vnitatẽ ſubiecti, à quo recipitur: eſt autem varia & multiplex inquantùm plura repræſentat. ſicut non eſt inconueniens, vt vnum numero ſpeculũ, poſſit ſimul & ſemel varias ſpecies & imagines repræſentare earum rerum, quæ ſibi obiiciuntur. Sed adhuc

Solutio eius.

Species intelligibilis quomodo ſit vna, & varia?

Inſtantia altera.

13. *Inſtabis*. Species vniuerſalis non poteſt repræſentare ſingularia quantùm ad ſingularitatem, & illorum accidentia. *Sequela*. quia repugnat. *Reſpondeo* cum D. Th. hic & in 3. diſt. 3. q. vlt. vbi aſſignat cauſam cur ſpecies vniuerſalis Angelica ſit repræſentatiua vniuerſalis, & ſingularis; quia v. eſt exemplata immediatè à Diuinis Ideis. ſed hæ habent hanc duplicem perfectionem: *primò* quia naturas rerum in communi repræſentant: *ſecundò* quia repræſentant & ſingularia quantùm ad omnes conditiones; vnde has perfectiones, productis ad exemplar Ideæ Diuinæ largitur, vt & in vniuerſali, & in ſingulari repræſentent Sed.

Solutio eius.

Diuinæ Ideæ habent duplicem perfectionem.

14. *Inferes* 1. ergo Angelicæ ſpecies erũt infinitæ perfectionis in repræſentando *Reſpondeo*, quòd ſpecies Angelicæ, non habent perfectionẽ repræſentandi omnia indiuidua poſſibilia; quia ſe in infinitum extendunt; ſed ſolùm hanc ſpeciem illorum indiuiduorum eſſe repræſentatiuam, quæ ſunt in potentia vnius naturæ finitæ, & comprehenſiuè cognitæ. & ſic non arguiur ſimpliciter infinitatem in ſpecie intelligibili, ſed ſolùm ſecundùm quid: Sicut, cùm Angelus comprehenderet aliquid continuum, quod eſt diuiſibile in partes infinitas, non propterea dicitur

Species Angelicæ non habent perfectionẽ repræſentandi omnia indiuidua poſſibilia.

dicetur eſſe infinitæ perfectionis in repræſentando: ſiquidem illæ omnes partes continentur in vno continuò finito actualiter. Idem de ſpeciebus Angelicis intelligendum.

Inferes 2. Ergo illæ ſpecies repræſentabunt oppoſita. nam repræſentant accidentia indiuiduorum. ergo ſimul repræſentabunt Petrum ſtare & ambulare. *Reſpondeo* repræſentare hæc oppoſita ſucceſſiuè, & pro diuerſis temporibus. nam illa ſpecies repræſentat Petrum ſedentem, quãdo ſedet, ſtantem quando ſtat, ambulantem quando ambulat.

Species Angelicæ repræſentant etiam oppoſita ſed ſucceſſiuè.

QVÆSITVM II.

An Angelus cognoſcat futura?

15. SVppono primò. Nos loqui de cognitione naturali Angelorum, non autem de ſupernaturali. nam certũ eſt, quòd Angelus per viſionem Diuinæ Eſſentiæ, aut per aliam reuelationem, poteſt cognoſcere futura.

Futura contingẽtia dupliciter cognoſci poſſunt.

Suppono ſecundò cum D. Thoma: futura contingentia dupliciter cognoſci poſſunt: *primò* in ſua cauſa: *ſecundò* in ſeipſis: Tum futura, aut ſunt *neceſſaria* aut *contingentia*: rurſum contingentia ſunt duplicia: *quædam ſunt*, quæ ex cauſis vt plurimùm eueniunt, vt ſanitas ex tali medicina: *quædam, verò* quæ proueniunt ex cauſis, vt in paucioribus; & talia ſunt fortuita & caſualia: vt ſi quis eat in forum negotiorum cauſa, & cum amico cõgrediatur. Hoc ſuppoſito

Futura neceſſaria determinata, & quæ naturaliter nõ poſſunt impediri certò ab Angelis cognoſcuntur.

16. Dico primò. *Futura, quæ ſunt abſolutè neceſſaria: & quorum cauſæ ſunt ad vnum determinatæ & quæ naturaliter non poſſunt impediri, cognoſcuntur certò ab Angelis.* vt, quòd cras ſol orietur, aut quòd Eclipſis hoc anno tali hora, & die ſit futura. *Probatur* ex Apologetico Tertull. vbi dicit: *omnes Dæmones Diuinitatem æmulantur; & idcirco quantùm poſſunt diuinationem appetunt*: quia hæc diuinatio ſita eſt in prædictione futurorũ; idcirco idẽ Tertull. dicit: *nam ex diſpoſitione aerũ, & ſyderum commiſtione, ex conſortio etiã nubium, & per cæleſtes quaſdam poſitiones, nonnulla futura ſapere poſſunt, & pluuias etiam quaſi iam præſentiunt.* Ex hoc argumentor. Cognoſcit Angelus, tã bonus, quàm malus omnes cauſas naturales, in quibus ſunt, & ex quibus procedunt effectus futuri. ergo antequam eueniant poterit eos certò cognoſcere.

17. Dico ſecundò. *Futura contingentia, quæ iam non ex neceſſitate, ſed ex cauſis eueniunt, & habent contingentiam à cauſis impedibilibus, poſſunt Angeli certò cognoſcere.* PROBATVR contingentia effectuum ex hoc prouenit, quia cauſæ naturales mutuò ſe impediũt. ſed Angelus cognoſcit, quando futurum eſt impedimentum ab aliqua cauſa naturali, & quando non eſt futurum. vident enim Angeli cauſas naturales ordinatas à Deo ad producendos effectus: & harum cauſarum cognoſcunt virtutem, & connexionem, ergo etiam huiuſmodi impo-

Futura contingẽtia nõ ex neceſſitate, ſed ex cauſis etiã impedibilibus eueniẽtia poſſunt Angeli certò cognoſcere.

impedimenta poterũt cognoſcere. *Nota 1.* Nos excludere miracula, propter quæ facienda quandoque Deus ordinem quem conſtituit, im mutat; & ſic tempore Ioſue ſol ſtetit, & tempore Ezechiæ Regis ſol retrò aſcendit.

Nota 2. quando intellectui Angelico tribuimus, quòd ex talibus cauſis poſſit certò cognoſcere futura, loquimur de cauſis proximis, non autem de remotis. nam effectus qui poſt mille annos ſunt futuri, difficulter Angeli cognoſcere poſſunt: cùm deberent tanti temporis cauſarũ ſeriem variationem cognoſcere, quòd eſt difficillimum.

Futura cõtingentia à volũtate diuina aut humana pendentia, non poſſunt certò ab Angelis cognoſci.

18. Dico tertiò *Futura contingentia, quæ pendent ex libera voluntate humana, aut Diuina, non poſſunt certò ab Angelis cognoſci.* PROBATVR quia talis cognitio ſolius eſt Dei. ergo non conuenit creaturæ. *Antecedens* Iſaiæ 41. *Annuntiate nobis futura, & ſciemus, quòd Dii eſtis vos.* & cap. 41. *Ego ſum Deus, & non eſt ſimilis mihi annuntians ab exordio nouiſſimum, & ab initio, quæ nondum facta ſunt.* & Daniel. 2. *Eſt Deus in cælo reuelans myſteria, qui indicabit Regi quæ ventura ſunt.* Ex his locis cum D. Hieron. *Colligimus* certiſſimum diuinitatis eſſe ſignum annuntiare futura, præſertim, quæ pendent à voluntate. *Ratio eſt.* Liberum arbitrium eſt cauſa actionum liberarum. ſed ex libero arbitrio, tanquam ex cauſa, non poteſt Angelus certò cognoſcere quid facturum ſit liberum arbitrium; ſiquidem ex ſua natura eſt indifferens, indeterminatum, & habens ſe ad vtrumlibet, v. quòd poſſit facere, & non facere. *Præterea* nõ poteſt Angelus cognoſcere iſta futura, vt in ſe, & vt præſentia. nam ad hoc requiritur menſura æternitatis, & infinitas in cognitione intellectùs, quæ nõ Angelo, ſed ſoli Deo conueniunt. omnia enim ei futura ſunt, vt præſentia, quia hæc æternitas ambit & in conſpectu Dei ſiſtit.

Futura omnia ſunt Deo vt præſentia.

19. *Nota.* De his tamen futuris, quæ pendent ex libera volũtate humana, poteſt habere Angelus notitiam coniecturalem, Angelus enim maximè cuſtos ſui hominis, quem cuſtodit, nouit complexionem, & ſecundùm hanc nouit inclinationes naturales, & nouit experientia longa edoctus; & cùm ſit ſubtiliſſimo ingenio, poteſt coniectare, quid homo ſit facturus?. Sed

Futura quæ pendent ex libera volũtate hominis, coniecturali notitia poteſt Angelus cognoſcere.

Obiicies. Dæmones aliquando futura contingentia prædicunt, & quandoq; vera. *Reſpondeo* prædicere quidem, ſed in his plurimùm fallũtur. vnde.

Obiectio cum ſolutione.

Nota 1. ex Banneſio, quòd Dæmones triplici de cauſa futura prædicunt: *prima,* quia Diuinitatem, quæ ſolius Dei eſt ſibi arrogare (vt iam ex Tertull. Apolog. diximus) cupiunt: *ſecunda,* quia fidem Euangelicam cupiunt infirmare in cordibus fideliũ. nam hos, quibus prædicant eò dementiæ adducere conſueuerunt, vt illis potiùs, quàm Euangelio credant: *tertia,* quia hac prædictione multas animas, præſertim curioſas capiunt.

Dæmones triplici de cauſa futura prædicũt.

20. *Nota 2.* quòd quadruplici de cauſa Dæmones veritatem prædicere poſſunt: *prima,* quia quandoque Deus permittit, & diſponit, vt malis Angelis boni manifeſtent futura. vnde Iob 1. dicitur, quòd Sathanas comparuit inter filios Dei corã Deo. Ex quo *Colligitur,* quòd aliquãdo Diabolus fit particeps Diuinarũ reue-

Dæmones quadruplici de cauſa veritatem prædicere poſſunt.

reuelationum. *ſecunda*, quia Dæmones aduertunt ad reuelationes factas viris ſanctis: tum, quia hæ proponuntur in concionibus, aut etiam ex libris: & quia ſunt ingenio acutiori, ex his futura prædicunt. *tertia*, quando Dæmones habent à Deo permiſſionem aliquid operandi: vt accidit circa Iob. acceperat enim poteſtatem, vt Iob vlcere peſſimo percuteret, tunc poterit ea, quæ facturus eſt, antequam illa faciat, prædicere *quarta*, nouit Dæmon complexiones hominum, & naturales in his inclinationes, & quam vehemẽter ab obiectis ſenſibilibus rapiantur: poterit itaque ponere hominẽ in talibus circumſtantijs, eidemq́; ſubdere faces mali per ſuggeſtiones ergo poterit conijcere, quòd ſ: homo id facturus ſit, & antequam hoc faciat, poterit hoc prædicere. ſed his prædictionibus, quamuis aliquid veritatis admiſtum habeant, cautè credẽdũ. nã cùm Dæmõ ſit ſuà naturâ mal[9], plurima mẽdacia admiſcet.

Prædictiones Dæmonũ ſunt fallaces.

QVÆSITVM III.

An Angelus cognoſcat cogitationes cordis?

Angel[9] poteſt cognoſcere cogitationes cordis humani ex præuiis ſignis.

21. AD quæſitum Dico primò cum D. Th. *Angelus poteſt cognoſcere cogitationes cordiũ humani, inquantùm ſunt in effectu, hoc eſt, inquantùm exteriùs manifeſtantur, aut verbis, aut operationibus, aut nutibus, aut ſignis.* PROBATVR. quia hanc cogitationem ſic exteriùs manifeſtatã, & in effectu exſiſtentem ad extra, etiam humanus intellectus benè cognoſcit. ergo tantò meliùs intellectus Angeli, qui eſt excellentior cognoſcit.

Cogitationes, put sũt in intellectu. & affectiones prout ſunt in võlũtare ſoli Deo sunt cognitæ.

22. Dico ſecundò. *Cogitationes, prout ſunt in intellectu: & affectiones, prout ſunt in voluntate, ſoli Deo ſunt cognitæ*. ita docet S. Scriptura 1. Reg. cap: 16. vbi dicitur: *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* & Hierem. 17. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutibile, quis cognoſcet illud? ego Dominus.* Ex his locis argumentor. quod eſt propriũ Deo, non conuenit creaturæ. ſed cognoſcere cogitationes cordis, eſt proprium Dei; quia per particulam *ſolus* excluduntur creaturæ. ergo ſolus Deus videt cogitationes cordis. & D. Hieron. ad c. 6. Matth. ſuper illa verba: *videns cogitationes illorum* dicit: *Oſtendit ſe Deum, qui poſſit occulta cordiũ cognoſcere, & quonam modo tacens loquitur.* & D. Ambr. l. 5 in Luc. ad c 5. inquit: *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? quis hoc dicit? Sacerdos magnus, qui lepram videbat in cordibus Iudæorum. & occultorum cognitione, Deum ſe eſſe demonſtrat.* Ex quo ſic argumentor. Chriſtus per cognitionem cogitationum cordis probat ſe eſſe Deum, & SS. PP. eius diuinitatem ex eo deducunt, tanquam ex certiſſimo argumento, quòd cognoſcat cogitationes cordium. ſed ſi Angeli ſecreta cordium cognoſcunt certò & naturaliter, non eſſet hoc argumentum

mentum efficax ad Diuinitatẽ Chriſti comprobandam, quâ tanquam euidenti probatione, & Chriſtus eſt vſus, & SS. PP. vtuntur.

Angelus occulta cordium certò cognoſcere non poteſt

23. Dico tertiò. *Nulli creaturæ, & per conſequens neq; Angelo conuenire poteſt, vt occulta cordium certò cognoſcat. Probatur 1.* Sicut enim præſcire futura, & peccatores iuſtificare, & mortuos reſuſcitare eſt ſoli Deo propriũ: ita & occulta cordium cognoſcere. ſed nullus Angelorum, neq; etiã hominum, quantumuis Sanctorum viribus ſuis poteſt mortuos ſuſcitare, peccatores iuſtificare, futurà prę dicere. ergo nec occulta cordium cognoſcere.

Probatur 2. Daniel. 2. dicitur: *Iudicium ſedit & libri aperti ſunt.* Hunc locum ex vnanimi conſenſu interpretãtur SS. PP. de libris conſcientiæ & cordis. & D. Paul. 1 Corynth. 4. apertiùs dicit: *illuminauit abſcondita tenebrarum, & manifeſtauit conſilia cordium.* De qua apertione conſcientiæ & cogitationum loquitur Scriptura, tanquã de miraculo magno. ſed ſi Angelus abſcondita cordium videt, non erit hoc magnum miraculum; ſiquidem ante diem iudicij cordis conſilia ſunt aperta.

Cogitationes cordis ſoli Deo, ob voluntatẽ quæ ei ſubiacet, patẽt

Quæres. Cur ſoli Deo patent cogitationes cordis? *Reſpondeo* cum D. Th. hoc ideo fieri; quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt: cùm ſit principale obiectum & vltimus finis; proinde, quæ ex ſola voluntate dependent, aut quæ in ſola voluntate ſunt, ſoli Deo nota ſunt.

Sententia Scoti non eſt veriſimilis.

24. Dico quartò. *Sentẽtia Scoti non eſt veriſimilis*, in qua dicit, quòd *Angeli habent virtutem efficacem naturalem ad cognoſcendas cogitationes cordium; ſed quominus cognoſcat impeditur à Deo: vel ideo, quia Deus non vult cum Angelis concurrere propter vniuerſi gubernationem. eßet enim magna confuſio, ſi quilibet naturaliter cognoſceret cogitationes alterius.* PROBATVR. nam ex hac ſententia multa inconuenientia ſequuntur: *primum*, quòd aliqua creatura impediretur in illa cogitatione, quã naturaliter apta eſt exercere. nam ſuauis diſpoſitio Dei, requirit & ita diſpoſuit, vt omne illud, ad quod naturaliter eſt diſpoſitum, operetur. ſi ergo Angelus ſecundùm Scotum habet efficacem virtutem naturalẽ ad cognoſcenda cordis abſcondita. ergo illam exercebit, nec intelliget. *ſecundum*, contra rectam gubernationẽ eſt vniuerſi, tribuere aliquod bonum alicui, quod poſtea impediendum erit, ne in ſuum actũ exeat: *tertium* otioſum quoq; eſſet, alicui tribuere potentiam naturalem, ad cognoſcendas cogitationes cordiũ, quæ non poſſet in actum exire: quia de facto à Deo impediretur: *quartum* abſurdum etiam eſt, quòd nobiliſſimam creaturam ordinauerit Deus ad cogitationes cordis cognoſcendas, & poſtea eidem denegaret concurſum ſuum, vt impediatur à tali cogitatione: *quintũ*, ſtatus hominis valde eſſet miſerabilis cæteris creaturis, ſi eius cogitationes, ſiue bonæ, ſiue malæ, eſſent omnibus manifeſtæ *Demum* ſequeretur, hoc graue incommodum, quòd Dæmones nobis inuitis cognoſcerent cogitationes cordis naturaliter, & intentiones noſtras, atq; ſic grauiter nobis inſidiarentur, bona propoſita in nobis exſtinguendo, praua deſideria ſuggerendo, ac promouendo.

Inconuenientia quæ ex illa promanant ſẽt

Margin numbers: 1. 2. 3. 4. 5. 6.

atque

atque ſic ſingulis ferè momentis nos infeſtarent.

25 Dico quintò *Cogitationes cordium, & alii liberi actus interni, qui pendent à voluntate, ideo ſunt occulti Angelis, vt eos naturaliter non poſſint cognoſcere; quia à prima ſui creatione, non habent ſpecies ſibi inditas, per quas cognoſcere poſſint.*

Cogitationes cordiũ & alij liberi actus interni, cur ſunt Angelis occulti?

Probatur 1. Species, quæ Angelis ſunt inditæ, primò & per ſe repræſentant res naturales, deinde & illa, quæ habent cum his naturalem cõnexionem. ſed actus cogitationum non ſunt naturales, verùm altioris ordinis, nec cum rebus naturalibus habent connexionem. ergo eaſdem repræſentare non poſſunt. & hæc doctrina videtur eſſe D. Th quam Ferar. *2. con. gen. c. 154.* indicat.

Actus cogitationũ nõ ſunt res naturales, ſed altioris ordinis.

Probatur 2. Angelus ante locutionem non poteſt intuitiuè cogitationes cordis, & actus liberos cognoſcere; ſiquidem in ſe non eſt ſufficienter inſtructus in primo actu, ad habendam talem notitiam intuitiuam. ergo non habet tales ſpecies, quæ repræſentent illi liberas cogitationes: ſicut enim impoſſibile eſt, vt ſoni deferãtur ad viſum, aut colores ad auditum; quia viſus non eſt potentia à natura inſtructa, vt poſſit eſſe inſtrumentum percipiendorum ſonorum: ita & Angelus cũ in primo actu non ſit inſtructus à ſpeciebus, quæ repræſentarent liberas cogitationes; idcirco eas non percipit. Sed

26. *Dices.* Vtiq; Angelus cognoſcit cogitationes. *Reſpondeo*, quòd cognoſcit in effectu, at non per ſpecies inditas, ſed in illo inſtanti, quo Angelus alteri Angelo loquitur, manifeſtando illi ſuam cogitationem; & ſic de nouo accipit ſpeciem illius repræſentatiuam cogitationis: ita D. Th. *de veritate q. 8. a. 13.* quàmuis Nazarius contrarium ſentiat.

Angel⁹ quo modo etiã cognoſcat cogitationes?

Dico ſextò. *Quibuſdam tamen valde probabile videtur, quòd Angeli de nouo nõ acquirant ſpecies. ſed eas à principio ſuæ creationis inditas habeant: non ſolùm pertinentes ad ordinem naturalem, verùm etiam ſpectantes ad ordinem moralem, inquantùm v homo & Angelus eorumq́; operationes in vtroq; ordine naturali & morali iſtius vniuerſi continentur.* ET *ratio eſt.* homo vt homo pertinet ad ordinem vniuerſi, ergo pertinet vt habet liberum arbitrium. ergo & illius operationes liberæ pertinebunt. *Tũ* quia hoc inſtar miraculi eſſet, quòd homo pertineret ad ordinem vniuerſi, & illius operationes non pertinerent. *Præterea* liberum arbitrium eſt potentia naturalis liberè agens. ergo & illius cogitationes liberæ ſunt naturales.

Angeli de nouo nõ acquirunt ſpecies ſed eas à principio ſuæ creationis inditas habẽt

Nota. Intellectus Angeli ad intelligendas cogitationes cordis, non habet ſufficiens lumen, niſi ab alio Angelo dirigãtur illæ cogitationes, vt eas ali⁹ cognoſcat; & hæc eſt cõditio ex parte obiecti terminatiui neceſſaria, vt cogitatio cordis per liberã voluntatẽ cogitãtis Angeli, ordinetur ad intellectũ alteri⁹ Angeli.

Intellectus Angeli, ad intelligendas cogitationes cordis, lumen ſufficiens non habet.

QVÆSI-

QVÆSITVM IV.
An Angeli cognoſcant myſteria Gratiæ?

27. D. Th. in hoc art. non loquitur de Myſteriis Gratiæ, quæ pertinent ad Diuinam ſubſtantiam, quale eſt Myſterium Sanctiſſimæ TRINITATIS; quia hoc non pendet ex Diuina Voluntate libera, niſi in eo, quòd ſit reuelatum Angelis & hominibus. *Ratio eſt*. quia D. Doctor cum hic quærit, *cur Angeli myſteria gratiæ non cognoſcant*? reddit cauſam, *quia ex voluntate Diuina pendent:* proinde loquimur cũ D. Th de Myſteriis Gratiæ à Deo factis. Illud quoque.

Suppono quòd D. Th. loquitur de Scientia Angelorum naturali, & beatifica: omittit autem cognitionem fidei, quæ non eſt euidens, ſicut naturalis & beatifica. Pro determinatione.

Angelo naturali lumine, non poteſt cognoſcere myſteria Gratiæ omnia.

28. Dico primò, *Angelus naturali lumine non poteſt cognoſcere myſteria Gratiæ omnia, eo ipſo, quo facta ſunt.* Hoc Dictum eſt contra Scotum, qui affirmat Angelos bonos cognouiſſe myſteria omnia gratiæ, eo ipſo, quòd facta ſunt. *Ratio prima.* Myſterium Incarnationis eſt Myſterium gratiæ ſed hoc non cognouit Angelus plenè, vti D. Dion. *cap. 7. de cœleſti Hierarchia* affirmat, illud Iſaiæ 63. explicans. *Quis eſt iſte, qui aſcendit de adibus?* Ex quo *Colligimus* cum reliquis SS. PP. quòd Chriſtus Dominus poſtquàm in cælum aſcendit, pleniori & perfectiori intelligentiâ de myſterio incarnationis, Angelos illuminauit. ergo ante Chriſti Aſcenſionem perfectè non cognouerunt Incarnationem.

Ratio ſecũda. Gratia & Charitas sũt habitꝰ infuſi, & à Deo ꝓducti. ſi ergo hos Angelꝰ naturaliter cognoſcit, eo ipſo quòd sũt facti. ergo etiã naturali cognitione lumẽ Gloriæ ſ. viſionẽ beatificã; quia hæc etiã eſt à Deo facta, quod qdẽ eſt cõtra Script. quæ dicit: *Oculꝰ nõ vidit, nec in cor hominũ aſcẽdit, quæ Deꝰ præparauit his, qui diligunt eũ.*

Myſterium quid ſignificet?

Ratio tertia. Hoc vocabulum *Myſterium* ex ſuo ſignificato, ſignificat ſecretum arcanum, v. quod hæc myſteria Gratiæ, non à reuelata Scientia, nec à Beatifica. ergo à purè naturali.

Ratio quarta. Myſteria Gratiæ sũt ordinis ſupernaturalis. ergo ab intellectu creato exſiſtente in puris naturalibus non poſſunt cognoſci. *Confirmatur* ſicut enim intellectus humanus pro hoc ſtatu habet obiectum proportionatum v. quidditatem materialem: & ideo non poteſt ſpiritualia intuitiuè cognoſcere quia non continentur ſub quidditate naturali: ita intellectus Angelicus, & quiuis alius ſeparatus in ſua cognitione naturali, habet pro obiecto proportionato Ens naturale, non verò Ens ſupernaturale.

29. Dico ſecundò. *Myſteria ſupernaturalia*

naturalia per ſe & ſecundùm ſuam ſubſtantiam conſiderata, cognoſcuntur per reuelationem factam à Deo. Nota Myſteria ſupernaturalia ſunt duplicia: *quædam ſunt*, quæ quoad modum ſunt ſupernaturalia; quia à nulla cauſa naturali fieri poſſunt, niſi à ſolo Deo, vt eſt illuminatio cæci, reſuſcitatio mortui. viſus enim, qui cæco reſtituitur. per ſe eſt quiddam naturale; ſed quoad modum, quo reſtitutio viſus eſt facta, eſt prorſus ſupernaturale: *quædam verò ſunt* ſupernaturalia per ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam: vt iuſtificatio impii, per infuſionem gratiæ ſupernaturalis, & Incarnatio Verbi Diuini. Hoc Dictum eſt contra Scotum, qui aſſerit, quòd Myſteria ſupernaturalia inquantùm ſunt iam à Deo facta. virtute própria naturali cognoſcere poteſt: Hæc tamen virtus Angelica, eſt ligata & impedita ne poſſit cognoſcere.

Myſteria ſupernaturalia ſecūdum ſuam ſubſtātiam conſiderata, cognoſcuntur à Deo p reuelationem factam. Myſteria, alia ſunt ſupernaturalia quoad modū: alia quoad ſuā ſubſtantiā.

Sententia Scoti refutatur.

30. PROBATVR *contra Scotum*, Duo ſunt irrationabilia in eius ſententia *primùm*. id quod eſt ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſupernaturale, virtute naturali cognoſcitur: quod eſt falſum, vti iam probatū: *alterum* quòd iſta naturalis virtus, ne per eam fiat cognitio impediatur: quòd etiā falſum. nam in Dæmonibus, quòd à cognitione Myſteriorum impediantur, fit vel ob culpam illorum, vel ne ſuâ malitia curſum Euangelicum impediant. ſed ex parte bonorum Angelorum, nulla eiuſmodi cauſa dari poteſt ergo non eſt cauſa, cur impediantur.

Dæmones impediuntur à cognitione myſteriorum ob duplicē cauſam.

Probatur etiam primò Dictum, quòd Angeli hæc Myſteria ex reuelatione cognoſcant. D. Paulus ad Eph. 3. de Myſterio Incarnationis, dicit *vt innoteſcat Principibus & Poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*, ergo hoc Myſterium, quòd habet Eccleſia ex reuelatione communicatum eſt Angelis.

Myſteria ſupernaturalia Dei Angeli ex reuelatione cognoſcunt

Probatur ſecundò. 1 ad Timoth. 3. dicitur: *magnum pietatis Sacramentum, quòd manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Hic ſimiliter loquitur Apoſtolus de apparitione facta Angelis, quando in toto mundo annuntiata eſt Incarnatio. Sed

31. *Obiicies* Poteſt Angelus in cōſecrata hoſtia videre abſentiam Panis. ergo hoc myſterium naturaliter cognoſcet. *Reſpondeo 1.* quòd Angelus naturali virtute intellectus ſui non poteſt euidenter videre abſentiam Panis; ſed ſolùm videt ſe non videre Panem: non eſt tamen certus, vnde hoc proueniat, an ex defectu obiecti, an ex Deo impediente. *Reſpondeo ſecundò.* Ex abſentia ſubſtantiæ Panis in hoſtia conſecrata, nō ſequitur præſentia corporis Chriſti, quæ ad hoc myſterium eſt neceſſaria: *Tum* dato, quòd Angelus videat abſentiam Panis, non tamen videt exſiſtentem ibi Chriſtum; quia eſt obiectum ſupernaturale, & non proportionatum facultati naturali. Sed.

Obiectio.

Solutio 1.

Solutio 2.

32 *Dices* Quid ſentiendū de Dæmonibus, an illi Incarnationem Chriſti intuitiuè, & de præſenti cognouerunt; ſiquidem Luc. 4. legimus. quòd *Dæmonia exibant clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei* & ſuperiùs ib. Diabolus clamabat: *Quid tibi & nobis Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos: ſcio te, quia ſis Sanctus Dei. Reſpondeo.* Ante

Ooo

Dæmones intuitiuè non poterãt cognoſcere Incarnationem Chriſti.

deo. Ante Chriſti mortem, Dæmones euidenter non cognouerunt Diuinitatem Chriſti: & ideo clamabant, vt cum dubitarent certò cognoſcerent. Quidã dicunt, quòd hoc adulatiuè dicebant, volentes ex Chriſto cognoſcere, quid certũ de illius Diuinitate.

Quæ Myſteria occultauit Deus Dæmonibus.

34. *Nota* Multa opera inſignia Diuina prouidentia faciebat, vt ea Dæmones non agnoſcerent: *v.g.* modũ Conceptionis, Natiuitatis, & Annuntiationis. nam ſi cognouiſſent, omni modo conati fuiſſent impedire Myſterium Redemptionis Sed *Dices*. Atqui videbat opera, miracula, quæ Chriſti Diuinitatem probabant. *Reſpondeo* quòd adhuc Dæmones erant dubii; quia non percipiebant virtutem, quã hoc faciebat *tum* ob ſuam arrogantiã adduci non poterãt, vt crederet, quòd *Homo eſſet verus Deus*: Poſtquam autem Myſterium Paſſionis peractum eſt, tunc iam plenè Chriſti Diuinitatem cognouerunt ex ſpoliatione inferni, quam experti ſunt ex ipſa glorioſa Chriſti Reſurrectione.

Ex operibus ac miraculis non poterant Dæmones cognoſcere *hominẽ eſſe verũ Deum niſi poſt reſurrectionem.*

DISPVTATIO IX.

De modo cognitionis Angelicæ?

Poſt explicatam naturam Angelicæ cognitionis, tam quoad rationem Principii, quàm etiam obiecti, ordo videtur poſtulare, vt de modo eiuſdem cognitionis agamus. Et propterea quinque Quæſita proponimus.

1. *An intellectus Angeli ſit quandoq; in Potentia, quandoq; in Actu?*
2. *An Angelus poſſit multa ſimul intelligere?*
3. *An Angelus intelligat componendo diſcurrendo & diuidendo?*
4. *An in intellectu Angeli poſſit eſſe falſitas?*
5. *An cognitio Angelica poſſit dici matutina & veſpertina?* & *an ſint eædem an verò diuerſæ?*

QVÆSITVM I.

An Intellectus Angeli quandoque ſit in Potentia, & quandoque in Actu?

Intellectum eſſe in potẽtia fit dupliciter.

1. PRo determinatione Quæſiti: *Noto 1* ex D. Th. a 1. intellectus dupliciter poteſt dici eſſe in Potentia: *primò* conſideratus antequam habeat habitum alicuius Scientiæ; & ſic dicitur eſſe in Potentia, ad illũ ipſũ habitum habendum: *ſecundò* quando intel-

do intellectus iam habet habitum Scientiæ, ſed non conſiderat, hoc eſt, nullum Actum circa illum habitum exercet.

In Angelis cognitio eſt duplex.

Noto 2. Ea, quæ cognoſcit Angelus, aut cognoſcit cognitione naturali, aut cognitione ſupernaturali. & ſupernaturalia; aut cognoſcit per reuelationem, aut per viſionem beatificam. Hoc Præmiſſo.

Intellectus Angeli reſpectu eorũ quæ naturaliter cognoſcit, nūquā eſt in potentia ad actũ.

2. Dico primò, cum S. Doctore, *Intellectus Angeli reſpectu eorum, quæ naturaliter cognoſcit, nunquam eſt, nec fuit in Potentia ad Actum primum.* PROBATVR ſicut enim corpora cæleſtia non habent Potentiam ad Eſſe, quæ nō ſit completa per actum: ita & Intellectus Angeli non habet aliquam intelligibilem Potentiam, quæ non ſit totaliter completa per ſpecies intelligibiles. ergo non eſt in Potentia quoad actum primum.

Intellectus Angeli reſpectu diuinitus reuelatorum eſt in potentia ad actum.

Dico ſecundò. *Quantum ad ea cognoſcibilia, quæ Angelo reuelantur diuinitus, nihil probibet quòd illorum intellect⁹ ſit in potentia ad Actum primum.* PROBATVR, Sicut enim cælũ eſt in Potentia vt poſſit illuminari à Sole, ita & intellectus Angeli reſpectu reuelationis Diuinæ, eſt in Potentia, vt eam recipere poſſit. ergo quoad reuelatam cognitionem eſt in Potentia quoad actum primum.

Idem reſpectu eorum, quæ naturaliter cognoſcit, eſt in Potētia quoad actum ſecundum.

3. Dico tertiò. *Intellectus Angeli, quantùm ad ea, quæ cognoſcit naturaliter, poteſt eſſe in potentia quoad actum ſecundum.* nam poteſt habere habitus, circa quos non exercet actus. ergo ad illos eliciendos, qui eſt actus ſecundus erit in potentia.

Intellectus Ang conſideratus vt habet viſionem Dei, nūquam eſt in potentia ad actum ſecundum.

Dico quartò, *Intellectus Angeli, conſideratus vt habet viſionem claram Dei, nunquam eſt in potentia ad actum ſecundum. Probatur.* Clara viſio Dei, eſt beatitudo Angeli. ergo ſi Angelus eſſet in Potentia ad eam, Angelus deberet ceſſare à viſione Dei. ſi ſic. ergo pro illo inſtanti quo ceſſat non eſſet beatus, quod eſt falſum: *Confirmat* hoc Philoſ. *1. Ethic. cap. 8.* cùm dicit Beatitudinem non conſiſtere in habitu, hoc eſt in Potentia, ſed in actu. ergo vt Angelus ſit Beatus, ſemper actum viſionis clarè exercere debet.

potentia ad actum ſecundum.

Beatitudo eſt viſio Dei.

QVOAD planiorem cognitionem ſupradictorum, non mediocrem habet difficultatem: *An in intellectu Angeli ſint habitus, ad quos intellectus eiuſdem ſit in Potentia, quos poſtea acquirit?* Pro determinatione.

Ad habitus ſupernaturales intellectus Angeli habet ſe in potentia.

4. DICO primò. *Sunt habitus ſupernaturales, nimirum, Fidei, Spei, Charitatis ad quos intellectus Angeli habet ſe in potentia.* PROBATVR Angeli intellectus antequam eſſet beatus, indigebat habitu fidei ad credendum, ſpei ad ſperandum, lumine quoque gratiæ, atque gloriæ ad videndum clarè Deum. ergo intellectus Angeli habuit ſe in Potentia ad hos habitus. *Conſequentia*, quia ad has operationes credendi, ſperandi non ſufficit lumen naturale; quia prædictæ operationes ſuperant vires naturæ Angelicæ. indiget enim vt intellectus eleuetur ad hos habitus ſupernaturales, per principia ſupernaturalia. *Confirmatur.* iſti enim habitus, non debētur Angelo ex ſua natura: quia Angelus cum ſua natura omnia illa accepit, quæ illi debebātur, vt ſunt ſpecies intelligibiles, ergo erat in Potentia ad illos.

Angelus cũ ſua natura omnia accepit.

Nota 1. ad habitum Fidei exercendum, ſufficiebat in Angelo ſpecies naturalis, in Principio ſuæ creationis indita cum lumine fidei; & proinde

inde non erant neceſſariæ aliæ partiales ſpecies infuſæ. nam Fides in Angelis, & Fides in nobis hominibus, eſt eiusdem rationis; ſed in nobis, ſufficit ſpecies naturalis vna cũ lumine fidei infuſo, ad cognoſcenda ænigmaticè Myſteria Fidei. ergo etiam in Angelis ſufficiebat ſpecies naturalis cum lumine Fidei infuſo.

Fides in Angelis, & in nobis hominibus eſt eiusdem ſpeciei.

Nota 2. Intellectus Angelicus reſpectu ſupernaturalium, eſt in actu primo, ſed imperfectè. quia habet ſpecies naturales per quas actum fidei exercere poſſit. ſed quia hæ ſpecies non ſunt ordinatæ, ita vt oportet; idcirco indiget lumine infuſo & Diuina inſtructione, quæ fit, aut per ipſam reuelationem aut immediatè à Deo, aut facta per Angelos ſuperiores.

Angelus habet ſpecies naturales p quas actum fidei exercere poteſt.

In Angelo eſt cognitio triplicis obiecti.

5. Dico ſecundò. *Cùm in Angelo reperiatur cognitio triplicium obiectorum,* v. ſuæ Eſſentiæ, Dei, & totius vniuerſi; *idcirco Angelus non poteſt eſſe in potentia ad ſuiipſius Eſſentiam cognoſcendam.* ſed ſemper eſt in actu ſecundo: Ita docet D. Th. *1. p. q. 56. art. 1. ad 3.* Ægid. *in 2. diſt. 3. q. 2. in 2. p. diſtinctionis.* Ferarienſis in *2. contra Gentes cap. 57.* Caietanus circa *art. 2. q. 58.*

Omne viuẽs quoad viuit habet operationẽ vitalem.

Probatvr. *ratione prima.* Omne viuens quamdiu viuit, habet, & habere debet aliquam operationem vitalem, naturæ ſuæ conuenientem ſed Angelus eſt viuens perfectiſſimum. ergo ſemper debet eſſe in ſua vitali & actuali operatione; & quia vita Angeli conſiſtit in *eſſe* intellectuali ideo operatio huius vitæ erit intellectio.

Intellectui Angelico, ſua Eſſentia obiectũ eſt maximè proportionatũ.

Ratio ſecunda. Eſſentia Angeli eſt obiectum maximè proportionatum illius intellectui. illiq; intimè & intrinſecè vnitum in ratione intelligibilis. ergo Angelus, quoad ſuæ Eſſentiæ intellectionem, ſemper eſt in actu ſecundo.

6. *Ratio tertia.* Intellectus Angeli ſi non eſt naturaliter determinatus ad cognitionem ſuiipſi, ſequeretur quòd ad nullam cognitionem ſit determinatus; ſiquidem hæc primaria eſt, & radix aliarum cognitionum ergo poterit Angelus manere ſuſpẽſus ab omni actione vitali: erit ergo tanquam lapis, & pro illo tempore, pro quo non intelligit, non erit viuens.

Ratio quarta. Si Angelus ceſſaret à ſui cognitione, hoc ideo accideret: quia cognitio ſuæ Eſſentiæ eſſet impedimentum ad alias cognitiones. hoc falſum; ſiquidem cognitio ſuiipſius Eſſentiæ in Angelo, eſt fundamentum & principium cognoſcendi alia à ſe (vt ſuperius docuimus.)

Cognitio ſuiipſius Eſſétiæ in Angelo, eſt fũdamentum & principium cognoſcendi.

Ratio quinta. Omnis motus ſecundùm ordinem naturæ, reduci debet ad aliquem motum primum & determinatum ab ipſa natura: & ſic eſt in animalibus, quorum diuerſi motus, ad vnum, qui eſt cordis reducuntur. nam hic eſt fons & origo omnium aliorum motuum. ergo etiam operationes intellectiuæ, quæ ſunt quidam motus ſpirituales, debent in aliquam primam, quæ ſit radix aliarum, reduci & talis eſt quà Angelus ſeipſum cognoſcit. ergo ad ſuiipſius cognitionem nunquam Angelus eſt in Potentia.

Cor eſt fons & origo omniũ motuum.

7. *Dices* Si Angelus ſemper eſt in actuali cognitione ſuipſius. ergo ad eam cognitionẽ neceſſitatur, quod dici non debet cùm ſit agens liberum. *Reſpondeo* hanc ſui cognitionẽ in Angelis non eſſe ex neceſſitate, ſed eſſe liberam. nam intellectus An-

Cognitio ſuiipſius in Angelo nõ eſt ex neceſſitate, ſed libera.

geli,

geli, licet intimè & intrinſecè habeat intra ſe ſpecies intelligibiles, ſicut & ſuam Eſſentiam. tamen Angelus, quando vtitur ſpeciebus, non neceſſitatur. ergo etiam cum vtitur ſuà Eſſentià ad ſui cognitionem, nõ neceſſitatur. *Præterea*, ipſi rationi videtur eſſe conſentaneum, vt Angelus ſemper ſit in aliqua actuali operatione; ſiquidem non eſt conueniens, vt Angelus pro aliquo tempore ſit otioſus, & dormiens. ex hoc tamen nulla inferri debet neceſſitas cùm liberè ſe habeat. nam hæc cognitio ſui in Angelis, eſt quaſi actus naturaliter per modum paſſionis dimanans. Et hoc videt Angelus, ac iudicat ſimpliciter eſſe neceſſarium ad ſuam naturalem perfectionem. ſi verò hic act⁹ intellectionis ſuiipſi⁹ Eſſentiæ ceſſaret, reliquæ cognitiones etiam ceſſarent. ſicut in motu cordis accidit, nã cùm hic in animali ceſſat, reliqui motus animales ceſſare debent; ſiquidem motus cordis, eſt fons & origo omnium motuum cæterorum: ita & in Angelis, cognitio ſuiipſius Eſſentiæ, eſt origo cæterarum cognitionum. *Ex quo* ſequitur, non eſſe contra perfectionẽ viuentis, continuare ſemper aliquẽ actum vitæ, quinimmo, eſt illi conſentaneum. nam & anima rationalis in homine, ſemper eſt in aliquo actu ſecundo: quod ſi verò contingat quòd nõ ſẽper cõtinuet act⁹ intellectus & voluntatis, hoc accidit propter dependentiam à ſenſibus: ſeparata verò à corpore, ſemper ſe intelligit & quidem liberè, determinatè, & neceſſariò.

Angelus nõ quam eſt otioſus.

Cognitio ſui in Angelis eſt quaſi actus naturaliter per modum paſſionis dimanans.

Angelus ad Deum tanquam ſuum obiectũ cognoſcẽdum ſẽper eſt in actu.

8. Dico tertiò. *Deus inquantum eſt author naturæ Angelicæ, eſt obiectum Intellectus Angelici; & ad hoc obiectum cognoſcendum. ſemper eſt in actu, & nunquam in potentia.* Ita docet Caiet. *hic circa art. 2.* Ferar, *2. contra Gentes cap. 57. & 79.* PROBATVR *ratione prima.* Angelus cognoſcendo ſeipſum, cognoſcit Deum, eo modo quo cauſa cognoſcitur in ſuo effectu. ſed Angelus ſuiipſius Eſſentiam ſemper actuali cognitione cognoſcit. ergo etiam & Deum in ſua Eſſentia, tanquam in effectu repræſentatum actualiter cognoſcit.

Angelus ſui ipſius Eſſentiam ſemper actuali cognitione cognoſcit

Ratio ſecunda. Angelus cognoſcit Deum per ſuam Eſſentiam, tanquã per ſpeciem intelligibilem. ſed Eſſentia Angeli ſemper eſt vnita illius intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis. ergo ſicut actualiter repræſentat Angelum: ita etiam repræſentabit & Deum. ergo illius cognitio quoad cognoſcendum Deum non erit in Potentia, ſed in actu.

9. *Ratio tertia.* Deus inquantùm eſt author naturæ Angelicæ eſt obiectum proportionatum Intellectui illius. ergo vnitur illi in *Eſſe* intelligibili mediante aliquà ſpecie repræſentante Deum ſecundùm illam proportionem. ſed hæc ipſa ſpecies non eſt alia, niſi Eſſentia Angeli, per quã Angelus & ſeipſũ cognoſcit & Deũ vt cauſam in ſuo effectu.

Angel⁹ per ſuam Eſſentiam cognoſcit Deum vt cauſam in ſuo effectu.

Ratio quarta. Angelus cognoſcit ſe comprehenſiuè. ergo etiam cognoſcit omnem habitudinem, & dependentiam, quam habet ad authorem ſuæ naturæ, à quo dependet in fieri & in conſeruari. ergo vt ſuam Eſſẽtiam cognoſcit actuali cognitione. ita & Deum.

Ratio quinta. Beatitudo Angeli naturalis cõſiſtit in cognitione Dei, vt authoris naturæ. ergo talis cognitio debet eſſe neceſſaria & perpetua, ſi

Beatitudo Angeli cõſiſtit in cognitione Dei.

 enim non.

enim non eſſet. ergo pro aliquo tēpore pro quo ceſſaret cognitio Dei in Angelo, Angelus non eſſet beatus. Sed

Obiectio. 10. *Obiicies.* Dæmones habēt hāc cognitionē. cognoſcunt enim Deū vt authorem naturæ: ergo Dæmones ſaltem naturaliter erunt beati. hoc falſum. ergo & illud ex quo ſequitur. *Reſpondeo* ad beatitudinem naturalem, non ſufficere ſolitariam cognitionem Dei ſpeculatiuam, ſed requiri etiam Practicam, vt v. ſit rectitudo voluntatis, ſit amor Dei ordinatus, ſit abſentia omnis mali, & delectatio in bono, quæ quidem in Dæmonibus non reperiuntur; & proinde non poſſunt eſſe beati. Tādem negamus ſequelam, quòd cognoſcendo Deum vt authorem naturæ ſint naturaliter beati; quia cognoſcunt ſe eſſe auerſos per peccatum ab eodem cognito authore naturæ, & ſentiunt, quòd ab eodē, tanquam à Iudice potentiſſimo ad gehennæ cruciatus in perpetuum ſint deputati, & ex hoc concipiunt odium contra Deum. vnde non poſſunt dici beati.

Solutio eiuſdem.

Ad Beatitudinem naturalem quæ requirātur?

Angeli ſēp ſunt in actuali cognitione totius vniuerſi.

11. Dico quartò. *Valde eſt probabile. quòd Angeli ſemper ſint in actuali cognitione totius vniuerſi.* Ratio *prima.* ſicut enim vniuerſum ſemper eſt in actuali ſuo *Eſſe,* quod quidem accepit à Deo: ita conueniens eſt, vt hoc actuale *eſſe* vniuerſi, ſit actualiter in *Eſſe* intelligibili Angelorum

12 *Ratio ſecunda* Hoc enim vniuerſū habet Scientiam vocis deprædicantis bonitatem, Sapientiam, & omnipotentiam Dei. ergo neceſſe eſt dari aliquam naturam intelligibilem, quæ vocem hanc deprædicantis cōcipiat; & quia hæc deprædicatio ſemper eſt actualiter. ergo eandem ſemper actuali cognitione cognoſcit.

Nota primò. Quamuis hæc cognitio vniuerſi ſit ſemper actualis, non eſt tamen ex neceſſitate, ſed liberè nam ſicut Angeli nunquam ceſſant à motione cælorum, & tamen liberè mouēt: ita & hæc actualis cognitio, licet nunquam ceſſet. eſt tamen libera. Cognitio vniuerſi eſt libera non ex neceſſitate.

13. *Nota ſecundò.* Quamuis Angelus, pro ſua libertate poſſit ceſſare ab hoc vel ab illo actu: ſemper tamen exercet aliquem, v. hunc vel illum reſpectu vniuerſi. *Confirmant* hoc verba D. Th. *2. contra Gentes cap 97. & 101.* vbi dicit: quòd Subſtantia Intellectualis habens plures Species, ſēper vtitur vna; & quòd in Angelis non ſuccedit potentiæ actus, ſed actus actui: ſi autem poſſet ceſſarè Angelus ab omni actu, non ſemper ita eſſet. *Deniquè* vix intelligi poteſt, quomodo Angelus poſſit ceſſare ab omni actuali cognitione; ſiquidem nullum habet impedimentum. ſemper enim eſt in vigilia, & ad intelligendum ob excellentiſſimum lumen intellectus ſui promptiſſimū Angelus ſemper in exercitio ut ſupra.

QVÆSITVM II.

An Intellectus Angeli poſſit multa ſimul intelligere?

Præmit-

14 PRæmitto ex art, 2, doctrinam D. Th. qui inprimis diſtinguit *Multa* v. poſſe ſumi dupliciter: *primò* vt plura: *ſecundò* vt ſunt vnum quod vtrumque in continuo eſt manifeſtum. nam ſi partes continuæ conſiderentur per ſe ſecundùm ſuã rationem partes illæ erunt plura: ſi autem conſiderentur inquantum ſunt vnum in toto continuo, ſic ſũt vnum. Hoc præmiſſo colligitur ab eodem.

Hoc vocabulũ *multa* ſumitur dupliciter.

Concluſio 1.

Concluſio prima. *Illa omnia quæ per vnam ſpeciem intelligibilem repræſentantur, poteſt Angelus ſimul intelligere* PROBATVR. ſicut enim ad vnitatem motus requiritur vnitas termini: ita ad operationis ſeu Intellectionis vnitatem, requiritur vnitas obiecti. ſed ea, quæ per vnicam ſpeciem intelligibilẽ repræſẽtãtur, cõueniũt in vno eſſe intelligibili. ergo poſſũt ſiul ab intellectu Angelico cognoſci.

Concluſio 2.

Concluſio ſecunda. *Ea omnia, quæ Angeli per diuerſas ſpecies cognoſcunt, non poſſunt ſimul intelligere. Probatur* eadem fere ratione. Multa ſecundùm quod ſunt diſtincta, non poſſunt ſimul intelligi, ſed tãtùm ſecũdùm quod vniũtur in vno intelligibili. qa ſicut repræſẽtata p vnã ſpeciẽ habẽt rationẽ vnius intelligibilis; ita repræſẽtata ꝑ plures ſpecies habẽt rationem pluriũ intelligibilium. ergo vt ſunt plura cognoſcuntur diſtinctè.

Concluſio 3.

15 Concluſio tertia. *Omnia illa quæ repræſentantur Angelo in Verbo, ſimul cognoſcit vnica viſione beatificâ Probatur* quia cognitio Angeli in Verbo eſt cognitio in Diuina Eſſentia. ſed Diuina Eſſentia eſt maximè vna, & habet rationem vnius ſpeciei intelligibilis, ad repræſentandum omnia ergo in verbo omnia ſimul cognoſcit Angelus. Et cùm prima & tertia Concluſio D. Th. admittatur, de ſecunda dubium eſt, in qua dicitur: quòd *Angelus non poſſit ſimul intelligere ea, quæ per diuerſas ſpecies repræſentantur.* nam diſſentiunt authores. Gregorius Ariminenſis *in 2. diſt. 11.* dicit, quod Angelus poteſt ſimul vti ſuis omnibus ſpeciebus, & cognoſcere omnia repræſẽtata, ſi vult; nô tamẽ vnicâ, ſed multiplici intellectione, ſecundùm diuerſitatem obiectorũ & ſpecierum *Fundamentum eius.* quia non repugnat intellectui Angelico, nec verbo, vt eſt potentia paſſiua. *Probatur* Potentiæ paſſiuæ Intellecti uæ eſt recipere. ſed intellectus Angeli in ſui creatione ſimul recipit plures ſpecies. ergo etiã ſimul plures cognitiones factas per Intellectum Angelus poterit recipere. *Minor* repugnat ex parte intellectus in quantùm eſt potentia actiua. nam Intellectus Angeli in actu primo ſimul conſtituitur per plures ſpecies. ſed quoties aliquod agens conſtituitur in actu primo. per diuerſa principia poteſt ſimul operari diuerſas operationes. experimur enim. quòd aqua ſimul humectat, & frigefacit: & hoc propter principia humiditatis & frigiditatis, quæ in ſe continet. *Similiter* homo ſimul & guſtat, & videt, & audit propter diuerſa principia operandi. ergo & Angelus de facto ſimul cognoſcit plura; ſiquidem habet plura principia, v. plures ſpecies Et ſic Angelus per ſuam Eſſentiam, quæ habet rationem ſpeciei intelligibilis, cognoſcit ſeipſum, & per Eſſentiam Diuinam, cognoſcit Deum clarè & ſimul per aliquam ſpeciem ſibi inditam, cognoſcit res

Circa ſecũdam Concluſionem. Opinio 1.

Homo diuerſas operationes ſimul poteſt operari.

ſcit res naturales. ergo nō repugnat quod poſſit Angelus ſimul intelligere plura per plures ſpecies, licet non vnicâ, ſed multiplici Intellectione.

Opinio 2. 16. Durandus in 2. diſt. 3. quæſt vlt. affirmat. quòd Angelus ſemper eſt in actuali cognitione eademque neceſſaria. rerum naturalium & has vnico actu cognitionis cognoſcit. *Fundamentum eius.* Angelus cognoſcens ſuam Eſſentiam, etiam naturaliter ſimul cognoſcit & intellectũ ſuum; & quia intellectus Angeli habet ſpecies inditas, etiam ſimul & illas omnes ſpecies cognoſcit. ergo ſimul vnico actu cognitionis omnia cognoſcit. *Confirmatur* cognitio Angeli eſt cognitio comprehenſiua ſui ergo & Eſſentiæ, & intellectus, atque etiam omnium ſpecierum, & quæ per ſpecies repræſentantur. Pro determinatione.

Omnia repræſentata poteſt Angelus ſimul cognoſcere. Dico primò. *Poteſt Angelus omnia repræſentata per aliquam vnicam ſpeciem vniuerſalem, atque etiam vnica cognitione, ſimul cognoſcere*: Ita docet D. Th. *hîc in art. 2.* Caiet. Ferar. Ægid. *u. 2. diſt. 3. in p. 2. diſtinctionum art. 1.* & *in Tractatu de cognitione Angelica. quæſt.* 7. PROBATVR talis cognitio non repugnat ex parte obiecti, vt deducit Gregorius: non repugnat ex parte intellectus Angelici: nam ſpecies Intellectus Angelici, eſt illi proportionata & lumini ipſius. ergo ſuo lumine intellectuali poterit Angelus ſimul ſe extendere ad actũ proportionatum, & adæquatum ſpeciei intelligibili; inquantum enim extendit ſe ſpecies Angeli ad illa, quæ repræſentat, intantùm & Angelus virtutem ſuam extendit, vt omnia ſimul repræſentata poſſit cognoſcere.

17. Dico ſecundò. *Intellectus Angeli ea omnia, quæ repræſentantur in vna ſpecie, poteſt diſtinctis, & ſucceſſiuis cognitionibus intelligere; & quoties aliquod obiectum ad intelligendum ſelectum intelligit, non eſt neceſſe, vt omnia alia obiecta repræſentata ſub illa ſpecie intelligat*: Ita D. Th. *de verit. quæſt. 8. a. 3. ad 2.* ET *ratio eſt.* Angelus in ſuis operationibus eſt liber. ergo poterit vnum obiectum in vna ſpecie repræſentatum cognoſcere, non cognoſcendo alia quæ per illam ſpeciem repræſentantur. *v.g.* demus, quòd in Angelo ſit vna ſpecies, quæ repræſentat hominem & equum, poterit Angelus illa ſpecie vti ad cognoſcendum ſolũ hominem, non intelligendo equum nam quidditates hominis & equi, non habent ad inuicem intrinſecã dependentiam, nec ordinem ad cognitionem. ergo nihil impedit quominus Angelus poſſit quidditatem hominis intelligere, non cognoſcẽdo quidditatem equi. Sed — *Angelus omnia repræſentata poteſt diſtinctis & ſucceſſiuis cognitionibus intelligere* — *Angelus eſt liber in operationibus ſuis.*

18. *Quæres.* An Angelus omnia illa repræſentata per vnam ſpeciem poſſit ſimul per diſtinctos concept[9] cognoſcere *Reſpondeo* ſi loquamur de cognitione perfecta ſecundùm ſuum *eſſe* completum, tunc, hi cõceptus diſtincti, non poſſunt ab Angelo formari. *Probatur* D. Th. auctoritate *q. 8. de Verit. art. 4.* vbi docet, quòd formæ intelligibiles eosdem gradus habent in intellectu, quos habent formæ materiales in materia ſed formæ naturales triplici modo erunt in intellectu. *Primus eſt modus* quo formæ naturales ſunt in Materia plures, quando v. materia denudata eſt ab omnibus formis naturalibus, & habet ſe in Potentia; & ſic dicitur habere plures, ſed in potentia: Idem — *Modus 1. Quomodo formæ naturales ſint in materia plures?*

tia: Idem accidit in intellectu noſtro: hic enim eſt tanquam tabula raſa. vnde habet ſe in potentia ad plures formas intelligibiles recipiẽdas. *Secundus modus*, quando in materia ſunt gradus remiſſi calidi, frigidi, humidi, quod accidit in corruptione, & in inchoatione alterius rei; & hic modus eſt in noſtro intellectu, quando habet habitus ſcientiarum: eſt quoque in Angelis, quia habet ſpecies intelligibiles, & hæ quæ licet ſint formæ actu inhærẽtes adhuc tamen ſunt in potentia, vt ad ſuam vltimam perfectionẽ, hoc eſt, ad operationem; proinde habẽt aliquid de actu, ſed plurimùm habent de potentia.

Modus 2.

Modus 3.

Tertius modus quando forma naturalis eſt in materia, ſecundùm ſuum *Eſſe* completum, actuale, & dat perfectionem ſecundùm *Eſſe* perfectũ actuale: & ſicut forma dat perfectionem materiæ: ita & intellectio perfecta dat intellectui perfectionem. & ſicut plures formæ non poſſunt eſſe in Materia ſimul, ſecundùm ſuum *Eſſe* completum: ita nec plures actus intelligendi perfecti & cõpleti poſſunt eſſe in intellectu Angeli: *Si autem* loquamur de cognitione imperfecta, ſecundùm quam plures actus imperfecti, & inadæquati produci poſſunt, ſic Angelus poteſt ſimul producere plures actus ſimul in ſuo intellectu. *Ratio eſt*, cur Angelus non poſſit habere plures actus ſimul perfectos; quia Angelus, quando aliquid perfectè cognoſcit, totam ſuam virtutem, & illius intentionem quam habet ex vi Intellectionis & luminis applicat, vnde non reſtat virtus in Angelo, per quam alium actum diuerſum & perfectum cognoſcere poſſit.

Angelus, omnia repræſentata per vnã ſpeciem imperfectè tãtùm poteſt cognoſcere.

19. Dico tertiò. *Obiecta per plures ſpecies repræſentata, tunc ſolùm poterit ſimul Intellectus Angeli cognoſcere, quando dicunt inter ſe ordinem, habitudinem & connexionem; & ſic iam per modum vnius intelliguntur.* nam Angelus viator ſimul habuit perfectam cognitionem naturalem Dei, & actum fidei: & hi ſunt actus plures iidemq; perfecti: quòd ideó accidit, quia habent inter ſe ordinem ratione obiecti Dei.

Obiecta per plures ſpecies repræſentata cognoſcit Angelus, cùm per modum vnius intelliguntur.

AD Argumentum Greg. Arimin. *Reſpondeo* quando enim dicit, quòd non repugnat ex parte Intellectus, vt plura ſimul intelligat: dicimus repugnare maximè ex parte Intellectus Angelici, nam hic limitatæ poteſtatis eſt in intelligendo.

Solutio argumentorũ

Tandem quando dicit, quòd Intellectus Angeli plures habet ſpecies. *dico* quanquam in intellectione Angelica, ſunt quoque ſpecies & obiecta per illa repræſentata: tamen potiſſimùm attendendum eſt ad virtutem Intellectiuam, inquantùm eſt principium Actiuum; & quoniã ſpecies intelligibiles non ſunt per ſe loquendo principium Actiuum, ſed ſolùm ſunt per accidens. nam tantùm faciunt rationem obiecti cum potentia; vnde licet plures ſpecies ſint ſimul in intellectu, illis tamen omnibus ſimul non poteſt Intellectus perfectè vti; ſiquidem eſt limitatæ virtutis: ſoli autem Deo, ob eius infinitatem, & immenſitatem virtutis intellectiuæ, competit ſimul omnia cognoſcere.

Species intelligibiles nõ ſunt principium actiuum.

Virtus intellectiua in Creaturis eſt limitata

20. *Ad illud verò* quòd ſimul ſunt in Intellectu Angeli Eſſentia Diuina, Eſſentia Angeli, & ſpecies congenitæ. *dico*. quòd hæc eſt cauſa, cur hæc tria ſimul ſint in Intellectu Angeli; quia

Eſſentia Diuina Angeli & ſpecies cognita ſũt formæ diuerſæ.

geli; quia non ſunt formæ eiusdem generis proximæ. Ad hoc intelligendum.

Nota. In naturalibus in quolibet ſubiecto inuenitur duplex potentia *Vna eſt* ad formas eius generis: quæ Potentia ſi completa fuerit per vnã formam, iam per aliam eiusdem generis non poteſt compleri; quia iam ad eandem non habet Potentiam; ſiquidem eſt expleta. Et ſic corpus eſt in Potentia ad colorem, quem cùm habet ſecundùm *Eſſe* perfectũ iam deeſt Potentia receptiua ad colorem eiusdem generis recipiendũ. *Altera eſt* ad formas diuerſi generis, & ſic corpus coloratum, habet potentiam ad alias formas, quæ ſunt diuerſi generis recipiendas: vt ad figuram, & ad alia: & ſic hæc tria *Eſſentia Angeli, Eſſentia Diuina, & Species congenitæ*, quia ſunt diuerſi generis; idcirco ſunt in eodem intellectu Angelico: iſta tamen tria, non ſunt ita omnino diuerſa, quòd non habeant inter ſe habitudinem. & ſubordinationem. nam Diuina Eſſentia eſt ſpecies. vniuerſaliſſima, quæ ab omnibus aliis participatur: Eſſentia autem Angeli, habet ſe vt quædam inchoatio ad cognitionem aliarum rerum, quæ repræſentãtur per ſpeciem: atque ſic poterit Angelus ſimul his tribus ſpeciebus vti, ſimul omnes cognoſcendo ſecundùm quandam communem rationẽ, non autem per diſtincta.

Cuiuslibet ſubiecti naturalis potẽtia eſt duplex.

Eſſentia Diuina Angeli, & ſpecies congenitæ, quomodo ſint diuerſæ?

21. Ad Durandi Fundamentum *Reſpondeo* cum Caiet. quòd Angelus cognoſcens ſuam Eſſentiam, cognoſcit ſimul omnes ſpecies intelligibiles, non vt ſunt multa; ſed per modum vnius, inquantùm v. ſpecies ſunt perfectiones intellectûs Angelici. vnde Caietanus dicit, cùm D. Thomas negat Angelum poſſe ſimul omnia repræſentata per ſpecies intelligere, non loquitur de tali cognitione, qua omnia cognoſcuntur, non vt multa per modum vnius, ſecundùm quandam communem rationem, inquantùm v. ſunt aliquid pertinens ad Intellectum Angeli, ſed loquitur de cognitione, qua cognoſcũtur repræſẽtata in ſpecieb⁹ ſecũdùm proprias & diſtinctas rationes.

Opinionis 2. fundamẽti ſolutio.

QVÆSITVM III.
An in Angelis ſit cognitio diſcurſiua tum quoq; compoſitionis & diuiſionis?

22. DVo determinabim⁹: *primum* de diſcurſiua cognitione: *ſecundum* de ea, quæ fit per cõpoſitionem & diuiſionem.

QVANTVM ad *diſcurſiuam cognitionem* DICO. *Angeli res naturales cognoſcendo non vtuntur diſcurſu.* RATIO *prima* D. Th. Angeli cum ordinem habent in ſubſtantijs intellectualib⁹, quem habent corpora cæleſtia in corporeis ſubſtantijs. ſed corpora cæleſtia ſtatim cum ipſa natura habent ſuam vltimam perfectionem: terrena verò corpora per motum, & per mutationem augmenti; aut tranſitio-

Angeli res naturales cognoſcendo non vtũtur Diſcurſu.

tranſitionis ab vno loco ad alium, acquirunt ſuam perfectionem. Ergo & Angelus abſq; vllo diſcurſu, & ſine vllo motu intellectuali habet perfectam cognitionem veritatis: inferiores verò intellectus, quales ſunt hominum, perfectionem ſuam v. veritatis cognitionem per diſcurſum, tanquam per motum intellectualem aſſequuntur.

Ratio ſecunda Si intellectus humanus in aliquo vno principio naturaliter cognito inſpiceret omnia, quæcunq; in eo cognoſci poſſunt, ſic ſumptus intellectus, non indigeret diſcurſu. ſed ſolus intellectus Angeli in illo primo quod naturaliter cognoſcit, videt omnia, quæ ex illo cognoſci poſſunt. Ergo non indiget diſcurſu.

23. *Ratio tertia.* Si intellectus noſter haberet tantã plenitudinẽ lumi nis intellectualis, quòd in principio ſibi noto videret omnia, ad quæ ſe extẽdit. Ergo nõ indigeret diſcurſu.

Ad rationẽ diſcurſus, quæ requirantur?

Ratio quarta Ad rationem diſcurſus, non ſufficit pluralitas cognitionis, & quod intellectus ab vna cognitione ad aliam tranſeat, ſed requiritur, vt ſint ſimul plures cognitiones, quarum vna ſit cauſa alteri⁹: quemadmodum in ſyllogiſmo Præmiſſæ ſunt cauſæ Cõcluſionum. ſed Angeli plures eiuſmodi conceptus non eliciunt de vno eodemq; conceptu naturali, verùm vnamquamque rem cum ſuis proprietatibus, & accidentibus naturalibus, ſimul vno ſimplici intuitu intellectûs ſui cognoſcit, quòd ideo accidit, quia hæc omnia Angelo repræſentantur per vnam ſpeciem, & quòd hæc ad vnũ totale obiectum pertinet. vnde cognitio Angeli non poteſt dici diſcurſiua.

24. *Nota.* Diſcurſ⁹, (vt obſeruat D.Th. *hic a. 3. ad 1.*) dicit quendam motum: & ſicut omnis motus eſt de vno priori in aliud poſterius: ita & Diſcurſus fit de vno priori ad aliud poſterius. nam ex aliquò priùs noto deuenim⁹ in cognitionem alteri⁹ poſteriùs noti, quòd priùs erat ignotũ, ita, vt priùs notum ſit cauſa cognoſcẽdi ei⁹, quod eſt poſteri⁹: & ſic eſt diſcurſus propriè dict⁹: ſi verò fiat cognitio, in qua vno inſpecto, aliud quoq; inſpiciatur ſicut in ſpeculo ſimul inſpicitur res & imago rei: tũc talis cognitio, eſt quidẽ diſcurſiua, ſed im̄pprìè, ſeu metaphoricè; & hæc in Angelis eſt cõcedẽda. Sed

Diſcurſus fit de vno priori ad aliud poſterius.

Dices. Quod poteſt virtus inferior, poterit & ſuperior. ſed intellectus humanus, qui eſt virtus inferior, poteſt diſcurrere, & in effectib⁹ cauſas cognoſcere quæ eſt ratio Diſcurſus. Ergo & Angelus poterit diſcurrere. *Reſpondeo* limitando Maiorem, quòd poterit, ſed modo perfectiori. vnde cognoſcere ſine diſcurſu, eſt modus perfectus cognoſcendi: cognoſcere autem cum diſcurſu, eſt imperfectior: quando etiam dicitur, quòd humanus Intellectus in effectibus cognoſcit cauſas. *Reſpondeo*, quòd non eſt vera ratio diſcurs⁹ cauſã in effectu, & effectũ in cauſa cognoſcere; ſed verè eſt diſcurs⁹ ex effectu cognoſcere cauſã, aut effectũ ex cauſa, & vniuerſaliter vnũ ex altero nõ vnũ in altero.

Cognoſcere ſine diſcurſu eſt modus perfectus cognoſcendi.

25. *Quæres* Cùm Angelus cognoſcit obiecta ſupernaturalia. vt cogitationes cordium, quæ ſoli Deo ſunt cognitæ, an in illis cognoſcendis vtatur Diſcurſu? *Reſpondeo* ita ſẽtire Scotum *in 2. diſt. 1. quæſt. vlt* & *diſt. 7. quæſt. vnica.* Gabriel *diſt 3 q. 2. art. 3.*

Vtrum Angeli circa res naturales diſcurrant, vel circa ſupernaturales? Opinio. 1.

2. a. 3. Marſil. *in 2. quæſt. 6. a. 2.* qui docent Angelos, ſolùm non diſcurrere circa res merè naturales, & naturaliter cognitas: admittunt verò, circa res ſupernaturales. SED oppoſita Sententia eſt probabilior, quòd etiam circa ſupernaturalia non diſcurrant: videturque eſſe doctrina D. Th. q. 7. de verit. a. 10. ad 4. in quo loco loquitur de cogitationib⁹ cordis, & dicit Dæmones nõ diſcurrere in earum cognitione: & in ſolutione ad 3. loquens de reuelationibus, quæ fiunt Angelis, videtur ab eis excludere omnem diſcurſum. *Et ratio eſt.* nulla eſt neceſſitas, etiam in ſupernaturalibus cognoſcendis, ponendi diſcurſum in Angelis. ſicut enim Angelis ad cognoſcenda naturalia obiecta datum eſt lumen proportionatum naturale, in quo vidēt omnia, quæ ſunt in illo obiecto: ita ad cognoſcendum ſupernaturalia obiecta communicatur Angelo perfectiſſimum lumen ſupernaturale; & in hoc lumine omnia videt, quæ poſſunt cognoſci de illo obiecto ſupernaturali.

Opinio. 2.

26. *Ratio ſecunda:* Quando alicui intellectui obiecta ſupernaturalia reuelantur, illa in quouis intellectu recipiuntur, ſecundùm illius modũ connaturalem: ſicut enim nos ſupernaturalia diuinitùs nobis reuelata cognoſcimus per diſcurſum; quia hic modus cognoſcendi per diſcurſum eſt nobis naturalis: ita etiam modus cognoſcendi Angelicus connaturalis eſt ſine diſcurſu, v. vno ſimplici intuitu, ſeu actu cognitionis omnia repræſentata cognoſcere. Ergo & myſteria diuinitùs reuelata, ſeu ſubiecta ſupernaturalia per modum ſibi connaturalem, hoc eſt, ſine diſcurſu recipiet, & cognoſcet. Sed

Intellectui humano cognitio per diſcurſum eſt naturalis, Angelico non itē.

27. *Quæres iterum.* Quid ſentiendum de cognitione ſupernaturaliũ, quæ in quibusdã ſignis naturalibus continentur & manifeſtantur, an cognoſcantur ſine diſcurſu? *Reſpondeo* per diſtinctionem: ſi in his ſignis naturalibus ſic ſe habent ſupernaturalia, vt neceſſariam habeant cõnexionem, tunc certum eſt eiusmodi ſupernaturalia, in ſignis naturalibus contenta, ſine diſcurſu cognoſcere. *Ratio eſt.* quia ſupernaturalis notitia, ſecundùm naturalem modum cognoſcendi in cognoſcente recipitur & modificatur. ſed cognitio ſine diſcurſu eſt mod⁹ naturalis cognitionis in Angelo. Ergo ſine diſcurſu cognoſcit. ſi autem illa connexio fuerit indifferens, aut contingens, etiam illius cognitio neceſſe eſt, vt ſit ſine diſcurſu. nam ſi fuerit bonus Angelus prudenter ſe geret aut enim ſuſpendet ſuum iudicium, aut vtramque partem iudicabit probabilem, vel vnã aliam magis probabilem, & neutram determinatè definiet: cùm ſciat hæc ab ordinatione Diuina dependere: ſi verò fuerit malus Angelus facilè ob ſuã malitiam errare poterit, tam in ſupernaturalibus, quàm in fortuitis. nam temerè iudicabit, hoc tamen fiet ſine diſcurſu, ſiue verè, ſiue falſò iudicabit. Vnde nõ eſt mirũ quòd in Dæmonib⁹ variãtur iudicia, vt accidit in iudicio, quod de Diuinitate Chriſti feciebant. nam in miraculis Diuinitatẽ relucere videbãt, & iudicabãt eſſe Deũ: cum verò Chriſtus fatigabatur, eſuriebat, ſitiebat, mortẽ crucis ſubibat, negabãt eſſe Deũ.

Supernaturalia dupliciter ſe habent.

Angeli boni operatio.

Angeli mali etiam.

28. *Quæres tertiò.* An Angelus pro ſua li-

Angelus pro ſua libertate non poteſt diſcurrere.

ſua libertate poſſit diſcurrere? *Reſpondeo* non poſſe, quia voluntas Angeli non poteſt vti Intellectu, niſi ſecundùm modum illi connaturalẽ. ſed modus connaturalis Angelicæ Intellectionis eſt intelligere ſine diſcurſu, & per modum ſimplicis intuitus. *Præterea* Diſcurſus procedit ex luminis debilitate. nam viſo & intellecto principio, non poteſt totam virtutem eius apprehendere. vnde (vt dicit D. Th. in *art. 3.*) debet ſyllogyzare, in Intellectu autẽ Angelico eſt plenitudo luminis, ita quòd in quolibet principio cognito vim totam illius comprehendit; atque ſic vnico intuitu videt omnia, quæ ex illo deduci poſſunt. Sed

Diſcurſus procedit ex luminis debilitate.

In intellectu Angelico eſt plenitudo luminis.

29. *Dices* Poteſt Angelus pro ſuo arbitrio cognoſcere cauſam, & ſuſpendere cognitionem effectus; & poſtea cùm voluerit exire in cognitionem eius: & hoc ſufficit, vt in Angelo dicatur diſcurſiua cognitio. *Reſpondeo 1.* non poſſe Angelum cognita cauſa ſuſpendere cognitionẽ effectus; quia cauſa & effectus, præſentantur illius Intellectui per modum vnius. *Reſpondeo 2.* Quamuis Angelus cognoſcendo cauſam poſſit ſuſpendere cognitionẽ, tamẽ cognoſcendo effectum neceſſariò debet cognoſcere cauſam; quia hic modus eſt illi connaturalis, vt effectum ſimul in cauſa cognoſcat.

Angelus cognita cauſa non poteſt ſuſpendere effectum.

30. QVANTVM ad alterum: *an Angelus vtatur Compoſitione & diuiſione.*

Scias inprimis, quod Scotus & Gregorius in locis nominatis, per quam rationem Intellectui Angelico tribuunt diſcurſum, per eandem quoque tribuunt Compoſitionem & Diuiſionem. Dicunt enim, ſicut in Angelis ſunt plures cognitiones quarũ vna infert aliam: ita in Angelo ſunt plura cognita nam cognoſcit hominem, cognoſcit ſuperiorem Angelum, & cognoſcit, quòd homo ſit inferior Angelo; & hæc eſt Compoſitio: cognoſcit quoque hominem non eſſe Angelum, quod fit per diuiſionem. Ergo vtitur Compoſitione & Diuiſione. Pro determinatione.

31. Dico. *Angeli circa obiecta naturaliter cognita, nec compoſitione, nec diuiſione vtuntur:* ita docet D. Dion. c. 7. de Diu. Nom. vbi dicit: animas hominum in hoc eſſe inferiores Angelis, quòd diuiduis & multiplicibus ſignis ad rerũ veritatem perueniãt: Angeli verò quâdam ſimplicitate intellectionis eandem veritatem attingunt. Idem docet D. Th. hîc expreſsè, & ipſe Duran. in *2. diſt 5.* Et ratio eſt. *Compoſitio eſt,* quando intellectus aliquid cognoſcit per diuerſos conceptus affirmatiuos: *Diuiſio verò eſt,* quando idem intellectus cognoſcit aliquid per plures negatiuos conceptus, ita, quòd ſit alius cõceptus de ſubiecto Propoſitionis, & alius de Prædicato: vel quando alius eſt actus cognoſcendi, & alius iudicandi de obiecto cognito. nam primò res apprehenditur, poſtea de illa iudicium inſtituitur, an ſit vera vel falſa: & an debemus aſſentire, vel diſſentire. ſed Angelus nullo horum modorũ res naturales cognoſcit. Ergo nec componendo nec diuidendo. *Minor* quòd non vtatur cõpoſitione: quia Angeli intellectus, vnico & ſimplici actu cognoſcendo quidditatem rei, cognoſcit & illa omnia, quæ illi attribui poſſunt, & quæ etiam tanquã diſconuenientia ab ea re-

Angeli cognoſcendo ſua obiecta nec compoſitione nec diuiſione vtuntur.

Quid Compoſitio & quid Diuiſio.

Angelus cognita quidditate rei, cognoſcit & omnia quæ illi attribui poſſunt.

ab ea remoueri. De negatione videtur difficultas eſſe: ſiquidem hæc propoſitio *homo non eſt Angelus* habet duo extrema diuerſa, quæ habent diuerſas ſpecies; idcirco vti diuiſione debebit. ſed nihilominus cum Bannesio & Cumelio dico, quòd quamuis Angelus per plures ſpecies intelligat: illis tamen vtitur per modum vnius ſpeciei, & per eas elicit, & format vnicum conceptum.

Cōpoſitio & diuiſio intellectus ſimilis eſt materiali.

32. *Ratio ſecunda.* Compoſitio & diuiſio intellectualis, habet ſimilitudinem cum materiali; vnde ſicut in materiali compoſitione primò eſt fundamentum: deinde partes per coniunctionem vnius ad alteram ordine debito, ita, quòd primò ſint ſubſtantialia: pòſt accidentalia, quæ ad ornatum ſpectant: v.g. in materiali ædificio, eſt *primò* cognitio quidditatis: *ſecundò* quòd ei apta & conuenientia tribuuntur: *tertiò* repugnantia & inepta ſeparantur: ita in cognitione intellectuali accidit: *primò* eſt ſimplex apprehenſio quidditatis: *tandem* ſequitur conuenientia prædicatorum, quæ conueniunt quidditati; quorum quædam ſunt Eſſentialia, vt quòd *homo ſit rationalis*: quædam verò ſunt proprietates, vt quòd *ſit riſibilis*: deinde communia, vt *doctus, Grammaticus, Muſicus*; & quia vni omnia non conueniunt, ſuccedit diuiſio, per quā ea quæ non cōueniunt ſeparātur, quòd fit per negationem, v. quòd *homo non eſt lapis, non eſt leo.* ſed tali progreſſu non vtūtur Angeli in cognitione; vnde nec compoſitione nec diuiſione. Angelus enim per vnam ſpeciem intelligibilem, ſimul vno actu penetratiuo cognoſcit omnia, quæ illi inſunt: ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad omnia accidentia. ergo ſimul omnia ſine multiplicitate conceptuum cognoſcit. ſi verò Angelus cognoſcat ſupernaturalia.

In materiali compoſitione tria tantùm reperiuntur.

In intellectuali etiam tria reperiuntur.

Angelus in cognitione ſupernaturalium, non vtitur compoſitione nec diuiſione.

33. Dico. *Intellectus Angeli ſicut in cognitione ſupernaturalium non vtitur diſcurſu: ita quoq; in illorum cognitione, nōn vtetur compoſitione nec diuiſione.* PROBATVR ex *a. 4.* in quo D. Th. loquitur in vniuerſali ſine vlla diſtinctione, intellectum Angeli non vti compoſitione nec diuiſione. Et de malo *q. 16. a. 6. ad* 1. dicit, quòd quamuis Dæmonem contingat decipi circa cognitionem vniuerſalium: nō vtitur tamen compoſitione nec diuiſione. *Et ratio eſt* quam attulimus circa negationem diſcurſus in Angelo, quia ſupernaturalia reuelata recipiuntur ſecundùm modum connaturalem intellectûs. ſed ſicut in nobis eſt modus connaturalis, reuelata cognoſcere diſcurrendo, componēdo, diuidendo: ita Angelico intellectui eſt connaturale, vt vnico actu & intuitu intellectûs ſui intelligat. ergo ſupernaturalia ſine compoſitione & diuiſione intelliget.

Solutio argumentorū Scoti & aliorum.

Ad argumentum Scoti & Gregorij reſpondeo, quòd licet Angelus per aliam ſpeciem & notitiam cognoſcat hominem & Angelum: tamen hac vtraq; ſpecie poteſt vti per modum vnius, & vnicum tantùm formabit conceptum reſpondentē illis duabus ſpeciebus. nā illæ duæ ſpecies, habentur tanquam vna ſpecies formaliter in ordine ad vnum ſolùm conceptum; proinde ſunt materialiter diſtinctæ, formaliter tamen concurrunt per modum vnius totalis ſpeciei.

QVÆ-

QVÆSITVM IV.

An in intellectu Angeli poſſit eſſe falſitas?

In intellectu Angeli tam boni quàm mali res naturales cognoſcente non poteſt eſſe falſitas.

34. AD Quæſitum dico primò. *In cognitione quidditatiua, per quam Angelus cognoſcit res naturales, non poteſt eſſe falſitas in intellectu Angeli, tam boni quàm mali.* PROBATVR ex Ariſt. *lib. 9. Metaph. t. 22.* vbi dicit in cognitione quidditatis non eſſe falſitatem; quia hac vel in totum attingitur res, vel in totum ignoratur. atqui Angelus res naturales quidditatiuo cõceptu intelligit. Ergo in tali cognitione nõ erit falſitas. *Tum* Angelus intelligit quidditates rerũ prout ſunt in ſeipſis, inquantùm v. in ſpeciebus Angelicis congenitis, non à rebus acceptis intelliguntur. Ergo non eſt deceptio. *Præterea* Angelus non cognoſcit componendo nec diuidendo, ſed ſimpliciter intelligendo ipſum *quod quid eſt* rei, circa quòd non poteſt eſſe falſum. Ergo non decipitur. *Antecedens* in præcedenti Quæſito deductum.

Cognitio coniecturalis contingentium in Angelo qd?

Nota. Angelus nunquam decipi poteſt circa naturalia propter euidentiam, quam de illis habet: ea autem quæ ſunt libera & contingentia, non iam per euidentiam, ſed per coniecturam intelligit; & hæc coniecturalis cognitio eſt in Angelo ſimplex, ſine diſcurſu, ſine compoſitione, ſine diuiſione.

Cognitio Angeli duplex etiam

35. *Nota 2.* Dictum noſtrum in quo dicimus, quòd *Angelus in cognitione naturalium non poteſt falli,* intelligendum eſt de cognitione Angeli ſpeculatiua, non autem Practica. nã ſpeculatiua eſt illa cognitio & veritas, quando eſt conformatio rei in ſpecie Angelica relucentis ad intellectum Angeli. ſed hanc perfectè Angelus penetrat propter luminis excellentiam, & ſpeciei perfectã repræſentationem. Ergo in ſpeculatiua cognitione, tam in intellectu Angeli boni, quàm mali, ſemper eſt veritas, & nunquam falſitas: in cognitione verò Practica ſecus accidit; quia hæc ſemper requirit appetitum rectũ. vnde tam bonus, quàm malus Angelus, ſemper quidem habent iudicium conforme rei; ſed malus non habet conforme recto appetitui: & hinc eſt deceptio in illius intellectu. Speculatiua quid?

Falſitas in intellectu Angelico, per accidẽs poteſt eſſe.

36. Dico ſecundò. *Per accidens in intellectu Angelico poteſt eſſe falſitas. Deducitur.* Falſitas erit, ſi vellet Angel^s res ſupernaturales, & quæ pendent à voluntate & ordinatione Dei, per medium diuerſi ordinis cognoſcere, vt vel per quidditatẽ rei naturalis, quæ cùm ſit purè naturalis non poteſt in ſe continere rem ſupernaturalem, atq; ſic, ſi hoc modo Angelus cognoſceret decipitur; quòd ſi verò cognoſceret per coniecturam, etiam deciperetur. nam medium cognoſcendi ſupernaturalia eſt ipſa reuelatio diuinitùs facta.

37 Dico tertiò. *In cõiecturali cognitione bonos*

In coniecturali cognitione bonos Angelos non contingit decipi.

ne bonos Angelos non contingit decipi. nã prudenter ſe gerunt: ſiquidem aut ſuſpendunt iudicium, aut ad vtrumque probabiliter ſe habent: nec quidquam determinatè definiunt. ſciunt enim hæc ſubeſſe Diuinæ diſpoſitioni, & quòd mutari poſſint ſecundùm beneplacitum voluntatis Diuinæ vnde Angelus bonus, etiamſi videret in cauſis futurã ſiccitatem, aut peſtem: eam tamen non prædiceret abſolutè euenturã; quia hæc ab ordinatione Diuina pẽdẽt, quæ incõmoda precibus Sãctorũ flexus Deus auertere poteſt: in Dæmonibus verò, quia volũtas perverſa eſt, & à Diuina ſapiẽtia ſubducta; proĩde abſolutè de rebus naturalibus iudicant, & ideo falluntur.

Angeli mali in cognitione coniecturali decipiuntur.

Obiectio.

38. *Obiicies cũ Valentia.* Ratio D. Th *1. p. q. 58 a. 4.* videtur nõ eſſe cõueniẽs, quæ eſt talis: Angelus cognoſcit ſimplici intuitu, ſeu per modũ ſimplicis apprehenſionis: ſed hæc ſine compoſitione & diuiſione fit, & in ſimplici apprehenſione nõ eſt falſitas. Ergo. *Inſtat* ille, in hac ſimplici apprehẽſione, cognoſcit Angelus quid conueniat quidditati rei, & quid nõ cõueniat. Ergo ſaltẽ virtualiter & æqualẽter habet cõpoſitionẽ & diuiſionẽ.

Solutio.

Reſpondeo non ob eã ſolùm cauſã D. Thomam affirmare, Angelum nõ poſſe decipi; quia in cognitione quidditatis, non eſt compoſitio nec diuiſio, ſed quia Angelus, cùm ſimplici cognitione cognoſcit quidditatem, eodem intuitu omnes enuntiationes ad rem cognitam pertinẽtes cognoſcat. vnde materialiter poſſunt dici plura, & quaſi cum cõpoſitione: formaliter verò, cũ ſimul Angelus, & quidditatẽ, & illa cõuenientia, ac diſparata cognoſcat, nulla poteſt eſſe cõpoſitio nec diuiſio.

Obiectio.

39. *Obiicies rurſum.* cùm cognitio Angelorum fiat per modum ſimplicis intelligentiæ, non erit in Angelo veritas neq; falſitas. nam vbi non eſt iudiciũ de re compoſita aut diuiſa, ibi neq; veritas, neq; falſitas. ſed in ſimplici apprehenſione non eſt iudicium; quia ſolùm eſt cognitio. poſtea tandem ſequitur iudiciũ, an ſit res vera aut falſa? Ergo in Angelo non eſt veritas nec falſitas.

Solutio illius.

Reſpondeo verum eſſe, quòd Angelus primo intuitu rerum Eſſentias apprehendit, ſed quia illius intellectus hæc eſt perfectio, quòd vno actu plura cognoſcit; idcirco ſtatim de illarum compoſitione iudicat. nam ſimul videt vnum ex alio procedere, v. proprietates ex ſubſtantia, quæ nos nonniſi ſucceſſu temporis cognoſcimus. aliàs enim ſequeretur, quòd Angelus in ordine ſubſtãtiarũ intellectualiũ eſſet in intelligẽdo inferior; quia intelligeret ſine iudicio, quod dici non debet.

40. *Nota* quando D. Th. in *a. 5.* dicit, quòd *in Angelis beatis ſit neſcientia:* intellige per hanc *neſcientiam,* non quòd ſit priuatio, aut ignorãtia priuatiua. omnis enim priuatio eſt malum culpæ, vel pœnæ, quæ à beatis longè ſunt: ſed quia Angeli nunc quædam de Deo neſciunt, quæ poſtea illis reuelantur; & ſic in eis dicitur neſcientia negatiua: ſicut in nobis eſt neſcientia numeri ſtellarum, ſed hæc in nobis non eſt culpa nec pœna; quia hæc non poſſumus nec debemus ſcire. proinde in Angelis non eſt dubitatio nec opinatiuus aſſenſus, ſed quicquid ſciũt euidenter ſciunt in lumine, aut naturæ, aut gratiæ, aut gloriæ.

QVÆSITVM V.

An in Angelis ſit cognitio matutina & veſpertina, & an ſint eædem?

Cognitio matutina & veſpertina in Angelis vnde ſumpſit originē

41. AD Quæſitum dico primò. *Hæc diſtinctio cognitionis Angelicæ, in matutinam & veſpertinam ſumpſit originem ex D. Aug. in Gen. ad literam c 22. & ib. 11 de Ciuit. c. 7 8. 11. & 29.* hic enim aſſerit, omnia ſimul fuiſſe à Deo producta, vt habetur Eccleſ. 18. *qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* cùm Moyſes opus creationis Diuinæ diſtinguat in ſex dies, dicit ille, per hos dies non eſſe intelligendos dies naturales, quos ſol curſu ſuo efficit; ſiquidem ſol quarto die dicitur eſſe creatus. vnde hi ſex dies, potiùs ſignificant cognitionem Angelicam: vt enim lumen ſolis efficit diem; ita lumen clariſſimum intellectus Angelici efficit cognitionem in Angelo, tanquam diē claram: *manè* autem & *veſperè* illorū dierum, dicit D. Aug. ſignificare duplicem cognitionem: *matutinam* & *veſpertinam. matutina* cognitio eſt, quando Angelus in Verbo ſeu in Eſſentia Diuina cognoſcit *eſſe*, ſeu eſſentias rerum: quæ ideo dicitur *matutina*; quia habet clarum & immēſum lumen. *veſpertina* verò eſt, quādo intellectus Angeli cognoſcit eſſentiam rerum creatarum in ſuis proprijs rationibus, ſeu per ſpecies ſibi congenitas, & quia res creatæ in ſeipſis conſideratæ per comparationem, vt in Eſſentia Diuina cognoſcuntur, ſunt tenebroſæ: idcirco hæc cognitio dicitur *veſpertina.*

Dies quib⁹ creata ſunt omnia, quales intelligendi.

Mane & veſpere quid ſignificet?

Cognitio matutina & veſpertina duplex

42. Dico ſecundò. *Hæc vtraq; cognitio, tam matutina, quàm veſpertina, duplex eſt*: Naturalis & ſupernaturalis. *Cognitio matutina naturalis eſt illa* quâ Angelus naturaliter per ſuam eſſentiam cognoſcit *eſſe* Diuinum, quod quidem appellat D. Aug. *Primordiale rerum*: huiuſque cognitionis memor eſt *l. 4. de Geneſi ad literam c. 22. 23 & 24.* cùm dicit, omnes Angelos creatos fuiſſe in cognitione matutina, hoc eſt, quia lumine naturali intellectûs ſui, quòd ab auctore ſuæ naturæ acceperunt, ſtatim in cognitionem illius ferebantur. *Matutina autem ſupernaturalis cognitio eſt* beatitudo, quando iam Angelus videt clarè & diſtinctè ipſum *eſſe* Diuinum. *Cognitio verò veſpertina naturalis eſt illa*, per quam Angelus cognoſcit *eſſe* rerum in ſeipſis, prout habet illarum ſpecies ſibi congenitas. *Veſpertina autem cognitio ſupernaturalis* eſt beatifica viſio, quando ipſas res, & illarum eſſentias cognoſcit in Eſſentia Diuina, quæ quidem eſt, tanquā ſpecies intelligibilis, repræſentans omnes res creatas.

Cognitio matutina naturalis quid?

Cognitio matutina ſupernaturalis quid?

Cognitio veſpertina naturalis quid?

Supernaturalis eadem quid ſit etiam?

43. Dico tertiò. *Si loquamur de cognitione matutina & veſpertina ſupernaturali, ſic non omnes Angeli habuerunt hanc cognitionem, quia ad eam requiritur lumen gloriæ, à quo excluſi ſunt Angeli mali ob ſuam malitiam: ſi autem loquamur de matutina & veſpertina naturali, hanc omnes habuerunt.* nam idem D. Aug. *l. 4. de Geneſi c. 22. 23.* & 34 dicit, omnes

Cognitionē mat. & veſp tinam ſupernaturalem, ſoli Angeli boni habēt mat: verò & veſpertinā naturalem etiam mali

cit, omnes Angelos fuiſſe creatos cum vtraque cognitione: additq; poſt creationem vniuſcuiuſq; ordinis rerũ, vocari diẽ vnum cum *mane* & *veſperi*: quo ſignificare vult duplicem modum fuiſſe, quo Deus res produxit: *primò*, vt eſſent in ſeipſis: *ſecundò*, vt eſſent in cognitione Angelorum matutina & veſpertina, ita, quòd Angeli cognoſcunt creaturas matutinâ cognitione in *eſſe* Diuino: veſpertina verò, vt sũt in ſeipſis per ſpecies infuſas.

Cognitio matutina & veſpertina non differũt inquantum ſunt ſupernaturales ſed inquantum naturales.

Dico quartò. *Hæ ſcientiæ, v. matutina & veſpertina, non differunt inquantùm ſunt ſupernaturales, quia vtræq; vnum & eundem modum cognoſcendi habent. nam in Eſſentia, ſeu in Verbo increato cognoſcunt: ſi verò tam matutina quàm veſpertina ſumantur, vt ſunt naturales, ſic differunt.* nam alia eſt cognitio, quâ Angelus per ſuam eſſentiam, & alia quâ per ſpecies infuſas rerum naturas cognoſcit. *Tum etiam* differunt principio, termino, menſura. nam matutinæ principium, eſt Diuina Eſſentia: terminus, Verbum increatum: menſura, participata æternitas: veſpertinæ verò principia, ſunt ſpecies congenitæ Angelis: terminus, ipſæ ſubſtantiæ rerum: menſura, tempus diſcretum.

2. Cognitionum differentia.

44. *Nota.* Quamuis res diuerſorum generum diuerſis actibus cognoſcantur: tamen ſimul eſſe poſſunt propter ordinem, quem inter ſe adinuicẽ habent. nam (vt dicit D. Th. *hîc q. 80. a. 7. ad 2. & 3.*) cognitio naturalis ſimul cũ Angelo eſſe cœpit; & propterea prior eſt cæteris: & eadem adueniente matutina non deſinit eſſe, quemadmodum & ſcientiæ naturales, quantùm ad habitum & actum, quamuis ſint imperfectiores: tamen cum viſione beatifica permanebunt in Patria.

Dices. Cùm venerit id, quod eſt perfectum, euacuabitur, quod eſt ex parte. *Reſpondeo.* illud ſolùm imperfectum euacuabitur, quod pugnat cum ſtatu beatitudinis ſicut cognitio, quæ fit per fidem. hæc enim ſecum trahit obſcuritatem, quam euacuat clara viſio, atq; ſic imperfectum veſpertinæ cognitionis, non opponitur perfectioni matutinæ. illud enim quod cognoſcitur in ſeipſo, non eſt oppoſitum illi, quod cognoſcitur in cauſa: ſicut etiã, quòd aliquid cognoſcitur per duo media, quorum vnum eſt perfectius, & aliud imperfectum, nihil repugnans habet. nam eandem Cõcluſionem poſſumus deducere, & per Medium demonſtratiuum, & per probabile: ita eadem res ab Angelo ſciri poteſt, & in Verbo increato, & per ſpecies congenitas.

Perfectum euacuat illud imperfectũ, quod pugnat cum ſtatu beatitudinis.

DISPVTATIO X.

De voluntate Angelorum.

1. EA quæ ad intellectum Angelicum, & illius effectum ſpectabant, explicuimus: nunc de voluntate agendum; ſiquidem hæc naturâ eſt poſterior: & primò quæremus *An ſit?* ſecun-

ſecundo *An differat ab eſſentia & ab intellectu?* tertiò *An ſit libera?* quartò *An diuidatur in concupiſcibilem & iraſcibilem?*

In Angelis neceſſariò ponẽda eſt voluntas.

QVANTVM ad primum dico. *In Angelis neceſſariò ponenda eſt voluntas.* PROBATVR. Creaturæ intellectuales, non ſolùm ſunt præditæ facultate intellectiua, ſed etiam quadam inclinatione in bonum vniuerſaliter apprehenſum. ſed Angeli sũt creaturæ intellectuales. ergo non ſolùm ſunt intellectu præditæ, ſed etiam inclinatione ſeu voluntate. D. Th. deducit hoc ex diſcrimine rerum quæ inclinantur: dicit enim: *quædam* inclinari ſine vlla cognitione ſolá habitudine naturali: & talis appetitus eſt naturalis in plantis, & inanimatis. *quædam* verò inclinantur in bonum, ſed cum cognitione boni, non vniuerſalis ſed particularis ſenſibilis: & in his inclinatio dicitur appetitus ſenſitiuus, qualis eſt in brutis. *quædam etiã* inclinantur cum cognitione boni vniuerſalis, & cognoſcunt rationẽ ipſam boni, quod eſt proprium intellectus: & talis cognitio appellatur voluntas; & hæc reperitur in his quæ ſunt prædita intellectu, vt in Angelis, in homine.

Rerum triplex eſt propenſio.

Voluntas Angelica diſtinguitur ne ſpecie ab humana?

2. *Nota.* Cumelius circa reſponſionem ad 1. D Thomæ mouet quæſtionem: *An voluntas Angelica diſtinguatur ſpecie à voluntate humana?* & reſoluit vtrumq; probabiliter poſſe ſuſtineri: magis tamen probabiliorem eam partem eſſe affirmat, quòd non diſtinguantur. *Ratio eius 1.* tam enim voluntas noſtra, quàm Angelica tendit in bonum vniuerſale. *Ratio 2* quia charitas Angeli & hominis ſunt eiuſdem ſpeciei, nam idem obiectum formale habent, v. bonũ in communi, & vtriuſq; eſt motus amantis in amatum.

Opinio negans.

3. Nazarius, quòd ſpeciẽ diſtinguantur dicit magis eſſe probabile. *Ratio eius.* Bonum non eſt obiectum voluntatis, nec principium illius actus, niſi quantùm ab intellectu concipitur, & proponitur ſed bonum non eodem modo concipitur ab intellectu humano, & Angelico. nam intellectus humanus mobiliter appehendit diſcurrendo ab vno in aliud, & habet ſe ad vtrumque in oppoſitum; ac proinde voluntas humana circa hoc bonum habet mobilem electionem, & adhæſionem. nam poteſt ab eo diſcedere, & contrarium eligere. intellectus autem Angeli immobiliter apprehendit; quia ſine diſcurſu & immobiliter agit, & adhæret bono ſibi propoſito per intellectum. ſed mobilis actus diſtat ab immobili actu, ſicut corruptibile diſtat ab incorruptibili. Per hunc *motum mobilem hominis* intellige cognitionem cum diſcurſu: per *immobilem* verò intellige ſine diſcurſu. & addit ille, quòd mobilitas & immobilitas non ſunt duæ differentiæ ſpecificæ voluntatum & actuum, ſed potius ſunt aliæ occultæ. nam mobilitas & immobilitas magis ad modos intrinſecos operandi, quàm ad ſpecificas differentias ſpectant.

Opinio affirmans.

Immobilitas intellectus Angeli vel mobilitas quid ſignificet?

4. QVANTVM ad ſecundum dico. *Voluntas Angeli diſtinguitur ab eſſentia illius, & ab intellectu.* quòd diſtinguatur ab eſſentia. PROBATVR. Voluntas enim eſt quædam potentia operatiua. ſed omnis potentia operatiua in creaturis, diſtinguitur à natura. ergo & voluntas ab eſſentia

Angeli diſtinguetur. *Confirmatur.* ibi enim sũt intrinſecè vnita eſſentia & voluntas, vbi bonum quod eſt obiectũ volũtatis totũ cõtinetur in eſſentia, vt eſt in Deo. nam voluntas Diuina fertur in bonum, quod eſt intra ipſamEſſentiam; ſiquidem bonitas eſt ipſa Eſſentia Dei: bonũ autem quod vult Angelus, aut alia creatura intellectualis, eſt extrinſecum, ſ: ipſe Deus. De⁹ enim, quem omnia ſummè appetũt, eſt extra eſſentiam cuiuſlibet creaturæ. ſed eſſentia Angeli non eſt ſummum bonum voluntatis Angelicæ. ergo voluntas ab Eſſentia Angeli diſtinguetur, ita, quòd hæc ipſa inclinatio ad bonum, erit quid ſuperadditum eſſentiæ: ſicut grauitas eſt ſuperaddita eſſentiæ lapidis, vt ad centrum tendat.

Bonitas eſt ipſa Eſſentia Dei.

Quòd verò diſtinguatur ab intellectu Angeli. *Probatur* ex diuerſo modo operandi. Intellectus enim intelligit per receptionem ſpeciei intelligibilis: ſiquidem cognitio omnis eſt in cognoſcente: voluntas autem tendit in obiectũ, quod eſt extra ſe, vt tendit in Deum ſummum bonum, qui eſt extra voluntatem. Sed

Voluntas diſtinguitur ab intellectu Angeli.

5. *Obiicit Durandus.* Act⁹ ſubordinati ad eandem pertinent potentiam. ſed cognoſcere eſt actus intellect⁹: & appetere, eſt actus voluntatis; & hi ſunt ſibi ſubordinati. nam appetere ſupponit cognoſcere. nihil enĩ eſt volitum, niſi ſit cognitum. *Reſpõdeo.* Actus ſibi ſubordinati, tum demum ad eãdem potentiam ſpectãt, quando in idem obiectum formale, ſecundùm eundem modum tendũt: vt ſunt actus apprehendere & iudicare, quia ſicut eſt intellectûs apprehendere: ita eiuſdem eſt iudicare de re apprehenſa, ſitné vera vel falſa. ſed quando habent diuerſum modum tendendi in obiectum, & ſub diuerſa ratione; vt eſt intelligere & amare; quia intellectio fit per receptam ſpeciem intra intellectũ: voluntas autem fertur in rem amabilem, quæ eſt extra voluntatem; & idcirco hi actus non poſſunt ſpectare ad eandem potentiam.

Obiectio Durandi.

Solutio ei⁹.

Actus quomodo ſibi ſub ordinẽtur, vel nõ?

6. QVANTVM ad tertium dico. *Certum eſt, & prorſus de Fide, quòd Angelus habet liberum arbitrium.* RATIO *prima.* in Angelis ſecundùm fidem, eſt meritum & demeritum: ſimiliter in ijſdem eſt præmium & pœna. ergo de fide eſt, quòd Angelus habet liberum arbitrium. *Ratio ſecunda.* vbicunq; eſt intellectus, ibi eſt liberum arbitrium. ſed in Angelis eſt intellectus, & quidem longè excellentior, quàm in homine (vt iam probatum) ergo in Angelis eſt liberum arbitrium. *Maior.* Intellect⁹ habet hoc, quòd cognoſcit vniuerſalem rationem boni. & cum quadam indifferentia. nam illius perſecutionem aut etiam auerſionem, ſub diuerſa ratione poteſt proponere voluntati; & talis diuerſa ratio proponendi bonum eſt indifferentia, quæ quidem eſt radix libertatis. vnde communiter dicitur, quòd libertas radicaliter eſt in intellectu, formaliter in voluntate. *Declaratur* Dictum ex duplici ordine agẽtium: quædam enim ſunt ágentia, quæ agunt quidem, ſed inquantùm sũt mota ab alio: ſicut ſagitta, mouetur quidem à ſagittante ad ſcopum, tamen hæc ſicut intellectu caret, ita & libero arbitrio. quædam verò ſunt, quæ agunt cum arbitrio, ſed non

Angeli habent liberumArbitrium.

Libertas radicaliter eſt in intellectu formaliter in voluntate.

Ordo duplex agentium.

non libero; quia cum determinatione ad vnum: vt ouis, ex quodam iudicio naturali, ſeu æſtimatione ſibi indita, apprehendit lupum eſſe fugiendum; quia iudicat ſibi eſſe noxium. & hoc ſimiliter iudicium non eſt liberum: quia à natura inditum, & ad vnum determinatum. ergo illud ſolùm agens, quod habet intellectum, poteſt agere cum libero arbitrio.

Volũtas ſeu appetitus Angelorum non diſtinguitur per iraſcibilem & concupiſcibilẽ, ſed manet indiuiſus.

7. QVANTVM ad quartum dico. *Voluntas, ſeu appetitus Angelorum, non diſtinguitur per iraſcibilem & concupiſcibilem, ſed manet indiuiſus.* PROBATVR voluntas Angeli eſt intellectiuus appetitus. ſed appetitus intellectiuus non diuiditur in iraſcibilem & concupiſcibilem, quia nec talis diuiſio eſt appetitus ſenſitiui. ergo non diuiditur.

Probatur ratione. D. Th. voluntas eſt potentia. atqui potẽtiæ non diſtinguuntur ſecundùm materialem diſtinctionem obiectorum, ſed ſolum ſecundum rationem formalem obiecti. vnde ſi aliqua potentia habet obiectum formale, conſidetatũ ſecundum communem rationem, iam non diſtinguitur ſeecundum diuerſitatem materialium ſub illà cõtentorum. v. g. Viſiua potentia habet formale obiectum rationem coloris in communi: vnde hæc potentia non diuiditur, quòd alia ſit albi, alia nigri, quia ſunt iſta materialia, quæ ſub communi obiecto coloris continentur. ergo eadem ratione, cùm voluntas ſit potentia, quæ conſiderat rationem boni in communi in materialia & contenta ſub communi, non poteſt diuidi.

8. *Ratiò tertia,* Hic duplex Appetitus indiget corporeis organis, nã ira, eſt ebullitio ſanguinis circa cor: & Cõcupiſcibilis, eſt ex delectabili ſenſitiuo. ſed Angel⁹ caret corpore. ergo voluntas eius non diuidetur in Iraſcibilem & Concupiſcibilem.

Appetitus indiget corporeis organis.

Dices D. Dion. *lib.* 4. *de Diu. Nom.* docet, quòd in Dæmonibus eſt furor irrationalis, & Concupiſcentia amens. ſed Dæmones eiusdem ſunt naturæ cum Angelis, quia peccatũ non mutauit in illis naturam. ergo & in Angelis erit iraſcibilis & concupiſcibilis. *Reſpondeo* furor & concupiſcentia ſumpta impropriè & metaphoricè ſunt in Dæmonibus & in Angelis: non autem propriè; quemadmodum & ira tribuitur Deo, propter ſimilitudinem effectus, qui eſt in hominibus ex iraſcibili facultate. Proinde.

Furor & cõcupiſcentia impropriè ſumpta eſt in Angelis & Dæmonibus.

9. *Nota.* quando in Scriptura legis Angelos gaudere, aut iraſci intellige, quòd gaudium, ira, & alii affectus inquantum ſunt paſſiones, non tribuuntur illis, ſed inquantũ ſunt act⁹ voluntatis, ſic ſunt in parte intellectiua Dicimus itaq; quòd actus iraſcibilis & concupiſcibilis, ſunt in voluntate Angelorum, non vt paſſiones. ſic enim ſunt in appetitu ſenſitiuo. ſed vt ſunt actus ſpirituales, qui proportionaliter reſpondent paſſionibus appetitus ſenſitiui.

Gaudium & ira in quantũ ſunt paſſiones non tribuuntur Angelis, ſed vt ſunt actus ſpirituales.

DISPV-

DISPVTATIO XI.

De Amore & dilectione Angelorum.

1. DVo in determinatione Dicemus: *primò*. in communi de amore: *ſecundò* de obiecto amoris Angelici.

QVANTVM ad primum, Dico primò, *Amor ſeu dilectio, neceſſario in Angelis eſt concedenda.* PROBATVR vbi datur potentia, ibi & actus illius potentiæ dari debent. ſed in Angelis eſt intellectus, & illius actus eſt intelligere: ſimiliter in Angelis eſt voluntas, & illius actus eſt diligere, ergo ſi in Angelis eſt intellectus, erit quoque illius actus intelligere. tum ſi in Angelis eſt voluntas (vt probatum.) ergo & illius actus nimirum amor ſeu dilectio dari debet

Amor ſeu dilectio neceſſariò in Angelis eſt concededa

Dico ſecundò. *Hæc dilectio in Angelis eſt naturalis.* PROBATVR. Ea, quæ ſunt naturæ etiam in habentibus intellectum reperiuntur. ſed in qualibet natura eſt inclinatio, ſeu amor naturalis. ergo & in Angelis idem amor naturalis reperietur. *Cōfirmatur* Prius ſaluatur in poſteriori ſed natura, prior eſt quàm intellectus, & voluntas. ergo id quod eſt naturæ, oportet ſaluari in habentibus intellectum: iam autem prioris v. naturæ, eſt naturalis inclinatio, ſeu amor. ergo hoc priùs, ſ. naturæ cum ſua inclinatione, erit in voluntate Angeli. Sed.

Dilectio in Angelis eſt naturalis.

Prius ſaluatur in poſteriori.

2. *Quæres* De modo Amoris Angelici: *ſitne liber an neceſſarius?* & augetur difficultas. ſi enim in Angelis eſt amor naturalis. ergo coæuus erit Angelis: atque ſic menſurabitur æuo. ſed quæ menſurantur æuo, ſūt neceſſaria. ergo non liber ſed neceſſarius erit.

QVANTVM ad exercitium *Reſpondeo.* quod nulla dilectio Angeli eſt neceſſaria, nam D. Th. *quæſt. 22. de verit. a. 6.* dicit: *in voluntate humana quoad exercitium, manet libertas circa vnum quodque obiectum* ſed (vt deduximus) in Angelis eſt perfectior libertas, quàm in nobis. ergo quoad exercitium non erit amor neceſſarius, ſed liber in Angelis. *Tum* Si amor ſui eſt in Angelis quoad exercitium neceſſarius, nullum in Angelis poſſet eſſe peccatum. nam, quæ ſunt penitus neceſſaria, ſunt extra genus amoris, ſeu meriti. aut demeriti: ſed Angelus amore ſui peccauit (vt inferiùs dicemus.) ergo quoad exercitium eſt liber amor eius.

Nulla dilectio Angeli eſt neceſſaria.

Quæ ſunt neceſſaria ſunt contra genus meriti aut demeriti

3. Quantum vero ad ſpecificationem *Reſpondeo.* quòd dilectio Angelica eſt neceſſaria, nam ab ea nunquam ceſſare poſſunt. iudicat enim bonum Angelus neceſſariò eſſe appetendum. & huic iudicio non poteſt contrarium haberi. ergo neceſſarius quoad ſpecificationem eſt amor in Angelis. *Præterea* quia amor ſui eſt operatio ſummè delectabilis, & nulli

Dilectio Angelica eſt neceſſaria.

Amor ſui quid?

& nulli rei impedimentum præſtat: ſed ſicut vna Scientia perficit aliam ita & amor ſui reliquos amores perficit.

Dices Naturalia in nullo ſtatu deficiunt. ſed Dæmones ob ſuam miſeriam optant non eſſe, quod naturali dilectioni eſt contrarium. ergo quoad ſpecificationem non eſt dilectio neceſſaria. *Reſpondeo* in Dæmonibus eſt amor, & appetitus fælicitatis in communi: hæc autem affectio quòd cupiant non eſſe, ex eo prouenit. nam Dæmones primò optant ſummopere eſſe felices: deinde maximè refugiunt infelicitatem & quia vident, quòd eam effugere non poſſunt, quamdiu ſunt propterea cupiunt non eſſe.

In Angelis eſt dilectio electiua.

Amor neceſſarius & Electiuus quid?

4. Dico tertiò. *In Angelis eſt dilectio electiua.* PROBATVR quia DD. amorem Angelorum diuidunt in naturalem & neceſſarium: & in liberum ac electiuū; & *Amor neceſſarius.* eſt, qui elicitur cum quadam determinatione, ita, quòd non poſſit nō elici: *Amor verò electiuus* eſt is, qui cū quadam indifferentia elicitur, ita, quòd poſſit non elici: & hic vterq; eſt in Angelis. nam nulla inde eſt imperfectio. quemadmodum enim perfectio intellectus in eo eſt, quòd res intellectas per impreſſionem ſpecierum intelligibilium, & per receptionem habeat: ita voluntatis perfectio in eo conſiſtit, quòd ſit appetitiua, & quòd ſuo appetitu ad res amatas, quæ ſunt extra, tendit. ergo nullam imperfectionem importat. ſicut enim intellectus vnico actu cognoſcit omnia: ita etiam vnico actu voluntatis ſuæ cum electione agit; & per conſequens eligit.

Nota Huius electiuæ dilectionis natura eſt principium. natura enim in qualibet re eſt quid primum & fundamentum omnium reliquorū: vnde naturalis dilectio eſt Principium electiuum.

Electiuæ dilectionis natura eſt principium.

Obiectio.

5. *Obiicies* Atqui naturalis eſt neceſſaria *Reſpondeo* quemadmodum non eſt abſurdum ex principiis neceſſariis inferre Concluſionem contingentem, quando illatio non eſt neceſſaria: ita etiam & mediū quando non habet neceſſariam connexionem cum vltimo fine, poterit habere appeti. Sed

Dices Dilectio electiua fundatur in indifferētia intellectus, ſed intellectus Angeli in ſuis iudiciis nullā habet indifferētiam: quia ſicut vnico actu penetrat omnia, ita etiā vnico actu iudicat cum determinatione, illam rem eſſe veram, aut falſam. *Reſpondeo* quòd intellectus Angeli ſpeculatiuus, eſt plenè determinatus in ſuis iudiciis: non autem intellectus Practicus. Intellectus enim Angeli circa vnamquamque rem duo conſiderat: *Primò.* an ſit vera vel falſa? *ſecundò.* an ſit conueniens, vel repugnans intento fini ab agente? quādo igitur cognoſcit rem eſſe veram, aut falſam, ſpectat hoc ad intellectum ſpeculatiuum; & quia veritas rei, ita eſt determinata, vt de illa duo oppoſita non poſſint eſſe vera: proinde in tali intellectu ſpeculatiuo, non eſt indifferentia: iam autem in intellectu practico, qui occupatur circa conuenientiam, non eſt determinatio. nam ſæpe contingit, quòd duo oppoſita per diuerſas rationes & varios reſpectus, eidem fini conuenire poſſunt; & in hoc iā eſt indifferentia, & per conſequēs libertas.

Intellectus Angeli ſpeculatiuus, eſt in ſuis iudiciis determinatus.

Intellectus Angeli circa rem quæ conſideret?

6. QVANTVM ad alterum. v. ad *obiectum dilectionis Angelicæ,* quod quidem eſt triplex: *Angelus, cæteri Angeli & ipſe Deus.*

Angel⁹ quo modo ſeipſum diligat? Dico primò. *quod Angelus diligit ſeipſum dilectione naturali & electiua. Ratio prima.* Etiam in rebus cognitione carentibus, vnumquodque naturaliter appetit quòd eſt ſibi bonum, ſiquidem amare eſt alicui velle bonum. atqui Angelus appetit ſibi bonum, quod eſt ſibi naturaliter conueniens. ergo naturaliter ſe amat.

Ratio ſecunda. Appetitus propriæ felicitatis eſt ſimpliciter amor naturalis. ſed hanc propriam felicitatem naturaliter appetit Angelus. ergo in Angelo eſt amor naturalis. *Probatur* de electiua dilectione: Angeli multa habent conuenientia ſibi inter quæ eſt viſio beatifica; & circa hanc habuerunt ſe Angeli electiuè. pars enim eam elegit, & pars contempſit. ergo in Angelo eſt dilectio electiua. Viſionẽ beatificã pars Angelorũ elegit pars contempſit.

7. *Quæres.* nũ Angel⁹ neceſſariò ſe diligat, quoad ſpecificationem, & quoad exercitium? *Reſpondeo* quòd vtroque modo neceſſario ſe diligit quoad ſpecificationem; quia non poteſt Angelus non amare bonum. ergo non poteſt non amare ſeipſum ſiquidem in ſe videt bonitatem, ad quam eſt illius naturalis inclinatio. *Tum* non poteſt Angelus velle malũ ſub ratione mali nam quamuis Angelus malus poſſit ſibi velle malum v. vt non ſit, tamen non poteſt hoc velle ſub ratione mali. ſed inquantum iudicat eſſe ſibi maius bonum non eſſe; & ſic non vult malum, niſi ſub ratione boni, Angelus neceſſariò ſe diligit quoad ſpecificationem & Quoad exercitium

Quòd verò quoad exercitium neceſſariò ſe diligat, ex eo patet, quia Angelus quoad exercitium neceſſariò ſe cognoſcit: & quia ex illa cognitione naturaliter reſultat in voluntate Angeli quædam complacentia, in bono ꝓprio. idcirco naturaliter neceſſariò ſe diligit *Conſequẽtia.* quia actus voluntatis debet eſſe proportionat⁹ actui intellectus per quem reſultat. *Tum* nulla eſt ratio cur Angelus debet ceſſare à ſui dilectione. nam ab aliis actibus non impeditur, & ad amorem ſui, tanquam ad bonum, habet vehementem propenſionem. *Demùm* Sicut intellectio Angeli eſt vitalis operatio ita dilectio Angeli eſt vitalis operatio. Ergo ſi ab illa totaliter ceſſaret, nõ viueret. *Adextremũ* cùm Angel⁹ cognoſcit & penetrat totã ſui perfectionẽ, ſtatim naturaliter iudicat amandã ſibi eſſe illã perfectionẽ, quæ eſt illi cõnaturalis, & prſ⁹ ꝓportionata. Actus voluntatis ꝓportionatur actui intellectus.

8. Dico ſecundò. *Vnus Angelus diligit alterum Angelum naturaliter. Probat* D. Th. *art.* 4. vnus Angelus inquantùm cum alio in natura conuenit, eſt quodammodo vnum cum eo. ergo ſicut Angelus diligit ſeipſum: ita etiam diligit & alium, inquantũ ſecum conuenit in natura. & per hanc conuenientiam facit cum eo vnitatem. Angelus Angelum naturaliter diligit.

Nota Conſiderando in Angelo ſolam naturam præciſam, & vnitatem naturalem, quam habet vnus cum alio, non poſſunt ſe inuicem non amare: conſiderando autem in natura Angelorum circumſtantias, & alia adiuncta, quibus inter ſe differunt: ſic iam vnus poteſt alium odio habere; & ſic mali Angeli, propter beatitudinem acquiſitam odio habent bonos. Angeli quo modo ſe amẽt vel nõ?

9. *Quæres*, Hic amor, quo vnus Angelus

Angel⁹ alterum diligit, ſitne neceſſari⁹ quoad ſpecificationē & quoad exercitium? *Reſpondeo* eſſe neceſſarium, quoad ſpecificationē, ſed minimè quoad exercitium, *quod quidem* patet ex eo: quia bonitas, quæ eſt in aliquo Angelo non poteſt neceſſitare alterius Angeli voluntatem, ad ſui amorem nam iſta bonitas, non eſt totalis. hæc enim in ſolo Deo eſt, neque habet omnimodam coniunctionem cum voluntate alterius Angeli ſicut propria Eſſentia cuiuſlibet Angeli, habet cum ſua voluntate. *Deinde* actus voluntatis, regulatur per actum intellectus, ſed actus ille cognitionis quo vnus Angelus alterum cognoſcit, non eſt neceſſarius quoad exercitium. nam poteſt ceſſare intellectus Angeli ab actuali cognitione alterius. ergo etiam poterit ceſſare à dilectione.

Nota. Poteſt vnus Angelus magis inclinari ad plus amandum ſuperiorem Angelum obiectiuè; quia cùm ſit ſuperior, eſt perfectior: ſed appretiatiuè, hoc eſt propter ſimilitudinem, magis ad ſibi propīquiorem fertur amandum ſ. inferiorem; quia naturalis dilectio fundatur in aſſimilatione, & conuenientia, quàm Angeli inter ſe habent. ergo magis ſibi ſimile in natu â. plus amabit.

Angelus & ra ionalis creatura magis inclinatur ad amandū Deū quā ſeipsū.

10. Dico t rtiò *Non ſolùm Angelus ſed quælibet alia rationalis creatura, naturaliter magis inclinatur ad plùs, & principaliùs diligendum Deum, quàm ſeipſam* *Probatur* ratione D Th vnumquodque tam in rebus natu alibus, quā etiam in ratione præditis, quando ſecundùm naturā hoc ipſum, quòd eſt, alterius eſt principaliùs, magis inclinatur in id cuius eſt, quàm in ſeipſum. ſed Angelus atque etiam homo, id, quod eſt, Dei eſt. ergo homo & Angelus naturali dilectione magis inclinatur in Deum, quàm in ſeipſum. *vel ſic hæc ratio formari poteſt*: vnaquæque res, ſecundùm modum conſentaneum ſuæ naturæ, plùs inclinatur naturaliter in id, à quo totum ſuum *Eſſe* dependet & in quod cætera omnia ordinantur. ſed omnes creaturæ, & ipſe homo atque Angelus dependentà Deo in ſuo *Eſſe* & in quem omnia ordinātur. ergo omnis creatura, plus inclinatur ad amandum Deum, quàm ad ſeipſum *Declaratur maior*. Manus enim in periculo capitis opponit ſe vt illius conſeruatio fiat: & Ciuis bonus exponit ſe periculo mortis pro conſeruatione Reipublicæ, ergo manus plus inclinatur ad amandum caput, ſeu vitam totam: & Ciuis magis inclinatur ad conſeruandam Rempublicam. Sed

11. *Inſtat contra* Scotus *in 3 diſtinctione 23 quæſtione 1* dicens, quòd nō ipſa manus ſeipſam exponit, ſed à toto corpore exponitur. *Reſpondeo* ſiue ipſa manus ſeipſam exponat pro conſeruatione capitis, ſiue à toto corpore exponatur, ſufficit ad noſtrum propoſitum, quòd naturaliter exponitur; & ex hoc apertè colligitur, inclinationem naturalem magis eſſe ad totum quàm ad partē. *Probant* hoc ipſum Dictum & aliæ rationes, nam inter omnia diligibilia, quæ à Creatura rationali diliguntur, vnus Deus eſt maximè diligibilis; quia eſt maximè bonus, maximè honeſt⁹, immò eſt ipſa bonitas & ipſa honeſtas. *Tum* amor ſui, ſi amori Diuino præfertur, eſſet amor peruerſus, & rationi contrarius ſicut enim

Inſtantia Scoti.

Solutio ei⁹

Amor ſui dum amori diuino præfertur eſt peruerſus & rationi cōtrarius

cut enim charitas inclinat ad primariò diligendum Deum, & ſuper omnia, ita & natura, quæ eſt à Deo benè ordinata, inclinat ex natura ſua ad amandum Deũ ſuper omnia, tanquam finem vltimum.

DISPVTATIO XII.

De Productione Angelorum in Esse Naturæ.

1. Circa productionem Angelorum in Esse naturæ tria attingemus. *primò* quænã ſit cauſa eorũ? *ſecundò* in qua menſura producti? *tertiò* in quo loco?

Qvantvm ad primum Dico. *Fides eſt vniuerſalis Eccleſiæ Angelos eſſe productos à Deo.* Probatvr Pſal. 148. *laudate eum omnes Angeli* & ſtatim ſub iicitur. *quia ipſe dixit & facta ſunt.* Hortatur Angelos ad laudandum Deum pro mirabili creatione, quæ Dicto perfecta eſt. ergo creatio ad Angelos ſpectat, quæ quidem eſt Dei propria. & Pſal. 113, dicitur: *qui facit Angelos ſuos Spiritus.* verbum *facit* creationem explicat. ergo à Deo creati. Et Daniel 3. dicitur. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* poſtea ad benedicendum Deum inuitat Angelos, tãquam opus Dei præſtantiſſimũ: *Benedicite Angeli Domini Dominum.* & Concil Nicænum confitetur. *Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem omnium viſibilium, & inuiſibilium creatorem.* Concil. quoque Lateran. *cap. Firmiter de Sancta Trinitate* dicit, Deum de nihilo vtramque creaturã condidiſſe, Spiritualem & corporalem. Et *ratio eſt.* D. Th. omne illud, quod habet Esse participatum, productum eſt ab eo, quod habet *eſſe* per Eſſentiam. ſed ſolus Deus habet *Eſſe* per Eſſentiam: cætera verò omnia creata, habent *eſſe* per participationem. inquantum à Deo ſunt producta. ergo & Angeli cum habeãt *eſſe* participatũ, ſunt à Deo producti.

Angeli ſunt producti à Deo.

Solus Deus habet *eſſe* per ſuã Eſſentiam cætera omnia per participationem.

Ex quo *Collige.* Meritò damnari ab Eccleſia eos, qui negant Angelos à Deo eſſe productos, vt Hermanũ tum & Simonem Magum, qui Angelos dicebat eſſe productos à quibusdam ſenſibus de cælo productis iſte enim Magus (vt Valentia teſtatur) dicebat ſe Angelos produxiſſe ex quadam muliercula. quod Dictũ eſt cuiusdam inſignis impudicitiæ, & amentiæ. Tum Algezelum, qui à primo Angelo ſecundum Angelum eſſe productum, & à ſecundo tertium; & ſic conſequenter cæteros eſſe procreatos affirmabat.

2. *Dices* eſſe conſentaneum, vt ſic Angeli producerentur; ſiquidem primus homo eſt productus à Deo, à quò cæteri ſunt propagati ergo ſimiliter potuit Deus primum Angelum producere, cum facultate alterius producendi. *Reſpondeo* negando ſequelam. nam de productione generis humani à primo homine ex preſſè.

preſſè habetur in Scriptura: cùm dicitur: *Maſculum & Fœminam produxit Deus.*: his quoque dictum: *Creſcite & multiplicamini.* De Angelis nihil tale in Scriptura inuenies: tũ inter eos nulla eſt ſexus diſtinctio; quia ſunt ſine corpore.

2. *Dices rurſum* Moyſes in deſcriptione creationis non eſt memor Angelorum. *Reſpondeo* non eſſe memorem expreſſè concedo: ſed implicitè nego. nam ſub nomine cæli implicitè productionem Angelorum ſignificauit. (vt dicemus inferiùs.)

3. QVANTVM ad alterum. ſ. quoad menſuram, in quanam Angeli ſunt creati?

Angeli ab æterno non ſunt producti.

Dico primò. *Angeli ab æterno non ſunt producti.* PROBATVR verbis D. Th. *ſolus enim Pater, Filius, & Spiritus S. ab æterno eſt.* & Prouerb. 8. in Perſona ſapientiæ genitæ dicitur. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret.* ſed Angeli ſũt facti a Deo: ergo Angeli aliquando non fuerunt: ergo non ſunt ab æterno. Hoc ipſum Catholica fides indubitanter tenet, & omne contrarium tanquam Hæreticum reiicit.

Angeli in tẽpore ſunt producti.

4. Dico ſecundò *Angeli in tempore ſunt producti* ſed hic rurſum dubiũ eſt: quidam enim; (vt Græci Patres) tenent Angelos ante mundum corporeum eſſe productos: ita D. Baſil. *Homil. 1. & 2 in Examero.* Origenes *Homil. 4. in Iſaiam*, Greg. Nazian. *Sermone de Natali Domini.* & alii. tum D. Ambr *lib. 1. Hexameron. cap. 5.* D Hilarius *lib. 2. de Trinit* Hieron in *cap. 1. Epiſt. ad Titum.* Quidam etiã docent, quòd Angeli poſt mundum corporeum ſunt producti, & tribuitur Genedio & Achatio. Sed probabilius eſt vt dicamus, Angelos ſimul cum mundo corporeo fuiſſe productos. ita docet D. Aug. *lib. 10. de Ciuit. cap. 9. & 32.* D. Greg. *lib. 32. Moralium* Theodoretus *q. 3. in Geneſim.* & alii plurimi. *Probatur* verbis Geneſ. *In principio Deus creauit cælum & terram.* ſed ſi Deus aliquid ante creaſſet. non eſſet hoc verum. ergo ante corpoream creaturam, nõ ſũt creati Angeli. D. Aug. *lib. 1. de Geneſi ad literam. cap 1.* dicit. per cælum figuratè ſignificatos fuiſſe Angelos. & D. Th. quæſt. 61. art. 1. ad 3. hũc locum cum D. Aug. *lib. 11. de Ciuitate cap. 23.* interpretatur: quòd Angeli non ſunt prætermiſſi in illa prima creatione, ſed ſignificati nomine *cæli.* aut *lucis*: ideo autem nominibus rerum corporalium ſunt ſignificati; quia Moyſes rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam. Etſi expreſsè fuiſſet locutus eſſe aliquas ſubſtantias ſpirituales ſupra corporeas dediſſet eis occaſionem Idololatriæ ad quam proni erant. *Confirmatur* hoc ipſum ex 10. Eccleſiaſt. *qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* vnde.

Angeli ſimul cum mundo corporeo ſunt producti, nõ ante mũdum neque poſt mundum vt quidam voluerunt.

Quare Angeli ſub nomine *cæli* ſunt ſignificati.

Peccatum & eiꝰ vltio quo tempore cœpit?

Collige Inter creationem Angeli, & illius peccatum, breuiſſimum tẽpus interceſſiſſe, (vt inferiùs patebit) & peccatum ſtatim ſubſecuta eſt vltio; ſed quando Angeli puniti ſunt, iam cælum fuit creatum. Luc. enim 10. dicitur: *videbant Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Proinde Angeli cum cælo ſimul cœperunt. *Similiter* lapſis Angelis ignis inferni eſt deſtinatus in pœnam, Matt. 25. *Ite maledicti in ignem qui paratus eſt Diabolo.* ſed Diabolus ab initio ſuæ creationis peccauit. ergo ſimul fuit cum rebus corporeis. Sed.

5. *Quæres* An hæc ſententia, quæ tenet, quòd Angeli ſimul cum mũdo viſibili ſint creati, ſit ita certa, vt aliæ ſint erroneæ? *Reſpondeo* quòd Sententia, quæ docet Angelos priùs ante mundum viſibilem fuiſſe creatos, non eſt quidem error in fide, nihilominus eſſet periculoſa & temeraria; cùm præſertim ſit definita à Concilio. Lateran. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter. de Summa Trinitate.* vbi dicitur: *Deum ab initio ſimul vtramque creaturam de nihilo condidiſſe Spiritualem & corporalem.*

Opinio quæ tenet Angelos ante mundum fuiſſe creatos non eſt error in fide

6. QVANTVM ad tertium de loco, Dico. Communem eſſe Sententiam quòd *Angeli in cælo Empyreo ſunt creati.* ita docet Strabo in *cap. 1. Geneſis.* Beda *Homil. 2. Hexameron.* vt refert. D. Th. hic *quæſt. 66. art. 3.* qui dicunt, quòd cælum poſtquam eſt factum. ſtatim Angelis eſt repletum. *Et ratio eſt.* D. Th. Totum hoc vniuerſũ conſtituitur ex creaturis corporalibus, & Spiritualibus: & Spirituales creaturæ habent ordinem ad creaturas corporales, ſunt enim præſidentes toti naturæ corporeæ, vnde conueniens fuit, vt in ſupremo v. in Empyreo cælo crearentur.

Angeli in Empyreo cælo ſunt creati.

7. *Nota* quod D. Th. in *Reſponſione ad 2.* dicit, quòd ſuperiores Angeli habentes eleuatam virtutem, & vniuerſalem ſuper omnia corporea, ſũt in ſupremo creaturæ corporeæ creati: alii verò habentes particulares virtutes ſunt creati in inferioribus corporibus. Bannesius cum Cumelio dicunt, probabiliùs poſſe dici, non omnes Angelos fuiſſe creatos in cælo Empyreo. nam illi Angeli qui ad mouendos cælos ſunt deputati, creati ſunt cum illo orbe, quem mouent: qui verò ſunt deputati ad regimen naturæ elementaris, ſunt producti intra ipſam naturam elementarem. qui deinde aſſiſtunt Maieſtati Diuinæ, & quorum eſt infinita multitudo, in cælo Empyreo ſunt producti. Molina hic dicit, omnes in cælo Empyreo eſſe creatos. & poſt acquiſitam beatitudinem deſcendiſſe ad cælos mouendos, & ad gubernandam regionem inferiorem ſed hoc parum conuenienter dicitur. nam ſecundùm ſcripturam iam allegatam, & ſecundũ D. Aug. quem ſequitur D. Th. omnia in inſtanti ſunt producta. aliàs enim cæleſtia corpora, ſine motu fuiſſent & tunc moueri cœpiſſe, cum Angeli acceſſerunt, quod falſum; quia vnaquæque res cum ſua perfectione producta eſt: vt ſol productus, ſtatim illuminabat: ita & cæli producti, ſtatim moueri cœperunt.

Opiniones variæ circa locum Creationis Angelorum.

DISPVTATIO XIII.

De Productione Angelorum in Esse gratiæ & gloriæ?

De hac productione loquitur D. Th. in nouem Articulis; nos Sermonem noſtrum ad tria Quæſita reuocamus:

1. Quo-

1. *Quonam modo Angeli adepti ſunt gratiam & gloriam?*
2. *An ſecundum Quantitatem naturalium ſint conſecuti eam?*
3. *De ſtatu beatitudinis.*

QVÆSITVM I.
Quonam modo Angeli adepti ſunt gratiam & gloriam?

1. IN hoc Quæſito, in quo inquirimus de modo, quo Angeli adepti ſunt gratiam & gloriam, quinque articulos priores D. Th. includemus: atq; in primis. *Suppono* primò cum D. Th. nomine *Beatitudinis* intelligenda eſt vltima perfectio creaturæ rationalis, cuius inſitum eſt illi naturale deſiderium. vnumquodque enim naturaliter ſuam perfectionẽ deſiderat.

Beatitudo quid denotet?

Suppono ſecundo: hæc perfectio ſeu Beatitudo creaturæ rationalis, duplex eſt: *quædam eſt ſupernaturalis*: & hanc D. Th. abſolutè Beatitudinem appellat: *quædam eſt naturalis*, quam dicit quodammodo eſſe Beatitudinem. His ſuppoſitis.

Beatitudo ſeu perfectio eſt duplex.

2. Dico primò. *Angeli conſiderati ſecundùm ſua naturalia, habuerunt beatitudinem naturalem.* PROBATVR natura Angelica, conſiſtit in intellectu & in volũtate. ſed & in intellectu & in volũtate habuit Angelus perfectionem. ergo habuit & beatitudinem naturalem. *Minor.* Angelus principaliter in ſpeculatiua cognitione intelligebat Deum, naturæ ſuæ authorem: ſecundariò in ſui cognitione verſabatur; demum cæterarũ creaturarum naturas intelligebat, quæ ad ordinem vniuerſi pertinent. idem Angelꝰ habuit perfectionem in ſua voluntate. nam habuit moralem rectitudinem voluntatis & dilectionis: & in quadam fruitione boni ſpeculatiui, & ſimul practici erat cum actus perpetuitate & ſine amiſſibilitate ſemel habitæ perfectionis. ergo Angelus, quoad intellectum, & quoad voluntatem habuit ſuam perfectionem.

Angeli, conſiderati ſecũdum ſua naturalia habuerunt beatitudinem naturalem.

3. *Nota 1.* quando dicimus, quòd hæc naturalis beatitudo ſit inamiſſibilis, hic iam Beatitudo dupliciter conſiderari debet: *primò* ſecundùm ſeipſam præcisè, prout eſt vltima perfectio intellectualis creaturæ, & inquantùm non ordinatur ad aliam Beatitudinem, quæ ſit ſuperioris ordinis; & ſic amitti non poteſt: *ſecundò* ſumitur, vt eſt ordinata ad ſupernaturalem; vnde de facto hæc ordinatio ab initio creationis facta eſt, & ſic iam amitti poteſt, & Angeli peccatores de facto eam amiſerunt, per quandam concomitantiam, v. cùm amiſerunt beatitudinem ſupernaturalem, etiam hanc naturalem amiſerunt. nam hâc amiſſa ſtatim Angelus factus eſt miſer. ſed repugnat eundem eſſe miſerum & beatum. Quocirca

Beatitudo dupliciter conſiderari poteſt.

Dæmones tam ſupernaturalem quàm naturalem amiſerunt beatitudinem.

4. *Nota.* In Angelis malis poſt peccatum

catum manſiſſe naturalia, ſed quæ ad illorum naturæ conſtitutionem ſpectant, v. manſit intellectus, voluntas, habitus naturales, operationes circa obiecta naturalia: alia autem bona particularia ad mores pertinentia, quæ ſunt practica, vt rectus amor cum morali rectitudine circa eligenda media conueniẽtia ad finem, iam poſt peccatum nõ permanſerunt; ſiquidem moralem rectitudinem per peccatum ſimul cum rectitudine ſupernaturali amiſerunt; proinde hinc

Collige, quòd in Angelis præuaricatoribus, non eſt naturalis Beatitudo, quia hæc exigit moralem rectitudinem voluntatis, quæ in malis Angelis non eſt.

Angeli in principio ſuæ creationis beatitudinem ſup. naturalem habuerunt.

5. Dico ſecũdò *Angeli in principio ſuæ creationis Beatitudinẽ ſupernaturalem non habuerunt.* quod hinc intelliges, tria ſunt, quæ in Angelis aſſignantur: *Principium*, hoc eſt primum inſtans. *Medium*, hoc eſt ſecundum inſtans. *finis*, hoc eſt tertium, per *principium* intellige illam moram breuiſſimam temporis, in qua Angeli ſunt creati; & in hoc inſtanti creationis illorum, ſi ſpectemus omnipotentiam Diuinã, & capacitatem naturæ Angelicæ, Dico quòd poterant Angeli ad Diuinam Viſionem eleuari, hoc tamen non eſt factum, quia nihil tale in Scriptura inuenimus: nec eſt rationi conſonum. nam viſio eſt terminus propoſitus rationali creaturæ at terminus non poteſt præcedere viam, ſed illi debet ſuccedere ergo in primo inſtanti non viderũt Angeli Deum: in medio verò, ſeu in ſecundo inſtanti, conuerſi ſunt Angeli ad operandum per voluntatem, ſtatimq; diuiſi ob diuerſitatem obiectorum, ad quæ ſe applicuerunt, & propterea ob diuerſitatem meritorum diuerſus exitus ſubſecutus eſt, ita exigente Diuina iuſtitia. ergo neq; in hoc inſtanti, quod fuit meriti Angelici viderunt Angeli Deum.

Finis, verò fuit gloria æterna, quã boni receperunt: & ignis gehennæ, quem mali hæreditarunt; ſed non in primo inſtanti, de quo Dictum noſtrum loquitur. ſi enim Angeli etiam mali vidiſſent Eſſentiam Diuinam, in tantum peccatum non incidiſſent. nam viſio Dei habet quandam vim præſeruandi à peccato, vt fatetur Iacob Patriarcha cùm dicit: *vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* hæc talis viſio, ſi Angelis contigiſſet, profectò ſalui facti fuiſſent. & D. Aug. lib. 11. de Ciuit. c. 13. dicit: *Angelus deſertor nunquam guſtauit dulcedinem vitæ beatæ, ſi enim guſtaſſet, nihil vltra appetiuiſſet. nam talis viſio habet vim ſatiandi appetitum.* quapropter nec permanẽter viderunt eſſentiam Diuinam. *Ratio prima.* quia de ratione talis viſionis eſt, vt amitti non poſſit. atqui hanc malus Angelus amiſit. ergo hanc non guſtauit. *Ratio ſecunda.* talis viſio rectificat voluntatem, & facit impotentem ad peccandum: iam autem (vt ſæpiùs diximus) peccarunt Angeli.

Viſio Dei, habet quandã vim præſeruandi à peccato.

6. *Dices* Saltem omnes Angeli in tranſitu, ſeu trãſeuntes: (ſicut S. Paulus,) viderunt Eſſentiam Diuinam in primo v. inſtanti: in ſecundò verò, iam hac viſione non fruebantur, & ſic potuerunt peccare. *Reſpondeo* neque in tranſitu viderunt Deum: nõ quòd hoc non poſſet Deus facere (vt infra docet D. Th. *q. 94. art. 1.*) ſed quia

Angeli mali, neque etiam intrãſitu viderũt Deum.

ſed quia de facto hoc non euenit. omnino enim otioſum eſt, nec vllus effectus ſubſecutus fuiſſet, ſiquidē multi Angeli peccauerunt; *tum* quia habet quandam indecentiam, quòd mali viderint Eſſentiam Diuinam.

Angeli in primo inſtāti ſuæ creationis ſolū erant beati beatitudine naturali

7. Dico tertiò, *Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis non erant Beati, niſi beatitudine naturali*; ſiquidem omnia receperunt, quæ ad ſtatus illius perfectionē pertinebant. ſed quia præter hanc beatitudinem reſtabat, alia ſupernaturalis v. Viſio Dei clara, ad quam conſequendam Angeli ſunt creati, atq; etiam ordinati, & eandem non poterant aſſequi viribus ſuæ naturæ. ergo ad hoc indigebant gratia. *Deducitur* ex D. Aug. *lib. 12 de Ciuit. c. 9.* vbi dicit: *impium eſt dicere, quòd Angeli propriâ voluntate ſe fecerint meliores, & quòd ſine auxilio gratiæ ſe dignos beatitudine effecerint. Præterea* Angelus pro dono glorificationis non teneretur ad gratiarum actionem, ſed ſolùm pro beneficio creationis indiguit igitur Angelus gratia, per quam illius intellectus & voluntas eleuaretur, vt promereri poſſet ſupernaturalem beatitudinē, cuius gratiæ effectus in voluntate Angelica, fuit dilectio Dei ſupernaturalis ſuper omnia, quæ efficiebat, vt in Deum perfectiſſimè conuerteretur. De hac dilectione

Effectus gratiæ Dei in Angelo eſt Dilectio Dei.

Dilectio Dei Angelis quomodo ſit neceſſaria?

8. *Nota 1.* quòd hæc non fuit neceſſaria neceſſitate quoad exercitiū hoc eſt, quia liberè Angeli elicuerūt actum dilectionis Dei: fuit tamen neceſſaria quoad ſpecificationem. nam in primo inſtanti fuit voluntas omnium Angelorum determinata ad bonum, ita, quòd non poterat, niſi velle & amare bonum, aut ſub ratione veri boni, aut etiam ſub ratione falſi.

In primo inſtanti voluntas Angelorum fuit ad bonum determinata.

Nota 2. per hunc actum dilectionis Angeli, in primo inſtanti diſpoſuerunt ſe ad gratiam recipiendam. quia iuſtificatio in Angelo debuit eſſe perfecto modo; ſed hic talis eſt quando recipiens gratiam præparat ſe & diſponit ad illam; *tum* quia perfectius eſt habere aliquid cum aliqua cooperatione, & diſpoſitione ſui, quàm haberè merè & ſimpliciter ab extrinſeco. labore enim parta ſunt gratiora. *Demum* conſenſus debet præcedere receptionem gratiæ, & hic ita eſt neceſſarius, vt nullus habens libertatem poſſit recipere gratiam, niſi ipſo conſentiēte & ſe diſponente; iuxta illud Prophetæ: *conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

Conſenſus debet præcedere receptionem gratiæ.

9. Dico quartò cum S. Doctore: *Omnes Angeli ſtatim in principio ſuæ creationis receperunt gratiam.* hoc Dictum eſt contra Alex Alen. *in 2. p. q. 19. mēb. 2.* Marſil. *in 2 q 3 a 1.* Rich. D. Bon. *in 2. diſt. 4.* qui omnes aſſerunt Angelos in puris naturalibus fuiſſe creatos: dicitq; D. Th. *in 2. diſt. 4. q. 1 a. 3.* hanc ſententiam fuiſſe inter Theologos celebrem, Magiſtri etiā Sent. qui *in 2 diſt. 4 & 5.* prorſus negat, quòd in gratia fuerint creati de malis verò dicit, quòd nunquam gratiam & charitatem receperunt. Scotus in *4. diſt. 5.* dubitat an acceperint? hanc tamen probabiliorem eſſe iudicat, quòd Angeli ſtatim receperint gratiam, ſaltem in ſecundo inſtanti ante caſum.

Omnes Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis, acceperunt gratiam.

10. PROBATVR Dictum ex illo Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, perfectus decore. in delicijs paradyſi fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Hunc locum plurimi interpretantur ad literam, non ſolùm

ſolùm de Rege Thyri, ſed etiam de Lucifero; dicuntque in rebus metaphoricis deſcribi omnem ornatũ gratiæ virtutum, quibus Angelus à principio ornatus fuit. in his etiam verbis dicitur de Diabolo, quòd fuerit plenus ſapientia ſed vera ſapiẽtia ſine gratia & charitate non datur. ergo Diabolus ante lapſum cum ſapientia habuit gratiam. & Ioan. 8. de Diabolo Chriſtus Dominus loquitur: *In veritate enim ſtetit*, ergo aliquando in veritate etiam ſteterat. ſed eſſe in veritate, eſt eſſe in gratia. ergo gratiam habuit. D. Aug. explicans hunc locum *lib. 11. de Ciuit. c. 9.* dicit, quòd aliquando habuit iuſtitiam & ſanctitatem, in qua non durauit. *Et Ratio eſt prima.* Angeli boni in ſtatu viæ exiſtentes, meruerũt vitam æternam (vt patebit) ſed meritum vitæ æternæ fundatur in gratia & charitate. ergo acceperũt gratiam.

Diabolus etiã in principio ſuæ creationis habuit gratiam.

Meritum vitæ æternæ, fundatur in gratia & charitate.

11. *Ratio ſecunda.* Angeli ante peccatum ſufficienter ſunt ordinati ad obtinendam beatitudinem ſupernaturalem, vt eandem ſuis meritis promererentur. ſed ad hoc requiritur gratia. ergo eandem acceperunt.

Ratio tertia. Primus homo, antequam laberetur in peccatum, accepit iuſtitiam, & gratiam originalem, vt poſſet opera ſupernaturalia exercere. ergo conſentaneum eſt, ne Angeli ſit conditio deterior, quòd etiã gratiam acceperit.

Adam data fuit iuſtitia & gratia ad exercenda opera.

Dices. Deus & natura nihil faciunt fruſtra ſed ſi Angelis malis collata fuiſſet gratia, hoc fuiſſet fruſtra; quia eandem ſtatim amiſerunt. ergo nõ eſt illis collata *Reſpõdeo* hãc collationem gratiæ, etiam Angelis malis non eſſe fruſtra, ſed ad oſtendendam bonitatem Diuinam, quæ ſicut facit oriri ſolem ſuum ſupra bonos & malos: ita quoq; lumen ſplendidum ſuæ gratiæ voluit reſplendere ſuper bonos & malos. *tũ* vt declararet ſe nunquam defuiſſe in opportunitatibus. *deniq;* vt illius iuſtitiæ ſeueritas iuſtior appareret; quia tot dona gratiarũ collata mali ſunt aſpernati.

Deus ſuam bonitatem oſtendit tã boni quàm malis.

12. Dico quintò. *Cum hac gratia, quam Angeli acceperunt in primo inſtanti creationis, etiam cognitionem Dei ſupernaturalem acceperunt.* PROBATVR I. ex illo Ezech *plenus ſapientia.* ſed primaria cognitio eſt noſſe Deum: plenaria verò noſſe non tantùm vt conditorem naturæ, ſed etiam authorem gratiæ. ergo in illis fuit cognitio ſupernaturalis *Probatur ſecundò.* Ex concilijs clarum eſt, quæ definiunt, quòd homo ſine cognitione Dei ſupernaturali inſtificari non poteſt: & videntur etiã de Angelis loqui ex paritate rationis, ſiquidem etiam Angelorum beatitudo, ſicut & hominum conſiſtit in viſione Dei ſupernaturali. nam ad hanc conditi & ordinati ſunt. ergo hæc cognitio neceſſaria fuit Angelis.

Angeli vnà cum gratia acceperunt cognitionẽ Dei ſupernaturalem.

Beatitudo Angelorum & hominũ conſiſtit in viſione Dei

Probatur 3. Si Angeli, vti quidem certum eſt, ordinati ſunt ad finem ſupernaturalem. ergo neceſſariò ordinati per media ſupernaturalia; & inter hæc eſt cognitio Dei ſupernaturalis. ergo hæc fuit in Angelis.

13. Dico ſextò. *Hæc cognitio ſupernaturalis fuit in Angelis vera fides.* PROBATVR ad Hebr. 11 *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* loquitur D. Apoſtolus abſolutè, ſine vlla limitatione. ſed Angeli placuerunt Deo, in quantùm merebantur, ergo in eis fuit fides. *Et ratio eſt.* Illa cognitio Dei

Cognitio ſupernaturalis in Angelis fuit vera fides.

Dei ſupnaturalis, aut fuit clara? aut obſcura? ſi clara? ergo per eam Angeli iam fuiſſent beati, & ſic iam nō potuiſſent peccare, ſicut de facto peccauerunt. ſi autem fuit obſcura? ergo hæc erit fides.

Ratio ſecunda. Angeli erant viatores ergo habuerūt fidē p fidē enim ambulamus, ex, Corynth 13.

Ratio tertia. Viſio Diuiniſſimæ Trinitatis, in qua eſt noſtra & Angelorum beatitudo, eſt ſupernaturalis. ergo conueniens erat, vt creatura rationalis in via exſiſtens, non perueniret ad eam, niſi per modum addiſcētis, hoc eſt priùs credendo, deinde per meritum fidei ad eum perueniendo.

Fides quomodo ſe habeat in Angelo?

14. *Quæres* Hæc Fides, quomodo ſe habuit in Angelo? *Reſpondeo* in primo inſtanti facta eſt reuelatio Angelis Myſteriorum Diuinorum: hoc eſt Sanctiſſimæ Trinitatis, æternæ beatitudinis: &c. demū in Angelis ſubſecuta eſt apprehenſio: poſt illā ſecutum eſt iudicium de credibilitate obiecti: tandem ex hoc proceſſit iudicium practicum videlicet ſecūdum rectam rationem, hoc eſſe credendum: & ex hoc, orta eſt voluntas credendi: ad extremum firmus aſſenſus; & hæc omnia in Angelis in inſtanti, ſine vlla ſucceſſione euenerunt.

In primo inſtanti creationis ſuæ, Angeli acceperunt gratiam mediā te diſpoſitione.

15. Dico ſeptimo. *In hoc primo inſtanti creationis ſuæ Angeli acceperunt gratiam mediante propriâ diſpoſitione.* per hāc verò Diſpoſitionē, non intelligimus aliquam naturalem operationem, quæ præcedat gratiam. nam diſpoſitio, & forma ad quam fit diſpoſitio, ſunt eiuſdem ordinis ſed operatio naturalis non eſt eiuſdem ordinis cum gratia; ſiquidem hæc eſt ſupernaturalis: illa verò naturalis.

Inſtabis cum Magiſtro Sent. in *2. diſt, 5.* q bonorū libero arbitrio attribuit gratiā: dicit enim, quòd boni Angeli benè vtētes naturalib⁹ donis, gratiā & charitatem acceperunt, vt in ea conſūmarētur: Dæmones verò per peccatum impedimentum præſtiterunt. — Inſtantia 1.

Reſpondeo hoc à veritate eſſe alienum, nam ex Natura de Gratia notum eſt, vti determinauim⁹, quòd actus ſupernaturales, qui dicuntur in genere cauſæ materialis diſponere ad gratiam, non ſunt diſpoſitiones ad gratiam; prout ſunt à nobis, ſed prout ſunt ab ipſo Deo, & inquantum ab eo ad gratiā ordinātur. — Solutio illius.

16. *Inſtabis 2.* cum Capreolo. qui *in 2. diſt, 4. quæſt. 1. ad 1.* dicit, gratiam Angelis eſſe collatam ſine vlla media diſpoſitione. nam operatio, quā Angelus habuit in primo inſtanti ſuæ creationis, fuit purè naturalis. ergo non erat diſpoſitio ad gratiam *Antecedens.* Natura præſupponitur ad gratiā & naturalis operatio, præſupponitur ad omnem operationem ſupernaturalem; atque ſic illa operatio prima fuit purè naturalis, per quā nō potuit mereri gratiā. — Inſtantia 2.

Reſpondeo quòd operatio naturalis, præſupponitur prioritate naturæ ad operationem ſupernaturalem; atque ſic in illo inſtanti habuit Angelus duas operationes, naturalem & ſupernaturalem; & ſupernaturalis fuit diſpoſitio ad gratiam — Solutio ei⁹

17. *Inſtabis 2.* In vno inſtanti Angelico non compatiuntur ſe duæ operationes; quia vnum inſtans Angeli, eſt vna eius operatio, — Inſtantia 3.

Reſpondeo, quādo dicūt Theologi quòd vnū inſtans Angeli, eſt vna eius operatio, per — Solutio eiuſdem.

tio, per *vnam operationem* intelligunt omnes illas operationes, quæ quamuis formaliter ſint diuerſæ: habent tamen quãdam inter ſe ſubordinationem, propter quam poſſunt eſſe ſimul; proinde fatendum eſt Angelos in primo inſtanti ſuæ creationis ſimul habuiſſe duas operationes tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis: vnam quidem purè naturalem, quæ fuit cognitio ſuiipſius, & Dei vt eſt author naturæ; & hinc profluxit amor Dei, & ſui: alteram verò habuit ſupernaturalē quæ erat cognitio Dei, vt eſt author gratiæ habita per fidem; & ex hac emanauit amor Dei, ſupernaturalis elicitus à charitate; atque ſic Angelus in primo inſtanti per ſupernaturalem operationem diſpoſuit ſe ad gratiam.

Angelus habuit duas operationes ſ naturalem & ſupernaturalem.

Obiectio.

18. *Obiicies* Si gratiam Angelus obtinuit mediante propria diſpoſitione ſequitur, quòd gratia non fuit principium primæ operationis ſupernaturalis, ſed potiùs terminus eius. hoc apertè eſt contra D. Th. qui *hîc art. 3. ad 3.* dicit, quòd gratia non habet ſe vt finis operationis, ſed vt principium benè operandi. *Reſpondeo* negando ſequelam. nam etiam ex Phyſicis notum eſt, quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ; proinde non eſt incõueniens, quòd diſpoſitio in Angelis ſit effectus gratiæ, in genere cauſæ efficientis; atque ſic erit poſterior: ſed in genere cauſæ materialis, diſpoſitio erit cauſa gratiæ. illamque præcedet.

Solutio.

19. Dico octauò. Cùm ſit notũ Angelum indiguiſſe gratiâ & eandē media diſpoſitione accepiſſe: *hæc eadem gratia non potuit eſſe ſuperflua. nec otioſa: nam fuit propter meritum conceſſa Angelis, per quam meruerit gloriam æternam, ſeu Beatitudinem.* PROBAT D. Th. Beatitudo, non conuenit Angelis per naturam; quia ſoli Deo eſt naturalis. ergo Angelus adeptus eſt beatitudinem. ergo per operationem. ergo ex vi naturæ procedentem. ſed hoc non; quia finis eſt ſupernaturalis (vt iam dictum) ergo aut per operationem factam in gratia? & ſic habemus intentum. aut per operationem in beatitudine exercitam? & hæc eſt ſententia Magiſtri *in 2. diſt. 5.* vbi dicit, quòd meritum in Angelis non anteceſſit illorum beatitudinem, ſed priùs receperunt eã, quàm meruerunt: aut ſi hanc meruerũt, hoc meritũ fuit poſt acquiſitam beatitudinem, dum v. obeunt miniſteria circa hominum curam, & illorum ſalutē: aut dum alia obſequia præſtant ex ordinatione Diuina: quemadmodum ſi Rex donaret militi equum, quem poſtea promeretur per actus fortitudinis dimicando cum hoſte: aut ſi Mercenarius accipiat mercedem, quam poſtea meretur. ſed hæc ſententia Magiſtri non tenetur; quia multa ſecum abſurda trahit & Probatur.

Gratia Angelis eſt cõceſſa ad promerendam beatitudinem.

Opinio Magiſtri ſententiarum.

Refutatio illius.

20 *Ratio prima.* ſi enim merita ſubſequentia merentur beatitudinem, iam collatam. Ergo etiam nos homines meremur gratiam per illos actus, quos in gratia facimus; atque ſic prima gratia cadet ſub meritum

Ratio ſecunda. Deus, aut contulit Angelis ſimpliciter beatitudinem, nihil ab eis requirendo, quod meriti rationem habeat, aut non? ſi non contulit? ergo non tenetur ad meritum: ſi verò contulit cum conditione? ergo non erunt ſimpliciter beati, nam ob non adimpletam conditionem

Beatitudo ſemel obtenta non amittitur. ditionem poteſt ab eis auferri Beatitudo; quòd eſt contra illius ſtatũ. ſemel enim obtenta, iam non amittitur,

Mereri quid ſit? *Ratio tertia*. Mereri nihil aliud eſt, quàm per meritum tendere ad præmium. ſed Angeli iam habent præmium; quia habent beatitudinem. Ergo non habent quò tendant.

Simile Magiſtri etiam refutatur. AD ſimile à Magiſtro adductum dico, quòd hoc in humanis rebus locum habet, in æterna autem beatitudine nequaquã. *Et ratio eſt.* quia merces anticipata, non mutat ſtatum operandi, nam poſt acceptum equum, & poſt acceptam mercedẽ vterque obligantur ad operandum. ſed Beatitudo cæleſtis ſemel obtenta iam mutat ſtatum; quia ampliùs Angelus non eſt viator, cui proprium eſt mereri. vnde in Beatitudine non eſt locus merito Durandus reſpondet, quòd obſequia ſubſequẽtia donationem equi non habent rationem meriti, ſed gratiarum actionis.

Meritum & Beatitudo in eodẽ inſtanti non poſſunt eſſe 21. *Nota 1.* fuiſſe Sententiã Marſilii D Bonau. *in 2. diſt. 5.* D. Th. *quodl. 9 art. 5.* Ægid Rom *in 2. diſt 5.* quòd Angeli ſimul in eodem inſtanti, & meruerunt, & beati fuerunt: ita tamen, quòd meritum prioritate naturæ præceſſit beatitudinem; ſed in q. 62. a. 4. expreſsè Diuus Thomas docet, quòd neque præmium anteceſſerit meritum, & quòd in eodem inſtanti non fuerit ſimul meritum & præmium. impoſſibile enim eſt aliquid in eodem inſtanti ſimul moueri & quieſcere. ergo etiã impoſſibile eſt in eodem inſtanti vt ſit meritum & beatitudo. *Conſequentia* meritum enim habet rationem motus; beatitudo verò habet rationem quietis *Tum* repugnat, vt quis circa idem obiectum ſimul in eodẽ inſtanti, habeat actum fidei, qui eſt cum obſcuritate: & actum beatitudinis, qui eſt cum claritate: ergo repugnat ſimul eſſe meritum, quod eſt ex fide cum tenebroſa obſcuritate: & ſimul eſſe gloriam, quæ habet claram viſionem. *Actus fidei eſt cum obſcuritate, Beatitudinis cum claritate.*

Nota 2. Non negamus nos, quòd idem inſtans poſſit eſſe terminatiuũ motus & meriti, & initiatiuum quietis ſeu beatitudinis: ſed quòd totalis & perfecta menſura ſit idem inſtans meriti & beatitudinis, hoc proſus negamus.

Angeli cum in Deum ardenter ſunt cõuerſi, beatitudinem meruerunt. 22. Dico nono. quoad Conſecutionem beatitudinis, quòd *Angeli poſt primum actum charitatis, quo in Deum ardenter ſunt conuerſi, ſtatim Beatitudinem meruerunt.* PROBATVR *ratione* D. Th ſicut Angelus ex natura ſua habet ordinem ad perfectionem naturalem: ita etiam ex merito, & ex vi meriti, habet ordinem ad beatitudinem. ſed natura Angeli hoc habet proprium, quòd ſine diſcurſu habet ſuam perfectionem; quia habet eam p ſuam naturam; ergo etiã Angelus ſtatim poſt meritum, ſine aliorum multiplicatione, conſequitur beatitudinem. *Confirmatur.* homo, quolibet actu charitate informato, meretur beatitudinem, & cõſequitur, ſi aliunde non ſit impedimentum. Ergo & Angelus per vnũ actum charitatis peruenit ad beatitudinem; ſiquidem in eo nullum fuit impedimentum; proinde reiicieda eſt ſẽtẽtia Nicetæ Commentatoris Greg. Nazianzeni, qui aſſerit, quòd Angeli ante Chriſti Reſurrectionem, non ſint adepti beatitudinem. *Opinio Nicetæ* *Ratio illius.* quia per Chriſtum gra- *Fundamentũ illius.*

ſtum gratia: & ſicut hominibus nõ eſt collata iam conſummata, niſi poſt reſurrectionem: ita neque Angelis. ſed hoc expreſſè eſt contra Chriſti verba. Matth. 8. *Angeli eorũ ſemper vident faciem Patris*, qui Chriſtus ante ſuam mortem & Reſurrectionem loquebatur: ergo iam tum videbant Angeli faciem Patris. Et Tob. 7. Angelus Raphael de ſeipſo loquitur, *ſe ſtare coram Deo*: quod nihil aliud eſt, niſi frui viſione clarâ. ſed hæc ante Chriſti mortem & Reſurrectionem loquebatur. ergo Angeli non exſpectarunt Chriſti Reſurrectionem vt beatificarentur.

Confutatio opinionis.

23. Ad fundamentum dico. Gratiam eſſe quidem per Chriſtũ, ſed eã potuit Deus Angelis cõferre antecedẽter ante mortẽ & Reſurrectionẽ Chriſti, intuitu meritorũ Paſſionis eius; ſiquidẽ Angelis cura ſalutis humanæ cõmittẽda erat. vnde exigebat ratio vt de ſua ſecuri eſſent. *Tum* quia illis debuit innoteſcere tanquã cuſtodib⁹ hominũ, qualis eſſe Diuina diſpoſitio circa homines. ergo p viſionem clarã debebãt admitti ad conſilia Dei cognoſcẽda. Hic offert ſe occaſio determinãdi de Angelorũ via mora & de inſtantibus: ſed hæc commodiùs in ſequenti Diſputatione, cùm agemus de lapſu Angelorum, à nobis explicabuntur.

Confutatio fundamenti.

QVÆSITVM II.
An Angeli ſecundùm Quantitatem naturalium ſint conſecuti gratiam & gloriam?

24. PEr hanc Quantitatem naturalium intellige varios gradus naturæ Angelicæ, ita, quòd quidã ſint altioris & perfectioris; quidam verò inferioris naturæ.

Dico itaque cum S. Doctore: *Angeli, qui erant naturæ perfectiorũ conſecuti ſunt gradum gratiæ & gloriæ perfectiorem*: Hoc Dictum non intelligas in hoc ſenſu, quaſi naturalis perfectio Angeli ſit diſpoſitio ad gratiam; aut quòd naturalis conatus voluntatis Angelicæ præfiniat & præſcribat modum gratiæ & gloriæ; quia in hoc ſenſu eſſet Hæreſis Pelagiana. *Ratio eſt*. Gratia enim eſt forma ſupernaturalis, quæ à Deo hominibus & Angelis, ex gratuita & libera voluntate, ſine vllo intuitu operationum naturalium confertur; & ideo nihil naturale poteſt eſſe diſpoſitio ad gratiam. ſed in hoc ſenſu; quia De⁹ ex ſuo beneplacito largiebatur Angelis gratiam. & voluit illorum naturæ rationem habere, vt Angelis perfectioribus, & naturæ, vberiorem conferret gratiam. voluit enim gratiam accommodare Naturæ. vnde

Angeli qui erant naturæ perfectioris conſecuti ſũt gradum gratiæ & gloriæ pfectiorem.

Gratia Dei quid ſit?

25. *Nota.* quòd maior perfectio naturalis in Angelis habuit ſe occaſionaliter ad maiorem gradum gratiæ, comparando naturam cum

gratia

gratia: ſed ſi fiat recurſus ad Diuinam voluntatem, iam dicendum eſt, quòd Deus voluit creare Angelos maioris & minoris perfectionis naturalis, vt etiam illis diuerſus gradus gratiæ & gloriæ conferret. Deus enim quando intellectualem naturam producebat, non produxit propter ipſam naturam primò & per ſe, ſed propter ſupernaturalem gratiæ & gloriæ perfectionem. vnde hoc totum referendum eſt ad gratuitam voluntatem Dei, tanquam ad radicem primam, & non ad proportionem inter naturalem perfectionem & ſupernaturalem; ſiquidem omnis naturalis perfectio eſt improportionata ad ſupernaturalem Probaturque Dictum. *rationibus.*

Cur Deus creauit maioris & minoris perfectionis Angelos?

25. *Ratio prima* Deus creauit intellectualem naturam in ordine ad beatitudinem. ergo& diuerſos gradus naturæ ad diuerſos gradus beatitudinis. *Conſequentia* à ſimili ſicut enim ædificator polit lapides ad componendam ex illis domum; & quia ex his accuratiùs quoſdam, & pulchriùs expolit, videtur eos ad honoratiorem domus partem ordinare: ita quando Deus quoſdam Angelos altioris & perfectioris naturæ creauit, jam eoſdem videtur ordinare ad altiora dona gratiæ & gloriæ percipienda.

27. *Ratioſecunda* Angelus toto conatu fertur in beatitudinem. ergo conſequitur ſuam beatitudinem ſecundum quantitatem naturalium. *Antecedens.* quando aliquid eſt eiuſmodi, quòd non habet impedimentum, nec retardationem in tẽdentia ſua ad ſuũ obiectũ, ſeu ad finẽ, id in illud toto conatu fertur. ſed Angeli non habent impedimentũ vllum: quia non ſunt compoſiti ex diuerſis naturis, ſicut nos ex intellectiua & ſenſitiua; & proinde in nobis inclinatio vnius naturæ impedit conatũ alterius. Angelus itaq; toto conatu fertur in beatitudinem; & qui habẽt perfectiorem naturam, hi fortiùs & efficacius in Deum, & in beatitudinem rapiuntur. ergo pro quantitate naturalium acceperunt gratiam & gloriam. Circa Antecedens.

Cur Angeli non poſsũt impediri in ſua tẽdentia ad finẽ?

Homines cur impediuntur?

28. *Nota* Non eſſe mentem D. Th. quaſi perfectior natura Angeli, & eiuſdem conatus ſit diſpoſitio ad gratiam & gloriam. nam hoc ſaperet Pelagianiſmum: ſed vult dicere, quòd quemadmodum perfectiori naturæ Angelicæ, voluit Deus ex ſua gratuita & liberali voluntate, perfectiorem gradum gratiæ conferre: ita ex eadem gratuita voluntate, voluit maius auxilium conferre, vt efficaciùs & feruentiùs ſe conuerteret ſupernaturali conuerſione in Deum, authorem gratiæ & gloriæ. voluit igitur Deus ex beneplacito voluntatis ſuæ, quendam ſeruare modum proportionis inter naturalia & ſupernaturalia.

QVÆSITVM III.
De Statu Beatitudinis.

29. SVb hoc Quæſito tria inquiremus: *primò* an in beatis Angelis maneat naturalis cognitio? *ſecundò* an Angeli beati peccare poſſint? *tertiò* an poſſint proficere in beatitudine.

In Angelis beatis manet cognitio & dilectio naturalis.

QVANTVM ad primum dico. *In Angelis beatis manere cognitionem & dilectionem naturalem.* PROBATVR *Ratione prima.* natura Angelica manet in beatitudine ergo & operationes Angelicæ manebunt ſed hæ propter duas potentias intellectum & voluntatem, erunt cognitio & dilectio. ergo manent in beatitudine. *Confirmatur.* primum manet in ſecundo. ſed natura eſt quid primũ, beatitudo eſt quid ſecundum. ergo natura manet in beatitudine. *Sequela.* ſicut enim ſe habent principia operationum ad inuicem: ita & ipſæ operationes. ſed natura & beatitudo ſunt principia operationum, & mutuò ſe compatiũtur. ergo & operationes ſe ad inuicẽ cõpatientur.

30. *Ratio ſecunda.* ESSE ſupernaturale non deſtruit ESSE naturale. natura enim & gloria, quæ ſunt ſupernaturales non deſtruunt naturam, ſed perficiunt. ergo nec beatitudo quæ eſt ſupernaturalis deſtruet naturam. nam etiam in Chriſto D. ſimul fuit ſcientia infuſa beata & naturalis: & in corpore glorioſo cum vita corporea, manebunt ſenſus, & illorum operationes. ergo & in Angelis erit cognitio naturalis & beata

Beatitudo non poteſt deſtruere naturam.

Ratio tertia. Angeli in primo inſtanti creationis acceperũt ſpecies intelligibiles, cum ſuo lumine naturali. ergo ſi illorum vſum non habent, fruſtra & otioſè hæc illis ſunt collata: nam Angeli ante ſuam beatitudinem, breuiſſimo tempore in ſtatu viæ, & vſu naturalium durarunt.

31. *Obiicies.* Quando duo media ad vnam Concluſionem probandã adducuntur, quorum vnum eſt demonſtratiuum & alterum probabile, intellectus ex illis duobus medijs, non format duo iudicia, & duos aſſenſus, quorum vnus ſit demonſtratiuus, & alius opinatiuus, ſed vnum ſimul & iudicium, & aſſenſũ. ergo idem dicendum de cognitione naturali & ſupernaturali. nam per vtramq; Angelus videt Deum in Eſſentia ſua, niſi quòd per ſupernaturalem videt Deum in ſe: per naturalem verò videt Deum, ſed in propria eſſentia. ergo erit vnus aſſenſus vnum iudicium. ergò & vna cognitio. *Reſpondeo* maiorem poſſe cõcedi, ſi loquamur de perfecta cognitione; quia hæc duo media, demonſtratiuum & probabile, iuuant ſe mutuò quoad euidentiam meliorem Concluſionis: ſed ſi loquamur de diſtantia oppoſitionis, ſic eſt neganda. nam ſicut tenebræ lumini opponuntur: ita aſſenſus opinatiuus ſcientifico: viſio autem beatifica cum naturali ratione nullam repugnantiam nec oppoſitionem habet; & propterea ſe compatiũtur. nam ſicut viſio beata videt Deũ in Verbo, ſeu quod idem eſt in Eſſẽtia Dei: ita naturalis videt eundem Deum in lumine naturali, in propria ſubſtantia Angelica.

Obiectio.

Solutio eius.

Viſio beatifica cum naturali ratione nullam habet repugnantiam.

32. *Nota.* licet cognitio naturalis comparata ad beatificam ſit imperfecta: perfectior tamen beatifica non tollit eam; quia nullam oppoſitionem in ea inuenit. vnde D. Th. *hic a. 7. ad 1.* dicit: *imperfectio naturæ non op-*

Cognitio beatifica perfecta, non tollit naturalem imperfectam.

non opponitur perfectioni beatitudinis. ſed ſubſternitur illi: ſicut imperfectio potentiæ. ſubſternitur perfectioni formæ. nam non tollit potentia formam, ſed priuatio, quæ opponitur formæ. ſimiliter & imperfectio cognitionis naturalis, non opponitur perfectioni cognitionis gloriæ. nam nihil prohibet ſimul aliquid cognoſcere per diuerſa Media: ſicut ſimul poteſt aliquid cognoſci p̃ Medium, ꝓbabile & demõſtratiuũ. & ſimiliter poteſt Angelus ſimul cognoſcere Deum per Eſsentiam Dei, quod pertinet ad cognitionem gloriæ: & per eſſentiam propriam, quod pertinet ad cognitionem naturæ.

Obiectio 2. 33. *Obiicies iterum.* Sicut duæ faces, quarum vna ſit maior, & altera minor, accenſis in vno medio, non producunt niſi vnum lumen: ita etiam duo illa lumina, naturale & gloriæ, non producent niſi vnam cognitionem. *Reſpondeo* non eſſe parem rationem; quia illa duo lumina ſunt eiuſdem ordinis, & mutuò ſe iuuant: viſio autem beatifica & naturalis, ſunt diſtincti ordinis: vnde non eſt inconueniens, quòd ſub diuerſis rationibus idem obiectum cognoſcunt. (Solutio.)

34. QVANTVM ad ſecundùm dico. *non poſſe fieri vt Angelus beatus peccet.* PROBATVR *ratione* D. Th. Angelus beatus ita ſe habet ad Deum, quem videt, ſicut quilibet non videns Deum, ad communem rationem boni. ſed impoſſibile eſt, vt is, qui attendit ad bonum commune, aliquid velit, aut operetur, quod nõ ſit bonum. ergo nec beatus Angelus videns Deum poterit aliquid velle aut operari, niſi attendens ad Deum. ergo peccare non poterit; ſiquidem omnia vult, & omnia operatur ſub ratione ſũmi boni, quod videt. (Angelus bonus non poteſt peccare.)

Probatur 2. De ratione beatitudinis eſt, quòd ſit inamiſſibilis & immutabilis. nam beatitudo ex ſua ratione eſt æterna. 1. Petri 5. *vocauit nos in æternam ſuam gloriam.* & in Pſal. dicitur: *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* ergo Angelus non poteſt beatꝰ peccare; quia non poteſt amittere beatitudinem. nam peccatum priuat beatitudine.

Probatur 3. quòd Angelus beatus non poſſit peccare, ex eo prouenit; quia Angelus videt Eſſentiam bonitatis clarè, & hæc clara viſio bonitatis, dat rectitudinem voluntati, quoad omnes illius actus; quia rectè velle nihil aliud eſt, quàm ſecundùm Deum velle: nec in intellectu beati poteſt eſſe error. nam error eſt malum: bonitas autem per eſſentiam tollit omne malum. ergo nec intellectus errare poteſt. (Viſio clara Bonitatis Dei non permittit Angelum peccare.) (Rectè velle quid?)

35. *Nota 1.* cauenda eſt ſententia Origenis, qui *Homil. 20 ſuper Numeros* affirmat, Angelos cuſtodes vocandos eſſe in iudicium, vt ſit euidens, an illorum cauſa & negligentia homines illis commiſſi, ſint damnati. nam de fide eſt, quòd Angeli noſtri cuſtodes ſunt beati, ſecundũ Dictum Chriſti D. *ſemper vident faciẽ Patris qui in cælis eſt.* ſed videre faciem Patris, eſt ipſa beatitudo. ergo etiã cùm nos cuſtodiunt ſunt beati.

36. *Nota 2.* Scoti eſſe ſententiam *in 1. diſt. 1. q. 4. & in 4. diſt. 49. q. 6.* tũ & Gabriel. *in 1. diſt. 1. q. 6. & in 2. diſt. 49.* in quo docet, quòd beati nõ peccent, non habent hoc ex natura ſtatûs beatifici, ſed ex ſpeciali dono gra-

no gratiæ Dei. nam peccare poſſent niſi per manutentionem à Deo cõſeruarentur; ſed quamuis non negamus, quòd rectitudo voluntatis firmata in bono, etiam ab extrinſeco proueniat, v. à manutentione Diuina: nihilominus dicim⁹, quòd huius rectitudinis & immobilitatis in bono, non eſt ſolùm cauſa extrinſeca, ſed etiam intrinſeca. *Ratio.* immobilitas enim rectitudinis eſt ſtatui beatorum neceſſaria. ergo ad illam ſunt media diſpoſita, tam extrinſeca, quàm intrinſeca: extrinſeca ſunt duo: *primum* infallibilitas Diuinæ virtutis, deligentis & confortantis potentias beati, vt nullo modo à bono deficere poſſit: *alterum* eſt prouidẽtia, remouẽs omnia impedimenta, quæ vel allicere, vel impellere poſſint ad malum: præter hæc ſunt alia *intrinſeca*, quæ immobilitatẽ rectitudinis, & ex parte intellectus, & ex parte voluntatis roborant: *Ex parte intellect⁹*, eſt lumẽ indeficiens gloriæ, eſt præſẽtiſſimũ obiectũ beatificũ, v. ipſe De⁹, qui eſt fons toti⁹ bonitatis: eſt quoq; cognitio p quam beat⁹ cognoſcit omnia, quæ ad illius ſtatum ſpectant. nam euidenter cognoſcit, & iudicat, quid ſibi agendum ſit in omni negotio. *ex parte autem voluntatis* immobilitas rectitudinis prouenit ex eo; quia voluntas habet præſentiſſimum obiectum, nimirum infinitam bonitatem, quæ repræſentat voluntatem Angeli. *Ex quo ſequitur*, quòd voluntas beati nihil poteſt velle, nec operari, niſi quod ſit bonum: ſicut enim voluntas viatoris, quòd quid apprehendit aut vult, nonniſi ſub ratione boni in communi vult: ita volũtas beati in ſuo ſtatu nihil poteſt velle, niſi propter ſummum bonũ, quod euidenter & intuitiuè cognoſcit, tanquam ſibi præſentiſſimum. atq; ſic beati non tãtum ab extrinſeco, ſed etiam ab intrinſeco habẽt immobilitatem rectitudinis in voluntate, ita, vt nunquam à bono recedere poſſint; & per conſequẽs non poſſint peccare: ita ſentit Duran. *in 2. diſt. 7. q. 1* & *diſt. 23. q. 1.* D. Th. *de Verit. q. 22. a 6. & quodl. 24 a 8.* & *cont. gen. c. 62.* & *4. contra gentes capite 92.*

Immobilitas rectitudinis in beatis, prouenit à cauſis extrinſecis & intrinſecis.

Immobilitas rectitudinis proueni & ex parte voluntatis & ex parte intellectus.

37. QVANTVM ad tertiũ dico cũ D. Th. *Angeli beati in beatitudine, eſſẽtialiter non poſſũt proficere, ita quòd illius augmentum mereantur.* PROBATVR *ratione* D. Th. omne mobile mouetur in aliquid determinatum, & vltimum ex intentione motoris; ſed Angelus tẽdit ad beatitudinem vt mobile, motus ab ipſo Deo; ſiquidem ex intentione Diuinæ prædeſtinationis mouetur. ergo ad certum gradum beatitudinis. ergo non poteſt ampliùs proficere. *Minor.* Creatura rationalis non poteſt per ſuam virtutem conſequi beatitudinem, quæ in viſione Dei conſiſtit. ergo indiget, vt à Deo moueatur ad illam ipſam beatitudinem; & quia in vno quoque motu eſt intentio motoris, quæ fertur in aliquid determinatum, ad quod mobile producere intendit. ergo ex intentione motoris habebit determinationem; & per conſequens Angelus ad certum gradum ſuæ beatitudinis perducetur, in quo iam ſiſtet. *Confirmatur.* hic gradus determinatus de Viſione Diuina non poteſt eſſe tantùm ad obiectũ. quod videtur ſecundùm ſummum gradũ. ergo erit ſecundùm gradum determinatum ex prædeſtinatione Diuina. *Con-*

Angeli augmentũ beatitudinis non poſſunt ſibi promereri.

Creatura rationalis nõ poteſt per ſuam virtutem conſequi beatitudinem.

na. *Conſequentia.* ſicut enim beatitudo conſiſtit in viſione: ita gradus beatitudinis conſiſtit in certo modo viſionis. *Antecedens.* ad Deũ comprehendendum infinita virtus & efficacia requiritur. ſed in creatura non poteſt eſſe infinita efficacia virtutis intellectualis. ergo non poterit ſecundùm ſummum gradum videre Deum: ergo ſecundùm certum & determinatum videbit.

38. *Probatur 2.* Hoc ipſum loci Scripturæ confirmant loquendo de beatitudine hominis, quòd in ea homo proficere non poteſt. ergo nec Angeli poſſunt; quia in vtriſq; eſt eadem ratio beatitudinis: ſicut enim Angelus, ita & homo ad eandem beatitudinem v. ad claram viſionem Dei ordinati ſunt. *Antecedens. vnuſquiſq; recipiet prout geſſit in corpore ſuo.* vocabulum *geſſit* ſignificat meritum, aut demeritum: *recipiet* ſignificat collationem meriti aut demeriti: *prout* ſignificat menſuram, v. in qua menſura laborauit, in eadem illi remetietur. Eccleſ. 9. *quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec tempus, nec ratio nec ſapiẽtia eſt apud inferos, quò tu properas* per *inferos* intellige mortem, ſeu ſepulchrum; & hæc mors ea, quæ ad meritum ſunt neceſſaria adimit, v. tempus, rationem, ſapientiam. ergo adimit meritum. & 1. Corynth. 15. *alia eſt claritas ſolis, alia Lunæ. & alia ſtellarum. ſtella enim differt à ſtella in claritate: ſic erit reſurrectio mortuorum* hoc nomen *alia* non ſignificat diuerſitatem claritatis ſpecificam. nam eadem eſt ſpecie claritas in Luna, & in ſtellis. quã à ſole participant. ergo ſignificat menſuram. ergo idem dicendum de beatitudine. nam ſicut damnati nõ

Claritas in luna & ſtellis eſt eadẽ ſpecie.

poſſunt demereri; quia iam ſunt in termino: ita nec beati poſſunt mereri.

39. *Nota* Magiſter Sent. oppoſitum tenet *in 2, diſt. 11. à cap. 4. vsque ad 8* dicens probabiliorem eſſe ſententiam, quæ aſſerit Beatitudinem Angelorum augeri quotidie, vsque ad diem iudicii; quia magis ac magis diligunt & cognoſcunt; & ſic eorũ charitas & cognitio ſunt meritum: *tum* quia per obſequium nobis hominibus ex charitate impenſa merentur; ſed ſi loquitur Magiſter de Beatitudine Accidentali, concedimus, quòd in ea beati proficere poſſunt. nam Luc. 5. legimus. *Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiã agente.* & D. Aug. inquit. *in meditationibus, quoties benè agimus Angelos lætificamus:* ſi autem loquamur de Eſſentiali Beatitudine, quæ conſiſtit in clara viſione Eſſentiæ Diuinæ, augeri non poteſt, quia eſt contra naturam ſtatus beati, qui quidem eſt ſtatus termini, & non viæ, & propterea eſt quædam lex, vt nullus qui ad ſtatum beatum peruenit, poſſit mereri excepto Chriſto Domino qui ex ſpeciali priuilegio fuit Viator & Comprehenſor.

Magiſtri ſententiarum opinio.

Solutio illius.

Beatitudo in Angelis duplex.

40. *Obiicies.* Quilibet prædeſtinatus ex vi prædeſtinationis ad certum gradum gratiæ eſt determinatus, vltra quem non progredietur: & idem prædeſtinatus, quamdiu eſt in via, ſemper in gratia proficere & augeri poteſt, etiamſi illum gradum gratiæ attigerit: ita definit Concilium Trid *Seſſ. 6. cap. 10. Can. 24.* Et in Clement. habetur *Ad noſtrum,* de Hæreticis. ergo & beati Angeli licet ad meritum gloriæ determinatum peruenerint, adhuc in eo proficere

Obiectio.

 poſſunt

poſſunt. *Reſpondeo* negando Conſequentiam; quia non eſt par ratio; quamuis enim ſecundùm Diuinam ordinationem prædeſtinatus non poſſit proficere in gratia, poſtquam ad determinatum gradum illius peruenerit: non eſt tamen vlla lex conſtituta, quòd poſt acquiſitum gradũ determinatum, non poſſit proficere: Beatus verò poſtquam adeptus fuerit certum & determinatum gradum gloriæ, iam vltra proficere non poteſt, quia eſt extra viam; proinde lex Diuina eſt, vt conſtitutus extra viam, non poſſit mereri: iuxta illud, *vbi ceciderit lignum ibi erit.* Et ad Galathos 6. *dum tempus habemus, operemur bonum.* Ergo durante tempore vitæ noſtræ ſolùm meremur.

Solutio illius.

Prædeſtinatus poſt obtentũ gradum determinatũ gloriæ, proficere poteſt: beatus nequaquam.

DISPVTATIO XIV.

De Malitia Angelorum.

De Merito & Beatitudine bonorum Angelorum diximus: conſequens eſt, vt de malorum malitia dicamus; in qua duo reperiuntur: *Malum culpæ*, quòd opponitur merito bonorum Angelorum: & *malum pœnæ*; quod opponitur beatitudini.

Quantum ad malum culpæ hæc erunt Quæſita.

1. *An malum culpæ poſſit eſſe in Angelis?*
2. *Cuiusmodi peccato peccauit Angelus?*
3. *An appetierit eſſe, vt Deus?*
4. *An Dæmones ſint mali per naturam: an verò per voluntatem?*
5. *An aliqua fuerit mora inter creationem & lapſum Angeli?*
6. *An ſupremus inter cadentes fuerit ſummus ſiue primus inter omnes?*
7. *An peccatum primi Angeli fuerit cauſa peccandi aliis?*
8. *An tot peccauerunt, quot permanſerunt?*

QVÆSITVM I.

An in Angelis poſſit eſſe malũ culpæ, ſiue, An Angelus potuerit peccare?

1. AD Quæſitum *Nota 1.* Certum eſſe, & quidem ex fide, quòd quælibet creatura rationalis, ſecundùm ſuam propriam naturam conſiderata, poſſit peccare; & per conſequens poſſit in ea eſſe malum culpæ. Duæ enim ſunt naturæ rationales à Deo productæ: Angelica & humana: ſeu hæ duæ de facto peccauerunt

Rationales naturæ ſunt tãtùm duæ.

uerunt Scriptura teſtante. 1. Ioan. 3. *Diabolus ab initio peccat.* & Iob. 4. *in Angelis reperi prauitatem.* Et D. Paul. *per vnum hominem mors intrauit.* ſed mors eſt ſtipendium peccati. Ergo & Angelus, & homo peccauerunt

Angelus & Homo, excellentiam ſui in ordinatè appetendo, peccarunt.

Tum vterq; rep eccauerunt excellentiam ſui inordinatè appetendo: Angelus, cùm dixit, *Similis ero Altiſſimo*; Homo, quando credidit & conſenſit ſuggeſtioni Dæmonis, *Eritis ſicut Dii*: voluit eſſe homo vltra id, quod eſt homo; & ideo comparatus eſt iumentis inſipientibus, propter affectuum inſolentiam: ſicut Angelus, qui noluit eſſe Angelus, poſſedit infernum & gehennam ignis.

Rationalis creatura, quæ nō peccauit, habet hoc ex dono gratiæ diuinæ, non ex conditione naturæ ſuæ.

2. *Nota 2.* Si contingat alicui creaturæ rationali nō peccare, hoc iam habet ex dono gratiæ Diuinæ: non autem ex conditione naturæ ſuæ. omnis enim illa perfectio, quæ Naturæ rationem excedit, iam non eſt ex natura. ergo erit ex dono gratiæ Diuinæ. ſed quod beati aut cōfirmati in gratia non poſſint peccare, excedit conditionem naturæ creatæ. ergo erit ex dono gratiæ.

Malum culpæ in ſola voluntate diuina nullo modo poteſt eſſe.

Nota 3. quod eſt fundamentum totius: quòd in ſola Diuina voluntate nullo modo poteſt eſſe malum culpæ, ſeu peccati. nam peccare eſt à rectitudine deficere. ſed hoc in Deo eſt impoſſibile: cùm illius regula ſit ipſa virtus agentis. ſicut enī

Peccare quid

ſi manus artificis eſſet Regula inciſionis, nunquam manus eius in incidendo aberraret: ſi autem inciſio eſſet ab alio, tanquam à Regula, iam contigeret inciſionem eſſe rectam, & non rectam: ſola autem Diuina volūtas eſt Regula ſui act⁹. & nō habet ſe ſuperiorem, à qua reguletur; nec vnquā ad ſuperiorē finē, niſi ad ſeipſū ordinatur. vnde non poteſt deficere. Hæc determinatio eſt ſecūdùm ordinariā potentiā Dei; ꝓinde Quærimus iam de abſoluta.

Deus, poſſitne creare creaturā intellectualē quæ ſuā natura ſit impeccabilis?

An Deus poſſit creare aliquam creaturam intellectualem, quæ ſuâ naturâ ſit impeccabilis. Gabriel *in 2. diſt 23 q. vnica.* affirmat, quòd poſſit. *Ratio eius*, quia non requiritur ad hoc ſimpliciter, & abſolutè infinitum: cùm Deus per gratiam poſſit producere creaturam impeccabilem. ergo etiam poterit producere per naturam.

Opinio 1.

Opinio 2.

3. Scotus *in 2 diſt. 23. q vnica* contrarium ſentit, v. non poſſe Deum creare Creaturam intellectualem, quæ ſit impeccabilis, etiāſi eſſet in puris naturalibus. *Ratio eius* quia ſic ꝓducta creatura intellectualis, adhuc eſſet libera ad eliciendum appetitū rectum. & non rectum. *tum* quia ex Sententia D. Th. ſolius eſt Diuinæ voluntatis appetere, & rectè appetere; quia ipſa ſibi eſt regula intrinſeca & eſſentialis operationum: iā autem hæc creatura gubernaretur ab extrinſeca regula, v. à lege Diuina & ſic poſſet deficere ab illa,

Opinio 3.

Durandus *in 2. diſt 23 q 1.* Capr. *ibid q vnica. a 3. ad 1* tum & D. Th. *quæſt 16 de Malo art 3.* ſub hac diſtinctione dicunt: ſi Deus crearet naturam intellectualem in puris naturalibus non ordinādo illam ad finē ſupernaturalem, nec illi imponendo vlla præcepta ſupernaturalia, ſed ſolùm ordinaret eā ad finem naturalem, cum impoſitione naturalium præceptorum: talis iam creatura per ſuam naturam eſſet impeccabilis. *Ratio eſt.* quia poteſt Deus ſic producere creaturam in ſuo ESSE naturali, vt

rali, vt illi det omnimodã & plenariam perfectionem, v. Scientiam, tum & prudentiam, vt nullo modo poſſit errare, atque etiam facultatem explendi præcepta. ergo talis creatura eſſet impeccabilis per naturam: Sed ſi Deus crearet creaturam quam ordinaſſet ad finem ſupernaturalé, & eidem imponeret ſupernaturalia præcepta: ſicut iam cum homine & Angelo factum: talis creatura eſſet peccabilis. *Ratio eſt* quia per naturam ſuam non poſſet implere præcepta ſupernaturalia ſiquidem excedunt vires eius ergo iam peccabilis eſſet. Pro determinatione.

Opinio 3.

4. Dico primò. *Nulla creatura eſt producibilis à Deo, quæ ex natura ſua ſimpliciter ſit impeccabilis.* PROBATVR Matth. 19 dicit Saluator. *Quid me interrogas? nemo bonus, niſi Deus*, & hic loquitur non de bonitate tranſcendentali; ſiquidem hãc habet omnis creatura a Deo, ſed loquitur de bonitate morali, a qua Deus nunquam deficere poteſt: quælibet autem creatura deficit, tranſeundo a bono ad malum ita affirmat D. Aug. *lib. de Fide ad Petrum cap 3. & lib. 3. contra Maxim. cap 12.* vbi explicat verba S. Pauli: *qui ſolus habet immortalitatem*, hoc eſt omnimodam immutabilitatem à bono ad malum *Tum* ibidem contra Maximium: *cuicunque creaturæ naturali præſtatur, vt peccare non poſſit, gratia & beneficio Dei præſtatur.* & D. Anſel. *lib 2.* Cur Deus homo *cap. 15.* cur creatura per ſuam naturam non poſſit eſſe impeccabilis? *Reſpondet* quia non poteſt eſſe Deus. *Probatur & ratione?* Nulla creatura eſt producibilis, quæ per intellectum, & per voluntatem adhæreat ſummo bono

Deus nõ poteſt producere creaturam, quæ ſit ex ſua natura ſimpliciter impeccabilis.

ſi enim ſic adhæreret, non peccaret ſed non adhæret neceſſariò ex ſua natura. nam adhæſio ſummo bono neceſſariò fit per viſionem Dei claram, quam per naturam ſuam nulla creatura aſſequitur: cùm aliàs eſſet illi connaturalis. *Ratio ſecunda.* Ideo creatura non poteſt eſſe impeccabilis; quia ex nihilo facta eſt, & in nihilum conuerti poteſt. Vnde nihilum eſt cauſa defectibilitatis: quælibet enim res operatur ſecundùm illud ESSE, quod habet. ſed ESSE cuiuslibet creaturæ eſt defectibile; quia ex nihilo ergo deficere poteſt

5. Dico ſecundò *Poteſt Deus creare voluntatem liberam, quæ ſit naturâ ſuâ impeccabilis: modò ſit ordinata ad finem naturalem, & ad bonum naturale, & morale agendum.* Ita ſentit D. Th *de Malo quæſt. 16. art 3.* Durandus (vt ſupra) Bannes, Cumel, & alii.

Qualem naturam poteſt Deus creare impeccabilem.

Ratio prima: Poteſt Deus ita perfectum Angelum producere, qui habeat prudentiam circa res agendas & qui ſemper poſſit conſiderare actualiter finem naturalem, & bonum naturale ac morale: omnes item circumſtantias videre, quæ ad rectam operationem ſunt neceſſariæ. ergo talis Angelus in naturalibus nõ peccaret. *Conſequentia* nam omne peccatum ſupponeret defectum in intellectu practico, hoc eſt in conſideratione; quia nõ conſiderabat, quãdo tenebatur. ſed ſic talis defectus non poſſet eſſe in intellectu Angeli; ſiquidem habet omnimodam perfectionem naturalem in ſui productione à Deo ſibi datam.

6. *Ratio ſecunda.* Omne peccatum debet eſſe contra præceptũ aliquod ſuperioris iuxta D. Paul. ad Rom. 4. *vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio:* & omnis

Omne peccatum eſt contra præceptum.

& omiſſis præceptis ſupernaturalibus (ſiquidem de his in præſenti non loquimur) præcepta, quæ ſunt ordinis naturalis, ſunt duplicia: *quædam* ſunt indita & dictata à lumine naturali, quòd non ſit furandum non adulterandum: *quædam* ſunt ſuperaddita & poſitiua, vt quæ à legiſlatoribus promulgantur. ſed Angelus præcepta, quæ ſunt iuris naturalis, tam diuiſiuè, quàm collectiuè inquantum eſt creatus in puris naturalibus perfectiſſi nè poteſt implere; quia habet plenariam perfectionem naturalem, quæ eſt illius naturalis beatitudo: eandemque neceſſariò diligit. vnde etiam neceſſariò vult rectitudinem ad conſeruationem talis beatitudinis.

Ordinis naturalis præcepta ſunt duplicia.

Ratio tertia. Homo in ſtatu Innocentiæ, potuit ſi voluiſſet, ſeruare omnia mandata: & ſi voluiſſet, potuiſſet perſeuerare. ergo idem de Angelo dicendum.

Ratio quarta. Angelus creatus eſt à Deo perfectiſſimè ſciens, & prudens, ſi enim in puris naturalibus creatus poſſet peccare. poſſet etiam habitum acquirere imprudentiæ, & aliorum vitiorum: & ſic non haberet Angelus habitum prudentiæ ſibi congenitum, nec, vt voluit Ariſt. 12. Metaph. eſſent Angeli, quos ille vocat Intelligentias, perfectiſſimi, nec beatam vitam ducentes ſecundùm intellectum.

Angelus eſt creat' à Deo perfectiſſimè ſciens & prudens.

7. *Obiicies 1.* Angelus in puris naturalibus creatus, non eſſet Regula ſuæ voluntatis, ſed à Diuina voluntate gubernaretur. ergo ab illa poterit deficere. *Reſpondeo,* quòd Angelus vt ſic in puris naturalibus creatus, haberet Regulam proximam ſuæ voluntatis, lumē naturale, quòd illi dictaret id, quod rectum eſt: & in hoc non poteſt eſſe defectus quoad purè naturalia: ſicut beati, per viſionem beatificam, habent regulam benè operandi ſibi coniunctam in ſupernaturalibus.

Obiectio.

Solutio eiꝰ

Nota Nihilominus concomitanter & indirectè, poſſet Angelus peccare contra legem purè naturalem. *Declaratur* quando Angelus peccauit auertendo ſe à fine ſupernaturali ſtatim per quandam concomitantiam neceſſario auertit ſe à fine naturali. ergo hoc modo, per concomitantiā peccauit contra naturæ finem.

8. *Obiicies 2.* Felicitas, cùm ſit ab intrinſeco, eſt per ſe inamiſſibilis. ergo Angelus peccando contra legem naturæ, non peccaret concomitanter. *Reſpondeo* Felicitas naturalis Angeli ſumpta per ſe ſolitariè, ſic concedo quod ſit inamiſſibilis: ſed inquantùm eſt coniuncta cum felicitate ſupernaturali, & in quātùm illi ſubordinatur, ideo ſi fuerit defectꝰ in Angelo ex parte finis ſupernaturalis, etiam concomitanter & indirectè ſubſequitur defectus circa finem naturalem: & ſic concomitanter poterit Angelus peccare.

Obiectio 2.

Solutio illius.

9. Dico tertiò. *Si loquamur de lege poſitiua & ſuperaddita, quæ non ſuperat ordinem naturæ, tunc poteſt Angelus directè & immediatè peccare.* v. g. ſi Deus Angelo in puris naturalibus condito præceptum imponeret, vt cuſtodiret hominem, vel vt moueret orbem: tunc poſſet Angelus appetendo excellentiam ſuæ naturæ, tali præcepto ſe non ſubijcere: ſicut Adam appetendo excellentiam ſimilitudinis Dei, non ſubiecit ſe præcepto de non comedendo fructu vetitæ arboris.

Ad Ga-

Solutio fundamenti opinionis 1.

Ad Gabrielis fundamentum dico non poſſe communicari creaturæ, quòd ita ſimpliciter ſit impeccabilis ex natura ſua, & quoad finẽ ſupernaturalem, & quoad naturalẽ ſimul. nam oporteret vt talis natura eſſet infinita, & perconſequens eſſet Deus. ſed Angelo poteſt communicari perfectio plenaria quoad finem naturalem: & ſic (vt iam deduximus) non peccaret.

Instantia.

Cùm verò inſtat. non concludere rationem: ideo Angelum debere eſſe defectibilem, quia eſt ex nihilo. nam & gratia etiam ex nihilo eſt: & tamen per gratiam poteſt eſſe creatura impeccabilis. *Similiter.* Beatitudo ſupernaturalis & formalis habet eſſe ex nihilo, vt eſt quid creatũ in intellectu beati: & tamen hæc ſua natura eſt indefectibilis & impeccabilis. *Reſpondeo.* quamuis natura ſit ex nihilo: tamen hæc purè ordinis eſt ſupernaturalis; & ideo efficit, vt quod homini eſt ſupernaturale, ſit ei per gratiam in altero ordine conſtituto, quaſi connaturale. De Beatitudine dico: quòd & hæc, quamuis ſit quid creatum: eſt tamen ordinis ſupernaturalis increati; & ſic non eſt defectibilis ſua naturâ: iam autem Angelus ex nihilo conditus, eſſet purè naturalis vnde defectibilis.

Solutio ei⁹

Solutio opinionis 2.

10. Ad Scoti fundamentum dico: Angelus non habet quidem libertatem, quoad ſpecificationem circa præcepta purè naturalia: ſi, vt ſupponit, conditus creatus eſſet in puris naturalibus: haberet tamen quoad exercitium. ſed hæc reſponſio ex eo nõ valet; quia adhuc Angelus habẽs libertatẽ in his præceptis quoad exercitiũ, peccare poſſet: nõ exercẽdo actum, quãdo tenebatur.

Solutio 3.

Quidam ſic reſpondent, quòd Angeli voluntas naturaliter eſſet determinata ad actualem affectionẽ, & inclinationem ſeruandi & implẽdi omnia præcepta naturalia; & ſic iam non haberet libertatem: ſicut non habet libertatem ceſſandi ab amore Dei actuali, prout eſt commune bonum totius naturæ; at potiùs eſt dicendum, quòd Angelus non ſemper eſt in actuali continua conſideratione, & impletione præceptorum naturalium, ac omnium circumſtantiarum; ſed eſt ſucceſſiuè: modò in vnius conſideratione, poſtea in alterius; & ſic conſequenter: (vt docuimus de ſpeculatiuis veritatibus, quòd non ſemper eſt Angel⁹ in cõſideratione actuali omniũ veritatum naturalium, ſed ſolùm ſucceſſiuè) proinde quando neceſſitas inſtat hoc naturale præceptũ implendi: & quando iudicat de illius conuenientia, non poteſt volũtas Angeli non prodire in actualem illius affectionem implendi illud præceptum, & ſic quoad exercitiũ, non habet libertatem naturalem. Quãtùm verò ad alia præcepta purè naturalia, quæ pro tunc non implet, habet libertatẽ; atq; ſic quando eſt neceſſitas, nullam habet libertatem: quando verò nulla eſt neceſſitas implẽdi, habet libertatem quoad exercitium Cum dicit: quamuis voluntas Angeli quoad præcepta purè naturalia non haberet libertatem: nihilominus adhuc eſſet libera quoad illa obiecta, quæ nullam neceſſariam connexionem habent cum vltimo fine naturali.

Solutio vera.

Vltima ſolutio.

QVÆ-

QVÆSITVM II.
Cuiuſmodi peccato peccauit Angelus?

Peccatum, dupliciter in aliquo eſſe poteſt.

11 SVppono ex 2. D.Th. art. dupliciter peccatum poteſt eſſe in aliquo: *primò* ſecundùm reatum: *ſecundò* ſecundùm effectum. Hoc notato

Dico primò. *Secundùm reatum, omnia peccata poſſunt eſſe, & de facto ſunt in malis Angelis.* RATIO *prima.* Reat⁹ per ſe eſt obligatio propriè ad pœnam, ſeu eſt debitum pœnæ, quod quidem ob commiſſam culpam contrahitur. ſed Dæmones ad omnia peccata ſolicitant & inducunt homines. ergo incurrunt reatum.

In Dæmonib⁹ ſecundum reatum omnia peccata poſsũt eſſe, & de facto ſunt.

Ratio ſecunda. Vulgare eſt dictum *agentis & conſentientis eadem eſt pœna.* ſed Dæmon eſt agens ſeu mouens ad peccata, homo conſentiens ergo quoad reatum incurrit peccatum.

Agentis & conſentientis eadẽ eſt pœna.

Ratio tertia. Angeli mali (vt probauimus) non ſunt corporei. ergo ipſi in ſua perſona peccata, quæ ſũt carnalia, peccare non poſſunt, vt peccatum luxuriæ & gulæ. ſed quia ad hæc, & ad ſimilia inducunt homines; proinde etiam horum peccatorum incurrunt reatum.

Nota. ad incurrendum reatum, ſeu obligationem pœnæ non requiri, vt quis in ſeipſo conſũmet & perficiat peccatum; ſed ſufficit, vt fiat cauſaliter, hoc eſt vt ſit cauſa, quod aliquis committat peccatum: & ſic Diabolus reatum fornicationis, luxuriæ, gulæ, inuidiæ incurrit; quia ad hæc peccata homines inducit. D. Hieron. ſuper illa verba: *non eſt nobis colluctatio,* ad Epheſ. 5. ſcribens, dicit quoſdam Dæmones peculiaribus vitijs eſſe propoſitos.

Reatus pœnæ quomodo incurratur.

12. Dico ſecundò. *Secundùm effectum in Dæmonibus duo peccata ſunt ſuperbiæ & inuidiæ.* PROBATVR *de ſuperbia* Iſaiæ 14. *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua,* quamuis quoad literam ſit ſermo de Rege Tyri, ſed quia S. Scriptura, (vt docet SS. PP.) poteſt habere plures ſenſus literales: idcirco hunc locum de Lucifero interpretantur. & Ezech. 28. dicitur: *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam, in terram proieci te.* quæ verba D. Hieron. ſuper hoc cap. & D. Cyril. l. 6. in Ioan. c. 6. de Angelo malo interpretantur.

In Dæmonib⁹ ſecũdùm effectũ duo tantum ſũt peccata, ſuperbiæ & inuidiæ.

PROBATVR *de Inuidia.* Sapien. 2. *Inuidiâ Diaboli intrauit mors in orbem terrarum.* & Ioan. 8. *ille erat homicida ab initio*: quia (vt exponit D. Aug. *Tract. 42*) ex inuidia Diabolus hominem tentauit, & in peccatum induxit, ac in mortem præcipitauit. *Et ratio eſt* D.Th. in ſpiritualibus ſubſtantijs non poteſt eſſe peccatum, niſi cùm afficitur ad aliquid, non ſeruata regula ſuperioris, in eo v. quod non vult ſubdi ſuperiori, in eo in quo debet. ſed Diabolus in appetitu inordinato ſuæ excellentiæ, ſic affectus erat, quòd noluit ſuperioris ſeruare regulam, vt ſubijceretur Deo

retur Deo. ergo peccauit peccato ſuperbiæ. Idem probant SS. PP. D. Aug. *lib. 14. de Ciuit. Dei c. 13.* dicit: *Superbia eſt peruerſæ celſitudinis appetitus* ſed hic erat in Diabolo. ergo ſuperbia peccauit. D. Greg. *lib. 23. Moral. c. 7.* quatuor ſpecies ſuperbiæ facit: *prima* quando ſuperbus bona, ſi quæ habet, putat ſe à ſe habere: *ſecunda* quando putat ſe bona accepiſſe pro ſuis meritis: *tertia* quando putat ſe habere ea bona quæ nō habet: *quarta* quando ſingulariter, hoc eſt alios excludendo, appetit ſe habere ea bona quæ habet; & hâc quarta ſpecie ſuperbiæ peccauit Diabolus.

Supbia iuxta D. Aug. quid?

Species iuxta eundem ſunt quatuor ſuperbiæ

13. Dico tertiò. *Ex ſuperbia ſumpſit originem in Diabolo inuidia*, quod D. Th. ex D. Aug. ſic deducit: Inuid⁹ ex bono alterius dolet ea de cauſa; quia bonū alteri⁹ æſtimat eſſe ſui boni impedimentum. ſed bonum alterius non poteſt æſtimari impedimētum boni affectati ab Angelo malo, niſi inquantùm per actum ſuperbiæ affectauit excellentiam ſingularem, quæ quidem ſingularitas per alterius excellentiam ceſſat; atq; ſic ex peccato ſuperbiæ ortum & conſecutum eſt peccatum inuidiæ in Diabolo. nam de bono hominis doluit, atq; etiam de bono excellentiæ Diuinæ, ſecundùm quod Deus vtitur illo contra ipſius Diaboli voluntatem in gloriam ſuam.

Inuidia in Diabolo sūpſit originē ex ſuperbia

Nota 1. In his duobus peccatis, ſ: ſuperbia & inuidia, reliqua omnia peccata, ad quæ homines ſolicitant ſunt comprehenſa.

Nota 2. In Dæmonibus non potuit eſſe peccatum luxuriæ, vt quidam volunt; quia quando Angeli peccauerunt, nondum erant fœminæ, neq; quoad hoc, quod alios homines inducit ad luxuriam, potuit peccare. nam hæc talis inductio, nō potuit eſſe, niſi ex deprauata volūtate. ergo ante inductionem in hoc peccatum iam Dæmon peccauerat. nam per hoc peccatum deprauata eſt voluntas eius.

14. Dico quartò. *Quando Angeli inordinatè dilexerunt propriam excellentiam, & illius ſingularitatem: tunc in tali amore, non fuit duplex deformitas, v. amoris amicitiæ, quo ſuam excellentiam ſummè dilexit: & amoris concupiſcentiæ, quo appetiit inordinatam excellentiam, vt putauit Scotus cum Gabriele in 2. diſt. 6. ſed vnica eſt deformitas; quia noluit Deo ſubiici.* PROBATVR amor amicitiæ cum amore concupiſcentiæ, ſemper ſunt miſti, & nequaquā ſunt ſolitarij. nam amare aliquem amore amicitiæ, eſt velle illi bonū: & hoc bonum, quod alicui volum⁹, appetimus amore concupiſcentiæ. ergo hi duo amores ſunt miſti ergo in illis vna deformitas.

Deformitas duplex in Angelis malis.

Ratio ſecunda. cùm quis per inordinatum amorem appetit diuitias, tunc vna eſt tantū deformitas, & in amore amicitiæ, & in amore concupiſcentiæ, v. inordinatus amor, qui quidem eſt auaritia. ergo & in peccato Angeli, non duæ ſed vna deformitas, v. ſuperbia; quia concupiuit non ſubijci Deo.

Ratio tertia. Quando amor amicitiæ, qui eſt bonus, ex eo ſolùm redditur malus; quia eſt cauſa praui amoris concupiſcentiæ, non habet aliam deformitatem, præter eam, quæ eſt amoris concupiſcentiæ. v.g cùm quis amore amicitiæ amat filios, & his amore concupiſcentiæ cupit bona, & eadem eripit alijs, tūc amor filiorum non habet aliam deformita-

Amor amicitiæ quomodo ſit malus?

formita-

formitatem à deformitate raptus bonorum, ſic ad propoſitum loquẽdo, amor amicitiæ, quo Angelus ſeipſum diligebat in ſuo genere, erat bonus. ergo quando fit prauus, id habet ex amore ordinato concupiſcentiæ; quia appetijt ſingularem excellentiam Deo non ſubijci; quod quidem eſt ſuperbia. ergo vnica eſt deformitas v. ſuperbia.

Amor concupiſcentiæ inordinat⁹ non poteſt reduci ad peccatũ luxuriæ.

15. Dico quintò. *Iſte amor concupiſcentiæ inordinatus, nullo modo reduci poteſt ad peccatum luxuriæ (vt voluit Scotus) Ratio prima* Propria ratio conſtitutiua luxuriæ peccati, eſt delectatio circa res venereas. ergo in delectationibus non habet locum. cùm omnis delectatio ſequatur ſemper aliquam operationem; & omnis operatio ſit incerta ſpecie, ad quã talis operatio reducenda eſt: v. g. cùm quis inordinatè delectatur circa pecuniam: iſta inordinatio concupiſcentiæ cum tali delectatione, ad auaritiam ſpectat, non ad luxuriam.

Delectatio quomodo non ſit peccatum?

Ratio ſecunda. Delectatio in ſe cõſiderata, & ad nullum obiectum applicata, neq; eſt bona. neq; mala, ſed indifferens. ergo vt ſic delectatio non poteſt eſſe peccatum; erit enim ex alio capite: quia inordinatè in ſui excellentia delectans, appetit ſingularitatem: & propterea nõ vult ſubijci Deo; & iam erit peccatum ſuperbiæ.

Peccatum Angeli primum nõ potuit eſſe, niſi ſuperbia.

16 Dico ſextò cum D Th. *Peccatum Angeli primum, non potuit eſſe niſi ſuperbia* PROBATVR. Angelus non potuit peccare circa bona corporalia ergo peccauit circa bona ſpiritualia. ſi ſic? ergo tribus modis potuit peccare: *primò* quia odio habuit ſpiritualia, & eadem faſtidiebat: *ſecundò* non audens ſeſe attollere ad aliquod bonum: *tertiò* quia acceſſit ad bona ſpiritualia, vt contemptor legis & ordinis Diuini, qui ſeruandus erat in amore eorum. ſed Angelus non potuit peccare odio, quia ſi peccaſſet, iam deordinatio in Angelo proceſſiſſet; atq; ſic odium iam non eſſet primum peccatum: nõ peccauit nolens ſe attollere ad bonũ; quia ſic in Angelo fuiſſet puſillanimitas, ſeu animi abiectio, quod non conuenit tam excellenti naturæ Angelicæ, cui proprĩũ eſt ad ſuprema tendere. ergo proceſſit primum peccatum ex contemptu legis & ordinis à Deo facti, vt illi tanquam Domino omnia ſubijcerentur. ergo primum eius peccatum eſt ſuperbia. Sed

Modi peccãdi ſunt tres

17. *Obiicies.* Si Angelus peccauit ſuperbia: ergo in intellectu Angeli debuit præcedere, aut error, aut ignorantia, aut inconſideratio; ſiquidem omnis defectus, qui eſt in actu voluntatis, ſupponit aliquam imperfectionem in iudicio practico in intellectu. *Reſpondeo* quòd in intellectu peccantis Angeli, non potuit error aut ignorantia præcedere; quia talis defectus ex imperfectione luminis procedit: quod quidem in Angelo fuit perfectiſſimum. *Tum* quia Angelus habuit perfectam cognitionem, quæ ad benè operandum requirebatur: ſi verò loquamur de rebus ſupernaturalibus, nõ potuit ex ignorantia peccare; ſiquidem Angeli in gratia & in fide creati ſunt: habuerunt q; lumen ſupernaturale, in quo omnia myſteria reuelata cognoſcerent. *Præterea* cognouerunt Angeli omnia, quæ illis erant neceſſaria ad finem ſupernaturalem.

Obiectio.

Solutio ei⁹

turalem. ergo neque error, neque ignorantia potuit procedere in illorum intellectu præceſſit ergo practica inconſideratio, quæ quidē fuit imperfecta, proueniens ex parte voluntatis. nam ſi quando intellectus Angeli non conſiderat actu omnia ea, ad quæ ſe virtus eius intellectualis extendit: hæc imperfectio virtutis intellectiuæ non eſt culpabilis. ſicut enim ante determinauimus, hoc eſſe ſolius Diuinæ virtutis infinitæ, vt ſemper ſit in actuali cōſideratione, ad quæ ſe extendere poteſt. ſi igitur hæc impfectio v. inconſideratio, non fuit in intellectu Angeli. ergo referenda eſt ad voluntatem. hæc enim applicat intellectum ad conſiderandam excellentiam propriam, non ſeruando ordinem Diuinæ regulæ. quam tenebatur volūtas ſequi in ſua operatione; Et hæc quidem inconſideratio fuit in voluntate, non quòd eam voluntas explicitè & formaliter eligeret: quia ad ſui explicitam electionem neceſſarius fuiſſet in intellectu poſitiuus error, quo iudicaret eſſe ſibi inconuenientem illam inconſiderationem; ſed quia hic error (vt dictum) non erat poſſibilis. ſequitur ergo, quod illa inconſideratio fuit voluntaria virtualiter & interpretatiuè; quia voluntas poterat & tenebatur repellere illam applicando intellectum ad benè operandum: quod quia non fecit ex nimio amore propriæ excellentiæ; idcirco hinc peccatum ſuperbiæ ortum eſt.

Inconſideratio eſt cauſa ſuperbiæ in Angelis.

QVÆSITVM III.
An Angelus appetierit eſſe vt Deus?

18. INquirimus in hoc Quæſito circa quodnam obiectum ſuperbia Angeli mali verſabatur: quando propriā excellentiam appetiit: *an appetiit æqualitatem? an ſimilitudinem Dei? an verò appetiit in ſua naturali excellentia permanere ſine ſubiectione ad Deum? an etiam beatitudinem, tanquam vltimum finem appetiit acquirere propriis viribus? an denique appetiit, vt natura Angelica hypoſtaticè vniretur Deo* Pro determinatione.

Dico primò: *Angelus ex inordinato amore propriæ excellentiæ appetiit eſſe ſimilis Deo.* hoc Dictum communiter tenetur & contrarium ſentire eſt temerarium ſic enim SS. PP. dicunt & eſt conforme Scripturæ. Iſaiæ 14 *In cælum conſcendam & ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero altiſſimo.* ex hoc verbo *Similis* ſolùm appetiit ſimilitudinem Dei. Et Ezech. 28. dicitur *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti. Deus ego ſum.* Ex quo arguo. Angelus quando appetiit eſſe Deus, voluit permanere excellentiam naturæ ſuæ, in qua ſibi plus nimium complacuit ergo volebat eſſe Deus per ſimilitudinem. Hoc ipſum colligitur ex nomine *Michael*, quod Principi bonorum Angelorum impoſitū eſt, & ſo

Angelus ex inordinato amore propriæ excel.

lentiæ appetiit eſſe ſimilis Deo.

Nomē Michael quid ſignificet?

eſt? & ſolet explicari *Quis ſicut Deus*. & hoc nomine, tanquàm armis potentiſſimis hoc eſt humilitate quando ſe omnes boni ſub Deo humiliauerunt, ſuperbia Dæmonum profligata eſt.

Quomodo Dæmō appetiit eſſe ſimilis Deo?

19 Dico ſecundò. *Angelus in peccato ſuperbiæ non potuit appetere eſſe Deus per æqualitatem, ſeu per eſſentiam, ſeu vt alii loquuntur per æquiparantiam.* ita tenet D. Th *hîc & in 2. diſt. 5. 4. q. 1. a. 2.* Capr. Albertus. D. Bonau. Alex. Alen *in 2. diſt. 5.* D. Anzel. *in lib. de caſu Diaboli c. 4.* vbi ponderat hoc verbum *ſimilis ero*, & inquit: *non dixit æqualis ero, ſed ſimilis ero Altiſſimo* Et *ratio eſt*, peccatum Angeli habuit in ſe electionem: ſed electio non poteſt eſſe impoſſibilis, niſi aliquo errore præcedente in intellectu: nullus autem error (vt iam dictum) potuit eſſe in intellectu Angeli. ergo non elegit aliquid impoſſibile, ſed vt Angelus per eſſentiam eſſet Deus, videbat hoc eſſe impoſſibile ergo hoc non appetiit. *Maior* patet ex *3. Eth. cap. 2* vbi dicitur. *voluntatem quidem eſſe impoſſibilium: intentionem & electionẽ non poſſe eſſe.* qui enim eligit aliquid, illud eligit, quod æſtimat ſibi eſſe poſſibile.

Electio debet eſſe poſſibilium.

20. *Ratio ſecunda.* D. Th. nulla natura poteſt appetere *ſuũ non eſſe* ſed ſi Angelus appetiit eſſe Deus, per eſſentiam appetiit *ſuum non eſſe.* nã non potuit eſſe Deus per eſſentiam niſi deſiiſſet eſſe Angelus, atque ſic *ſui non eſſe* appetiiſſet: quod eſt falſum. *Confirmat.* hoc Dictum Ariſtoteles, *amabile quidem bonum, vnicuiq; autem proprium.* ſed Angelus non potuit iudicare, eſſe Deum per eſſentiam, quod eſſet ſibi bonum proprium. ergo non appetiit eſſe Deus.

Scoti ſentẽtia.

Scotus dicit, quòd Angelus ſaltẽ voluntate conditionatá potuit appetere eſſe Deus per eſſentiam, hoc modo: ſi hoc poſſibile eſſet transmutari in Diuinam Eſſentiam, vellem eſſe Deus, ſed non eſt credibile, quòd tali voluntate conditionata peccauerit. nam talis obiecti appetitus, non eſt prohibitus, niſi fiat ex odio, aut ex inuidia: cùm & homo inquantùm poſſibile eſt, cupit eſſe Deus quodammodo, imitando bonitatem, ſapientiam, miſericordiã, eandemque in ſe efformando. *Tum* quia peccatum Angeli eſt grauiſſimum. ergo debuit habere grauius òbiectum.

Refutatio illius.

Peccatum Angeli non ſubiici Deo habebat ſe tantum conſequenter. non poſitiuè.

21. Dico tertiò. *Peccatum Angeli non conſiſtebat in eo, tanquam appeteret poſitiuè non ſubiici Deo, ſed ſolùm hoc fieri potuit conſequenter, & virtualiter.* PROBATVR quia tale obiectum v. non ſubiici Deo, non poterat iudicare eſſe ſibi poſſibile. nam aliàs ſuam ignorantiam declaraſſet. *Tum* ſi volebat non ſubiici Deo. ergo volebat non eſſe. nam non eſt poſſibile, quòd aliqua creatura ſit & non ſit ſub Deo; ſiquidem illius ESSE participat, *Denique* Angeli peccantis vltimus finis erat, illius vltima beatitudo & excellentia; & ex hoc ſequebatur ſecundariò, appetitus dominandi aliis: & tandem virtualiter non parendi Deo, v. ex modo operandi, non autem ex parte obiecti.

Angeli peccantis fuit finis vltima beatitudo & excellentia.

Complacentia excellẽtiæ & perfectionis, fuit in peccato Angeli.

22. Dico quartò. *In hoc peccato Angeli, fuit ſumma complacentia in ſua propria & naturali perfectione, & excellentia.* PROBATVR Ezech. 28. vbi redditur cauſa cur de medio lapidum ignitorum fuerit proiectus? *quia eleuatum eſt cor eius in decore ſuo.* Idem dicit D. Aug.

cit D. Aug. *lib. 11. de Geneſi ad literam. cap. 23.* vbi dicit. *Dæmon propriæ poteſta tis delectatione corruptus eſt.* & Abulenſis in Geneſi dicit: *in ſeipſos conuerſi ſunt Angeli. & ſuâ propriâ poteſtate delectati;* & hic eſt primus defectus rationalis creaturæ: ſic igitur Angeli ſunt delectati, ſeu delectationem habuerunt in propria poteſtate. ergo in illorum peccato fuit complacentia.

In peccato Angeli fuit etiam inordinatus appetitus.

Dico quintò. *In hoc eodem peccato fuit inordinatus appetitus, quòd quicquid appetiit vltimatè appetiit in actu exercito, ſiſtendo in ſeipſo.* Colligitur ex illis verbis: *Aſcendam in cælum ſimilis ero Altiſſimo,* expreſſè enim habuit reſpectū. non niſi ad ſuā propriā excellentiā. ergo illum aſcenſum & ſimilitudinē ad ſe vt ad finē referebat. Ezech. 28. dicitur *in multitudine ſapientiæ tuæ multiplicaſti tibi fortitudinem.* poſtea dicitur *eleuatum eſt cor tuum in decore tuo perdidiſti ſapientiam,* & ſic ſimiliter, & ſapientiam, & fortitudinem, & ſuā pulchritudinem ad ſe retulit

Hic appetitus fuit tā felicitatis naturalis quā ſupernaturalis.

23. Dico ſextò. *in hoc peccato ſuperbiæ, fuit inordinatus appetitus, felicitatis naturalis & ſupernaturalis*: quòd fuerit naturalis felicitatis: quia ad eam habuit appetitum naturalem: *tum* quia complacentia, quæ erat radix peccati Angeli, erat præcipuè de ſua propria perfectione & naturali beatitudine hanc enim ſolam intuebatur auerſis oculis à Deo, & in ea plus nimio delectatus eſt; & ſic fuit inordinatio in appetitu naturalis felicitatis. in appetitu verò ſupernaturalis beatitudinis, quæ illi per fidem reuelata fuit, probabile eſt, quòd ideo peccauit; quia hanc non ex gratia Dei, ſed ſuis viribus habere voluit; atque ſic prætermiſit ordinem regulæ Diuinæ in appetendo quod quidem eſt, vt nonniſi beatitudo ſupernaturalis ex dono Dei poſſideatur; & ſicut Deus habet ſuā felicitatem ex naturali virtute: ita eandem voluit habere: hoc tamen intelligendum eſt, quòd appetierit virtualiter & interpretatiuè ex modo operādi, cùm appetierit ex viribus propriis eſſe beatus.

Veriſimile eſt Angelis factam fuiſſe reuelationem Chriſtū fore hominem præceptumque datum illū adorandi

24. Dico ſeptimò. *Valde eſt veriſimile, quòd Angelis facta eſt reuelatio Chriſtum fore hominem: datumq; eſt illis præceptum, vt illum adorarent, in eo omnem ſpem, & amorem collocando. quod vbi cognouit Lucifer conuerſus eſt ad ſuæ naturæ excellentiam contemplandam, & naturæ humanæ vilitatem; & ſic ſibi ipſi complacuit, & Chriſtum Dominum deſpexit.* Colligitur hæc probabilitas ex illo ad Hebr. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli eius.* Gloſſa interlinealis dicit ſecundum humanitatem iubentur Angeli adorare Chriſtum. Et Caiet. ſupra cap. 2. in Gen. docet, quòd Angelus ſtatim à principio habuit præceptum ſupernaturale. quod quidem dicimus fuiſſe de adoranda Chriſti humanitate ſicut & primo homini ante lapſum datum eſt præceptum.

Deus res dupliciter produxit.

Idem Caiet. ſupra verbum *Iterum* notat, quòd ſicut Deus res dupliciter produxit: *primò* in mentibus Angelicis (vt ante docuimus) *ſecundò* in ſeipſis: ſic etiam priùs introduxit Chriſtum in mentibus Angelorum: ſecundò in ſeipſo, quando natus eſt.

Lucifer appetiit æqualitatem Dei per vnionē hypoſtaticā.

Quòd verò appetierit æqualitatem Dei per vnionem hypoſtaticam *probatur* ex illo ad Philip. 2. *qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus*

ſe eſſe æqualem Deo, loquitur de Filio Dei. Et D. Bernar. *Sermone 1. de Aduentu Domini.* dicit: *Lucifer ille, qui mane oriebatur pro eo, quòd Altiſſimi ſimilitudinem vſurpare tentauit, & rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo, (quod vtique filii Dei eſt) præcipitatus, illico corruit.* Et *Sermone 2. de Octaua Paſchæ* inquit: *ſi neſcis imprudens, vnigenitus eſt ille, cui æterna generatione Patris, æqualitas collata eſt, & cōſeſſus: tu rapinā cogitas, eſſe æqualis Deo, Filio gloriam inuides.*

QVÆSITVM IV.

An Dæmones per naturam? an verò per culpam propriæ voluntatis ſint mali?

Malum eſſe naturaliter dupliciter contingit.

25. QVantum ad primum Nota Eſſe naturaliter malū dupliciter cōtingit: *primò* vt malū ſit natura, vel quod naturæ propriū accidens malum ſit conſequens: *ſecundò* quando alicui ineſt naturalis inclinatio ad malum: ſicut quidam homines propter complexionē ſunt naturaliter iracundi, gloriæ cupidi. Hoc præmiſſo:

Dæmones naturaliter non poſſūt eſſe mali.

Dico primò. *Dæmones naturaliter non poſſunt eſſe mali ſumendo malum per naturam.* PROBATVR. quia hic eſt error Manichæorum, qui dicebant, quòd quædam creaturæ ſua natura ſunt malæ. nam ſunt à malo principio, & non à bono Deo. Et Gen. 1. dicitur. *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona* Sed Deus fecit Angelos, & eoſdem vidit valde bonos. *Confirmatur* Deus enim, qui eſt author omnium eſt optimus vnde à cauſa optima nonniſi creatura bona originem ſumit; ſiquidem effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ; & definitum eſt in IV. Concil. Carthag. cap 1. *Si quis dixerit Diabolum ſua natura fuiſſe malum, Anathema ſit.*

Dæmon nō ſolùm ſuâ naturâ fuit bonus. ſed nec naturalem inclinationem habuit ad malum.

26. Dico ſecundò. *Dæmon non ſolùm ſuâ naturâ, quam per creationem accepit fuit bonus, ſed etiam nullam naturalem inclinationem habuit ad malum.* PROBATVR. ſi ſit aliquid cuius natura ordinetur ad bonum particulare, tunc fieri poſſet, vt inclinetur, & tendat in aliquod malum, ſed per accidens, inquantùm eſt coniunctū alicui bono: & ſi ſit aliquid eiuſmodi, cuius natura ordinetur ad aliquid bonum vniuerſale, iam hoc inclinari & tendere non poteſt in aliquod malum. ſed Dæmones ordinati ſunt ad bonum vniuerſale. ergo non poſſunt inclinari niſi in bonum. *Maior.* hoc eſt diſcrimen inter bonū particulare & vniuerſale, quia particulare habet aliquod malū ſibi adiunctum: ſicut combuſtio, quæ eſt aliquod malum, coniungitur igni: vniuerſali verò bono nullum malū adiungi poteſt. *Minor.* omnis creatura intellectualis ordinatur in bonum vniuerſale, ſed Dæmones ſūt creaturæ intellectuales. ergo ordinantur in bonum vniuerſale.

Inter bonū particulare & vniuerſale diſcrimē:

27. QVANTVM ad alterum. *An Dæmo-*

Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis fuerint mali per voluntatem?

Angeli non ſtatī in principio ſuæ creationis fuerant mali.

Dico primò. *Falſum eſſe, quod quidã aſſerebant, quaſi Angeli ſtatim in principio ſuæ creationis, non quidem per naturã, ſed per propriæ voluntatis peccatum fuerint mali. Ratio illorum.* quia ex quo factus eſt Diabolus recuſauit iuſtitiæ. ſed hæc ratio eſt contra Scripturam. nam de Diabolo dicitur Iſaiæ 14. ſub perſona Regis Babylonis: *quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris.* & Ezech. 28. *in deliciis paradyſi fuiſti, plenus decore, perfectus ſapientiâ.* & loquuntur Scripturæ de inſtanti primo, in quo fuit creatus: eidemq; tribuitur ortus matutin⁹, deliciæ Paradyſi. ergo in illo inſtanti non peccauit.

Angelus in inſtanti ſuæ creationis non potuit peccare.

28. Dico ſecundò. *Falſum eſt etiam, quod quidam tenent* (vt refert D. Th.) *quòd Dæmon in primo inſtanti ſuæ creationis potuit peccare, ſed non peccauit.* Contra quos argumentor ex quorundã ſententia: quando duæ ſunt operationes ſe mutuò conſequentes, impoſſibile videtur, vt in eodem inſtãti terminentur. ſed in illo primo *nũc* creationis eſt vna operatio, creatio, & illius terminus Esse Angeli: ſecũda eſt peccatum Angeli, cuius termin⁹ Esse malum. ergo ſi eſt impoſſibile, vt hæ duæ operationes in vno *nunc* terminentur, non potuit Dæmon in *nunc* creationis peccare.

In *nunc* creationis Angeli erãt duæ operationes.

Reſpondet ad hoc argumentum D. Th. concludere de operationibus ſucceſſiuis, vt motus localis & alterationis: non autem de inſtantaneis, qualis eſt creatio, & motus liberi arbitrij in Angelis; & ſic nihil prohibet, quod hæ duæ operationes in eodem inſtanti terminẽtur; ſiquidem, in quo *nunc* ſol illuminat Lunam, in eodem *nunc* illuminat luna aërem.

Solutio argumenti.

Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis non potuerunt peccare, per inordinatum actum ſuæ voluntatis.

29. Dico tertiò. Sententia eſt D. Th. quòd *Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis non potuerant peccare per inordinatum actum ſuæ voluntatis.* Probatur 1. quia ille actus inordinatus tribueretur Deo, qui quidẽ eſt peccatum: & peccatum ad Deum nullo modo ſpectat. *Sequela* operatio quæ ſimul incipit cum Esse rei, eſt ei ab agente, à quo habet *eſſe*: ſicut moueri ſurſum ineſt igni à generante. ſed Angelus, ſi in eodem inſtanti, in quo eſt creatus habuit inordinatum actum ſuæ voluntatis. ergo illius peccatũ refunderetur in Deũ.

Probatur 2. D. Aug. 11. *de Ciuit. c.15.* dicit: *Non peccauit Angelus in primo inſtanti; quia ab optimo authore conditus eſt.*

Probatur 3. Si enim illa operatio, quam in inſtanti ſuæ creationis producit Angelus, eſſet mala etiam inclinatio, à qua talis operatio procederet, eſſet mala ſed inclinatio vna cũ natura, cui eſt inſerta, eſt à Deo. ergo in Deum reduceretur.

Probatur 4. non eſt impoſſibile, vt in illo inſtanti, in quo res producitur, poſſit diuidi illi⁹ operatio & eſſe: hæc tamen eſſet ab agente, quod quidem eſt, aut perfectum, aut defectiuum. ſed Deus, qui produxit Angelos eſt agens perfectum. ergo nõ defectiuum. ergo in Deum defect⁹ reduci non debet.

Inſtantia Scoti.

30. *Inſtat* Scotus in 2. *diſt. 5. q. 2.* quem ſequitur Valentia: quòd prima operatio Angeli, non ſolùm à Deo procedit, ſed etiam à cauſa deficiente, v. ab ipſius voluntate, ergo in tali operatione propter ſecundam cauſam deficientem deducetur peccatum. nam etiam operatio, quæ fuit in

fuit in ſecundo inſtanti, procedebat à Deo, ſicut & prima. ſed hoc non obſtante potuit in ſecunda eſſe peccatum. ergo & in prima potuit eſſe.

Solutio eiꝰ

Reſpondeo concedẽdo, quòd illa operatio in primo inſtanti creationis procedebat à cauſa libera, & deficiente, v. à voluntate Angeli: tamẽ in hoc primo inſtanti non potuit deficere; quia hic primus actus voluntatis Angelicæ fulciebatur ſpeciali ratione diuinæ directionis *Ad confirmationem dico*. quòd non eſt par ratio, quia peccatum dicit quãdam mutabilitatem à recta diſpoſitione iudicij practici, quod in ſecundo inſtanti accidit, quando iam Angelus ſuæ libertati relinquebatur. & quãuis vtraq; operatio, tam in primo, quàm in ſecundo inſtanti ſit à Deo quoad ſubſtantiam: aliter tamen prima, & aliter ſecunda habet ſe; quia in prima reducitur ad Deum, tanquam ex potentia ad actum: in ſecunda autem, iam Angelus ſua libertate gaudebat: ideo ex ſeipſo potuit operari; & per conſequens deficere.

QVÆSITVM V.

An inter creationem & lapſum Angeli fuerit aliqua mora?

31. CIrca hanc difficultatẽ magna eſt varietas opinionum, ita, vt dicat Bannes: quot capita; tot ſenſus; primò itaq; *Nota* per hãc *moram* nos intelligere inſtans Angelicum, quod quidem dupliciter conſiderari poteſt: *primò* quoad durationem operationis: *ſecundò* quoad productionem operis. inſtans Angelicum primo modo conſideratũ, non eſt indiuiſibile per reſpectum ad noſtrum tempus, ita, quòd vni inſtanti Angelico correſpondeat inſtans, ſeu *nunc* indiuiſibile noſtri temporis; ſed inſtantia Angelica ſumuntur ab operationibus Angelorum, quæ ſe habent ſucceſſiuè & conſequenter; proinde primum inſtans Angeli erit illius vnica operatio, cui reſpondebit noſtri tẽporis menſura diuiſibilis. v g. ſi Angelus aliquam rem diligat, hæc operatio toto tempore quo durat, vnico inſtanti menſuratur. vnde hæc talis operatio, ſi vno menſe duret in Angelo: nihilominus vnico inſtanti menſurabitur. & quando Angelus à dilectione ad aliam operationem ſe transfert, iam illa operatio nouo inſtanti menſurabitur. & hæc inſtãtia ſunt diſcretum tempus. ſi autem operationem Angelorum ſecundo modo conſideremus, v. ſecundùm virtutem ſeu productionem, quæ tota ſimul eſt, iam menſurabitur inſtanti indiuiſibili, quod modo inſtãti indiuiſibili reſpondebit. Hoc ſic notato.

Inſtans Angeli dupliciter conſideratur

32. Dico. omiſſa enumeratione opinionum, hanc veriorem & probabiliorem iudico eſſe ſententiam: *viam Angelorum tribus inſtantibus fuiße abſolutam, & intra hæc terminatum eſt negotium*

Via Angelorum tribus inſtantibus eſt abſoluta.

negotium ſalutis eorum, quorum duo durationem præceſſerunt: in tertio verò iam terminum felicitatis, aut infelicitatis ſunt conſecuti. In primo inſtanti omnes erant pares & conformes; ſiquidē omnes in gratia ſunt conditi,&ideo ſe mutuò dilexerunt: ipſum autem Deum ſummè non ſolùm vt authorem naturæ,ſed etiam ſupernaturalis beatitudinis: & in hoc inſtanti cœpit meritum Angelorum. In ſecundo inſtanti: quidam eorū v. boni, deliberata voluntate continuarunt meritum, & facti ſunt inflexibiles in amore Diuino: quidam verò v. mali deliberata voluntate in peccatum ſuperbiæ ſunt prolapſi,& illud meritum, quod in primo inſtāti inchoarunt, mortificauerunt: & facti ſunt nox & tenebræ. In tertio inſtanti, iam ſuum ſtatum ſunt adepti: quidam enim, vt boni beatitudinem acceperunt: quidam verò vt mali, gehennam poſſederunt. Hæc ſententia videtur eſſe valde probabilis, & quodammodo conformis D.Th.doctrinæ. *Probatur 1.* dicit enim in hoc art. in primo inſtanti omnes Angelos creatos, nullam habuiſſe differentiam ergo dandum eſt ſecūdùm inſtans,in quo ſe diſcreuerunt, & à ſe diſceſſerunt. Idem D. Th. in *Reſponſione ad 3.* dicit, quòd liberum arbitrium Angeli poſt electionem eſt inflexibile. ſed in primo inſtanti habebant naturalem motum: tandem ſubſecutum eſt impedimētum. ſed hoc non in primo. quia aliàs in primo inſtanti peccaſſent; quod iā à nobis probatum eſt. ergo debuit eſſe inſtans, in quo fuit deliberatio & electio,& poſt hanc ſecuta eſt inflexibilitas arbitrij.

In primo inſtāti omnes Angeli erāt conformes. & pares.

In ſecundo, quidam cōtinuarunt meritū quidā verò peccarunt.

In tertio boni præmium mali pœnā retulerunt.

33. *Probatur 2.* Angelus in ſui creatione duplex ESSE habuit: *naturale & ſupernaturale:* & in eodem ESSE ſuum naturale explicuit, exercendo operationem ſibi conuenientem. *ſimiliter* in ESSE ſupernaturali, in eodem inſtanti, debuit ſe explicare per operationem ſupernaturalem, v. dilectionis Dei. ſed in hoc inſtanti operationes hæ Angelorum fuerūt cōformes. ergo aſſignandum alterum inſtans, in quo erant difformes. in quo iam fuit plena deliberatio, & vſus liberi arbitrij. & quidam continuarunt primi inſtantis merita, ac ex integra deliberatione, ſe & ſua omnia in Deum retulerunt; & ſic per ſuam electionem facti ſunt inflexibiles in Diuino amore: quidā verò ſecundùm plenam deliberationem, meritò primi inſtantis impedimentum poſuerunt, v. peccatū ſuperbiæ ſeipſos, & ſuæ naturæ excellentiam ſummè adamando. ergo & tertiū inſtās dādū,in quo rigor iuſtitiæ Diuinæ vim ſuā exercuit: bonos præmiando,malos damnando.

Angelus in ſui creatione duplex eſſe habuit.

34. *Nota.* Non ſentimus cū Caiet. qui vnū inſtās,& præmij,& meriti, & ſupplicij aſſignat. ſicut enim via & terminus ſunt diſtincta: ita & hæc duo inſtantia debent eſſediſtincta.

Nota 2 contra Ferarien. *3. contra gentes. c. 110.* quòd malus Angelus in eo inſtanti in quo peccauit,non recepit æternam pœnam, ſed in ſequēti v. in tertio. quamuis enim non implicat, vt in eo inſtanti, in quo quis peccat,recipiat pœnam: tamē hoc contra legem Dei ordinariam, quæ ſtatuit, vt nullus ſimul ſit viator & comprehenſor: quod priuilegium eſt ſpeciale ſolius Chriſti. nam non eſt ſimul in via, & in vltimo termino.

QVÆ-

QVÆSITVM VI.

An ſupremus Angelus inter peccantes fuerit ſupremus inter omnes?

35\. DTh ad hoc Quæſitũ præmiſſa diſt. quòd in peccato duo ſint conſideranda: *primò* procliuitas ſeu pronitas ad peccandum. *ſecundò* motiuum ad peccatum, ſic *Reſpondet*: ſi conſideremus pronitatem ad peccandum, potiùs videntur peccaſſe inferiores, quàm ſuperiores; & per conſequens primus inter peccantes, non fuit ſupremus inter omnes Angelos. *Et ratio illius eſt*, quia inferiores videntur eſſe elongati ab impeccabilitate, quæ Deo conuenit. vnde ſibi relicti facilè labi potuerunt. Hanc ſententiam D. Damaſcenus *lib. 2. Orthodoxæ Fidei c. 4.* tuetur, aſſerens principem inter peccantes, fuiſſe principẽ infimæ Hierarchiæ. & confirmant hoc verba illa Ezech. 28 *Tu Cherub. extentus es*: ordo autem Cherubim non eſt ſupremus, nam illo altior eſt Seraphim: ſi verò cõſideremus motiuum ad peccandum, magis videtur conſonũ, quod ſuperiores peccarunt: & per conſequens, quod ſupremus inter peccantes fuit ſupremus inter omnes Angelos. *Probatur.* Peccatum Angelorum fuit ſuperbia. ſed ſuperbiæ motiuum non poteſt eſſe conuenientius & efficaci', quàm excellentia naturæ: hæc verò in ſupremo Angelo fuit maxima. ergo ſupremus inter omnes peccauit. Hanc ſententiam cum Magiſtro *in 2. diſt. 6. & 7.* tenent communiter Theologi. Colligitur ex Scriptura: *Ille eſt principium viarum*. hoc eſt, primus inter creaturas. & Ezech: 28. vocatur *ſignaculum ſimilitudinis*; quòd ille Deo fuerit ſimilior in ſuæ naturæ perfectione, quàm quæuis alia creatura ib. dicitur: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum*. D. Greg. per lapides pretioſos intelligit Choros Angelorum, inter quos ille eminebat, illorum perfectiones tanquam pretioſos lapides in ſe continens.

In Angelis peccantib⁹ quæ cõſideranda Deciſio Quæſtionis Inferiores procliuiores erãt ad peccandum

Excellentia naturæ eſt motiuũ ſuperbiæ.

36\. *Nota*. quamuis non ſit temerarium cum D. Damaſceno affirmare, quòd inferiores peccarunt: tamen magis videtur eſſe poſſibile, quòd ſuperiores & inter hos ſupremus. nam optima eſt congruentia D. Th. ſiquidem ſupremus Angelus maiorem habuit occaſionem peccandi, atq; etiam motiuum v. excellentiam naturæ ſuæ, & quamuis habuerit magna dona: illis tamen non eſt bene vſus, quòd accidit ex inconſideratione; quia à propria perfectione plùs nimio fuit abductus, & illectus.

QVÆSITVM VII.
An peccatum primi Angeli fuerit alijs cauſa peccandi?

37. SVnt qui affirmant, vt Albertus *in 2. diſt. 5.* Vilhel. Pariſien. *lib. 2. de Verit. 1. p. c. 112.* vnumquemq; Angelum fuiſſe primum authorem ſuæ malitiæ, ita, quòd ex ſeipſo ſine vlla ſuggeſtione, vel ſuaſione peccauerunt; ſed potiùs cum D. Th. *hîc a. 8.*

Peccatum primi Angeli fuit cauſa peccandi aliis, incitās

Dico. *Peccatum primi Angeli fuit aliis cauſa peccandi: non quidem cogens, ſed quâdam quaſi exhortatione adducens.* ita communiter Theologi ſentiunt cũ ipſo Magiſtro *in 2. diſt. 5. & 6.* & eſt conforme Scripturæ Apocal. 11. *Draco traxit ſecum tertiam partem ſtellarum.* hoc verbũ *traxit* ſignificat quãdam inductionem. & Iſaiæ 14. dicitur ad Luciferum, exprobrando ei quòd cæteris Angelis fuerit author peccandi: *Tu diſperdidiſti terram: tu populum tuum occidiſti*, v. inferiores Angelos qui tibi quodã modo ſubditi erant. & D. Damaſc. *l 2. c. 4.* cõſentit, cùm dicit, quòd pænè infinita multitudo Angelorum, quæ ordinata fuit ſub primo Angelo peccante, comitans eum, corruit. *Et Ratio eſt.* D. Th. Iuſtitiæ lex eſt, vt à quo quis ſuperatur, illius ſeruus ſit: & qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. ſed Angeli inferiores ſuggeſtioni ſuperioris cõſenſerunt. ergo in culpa eum ſunt ſecuti.

Exhortatio ad peccatũ qualis fuerit?

38. *Quæres.* Cuiusmodinam fuerit hæc exhortatio, quæ alios induxit ad peccandum? *Reſpondeo* ſolicitando eos ad peccatum ſuperbiæ: non quidẽ proponẽdo illis aliquod malum ex parte obiecti, & ex parte modi operandi; ſed proponendo illis naturæ ſuæ excellentiam, extollendo illius naturalem felicitatem, nullam faciendo mentionem de ſupnaturali beatitudine: vel, (vt quidam putant:) propoſuit quidem illis ſupernaturalem beatitudinem, & quòd eſſet ſufficiens, ad illuſtrandã ſuam excellentiam; ſed ſubticendo quòd hoc nonniſi ex miſericordia, & dono Dei haberi poteſt; & ſic ex parte obiecti nullum erat malum: ſed ſolùm in modo appetendi: & in hoc defecerunt, quòd ſolùm conuenientiam rei propoſitæ conſiderabant: modum autem quo in ſuperbiam elatus eſt; nõ aduertebãt, ſicq; cæteri Angeli, idcirco corruerunt.

Nota hæc exhortatio fuit per illuminationem, quæ illis in ſecundo inſtanti ſuam primam affectionem manifeſtauit; & quia omnes mali cõſenſerunt, & Deo ſpreto, quòd tũc non conſiderabãt ordinem Diuinæ regulæ, per quam Deo ſubiici debebant; Luciferum ſunt ſecuti, idcirco grauiter peccauerunt.

QVÆ-

QVÆSITVM VIV.

An tot peccauerũt quot permãſerũt?

Angeli plures permanſerunt quã peccauerũt

39. DIco cum D. Th. longè plures permanſerunt quàm peccauerũt. nam Apoc. dicitur 13. quod *traxit tertiam partem*. ergo duæ manſerunt; & per cõſequẽs plures. *Et ratio eſt* D. Th. id, quòd eſt contra naturam, in paucioribus accidit: quòd autem ſecundùm naturam in pluribus reperitur. ſed peccatum eſt cõtra naturã. ergo in paucioribus: non peccare autem ſecundum naturam. ergo in pluribus.

Inſtantia.

40 *Inſtabis* Ex hac ratione D. Th. ſequitur, quòd plures homines ſequerẽtur virtutem: pauciores autẽ vitia, quòd quidẽ eſt contra doctrinam Saluatoris Matth. 7 *Lata eſt via quæ ducit ad perditionem*: & cum loquitur de anguſta via, quæ ad cælũ ducit, addit: *pauci ſunt qui inueniunt eam.* *Sequela.* quia virtus eſt ſecũdũ naturã: vitium autẽ contra naturã. ergo cõtra naturalẽ inclinationẽ hominis eſt vitiũ. ergo in paucioribus eſt. *Reſpondeo* negando Sequelã, quia non eſt par ratio. *Ad probationẽ dico*, quòd bonũ virtutis, eſt quidẽ naturæ hominis conuenientiſſimũ quoad rationẽ: ſed idẽ homo habet quoq; bonũ ſenſibile, quod illi propter ſenſitiuã potẽtiã eſt cõſonũ, quæ cõtrariatur rationi: caro enim cõcupiſcit aduerſus Spiritũ, & Spiritus aduerſus carnẽ, & ſæpiſſimè ſenſus vĩcit. faciliùs enim à ſenſibilibus trahimur ad præſẽtẽ boni delectationẽ; ſiquidẽ præmiũ virtutis in futurũ ſæculũ reiicitur. Vnde bonum ſenſibile, mouendo ſenſum; eſt in cauſa, quòd pauci homines ſint boni: in Angelis autẽ nõ eſt ſenſitiua facultas. idcirco nulla res poteſt eos abducere à bono virtutis, niſi ſola malitia propria.

Solutio eius

DISPVTATIO XV.

De Pœna Malorum Angelorum.

1. PEccatum, ſeu culpã Angelorum, (de qua iam egimus) ſequitur pœna de qua nobis tractandum; & hæc quidem duplex eſt: *quædam* afficiens interiores potentias. vt intellectũ & voluntatẽ: *Quædam verò* eſt, quæ per creaturã extrinſecus eſt illis inflicta; proinde quatuor attingemus: *primum* de pœna intellectus quæ eſt obtenebratio: *ſecundũ* de pœna volũtatis, quæ eſt obſtinatio: *tertiũ* de dolore, *quartũ* de loco pœnarũ

2. QVANTVM ad primum, v. *quoad obtenebrationem intellectûs.*

Cognitionis Diuiſio 1.

Nota 1. cognitionẽ eſſe duplicẽ: *quædã* eſt per naturã ſeu naturalis: *quædã* per gratiam ſeu ſupernaturalis.

Diuiſio 2.

Nota 2. cognitio quædam eſt ſpeculatiuè affectiua: quædam verò eſt practicè

practicè affectiua. Hoc præmiſſo. Dico primo *Cognitio naturalis, quæ habetur per naturam ſeu per lumen naturale neque eſt ablata, neque diminuta.* Ita affirmat Dion. cap. 4. de Diu. Nom. vbi dicit, omnia naturalia integra manſiſſe in Dæmonibus *Ratio prima* quòd non ſit ablata; quia quælibet cognitio ſequitur naturam, ſed in Angelis eſt natura intellectiua, in qua naturalia manſerunt. ergo mãſit & cognitio naturalis.

Cognitio naturalis in Dæmonib⁹ neq; eſt ablata, neq; diminuta.

3. *Ratio ſecunda.* quia Diuinæ prouidentiæ eſt vnamquamq; rẽ in eo *Eſſe* cõſeruare, in quo produxit ſed ꝓduxit in *eſſe* intellectiuo naturali. ergo in eodem conſeruat, etiam quoad cognoſcere; ſiquidem cognitio eſt ſecundùm modum eſſendi: vt ſi modus eſſendi eſt ſenſitiuus, erit cognitio ſenſitiua & ſi intellectiuus, erit quoque cognitio intellectiua; ꝓinde nõ eſt diminuta naturalis cognitio. nam cognitio naturalis habet lumen naturale intellectus. ſed hoc eſt in indiuiſibili. ergo nihil ab eo demi poteſt.

4. *Dices* Per infuſionem erroris potuit diminui ſcientia naturalis in Dæmonibus. *Reſpondeo* nõ potuiſſe; quia hæc infuſio erroris à Deo fieret: Deus autem erroris habitũ infundere non poteſt, cum non falſitatis, ſed veritatis ſit author. *Rurſum.*

In Dæmonibus nec per infuſionem erroris potuit diminui ſcientia

Dices Potuit tamen auferri, aut diminui per ablationem ſpecierũ. *Reſpondeo.* quòd non; quia hæ ſunt connaturales Subſtantiis intellectiuis: atque ſic cognitio naturalis in malis Angelis per ſuauem Dei ordinationem non eſt diminuta.

Hoc etiam per ablationem ſpecierum.

5. Dico ſecundò *Cognitio ſupernaturalis, quæ habetur per gratiam, quoad obiectum; non eſt totaliter ablata, ſed magna ex parte diminuta.* Iacob. 12. *Dæmones credunt, & contremiſcunt.*

Cognitio ſupernaturalis, quæ habetur ꝑ gratiam nõ eſt totaliter ablata, ſed magna ex parte diminuta.

Nota 1. quando dicimus, Dæmones habere ſupernaturalem cognitionem, non ſic intelligas, quod ea ſit verè ſupernaturalis ex parte intellectus, & ex parte obiecti; ita quod ad illorum intellectum accedat donum gratiæ, v. lumen fidei: in quo veritatem myſteriorum ſupernaturalium attingat ſub ea ratione, ſub qua attinguntur, v. quod ſint reuelata à prima veritate.

6. *Nota 2. Dæmones non habent fidem ſed amiſſa eſt per ſuſpenſionem Diuini concurſus in pœnam peccati tunc ratione ſtatus*; quia ſunt in damnatione, ſunt enim in termino nihil vnquam ſperantes, ſed de ſua felicitate deſperantes: poteſt tamen in illis eſſe Fides naturalis ſupernaturalium Myſteriorum, vt Trinitatis, Incarnationis per credulitatem; & fidem naturalem acquiſitam. Sicut & Hæretici ea credunt. in quorum fide, non eſt motiuum, quia ſunt à Deo reuelata; ſed eſt voluntas credendi; vel quia inducuntur ad credendum, aliqua ratione naturali. vide D. Th. 2. 2. q. 5. art. 2.

Fides in Dæmonibus eſt amiſſa per ſuſpenſionẽ concurſ⁹ Diuini.

7. Dico tertiò. *Cognitio Speculatiua affectiua non eſt in Angelis. Ratio eſt.* quia talis cognitio cauſat amorem Diuinum ſuper omnia. ſed hic totaliter eſt ab illis ablatus. ergo talis cognitio ſupernaturalis v. ſpeculatiua affectiua non eſt in Angelis, neque etiam in Dæmonibus eſt cognitio affectiua Practica, quæ inducat ad amorem boni. nam talis requirit bonam intentionem, quæ ob deprauationem per peccatum non eſt in Dæmonibus.

Cognitio ſpeculatiua affectiua nõ eſt in Angelis.

8. QVAN-

QVANTVM ad pœnam voluntatis v. ad obſtinationem.

Volũtas bonorum Angelorũ eſt confirmata in bono malorũ in malo.

Dico primò. *Firmiter ſecundùm fidẽ Catholicam credendum eſt, quòd ſicut voluntas bonorum Angelorum eſt confirmata in bono: ita malorum obſtinata eſt in malo Ratio eſt.* D. Th. Angelus enim ex cõditione naturæ ſuæ, quidquid per intellectum apprehendit, immobiliter apprehendit, & immobiliter adhæret: ſicut nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus: & idcirco Angelus poſt electionem factã per plenam deliberationem eſt inflexibilis ab eo bono, aut malo quod elegit.

In Dæmonibus quæ ſũt cauſæ obſtinationis.

9. Dico ſecundò. *Cauſa obſtinationis eſt quidem negatio & ſubtractio Diuini auxilii: ſed hæc non eſt ſola cauſa (vt voluit Scotus cum Durando) verum etiam praua diſpoſitio voluntatis*, eſt enim firma apprehenſio, & adhæſio ad primam electionem: ſicut enim voluntas bonorum Angelorum firmiter & immobiliter adhæret bono Diuino, à quo iam reuocari non poteſt ad malum: ita obſtinatio in Dæmonibus eſt immobilis adhæſio ad bonum creatum, hoc eſt ad ſuæ naturæ excellentiam; quod eſt contrarium Legi Diuinæ eſt quoque obſtinationis cauſa odium actuale Dei quod in eo ex eis oritur, & ſemper durat: quia Dæmones ſunt neceſſariò, & perpetuò in cognitione miſerrimi ſui ſtatus; & quia ſciunt pœnas infligi à Deo, & quod in æternum non mitigabuntur; ideo exardeſcunt in Deum incredibili odio.

In Dæmonibus obſtinatis quæ reperiantur?

10. Dico tertiò. *In Dæmonibus obſtinatis hæc primaria reperiuntur:* primũ *quòd nullo modo à ſtatu culpæ reſurgere poßunt ad ſtatum amicitiæ.* ſecundùm *quod obſtinati ab actu vitii non poßunt trãſire in actum virtutis*: tertium *obſtinatus non poteſt ſuſpendere actum voluntatis, quem ſemel habuit circa finem. cùm non poſſit actum virtutis habere.* quartum *obſtinatus non poteſt præſtare aliquod bonum quod ſit vndique bonum*, quia voluntatem eius malitia occupauit: atque ſic in omnia opera eius diffunditur.

11. QVANTVM ad tertium, v. *quo ad dolorem.*

Dico primò. *Dolor ſenſitiuus, qui eſt actus elicitus ab appetitiu ſenſitiuo non eſt in Dæmonibus.* PROBATVR, quia Dæmones non habent corpus: dolor autem ſenſitiuus requirit corpus. *Tum* quia dolor eſt actus materialis, proueniens ex ſolutione continui. ſed in Dæmonibus ſicut non eſt corpus: ita neque continuum, quod eſt proprietas corporis.

Dolor ſenſitiuus ab appetitu ſenſitiuo elicit• non eſt in Dæmonibus

12. Dico ſecundò. *Dolor Spiritualis inquantùm habet modum Paſſionis, & ſimplicem actum voluntatis dicit, reperitur in Dæmonibus.* PROBATVR dolor eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt. ſed Dæmonibus multa accidunt, quæ illi nolunt. *Primò accidit* quòd nollent, quia amiſerunt æternam beatitudinem; & hic dolor eſt pœna damni: *ſecundò* dolent de peccatis præteritis commiſſis; non ideo quòd ſint offenſa Dei, ſed quia illis ſunt cauſa æternorum cruciatuum: *tertiò* dolent ex liuore, & ex inuidia, cùm vident, tam homines, quam Angelos, æterna ornari felicitate: *quartò* dolẽt ob ignem inferni à quo cruciantur.

Dolor inquantum hã hec modum paſſionis, & ſimplicẽ actum voluntatis dicit, reperitur in Dæmonib•

13. *Quæres* An ſummus dolor Dæmonum compatitur ſecum gaudiũ. *Reſpondeo* quòd nullo modo compatiatur; quia ſummus dolor & vehementiſſima triſtitia excludunt penitus gau-

Dolor Dæmonum nõ poteſt compati ſecum gaudium.

tûs gaudium, tanquam ſibi oppoſitum. *Tum* quia hic dolor eſt pœna eſſentialis, & ideo ſemper durat ſine vlla variatione. *Præterea* quia hoc ſolius Chriſti fuit priuilegiũ, quòd ſimul in cruce exiſtens, & viſione Diuinæ fruebatur, ex quo ſummum gaudium capiebat, & maximo dolore afficiebatur.

Obiectio. *Obiicies.* Diuus. Aug. 2. de Gen. contra Manichæos dicit, Diabolum habere poteſtatem in eos. qui Dei præcepta contemnunt, & de hac ſua infelici poteſtate lætari. *Reſpondeo.* cum D. Th tale gaudiũ non eſſe verum, ſed fallax; quia non eſt de vero bono: quando verò dicuntur lætari, quòd homines in varia peccata inducunt, hoc tale gaudium non eſt formaliter gaudium, ſed cauſaliter; quia vident ſua deſideria impleri. Solutio.

14, QVANTVM ad quartum. *de loco Pœnarum.*

Locus damnatorum, eſt infernus. Dico primo. *Infernus eſt locus à Deo deputatus in punitionem damnatorum.* Et *ratio eſt* quia hoc exigit ratio Diuinæ Iuſtitiæ, vt ſicut eſt certus locus, in quo beati præmium habent: ita debet eſſe & certus damnatorum puniendorum.

Inferni locus eſt in centro terræ. Dico ſecundò. *Inferni locus eſt ſubtus terram & in ipſo centro terræ.* vnde D. Greg. 4. *Dialog. cap 42.* confutat eos, qui crediderunt infernum eſſe in ſuperficie terræ in horrida quadam valle & D. Chryſoſt. putauit infernum & gehennam, extra terrarum orbem.

15. Dico tertiò. Secundùm D. Aug. 3. ſupra Gen. *Aer caliginoſus, eſt quaſi carcer Dæmonibus, vsq; ad diem iudicii, in quo propter certamina cum hominibus manere ſunt à Deo permiſſi; & quamuis ſint in aere; illorum tamen pœna non minuitur.* ſecum enim, (vt Gloſſa ordinaria inquit,) ignem gehennæ portant, quocunque vadunt. Aër caliginoſ', eſt carcer Dæmonibus.

Dico quartò. *In hoc loco inferni eſt ignis materialis ſenſibilis, corporeus, idemque ſpecie cum noſtro, qui tam Dæmones, quam homines damnatos cruciat* Ita cõfitetur diues damnatus: *Crucior in hac flamma.* Ignis in inferno eſt idẽ ſpecie cum noſtro

16. Dico quintò. *Ignis inferni cruciat Dæmones, & animas damnatorũ, non per alligationẽ & detentionẽ in inferno, tã quã in carcere: verũ propter propriam ſuã actionem, inquantùm eſt ignis; ſiquidem* idem Diues epulo non dicit *detineor in hac flamma,* ſed *crucior.* Ignis inferni non detinet tantum damnatos,

Quæres de modo, quo ignis, cùm ſit corporeus poſſit agere in ſpiritum? *Reſpondeo* verum quidem eſt, quòd res naturalis corporea ſecundùm ſe conſiderata, non poſſit agere in ſpiritũ: ſed inquantũ eſt in manu Dei à qua virtus eius eleuatur: ſic iam actiuitate ſuã pertingit ad cruciandum Spiritum. Res corporalis ſpiritalem cruciat, Deo ſic permittẽte

Et hæc interim de Angelis ſufficiant, Deum ſuppliciter orantes, vt nos ab ignis inferni cruciatibus liberet, & conſortes Regni ſui cum cæleſtibus Spiritibus faciat. Cui ſit laus & gloria in omnem æternitatem.

IN TRA-

IN TRACTATVM DE MYSTERIO INCARNATIONIS

PRÆFATIO.

DE Myſterio INCARNATIONIS à ſæculis abſcondito, & in tempore ſecundùm beneplacitum Diuinum manifeſtato, de Deo facto ex muliere, facto ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, & in adoptionem filiorum aſſereret: de hoc (inquam) magno ſtupendo & ineffabili Sacramento Dominicæ INCARNATIONIS præſens nobis tractatio inſtituenda. & in hoc ingreſſu duo attingemus: *primò* Quæ ſit ratio ordinis? *ſecundò* Vnde Incarnatio dicta? Ratio ordinis hæc eſt: poſtquam S. Doctorem in *1. p.* diſputantem audiuimus, non ſolùm de Deo ſecundùm ſe conſiderato, inquantùm eſt vnus & trinus, ſed etiam inquãtùm eſt principium effectiuum omnium creaturarum: in *2.* verò *p.* etiam de Deo differentem vidimus, inquantùm eſt vltimus finis hominis, qui ordinatis à Deo mediis, v. bonorum operum actionibus eſt acquirendus. vnde in *1. 2.* de Actibus in communi: *in 2. 2.* de Actibus in particulari, quos exercendo ſcopum felicitatis poſſumus attingere, aut ab eis deuiando, etiam à fine deflectere neceſſe eſt. Et quia ob inobedientiam primorum parentum & tranſgreſsionem Diuini mandati, totum genus humanum exciderat à

Ratio tractationis quæ ſit?

præfixa

præfixa ſibi felicitate, admirando Dei conſilio, mediator Dei & hominum datus eſt CHRISTVS, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de* SPIRITV S. *ex* MARIA *Virgi e, &* HOMO *factus eſt*. & ſic in hac *3. p.* agit de Deo, inquantùm eſt Redemptor hominum.

Nomen Incarnationis vnde originem ſúpſit.

Hoc nomen *Incarnatio*, quo ſignificamus Deum factum eſſe Hominem, à *carne* originem ſumit, non quaſi ſolam carnem aſſumpſerit, ſed inquantùm vnita fuit animæ rationali. nam hoc nomen *Caro* in Scriptura ſignificat hominem. Luc 3. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, id eſt, *omnis homo*. ſicut & nomine iſto *Anima* ſignificatur Homo. Gen. 45. *Iacob genuit animas*, id eſt, *filios*. & licet SS, PP. varijs nominibus hoc Myſterium appellent: vt *Epiphania Apparitionem, Humanationem, Synodum vtriuſque naturæ, ſummariam collectionẽ*: vſus tamen obtinuit, vt *Incarnationis* nomine ſignificetur: quod colligitur ex illis verbis D. Ioan. *Verbum Caro factum eſt*, nec quiſquam mirari debet, quòd ſit nouum nomen; ſiquidem Tullius *lib: 1. Academ. quæſt.* docet: *Nouis rebus noua nomina eſſe imponenda*. iam verò hoc Myſterium eſt nouum Propheta atteſtante: *Nouum creauit Dominus ſuper terram, mulier circumdabit virum*. & D. Paul. nomine *Carnis* pro Incarnatione vtitur, ad Hæbr. 5. *Chriſtus in diebus carnis preces offerens*, hoc eſt, *in diebus Incarnationis ſuæ*.

Appellationes Incarnationis aliæ.

DIVISIO TRACTATVS.

S. Doctor in Prologo huius *3. p.* tres partes conſtituit: *prima* eſt de Saluatore: *altera* de Sacramentis, quibus ſalutem conſequimur: *tertia* de vita immortali reſu gentium Primam partem de Saluatore Cai. t. in tres Tractatus generales diuidit: *primus* eſt de conuenientia Incarnationis, qui in *1. quæſt.* habetur: *ſecundus* eſt de modo vnionis, à *quæſt. 2 vſq; ad 15.* incluſiuè: *tertius* habet conſequentia à *quæſt. 16. vſq; ad 27.* Nos more noſtro hunc Tractatum in 25. Diſputationes diuidimus.

1. *De Conuenientia Incarnationis.*
2. *De Modo vnionis duarum naturarum in Chriſto.*
3. *De Modo vnionis ex parte Diuinæ Perſonæ aſſumentis.*
4. *De Modo vnionis ex parte naturæ humanæ aſſumptæ.*
5. *De Modo vnionis ex parte partium naturalium naturæ humanæ.*
6. *De ordine quo hæ partes ſint aſſumptæ.*
7. *De Gratia Chriſti vt eſt homo particularis.*
8. *De Gratia Chriſti, vt eſt Caput Eccleſiæ.*

9. *De Scientia Chriſti in communi.*
10. *De Scientia eius beata.*
11. *De Scientia eius infuſa.*
12. *De Scientia acquiſita.*
13. *De Potentia Chriſti.*
14. *De defectibus Corporis Chriſti.*
15. *De defectibus animæ aſſumptæ.*
16. *De modis dicendi quibus vtendum eſt in Chriſti Dei & hominis Perſona ſignificanda.*
17. *De vnitate in Chriſto quoad Eſſe.*
18. *De Voluntate Chriſti.*
19. *De Chriſti operationibus.*
20. *De ſubiectione Chriſti erga Patrem.*
21. *De Chriſti oratione.*
22. *De ipſius ſacerdotio.*
23. *De adoptione an ei conueniat?*
24. *De eius Prædeſtinatione.*
25. *De eius adoratione.*

DISPVTATIO I.

De conuenientia Dominicæ Incarnationis.

Septem attingemus:

1. *An Incarnatio ſit poſſibilis?*
2. *An conueniens Deum incarnari?*
3. *An fuerit neceſſarium ad reparandam ſalutem humanam?*
4. *An ſi homo non peccaſſet Deus incarnatus fuiſſet?*
5. *An potiùs incarnatus ad tollendum peccatum originale? an verò actuale?*
6. *An conueniens erat incarnari à principio mundi?*
7. *An verò in fine mundi?*

QVÆSITVM I.

An Incarnatio ſit poſſibilis?

1. IDeo hoc Quæſitum proponimus; quia (vt dicit Caiet.) videtur D. Th. ſaltando incepiſſe, hoc eſt, omiſſa poſſibilitate ſtatim de conuenientia agit: cuius rei variæ cauſa aſſignari ſolet. nos

cum Caiet. duas aſſignamus: *prima* quia nulla ſcientia ex *lib. 1. Poſter.* probat poſſibilitatem ſui ſubiecti, ſed illud præſupponit: huius ſcientiæ de Incarnatione ſubiectum eſt VERBVM *incarnatum*: ergo præſupponi debuit.

Quod omiſſa poſſibilitate Incarnationis ſtatim de conuenientia eius egit S. Doctor cauſa 1

Hæc cauſa patitur inſtantiam; nã quamuis inferiores ſcientiæ non probent ſuum ſubiectum, tamen ſuperiores ſaltem ex accidenti ob proteruiam aliquorum tenentur id præſtare, ſoluendo argumenta cõtraria: tum & deducendo ad abſurda. nam inferior ſcientia relinquit probationem ſui Subiecti ſuperiori ſcientiæ. cùm ergo Theologia nõ habeat ſuperiorẽ, omnino illa debet probare; ſicut contra Atheos probat à poſteriori rationibus naturalibus exſiſtentiam Dei, qui Deus eſt ſubiectum Theologiæ.

Inſtãtia cõtra eandem

Cauſa 2.

Altera cauſa eſt, quam omnes admittunt: quia ex conuenientia Incarnationis ſequitur poſſibilitas. nam nihil poteſt eſſe conueniens, niſi ſit poſſibile; & licet poſſibile ſit ſuperius & latius quàm conueniẽs: hoc tamen ſolùm accidit in creaturis, ſed quoad operationes Diuinas conuertuntur; nihil enim eſt cõueniens Deo, quod non ſit poſſibile; nec aliquid poſſibile, quod non ſit conueniens. *Et ratio eſt*, quia Deus in ſuis operationibus deficere non poteſt. vnde quicquid operatur, illud ipſum ſicut illi eſt poſſibile, ita quoque & conueniens.

Sed quia hoc dubium indiſcuſſũ non debet relinqui, duo de poſſibilitate determinanda. Primò *An ſit poſſibilis quoad fieri?* ſecundò. *An quoad ſcientiam illius poſſibilitas lumine naturali poſſit cognoſci.*

2. QVOAD primum dico primò. *Incarnatio* VERBI DIVINI *ita eſt poſſibilis, vt eam negare ſit ſummæ impietatis.* PROBATVR. quia hoc myſterium in facto iam eſt exhibitum. Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt.* & Matt. 1. *De qua natus eſt* IESVS *qui vocatur Chriſtus.* & Lucæ 2. *Annuntio vobis gaudium magnum: quia natus eſt vobis Saluator mundi* ergo fuit poſſibilis. idem confirmat Symbolũ Apoſt. Concilia, vt Nicænum, Conſtantinop. & Patres paſſim aſſerunt.

Incarnationis poſſibilitatem negare eſt ſummæ impietatis.

Dico ſecũdò *Incarnatio non ſolùm eſt poſſibilis* FILIO, *ſed etiã* PATRI *&* SPIRITVI S. *Probatur.* Subſiſtentia ſeu Perſona Diuina, per quam natura humana in Chriſto eſt terminata, & ſuſtentata, æquè Patri & Spiritui S. ſicut & Filio competit. ſed Filius in Incarnatione ſua ſubſiſtentia ſeu Perſona Diuina ſuſtentat naturam humanam. ergo & Pater, & Spiritus S. poterant ſuis ſubſiſtentijs terminare naturam humanam. ergo poterant incarnari.

Incarnatio poſſibilis omnibus tribus perſonis.

3. QVOAD alterum dico primò. *Certum eſt ſecundùm omnes Theologos, quòd cognitione perfectâ & abſolutâ euidenter ratione naturali non poſſit probari poſſibilitas Incarnationis.*

Poſſibilitas incarnationis euidenter ex ſolo lumine naturali non eſt cognoſcib.

Dico ſecundò *Licet dubium ſit de cognitione imperfecta, tamen neq; hac imperfecta poteſt haberi euidenter ex ſolo lumine naturali* PROBATVR. ad hoc myſterium Incarnationis euidenter cognoſcendum, requiritur cognitio myſterij Trinitatis. ſed Trinitatis cognitio lumine naturali haberi non poteſt, (vt in noſtro Tract. de Trinitate docuimus.) ergo nec Incarnationis. *Maior.* quia Incarnatio ſupponit Suppoſitum Diuinum, ſeu Perſonam Diuinam, quæ vt cognoſcatur.

catur euidenter ; ad Trinitatis myſterium ſpectat: quòd cùm naturaliter non cognoſcatur; idcirco nec Incarnatio.

Obiectio.

4. *Sed obiicies* Angelus ſolo lumine naturali cognoſcit, non repugnare Deum incarnari, nec ex parte Dei aſſumentis, nec ex parte naturæ aſſumptæ. ergo lumine naturali cognoſcit illius poſſibilitatem. *Antecedens.* Angelus euidenter lumine naturali cognoſcit in Deo eſſe virtutẽ infinitam, ita, quòd alienam naturã ſuſtentare poſſit, quod dicit ſummã perfectionem: idem Angelus in natura humana lumine naturali euidenter cognoſcit in eadem natura eſſe potentiam obedientialem, per quam ſubiecta eſt Deo, vt poſſit de ea facere Deus quod voluerit. ergo cognoſcit non repugnare, nec ex parte Dei aſſumentis, nec ex parte naturæ humanæ, quòd natura humana poſſit aſſumi ad vnitatem Suppoſiti Diuini.

Solutio eius.

Reſpondeo. Certũ quidẽ eſt, quòd Incarnatio Verbi non repugnet nec ex parte Dei: nec ex parte naturæ humanæ: tamen hoc lumine ſolo naturali non potuit Angelus euidenter cognoſcere. *Non ex parte Dei.* quia Angelus per lumen naturale cognoſcit, quòd ſubſiſtentia non poſſit aliter terminare naturam humanam, niſi eam informando. atqui Deo repugnat vt ſit forma alicuius rei naturalis. ergo poterat cognoſcere Angelus lumine naturali in Deo eſſe infinitam virtutẽ, ſed hanc ſuſtentationẽ naturæ humanæ per ſuppoſitum Diuinum non poterat; niſi ponendo hanc imperfectionem in Deo, quòd ſuſtentabat informãdo, quòd de Deo dici non debet. *Non ex parte naturæ humanæ*: quia non cognoſcebat euidenter, quæ ſit capacitas potentiæ obedientialis in natura humana, ſiquidem merè eſt ordinis ſupernaturalis. nam reſpicit Suppoſitum Diuinum, quod eſt ſupernaturale, ſicut neq; Angelus euidenter cognoſcere poteſt, quænam ſit capacitas in homine ad recipiendam gratiam, aut ad viſionẽ beatificam? quia hæ formæ ſunt ſupernaturales

Obiectio altera.

5 *Obiicies ſecundò.* Suppoſitum humanum eſt quid naturale. ergo naturaliter ab Angelo malo, quando Chriſtus in terris erat, cognoſci potuit. ſed cum videret in Chriſti humanitate nullum eſſe ſuppoſitum humanum: & cùm ſciebat, quòd quæuis natura neceſſariò ſuppoſito terminari debet ergo ex eo inferebat, quòd à Diuino Suppoſito ſuſtẽtabatur. ergo naturaliter cognoſcebat Incarnationem.

Solutio 1.

Reſpondeo, quòd Dæmon ſeu Angelus cognoſcit quidem lumine naturali ſubſiſtentias creatas: tamen cùm poterat Deus per ſuam potentiam abſolutam occultare aliquam creatam ſubſiſtentiam, ob iudicium ſuum occultum, tunc iam non poterat cognoſcere; & ſic in hoc myſterio accidere potuit; quia videbat humanitatem exſiſtentem in Chriſto, ſed quo Suppoſito eſſet ſuſtentata, id iam non videbat. vnde Angelus bonus actum iudicandi ſuſpendebat, ne erraret: Dæmon verò ex ſua malitia iudicabat ſubſiſtere ſuppoſito humano.

Solutio 2.

Reſpondeo 2. etiamſi coniectaſſet Diabolus humanitatem Chriſti Diuino ſuppoſito ſuſtentari; tamen euidenter non potuit cognoſcere; quia

quia viſio Suppoſiti ſeu Perſonæ Diuinæ, eſt viſio ſupnaturalis, quæ indiget lumine gloriæ. *Denique* dato, quòd cognoſcebat humanitatem Chriſti eſſe in Diuino Suppoſito, tamen perſpicuè non intelligebat, in quonam an Patris, an Filij, an Spiritus S? quia hæ Perſonæ ſunt Diuinæ, & naturaliter non cognoſcuntur.

Obiectio 3. 6 *Obiicies tertiò.* Angelus naturaliter & euidenter cognoſcit, quòd Deus quamlibet rem poſſit ſeparare à ſuo modo, ſed ſubſiſtentia creata, eſt quidam modus naturæ creatæ. ergo potuit inferre, humanitatem in Chriſto per Diuinam potentiam poſſe ſeparari à ſua propria ſubſiſtentia, & quòd alia debuit terminari v. Diuina: ergo cognoſcebat poſſibilitatem.

Solutio ei9 prima. *Reſpondeo.* eſſe quoſdã modos, qui per Diuinam potentiam à ſuis reb9 ſeparari non poſſunt: vt exſiſtentia eſt modus eſſentiæ: & hæc ſalua eſſentia nullo modo ab ea ſeiungi poteſt, ſed ſublatâ exſiſtẽtiâ, etiã eſſentiam è medio tolli eſt neceſſe. *Similiter* Figura eſt modus quantitatis, & tamen quantitas per nullam potentiam ſine figura poteſt eſſe, & ſic Dæmones ſolo lumine naturali exiſtimabant ſubſiſtentiam eſſe de numero eorum modorum, qui ab eſſentia ſeparari non poſſunt.

Solutio altera. *Reſpondeo ſecundò.* Dato & conceſſo, quòd Dæmones naturaliter cognoſcunt, poſſe ſubſiſtentiam ſeparari: tamen naturaliter non cognoſcũt, quòd natura creata poſſit aliena ſubſiſtentia ſuſtentari. nam ſicut ſeſſio hominis poteſt per Dei potẽtiam ab homine ſeparari, ſed quòd homo aliena ſeſſione poſſit ſedere, id omninò in naturalibus eſt impoſſibile.

7 Dico tertiò. ***Etiam impoſſibilitas Incarnationis ex ſolo lumine naturali non poteſt euidenter concludi.*** RATIO *prima.* quia Incarnatio excedit limites naturæ. *Ratio ſecunda.* quia Incarnatio iam in facto exhibita eſt, (vt ſcriptura teſtatur.) *Ratio tertia.* quia fides Catholica (vt in Tract. de Fide oſtendimus) non inclinat nec inclinare poteſt ad falſum: cùm ſit à Deo reuelante, qui eſt prima veritas ſed fides noſtra docet Incarnationem eſſe poſſibilem. ergo illius impoſſibilitas ratione naturali probari non poteſt. — Impoſſibilitas incarnationis ex ſolo lumine naturali nõ poteſt concludi. Fides Catholica nõ poteſt inclinare ad falſum.

Ratio quarta. Verum vero non eſt contrariũ. ſed cùm ſit duplex lumẽ *Naturale* & *Supernaturale*, & vtrumq; ab vno authore Deo productum. ergo quod eſt verum in lumine ſupernaturali, erit quoq; verum in lumine naturali. nam aliàs Deus ſibi contrariaretur. ſed in lumine ſupernaturali eſt veriſſimum Deum eſſe incarnatum. ergo per lumen naturale illius impoſſibilitas non poteſt deduci. — Lumen eſt duplex.

Ratio quinta. Vnio eorum, quæ ſũt ſibi ſimilia, facilè fieri poteſt. ſed Diuina & humana natura, habent inter ſe ſimilitudinem, ſecundùm illud Gen. 2. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* ergo poſſibilis eſt, & per conſequens Incarnationis impoſſibilitas ex lumine naturali probari non poteſt. — Diuina & humana natura ſunt ſibi ſimiles.

8. Dico quartò. ***Etiam ſuppoſita fide, & hoc myſterio Incarnationis in toto vniuerſo proclamato, illius poſſibilitas euidenter ex ſolo lumine naturali cognoſci nequit.*** PROBATVR. quia Incarnatio eſt myſterium ſupernaturale. ergo non — Etiam ſuppoſita fide poſſibilitas incarnationis ex ſolo lumine naturali cognoſci nõ poteſt.

go nō lumine naturali, ſed ſupnaturali indiget, vt euidenter cognoſcatur. *Cōfirmatur.* Ea, quę ſūt ſuperioris ordinis, p ea quę sunt inferioris, demōſtrari nequeūt. ſed ſupnaturale, qualis eſt Incarnatio, eſt ſuperioris ordinis: naturale verò inferioris: ergo ratiōe naturali neqt demōſtrari.

Incarnatio poteſt probabilib9 rationib9 ſuaderi, & quo modo?

9. Dico quintò. *Hoc myſterium probabilibus rationibus, & quæ congruentiam important ſuaderi poteſt: non tamen euidenter, vt nulla dubitatio & obſcuritas relinquatur.* PROBATVR. Per rationē naturalem notum eſt, quòd id quod eſt prius, ab eo quod eſt poſterius, Diuina virtute ſeparari poteſt. ſed natura indiuidua prior eſt ſaltē natura ſua ſubſiſtentia. ergo hæc natura poterit exſiſtere ſine ſubſiſtentia. ergo alteri vniri poterit, v. Perſonæ Verbi: ergo poſſibilis Incarnatio.

Inſtantia Scoti.

Inſtat Scotus oſtendendo Maiorem argumenti eſſe falſam: nam eſſentia cuiuſlibet rei creatæ, prior eſt natura ſua exſiſtētia & tamē exſiſtētia per nullam potētiā ſeparari poteſt ab eſſētia

Solutio ei9

Reſpondeo nō eſſe parē rationē, nam ideo eſſentia ab exſiſtentia ſeparari non poteſt; quia eſſentia in ratione Entis conſtituitur per exſiſtentiam, ita, quòd ſit impoſſibile aliqnod Ens eſſe extra ſuas cauſas, & quòd non habeat propriam exſiſtentiam: ſubſiſtentia verò, quia nō conſtituit naturam creatam indiuiduam in ratione Entis, ſed eam cōplet, & illius dependentiam terminat; ideo ſeparari poteſt. *Tum* omnis perfectio ſubſiſtentiæ creatæ continetur in ſubſiſtentia increata. ergo increata ſubſiſtentia poterit creatæ ſubſiſtentiæ ſupplere defectum; & perconſequens eandem complere & terminare, vt accidit in Verbi Incarnatione.

10. *Inſtat iterum Scotus.* quòd etiā Eſſentia increata cōtinet in ſe omnē perfectionem creatæ eſſentiæ, & tamen Eſſentia increata non poteſt ſupplere defectum eſſentiæ creatæ. ergo nec increata Subſiſtentia ſupplebit defectum creatæ. *Reſpondeo.* non valere inſtantiam. nam ideo Eſſentia increata non poteſt ſupplere creatam eſſentiam; quia eſſentia creata neceſſariò debet eſſe producta, quod dicit imperfectionem: vnde remouenda à Deo. ſi enim deberet ſupplere, deberet quoq; produci Eſſentia Diuina, quod eſt falſum. ſed ſubſiſtentia in ratione ſubſiſtendi conſiderata, nullam trahit imperfectionem, vnde eam Diuina ſupplere poteſt nam proprium eſt ſubſiſtentiæ complere, terminare naturam ſubſtantialem; ſed cùm increata ſubſiſtentia omnem perfectionem creatæ contineat, & cùm nullam dicat imperfectionem, meritò illam ſupplere poteſt.

Inſtantia altera Scoti.

Solutio illius.

QVÆSITVM II.

An fuerit conueniens Deū incarnari?

Incarnatio dupliciter conſiderari poteſt?

11. Nota primò. Incarnationē dupliciter conſiderari poſſe: *primò* vt ſignificat quoddam opus adextra, liberè & neceſſariò à Deo productum, per eſſentialia tribus Perſonis communia.

nia. *Secundò* inquantùm habet quiddam ſingulare, quod aliis operibus ad extra pductis nõ cõuenit. nã hoc opus Incarnationis terminatur ſubſiſtẽtia Verbi. quod alijs operib⁹ adextra non conuenit. priori modo ſumpta Incarnatio eſt à fine; inquirit enim de conuenientia ex parte finis, ſine quo nihil Deus operatur. poſteriori ſũpta eſt à terminis: & ſignificat vnionẽ duarũ naturarũ Diuinæ & humanæ, in vno ſuppoſito Diuino; & ſic quærim⁹: *An fuerit cõueniẽs vt tale Suppoſitũ quod eſt Diuinũ, tali naturæ quæ ſit creata, & humana vniri debeat?*

Nota ſecundò. Inter DD. Catholicos de conuenientia huius myſterij nullã eſſe controuerſiã. ſiquidem Fides docet hoc myſterium de facto mundo iam eſſe exhibitum; eademq; docet, ea quæ à Deo fiunt ordinatè fieri. Ad Rom: 8 *Deus enim diſponit omnia ſuauiter, & attingit à fine vſq; ad finem fortiter.* ſolum eſt negotium cum Paganis & cum Iudæis, qui vt negant factum huius beneficij, ita dicunt minus eſſe conueniens Deum incarnari. vnde D. Paul. dicit *Chriſti Incarnationem gentibus eſſe ſtultitiam: Iudæis verò eſſe ſcandalum.* nos interim omittimus controuerſiam cum Paganis & Iudæis, qui hanc noſſe cupit Medinæ introductionem in 3. p. videat: & Gregor. Valentiam *Tomo 4. q. 1. puncto 2.* & quid DD. Catholici, atq; inprimis D. Th. de conuenientia ſentiat.

Fuit maximè conueniens vt Diuinum Verbũ incarnaretur.

12. Dico *Fuiſſe maximè conueniens vt Diuinum Verbum incarnaretur. Ratio prima.* Ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Sed Deus in humanitate Chriſti viſibili, quia fuit in carne, ſua attributa inuiſibilia v. Bonitatem, Iuſtitiã Sapientiam, & omnipotentiam, manifeſtauit. ergo conuenientiſſima fuit incarnatio. *Minorem* D. Damaſ. ſic deducit: In Incarnatione elucet Bonitas; quia proprii plaſmatis infirmitatem non deſpexit, hoc eſt hominem qui labe peccati inquinatus erat: elucet Iuſtitia; quia in homine victo, non alio, quàm hominem fecit vinci tyrannum, neque cum poſſet ui eripuit hominem ex morte: elucet Sapientia; quia inuenit difficillimi pretii decentiſſimam ſolutionem: elucet omnipotentia; quia nihil maius quàm Deum fieri hominem.

In Incarnatione elucet 1. Bonitas. 2. Iuſtitia. 3. Sapientia. 4. Omnipotentia.

13. *Ratio ſecunda.* Illud vnicuiq; rei dicitur eſſe conueniens, quod illi ratione naturæ ſuæ conuenit. ſed ratione Diuinæ naturæ, ſecundùm D. Dion. de Diu. Nom. *cap. 1.* eſt bonitas. ergo quod ſecundùm bonitatem Deo conuenit, erit illi conueniens. atqui de ratione boni eſt, vt ſe aliis communicet ergo ratione ſummi boni, quale eſt Deus, erit ſummo modo ſe cõmunicare: quod tunc accidit, quando Verbum naturam humanam in ſubſiſtentia ſua Diuina vniuit ſibi. ergo incarnari fuit conuenientiſſimum Deo.

Bonum eſt communicabile.

Confirmatur Dicto D. Pauli. *Apparuit gratia Dei, apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, vt oſtenderet diuitias gloriæ & gratiæ ſuæ.* Ex quo hanc ſumo rationem. Ad bonitatem Dei declarandam toti vniuerſo, facta eſt creatio mundi, & in eo diuerſi gradus creaturarum, vt ex his homo ad Diuinam bonitatem cognoſcendam duceretur ſed quia hic mũdus non manifeſtabat perfectè Diuinam bonitatem, voluit itaq; Deus ſecundùm beneplacitum ſuum creare Chriſti

re Chriſti humanitatem, & illi ſuũ *Eſſe* ſubſtantiale communicare, ita, quòd Deus eſſet homo, & homo eſſet Deus: & in hoc admirando myſterio omnes theſauros ſuæ bonitatis effudit. vnde cauſa primaria Incarnationis fuit manifeſtatio ſummæ bonitatis Diuinæ; hic igitur modus, quo ſe Deus communicauit homini; eſt ſummus; quia humanitas ad eum gradum dignitatis eſt euecta, vt iam non habeat, quò altiùs aſcendat. & in hoc myſterio non ſolùm natura humana ſummo honore eſt affecta; ſed cum ea omnes aliæ creaturæ, quarum illa dicitur eſſe compendium, ſeu paruus mundus, huius dignitatis ſunt comparticipes effectæ, D. Paulo atteſtante ad Eph. 1. *Deus in Chriſto inſtaurauit omnia, quæ in cælis & in terra ſunt.* Sed hic.

Incarnationis cauſa, eſt manifeſt. i. diuinæ bonitatis.

14. *Noto primò* Hanc propoſitionem D. Th. *Quicquid pertinet ad rationem boni eſt conueniens Deo*: ſic exponimus, quòd ſit intelligenda de eo, quod ptinet ad ratioñe boni ſimpliciter & abſolutè ſecundùm rationẽ bonitatis in cõmuni: non autẽ quod ſpectat ad rationem huius, aut illius particularis boni, vt hominis, leonis

Ratio boni in Deo ſumitur dupliciter.

Noto ſecundò Hoc Dictum D. Th. *De ratione boni eſt vt ſe aliis communicet*: non in eo ſenſu accipiendum, quaſi de ratione boni ſit, vt ſe actualiter communicet, ſed quòd de ratione boni ſit, promptitudo, & aptitudo ad ſui communicationem; & huic quidem aptitudini reſpondet actualis communicatio: & ſic dicit. *1. contra gentes cap. 94.* vt Deus ſuam Bonitatem communicet, eſſe hoc illi cõueniẽs, tanquam fonti bonitatis.

Communicatio Boni quomodo accipienda

15. *Obiicies primò.* Communicare ſe creaturæ, nullam dicit perfectionem. ſi enim diceret. ergo Deo ab æterno deeſſet aliqua perfectio. nã ab æterno non communicauit ſuum *ſubſiſtere* Diuinum creaturæ.

Obiectio 1.

Reſpondeo primò. cum Caiet. quando Deus communicat ſe creaturæ, non eſt perfectio Dei ſe communicantis. ſed ſolùm eius cui fit communicatio. Deus enim eſt ſummum bonum: vnde non communicat ſe creaturæ, vt inde aliquam perfectionem ſortiatur, ſed vt eam perficiat.

Solutio eiuſdem. 1.

Reſpondeo ſecundò Conceſſo, quòd communicatio ſit perfectio: ex eo tamen non ſequitur, quòd Deo aliqua perfectio ex tempore adueniat. quia hãc perfectionem in ſe habuit eminenter ab æterno: ſicut enim ſecundùm Theologos aggregatum ex Deo, & ex hoc mundo, non eſt quid perfectius Deo; ſiquidem perfectio vniuerſi eſt eminenter in Deo: Idem de Communicatione dicendum, quòd ſit eminenter ab æterno in Deo. vnde non aduenit ex tempore.

Reſpõſio 2.

Perfectio vniuerſi eſt eminenter in Deo.

Reſpondeo tertiò. Eſſe communicatiuum, ſeu habere aptitudinem, & promptitudinem ad ſui communicationem, eſt perfectio in Deo infinita ab æterno: ſed actu ſe communicare eſt etiam perfectio, at non noua: ſicut in igne virtus calefactiua eſt perfectio: quando autem actu calefacit non aduenit illi noua perfectio. vnde D. Th. dicit communicationem eſſe perfectionẽ cõuenientem bono, ſed non dicit ſuperuenientem bono.

Reſpõſio 3.

Communicatio eſt perfectio conueniens bono non ſuperueniens.

16. *Obiicies ſecundò.* Ad rationem Summi Boni ſpectat vt ſe ſummo modo communicet, quod tunc accidit, quando Filio ſuo ab æterno

Eſſentiam

Solutio illius.

Eſſentiam ſuam communicat *Reſpondeo* quod omne agens cui competit ſeipſum communicare, eo modo ſe communicat, ſecundum quem eſt agens. ſi eſt liberum, liberè ſe communicat: ſi eſt naturale, etiam naturaliter ſe communicat. Deus itaque in Generatione & in Spiratione ad intra eſt agens naturale, vnde naturaliter ſe Filio & Spiritui S. communicat; & hæc communicatio eſt ſumma Dei inquantùm eſt agens naturale: ſed inquantùm Deus eſt agens liberum, ſic iam communicat ſe ſecundùm rationem bonitatis ſuæ: & ſic quando ſubſiſtentiã Diuinam in Incarnatione humanitati communicauit: dicitur ſummo modo ſe communicâſſe, vt agens liberum, quam quidem communicationem ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ quando ſ. oportebat, & quomodo oportebat fecit. & ſecundùm hoc dicit D. Paulus: *Quando venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum. &c.*

Deì duplex eſt communicatio.

In Incarnatione humanitati fuit ſumma communicatio ſubſiſtentiæ diuinæ.

Obiectio 3.

17. *Obiicies tertiò.* Per hoc myſterium Incarnationis videtur eſſe in Deo mutatio, quòd quidem abſurdum eſt cum Deus ſit immutabilis. *Sequela* tunc enim dicitur aliquid mutari, quando aliquam naturam ſubſtantialem de nouo acquirit. ſed Deus incarnatus acquiſiuit nouo modo naturam humanam. ergo eſt mutatio in Deo.

Solutio illius.

Reſpondeo in myſterio incarnationis eſſe quidem mutationem, non in Deo, ſed ſolùm in homine. Quia in hoc myſterio tribuit De⁹ ſuã perſonalitatẽ Naturæ humanæ, quòd quidẽ nullã facit in Deo mutationẽ, ſed ſolùm in natura humana.

Dices Deum fieri hominem, dicit mutationem. *Reſpondeo* Fieri hominem tunc importat mutationem, quando ſubiectum, qualis eſt materia, acquirit naturàm humanam. ſed Deus non eſt ſubiectum in hoc myſterio. vnde nec dicit mutationem. ſed ſic ſe habet, quòd Perſona ſua Diuina aſſumente Naturam Diuinã terminat: quod nemo mirari debet cùm Incarnatio ſit miraculum ſuper omnia miracula. & hæc eſt mens D. Th. *hîc quæſt. 16. art 6.* vbi ſic dicit: *eſſe hominem, prædicatur de nouo, de Deo abſque eius mutatione: per mutationem naturæ: (quæ aſſumpta eſt in Diuinam Perſonam.)* vnde *eſſe hominem,* eſt quidem quid reale, quòd conuenit Dei Filio ratione vnionis humanitatis ad Deum; ſed hæc vnio nullam realem mutationem in Deo ponit: quia per incarnationẽ, ſicut & per natiuitatem ex Beatiſſima Virgine, non acquiſiuit Relationem realem, ſed tãtùm rationis: iam autem Relatio rationis poteſt alicui aduenire, ſine illius mutatione, ob ſolam mutationem alterius extremi; & ſic per ſolã mutationem realem factam in ſola Natura humana, Deus factus eſt homo. & vt creatio non ponit in Deo niſi relationem rationis ad creaturas; ita quoque & hæc vnio ſolam ponit relationem rationis. nam De⁹ non eſt capax relationis realis temporalis; & ſic non datur in Deo mutatio per hoc, quòd ſit incarnatus.

Fieri hominem, quando importat mutationem?

Incarnatio eſt miraculum ſuper omnia miracula.

Vnio Filii Dei cum humanitate, nullam ponit mutatiõe in Deo.

Relatio rationis quomodo fiat?

Creatoris ad creaturas, eſt relatio rationis

18 *Rurſum dices* Hæc vnio hypoſtatica eſt ſubſtantialis. ergo mutationem ponit in Deo. *Reſpondeo* De⁹ ſeu Verbum Diuinum, factum quidem eſt Homo ſubſtantialiter. nam hypoſtaſis verò eſt quid ſubſtantiale: ſed non eſt factum eſſentialiter,

quaſi

Mutatio q. bus de cau ſis contingat? quaſi humanitas aſſumpta ſit pars Eſſentiæ Diuinæ. Et *Probatur* Tunc enim mutatio contingit, quando aliquid aut ſubiectiuè aut formaliter eſſentialiter aſſumitur. ſed natura humana à Perſona Diuina non eſt aſſumpta ſubiectiuè. nam quæ ſubiectiuè aſſumuntur, ſunt accidentia: quod de natura humana dici non debet. cùm ſit ſubſtantia. vnde ſubiectiuè non eſt aſſumpta. *Non etiam* eſſentialiter formaliter, quod enim ſic aſſumitur eſt pars illius ad cuius eſſentiam aſſumitur, atq; ſic Diuina Natura eſſet compoſita, & conſtaret partibus, quod eſt falſũ; & multò magis repugnaret: quia id, quod eſt creatũ & finitũ, eſſet pars eſſentialis naturæ Diuinæ, quæ eſt increata & infinita. ergo reſtat, quòd natura humana ſolùm terminatiuè & pſonaliter vnita fuit Verbo Diuino, in quãtùm illi⁹ depẽdentiã terminauit. ſi ergo perſonaliter eſt vnita Verbo. ergo in Verbo nulla mutatio. Nec etiam per vllos defectus, qui ſunt in natura humana mutatio facta eſt, nam natura humana nullam habet efficientiam in naturam, & in Perſonam Diuinam, ſed ſola eſt efficientia Diuinitatis in humanitate: ſicut ergo Deus per creationem in tempore factam non mutatur: ita nec per Incarnationem; ſed ſolùm nouam relationem rationis acquiſiuit.

Natura humana à Perſona diuina non eſt aſſumpta ſubiectiuè: aut eſſentialiter formaliter.

Natura humana terminatiuè & pſonaliter ſolùm eſt vnita verbo diuino.

Deus per incarnationẽ non eſt mutatus, ſed ſolùm nouã relationem rationis acq. ſiuit.

Obiectio 4

19. *Obiicies quartò.* Indecens videri, vt Deus ad noſtras miſerias ſe demitteret: & vt cum natura humana ſitim, eſuriem, æſtus; frigus, dolores, & alias infirmitates aſſumeret. *Reſpondeo.* quòd ea ſola miſeria, quæ eſt peccatum, eſt eiuſmodi, & hanc Deus nullo modo per vnionem hypoſtaticam aſſumpſit; ſed alios defectus enumeratos: vt ſitim, frigus, &c. quia in ſe nullam peccati fœditatẽ continent, aſſumpſit. *Tum* quia neceſſarij erant ad redimendum genus humanum per crucis dolores: neq; hoc dedecorat Diuinam dignitatem, quamuis per ſuam præſentiã & eſſentiam ſubſtantialem ſit in locis, quæ ſordibus ſcatent: vt in inferno, in Diabolo, in peccatoribus; quia hæc dicunt entitatem, quæ à primo Ente, vt originem, ita & conſeruationem habent. & radius ſolis, licet lutum illuſtret, nihil fæculentum contrahit; & ignis non contaminatur, licet in eum ſordes inijciantur, ſed omnia purificat.

Solutio eiudem.

De⁹ omnes miſerias in ſe, excepto peccato, aſſumpſit.

Radi⁹ ſolis & ignis, agẽdo in ſordes, non cõtaminatur. ſed purificat: ita & Deus in peccatores.

Obiectio 5.

20. *Obiicies vltimò.* Videtur eſſe violentum in Humanitate Chriſti, quia ſuà ſubſiſtentià naturali caret. *Reſpondeo.* Tunc eſt violentum, quando in genere cauſæ efficientis actio vnius cauſæ impeditur per actionẽ contrariam alterius cauſæ efficientis: atqui ſubſiſtentia in rebus creatis non producitur per virtutem efficientem naturæ ſingularis, nec eſt illius formalis effectus, ſed ſolùm in ea ſubiectiuè recipitur, & ab illa tãquam à cauſa materiali pẽdet, producitur autem effectiuè ſimul cum natura vel ab ipſo Deo, vel à generante ſiue principio generationis. vnde nullam vim patitur natura humana, quòd ſuà naturali ſubſiſtentia careat; ſiquidem Diuina longè digniori ſit terminata,

Solutio illius.

Violentum quando fiat

Humanitas Chriſti Diuinâ ſubſiſtentiâ non ſua terminatur.

Dices. Adhuc eſſe violentum: quia Humanitas Chriſti eſt in appetitu ad ſuam naturalem ſubſiſtentiam. *Reſpondeo* Omnem illius appetitum per ſubſiſtentiam Diuinam ſatiari. nam confert illi omnem illam perfectio-

Humanitas Chriſti ſubſiſtentia Diuina ſatiatur, nec aliam appetit-

fectionem, quam potuit humana & naturalis ſubſiſtentia illi cõferre. vnde nullum appetitum ad illam habet, & ſicut beati nullo deſiderio excitantur ad aliquid appetendum, quod ſit incompoſſibile cum viſione beatifica: ita Humanitas Chriſti, cum videat ſuam propriam ſubſiſtẽtiam eſſe incompoſſibilem cum Diuina; idcirco eam non appetit.

QVÆSITVM III.

An ad reparandam ſalutem generis humani fuerit neceſſarium VERBVM incarnari?

Neceſſarium duplex. 21. DE hoc Quæſito hæc eſt doctrina Angelica: Neceſſarium eſt duplex: *aliud* neceſſarium ſimpliciter, ſine quo aliquid eſſe non poteſt, vt vitæ conſeruatio ſine cibo & potu eſſe nequit: *aliud* quo ad melius, quia eſt mediũ, quo cõuenientiùs ad aliquem finem peruenire poſſumus: vt equus ad iter conficiendum eſt neceſſarius, ſed non ſimpliciter. nam etiam pedibus expediri poteſt, ſed quoad meli⁹ expediendum. itaq;

Deũ incarnari non fuit ſimpliciter neceſſarium. Dico primò. *Deum incarnari non fuit ſimpliciter neceſſarium ad reparandã ſalutem humanam.* PROBATVR. cùm Deus ſit omnipotens, potuit per ſuã omnipotentiam multis alijs modis naturam humanam reparare: potuit enim (vt D. Aug. dicit) humanum genus imperio voluntatis ſuæ ex ſeruitute Diaboli eruere: vel ex ſua liberali miſericordia homini offenſam condonare, cùm ſit omniũ idemq; ſupremus iudex: *tum* quia nulli in hoc iniuriam feciſſet, cùm ipſe ſit læſus, vel potuit aliquem hominem ſanctum creare, qui non eſſet ex poſteris Adæ, & cui hoc imponeret, vt pro peccatis ſatisfaceret: licet imperfectè & de congruo: id tamen ex ſua gratia acceptare potuit.

22. Dico ſecundò. *Ad ſalutem humanam reparandam quo ad melius & congruentius neceſſarium fuit* VERBVM *Dei incarnari.* ita D. Aug. *lib. 13 de Trinit. c. 10.* dicit: *Non defuit Deo alius poſſibilis modus, cuius poteſtati omnes æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem alium non fuiſſe.* Et Quare neceſſariũ fuit Verbum Dei incarnari?

Ratio prima eſt S. Doctoris. Per Chriſti Incarnationem virtutes diuinitus infuſæ, vt Fides, Spes, Charitas, multò meliùs fundantur, confirmantur, & promouentur in mai⁹ bonum. Fidem enim ideo admittimus, quia per Filium Dei, qui eſt in ſinu Patris, & qui eſt prima veritas eſt annunciata ad ſpem erigendam mouet nos, quia in Incarnatione oſtendit, quanti nos faceret. Charitatem in nobis inflammat, quia ob dilectionem ſuam in nos effundendam deſcendit de cælis, & habitum hominis induit. Incarnatio Chriſti virtutes diuinitus infuſas in nobis fundat, firmat & promouet.

23. *Ratio ſecunda.* quia Chriſtus factus eſt nobis exemplum ad omne opus virtutis. *Tum* quia per hoc nos à Dia-

à Diaboli poteſtate eripuit. malum peccati longè à nobis remouit. *Ratio tertia.* quia hinc agnoſcimus dignitatem noſtram, cùm vnitam Diuinitati videmus, & inſtruimur ne eam peccato inquinemus. *Ratio quarta.* quia per hoc mirabile conſortiũ humanæ naturæ & Diuinæ in Christo erigimur in ſpem, nos æternæ beatitudinis fore conſortes. *Ratio quinta.* monemur ne vitio præſumptionis laboremus, ſiquidem per Chriſtum gratia Dei ſaluati ſumus. *Ratio ſexta.* quia hæc humilitas Filij Dei, qua ſe ad noſtræ carnis vilitatem demiſit, noſtram ſuperbiam coarguit. & hæc eſt D. Thomæ doctrina.

Quæ in hoc Quæſito ſũt determinanda.

Et quia in hoc Quæſito agitur de ſatisfactione: *An* VERBVM *incarnatum eſt ideo, vt pro nobis ſatisfaceret?* quatuor dubia reſoluenda veniunt. Primum. *An peccatum inobedientiæ primorum parentum, & per conſequens originale & actuale malitiam infinitam in ſe includat?* Secundum *An homo in gratia & charitate exſiſtens potuit ſatisfacere?* Tertium *An idem homo in puris naturalibus ſeclusâ gratiâ potuit ſatisfacere?* Quartum. *An Chriſtus de condigno & de toto rigore iuſtitiæ ſatisfecit pro peccatis humani generis?* Pro determinatione horum dubiorum.

Satiſfactio ſufficiẽs dupliciter poteſt dici.

Suppono. quòd ſatisfactio dupliciter dici poteſt ſufficiens: *primo* perfectè, in quantùm eſt condigna per quandam adæquationem, ſeu commenſurationem culpæ commiſſæ, ita, vt quemadmodum culpa eſt infinita: ita valor compenſationis eſt infinitus. *ſecundò* imperfectè, quãdo actus ſatisfaciẽtis non adæquat culpæ commiſſæ æqualitatem, ſed is, cui fit compenſatio eſt eo contentus, & ſecundùm gratiam acceptat.

Malitia peccati originalis ſeu actualis mortalis ſitne ſimpliciter infinita?

24. QVANTVM ad primum dubium *An malitia peccati originalis, ſeu actualis mortalis ſit ſimpliciter infinita?*

Negat Scotus *in 3. diſt. 19. ad 2.* & *diſt. 20. quæſt. vnica.* circa finem. Palud. *diſt. 20.* ex recentioribus Gabrera. Vaſquez. & alij: dicuntq; grauitatem & malitiam peccati non eſſe infinitam ſimpliciter intenſiuè, ſed ſolùm ſecundùm quid, & extrinſecè. v. ex parte Diuinæ Maieſtatis quæ offenditur.

Opinio 2.

In contrarium eſt ſentẽtia Alex. Alenſis *in 3. p. q. 1. memb. 6.* D. Bona: *in 3. diſt 20.* Richardi. Ioannis Medinæ, v. quòd peccatum habet malitiam ſimpliciter infinitam in genere mali moralis. Pro determinatione.

Dupliciter aliquid infinitum poteſt dici.

Noto, quòd aliquid dupliciter poteſt dici infinitum: *primò* in genere Entis, & ſic certum eſt inter DD. Peccatum non habere grauitatem infinitam: *ſecundò* in genere Moris, ſeu vt eſt malum morale, & quidem dupliciter: *primò* vt eſt malum eius, qui peccat, quia à rectitudine quæ debet ineſſe actui humano auertit; tum etiam à Deo, qui eſt ſummum bonum: *ſecundò* vt eſt offenſa Dei, & malum Diuinæ Maieſtatis, non quidem illatum, ſed intentatum; quia Deo nihil contrariè aut priuatiuè opponitur. nam ſicut Deo, vt eſt ſummum bonum, nullum adiungi poteſt bonum: ita eidem nullum malum re ipsa inferri: conſideratũ tamen peccatum quoad effectum, ipſum Deum (vt dicit D. Bernar.) quantùm eſt in ipſa praua voluntate perimit. nam vellet peccator, ne Deus vindicaret ſua peccata, aut nõ poſſet,

Malum morale duplex

Quomodo peccatum Deum perimat?

poſſet, aut neſciret; & quia iuſtitia & ſcientia ſunt ipſa Diuinitas: idcirco, qui iuſtitiam & ſcientiam adimit Deo, ipſam quoq; Diuinitatem adimit; & ſic peccatum quoad affectum vult Deum non eſſe, & loco illius illam creaturam ad quam ſe conuertit, vult eſſe Deum. His præmiſſis.

Peccatum originale eſt infinitũ extenſiuè

25. Dico primò. *Peccatum originale, inquantùm à primo parente in poſteros deſcendit, eſt infinitum extenſiuè*: nam ſi mundus in æternum duraret, etiam ab Adam per propagationem homines infiniti deſcenderent, quos peccatum inficeret.

Peccatũ in genere Entis quare non habeat infinitã grauitatem?

Dico ſecundò. *Peccatum in genere Entis, non habet infinitam grauitatem*; quia eſt actus à finita creatura procedens. *Tum* quia ſoli Deo conuenit eſſe Ens infinitum.

Peccatũ originale & actuale, nõ eſt malum ſimpliciter infinitum.

Dico tertiò. *Peccatum tam originale, quàm actuale, prout eſt malum hominis auertens eum à recto vſu rationis, non eſt malum ſimpliciter infinitum in genere moris*. PROBATVR ſecundùm D. Th. *hîc art. 2. ad 2.* Peccatum dicitur habere infinitatem ex infinitate Diuinæ Maieſtatis, quæ per peccatum eſt offenſa. ergo ex ſe ſimpliciter non eſt infinitum, ſed ſecundùm quid & extrinſecè, nimirum reſpectu Diuinæ Maieſtatis erit infinitum.

Ad peccatũ quæ concurrunt?

Probatur ſecundò Ad peccatũ duo concurrunt: *primò* conuerſio inordinata ad bonum commutabile: *ſecundò* auerſio à bono rationis, atq; etiam à bono incommutabili, quod eſt Deus. ſed neutro modo peccatũ in genere moris eſt ſimpliciter infinitum. *Non ex parte conuerſionis*, quia vt docet D.Th. *l.2 q 82. a.4.* ex parte conuerſionis inordinatæ ad cõmutabile bonum peccatum eſt finitũ; cùm & ipſe actus conuerſionis ſit finitus. *Non ex parte auerſionis à bono rationis*: nam ſicut hoc bonum rationis, quo priuat peccatum eſt finitũ: ita & auerſio eidem oppoſita erit finita *Non ex parte auerſionis à bono incommutabili quod eſt Deus*: nam Deus non eſt bonum intrinſecum immediatè creaturæ rationalis, ſed mediantibus ſuis effectibus, v. gratia charitate, & alijs virtutibus infuſis. *Nec peccatum Deo opponitur contrariè aut priuatiuè* teſte D. Th. in *1. p. q. 14. a. 10. ad 3.* vbi dicit: *Malum non opponi Eſſentiæ Diuinæ, quæ non eſt corruptibilis per malum, ſed opponitur effectibus Dei*. ſed hi ſunt finiti. ergo & grauitas peccati, quæ illis opponitur, erit finita.

Peccatũ nõ opponitur Deo, ſed effectibus eĩ?

Quomodo peccatũ eſt infinitum?

26. Dico quartò. *Peccatum conſideratum in quantùm eſt auertens hominem à bono infinito, v. à Deo, non habet grauitatem & malitiam ſimpliciter infinitam, ſed extrinſecè & obiectiuè in genere moris*. PROBATVR *primò*. Bonũ Diuinum, à quo auertitur homo per peccatum, eſt ſimpliciter infinitum. ergo ex hac parte malitia peccati erit infinita. ergo extrinſecè & obiectiuè.

Conuerſio ad Deũ, eſt actus ſolùm extrinſecè & obiectiuè infinitus.

Probatur ſecundò. Sicut enim conuerſio ad Deum per actum contritionis non eſt actus infinitus ſimpliciter intrinſecè, ſed ſolùm extrinſecè & obiectiuè: ita malum auerſionis ab eodem bono, ſolùm obiectiuè & extrinſecè erit infinitum. *Confirmatur*. Sicut enim actus charitatis ſupernaturalis, aut etiam viſionis beatificæ, non eſt actus ſimpliciter infinit⁹ in ſeipſo, nam quãuis attingit obiectum infinitum, v. Deum: non tamen attingit infinito modo; ſiquidem nulla creatura co-

Act⁹ charitatis ſupernaturalis, & viſionis beatificæ, quo modo ſit finitus, vel infinitus?

gnoſci

gnoſcit Deum, vt eſt cognoſcibilis: nec eum amat inquantùm eſt amabilis; quia aliàs Deum, qui eſt incomprehenſibilis comprehenderet. ergo & pecccatum erit eiuſmodi actus, qui auertit quidem hominem à bono infinito, v à Deo, tamen nõ auertit infinito modo, nam ſemper magis ac magis per maiora peccata auerti poteſt. ergo ſimpliciter non erit infinitum.

Probatur tertiò ſecundùm D. Th. Pœna damni correſpondet peccato ex parte auerſionis (vt habet D. Th *l. 2. q. 87. art. 4.*) ſed in damnatis pœna damni nõ eſt æqualis: ſicut nec viſio beatifica eſt in omnib⁹ beatis æqualis. ſed ſicut pro ratione demeritorum eſt pœna diuerſa; ita & viſio beatifica pro ratione meritorum diuerſa. ergo nec malitia in omnib⁹ æqualis: eſſet autem æqualis ſi eſſet infinita. ergo ſimpliciter non eſt infinita.

Peccatũ tã originale quam actuale mortale eſt ſimpliciter infinitũ.

27. Dico quintò *Peccatum, ſiue originale, ſiue actuale mortale v: eſt offenſiuum Diuinæ Maieſtatis, & malum Deo intentatum, eſt ſimpliciter quoad grauitatem, & malitiam infinitum* PROBATVR *primò*. D. Thomas *hic art 2 ad 2.* dicit: *Tantò offenſa eſt grauior: quantò maior eſt ille in quem delinquitur. vnde oportuit ad condignam ſatiſfactionem, vt actus ſatiſfacientis haberet efficaciam infinitam, vt pote Dei & hominis exſiſtens.* Ex quo arguo. ſi ideo ſatisfactio habet cõdignam, & ſimpliciter infinitam efficaciam; quia homo, qui ſatisfacit eſt in Diuina perſona, quæ eſt infinita ergo & peccatum; quia eſt offenſiuum Dei, ideo habuit infinitam malitiam. ergo vt ſic, eſt malum ſimpliciter infinitum.

Probatur ſecundò. Quodlibet peccatum ex affectu tollit Deum nam vellet peccator Deum non eſſe, ne ſua peccata puniat: *Tum* alterum vltimum finem, & quodam modo alterum Deum conſtituit: iuxta illud Theologorum: *Qui mortaliter peccat, conſtituit vltimum finem in creatura.* ergo creaturam facit Deum. nam vltimus finis eſt Deus.

Peccatum quodlibet ex affectu tollit Deũ.

Inſtantia 1.

28. *Inſtabis.* Malitia peccati ſumitur ex carentia rectitudinis debitæ in ESSE. ſed hæc rectitudo eſt finita ergo & malitia finita. *Reſpondeo.* Malitiam peccati ſumptam ex carentia rectitudinis, eſſe quidem finitam; ſed inquantum hæc malitia eſt offẽſiua Dei, qui eſt infinitus; & ſic malitia ſimpliciter infinita. *Rurſum inſtabis.* Hanc malitiam ſolùm eſſe accidentariam & extrinſecam *Reſpondeo* in genere Moris, id quidem eſt verum, ſed non in genere mortis nã infert mortem animæ, eamque priuat gratia Dei, & morti æternæ adiudicat.

Solutio eiꝰ

Inſtantia 2.

Solutio illius 1.

Solutio 2.

Reſpondeo 2 Peccare non ſolùm eſt per ſe malum, ſed etiam eſt malũ ex iure Diuino; & ſic ſuppoſita prohibitione Diuina, peccatum erit cõtra honorem Dei & gloriam, quæ eſt infinitæ dignitatis.

Inſtantia 3.

29. *Inſtabis tertiò.* Si peccatum eſt infinitum, vnum alio non erit grauius aut maius, vnum enim infinitũ, non eſt alio maius. *Reſpondeo* etiam inſtando, quòd vnum infinitũ ſyncategorematicè eſt maius alio. nã aquæ gutta, eſt infinitum, cùm ſit diuiſibilis in infinitum: mare ſimiliter eſt infinitum, quia diuiſibile in infinitum: tamen mare eſt maius infinitum gutta aquæ.

Solutio 1.

Solutio 2. Peccata mortalia quomodo ſint æqualia & quomodo non.

Reſpondeo ſecundò. Verũ eſſe, quòd peccata mortalia ratione auerſionis à

nis à Deo habent æqualem malitiã, & infinitam: quia Deum, qui eſt infinitus offendunt: attamen ratione conuerſionis ad creaturam, ſiue in ordine quoad materiam, circa quã verſantur non ſunt æqualia; nam plùs eſt furari mille, quàm decem: & grauiùs eſt cõtumelia afficere patrem, quàm amicum.

Inſtantia 4 cum ſolutione.

30. *Inſtabis vltimò.* Etiam veniale peccatum habebit ſimpliciter infinitam malitiam; ſiquidem eſt offenſa Diuiuæ maieſtatis. *Reſpondeo.* veniale eſſe quidem contra obiectum infinitum, ſed imperfectè, & ſecundũ quid: non autem abſolutè & ſimpliciter contra illud, nam veniale in ratione offenſæ non attingit vltimũ finem, neque illum deſtruit, ſed ſolùm creaturam rationalem deordinat circa media, & ſic non eſt contra Deum, ſed præter Deum

Quare peccatum veniale non habeat infinitam malitiã

31 QVANTVM ad alterum dubiũ. Cùm iam conſtet peccatum primorum parentum, atque etiam ipſum originale & quodlibet mortale actuale, habere infinitam grauitatem, hic iam inquirimus. *Quis pro eo ſatisfaciet, an purus homo? an qui ſit in gratia an Chriſtus qui eſt Deus & homo?* inquirimus itaque modo. *An homo purus ſeu creatura quæ non ſit Deus, & ſit ſine gratia Dei, poßit ad æqualitatem ſatisfacere per ſua opera mere naturalia?*

An pur⁹ homo poſſit ſatiſfacere ꝓ peccato?

Affirmat Scotus *in 4. diſt 15.* quòd poſſit ad æqualitatem perfectè ſatisfacere. *Fundamentum eius.* Quia D. Thomæ rationém dicit nullam eſſe, quòd offenſa ſit infinita, quòd ſic probat. Sequeretur enim quòd nec ſatisfactio Chriſti eſſet ad æqualitatem. nam ſatisfactio Chriſti vel fuit Deo infinitè grata? vel finitè? ſi infinitè? ergo eſt bonum increatum. ergo ſatisfactio Chriſti erit Deus. *Sequela* Nihil enim Deo infinitè gratum, niſi bonum increatum. Si finitè grata. ergo non fuit adæquans nec cõpẽſans offenſam quæ ſecundum D. Th. eſt infinita. In contrariũ eſt verior ſententia, quòd non poſſit. Pro qua.

32. *Noto* Satisfactio dupliciter contingit *Primò* quando ei cui debetur datur æquiualens: *Secundò.* quando datur minus ſed creditor ex ſua gratia acceptat, & ſicut illa eſt perfecta ita hæc imperfecta.

Satiſfactio quotupliciter contingit?

Noto ſecundò. Quando ſatisfactio fit, aut fit ex ꝓpriis? aut ex alienis aut alio titulo debitis? Si fiat ex ꝓpriis iã erit ꝑfecta; quia ad æqualitate iuſtitiæ. Si verò ex alienis? aut alio titulo debitis? erit imperfecta, quia non fũdatur in iuſtitia, ſed in gratuita acceptatione creditoris. Hoc præmiſſo.

Satiſfactio vnde fiat?

33. Dico ad dubium *Pura creatura quæ non ſit Deus & quæ eſt ſine auxilio gratia Dei non poteſt de toto rigore iuſtitiæ perfectè aut etiam imperfectè pro ſuo & pro alienis peccatis ſatisfacere.* PROBATVR, Quia ſcriptura docet *Nullum opus ſine auxilio gratiæ Dei poſſe eſſe Deo gratum* 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis quaſi ex nobis* (hoc eſt ex viribus naturæ, quod ſit Deo gratum) *ſed omnis ſufficientia noſtra à Deo* Et ad Rom. 3 *Omnes peccauerunt (idcirco omnes odio ſunt Deo) & omnes egent gratiâ, vt Dei amicitiam aſſequãtur.*

Pura creatura non poteſt perfectè ſatiſfacere ꝓ peccatis alienis.

Ratio ſecunda Opera viribus naturæ producta etiamſi quàm maximè erga Deum exhibeantur, non tenetur ea quo ad ſatiſfactionem acceptare pro culpis commiſſis. *Ratio* Quia peccatum auertit hominem à

Deo in

Deo in quantum eſt finis & naturalis & ſupernaturalis. Sed hæc opera puræ creaturæ ſunt in ſtatu ordinis naturalis. ergo non habent vim cõpenſandi offenſam Diuinam quæ Deum auertit ab homine nonſolum vt authorem naturæ, ſed etiam vt authorem gratiæ.

Ratio tertia Offenſa Dei eſt infinita. ſed opus productum ab homine ſine gratia, licet habeat in ſe bonitatem eſt finitum. ergo non erit æquiualens ad ſatisfaciendum.

Obiectio. 34. *Obiicies* Homo in puris naturalibus poteſt exercere actum dilectionis Dei, ſuper omnia in quantũ Deus eſt author naturæ, & hunc actum poterit offerre Deo ad ſatisfaciendum pro peccatis aliorum, nã huius actus dilectionis tanta eſt bonitas quãta fuit malitia peccati mortalis.

Reſponſio Prima. *Reſpondeo primò*, quòd peccatum ſiue ſit originale ſiue mortale eſt offenſiuum Dei, non ſolùm vt eſt author naturæ, ſed etiam vt eſt author gratiæ. Et quoniam actus dilectionis eſt merè naturalis, ideo nec radicaliter poteſt habere virtutẽ ordinãdi hominem ad Deũ vt eſt author gratiæ cum ſit ordinis inferioris atque ſic offerri non potuit ad ſatisfaciendum pro peccatis, nec illud damnum reparare quod peccatum intulit. Et Theologi dicunt: *Bonum non niſi ex integra cauſa, malum autem ex quocunque defectu*.

Reſponſio ſecunda *Reſpondeo ſecundò*. Quod hunc actũ dilectionis exercet & offert pura creatura quæ (vt clarum eſt) non eſt tanta vt Deus offenſus. vnde ſatisfactio non eſt ad æqualitatem. *Sequela*. Nam de rigore condignitatis requiritur vt tanta ſit perſona ſatisfaciens quanta eſt illa cui ſatisfit.

35. Ad illud verò Scoti in principio: *quòd offenſa non ſit infinita reſpondeo* quòd offenſa ſimpliciter in genere Entis non eſt infinita; ſed in genere mali in quãtũ eſt offẽſiua Dei infinitæ dignitatis, ſic eſt infinita. Quando offenſa eſt infinita?

Obiectio 2. *Sed dices*: Hoc infinitum eſſe ſecundum quid. *Reſpondeo* ita eſſe; nihilominus dico, quòd hæc offenſa adhuc eſt infinita, ſicut ſi linea eſſet infinita quantitas eſſet infinita: ita offenſa quomodocunque ſit infinita modo ſi eſt infinita, infinitam grauitatem habebit. Signum eius rei eſt hoc. quia à Deo pœna infinita extenſiuè videlicet cruciatu inferni punitur. Secundum ſignum punitur priuatione ſummi boni: & priuatio boni tantò eſt maior quantò eſt maius bonum quo priuat. Sed peccatum mortale priuat ſummo bono quod de ſe eſt infinitum. ergo infinitam malitiam habet. Refutatio

36. *Sed rurſum obiicies* Poſt contritionem in aliquo peccatore inexſiſtentem poſſet Deus de potentia ſua abſoluta tanquam diſpoſitionẽ de congruo dare gratiam per quam eius contritio eſſet Deo grata, & ſic per æquiualentem ſatisfactionem deleret peccatum. Obiectio altera.

Reſpondeo interim concedendo. quòd talis ſatisfaceret. Sed dico quòd hæc talis ſatisfactio procederet ex gratia, quæ eſt ex miſericordia Dei ei collata. vnde non eſſet ſatisfactio perfecta. *Et ratio eſt*. Quia ſatisfactio perfecta prò culpa, debet habere gratiam charitatem pro termino nõ autem pro principio, hoc eſt, vt gratiam & charitatem per ſatisfactionem acquiramus, non autem eam in ſatisfactione præſupponamus, ita Solutio eiuſdem.

quod ex

quod ex ea ſumat condignitatem: vnde dicere: *homo purus poteſt ad æqualitatem ſatisfacere*, & dicere: *quòd per gratiam ſatisfaciat*, eſt euidens contradictio.

An purus homo habens gratiã & charitatem Dei poſſit per actus gratiæ & charitatis ſatisfacere pro peccatis alienis.

37. QVANTVM ad tertium dubiũ. *An purus homo qui non ſit Deus; ſed qui habeat gratiam & charitatem Dei poſſit per actus gratiæ & charitatis ſatisfacere pro peccatis alienis de toto rigore Diuinæ iuſtitiæ?* Tres hic Sententiæ.

Prima ſententia.

Prima quorundam recentiorũ pro qua Caietanum & Ferarienſem, ex *4 contra gentes cap. 54.* allegant, quòd poſſit cum gratia habituali per actũ charitatis vel pœnitentiæ ſatisfacere ex iuſtitia ad æqualitatẽ pro peccato originali & mortali non tamẽ de toto rigore iuſtitiæ. *Rationes illorũ*

Prima. Ille propriè ſatisfacit pro offenſa, qui actum dilectionis æqualẽ odio, quod fuit in peccato, offert. ſed actus dilectionis vel contritionis informatus à gratia diligit Deũ æqualiter, aut etiam magis quàm odio habuit. ergo erit ad æqualitatẽ.

Cõfirmatur 1. Sicut enim homo offendit Deum: quia ſe ab eo auertit, ita cum per actum dilectionis & cõtritionis ad Deum ſe conuertit tanquam in finem vltimum, eundem ſuper omnia diligendo placabilem ſibi reddit. ergo hic actus charitatis procedens ex gratia placebit Deo ſicut diſplicuit peccatum.

38. *Confirmatur ſecundò.* Sicut enĩ peccatum ex infinitate Dei ſumit offenſæ infinitatem in genere mali moralis, ita & actus charitatis fundatus in gratia habet infinitatem ex miſericordia Dei acceptantis. ergo de abſoluta Dei potentia erit ad æqualitatẽm ſatisfactio.

Ratio ſecunda. Poteſt Deus puræ creaturæ tantam charitatem conferre quanta fuit in anima Chriſti, quia charitas in infinitum augeri poteſt. Sed per charitatem Chriſti facta eſt ſatisfactio pro peccatis ad æqualitatem. ergo & puri hominis poterit ſatisfacere.

Ratio tertia. Chriſtus vt homo ſatisfecit pro culpa vt cauſa ſecunda principalis. at quidquid Deus poteſt facere cum cauſa ſecunda, poteſt etiam per ſeipſum & per aliam cauſam ſecundam. Sed Chriſti ſatisfactio fuit condigna. ergo & puri hominis erit condigna.

39. *Secunda ſententia* dicit, quòd purus homo Deo gratus poteſt non ſolùm quoad æqualitatem, ſed etiã de toto rigore Diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere. Hæc tribuitur Scoto, Aureolo & alijs. *Fundamentum illorum.* Purus homo cum gratia poteſt offerre Deo in ſatisfactionem pro culpa actum charitatis ita intenſum in bonitate, ſicut fuit peccatum graue in malitia. ſed hic act⁹ non eſt Deo debitus ex iuſtitia, quia ad hunc eliciendum non tenetur ex iuſtitia, ſed ſolùm ex charitate titulo gratitudinis & religionis. ergo per hunc actum poterit de rigore ſatisfacere. *Sequela.* quia titulus gratitudinis nõ tollit rigoroſam iuſtitiam: vt cùm quis pecunia ſoluit alteri debitum cui eandem cùm erat in extrema neceſſitate debuit titulo charitatis, hic tamen ex rigore iuſtitiæ ſoluit debitum: ita actus charitatis puri hominis, licet ſit debitus Deo titulo gratitudinis, eo tamen ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere poterit.

40. *Tertia ſententia* eſt D. Th. & cõmunis Theologorũ, quòd nõ poſſit. Pro cuius defenſione dico duo:

Dico pri-

Dico primò. *Pura creatura etiam cum auxilio gratiæ ſupernaturalis non poteſt ad perfectam æqualitatem de toto rigore Diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere pro peccatis aliorum.* PROBATVR ſecundùm D. Th. ideo purus homo non poteſt ad æqualitatem ſatisfacere. quia peccatum contra Deum commiſſũ habet infinitam grauitatem. vnde actus ſatisfacientis ad æqualitatem debet habere efficaciam infinitam Dei, videlicet & hominis exſiſtens. ſed homo qui non eſt Deus quantumcunq; ſit ſanctificatus, non poteſt producere actum qui habeat efficaciam infinitam, quia eſt finita. ergo ad æqualitatem non ſatisfacit.

Ratio ſecunda. Ad hoc vt de condigno & de toto rigore iuſtitiæ ſatisfactio eſſe poſſit pro peccatis omniũ hominum, requiritur gratia capitis. atqui hæc puræ creaturæ nõdatur, ſed ſoli Chriſto debetur, qui eſt caput conſtitutus omnium hominũ & Angelorum.

Ratio tertia. Gratia quæ vnicuiq; confertur, ordinatur ad priuatum commodum, hoc eſt, ad ſalutem animæ ſeu ad gloriam æternam illius cui confertur, ita, quòd pro actionibus in gratia productis vltra cõdignum accipiet retributionem æternam. iuxta illud 2. Corynth. 5. *vnuſquiſq; recipiet in corpore ſuo prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* ergo quilibet accipit gratiã pro ſua vtilitate.

41. *Confirmatur.* D. Paul. Gratiam ſemen gloriæ appellat 2. Corynth. 9 *Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ* ergo gratia non producit opus niſi ad gloriam. & ſicut ſemen arboris non infundit virtutem ſuam naturalem niſi in fructum propriæ ſpeciei, ita gratia quam Chriſtus vocat *Fontem aquæ ſalientis in vitam æternam*, ſolùm vim ſuam extendet ad obtinendum vnicuiq; prœmium æternum. ergo gratia non eſt ad aliud ordinata. Si verò contingat quòd homo per hãc gratiam conſequatur in alijs hominibus aliud v. auxilia iuſtificationis, id tamen de congruo non de cõdigno accidit. & ſic D. Aug. Dictum accipiendum. *Si Stephanus non oráſſet, Eccleſia Paulum non haberet,* v. de cõgruo, non autem de condigno, nam ſuis precibus auxilia D. Paulo impetrauit per quæ conuerſus eſt, at non ex condignitate ſed ex quadã decentia Diuinæ bonitatis. vnde certũ eſt ſecũdùm Theologos quòd nullus Apoſtolorum & quantumuis ſanctiſſimorũ virorum promeruit aliis auxilia aut iuſtificationem de condigno. ita Leo Papa *Serm. 1. de Nat: Quamuis in conſpectu Domini multorum Sanctorum mors pretioſa fuerit, nullius tamen inſontis occiſio redemptio fuit mundi.*

Quomodo homo per gratiam cõſequatur in aliis hominibus auxilia iuſtificationis?

42. *Sed inſtabis.* Homo iuſtus in gratia exſiſtens, poteſt de condigno mereri ſibi augmentum gratiæ ergo etiam poterit mereri remiſſionem peccati mortalis de cõdigno alteri. Obiectio.

Reſpondeo. Quòd ad promerendã remiſſionem peccati mortalis alieni aut proprij requiritur gratia capitis quæ eſt in Chriſto, ad promerendum verò augmentum gratiæ ſufficit gratia gratum faciens. Solutio.

Obiectio altera.

Inſtabis ſecundò. Actiones hominis in gratia conſtituti habent ortum à Spiritu S. ergo ab eodem infinitatem ſument. ergo his non ſolùm ſibi, ſed etiam alijs poterit mereri ſatisfactionem. *Reſpondeo* concedendo. quòd actiones hominis in gratia ori-

Solutio ei⁹. tia originaliter ex motione Spiritus S. procedant, qui quidem eſt infinitus. ſed negamus quòd actiones infinitum valorem inde ſumant, nã hæ determinantur à creatura ſeu à ſuppoſito humano, quod quidem finitum eſt.

43. Dico ſecundò. *Potuit tamen homo purus de potentia Dei abſoluta conſtitutus in gratia aliquomodo ſeu imperfectè, ſeu ad æqualitatem imperfectam ſatisfacere pro culpa generis humani.* PROBATVR. Sufficit ad ſatisfactionẽ imperfectam de condigno, quòd ſatiſfactio ſit eiuſdem ordinis cum perſona offenſa, ita, quòd eandem ſibi ſimilem ex ſua miſericordia acceptet, & illa ſit contentus. ſed ſatiſfactio puri hominis ex gratia & charitate producta eſt ordinis ſupernaturalis ſicut & Deus vt au thor gratiæ, qui eſt offenſus. & non repugnat quod eandem ex ſua bonitate, pro culpa totius generis humani acceptet. ergo poterit purus homo in gratia exſiſtens quoad æqualitatem imperfectam ſatisfacere.

Homo pur⁹ potuit de potẽt. à Dei abſoluta ſatisfacere imperfectè.

Ratio ſecunda. Deus ordinariè & de facto acceptat actum contritionis ex charitate in ſatisfactionem imperfectam pro culpa propria mortali. ergo de ſua potentia abſoluta potuit eundem actum in gratia elicitum ordinare in redemptionem peccatorum humani generis, & ſic fuiſſet imperfecta ſatisfactio.

44. *Ratio tertia.* Opera ex gratia procedentia, vt *ieiunium, eleemoſyna, orationes, corporũ afflictiones,* ſunt ſatiſfactoria, & hæc non ſolùm nobis proſunt, ſed etiam proximis in gratia exſiſtentibus conducunt, vt videmus theſaurum Eccleſiæ conflatũ ex ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, qui plura paſſi ſunt in hac vita quàm promeruerunt illorum peccata, & hæ applicantur alijs per indulgentias ergo pura creatura in gratia exſiſtens ex Dei ordinatione potuit ad imperfectam æqualitatem pro peccatis aliorum ſatisfacere.

Ad argumẽta contraria *reſpondeo.* Ad primum ſupponendo, quòd puri hominis ſatisfactio potuit eſſe condigna ſecundùm acceptationem Diuinam, non autem ſecundùm ſe, hoc eſt, vt ideo à Deo acceptetur, quia condigna eſt, quia hoc primũ eſt ſatisfactionis Chriſti, quæ propterea acceptata eſt, quia ex ſe condignitatem habuit, non modo ſufficientem, ſed etiam ſuperabundantem & ſupereffluentem, quia non ſolùm pro peccatis huius mundi, ſed etiam infinitorum erat abundè ſatisfaciens.

Ad argumẽta reſponde tur.

45. *Et cùm dicis* offerri per actum charitatis æquiualens, quia æquè diligit Deum, aut etiam magis quàm potuit odiſſe. *Reſpondeo*, quòd peccatum dupliciter conſiderari poteſt. *primò* vt eſt malum hominis, & ſic actus dilectionis & odij, vt ſunt in homine, poſſunt eſſe ad æqualitatẽ, vt tanta ſit dilectio in homine, quãtum fuit odium; & ſic Deus poteſt in tantum diligere illius actum dilectionis, inquantum diſplicuit illi actus odij. *ſecundò* vt eſt malũ Deo intentatum, & vt ſecundùm affectũ peccantis eſt deſtructiuum Diuinæ bonitatis & maieſtatis, & ſic plus odit Deus peccatum, quia vt ſic peccatum eſt intentatum Deo, & opponitur Diuinæ dilectioni, quã ſe Deus diligit, ſe autem Deus diligit infinitè, vnde ſuæ dilectioni oppoſitam malitiam peccati, vt ſui deſtructi-

Peccatũ dupliciter cõſiderari poteſt.

ſtructiuam, infinito modo odit, vnde non eſt æquiualens.

Solutio 2.

46. *Ad ſecundum* dico actum charitatis etiam magis intenſum quàm fuit in Chriſto, potuit Deus de abſoluta ſua potentia communicare creaturæ in Eſſe Phyſico, ſed non in genere morali, inquantũ eſt principium merendi & ſatisfaciendi, quòd prouenit ex infinitate Diuinæ Perſonæ.

Solutio 3.

Ad tertium dico ſatisfactionẽ quæ fit ad æqualitatem perfectam pro offenſa Dei, non poſſe procedere niſi à perſona infinita. *Ratio*, quia condignitas valoris infiniti dicit intrinſecum ordinem in genere cauſæ formalis, ad infinitatem perſonæ ſatisfacientis, & in hac tanquam in prima radice fundantur perfecta ſatisfactio, vnde per eam cauſam ſecundam quæ non ſit etiam Deus fieri nequit.

Satisfactio de rigore iuſtitiæ quãdo fit?

Ad quartum Aureoli dico. Satisfactionem de rigore iuſtitiæ tunc eſſe, quando ſatisfaciens ex his ſatiſfacit, quorum habet plenum dominium, & in eo à nullo dependet maximè ab eo cui ſatisfacit: ſed creatura nulli⁹ rei poteſt habere dominium, cuius non ſit Deus principalis & abſolutus Dominus, iuxta illud: *Quid habes quod non accepiſti?* vnde cùm homo habeat à Deo, & naturales facultates vt intellectum & voluntatem, quæ ſunt elicitiuæ act⁹ dilectionis, & ab eodem habet gratiam & charitatem. ergo hic actus dilectionis non eſt de rigore iuſtitiæ, ſiquidem non eſt ex proprijs, ſed ex his quæ ſunt ex miſericordia Dei homini conceſſa.

47. Ad illud verò quòd dicitur: *Qui alteri ſoluit ea pecunia debitum quã debuit titulo charitatis ob neceſſitatem extremam*, dico, quòd non eſt par ratio, quia hic non habet eſſe dependenter in ratione ſuæ pecuniæ ab alio, quia is cui ſoluitur debitum, non eſt dominus illius pecuniæ per quam fit ſolutio. Iam autem omniũ rerum quæcunque ſunt in puro homine, dominium principaliter eſt in Deo, & ab eo deriuatum eſt in hominem, & quando Deus dominium rerum creaturæ concedit, iuri ſuo non renuntiat, quòd habet vt creator & Dominus abſolutus in omnes res à ſe productas, vnde nihil habet homo proprij quòd non ſit à Deo. ergo non ſatisfacit ad æqualitatẽ, ſiquidem non ex proprijs ſed ex alienis, nam ab authore Deo intrinſecè in ſuo eſſe & in ea actione per quam ſatisfacit, dependet, ſecundũ illud: *Sine me nihil poteſtis facere.*

48 QVANTVM ad quartum dubium, in quo quærimus: *An Chriſtus de toto rigore Diuinæ iuſtitiæ pro peccatis generis humani ſatisfecit?* Dico, quòd hoc dubium habet Hæreticos contrarios maximè Arrium, vt refert D. Aug. *in lib. de Grat.⁹ Chriſti contra Pelagium*, qui audet dicere, quòd Chriſtus ſolùm datus eſt in Doctorem, & in Legiſlatorem, non autem vt peccata generis humani redimeret. *Fundamentum eius.* quia filij Adæ nullum peccatum originale contrahunt, quod oportuiſſet redimi. ſed hæc ſententia tanquam Hæretica damnata eſt, doctrina enim Catholica eſt, peccatum originale contrahi, & quod in illius remedium ſit Baptiſmus conſtitutus.. & Scriptura clamat ad Rom: 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem in ſanguine.* & Trident. Concil. *Seſſ. 6. de Iuſtif. canone 21* dicit

An Chriſtus de toto rigore Diuinæ iuſtitiæ ſatisfecit?

21. dicit Chriſtum datum eſſe & in redemptorem & in legiſlatorem. Caluinus verò *lib. 2. Inſtut. c. 10.* dicit. quòd Chriſti ſatisfactio de ſe non fuit condigna, niſi per acceptationem Dei.

49. Doctorum verò ſententiæ ſunt quoq; diſcordantes. *Prima* eſt Scoti in 3: Sent. *diſt. 19. quæſt. vnica.* Durandi ibidem *diſt. 20.* quam Vaſquez tuendam ſuſcepit. quòd Chriſti ſatisfactio ſecundùm ſe & ab intrinſeco conſiderata in ratione ſatisfactionis, non fuit ſimpliciter infinita, nec ex toto rigore iuſtitiæ, ſed conſiderata ab extrinſeco, videlicet quia à Deo gratuitò eſt acceptata, & illa fuit contentus, ſic eſſe infinitam, quòd ſic probat ſecundùm Ariſtotelem *lib. 5. Ethic. cap: 6.* inter Patrem & Filium non eſſe ſimpliciter iuſtitiam, ſed ſecundũ quid; ideo quia Filius eſt aliquid Patris & non eſt alius à Patre, & omnia quæ habet, à patre accepit. idẽ in Chriſti ſatisfactione accidit cùm ſit Filius Patris. ergo non eſt ſimpliciter ſatisfactio ex iuſtitia.

Sententia 1.

Ratio ſecunda. quia ſatisfactio Chriſti fiebat ex his quæ ſunt communia tribus Perſonis Diuinis vt ex virtute Diuina. *Tum* quia ſatisfactio eſt opus ad extra. ſed opera ad extra ſunt communia toti Trinitati. ergo ex communibus ſatisfaciebat Chriſtus.

50. *Secunda ſententia dicit* Chriſti ſatisfactionem ex parte rei oblatæ fuiſſe ſimpliciter infinitam, & ſecũdùm perfectam iuſtitiam. quia res oblata fuit Deus & homo: ſed ex parte oblationis ſeu actus offerentis non fuiſſe ſimpliciter infinitam. *Ratio eius.* Formale principium ſatisfactionis Chriſti fuerunt Gratia habitualis, & humanitas eius. ſed hæc ſunt finita. ergo & ſatisfactio finita. *Sequela* Cuiuſlibet enim actionis quantitas ex formali principio quo agens agit ſumi debet.

Secunda ſẽtentia.

Vltima eſt ſententia, quam teneo à capite 51. Dico: *Satisfactio Chriſti ſine vlla diſtinctione ſed abſolutè fuit condigna & infiniti valoris, vnde ad æqualitatem perfecta.* ita hîc tenet D. Th. & inferius *q. 48. a. 2 & 4. con. gen. c 54. 55.* & D. Bonau. *in 3. diſt. 3.* Sotus *in 4. diſt. 19 q. 1.* & eſt communis ſententia.

Tertia ſententia. Satisfactio Chriſti abſolute fuit condigna & infiniti valoris.

51 Probatvr locis Scripturæ ad Rom: 5. *Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit, & per vnius iuſtitiam omnes iuſtificamur.* loquitur de meritis Chriſti, & hæc dicit eſſe ex iuſtitia. & 1. Corynth. 1. *Factus pro nobis iuſtitia, ſanctifi catio, & redemptio.* & ad Rom: 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ſanguine eius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ in remiſſionem præcedentium delictorum.* idem ſentiunt SS. PP. D. Aug. de Trinit. *lib. 13. & 14.* dicit. *Neceſſarium fuiſſe Deum fieri hominem vt æquiſſimo iure genus humanum redimeretur.* & Leo Papa *Serm. 1. de Natiu.* ait: *Si non eſſet verus homo non præberet exemplum: ſi nõ eſſet verus Deus, non afferret remedium,* vterq; loquitur de ſufficientia iuſtitiæ quoad æqualitatem. Probatur quoq; rationibus.

52. *Ratio prima.* Satisfactio de rigore iuſtitiæ illa eſt, in qua perſonæ ſatisfacienti nulla fit gratia, tunc autem nulla fit cùm ad æqualitatẽ ſatisfacit, vt cùm reddit centum, quia debuit centum. ſed ſatisfactio Chriſti non habuit gratiam, nam in Chriſto

Satisfactio de rigore iuſtitiæ quãdo eſt

in Chriſto perſona ſatisfaciens eſt perſona Filij, & huic nulla gratia cõferri poteſt cum ſit cum Patre & Spiritu S. dominus vniuerſorum, & ſi quæ gratia interceſſit, hæc naturæ humanæ eſt collata. ergo eſt de toto rigore iuſtitiæ.

Ratio ſecunda. Si Chriſti ſatisfactio eſt imperfecta. ergo fundatur in acceptatione Diuina. ſi ſic ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, quia etiam purus homo potuit (vt iam probatum) imperfectè ſatisfacere, & ex acceptatione Diuina potuit genus humanum redimere. Hæc ratio ſumit robur ex Dicto ad Galat. 2. *Si per legem iuſtitia gratis Chriſtus mortuus eſt*, hoc eſt, ſi lex naturalis aut ſcripta potuit iuſtificare, vt quid Chriſtus mortuus eſt? eodem modo dico, ſi Chriſti ſatisfactio imperfecta & ex acceptatione Diuina valorem accepit. ergo gratis Chriſtus mortuus eſt, quia etiam puri hominis ſatisfactio imperfecta potuit eodem modo à Deo accepta: 1.

Satisfacere imperf. & etiam purꝰ homo potuit?

53. *Ratio tertia.* Quælibet ſatisfactio ſumit valorẽ ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, vt tantò ſit maior ſatisfactio, quantò maior & illuſtrior eſt perſona quæ ſatisfacit. ſed dignitas Perſonæ Chriſti ſimpliciter fuit infinita, nam erat perſona ipſius Verbi Diuini ergo illius ſatisfactio neceſſariò habuit infinitũ valorem.

Satisfactio vnde ſumit valorem?

CONFIRMATVR 2. Corinth. 5. *Erat Deus in Chriſto mundum reconciliãs ſibi*, hoc eſt, Deus ſeu Perſona Verbi reconciliabat mundum, ſatisfaciendo Diuinæ iuſtitiæ ad æqualitatem. nam quemadmodum natura humana propter vnionem hypoſtaticam cum Deo habuit infinitam dignitatem, ita & actiones humanæ ex coniunctione ad Deum, quia erant Dei & hominis, infinitam accipiunt dignitatem, & per conſequens infinitum valorem. vnde Chriſti ſatisfactio ad æqualitatem, nam vt culpa infinita, ita ſatisfactio Chriſti infinita. *Et ratio eſt.* quia actiones non ſunt formarum ſed ſuppoſitorum, nam forma eſt principium *quo* operamur; ſuppoſitum verò eſt *quod* operatur. Et probatur, quia operatio ſequitur ad ESSE (vt D. Th. in *2. diſt 3 q 2. a. 2.* docet) ſed *eſſe* primò & immediatè competit ſuppoſito quod eſt terminus generationis. ergo & operatio eſt à ſuppoſito. *Idem* confirmat Ariſt. lib. 1. de An c. 4. tex 64 *Dicere autem animã iraſci vel timere, perinde eſt, atq; ſi quiſpiã animam texere dicat vel ædificare. nam melius eſt fortaſſe dicere, non animam ſed hominem anima miſereri, vel ratiocinari, vel texere.* ergo anima quæ eſt forma hominis eſt principium quo iraſcimur miſeremur, homo verò eſt ſuppoſitum, quod iraſcitur & miſeretur.

Actiones ſunt ſuppoſitorum.

54 *Ex quo collige* non eſſe dicendũ quod humanitas Chriſti vncta Deitate ſeu Deificata fuit ſatisfaciens vt principium QVOD *Et ratio eſt prima.* Deitas enim eſt prædicatũ vniuerſale, conueniens tribus Perſonis Diuinis. ergo humanitas vt Deitate vncta non potuit eſſe principium *quod* ſatisfactionis Chriſti *Sequela.* nam à Deitate tanquam ab vniuerſali principio omnis actio & in fieri & in conſeruari dependet ergo Perſona Verbi ſubſiſtens in natura humana debuit eſſe principium ſatisfactionis.

Corollariũ

Ratio ſecunda. Idem paſſim & aper-

te SS.Patres docent condignitatem ſatisfactionis debere ſumi ex perſona ſatisfaciente quæ ſit infinita, ſcilicet ex perſona Verbi per naturam humanam ſatisfaciente. ergo perſona Verbi eſt principium *Quod*; humanitas verò ſolùm eſt principium *Quo*.

Qui pro nobis ſatis fecit? *Ad extremum*. Ille propriè & vt principiũ *Quod* pro nobis ſatisfecit, qui pro nobis crucifixus, paſſus, mortuus. ſiquidem per paſſionẽ & mortem à ſeruitute Diaboli & mortis liberati ſumus. Sed Chriſtus eſt Filius Dei vnigenitus qui pro nobis paſſus mortuus, ſic enim Eccleſia profitetur in Symbolo: Humanitas verò propriè loquendo non eſt paſſa & mortua vt *Quod*, ſed vt *Quo*. ergo humanitas propriè non ſatisfaciebat vt principium *Quod*.

Argumentã cõtraria ſoluuntur. 55. *Ad argumenta*. in contrarium reſpondeo, ad authoritatem Ariſt. dico Quamdiu filius eſt ſub tutella patris, & non eſt emancipatus, ſic inter patrem & inter filium non eſt vera iuſtitia, nam in omnibus à patre dependet & ea quæ ſunt filii sũt accepta à patre: ſed poſtquam filius eſt factus vir & ſui iuris, tunc iam poteſt cum patre iure agere, & eidẽ ex iuſtitia ex bonis quæſitis labore perfectè ſatisfacere vt experientia teſtis.

Ad ipſum argumentum quidam ſic reſpondent; Satisfactionem Chriſti fuiſſe propriè ad alterum diſtinctũ diſtinctione perſonali & reali, nam eſt inter perſonam Verbi & Patris quæ realiter inter ſe diſtinguuntur vnde Filius diſtinctus à Patre offerebat Patri ſatisfactionem. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit. *Et ratio eſt*. Quia ſatisfactio debetur ei qui læſus eſt. Sed Deus & illius Maieſtas & bonitas infinita eſt læſa, quæ quidem ſunt eſſentialia & communia tribus perſonis. ergo debuit eſſe Deo vt communi tribus perſonis. ergo debuit eſſe & Patri & Filio, & Spiritui S. Vnde

56. Dico *Quomodo Filius ſibi ſatisfecit?* Supponendo in primis (quòd in nullo ſuppoſito creato poſſunt conuenire duæ naturæ & per conſequens duæ voluntates realiter diſtinctæ, nec per ipſam abſolutam Dei potentiam, quia ad hoc virtus infinita requiritur quæ ſuppoſito creato non conuenit, vnde ſolùm eſt ſuppoſitum increatum idemque infinitum quod duas naturas ſuſtentare poſſit, & ſic de facto in Chriſto ſunt duæ naturæ realiter diſtinctæ habentes quoque voluntates diſtinctas per quas poſſunt actus iuſtitiæ exercere, & inter has ſufficit diſtinctio ſuppoſitorum ſecundùm rationem vt poſſit eſſe perfecta iuſtitia. Et ſic perſona Chriſti quamuis non diſtinguatur realiter à perſonalitate Verbi in natura Diuina ſubſiſtente, nihilominus ratione diſtinguitur ab eadem perſonalitate Verbi inquantum hæc ſubſiſtit in natura Diuina: inter autem naturam humanam in qua Verbum ſatisfaciebat, & ipſum Deum erat realis diſtinctio, cum diſtinctione voluntatum, nam humana voluntas & Diuina realiter diſtinguuntur, vnde Chriſtus per naturam humanam Diuina perſona terminatam ſatisfaciebat ſibi vt Deo, ideo & ſimul obtulit & ſimul acceptauit ſatisfactionem, ſed diuerſo reſpectu, acceptauit vt Deus, obtulit per humanitatẽ. Quomodo Filius Dei ſibi ſatisfecit in redẽptione generis humani.

57. Quidam aliis verbis ſed ad

hunc

Perſona Verbi dupliciter conſiderari poteſt.

hunc ſenſum ſpectantibus; ſic reſpondent, dicunt enim: quòd hæc eadem vnica perſona Verbi dupliciter conſiderari poteſt. *Primò* in genere Entis, & ſic perſona Chriſti non aliud eſt quàm Verbum ſeu ſecunda Perſona in Trinitate: quæ vt à Patris & Spiritus S. perſona realiter diſtinguitur, ita quoad Eſſentiā Diuinam identificatur. *Secundò* conſiderari poteſt in genere Moris, in quātum hæc eadem perſona & producit & terminat actiones humanas, & illis confert dignitatem infinitam. Vnde primo modo conſiderata perſona Verbi non ſatisfacit, ſed illi fit ſatisfactio & offertur nō minus quàm Patri & Spiritui S. Altero autem modo conſideratur, vt terminat actiones humanas, & ſic iam ſatisfacit, nam certum eſt naturam humanam, vt ſic terminatam à perſona Verbi eſſe realiter diſtinctā à Patre & Filio & Spiritu S. & ſic hæc ſatisfactio erit ad alterum.

Valor infinitus ſatiſfactionis Chriſti ſumitur ex infinitate perſonæ Verbi.

58. *Ad ſecundum* argumentum reſpondeo. Valor infinitus ſatisfactionis Chriſti non ſumitur ex infinita virtute Diuina, ſed ex infinitate perſonæ Verbi quæ in natura humana ſatisfaciebat Deo, nam perſona Verbi quæ ſubſiſtebat in natura humana erat principium *Quod*, proximum eliciens eandem ſatisfactionem. Deus autem vt eſt communis tribus perſonis habuit influentiam generalem, ex qua generali influentia infinitus valor ſatisfactionis nō ſumebatur, ſed ex perſona ſatisfacientis; quæ fuit Verbi & infinitæ dignitatis. Quemadmodum in Diuinis, Eſſentia Diuina eſt communis tribus perſonis, & hæc vt ſic conſiderata non eſt principium *Quo* generationis Filii, ſed in quantum eſt in Patre, qui ſolus generat Filium. Similiter dicendum quòd virtus infinita in quantum eſt communis tribus perſonis, non tribuit valorem infinitum ſatisfactioni Chriſti, ſed prout eſt in perſona Verbi, quod ſubſiſtit in natura humana. Ex quo ſequitur, quòd cum Verbum Diuinum in natura humana ſatisfaciat; Chriſti ſatisfactio, inde valorem ſuum ſumit. Corollariū.

59. *Sed dices.* Perſonæ Verbi fit ſatisfactio, & perſona Verbi dat valorem infinitum ſatisfactioni Chriſti. ergo non erit ſatisfactio de rigore iuſtitiæ. *Reſpondeo* quòd perſona Verbi ſecundum rem idem, eſt ſuppoſitum, Diuinam & humanam naturam ſuſtentans, ſed ſecundùm rationem diſtinguitur. Nam in quātum terminat naturam Diuinam, eſt ſuppoſitum Diuinum, & in quantū terminat naturā humanam, eſt ſuppoſitum humanum; & horum ſuppoſitorum ſunt diſtinctæ operationes, nam vt eſt ſuppoſitum Diuinū operatur opera creationis, gubernationis, conſeruationis: vt autem eſt ſuppoſitum humanum ſubſiſtēs in natura humana, operatur per humanitatem tanquam per formale principium *Quo* opera ſatisfactoria, & quia à Verbo mediante natura humana procedunt, ideo ſumunt valorem infinitum; fiunt enim à ſuppoſito ſubſiſtente in natura humana ſiue in quantum Deus homo. vt autem eſt Diuinum ſuppoſitum in natura Diuina cum aliis perſonis ſubſiſtens ita illi ſatisfactio fiebat & eandem cū aliis perſonis acceptabat. Obiectio 1. Reſponſio ad eam.

60. *Rurſum inſtabis.* Chriſtus vt ſuppoſitum humanum erat eiuſdē rationis Obiectio 2.

rationis cum aliis hominibus. ergo non habebat in ſatisfactione valorem infinitum. *Reſpondeo* Quòd ſuppoſitum humanum in Chriſto duo dicit. *Primò* Rationem ſubſiſtendi & hæc eſt humanitas. *Secundò*. Id quod ſubſiſtit in natura humana, & hæc eſt perſona Verbi. Dico itaque, quoad rationem ſubſiſtendi perſonam Chriſti fuiſſe eiusdem rationis cum aliis hominibus: nam Chriſti humanitas erat eiusdem ſpeciei cum humanitate noſtra, ſed quoad ratione͂ eius quod in ea ſubſiſtebat ſic erat diuerſæ rationis. nam ſuppoſitum Chriſti in humanitate ſubſiſte͂s fuit increatum, aliorum autem hominu͂ ſuppoſitum fuit creatum. vnde licet concedamus rationem ſubſiſtendi fuiſſe finitam, tamen quia ſuppoſitum ſubſiſtens in humanitate erat increatum infinitum, *idcirco ex eo* ſatisfactio Chriſti fuit infinita.

Suppoſitū humanum in Chriſto duo dicit.

Ad Fundamentum ſecundæ ſententiæ dico. Chriſti ſatisfactio conſiderata in genere Entis quo ad ſubſtantiam ſuam Phyſicam ſic fuit finita propter humanitatem creatam per quam operabatur Verbum Diuinum. Sed conſideratum in genere Moris, quia fuit à perſona Verbi operantis in natura humana, & quia hæc infinitæ dignitatis, ideo dat infinitum valorem ſatisfactioni.

Satisfactio Chriſti in genere Entis fuit finita; in genere autē moris, infinita

61. *Sed quæres.* Cum ſatisfactio Chriſti ſit de rigore iuſtitiæ, hæc autem iuſtitia ſit diſtributiua & co͂mutatiua, *quæres.* Ad quam ſatisfactio prima pertinebit? *Reſpondeo* Ad commutatiuam. Ita Script. ſentit I. Corinth. *Empti eſtis pretio magno.* Et Pſal. 129. *Copioſa apud eum redemptio.* Sed emptio & redemptiò (vt experientia teſtis) ad commutatiuam iuſtitiam ſpectat. ergo ad commutatiuam pertinebit. Et Iſaiæ 50. dicitur. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum &c.* Sed Chriſtus poſuit animam in cruce pro peccato vt deleretur. Ide͂ Chriſtus mortem ſubiuit, vt nobis vita͂ amiſſam reſtitueret. ergo eſt commutatio. *Et ratio eſt.* Iuſtitia commutatiua facit æqualitatem rei ad rem. Sed Chriſti ſatisfactio eſt ad æqualitatem, nam pro culpa infinita dat ſatisfactionem infiniti valoris, ergo ad iuſtitiam commutatiuam ſpectat.

Ad quam iuſtitiā ſatisfactio prima ptinet.

62. *Obiicies* Ad iuſtitiam commutatiuam ſpectat, vt ſit debiti obligatio. Sed Chriſtus ex debito non obligatur ad ſatisfaciendum. ergo no͂ pertinebit ad commutatiuam iuſtitiam. *Reſpondeo.* Ad perfectam iuſtitiam ſufficere vt ex parte debiti æquiualens reddatur, videlicet vt illi cui debentur centum; reddantur centu͂; non requiritur autem, vt ille qui obligatur reddat. cum alius ex charitate & miſericordia poſſit pro eo reddere; vt ſi Petrus debeat Ioanni centum & Paulus ex charitate reddat centum, redditur æquiualens creditori cui debebatur. nec ia͂ Petrus ad ſoluendum obligatur, vnde eſt actus perfectus iuſtitiæ commutatiuæ. Ita Chriſtus D. non ex aliqua obligatione quia peccatum non habuit, ſed ex charitate qua nos dilexit ſuſcepit in ſe debiti ſolutionem pro peccatis hominum & reddidit non modò æquiualens ſed ſuperabundans in noſtris peccatis & ſic ad iuſtitiam perfectam illius ſatisfactio ſpectat.

QVÆSI-

QVÆSITVM IV.
An ſi homo non peccaſſet Deus incarnatus fuiſſet?

63. DE veritate huius Quæſiti non mediocris eſt controuerſia inter Scholaſticos Scotus *in 3 diſt. 7. quæſt. 3.* & *diſt. 19.* Cartag. in opere de Prædeſt. homin. & Ang. Catharinus de Eximia Chriſti præd. aſſerunt quòd *Verbum incarnatum fuiſſet etiamſi homo non peccaſſet.* Suarez *in 3. part. diſp. 5. ſect. 2.* & *4.* eandem ſententiam defendit quam ſic explicat.

Duplex ordo incarnationis. Conſtituit enim duplicem ordinem incarnationis. *Primus* intentionis in quo ſtatuit finem incarnationis fuiſſe præſtantiam & dignitatẽ ipſius incarnationis. *Alter eſt* Exſecutionis in quo conſtituit præuiſionem peccati quamuis ex vi intentionis futura eſſet incarnatio etiam ſi Adam non peccaſſet: quòd autem res ordinata in vnum finem, poſſit in alium ordinari, ſic declarat. ſicut enim ſi quis iter ſuum ordinet Romam ad ſtudia tractanda & interim audiat amicum ſuum exſiſtere Romæ in ſumma neceſſitate, etiam hoc ipſum iter ad amicum ſubleuandũ poterit ordinare. Similiter Deus ab æterno ordinauit incarnationem propter illius excellentiam & perfectionem. eandem ex vi decreti ſui potuit ordinare in redemptionem peccatorũ generis humani.

64. D: Th. *hic art. 3.* Caiet. ibid. Marſil. Capreol. Carthuſ. *in 3 Sent.* Ferarienſis in *4. contra gentes cap. 55.* dicunt. *Peccato non exſiſtente Verbum Diuinum non fuiſſet incarnatum.* Caiet. hic pro defenſione doctrinæ S. Doctoris certa Signa rationis ſtatuit. Pro quorum intelligentia.

Notandum quòd quamuis Deus vnico & ſimpliciſſimo actu omnia ſimul intelligat & ordinet: ſecundum tamen modum noſtrum concipiendi in intellectu Diuino ſtatuimus Signa rationis, & hæc non habent diuerſitatẽ ex parte intellectus aut voluntatis Diuinæ, ſed ex parte obiectorum in quantum vnum ab alio dependet, quæ ſic ſe habent. Signa rationis in intellectu Diuino quinq;.

In primò ſigno rationis cognouit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ tres modos poſſibiles quibus bonitatem ſuam creaturis communicaret. *Primus* eſt Naturæ tribuendo illis *eſſe* naturale. *Secundus* eſt gratiæ, tribuendo creaturis rationalibus gratiam, & illas eleuando ad *eſſe* ſupernaturale. *Tertius* eſt vnionis hypoſtaticæ videlicet communicando ſuum Esse perſonale Diuinum per vnionem hypoſtaticam quod in myſterio incarnationis factum.

In ſecundò. Signo decreuit ſuam bonitatem communicare creaturis tribuendo illis *Eſſe* naturale, & in hoc cognouit omnia naturalia, & etiam peccata in quantum ſunt defectus naturæ.

In tertiò decreuit communicare ſe per gratiam & in hoc cognouit omnia quæ pertinẽt ad ordinẽ gratiæ & antecedenter ad incarnationẽ & hic etiam cognouit peccatum originale in quantum eſt oppoſitum gratiæ.

In quartò Signo poſtquam Deus decreuit permiſſurum ſe peccatum, etiam abſolũta & efficaci ſua voluntate decreuit mittere vnigenitum ſuũ in carne aſſumpta vt mundum à ſeruitute peccati redimeret.

In quintò Signo quoſdam prædeſtinauit in Chriſto ad gloriam, quoſdam reprobauit. Ex his ſignis colligit' Caiet. quod ante Chriſti prædeſtinationem peccatũ originale fuit & præuiſum & permiſſum. ergo Verbum Diuinum ob peccatum hominis eſt incarnatum. Pro determinatione.

Probabile eſt ſine vlla præuiſione Peccati Verbum incarnari.

65. Dico primo. *Probabile eſt quòd ſine vlla præuiſione peccati poterat Verbum incarnari.* PROBATVR. Deus enim in ſuis operationibus ad extra eſt maximè liber vt omne illud poſſit facere. quod non implicat contradictionẽ. Sed fieri incarnationẽ ſine præuiſione peccati nulla eſt implicatio contradictionis; ergo potuit fieri. *Præterea* De facto voluit Deus incarnationem cum dependentia à peccato. ergo etiam poterat velle ſine dependentia à peccato: quia ad hoc potentia Diuina non eſt limitata, & ideo etiamſi peccatum non fuiſſet potuit incarnari.

Si homo nõ peccaſſet Verbum Diuinum in carnem non fuiſſet

66. Dico ſecundò. *Doctrina tamẽ S. Doct. eſt veriſſima, quòd ſi homo non peccaſſet ex vi præſentis decreti Verbum Diuinum non fuiſſet incarnatum.* PROBATVR Locis Script. quæ aduentus Chriſti in carnem non aliam cauſam aſſignat quàm hominis peccatũ. Luc. 19. *Venit Filius hominis quærere & ſaluũ facere quod perierat.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat ſed habeat vitam æternam.* Et 1. ad Timoth. 4. *Venit Chriſtus peccatores ſaluos facere.* ergo incarnationis Chriſti ex vi præſentis decreti non alia fuit cauſa quàm reconciliatio generis humani.

67. Idem ſentiunt SS. Patres D. Ambroſ. lib. de Sacram. Incar. cap. 6. *Quæ erat cauſa incarnationis niſi vt caro quæ peccauerat redimeretur.* Et D. Auguſt. Serm. 8. de verbis Apoſtoli cap. 2. *Si homo non periiſſet Filius hominis non veniſſet.* Et Serm. 9. cap. 1. *Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino niſi peccatores ſaluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt cauſa medicinæ.*

Probatur ratione D. Th. Quæ ex ſola voluntate Diuina proueniũt ſupra debitum naturæ non poſſunt nobis innoteſcere niſi in quantum nobis in Scriptura traduntur, per quam nobis Deus loquitur. Atqui incarnatio ex voluntate Diuina prouenit & eſt ſupra debitum naturæ, ergo illius cauſa ex ſcriptura nobis innoteſcit. Sed Scriptura peccatum Adæ aſſignat. Ergo hoc eſt cauſa incarnationis, ergo illo non exiſtente non fuiſſet incarnatio.

Incarnatio ex diuina voluntate prouenit.

Confirmatur Quando ſacra Scrip. alicuius facti aſſignat cauſã, ex hoc efficaciter colligimus illam ſolam eſſe cauſam vel ſaltem principalem & ſine qua non fieret. Sed ſacra ſcriptura aduentus Chriſti in carnem non aliam cauſam aſſignat niſi peccatum hominis (vt iam retulimus.) ergo hoc ipſum eſt cauſa incarnationis.

Reſpon-

Inſtantia Scotiſtarũ. 68. *Reſpondent* Scotiſtæ & dicunt Teſtimonia Script. Patrum, & Rationem D. Th. concludere quòd nõ peccante Adamo Verbi incarnatio non fuiſſet in carne paſſibili, ſed bene poterat eſſe in carne impaſſibili

Reſponſio ad eam. *Sed contra.* Qui dicit abſolutè & ſimpliciter incarnationem non eſſe futuram peccato non exſiſtente, hic affirmat nec in carne paſſibili nec in impaſſibili eſſe futuram. Nã impaſſibilitas eſt circumſtantia incarnationis. Sed ſcript. & Patres abſolutè dicũt nõ fuiſſe vẽturũ peccato nõ exſiſtente. ergo dicũt quòd nec in impaſſibili carne veniſſet.

Obiectio altera Scotiſtarum. *Rurſum dicunt:* quòd Chriſtus eã carnem aſſumpſiſſet quam inueniſſet, ſi enim Adã non peccaſſet inueniſſet in impaſſibilem; & ſic impaſſibilem aſſũpſiſſet, ſi autem peccaſſet paſſibilem aſſumpſiſſet.

Solutio eius. *Sed contra* ſequeretur hinc, quòd Deus in ſuo æterno decreto nõ prædeterminaſſet in particulari myſterium incarnationis, ſed ſolùm in communi & in confuſo permittens illius determinationem rerum euentui quoad circumſtantias, & ſolùm ipſam ſubſtantiam incarnationis determinaſſet, quod quidem derogat perfectioni prædeſtinationis, nã hæc & quoad ſubſtantiam & quoad omnes circumſtantias perfectiſſimè decreto Diuino eſt ordinata.

Obiectio 3. 69. *Deinde obiiciunt* Ex aliis locis Scripturæ manifeſtum eſſe quòd Chriſtus debuit eſſe Doctor, legiſlator, Paſtor, Glorificator ergo nõ exſiſtente peccato ad hæc officia implenda fuiſſet incarnatus

Reſponſio ad eam. *Reſpondeo* quòd officium, *Doctoris paſtoris, &c.* continetur in reparatione humanæ naturæ, vt colligitur ex illo. Matth. cap. 15. vbi ſic Chriſtus de ſe loquitur. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* loquitur hic de ouibus. ergo & de paſtore; & dicit ſe ad eas veniſſe quæ perierũt, ſcilicet per peccatum. ergo in reparatione humanæ naturæ paſtoris officium includitur.

Inſtant 2. Prædeſtinatio Chriſti omnium hominum prædeſtinationem præceſſit. Ad Coloſ. *1. Primogenitus omniũ creaturæ.* ergo ante præuiſionem peccati ergo non peccante Adamo fuiſſet incarnatus. Obiectio 2. Scotiſtaru.

Reſpondeo primò falſum eſſe ſecũdum quòd iam ex Caiet. in Signis rationis oſtenſum eſt quòd peccati præuiſionem præceſſerit Chriſti prædeſtinatio, nam contrarium dicimus, quòd in tertio ſignò præuiſio peccati facta in quarto verò prædeſtinatio incarnationis decreta. Reſponſio ad eam 1.

Reſpondeo ſecundò. quòd Chriſtus vt eſt caput prædeſtinatorum eſt ante omnes prædeſtinatus, nam alii prædeſtinati ſunt membra Eccleſiæ tanquam corporis myſtici. Reſponſio ſecunda.

Reſpondeo tertiò, Sicut *eſſe* naturæ & *eſſe* gratiæ comparata inter ſe pro diuerſa ratione, vnum alio dicitur eſſe priùs, nam in genere cauſæ finalis *eſſe* gratiæ eſt prius quàm *eſſe* naturæ; & *eſſe* naturæ in genere cauſæ materialis eſt prius quàm *eſſe* gratiæ Ita dicim[9] quòd prædeſtinatio Chriſti in genere cauſæ finalis eſt prior præuiſione & permiſſione peccati, permiſſio verò peccati in genere cauſæ materialis eſt prior. nam myſterium incarnationis circa peccatum tollendum verſatur, Ex quo ad argumentum directè. Solutio 3.

Ad argumentum reſponſio prima. 70. *Dico primò.* quòd Chriſtus in genere cauſæ finalis eſt primus prædeſtina-

deſtinatorum; nam ad eius gloriam manifeſtandam omnes alii ſunt ordinati. ſed vt hæc gloria Chriſti in prædeſtinatis magis manifeſtaretur voluit Deus permittere peccatum vt in ægritudine curanda tantò maior gloria Chriſti eluceret.

Reſponſio ſecunda ad argumentũ

Dico ſecundò. Ad argumentũ quãdo ſic arguitur. *Chriſtus eſt primus prædeſtinatorum. ergo eius prædeſtinatio prior præuiſione peccati. ergo etiam peccato non exſiſtente fuiſſet incarnatus.* Secũdã cõſequẽtiã negam⁹. Sicut enim prædeſtinatio ad gloriam eſt prior prædeſtinatione ad gratiam, ita intentio finis eſt prior intentione mediorum. Atqui non exſiſtente gratia non erit gloria. & non exſiſtentibus mediis ordinariis non habebitur finis. ergo etiam non exſiſtente peccato non erit incarnatio.

Obiectio vltima Scoti

Inſtant tertiò, Summum bonum, nõ debet eſſe occaſionatum quale eſt incarnatio, iam autẽ peccatũ v. illi⁹ occaſionẽ dediſſet. *Reſpondeo* occaſionatũ dupliciter ſumi *Primò* quòd ſit præter agentis intentionem, & ſic incarnatio non eſt occaſionata. *ſecundò.* in quantum eſt ordinatum ad tollendum malum quod per ſe non eſt intentum ab agente, & ſic incarnatio eſt occaſionata, quia ex præſcientia peccati eſt ordinata.

Occaſionatum dupliciter.

71 *Sed quæres,* Cum ſit certũ quòd ex vi præſentis decreti, quod habuit Deus ab æterno in quo v. decreto duo erant. *Primò* Præſcientia peccati. *Secundò* Ordinatio incarnationis ad hoc redimendum. Ex vi alterius decreti in quo iam Deus non præſciuiſſet peccatum, an determinaſſet Chriſti incarnationẽ. *Reſpõdeo* Suares tenet quòd ex vi etiam alterius decreti veniſſet Chriſtus.

An ex vi alteri⁹ decreti Deus determinaſſet Chriſti incarnationẽ

Ceſſãte cauſa peccati nullo modo aduẽt⁹ Chriſti in carne fuiſſet decretus.

Sed contra dicimus: *quòd ceſſante, cauſa peccati nullo modo aduentus Chriſti in carne fuiſſet decretus Diuino decreto* ita ſentiunt Thomiſtæ immo & Valentia cum Vaſquezio. *Et ratio eſt.* ex ſacra Scriptura colligimus Deum non habuiſſe efficax decretum veniendi in carne, ſi Adam non peccaſſet, nec aliud ex Scriptura colligi poteſt, nec ex ratione probabili, quis enim nouit ſenſum Domini? ergo nec ex vi alterius decreti veniſſet. *Tum* Si Deus non præſciuiſſet peccatum, poterat in illo ſuo decreto ordinare pro ſua libertate quod ſibi placuiſſet. ergo temerè aſſeritur quòd ex vi alterius decreti veniſſet. *Item* in ſacra Scriptura Deus hanc ſolam & principalem cauſam Incarnationis reuelauit, vt ſit in remediũ peccati. ſed Deus omnibus in eo genere perfectè conſideratis id determinauit. ergo ex vi alterius decreti non veniſſet. *Ad hæc* quia Patres abſolutè negãt fuiſſe venturum in carne, ſi peccatum non interueniſſet. *Ad extremum,* quia ea ratione Deus ſuam erga nos bonitatem & charitatem maximè nobis commendat, quòd non eſſet venturus niſi fuiſſet peccatum. ergo nec ex vi alterius decreti.

QVÆ-

QVÆSITVM V.

An Incarnatio facta maximè ad delendum peccatum originale?

72. PRo reſponſione ad Quæſitum dico primò ex S. Doctore: *Christus Dominus ad omne peccatum mortale tam originale quàm actuale delendũ venit.* PROBATVR 1. Ioan 1. *Sanguis Ieſu Chriſti Filii eius emundat nos ab omni peccato.* quia Chriſtus in ſufficiẽs remedium peccatorum ſemetipſum in paſſione exhibuit.

Quare non omnia peccata deleã-tur?

Nota, quòd autem nõ omnia peccata deleantur, id iam accidit ex parte hominũ, qui Chriſto per pœnitentiam non inhærent, ſecundùm illud: *Venit lux in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem.*

Ad quod delendum peccatum principalius venit Christus

73 Dico ſecũdò. *Principalius tamẽ venit ad delẽdum peccatũ originale.* PROBATVR, quia originale eſt maius & grauius, cùm ſit totius generis humani quolibet peccato actuali, quod eſt vnius perſonæ. vnde originale extenſiuè, quia omnem naturam humanam infecit eſt grauius. Actuale verò intenſiuè eſt grauius, quia plus habet de ratione voluntarij, nam originale eſt commiſſum aliena voluntate, actuale verò noſtra

An ad ſola peccata venialia redimenda Christus incarnatus fuiſſet?

Sed quæres. Non exſiſtente originali peccato ſi ſola actualia eſſent, an ad hæc redimenda Chriſtus incarnatus fuiſſet? *Reſpondeo* quoſdam affirmare, quoſdam negare. Sed breuiter

Dico primò. *Si ſolùm eſſent venialia, Chriſtus ad ea delenda non veniſſet in carne.* Quia Chriſtus venit ad ea peccata tollenda, quæ hominem à Deo tanquam ab vltimo fine auertunt. atqui venialia nõ auertũt ab vltimo fine, ſed ſolùm deordinant media. ergo ad ea tollenda non veniſſet.

Christus ad delenda venialia peccata in carne non veniſſet.

74 Dico ſecundò. *Si autem eſſent mortalia peccata, ſed vnius aut paucorum etiam Chriſtus non veniſſet.* PROBATVR. quia ex his paucorum peccatis non redundaret malum in vniuerſam naturam humanam.

Ratio ſecunda. quia Incarnatio Filij Dei eſt magna miſericordia Dei, & ideò magnam miſeriam præſupponit. ſed vnius aut paucorum peccata non eſt magna miſeria, quia nõ eſt totius generis humani.

Neque propter mortalia paucorum veniſſet.

Ratio tertia colligitur ex eo, quia SS. PP reſpondentes ad illud Quæſitum. *Cur hominibus & non Angelis datus eſt Redemptor?* hãc dicunt eſſe cauſam, quia tota natura humana per peccatum originale irreparabiliter à ſuo fine exciderat, Angelorum nõ tota ſed pars. vnde Saluatore opus habebat, & ideo ob vnius aut paucorum actualia non veniſſet.

75 *Sed obiicies* Legem eſſe Dei, quòd nemo peccatorum poteſt venire ad ſalutem niſi per Chriſtum. *Reſpondeo.* hanc legem principaliter ſancitam eſſe à Deo, intuitu peccati originalis, ſecundariò verò ad alia actualia mortalia deriuatur: ſed ſi

Obiectio.

Solutio ei⁹

Deus præſciuiſſet vnius aut paucorum peccata, fortaſſis de alia lege prouidiſſet.

Obiectio altera.

76. *Obiicies iterum* Ad Galat. 2. dicit Apoſtolus de Chriſto: *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* ergo etiam ſi vnus mortaliter peccaſſet Chriſtus ad eum redimendum veniſſet. *Reſpondeo* his verbis commẽdari redemptionem, quòd hæc ita perfectè prodeſt ſingulis ac ſi pro ſingulis ſeorſum facta fuiſſet. *Tum* de Chriſto D. vt homine id cogitare pium eſt, quòd hunc tam excellẽtem affectum dilectionis in quemuis peccatorem habuerit, quòd pro quolibet mori paratus eſſet ſi opus fuiſſet, & ita Deus ordinaſſet.

Commendatio redemptionis.

Dico tertiò. *Si autem peccata mortalia actualia fuiſſent in magna parte hominum, ſicut modo ſunt, probabiliter aſſeri poteſt, quòd Chriſtus in carne veniſſet, etiã non exſiſtente originali Et ratio eſt,* quia hæc peccata actualia mortalia cenſerentur malum vniuerſale generis humani, ad quod tollendum Chriſtus eſt ordinatus. ergo hoc remedio vniuerſali redẽptoris opus haberet.

Chriſtus ꝑpter peccata actualia mortalia in carne veniſſet.

QVÆSITVM VI.

An Deum incarnari ab initio mundi fuerit conueniens?

Deum incarnari ab initio mundi non erat cõueniens.

77. Reſpondeo duobus Dictis ad Quæſitum Dico primò *Non erat conueniens Deum incarnari ab initio mundi, ante peccatum generis humani* RATIO, quia Incarnatio eſt medicina ſed medicina ſolùm infirmis datur, ſecundùm quod Chriſtus dicit Matth. 9 *Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus, non enim veni vocare iuſtos ſed peccatores.*

Neq; ſtatim poſt cõmiſſum peccatum quare?

78. Dico ſecundò. *Non fuit quoque conueniens, vt ſtatim poſt commiſſum peccatum incarnaretur.* PRIMÒ propter conditionem peccati humani, quod ex ſuperbia prouenerat. vnde homo humiliandus erat, vt cognoſceret & cum viribus naturæ id quod amiſit aſſequi non poſſet, ſe liberatore indigere confiteretur. SECVNDÒ, vt natura humana ad tantam vnionem recipiendam magis diſponeretur procedendo ab imperfecto ad perfectum, ſecundùm quod dicit Apoſtolus 1. Corinth. 15 *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* TERTIÒ propter dignitatem Verbi incarnati, vt illi aduentum tantò maior ſeries Prophetarum tanquam præconum denuntiaret. QVARTÒ. Ne feruor fidei prolixitate temporis tepeſceret, ſed vt tantò ſolidior fieret, nam circa finem mundi & fides & charitas refrigeſcent, vt dicitur Luc. 18. *Cùm Filius hominis veniet, putaſné inueniet fidem in terra?*

QVÆ-

QVÆSITVM VII.

An Incarnatio debuit differri ad finem mundi?

Congruentiæ tres propter quas fuit conueniens Incarnationẽ in finem mundi differre.

79. RESPONDEO *negatiuè* non fuiſſe conueniens propter tres congruentias à D. Thoma aſſignatas *Prima* quia Incarnatio habet ſe ad naturam humanam, ſicut perfectum perficiẽs ad imperfectum. ſed imperfectum dupliciter perficitur à perfecto. *primò* tanquam à termino‘ *ſecundò* tanquam ab efficiente: quod primo modo perficit debet præcedere, quod autem ſecundo modo debet ſubſequi. ſed Incarnatio vtroq; modo naturam humanam perficit. *primò* tanquam terminus, quo eleuatur à Diuini ſuppoſiti communicatione, & ſic non debuit initio mundi fieri ſed tempore poſteriori. *ſecundò* inquantùm eſt producẽs nos ad gloriam æternam, & ſic non debuit eſſe in fine mundi, in quo gloria & vita æterna conferri debet.

Vel ſic breuius hanc rationem accipe, in fine mundi gloria conferri debet. ſed gloria præſupponit gratiam, & Incarnatio eſt gratia. ergo debuit ante finem mundi præſupponi.

Congruentia ſecunda.

80. *Secunda congruentia.* Si enim ad finem mundi diſtuliſſet Incarnationem notitia Dei vitijs hominum obſcurata perijſſet, nam cùm cognitio Dei à poſteris Adæ videbatur aboleri, elegit Deus Abraham in quo notitiam ſui voluit renouare, ſed cùm & hæc rurſum obſoleſceret, dedit legem per Moyſen, quam cùm gentes ſpernerent, ad extremum miſit Filium ſuum vnigenitum.

Tertia congruentia. Vt manifeſtaret ſuam virtutem, quod homines multis modis ſaluare poſſit, non ſolum per fidem in futurum Chriſtum ſed etiam in præſentem & in præteritũ.

Sed obiicies. ad quid Scriptura dicit 1. Ioan 2. *Filioli nouiſſima hora eſt* & Iſaiæ cap. 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini*. *Reſpondeo* hæc verba Scripturæ & alia his ſimilia non de fine temporis naturalis intelligenda ſunt, ſed quia iam non ſupereſt alia lex aut alia ſacramenta per quæ nos ſaluari oporteat, ſed hæc lex cum ſacramentis quæ à Chriſto eſt inſtituta vſque in finem mundi durabit.

DISPVTATIO II.

De modo vnionis VERBI incarnati?

Duode

Duodecim Quæſita diſcutienda proponimus:

1. *An vnio Verbi incarnati ſit facta in natura?*
2. *An ſit facta in perſona?*
3. *An ſit facta in ſuppoſito vel hypoſtaſi?*
4. *An Perſona vel hypoſtaſis Chriſti poſt Incarnationem ſit compoſita?*
5. *An in Chriſto ſit facta vnio animæ & corporis?*
6. *An natura humana ſit accidentaliter vnita Verbo?*
7. *An ipſa vnio ſit quid creatum?*
8. *An vnio ſit idem quod aſſumptio?*
9. *An vnio duarum naturarum in Chriſto ſit omnium maxima?*
10. *An hæc vnio duarum naturarum ſit facta per gratiam?*
11. *An ex his meritis præcedentibus facta?*
12. *An gratia vnionis fuerit homini Chriſto naturalis?*

QVÆSITVM I.

An vnio Verbi incarnati ſit facta in natura?

1\. *Natura quo modo hic ſumatur?*

QVoad ſenſum Quæſiti *Noto* cum S. Doctore, *Naturam* nos hic ſumere, prout ſignificat eſſentiam ſeu quidditatem ſpeciei, vt ſit ſenſus. *An natura Diuina & humana ita ſint vnitæ, vt ex his duabus reſultauerit alia quædam natura?* Eutyches Preſbyter & Monachus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Abbas cuiuſdam Monaſterij circa annum 445. voluit hanc vnionem factam eſſe in natura, videlicet per conuerſionem Diuinitatis in carnẽ eo modo: vt aqua admiſta vino in vinum conuertitur, vnde non duas ſed vnam tantùm naturam humanam in Chriſto ponebat. Armeni (vt Euthymius parte 2. ſuæ Panopliæ tit. 20. refert.) dicunt carnem in Chriſti Diuinitatem fuiſſe conuerſam. Sed his erroribus opponimus doctrinam S. Doctoris.

Vnio Verbi incarnati non eſt facta in natura.

Dico primò. *Impoſſibile eſt quòd vnio Verbi incarnati ſit facta in natura.* PROBATVR. Tripliciter aliquid vnum ex duobus aut ex pluribus conſtituitur: *primò* ex pluribus integrè permanentibus. *ſecundò* ex pluribus tranſmutatis in vnum *tertiò* ex pluribus non permutatis nec permiſtis ſed imperfectis ſed nullo horũ modorum trium poteſt eſſe vnio in Chriſto ergo non eſt poſſibilis vnio in Chriſto in natura.

Vnum aliquid ex pluribus quotupliciter conſtituatur?

Probatur primum quod non ex pluribus integrè manentibus, ſicut ex multis lapidibus ſine vllo ordine coaceruatis fit aceruus aut vt ex lignis & lapidibus debito ordine cõpoſitis

poſitis fit domus, & ſic duarum naturarum non eſt vnio in Chriſto. *primò ideo.* quia talis compoſitio vel figura eſt forma accidentalis, & ſic vnio in Chriſto eſſet per accidens, quod quàm ſit abſurdum inferiùs patebit. *ſecundò ideo,* quia ex talibus non fit vnum ſimpliciter ſed ſecundùm quid, quia plura remanẽt actu. *tertiò ideo,* quia forma talium non eſt natura ſed ars. ſed in vnione Chriſti nihil ſibi ars vendicat.

3. *Probatur ſecundum.* quod nõ ex pluribus tranſmutatis ſiue permiſtis ſicut ex elementis fit miſtum. *Tum* quia natura Diuina non eſt tranſmutabilis, quia aliàs eſſet generabilis & corruptibilis. *Tum* quia miſtum differt ſpecie à quolibet miſcibilium, vt caro eſt miſtum & miſcibilia ſunt elemẽta, & caro à quolibet elementorum ſpecie differt: & ſic Chriſtus non eſſet eiuſdem naturæ cum Patre neque cum Matre. *tum* quia in Chriſto periret natura humana, & ſola Diuina maneret. *Sequela.* nam ſicut gutta aquæ amphoræ vini infuſa, ſoluitur à vini actiuitate, & ſola ſpecies vini manet: ita ſi miſtio fieret Diuinæ & humanæ naturæ, Diuina ob ſuam actiuitatem omnipotentem deſtrueret humanam, & ſola Diuina maneret.

4. *Probatur tertium.* quòd non ſit vnio in Chriſto tanquam ex pluribus imperfectis, ſicut ex anima & corpore fit homo, aut ex diuerſis membris fit vnum corpus. *Primò ideo* quia tam natura Diuina quàm humana ſecundùm ſuam rationem in Chriſto eſt perfecta. ergo non ex imperfectis. *ſecundò ideo,* quia iſtæ duæ naturæ non poſſunt aliquid cõſtituere per modum partium quantitatiuarum, ſicut membra corpus conſtituunt, quia Diuina natura eſt incorporea: nec per modum formæ & materiæ. quia Diuina natura nõ poteſt eſſe forma rei corporeæ. *Tertiò ideo,* quia Chriſtus nec eſſet Diuinæ naturæ nec humanæ, ſicut enim vnitas addita numero variat illius ſpeciẽ, ita hic vna alteri ſupaddita variaret ſpeciem. Ex quo ſufficiẽter Corollariũ

Collige, Quòd vnio Verbi incarnati non poſſit eſſe in natura.

5. DICO SECVNDÒ. *Poſt vnionẽ factam in Chriſto manent duæ naturæ perfectæ, Diuina & Humana, & hæ non ſunt confuſæ nec permiſtæ.* Poſt vnionem factam in Chriſto manẽt duæ naturæ perfectæ & non ſunt confuſæ &c. *Ratio prima,* Chriſtus in Scripturis dicitur eſſe Filius Dei & Filius hominis. ergo Chriſtus per Diuinitatẽ eſt cõſubſtantialis Patri, ſecundùm illud: *Ego & Pater vnum ſumus.* & per humanitatem eſt conſubſtantialis Matri, inquantùm cum illa habet eandem ſpecie humanitatem.

Ratio ſecunda. In Chriſto ſunt duæ formæ. ergo & duæ naturæ. *Conſequentia.* Quia Forma, natura, eſſentia æquipollent. *Antecedens.* Ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, formã ſerui manente eadem forma Dei accepit.* ergo ſunt duæ naturæ in Chriſto.

Ratio tertia. In ſacris Scripturis vnus atq; idem Chriſtus à parte rei exſiſtens, dicitur eſſe verus Deus & verus homo. ſed hi modi dicendi nõ poſſent eſſe veri niſi duæ naturæ in vna Perſona ſubſiſterent. ergo in Chriſto duæ naturæ.

Ratio quarta. Sacra Scriptura loquens de Chriſto, contraria eidem tribuit, videlicet ea quæ ſunt potẽtiæ Diuinæ, vt cùm in cruce coruſcabat miraculis, & ea quæ ſunt na-

ruræ humanæ, vt cum in eadem cruce infirmabatur dolores & mortem ſuſtinendo. ſed impoſſibile eſt quòd hæc contraria de vno ſuppoſito ſubſiſtente in vna natura dicantur. ergo neceſſariò duæ naturæ Diuina & humana ſunt in Chriſto.

6. Quòd verò hæ duæ naturæ in Chriſto non ſint confuſæ Symbolũ Athanaſij confitetur: *Vnus omninò non cõfuſione ſubſtantiæ ſed vnitate perſonæ*. Et

PROBATVR. aut enim natura Diuina in humanam? aut humana in Diuinam converteretur? vel ex his duabus tertia conſurgeret? Duo priora non poſſunt eſſe, cùm natura Diuina ſit omninò immutabilis, nec quicquam in Deum ſubſtantialiter conuerti poſſit. nec tertium dari poteſt, quia quænam ſit hæc reſultans tertia ex his duabus nominari non poteſt. *Tandem* de fide eſt, quòd Chriſtus per actiones naturæ humanæ redemit genus humanum. ſed hoc fundamentum fidei rueret, ſi eſſet reſultans alia tertia natura. *deinde* ſequeretur, quòd poſt vnionem factã Chriſt⁹ non eſſet verus Deus, nec ver⁹ homo, ſiquidem ex Diuina & humana natura tertia reſultauit.

7. *Sed obiicies* Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt*. ſed hæc locutio ſignificat mutationem Verbi in carnem: ſicut enim aqua in Cana Galileæ facta eſt vinum, hoc eſt, verè permutata eſt in ſubſtantiam vini. Ioan. 2. *Guſtauit Architriclinus aquam vinum factam*. hoc eſt, in vinum conuerſam. ita idem de Verbo dicendum, quòd in carnem ſit conuerſum. Obiectio.

Reſpondeo. Si hæc explicatio tenẽda, quod *factum* ſignificat conuerſionem. ergo cùm dicit Scriptura: *Chriſtus factus maledictum, factus peccatum*. ſequeretur quòd Chriſtus in maledictum & in peccatum ſubſtantialiter conuerſus eſſet, quod eſt falſum. vnde cùm dicit Scriptura: *Verbum eſſe carnem factum*, id non quo ad naturam ſed quo ad perſonam intelligendum, v. Verbum Caro factum, quia vnitum eſt carni terminando naturam humanam ſua ſubſiſtentia Diuina: Aqua verò ideo facta vinum, quia eſt tranſmutabilis, vnde virtute Diuina conuerti potuit. ſed natura Diuina eſt omninò immutabilis, & nullius potentialitatis capax, vnde nequit mutari in carnem. Reſponſio ad obiectionem.

QVÆSITVM II.

An vnio Verbi incarnati ſit facta in Perſona?

8. SEnſus Quæſiti: *An in myſterio Incarnationis vnio ita ſit facta, vt per eam non reſultauerit aliqua noua perſona, ſed Perſona Verbi præexſiſtens ſit incarnata?* Negat Neſtorius, & ante hunc Harpocrates, Gnoſtici, ſed potiſſimum Neſtorio hic error tribuitur, qui fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, hic aſſerebat, quòd ſicut in Chriſto ſunt duæ naturæ realiter diſtinctæ, ita quoq; duæ ſint Perſonæ realiter diſtin- Error Neſtorii.

ter diſtinctæ, volebatque coniunctas eſſe relatiuè per quandam habitudinem & affectum amoris. idem aſſerebat Chriſtum realiter & ſubſtantialiter non eſſe Deum & purum hominem, natum ex Virgine, vnde eandem Chriſti param non Deiparam appellabat. Hæc hæreſis damnata eſt in Concilio Epheſino generali, in quo iubentib' Imperatoribus palã Neſtorij ſcripta ſunt cõbuſta. Pro determinatione.

Vnio Verbi incarnati facta eſt in perſona.

9. Dico. *Vnio Verbi incarnati facta eſt in Perſona.* PROBATVR ratione D. Thomæ, ſi natura humana non eſt vnita Verbo in perſona, ſequitur, quòd nullo modo ſit vnita. ſi ſic. ergo ruit Myſterium Incarnationis per conſequens fides Chriſtiana. *Sequela.* Omne illud quod ineſt alicui perſonæ, ſiue illud pertineat ad naturam eius vt humanitas, ſiue non vt accidentia vnitur illi in perſona. ſi ergo humana natura non vnitur Verbo Dei in perſona. ergo nullo modo, quia alius modus non eſt. *Dices* Eſſe vt fiat in natura Diuina. *Sed contra.*

Probatur ſecundò ex humana natura Chriſti, & ex re cui proximè eſt vnita, vnum per ſe conſurgere debet, ſic enim confitemur in ſymbolo Athanaſij: *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* ergo ſi hæc natura humana vniretur naturæ Diuinæ, iam Chriſtus non eſſet vnus per ſe, ſed per accidens. *Sequela.* nam natura humana adueniret naturæ Diuinæ, quæ perfectiſſimè completa eſt. ergo reſultaret vnum per accidens, nam quicquid aduenit Enti in actu perfecto, aduenit illi per accidens.

10. *Probatur tertiò.* Attributa naturæ humanæ dicuntur de natura Diuina, nam Deus dicitur eſſe *mortuus, paſſus, crucifixus.* & è contra, naturæ Diuinæ attributa tribuuntur humanæ, vt quòd homo ſit *omnipotens, æternus, immenſus.* ſed ſi in Chriſto eſſent duæ perſonæ, hoc dici non poſſet. nam attributa Petri non tribuuntur Paulo propter diuerſitatem perſonarum. ergo ideo hæc tribuuntur quia vtræque naturæ in vna perſona Verbi vniuntur.

Confirmatur. Cur homo Deus dicatur *mortuus* verè, & cur hic homo Chriſtus dicatur *omnipotens?* non aliunde ratio petenda eſt, niſi quòd ſit communicatio idiomatum, & hæc ideo fit, quia & Diuina & humana natura in vna & eadem perſona Verbi ſubſiſtunt, ergo non dantur duæ Perſonæ.

Probatur quartò. quando duæ formæ in abſtracto non prædicantur de ſe inuicem nec prædicabuntur de ſe in concreto, niſi harum fuerit facta coniunctio in eodem ſuppoſito, vt albedo & dulcedo in abſtracto non dicuntur de ſe, neq; etiam albũ & dulce, vt concreta prædicantur de ſe, ſed ſi hæc in vno ſuppoſito lactis vniantur jam de ſe prædicabũtur: vnde dicimus album eſt dulce. ſed humanitas & Deitas in abſtracto conſideratæ vna non eſt altera, & tamen dicimus verè *Homo eſt Deus, & Deus eſt homo.* ergo hoc fiet propter coniunctionem duarum naturarum in vno ſuppoſito Diuino. *Cõfirmatur.* Duæ ſubſtantiæ integræ vt *homo & veſtis,* extrinſecè ſeu accidentaliter vnitæ non denominant ſe ſubſtantiuè, nam non dicimus *Homo eſt veſtis,* ſed adiectiuè tantùm, dici-

 mus enim:

mus enim: *Homo eſt veſtitus.* Atqui in hac coniunctione duarum naturarum in Chriſto denominatio eſt ſubſtantiua, nam dicimus: *Deus eſt homo*, & non *humanatus*, & *Homo eſt Deus* non autem *Deifer.* ergo ſubſtantialiter debent eſſe vnitæ in eadem perſona

11. *Idem probatur* ex Scriptura Matth. 16. inquirit Chriſtus *quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* deinde ſubiungit: *Vos autem quem me eſſe dicitis*, reſpondet Petus: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.*

Ex quo argumentor. Pronomina *Ego, Tu, Hic, ille.* & alia ex vi ſuæ ſignificationis accipiuntur pro perſona, & hæc in loco allegato eandẽ perſonam demonſtrant, nam in interrogatione Chriſti ſecunda *Me*, demonſtrat eandem perſonam quã Chriſtus vocauit *Filium hominis* in prima interrogatione. Deinde in reſponſione Petri pronomen *Tu*, eandem demonſtrat quam pronomen *Me* in ſecunda interrogatione Chriſti. ſed in confeſſione Petri demonſtratur Perſona Filij Dei, quam etiã Chriſtus per Pronomen *Me* demonſtrauit eſſe perſonam Filij hominis. ergo eadem eſt perſona Filius hominis & Filius Dei & Ioan 8 *Antequam Abraham fieret ego ſum.* Particula *Ego*, ſignificat perſonam vt ſit ſenſus. *Ego qui vt homo loquor vobiſcum, & quem oculis videtis, ſum antequam Abraham fieret.* ergo eadem perſona quæ erat homo ſimul erat Deus, nec erat alia Perſona Chriſti hominis & Chriſti Dei.

Obiectio Neſtorii. 12. Sed dicit Neſtorius Chriſtum eſſe quidem Deum at non vnitate perſonæ, ſed ratione inhabitantis in eo gratiæ Diuinæ, ſiquidem in Chriſto ſicut in templo habitauit Deus.

Sed contra inſto. quòd hanc vnionem Dei & hominis Apoſtolus vocat *Exinanitionem.* Ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet exinaniuit ſemetipſum.* atqui Pater & Filius & Spiritus S. à conſtitutione mundi in omnibus Sanctis inhabitarunt, & tamen nunquam de illis Scriptura dicit quòd exinanirentur, ſicut de Chriſti vnione dicitur. ergo Vnio Verbi non eſt intelligẽda ſecũdùm ſolã inhabitationẽ per gratiam, ſed ſecundum quod Verbum Dei factũ eſt Homo, & noſtræ paruitati vnitũ. Solutio eius.

13. *Obiicit ſecundò.* Vbicunq; ſunt duæ naturæ completæ indiuiduæ per ſe ſubſiſtentes, ibi quoq; dari neceſſe eſt duas diſtinctas perſonas. ſed in Chriſto poſt myſterium Incarnationis ſunt duæ naturæ completæ per ſe ſubſiſtentes. ergo & duæ perſonæ *Reſpondeo* ad maiorem, veram eſſe quando illæ duæ naturæ ſunt completæ, & Subſiſtũt ſua propria & connaturali ſubſiſtentia. ſed quando duæ naturæ ſunt quidem completæ & realiter diſtinctæ, vnũ tamẽ habẽt ſuppoſitum increatũ, in quo vniuntur ſicut in Chriſto, tunc conceſſis duabus naturis, negamus quòd ſint duo ſuppoſita ſeu duæ perſonæ realiter diſtinctæ, ſiquidẽ vna eſt Perſona Verbi Diuinam & humanam naturam ſuſtentans: niſi velis dicere, quòd hoc ſuppoſitum Verbi diſtinguatur ratione, inquantum enim ſubſiſtit in natura Diuina eſt ſuppoſitum Diuinum, in quãtum in humana eſt ſuppoſitum humanum, quod facile concedimus.

Obiectio altera eiuſdẽ. Reſponſio ad eam.

QVÆSI-

QVÆSITVM III.
An Vnio ſit facta in ſuppoſito & in hypoſtaſi?

14. QVæſitum hoc ideo proponitur à S. Doctore vt excludat quendam errorem, qui in Chriſto vnam admittebat perſonam, ſed duas hypoſtaſes ſtatuebat. Huius erroris authorem faciũt Neſtorium, qui vt ſuam hæreſim tegeret, in qua prius palam confitebatur, in Chriſto duas eſſe perſonas, tandem conuictus falſitatis confeſſus quòd ſit vna perſona, ſed nihilominus duas hypoſtaſes inferebat, dicebat enim quòd aliud eſt ſuppoſitum Filius Dei & aliud Chriſtus, & quòd Filius Dei per quandam amoris affectionem & peculiarem gubernationem inhabitabat in Chriſto, vnde Chriſtum non Deum per Eſſentiam ſed *Deiferum* appellabat, nam hæc duo ſuppoſita vnita eſſe aſſerebat ſecundùm quandam dignitatem quam perſona ſignificat & ſicut ciuis magiſtratus ſui induit perſonam & dignitatem, ita Chriſtus inducbat perſonam Filii Dei. Pro determinatione.

Error Neſtorii.

15. Dico primò. *Quod perſona*, Hypoſtaſis, Subſiſtentia, Suppoſitũ, *pro eodem ſignificato à Doctoribus Eccleſiæ accipiuntur* vnumquodque enim horum nihil aliud ſignificat quàm Primam ſubſtantiam in natura rationali ſubſiſtentem. In hoc tamen eſt differrentia quod *Hypoſtaſis, Suppoſitũ ſubſiſtentia*, dicuntur de omnibus ſubſtantiis per ſe ſubſiſtentibus etiamſi fuerint rationis expertes. *Perſona* verò ſolùm locum habet in ſubſtantiis ratione præditis.

Perſona, Hypoſtaſis; Subſiſtẽtia, Suppoſitũ, Pro eodem accipiuntur

Nota Quod ſub hoc vocabulo *Hypoſtaſis* latebat venenum, vt docet D. Th. *1. p. q. 29. art. 3. ad 39.* nam hæretici in Myſterio SS. Trinitatis dicebant eſſe tres hypoſtaſes & per *hypoſtaſes* intelligebant tres Eſſentias Catholici verò intelligebant tres perſonas, & ideo hunc modum dicendi admittebant. Tandem in myſterio incarnationis volentes diuidere Chriſtum, duas in illo hypoſtaſes ponebant intelligentes duas perſonas, quòd etiam Catholici admittebant per duas hypoſtaſes intelligentes duas naturas. Ne ergo occaſio eſſet erroris definiuit Eccleſia quòd hypoſtaſis idem eſt quod ſuppoſitum, perſona ſubſiſtentia.

Sub vocabulo Hypoſtaſis latet venenum.

16. Dico ſecundò. *Hæreſis eſt in Chriſto ſtatuere duas hypoſtaſes, aut duo ſuppoſita*: damnatur enim in Concilio Conſtantinopolitano his verbis. *Si quis introducere conetur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias ſeu duas perſonas anathema ſit*. Et D. Damaſc. *lib. 3* dicit: *In Domino Ieſu Chriſto duas naturas cognoſcimus, vnam autem hypoſtaſim*. Idem damnauit Conciliũ Epheſinum. vt habetur à D. Th. hic art. 3. in corpore.

In Chriſto duæ hypoſtaſes non ſunt.

Vnio eſt ſa cta in perſo a &c.

Dico tertiò. *Hæreticum quoque eſt dicere factam eſſe vnionem in perſona quæ dignitatem ſignificet.* Ita decernit Synodus Epheſina. *Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt adunationem, ſola copulans eas coniunctione, quæ ſit ſecundùm dignitatem quandam, vel authoritatem, vel ſecundùm potentiam, & non magis concurſu ſecundùm adunationem naturalem, anathema ſit.*

17. Dico quartò. *Sicut vnio duarũ naturarum in Chriſto facta eſt in perſona, vt in præcedenti Quæſito determinauimus, ita nunc dicimus quòd hæc ipſa vnio in hypoſtaſi ſeu in ſuppoſito Verbi ſit facta.* PROBATVR. Homo Chriſtus in Scripturis appellatur DEVS, non metaphoricè & impropriè vt Moyſes ſed ſtrictè & in rigore. ergo debet intelligi Deus realiter ſubſtantialiter. ergo non per ſolam gratiam quia hoc eſſet accidens. ergo nec per eſſentiam vt homo, cum humanitas in ſe non ſit Deitas. ergo ſecundùm hypoſtaſim ſeu ſecundùm perſonam inquantum humanitas eſt vnita perſonæ Verbi.

Vnio in ſuppoſito Verbi eſt facta

Ratio ſecunda. Dictum illud Filii Dei. Ioan. 8. *Amen, dico vobis antequã Abraham fieret ego ſum*: non poteſt intelligi de humanitate eſſentialiter in ſe ſumpta, quia vt ſic illa humanitas erat poſterior Abrahamo plus quàm duobus millibus annorum. ergo intelligi debet de humanitate ſecundùm quod erat in ſuppoſito Verbi, & hoc denotat pronomen *Ego* quod eſt perſonale.

Obiectio Neſtorii

18. *Sed obiicit Neſtorius* Actorum 10. *vnxit eum Deus Spiritu S. &c. quoniam Deus erat cum illo*, nõ dicitur quòd *Chriſtus erat cum Deo*, ſed quòd *cum illo* hoc eſt *cum Ieſu* Deus erat. ergo non eſt Deus naturaliter ſed dignitate. *Reſpondeo.* Quando Scriptura Ieſum dicit Deum, intelligit Filium Dei, quando autem dicit quòd Deus erat cum illo, intelligit Deum Patrẽ nam Chriſtus Filius Dei non eſt Deus Pater: & ſic loquitur Ioan. 6. *Non ſum ſolus ſed Pater mecum eſt.* Et ſi hoc Dictum *Deus erat cum illo*. exponerem⁹, quòd ſit eo modo quo Deus in Sãctis eſt, vt Iacobo De⁹ dicit Geneſ. 28. *Ero tecũ.* nihil peculiare haberem⁹ de Chriſto, nam ſic & cum aliis Prophetis fuit Deus. ergo illa verba *Deus erat cum illo*, intelligenda quòd Deus Pater & non Deus Filius.

Solutio

QVÆSITVM IV.

An Perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit compoſita?

Perſona Chriſti ſecundum ſe conſiderata poſt incarnationem eſt compoſita.

19. SDoctor ſic Quæſitum reſoluit. Quòd aut Perſona Chriſti conſideratur ſecũdum ſe? & ſic poſt incarnationem non eſt compoſita. *Ratio* Quia ſub hac ratione eſt idem cum natura Diuina. Sed natura Diuina eſt ſimplex ergo & perſona. aut cõſideratur in quantum poſt incarnationem ſubſiſtit in duabus naturis, & ſic

& ſic eſt cōpoſita. *Ratio* Licet enim ſit vnum ſubſiſtens, eſt tamen in eo alia atque alia ratio ſubſiſtendi.

Nota his verbis non ſignificari duas eſſe ſubſiſtentias, ſed quòd vna ſubſiſtentia Verbi ſubeat rationem duarum ſubſiſtentiarum dum determinat naturam Diuinam & naturam humanam.

Perſona Chriſti an verè & propriè ſit cō-poſita?

20. Sed hic difficultas emergit, cum conſtet Perſonam Chriſti eſſe compoſitam, dubium eſt. An verè & propriè ſit compoſita?

Scoti ſentē-tia & aliorum,

Scotus negat in 3. diſtin. 6. q. 3, Gabriel eadem diſt. quæſt. 1. Marſil. Durand. *Ratio illorum.* Quia in hac compoſitione eſt natura Diuina & humana, quæ ſe habent vt cōponentia, componentia autem ſunt partes quæ dicunt imperfectionē. Sed naturæ Diuinæ repugnat habere rationem partis præſertim materiæ aut formæ. ergo propriè non eſt compoſita.

Aſturicēſis quid ſentiat?

Aſturicenſis in Relectionibus de Gratia aſſerit *Simpliciter & abſolutè perſonam Chriſti eſſe compoſitam ex duabus naturis Diuina & humaná.* negat autem inter humanitatem Chriſti & Diuinam Verbi perſonalitatem eſſe propriè compoſitionem.

Perſona Chriſti eſt verè & propriè compoſita

21. *Tertia eſt Sententia.* pro qua aſtruenda dicimus. *Perſonam Chriſti verè & propriè eſſe compoſitam ex duabus naturis Diuina & humana:* tum ex ſuppoſito Verbi & ex humanitate: tū ex perſonalitate Verbi & humanitate

Probatur primum Concilio Conſtantinopolitano collatione 8. Can 4. vbi definitur Vnionem factam fuiſſe in Chriſto ſecundùm compoſitionem & ipſam Chriſti ſubſiſtentiam ſeu hypoſtaſim eſſe compoſitum. Et Synodus 3 Conſtantinop. art. 3. cap. 6. decernit. *Si quis non cōfitetur vnum Chriſtum ex duabus naturis: ſiue vnam ſubſiſtentiam compoſitam, quod eſt ipſe Chriſtus, anathema ſit.* Et Damaſcenus lib. 3. *In Domino duas quidem naturas. ſed vnam duntaxat perſonam ex vtrúq; compoſitam agnoſcimus.* Idem Caietanus aſſerit cum dicit ad 3. dubium, non eſſe abſolutè concedendum Chriſtum eſſe perſonam compoſitam, ſed cum adiectiuo, videlicet quòd hæc compoſitio ſit ineffabilis & absque vlla imperfectione alterius extremi componentis, ſcilicet naturæ Diuinæ; quod nos etiam admittimus. nam ſolùm Caietanus voluit declarare hanc compoſitionem eſſe alterius rationis ab aliis compoſitionibus quas videmus in rebus naturalibus, ſed non negat eſſe hic veram compoſitionem. Et

22. *Probatur* Sicut enim vnio Verbi Diuini cum humanitate, quamuis ſit ineffabilis eſt vera & propria vnio ſine vlla imperfectione alterius extremi: ita compoſitio perſonæ Chriſti quamuis ſit ineffabilis & ſine imperfectione alterius extremi eſt tamen verè & propriè cōpoſitio. *Confirmatur.* Hoc enim adiectiuum *Ineffabile* ſicut non adimit ab vnione veritatem vnionis, ſed ſolùm imperfectionem excludit, ita idem adiectiuum *Ineffabile* non diminuit veritatem compoſitioni ſed ſolùm tollit ab illa imperfectionem. Et

Ratio eſt. Perſona Chriſti vna realiter exiſtens eſt perſona Diuina & humana: quòd ſit Diuina habet à Diuinitate in quantum in ea ſubſiſtit: quòd ſit humana habet ab humanitate. ergo eſt vna perſona compoſita ex natura Diuina & humana.

23. *Confir-*

23. *Confirmatur* Nam perſona in ratione ſui non ſolùm ſubſiſtentiam & perſonalitatem importat, ſed intrinſecè includit naturam, eſt enim perſona rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. ergo perſona Chriſti non ſolùm perſonalitatem Verbi ſed etiam importat vtramque naturam ſubſtantialem in qua ſubſiſtit. *Præterea* Niſi in Chriſto eſſet compoſitio, neceſſariò eſſet inordinata confuſio eorum quæ ſunt in perſona Chriſti: ſicut in aceruo lapidum videmus, quod omnino eſt falſum.

Pars ſecunda concluſionis probatur.

24. PROBATVR ſecundum *quòd perſona Chriſti ſit verè compoſita ex Suppoſito Verbi, & ex humanitate*: quia ſuppoſitum VERBI ſuſtentat naturam humanam atque illam terminat tribuens illi *eſſe* ſubſiſtentiæ, & ab hac humanitate ſuppoſitum VERBI dicitur eſſe ſuppoſitum humanum. ergo ex ſuppoſito *Verbi* & ex humanitate eſt vera compoſitio. *Conſequentia*. Ideo enim inter ſubiectum & accidens eſt vera compoſitio, quia ſubiectum ſuſtentat accidens. Atqui in Chriſto perſona ſuſtentat naturam humanam. Ergo eſt vera cõpoſitio.

Perſona Chriſti eſt verè compoſita ex p ſonalitate Verbi & ex humanitate

25. PROBATVR tertium. *Quòd perſona Chriſti verè ſit compoſita ex perſonalitate Verbi & ex humanitate.* nam manifeſtum eſt ex præcedẽtibus quòd perſona Chriſti ſit compoſita ex natura Diuina & humana. ergo etiam erit compoſita ex perſonalitate Verbi & ex humanitate. *Conſequentia* Ideo enim perſona Chriſti eſt compoſita ex humana & Diuina natura, quia vtraque ſubſiſtit in Chriſto in eodem ſuppoſito Verbi. Atqui humanitas & perſonalitas Verbi ſubſiſtunt in Chriſto eadem ſubſiſtentia Verbi. ergo verè componunt perſonam Chriſti.

Præterea Quia ex perſonalitate Verbi & humanitate vnitis reſultat vnum per ſe ſcilicet vnus homo Chriſtus, non ſecus atque ex humanitate Petri & ex eius perſonalitate reſultat vnus homo videlicet Petrus. Sed Petrus eſt verè & propriè compoſita perſona ex humanitate & propria perſonalitate. ergo & Chriſti perſona ex Verbi perſonalitate & humanitate eſt verè compoſita.

Cõpoſitio duplex eſt.

26. *Ad fundamentum* Scoti Dico, quòd compoſitio eſt duplex: quædam eſt *Ex his*, & hæc reperitur in his quæ componuntur ex materia & forma: quædam eſt *Cum his* qualis eſt compoſitio ex *Eſſe* & *Eſſentia*. In compoſitione *Ex his* includitur imperfectio, quia totum reſultans ex partibus, eſt illis perfectius. Sed in compoſitione *Cum his* non eſt imperfectio ex parte extremi, nec totum aliquid reſultat perfectius partibus, & ſic videmus in compoſitione hominis & Angeli, ex eo *Quo eſt*, & ex eo *Quod eſt*; ſiue ex *Eſſe* & *Eſſentia* eſſe veram compoſitionem, & tamen neutra eſt pars, & non reſultat aliquod totum his perfectius. Idem accidit in hoc myſterio, vnde dicimus non eſſe neceſſariũ ad hanc compoſitionem quæ eſt in Chriſto vt compoſitum ſub vna forma totali reſultet comprehendente omnia extrema componentia, ſed ſufficit quod ſit compoſitum reſultans & comprehendat realiter componentia vnita in eodem eſſe, & quod à quolibet componentium ſeorſum differat realiter: idem in perſona Chriſti dicimus eſſe, nam inter ſuppoſitum Diuinum & naturam humanam eſt diſtinctio realis, nam licet

cet ſuppoſitum Diuinum ſecundum ſe non diſtinguatur realiter à natura Diuina, ſed ſolùm ratione, ſed in quantum ſubſiſtit in natura humana importat aliquid diſtinctum, realiter à natura Diuina & ab ipſo ſuppoſito Diuino videlicet importat naturam humanam.

Reſponſio ad eam.

27. *Obiicies*. Perſona in Chriſto non eſt alia quam Diuina. Ergo ſimpliciſſima. *Reſpondeo* Perſona Chriſti præciſè & ſecundum ſe ſumpta eſt ſimpliciſſima: eadem perſona ſumpta ſimul cum natura Diuina, eſt quoque ſimpliciſſima ſiquidem perſona Diuina cum natura Diuina eſt idem realiter formaliter. Sed ſi ſumatur perſona cum Diuina & humana natura; tunc rectè dicitur cõpoſitum propter duas naturas eſſentialiter diſtinctas, quæ in vno ſuppoſito reſident.

Obiectio 2.

28. *Obiicies ſecundò*. Vera compoſitio eſt ex his quæ habent rationẽ partis. ergo Diuina natura habebit rationem partis. *Reſpondeo* Ad realẽ compoſitionem ſufficere, vt fiat ex pluribus, quæ vnum conſtituant, licet non fiat ex partibus. Et ſic dicit D. Th. hic ad 2. Compoſitionem duarum naturarum in Chriſto non debere intelligi ratione partium, ſed tantùm ratione numeri videlicet quòd ſufficiat numerus rerum diuiſarum, hoc eſt natura Diuina & humana quæ hic vniuntur ſubſtantialiter quamuis illæ non ſint partes. Nec quiſquam miretur quòd componant, & non ſint partes, nam linea ſuo modo conſtituit ſuperficiem, & tamen linea non eſt pars ſuperficiei: & pũctũ ſuo modo cõponit lineam nec tamen eſt pars lineæ.

Quid ad realem compoſitionem ſufficiat?

Compoſitũ in Chriſto an poſſit dici totum?

29. *Sed quæres*. Hoc compoſitum in Chriſto an dici poſſit totum? *Reſpondeo* Si *totum* ſtrictè ſumatur in quantum dicit relationem ad partes, & ſic non eſt *totum*: ſed impropriè, & eo modo dici poteſt totum inquantum nomine *totius* id ſignificatur cui ad integritatem nihil deeſt.

Obiicies vltimò. Si Chriſtus eſt compoſitus ex vtraque natura. ergo hæc propoſitio erit vera, *Chriſtus eſt duæ naturæ* vel *Chriſtus eſt Diuinitas & humanitas*. Sed hoc inter errores Viclephi reponitur, & damnatum eſt in Concilio Conſtãtienſi Seſs. 12. *Reſpondeo* Si hæc propoſitio. *Chriſtus eſt duæ naturæ*, vel *Chriſtus eſt Diuinitas & humanitas*. ſumatur in eo ſenſu vt Viclephus interpretatur. v. *Quod Chriſtus non ſolùm coniunctim ſed etiam ſeorſum & diuiſim ſit Diuinitas & humanitas*, & ſic falſa eſt, nõ enim Chriſtus dicit ſeorſum ſolam naturam Diuinam, aut ſeorſum ſolam humanam per ſe ſumptam, ſed potius dicit duas naturas interſe hypoſtaticè vnitas: Si vero ſumãtur in Chriſto duæ illæ naturæ coniunctim, tunc nihil prohibet quin admittamus, quòd *Chriſtus eſt duæ naturæ*. vel *Chriſtus eſt humanitas & Diuinitas*. nimirum ſimul in eodem ſuppoſito. Ita D. Auguſt. in Ench. cap. 38. *Vtraq; ſubſtantia Diuina & humana eſt Filius vnicus Dei omnipotentis*. Et D. Damaſ. lib. 3. de Fide cap. 7. inquit *Duæ naturæ vnus eſt Chriſtus, & vnus Chriſtus duæ naturæ*.

Propoſitio hæc *Chriſtus eſt duæ naturæ* quo modo intelligenda?

QVÆSITVM V.
An aliqua vnio ſit facta in Chriſto corporis & animæ?

30\. MAgiſter in 3. diſt. 6. refert quorundam Opinionem Chriſtum aſſũpſiſſe corpus& animam non inter ſe vnita, ſed tantùm vnita cum Verbo. Hanc opinionem quidam ideo admittebant, ne inciderent in errorem Neſtorii. qui in Chriſto perſonam creatam ponebat, ſic enim ratiotinabã tur ſecum. *Quòd ſi in Chriſto eſt vnio animæ & corporis. Ergo ex hac vnione reſultabit perſona creata.* Sed non aduertebant quòd ea de cauſa in puris hominibus ex vnione animæ & corporis reſultat perſona creata, quia caro & anima ad hoc vniuntur in vnũ vt illud per ſe ſubſiſtat, ſed in Chriſto non ſic vniuntur vt per ſe ſubſiſtant, ſed vt ſubſiſtentia Verbi Diuini ſubſiſtant.

Vnio animæ & corporis eſt facta in Chriſto.

31\. Ad Quæſitum Dico. *In Chriſto eſt facta vnio animæ & corporis, & hoc de fide tenendum,* nam determinatum in Concilio Epheſino, 1. cap. 13. quod Chriſtus carnem animatam in anima rationali ſibi copulauerit. *Et ratio eſt.* D. Thomæ. Chriſtus eſt homo eiuſdem ſpeciei & vniuocè cũ aliis hominibus, & ad rationem humanæ ſpeciei ſpectat, quòd anima corpori vniatur. ergo dicendum, quòd in Chriſto anima eſt vnita corpori.

Ratio ſecunda. Chriſtus ſecundum fidem eſt conceptus & genitus. ſed terminus conceptionis atque generationis eſt compoſitum ex anima & corpore. ergo in Chriſto ſunt vnita.

32\. *Ratio tertia.* Chriſtus ſecundum fidem eſt mortuus & reſurrexit. ergo in Chriſto caro vnita animæ, nam mors fit per ſeparationẽ animæ à corpore. ergo mors ſupponit vnionem. Et rurſum reſurrectio fit per vnionem corporis cum anima.

Ratio quarta. Quod generatur ex viuente non poteſt dici illius Filius niſi procedat in illius ſpecie. Sed Chriſtus eſt Filius Virginis Mariæ ſecundum fidem. ergo eſt in eadem ſpecie cum aliis hominibus Ergo in illo vnita anima corpori.

Obiectio.

33\. *Obiicies.* Neceſſariò ergo in Chriſto concedenda erit creata perſona. *Conſequentia.* nam in nobis experimur, ideo reſultare perſonam quia in nobis vniuntur anima & corpus. ergo ſi ſimiliter anima & corpus in Chriſto vniuntur. dabitur in Chriſto creata perſona.

Solutio eſt.

Reſpondeo Ex vnione animæ cum corpore primariò & neceſſariò reſultare naturam humanam conſequẽter verò & ſecundariò reſultare perſonam ſi natura ſuæ poteſtati relinquatur, & illius naturalis propẽſio perquam apta eſt explicare ſe in ſuam ſubſiſtentiam & perſonam

non

non impediatur. Sed in Chriſto poſt quam ex vnione animæ & corporis natura humana reſultauit, eadē illa natura volebat ſe explicare ſua naturali promptitudine in ſuam p ſonam creatam, ſed impedita eſt & præuenta à perſona Verbi. vnde cō ceſſa vnione animæ & corporis in Chriſto non ſequitur quod debeat dari perſona creata ſiquidem impedita eſt natura à perſona Verbi quo minus ſe in ſuam explicaret.

Obiectio 2.

34. *Obiicies ſecundò.* Viuere in viuentibus, eſt eſſe. Sed Verbum Diuinum dat *Eſſe* humanitati & corpori. ergo anima non fuit vnita corpori. *Reſpondeo.* Verbum Diuinum dat *Eſſe* ſubſiſtentiæ corpori Chriſti ſicut & humanitati, non tamen tribuit illi formaliter *Eſſe* eſſentiæ, nam hoc habet corpus ab anima. *Dices* ergo in Chriſto duplex Eſſe? *Reſpondeo* ita duplex eſſe; *Eſſe Eſſentiæ.* ſiqui dē in Chriſto duplex natura Diu: & humana. ſed *Eſſe Subſiſtentiæ* ſolū eſt vnicū, quod habet à perſona Verbi.

Solutio eiuſdem.

In Chriſto duplex Eſſe

QVÆSITVM VI.

An natura humana fuerit vnita VERBO accidentaliter?

35. RESpondeo Naturam humanam vniri Verbo nō accidentaliter nec eſſētialiter ſed ſubſtantialiter. Pro declaratione.

Quid vniri accidentaliter?

Nota Vniri accidentaliter eſt, quā do ex coniunctione plurium ſiue accidentium ſiue ſubſtantiarum, vnum ſecundum accidens reſultat; & hic fuit error Neſtorii & Theodori aſſerentium duas in Chriſto eſſe perſonas accidentaliter vnitas.

Vniri eſſentialiter, quid?

Vniri Eſſentialiter eſt quādo ex pluribus vnitis reſultat vna tertia natura, & hic fuit error Eutychis ſupra confutatus, qui ex Diuinitate & humanitate conflari naturam humanam dicebat.

Vniri ſubſtātialiter quid ſit?

Vniri autem ſubſtantialiter eſt, res aliquas ſubſtantiales coniungi ad conſtituendum vnum per ſe in genere ſubſtantiæ. Et quamuis non raro ſubſtantia ſumatur etiam pro Eſſentia tamen in propoſito ſumitur pro ſubſiſtentia ſeu pro hypoſtaſi. Vt ſit ſenſus; ex pluribus naturis reſultare vnam ſubſtantiam, hoc eſt vnam ſubſiſtentiam ſiue hypoſtaſim, & per conſequens Vnio ſubſtantialis appellatur hic illa quæ ſit perſonalis & hypoſtatica. Vnde ſi quando accidentia contingat vniri in perſona nō dicuntur vniri ſubſtantialiter, quia non eſt vnio ſubſtantiarum. *Tum* quia aduenīūt ſuppoſito iam conſtituto in actu completo, nec ſortiuntur *Eſſe* ſuppoſiti.

Concluſio probatur.

36. *Ratio* Id quod vnitur accidentaliter non prædicatur in *Quid*, ſed in *Quale*. Ergo ſi humana natura accidentaliter adueniret Filio Dei; ſequeretur quod homo non prædicaretur in *Quid* de Chriſto. Sed hoc eſt contra Decretalem Alex Papæ vt refert S. Doctor, vbi dicit. *Cum Chriſtus ſit perfectus Deus & perfectus homo, quâ*

mo, quâ temeritate audent quidam dicere quòd Chriſtus ſecundum Quod eſt homo non eſt Quid.

Ratio ſecunda. Vnio ſubſtantialis duo requirit. *Primò* Vt id quod vnitur ſit ſubſtantia. *Secundò* Vt ei rei cui vnitur tribuat ſubſtantialem denominationem. Sed in Incarnatione natura humana quæ vnitur eſt ſubſtantia, & tribuit Verbo ſubſtantialem denominationem, nam dicimus benè *Verbum eſt homo.* ergo hæc vnio ſubſtantialis.

37. *Confirmatur* Nam vnio accidētalis eſt quando vnitur quidem ſubſtantia, ſed non dat denominationē ſubſtantiuè ſed adiectiuè; vt veſtis vnitur homini, & hæc vnio non eſt ſubſtantialis, quia non denominat ſubſtantiuè, nam non dico *Homo eſt veſtis.* ſed denominat adiectiuè *Homo eſt veſtitus.* Sed in hac vnione eſt denominatio ſubſtātiuè, nam dicimus *Verbum eſt homo,* non autem *humanatum.* ergo hæc vnio non eſt accidentalis ſed ſubſtantialis.

Ratio tertia. In hac ineffabili vnione ſunt extrema ſubſtantialia, v. *Humanitas & Diuinitas.* & vniuntur in vno tertio ſubſtantiali v. in hypoſtaſi ſeu in perſona Verbi. Sed hypoſtaſis Verbi eſt veriſſima Subſtantia, nam in Deo præter ſubſtantiam nihil poteſt dari, cum Deus non ſit capax accidentis, & in rebus creatis hypoſtaſis eſt quid ſubſtantiale, quia dicit modum *per ſe ſubſiſtendi* vnde reductiuè ad Cathegoriam ſubſtantiæ ſpectat. ergo hæc vnio Subſtantialis.

Obiect. Durandi.

Sed obiicit Durandus hanc vnionem humanitatis cum Verbo eſſe quidem hypoſtaticam & ſubſtantialem. ſed poſſe etiam dici Accidentariam ob eam rationem. Quicquid aduenit alteri, iam in actu completo cenſetur eſſe accidens. Sed humanitas aduenit Verbo Diuino exſiſtenti in actu perfecto. ergo hæc vnio accidentaria.

38. Mich. Palat. in 3. diſt. 6. diſput. 5. Hanc vnionem dicit non eſſe abſolutè ſubſtantialem, ſed partim ſubſtantialem, ob rationem D. Thomæ. partim accidentalem, ob hanc rationem Durandi; ſed hic modus dicendi repugnat Conciliis hanc enim vnionem prorſus eſſe ſubſtantialem dicunt.

Reſponſio ad rationē Durandi.

Vnde ad rationem Dico. quādo Ens in actu completo exſiſtens habet vi quòd poſſit illi ſubſtantiæ, quam ad ſui conſortium admittit, idem numero *Eſſe* ſubſtantiæ & exſiſtentiæ tribuere, tunc id quod aduenit non eſt accidens. *Declaratur.* Alimētum quando debet conuerti in ſubſtantiam aliti, aduenit Enti in actu completo v. homini vel animali, & tamen non aduenit accidentaliter, neque animæ à qua incipit informari, neque compoſito cuius fit pars, ſed ſubſtantialiter vtrique vnitur, & vnum *Eſſe* ſubſiſtentiæ & exſiſtētiæ cum illis habet, & ideo non eſt accidens.

Vnde ad propoſitum dicimus, quòd quamuis humanitas adueniat Verbo in actu perfecto exſiſtenti tamē non dicitur hæc vnio eſſe accidentaria, ſiquidem Verbum potens eſt humanam naturam ſua ſubſiſtentia terminatiuè ſuſtentare, ita quòd idē numero indiuiſum *ſubſiſtere* cum Verbo ſortiatur, illiuſque ſubſiſtentia ſubſiſtat, vnde hæc vnio non eſt accidentaria ſed ſubſtantialis.

Vel ſic breuius. dico valere Maiorē argumenti.

gumenti niſi id quod aduenit trahatur in communionem illius Esse cōpleti, & humana natura trahitur in Chriſto ad idem Esse perſonale Verbi Diuini, quia formaliter ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi, & ideo humanitas non eſt accidens.

Obiectio 2. 39. *Obiicies ſecundò.* Natura humana non eſt de Eſſentia Verbi. ergo natura humana eſt accidens Verbi Diuini; *Conſequentia* Illud enī eſt accidens quod eſt extra naturā alterius. *Reſpondeo* inſtando, Materiā vnitur formæ, & materia non pertinet ad rationem formæ, & tamen nemo dicet Materiam eſſe accidens formæ. *Similiter* Perſonalitas Verbi & humanitas vniuntur ad inuicem & tamen perſonalitas non eſt accidens humanitatis, ſed ſubſtantialiter ſibi vniuntur. Ita dicimus quòd quamuis natura humana ſit extra rationem Verbi, non tamen ideo ſequitur quòd ſit illius accidens, ſiquidem natura humana ſubſiſtentia Verbi terminatur & idcirco hæc vnio ſubſtantialis.

Solutio eius

Med. hic dicit. Hanc vnionem ex ea ratione poſſe dici accidentariam: quia Verbum ſeu Filius Dei ſine ſui mutatione poſſet dimittere humanitatem quam aſſumpſit, & iterum eandē aſſūere, quod ſapit rationem accidētis. ſed hic author monet, vt ſi quis hunc ſenſū teneat, linguā cohibeat ne detur occaſio errandi.

QVÆSITVM VII.

An vnio naturæ Diuinæ & humanæ ſit aliquid creatum?

Quomodo vnio ſit aliquid creatū

40. SDoctor ſic reſoluit *vnio in quantum eſt realiter in creatura exſiſtens, in Deo autem ſecundum rationem, ſic eſt aliquid creatum* Probat duabus rationibus. *Prima* Omne quod incepit ex tempore eſt creatum. Sed hæc vnio non fuit ab æterno, ſed ex tempore incepit eſſe. ergo eſt aliquid creatum.

Ratio ſecunda. Vnio iſta eſt quædam relatio inter Diuinam & humanam naturam in quantum conueniunt in vna perſona Filij Dei, Sed relatio conſiderata inter Deum &, creaturam realiter eſt in creatura, nam ob illius mutationem conſurgit talis relatio; in Deo autem ſolū eſt ſecundum rationem, nam in illo nullam importat mutationem. ergo iſta vnio eſt aliquid creatum realiter exſiſtens in creatura, in Deo autem ſecundum rationem.

41. *Nota* Vnio tripliciter ſumitur. *Primò.* Vt ſignificat actionem per quam res aliquæ vniuntur, & hæc ſolet dici vnitio, *Secundò* ſignificat Terminum ſeu vnitatem quæ reſultat ex his quæ inter ſe vniuntur. *tertiò.* ſignificat Relationē quæ conſurgit ex actione per quam res vniuntur, & ex vnitate quæ eſt terminus illius actionis. *Declaratur* hoc Sicut enim ex vnione animæ & corporis reſultat relatio vnionis inter animam & corpus, & huius vnionis ter-

Vnio quotupliciter ſumitur?

nis terminus eſt vnitas ſubſtantiæ, actio verò generantis per quam anima corpori coniungitur: Ita in hac admirabili coniunctione naturæ Diuinæ cum humana in perſona Verbi eſt relatio vnionis inter naturam Diuinam & humanam: Terminus verò huius vnionis eſt vnitas Perſonalitatis Verbi: Actio denique per quam humanitas coniungitur Verbo Dei, eſt communis Patri Filio & Spiritui Sancto.

Dubium. 42. Sed hic dubium oritur. *An per vnionem hypoſtaticam producatur in humanitate aliquis modus ſubſtantialis permanens realiter & ſit ab illa ſaltem ex natura rei diſtinctus?*

Affirmat Sua: diſput. 8. dicit enĩ hunc modum ſubſtantialem eſſe proximum fundamentũ relationis, vnionis, humanitatis ad Verbum, & vult eſſe modum abſolutum. Vaſq admittit hunc modum ſubſtantialem, ſed non abſolutum. verum relatiuum conſtituit, exiſtimans eſſe relationem ſubſtantialem non accidentalem.

In contrarium eſt negans ſententia eademq; conformis doctrinæ S. Doct: qui agens de termino formali Incarnationis, nunquam docet illum eſſe aliquid creatum abſolutum aut relatiuum, vel quod ſit quidam modus ſubſtantialis exſiſtens productus in humanitate, qui ab eadem realiter aut formaliter ſit diſtinctus, ſed docet hunc terminum eſſe aliquid increatum. Pro determinatione.

Vnio in quãtum ſignificat actionẽ dupliciter ſumitur 43. *Nota primò.* Vnio inquantum ſignificat actionem, dupliciter ſumitur. *primò* pro actione quæ ſe tenet ex parte vnientis Dei, qui ſua infinita virtute humanitatem Verbo effectiuè coniunxit, & ſic vnio vt dicit actionem vniendi eſt quid increatum, nam eſt ipſe actus intellectus & voluntatis Diuinæ quo efficienter producit res ad extra cum habitudine rationis ad illas productas aut vnitas. *ſecundò.* accipitur pro vnione formali per quam vnibilia vniũtur. *Declaratur.* Sicut enim generatio per quam generans materiam & formam effectiuè coniungit, dicitur vnio actiua, ipſa verò coniunctio quà materia & forma formaliter coniunguntur eſt vnio formalis, & de hac vnione inquirimus. *An ſit aliquis in hac vnione modus ſubſtantialis?*

Nota ſecundò. Duplex terminus actionis quidam eſt, *Totalis* vt in generatione ſubſtantiali termin⁹ Totalis eſt ipſum Compoſitum quod per generationem producitur. Quidam verò *Formalis*, ipſa videlicet forma per quam terminus Totalis habet *Eſſe.* **Terminus actionis duplex.**

44 *Nota tertiò.* Inter actiones quædam ſunt *Factiuæ*, quæ producunt terminum, vt calefactio eſt actio per quam agens producit calidum. Quædam verò ſunt *vnitiuæ* quæ nõ producunt terminum ſed vniunt extrema: vt accidit in viſione corporali, & in actionibus immanentibus ſenſuum exteriorum, vbi nulla eſt productio termini, ſed ſolùm obiectum cum potentia in actu ſecundo vniuntur, quod etiam in viſione beatifica accidit, nam hæc in intellectu beati non producit aliquem terminum, v. Verbum, ſed ſolùm eſt vnio Eſſentiæ Diuinæ cum intellectu creato & ipſa Eſſentia Diuina immediatè ſupplet vicem verbi, & in talibus actionibus quæ ſunt **Actiones quædam Factiuæ quædam vnitiuæ.**

vnitiuæ

vnitiuæ,non eſt productio alicuius termini,& talis eſt hæc vnio in myſterio Incarnationis,quam dicimus eſſe actionem vnitiuam,&non producentem aliquem terminum ſeu modum ſubſtantialem. Pro reſolutione dubij.

Per actionẽ vnionis hypoſtaticæ non producitur aliquis modus ſubſtantialis.

45. Dico. *Non eſt neceſſe vt per actionem vnionis hypoſtaticæ producatur aliquis modus ſubſtantialis in humanitate, qui ſit ab illa ex natura rei diſtinctus, ſed ſolùm in hoc myſterio Incarnationis natura humana & Verbum Diuinum vniuntur ſeipſis abſq; vllo ſubſtantiali modo interueniente.* Ita tenet Caiet. *hîc art. 10. ad 1.* cùm dicit: in myſterio Incarnationis præter relationem vnionis, & extrema vnita nihil aliud reale inueniri. idem tuentur antiquiores Doctores.

Probatur ſecundum D. Th. 4. cõtra gentes, cap. 41. *Nihil tam ſimile in rebus naturalibus inuenitur huic ineffabili vnioni ſicut vnio animæ ad corpus.* & D. Athan. in Symb. fidei confitetur: *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* ſed anima & corpus in generatione hominis ſeipſis immediatè vniuntur, nec inter illa intercedit aliquis modus ſubſtantialis abſolutus quo actualiter vniantur. ergo ſimiliter in hoc myſterio natura humana & Verbum Diuinum ſine vllo mediante modo ſubſtantiali ſeipſis vniuntur. *Minor.* quia Entitates ſine cauſa non ſunt multiplicandæ, ſed nulla eſt neceſſitas conſtituendi modũ ſubſtantialem, nam ſine illo ſufficiẽter aſſignari poteſt proximum fundamentum relationis, vnionis. nam vt generatio & vnitas compoſiti ſunt proximum fundamentum relationis materiæ&formæ: ita in hoc myſterio relationis vnionis proximum fundamentum eſt virtus Diuina & vnitas compoſiti.

46. *Probatur ſecundò.* Iſte modus ſubſtantialis ſi eſſet productus in humanitate Chriſti. ergo aut vnitur hypoſtaticè Verbo Diuino? *ſi ſic.* ergo per alium modum ſubſtantialem & hic rurſum per alium, & ſic in infinitum. *Sequela.* quia hæc vnio ſecundum hos authores debet eſſe per modum ſubſtantialem. ergo ſi hic modus ſubſtantialis vnitur Verbo. ergo bene ſequitur quòd per alium modum ſubſtantialem. aut nõ vnitur? *ſi ſic.* ergo non omnia ſubſtantialia quæ inueniuntur in humanitate Chriſti ſunt hypoſtaticè vnita Verbo. ergo Incarnatio Chriſti non erit perfecta, ſiquidem non omnia ſubſtantialia humanitatis aſſumpſit, quod eſt falſum

Probatur tertiò. Iſte modus ſubſtantialis qui in humanitate conſtituitur, aut pertinet ad Eſſentiam humanitatis Chriſti? ſed hoc non. quia eſſentiæ ſeu quidditates rerum non dependent ex tempore, ex aliqua cauſa efficiente, ſicut hic modus dependet à cauſa efficiente, nimirum ab actione Diuina. aut pertinet ad ſubſiſtentiam, aut ad exſiſtentiam humanitatis propriam? ſed neq; hoc quia ſecundum fidem & vt iam declaratum eſt, humanitas non habet ſuam propriam ſubſiſtentiam. ſed ſubſiſtentia Verbi ſuſtentatur, neq; etiam habet propriam exſiſtentiam. ſed exſiſtentia Verbi ſubſiſtit (vt inferius patebit) neq; ad perſonam Verbi pertinet, quia impoſſibile eſt, quòd aliquis modus creatus ſubſtantialis identificetur cum ſubſiſtentia increata.

Sed quæ-

Actionis hypoſtaticæ quinã erit terminus?

47. *Sed quæres.* huius actionis hypoſtaticæ quinam erit terminus? *Reſpondeo.* Totalis terminus erit is, qui nec ſit aliquid præcisè creatum, nec aliquid increatum, ſed quod vtrumq; includat, ſicut dicimus in vnione ſubſtantiali generationis, quòd terminus Totalis ſit, quod neque eſt præcisè materia neque forma, ſed id quod eſt includens vtrũque, videlicet compoſitum. *Et ratio eſt.* quia hic terminus Totalis eſt Perſona Chriſti ſubſiſtens in duabus naturis. Diuina quæ eſt increata, & humana quæ eſt creata.

Quinam eſt magis formalis?

Sed quæres rurſum. Horum duorum quinam ſit magis formalis & principalis creatum an increatum? *Reſpondeo* id quod eſt increatum. *Ratio eſt* ſicut enim in generatione ſubſtantiali forma habet rationem actus, & eſt terminus formalis. ita dicimus, quòd perſonalitas Verbi habet rationem actus terminantis & complentis humanitatem, iam autẽ perſonalitas Verbi eſt quid increatum

Nota. quòd minus formalis terminus ſecundum quid poteſt dici humanitas in quantũ Verbũ Diuinũ ab humanitate habet quòd ſit homo & dicitur eſſe perſona humana.

48. *Quæres tertiò.* Abſolutè quid dicendum? *Reſpondeo.* Dicendum quod terminus vnionis hypoſtaticæ ſit abſolutè quid increatum, quia terminus vnionis quamuis in obliquo includat naturam humanam, eſt ipſa Perſona Chriſti quæ eſt quid increatum.

Quæres vltimò. Iſte modus ſubſtãtialis iam confutatus an poſſit dici relatio ſubſtantialis? *Reſpondeo* non poſſe, quia ſola relatio in Diuinis quæ eſt conſtitutiua Diuinarũ Perſonarum eſt ſubſtantialis, & extra hanc nulla alia dici poteſt ſubſtantialis.

Obiectio.

Sed inſtabis. De ratione actionis eſt vt producat terminum. ſed vnio eſt vera actio. ergo producit terminum. ergo hic erit modus ſubſtantialis. *Reſpondeo* Maiorem veram eſſe de Actione Factiua ſeu productiua, quæ producit terminum, non autem de Vnitiua, quæ fit ſine vllo modo interueniẽte, & talis eſt actio hypoſtatica vt docuimus in tertio Notabili.

Reſponſio.

Obiectio altera.

Sed contra inſtabis. Scriptura Incarnationem appellat Actionem Factiuam Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt.* Et *Videamus hoc Verbum quod factum eſt.* ergo hæc vnio hypoſtatica. *Reſpondeo.* quod Verbum ſeu Filius Dei nõ eſt ſimpliciter *factus,* ſed cum additione v. *Factus eſt homo.* nam non incepit ſimpliciter eſſe per Incarnationem, ſed incepit eſſe HOMO, ideo quòd illi natura humana fuerit vnita hypoſtaticè.

Solutio eius.

QVÆSITVM VIII.

An Vnio ſit idem quod Aſſumptio?

49. PRorſus non eſt idẽ formaliter, differunt enim tripliciter: *primò* quia vnio importat relationem inter res vnitas, hoc eſt inter Diuinam & humanam naturam, ſecundum quod conueniunt in vna perſona. eſt autem hæc relatio cùm

Natura

Natura Diuina eſt vnita humanæ. Et *humana natura eſt vnita Diuinæ.* Aſſumptio verò dicit actionem, in qua vnum dicitur eſſe *Aſſumens*, & alterũ dicitur *Aſſumptum*, & ideo paſſioné dicit.

Secundò differunt; quia aſſumptio dicitur *in fieri*, vnio in *facto eſſe*, nam actio & paſſio quæ reperitur in aſſumptione, dicit motum ſeu tendẽtiam, vnde eſt in *fieri*, relatio verò quæ eſt vnio, ſupponit iam fundamentum benè ſtabilitum, vnde eſt *de facto.*

Tertiò differunt. quia aſſũptio determinat terminum *A quo* & *Ad quem.* Vnio autem nihil horum determinat, vnde aſſumptio dicit habitudinem, vnio verò coniunctionem.

50. *Nota.* Pater & Spiritus S. dicũtur quidem *vnire* naturam humanã, quia vniuerunt at non ſibi ſed Filio Dei, non dicuntur autem *aſſumere.* ideo verò Aſſumptio determinat terminum *A quo & Ad quem*, quia Aſſumptio habet rationem actionis & paſſionis, actio autem vtrumq; terminum determinat, *& A quo & Ad quem.* Vnio verò importat relationem æquiparantiæ, nam indifferenter dicimus, & naturam humanã eſſe vnitam Diuinæ, & Diuinam naturam eſſe vnitam humanæ. In Aſſumptione verò quanquam dicim⁹ naturam humanam eſſe aſſumptam à Diuina, tamẽ nõ dicim⁹ quòd Diuina ab humana fuerit aſſumpta. Et *Ratio eſt*, quia aſſũptio eſt actio perſonæ aſſumentis, res autem aſſumpta illa ſignificatur, quæ ſubeſt aſſumptioni, vnde ſolam naturam humanam denominat, quia hæc ad ſubſiſtentiam Verbi eſt aſſumpta.

51. *Vnicum hîc proponimus Dubium.* An humanitas Chriſti quemadmodum non per propriam ſubſiſtentiam ſed per Verbi ſubſiſtit, an ſimiliter non per propriam exſiſtentiã ſed ipſius Verbi exſiſtat? An humanitas Chriſti non per ꝓpriam exſiſtentiã ſed ipſius Verbi exſiſtat.

Tres hic ſẽtẽtiæ. *Prima* Alb. Mag. in 3. diſt 6. Scot. lib. q 1. Paludani. Almag. hi affirmãt Humanitatẽ Chriſti exiſtere ſua ꝓpria exſiſtẽtia. & ex recẽtiorib⁹ Suarez. & Vaſq. addũt eſſe impoſſibile, vt exiſtat per exſiſtentiam increatam. Sententia 1

Secunda eſt Aſturicen. q. 2. de Grat. Chriſti, hic aſſerit, quòd Humanitas Chriſti de facto non habet propriam exſiſtentiam, ſed exſiſtit exſiſtentia increata Verbi: verùm addit, quòd per potentiam Dei abſolutam poſſet Humanitas Chriſti ſua creatâ exſiſtentiâ exiſtere, & ſolùm ſubſiſtentiam à Verbo habere. Sententia 2

Tertia eſt, quæ concedit id quod ſecunda opinio aſſerit, ſed negat, quòd per abſolutam Dei potentiam poſſet exſiſtere ſuâ propriâ exſiſtẽtiâ. Pro determinatione dico duo. Sententia 3

52. Dico primo. *Humanitas Chriſti ſicut ſubſiſtentiam propriam non habet, ita neq; exſiſtentiam, ſed ſicut ſubſiſtentia Verbi ſubſiſtit, ita & exſiſtentia eius exſiſtit.* ita tenet Capr. *in 3. diſt 6.* Ferar. *in 4. con. gen c. 35.* Caiet. Med. *3. p. q. 17. a. 2.* Ban. in *1. p. q. 3.* Humanitas Chriſti exſiſtentia Verbi exſiſtit.

Probatur Concil. 6. generali actione 11. ex epiſt. Sophronij, quæ ab eodem Concilio approbata, dicit: *In ipſo & non in ſe habuit exſiſtentiam.* ſi Humanitas Chriſti in ipſo, ſcilicet in Verbo & non in ſe habuit exſiſtentiam. ergo non per creatam exſiſtentiam ſed per increatam exſiſtit. *Confirmatur.* nam exſiſtere in aliquo eſt exſiſtere per exſiſtentiã illius.

illius. ſed Humanitas Chriſti exſiſtit in alio, v. in Verbo. ergo per exſiſtentiam Verbi.

Inſtantia Suarcſii. *Suares hic reſpondet.* quòd Chriſti Humanitatis exſiſtentia potius rationem habet inexſiſtentiæ, nam à ſubſiſtentia Verbi à qua terminatur & completur dependet.

Solutio ei⁹ *Sed contra.* Inexſiſtere eſt propriũ accidentium. ergo exſiſtentiæ ſubſtantiali qualis eſt in hoc myſterio non competit. *Tum* exſiſtentia nõ poteſt compleri per ſubſiſtentiam, ſiquidem exſiſtẽtia eſt vltima actualitas & vltimus terminus naturæ, vnde ab alia forma compleri nequit. & exſiſtentia diſtinguitur realiter à ſubſiſtentia, nam ſubſiſtentia eſt de intrinſeca ratione ſuppoſiti, & facit naturam ſubſtantialem capacem ipſius exſiſtentiæ, exſiſtẽtia autem eſt vltima actualitas naturæ, & recipitur in ſuppoſito.

53. Ex quo ſic arguo. primum ſuſceptiuum exſiſtentiæ eſt ſuppoſitum ſeu perſona. ſed Chriſti Humanitas non habet propriam perſonam. ergo nec propriam exſiſtentiam. *Confirmatur.* Ariſt. in Prædicamentis c. de Subſtan. dicit: Primã ſubſtantiam id eſt ſuppoſitum eſſe primum ſubiectum, quoniam illi primò & per ſe conuenit exſiſtere. ergo ſublatâ primâ ſubſtantiâ ſeu ſuppoſito auferretur & exſiſtentia.

Probatur ſecundò. Terminus generationis humanæ eſt perſona exſiſtens in natura humana. ſed Chriſtus eſt genitus ex Matre, & terminus huius generationis eſt Perſona Verbi exſiſtens in natura humana. ergo in Chriſto non eſt perſona humana. ergo nec exſiſtentia creata.

54. *Probatur tertiò.* Hæc vnio in Chriſto non eſſet ſubſtantialis, ſi humanitas haberet propriam exſiſtentiam, nam ſi corpus haberet ſuũ *eſſe* & anima ſuum *eſſe*, non poſſem⁹ intelligere quomodo hæc ſubſtantialiter vnirentur, ſiquidem ex duobus Entibus in actu perfecto non poteſt reſultare vnum per ſe, ſed per accidens. ergo ſi humanitas haberet ſuum *eſſe*, & Verbum ſuum *eſſe*. iam non ſubſtantialiter ſed accidentaliter vnirentur.

Probatur quartò. quia ſequeretur, quod B. Virgo non eſſet Deipara. *Conſequentia.* Si enĩ humanitas Chriſti habet ſuam creatam exſiſtẽtiam. ergo eam prius habuit quàm aſſumeretur à Verbo. ergo antequam Deus eſſet homo, iam negotium cõceptionis in B. Virgine fuiſſet completum. ergo illius conceptio & generatio fuiſſet Chriſti, non vt Dei ſed ſolùm vt hominis, & ſic non eſſet Mater Dei, quod eſt falſum.

Verbum Diuinum non aſſũpſit naturam humanam exſiſtentem propria exſiſtẽtia. 55. Dico ſecundò. *Etiam per abſolutam Dei potentiam fieri non potuit, vt Verbum aſſumeret naturam humanam exſiſtentem propria exſiſtentia.* PROBATVR. Subiectum exſiſtentiæ eſt ſuppoſitum, vt corpus quantitatis extenſum eſt ſubiectum ſuſceptiuum & immediatum figuræ. ergo ſi debet natura humana exſiſtere propriâ exſiſtentiâ, prius ſubſiſtit per propriam perſonam. ſed cum perſona ſua propria humanitas non poteſt à Verbo aſſumi (vt poſtea probabitur) ergo nec aſſumeretur propria exſiſtentia exſiſtens.

Obiectio. *Dices* poſſe hoc fieri, vt ſubſiſtentia Verbi terminet & ſuſtentet naturam humanam, & vt eidem humanitati permittat, vt ex ſe fundat exſiſtentiam: & ſic erit humanitas in Verbo.

in Verbo ſuſtentatá illius ſubſiſtentia ſed exſiſtens propria exſiſtētia. Reſponſio. *Reſpondeo* Hoc impedire quia exſiſtētia requirit ſubiectum nimirū ſubſiſtentiam ſeu ſuppoſitum quod cum non ſit in Chriſto, nec exſiſtentia erit: Verbi autem ſubſiſtentia non poteſt eſſe ſubiectum ſubiectiuum creatæ exſiſtentiæ, nam diceret potentialitatem & creata exſiſtentia actualitatem.

56. *Rurſus dices* per Dei potentiam ordinariam non poſſe recipi exſiſtentiam niſi in ſuppoſito, at poſſet Deus per ſuam potentiam habitudinem immutare quæ eſt inter formam & ſubiectum. Obiectio altera. *Sed contra* Secundus effectus formalis ablato primario nullo modo conſeruari poteſt. Solutio eiuſdem. Effectus quantitatis ſecundarius eſt vt extendat corpus in ordine ad locum; primarius autem eſt vt extendat in ordine ad ſe. Sed impoſſibile eſt quòd quātitas extēdat ſubſtantiā corporeā in ordine ad locum, & non extendat in ordine ad ſe vt impoſſibile eſt quòd aqua ſit extenſa quo ad vas & non ſit extenſa quo ad ſe, fieri autem poteſt quòd ſe extendat in ordine ad ſe & non ad locum, vt accidit in corpore Chriſti in Sacramento Diuiniſſimo, vbi dicimus Corpus eius eſſe extenſum quoad ſe non autem quo ad locum. Sed *ſubſiſtere* eſt effectus primarius formæ ſubſtantialis: *Exſiſtere* autem eſt ſecundarius & vltimus. Ergo impoſſibile eſt quòd in humanitate Chriſti ſi ſecundarius effectus nimirum exſiſtentia, ablato primario nimirum ſubſiſtentia.

QVÆSITVM IV.

An Vnio duarum naturarū in Chriſto ſit omnium maxima?

57. Negat Durandus in 3 *diſt. 5. quæſt. 3.* oſtēditque maiorem eſſe vnionem materiæ cum forma, vel corporis cum anima ad hominem naturaliter cōponendum. *Ratio eius.* Illa maior eſt vnio quæ eſt ſimul in eſſentia & in perſona, quam quæ eſt in ſola perſona. Atqui in vnione animæ cum corpore eſt vnio ſimul & in eſſentia & in perſona hominis; in vnione autem Verbi cum humanitate eſt in ſola perſona, non autem in eſſentia. ergo illa maior.

Idem videtur defendere Scotus in 3. diſtinctione 6. quæſt. 1. qui hanc diſtinctionem ſtatuit. *Quantum* ad actum primum v. quantum ad *Eſſe* dicit: quòd vnio hypoſtatica eſt perfectior quàm vnio beatifica, quia melius eſt homini eſſe Deum quam frui Diuina viſione. *Quantum autem* ad actum ſecundum v. quo ad operationem dicit. vnionem beatificam eſſe perfectiorem,

quod ſic deducit. Si animæ Chriſti daretur optio, aut vnione hypoſtatica gaudere, aut vnione quæ fit per viſionem & amorem cum Deo carere, potius eligeret vnionem amoris cum Deo, quàm hypoſtaticam vnionem.

Quomodo vnio hypoſtatica ſit omnium maxima?

58. Sed in contrarium eſt ſententia S. Doctoris. qui dicit. Hanc vnionem hypoſtaticam reſpectu vĩculi in quo vniuntur v. perſonæ Diuinæ eſſe omnium maximam; nõ autem eſſe maximam reſpectu extremorum ſeu naturarum. Ita D. Bern. lib. 5. de Conſideratione, vbi dicit: hanc vnionem eſſe omniũ maximam poſt vnitatem trium Perſonarum in Eſſentia Diuina.

Nexus triũ Perſonarũ in Diuinis non dicit vnionem ſed vnitatem.

Nota Hunc nexum trium Perſonarum in Diuinis nõ dicere vnionẽ ſed vnitatem, ſiquidem Eſſentia Diuina omnia ad intra ſibi idẽtificat, vnde verè vnitas & identitas appellari debet. Et Leo Papa *Serm.* 17. de Paſſione Domini dicit: in tantam vnitatem conueniſſe Naturam Dei & hominis, vt nec ſupplicio dirimi potuerit, nec morte disiungi ex quo ſequitur, quòd hæc vnio cum ita ſit arctiſſima vt illius extrema ſeparari nõ poſſint, ſit maxima dicenda. Et patet hoc per rationes.

Ratio prima Illa vnio cenſetur eſſe maxima cuius nexus eſt ſimpliciſſimus. Sed nexus in myſterio Incarnationis eſt perſona Verbi quæ eſt in ſe ſimpliciſſima omnem excludens cõpoſitionẽ. ergo eſt maxima.

Quomodo hic Perſona Diuina ſumitur?

Nota. Quòd hic Perſonã Diuinã ſumimus ſub ea ratione per quã cõcipitur à nobis nondũ cõpoſita, nã ſic conſiderata eſt ſimpliciſſima.

59. *Ratio ſecunda*. Natura Diuina & humana vniuntur in perſona Verbi non accidentaliter ſed ſubſtantialiter; & ſic ſubſtantialiter non vt partes *v.g.* pes, manus, &c. ſed ſicut naturæ perfectæ integræ, tum in perſona Verbi quæ (vt iam dictum) eſt ſimpliciſſima, & ſic vnita ſunt indiuiſibiliter quòd nec morte ſeparari poſſunt, quod enim Deus ſemel aſſumpſit nunquam dimittet. Ergo eſt omnium maxima.

Ratio tertia. Quia huius vnionis terminus eſt excellentiſſimus. v. Chriſtus, qui eſt ſummæ dignitatis quia vtrãq; naturã & Diuinã & humanã in Perſona Verbi vnitã habet.

60. Probatur alterum *quòd ratione extremorum non ſit hæc vnio maxima*. Quò enim aliqua magis inter ſe diſtant, & disiunguntur eò illorũ vnio cẽſetur eſſe minor. Sed natura humana & pſona Verbi maximè inter ſe diſtãt. ergo illorũ minor eſt vnio, nã Verbũ eſt ordinis ſupernaturalis, & ideo increatũ infinitũ. Humanitas verò ordinis naturalis, & ideo creata, finita.

Ad Durandi rationẽ reſpõſio.

Ad Durandi rationem reſpondeo illã ſolùm probare quòd vnio materiæ & formæ ſit maior extenſiuè, quia ex illa reſultat vnio & eſſentiæ & perſonæ: ſed non probat intenſiuè. & ſic vnio hypoſtatica eſt maior quia in perſona Verbi quæ eſt excellentiſſima eſt facta.

Ad Fundamentũ Scoti.

Ad Fundamentum Scoti reſpondeo. quòd anima Chriſti magis eligeret vnionem hypoſtaticam quàm vnionem per viſionem beatificam. nam melius eſt eſſe Deum quod fit per vnionem hypoſtaticam, quàm autem frui Deo per viſionem beatificam. *Tum* Quia naturali concomitantia vnionem hypoſtaticam conſequitur viſio beatifica.

QVÆ-

QVÆSITVM V.

An Vnio duarum naturarũ in Chriſto ſit facta per gratiam?

Vnio quomodo fuit per gratiã.

61. ADQuæſitum dico Primo. *Vnio ſi dicitur ideo per gratiam facta, quia fuit ex mera Dei bonitate & miſericordia, ſic eſt per gratiam.* PROBATVR. Quia hæc vnio eſt gratuitum Dei beneficium. *praterea* Quia factum ſine vllis præcedentibus meritis (vt inferius patebit) *item* Quia quòd homo ſit factus Deus id homini non debebatur, vnde eſt ex gratia.

Vnio quomodo non fuit per gratiam facta?

Dico ſecundò. *Si nomine* Gratiæ *intelligatur* Gratia habitualis, *tanquã illa mediante hæc vnio hypoſtatica ſit facta ſic non poteſt dici quòd ſit per gratiam facta.* PROBATVR. Omnis perfectio accidentalis, qualis eſt gratia habitualis ſupponit *Eſſe* perſonale ipſius Chriſti, ſicut accidens ſupponit ſubiectum vt in eo poſſit eſſe. ergo nulla gratia habitualis (ſiquidem poſterius venit) potuit intermedia intercedere ad hoc, vt humanitas Diuinitati communicaretur. *praterea.* Si hæc vnio facta eſt per hanc gratiam quæ eſt accidentalis. Ergo tota vnio eſſet accidentalis, nam vinculum eius accidentarium. *Deinde* Quia gratia habitualis ſecundũ D. Th. hic ad 1. art. 10. dicit ſimilitudinem, participatam Diuinitatis in homine. Sed in Incarnatione humanitas non participat naturam Diuinam, ſed illi in perſona Verbi vnitur. *Tandem* Neque hæc gratia habitualis requirit vt ſe habeat in hoc myſterio per modum diſponentis in quantum per illam diſponitur potentia ad perfectam operationẽ. Sed hæc vnio non eſt aliqua operatio, vt ad eam requiratur habitus diſponens, ſed eſt obtentio & quædam quaſi poſſeſſio ipſius ESSE perſonalis Verbi.

Nota Etiam hanc vnionem poſſe dici gratiam in quantum ſignificat vnionẽ ſubſtãtialẽ naturæ humanæ cũ pſona Verbi in qua donatur naturæ humanæ perſonalitas Verbi. Quãdo hæc vnio poteſt dici gratia.

QVÆSITVM VI.

An Vnionem Verbi aliqua merita præceſſerint?

62. INquirimus. *An intuitu meritorum ſit facta incarnatio?* Si ob merita facta? ergo aut ob præcedentia? aut ob ſubſequentia? Primò inueſtigabimus de præcedentibus v. *Primo.* An Chriſti præceſſerint? *Secundò* An Sanctorum Patrum? *Tertiò.* An B. Virginis?

QVANTVM ad primum. Dico *hanc vnionem hypoſtaticam nulla merita Chriſti*

Vnionē hypoſtaticam nulla merita Chriſti præceſſerūt

Chriſti præcedere potuerunt. vnde nequé de condigno potuerunt eam mereri. PROBATVR locis ſcripturæ in quibus hoc myſterium tribuitur Summæ dilectioni & liberalitati Diuinæ. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filiū ſuum vnigenitum daret.* Lucæ. 1. *Per viſcera miſericordiæ Dei in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Et D. Auguſt, in Ench. cap. 36. dicit: *Quid meruit natura humana in homine Chriſto, vt in vnitatem perſonæ Filii Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? quæ bona voluntas? quæ bona opera præceſſerunt? quibus mereretur iſte homo vt vna fieret perſona cum Deo.*

63. *Probatur* ratione D. Th. Ille homo qui eſt Chriſtus à principio ſuæ conceptionis fuit Filius Dei. ergo nulla eius opera præcedere potuerunt, quæ hanc vnionem ſeu vt eſſet Filius Dei mereretur. *Conſequētia* Quia quælibet operatio illius hominis iam ſupponit vnionem hypoſtaticam. *Antecedens.* Quia falſum eſt & ab Eccleſia condemnatū quòd Neſtorius affirmabat, tanquam Chriſtus primò fuiſſet purus homo, tandem merito bonarum operationum obtinuit vt eſſet Filius Dei. Sed Fide tenendum quòd ab inſtanti ſuæ conceptionis fuerit Filius Dei.

Ratio ſecunda. Nemo poteſt mereri vt ſit ſeu vt habeat ESSE, nā antequam ſit, nulla merita eſſe potuerunt. ergo cum Chriſtus per vnionem hypoſtaticam fuit, præcedentibus meritis non potuit illam mereri: prius enim eſt *Eſſe* quā *operari.*

64. *Ratio tertia* Omnis operatio Chriſti ſubſecuta eſt vnionem. ergo nulla potuit eſſe præcedens meritoria nam Chriſtus aut conſideratur vt Deus, & ſic non potuit mereri, quia meritum non cadit in Deum: aut conſideratur vt Homo & neque ſic meruit: quia ante vnionem nondum erat homo.

Ratio quarta. Incarnatio ſeu vnio hypoſtatica eſt principium omnis meriti, nam ex ea omne meritum in nos dimanauit. Sed primum principium meriti non cadit ſub meritum. ergo nec vnio hypoſtatica.

Ratio quinta. Vnio hypoſtatica reſpectu humanitatis Chriſti fuit mera & maxima gratia Dei. ergo illi donata eſt abſque vllis præcedentibus meritis. *Sequela* Ad Romanos 1. *Si ex operibus iā gratia non eſt gratia*

65. *Sed obiicies.* Apocalipſis 5. *Dignus eſt Agnus accipere Diuinitatem.* Ergo meruit vnionem humanitatis cum Diuinitate. *Reſpondeo* Hunc locum non loqui de merito Chriſti in ordine ad vnionem perſonalem, ſed loqui de quadam gloria accidētali, quam ſua paſſione & morte meruit, vt vt eius nomen toto orbe coleretur. Ita explicat D. Th. Lyranus Rupertus. — Obiectio. Reſponſio 1. Solutio 2.

Vel ſecundò dico Chriſtum meruiſſe Diuinitatem non vt eſſet Deus, ſed vt palam manifeſtaretur eſſe Deus. Vnde *accipere Diuinitatem* ſecundum phraſim ſcripturæ eſt *Oſtendi eſſe Deum*, ſicut accipere ſapientiam eſt manifeſtari eſſe ſapientem.

Rurſum obiicies. Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus. Reſpondeo* Particula *Propter* explicari debet, nō effectiuè meritoria ſed finaliter, vt ſit ſēſus Chriſtum propterea ſeu eo fine fuiſſe vnctum Diuinitate vt diligeret iuſtitiam, odio haberet iniquitatem. — Obiectio altera. Eius ſolutio.

66. QVANTVM ad alterum v. Quo ad merita

Sententiæ tres quoad meritaSanctorum.

ad merita Sanctorum. Tres hic Sẽtentiæ. *Prima* Gabrielis. D. Bonau. Marſilii. qui dicunt, quòd viri Sancti qui præceſſerunt, meruerunt Incarnationem, quo ad accelerationẽ non autem quoad ſubſtantiam. *Secunda* eſt Alexandri Alenſis quòd meruerint non ſolùm quo ad accelerationem: ſed etiam quo ad ſubſtantiam non quidem abſolutè & ſimpliciter, neque quo ad primum hũc effectum qui eſt Remiſſio peccatorum, ſed quo ad apertionem ianuæ cæleſtis. *Tertia* eſt D. Thomæ hic & in 3. diſt. 4. quæſt. 3. art 1. ad 2. & 4. quòd meruerint non de condigno ſed de congruo.

Ad meritũ de cõdigno cõditiones 4. requiruntur,

Nota ex l. 2, quæſt, 114. art. 1. & 3. quatuor eſſe conditiones quæ requiruntur ad meritum de cõdigno *Prima* vt is qui meretur ſit in gratia. *ſecunda* vt actus ex gratia procedens ſit *propter* Deum ſummè dilectum, *tertia* vt ex directione gratiæ & charitatis ordinetur ad illud bonum conſequendum, quod cadit ſub meritum, & non ſufficit quòd per accidens ex intentione operantis dirigatur. *quarta.* vt adſit promiſſio Diuina & pactum reddẽdi illud præmium pro actu meritorio. *Et ratio eſt.* Quia meritum de cõdigno pertinet ad iuſtitiam. Deus autem nemini quicquam dedit, vnde promiſſio Dei debet accedere.

67. *Nota ſecundò.* Ad meritum de condigno neceſſariò requiruntur hæ quatuor conditiones: ad meritũ verò de cõgruo aliquæ harũ ſufficiunt maximè Prima & Secunda.

Meritũ de condigno & meritum de congruo quo differãt inter ſe?

Nota tertiò. Differẽtiã inter meritũ de cõdigno & de cõgruo *Prima* Meritũ de cõdigno inducit obligationẽ ex iuſtitia ſaltim imperfecta. meritum verò de congruo non inducit obligationem, ſed ſolùm dicit debitum amicabile ſecundum leges iuſtitiæ. *Secunda differentia* Meritũ de cõdigno infallibiliter acceptatur à Deo. & niſi p peccatũ mortificetur ſemper conſequitur ſuum effectum quòd merito de congruo non competit, quia lex amicitiæ non eſt ita ſtricti iuris ſicut lex iuſtitiæ. Hoc præmiſſo.

Patres antẽ qui non poterãt de cõdigno promereri Incarnationẽ.

68. Dico. *Antiqui Patres quantumuis iuſti non poterant de condigno promereri incarnationem.* PROBATVR Homo quantumuis ſanctiſſimus non poteſt alteri mereri primam gratiam ergo multò minus poterit mereri hypoſtaticam vnionem quæ eſt fõs vberrimus omnis gratiæ. *Deinde* Merita omnium Sanctorum Patrum ex meritis Incarnationis tanquam ex radice pendent. Sed radix meriti non cadit ſub meritum. ergo de condigno non meruerunt. *Præterea* Meritum ex lege Dei ordinaria tantùm ad beatitudinem tãquam ad præmium adæquatum & plusquam ſufficiens ordinatur. Iuxta illud ad Rom. 8 *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis.*

Patre Sancti meruerunt de congruo Incarnationem.

69. Dico ſecundò. *Certũ eſt quod de congruo meruerint.* PROBATVR. S. Patres qui anteceſſerunt aduentum Chriſti erant in gratia & in charitate, & habuerunt fidem ſaltim implicitam venturi mediatoris & Saluatoris Chriſti, & ad eum ſua bona opera ſaltim implicitè præſertim orationes & gemitus cordium ordinabant. ergo de congruo merebantur Incarnationem Chriſti. *Conſequentia.* Quia ad meritum de congruo ſufficit quòd ex gratia & charitate

ritate & ex intétione ſaltim implicita procedat.

Ratio ſecunda. Meritum de congruo nititur legibus amicitiæ quæ docent eſſe congruum vt amicus amicum exaudiat cum ea petit quæ ad ſalutem & ad libertaté propriam ſpectant. Sed Sancti Patres erant amici Dei iidemque petebant vt Filium ſuum vnigenitum in carne mortali daret ad liberandum genus humanum ex ſeruitute peccati & damnatione æterna. ergo congruum erat vt propter illorum orationes Deus in carne veniret.

Beatiſſima Virgo meruit diſpoſitioné maternitatis Chriſti.

70 QVANTVM ad tertium, v. quo ad B. Virginem. An meruit de condigno. Quidam vt Gabriel *in 3. diſt. 4. quæſt. 1. art. 3.* Almaginus *quæſt. 1. dubio 3.* Maior *q. 4.* tenent quòd B. Virgo de cõdignò meruerit, vt eſſet Mater Dei, & per conſequens meruit Incarnationem. Pro determinatione dico tria.

DICO primò. *Beatiſſima Virgo meruit diſpoſitionem maternitatis Chriſti propter quod digna mater Dei appellatur.* Ita D. Ambr. lib. 2. de Virginibus. *quæ digna fuit ex qua Filius Dei naſceretur.* Baſilius homilia de Chriſti generatione *Digna vnigeniti Diuinitati coniungi fuit.* Origenes homilia 1. *Ex decem variis huius vnigeniti dicitur hæc mater Virgo Maria digna dici.* Et *Ratio eſt*. Beatiſſima Virgo fuit plena gratia, & ex ea exercuit plurimas actiones quibus ſe diſponebat ad hoc vt eſſet digna mater Chriſti, vt ipſa confitetur *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Ergo per hæc opera meruit de condigno neceſſariam diſpoſitionem vt eſſet mater Chriſti.

Beatiſſima Virgo ipſam maternitatem meruit tantùm de congruo.

71. Dico ſecundò. *Ipſam maternitatem non meruit de condigno ſed tantùm de congruo.* PROBATVR. Hæc tria *Eſſe matrem Chriſti. Deum concipi. Deum incarnari.* ſunt vnum & idem realiter & à ſe ſeperari non poſſunt, ſed ſe mutuò & neceſſariò conſequuntur Sed B. Virgo non meruit Incarnationem de condigno, ſiquidem eandem nec Chriſtus potuerit mereri (vt iã deductum.) ergo nec de condigno meruit quòd eſſet Mater Chriſti.

Obiectio.

Obiicies. Quæ diſtinguuntur formaliter illa à ſe ſeparari poſſunt. Sed maternitas Chriſti & Incarnatio Chriſti ſunt formaliter diſtincta. ergo bene vnum ſine alio erit.

Solutio.

Reſpondeo hæc quidem formaliter diſtingui; ſed dico quòd ſint vnum realiter. Vnde ſi B. Virgo de condigno maternitatem meruit. ergo & Incarnationem.

Probatur altera pars. *quòd de congruo meruerit.* nam Eccleſia agnoſcit vt in Cantico Regina cæli. &c. *Quia quem meruiſti portare.* Et *Vt dignum Filii tui habitaculum effici mereretur.* Et *Quæ ſola digna fuit portare Regem cælorum & Dominum.* Sed hæc loca adducta non poſſunt intelligi de merito de condigno. (vt iam deductum.) ergo intelligenda de merito de congruo.

Inſtantia.

72. *Sed inſtabis.* Si Virgo Beata meruit diſpoſitionem ad maternitatem ergo & ipſam meruit maternitatem

Reſponſio ad eam.

Reſpondeo verum eſſe antecedens, ſed conſequens negatur. *Et Ratio eſt* Quia hæc talis maternitas, (vt toties dictum) ſpectata in indiuiduo eſt idem realiter cum ipſa Incarnatione. Sed Incarnationis non eſt meritum de condigno. ergo neque maternitatis.

Dico tertiò. Colligendo ex antedictis

Beatiſſima Virgo Incarnationem Verbi meruit de congruo perfectius tamen omnibus aliis Sanctis.

te dictis. *quòd Beata Virgo nec Incarnationem Verbi de condigno meruit, ſed ſolum de congruo: perfectius tamen omnibus aliis Sanctis, quamuis illius merita non exceſſerunt limites meriti de congruo.*

An Chriſtus Dominus meritis ſubſequentib⁹ incarnationē potuerit mereri de condigno.

Sed dubitabis de meritis Chriſti ſubſequentibus Incarnationem. An his de condigno potuerit mereri Incarnationem. Pro reſponſione dico duo.

73. Dico primo. *Chriſtus iam reuera actu exſiſtens non videtur ſimpliciter meruiſſe de condigno per actiones ſubſequentes ſuam vnionem hypoſtaticam.* PROBATVR ſecundùm D. Th. Alex. Caiet. Scotum. Durandum & alios. Chriſtus ſimpliciter ſine vlla diſtinctione non meruit ſuam ipſius incarnationem. ergo nec antecedentibus nec conſequentibus actionibus meruit. Idem tenet D. Auguſt. in Ench. vt ſupra annotauimus qui ab Incarnatione omne meritum excludit.

Probatur ſecundò. Meritum condigni ordinariè ſuâ naturâ debet præcedere præmium, nam eſt via ad aſſecutionem præmii, & includit perfectam rationem iuſtitiæ: nec hunc ordinem in hoc myſterio immutauit Deus, nam conſtaret nobis ex Scripturis, aut ex alio probabili argumẽto. Atqui ſubſequentes actiones non præcedunt. ergo non poſſunt ordinari ad aſſecutionem hypoſtaticæ vnionis.

Nota quòd Chriſtus meruit Incarnationis continuationem perſeuerantiam, tum ne peccare poſſet vnum autem atque idem duobus titulis propter diuerſas rationes obtineri nullum eſt abſurdum, vt inferius patebit.

74. Dico ſecundo. *Loquendo de abſoluta Dei potentia, potuit de condigno mereri ſi ita Deo placuiſſet, & ſi ſic ordinaſſet.* PROBATVR. Videmus enim & experimur quòd cũ quis aliquid ab aliquo initio gratis accipit, poſtea hoc ipſum de cõdigno per ſubſequentes actiones mereatur. vt ſi Imperator militi ſtrenuo det gratis equum generoſum vt fortiter pugnando in acie dignum ſe illo equo præbeat, cumque ex iuſtitia condignè obtineat: ita ſi ordinatio Dei intercederet, Incarnatio poterit & gratis haberi & titulo meritorio per ſubſequentes actiones.

Chriſtus Domin⁹ de abſoluta Dei potẽtia potuit mereri incarnationem de condigno.

Ratio ſecunda Potuit Deus conferre vnionem hypoſtaticam humanitati cum dependentia à ſubſequentibus meritis & cum relatione ad futura eius bona opera, ergo ſic de condigno potuit mereri, ita quòd hæc merita non tam ex gratia gratũ faciente quàm ex ipſa vnione hypoſtatica infinitam condignitatem ſumerent.

QVÆSITVM VII.

An Gratia vnionis fuerit Chriſto homini naturalis?

 AdQuæ-

Neque gratia vnionis neque gratia habitualis fuit Chriſto naturalis.

87. AD Quæſitum dico primò. *Neq; gratia vnionis v. ipſa vnio ſubſtantialis cum Verbo, neque gratia habitualis fuit Chriſto naturalis. ſumendo* Naturale. *in quantum ſignificat id quod ex principiis naturæ humanæ eſt cauſatum.* Si enim hoc ita eſſet, omnibus hominibus hoc conueniret in quauis enī natura hominis particularis eadem ſunt principia, ergo ab iis idem effectus cauſaretur.

Quomodo hæc vtraq; gratia eſt Chriſto naturalis.

Dico ſecundò. *Hæc vtraq; gratia eſt Chriſto naturalis in quantum id dicitur naturale: quod alicui à principio conceptionis confertur.* PROBATVR. Quia Chriſtus à conceptione ſua habuit vtramque gratiam. *Deinde* quia vtraque fuit cauſata à natura Diuina quæ eſt natura Chriſti.

Nota Gratia Chriſto Domino fuit naturalis non tantùm concomitanter, ſed ex vi Natiuitatis & ex virtute principii actiui quod eſt Spiritus S. Iuxta illud *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur.* Angelis autem & primo homini gratia collata fuit concomitanter, ſed non ex vi creationis quia prĩcipiũ creationis de ſe nõ neceſſariò debuit Angelũ & primũ hominẽ gratũ Deo facere, Chriſtus autem ex vi ſuæ conceptionis debuit eſſe Deo gratiſſimus.

DISPVTATIO III.

De modo vnionis ex parte perſonæ aſsumentis.

Octo Quæſita proponimus:

1. *An aſſumere conueniat Perſonæ Diuinæ?*
2. *An etiam conueniat naturæ Diuinæ?*
3. *An præciſa perſonalitate poſſit natura Diuina aſſumere?*
4. *An vna Perſona ſine alia poſſit aſſumere?*
5. *An quælibet Perſona poſſit aſſumere?*
6. *An plures Perſonæ vnam numero naturam poſſint aſſumere?*
7. *An vna Perſona poſſit aſſumere duas naturas?*
8. *An fuit conueniens vt potius Perſona Filii naturam humanam aſſumeret quàm alia?*

QVÆSITVM I.

An *aſſumere* Perſonæ Diuinæ conueniat?

Reſpon-

Maximè eſt propriũ Diuinæ Perſonæ vt poſsit aſſumere naturã creatam.

1. RESpondet D. Th. *Id eſſe maximè proprium Diuinæ Perſonæ, vt poſſit aſſumere naturam creatam.* PROBATVR. Aſſumptio hypoſtatica duo in ſe includit. *primò* id quod eſt principium agendi: *ſecundò* id quod eſt terminus. ſed vtroq; modo Aſſumptio eſt maximè propria Diuinæ Perſonæ, ergo illi conuenit aſſumere. *Maior.* Aſſumere idem eſt, quod ad ſe ſumere; & *Sumere* dicit actionem *Ad ſe* verò dicit terminum. *Minor.* quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ſeu Perſonarum. ergo hoc principiũ agendi cõueniet Perſonæ. *Tum* quia hæc vnio eſt hypoſtatica, & (vt iam deductum eſt,) nõ eſt in natura ſed in Perſona. ergo Perſona erit terminus aſſumptionis.

Obiectio.

2. *Sed inſtabis.* Diſtinctio aſſumptionis in actione & in termino nõ eſt conueniens, quia etiam terminare præſefert quandam actionem.

Solutio ei⁹

Reſpondeo. quòd Verbum *Terminare* Grammaticè ſumptum, cùm ſit Verbum actiuum ſignificat actionem, ſed ſtrictè loquendo in hoc præſertim myſterio, dicit de termino perſonali, ita, quòd *terminare* ſolùm ſignificat eſſe terminum, eſſe complementum vltimum, eſſe quandã vltimam ſubſtantialem perfectionem: *Eſſe* autem non ſignificat *agere. Præterea.* Relatio terminat aliam relationem, vt Filiatio Paternitatẽ. ſed vna relatio non agit in aliam, nã Filiatio in Diuinis terminans Paternitatem nihil agit in Patrem, nam nec illum producit nec perficit, & ipſa Paternitas quæ eſt in Patre, nihil intrinſecè operatur in Patrem, ſed ſolùm vt eſt terminus conſtituit Patrem in Eſſe Patris. *Deniquè* punctum terminat lineam, & Centrum terminat motum grauium. Atqui nec punctum agit in lineam, nec centrum agit in motum grauium. ergo tèrminare non eſt agere. ita quoq; intelligendum Perſonam in hoc myſterio habere ſe non actiuè in genere cauſæ efficientis, ſed ſubſtantialiter in ratione ſubſiſtendi inquantum naturam humanam terminando ſua perſonalitate facit incommunicabilem alteri, & vt ab omni alio ſit independens.

An perſonæ creatæ conueniat ſubſiſtere in duab⁹ naturis.

3. *Sed inquires.* An ſicut Diuinæ Perſonæ conuenit ſubſiſtere in duabus naturis, an etiã hoc conueniat perſonæ creatæ, vt in duabus naturis ſubſiſtat? Reſpondeo & dico primò. *Quòd ſi loquamur de ordinaria potentiâ, tunc certum eſt, quòd nulla Perſona creata poteſt terminare ſua perſonalitate alienam naturam* PROBATVR, quia hic eſt ordo naturalis, vt quælibet ſubſiſtentia ſeu perſona ſuam propriam naturam terminet. *Tum* quia vnio hypoſtatica ab agentibus creatis ſolùm fit inter naturam & Perſonam propriam, quia hæc ipſa ſubſiſtentia per ſimplicem emanationẽ fluit ex principijs eſſentialibus intrinſecis inter ſe coniunctis. *Tum etiam,* quia hoc myſterium Incarnationis non eſſet miraculoſum, ſiquidem conueniret Perſonæ naturali, vt alienam naturã poſſet ſibi vnire.

4. Dico ſecundò. *Si loquamur de potentia Dei abſoluta tunc controuerſum eſt.* affirmat Occam *in 3. diſt. 1. q. 1.* Maior *quæſt. 5.* Gabriel *ibid q. 2.* quia nulla eſt implicatio contradictionis. non ex parte naturæ quæ debet aſſumi. nam videmus hanc terminari perſonalitate Verbi. non ex parte Perſonæ creatæ, quia reſpectu

 Dei

Dei ſub illius potentia obedientiali, ita, quòd illud debeat agere quod Deus voluerit.

Negat hic D. Th. nam dicit, quòd perſona creata poſſet quidem terminare plures naturas creatas, ſed accidentaliter: ſoli autem Perſonæ Diuinæ tanquam proprium tribuit, propter infinitatem, vt fiat in ea cõuentus naturarum, non quidem accidentaliter ſed ſubſtantialiter. idẽ ſentit Caiet. Duran. *in 3. diſt. 1. q. 5.* Palud. *q. 1. a. 2.* & paſſim recentiores. vnde concluſiuè.

Etiã per abſolutã Dei potentia p̃ ſona creata non poteſt hypoſtatiè vnire ſibi alienam naturam.

5. Dico. *Etiam per abſolutam Dei potentiam perſona creata non poteſt hypoſtaticè vnire ſibi alienam naturam, eandemq; ſua perſonalitate terminare.* PROBATVR. ſi perſona creata terminaret alienam naturam, neceſſariò terminaret aut vt agens principale? aut vt inſtrumentale? ſed neutro modo terminat. ergo non poteſt terminare. *Minor.* non vt agens principale, quia hoc debet terminare communicando ſuum *eſſe* perſonale. ſed perſona creata non poteſt communicare ſuum *eſſe* perſonale alienæ naturæ, quia excedit illius vires. *Tum* quia ad hoc virtus infinita requiritur. ſed virtꝰ infinita nulli creatæ perſonæ communicari poteſt, nam ſequeretur contradictio, ſiquidem hæc perſona cùm ſit creata, eſt finita, & quia habet virtutem infinitam, erit infinita, & ſic finita & infinita, quod eſt contradictorium. Non vt agens inſtrumentale. nam ſic perſona creata eleuaretur virtute Diuina tanquam illius inſtrumentum, vt poſſit ſua perſonalitate terminare alienam naturã. ex quo ſequeretur, quòd hæc vnio non eſſet ſubſtantialis, nam vt poſſit eſſe ſubſtantialis, nullum medium etiam ſupernaturale intercedere debet, vt iam probatum. atqui hic intercedit virtus Diuina ſuperueniens & eleuans.

6. *Ratio ſecunda.* Effectus cauſæ inſtrumentalis tribuitur cauſæ principali, ſiquidem inſtrumentum in virtute cauſæ principalis operatur, vnde ſi ſuppoſitum creatum terminaret alienam naturam, vt cauſa inſtrumentalis; iam hic effectus qui eſt terminare alienam naturam Deo principaliter tribuendus eſſet. ergo Deus principaliter terminaret & nõ ſuppoſitum creatum.

Ratio tertia. Ad hoc vt ſuppoſitum Angeli aut hominis poſſit terminare alienam naturam: aut Deus adderet illi aliquid nouæ perfectionis? aut non? ſi non? ergo non poſſet alienam naturam terminare, quia ſolum habet naturalem & proportionatam ſuæ perſonalitatis perfectionem vt ſuam propriam naturã terminare poſſet. ſi autem de nouo adderet Deus aliquam perfectionẽ ad hoc præſtandum, nec ſic quidem poſſet terminare, nam hæc terminatio debet eſſe ſubſtantialis, id autem quod adderet Deus non eſſet ſubſtantiale ſed accidẽtale, ſiquidẽ iam perſonæ & ſubſtantiæ in actu perfecto exſiſtenti adueniret.

Ad rationem Occam dico. non eſſe quidem apertam contradictionem, ſed ſic facilè poſſe colligi. Hæc perſona quæ terminaret alienam naturam eſt creata. ergo finita. & quia ſubſiſteret in duabus naturis, ad quod requiritur virtꝰ infinita. ergo eſſet infinita, atq; ſic eſſet finita & infinita, quæ eſt aperta cõtradictio. — *Ad rationẽ Occam reſponſio.*

Obiectio.

7. *Sed dices.* Deus poteſt eleuare ignem

ignem corporeum, vt agat in ſpiritum. ergo poterit eleuare ſuppoſitũ creatum vt ſubſiſtat in pluribus naturis. *Reſpondeo.* non valere conſequentiam, quia hæc eleuatio eſt ad agendum. ſed *ſubſiſtere* in aliena perſona non eſt agere, ſed ſuum *eſſe* perſonále dare alteri naturæ, quod illi ſuppoſito ſolùm conuenit quod eſt infinitum.

Solutio ei⁹

Nota. Quidam Recentiores ſic reſoluunt propoſitam difficultatẽ. Si loquamur de perſona iã creata ſecũdũ hãc legẽ ordinariã, quòd ſolùm ſuam propriam naturam eſt apta terminare, & ſic nullo modo poteſt terminare alienam naturam. Si autẽ loquamur de perſona creata poſſibili, tunc dicũt, quòd poſſet Deus de nouo producere creaturam cum tali virtute, vt poſſit etiam alienam terminare naturam. & ſic videntur propendere in ſententiam Occami. Nos ſequimur D. Th. ſententiam, tanquam veriorem cùm illius ſit mens, quòd ad talem terminationẽ requiratur virtus infinita, cum qua hæc de nouo condita creatura non poſſet produci, quia illius naturæ repugnaret cùm ſit finita.

Recentiorum reſolutio hui⁹ difficultatis.

QVÆSITVM II.

An *aßumere* Diuinæ naturæ conueniat?

8. AD Quæſitum cum S. Doctore dico tria: Dico primò. *Eße principium aſſumptionis conuenire naturæ Diuinæ.* PROBATVR. quia eſſe principium aſſumptionis ſignificat potentiam actiuam, per quam aſſumptio & vnio fit naturæ humanæ. ſed hæc virtus actiua ab Eſſentia Diuina procedit. ergo eſſe principium aſſumptionis conueniet naturæ Diuinæ.

Eſſe principium aſſumptionis conuenit naturæ Diuinæ.

Dico ſecundò. *Vt autem natura Diuina ſit terminus aßumptionis, hoc illi ſecundùm ſe non conuenit, ſed ratione perſonæ.* RATIO. quia terminus aſſumptionis debet eſſe hypoſtaticus, qui faciat per ſe naturam humanam incommunicabilem. ſed perſona eſt terminus hypoſtaticus, & hæc facit vt natura humana ſit incommunicabilis & independens. ergo eſſe terminum aſſumptionis non conuenit naturæ Diuinæ ſecundùm ſe.

Quomodo naturæ Diuinæ conuenit vt ſit terminus aſſũptionis?

Dico tertiò. *Primò & propriiſſimè Perſona dicitur aßumere, ſecundariò autem poteſt dici, quòd etiam natura Diuina aßumpſit naturam humanam.*

Propriiſſimè Perſona dicitur aſſumere.

9. *Sed obijcies.* quomodo Pater & Spiritus S. non aſſumpſerint naturã humanam? & quomodo non ſunt Incarnati? ſiquidem Eſſentia Diuina aſſumpſit naturam humanam. & augetur difficultas tali argumento. quod conuenit naturæ Diuinæ, idẽ tribus Perſonis Diuinis conueniat neceſſe eſt. ſed conuenit naturæ Diuinæ quòd aſſumpſerit naturam humanam. ergo idem conueniet & tribus Perſonis. ergo non ſolùm Filius ſed & Pater & Spiritus S. ſunt Incarnati. & communiter ſic Patres loquun-

Obiectio.

loquuntur. D.Hieron.ad Damaſum de Symbolo. *In Chriſto alia eſt natura quæ aßumpſit,& alia quæ aßumpta eſt.* & in Pſalmum 34. *Diuinitas induit ſe carne.* & D. Aug. dicit: *Forma Dei aßumpſit formam ſerui.* & hic per *Formam* intelligit *Naturam* & Leo Papa *in ſer. 1. de Nat. Suſcipitur à maieſtate humilitas, ab æternitate mortalitas.* & D. Dama. *lib. 3. de fide cap. 6. Dicimus naturam Verbi Incarnatam ſecundùm Beatos Athanaſ. & Cyrill.* ſed natura Verbi eſt natura Patris & Spiritus S. ergo & hi ſunt Incarnati.

Solutio difficultatis.

10. In reſolutione huius difficultatis diſcordant Doctores, Duran. in 3. *diſt. 1 q. 2. & 4.* Duas vniones ſtatuit. *Prima* eſt naturæ Diuinæ & humanæ, & in hac dicit dependentiam naturæ humanæ non à Perſona Verbi ſed ab Eſſentia Diuina primariò fuiſſe terminatam. *Altera* eſt vnio naturæ humanæ cum Perſona Verbi, & hanc dicit eſſe cõplementum aſſumptionis, & hanc vnionem dicit præſtare, quòd Filius ſit Incarnatus, & non Pater nec Spiritus S. Ad difficultatem itaq; dicit Durand. ideo ſolùm Verbum eſſe Incarnatum, quoniam illud ſolùm in ſecunda vnione fuit ſecundarius terminus aſſumptionis. ſed magis videtur intricare quàm explicare, nam ſecundùm illud in prima vnione natura Diuina primariò terminat dependẽtiam naturæ humanæ, & hæc Diuina natura quæ ſic independenter terminauit naturam humanam, eſt communis Patri & Spiritui S. omnes ergo habebunt naturam humanam, & per conſequens omnes erunt Incarnati.

Marſil. in 3 *q. 2 in reſponſione ad 8.* dicit, quòd dependentia naturæ humanæ ſic eſt à Verbo terminata, vt tamen Eſſentia fuerit Verbo ratio ſeu principium, quo terminauit, & ſic ſententia eius ab opinione Durandi non diſcedit. Idem poſtea author *in eadem quæſt. art. 1. Concl. 4. p. 3.* videtur manifeſtè docere, quòd Eſſentia Diuina vt eſt Eſſentia non terminauit primariò & per ſe dependentiam naturæ humanæ, ſed identicè ratione Verbi à qua ſecundùm rem non diſtinguitur, & ſic Perſonæ Verbi tribuit, quòd primariò depẽdentiam naturæ humanæ terminauerit, & ſic Marſil. declinat in ſententiam D. Th. iam explicatam.

Reſolutio difficultatis ſuperioris.

11. Nos verò dicimus quoad modum dicendi Patrum, qui dicunt naturam Diuinam aſſumpſiſſe humanam, & Deitatem eſſe Incarnatã, in hoc ſenſu eſſe accipiendum, v. Verbum Diuinum ſua ſubſiſtentia ſeu perſonalitate primariò ſuſcepiſſe carnem, & conſequenter etiã & natura Diuina ſuſcepit, quæ eſt idem cum Verbo, vnde natura Diuina non primò & per ſe ſed ratione perſonæ eſt Incarnata.

Ex quo ad difficultatem reſolutio colligenda talis. Incarnari ſeu naturam humanam aſſumere non cõuenit per ſe & primariò naturæ Diuinæ ſed ratione Perſonæ, & quia Perſona Verbi ſeu Filij Dei aſſumpſit naturam humanam, ideo Filius & non Pater nec Spiritus S. eſt Incarnatus.

Obiectio.

12. *Sed inſtabis.* Cum Verbo Diuino quod eſt Incarnatum, eſt idem Eſſentia Diuina, & hæc eadem eſt in Patre & Spiritu S. cur igitur non dicimus Patrem & Spiritum S. eſſe Incarnatum? *Reſpondeo* id eſſe in cauſa; quia Eſſentia Diuina per ſe non eſt incar-

Solutio ob.

eſt Incarnata ſed Perſona Verbi, eademque ſua proprietate perſonali terminauit naturam aſſumptam, v. Filiatione qua realiter à Patre diſtinguitur. vnde quia Pater ſua proprietate perſonali nec item Spirit⁹ S. terminarũt naturam aſſumptam, ideo non dicuntur Incarnari.

Pater & Spiritus S. non ſunt incarnati. *Nota.* Abſolutè nullo modo cõcedere debemus Patrem & Spiritũ S. eſſe Incarnatos.

Obiectio. *Sed dices* Atqui natura Diuina quæ eſt Patris & Spiritus S. eſt Incarnata.

Reſponſio ad eam. *Dico* cum Marſil. nos ſic debere loqui: *Ens quod eſt Pater*, ſeu *res quæ eſt Pater eſt Incarnata.* id enim quod eſt Pater ſeu res quæ eſt Pater, eſt ipſa Eſſentia Diuina, quam ratione Verbi eſſe Incarnatam non negamus. Tenendum itaq; ſolum Filium eſſe Incarnatum, ſiquidem primò & per ſe per ſuam perſonalem ſubſiſtentiã non autem per Eſſentiam Diuinam, niſi ſecundariò quæ eſt communis Perſonis Diuinis, aſſumpſit & terminauit naturam humanam.

QVÆSITVM III.

An abſtracta perſonalitate per intellectum natura Diuina poſsit aſsumere?

De quali abſtractione hic loquamur. 13. NOto primò. nos hic loqui de abſtractione quæ ſit ſimplicis intelligentiæ, cùm v. vnum ſine alio concipimus. & quãdoque id quod ab alio abſtrahitur, differt ab illo realiter, vt cùm albedinem à ſubiecto à quo ſecundùm rem diſtinguitur ſeparamus. Quandoque etiam id quod abſtrahitur, differt ſecundùm rationem cum fundamento in re, & ſic gen⁹ à ſpecie, & animal ab homine abſtrahitur. Quandoque etiam eorum fit abſtractio, quæ ſecundùm rationem diſtinguuntur. & nullum habent fundamentum in re, vt cùm vnum attributum Diuinum ſine alio concipimus, vt miſericordiam ſine ſapientia, & hæc à parte rei nullo modo diſtinguuntur, vnde eſt diſtinctio penes intellectum. *Et ratio eſt.* Quia intellectus creatus cùm infinitam Dei perfectionem propter ſummam illius ſimplicitatem & eminentiam non poſſit vno conceptu concipere, ideo debet multiplicare conceptus. & hoc vltimo modo ſumitur hic abſtractio.

14. *Noto ſecundò.* Quæſiti duplex eſt ſenſus: *primus* abſtracta per intellectum perſonalitate à Deo, iam Deus non eſſet tres Perſonæ ſed vna tantùm, quemadmodum Iudæi & cum his Ethnici ſunt opinati, & in hoc ſenſu videtur D. Th. determinare hoc Quæſitum hic art. 3. nã ad 2. dicit: quòd circumſcriptis perſonalitatibus per intellectum remanebit in intellectu vna perſonalitas Dei vt Iudæi intelligunt. *Alter eſt ſenſus.* An abſtractis perſonalitatibus non à Deo ſed à myſterio Incarnationis, an ſi perſona immediatè non Senſus Quæſiti.

tè non aſſumeret, an natura aſſumeret immediatè, & in hoc altero ſenſu determinabitur.

Noto tertiò ex materia de Trinitate, in Diuinis præter tres ſubſiſtentias relatiuas ſeu perſonales inueniri quandam ſubſiſtentiam abſolutam & Eſſentialem, communem tribus perſonis quæ ſola ratione ratiotinata à ſubſiſtentiis perſonalibus diſtinguitur, & ſic excluſis per intellectum ſubſiſtentiis relatiuis trium Perſonarum ad huc Natura Diuina haberet ſuam ſubſiſtentiam abſolutam.

Opiniones circa quæſtionem. *Noto quartò.* Quo ad opiniones Capreol. *in 3 diſt 1.* negat poſſe fieri à natura Diuina vt ſic circumſcripta aſſumptionem naturæ humanæ. Idem aſſerit Victoria. Alexander Aleſis *in 3. parte quæſt. 2.* D. Bonau. *in 3. diſt. 1. quæſt. 1.* Caiet. tenet fieri poſſe & in eo caſu quælibet Perſona eſſet homo. Durand. inter has ſententias mediat, dicit enim hoc poſſe fieri ſed addit quòd Pater & Spiritus S. non eſſent homo, niſi cum addito in quantum Deus. His notatis.

Concluſio. 15. Dico ad Quæſitum concluſiuè. *circumſcriptis perſonalitatibus per intellectum ab Eſſentia Diuina, adhuc hæc ipſa Eſſẽtia Diuina ſua abſoluta ſubſiſtẽtia poſſet & aſſumere & terminare naturam humanam.* Ita ſentiunt Scotus *in 3. diſt. 1. quæſt. 1. & 2.* Richardus *quæſt. 4.* Occam *quæſt. 1.* Gabriel *ibidem.* PROBATVR. Abſtractis perſonalitatibus adhuc manet omnipotentia in Deo, per quam Incarnatio eſt facta, nam dicit D. Aug. in epiſt. 3. ad Voluſianum *In myſterio Incarnationis tota ratio facti, eſt omnipotentia facientis.* Sed hæc omnipotentia facientis circumſcriptis perſonalitatibus manet in Eſſentia Diuina. ergo Eſſentia Diuina poterit ſibi copulare naturam humanam.

Ratio ſecunda. In operibus creationis conſeruationis quæ ſunt opera ad extra HIC DEVS immediatè & creat, & conſeruat, & prouidet, Perſonæ autem ſecundariò. ergo etiam HIC DEVS poterit immediatè aſſumere naturam humanam; Perſonæ autem Diuinæ ſecundariò. *Conſequentia.* Quia Incarnatio eſt opus Dei ad extra.

Ratio tertia. HIC DEVS habet requiſita neceſſaria ad naturam creatam aſſumendam quia eſt per ſe ſubſiſtens & infinitæ perfectionis atq; etiam virtutis. ergo poterit aſſumere. *Sequela* Nam ſua ſubſiſtentiâ abſoluta eademque infinita poterit naturam aſſumptã terminare.

16. Addo contra Durand. quòd in eo caſu ſine additamento quælibet Perſona eſſet homo. *Probatur* euidenter ratione Scoti. Si albedo eſſet in ſuperficie, & ſuperficies eſſet in Petro & in Paulo ſine dubio quòd vterque illorum eſſet albus. Idem dicendum. quòd ſi humanitas eſt in natura Diuina, & natura Diuina eſt in qualibet perſona. ergo euidens eſt quòd quælibet Perſona eſſet homo. Contra Durandum.

Nota quemadmodum extra hunc caſum profitemur vnam Deitatis naturam eſſe communẽ tribus Perſonis: ita in hoc caſu vna natura Deitatis eſſet communis quoque tribus perſonis. nam eſſentialia ſunt communia omnibus perſonis. In eodem caſu omnes tres Perſonæ eſſent vnus homo. *Probatur* Si enim ideo tres Perſonæ ſunt vnus Deus quia habent vnam Deitatem. ergo per

per eandem rationem omnes tres perſonæ erunt vnus homo, quia omnes habent eandem humanitatem: in eodem caſu hic *homo* non eſſet perſona completa ſiquidẽ eſſet communis tribus Perſonis.

Corollariũ. *Ex quo Collige*, quòd hæc vnio & Incarnatio eſſet alterius rationis ab hac vnione quæ iam facta eſt, nam hæc facta eſt ad *Eſſe* ſubſiſtens incõmunicabiliter, quia immediatè ad Perſonam Verbi, illa autem eſſet ad *Eſſe* ſubſiſtens cõmunicabiliter quia ad naturam Diuinam quæ eſt communis tribus Perſonis.

Obiectio. 17. *Sed dices*. Hoc Quæſitum inutiliter proponi, ſiquidem quandã fictionem importat. *Reſpondeo* fuiſſe neceſſarium ad plenam cognitionẽ huius myſterij, ſi enim D. Th. diligentiſſimè de Perſona Diuina inquirit. *An vna ſine alia poſsit aſſumere* Et *An quælibet poſſit aſſumere*: Et *An omnes poſſint aſſumere*? reſtabat vt cum etiam Eſſentia Diuina ad Incarnationem concurrat, vt inquireret. *An Eſſentia ratione perſonæ aſſumat, & An etiam aſſumat vt ſeparata à tribus perſonis*, & ideo inutiliter nõ proponitur (Quæ neceſſitas huius appoſiti Quæſiti.)

Obiectio 2. *Obiicies ſecundò*. Aſſumere naturã humanam eſt proprium perſonæ incommunicabiliter ſubſiſtentis. Sed hic Deus ſeu Eſſentia Diuina ſeparata à tribus Perſonis, non ſubſiſtit incommunicabiliter. Ergo illi aſſumere non conuenit. *Reſpondeo*. Ad hoc vt poſſit aliquid aſſumere & terminare naturam aſſumptam, ſufficit vt ſit per ſe ſubſiſtens, & illa ſua ſubſiſtentia vt naturam aſſumptam terminare poſſit, nec requiritur vt ſit ſubſiſtens communicabiliter aut incommunicabiliter. (Solutio eius.)

18. *Obiicies tertiò*. Aſſumere naturam humanam dicitur mitti. Sed Diuina natura non poteſt mitti, nam miſſio in Diuinis vt habetur in *1. p. quæſt. 43. art.* 4. importat proceſſionem ab alio, vnde Patri non competit miſſio, quia non competit procedere ab alio. Ergo ſi naturæ Diuinæ non conuenit miſſio, neque cõueniet aſſumptio. Obiectio 3.

Reſpõſio ad eam. *Reſpondeo*. cum D. Th. *ex 3. diſt. 5. q. 2. art. 3. ad 3.* quòd miſſio non eſt de neceſſitate incarnationis ſimpliciter, ſed de neceſſitate incarnationis Filii vel Spiritus Sancti, ſi fuiſſet incarnatus, Pater enim potuit incarnari qui tamen non potuit mitti vt docet Magiſter in 3. diſt.

19. *Obiicies quartò*. Impoſſibile eſt quòd Eſſentia Diuina terminet viſionem beatificam abſque Perſonis Diuinis, aut quòd vna perſona videatur ſine alia. Ergo ſimiliter impoſſibile quòd Eſſentia Diuina aſſumat naturam humanam ſine Perſonis Diuinis, ſiquidem vnio hypoſtatica longè eſt perfectior quàm viſio beatifica. Obiectio 4

Reſponſio ad eam. *Reſpondeo*. Ideo Viſio beatifica Eſſentiæ Diuinæ ſine Perſonis Diuinis eſſe nequit, quia Eſſentia Diuina & omnia illa quæ ſunt formaliter in Deo ſub vna ſimpliciſſima ratione ſummi boni aut ſummi veri beatificant intellectum beati. Vnde fieri non poteſt vt videat Eſſentiam & eadem opera vt non videat Perſonas, quæ ſunt formaliter in Deo. Sed ſi Eſſentia Diuina aſſumeret naturam humanam, vt ſeparatam à tribus perſonis, tunc eandem terminaret ſuâ abſolutâ ſubſiſtentiâ. Per ſonis autem ſolùm conueniret terminare

minare ſubſiſtentia] ſua relatiua ſeu perſonali vt videmus ſubſiſtentiam Verbi naturam humanam in Chriſto terminare. Vnde ex eo quòd natura Diuina vniret ſibi ſua abſoluta ſubſiſtentia naturam humanam, nō ſequeretur quòd in tali caſu etiam immediatè, hoc eſt etiamſi perſonæ ſuis ſubſiſtentiis relatiuis non terminarent eandem, fieret vnio.

QVÆSITVM IV. V. VI.

An vna perſona ſine alia poſſit aſſumere? *Et* An quælibet poſsit aſſumere? *Et* An plures eandem numero naturam poſsint aſſumere?

Vna Perſona ſine alia poteſt aſſumere.

20. QVantum ad quartū Quæſitum, Dico affirmatiuè *Quòd vna Perſona ſine alia poſſit aſſumere*. PROBATVR. Duo ſunt proprer quæ alicui aſſumptio competit Principium effectiuum aſſumptionis, & quòd terminare poſſit. Sed vtrumque eſt commune tribus perſonis. ergo quælibet Perſona aſſumere poteſt. *Minor* Principium effectiuum procedit ex virtute Diuina. Sed hæc Diuina virtus eſt in qualibet perſona. ergo aſſumere cuilibet conueniet. Et Eſſe terminum ita conuenit cuilibet perſonæ quòd ſecundùm illam rationem non conueniat alteri. Sed perſonalitas conuenit omnibus perſonis, at hæc nō eſt eadem in omnibus, nam in Filiò eſt Filiatio, in Patre eſt Paternitas in Spiritu S. eſt ſpiratio paſſiua. Ergo vna ſine alia poterit terminare. *Confirmatur*. De fide eſt, & ex Sacra Scriptura colligimus, quòd Filius ſit Incarnatus, & non Pater, nec Spiritus S. Ergo vna perſona ſine alia Incarnari poteſt.

21. Sed Gabriel in 3. diſt 1. ne- Obiectio Gabrielis. ctit hic talem difficultatem. *Incarnatio eſt opus ad extra, & eſt communis tribus Perſonis, quia omnes tres Perſonæ operatæ ſunt Incarnationem, cur igitur ſicut operari ſic & terminare illū non conueniat?* & dicit hoc excedere intellectionem. *Reſpondeo* ideo terminare Solutio eiuſdem. non conuenit tribus perſonis, quāuis tres Incarnationem ſunt operatæ, quia operari non eſt terminare vt in 1 Quæſ. huius Diſput. oſtendimus. *Tum* ideo quælibet Perſona non terminat, quia quamuis ad terminandum naturam aſſumptam requiratur perſonalitas: tamen hæc omnium trium perſonarum non eſt eadem cum inter ſe realiter diſtinguantur, vnde poteſt vna ſine alia terminare. Quòd communiter à Theologis declaratur exemplo trium virorum, qui vnum de medio ſui veſtiunt, & omnes quidem effectiuè veſtiunt, vnus tamen eſt veſtitus. Idem hic accidit. omnes Perſonæ Diuinæ operantur Incarnationem, ſed vna perſona Filii & ſola induitur carne humana.

Quantum

Qualibet Perſona Diuina poteſt abſolutè naturam creatam aſſumere.

22. Quantum ad quintum Quæſitum dico. *Qualibet Perſona Diuina poteſt abſolutè naturam creatam aßumere idq́; ſiue Aßumptio conſideretur actiuè ſiue terminatiuè* PROBATVR. Si enim ſumatur Aſſumptio actiuè ſeu in ratione pricipii, ſic eſt communis tribus pſonis; quia omnes perſonæ Diuinæ vnam eandemque virtutem & potentiam æqualiter ſibi vendicant, vt D. Athan. dicit, *In hac Trinitate nihil maius aut minus ſed omnes tres Perſonæ ſunt ſibi coæternæ & coæquales.* Si verò Aſſumptio ſumatur ratione termini, etiam ſic ratio terminandi cuilibet Perſonæ conueniet, nam ratio terminandi conuenit illi quòd habet ſubſiſtentiam relatiuam, eandemq́ue infinitam. Sed hæc non minus eſt in Patre & Spiritu S. quã in Filio quia quælibet Diuinarum Perſonarum habet ſuam propriam & infinitam ſubſiſtentiam relatiuã.

Obiectio;

Obiicies Si Pater incarnaretur. Ergo eſſet Virginis filius, quod Patri repugnat, cum ſit principium ſine principio. *Tum* quia illius notio eſt innaſcibilitas. *Reſpondeo.* In hoc caſu ſi Pater incarnaretur eſſet aſſumptio naturæ humanæ, non in quantum producta eſt ex Beata Virgine ſed in quantum eſſet ex nihilo. *Tum* Innaſcibilitas eſt propria Patri quo ad generationem æternam, nam ad intra repugnat Patri vt ſit Filius; ſed quo ad generationem temporalem, & quoad extra, generatio non repugnaret Patri.

Ei[9] ſolutio.

Tres Perſonæ Diuinæ poſſunt eãdem numero humanitatẽ aſſumere.

23. Quantum ad ſextum Quæſitum dico. *Quòd tres Perſonæ Diuinæ poßunt eandem numero humanitatem aßumere.* PROBATVR. Tres perſonæ Diuinæ ſubſiſtunt in vna numero natura Diuina Ergo etiam in vna numero humanitate ſubſiſtere poterunt.

Ratio ſecunda. Ex vnione animæ & corporis in Chriſto non fit noua perſona ſed fit vna natura quæ aſſumitur in perſonam Verbi, & hoc nõ fit per potentiam naturæ humanæ, ſed per potentiam Perſonæ Diuinæ Sed Diuinarum Perſonarum ea eſt conditio quòd vna aliam à communione eiuſdem naturæ non excludit, ſed ſolùm à communione eiuſdem Perſonæ. Ergo per potentiam Diuinam fieri poterit vt tres Perſonæ Diuinæ communicent in eadem natura humana aſſumpta.

Cum igitur conſtet quòd tres Perſonæ poſſint aſſumere vnam naturam creatam, dubium eſt de modo quo aſſumant? Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 2 Rich eadem diſtin. art. 1. quæſt. 4. dicit. *Quòd hæc vnio fieret remotè per communem & abſolutam ſubſiſtentiam non autem proximè, hoc eſt non per ſuas proprias relatiuas, perſonales ſubſiſtentias.*

Natura humana eadẽ numero poteſt à tribus perſonis aſſumi.

24. *Secunda eſt ſententia D Th. hic art. 6. Durandi Marſil. Gabrielis.* Pro qua concludimus. *Quòd natura humana eadem numero poteſt à tribus perſonis per ſuas proprias & diſtinctas ſubſiſtentias aßumi & terminari.* PROBATVR. Quia in myſterio adorandæ Trinitatis eãdem numero Eſſentiam Diuinam tres Perſonæ Diuinæ immediatè ſuis ſubſiſtentiis relatiuis terminant. Ergo etiam hoc in myſterio Incarnationis concedendum, quòd eandẽ numero humanitatem poſſint terminare. *Deinde* Quia in ſingulis perſonis eſt æqualis poteſtas ad agendum eademque infinita. Ergo poſſũt aſſumere eandem numero naturam. *Præterea.* Quia non repugnat ex parte natu

te naturæ aſſumptæ, quia ſicut vna numero natura Diuina terminatur hypoſtaticè à tribus Perſonis. Ergo ſeruata proportione ſi ita Deo placuerit, poterunt eãdem numero naturam creatam terminare.

Confirmatur Nam iſta aſſumptio naturæ humanæ à tribus Perſonis non fieret ſecundùm potentiam naturalem ipſius naturæ, ſed ſecundũ potentiam illius obedientialem, ſecundùm quam omnipotentia Diuina operatur, quicquid illi viſum fuerit, modo nulla ſit implicatio contradictionis. Sed hic nulla implicatio, vt poſtea ad argumẽta dicemus. *Item* poteſt Deus per miraculum, vnum numero corpus in diſtinctis locis ponere, & idem numero accidens in diuerſis ſubiectis. Ergo etiã poterit eandem numero naturam ponere in diuerſis & diſtinctis ſuppoſitis.

Obiectio. 25. *Obiicies*. Sequi contradictionem, quia tunc illa humanitas à pluribus Perſonis aſſumpta, eſſet vna numero reſpectu ſui, & non eſſet vna ſed multiplex, quia eſt in pluribus ſuppoſitis realiter diſtinctis.

Reſpondeo Vnitas aut diſtinctio numerica alicuius eſſentiæ non debet ſumi ab vnitate aut à diſtinctione ſuppoſitorum. *Ratio prima*. Quia in myſterio Incarnationis ſunt duæ naturæ numero & realiter differentes v. Diuina & humana, & vtriuſque vnica eſt ſubſiſtentia perſonæ Verbi. *Ratio ſecunda*. Quia vnitas numerica ſumitur ex intrinſecis principiis eſſentialiter illam ipſam naturã conſtituentibus, hypoſtaſis autem eſt quidam modus naturæ. *Ratio tertia* Eadem numero natura humana manere poteſt etiamſi ſubſiſtentia mutetur, nam ſi humanitas aſſumpta à Verbo ab illi⁹ ſubſiſtentia perſonali dimitteretur, illa ſic dimiſſa in ſuam naturalem ſubſiſtentiam ſe explicaret, & ſic ab illa terminata, eſſet eadem numero, quæ fuit in Verbo, vnde vnitas numerica naturæ aut diſtinctio, ex ſuppoſitis non eſt petenda.

Solutio eiuſdem.

Obiectio 2. 26. *Obiicies 2*. Quòd Diuina natura ſit in trib⁹ Perſonis, hoc ideo accidit quia eſt infinita. Sed natura humana non eſt infinita. Ergo vna numero in tribus perſonis non poterit eſſe. *Reſpondeo*. Quemadmodum virtuti infinitæ naturæ Diuinæ tribuimus quòd ſit communicata tribus Perſonis: ita quoque quòd natura humana eadem numero ſit in pluribus Perſonis Diuinis, non infinitati naturæ humanæ, ſed infinitati virtutis Diuinæ hoc operantis damus.

Reſponſio ad eam.

Obiectio 3. *Obiicies 3*. Vnum accidens non poteſt eſſe in pluribus ſubiectis. Ergo nec vna natura in pluribus perſonis. *Conſequentia*. Vt enim quodlibet accidens ex ſua natura determinatur ad vnum ſubiectum, ita & quælibet natura ad vnum ſuppoſitum. *Reſpondeo* negando antecedens. quia in Sacramento Euchariſtiæ accidẽtia ſunt ſine ſubiecto, & hæc ante prolata verba conſecrationis erant in ſubiecto; & hæc eadem in alio ſubiecto per omnipotentiam Dei collocari poſſunt, nam non eſt quod impedire poſſit virtutem omnipotentem Dei.

Solutio ei⁹ prima.

Solutio 2. *Reſpondeo ſecundò* negando conſequentiam. Quia accidens ex ſuo proprio ſubiecto indiuiduatur, vnde ſi ſint duo ſubiecta non erit vnũ accidens ſed duo, iam autem natu-

ra ſeu

ra ſeu humanitas non indiuiduatur ex ſuppoſito, ſed (vt iam dictũ) ex principiis eſſentialibus conſtituentibus eandem naturam vnde humanitas quæ eſt in Chriſto à Verbo aſſumpta eadem eſſet numero etiamſi non fuiſſet aſſumpta.

Obiectio 4. 27. *Obiicies* 4. Nullus effectus poteſt ſimul dependere totaliter à pluribus cauſis eſſentialibus. Sed ſi humanitas aſſumeretur à tribus Perſonis Diuinis, ab vnaquaque illarũ totaliter dependeret. Ergo non poteſt à pluribus aſſumi.

Solutio eius. *Reſpondeo* & dico quòd Gabriel in 3. diſt. 1. quæſt. 2. reſoluit dicens. Non eſſe abſurdum quòd vnus effectus totaliter à pluribus cauſis producatur, & ab illis dependeat. nam duo Angeli poſſunt ſic mouere cælum, vt iam mouetur, & idem numero calor, & à ſole & ab igne totaliter produci poteſt.

Inſtantia. *Sed dices.* Hæc exempla ſolùm cõcludere pro illis effectibus, qui à cauſis ſibi ſubordinatis procedunt.

Sed contra dicit Gabriel. Si cauſæ naturales eædemque ſibi ſubordinatæ poſſunt totaliter eundem effectũ producere. Ergo multò magis Perſonæ Diuinæ quæ ſunt infinitæ virtutis poterunt eundem effectum numero efficere.

Sed hæc reſponſio Gabrielis patitur inſtantias ob quas ſubſiſtere nequit. *Prima* Id enim quod ab aliqua cauſa totaliter dependet in vno genere, nullo modo in eodem genere dependere poteſt ab alia, & ab illa poteſt aliquid accipere, nam aliàs illa cauſa totalis non eſſet integra in ſuo genere, vnde nec totalis.

Inſtantia 2. 28. *Secunda inſtantia.* Dependere ab alio, eſt altero indigere. ſed fieri nequit, vt idem effectus à pluribus etiam eiuſdem ordinis cauſis totaliter & adæquatè dependeat. quia ſi totaliter eſt ab vna. ergo eſt perfectè. ergo per illam ſufficienter exſiſtit. ergo impoſſibile eſt, vt alterâ cauſâ indigeat.

Vnde potiùs dicendum cum Caiet. quòd in hoc caſu, ſi tres Perſonæ aſſumerent vnam naturam, non eſſet dependentia cauſalis, ſed dependentia in genere terminandi, nã terminare (vt ſupra diximus) non eſt agere, nec terminari eſt fieri.

Vnde Scoti argumentum concludit de dependentia cauſali, nã de hac verum eſt, quòd dependentia cauſalis ponit in cauſato effectu indigentiam, & ſi hæc per vnam cauſam totaliter eſt ablata, iam aliâ cauſâ non indigebit, vnde ab ea non dependebit. Scoti argumentum.

29. *Obijcies quintò.* Si natura humana haberet ſuam propriam perſonalitatem, Verbum Dei non aſſumeret illam. Ergo etiamſi humanitas eſt terminata à Perſona Verbi, Pater æternus eandem aſſumere nõ poterit. *Conſequentia.* Nam in Chriſto natura humana longè perfectiꝰ eſt terminata perſonalitate Verbi, quàm ſi ſua propria eſſet terminata. Obiectio 4.

Reſpondeo. Ideo Perſona humanitatis nõ poteſt aſſumi à Verbo, quia eſt propria intrinſeca, & naturalis terminans ipſam naturam, vnde eſt prorſus inaſſumptibilis, ſed perſonalitas Diuina eſt extrinſeca naturæ humanæ, & ideo ab alia Perſona Diuina poteſt aſſumi, non obſtante quòd ab alia ſit aſſumpta. Eiuſdem ſolutio.

Nota. quamuis humanitas ſemel ab vna perſona aſſumpta non indigeat alia aſſumptione, retinet tamẽ obedien-

obedientiam & capacitatem, vt ab alijs duabus adhuc aſſumi poſſit, vnde quamuis in ea non ſit indigẽtia, eſt tamen capacitas, & quamuis non ſit potentia Phyſica, eſt tamen obedientialis.

Obiectio 6. 30. *Deniq; obijcies.* Impoſſibile eſt vt ſi natura creata habeat ſuã propriam hypoſtaſim, vt alienã acquirat, & ab illa terminetur. Ergo etiam impoſſibile erit, vt humanitas ſemel ab vna Perſona Diuina aſſumpta, iterum ab alia terminetur.

Reſponſio ad eam. *Reſpondeo.* eſſe diuerſitatem inter duas perſonas, quarum vna eſt propria, & altera aliena, & inter duas perſonas quarum vtraq; eſt aliena. Nam ſi natura humana ſubſiſteret & per ſuam propriam ſubſiſtentiam & per alienam, v. Verbi, iam aperta eſſet contradictio, nam eſſet per ſe, & non eſſet per ſe, eſſet in alio, & nõ eſſet in alio Si enim habet propriã ſubſiſtentiam, iam eſt per ſe, & non in alio, & ſi ſimul habet alienam ſubſiſtentiam, ſcilicet Verbi, iam non eſſet per ſe ſed eſſet in alio. Iam verò quando' dicimus, quòd natura humana terminatur ſubſiſtẽtia Verbi & etiam ſubſiſtentiã aliarum Perſonarum Diuinarum nulla eſſet cõtradictio, nam natura humana ſẽper diceretur eſſe in alio.

In caſu ſi tres perſonæ aſſumerẽt vnã numero humanitatem an eſſent plures homines an verò vnus homo? 31. *Sed quæres.* In hoc caſu ſi tres Perſonæ aſſumerent vnam numero humanitatem, an eſſent plures homines? an verò vnus homo? *Reſpõdeo.* Marſil. tenet, quòd eſſent plures homines. dicit D. Th. hic art. 6. ad 2. *Sicut Diuina natura habet naturalem vnitatem cum ſingulis perſonis ita natura humana haberet vnitatẽ cũ ſingulis etiã perſonis per aſumptionem.* vnde diceretur *vnus homo.* PROBATVR Eſſentia Diuina ponitur in tribus Perſonis, ex eo tamen non colligimus eſſe tres Deos, ſed vnum. Ergo pari ratione quamuis vna humanitas ponatur in tribus perſonis, vnus etiã erit homo & non plures.

Ratio ſecunda. Vna numero vis ſpiratiua ponitur in Patre & in Filio, nam non dicimus eſſe duos ſpiratores ſed vnum. Ergo ſimiliter in pluribus perſonis vna numero humanitas erit vnus homo.

Ratio tertia. Ad multiplicationẽ nominis ſubſtantiui nõ ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum, ſed etiam requiritur multiplicatio formarũ. ſed in hoc caſu eſt quidem multiplicatio ſuppoſitorum, quia plures perſonæ aſſumunt: ſed non eſt multiplicatio formarum, quia eſt eadẽ numero humanitas. Ergo non plures homines ſed vnus erit.

Media videtur dicere, *quòd ſimpliciter ſint plures homines, ſecundùm quid autem eſſent vnus homo, in quantùm habent naturam humanam.* videri poteſt in 3. p. q. 3. art. 6. in dubio circa 3. Concluſionem.

QVÆSITVM VII.

An vna Perſona Diuina poſſit aſſumere duas naturas humanas?

Dico

32. DIco affirmatiuè ex ſententia S. Doctoris *quòd poſſit.* PROBATVR. Eadem eſt potẽtia Patris & Filij ſed Pater poſt Incarnationem Filij poteſt aſſumere aliam numero naturam humanã ab illa quam Filius aſſumpſit, nam per Incarnationem Filij, in nullo eſt diminuta poteſtas Patris. Ergo & Filius præter aſſumptam naturam poterit aliam numero aſſumere. *Deinde* id, quòd poteſt in vnum, & non poteſt in aliud, habet limitatam potentiam. ſed ſi Filius poſſet vnam aſſumere naturam humanam, & nõ poſſet aliam numero, iam eſſet limitatæ potentiæ, quòd dici non debet. *Præterea.* Perſona Diuina quæ eſt terminus aſſumptionis naturæ aſſumptæ, eſt infinita. Ergo præter aſſumptam poterit aliam numero terminare.

Perſona Diuina quæ habet duas naturas humanas an ſit vnus homo an vero plures

33. *Sed quæres.* Hæc Perſona Diuina quæ habet duas naturas humanas: *An ſit vnus homo an plures? Reſpondeo* quòd vnus homo, cum addito *habens duas naturas.* PROBATVR. Forma non poteſt dici pluraliter niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum. ſed in hoc caſu non ſunt plura ſuppoſita, ſed vnum Verbi. Ergo non erunt plures homines, ſed vnus cum additamento tamen habens duas naturas.

Declaratio huius.

Confirmatur hoc euidentiùs. Concreta non ſolent pluraliter efferri nec ſubſtãtiuè nec adiectiuè, niſi ſimul & plures fuerint formæ & plura ſuppoſita. *Declaratur.* Si ſit vnus homo qui multorum artificiorum notitiam habeat, ille homo non dicetur plures artifices, licet ſint in eo plures formæ, v. plura artificia, ſed vnus artifex, quia vnum ſuppoſitũ. *Similiter* idem homo qui habet plures ſeruos, non dicetur plures Domini ſed vnus dominus. Aut ſi Rex habeat plura regna, non dicitur plures, ſed vnus Rex. & Pater habens plures filios, non dicitur plures ſed vnus Pater. *Similiter* quamuis vnus homo habeat plures veſtes, non dicitur plures veſtiti ſed vnus veſtitus. *Demum* ille homo qui habet multarum ſcientiarum peritiam, non dicitur plures docti, ſed vnus doctus. Ergo ad hoc vt aliqua dicantur pluraliter concreta ſiue adiectiuè ſiue ſubſtãtiuè, requiritur pluralitas ſimul & formæ & compoſiti. Atqui in hoc caſu ſi vna perſona aſſumeret duas naturas, eſſent quidem plures formæ, quia duæ humanitates numero differentes, ſed quia vna perſona, idcirco dicemus quòd ſit vnus homo.

34. *Ratio ſecunda.* Si Deus in vno ſubiecto per miraculum poneret tres albedines, illud ſubiectum non diceretur tria alba ſed vnum, quia vnum ſuppoſitum.

Ratio tertia. In myſterio Incarnationis v. in Chriſto ſunt duæ naturæ Diuina & humana realiter inter ſe diſtinctæ, & tamen Chriſtus nõ dicitur plures, quamuis in eo ſint plures naturæ, ſed dicitur vnus, quia vna perſona eademq; ſimpliciſſima.

Inſtabis. Si in Perſona Diuina eſſent duæ humanitates numero diſtinctæ, & dicerentur vnus homo, tunc dato caſu quòd ab vna humanitate ſepararetur anima, tunc ille homo eſſet mortuus, & quia in alia eſſet anima, tunc diceretur viuus, & ſic eſſet & viuus & mortuus idem homo quod eſt abſurdum. *Reſpondeo.* Obiectio. Ei⁹ ſolutio.

Hoc ab-

Hoc abſurdum illatum eſſe conceſſibile. *Ratio.* Quia in illo triduo quo Chriſtus eſt mortuus, Filius Dei dicebatur viuus & mortuus: viuus ſecundùm Diuinitatem, mortuus ſecundùm humanitatem, & ſic in caſu dato *Iſte homo.* qui eſt vnus, ſed habens duas humanitates, ſecũdùm vnam viueret, & ſecundùm aliam mortuus eſſet.

QVÆSITVM VIII.

An magis conueniens erat, quòd Perſona Filij aſsumeret naturam humanam, quàm alia Perſona Diuina?

Quare magis conueniés erat Filium Dei incarnari quã Patrem aut Spiritum S

35. RESpondeo ad Quæſitum. *Magis conueniens erat Filium Dei incarnari, quàm Patrem aut Spiritum S.* PROBATVR. In myſterio Incarnationis relucent duo attributa Diuina: *primò* ſapientia, quæ difficillimi pretij conuenientiſſimã ſolutionem inuenit. *ſecundò* virtus Diuina, quæ victum victorem fecit. ſed ſapientia & virtus Filio Dei attribuuntur, *1. ad Corinth.1 Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam Dei.* Ergo magis conueniens fuit.

In Myſterio Incarnationis quot & quæ relucẽt

Similia conuenientiſſimè vniuntur.

Ratio ſecunda. Similia conueniẽtiſſimè vniuntur. ſed Perſona Filij, & natura humana habent ſimilitudinem. Ergo conuenientiſſimè vniuntur. *Minor.* Verbum Dei eſt exẽplaris ſimilitudo omnis creaturæ, & per huius ſimilitudinis participationem, creaturæ ſunt productæ in ſuis ſpeciebus, ſed maximè homo qui ad ſimilitudinem Dei eſt factus. ſed quẽadmodum artifex ſicut per formam artis conceptam artificiatum condit, ſic etiam ſi collapſum fuerit reſtaurat: ita & Verbum cum ſit conceptus æternæ ſapientiæ vt homo eſt factus ita collapſus refici debuit. Ergo conueniens vt Verbum incarnaretur.

36. *Præterea.* vt per eum qui eſt Filius Dei naturalis, homines ſimilitudinem huius filiationis participarent ſecundùm adoptionem. *Item* vt ſicut Filius Dei ab æterno eſt ex Patre ſine matre, ita in tempore fieret Filius hominis ex matre ſine Patre. *Item* vt manerent proprietates Diuinarum Perſonarum immobiles & non permiſtæ in ſermone noſtro, ne Patrem qui eſt ingenitus diceremus genitum; ne Spiritũ S. appellaremus Filium. *Item* vt ille incarnaretur cui & mitti & mittere conuenit. ſed talis eſt Perſona Filij, cui à Patre mitti conuenit, nã Pater in Diuinis non dicitur mitti: & Spiritus *S.* à Filio eſt miſſus ad noſtram ſanctificationem, & non dicitur Spiritus S. mittere. ergo cõueniens vt Filius incarnaretur. *Deniq;* vt homo qui inordinatè appetendo ſcientiam peccauit, & à Deo receſſit, per Verbum quod eſt vera ſapientia reduceretur in Deum.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

De modo vnionis ex parte Naturæ aſſumptæ?

Hactenus egimus de Incarnatione ratione Suppoſiti ſeu Perſonæ aſſumẽtis; nunc de Natura aſſumpta dicendum. *primò.* Quoad ipſam naturam *Secundò.* quo ad partes: *tertiò* quo ad ordinem. Nunc agentes de ipſa Natura, tria proponimus.

1. *An ſola natura humana ſit magis aßumptibilis?*
2. *An etiam Perſona fuerit aßumptibilis?*
3. *Qualem naturam aßumpſit?*

QVÆSITVM I.

An ſola natura humana ſit magis quã alia aſſumptibilis?

1. CVm naturæ creatæ ſint quædã Rationales, quædam rationis expertes quædam ſenſibiles, quædam ſine ſenſu; de his omnibus iam inquirendum. Pro determinatione

Sola natura humana fuit aſſumptibilis ad vnionem hypoſtaticam.

Dico primò. *Quòd attendendo ad cõgruentiam, ſola natura humana fuit aßumptibilis ad vnionem hypoſtaticam.* Ita ſentiunt præter D. Th. Mag. Alb. *in 3. diſt. 2. art. 1. & 2.* Alexander Alenſis *in 3. p. q. 2.* D. Bonau. & alii.

Probatur Prouerb. 8. vbi Sapientia ex ore Altiſſimi genita dicit, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* ergo maior congruentia videtur eſſe vnionis Filii Dei cum natura humana, quàm cum alia.

Ratio ſecunda. Quando dicimus aliquam naturam eſſe ſimpliciter aſſumptibilem, oportet conſiderare rationem ex parte ipſius naturæ propter quam potius Perſona Diuina illam ſibi vnire debeat. Sed hæc duplex eſt Dignitas & Neceſſitas & reperitur in natura humana Dignitas quia hæc ipſa natura humana vnita hypoſtaticè perſonæ Verbi cum ſit rationalis, poteſt eleuari ad cognitionem Dei, & ad amorem illius beatificum Neceſſitas verò eſt quia natura humana eſt collapſa, & indiget reparatione, & poteſt reparari. Sed in natura irrationali deeſt dignitas, quia ob defectum rationis non ſunt capaces viſionis beatificæ In Angelis verò præſertim lapſis deeſt neceſſitas, quia cum ſint inflexibiles iam reparari non poſſunt. ergo attendendo ad congruentiam

 incar-

incarnationis ſola natura humana aſſumptibilis erat.

2. Dico ſecundò. *Si loquamur de Potentia Dei abſoluta, potuit Perſona Verbi vnire ſibi angelicam naturam.*

Perſona Verbi quomodo potuit vnire ſibi Angelicam naturam?

Dices Quomodo? *Reſpondeo*. Duobus modis id fieri potuit. *Primò*, quemadmodum Deus humanitatẽ Chriſti produxit ſine illius propria perſonalitate, & eam Perſonæ Verbi vniuit, ita etiam potuit producere naturam Angelicam ſine illius propria perſonalitate vt eam ſibi vniret hypoſtaticè, nam eadem eſt ratio omnipotentiæ Diuinæ reſpectu Angeli, quæ fuit reſpectu hominis, ergo ſi hoc potuit in natura hominis, poterit etiam in Angeli. *Alter modus eſt*. Si Deus per omnipotentiam ſuam deſtrueret perſonam Gabrielis & naturã Perſona Diuina ſuſtentaret. Et hoc vtroque modo: quia hinc nulla implicatio contradictionis ſequitur.

Albert⁹ magnus negat.

HocDictum negat Alb. Mag. qui naturam Angelicam ideo tenet nõ eſſe aſſumptibilem, quia in Angelis ſuppoſitum & natura non diſtinguuntur. Et confirmat Dicto D. Th. *in l p. q. 3. art. 3.* Et *in 4. contra gen cap. 55. ad 4* vbi dicit In ſeparatis à materia nõ diſtingui ſuppoſitũ à natura,

3. Sed in contrarium eſt communis ſententia Dicti & *Probatur* ad Hebr. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ.* In his verbis commendatur beneficium Dei erga homines, vt cum & natura Angelica & humana ſit lapſa, non tamen angelicam ſed naturam humanam apprehendit. Ergo ſignum eſt quòd erat apprehenſibilis angelica natura *Præterea* Ideo natura humana eſt aſſumpta, quia fuit capax gratiæ & gloriæ Sed hoc idem de angelis dicendum quòd ſint vtriusque capaces. ergo illorum natura aſſumptibilis. *deinde* In Angelis eſt diſtinctio ſufficiens per quam ſeparatur natura Angeli à perſona illius. ergo natura ſine perſona potuit aſſumi.

Ad Alberti magni fundamentum reſpondetur.

Vnde ad fundamentum Mag. Alb. dico, quòd ſuppoſitum Angeli realiter diſtinguitur à natura. Et D. Th. in loco allegato non docet contrarium, nam cum dicit in Angelis ſuppoſitum à natura non differre; accipit ſuppoſitum pro indiuiduo, & intendit docere, quòd natura angelica ſeipſa ſit indiuidua & ſingularis, quia non habet materiam per quam indiuiduari poſſit vnde ſeipſa debet indiuiduari. Sed præter principia indiuiduationis & ſingularitatis ſuppoſitum ſeu perſona dicit ſubſiſtentiam & ob hanc diſtinguitur realiter ſuppoſitum à natura. ergo potuit Verbum naturam Angeli aſſumere non aſſumendo perſonam.

Natura creata rationis expers per potentiam Dei abſolutã poterat vniri Deo hypoſtaticè.

4. Dico tertiò. *Etiam natura creata rationis expers per potentiam Dei abſolutam poterat vniri Deo hypoſtaticè.* Contrarium tenent Alex. Alenſis *in 3 p. quæſt. 11. membro 1.* Henricus Gand. *Quodl. 13. quæſt. 5.* Pic. Mirand. *in Apol. prop 4.* PROBATVR Dictũ Greg. Niſs. in *oratione Cathechiſtica* dicit: *Si terreſtrẽ naturam exiſtimas indignam quæ cum Deo connectatur, nulla inuenitur digna.* Et *ratio eſt prima.* In illo triduo quo Chriſtus eſt mortuus, fuit eius corpus vnitum hypoſtaticè Verbo Diuino, & tunc non modo rationis erat expers, ſed etiam vitæ & ſenſus ſiquidem erat cadauer ſanctum. ergo ſicut pro illo triduo potuit ſibi vnire corpus, poterit etiam quodlibet eiusdem rationis ſibi copulare.

Henricus

Henricus reſpondet Ideo in illo triduo fuiſſe mortuum corpus vnitum Verbo hypoſtaticè, quia ordinabatur vt iterum vniretur animæ rationali in reſurrectione.

5. *Sed contra dico.* Quicquid ſit de ordinatione ad animam rationalem hæc per naturam non potuit fieri, nam à morte ad vitam nō eſt regreſſus, ſed ſi quis ordo fuit, ſupernaturalis fuit. & nihilominus in illo triduo erat corpus verè mortuum, & erat verè & actu vnitum Perſonæ Verbi, quia quod ſimul aſſumpſit nunquam dimiſit. Tunc in illo triduo illud corpus inanimatum ſicut erat vnitum Verbo, ita poterat longiùs in eo ſtatu conſeruari, etiā pluribus annis etiam in perpetuum ſi ita Deo placuiſſet.

Ratio ſecunda. Subſiſtentia Verbi eſt infinita. ergo quamlibet naturā aſſumere & terminare poteſt, nam ſi non poſſet niſi ſolam naturam humanam, tunc per illam ſolam comprehenſa & exhauſta fuiſſet, quod eſt falſum.

Ratio tertia. Verbum aſſumpſit hypoſtaticè ſanguinem & alios humores corporis humani. Sed hi non ſunt animati, ex communi ſententia Philoſophorum. ergo naturam inanimatam potuit Verbū aſſumere.

Ratio quarta. Ideo quidam negant potuiſſe Deum aſſumere hypoſtaticè aliquam naturam inanimatam, quòd ſit parum decens, & quòd in aliqua natura ſit indecorum & ignominioſum. Sed hæc imaginatio eſt vana. PROBATVR *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* ergo excepto peccato in nulla creatura eſt aliquid ignominioſum. *Probatur ſecundò* Deus in qualibet re creata etiam in oculis noſtris vili, eſt per Eſſentiam & omnipotentiam, & ex hac coniunctione nihil indignitatis contrahit. ergo neque ex hac contrahet.

6. *Hic notandum cum Caiet.* vitandos eſſe modos dicendi quos Gab. Marſil. Almag. inferunt quòd ſi quæuis natura poſſet hypoſtaticè vniri Deo. ergo & natura aſini, arboris. ergo *Deus eſſet arbor, Deus eſſet aſinus.* aut ſi damnati; aut peccatoris: aut diaboli. ergo ſimiliter dicendū eſſet. Vitandi modi dicendi quos Gabriel & Marſilius inferūt

Dico hos modos dicendi pias aures offendere, vnde illis non vtendum. *Tum* Si Deus aſſumeret diabolum, aut peccatorem aut damnatum, id totum quod eſſet malitiæ aùt peruerſitatis tolleretur ab illa natura hypoſtaticè vnita Deo nam omnino repugnat aliquam naturā vniri hypoſtaticè Verbo, & aliquo peccato eſſe inquinatam, ſiquidem per hoc quòd eſſet vnita, eſſet Deo ſummè grata.

7. *Sed dices.* Hæc natura cum ſit irrationalis, non poteſt habere operationem ſupernaturalem, ſiquidē caret intellectu & voluntate. Obiectio.

Reſpondeo. Quòd ESSE ſupernaturale, non ſemper conſequitur operatio ſupernaturalis intellectus & voluntatis, nam alias omnes potentiæ humanitatis Chriſti fuiſſent eleuatæ ad has operationes ſupernaturales, quod quidem eſt falſum, nam ſanguis Chriſti habet *eſſe* ſupernaturale, & non habet operationem ſupernaturalem. *Demum* Operari, non *Eſſe*, ſed formam conſequitur; vnde id quod eleuatur ad *Eſſe*, non eſt neceſſe vt eleuetur ad operationem. Solutio eiꝰ

8. *Sed quæres.* An materia ſine forma poſſit vniri Deo hypoſtaticè? *Reſpondeo.* Quòd Suarez diſp. 14. ſect. 3. *affirmat* An Materia ſine forma poſſit vniri Deo hypoſtaticè?

affirmat. Sed dicẽdum eſt cum S. Doctore Gaiet. & aliis, *quòd non poſſit vniri hypoſtaticè.* RATIO. Quia materia ſecluſa forma ſubſtantiali eſt pura potentia. Et D. *Thomas l. p. q. 66. art. 1.* in corpore dicit: *Dicere materiam præcedere ſine forma, eſt dicere Ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem. Tum* Perſonalitas Verbi non poteſt per ſe ipſam ſupplere rationem formæ ſubſtantialis, tribuendo illi *eſſe* ſpecificum & determinatum, nam talis forma intrinſecè includit imperfectionem cum ſit pars compoſiti. ergo Deus ſua perſonalitate non poteſt vnire ſibi materiam ſeparatã ab omni forma.

An Accidẽs poſſit vniri Deo hypoſtaticè?

9. *Quæres vltimo.* De Accidente. An hoc vniri poſſit hypoſtaticè? *Reſpondeo* Quod negant Baſs. *in 3. diſt 2. quæſt. 1.* Palat. *quæſt. 1.* Suarez. *diſp. 14. ſect. 4.* Affirmat Gabr. Marſil. Almag. *in 3. diſt. 2.* tum Med. Valent. *Et confirmatur.* Accidens eſt quædam forma quam Deus per ſuam Potentiam abſolutam ſine ſubiecto producere poteſt; & de facto videmus, in Euchariſtiæ Sacramento, conſeruari quantitatem panis ſine pane. ergo deſtructa inexſiſtentia accidentis poterit illi Deus communicare ſuum *eſſe*.

Ratio ſecunda. Subſiſtentia Verbi quæ eſt infinitæ virtutis continet eminẽter omnem perfectionẽ ſubſiſtentiæ creatæ, & eandem poteſt terminare, & de facto terminat cõmunicando illi in Chriſto ſuam perſonalitatem ergo & exſiſtentia Diuina cũ contineat eminenter omnẽ perfectionẽ exſiſtentiæ & inexſiſtẽtiæ creatæ, poterit inexſiſtentiam accidentis ſupplere, & illius dependẽtiam quam habet à ſubſtantia, ita quod accidens immediatè & formaliter exſiſtat per exſiſtẽtiam Diuinã. Sed de hac re videri poſſunt allegati authores.

QVÆSITVM II.
An Filius Dei aſſumpſerit Perſonam?

Natura & Suppoſitũ in omnibus ſubſtantiis creatis quo modo diſtĩguuntur?

10. SVppono primò. Secundùm ſentẽtiã Caietani Med. & aliorum Thomiſtarũ in omnibus ſubſtantiis creatis natura & Suppoſitum diſtinguuntur tanquam includens & incluſum, nam ſuppoſitum includit naturam, & ſupra addit perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam; ſicut videmꝰ diſtingui cõpoſitum à Forma principali tanquam includens & incluſum. Et hoc quidem Suppoſitum ſeu Perſonalitas eſt terminus ſubſtantialis naturæ, illam complens ſiquidem quælibet creata ſubſtantia debet habere terminum ſui completiuum; ſed exſiſtentia nequit eſſe cum ſit ſolùm intrinſeca Deo, creaturis autem eſt extrinſeca. ergo aliquid ſubſtantiale quod ſit complετiuus terminus & connaturalis ipſi naturæ debet ſtatui talis autem eſt perſonalitas.

Diſtinguitur autem Suppoſitum à Natura

Suppoſitum à Natura quomodo diſtiguitur

à Natura *realiter* ſeu tanquam res à re, non eo modo, quòd ſint à ſe inuicem ſeparata ſicut Petrus & Paulus, ſed eo modo quòd vnum dicit quandam Entitatem, quam non dicit aliud, quamuis à ſe inuicem non ſint ſeparata: & ſic communiter dicitur diſtingui Materia à Forma & compoſitum à qualibet ſua parte.

Perſonalitas in quo genere cauſæ eſt effectus naturæ

11. *Suppono ſecundò.* Conuenit inter Theologos quòd Perſonalitas ſit effectus naturæ, ſed dubium eſt in quo genere cauſæ. Med. aſſerit quòd in genere cauſæ materialis, quia natura eſt ſubiectum immediatum ſuſceptiuum perſonalitatis, ſubiectum autem habet rationem materiæ quia vt materia recipit formam, ſic ſubiectum eſt ſuſceptiuũ. Quidam aſſerunt Naturam in eo genere cauſæ producere perſonalitatem in quo producit proprias paſſiones. Sed veriùs Aluarez tenet quòd producat in duplici genere cauſæ. *Primò* In genere cauſæ materialis, quia recipit ſubſiſtentiam ſeu Perſonalitatem. *Secundò* In genere cauſæ formalis, non ſic quemadmodum natura producit proprias paſſiones, quia propria paſſio tribuit nouum *eſſe* naturæ, quamuis accidentale, vt riſibilitas tribuit humanitati quod ſit riſibilis; vnde præſupponit iam naturam completam in *eſſe* ſubſtantiali & reſultat ab illa tanquam effectus diſtinctus & non pertinens ad ſubſtantiã naturæ nec ad complementum illius: ſed ſic in genere cauſæ formalis, ſicut forma producit effectum formalem ſecundarium, nam effectus primarius naturæ ſeu formæ ſubſtantialis eſt dare *Eſſe* Eſſentiæ compoſiti, & hic effectus eſt inſeparabilis à natura. Secundarius effectus eſt ipſa Perſonalitas, per quam formaliter compoſitum ſubſiſtit, & hic effectus eſt ſeparabilis à natura; & ſic videmus in Chriſto humanitatem eſſe ſine perſonalitate propria, nam eſt effectus ſecũdarius, & terminatur perſonalitate Verbi cũ ſuo primario effectu.

Quòd autẽ natura nõ ſolũ in genere cauſæ materialis ꝓducat Perſonalitatẽ, ꝓbatur. Cauſa materialis nõ poteſt ſeipſã explicare in aliquẽ effectũ, nec eũ ꝓducere ſine adiutorio alteri⁹ cauſæ, ſicut materia non recipit formam niſi per actionem agentis cauſæ. Sed dato caſu ſi perſona Verbi dimitteret naturam, illa explicaret ſe in propriam perſonalitatem, non ſolùm in genere cauſæ materialis ſed cum adiutorio cauſæ formalis. His præmiſſis.

12. Dico *quòd Filius Dei aſſumendo naturam humanam, non aſſumpſit perſonam.* Ita D. Auguſt. *lib. de Fide. Deus naturam hominis aſſumpſit non perſonam.*

Filius Dei aſſumendo naturam humanam, non aſſupſit Perſonamè

PROBATVR *primò.* Id quod aſſumitur oportet præintelligi aſſumptioni, ſicut id quod mouetur localiter præintelligitur motui. Sed Perſona nõ præintelligitur aſſumptioni quia habet ſe ſicut terminus aſſũptionis, & ſimul eſt cum ipſa aſſũptione. *Tum* ſi præintelligeretur deberet corrumpi, vt iam ſupra oſtenſum. ergo fruſtra eſſet aſſumpta, aut poſt vnionẽ maneret. ergo duæ eſſent perſonæ, vna aſſumẽs & altera aſſũpta quod dici non debet vt probant ſequentes rationes. Quia de ratione ſuppoſiti eſt ſubſiſtere incommunicabiliter ita quod illi ſit intrinſecum, quod in alio tanquam in ſuppoſito non ſubſiſtat. ergo ſuppoſitum inaſſumptibile. *Deinde* Si propria perſona aſ-

ſona aſſumeretur, eſſet illius natura per ſe ſubſiſtens incõmunicabiliter. & nõ ꝑ ſe ſubſiſtẽs incõmunicabiliter. Similiter eſſet in alio & nõ eſſet in alio quæ ſunt cõtradictoria.

Corollaria duo.

13. *Hinc collige primò.* Impoſſibile eſſe vt natura humana terminata ſua propria perſonalitate aſſumatur à Perſona Verbi manente eadẽ perſonalitate humanitatis, quod implicat contradictionem, nam eſſet per ſe ſubſiſtens incommunicabiliter, & non eſſet vt iam deductũ.

Collige ſecundò. Si ſuppoſitum terminans naturam ſit alienum extrin ſecum, tunc illa natura per illud ſuppoſitum terminata poteſt aſſumi abſque eo quòd illud ſuppoſitũ aſſumatur. *Et ratio eſt.* Quia hoc ſuppoſitum cum ſit extraneum, non habet naturalem & intrinſecam cõnexionem cum natura aſſumpta, & non ſequitur ad illam tanquam illius ſecundarius effectus.

Obiectio.

14. *Sed obiicies ex Damaſc. lib 3. c. 6.* Filium Dei aſſumpſiſſe quidquid in natura noſtra plantauerat. Sed non ſolum naturam humanam ſed etiam perſonam plantauit, nam illius eſt modus ſubſtantialis realis poſitiuus. *Reſpondeo* Verbum Diuinũ id aſſumpſiſſe quicquid in natura humana plantauerat, & erat capax aſſũptionis nec inuoluebat contradictionem; ſed ſuppoſitum ſeu Perſona non eſt capax aſſumptionis, vt iam dictum, vnde non eſt aſſumpta.

Reſponſio ad eam.

An humanitas terminata Perſonalitate Verbi habeat naturalem inclinationẽ ad primam perſonalitatem?

15. *Sed quæres* An humanitas terminata perſonalitate Verbi habeat naturalem inclinationem, ſeu appetitum ad propriam perſonalitatem? *Reſpondeo* Quidã ſentiunt quòd habeat *Ratio illorum.* Omne carens aliquo ſibi debito etiam per miraculum nihilominus ad illud inclinatur; ſicut ignis in fornace Babylonica impeditus virtute Diuina, non cõburebat pueros ad hos tamẽ cõburẽdos naturaliter inclinabatur.

Sed dicimus in oppoſitum, & quidem verius cum Caiet. *Quòd licet humanitas Chriſti ſecundum ſe conſiderata habeat naturalem inclinationem ad ſuam propriam perſonalitatem. tamen conſiderata in quantum terminata eſt perſona Verbi, iam illam amplius non appetit.*

16. Probatvr Perſonalitas Verbi cum ſit increata & infinita, continet id totum quicquid perfectionis eſt in perſonalitate creata, & cõfert illi omnem perfectionem, & quantum ad *Eſſe*, & quantum ad operari vt poterat conferre perſonalitas propria, & ſupra hoc confert modo longè altiori & præſtantiori. ergo illius appetitus ſatiatur. *Item* Materia prima poſt reſurrectionem in corpore beato exſiſtẽs non appetit alias formas, ſiquidem poſſidet formam ſummè perfectam & modo inamiſſibili. *Item* Beatus qui fruitur viſione Diuinitatis non deſiderat naturalem beatitudinem, ſiquidem ſupernaturalis continet in ſe id totum quicquid habere poteſt naturalis. *Item* Si talis forma rerum generabilium dari poſſit quæ in ſe contineret omnem illam perfectionem quæ in formis naturalibus reperiri poſſet profecto ſub tali forma totus appetitus materiæ ſatiaretur qui eſſe poteſt ad formas generabiles.

17. *Adextremum* Si per appetitum humanitas Chriſti inclinaretur ad propriam ſubſiſtentiam, eſſet in perpetuum ſuo illo appetitu fruſtrata, ſiquidem Verbum quod ſemel aſſũpſit non dimittet: & ſic ſubſiſteret in Ver-

in Verbo contra naturalem inclinationem, ergo in eo violenter ſubſiſteret, ſicut ſi lapis ſurſum detineretur, violenter detineretur, quia dum ibi eſt, ſuo loco priuatur, quem naturaliter appetit, & ſic humanitas Chriſti ſi haberet propriam inclinationem ad propriam perſonalitatẽ, illius ſtatus ſub Perſona Verbi eſſet violentus.

QVÆSITVM III.

Qualem naturam humanam aſſumpſit.

An Filius Dei aſſumpſerit hominem?

18. AD Quæſitum reſpondemus reſoluẽdo quatuor Quæſita. *Quæres primò.* An Filius Dei aſſumpſerit hominem? *Reſpondeo ex mente S. Doctoris* Non licere ita loqui vt dicamus *Verbum aſſumpſiſſe hominem* ſed dicendum eſt, quod *aſſumpſit humanitatem ſingularem.* RATIO *Homo* enim eſt nomen concretum, & ex communi & viſitato modo dicendi ſignificat naturam ſubſiſtentem in ſua propria perſona, ſed iam ex ſuperioribus conſtat quòd Verbum non aſſumpſit naturam vt erat terminata ſua propria perſona, ſed vt erat natura ſingularis & indiuidua, vnde non eſt dicendum: *quòd hominem aſſumpſerit*, ſed quod *ſolùm naturam humanam.*

An Filius debuit aſſumere naturam humanã abſtractam ab omnibus indiuiduis?

19. *Quæres ſecundò.* An Filius Dei debuerit aſſumere naturam humanam abſtractam ab omnibus indiuiduis. *Reſpondeo* negatiuè quia talẽ naturã quæ à ſingularib⁹ eſt ſeparata non aſſumpſit Filius Dei. *Probatur*

Natura humana abſtracta dupliciter conſiderari poteſt.

Talis enim natura dupliciter conſiderari poteſt. *Primò* Quaſi per ſe habeat *eſſe*, vt Platonici voluerunt, & hanc non aſſumpſit Verbum; quia non eſt in rerum natura, vnde non potuit à Verbo aſſumi. *Deinde* Quia aſſumptio terminatur ad perſonam incommunicabilem: Sed hæc natura ſic conſiderata eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis. *Præterea* Quia aſſumptio ideo facta eſt vt Filius Dei quaſdã peculiares rationes exerceret p quas mereretur. Sed hæ tales operationes non cõueniũt naturæ in communi. *Deniq;* Quia natura Chriſti humana eſt ſẽſibilis. Sed natura ſic in cõmuni eſt intelligibilis.

Secundò hæc abſtracta humanitas conſiderari poteſt vt eſt in intellectu, & tunc aut eſt in Diuino? & ſic Filius Dei ab æterno naturã humanam aſſumpſiſſet quod eſt falſũ: Aut vt eſt in intellectu humano? & ſic non eſſet realis aſſumptio ſed tãtũ intellectualis, vnde non aſſũpſit ſeparatam naturam ab indiuiduis.

An Verbum debuit aſſumere naturam humanã in omnibus indiuiduis?

20. *Quæres tertiò.* An Verbum debuit aſſumere naturã humanam in omnibus indiuiduis? *Reſpondeo* quòd non debuit aſſumere quia non fuit conueniens. *Tum* quia non debuit tolli multitudo ſuppoſitorũ naturæ humanæ, quæ eſt ei connaturalis, nam ſic ſolùm eſſet vnum ſuppoſitum naturæ humanæ, v. Perſona Verbi aſſumens. *Tum* quia Chriſtus non

eſſet pri-

eſſet primogenitus in multis fratribus, nam ſi; omnium hominum vnum eſſet ſuppoſitum Diuinum, omnes æqualis dignitatis eſſent. *Tum* quia Vnum ſuppoſitum Diuinum eſt incarnatum, ergo conueniens erat vt vnam in indiuiduo naturam humanam aſſumeret. *Tum* quia per aſſumptionem vnius naturæ humanæ ſufficientiſſimè ſalus hominum reparari potuit.

An conueniẽs fuit vt Filius Dei aſſumeret naturam humanam ex ſtirpe Adæ

Quæres quartò. An conueniens fuit vt Filius Dei aſſumeret naturam humanam ex ſtirpe Adæ? *Reſpondeo* Fuiſſe conueniens. quia ſpectabat ad iuſtitiam vt qui peccauit idem ſatisfaceret. Sed ſtirps Adæ peccauit. ergo ex illa ſumi debuit. *deinde* Spectabat ad maiorem hominis dignitatem vt ex illo qui victus erat naſceretur Victor Diaboli. *Item* quia per hoc Dei potentia magis oſtenditur quando de natura corrupta & infirma id aſſumpſit quod ad ſummam virtutem & dignitatem Diuinitatis eſt promotum.

DISPVTATIO V.

De modo vnionis ex parte partiũ naturæ humanæ?

Cum in natura humana ſint duæ primariæ partes Corpus & Anima, ideo duo Quæſita inſtituemus.

1. *An verum corpus aſſumpſit & Sanguinem ſibi hypoſtaticè vniuit?*
2. *An aſſumpſerit veram animam intellectu præditam?*

QVÆSITVM I.

An verum corpus aſſumpſerit: & ſanguinem hypoſtaticè ſibi vniuerit?

1\. VEritas Incarnationis atque etiã corporis Chriſti varias & graues calumnias ab Hæreticis patitur, qui in vnum videntur conſpiraſſe, docendo Chriſtum Dominũ nec carnem veram, nec animam veram ſuſcepiſſe, ſed vmbram & phantaſiam. Talis fuit Saturnin. Anno 80. poſt Chriſtum natum. Valentinian. qui aſſerit quòd corpus de cælo detulit. Marchon. Cerdon. Manichæi Appelles qui aſſerit Chriſtum carnem ex aere formaſſe, & cũ aſcenderet eandem in elementa reſoluiſſe. Contra hæc monſtra Hæreticorum concludendo.

2 Dico *ſecundùm fidem Catholicam firma fide tenendum eſt quòd Filius Dei veram carnem humanam aſſumpſit, eandem vere &.*

verè & realiter quæ habetur in cæteris hominibus. PROBATVR locis ſcripturæ *Verbum caro factum eſt.* Vnde B. Ignatius in epiſtola ad Tralianos dicit *verè aſſumpſit corpus, quia Verbum caro factum eſt* Et Ioan. 20 *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* D. Chryſoſtomus hic dicit *Qui intrauit per oſtia clauſa non erat phãtaſma, non erat ſpiritus, verè corpus erat. dicit enim Reſpicite & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Et Luc 1. *Ecce concipies in vtero & paries filium.* Petrus Chryſol. expendens dicit: *Sufficeret dixiſſe concipies, quid exaggerat,* in vtero? *vt conceptus eſſet veritas & non figura, vt partus eſſet proprietas, non imago: & ſicut de Deo verò ex vtero ante luciferum Deus verus natus eſt, ſic de vero conceptu & ex vtero veritas humani corporis naſceretur* Et D. Aug. libro 83 q. *ſi phantaſma fuit corpus Chriſti, ſefellit Chriſtus, & ſi ſefellit, veritas non eſt, eſt autem veritas Chriſtus. ergo non fuit phantaſma corpus eius* Et D. Th. ſic probat. Chriſtꝰ Dominꝰ verã naturã humanã aſſũpſit. Atq de Eſſentia naturæ humanæ eſt verũ corpꝰ. ergo verũ corpꝰ aſſũpſit.

Ratio ſecunda Si non aſſumpſit verum corpus. ergo nec Paſſionem veram, nec mortem veram ſuſtinuit, nec aliquid eorum verè geſſit, quæ ab Euangeliſtis referuntur.

Ratio tertia. Chriſtꝰ eſt ipſa veritas. ergo nõ decuit vt in illiꝰ operibꝰ aliqua fictio eſſet, ſed quicqd operatꝰ eſt, verè vt in carne vera operatꝰ eſt.

An ſanguis Chriſti fuerit Verbo hypoſtaticè vnitus? Partes humani corporis in dupli ci ſunt differentia.

3. QVANTVM ad alterum. *An ſanguis Chriſti fuerit Verbo hypoſtaticè vnitus?* *Nota* Partes humani corporis ſunt in duplici differentia: quædam ſunt viuentes organicæ quæ animâ rationali informantur, vt Caro, oſſa, nerui, caput, pedes &c. quædam ſunt non viuentes, vt capilli, vngues, humores, corporis, & ex ſententia Medicorum & Philoſophorum etiam Sanguis.

De viuentibus partibus nullum eſt dubium, quòd eas ſibi Verbum vniuerit hypoſtaticè, nam dum ſuſcepit naturam humanam, & corpus etiam, & partes ſuſcepit quæ illud conſtituunt. De Sanguine eſt difficultas. Durand. in 4. diſt. 10. docet Sanguinem non fuiſſe aſſumptum à Verbo, ſed tantum remotè, ſecundariè, & per concomitantiam in quantum erat in venis corporis eius, ita quòd ſanguis ſuam propriam naturalem ſubſiſtentiam habuerit. Sed in oppoſitum concludendo.

Sãguis qui erat in corpore Chriſti erat Verbo hypoſtaticè vnitus. Sanguis duplex.

4. Dico *Sanguis qui erat in corpore Chriſti erat Verbo hypoſtaticè vnitus, & contrarium huic aſſerere, eſt error in fide.* *Nota* cum Caiet. & D. Th. quodl. 5. art. 5. quòd Sanguis ſit duplex. quidam eſt nutrimentalis qui eſt in alimentum corporis viuentis. Quidam verò eſt perfectus & plenè decoctus, & neceſſarius ad conſiſtentiam humani corporis. vnde dicimus. *quòd ſanguis nutrimentalis non erat vnitus Verbo hypoſtaticè ſed ſolùm perfectus.* vnde ſicut pars naturæ caput, manus, ita & ſanguis fuit hypoſtaticè vnitus Verbo, & non ſolùm quamdiu vixit Chriſtus; ſed etiam in illo triduò quando fuit extra venas effuſus. Ita hic tenet Caiet *quæſt.* 54. *art.* 2. Soto *in* 4. *diſt.* 10 *quæſt.* 1 *art* 2. Alb. Mag. *in tract.* de Sacrificio miſſæ. Cardinalis Thurecremata, capitulo in vita de conſecratione. Ioann. Maior. Capreol. & alii paſſim recentiores.

Probatur In ſacris Scripturis Ad Epheſ. 1. ſtatuitur. *Sanguis Chriſti pretium redemptionis noſtræ ſalutis.* Et 1. Pet. 1. *di-*

Pet 1 dicitur *emundare conſcientias noſtras*. Et Luc. 22. dicitur *pro nobis effuſus in remiſſionem peccatorum*. Sed niſi eſſet hypoſtaticè vnitus Verbo, nõ haberet tantam vim.

5. Quidã reſpondent ad hæc teſtimonia. quòd ſanguis Chriſti iſtam vim & efficaciam non habuit per ſe præciſè, ſed quia voluntariè & liberè à Perſona Chriſti effundebatur ſicut & actiones Chriſti, quia fiebant à ſuppoſito Verbi infinito idcirco habuerunt infinitum valorem, non verò quod eſſent hypoſtaticè Verbo vnitæ.

Reſpondeo opponendo locum ſcripturæ Ad Hebr. 9. In quo ablutio peccatorum tribuitur ſanguini Chriſti. *Si Sanguis hircorum inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras?*

Ex quo colligo. Si Sanguis Chriſti ex ſe propter vnionem ad Verbum non eſſet infiniti pretii, hæ prærogatiuæ quæ ſanguini tribuũtur Chriſti, etiam illius ſudori, orationi, ieiunio tribuendæ eſſent, quod nusquam in ſcriptura legimus. Corollariũ.

Reſpondeo ſecundò quòd aliæ actiones ex pſona Chriſti offerẽtis valorẽ infinitum ſumebant; ſanguis verò ex ſe ob vnionem hypoſtaticam valorem infinitum habuit. Et hæc hypoſtatica vnio ſanguinis. cõfirmatur. Ad Hebr. 2. dicitur, Filius Dei ad noſtram redemptionem participaſſe carni & ſanguini. Et Concil. Epheſ. canone 5. dicit *quod communicauit carni & Sanguini*. In his locis & Apoſt. & Concil. eodem modo dicunt de carne & ſanguine, quòd eodem modo carnem & ſanguinem aſſumpſerit. Sed carnem aſſumpſit hypoſtaticè. ergo & Sanguinem. *Tandem* ſecundùm Concil. Trident. *Chriſti Sanguis ex vi verborum eſt ſub ſpeciebus vini, cætera verò & ipſa Diuina Perſona per realẽ cõcomitãtiã ſunt*. Sed p ſona Verbi non minus eſt ſub ſpeciebus vini quàm ſub ſpeciebus panis. ergo æque vtriq; horum ſunt vnita.

Ad extremum Clemens 6. in extr. *vnigenitus*, ſic de ſanguine Chriſti ſcribit. *Non ſolum effuſam fuiſſe modicã eius guttam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum ſuffeciſſet pro redemptione generis humani.* Hic Summus Pontifex vnionem Verbi ad Sanguinem immediatè & per ſe refert, nam de ſolo ſanguine non autem de humanitate loquitur.

6. *Sed obiicies*. Si ſangnis Chriſti fuit Verbo vnitus hypoſtaticè. ergo etiã ſeparatus per effuſionem in illo triduò erat vnitus Verbo: Sed Doctores ſolùm affirmant Animæ ſeparatæ per mortem & corpori relicto, in ſepulchro fuiſſe vnitum. Obiectio

Reſpondeo Quòd ſanguis perfectè & benè decoctus etiam in illo triduo ſeparatus manſit vnitus Diuinitati. Et quando Doctores dicunt Corpus Chriſti manſiſſe vnitũ Diuinitati, hoc ipſum etiam de ſanguine illos loqui exiſtimandum eſt, nã ſanguis ad veritatem & ad integritatem corporis humani ſpectat. Et ſicut ſi brachium corporis Chriſti in illo triduo fuiſſet abſciſſum à corpore relicto in ſepulchro, illud brachium in tali caſu fuiſſet vnitum Diuinitati, idem de Sanguine dicẽdũ. Solutio eit

7. *Obiicies ſecundò*. Syluester in Roſa aurea tract. 3. quæſt 31 refert quòd Pius 2. definiuit aſſeruari particulas ſanguinis Chriſti in certis Eccleſiis pro Reliquiis. Sed ſi ſanguis eſt vnitus Obiectio tertia

eſt vnitus verbo hypoſtaticè, proculdubio in Reſurrectione cũ natura humana fuiſſet reaſſumptus.

2ª ſolutio prima. *Reſpondeo* Definitio Pii 2. intelligenda de Sanguine nutrimentali, qui (vt iam notauimus) non erat hypoſtaticè vnitus Verbo, ſed ſolũ ille qui erat perfectè decoctus,&ad conſiſtentiã corporis requirebatur.

Solutio 2. *Reſpondeo ſecundò*.ſecundùm D. Th. *hic quæſt. 54. art. 2. quodl 5.art.5.* quòd hic ſanguis qui in Eccleſiis pro Reliquiis aſſeruatur non fluxit de corpore Chriſti ſed miraculoſè de aliqua imagine Chriſti percuſſa.

Obiectio 3. 8. *Obiicies tertiò*.Verbũ aſſumpſit partes Naturæ humanæ eſſentiales & integrales, & quæ ab anima rationali informantur. Sed Sanguis non eſt pars eſſentialis nec ab anima informatur. ergo non eſt aſſumptus à Verbo.

Solutio eiuſdem. *Reſpondeo* Sanguinem eſſe partem eſſentialem, nam ab Ariſt. lib. 2. de Part. anim. inter partes animalis numeratur, & prorſus impoſſibile eſt eſſe corpus & ſine Sanguine. Idem Ariſt. lib. 3. anim. de hiſtoria cap. 19. dicit: *Quòd Sanguis quamdiu ſeruatur ſemper viuus mouetur & feruet.* Et Leuit. 17. dicitur Animam eſſe in ſanguine ita quòd vita animalis & hominis à ſanguine dependet.

Quare Sanguis nõ poſſit dici Deus &c? 9. *Nota* Quãuis ſanguis vnitus fuerit Diuinitati, non ideo tamen inferendum *Quod Sanguis ſit Deus.* nam in illo triduo quo Chriſtus mortuus eſt, & corpus fuit mortuum, & anima ſeparata, & vtrique Diuinitas erat coniuncta, neque tamen corpus aut anima dicitur eſſe Deus. Eius rei D. Th. infra *quæſt. 50. art. 3. ad 3.* dat cauſam. *Quia corpus & anima ſunt partes eſſentiales humanæ naturæ vnde propter vnionem non eſt conueniens vt corpus aut anima dicatur eſſe Deus.* Idẽ de Sanguine dicimus quòd quãuis Sanguis vniatur verè Diuinitati, non rectè tamen dicitur eſſe Deꝰ.

Sed quæres. An reliqui humores vt pituita, bilis flaua, atra, fuerint hypoſtaticè vnita Verbo? An reliqui humores vt pituita, bilis flaua, atra, fuerint hypoſtaticè vnita Verbo?

Reſpondeo Ita ſentire Innocentium 3. in capitulo. In quadam de celebratione Miſſarum vbi dicit de latere Chriſti pendentis in cruce fluxiſſe Sanguinem & aquam vt omnibꝰ innoteſceret corpus hoc conſtatare quatuor elemẽtis. *Deinde* Quia hi humores ſicut & ſanguis ſpectãt ad humani corporis cõſtitutionem. *Præterea* Quia iudicio Medicorum pituita admiſcetur ſanguini.

Sed verior eſt negatiua ſententia *quod non fuerint hypoſtaticè vnita.* Nam de ſolo ſanguine ſcriptura loquitur & Eccleſia determinauit. *Item* Quia ex naturali ratione nõ cõſtat quòd hi humores ſint partes eſſentiales humani corporis. *deinde* Ideo Verbum vniuit ſibi ſanguinem hypoſtaticè quia ſtatuit per ſanguinem tanquam per inſtrumentum ſibi cõiunctum fieri redemptionem generis humani, quod aliis humoribus non conuenit. Homo res reliqui non fuerunt hypoſtaticè verbo vniti

QVÆSITVM II.
An Aſſumpſerit animam intellectu præditam?

ARius quē ſecutus eſt Apollinaris tenet? quòd Christus animam ſibi non vniuit, ſed ipſum Verbum in carne aſſumpta fuiſſe loco animæ. Sed hoc errore abiecto

Verbum veram animā aſſumpſit.

Dico cum S. Doctore *Verbum veram animam aſſumpſit.* Probatur locis Scripturæ Matth. 18. *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.* Et Ioan. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam, & iterum ſumendi illam.* Et Actorum 2. *Non relinques animam meam in inferno* Ad hæc teſtimonia Apollinaris dicit, intelligenda eſſe metaphoricè, ſicut Iſaiæ 1. Anima Deo tribuitur. *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea.*

Nouum Teſtamentum non vtitur Tropis nec Figuris ſicut Lex antiqua.

Sed contra dico. quòd Nouum teſtamentum non vtitur Tropis nec Figuris ſicut lex antiqua. *Confirmatur rationibus.* In nouo teſtamento dicitur Christus nunc fuiſſe admiratus, nunc turbatus, nunc ſpiritu infremuiſſe, nunc voluntatem habuiſſe, cum dicit: *Non ſicut ego volo.* Sed hæc ad animam rationalem ſpectant. *item* Christus dicitur eſſe verus homo. Sed vera hominis natura neceſſariò eſſentialiter includit animam rationalem. ergo eandem aſſumpſit. *Item* Anima pertinet ad ſpeciem naturæ humanæ, nam caro & cæteræ partes hominis per animam ſpeciem ſortiuntur. *Tandem* Christus pro nobis dicitur eſſe mortuus, & tertia die reſurrexiſſe. Sed neque mors, neque reſurrectio abſque anima intelligi poteſt ergo Christus veram animam aſſumpſit.

Verbum aſſumpſit animam intellectam.

Dico ſecundò. *Verbum aſſumpſit animam intellectu præditam.* Nam Apollinaris dicebat animam in Christo eſſe ſine intellectu, & quòd Diuinitas omnia officia intellectus obibat.

Probatur Dictum. Deus cauſæ formalis vicem non poteſt ſupplere, nā ſicut non poteſt facere album ſine albedine, ita nec hominem ſine anima rationali. nam anima rationalis eſt cauſa formalis hominis. *Tum* ideo non poteſt ſupplere, quia eſſet pars compoſiti, componens vnam Eſſentiam, atq; ſic Deus eſſet pars cōpoſiti, quod imperfectionem dicit, nec Deo adſcribi debet. *deinde* Christus Dominus dicitur verè eſſe admiratus. Sed admiratio ad animam rationalem ſpectat ergo.

Admiratio in Christo vnde proueniebat?

Nota Hæc admiratio in Christo non proueniebat ex ignorantia cauſæ ſed dicitur eſſe admiratus quoad ſcientiam experimentalem; ſicut qui nouit Ecclipſim futuram per ſcientiam eandem cum experimento admiratur.

Præterea Anima ſine intellectu nō poteſt eſſe capax gratiæ nec meriti. Sed in Christo fuit plenitudo gratiæ, & ipſe noſtram ſalutem eſt pro-

meritus

meritus. *Tandem* quia vt D. Auguſtinus *libro 83. quæſtione octuageſima* Chriſtus non humanam carnem ſed beſtialem aſſumpſiſſet, quia per ſolam rationem anima noſtra differt ab anima beſtiali.

DISPVTATIO VI.

De modo aſſumptionis quoad ordinem partium.

An carnem mediante anima ſuſcepit Verbum

SEx hic Dubia reſoluemus.
1. 1. An carnem mediante anima ſuſcepit Verbum? Reſpondeo & dico tria

Filius Dei non aſſumpſit carnem mediãte anima.

Dico primò. *Si loquamur de ordine temporis, Filius Dei non aſſumpſit carnem mediante anima, quia vtrumq́ ſimul in eodem inſtanti ſibi vniuit.* Nam alias præexſiſtentia Orig animarum ante corpus danda eſſet. *Tum* quia fuiſſet alterius naturæ anima Chriſti, à noſtris animabus quæ ſimul creantur & infunduntur.

Quomodo Verbum aſſumpſerit carnem mediãte anima?

Dico ſecundò *Si loquamur de ordine dignitatis, tunc admitti poteſt, quod Filius Dei mediante anima vniuit ſibi carnem*, nam anima eſt excellẽtior quã caro, & inter Deum & carnem medium locum tenet.

Quomodo anima fuit cauſa vniẽdæ carnis.

2. Dico tertiò. *Si loquamur de ordine cauſalitatis ſic anima aliquo modo fuit cauſa vniendæ carnis*, quia caro humana præcæteris (vt iam deductum) eſt aſſumptibilis, & hoc habet per animam rationalem. ergo mediante anima aſſumpſit carnem.

An anima mediante ſpiritu ſit aſſumpta? Quid per animã intelligendum?

2. DVBIVM *ſecundum.* An anima mediante ſpiritu ſit aſſumpta? Iam verò per *Animam* cum D. Th. & Caiet. intelligimus: potentiam vegetatiuam & Senſitiuam; per *Spiritum*, Potentiam intellectiuam; vt ſit ſenſus. *An Verbum Diuinum aſſumpſit potentias vegetatiuam & Senſitiuam mediante potentiâ intellectiuâ?*

Ad dubium dico: *quòd mediante ſpiritu vniuit ſibi animam; ſeu mediante intellectu compaginauit ſibi vegetatiuam & ſenſitiuam. Ratio.* Quia hæ inferiores potentiæ non habent tantam congruentiam ad hoc vt aſſumantur à Verbo, quantam habet intellectus ſeu ſpiritus, ſiquidem Deus eſt ſpiritus, & intellectus eſt ſpiritus, & per hunc ſpiritum homo eſt capax Dei.

3 DVBIVM *tertium.* An anima prius; quàm caro fuerit aſſumpta? An anima prius quàm Caro fuerit aſſumpta?

Nota quod error fuit Origenis *in lib. 1. & 2.* Periarch. vbi ſic de anima Chriſti dicit: *Illa anima de qua dixit Chriſtus.* Nemo auferet animam meam. *ab initio creatura fuit inſeparabiliter & indiuiſibiliter Verbo Dei vnita.* Error Origenis.

Hic error ſic confutatur à D.Th. AnimaChriſti ſimul fuit cum carne ergo non prius aſſumpta quàm caro. *Antecedens.* aut enim anima creata, & non eſt ſimul aſſumpta à Filio Dei? atque ſic habuit propriam ſubſiſtentiam; & quia ordinabatur ad vnionem. ergo in vnione, illa ſubſiſtẽtia corrupta, quorſum ergo fuit producta? aut creata & ſimul aſſumpta à Confutatio erroris.

pta à Filio Dei, ſed poſtea in vtero Virginis eſt vnita carni? *Si ſic* Ergo anima Chriſti non erit eiusdem rationis cum animabus aliorum hominum, nam hæ ſimul creantur & infunduntur.

Anima tam in corpore quàm extra corpus quã habet ſubſiſtentiam?

4. *Sed quæres.* Anima tam in corpore quàm extra corpus, quam habeat ſubſiſtentiã? *Reſpondeo* omiſſa q; Caietani ſententia dico: *quòd anima in corpore mortali eſt id*, quo totum ſubſiſtit, *& id*, quo compoſitum ſubſiſtit. *Ratio eſt S. Doctoris in 1. parte q. 76. art. 1. ad 5.* Anima habet ſuũ Esse & in illo ſubſiſtit, & hæc corpori in quantum cum illo eſt vnum quid, communicat ſuum *Eſſe*, & illud Eſſe quod eſt totius compoſiti, eſt etiam ipſius animæ, quod non accidit aliis formis, quæ non ſunt ſubſiſtentes. *Deniq;* dicit, quòd anima deſtructo corpore in ſuo *eſſe* remanet, quod aliis formis non conuenit.

An Caro prius fuerit aſſũpta quã animæ vnita?

5. Dvbivm *quartum.* An caro prius fuerit aſſumpta quàm animæ vnita? *Reſpondeo negatiuè*, quòd non prius. *Ratio* Quia caro non debuit ante aſſumi, quàm eſſet humana. Sed per animam rationalem fit humana. ergo non priùs aſſumpta quã anima rationali informata.

An tota natura humana aſſumpta mediantib⁹ partibus?

Dvbivm *quintum.* An tota natura humana aſſumpta mediantibus partibus? *Reſpondeo* & dico duo.

Dico primò. *Si ad ordinem intentionis agentis attendamus; tota humanitas prius vnita fuit Verbo quàm partes. v. Anima & corpus.* Ratio quia agens primò vt principaliter intendit vnionem humanitatis quæ eſt *quid totum & perfectum*, quàm vnionem partium.

Dico ſecundò. *Si attendamus ad ordinem exſecutionis, tunc prius partes humanitatis, v. Anima & corpus aſſumpta, quàm tota humanitas* Ratio. Quia ordo exſecutionis tenet ſe ex parte materiæ, & id quod ex materia producit, prius id producit quod eſt imperfectum & incompletum, quàm completum & perfectum. Sed partes humanitatis ſunt quid incompletum. ergo via exſecutionis prius partes aſſumpſit.

An humana natura ſit aſſũpta mediante gratia?

6. Dvbivm *ſextum.* An humana natura ſit aſſumpta mediãte gratia? *Reſpondeo* Naturam humanam non fuiſſe aſſumptam mediante gratia. *Probatur* aut enim ſumimus gratiam vt in ſe conſideratam? & ſic eſt quoddam accidens animæ. Sed vnio Verbi facta eſt ſecundum ſubſiſtentiam, & non ſecundum accidens. ergo natura humana non eſt aſſumpta mediante gratia. *Aut per Gratiam* intelligimus eam quæ eſt vnionis? Sed neque hac mediante: quia hæc eſt ipſum *Eſſe* perſonale, quod perſona Verbi confert gratis humanitati. *Aut* ſumitur gratia pro habituali? ſed neque hac mediante, quia hæc eſt effectus conſequens ipſam vnionem *aut Deniq;* ſumitur pro gratia gratuita Diuinæ voluntatis? & hæc non eſt medium vnionis, ſed cauſa efficiens.

Dispv-

DISPVTATIO VII.

De Gratia Chriſti vt eſt Homo Particularis?

Quotuplici a ſũt quæ cũ natura humana à Filio Dei ſunt aſſumpta? Quæ ad perfectionẽ naturæ humanæ ſpectãt quæ ſuntę Gratia ad pfectionẽ naturæ humanæ ſpectãs quotuplex? De quali gratia diſputatur in hac diſputatione.

Hactenus Gratia & natura vnionis cum ſuis cauſis & Principiis & modo ſunt explicata; nunc iam conſiderandum de his quæ cum natura humana à Filio Dei ſunt aſſumpta, ſunt autem hæc duplicia. Quædam ſunt quæ pertinent ad perfectionem Naturæ humanæ: quædam verò quæ pertinent ad defectum. Ea quæ ad perfectionem Naturæ humanæ ſpectant ſunt tria. *Gratia, Scientia, Potentia.* Et gratia quidem triplex eſt. *Prima eſt* Gratia vnionis de qua in ſuperioribus diximus. *Secunda eſt* Gratia Chriſti vt eſt homo ſingularis. *Tertia eſt.* Gratia Chriſti vt eſt Caput Eccleſiæ. In hac Diſputatione de Gratia Chriſti vt hominis ſingularis & quam appellamus *Habitualem* agemus; cuius ſeptem Quæſita aſſignamus.

1. *An in Chriſto fuerit gratia habitualis?*
2. *An in Chriſto fuerint virtutes morales?*
3. *An fuerint virtutes infuſæ?*
4. *An fuerint dona Spiritus S?*
5. *An fuerint gratiæ gratis datæ?*
6. *Grátia habitualis in Chriſto quanta fuerit?*
7. *Gratia habitualis quomodo ſe habeat ad gratiam vnionis?*

QVÆSITVM I.

An in anima Chriſti fuerit gratia habitualis?

Gratia habitualis neceſſario ponenda in Chriſto.

1. MEns eſt S. Doct. quòd gratia habitualis neceſſariò ponenda in Chriſto. Probat tripliciter. *Primò.* quia anima Chriſti eſt propinqua principio ſeu fonti gratiæ, v. Deo, nam illi hypoſtaticè eſt vnita, quodlibet autem receptiuum quantò eſt propinquius principio influenti tantò de influentia illius magis participat. *Item* Anima Chriſti vnita Deo debuit propinquiſſimè attingere Deum per cognitionem & per dilectionem. Sed ad hoc vtrumque neceſſariò debuit eleuari per gratiam. ergo gratia habitualis ponẽda in Chriſto. *Præterea* quia Chriſtus ad genus humanum habet

habitu-

habitudinem ſiquidem vt eſt homo eſt mediator Dei & hominum. ergo debuit habere gratiā etiam in alios homines redundantem, ſecundùm illud Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed quò doctrina Quæſiti planior euadat.

Gratiæ habitualis definitio.

2. *Noto primò.* ſecundùm D. Th. ex 1. 2. q. 110. Gratia habitualis eſt quædam qualitas creata ſupernaturalis animæ inhærens, per quam homo ſanctificatur & gratus Deo efficitur & conſors Diuinæ naturæ.

Quare gratia habitualis ponatur in anima?

Noto ſecundò. Gratia habitualis ideo ponitur in anima quia per eam habet *eſſe* ſupernaturale, & efficitur formaliter iuſta, ſancta, Deo grata. Hæc eadem gratia fundit ex ſe charitatem & alios habitus infuſos fidei & ſpei vt per illos intellectus & voluntas eleuentur ad eliciendos actus ſupernaturales proportionatos fini ſupernaturali. Ex quo

Gratia habitualis ad quid datur?

Collige quòd Gratia habitualis nō datur immediatè ad operari ſed ad *eſſe.* Nam ſicut anima per ſuas potētias operatur, ita gratia per habitus operatur infuſos. vnde gratia habitualis Eſſentiam animæ tāquam ſuū ſubiectū immediatè perficit ex qua redundant habitus infuſi tanquam propriæ paſſiones.

3. Sed hic emergit dubium. *An in Chriſto ſit ponenda gratia habitualis?* ſiquidem in eo eſt gratia vnionis quæ humanitatem Chriſti facit Deo gratam, illiusque opera facit infinitè meritoria ergo otioſa eſt gratia habitualis. Ad hanc difficultatem reſpondebimus *primò.* ſecundum legē ordinariam. *ſecundò* ſecundum abſolutam potentiam.

Humanitas Chriſti per gratiam vnionis formaliter fuit ſanctificata

4. QVANTVM ad primum dico. *Ex ſuperioribus manifeſtum eſt, quòd humanitas Chriſti per gratiam vnionis formaliter fuit ſanctificata* PROBATVR Pſal. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Et Iſai 4. Luc. 4. *Spiritus Domini ſuper me propter quod vnxit me.* Hæc loca adducta & alia plurima Sancti Patres interpretātur de Chriſti humanitate, quòd ex vi vnionis hypoſtaticè fuerit ſanctificata. Et.

Ratio eſt. Hæc vnctio, ſeu ſanctificatio tunc eſt celebrata quando natura humana eſt vnita Perſonæ Verbi, ſicut enim res tenebroſa vnita luminoſæ ab illa illuminatur, & ſicut res arida iuncta humidæ ab illa humectatur; ita humanitas vnita perſonæ Verbi ab eadem vncta eſt ſanctitate.

Ratio ſecunda. Vbi ponitur ſummū & maximum Dei bonum ibi ſumma & maxima ſanctitas ponenda eſt. Atqui in Chriſti humanitate ex vi vnionis hypoſtaticæ ponitur ſummum bonum & maximum, v. Perſona Diuina. ergo & ſumma ſanctitas ponenda eſt.

Ratio tertia. Sanctitate perſonali Diuina non poteſt eſſe maior ſanctitas. Sed hæc Perſona Diuina ex vi vnionis eſt in Chriſto. Ergo & ſumma ſanctitas.

5. *Sed obiicies* Cōcil. Tridēt. Seſs 6. cap. 7. definit. De fide eſſe vnum quemque hominem per gratiam & per charitatem, quæ nobis infunduntur, ſanctificari. ergo & Chriſtus vt homo fuit per gratiā ſāctificat⁹.

Reſpondeo. Gratia & Charitas nō eſt cauſa Totalis & Adæquata cuiuſlibet ſanctitatis. nam Deus totaliter & intrinſecè Sanctus eſt, & nō per Gratiam & Charitatem, vt ſūt qualitates. ſed per ſuam Eſſentiam quæ infinitè eſt bona & ſancta. Tū

& Perſonæ Diuinæ, ceu Subſiſtentiæ relatiuæ ſunt quoq; ſanctæ per ſuam Eſſentiam, & quia ſubſiſtentia Verbi terminat Humanitatē Chriſti, inde accidit, quòd Humanitas perſonaliter & ſubſtantialiter dicatur eſſe ſancta. Concilij verba explicanda ſunt de noſtra ſanctificatione formali, quæ nō eſt ſubſtātialis nec perſonalis ſed accidentalis.

Præter gratiam vnionis ponenda in Chriſto gratia habitualis.

6. Dico ſecundò. *Præter gratiam vnionis, quæ Chriſti humanitatem ſanctitate vnxit, & Deo gratam effecit, admittenda eſt & ponenda in Chriſto gratia habitualis.* PROBATVR. Gratia habitualis aut eſt quædam Entitas in anima inhærens? aut quæ hominem Deo gratum facit? aut quæ rectitudinē ſanitatem & pulchritudinem facit? ſed his tribus modis conſiderata fuit in Chriſto. ergo in eo ponenda eſt.

Probatur primum. *quòd ſit inhærēs Entitas.* Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum Spirit⁹ Domini.* ſed dicitur requieſcere in homine per gratiam habitualē ergo & in humanitate Chriſti per eandem requieuit. & Luc 2. *Gratia Dei erat in illo* & Ioan. 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* & Concil. Trident. Seſſ. 6. cap: 7. can: 11. dicit: *Si quis dixerit hominem iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola remiſſione peccatorum, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus hominum diffunditur, & c anathema ſit.* ergo vt in quouis homine iuſtificato fuit gratia vt entitas inhærens ita & in Chriſto fuit.

7. Probatur ſecundum. *quòd per gratiam humanitas Chriſti fuit Deo grata.* Anima enim Chriſti fuit Deo grata. ergo per aliquid intrinſecum illam gratam faciens, & talis eſt gratia. *Deinde.* Eadem anima (vt inferius patebit) ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beata, quia viſione beatifica fruebatur. ergo fuit Deo grata. *Item* Chriſtus Dominus vt homo exercuit operationes meritorias obedientiæ, religionis, charitatis, quæ erant Deo gratæ. ergo propter gratiam inhærentem habitualem

Probatur tertium. *quòd dabat rectitudinem, ſanitatem, & pulchritudinē* quia in quouis iuſto homine hæc reperiri debent (vt in tractatu de Gratia docuimus) ſed Chriſtus omnium iuſtorum eſt iuſtificator. ergo & in Chriſto fuit. *Præterea* quia vnio hypoſtatica ſolùm conferebat dignitatem perſonalem, ſed rectitudinem, pulchritudinem, & præparationem requiſitam ad beatitudinem non conferebat, quia hoc eſt gratiæ habitualis, ex qua fundunt ſe habitus infuſi tanquā paſſiones, & hos Verbum per ſe non confert, ſed ſolùm dat ſubſiſtere in Perſona Diuina.

8. QVANTVM ad alterum, vloquendo de abſoluta Dei potentia. *An gratia habitualis ad operationes Chriſti ſupernaturales fuit neceſſaria?*

An gratia habitualis ad operationes Chriſti ſupernaturales fuit neceſſaria?

Negat Med. circa finem huius art. 1. & pro ſua ſententia adducit Victoriam. Scot. *lib 3.* de Natura & Gratia *c. 6.* & *in 4 diſt. 19. quæſt. 1. art. 2.* Idem ſentit Vaſq. quòd Gratia habitualis quoad ordinariam & ſuauem Dei diſpoſitionem erat neceſſaria ad ſupernaturales & meritorias operationes, ſed per abſolutam Dei potentiam poterant eſſe meritoriæ etiamſi nullum donum gratiæ illius animæ & potentijs inhæſiſſet.

 Sed

Sed contrariũ tenẽdũ, eſt cum Dur. diſt. 13. q. 1. Palud. eadem diſt. q. 2. Concl. 3. Capr. & cum alijs. vnde

9. Dico. *Per nullam potentiam potuit Chriſtus mereri præmium ſupernaturale ſine gratia habituali, vel ſine alio principio ſupernaturali inhærente ſaltem per modum motionis.* PROBATVR. Potentia merè naturalis non eleuata per aliquamſuperadditam ſibi formam ſupernaturalem, non poteſt actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam elicere, etiam de potẽtia Dei abſoluta. ſed intellectus & voluntas animæ Chriſti, ſi erant ſine gratia habituali inhærente, erãt potentiæ merè naturales in *eſſe* Phyſico. ergo nonniſi actus merè naturales eliciunt.

Obiectio. *Obijcies.* Atqui Verbum terminãs naturam humanam Chriſti dat illi *eſſe* perſonale Diuinum, vnde actus

Solutio ei. ſumebant *eſſe* ſupernaturale. *Reſpõdeo.* quòd Perſona Verbi tribuebat humanitati *eſſe* perſonale, ſed non tribuebat immediatè eidem humanitati principium formale *quo* ſupernaturalis operationis, quemadmodum neq; animæ tribuebat principium formale intellectionis, nam *Anima* Chriſti ſine ſuo intellectu nõ potuiſſet elicere intellectiones. Et *Ratio eſt*, quia Verbũ immediatè per ſeipſum non poteſt ſupplere rationem potentiæ vel principij vitalis. *Præterea* quamuis actiones ſint ſuppoſitorũ, tamẽ ratio ſpecifica actionis non ſumitur à ſuppoſito operante, ſed à principio formali quo agens operatur, ſicut calefactio ſumit ſpeciem à calore. ergo & Chriſti operationes vt intrinſecè ſupernaturales requirebãt aliquod donũ ſupernaturale inhærens, qualis eſt gratia habitualis.

10 *Obijcies ſecundò.* Gratia vnionis eſt longè excellentius principiũ operationum quàm gratia habitualis. ergo de abſoluta potentia ex vi vnionis hypoſtaticæ poterant Chriſti actiones eſſe ſupernaturales. Obiectio 2.

Reſpondeo. quòd gratia vnionis eſt principium radicale, ſed non eſt formale immediatum principium *quo* operationum: ſicut enim anima rationalis ob ſuam eminentem perfectionẽ eſt principium radicale *quo* operationum, quia tribuit *eſſe* ſubſtantiale, ſed non poteſt eſſe formale immediatum principium *quo*, ſiquidẽ per potentias operatur. Ita gratia vnionis, quia humanitati communicat *eſſe* perſonale Verbi, eſt radicale principium, ſed formale & immediatum principiũ *quo* nequit eſſe, ſed ad hoc requiritur gratia habitualis inhærens. Reſponſio ad eam.

Obijcies tertiò. quia Perſona Verbi dat operibus Chriſti ſupernaturalitatem & valorem infinitum. Obiectio 3.

Reſpondeo. dare ſed radicaliter, at intrinſecam ſupernaturalitatem quæ ex principio formali immediatè ſumitur nõ dat, ſed a gratia habituali prouenit. Solutio ei.

11. *Obijcies quartò.* Vnio humanitatis cum Verbo deificat humanitatem, & ad merendum digniſſimam reddit. ergo alia forma accidentali qualis gratia habitualis, non indigebit. Obiectio 4.

Reſpondeo. nos concedere quòd ex parte ſuppoſiti operantis ſeu ſanctitatis perſonalis nõ requirebatur gratia habitualis, vt Chriſti operationes eſſent Deo gratæ & meritoriæ: ſed ex parte operis & prĩcipij formalis à quo actio ſupnaturalis accipit ſpecificationem, & dat illi vt ſit intrin- Reſponſio ad eam.

intrinſecè meritoria & ſupernaturalis, & ſic iã gratia habitualis & habitꝰ infuſi erãt neceſſarij, vt per eos poſſet Chriſtꝰ elicere actꝰ meritorios.

Probatur. Nam Deitas non poteſt dici forma per ſeipſam immediatè eleuans potẽtias animæ Chriſti, vt poſſint producere actus ſupernaturales meritorios. Et *Ratio eſt.* nam talis forma hoc præſtans debet eſſe intrinſeca operanti, iam autem Deitas non eſt intrinſeca, nec formaliter confert ſanctitatem, ſed ſolùm perſonaliter.

Confirmatur. quia effectus formalis primarius gratiæ habitualis inhærentis eſt facere animam ſanctã, iuſtam, & quæ medijs habitibus infuſis poſſit actꝰ ſupernaturales producere. ſed cuiuſlibet cauſæ formalis effectus primarius nõ poteſt dari abſq; ipſa forma, vt album eſſe nõ poteſt ſine inhærente albedine. ergo neq; anima Chriſti potuit eſſe ſancta, nec actus ſupernaturales producere ſine gratia habituali. Obiectio 5.

12. *Obijcies quintò.* Humanitas Chriſti ex ſola vnióne hypoſtatica fuit ſancta. ergo nõ indigebat gratia habituali. *Confirmatur.* quia habuit ſanctitatem per Eſſentiam, quia habuit Perſonam Filij Dei. quæ fuit ipſa sãctitas. ergo non indigebat forma sãctificante per participationem, vt ignis qui eſt natura calidus, non indiget calore participato.

Solutio eiꝰ *Reſpondeo.* quòd humanitas Chriſti fuit ſancta per vnionem hypoſtaticam, ſed perſonaliter quia per vnionem hanc acquiſiuit *eſſe* perſonale Verbi, ſed vt formaliter & intrinſecè eſſet ſancta, & vt actus ſupernaturales produceret indiguit gratia habituali. *Ad confirmationem dico.* quòd humanitas Chriſti perſonaliter habuit ſanctitatem per eſſentiam, quia habuit Perſonam Verbi, & ſic non indigebat gratia participata, ſed inquantum hæc eadem humanitas eſt principium formale *quo* operationum ſupernaturalium, & ſic indigebat gratia habituali inhærente, vt eliceret actus ſupernaturales.

13. *Obijcies deniq;.* In Chriſto non fuit filiatio adoptiua. ergo nec in eo fuit gratia habitualis. *Sequela.* quia per hanc gratiam efficimur filij Dei, ſ: adoptiui. *Reſpondeo cum S. Doct. ex 3. diſt. 13. q. 1. a. 1. ad 1.* quòd filiatio per ſe primò ad perſonam refertur, & illi immediatè competit. & quia in Chriſto vnica eſt Perſona Filij Dei naturalis, vnde alia filiatio cùm non ſit altera perſona, non competet ei. Obiectio vltima Arria norũ argumentum. Solutio eiꝰ

Reſpondeo ſecundò. quod gratia habitualis tunc importat filiationem adoptiuã, quando in ſuppoſito creato recipitur, ſeu in natura ſubſiſtente in ſua propria ſubſiſtentia, iam autem in Chriſto eſt Perſona Filij Dei per naturam, quæ quidem non eſt capax filiationis adoptiuæ.

QVÆSITVM II.

An in Chriſto fuerint virtutes morales?

14. AD Quæſitum reſpondeo affirmatiuè. *quòd omnes virtutes fuerint in Chriſto.*

Omnes virtutes in Chriſto fuerunt.

Nota. Quidam hanc Concluſionem S. Doctoris. ſolùm intelligunt de virtutibus quæ uoluntatem afficiunt, nam in ſequentibus aget de virtutibus intellectualibus. ſed mẽs eſt expreſſa S. Doct. in his verbis, quæ habentur art. 2. in corp. Conſequens eſt, quòd ex ipſa (v. ex gratia) proceſſerint virtutes ad perficiendas ſingulas potentias animæ, quantum ad omnes actus animæ. Ex quo euidenter colligitur. quòd intelligit de omnibus virtutibus potentiarum.

Ratio prima. ex gratia habituali fluunt omnes virtutes, ſicut ex eſſentia animæ fluunt potentiæ. ſed gratia habitualis fuit modo perfectiori in Chriſto, quàm in omnibus alijs iuſtis. ergo ex ea procedebant virtutes ad perficiendum, ſingulas potentias animæ quoad illarum actus.

Ratio ſecunda. Hæ virtutes morales pertinent ad interiorem animæ ornatum, & cum charitate infundũtur, nam ſũt illi' comites. *Tum* Dant promptitudinem & facilitatem ad operandũ. ſed Chriſtus hæc omnia quæ dicunt animæ internã pulchritudinem, debuit habere omnib' modis perfectiſſimè. ergo hæ fuerunt in Chriſto.

Ratio tertia. Chriſtus à primo inſtanti ſuæ Conceptionis fuit beat', quia clarè vidit Eſſentiam Dei, & ſimul fuit homo Deus. ergo ex vi vnionis debebantur illi omnia ornamẽta virtutum.

Quomodo intelligendum omnes virtutes in Chriſto eſſe

15. Dico ſecundò. *quando dicimus quod in Chriſto erant omnes virtutes quæ illius potentias perficiebant ad intelligendum, de his virtutibus quæ non important ſecum imperfectionem repugnantem illius ſtatui beatitudinis, in quo Chriſtus erat.* ſi enim aliquæ harum darentur in Chriſto, hæ non perficerent ſed potius imperfectas oſtenderent potentias animæ. Ex quo

Quare in Chriſto nõ fuerit Pœnitentiæ

Collige primò. quòd in Chriſto nõ fuit pœnitentia. *Ratio.* nam hæc in eo ſubiecto in quo eſt præſupponit peccatum, & conſtat dolore qui pro peccatis commiſſis excitari ſolet propter Deum offenſum. ſed Chriſtus nullo modo potuit habere propria peccata. ergo nec pœnitentiam.

Neq; fides neq; Spes fuit in Chriſto.

Collige ſecundò quod neq; fides, neque ſpes fuit in Chriſto (vt in ſequentibus oſtendemus) quia fides eſt non viſorum, ſpes non habitorum. ſed Chriſtus ſiquidem erat in ſtatu beatitudinis, omnia clarè videbat & poſſidebat.

Quomodo continẽtia in Chriſto fuerit?

Collige tertiò. quòd continentia ſi accipiatur inquantum cõcupiſcentijs cum difficultate reſiſtit, & ſic quemadmodum in Chriſto nõ erant motus concupiſcentiæ, ita nec continentia poterat eſſe, vt colligitur *hic art. 2.* in reſponſione *ad 3.* Si autem continens intelligatur in quantùm abſtinet, ſiue hoc cum difficultate ſiue cum facilitate faciat, & ſic Chriſtus Dominus inquantum fuit temperans, ita dici poteſt continẽs.

An magnificentia fuerit in Chriſto?

16. *Sed quæres.* An magnificentia fuerit in Chriſto, ſiquidem hæc circa opes effundendas & res magnas gerendas verſatur, Chriſtus autem pecuniam contẽpſit. *Reſpondeo.* quòd quamuis Chriſtus de facto contempſit diuitias, potuit tamen iſtius virtutis actum intrinſecum exercere.

Præterea

Præterea quã facilitate infinitam hominum multitudinem ex quinq; panibus & duobus piſcibus ſuſtentauit, ita & diuitiarum copioſam multitudinem retento rationis rectæ dictamine potuit expendere.

In anima Chriſti conſtituẽdæ virtutes acquiſitæ.

Dico tertiò. *In anima Chriſti non ſolùm ſunt conſtituendæ virtutes morales per ſe infuſæ. quales ſunt fides, ſpes, Charitas (quæ quia excedunt facultates naturæ, nec per eas acquiri poſſunt, nam merè ſunt ſupernaturales, idcircò debent infundi) ſed etiam quæ ſunt ex ſuo genere acquiſitæ, per accidens autem infuſæ, quales ſunt Iuſtitia, Temperantia, &c. quæ cùm ſint naturales, per vires naturæ acquiri poſſunt, nihilominus tamen infundi poſſunt à Deo, & ideo per accidens infuſæ dicuntur. Probatur.* quia potentiæ animæ Chriſti debebant diſponi optimo & perfectiſſimo modo, non ſolùm quoad bonum ſupernaturale, ſed etiã quoad naturale. ergo tenẽdum eſt quòd ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit Chriſtus virtutes morales, tam per ſe quàm per accidens infuſas, vt eſſet perfectus in vtroq; ſtatu gratiæ & naturæ.

Ratio ſecunda. Deus cùm omnia ſuauiter diſponat, nec ſine neceſſitate miracula multiplicet, voluit vt anima Chriſti modo connaturali & ordinario operaretur, hic autem eſt per habitus & per qualitates ſuperadditas. ergo has virtutes debuit habere.

Obiectio.

17. *Sed obiicies.* Virtutes morales acquiſitæ conſtituuntur in appetitu ſenſitiuo, vt paſſiones moderari poſſint. Sed in Chriſto nullæ erant paſſiones. ergo nec virtutes morales acquiſitæ neceſſariæ erant. *Minor* Quia in Chriſto non fuit fomes peccati (vt infra oſtendemus.) ergo nec paſſiones inordinatæ quæ ex fomite peccati procedunt poterãt eſſe. *Reſpondeo* quòd primarius effectus virtutis moralis acquiſitæ eſt vt circa materias proprias poſſit perfectam electionem elicere; vnde virtus definitur, quòd ſit habitus electiuus in mediocritate conſiſtẽs: vnde in primis parẽtib⁹ fuerunt virtutes per accidens infuſæ, in his tamen nulla erat immoderata paſſio ſiquidem erant in ſtatu innocentiæ. *Secundus effectus eſt*, moderari paſſiones, ſi eas in ſubiecto inueniat immoderatas, vnde etiamſi in appetitu ſenſitiuo humanitatis Chriſti nulla erat immoderata paſſio ob coniunctionem cum Verbo. Ex eo tamen non licet colligere. quòd in eo non fuerint virtutes acquiſitæ per accidens infuſæ.

Solutio ei⁹ virtutis moralis qui primarius effectus?

18. *Sed quæres* An ſicut à primò inſtanti conceptionis fuerunt in Chriſto virtutes morales per accidens infuſæ, an etiam fuerint habitus ſcientiarum? *Reſpondeo* quòd virtutes morales (vt iam determinatum) à primo inſtanti fuerunt infuſæ, ſed habitus ſcientiarum ſucceſſu temporis fuerunt acquiſiti. Et

An in Chriſto fuerint habitus ſcientiarum?

Ratio eſt prima. Si enim Chriſti animæ ſcientiarum habitus fuiſſent infuſi potentia intellectus agentis fuiſſet fruſtra. Sed in Chriſto dari potentiam otioſam & ſine ſuo proprio officio, eſt magnum inconueniens. *Sequela* Intellectus agentis eſt munus à ſenſibilibus abſtrahere ſpecies intelligibiles, illuſtrando phantaſmata Sed hæc abſtractio iam non eſſet ſi habitus ſcientiarum eſſent infuſi. Quando autem dicimus virtutes morales fuiſſe infuſas, nullum inconueniens ex

eo ſequitur, ſiquidem omnes potentiæ animæ Chriſti per infuſas virtutes actus ſuos bene exercent.

Obiectio. 19. *Obiicies* Ergo in primò parente erat intellectus agens otioſus, ſiquidem habuit habitus ſcientiarum per accidens infuſos. *Reſpondeo* Solutio ei⁹ Diuerſam eſſe rationem in primo parente. quia hic, ſicut Chriſtus, non habuit ſcientiam beatam omnium rerum;& quia totius generis debuit eſſe pater idemque inſtructor, & qui nomina rebus debuit imponere ergo ad euitandum hoc inconueniens, ne eſſet omninò ignorans debuit habere infuſos habitus ſcientiarum.

Ratio ſecunda. Quia habitus ſcientiarum breuiori tempore acquiri poſſunt, nam vnico actu demonſtratiuo intellectus conuincitur; & quia inter habitus ſcientiarum eſt connexio & ſubalternatio, vna ex alia acquiri poteſt, virtutes autem morales non generantur ex vnico actu. *Tum* quamuis ſint connexæ tamē in gradu perfecto nec vna ſine alia haberi poteſt. Hac de re *vide* D. Th. in *1. 2. quæſtione 63. articulo 3. & 4.*

QVÆSITVM III.

An in Chriſto fuerint virtutes infuſæ?

20. DE Charitate quæ eſt virtus infuſa, nullum eſt dubiũ, quòd hæc vna cum gratia habituali animæ Chriſti ab inſtanti cōceptionis fuerit infuſa: Sed de fide & Spe eſt controuerſum; qua de re *vide* D. Th. *in l 2. quæſt 62.* Et *in 2. 2. quæſt. 1. art.* 4. *Tum* & Senten. videndi *in 3. diſt. 23. 26. & 31.* vbi diſputari ſolet? *An fides poſſit eſſe ſimul cum clara Dei viſione?*

Quo ad Fidem Dico primò *In Chriſto non fuiſſe fidem.* PROBATVR. Fides Fides in Chriſto nō fuit. eſt argumentum non apparentium. Sed in Chriſto nihil erat non apparens ſecundùm illud Diui Petri Ioan. vltimo. *Tu omnia noſti* ergo fides non fuit in Chriſto. *Deinde* Cum venerit quod perfectum eſt, hoc eſt, cum venerit clara viſio Diuinæ Eſſentiæ, euacuabitur quod ex parte eſt, v. fides; nūc enim per ſpeculum videmus, tunc autem facie ad faciem.

Præterea In beatis ſecundum veriorem ſententiam non eſt fides Sed Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus. ergo non habuit fidem.

Deniq; Repugnat vnum atque idē ſimul eſſe clarum & obſcurum; euidens & non euidens. Sed ea quæ per fidem ſcimus ſunt obſcura ineuidētia, quæ verò à Beatis videntur ſūt clariſſima, euidentiſſima, & Chriſtus (vt iã toties diximus) fuit beatus. ergo in eo non fuit fides.

21. *Nota* Dicunt quidam quòd in Chriſto fuerit meritum fidei. Eius rei hanc rationem reddũt. quia Chriſtus

Chriſtus erat in præparatione animi ad credendum ea quæ nobis reuelata ſunt niſi ea cognouiſſet per ſcientiam beatam cum qua fides ita re non poteſt. Sed hæc ratio non videtur; ideo, quia Chriſtus Dominus videbat clare & inamiſſibiliter Diuinam Eſſentiam. ergo hac præparatio animi fuit otioſa. vnde potius

Meritum fidei eminenter fuit in Chriſto.

Dico *in Chriſto fuit eminenter meritum fidei.* PROBATVR *primò.* quia per ſcientiam infuſam (in qua excluſis imperfectionibus continebatur eminenter cognitio fidei) agnouit myſterium Trinitatis & alia Sacramenta gratiæ quæ nos per fidem agnoſcimus, vt infra *quæſt. 11. art. 10.* videbimus. *Item* Quia hæc cognitio infuſa, erat libera, & habuit omnes conditiones requiſitas ad meritum. ergo per illam habuit eminenter meritum fidei.

Neq; Actus fidei potuit eſſe in Chriſto.

22. Dico tertiò. *Neq; actus fidei potuit eſſe in Chriſto.* Quia actus fidei ſolùm competit viatoribus, ſicut actus claræ viſionis competit beatis vt habetur. *2. Corint. cap. 1, Quamdiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino per fidem enim ambulamus,* Ex quo collige actum fidei proprium eſſe viatoribus,

Corollariũ

Habitus fidei non fuit in Chriſto.

Dico quartò. *Neq; etiam in Chriſto eſt habitus fidei.* vt voluit Durand. *in 3. diſt. 4 & diſt. 31.* PROBATVR Quia habitus ſunt propter actus. Sed in Chriſto nulli ſunt actus fidei. ergo nec habitus fidei. *deinde* quando in vno ſuppoſito dantur duo habitus quorum vnus perfectiſſimus. alter vero imperfect⁹ neceſſe imperfectũ à perfectiſſimo deſtrui. Sed in Chriſto fuit viſio beatifica, quæ reſpectu fidei fuit perfectiſſima. ergo neceſſario deſtruebat habitum fidei. *item* Deficiente obiecto primario alicuius habitus neceſſe eſt deſicere & ipſum habitum, ſiquidem habitus ex obiecto ſumit ſpeciem. Sed fidei primarium obiectum eſt Deus reuelans obſcurè. ergo cum Chriſtus per ſcientiam beatam euidenter cognoſcebat Deum intuendo clarè illius Eſſentiam, iam in eo habitus fidei non erat poſſibilis.

23. *Sed obiicit Durandus.* Cæteri habitus tam per ſe quàm per accidens infuſi perficiebant intellectum & voluntatem Chriſti ergo & habitus fidei poterat perficere. *Reſpondeo* quòd poterat niſi obſtitiſſet viſio beatifica Diuinæ Eſſentiæ, quæ longè maiorem perfectionem confert quàm habitus fidei.

Obiectio Durandi.

Solutio eiuſdem.

Obiicies ſecundo Habitus fidei non contrariatur actui viſionis claræ Diuinæ Eſſentiæ. ergo ſimul eſſe poterant. *Reſpondeo* quòd fides & clara Dei viſio non contrariantur ſibi ſimpliciter & abſolutè in ratione habitus. ſed in ratione actus quia fidei eſt obſcurus, viſionis clarus opponuntur ſibi.

Obiectio 2. Durandi.

Ad eam reſponſio.

24. QVANTVM ad Spem. Dico primo. *Spes in quantum eſt virtus Theologica non fuit in Chriſto.* PROBATVR Sicut enim de ratione fidei eſt his aſſentiri quæ non videmus; ita de ratione ſpei eſt exſpectare ea quæ non habemus. Sed fides non fuit in Chriſto, ſiquidem per ſcientiam beatam omnia videbat. ergo nec ſpes fuit ſiquidem cum Deo omnia habebat.

Spes in Chriſto quomodo fuit & quomodo non?

Dico ſecundò. *Chriſtus quo ad ſecundaria ſperata v. quo ad ſui corporis glorificationem potuit habere ſpem.*

Dico tertiò. *In Chriſto non fuit eadẽ*

gratia

ratio fidei & Spei, quia fides nec quo ad principale creditum, nec quo ad ſecundarium habuit locum in Chriſto: Spes autem quo ad ſecundariò ſperata, (vt iam dictum,) locum habet in Chriſto.

25. Dico quartò cum Caiet. *quòd ille actus quo Chriſtus dum erat in corpore paſſibili, exſpectabat corporis ſui glorificationem, non erat propriè virtutis ſpei ſed deſiderii: & talis eſt actus in Beatis quo deſiderant corporis ſui gloriam.* PROBATVR Dictum. Deficiente primario obiecto alicuius virtutis, & ipſa virtus deficere debet. Sed virtutis Spei eſt primarium obiectum beatitudo ſeu gloria, & hanc anima Chriſti habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis: ergo per eam nō potuit ſperare gloriam corporis. ſed deſiderare. Hic actus deſiderii reuocandus eſt aut ad charitatē qua Deum ꝓpter Deum diligimus: aut ad inclinationem per quam propendemus ad bonum proprium habendum qualis eſt glorificatio. *Ratio* Spes eſt de bono futuro, arduo, difficili. Sed glorificatio corporis non eſt quid arduum, ſiquidem hæc poſt obtentā gloriam animæ debet in corpus diffundi niſi per miraculum impediatur, vt factum erat in Chriſto propter myſterium Redemptionis complendum.

QVÆSITVM IV.

An in Chriſto fuerint dona Spiritus S. & præcipuè donum Timoris?

Dona Spiritus S. fuerūt in Chriſto excellētiſſimo modo.

26. AD primam Quæſiti partem Dico *Fuiſſe in Chriſto dona Spiritus S. modo excellentiſſimo.* PROBATVR Iſaiæ 4. *Apprehendent ſeptem mulieres virum.* Gloſſa interpretatur *Septem dona Spiritus Sancti Chriſtum.* Et Iſaiæ 11. Hæc ſeptem dona numerātur & Chriſto tribuuntur his verbis. *Requieſcet ſuper illum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus; ſpiritus conſilii, & fortitudinis: Spiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus Timore Domini.* Et *Ratio eſt.* Triplex eſt modus quo natura hominis mouetur *primò* ſecundùm regulam rationis humanæ, & ad hoc conſtituuntur virtutes acquiſitæ. *ſecundò* ſecūdum regulam ſupernaturalem, & ad hoc infunduntur virtutes Theologicæ. *tertiò* per impulſum Spiritus S. & ad hoc dātur dona. Sed in Chriſti humanitate dantur virtutes tam acquiſitæ quàm infuſæ. ergo & dona Spiritus S. dari debent, ſiquidem de Chriſto dicitur: Lucæ 4. *Agebatur à Spiritu S. in deſertum.* *Ratio ſecunda.* Dona ſunt perfectiones animarum per quas aptæ fiūt vt promptè obediāt motioni Spirit⁹ S. ſed Chriſti anima perfectiſſimè mouebatur à Spiritu S. Ergo in illa erant dona.

Modus quo natura hominis mouetur quotuplex?

27. Quo ad alteram partem Quæſiti Dico. *Conſentiunt Doctores, quòd in Chriſto fuit Timor Dei filialis.* & ideo Abailard negans in Chriſto Timorem, ab Innocent. I. eſt condemnatus, *vt habet D. Bernard. epiſt. 190.*

Timor D filialis in Chriſto

Dico

Quomodo fuit Timor filialis Dei in Chriſto?

Dico ſecundò. *In Chriſto fuit timor filialis ſecundum actum reuerentiæ*, ſiquidem ex conſideratione Diuinæ maieſtatis & illius eminentiæ oriebatur affectus admirationis & ſtuporis & reuerentiæ actus; & conſiderans ſuam paruitatem & Dei tam ſublimem excellentiam ſe Deo ſubmittebat, & non audebat ſe illi æquare, & reformidabat ſecreta inueſtigare. Eius rei exemplum in S. Ioan. Baptiſt. qui ſanctum verticem Dominici capitis non audens attingere clamat. *Ego à te baptizari debeo & tu venis ad me*. Et D. Pet. itidem clamat: *Exi à me Domine quia homo peccator ſum.*

Timoris obiectũ quod?

28. Dico tertiò. *In aſſignando obiecto Timoris videtur eſſe contradictio in locis S. Doctoris*. nam *in l. 28. quæſt. 42. art. 1.* expreſſè dicit: *Quòd Deus eſt obiectum Timoris vt cauſa mali ſ. pœnæ*. Et hic dicit in reſponſione ad 1. *quòd primò & per ſe non reſpicit malum ſed bonum.* Hæc loca ex Caiet. ſic conciliari poſſunt. Quòd ſi Deus conſideretur vt potens eſt inferre malum, & ſic malum erit obiectum Timoris: ſed conſideratus vt eſt determinatus ad non infligendum malum, & ſic obiectum Timoris non eſt malũ, ſed bonum.

Vel ſecundò Nota. Quòd timor in ſe conſideratus ſic reſpicit malum; nã de ratione timoris eſt, timere malum; ſed vt eſt Donum Dei, ſic reſpicit bonum & in illud tendit. Nã quamuis conſideret Deum in quantum eſt potens infligere malũ, tamẽ etiam conſiderat, vt non exſequitur illud malum; & ſic anima Chriſti reuerebatur Deum vt potentem infligere ſibi malum ſi vellet, & ſimul ſcit quòd nunquam inferret, & hĩc actus reuerentialis oriebatur.

QVÆSITVM V.

An Gratiæ gratis datæ, & ipſa Prophetia fuerit in Chriſto?

29. DVo pro reſponſione determinabo. *Primò* quo ad Gratias gratis datas. *Secũdò* quo ad gratiam Prophetiæ. Quãtum ad Gratias gratis datas.

Gratiæ gratis datæ quomodo à Gratia gratum facientes differant

Dico primò. *hæ gratis datæ, differunt à Gratia gratum faciente;* nam gratia gratum faciens, qualis eſt Gratia habitualis, infunditur ad vtilitatem ſpiritualem illius cui infunditur. Gratis datæ infunduntur ad communem vtilitatem & ſalutem aliorum.

Dico ſecundò D. Paulus 1. Cor. 12 Nouem numerat gratias gratis datas. *Alii datur ſermo Sapientiæ, alii ſermo Scientiæ, alteri Fides, Gratia ſanitatum. Prophetia, Operatio virtutum, Diſcretio ſpirituum, Genera linguarum, Interpretatio ſermonum.*

Gratiæ gratis datæ quot?

30. Dico tertiò. *In Chriſto tanquã in primo authore fidei & principali Doctore erant omnes gratiæ gratis datæ modo excellentiſſimo.* PROBATVR D. Aug. contra Dard. epiſt. 57. dicit: *Sicut in capite vigent omnes ſenſus; ita in Chriſto vigebant omnes gratiæ. Deinde* Vt gratia

Gratiæ gratis datæ in Chriſto fuerunt modo excellentiſſimo.

 gratum

gratum faciens ordinatur tam ad actus interiores quàm exteriores; ita gratis datæ ordinantur ad actus fidei manifeſtandos & roborandos, vt eſt gratia ſanitatum. Sed Chriſtꝰ fuit primus & principalis author & Doctor fidei. Ergo in eo erant gratiæ omnes.

Gratias gratis datas vnitas eſſe in Chriſto quomodo intelligendum?

Dico quartò. *Quando in ſolutione ad 1. dicit D Th quod hæ gratiæ gratis datæ fuerint in Chriſto vnitæ non ſic intelligas. quaſi omnes fuerint vna gratia; ſicut in Deo omnes perfectiones ſunt vna perfectio, ſed quod omnes ſimul habuerit, cæteri ſancti diuiſim. tum* quia in Chriſto erant ſecundùm plenitudinem, in aliis ſecundùm menſuram,

31. QVANTVM ad alterum Tertull. *lib. 4. contra Marci. cap. 22.* Abul. *ſuper Num.* negant in Chriſto fuiſſe Spiritum Prophetiæ. Dicunt enim Chriſtum non rei veritate cum fuerit Deus, ſed vulgi appellatione fuiſſe Prophetam. *Tum* quia obſcuritas cognitionis pertinet ad Prophetiam, quæ à Chriſto remouenda. Sed hoc non obſtante.

Chriſtus verè & propriè fuit Propheta.

Dico primò. *Chriſtus verè & propriè fuit Propheta.* PROBATVR Quia hoc nomine *Prophetæ* Scriptura Sacra eum paſſim appellat. Deut. 18. *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus de fratribus veſtris.* Et Saluator de ſe dicit: *Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria.*

Prophetiæ gratia quomodo in Chriſto fuerit?

Dico ſecūdò. *Hæc gratia Prophetiæ fuit in Chriſto permanenter ſeu per modum habitus.* nam habitus dicuntur, quia illis cum volumus ſemper vti poſſumus; & ſic Chriſtus quando volebat prophetabat: In aliis verò ſanctis Prophetia habuit ſe per modū tranſeuntis ſeu coruſcationis, vnde non quando volebant ſed quando illis lumen coruſcans affulgebat in quo futura videbant, tunc prophetabant. Vnde Elizeus ad Gezi dicit, cum afflictam mærore Sunamitim ab eius pedibus remouebat, *Sine illam quia anima eius in amaritudine eſt, & Dominus cælauit me.*

Obiectio.

32. *Obiicies* Obſcuritas eſt de ratione prophetiæ, vnde Prophetæ multa de Chriſti aduentu in carne prædicebant, cuius tempus & alias circumſtantias ignorabāt. Sed hæc obſcuritas Chriſto non competit.

Solutio.

Reſpondeo Nos interim non agere de Prophetia vt habet obſcuritatem annexam, ſed in quantum eſt certa & infallibilis prædictio rerum futurarum, & ille Propheta longè excellentior, qui res futuras prædicit clarè, quàm qui obſcurè. Et dico ſecundùm D.Th. hic art. 8. in ſolutione ad 1. Quamuis Chriſtus habuit plenam & apertam notitiam quantum ad partem intellectiuam, tamē etiā habuit in parte imaginatiua quasdā ſimilitudines in quibus etiam ſpeculari poterat Diuina, ſiquidem non ſolùm erat comprehenſor ſed etiam viator. Et ſub hac ratione potuit cùm aliqua obſcuritate futura videre

Obiectio 2.

Obiicies 2. Si Deꝰ aut aliquis beatꝰ reuelaret nobis futura, hic non eſſet Propheta, quia de ratione Prophetæ eſt vt habeat cōuictū cū illis quibꝰ prophetat. Sed Chriſtꝰ ſecūdū ſuppoſitū erat Deꝰ, ſecūdū humanitatē fuit beatus. Ergo nō fuit Propheta.

Chriſtus nō fuit omnibus modis beatus.

Reſpondeo quòd Chriſtꝰ non fuit modis omnibus beatus, quia etiam ſecūdū paſſibile corpꝰ fuit viator multis ærumnis, doloribus, & morti obnoxius vnde ad militātē Eccleſiam pertinebat, & ſic illiꝰ fuit Propheta.

QVÆ-

QVÆSITVM VI.

Gratia habitualis qualis & quanta fuerit in Chriſto?

33. DVo præcipua explicabimus. *Primò* Plenitudinem gratiæ. *ſecundò.* Quantitatẽ illius Quantum ad plenitudinem.

Gratia habitualis in Chriſto fuit perfectè totaliter &c

Dico primò. *quòd hæc in Chriſto fuit perfectè totaliter & quo ad intenſionem & quo ad virtutem.* PROBATVR quo ad intenſionem, quia in Chriſto fuit ſecundùm perfectiſſimum modum, ſecundùm quem haberi poteſt, ſiquidem illius anima fonti & cauſæ gratiæ ipſi v. Verbo hypoſtaticè vnita erat; quodlibet autem receptiuum quantò eſt propinquius fonti tantò abundantius ex illo recipit.

Probatur ſecundò. Quia ex anima Chriſti gratia debuit in alios homines diffundi, oportuit ergo vt eſſet maxima, ſicut calor in igne eſt maximus à quo omnia alia caleſcunt.

Probatur quo ad virtutem. quia principium vniuerſale extendens ſe ad omnes effectus poſſibiles qui ab illo produci poſſunt, debet habere plenitudinem virtutis; ſicut ſol eſt principium vniuerſale generationis extendens ſe ad omnia, quæ cadunt ſub generationem, & ideo in ſole reſidet plenitudo virtutis generandi. Sed gratia Chriſti extendit ſe ad omnes effectus gratiæ producẽdos tanquam principium vniuerſale. Ergo plenitudo virtutis gratiæ fuit in Chriſto.

34. Dico ſecundò, *Hæc talis plenitudo Chriſto tanquam propria attribuitur.* PROBATVR. Quia Chriſtus eſt vnigenitus à Patre. Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.*

Nota quòd gratia dupliciter conſiderari poteſt. *primò.* Ex parte gratiæ, & ſic eſt Chriſto propria, quia ſolus habuit gratiam in maxima excellentia: & quo ad eſſentiã, & quo ad virtutem, in quantum haberi poteſt. *ſecundò.* ex parte ſubiecti; & ſic & in aliis Sanctis fuit per Chriſtum ſecundùm menſuram in quantum ad aliquod munus ordinabantur. Et ſic B. Virgo quia ad dignitatem altiſſimam Matris Dei ordinata fuit, ideo poſt Chriſtum maximam plenitudinem accepit. *Similiter* & S. Stephanus dicitur, Plenus Spiritu S. ad confundendos Iudæos. Gratia dupliciter cõſiderari poteſt.

35. QVANTVM ad quantitatẽ gratiæ. Dico primò. *Certum eſt quòd gratia vnionis hypoſtaticæ ſimpliciter eſt infinita,* quia Perſona in qua hæc vnio celebrata eſt, eſt infinita ſimpliciter Sed gratia habitualis in genere Entis ſeu qualitatis ſic eſt finita, quia eſt quid creatũ, & in ſubiecto creato & ideo in finito, v. in anima Chriſti exſiſtit. Hæc eadem gratia habitualis in genere gratiæ conſiderata poteſt dici infinita Quia non limitatur ad aliquem certum effectũ, ſed ad omnes poſſibiles effectus gratiæ ſe extendit. Ex quo iam. Gratia habitualis in Chriſto quanta?

Corollariũ.

Collige non poſſe ſubſiſtere vt quidam aſſerunt modum quendam realem intrinſecum ratione cuius gratia habeat infinitatem. *Et ratio eſt* quia hic modus ex vnione hypoſtatica debet reſultare. Ergo aut per ſimplicem emanationem? aut per actionem? Non per emanationem, quia Verbum per ſuam proprietatem relatiuam hoc eſt per filiationẽ terminat humanitatem, & ſolum illi tribuit *eſſe* perſonale Verbi, ita quòd per ſubſiſtentiam Verbi immediatè ſubſiſtat. Ergo vnio hypoſtatica nõ tribuit gratiæ habituali aliquem modum infinitum. Non per actionem, quia quilibet modus realis cum illa forma à qua eſt productus identificatur: vt modus albedinis identificatur cum albedine. Sed impoſſibile eſt quòd Verbum Diuinum cum illo modo reali qui eſt res creata vt identificetur, nam aliàs creatura idẽ eſſet quòd Deus.

Corollariũ ſecundum.

36. *Collige ſecundò.* Sententiam Scoti eſſe reiiciendam, quæ habetur *in 3. diſt. 13. quæſt. 1.* Similiter Duran. Mag. Alb. qui dicunt Gratiam in *Eſſe* gratiæ eſſe infinitam per extrinſecã acceptationem, quia hoc modo gratia puræ creaturæ potuit communicari, nam potuit Deus per abſolutã ſuam potentiam puræ creaturæ merita ad infinitum præmium, & ad ſatisfaciendum pro infinitis peccatis acceptare, & ſic Verbi incarnatio non eſſet neceſſaria.

Quomodo gratia infinita?

Collige tertiò. quòd ſicut lux ſolis quæ ſe extendit ad omnes actus generationis poſſibiles, dicitur eſſe infinita: ſic & gratia Chriſti erit infinita, in quantum ad omnes effectus poſſibiles tam gratum faciẽtis, quã gratiæ gratis datæ extendit ſe.

Probatur Ad Epheſ. 4. *Vnicuiq; noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Et Ioan. 3. *Non ad menſuram dat Deus Spiritum Filio, id eſt Chriſto.* Et D. Aug tract. 14 in Ioan. dicit: *Menſura eſt Diuina quadam diuiſio donorum.* alii enim datur per ipſũ ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, ſed Chriſtus qui dat non accepit ad menſuram. *Ex quo ratio conſurgit* Chriſto data eſt gratia abſque menſura, quia ille eſt principium vniuerſale ad omnes effectus gratiæ vniuerſaliter producendos: aliis autem iuſtis in particulari ad hunc vel ad illum effectũ producendum data eſt. Ergo in Chriſto fuit gratia infinita.

37. *Collige quartò.* Gratia in *Eſſe* gratiæ fuit adhuc in Chriſto infinita ſecundùm dignitatem moralem, quæ deſumitur ex infinitate ſuppoſiti Verbi, quòd quidem erat principium productiuum operationum. Et hæc quidem moralis infinitas quam in gratia Chriſti ponimus, licet ſit extrinſeca ipſi gratiæ conſideratæ in *Eſſe* Phyſico, ſed in genere moris eſt illius intrinſeca perfectio, nam per ſe attenditur ex infinita dignitate ſuppoſiti operantis.

Gratia in Eſſe gratiæ in Chriſto infinita.

Sed quæres. An gratia habitualis Chriſti ſit eiuſdẽ ſpeciei cum gratia aliorum hominũ. *Reſpõdeo* Gratia habitualis cõſiderata quo ad Eſſentiã, ſeu in ſuo *Eſſe* phyſico, fuit eiuſdem ſpeciei; ſed conſiderata ſecundùm modum eſſendi ratione ſubiecti nõ eſt eiuſdem ſpeciei. Declarat hoc Caietanus ſic. Calor ignis quoad ſuam eſſentiam eſt eiuſdem ſpeciei cum igne in aere & in aliis mixtis; ſed quo ad modum eſſendi vt v. in ſubiectis recipitur, iam differt ſpecie; nam in igne tanquam in ſuo princi-

An gratia habitualis Chriſti ſit eiuſdẽ ſpeciei cũ gratia aliorum hominum?

principio reſidet ſecundùm omnē intenſionem qua ſe ad omnes effectus extendit, & ſecundùm omnē virtutem, v. calefaciendi, exſiccādi, inflammandi: at verò in aere & in aliis miſtis non eſt ſecundùm eam plenitudinem ſed ſub menſura. Idē de Gratia dicendum, quòd quo ad ſuā Eſſentiā eadem eſt ſpecie; ſed quo ad modū eſſendi ſeu quoad ſubiecti in quo recipitur rationē, eſt diuerſæ ſpeciei; nā Chriſto ſecūdū plenitudinē cæteris ſub mēſura eſt data

Gratia habitualis nō augetur.

Quo ad quantitatem gratiæ. *An augeri poſſit. quòd gratia habitualis Chriſti non augeatur.* PROBATVR Non ex parte gratiæ, quia iam ad ſummum deuenit, quoties autē aliquod ſubiectum attingit ad vltimum perfectionis, quam talis forma habere poteſt, tunc iam augeri non poteſt, ſiquidem ſummo nihil addi poteſt. Non ex parte ſubiecti, quia Chriſtus ab inſtanti conceptionis fuit beatus, vnde iam in termino, quoties autem aliquid attingit terminū, iam non augetur.

An poſſit augeri de abſoluta Dei potentia?

38. *Sed quæres.* An de abſoluta Dei potentia poſſit augeri? *Reſpondeo.* quòd gratia habitualis in *eſſe* qualitatis ſeu gratiæ magis intenſa eſſe potuit, quàm fuit in Chriſto. Nam D. Th. hic art. 12. ad 2. dicit quòd virtus Diuina poſſit aliquid facere maius aut melius quàm ſit habitualis gratia Chriſti, v. in quātum eſt in *Eſſe* qualitatis.

Obiectio.

Sed dices. Ergo Deus Chriſto potuit quid melius & perfectius producere. *Reſpondeo* Negando conſequentiam. quòd non poſſit quia ex vnione ad Verbum habet tantam bonitatem quā iam maior cogitari non poteſt, nam Deo nihil melius cui humanitas Chriſti vnita eſt. Vnde ſi Gratia conſideretur ſecundùm ſuam dignitatem quàm à ſuppoſito Diuino accipit quod eſt infinitum, & gratia quoque eſt infinita; infinitum autem ex ea parte quā eſt infinitum augeri non poteſt. Ergo nec gratia augebitur,

Solutio ei9

QVÆSITVM VII.

Gratia habitualis quem ordinem habeat ad vnionem hypoſtaticam?

Gratia vnionis præcedit gratiam habitualem

39 DIco cum S. Doctore, art. 13. *Gratia vnionis præcedit gratiam habitualem, non ordine temporis, ſed naturæ & rationis.* PROBATVR Iſaiæ 42. cùm enim dicit: *Ecce puer meus, ſuſcipiam eum*: ſignificat his verbis ſuſceptionem naturæ humanæ in vnitatem perſonæ. Poſtea cùm dicit: *Dedi ſpiritum meum ſuper eum*: ſignificat habitualem gratiam. Ergo vnio præcedit habitualem gratiam. Probatur quoq; rationibus D. Th.

40. *Ratio prima.* Vnio perſonalis in natura humana facta eſt immediatè per hypoſtaſim & miſſionē Verbi, gratia autem habitualis datur per miſſionem Spiritus S. atqui miſſio

Filij eſt prior miſſione Spiritus S. Ergo & vnio hypoſtatica prior habituali gratia.

Nota. Licet in proceſſionib⁹ Diuinarum Perſonarum non detur prius & poſterius ordine naturæ, tamen datur ordine originis, vt in tractatu de Myſterio SS^mæ^ Trinitatis oſtendimus.

Ratio ſecunda. Præſentia Diuinitatis eſt cauſa gratiæ habitualis, eo modo ſicut ex præſentia ſolis cauſatur lumen in aere. Sed præſentia Dei Chriſto eſt per vnionem hypoſtaticam, gratia verò habitualis habet ſe vt illam cõſequens. ergo vnio eſt prior. *Præterea.* Gratia ordinatur ad actus. ſed actus ſunt ſuppoſitorum. Ergo gratia præſupponit ſuppoſitum. Ergo vnio ſuppoſiti Diuini præcedit gratiam.

Obiectio. 41. *Sed obiicies.* Gratia habitualis fuit diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam, ſiquidem natura humana vt ſit aſſumptibilis debet eleuari & diſponi per gratiam; & ſic gratia diſponendo præcedit vnionem. *Reſpondeo.* Nullo modo eſſe concedendum, quòd gratia præceſſerit vnionem hypoſtaticam. *Ratio.* quia prius eſt actu eſſe ſubſtantialiter quàm receptio perfectionum accidentalium. ſed gratia habitualis eſt perfectio accidentalis. Ergo illius receptionem præceſſit *eſſe* ſubſtantiale, & hoc eſt vnio hypoſtatica. Ergo hæc præceſſit. *Deinde* Vnio hypoſtatica ſecundùm fidem (vt iam probatum eſt) ſubſtantialis eſt, ſed ſi mediante accidente, qualis eſt gratia, eſſet facta, iam accidentalis eſſet, quod eſt falſum.

Solutio ei⁹

Ad argumentũ reſpondeo. quod natura humana ex ſua natura non eſt aſſumptibilis, quia hoc non eſt eius eſſentia nec proprietas naturalis, ſed eſt in potentia obedientiali, vt ſit aſſumptibilis, & ſic gratia diſponente non indiget vt vniatur ad Eſſe perſonale Diuinum, nam ſine vlla infuſione gratiæ ordinatur ad *Eſſe* perſonale Diuinum. Reſponſio ad argumentum.

Dices atqui in alijs Sanctis gratia præcedit diſponens. *Reſpondeo* id in Sanctis eſſe concedendum, ſed in Chriſto nequaquam. nam Anima Chriſti ſimul atq; condita eſt, fuit beata non ex meritis quæ proceſſerint ex gratia, ſed ex vnione hypoſtatica, nam propter hanc habuit beatitudinis gloriam, tum & gratiæ infuſionem. Obiectio. Et eius ſolutio.

DISPVTATIO VIII.

De Gratia Chriſti inquantum eſt Caput Eccleſiæ.

Sex inquirenda proponimus:

1. An Chri-

1. *An Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ?*
2. *An ſit Caput omnium hominum?*
3. *An ſit Caput Angelorum?*
4. *Per quam gratiam ſit Caput?*
5. *An ſolus ſit Caput?*
6. *An Diabolus & Antichriſtus ſint caput omnium malorum?*

QVÆSITVM I.
An Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ?

Eccleſia qualẽ eſt corpus?

1. NOta frequentiſſimum eſſe Scripturæ, quòd Eccleſiã appellet CORPVS, non quidem naturale ſed myſticum, idq; propter conuenientiam quæ datur inter Eccleſiam & Corpus humanum. Vnde inquirimus huius corporis myſtici, ſ: Eccleſiæ *quodnam ſit caput?* Pro reſponſione.

Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ.

Dico primò. *Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ.* PROBATVR. 1. Corinth. 6. *Neſcitis, quod corpora veſtra ſint membra Chriſti.* & ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* & ib. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ.* Et *Ratio eſt* D. Th. Chriſtus ſecundùm ſimilitudinem humani capitis dicitur eſſe Caput Eccleſiæ. ſed in capite humano ſunt tria: *primò* Ordo, quia caput eſt primaria & præcipua pars hominis. *ſecundò* Perfectio, quia in capite vigent omnes ſenſus tàm interiores quàm exteriores vno excepto tactu. *tertiò* Virtus, quia motus cæterorum membrorũ, & eorum in ſuis actibus gubernatio à capite prouenit propter vim ſenſitiuam & motiuam in eo dominantem. *Subſumo.* ſed hæc tria ſpiritualiter Chriſto conueniunt: *primò* ordo, quia illius gratia eſt ſuperior & altior propter propinquitatem ad Deum. *ſecundò* perfectio, quia in eo eſt plenitudo omnium gratiarũ, vt iam dictũ. *tertiò* virtus, quia vim habet influẽdi gratiã in nos omnes, qui ſumus membra Eccleſiæ. nam de eius plenitudine nos omnes accepimus. Ergo Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ.

In capite humano quot & quæ?

2. *Sed obijcies.* Potiùs Chriſtus debuit dici COR *Eccleſiæ*, quia cor eſt fons vitæ, primum viuens & vltimũ moriens. *Reſpondeo* ſolùm Ariſtotelem ex antiquis tantùm tribuere cordi. nam Hippocr. Gal. Plato, ob rationes euidentes potiùs Caput præſtantiùs corde aſſerunt. Nos ad præſens dicimus, ideo Chriſtũ appellari *Caput*, quia vt caput eſt manifeſtũ ob ſuam eminentiam ſupra alia corporis membra; ita Chriſtus in carne noſtra manifeſtatus eſt, & viſibilis factus. vnde potiùs *Caput* debet dici. Cor verò licet ſit fons vitæ, tamẽ influentiam in alia membra occultã habet Vnde potiùs Spiritus S. dicitur *Cor Eccleſiæ*, quia inuiſibiliter Eccleſiam viuificat.

Obiectio. Ei⁹ Solutio. Quare Chriſtus appellatur Caput. Obiectio altera.

3. *Inſtabis ſecundò.* ſi Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ. Ergo illius eſt membrum ſi-

brum, ſiquidem caput corporis naturalis eſt illius membrum. *Reſpondeo.* Altiſiodor. admittit poſſe dici, quòd Chriſtus inquantum homo ſit membrum Eccleſiæ. Et *Confirmatur* 1. Corinth. 12. *Vos eſtis membra Corporis Chriſti, & membra de membro.* ſ: de Chriſto qui eſt membrum præſtantiſſimum.

Chriſtus nō eſt membrū Eccleſiæ.

Sed dico cum S. Doct. in 3. diſt. 13. q. 2. a. 1. ad 6. Nullo modo debere concedi, quòd Chriſtus ſit membrū Eccleſiæ. Et *ratio eſt.* quia membrum ſeu pars importat ſecùm dependentiam influxus ab alijs mēbris, quod nullo modo de Chriſto dicendum, etiam inquantum eſt homo, nam à nullo homine influxum ſpiritualis vitæ recipit, ſed immediatè ab ipſo Deo cui illius humanitas eſt vnita.

Ad verba Apoſtoli in quibus nos membra de membro v. de Chriſto appellat, & ſic videtur Chriſtum appellare membrum. dico. quòd Chriſtus vt homo poteſt dici membrum ſed cum ea limitatione, in quantum v. à Chriſto vt eſt Deus, recipit influxum gratiæ.

Chriſtus in quàtum eſt Deus homo eſt Caput Eccleſiæ.

4. Dico ſecundò. *Chriſtus inquantum Deus homo eſt Caput Eccleſiæ.* PROBATVR. Chriſtus enim ſecundùm humanitatem eleuatam à gratia merebatur, & hoc ipſum meritum à ſuppoſito Verbi infinito, valorem infinitum capiebat, & tum demum extendebatur ad omnia membra Eccleſiæ, quatenus illis meruit & pro eis ſatisfecit. D. Aug. in lib. de Trin. dicit, quòd Chriſtus non eſſet Dei hominumq; mediator, niſi eſſet idē Deus & homo, quia merita Chriſti non fuiſſent ad plenum ſatisfactoria niſi à perſona Verbi proceſſiſsēt.

5. Dico tertiò. *Chriſtus non ſolùm ſecundùm corpus ſed etiam ſecundùm animam eſt Caput Eccleſiæ, erat influens principaliter in animas hominum, ſecundariò in corpora.* PROBATVR. Humanitas Chriſti ex vnione ad Verbū duo accipit. *primò* plenitudinem gratiæ. *ſecundò* vim influendi, ita quòd receptam in anima ſua gratiam per corpus principaliter in animas diffundit influendo dona ſpiritualia. in corpus verò, quia verè in corpore ſuo tulit peccata noſtra, & pro illis paſſus & mortuus, vt efficeret corpora noſtra, vt eſſent membra iuſtitiæ contra iniquitatem. & in myſterio Euchariſtiæ nobis ſuum Corpus reliquit. & ad Rom: 8. *Qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora noſtra.* Et tandem ille influxus beatificus ſequetur cùm reformabit corpus humilitatis noſtræ cōfiguratum corpori claritatis ſuæ.

6. *Sed quæres.* Chriſtus vt homo an efficienter an verò formaliter influit in homines qui ad corpus Eccleſiæ ſpectant? *Reſpondeo* quòd Scot. tenet in 3. diſt. 37 Palud. diſt. 4. Dur. in 3. diſt. 13. & quidam Thomiſtæ. quòd humanitas Chriſti in hoc influxu non habet efficientiam Phyſicam ſed ſolùm naturalem. Sed hoc non obſtante.

Dico *Humanitatem Chriſti & moraliter & efficienter cauſare gratiam, & alios effectus ſupernaturales, non ſolùm in hac vita præſenti exſiſtens, ſed etiam modò dum regnat in cælo.* PROBATVR, *quòd ſit cauſa moralis.* nam per humanitatē Chriſti meruit, ergo humanitas moraliter ſe habet ad productionem gratiæ, & paſſim conceditur. PROBATVR quoq; *quòd fuerit cauſa efficiens.* nam humanitas eius fuit inſtrumentum coniunctum Diuinitati, ex qua in

qua in eam virtus Diuina redundabat, efficienter hos ipſos effectus producens. nam Marci 5. *ad tactum mulieris profluuio ſanguinis laborantis, cognouit Chriſtus in ſeipſo quod virtus de illo exierat.* & Lucæ 6. dicitur: *Virtutes ex illo exibãt & ſanabat omnes.* & ſuſcitando Lazarum exclamauit, *Lazare veni foras*, vt innueret Verbum Diuinum voci huic tribuiſſe virtutem ſuſcitandi Lazarum. *Tum* miracula quæ fecit Chriſtus per contactum ſui corporis exercuit, vt cùm cæcum à natiuitate ſanauit, illius oculos liniuit, & ſurdum, & mutum ſanitati reſtituit, mittendo digitos in aures eius. vnde Concil. Epheſ. Carnem Chriſti appellat viuificatricem propter vnionem ad Verbum quod habet vitam Diuinam.

Et addo contra Med. *quod humanitas eſt quidem cauſa effectiua producens gratiam, at non principalis, ſed ſolùm inſtrumentalis.* PROBATVR. quia gratia eſt quædam participatio Diuinæ naturæ. ergo ſolus Deus eſt illius cauſa principalis. *Sequela.* ſicut enim impoſſibile eſt quod aliquid igniat, vt cauſa principalis ſi non ſit ignis, quia ignire eſt communicare naturam ignis. ſed gratia eſt communicatio Diuinæ naturæ. ergo impoſſibile eſt vt aliquid ſit cauſa principalis gratiæ & non ſit Deus.

QVÆSITVM II.
An Chriſtus ſit Caput omnium hominum?

Chriſtus eſt Caput omniũ hominum.

7. DIco ad Quæſitum affirmatiuè. *Chriſtus eſt Caput omnium hominum.* PROBATVR 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam totius mundi.* ſed eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi competit Chriſto inquantum eſt caput omnium hominum. ergo eſt caput omnium.

Inter Corpꝰ Naturale & Corpus myſticum quæ eſt differentia?

Noto hic duo ex corpore articuli 3. *primò* differentiam inter corpus naturale & corpus myſticum v. Eccleſiæ, quia corporis naturalis membra ſunt omnia ſimul, corporis autem myſtici membra non ſunt omnia ſimul, neq; quoad *Eſſe* naturæ, ſiquidem corpus myſticum conſtituitur ex hominibus qui fuerunt à principio mundi, & erunt vſq; ad finem: nec quoad *Eſſe* gratiæ, quia multi sũt qui carent gratia Chriſti, poſtmodum autem illam ſunt habituri.

Chriſtus ſecundũ quos gradus ſit caput Eccleſiæ?

8. *Noto ſecundò.* quòd Chriſtus ſecundùm quinque gradus eſt Caput omnium hominum. *primò* principaliter eſt caput illorum qui illi actu vniuntur per gloriam. *ſecundò* eorũ qui ei actu vniuntur per charitatẽ. *tertiò* eorum qui ei actu vniuntur per fidem. *quartò* eorum qui ei vniũtur potentia ſola, nondum reductâ ad actum, ſed quæ tamen reducenda eſt ad actum ſecundùm Diuinam prædeſtinationem. *quintò* eorum qui ſunt in potentia nunquam reducenda ad

da ad actum, vt ſunt homines viuẽtes in hoc mundo qui non ſunt prædeſtinati, & hi ex hoc ſæculo recedentes totaliter deſinunt eſſe mẽbra Chriſti.

Obiectio.

9. *Sed obiicies.* Si Chriſtus eſt Caput eorum qui ſunt in potentia, ergo erit illorum caput non actu ſed in potentia. *Reſpondeo.* negando cõſequẽtiã, & dico quod duo in capite conſiderari poſſunt. *primò* ipſum *Eſſe* capitis. *ſecundò* actualis vnio membrorum ad ipſum. Chriſtus igitur actu habet quicquid ſpectat ad *Eſſe* capitis, & de ſe potens eſt ad influẽdum in omnia membra, ſi illi coniungi volunt. *Præterea* Chriſtus in hæc membra habet actualem influẽtiam immittendo inſpirationes, illuſtrationes, quibus eos ſenſim ad ſuam fidem & charitatem trahit.

Quæ & quot in capite conſiderare poſſimus?

10. *Sed quæres.* An Chriſtus eorũ qui erant in ſtatu innocentiæ fuerit Caput? *Reſpondeo* affirmare Suarem *diſp. 23. ſect 1.* ſed probabilius eſt, quòd non fuerit illorum caput. ita Soto *libro de Nat. & Grat. c. 6.* Aluarez *de Aux. diſp. 40.* Vaſquez *diſp 48.* PROBATVR. quia hoc magis conſonum eſt menti S. Doct. nam hic determinauimus, quòd ſi Adam nõ peccaſſet, Verbum incarnatum non fuiſſet ſi igitur non fuiſſet incarnatum, neq; caput Adæ eſſe poterat. aut dicendum, quòd eſt contra ſententiam D. Th. ſi ex meritis Chriſti eſt gratia in ſtatu innocentiæ. ergo etiam non exſiſtente peccato Verbum fuiſſet incarnatum ad continuandam gratiam innocentiæ. *Deinde* quia Chriſtus inquantum homo fuit cauſa efficiens meritoria, illius ſolùm gratiæ per quam homines liberãtur à peccato, venit enim tanquam medicus, & vt Redemptor ſaluare & redimere quod perierat. ſed in ſtatu innocentiæ nullus erat infirmus, nec quicquam perierat. ergo illius non erat caput.

An Chriſt. eorum qui erant in ſtatu innocentiæ fuerit Caput?

11. *Sed quæres.* An peccatores ſint membra Capitis Chriſti? *Reſpondeo* negare Thurecrem. lib. 1. ſuæ ſũmæ *c. 8. ad 7. & c. 11. ad 9.* & Melch. Can. *libro 4. de locis, capite vltimo ad 9* qui dicit, quòd peccatores qui ſunt deſtituti charitate licet fidelium formam retineant, non eſſe tamen membra Chriſti ſed partes, quæ vitam non important ſecundum ſicut membra. Nihilominus dicimus, *quòd peccatores fideles ſunt membra Chriſti.* PROBATVR. Eccleſia enim cuius Chriſtus. eſt caput non ſolùm ex bonis ſed etiam ex malis conſtat ſiue hi occulti ſint ſiue manifeſti, ſiue pœnitentes ſiue impœnitentes. Et fauet Scriptura quæ regnum cælorum aſſimilat ſagenæ miſſæ in mare, quæ ſignificat præſentem Eccleſiam. ex omni genere piſciũ hoc eſt diuerſarũ gẽtiũ tã bonos quàm malos congregãtẽ; ex qua boni in vaſa eliguntur, mali in tenebras exteriores mittuntur. *Tum* & decem virginibus ſimile dicitur Regnum cælorum, quarum quinq; ſapientes quinque fatuæ, & hæc eſt mens S. Doct. qui eorum qui Chriſto tanquam capiti vniuntur diſtinctum gradum eorum facit, qui per fidem ſolam vniuntur à gradu qui ei per charitatem coniunguntur.

An peccatores ſint mẽbra ca. Christi?

12. Et *contra* Canum dicimus, quòd nomẽ *partis* licet in ſua ratione communi non includat vitam, illa tamen pars quæ eſt corporis viuentis profectò vitam includit. ſed Eccleſia eſt corpus viuens. ergo & peccatores

peccatores cùm ſecundùm illud ſint partes, erunt partes viui corporis viuentes, vt enim in corpore naturali mortificatum membrum aliquo modo tamen ab ipſo homine nutritur & ſuſtentatur, ita & peccatores accipiunt actum vitæ, v. credendi gratiæ excitantis, & ſic aliquo modo viuificantur. hi tamen peccatores non ſunt verè viua membra Chriſti, licet quàm maximam fidem Chriſti retineant. Expreſsè enim definiuit Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. *Fides niſi ſpes accedat & charitas, neq; perfectè vnit cum Chriſto, neq; corporis eius viuum membrum efficit.*

QVÆSITVM III.
An Chriſtus ſit Caput Angelorum?

13. MAgiſter Sotus in 4. *diſt.* 49. Gabr. eadem *diſt. q. vnica, a.* 3. *dubio* 2. docent. quòd Chriſtus inquantum Deus, ſit illorũ caput, quia mẽbra debent eſſe eiuſdem rationis cum capite. ſed Chriſtus vt homo non eſt eiuſdem rationis cum Angelis, quia nuſquam Angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ. ſed contra tenendo oppoſitum.

Chriſtus inquantũ Homo eſt verè caput Angelorum.

Dico *Chriſtus Dominus inquantum homo eſt verè caput Angelorum*. PROBATVR locis Scripturæ. ad Coloſ. 2. *Eſtis in illo repleti qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis*. ad Hæbr. 1. *Et adorent eum omnes Angeli eius* & cap: 2. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*, in eo quod ſubiecit ei omnia nihil dimiſit non ſubiectum. ſed hæc loca nõ poſſunt exponi de Chriſto vt eſt Deus, nam nihil habet ſpeciale Chriſtus ob quod Angelorum eſſet caput, ſiquidem vt Deus etiam hoc cũ Patre & Spiritu S. haberet. Et *ratio eſt* S. Doct. Chriſtus eſt Caput totius corporis myſtici. ſed hoc conſtat ex Angelis & hominibus, quia hi omnes ad vnum finem v. ad gloriam ordinantur. ergo vt homo eſt caput Angelorũ. *Præterea* quia Chriſtus ſecundùm animam rationalem eſt conformis Angelis, & ob vnionẽ cum Diuinitate eſt illis perfectior in bonis ſpiritualibus. Et cùm ea ſit ratio Beatorum, vt qui plura vident in Verbo, illuminent eos qui ſunt in gradu inferiori. ergo animæ Chriſti conueniet illuminare Angelos, & ſic habetur Iſa. 63. vbi Angeli tanquam dubij de Myſterio Incarnationis inquirunt: *Quis eſt iſte qui venit de Edon tinctis veſtibus de Boſra, &c.* quibus Chriſtus vt homo reſpondet. *Ego qui loquor iuſtitiam & propugnator ſum ac Saluator*. & ad Epheſ. 3. manifeſtè dicitur: *Vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus cæleſtibus per Eccleſiã multiformis ſapientia Dei* Ergo ſi Angeli à Chriſto & ab eius Eccleſia illuminantur in myſteriis gratiæ, erunt membra Chriſti.

Chriſt⁹ Dominus principalius eſt caput hominum.

14. Dico ſecundò. *Principalius tamen Chriſtus Dominus eſt caput hominum* Ratio quia illorum cauſa factus eſt homo & eoſdem ſuo ſanguine redemit, & in perſona ſua eoſdem docuit, & à peccatis iuſtificat.

AnChriſtus in ratione meriti & redemptionis ſit caput Angelorũ?

Sed quæres. An Chriſtus in ratione meriti & redemptionis ſit caput Angelorum? *Reſpondeo* Quidam affirmant vt Viguerius lib. in Inſtitut. Theol. cap. 3. & 10. Catherinus l. de Gloria Ang. Quòd ex præuiſis meritis Chriſti Angelis & gratia & gloria eſſentialis ſit collata. ſed contrarium tenendo.

15. Dico *Quòd Chriſtus non meruit Angelis præmium eſſentiale.* PROBATVR Quia (vt ex Scriptura euidens eſt) Chriſtus pro Angelis non eſt Incarnatus, nec paſſus nec mortuus; vnde Angeli annuntiantes Natiuitatem Chriſti paſtoribus dicunt *Natus eſt vobis hodie ſaluator,* non dicunt: *Nobis,* quaſi vna & pro Angelis ſit natus, ſed dicunt *Vobis* quia ſolum pro redemptione hominum eſt natus. *item* Quia non exſiſtente peccato primi parentis Filius Dei non eſſet incarnatus: Angeli tamen fuiſſent conſecuti gratiam & gloriam eſſentialem, quá nunc fruuntur. ergo ex nullis meritis Chriſti hanc obtinuerunt. *Deinde* Iidem Angeli ante aduentum Chriſti iam gloria cæleſti fruebantur. Sed ſi per Chriſtũ eam obtinuiſſent, debebãt expectaſſe vt Patres in lymbo, donec Redemptionem perfeciſſet.

Obiectio.

16. *Sed obiicies.* Ad Epheſ. 1. *Deus Pater propoſuit inſtaurare omnia in Chriſto quæ ſunt ſiue in terris, ſiue quæ in cælis. Reſpondeo.* Chriſtus vt homo inſtaurauit ea quæ ſunt in cælis in quantum per redemptionem homines ad gloriam æternam perduxit, & in quantum ex illis ruinas impleuit ex quibus mali Angeli ſunt prolapſi.

Solutio eius.

Obiectio altera.

Obiicies ſecundò. Chriſtus vt homo eſt primus prædeſtinatorum & primum in vnoquoque genere eſt cauſa efficiens aliorum quæ ſub illo genere continentur. ergo etiam Chriſtus eſt primus omnis gratiæ gloriæ & p cõſequẽs meruit Angelis gloriam. *Reſpondeo* Id quod eſt primum in aliquo genere non eſt neceſſe vt ſit cauſa efficiens, nam homo in genere animalis eſt primus & hic nõ eſt cauſa aliorũ animaliũ. Vnde potius Chriſtus, eſt Exẽplar totius gratiæ, & ſanctitatis, ad quã qui propinquiùs accedit ſiue ſit Angelus ſiue homo, eſt gratior Deo.

Ad eam reſponſio.

QVÆSITVM IV.

Per quam gratiã Chriſtus eſt caput?

In Chriſto triplex eſt gratia.

17. SEcundùm ſuperius determinata ſciendum eſt. In Chriſto triplicẽ eſſe gratiam. *Prima eſt.* Gratia vnionis hypoſtatica per quam natura humana ſubſiſtentia Verbi eſt terminata *Secunda eſt.* Gratia habitualis quæ ſignificat animam Chriſti & gratam ſuper omnia facit *Tertia* Gratia capitis quæ influit in fideles tanquam in membra gratiam & gloriam. Quæ ſic differunt quia Gratia vnionis importat *eſſe* perſonale Diuinum, & ſic hæc gratia eſt prima inter omnes: Eſt quoq; ſingularis, quia nulli alteri præterquam Chriſto eſt conceſſa. *Deniq;* non eſt habitus nec qualitas ſicut gratia

Quomodo differunt hæ gratiæ?

gratia habitualis, ſed omnium gratiarum donorum & habituum ſupernaturalium eſt principium & radix. Gratia verò habitualis eſt quædam qualitas Diuinitus infuſa ad hoc vt animam Chriſti Deo gratiſſimam faciat, & per hanc Chriſtus totum promeruit. ad Quæſitum ergo.

Per gratiã habitualem eſt Chriſto caput Eccleſiæ Gratia capitis & gratia habitualis quo modo diſtant?

18. Dico *Chriſtus Dominus per gratiam habitualem eſt Caput Eccleſiæ ſiquidem gratia habitualis & gratia capitis ſecundùm eſſentiam eſt eadem, differunt tamen ſecundùm rationem.* Ita *tenet hic D. Th. art. 1.* Et Sent. *in 3. diſt. 13.* vt D. Bonau. Richard. Gabriel. & alii. PROBATVR Sicut eadem eſt forma per quam agens in ſe perficitur & qua agit in alia ita & gratia habitualis eſt, qua Chriſtus ſecundùm animam perficitur in ſe & qua agit in alia v. in fideles, in eos tanquam in membra influendo.

Confirmatur ratione D. Thomæ. Vnũquodque agit inquantum eſt Ens actu, & ille actus idem eſt quo aliquid eſt actu & quo agit, ſicut idẽ eſt calor quo ignis eſt calidus, & quo calefacit. Hoc autem agens ſecundùm quod actu agit in alia. debet habere eminentiam vt ex illa in alios deriuetur influxus. Et ſic gratia habitualis hanc eminentiam in Chriſto habuit, ſiquidem de plenitudine eius nos omnes accepimus, & ſic per gratiam habitualẽ Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ.

Gratia habitualis.

Dico tertiò. *Gratia habitualis ſecundùm quandam rationem poteſt dici vnionis, capitis, & perſonalis,* vnionis *vt eam conſequitur,* Capitis *in quantum redundat in alios,* Perſonalis *inquantum perficit animam Chriſti.*

QVÆSITVM V.
An eſſe Caput Eccleſiæ ſit proprium Chriſto?

19. AD Quæſitum Dico Primò *Soli Chriſto conuenit eſſe caput Eccleſiæ.* PROBATVR Quia capiti proprium eſt influere in membra. Sed Chriſtus ſecundùm influxum interiorem influit; & Chriſti humanitas cum ſit ſummè coniuncta Diuinitati, ab illa habet vim influendi. *Tum* & ſecundùm exteriorem gubernationem, ſiquidem eſt caput omnium, ſoli Chriſto competit eſſe Caput Eccleſiæ.

Quomodo Sũmus Pontifex ſit caput Eccleſię

Dico ſecundò. *Summo Pontifici & aliis Epiſcopis conuenit vt ſint Caput Eccleſiæ, ſed diuerſa ratione.* Nam Summus Pontifex eſt caput totius Eccleſiæ, ſed ſecundùm determinatum tempus; alii verò Epiſcopi ſecundùm determinata & loca & ſpeciale tempus vitæ ſuæ, Chriſtus autẽ eſt Caput Eccleſiæ ſecundùm omne tempus & omnem locum.

Eccleſia nõ eſt biceps.

20. Dico tertiò. *Quando ſtatuimus Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, ſimiliter & Papam non eſt dicendum hæretico ore quòd Eccleſia ſit biceps.* Nam quamuis Chriſtus & Papa ſint duæ perſonæ, nihilomi-

hilominus Papa Chriſti inſtitutione eſt Caput, & illius poteſtas deriuatur à Chriſto qui ſolus propria virtute Eccleſiam gubernat. Vnde Chriſtus eſt Eccleſiæ primarium caput, quod propriâ ſua virtute ſtructuram Eccleſiæ ſuſtinet, & intus ſubminiſtrando gratias operatur. Papa autem eſt Caput miniſteriale cui ſpiritum Chriſtus ſubminiſtrat & ab illo accepta virtute Eccleſiam regit & ſuſtinet.

QVÆSITVM VI.

An Diabolus & Antichriſtus ſint caput omnium malorum?

21. MEritò inquirimus de Capite malorum hoc eſt reproborũ, ſiquidem Chriſtus eſt bonorum caput. Duo autem à D. Thoma cenſentur eſſe Capita malorum. *Diabolus* & *Antichriſtus*. Per Diabolum intelligimus principem Dæmoniorum. Hunc itaque dicimus eſſe Caput malorum, nõ quòd illis per realem influxum infundat internam malitiam, aut quòd aliquid in illorum libero arbitrio producat; ſed proponendo exterius obiecta, & ad illa complectenda tanquam diſertus orator exhortando, cupiens eos ad ſuum finem qui eſt damnatio æterna perducere.

Capita malorum duo.

Quomodo Diabol⁹ eſt caput malorum?

22 Poteſt quoque Diabolus dici *Caput malorum*. in quantum genus hominum in peccatum originale præcipitauit, nam dicitur Sapientiæ 2. Eius inuidia mortem in mundum intraſſe.

Similiter dicimus quòd Antichriſtus eſt *caput malorum*. non ratione temporis, quia eius peccatum non præceſſit alia. Non quo ad vim influendi, quamuis multos ad malum inducet; nam eos qui eum anteceſſerunt inducere non poterit, ſed eſt Caput quoad malitiæ perfectionem, nam inferiores dæmones diabolo, vincet in malitia ipſe enim diabolus princeps malitiæ excellẽtius ſuggerendo influet in eum quã in cætera membra ſua, vnde excepto diabolo, etiam dæmonum & non ſolùm reproborum caput appellari poteſt.

Antichriſtus quomodo eſt caput malorum.

DISPVTATIO IX.

De Scientia Chriſti in communi.

1 CVm ex præcedentibus ſit euidens in Chriſto Domino duplicem fuiſſe naturam Diuinam & Humanã neceſſe eſt vt in eo quoque duplicẽ ſcientiam concedamus Diuinam ſiue in-

Natura in Chriſto duplex ſcientia quoque in eodẽ duplex,

ue increatam quæ illi ratione naturæ Diuinæ competit: Et Humanam ſeu Creatam quæ illi ratione naturæ humanæ conuenit. De Scientia Chriſti Diuina in præſenti non agimus quia de hac in 1. part. quæſt. 14. in noſtro tractatu ex profeſſo egimus, nunc de ſola Humana agendum. Et hæc quidē eſt triplex. *Prima* Beata quæ Diuinam Eſſentiam clarè intuetur. *ſecunda eſt* Infuſa. *tertia.* Acquiſita ſeu Experimentalis. Pro quarum determinatione.

Scientia humana eſt triplex.

2. Dico primò. *In intellectu Chriſti creato neceſſariò conſtitui debet ſcientia creata ſeu humana, diſtincta à cognitione Diuina.* PROBATVR Iſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, intellectus, Spiritus ſcientiæ, & conſilii.* & Ioan 8. dicitur *Chriſtus ſciuiſſe Patrē & mandata eius ſeruaſſe.* & cap: 17. dicitur: *Sciens Ieſus quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo.* Hæc loca apertè de Chriſti humanitate loquuntur non de Diuina eius natura. nam Propheta loquitur de donis infuſis, quæ naturæ humanæ Chriſti ſunt collata. & Chriſt⁹ mandata Dei per humanam naturam ſeruabat, & ſecundùm eandem tranſibat ex hoc mundo. ergo ſecundùm etiam humanam ſcientiam ſciebat tranſitum. ergo in Chriſto ſcientia creata conſtituenda.

In intellectu Chriſti creato neceſſario debet cōſtitui ſcientia creata.

3. Hoc idem probant rationes D. Th. *tum* quia Chriſtus reliquis hominibus animam imperfectiorē habuiſſet, ſiquidem aliorum hominum animæ habent cognitionem creatam. *Tum 2do.* quia ſecundùm Ariſt. lib. 2. de Cælo vnaquæque res eſt propter ſuam operationem, fruſtra igitur Chriſtus haberet animam intellectiuam, ſi non intelligeret ſecundùm illam. *Tum tertiò.* Cognitio primorum principiorum naturaliter competit naturæ humanæ. ſed Chriſto nihil defuit naturalium, ſiquidem totam naturam humanam & illius perfectiones aſſumpſit. ergo habuit ſcientiam creatam.

4. Quidam Ioan. de Rippa negabat in Chriſto ſciētiam creatam, aſſerens quòd per Diuinam ſcientiam Chriſtus intelligebat.

Contra hunc Caiet. ratione quæ habetur in *1. p. q. 24. a. 3.* vrgemus, Intellectio cùm ſit actio vitalis ſeu vita, in actu ſecundo neceſſariò debet procedere efficienter ab intelligente. ſed implicat contradictionem, quòd creatus intellectus producat intra ſe ſcientiam Diuinam, ſiquidem hæc eſt ipſe Deus, & Deus à nulla re creata effectiuè produci poteſt. ergo nec intellectus Chriſti per Diuinam ſed per creatam ſcientiam intelligebat.

5. *Obiicies primò.* Deus poteſt ſupplere vices cauſæ efficientis, vt ſine ſole poteſt illuminare mundum. ergo poterit efficere, quòd Anima Chriſti cognoſcat formaliter per ſcientiam Diuinam. *Reſpondeo* quòd Deus poteſt ſupplere vices illius cauſæ efficientis, quæ non habet adiunctam cauſam formalem. nam riſibilitas non poteſt fieri niſi in homine, tanquam illius paſſio nam ab illius eſſentia procedit non ſolùm in genere cauſæ efficientis, ſed etiā formalis. & ſic intellectio humana procedit ab intellectu, non ſolùm vt à cauſa efficiente, ſed etiam vt à formali. *Tum* quia eſt actio vitalis intrinſeca, dicens ordinem ad principium vitale, v. ad intellectū, vnde

Obiectio I.

Reſponſio ad eam.

vnde omninò eſt impoſſibile, vt intellectus creatus aliquid formaliter intelligat, & non eliciat intra ſe cognitionem quæ ſit creata. *Deniq;* ſi per Diuinam cognoſceret intellectus Chriſti creatus, ergo cum ſcientia increata cõprehendit Deũ etiam aliquis creatus intellect⁹ per illam comprehenderet Deum, quod eſt abſurdum.

Obiectio. 6. *Obiicies ſecundò.* Eſſentia Diuina in intellectu Beati ſupplet vicẽ ſpeciei intelligibilis, & ex hoc non ſequitur, quòd comprehendat Deũ. ergo intellectus Chriſti intelligendo per ſcientiam increatam, non comprehendet Deum.

Solutio ei⁹ *Reſpondeo* Viſio beatifica non ſolùm ex eo debet attendi, quòd Eſſentia Diuina ſit illius obiectum, & quod ſpeciei intelligibilis habeat rationem, ſed etiã ex virtute potentiæ intellectiuæ, ita quòd ſi hæc infinita fuerit comprehendet, & ſic Deus ſeipſum in quãtum eſt intelligibilis cognoſcit & comprehendit. Si autem fuerit finita & in lumine gloriæ creato, iã non comprehendet. Iam autem in hac cognitione Diuina per quam Chriſtus cognoſceret, bene ſequitur, quòd illius creatus intellectus deberet cõprehendere Deum, quia talis cognitio eſt vitalis intellectus creati, & ad illum ordinem dicit intrinſecum, & ſic virtus eius infinita erit, atq; ſic erit cõprehenſiua Dei.

AnimaChriſti habuit ſcientiã beatam. 7. Dico ſecundò. *De fide eſt quod anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis perfectiſſimè vidit Eſſentiam Diuinam, & ideo habuit ſcientiam beatam.* PROBATVR Ioan. 8. *Scio eum, & ſermonem eius ſeruo.* Loquitur Chriſtus vt homo de Deo Patre, nam dicit ſe ſeruare illius ſermonem, quòd non Diuinæ ſed humanæ naturæ conuenit. ergo eundem Patrem vt homo ſciuit, non ſcientia naturali. ergo ſcientia beata. *Et ratio eſt* D. Th. Chriſt⁹ eſt cauſa beatitudinis omnibus hominibus. ergo illam præ alijs abũdantius habuit, & quia homines ſunt in potentia ad obtinendam beatitudinem. idcirco per Chriſtũ tanquam per cauſam quæ illam actu poſſidet deduci debuerunt. *Deinde* Anima Chriſti à primo inſtanti cõceptionis eleuata fuit ad ſupremũ ESSE perſonale Diuinum ergo eadẽ ad ſupremam operationem ſibi poſſibilem & conuenientem eleuari debuit. ergo per ſcientiam beatam vt Anima Chriſti videret Diuinã Eſſẽtiã erat operatio ſuprema. nã in ea beatitudo hominis conſiſtit, & eadẽ Chriſto poſſibilis fuit, quia præ omnibus beatis maximè vnita eſt Diuinæ Eſſentiæ. ergo habuit ſcientiam beatam.

8. *Obiicies.* quòd anima Chriſti meruit ſcientiam beatam. ergo eam ab inſtanti cõceptionis nõ habuit. Obiectio *Antecedẽs* D. Th infra *quæſt 19 art. 2.* in corpore dicit perfecti⁹ eſſe aliquid habere cum merito quàm ſine merito, nam qui per meritum habet, quodam modo per ſeipſum habet, qui autem ſine merito, ab alio habet. Solutio ei⁹ *Reſpondeo* Animam Chriſti habuiſſe ſcientiam beatam per modũ naturæ, non autem ex merito.

Ad illam Propoſitionem *quòd ſit perfectius habere cum merito quàm ſine merito.* Dico tunc admittendam eſſe, ſi maiori perfectione non priuet, qualis eſt hæc, quòd Chriſtus hãc ſcientiã beatã habuit per modũ naturæ, & nunquã illa caruit, quia eã ab inſtanti conceptionis habuit.

Nota No

Indita ſcientia quæ? *Nota.* Nomine ſcientiæ inditæ & infuſæ *S. Doctorem promiſcuè vti.* Scias autem illam eſſe *inditam,* quæ cum natura cauſatur à Deo, & talis fuit

Infuſa ſcientia quæ? ſcientia Angelorum. *Infuſam* eſſe illam quæ alia actione à productione naturæ, à Deo immediatè communicatur, quamuis ſimul habeatur cũ natura. Hic loquimur de ſcientia infuſa, quã in intellectu Chriſti poſſibili fuiſſe affirmamus, ſiquidem in illo erant ſpecies intelligibiles infuſæ illius completiuæ ad quaſcunq; poterat eſſe in potentia.

9. Dico tertiò. *Scientia infuſa fuit in Anima Chriſti.* Probatvr. Decebat enim vt natura humana aſſumpta à Verbo imperfecta non eſſet, ſed ſi non habuiſſet ſcientiam infuſam, fuiſſet imperfecta, nam fuiſſet in potentia ad ſpecies intelligibiles & ad cognitionem ſibi connaturalem.

Quomodo ſcientia beata & infuſa habeant ſe in Chriſto? *Nota* ſcientiam beatam & infuſam habere ſe in Chriſto, eo modo, ſicut in Angelis habet ſe matutina & veſpertina cognitio, & ſicut per matutinam cognoſcunt res in Verbo, & per veſpertinam cognoſcunt res in propria natura per ſpecies ſibi inditas: ita anima Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcit res in Verbo, & eaſdem cognoſcit per ſcientiam infuſam in proprijs naturis per ſpecies intelligibiles infuſas.

Obiectio. 10 *Obiicies.* per ſcientiam beatã Chriſtus omnia perfectiſſimè intel-

Solutio eius ligebat. ergo ſcientia infuſa in eo otioſa fuit. *Reſpondeo.* Si de eadem concluſione poteſt eſſe ſcientia & per cauſam, & per effectum, & neutra harum eſt otioſa: ita dicimus in Chriſto ſcientiam beatam eſſe per cauſam, quia omnia in Verbo clarè videt, per ſcientiam verò infuſam videt res in proprijs naturis, & ſic non eſt otioſa. nam & Beati videntes Deum, vident omnes res in illo & nihilominus habent ſcientiam earundem rerum in proprio genere per euidentes Demonſtrationes comparatas.

Nota. Per ſcientiam acquiſitam illam intelligi, quæ per lumen naturale & per diſcurſum intellectus comparatur. vnde ab experientia differt, quæ tãtũ eſt rerũ ſingulariũ quæ incurrũt in ſenſũ, & quia hæc in vno indiuiduo ſtare poteſt, idcirco ab experimentali ſcientia differt, nam hæc ſumit quidẽ initiũ à ſenſibus eorumq; miniſterio acquiritur ex comparatione multorum indiuiduorum, nihilominus eſt propriè de vniuerſalibus quæ per intellectum agentem ex ſingularibus colliguntur. & ideo D. Th. diſertè experimentalem ſcientiam nominat acquiſitam. Hoc præmiſſo. Per ſcientiam acquiſitam quæ intelligenda?

11. Dico. *quòd in Chriſto Domino fuit verè ſcientia acquiſita.* Probatvr. ad Hebr. 5. *Cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam.* Gloſſa interlinealis verbum *diſcere* exponit pro eo quod eſt *experiri.* ergo ſcientia experimentalis quæ eſt idem quod acquiſita in Chriſto fuit. *Et ratio eſt* D. Th. in Anima Chriſti non ſolùm fuit intellectus poſſibilis, ſed etiam intellectus agens, nam in Chriſti humanitate nihil eorum defuit quæ in natura humana plantauit Deus. ſed in ea plantauit intellectum poſſibilem & agentem. ergo in Chriſto fuit vterque. ſed intellectus agentis eſt munus facere ſpecies actu intelligibiles In Chriſto Domino fuit verè acquiſita ſciẽtia.

les abſtrahendo illas à phantaſmatibus. ergo in Chriſto fuit ſcientia acquiſita, ſiquidem ſcientia acquiſita eſt, quando per actionē intellectus agentis ſpecies intelligibiles ſunt receptæ in intellectu poſſibili.

12. *Confirmatur*. Alioquin in Chriſto eſſet intellectus agens otioſus, ſi per illuſtrationem phantaſmatū nō produceret ſpecies intelligibiles. *Deinde* Chriſti humanitas erat hypoſtaticè vnita Deo. ſed hęc perfectionē naturæ humanæ nō auferebat, cui⁹ quidē propriū eſt acquirere ſcientias, & quidē modo perfectiſſimo ſupra omnes homines. *Præterea* longè perfectior eſt mod⁹ habere ſcientiam per proprium actū acquiſitam, quàm eandem ab alio recipere per infuſionē. ſed id quod eſt perfectiùs, Chriſto eſt tribuendum. ergo & id quòd per proprios actus acquirebat ſcientias.

13. *Nota*. quòd contrarium Scot. habet in *3. diſt. 14. q. 3.* Duran. *q. 4.* qui negant in Chriſto acquiſitam ſcientiam. nam dicunt in Chriſto fuiſſe ſcientiam per ſe infuſam, per quam omnia cognoſcibilia cognoſcebat, & hanc cum acquiſita eiuſdem rationis faciunt, quod quidem falſum eſt. nam ſecundùm opinionem Scoti Anima Chriſti perfectiſſimè cognoſcebat ſpecies Angelorum, & ea omnia quæ Deus hominibus reuelauit, ſed ad hæc vt notum eſt non extendit ſe ſcientia acquiſita. Nec aſſentiendum Scoto, quòd fuiſſet in Chriſto ignorantia pro aliquo tempore. nam dicimus, quòd quamuis Chriſtus non habuerit ſcientias per accidens infuſas, nulla tamen ignorantia aut imperfectio in anima Chriſti fuit, ſiquidem hæc cognoſcebat, vel per ſcientiam beatam vel per infuſam.

De acquiſita ſcientia quid ſenſit Scotus?

DISPVTATIO X.

De Scientia Beata Animæ Chriſti

1. DE ſingulis ſcientijs Animæ Chriſti in particulari agendum, & primum de Scientia beata, de qua quatuor inquiremus.

Primò cùm Scientiæ beatæ ſit obiectum Eſſentia Diuina, *quærimus* An Anima Chriſti videndo Eſſentiam Dei, eandem comprehendat? *Reſpōdeo negatiuè*, quod Non. PROBATVR. quia impoſſibile eſt, quòd aliqua creatura comprehendat Diuinam Eſſentiam, nam impoſſibile eſt, vt finitum qualis eſt Anima Chriſti cō-prehendat infinitum, qualis eſt Eſſētia Diuina & D. Aug. lib. 83. q. 14. dicit: *quod ſe comprehendit finitum eſt ſibi.* ſed Eſſentia Diuina eſt finita comparatione ad animam Chriſti, quòd quidem abſurdum eſt, cùm eam per infinitum excedat. ergo anima Chriſti non comprehendit Eſſentiam Diuinam.

Anima Chriſti videndo Eſſentiā Dei eandem nō comprehendit.

2. *Nota*. Scientia comprehenſiua dupliciter ſumi poteſt *primò* pro illa quæ aliquid ſecundùm omnem illam

Comprehenſiua ſcientia quotupliciter ſumi po[illegible]

illam rationem ſecundùm quam comprehenſibile eſt, cognoſcit: & de hac comprehenſione in præſenti loquimur. *ſecundò* pro illa ſecundùm quam id quod inſequimur cũ illud attingimus & adipiſcimur nos comprehendere ſignificamus. Et in hoc ſenſu loquitur Apoſt. ad Philip. 3. *Sequor autem ſi qua ratione comprehendam.* & 1. Corinth. 9. *Sic currite vt comprehendatis*, & ſic Beati ſunt comprehenſores. nam per viſionem Dei clarã iam Deum præſentem habent, & ſic certum eſt, quòd Anima Chriſti Diuinam Eſſentiam comprehendit.

Obiectio. 3. *Sed obiicies.* Iſid. *lib. 1. Sent. c. 3.* dicit: Trinitatem ſibi ſoli notam eſſe, & homini aſſumpto, nimirum Chriſto. ſed in his verbis æqualem cognitionem Trinitatis Chriſto homini, atq; ipſi Trinitati tribuit. ergo vt ſe Trinitas comprehendit ita & Chriſtus homo comprehendet. *Reſpondeo* cum D. Th. Iſidorum loqui non de vera & perfecta comprehẽſione, ſed ſolùm de quadam excellentiſſima cognitione, quã præ cæteris creaturis tribuit animæ Chriſti.

Solutio 1.

Solutio 2. *Vel reſpondeo ſecundò.* Iſidorum loqui de homine aſſumpto, ſed aliud eſt homo aſſumptus, aliud Anima Chriſti, de qua nos loquimur. nam homo aſſumptus includit ſuppoſitũ ſeu Perſonam Diuinam, & ſic Chriſtus ſeu homo aſſumptus inquantum Deus perfectè Eſſentiam Diuinam comprehendit, quod de Anima Chriſti cùm ſit creatura vt iam probatum non poteſt dici.

Anima Chriſti an cognouerit omnia per ſcientiã beatam?

4. *Secundò inquirimus.* An Chriſti Anima cognouerit omnia per ſciẽtiam beatam? Pro reſponſione dico primò. *Anima Chriſti cognouit in Verbo omnia dicta, facta, aut cogitata in quacunque differentia temporis ſicut fuerunt, ſunt & erunt.* PROBATVR. Apocal. 1. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere Diuinitatem & ſapientiam.* gloſſa explicat *omnium rerum cognitionem. Deinde* quilibet beatus cognoſcendo Diuinam Eſſentiam, cognoſcit & ea omnia quæ ad ſui actus perfectionem ſpectant. ſed ad perfectum ſtatum Chriſti hominis ſpectat, vt omnes creaturas præteritas, præſẽtes & futuras cognoſcat, illarumq; dicta, facta, cogitata. ergo hæc omnia in Verbo cognouit. *Confirmatur.* quia hæc omnia ſunt Chriſto ſubiecta cum ſit caput tam hominum quàm Angelorum. *Tum* quia vt ad Epheſ. 1. dicitur: *Omnia propter illum ſunt condita in cælo & in terris, ita vt ipſe verè ſit cauſa finalis omniũ creaturarum.* Deníque *quia ipſe eſt iudex omnium conſtitutus à Deo*, vt dicitur Ioann. 5.

5. Dico ſecundò. *Anima Chriſti non cognouit in Verbo omnia quæ ſunt in potentia Diuina.* PROBATVR. quia cognoſcendo Diuinam potentiam & virtutẽ ſecundùm ea ad quæ ſe extendit eſt illius Diuinam Eſſentiam comprehendere, quod animæ Chriſti repugnat, vt iam deductum. Anima Chriſti non cognouit in Verbo omnia quæ ſunt in potentia Diuina.

Dico tertiò. *Anima Chriſti illa omnia quæ ſunt in potentia creaturæ in Verbo cognouit.* PROBATVR. Anima Chriſti in Verbo comprehendit Eſſentiam cuiuſlibet creaturæ. ergo & omnem illius potentiam ad quæcunque ſe extendit. Anima Chriſti omnia illa quæ ſunt in potentia creaturæ in Verbo cognouit.

Ex his damnandæ ſunt hæreſes quæ negant Chriſtum omnia cognouiſſe, ſed in multis ignorantia ſicut & nos laboraſſe. Tales fuerunt Gnoſtici, Arriani, qui impiè confinxerunt Hæreſes damnãtur quæ negãt Chriſtum omnia cognouiſſe.

xerunt quaſi Chriſtus literas didicerit, vt refert D. Athan. Orat. 4. contra Arrianos. Contra quos expreſsè dicimus, quòd Chriſtus Domin⁹ & inquantum Deus ſciuit omnia ſcientia Diuina, & inquantum homo ſciuit omnia ſcientia creata, & nunquam in eo ignorantia alicuius rei fuit, quia in eo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt reconditi.

An Chriſtus vt homo ſciuerit diem iudicij.

6. *Sed quæres.* An Chriſtus vt homo ſciuerit diem iudicij per ſcientiam creatam in illius anima exſiſtẽtem? nam Agnoitæ negant, & cum his Luther. & Zuingli⁹, & vrgent locum Marci 13. *De die illa & hora nemo ſcit, neq; Angeli in cælo, neq; Filius hominis niſi Pater. Reſpondeo.* quòd Chriſtus in humanitate tanquam iudex viuorum & mortuorum cognouit certò diem iudicij. Ad locum Scripturæ dico cum D. Aug. *lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. 53. quæſt. quæſt. 60.* Filium hominis neſcire diem iudicij, quo ad reuelandum & manifeſtandum illum alijs hominibus aut Angelis. & ſic dicitur Geneſ. 22. *Nunc cognoui quòd timeas Deum. Cognoui,* hoc eſt, *cognoſcere alios feci.* D. Baſil. ſic explicat, *quòd De⁹ Pater ſcit diẽ iudicii, à ſe ipſo Filius etiã ſcit. ſed à Patre non à ſeipo, quia Eſſe non habet à ſe ſed à Patre.* Ioan. 14 *Omnia quæ habet Pater mea ſunt,* ſ. per *æternam generationem ſibi communicata. Tertiò inquirimus:* An Anima Chriſti cognouerit infinita? Pro reſponſione

Anima Chriſti in Verbo non cognouit infinita actu.

7. Dico primò. *Anima Chriſti in Verbo non cognouit infinita actu.* PROBATVR: Anima enim Chriſti ea cognoſcit ſecundùm quod ſunt actu, atqui infinitum non eſt in actu, etiamſi omnia accipiantur quæcunq; ſunt in actu ſecundùm aliquam differentiam temporis, eò quòd ſtatus generationis & corruptionis non durat in perpetuum ergo non cognouit infinitum actu.

Obiectio.

Obiicies. Diuus Thom. ſibi non conſtare. nam in *1. p. q. 14. a. 12.* dicit, quòd Deus Scientia viſionis cognoſcit actu infinita. ergo datur actu infinitum. *Reſpondeo.* D. Th in loco allegato agere de Infinito in genere accidentium, & ſic concedimus: quòd Deus omnes cogitationes Angelorum & hominum quæ vnquam futuræ ſunt cognouerit. & hæ ex eo habent rationem infiniti, quia habebunt ſucceſſionem perpetuam ſine vllo termino. Iam verò hic *q 10. a. 3.* ait de Infinito in genere ſubſtãtiarum per generationem aut creationem productarum, & ſic non datur actu infinitum, vnde nec ſub ſcientiam viſionis cadere poteſt.

Solutio eius.

8. *Vnde ad propoſitũ dico,* quòd ſi loquamur de ſubſtantijs & accidentibus permanentibus, Anima Chriſti in Verbo nõ cognoſcit infinita actu, *Et ratio eſt.* quia etiã in æternitate nõ datur numerus ſubſtantiarum aut rerum permanentium actu infinitus. ſed loquendo de accidentibus ſucceſſiuis, v. de cogitationibus futuris, ſic concedimus, quòd Anima Chriſti cognoſcit infinitum, quia Beati extra Verbum ſunt habituri infinitas cogitationes, quæ nullum finem ſunt habituræ. Et ſic Anima Chriſti videt has cogitationes in Verbo. idque probatur ex eo: quia poſſibile erat, vt hoc communicaretur Animæ Chriſti. ergo de facto hæc perfectio fuit illi communicata, nam quominus poſſet communicari nulla eſt repugnantia, nec ex parte

parte Dei cùm ſit omnipotens, nec ex parte animæ Chriſti, quia hoc ad illius perfectionem ſpectabat, & omnis potentialitas in Anima Chriſti fuit reducta ad actum. ergo infinitas cogitationes, & perconſequens infinitum in accidentibus ſuccesſiuis Anima Chriſti cognouit.

Anima Chriſti cognoſcit in Verbo infinita in potentia

Dico ſecundò. *Anima Chriſti cognoſcit in Verbo infinita in potentia* PROBATVR Cognoſcibile eſt duplex *Primum* eſt illud quod eſt Ens in actu, & ſic *lib. 9. Metaph:* dicitur vnumquodq; cognoſci in quantum eſt Ens in actu. *Alterum* eſt illud quod eſt Ens in potentia, quòd quidem ſecundùm ſe non eſt cognoſcibile, ſed ſecundùm quòd cognoſcitur illud in cuius potentia exſiſtit: Et ſic anima Chriſti cognoſcendo ſuam potentiam, & ea omnia in quæ poteſt, & quia poteſt in emundationem infinitorum peccatorum quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantum ſed etiam totius mundi. Ergo anima Chriſti cognoſcit infinita in potentia. Et hæc cognitio animæ Chriſti eſt ſimplicis intelligentiæ, quia ſolum fertur in obiecta poſſibilia, nō autem in actu futura.

9. *Obſerua* Quando anima Chriſti cognoſcit infinita, non eſt dicēdum quaſi illius ſcientia in *Eſſe* ſciētiæ ſit ſimpliciter infinita ſed ſolùm ſecundùm quid & extrinſecè. Et *Ratio eſt.* Quia ad ſcientiam ſolam Diuinam pertinet vt comprehendat Diuinam Eſſentiam & ea omnia quæ ſunt in potentia illius, ſed ſic ſolus intellectus infinitus infinitam Eſſētiam cognoſcit, anima autem Chriſti cum ſit creatura non habet infinitū intellectū. Ergo in ea cognitio in eſſe ſcientiæ ſimpliciter infinita non eſt. Quia tamen illius cognitio terminatur ad Deum infinitū & extēditur ad cognoſcēdas infinitas cogitationes in Verbo, & ſic ſolùm habet quādā extrinſecā infinitatē.

Anima Chriſti perfectiùs omnibus Beatis videt Eſſentiā Diuinam.

10. *Quartò inquirimus.* An anima Chriſti præ aliis Beatis perfectiùs videat Eſſentiam Diuinam. *Reſpondeo* affirmatiuè. *De fide eſt quòd perfectius omnibus Beatis videat.* PROBATVR Ad Epheſ. 1. *Deus Pater conſtituit Chriſtum ad dexteram ſuā in cæleſtibus ſuper omnē principatum & poteſtatem.* Ad Hebr. 1. *Tanto melior Angelis effectus quanto præ illis differentius nomen hæreditauit.* Et *Ratio eſt.* Quia dignitas hypoſtaticæ vnionis videtur hoc ſuo iure exigere; nam cum omnes Beati ex participatione luminis gloriæ videant Eſſentiam Diuinam, & anima Chriſti excellentiùs præ aliis Beatis participet lumen gloriæ, ſiquidem vnita eſt Verbo (vt iā explicatum.) ergo præ aliis pleniorem influxū luminis gloriæ recipit.

DISPVTATIO XI.

De Scientia infuſa Animæ Chriſti.

QVatuor proponimus inquirenda. *Primò.* de Obiecto huius Scientiæ. *Secundò.* de modocognoſcendi: *tertiò.* de Præſtantia. *Quartò* quomodo ſit habitualis?

Per infuſã ſcientiã anima Chriſti non cognouit Eſſentiã Diuinam.

1. Quantum ad primum Dico *Per ſcientiam infuſam anima Chriſti non cognouit Eſſentiam Diuinam.* RATIO Quia hæc per ſolam ſcientiam beatam vt iam deductum cognoſcitur.

Obiectio

Quidam inſtat. Licet per ſcientiam infuſam euidens cognitio quidditatiua Eſſẽtiæ Diuinæ haberi nõ poſſit

Solutio ei⁹

Atq; abſtractiua haberi poteſt *Reſpõdeo* Quidditas Eſſentiæ Diuinæ ſic ſe habet vt ſi per ſciẽtiã infuſã anima Chriſti nõ poſſit habere q̃dditatiuã notitiã Eſſẽtiæ Diuinæ, pfecto neq; abſtractiuam quidditatiuam habere poterit. Nam Eſſentiæ Diuinæ exſiſtentia & perfectio eſt de quidditate ipſius. Vnde ſi per hanc non cognouit intuitiuè neque cognoſcet quidditatiuè abſtractiuè.

Anima Chriſti per ſciẽtiam infuſã omnia obiecta tam naturalia quã Supernaturalia cognouit.

2. Dico ſecundò. *Per hanc ſcientiam infuſam anima Chriſti cognouit omnia obiecta tàm naturalia quàm ſupernaturalia* Et RATIO eſt D. Th. hic art. 1. & 4. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus ſcientiæ & conſilii.* Sed in his donis Spiritus S. continentur omnia cognoſcibilia. Nam ſapientia eſt rerum Diuinarũ & ſupernaturalium, Intellectus verò eſt rerum immaterialium, Scientia eſt concluſionum maximè circa res naturales, Conſilium vero eſt rerum agendarum quæ ad prudentiam ſpectant. ergo per hæc obiecta cognoſcibilia & naturalia & ſupernaturalia cognoſcebat.

Ratio ſecunda. Decens erat vt anima Chriſti ex potentia ad actum reducta eſſet. Sed in anima Chriſti duplex fuit potentialitas Naturalis ad cognoſcendum humanas ſcientias: & Obedientialis ad cognoſcendum ea quæ à Deo reuelantur hominibus. Sed hæc vtraque potentia per ſcientiam infuſam ad actum eſt reducta, ſiquidem per ſpecies infuſas hæc omnia cognouit.

Per eandẽ ſcientiam omnia ea cognouit quæcunque ab intellectu creato cognoſci poſſunt.

3. *Circa hoc* Dictum colligo *Primo* Quòd anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouit ea omnia quæcunque ab intellectu creato ſiue Angelico ſiue humano cognoſci poſſunt. Quia cognitionem rerum naturalium in ſua propria natura non habet anima Chriſti niſi per ſcientiam infuſam, nam per acquiſitam ſeu per experimentalem non potuit habere ſtatim à principio. Ita D. Th. hic *quæſt. 9 art 3.* cum in anima Chriſti conſtituit infuſam ſcientiam. Hanc cauſam illius conſtituendæ adducit, vt per illam res in proprio genere cognoſcat. Et in 1. *p. q. 55. art. 1.* quando in Angelis ſcientiam infuſam ſtatuit, eandem cauſam reddit, vt per hanc quamlibet rem in ſua propria natura cognoſcat. Et hæc obiecta naturalia cognoſcit anima Chriſti non ſolùm in communi ſed etiam in particulari ſecundùm propriam rationem quia ſpecies intelligibiles ſcientiæ infuſæ non ſunt acceptæ ab obiectis, ſed ſunt immediatè à Deo ad exemplar Diuinæ Eſſentiæ productæ, ita vt ſicut Diuina Eſſentia vna cum ſit, omnia tamen quæ aliquomodo *eſſe* habent clarè & diſtinctè repræſentat, ita & Species ſcientiæ infuſæ non tantùm ſecundùm communem rationem ſed etiã ſecundùm propriam repræſentat.

col-

Quomodo anima Chriſti cognoſcebat per ſcientiã infuſa omnes cogitationes cordis.

4. *Colligo ſecundò.* Per hanc ſcientiam infuſam cognoſcebat anima Chriſti clarè & diſtinctè cogitationes cordis humani non ſolùm in intellectu exſiſtentes, ſed vt pendent à libera determinatione voluntatis PROBATVR. Matt. 19 *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris.* Et hanc cognitionem poterat habere anima Chriſti per triplicem ſcientiam. *primò* In quantum erat Deus, per Diuinam *ſecundò.* vt homo per beatam quia in Verbo omnia videbat. *Tertiò* per infuſam per quam omnia creata & ſupernaturalia cognoſcebat. ſed quia tamen hic Chriſtus in quantũ homo & ſupremus Doctor hæc verba proferebat, euidens eſt quòd has tunc per ſcientiam infuſam cognoſcebat. *Tum*. Quia Chriſtus in quantum Filius hominis poteſtatem iudicii accepit. vnde ad actus quos iudicabit fertur prout ſunt in ſeipſis, nam cogitationes & actus non iudicabit prout in æternitate exſiſtũt ſed prout ſunt in ſeipſis. ergo has cogitationes p infuſã ſciẽtiã cognouit.

Anima Chriſti per infuſam ſciẽtiã futura contingentia libera cognouit

5. *Colligo tertiò.* quòd per eandẽ ſcientiam futura contingentia libera certò & infallibiliter in ſuo genere cognouit. PROBATVR. Quando D. Petro prædixit: *Antequam gallus cantet ter me negabis.* & hoc ita infallibiliter euenit.

Dices Hoc contingens futurum cognouiſſe Chriſtum per ſcientiam Diuinam. *Reſpondeo* quòd etiam expediens erat vt per eandem infuſam in propria ſua natura hoc futurum contingens cognoſceret.

Per eandẽ ſcientiã nõ cognouit Deum eſſe vnũ & trinũ.

6. *Colligo quartò.* quòd anima Chriſti per ſcientiam infuſam Deum eſſe vnum & trinum non cognouit. PROBATVR. Id quod per infuſam ſcientiam cognoſcitur per ſpecies creatas cognoſcitur. Sed ex *1. p. quæſt. 32 art. 1.* Impoſſibile eſt vt per ſpecies creatas euidenter cognoſcatur myſterium Trinitatis, nam creaturæ ducunt nos in cognitionem Deitatis ſicut effectus in cognitionem ſuæ cauſæ. Atqui operum ad extra Deus eſt cauſa non vt trinus ſed vt vnus. ergo euidẽter ex reb⁹ creatis & per cõſequẽs ex ſpecieb⁹ infuſis nõ cognoſcitur myſteriũ Trinitatis

Qua cognitione anima Chriſti myſterium Trinitatis cognouit?

Aluarez hic dicit quòd anima Chriſti hoc myſterium Trinitatis cognouit, non quidem cognitione obſcura in euidenti rei in ſeipſa, ſed euidenti in atteſtante, in quantum v. ex his quæ videbat in Verbo & ex aliis principiis cognitis deducebat verum eſſe quòd Deus ſit vn⁹ in Eſſentia & trinus in Perſonis, hoc modo. Omne à Deo reuelatum eſt verum. Sed Deus reuelat mihi vnã ſuam Eſſentiam & Trinitatem perſonarũ Ergo hoc verũ. *Maior* nota erat Chriſto etiã lumine naturali. *Minor* erat euidẽs per ſcientiã beatã. ergo & cõcluſio erat euidẽs in atteſtãte.

7. QVANTVM ad alterum v. ad modum cognoſcendi. Duo colligo ex art. 2. D. Th. hic q. 11.

Per ſciẽtiã infuſam anima Chriſti ſine cõuerſione ad phãtaſmata poterat cognoſcere.

Dico primò *Anima Chriſti per ſciẽtiam infuſam ſine conuerſione ad phantaſmata poterat cognoſcere:* PROBATVR primo Nam per hanc ſcientiam cognoſcebat anima Chriſti quæ per phantaſmata cognoſci non poſſunt nam cognoſcebat ſubſtantias ſeparatas. ergo potuit cognoſcere non conuertendo ſe ad phantaſmata.

Probatur ſecundò: De ratione comprehenſoris eſt vt nullo modo corpori ſuo ſit ſubiectus, vt videre licebit in

cebit in animabus beatis poſt reſurrectionem, nam tunc non egebunt phantaſmatibus. Sed Chriſtus ſecũdum animam fuit comprehenſor. ergo poterat cognoſcere ſine conuerſione ad phantaſmata.

Anima Chriſti poterat ſe conuertere ad phãtaſmata quando volebat.

Dico ſecundò ex ſolutione ad tertium. *licet anima Chriſti potuerit intelligere non conuertendo ſe ad phantaſmata ſi tamen aliquando volebat poterat ſe conuertere.* PROBATVR Modus cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata eſt connaturalis animæ rationali exſiſtenti in corpore. ergo potuit inueniri in anima Chriſti, ſiquidem quæ naturaliter animæ rationali conueniunt perfectiſſimo modo erant in Chriſto.

8. Dicit Vaſquez non loqui S. Doct de vſu huius ſcientiæ quaſi aliquando de facto vteretur conuerſione ad phantaſmata. Sed contrarium dicimus. *Tum* quia potentia vtendi fruſtra eſſet in Chriſto ſi nunquam illa vſus fuiſſet. *Tum* quia hic mod° (vt iam dictum,) eſt connaturalis animæ exſiſtenti in corpore vt ſe conuertat ad phantaſmata. ergo hoc modo vſus eſt Chriſtus reducendo hanc connaturalem potentiam ad actum, poterat igitur Chriſtus pro ſua voluntate de facto vti conuerſione ad phantaſmata.

Per hoc reiicienda eſt ſententia Durandi tanquam periculoſa, qui *in 3. diſt. 14 quæſt. 3.* Et *diſt. 18. quæſt. 2.* dicit; quòd tam infuſa quàm acquiſita ſcientia animæ Chriſti dependebat à phantaſmatibus. PROBATVR contra illum primò. Ex ſententia Durandi ſequitur, quòd Chriſtus per hanc ſcientiam non cognouerit ſubſtantias ſeparatas, quia has nullum phantaſma repræſentat *Deinde* hinc ſequeretur quòd Chriſtus caruerit vſu rationis in pueritia, ſiquidem cognitio illius ſecundùm Durandum à phantaſmatibus depẽdet, quæ in hac ætate haberi nõ poſſet. *Præterea* quod in illa ætate nihil nobis meruit, nam meritum ſupponit ſcientiam non beatã, quia hæc excedit meritum.

9. Quando dicit Durand quòd Chriſtus aſſumpſit defectus humanos inter quos eſt dependentiá à phãtaſmatibus. Dico illos defectus Chriſtum aſſumpſiſſe qui non repugnant ſtatui comprehenſoris. Vnde ſicut fidem, ſpem, non aſſumpſit quia repugnat ſtatui comprehenſoris, ita nec dependentiam à phantaſmate, quia (vt iam dictum) comprehenſor non ſubiicitur ſe corpori.

10. QVANTVM ad tertium v. de Præſtantia huius ſcientiæ, duo inquiram. *Primò* An fuerit collatiua? *Secundò* An perfectior fuerit ſcientiã Angelorum? Quo ad primum An *fuerit collatiua?* Dico primò. *Quo ad acquiſitionem non fuit collatiua ſiue diſcurſiua, quia per diſcurſum non fuit acquiſita ſed immediatè à Deo infuſa.*

Dico ſecundò. *Quo ad vſum, potuit eſſe collatiua, nam potuit diſcurſu vti.* Et hoc ideo, quia Chriſtus habuit animam rationalem cuius eſt propria operatio diſcurrere ſeu vnum ex alio inferre, & de facto vſus illo quando ſibi placuit vt habetur Matt. 17. quando à S. Pet. quærit: *A quibus reges terræ tributum exigunt ab alienis, an à filiis ſuis?* reſpondente D Petr quòd *ab alienis*: concludit, *ergo liberi ſunt filii.*

Quidam ad hunc diſcurſum dicunt Chriſtum ſolum illum voce humana protuliſſe, ſed hunc in mente & in

& in conceptu non habuit. *Sed contradico.* Hæc locutio Chriſti non fuit metaphorica nec phantaſtica, ſicut eſt Angelorũ in aſſũpto corpore, ſed fuit vera ꝓpria hominis & vitalis ei9 act9 ſiquidẽ verba humanæ locutionis externæ, ſunt ſigna locutionis internæ. ergo ſi Chriſtus locutione vnum ex alio intulit, ita & in mente vnum ex alio inferebat.

An ſcientia infuſa in anima Chriſti fuerit Angelis perfectior?

11. Quo ad ſecundum, *An fuerit Angelis perfectior?* Dico primùm, *Scientia Animæ Chriſti conſiderata ex parte Dei infundentis, ſic Angelorum cognitionem infuſam excellebat.* PROBATVR. quia multò plura obiecta per eam cognoſcebat quàm Angeli. *Deinde* quia lumen gratiæ ſpiritualis quod erat inditum animæ Chriſti longè fuit excellẽti9 quàm Angelis conceſſum

Dico ſecundò. *Eadem ſcientia conſiderata ex ſubiecto recipiente, v. quantùm ad modum cognoſcendi, ſic eſt inferior ſcientia Angelorum.* PROBATVR. nam modus naturalis Animæ Chriſti fuit per conuerſionem ad phantaſmata, fuit & per diſcurſum, Angelus verò ſimplici intuitu & ſine diſcurſu intelligit.

Nota tamen quòd animæ Chriſti quamuis fuerit hic modus naturalis cognoſcendi per phantaſmata & ꝑ diſcurſum, nihilominus (vt iam notauimus,) hoc modo vtebatur quando volebat.

Scientia infuſa in anima Chriſti fuit habitualis.

12. QVANTVM ad quartum, An hæc ſcientia fuerit habitualis? *Reſpondeo.* quòd hæc ſcientia infuſa in Anima Chriſti fuit habitualis, ita quòd illà vti potuit quando voluit. PROBATVR. ſicut Anima Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei, cùm anima cuiuſlibet hominis, ita & ſcientia eius vniuoca fuit cum ſcientia noſtra. ſed ſcientia noſtra eſt in genere habitus. ergo & ſcientia Chriſti fuit habitualis. *Confirmatur.* Receptum eſt in recipiente per modum recipientis. ſed humanæ animæ eſt modus naturalis, vt recipiat ſcientiam per modũ habitus, ita vt quandoq; ſit intelligens actu, quandoq; in potentia. ergo illi connaturale quòd ſit intelligens habitu, quia inter puram potẽtiam & actum completum, habit9 eſt quid medium.

13. *Sed quæres.* An hæc ſcientia fuerit diſtincta per diuerſos habitus? *Reſpondeo* fuiſſe diſtinctam. *Probatur.* Zach. 3. dicitur: *ſuper lapidem vnum,* id eſt Chriſtum, *ſunt ſeptem oculi.* ſed oculus ſignificat ſcientiam. ergo in Chriſto plures habitus ſcientiæ. Et *ratio eſt.* quia in nobis habitus diuerſificantur ex diuerſitate generum ſcibilium. ſed in ſcientia infuſa animæ Chriſti, reperitur diuerſitas ſcibilis. ergo & diuerſi habitus. Eadem ſcientia fuit diſtincta ꝑ diuerſos habitus.

Ad ſcientiã infuſã quot & quæ concurrunt?

Nota. quòd ad hãc ſcientiam duo concurrunt: *primò* ſpecies intelligibilis ex parte obiecti, per quas repræſentantur ea quæ intelliguntur in hac ſcientia. *ſecundò* lumen ſcientificum ex parte potentiæ ad rectè iudicandũ de obiecto. ſi igitur ſcientia infuſa animæ Chriſti conſideretur ex parte ſpecierum intelligibilium, ſic erit in multos diſtincta habitus. & ſic D. Th. ſpecies intelligibiles inditas Animæ Chriſti appellat habitus. Si autem conſideretur hæc ſcientia ex parte luminis, eſt vna ſcientia ſpecie atoma, & vnus habitus iudicatiuus. ita ſentit D. Th. *in 3. diſt. 14. a. 3. quæſt. 4.* in corpore cùm dicit: quod *Anima Chriſti vno habitu omnia cognoſcit quæ ad hanc ſcientiam pertinent quamuis diuerſis ſpeciebus.*

ctebus. Idem hic innuit *a.6.* in reſpõſ. *ad 3.* Lumen diuinitus infuſum, eſt communis ratio intelligẽdi ea, quæ diuinitus reuelantur, ſicut & lumen intellectus agentis eſt eorum quæ naturaliter cognoſcuntur, & ideo oportuit eſſe in Anima Chriſti proprias ſpecies ſingularum rerum, ad cognoſcendum, cognitione propria vnumquodque, & ſecundùm hoc oportuit eſſe diuerſos habitus ſciẽtiæ in Anima Chriſti.

DISPVTATIO XII.

De Scientia acquiſita Animæ Chriſti.

1. PRo ſcientia acquiſita animæ Chriſti quatuor dubia reſoluo: *primùm eſt*, cùm ſcientia acquiſita ſit illa quæ per experientiam comparatur; quomodo Chriſtus Domin⁹ in tam breui tempore vitæ ſuæ eam acquiſiuit, ſiquidem multa non eſt expertus.

Quomodo Chriſt⁹ Domin⁹ in breui tempore vitæ ſuæ ſcientiam acquiſitam acquiſiuit?

Reſpondeo quòd Chriſtus Domin⁹ propter admirandam virtutem ingenij ſui ex paucioribus ſingularib⁹ quæ per experientiam cognouit, abſtrahebat ſpecies aliarũ rerum quas nunquam vidit. Caiet. dicit: *quòd Angeli Chriſto Domino omnia ſingularia præſentabant, quæ ſpectabant ad ſcientias comparandas.* Vnde

Quæ Chriſtus per acquiſitã ſcientiam ſciuit?

2. Dico. *quòd Anima Chriſti ſciuit omnia per ſcientiam acquiſitam, quæ ſciri poſſunt per lumen intellectus agentis.* PROBATVR. Sicut enim ſcientia infuſa propter intellectum poſſibilem, ne daretur denudatus à ſpeciebus, & per conſequens in potentia datur in Anima Chriſti, nam in Anima Chriſti ne aliqua imperfectio detur, omnia ad actum fuiſſe reducta dicuntur, ita propter intellectũ agentem ne illius operatio eſſet otioſa, quæ quidem eſt illuſtrare phantaſmata. ſed ſcientia infuſa Animæ Chriſti extendit ſe ad omnia, ad quæ extendit ſe intellectus poſſibilis. ergo & ſciẽtia acquiſita, ad ea omnia ſe extendit quæ virtute intellectus agentis ſciri poſſunt.

Sed obijcies. Chriſtus non cognouit omnia per ſcientiam acquiſitam, quia per eam nec Angelos nec animas rationales cognouit. *Sequela.* quia acquiſitio ſcientiæ principium ſumit à ſenſu, & cuius deficit ſenſus & ſcientiam deficere neceſſe eſt. Obiectio.

Reſpondet Suarez negando, quòd Scientia Chriſti acquiſita fuerit alligata ſenſibus. Sed contrarium ſentiẽdo dico nos nõ aſſerere, quòd anima Chriſti per hanc ſcientiam cognouerit, ſed quòd cognoſcat ea omnia quæ virtute intellectus agẽtis cognoſci poſſunt. vnde ab hac ſcientia remouemus Angelos, animas rationales, futura contingentia libera, cogitationes cordium, quia hæc ſub ſenſus non cadunt. Loquimur autem de ſcientia horum quidditatiua, nam à poſteriori poterat hæc aliquo modo cognouiſſe.

3. *Alterum dubium.* An in ſcientia acquiſita

Chriſt⁹ Dominus in ſcientia acquiſita proficiebat.

acquiſita Chriſtus profecit? *Reſpondeo.* quòd proficiebat, Lucæ 2. *Ieſus proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.* Et *ratio eſt.* quia ſcientiæ acquiſitæ eſt hic modus, quòd intellectus agens ſucceſſiuè à phantaſmatibus abſtrahit alias atq; alias ſpecies intelligibiles quibus ſcientia acquiſita augetur.

Obiectio.

Dices. ergo Anima Chriſti pro aliquo tempore caruit ſua debita perfectione. *Reſpondeo* per hoc quòd caruerit, nulla fuit priuatio ſed ſolùm negatio. *Tum* quia à primo inſtanti conceptionis omnia cognoſcebat per ſcientiam beatam & infuſam. *Deniq;* conueniens erat, ne intellectus agens eſſet otioſus, & ad perfectionem Chriſti hominis attinebat, vt ſpecies à phantaſmatibus beneficio intellect⁹ agentis abſtraheret.

Solutio ei⁹

Chriſt⁹ Domin⁹ ab homine nihil didicit.

4. *Dubium tertium* An Chriſtus aliqua ab homine didicerit? *Reſpondeo.* non erat conueniens vt aliquid ab homine diſceret, ſiquidem ille eſt Doctor, Dux, Legiſlator, Caput Eccleſiæ, à quo potiùs omnes & doctrinam, & legem, & viuendi modũ accipere debent, & omnem alium gratiæ & gloriæ influxum.

Neq; ab Angelis quicquam accepit.

Dubium quartum. An ab Angelis aliquid acceperit? *Reſpondeo.* quòd nihil accepit. *Probatur.* quia ipſi Angeli ignorantes myſterium Incarnationis, mouent de illo quæſtionem, & illi ſoluendam proponunt. *Quis eſt iſte qui venit?* quibus reſpendet Chriſtus Dominus: *Ego qui loquor iuſtitiã.* *Deinde* Anima humana cùm ſit media inter res corporales & ſubſtantias ſeparatas, ideo apta eſt perfici aut per ſcientiam acquiſitam ex rebus ſenſibilibus, aut per ſcientiam inditam ex illuminatione ſpiritualiũ ſubſtantiarum. ſed Anima Chriſti ſcientiam experimentalem accepit à rebus beneficio & lumine intellectus agentis, & præterea lumen immediatè à Deo infuſum habuit. ergo lumine Angelico non indiguit.

Obiectio.

5. *Sed obijcies* Chriſto Domino cùm erat in agone apparuit Angelus confortans eum. ergo tunc aliquam confortationem per modum doctrinæ accepit. *Reſpondeo* hanc confortationem non intelligendam ad inſtructionem Chriſti, ſed ad declarandum, in ipſo fuiſſe veram naturam humanam, quam inſimulaturi erant Hæretici, quaſi aerea & imaginaria fuiſſet.

Solutio ei⁹

D. Hieron. dicit, quòd Angelus apparens Chriſto, obtulit illi conſolationem præſentando quædam grata obiecta, præſertim parti ſenſitiuæ in amaritudine cõſtitutæ. *Quidam* volunt hanc confortationem per modum laudis fuiſſe, quòd Angelus Chriſti fortitudinem laudibus celebrauerit. *Deniq;* quidam aſſerunt, quòd Angelus à Deo miſſus afferebat Chriſto conſolationẽ, ſed eã reſpuit, & illa vti recuſauit, vt tãtò maiora pro nobis pateretur.

DISPVTATIO XIII.

De potentia Animæ Chriſti.

1. Qua-

1 QVatuor inquiremus: *primò* An Animæ Chriſti potẽtia fuerit omnipotens? Reſpondeo; *quòd non fuerit omnipotens.* PROBATVR Exodi 15. *Omnipotens nomen eius.* Ex quo prima ratio D. Th. conſurgit. quod eſt proprium Dei, nulli creaturæ conuenire poteſt. ſed Deo proprium eſt, vt ſit omnipotens. ergo Animæ Chriſti quæ eſt creatura nõ conuenit.

Animæ Chriſti potentia non fuit omnipotẽs.

Ratio ſecunda. In myſterio Incarnationis facta eſt vnio duarum naturarum in perſona, remanente reali diſtinctione illarũ, ita quòd quælibet natura id quod ſibi proprium eſt retineat. ſed ſoli naturæ Diuinæ proprium eſt habere omnipotentiã, quia hæc ſola habet Eſſe infinitum, Anima autem Chriſti cùm ſit creatura, habet Eſſe finitum. ergo illi non competit omnipotentia.

2. *Sed dices* atqui hæc omnipotẽtia potuit cõmunicari Animæ Chriſti. *Reſpondeo* quòd non potuit, illæ enim perfectiones Dei quæ formaliter in ſe non includunt infinitatẽ, vt *Eſſe, Viuere, Intelligere,* communicari poſſunt, & de facto communicatas eſſe creaturis experimur, vt Angelis, hominibus, & alijs creaturis. Illæ autẽ perfectiones Diuinæ quæ formaliter includunt in ſe infinitatem, vt *Ens primum, eſſe Actũ purum, Habere eſſe per Eſſentiam,* non poſſunt cõmunicari & de horum numero eſt omnipotentia, nam non eſt limitata ad certum aliquem effectum, ſed ad omnes producibiles ſine vlla limitatione extendit ſe.

Quæ perfectiones Dei communicari poſſũt creaturis & quæ non?

3. *Secundò inquirimus.* An Anima Chriſti reſpectu immutationis creaturarum habuerit omnipotentiã?

An anima Chriſti reſpectu immutationis creaturarũ habuerit omnipotẽtiam?

Reſpondeo cum diſtinctione, ſi loquamur de Anima Chriſti ſecundùm propriam naturam & virtutem, ſiue naturalem ſiue gratuitam, & ſic habuit potentiam ad illos effect⁹ producendos, qui ſunt animæ conuenientes, v. ad gubernandum corp⁹, ad diſponendum humanos actus, ad illuminandum per gratiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes. *Si autẽ* loquamur de Anima Chriſti in quãtum eſt inſtrumentũ Verbi ſibi vniti, & ſic habuit virtutem inſtrumẽtalem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas ordinabiles ad finem Incarnationis, qui eſt inſtaurare omnia quæ ſunt in cælis & in terris. vnde ad creandum & ad annihilandum, qui ſunt effectus omnipotentiæ, iam Anima Chriſti non habuit potentiam. *Ratio.* cuius enim potentiæ eſt conſeruare, eiuſdem eſt creare & annihilare. ſed ſolius Diuinæ potentiæ eſt conſeruare, ſecũdùm illud ad Hebr. 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. ergo & ſolius eſt Dei creare & annihilare.

4. *Sed quæres.* Qualenam inſtrumentum Diuinitatis eſt Anima Chriſti, morale an verò Phyſicum? *Reſpondeo.* quòd vtroq; modo eſt. *primò* eſt vt cauſa moralis principalis quæ operatur effectus orando, merendo, & ſic propter merita Chriſti præuiſa, atq; etiam exhibita multa Deus operatus eſt miracula, quæ ad finem Incarnationis ordinabantur. *Tum* & Chriſtus Dominus ſæpenumerò oratione præmiſſa miracula eſt operatus, vt cùm Lazarum ſuſcitaret, orauit dicens: *Pater gratias tibi ago, quoniam audiſti me, &c.* & Martha ibidem ad eum dicit: *Sed & nunc ſcio,*

Anima Chriſti qualenam eſt inſtrumentum Diuinitatis morale an phyſicum?

ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi.

Secundò concurrebat. vt cauſa inſtrumentalis Phyſica omnium miraculorum & immutationum ſupernaturalium quæ ordinabantur ad myſterium incarnationis. *Probatur* Sacramenta nouæ legis ſecundum communem ſententiam Thomiſtarum concurrunt ad productionem gratiæ tanquam cauſa inſtrumentalis Phyſica; & Sacramenta ſunt inſtrumenta Dei ſeparata; Humanitas autem Chriſti eſt inſtrumentum coniunctum Diuinitati. ergo multò magis erit cauſa efficiens miraculorum inſtrumentalis.

Obiectio.

5. *Sed obiicies.* Inſtrumentum Phyſicum debet habere inclinationem & proportionẽ ad illum effectũ accomodatam ad quem producendum aſſumitur. Sed humanitas Chriſti ex ſe nullam habet proportionẽ & inclinationem accommodatam ad operationes miraculoſas. ergo non potuit eſſe inſtrumentum phyſicum.

Solutio eius.

Reſpondeo Verum eſſe quòd ſunt quædam inſtrumenta phyſica, quæ ex natura ſua habent eam proportionem & accommodationem quòd poſſint pertingere ad effectũ principalis agentis, & ſic calor eſt inſtrumentum ignis ad productionem ignis, & ſera eſt inſtrumentum artificis ad producendum ſcamnũ Sed negare etiam non poſſumus eſſe quoque alia inſtrumenta phyſica, quæ quamuis ex natura ſua non habeãt vt poſſint attingere ad effectũ principalis agentis ſed habent hoc ex ſola Diuina voluntate & illius beneplacito. & hoc ſecundo modo anima Chriſti eſt inſtrumentum Phyſicè concurrens ad omnes immutationes miraculoſas quæ ordinantur ad finem Incarnationis.

An in humanitate Chriſti fuerit aliqua qualitas ſupernaturalis admiracula facienda?

6. *Sed quæres.* An in humanitate Chriſti fuerit aliqua qualitas ſuper naturalis Diuinitus infuſa & per modum habitus permanens ad miracula facienda. *Reſpondeo* cum Medina quòd non fuerit: ſed ſolum fuiſſe quandam motionem per modum tranſeuntis prouenientem à Diuinitate, cum humanitas Chriſti fuerit inſtrumentum illi coniunctum. PROBATVR ex *2. 2dæ. quæſt. 78. art. 1.* vbi dicitur ad 1. Miraculorum cauſa eſt omnipotentia Diuina quæ nulli creaturæ communicari poteſt, vnde non potuit eſſe vt qualitas quædam habitualiter manens in anima Chriſti. *Deinde* Humanitas Chriſti ex eo quòd ſit vnita hypoſtaticè Verbo, habet ſufficientem virtutem ad concurrendum inſtrumentaliter ad operationes miraculoſas. ergo non indiget qualitate ſuperaddita.

An anima reſpectu corporis proprii habuerit omnipotentiam?

7. *Tertiò quærimus.* An anima reſpectu corporis proprii habuerit omnipotentiam? *Reſpondeo* quòd anima conſiderata ſecundum ſuam propriam & naturalem virtutẽ nõ habuit omnipotẽtiam reſpectu proprii corporis. *Et ratio eſt.* Quia ſecundum ſuam propriam naturam habet determinatam & proportionatam virtutem ad ſuum corpus. Sed eadem anima Chriſti conſiderata in quantum eſt inſtrumentum perſonæ Verbi vnitum, ſic habuit omnipotentiam reſpectu ſui corporis, ſed quæ magis attribuenda eſt ipſi Verbo quam animæ Chriſti. nã virtus actionis non inſtrumento ſed principali agenti attribui debet.

&c tales erant actiones vt cum ambularet ſuper aquas, aut quando ſe occultabat; aut cum in transfiguratione reſplenduit facies eius ſicut ſol; & ad has actiones concurrebat anima Chriſti, tanquam inſtrumentum à Diuinitate motum.

Anima Chriſti an reſpectu exſecutionis ſuæ voluntatis habuit omnipotentiam?

8. *Quartò quærimus.* An reſpectu exſecutionis ſuæ voluntatis habuit anima Chriſti omnipotentiam? *Reſpondeo* quòd anima Chriſti ſecundum ſuam propriam virtutem habuit potentiam ad vniuerſa quæ voluit per ſe implere, nam hoc illius ſummæ ſapientiæ conueniebat, vt id vellet quod adimplere poſſet. Ea verò quæ volebat vt virtute Diuina adimplerentur, ea iam non efficiebat propria virtute, ſed tanquã inſtrumentum Verbi ad illa concurrebat.

Voluntas in Christo fuit efficax

Nota Quòd in Chriſto fuit volũtas efficax, & hàc quæcunque voluit fiebant virtute Diuina, nam hæc eius voluntas ſemper fuit conformis voluntati Diuinæ beneplaciti, quæ ſemper impletur. Fuit quoque voluntas inefficax quæ vocari ſolet *Velleitas*; & hæc non ſemper implebatur, qualis fuit dum voluit vt tranſiret ab illo calix, & cũ vult omnes homines ſaluos fieri.

DISPVTATIO XIV.

De Defectibus corporis aſſumptis à Filio Dei.

1. HVius Diſputationis de Defectibus proponendæ occaſionem præbuerunt hæreſes, quarum, quædam in Chriſto agnoſcebãt corpus humanum, ſed impaſſibile, & quòd nullum pondus grauitatis habebat. Tum & animam impaſſibilẽ eſſe dicebant, nullis timoris & triſtitiæ paſſionib⁹ vnquam affectam. Quædam è contra exſtiterunt, quæ in Chriſto ponebant ignorantiam & peccatum: in præſenti de Defectibus corporis inquiremus, quorum explicationem quatuor propoſitionibus comprehendemus.

Quare conueniẽs erat vt corp⁹ humanum aſſũptũ à filio Dei humanis infirmitatib⁹ ſubiaceret.

2. PRIMA *propoſitio* Valde conueniens erat vt corpus humanum aſſumptum à Filio Dei, humanis infirmitatibus vt morti, dolori, fami, ſiti, & his ſimilibus ſubiaceret. Et quidem propter tria. *Primò* quia Filius Dei venit in mundum vt pro peccato humani generis ſatisfaceret. Sed ſatisfactio tunc eſt conueniens pro peccato alterius cum illius pœnam debitam in nos recipim⁹ & ſic Chriſtus de facto recepit Iſai 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit*: tulit autem in noſtro corpore ſuſcepto. *Secundò* ad aſtruendam & roborandam fidem ſuæ incarnationis nam aliter humana natura cognoſci non potuit, niſi quando illius defectus in ſe recepit. *Tertiò* ad proponendum nobis exemplum in ſeipſo patiẽtiæ, quod qdẽ nobis exhibuit, paſſiones & alios defect⁹ in corpore ſuo ꝓ nobis fortiter tolerando

3. *At obijcies* Dolores corporis & ipſa

Obiectio

ipſa mors ſunt pœna peccati. Sed Chriſtus fuit Agnus ſine macula. ergo non erat conueniens vt hos in ſe reciperet. *Reſpondeo* Mors, dolores ſimpliciter conſiderando, non ſunt cauſa peccati, ſiquidem homo in puris naturalibus conſtitutus, & qui omni prorſus peccato careret, morbis, doloribus, morti, ſubiaceret; ſiquidem corpus ex quatuor elementis conſlatum habuiſſet, vnde ab intrinſeco propter pugnam quatuor qualitatum contrariarum fuiſſet corruptibile; & ab extrinſeco vulnerari poterat: vnde infirmitates, morbi, ſolùm per accidens in natura corrupta ſunt pœna peccati

Solutio eiꝰ

Secundò reſpondeo. quòd prædicti effectꝰ ſunt pœna peccati aut ꝓprii aut alieni. Sed Chriſtꝰ nõ pro ſuis ſed alienis peccatis eſt paſſus. Iſaiæ 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*. Ergo dolores & mors in Chriſto nõ erant pœna peccati proprii, ſed peccati alieni.

Quare Corpus Chriſti erat ſubiectum morti & aliis defectibus?

4. SECVNDA *propoſitio* Spectando neceſſitatem quæ conſequitur ex principiis naturæ, ſic corpus eius erat ſubiectum morti & aliis ſimilibus defectibus. Ad Romanos 8. *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, Sed hæc eſt conditio carnis peccati quòd habeat neceſſitatem ſuſtinendi dolores & moriendi. *Et Ratio eſt*. Quia hi defectus reſultabant ex principiis naturæ humanæ, & ſic permiſſum illi erat agere & pati quæ illi propria erant. Cõſiderando verò neceſſitatem vt repugnabat corpori humano, & ſic neceſſitati ſubiacuit, nam ſecundum hanc rationem flagellorum & clauorum neceſſitati ſubiacuit. Si autem conſideramus neceſſitatem in quantum hæc repugnabat voluntati Diuinæ aut humanæ, quæ fuit inſtrumentum Diuinæ, ſic non ſubiacuit neceſſitati, nam alias non fuiſſet libere paſſus.

5. *Sed obijcies*. Si voluntariè mortuus. Ergo Iudæi interfectores non peccarunt, ſiquidem per crudelitatem ſuam cooperabatur ad id quod Chriſtus volebat. *Reſpondeo* quòd Chriſtus ſicut & Deus volebat paſſionem & mortem Chriſti, ſed iniquã Iudæorũ actionẽ nolebat: Vnde Iudæi à peccato excuſari nõ poſſũt. — Obiectio / Solutio eius

Obijcies ſecundò. quomodo voluntariè mortem ſubiit ſiquidem Patri ſupplicabat vt tranſiret calix à ſe? *Reſpondeo* quòd voluntariè ſubiuit mortem. Quòd verò ſupplicauerit illam à ſe auferri, id procedebat ex motu naturali voluntatis, quæ naturaliter refugit & auerſatur tormẽta, & mortẽ: ſed ſecundum deliberatam voluntatem in quãtum Chriſtus conſiderabat ob iuſtitiam & generis humani redemptionẽ, bonũ eſſe mortẽ oppetere, voluit mortẽ.

Chriſtꝰ Dominus voluntariè ſubiuit mortẽ.

Nota, Ille motus naturalis dicitur eſſe voluntas qui oritur ex apprehenſione alicuius mali aut boni nõ conſiderando omnes circumſtantias quas deliberata voluntas includit. *Reſpondeo ſecundò*. Vel ſi hi motus videntur habere aliquam imperfectionem, dicimus quòd Chriſtus ſecundum deliberationem per rationes humanas volebat nòn mori voluntate quadam inefficaci, qualis eſt illa qua vult omnes homines ſaluos fieri; Sed conſideratis omnibꝰ rationibꝰ, voluit efficaciter mori.

6. *Obijcies tertiò* Quomodo Chriſti corpꝰ poterat pati in quo anima erat beata & glorioſa ex qua beatitu

du-

Solutio eiꝰ

do debuit deriuari in corpꝰ *Reſpōdeo* Animā Chriſti in ordine ad Deū fuiſſe beatā in ordine ad corpus fuiſſe paſſibilē *Tum* dicimꝰ Gloriā deriuari ex anima in corpus, quādo anima omnimodè eſt beata & glorificata tam ſecundùm ordinē quo ad Deum quàm ſecundùm ordinem quo ad corpus (vt habet D. Th. quæſt. 29. de veritate art. 6. ad 4. Et certum quidem eſt quòd impaſſibilitas debebatur corpori Chriſti tam ratione vnionis quàm ratione beatitudinis; ſed diſpenſatione Diuina factū eſt, vt huius debiti ſolutio differretur donec ſalutem noſtram fuiſſet operatus vt etiam merito paſſionis illi fuiſſet debita.

Chriſtꝰ Dominus defectus corporales voluntariè ſuſcepit. ſed non contraxit.

7. PROPOSITIO *tertia.* Chriſtus defectus corporales non contraxit ſed voluntariè ſuſcepit.

Nota Hoc Verbū *contrahendi* dicit, quòd defectus ex debito trahantur nam cum natura humana per peccatum originale ſit vitiata, ideo defectus ex eodem peccato manantes ſecum ex debito trahit. *Et Ratio eſt.* Quia in Verbo *contrahendi* includitur ordo effectus ad cauſam, vt illud dicatur contrahi quod ſimul cū ſua cauſa ex neceſſitate trahitur Cauſa autem pœnarum & defectuū in natura humana, & neceſſitatis eas patiendi eſt ipſum peccatum. Et quāuis interitus naturæ humanæ ſit in cauſa compoſitio ex contrariis qualitatibꝰ, tamē hæc in natura humana primorum parentum à Deo producta ſic impediebantur, vt homo non eſſet moriturus niſi peccaſſet PROBATVR *hæc propoſitio.* Quia (vt iam deductum) Defectus contrahuntur ex peccatis. Ad Romanos 8. *Per vnum hominem peccatum introiuit, & per peccatum mors* Sed in Chriſto peccatum non habuit locum. ergo nec mortem contraxit ſed voluntariè ſuſcepit. *deinde* D. Aug. exponens illum locum Ioan. 3. *Qui deſurſum venit ſuper omnes eſt.* dicit: *De ſurſum venit Chriſtus de altitudine naturæ humanæ quam habuit ante peccatum primi hominis accepit enim naturam humanam abſque peccato in illa puritate in qua erat in ſtatu innocentiæ, & ſic potuiſſet ſine defectibus naturam humanam aſſumere, voluit tamen hos ſuſcipere propter redemptionem noſtram.*

Chriſtꝰ Dominus non omnes defectꝰ ſeu infirmitates humanas ſumpſit. Infirmitates hu[illegible] in tr[illegible] differe[illegible]

8. PROPOSITIO *quarta,* Chriſtus non aſſumpſit omnes defectus ſeu infirmitates humanas. *Probatur* Defectus humani ſunt in triplici differentia. *Quidam* ſunt qui repugnāt perfectioni ſcientiæ & gratiæ, vt ignorantia, pronitas ad malum. difficultas ad bonum: *Quidam* qui non conſequuntur totam naturam humanam, ſed ex quibusdam particularibus cauſis oriũtur, vt lepra, morbus caducus, qui ex victus inordinata ratione, aut ex defectu virtutis formatiuæ ortum habent. *Quidā* qui communiter in omnibus hominibus inueniuntur ob peccatum primi parentis, vt fames, ſitis, dolores, mors. Sed defectus qui repugnant ſcientiæ & gratiæ non ſuſcepit Chriſtus, quia *in eo erant omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ;* tum & plenitudinem gratiæ habuit, de qua nos participamus. Neque ſuſcepit eos defectus, qui ſunt ex particulari cauſa quia in regimine vitæ Chriſti nihil inordinatum fuit: Tum & caro eius de Spiritu S. concepta eſt, qui eſt infinitæ ſapientiæ, & virtutis, & qui in actionibus ſuis deficere non poteſt. Solùm ergo illos defectus

ſuſcepit

ſuſcepit qui naturam humanam ſub ſequuntur & communiter in omnibus hominibus reperiuntur ex peccato primi parentis vt mors, dolor, fames, &c. Et hos defectus D. Damaſcenus vocat *Naturales* quia naturam humanam conſequuntur; vocat *Indetractabiles* quia nullum defectum ſcientiæ & gratiæ important.

10. *Sed quæres*. D. Th. duos tantũ morbos excludit à corpore Chriſti Lepram & Caducum? An etiam alios fuerit expertus? Affirmant quidam nam vt Chriſti corpus potuit vulnerari, ita ex vulnere poterat ægrotare. *Tum* potuit per cauſas externas, vt ex aeris corruptione & ex influxu cæli contrahere ægritudinem, ſiquidem corpus ſimile nobis habuit.

Nihilominus negamus cum Caietano qui in Opuſculo de Spaſmo dicit, indigniſſimum eſſe aſſerere quòd Chriſtus Dominus aliquando langueſceret & morbos incurreret. Idem defendit Medina 3. *Sent. diſt.* 15. 16. Et D. Bona. Rich. Dur. & alii, nam indecens eſt vt qui omnes ab infirmitatibus ſanabat, morborum vim in ſe experiretur. *Tum* dico. quòd ab externis cauſis non poterant imprimi infirmitates in eius corpore, nam habuit ſufficientem virtutem ad reſiſtendum agentibus naturalibus. *Tum* prudẽtia ſua poterat vitare nociua. *Deniq;* ipſa prouidentia Diuina quæ ipſum tuebatur, hæc aduerſantia valetudini potuit auertere.

Sed dices. Iſaiæ 57. dicitur. Et Mat. 8 Chriſtum tuliſſe & portaſſe noſtros languores. *Reſpondeo*. Illos portauit qui non erant propriè morbi. *Reſpondeo ſecundò*. Tulit quia eos auferebat depellendo à plurimis morbis. *Reſpondeo tertiò*. Portabat ſuſtinendo pœnas in corpore ſuo noſtris peccatis debitas.

Obiectio.

Eius ſolutio triplex.

DISPVTATIO XV.

De Defectibus Animæ à Chriſto aſſumptis?

Inquiremus in hac Diſputatione quinque.

1. *De Defectibus quo ad Voluntatem an in illa fuerit peccatum?*
2. *Quo ad appetitum an fuerit fomes peccati?*
3. *Quo ad Intellectum. an fuerit in eo ignorantia?*
4. *Quo ad alias paſſiones ſenſitiuas an his anima eius fuerit obnoxia?*
5. *An ſimul fuerit Viator & Comprehenſor?*

QVÆSITVM I.

An in Chriſto fuerit peccatum?

 Duo re-

1. DVo reſoluenda veniũt *Primò* quo ad factum. *Secundò* quo ad poſſibile.

Chriſtus Dominus nullo modo aſſumpſit defectum nec originalis nec actualis peccati.

QVANTVM ad primum Dico. *Chriſtus nullo modo aſſumpſit defectũ originalis vel actualis peccati: eſtq́; de fide* PROBATVR Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Et 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Et 2. Corinth. 5. *Cùm qui pec catum non nouerat pro nobis fecit peccatum,* hoc eſt, *hoſtiam pro peccato. Et Ratio eſt.* D. Thomæ Chriſtus illos defectus ſuſcepit per quos pro nobis ſatisfaceret & naturæ humanæ aſſumptæ veritatem comprobaret, & vt nobis exhiberet exemplum virtutis. Sed peccatum nihil operatur ad ſatisfaciendum ſiquidem virtutem ſatisfactionis impedit. Nã Eccleſiaſtici 4. dicitur. *Dona impiorum non probat Altiſſimus.* Nec peccatum veritatem naturæ comprobat, ſiquidem peccatum non pertinet ad naturam humanam cuius Deus eſt author, ſed magis eſt contra naturam per Diaboli ſuggeſtionem introductum. *Deniq́;* peccando non potuit nobis præbere exemplum virtutis cum peccatum ſit oppoſitũ virtuti.

An potẽtia peccandi fuerit in Chriſto?

2. QVANTVM *ad alterum.* An potentia peccandi fuerit in Chriſto, ita quòd ſi anima Chriſti non fuiſſet beata nec in gratia confirmata, ſed relicta ſuæ naturæ, vnita tamen Verbo an peccabilis eſſet? Affirmãt Durandus, Scotus, Gabriel, ſed contra eos.

Dico *Chriſtus neq́; vt Deus, neq́; vt homo potuit peccare etiam de abſoluta Dei potentia.* Ita Magiſter Sentent. in 3. D. Th. ib. quæſt. 2. art. 1. & 2. D. Bon. Greg. Armi. Capr. qui contrariam ſentẽtiam tanquam impiã ad flammam condemnant. *Probatur* Vnio Verbi cum natura humana in Chriſto facit vt natura humana ſit propria Verbi tanquam ſuppoſiti terminantis illam. ergo non ſolùm ad Verbum pertinet vt eam dirigat ne in aliquo deficiat, ſed etiam vt eandem ſanctificet, vt ſit Deo digna eidẽq; fiat gratiſſima, vnde cũ nullo peccato quod eſt odibile Deo conſiſtere poteſt, nec cum mortali nec cum veniali.

Probatur ſecundò. Actiones ſunt ſuppoſitorum. Sed in Chriſto vnũ eſt ſuppoſitum Diuinum. ergo quælibet actio ſecundùm quamcunque naturam exſiſtentem in Chriſto tribuenda eſt ſuppoſito Diuino. Sed ſuppoſito Diuino non conuenit peccare. ergo nec humanitati Chriſti conueniet peccare.

Confirmatur. Opera Chriſti in natura humana erant opera ſatisfactoria, eademq́ue infiniti valoris quia ſuppoſito Diuino quod eſt infinitæ dignitatis tribuebantur. ergo omnis actio Chriſti ſuppoſito Diuino tribuenda.

3. *Reſpondet* hic Durandus quòd actiones humanitatis Chriſti ſunt quidem ſuppoſiti Diuini non vt agentis & mouentis ad peccandum ſed ſolùm vt naturam ſuſtentantis Quando verò contra illum inferimus, quòd peccatum ſuppoſito Diuino tribueretur. *Reſpõdet* tribui quidem, ſed tantum denominatiuè ſicut calor aquæ calidæ tribuitur in quantum illum ſuſtentat, ſed non effectiuè quia nihil confert ad illius productionẽ. Sed hæc duo quæ Obiectio Durandi.

infert

infert Durandus ſtare non poſſunt. Nõ primum. Si enim (vt Durand⁹ dicit) peccaret humanitas, illud peccatum Diuino ſuppoſito quamuis ad illud per modum mouentis non concurreret, adhuc eſſet tribuendũ quia non obſtitit nec prohibuit: nã ad illud ſuppoſitum quod eſt alicuius naturæ ſpectat vt obſiſtat malæ operationi illius naturæ, & ſic ſi ſuppoſitum Diuinum non obſiſteret, illi peccatum adhuc imputaretur.

Confirmatur. Sicut enim in nobis experimur appetitus ſenſitiui motus inordinatos inclinantes ad malum. tũc ſi his ſuppoſitum hominis tanquam rector non reſiſtat nec reprimat nec prohibeat cum teneatur, illi peccatum tribuitur. Ita ſimiliter cum in Diuino ſuppoſito ſint duæ naturæ, eidem quælibet actio etiam mali imputari debet, quia non prohibuit cum debuit.

4. Ad ſecundum Durandi dico. *Etiam denominatiuè tribuere Deo peccatum eſt magnum inconueniens.* quia eſt blaſphemia Deum qui eſt ſumma bonitas peccatorem donominare. *Probatur ſecundò.* Quia Verbo Diuino repugnat non ſolùm in natura aſſumpta peccare, ſed etiam ſuſtentare eandem, quãdoquidem ſi naturam peccato infectam aſſumeret vt quidem potuit neceſſariò in ipſo inſtãti aſſumptionis eandem emundaſſet aut per gratiam vnionis aut per gratiam habitualem.

5. *Probatur tertiò.* Quia erroneum eſt quòd Verbum in myſterio incarnationis ſolùm deferat & ſuſtentet naturam humanam, cum ſit agens principale & ſuppleat vices proprii ſuppoſiti eidemque det eſſe & propriam perſonalitatem & eandem in actu conſtituat; vnumquodque autem in quantum eſt actu operatur. De Aqua non currit ſimile, ſiquidem vnio aquæ & caloris eſt accidentalis, hæc autem eſt ſubſtantialis.

Probatur vltimò. Humanitas Chriſti per vnionem hypoſtaticam multò magis manet impeccabilis, & in bono immobilis quàm ſunt Beati per viſionem claram. Sed Beati nõ poſſunt peccare, nam illorum beatitudo cum peccato habet oppoſitionem, vnde ſimul ſtare non poſſũt ideò nec humanitas Chriſti vnita Verbo vnquam peccare potuit. Obiectio.

6. *Sed obiicies* Deo in natura aſſũpta non repugnat mori. ergo eidẽ in natura aſſumpta non repugnabit peccare. *Conſequentia* Sicut enim Deus eſt ſũma bonitas cui opponitur peccatum, ita etiam eſt vita æterna cui opponitur mors. *Reſpondeo* negãdo Conſequentiam. Quia mors eſt malum pœnæ & quidam actus iuſtitiæ, vnde in Deum tanquam in vltimum finem ordinari poteſt. Iam verò peccatum eſt malum culpæ quod in Deum vt in cauſam Efficiẽtem etiam indirectè referri non poteſt, tantòminus ordinariè ſiquidem peccatum eſt Dei deſtructiuũ, nã aliũ vltimũ finẽ præter Deũ conſtituit. *Item* Quia *mori* tribuitur Deo propter aſſumptam naturam humanam, iam verò *peccare* dicit actionem à ſuppoſito prouenientem, nam cui⁹ſlibet actionis natura eſt principium *quo* ſuppoſitum verò eſt *Quod.* Et Philoſophus dicit: quòd natura humana non flet; nec net, ſed Socrates, Calias, eò quòd actiones ſunt ſuppoſitorum, vnde non currit argumentum. Ei⁹ ſolutio

QVÆSITVM II.
An Fomes peccati fuerit in Chriſto?

7. HIc defectus etiam ad voluntatem ſpectat, ſiquidem eādem afficit. Pro reſponſione.

Quid per Fomitē intelligēdū?

Dico primò. *Per fomitem non intelligimus Naturalem facultatem appetitus ſenſitiui, qui quidem in Chriſto fuit, ſed intelligimus motum inordinatum appetitus ſenſitiui prout allicit & inclinat ad id quod eſt rectæ rationi contrarium.*

In Chriſto non fuerūt motus inordinati appetitus.

Dico ſecundò. *Eſt valdè erroneum & proximum blaſphemiæ dicere fuiße in Chriſto motus inordinatos appetitus inclinantes ad peccandum, etiam ſine conſenſu voluntatū & ſine veniali peccato.* PROBATVR Quia hic eſt error Pelagianorum, contra quos diſputat. D. Aug. lib. 4. Hippogn. Et lib. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 11. Et.

8. *Ratio eſt prima.* Matt. 11. *Quòd in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.* Sed opera Spiritus S. ſunt perfecta & nihil in eis eſt vitioſum; at inclinatio ad peccādū quā fomes peccati importat, dicit imperfectionē & indecentiā. ergo nullo modo in Chriſto admittenda. *Deinde* Chriſtus habuit plenitudinem gratiæ & virtutes morales perfectiſſimo modo. Sed ad ſtatum perfectæ virtutis ſpectat, vt etiam motus inordinatus ad peccandum excludatur. ergo in Chriſto non fuit fomes peccati *Itē* Filius Dei illos tantum defectus ſuſcepit qui ſunt ordinabiles ad ſa-
tisfaciēdum, ꝑ peccato generis hu-
mani. Sed hic fomes nō eſt ordinabi
lis ad ſatisfaciēdū ſed poti⁹ inclinat
ad id quod eſt contrarium ſatisfa-
ctioni. *Præterea.* Fomes peccati ori-
ginem trahit ex peccato originali.
Sed Chriſti humanitas non habuit
originale peccatū. ergo nec fomitē.

9. *Confirmatur.* Chriſtus Domi-
nus eſt ſuppoſitum Diuinum & illi-
us anima eſt beata. Sed Deo & ſta-
tui beato motus inordinati repu-
gnant. ergo hos motus inordinatos
non potuit pati. *Tum* Si in noſtra
eſſet poteſtate comprimere motus
inordinatos iræ, vindictæ, inuidiæ,
ne rationem præuenirent profectò
in peccatum nobis imputaretur ſi
eos non comprimeremus. Atqui
Chriſtus Dominus potuit hos mo-
tus inordinatos comprimere & fa-
cere ne inſurgerent contra ratio-
nē, vnde ſi eos ꝑmitteret, peccaret,
quod dici non debet. *Ad extremū.* Piæ
aures reformidāt audire. quod Chri-
ſt⁹ Domin⁹ aliquos mot⁹ inordinatos
in ſuo caſtiſſimo corpore ſit paſſ⁹.

Dices. Atqui factus eſt in ſimili-
tudinem carnis peccati. *Reſpondeo*
cum D. Hier. Ideo illius caro dici-
tur eſſe facta in ſimilitudinem car-
nis peccati, quia caro Chriſti fuit
aſſumpta de maſſa carnis, quæ erat
ad peccatum procliuis, ipſa verò
Chriſti caro, nullam in peccatum
procliuitatem habuit.

Quare Caro Chriſti dicitur eſſe facta in ſimilit... peccati nis?

QVÆ-

QVÆSITVM III.
An Ignorantia in Chriſto fuerit?

In Chriſti anima non fuit ignorãtia.

10. AD Quæſitum Dico. *in anima Chriſti ignorantia non fuit*. PROBATVR Chriſtus ad hoc venit vt eos qui in tenebris & vmbra mortis ſedebãt illuminaret. Sed p tenebras intelligimus ignorantiam; ſed ſicut tenebræ non illuminantur tenebris, ita etiam ignorantia non illuminatur per ignorantiam. ergo ignorantiã nõ aſſũpſit Chriſt⁹ *Deinde* Sicut in Chriſto fuit plenitudo gratiæ & veritatis ita quoq; fuit plenitudo ſcientiæ. Sed in Chriſto plenitudo gratiæ & virtutis excludit fomitem peccati. ergo & plenitudo ſciẽtiæ excludit ignorantiam.

Ignorantia triplex.

Hic ex Medina & ex Aluarez notamus, quod triplex eſt ignorantia, quædã eſt prauæ diſpoſitionis quæ dicitur eſſe error oppoſitus ſciẽtiæ: quædã eſt ignorantia Negatiua eorũ quæ quiſpiam tenetur ſcire, tanquã ad ſuum ſtatum pertinentia vt ſi Epiſcopus ignoraret Diuinas literas: quædam ignorãtia eſt negatiua eorum quæ quis ſcire non tenetur cũ ad eius ſtatum non pertineant, vt ſi Epiſcopus artem venandi ignoret. Et hæc ignorantia dicitur potiùs Neſcientia Hoc præmiſſo.

11. Dico *Quòd in Chriſto non fuit ignorantia prauæ diſpoſitionis*. quia in Chriſto nullus error poſitiuus alicuius ſcientiæ nec deceptio potuit eſſe, nã ſi potuiſſet decipi, falſa docuiſſet, quod eſt abſurdum. *Nec etiã potuit eſſe ignorantia in Chriſto negationis eorum quæ ad ſtatum Chriſti pertinebant*, ſiquidem in eo erant theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei. *Ignorantia verò negatiua eorum, quæ ad ſtatum Chriſti non ſpectabant, dicimus quòd in Chriſto fuit*, ſiquidem anima Chriſti ignorauit ea quæ Deus ſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, (vt iam ante deductum) & ſecundùm hanc ignorantiam non dicitur Chriſtus propriè ignorans, quia horum intelligentia non pertinebat ad Chriſti ſtatum & perfectionem, ſicut homo qui non habet ſcientiam Angelorũ, non dicitur eſſe ignorans.

Quæ ignorantia in Chriſto fuit.

Obiectio.

12. *Sed inſtabis*. Quòd Chriſtus in ætate puerili patiebatur defectus ſi enim vidiſſet leonem pictum, fugiſſet, aut ſi in aqua intuendo virgam, putaret illam eſſe fractam, ſic enim ſenſibus apprehendimus. *Tum* aſpiciendo ſolem putabat illum minorem eſſe Paleſtina. Ergo ignorãtiam patiebatur. *Reſpondeo* cum D. Th. hic quæſt. 12. art. 2. ad 2. quòd ſciẽtia humanitus acquiſita in Chriſto ſemper fuit perfecta ſecundùm tempus & ætatem, & ſic cum ignorantia importet priuationem ſcientiæ debitæ in eſſe ſuo tempore, in Chriſto non potuit eſſe: nam & catulus ante nonum diem non dicitur eſſe cæcus: ita quamuis Chriſtus in ætate puerili multa ignorabat, non potuit tamẽ dici ignorans, quia tũc in illa ætate nõ tenebatur hæc ſcire.

Solutio eiuſdem.

13. Deinde quo ad alios defectus quidam (vt Victoria) admittit quòd in ſenſitiua parte potuit Chriſtus puer habere errorem, ſed conueni-

Chriſt⁹ Dominus etiā puer nō potuit habere errorem in parte ſenſitiua.

entius eſt, vt hoc ipſum negemus. *Et Ratio eſt.* Intellectus in homine ſciente corrigit errantem ſenſum, Sed Chriſti intellectus fuit perfect⁹ omni ſcientia. ergo ſenſum errantem corrigebat, & non permittebat illum labi in aliquem errorem; & ſic Chriſtus in pueritia omnem errorem ſuborientem in ſenſu à ſe remouebat per ſcientiam beatam & infuſam in vigilia & in ſomnis, tam in puerili quam&in virili ætate.

QVÆSITVM IV.

An Anima Chriſti fuit obnoxia paſsionibus?

14. DOctrinam de Paſſionibus Animæ ſex propoſitionibus concludemus.

Paſſiones tā corporis quàm etiā animæ erāt in Chriſto.

PRIMA *propoſitio.* Tam paſſiones corporis quàm etiam animæ erant in Chriſto. Corporales illæ dicuntur quibus ánima afficitur & patitur ad corporis læſionem; & quia corpus Chriſti fuit paſſibile, idemquè flagellis & clauis lædebatur vnde in eo erant paſſiones corporis.

Paſſiones corporis afficiunt animam.

Nota Hæ paſſiones corporis afficiunt animam, nam anima eſt forma corporis idem eſſe cum corpore habens, vnde ad læſionem corporis patitur. Animæ paſſiones ſunt appetitus ſenſitiui qui oriuntur ex motione & alteratione corporis.

Paſſiones animæ aliter ſe habēt in Chriſto quàm in nobis.

15. *Nota* quòd hæ paſſiones aliter ſe habēt in Chriſto quā in nobis quia in nobis ferūtur ad illicita, iudiciū rationis præueniūt & cōtra illud inſurgunt. tum rationem pertrahūt; & ab ea cōſenſū ad illicita obtinent in Chriſto nihil tale ſuboriebatur, quia hæ affectiones in omnibus diſponebantur & regulabantur ab illius recta ratione. *Et ratio eſt.* Quia Chriſtus Dominus ſemper fuit in ſummo & perfectiſſimo & maximè actuali vſu rationis, habens proprium dominatum ſuarum affectionum, & ſic omnem motum illarum potuit præuidere & prohibere vel admittere ſi volebat; quod denotāt illa Verba. *Infremuit Spiritu & turbauit ſemetipſum*, hoc eſt, ex imperio rationis has affectiones in ſe excitauit

Quomodo mot⁹ appetitus ſenſitiui in Chriſto oriebātur?

Ex quo Collige. quòd in Chriſto omnes motus appetitus ſenſitiui oriebantur ſecundùm rationis diſpoſitionem. Et D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 9. dicit: *Sicut Filius Dei factus eſt homo quando voluit ita eſuriuit cum voluit ſitiuit cum voluit, turbatus eſt quando voluit.*

In Chriſto verè fuit dolor ſenſibilis.

16. SECVNDA *propoſitio.* In Chriſto verè fuit dolor ſenſibilis Iſai. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portauit. Probatur* Ad veritatem doloris ſufficit læſio corporis. Sed in paſſione corpus Chriſti læſum erat flagellis & clauis. ergo tunc verum dolorem patiebatur.

Scotus in 3. diſt. 15. quæſt. vnica dicit non requiri læſionem realem corporis ad dolorem, ſed ſufficere imaginariam

imaginariam. Idem Capreolus videtur docere. Sed dicimus omnino requiri actualem læſionem ad dolorem excitandum. *Primò*. ideo quia triſtitia hoc differt à dolore quia ex imaginatione mali præſentis oriri ſolet. ergo dolor ex reali non ex imaginaria læſione. *Secūdò* ideo quia quantumcunque quis imaginetur ſibi abſciſam eſſe manum cum realiter non ſit abſciſſa, nō dolet verè.

Quare requiratur actualis læſio ad dolorem excitandum? Triſtia quo differt à dolore?

17. *Tertia propoſitio*. In Chriſto fuit triſtitia. Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*. PROBATVR. ſicut motiuum doloris eſt læſio corporis ſenſu percepta, ita motiuum triſtitiæ eſt nociuum apprehenſum ſiue per rationem ſiue per imaginationem. ſed Chriſtus apprehendebat motiuum nociuum quo ad ſe, v. mortem ſuam & paſſionem, vel quo ad alios, vt diſcipulorum peccatum & Iudæorum occidentium ſe: ergo in Chriſto vera fuit triſticia.

In Chriſto fuit triſtitia

Obiectio.

Sed inſtabis triſtitiam in Anima Chriſti non potuiſſe locum habere, ſiquidem hæc ab initio fuit beata. atqui beatitudo excludit omnem triſtitiā. ergo tempore paſſionis nō poterat eſſe triſtis. *Reſpondeo* nos hic duo tanquam certiſſimi confiteri. *primum* Chriſti Animam ab inſtanti conceptionis fuiſſe beatā. *ſecundùm* in tempore paſſionis triſtitiâ & dolore fuiſſe affectam, vnde in hoc eſt difficultas.

Solutio eius

18. Quomodo tempore paſſionis in Anima Chriſti potuit eſſe ſummum gaudium & ſummus dolor?

Quomodo tēpore paſſionis in anima Chriſti potuit eſſe ſummum gaudium & ſummus dolor?

D. Th. hic *quæſt. 46. art. 7.* dupliciter reſpondet. *primò* contraria nō poſſe eſſe in eodem per ſe, benè autem per accidens. vt cùm quis exſiſtit in naui, quem in occidentem defert, & ipſe inambulet verſus orientem, in eodem erunt duo motus contrarij, ſed non per ſe, verum per accidens: ita gaudium fuit in parte Animæ Chriſti ſuperiori per ſe, quia per propriū actū dolor verò per accidēs, quia per læſionem corporis.

Reſpondeo ſecundò. quòd illud gaudium & dolor non erant contraria, quia non erant de eodem, ſiquidem penes diuerſa obiecta diuerſo modo conſiderata: ſicut enim idem obiectum non repugnat eſſe bonū & malum ſecundùm diuerſas rationes, ita etiam non repugnat actus gaudij & triſtitiæ verſari circa idē ſecundùm diuerſas rationes, & ſic mors inquantum eſt naturæ diſcōueniens ſic pariebat triſtitiam; ſed conſiderata inquantum eſt conueniens ad obediendum Deo Patri, & ad redimendum genus humanum, ſic gaudium afferebat. & ſic gaudiū & dolor non erant contraria, quia non erant de eodem, nam gaudebat de ſua beatitudine, & de hominum redemptione, dolebat autem de peccatis hominum, de morte ſua, vt eſt malum naturæ, ſed de eadem gaudebat vt eſt medium redemptionis humanæ.

Caiet. dicit, quòd ſummum gaudium fuit in voluntate, & ſummus dolor in appetitu ſenſitiuo, & ſic nulla eſt repugnantia.

Tum ex Medina dicere poſſumus ſummum gaudium Chriſti ſimul fuiſſe cum ſumma triſtitia in eadem animæ parte, ſed per miraculum inquantum v. Deus non permittebat vt fruitio in Anima Chriſti haberet totū ſuū effectū, & naturaliter operaretur, nā proculdubio omnē ſenſum doloris longiſſimè repuliſſet.

QVAR-

In Chriſto fuit timor.

19. QVARTA *propoſitio.* in Chriſto fuiſſe timorem eſt euidens. Marci 14 *Cœpit pauere & tædere.* tum illa oratio *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, procedebat ex timore mortis. ſed cùm duplex ſit modus timoris: *primus* qui eſt motus oppoſitus ſenſitiui ex apprehenſo malo futuro, & ſic fuit in Chriſto, nam appetitus eius ſenſitiuus apprehendens imminentem & futuram corporis ſui læſionem, eandem refugiebat. *Alter* eſt, cùm incertitudine euentus futuri, & ſic non fuit in Chriſto, nam ad talem timorem requiritur iudicium incertum & timidum, quod nullo modo in Chriſto concedendum.

Chriſt⁹ non potuit admirari.

20. QVINTA *propoſitio.* Chriſtus ſecundùm ſcientiam Diuinam beatam infuſam (addit Medina) quòd etiam ſecundùm humanam non potuit admirari nec in eum cadere admiratio. RATIO. quia Anima Chriſti per has ſcientias omnia nouerat, & nihil illi nouum aut inſolitum poterat eſſe, ſed ſecundùm ſcientiam experimentalem poterat in Chriſto eſſe, & de facto fuit admiratio. Matth. 8. *Audiens Ieſus*, v. verba Centurionis, admiratus eſt. *Tum* D. Th. in ſolutione ad 1. dicit hic licet Chriſtus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de nouo occurrere illius experimentali ſcientię ex qua admiratio naſcitur.

Admiratio vnde proueniat?

Nota. Admiratio prouenit quidẽ ex cognitione rei inſolitæ & nouæ, ad quam ſequitur intenta animi applicatio per attentionem aut affectum ex eo quòd occurrat aliquid, ſiue ignotum ſiue inſolitum & excellens.

In Chriſto Domino fuit ira ſecundùm ordinem iuſtitiæ.

21. SEXTA *propoſitio.* in Chriſto fuit ira ſecundùm ordinem iuſtitiæ, quæ dicitur eſſe *Zelus*; nam Ioan. 2. dicitur, in Chriſto fuiſſe illud impletum, quod in Pſalmo dicitur: *Zelus domus tuæ comedit me.* dicitur autẽ *Zelus*, quia ea quæ ſunt peruerſa cupit emendare, & ſi non poteſt tolerat & gemit, & talis ira ſeu Zelus fuit in Chriſto. *Et ratio eſt.* Ira eſt effectus triſtitiæ, nam & triſtitia nobis aut alicui illata conſequitur circa partem ſenſitiuam appetitus repellendi illatam iniuriam. ſed in Chriſto potuit eſſe triſtitia. ergo ſimiliter & appetitus vindictæ ſecũdum regulam rationis. *Ex quo collige* quòd ira inquantum eſt vitium nõ potuit eſſe in Chriſto. Corollariũ

QVÆSITVM V.

An Chriſtus ſimul fuerit Viator & Comprehenſor?

22. INter defectus annumerari debet Viatorem eſſe, vnde inquirimus: *An hic defectus ſimul cum ſumma dignitate, v. quòd fuerit Comprehenſor, potuerit ſimul eſſe?* S. Doctor *hic quæſt. 34. art. 4.* docet Chriſtum Dominum fuiſſe perfectum Comprehenſorem, à primo inſtanti ſuæ conceptionis. *Tum* quia tunc accepit gratiam non ad menſuram

Chriſtus Dominus perfectus fuit Comprehenſor.

ſuram, ſed gratia Viatoris eſt ad mẽſuram ergo fuit perfectus Comprehenſor. *Tum etiam* quia eandem gratiam accepit cum actu, ita quòd clarè Deum videbat. ergo fuit actu Cõprehenſor. Hoc verò *quòd ſimul fuerit Viator* ſic deducit. Comprehenſor eſt qui iam fruitur beatitudine, Viator verò eſt, qui ad illam tendit. ſed Chriſtus ante paſſionem fuit beatus, quoad mentem, & ſecundùm corpus tendebat ad beatitudinem. ergo ſimul fuit Viator & Comprehenſor, Viator ſecundùm corpus, Comprehẽſor ſecundũ beatitudinẽ propriã animæ. Pro meliori intelligentia.

Anima Chriſti quotupliciter cõſiderari poteſt?

23. *Nota*, quòd Anima Chriſti dupliciter conſiderari poteſt: *primò* inquantũ ſumitur pro mente ſeu pro parte ſuperiori, ſecundum quam eſt perſona incompleta habens intellectus & voluntatis operationes independentes à corpore, & hoc modo videbat Deum clarè, & erat Comprehenſor à primo momento ſuæ conceptionis. *ſecundò* inquantũ ante mortem Chriſti corpus eius mortale & paſſibile informabat, tribuens illi gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum, & vt erat principium aliarum paſſionum, quas in Chriſto docuimus extitiſſe, & hac ratione fuit Viator, v. & ſecundùm corpus, & ſecundùm animam, inquantum ſcilicet anima erat forma corporis tribuens illi *Eſſe* vegetatiuum, & ſenſitiuum. quòd D. Th. hic videtur innuere his verbis, cùm dicit: *Chriſtus ante paſſionem ſecundùm mentem plenè videbat Deum* & ſic habebat beatitudinem, &c. ſed quantum ad alia deerat illi beatitudo, quia anima eius erat paſſibilis. & corpus paſſibile & mortale. ergo Chriſtus ſecundùm mentem fuit Comprehenſor, quia plenè videbat Deum, ſecundùm autem animam paſſibilem quæ corpus eius informabat dans illi gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum, & ſic erat Viator.

DISPVTATIO XVI.

De cõſequentibus vnionem quæ conueniunt Chriſto ſecundùm *Eſſe* & *Fieri*.

In hac Diſputatione agendum de Modis dicendi, quibus in hoc myſterio Incarnationis ſine ſuſpicione hæreſis vti poſſumus: tum & de communicatione Idiomatum, ſeptem erunt Quæſita.

1. *An hæc propoſitio ſit vera* Deus eſt Homo? *& è conuerſo* Homo eſt Deus?
2. *Explicabimus varios modos loquendi de Myſterio Incarnationis.*
3. *An hæc ſit vera* Chriſtus eſt creatura?
4. *An hæc ſit vera propoſitio* Ille homo, *demonſtrato Chriſto*, incepit eſſe.
5. *An hæc ſit vera* Chriſtus ſecundùm quod homo eſt creatura?
6. *An ſit vera iſta* Chriſtus ſecundùm quod homo eſt Deus?
7. *An hæc ſit vera* Chriſtus ſecundùm quod homo eſt hypoſtaſis vel perſona.

QVÆSITVM I.

An hæ propoſitiones *Deus eſt homo*, & *Homo eſt Deus*, ſint veræ?

Propoſitio hæc Deus eſt homo eſt vera.

I. AD Quæſitum dico primò. *Hæc Propoſitio* Deus eſt homo, *eſt vera, non ſolùm propter veritatem terminorum, quia Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo, ſed etiam propter veritatem prædicationis, quia verè & propriè vnum de alio enuntiatur.* PROBATVR. Nomen ſignificans naturam communẽ in concreto, poteſt ſupponere pro quolibet ſuppoſito illius naturæ ſignificato. *v. g.* hoc nomen *Homo* in concreto ſignificans naturam humanam in communi, poteſt ſupponere pro quolibet homine ſingulari Petro, Paulo, Ioanne, &c. Ita quoq; hoc nomen DEVS, ſignificat in cõcreto naturam Diuinam communẽ tribus Perſonis. ergo poteſt ſupponere pro ſuppoſito Patris, Filij, Spiritus S. ſed de quolibet ſuppoſito alicuius naturæ poteſt verè & propriè prædicari nomen ſignificãs in concreto illam naturam, ſicut de Socrate, Platone verè prædicatur homo. ita etiã dũ hoc nomen DEVS ſupponit pro Perſona Filij, quæ eſt ſuppoſitum naturæ humanæ.

Corollariũ. *Hinc ſequitur*, quòd cùm quodlibet nomen in concreto poſſit de ſuo ſuppoſito prædicari. ergo cũ DEVS ſignificet ſuppoſitũ Filij Dei, quod etiam eſt ſuppoſitum naturæ humanæ. ergo de Deo verè & propriè tanquã de ſuo ſuppoſito prædicabitur homo. ergo ſicut hæc Propoſitio *Petrus eſt homo* eſt vera, ita quoq; & *Deus eſt homo* eſt vera

2. Dico ſecundò. *hæc Propoſitio* Deus eſt homo, *eſt Propoſitio in materiâ naturali & neceſſariâ* PROBATVR quando duæ formæ conueniunt in vnum ſuppoſitum, tunc ſi vniuntur per ſe, & in per ſe, Propoſitio erit per ſe, & in materià naturalı & neceſſaria: ſi autem vniuntur per accidens, erit in materià contingenti, vt cùm dico *Muſicum eſt album.* ſed in myſterio Incarnationis natura humana & Diuina vniuntur in vno ſuppoſito Diuino, & quidem per ſe & non per accidens (vt in ſuperioribus demõſtratum eſt) ergo hæc propoſitio *Deus eſt homo*, eſt in materià neceſſariâ. Hæc propoſitio Deus eſt homo eſt propoſitio in materia naturali & neceſſaria.

Contrarium ſentit Duran. *in 3. diſt. 4. quæſt. 2.* vbi dicit, quòd hæc Propoſitio *Deus eſt homo*, non eſt ita propria ſicut hæc *Petrus eſt homo*, nam habet non nihil improprietatis. idem videntur ſentire D. Bonau. *in 3. diſt. 7. art. 1. q. 1.* Scotus *quæſt. 1.* Capreolus, Marſilius ibid. Fundamentum illorum eſt Propoſitio in materia naturali & neceſſaria, ita eſt vera vt non poſſit falſa. ſed hæc Propoſitio *Deus eſt homo* poteſt eſſe falſa, nam ſi dicas reduplicatiuè *Deus inquantum Deus eſt homo*, erit falſa. ergo non erit in materia neceſſaria.

3. Sed in contrarium dicimus cum D. Th. *hic & in 3. diſt. 7. q. 1.* & cum Fe-

cum Ferar. 4. *con. gen. c.* 45. Caietano, Medina, & cum Aluares, quòd hæc Propoſitio *Deus eſt homo*, eſt in materia naturali neceſſaria, & per ſe, ſicut & *Petrus eſt homo*. Pro euidentia.

Deus dupliciter conſiderari poteſt.

Noto cum Medina primò. In hac Propoſitione *Deus eſt homo*, ſubiectũ DEVS dupliciter conſiderari poteſt: *primò* formaliter, v. ratione formæ ſignificatæ. *ſecundò* materialiter pro ſuppoſito, quod ſimul eſt naturam Diuinam & humanam ſuſtentans. ſi primo modo ſumatur ſubiectum DEVS, tunc hæc propoſitio *Deus eſt homo*, ſecundum ordinem naturalem præciſè, eſt in materia remota, quia Deus & homo, multùm inter ſe diſtant: ſi verò ſumatur ſecundùm ordinem ſupernaturalem, erit in materiâ contingenti, nam contingit Deo, quòd ſit homo, ſiquidem Deũ eſſe hominem, non eſt de Eſſentia illius, ſi verò ſumatur ſecundo modo, v. inquantum eſt ſuppoſitum Diuinum & humanam naturam ſuſtentans, erit Propoſitio per ſe, & in materia naturali & neceſſaria.

Noto ſecundò in hac propoſitione *Deus eſt homo* ſubiectum Deus, non ſumitur indefinitè, ſed pro ſolâ perſonâ Verbi vnita naturæ humanæ. Hoc præmiſſo

4 *Probatur Dictum primò* ſicut in hac Propoſitione *Deus generat*, prædicatũ *generat*, quod eſt notionale Patris, reſtringit ſubiectum DEVS, vt pro Deo Patre ſumatur, cui ſoli in Diuinis conuenit generare: ita in hac Propoſitione *Deus eſt homo*, prædicatum HOMO, reſtringit ſubiectũ DEVS, vt pro Perſona Verbi ſumatur, ſiquidem hæc in myſterio incarnationis eſt ſuſtentans Diuinam & humanã naturam. *Confirmat* hoc D. Th. *in 3. diſt. 7. q. 1 a. 1. ad 6.* in iſta Propoſitione *Deus eſt homo*, eſt prædicatio eſſentialis, non quòd Diuinitas ſit humanitas, ſed quia ſuppoſitum Diuinæ naturæ eſſentialiter eſt ſuppoſitum naturæ humanæ.

Probatur ſecundò. vt aliqua Propoſitio ſit per ſe, & in materia neceſſaria, non eſt neceſſe vt prædicatum conueniat ſubiecto ratione formæ ſignificatæ, ſed ſufficit quòd illæ formæ conueniant per ſe, ſeu ſubſtantialiter in vnum ſuppoſitum, & ſubſiſtant prorſus per idem ESSE ſuppoſiti. ſed natura humana vnita eſt Diuinæ ſubſtantialiter in ſuppoſito Verbi Diuini, & ſubſiſtit per idem prorſus *Eſſe* perſonale per quod ſubſiſtit Verbum Diuinum. ergo hæc Propoſitio eſt per ſe & in materiâ neceſſariâ.

5. *Ad fundamentum* dico, quòd DEVS inquantum Deus reduplicatiuè importat formam ſignificatam per hoc nomen *Deus*, & ſic non eſt Propoſitio per ſe *Deus eſt homo*, ſed quia in hac Propoſitione *Deus eſt homo*, nomen DEVS ſignificat ſuppoſitum Diuinum, quod ſubſtantialiter naturam humanam ſuſtentat, & ideo eſt Propoſitio per ſe, & in materia neceſſaria.

At dices Propoſitio per ſe, non poteſt eſſe falſa: ſed hæc propoſitio *Deus eſt homo*, erat falſa ante Incarnationem, & eſſet falſa, ſi, quod eſt poſſibile, dimitteret Deus humanitatẽ. Obiectio.

Reſpondeo quamuis Deus non ſemper fuerit homo, iam autem cùm ſit ſubſiſtens in naturâ humanâ, & eãdem habeat ſibi vnitam, iam falſa eſſe nequit, nam ſicut hæc propoſitio *Homo ambulans mouetur*, eſt in materia ne- Reſponſio ad eam.

tera neceſſaria. & tamen non eſt neceſſe ſemper hominem ambulare, cùm ſufficiat inter ſubiectum & prædicatum eſſe ordinem neceſſarium. idem dicimus de hac propoſitione *Deus eſt homo*, quia habet ordinem neceſſarium ſubiectum cum prædicato, & ideo eſt in materia neceſſaria.

Homo eſt Deus eſt ꝓpoſitio vera & ꝓpria

6. Dico tertiò. *Suppoſita veritate, v. vtriuſq; naturæ Diuinæ & humanæ vnione in ſuppoſito Diuino, hæc propoſitio* Homo eſt Deus, *eſt vera & propria ſicut & hæc* Deus eſt homo. PROBATVR nam per ſimplicem conuerſionem valet hæc conſequentia *Deus eſt homo*, ergo *Homo eſt Deus*, & ſi conuertens vera, & conuerſa vera. *Deinde* ad Rom. 9. *Ex quibus Chriſtus eſt ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* ſed Chriſtus ſecundum carnem, eſt homo & idem De⁹. ergò hæc vera *Homo eſt Deus*. *Præterea* hoc nomen *Homo* poteſt ſupponere pro qualibet hypoſtaſi naturæ humanæ. ergo poteſt etiam ſupponere pro Perſona Filij Dei, quæ eſt ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto. ſed huiuſmodi perſona eſt verè & propriè Deus. ergo & hæc propoſitio *Homo eſt Deus*, erit vera & ꝓpria.

QVÆSITVM II.

In quo varios modos loquendi de myſterio Incarnationis explicabimus?

QVinque dicemus.

Chriſt⁹ non poteſt dici Homo dominicus.

7. Dico primò. *Chriſtus non poteſt verè & propriè dici* Homo dominicus, *ſed quod ſit* Dominus. *Probatur*. CHRISTVS ſignificat ſuppoſitum æternū, quod eſt Perſona Filij Dei. ergo de illo nō denominatiuè ſed eſſentialiter prædicatur DOMINVS. *Conſequentia* quod enim prædicatur in Diuinis eſſentialiter, non debet de illo prædicari denominatiuè. ſed de Perſona Filij Dei prædicatur DEVS & DOMINVS eſſentialiter. ergo de illo nō debet denominatiuè prædicari. *Deinde* hic modus denominatiuè prædicandi derogat veritati vnionis, nā fauet hæreſi Neſtorij, qui in Chriſto duo ſuppoſita ponebat, vnum humanum, alterum Diuinum, & ſecundum ſuppoſitum humanum Chriſtū appellabat Dominicum.

Communicatio idiomatum.

8. Dico ſecūdò *Ea quæ conueniunt Filio hominis poßunt per cōmunicationem idiomatum ſeu proprietatum prædicari de Filio Dei, & è contra quæ ſunt Filij Dei, proprietates poßunt prædicari de filio hominis.* PROBATVR D. Damaſ. lib. 3. *Orth. fidei cap. 6.* dicit, *Deus ſuſcepit ea quæ ſunt carnis idiomata*, id eſt proprietates. nam Deus paſſibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus eſſe dicitur. *Et ratio eſt.* quia vna, & eadem eſt perſona Filij Dei, & Filij hominis. ergo quæ ſunt propria Filij hominis, poſſunt prædicari de Filio Dei, ita quòd ea quæ conueniūt naturæ Diuinæ, poſſunt dici de Chriſto homine, & ea quæ ſunt naturæ humanæ, poſſunt dici de Deo, tanquam de Perſona ſeu de ſuppoſito naturæ humanæ. & hic in hac communicatione proprietatum duo ſeruanda.

Quæ in cõmunicatione proprietatum ſeruanda?

uanda. *primum* vt in myſterium Incarnationis vnum ſuppoſitum Diuinum, hoc eſt, Perſona Verbi præintelligatur ſubſiſtens in natura Diuina & humana. *alterum* vt in eodẽ myſterio maneant hæ duæ naturæ Diuina & humana, diuerſæ atque diſtinctæ.

Per qualia Verba communicatio idiomatum debeat fieri

9. Dico tertiò. *Hæc communicatio non poteſt fieri per verba abſtracta, ita quòd ea quæ ſunt vnius naturæ in Chriſto, non poßint de aliâ prædicari ſecundum quod in abſtracto ſignificantur*, *vt* Diuinitas eſt humanitas, & mortalitas eſt immortalitas, & Deitas eſt nata, crucifixa, *quæ quidem propoſitiones ſunt falſæ. Ratio.* quia ſicut in hoc myſterio ſunt naturæ diſtinctæ, ita & proprietates illarum naturarum ſunt diſtinctæ & diuerſæ, iam autem in abſtracto ſumptæ cũ vna de alia dicitur, vt *Diuinitas eſt humanitas*, important non diſtinctionem naturarum ſed identitatem.

Propoſitio hæc: Deus factus eſt homo, eſt vera

Dico quartò. *Hæc propoſitio* Factus eſt homo, *eſt vera.* PROBATVR vnumquodq; enim dicitur eſſe illud factũ quod de nouo incipit prædicari de ipſo. ſed eſſe hominem, cœpit de nouo verè prædicari de Deo ab inſtanti Incarnationis, ſiquidem eſſe hominem non conuenit Deo ab æterno. ergo hæc prædicatio vera *Deus factus eſt homo. Declaratur euidentiùs.* Deus enim ante Incarnationem erat actus ſimpliciter ſimplex, nec erat homo, ſed per Incarnationem euaſit homo. ergo verè factus eſt homo.

Deus nõ eſt mutatus.

Dices. ergo Deus mutatus eſt. *Reſpondeo* non ſequi, non enim aſſumpſit naturam humanam tanquam formaliter ſibi eſſentialem, neq; ſubiectiuè per modum inhæſionis, vnde tota mutatio facta eſt in natura humana aſſumpta, nõ autem in Verbo Diuino, niſi quòd nouam relationem rationis acquiſiuit.

Hæc propoſitio: Homo factꝰ eſt Deus; non eſt vera.

10. Dico quintò. *Licet verè ac propriè Deum factum eſſe hominem dicamus, non tamen verè dicere poßumus Hominem factum eſſe Deum.* PROBATVR D. Dam. *lib 3. cap. 2.* dicit: *Non dicimus hominem Deificatum ſed Deum humanatum, ſed hominem factum eſſe Deum, ſtrictè loquendo, eſt idem quod Deificari & Deum fieri. ſed hoc falſum ſicut & illud.*

Ratio ſecunda. Omne illud quod fit tale per actionem, præſupponitur actioni tẽpore vel natura, quia eſt ſubiectum huius actionis, & ita debet præcedere ſaltem prioritate cauſæ materialis. ſed Deus præſupponitur vnioni natura & tempore, vnde rectè dicimus *Deus factus homo*, quia ante hanc ineffabilem actionem eſt Deus, homo autem nõ præſupponitur huic actioni, nec tempore nec natura, vnde non dicitur Homo fieri Deus.

Obiectio.

11. *Sed inſtabis* ſecundùm regulas Dialecticorum, per ſimplicem conuerſionem hæc Conſequentia valere debet *Deus eſt factus homo.* ergo *Homo factus eſt Deus*, ſiquidem de ſubiecto fit prædicatum, & de prædicato fit ſubiectum; ſeruata eadem quãtitate & qualitate propoſitionis. nã alias ſequeretur per bonam conſequentiam Antecedens verum & cõſequens falſum. *Reſpondeo* non valere conſequentiam per ſimplicem conuerſionem ſiquidem non totũ prædicatum ſed pars prædicati fit ſubiectum, nam in hac propoſitione *Deus factus eſt homo.* eſt prædicatũ *Factus eſt homo*, vnde ſi volumus vt per ſimplicem conuerſionem fiat bona conſequentia, ſic argumentari debe-

Solutio eiꝰ

ri debemus *Deus eſt homo factus.* ergo *id quòd eſt factum homo, eſt Deus*. ſicut hæc propoſitio: *Petrus eſt factus muſicus*, ſi conuertas ergo *Muſicus eſt factus Petrus*. eſt mala conuerſio, nam ſic debet conuerti. ergo *id quòd factum eſt Muſicus, eſt Petrus*, nam huius termini *Factus* debet eſſe applicatio ſuper eandem formam tam in antecedente quàm in conſequente.

QVÆSITVM III.

An hæc propoſitio vera CHRISTVS eſt *creatura?*

12. AD Quæſitum primo dico *Hæc propoſitio* Chriſtus eſt creatura *ſimpliciter non eſt concedenda*, quia in hæreſim Arrianorum inducit, qui aſſerebant Chriſtum eſſe creaturam & minorem Patre, nō ſolùm ratione humanæ naturæ, ſed etiam ratione Diuinæ Perſonæ Vnde ſecundùm doctrinam D. Hier. cum hæreticis nec nomina debem⁹ habere communia, ne illorum errori fauere videamur.

Quomodo concedēda hæc propoſitio Chriſt⁹ eſt creatura

Dico ſecundò. *Hæc tamen propoſitio cum determinatione ſic prolata* Chriſtus eſt creatura ſecundùm naturam humanam *concedi debet*. PROBATVR. Chriſtus ſupponit pro Diuino ſuppoſito. ſed Diuino ſuppoſito repugnat quod ſit creatura, ergo ſimpliciter non eſt dicendum, quòd *Chriſtus ſit creatura*, ſed cum additamento, v. *ſecundùm naturam humanam*.

13. *Nota* ea quæ conueniūt Chriſto ratione humanæ naturæ, in duplici differentiā eſſe: *quædā* ſunt quæ in dubitationem veniunt, an conueniant perſonæ ſecundùm ſe, vt *eſſe creatum*, *eſſe factum*, *eſſe creaturam*. & hæc ſimpliciter de Chriſto non ſūt affirmanda ſed cum determinatione, v. *ſecundùm naturam humanam*. *quædam* verò ſunt quæ clarè & manifeſtò conueniunt ratione naturæ humanæ aſſūptæ, & hæc ſimpliciter de Chriſto affirmantur, vt *natus*, *paſſus*, *crucifixus*, *mortuus*.

Et ita experimur etiam in corporalibus, nam in quibus eſt dubium conueniantné parti an toti, tunc ſi parti alicui inſunt, non attribuuntur toti ſimpliciter ſed cum additamento, nam non dicimus ſimpliciter *Æthyops eſt albus*, ſed *ſecundùm dentes*: ea verò quæ ſoùm parti conueniunt ſimpliciter de toto affirmantur, vt *Homo* ſimpliciter dicitur *Eſſe Criſpus* ſine determinatione, quia *eſſe criſpum* non poteſt illi conuenire niſi ſecundùm capillos. idem hic ſeruandum, in quibus enim dubitatio eſt an conueniāt Perſonæ Chriſti, illa ob repugnantiam ad eandem perſonam non ſunt ſimpliciter affirmanda, vt *eſſe factum*, *eſſe creatum*, *eſſe creaturam*, & ideo cum determinatione ſunt proferenda, quæ autem dubitationem non habent. ſimpliciter affirmanda, vt quòd *Chriſtus ſit natus*, *ſit crucifixus*. nam hæc euidētiam habent, quòd ratione naturæ humanæ aſsumptæ Chriſto attribuuntur.

14. Sed

14. *Sed quæres* An ſecluſa hæreſi, hæc propoſitio *Chriſtus eſt creatura*, in rigore & proprietate ſermonis ſit vera? videtur eſſe vera, nam euidenter Scriptura dicit ad Galat. 4. *Factum ex muliere*. Ad Epheſ. 4. *Qui ſecundùm Deum creatus eſt*. ſed *factum eſſe & creatum eſſe* tribuitur Chriſto à Scriptura. ergo etiam tribuendum quòd ſit creatura. & D. Hier. *in cap. 2. ad Eph.* dicit, nõ eſſe periculum eum dicere creaturam, quẽ vermem, & hominem crucifixum, & maledictionem tota ſpei noſtræ fiduciã confitemur. Hoc tamen non obſtante

Chriſtus non debet dici creatura.

Dico. *in rigore & in proprietate ſermonis* CHRISTVS *non debet dici creatura*. ita expreſsè D. Th. *in 3. diſt. 11. quæſt. 1. art. 2.* in corpore tenet: *Chriſtus non poteſt dici creatura, non tantùm ad vitandum errorem Arrij (vt quidam dicunt) ſed etiam ad vitandam falſitatem.*

Confirmatur. *Eſſe Ens creatum* vel *eſſe creaturam*, non ſolùm conuenit naturæ, ſed etiam ſuppoſito, imò pro pius conuenit ſuppoſito. ſed ſuppoſitum Chriſti eſt increatum & æternum. ergo licet humanitas Chriſti ſit creata, non poteſt ſimpliciter affirmari, quòd Chriſtus ſit creatura aut quid creatum, ſed cum determinatione diminuente, v. *ſecundùm naturam humanam*.

15. *Ratio ſecunda*. Prædicata quæ inuoluunt ſuppoſitum creatum, nõ poſſunt ſimpliciter prædicari de Chriſto. ſed hoc nomen *creatura* inuoluit creatum ſuppoſitum, vnde Chriſto in quo eſt ſuppoſitum Diuinum, attribui non poteſt.

Ratio tertia. D. Th. hic inferiùs *q. 23 a. 4.* oſtendit, quòd hæc propoſitio *Chriſtus eſt Filius adoptiuus*, eſt abſolutè falſa, ideò quia filiatio propriè conuenit hypoſtaſi vel perſonæ. ſed ſuppoſitũ Chriſti eſt Filius Dei naturalis, cui repugnat adoptari ad hæreditatem, eò quòd adoptio ſit ſuppoſiti extranei ab hæreditate Patris. atqui *Eſſe creatum* vel *eſſe creaturam* etiam perſonæ conuenit. ergo Chriſtus ſimpliciter non eſt dicendus creatura.

Medina quatuor hic rationes adducit, quas ille Euidentes appellat. Rationes quatuor Medinæ. *prima* quia creatura aliquando non fuit, Chriſtus autem ſemper fuit. *ſecunda* quia omnis creatura incepit eſſe, Chriſtus autem non incepit eſſe, vt ex ſequenti Quæſito patebit. *tertia* quia creatura includit negationem *Eſſe* præcedentis. ſed negatio *Eſſe* præcedentis repugnat Chriſto. *quarta* ſequeretur Verbum eſſe creaturam. *Conſequentia* Chriſtus eſt creatura, & Chriſtus eſt Verbũ. ergo Verbum eſt creatura.

QVÆSITVM IV.

An hæc propoſitio ſit vera; *Iſte homo*, demonſtrato CHRISTO *incepit eſſe?*

16. IN adſtruenda veritate hui⁹ propoſitionis eſt quædam diſparitas, Scotus *in 3. diſt. 11. q. 3.* in proprietate ſermonis dicit eſſe admittendã. Durã. diſtinctione vtitur, ſcilicet quoad naturam humanam

manā eſſe veram, non verò quoad Diuinam. Nos in præſenti D. Th. amplectimur ſententiam. vnde

Dico *prædictā propoſitionem eſſe omnino falſam.* PROBATVR, quia huius propoſitionis *iſte homo* demonſtrato Chriſto *incepit eſſe*, terminus *Homo* eſt ſubiectum quod materialiter ſupponit pro ſuppoſito Diuino. ſed ſuppoſito Diuino quod eſt ab æterno repugnat incipere eſſe.

Obiectio.

17. *Sed dices* incipere eſſe propriè conuenit naturæ humanæ quam ſignificat hic terminus HOMO. *Reſpondet* D. Th. quòd in hac propoſitione *Iſte homo*, demonſtrato Chriſto, *incepit eſſe* terminus HOMO in ſubiecto poſitus non tenetur formaliter pro naturâ humanâ, ſed materialiter tenetur pro ſuppoſito Diuino, ſeu pro perſonâ Filij Dei. & quamuis Chriſtus inceperit eſſe ſecundùm humanitatem, non tamen prædictâ propoſitione vtendum, ad euitandum hæreſim Arrij. *Tum* quia vox *incipere*, includit negationē anterioris exſiſtentiæ, quam negationem non licet attribuere ſimpliciter ſuppoſito Diuino & æterno, ſiquidem Chriſtus non ſic in tempore accepit Eſſe humanum, quaſi antea non fuiſſet, cum tamē ſemper ab æterno fuerit. ſed quo res fiat clarior pono tria Dicta.

Solutio eiuſdem.

Quæ propoſitiones sūt reiiciēdæ?

18. Dico primò. *Hæ propoſitiones in quibus terminus concretus in ſubiecto poſitus, de formali ſolùm ſignificat naturam Diuinam, vt* Deus, Verbum, Filius Dei. *vnde* Verbum Diuinum incepit eſſe, Filius Dei incepit eſſe, Deus incepit eſſe, *& aliæ his ſimiles tanquam hæreticæ ſunt negandæ. Ratio,* quia in his propoſitionibus ſubiectum ſignificat ſuppoſitum Diuinum, cum his quæ pertinent ad naturam Diuinā, ſed hæc nullo modo inceperunt eſſe, quia ab æterno extiterunt. ergo etiam poſt myſterium Incarnationis tanquam hæreticæ ſunt reijciēdæ. *Tum* quia in prænominatis propoſitionibus *Filius Dei incepit eſſe, Verbum Diuinum incepit eſſe, & Deus incepit eſſe*, non eſt aliquis terminus qui ſignificet naturam humanam, cui cōpetit vt incipiat in tempore. ergo nullo modo hæ propoſitiones admittendæ.

19. Dico ſecundò. *Hæc propoſitio* Chriſtus incepit eſſe, *& aliæ huic ſimiles in quibus ſubiectum ſignificat ſuppoſitum Diuinum in duabus naturis, Diuina & humana ſubſiſtens, abſolutè falſæ ſunt etiam in proprietate ſermonis, nec etiam cum reſtrictione Durandi ſunt admittendæ. Ratio,* quia hoc nomen CHRISTVS eſt terminus concretus, in ſubiecto potius ſupponens materialiter pro ſuppoſito. ſed in Chriſto nullum eſt aliud ſuppoſitum, niſi Diuinum, de quo verificari non poteſt, quòd inceperit eſſe, cùm ſit ab æterno. ergo illa propoſitio cum ſui ſimilibus ſecundùm proprietatem ſermonis eſt falſa.

20 Dico tertiò. *Propoſitio hæc* iſte homo, *demonſtrato Chriſto* incepit eſſe, *& in ſermonis proprietate eſt falſa, & ſine vlla reſtrictione neganda.* ita tenet D. Th. hic art. 7. ad 4. cùm dicit: *Terminus in ſubiecto poſitus tenetur materialiter, id eſt pro naturâ ſignificatâ,* & ideo cùm dicitur *Hic homo*, demonſtrato Chriſto, *incepit eſſe*, ipſum incipere eſſe, non attribuitur naturæ humanæ, ſed ſuppoſito naturæ humanæ, quod eſt ab æterno. *Tum* & Caiet. obſeruat, quòd hæc propoſitio *iſte homo*, demonſtrato Chriſto, *incepit eſſe,*

ſe,ab Vniuerſitate Pariſienſi eſt cõdemnata, & ab Alexandro ſexto Papa, confirmata, vnde teneri debet.

Obiectio. 21. *Sed inſtabis*, quòd hæc propoſitio *iſte homo*, demonſtrato Chriſto, *incepit eſſe*, videtur ex eo eſſe vera, quia ſolùm ſignificat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana, in qua cùm ſecundùm veritatem inceperit eſſe in tempore, erit omnino vera. Hæc autem propoſitio *Chriſtus incepit eſſe*, ſignificat ſuppoſitum Diuinũ ſimul ſubſiſtens, & in Diuina & in humana natura, & quia in natura Diuina ab æterno exſtitit, ideo hæc propoſitio *Chriſtꝰ incepit eſſe*, eſt falſa.

Solutio obiectionis. Sed in contrarium dico. ſi hæc propoſitio *Chriſtus incepit eſſe* inde eſt falſa, quia ſimul ſubſiſtit, & in Diuina & in humana natura, ſequitur quòd etiam hæc propoſitio *Chriſtus eſt ab æterno* erit falſa, cùm tamen ad Hebr. vltimò legamus *Ipſe Chriſtus heri & hodie & ipſe in ſæcula*. atqui Chriſtus ſecundùm humanam naturam non fuit ab æterno, quam tamen licet non ſolam importat terminus Chriſtus. ſimiliter D. Paul. 1. Corinth. 8. dicit: *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia facta*. *Tum* vt hæc propoſitio ſit vera *pèr Chriſtum omnia facta ſunt*, requiritur quòd prædicatum, v. *per quem omnia facta*, ſubiecto conueniat ſecundum vtramq; naturam. atqui ſecundum humanam naturam non ſunt omnia facta. ergo non ideo hæc propoſitio *Chriſtus incepit eſſe* eſt falſa, quia CHRISTVS ſignificat ſuppoſitum vtramq; naturam ſuſtentans, ſed ideo (vt D. Th. dicit) quia terminꝰ CHRISTVS materialiter ſupponit pro ſuppoſito Diuino, quòd fuit ab æterno, & cui non conuenit incipere eſſe.

QVÆSITVM V.

An hæc ſit vera CHRISTVS *ſecundum quod homo eſt creatura?*

22. PRo reſponſione ad Quæſitum dico. *Hoc nomen* Homo *in reduplicatione, vel habet rationem ſuppoſiti? vel rationem naturæ humanæ? ſi ſumitur vt habet rationem ſuppoſiti, ſic cum ſuppoſitum naturæ humanæ ſit increatum & æternum, falſum erit quòd* Chriſtus ſecundum quod homo ſit creatura *ſi autem terminus* Homo *ſumatur pro ſignificato naturæ humanæ, tunc erit vera. quia ratione naturæ humanæ conuenit Chriſto.*

Nota. hæc prædicta propoſitio magis eſt concedenda quàm neganda, quia hoc nomen *Homo* poſitum in reduplicatione, magis ſignificat naturam quàm ſuppoſitum.

23. *Nota ſecundò.* ſi prædictæ propoſitioni aliquid adderetur, v.g. *Chriſtus ſecundum quod hic homo eſt creatura*, iam propoſitio neganda erit, nam pronomen *Hic* additum *homini* trahit vt ſtet pro ſuppoſito. *Et ratio eſt*, quia hoc pronomẽ *Hic* per ſe primò & immediatè ſignificat indiuiduum & ſingulare, quod per priꝰ. cõuenit ſuppoſito, ſecũdariò autẽ naturæ humanę ſubſiſtẽti in ſuppoſito. ſed Chriſti ſuppoſitũ nõ eſt creatura. ergo cũ ꝓnomine *Hic* addito, eſt neganda.

QVÆSITVM VI.
An hæc ſit vera CHRISTVS *ſecundum quod homo eſt Deus?*

24. IDem planè iudicium de veritate huius propoſitionis faciendum, quod de ſuperiori factum eſt, v. ſi hoc nomen *Homo* reduplicet ſeu ſignificet pro ſuppoſito, tunc vera eſt, *quòd Chriſtus ſecundùm quod homo eſt, eſt Deus*, nam ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto eſt Perſona Filij Dei, cui quidem conuenit eſſe Deum. ſi autem nomen *Homo* in reduplicatione poſitum ſignificet naturam humanam, tunc neganda eſt, ſiquidem natura hũmana in Chriſto nõ eſt De⁹.

Nota quòd hæc propoſitio abſolutè loquendo magis eſt neganda. *Ratio* quia terminus *Homo* in reduplicatione poſitus magis propriè tenetur pro natura quàm pro ſuppoſito, vnde magis eſt neganda CHRISTVS *ſecundùm quod homo eſt Deus*, quã concedenda.

QVÆSITVM VII.
An hæc ſit vera CHRISTVS *ſecundum quod homo eſt hypoſtaſis vel perſona?*

25. EAdem diſtinctione retenta reſoluitur Quæſitum, v. ſi termin⁹ *Homo* in reduplicatione poſitus accipiatur pro ſuppoſito, ſic propoſitio erit vera. *Ratio*, quia naturæ humanæ in Chriſto ſuppoſitum non eſt aliud niſi perſona Filij Dei. *ſi autem* terminus *Homo* in reduplicatione poſitus accipiatur pro natura humana, ita, quòd naturæ humanæ conueniat eſſe in aliqua perſona, & ſic adhuc propoſitio erit vera, quia natura humana ſubſiſtit in perſona increata Filij Dei, omne autem quo ſubſiſtit natura humana eſt perſona. *Si verò* idem terminus *Homo* in reduplicatione poſitus, pro natura humana accipiatur, ita quòd ſignificet quòd natura humana in propria perſona creata ſubſiſtat, ſic Chriſt⁹ ſecundùm quod homo non eſt perſona. *Ratio*, quia in Chriſto natura humana non eſt ſeorſim per ſe ſubſiſtens à natura Diuina, ſed ſimul cum natura Diuina vnita in perſona Verbi ſubſiſtit.

26. *Nota* quòd hæc propoſitio *Chriſtus ſecundùm quod homo eſt perſona*, magis eſt neganda, quàm concedenda, quia terminus *Homo* in reduplicatione poſitus magis denotat naturam quàm ſuppoſitum.

Nota ſecundò, hæc eadem propoſitio

tio ſi cum pronomine *Hic* hoc pacto efferatur *Chriſtus ſecundùm quod hic homo eſt perſona*, magis eſt concedenda quàm neganda, nam pronomen *Hic* terminum *Homo* trahit ad ſuppoſitum, & ſic ſumptum pro ſuppoſito veram faciet propoſitionem.

Obiectio. 27. *Sed inſtabis* videri quòd Chriſtus inquantùm homo ſit perſona, nam Chriſtus ſecundùm quod eſt homo, aut eſt aliquid, aut nihil? ſed non nihil. ergo aliquid. ſi aliquid? aut natura aut Perſona? non natura aut enim Diuina aut humana? non Diuina, quia Chriſt⁹ ſecundũ quod homo, non eſt Diuina natura. non humana, quia hæc de nullo eius ſuppoſito in abſtracto prædicatur. ergo eſt perſona. *Reſpondeo.* quòd quidã conſtricti hoc argumento non audebãt dicere, Chriſtum eſſe aliquid, ſed dicebant, quod ſit Ad aliquid, quia eſt habens humanitatem, vt veſtitus eſt habens indutam veſtem, ſed hæc ſententia eſt damnata Capitulo *cum Chriſtus* de hæreticis. vnde cum Magiſtro dicendũ, quòd Chriſtus inquantùm eſt homo, eſt aliquid, quia eſt ſubſtantia rationalis indiuidua, non tamen eſt perſona in quantum homo, ſiquidẽ humanitas Chriſti non propria ſubſiſtentia ſed Verbi Diuini ſubſiſtit. Solutio eiꝰ

DISPVTATIO XVII.

De vnitate Chriſti quantum ad Eſſe?

1. DVo inquirimus. *Primũ* An Chriſtus ſit vnum vel duo? *Secundùm* An in Chriſto ſit tantum vnum Eſſe?

Quantum ad primum dico primo. *Chriſtus non poteſt dici duo aut plures, ſed vnus tantum maſculinè.* PROBATVR. 1. Corint 8. *Vnus Chriſtus per quẽ omnia.* Et 1. ad Timoth. 2. *Vnus mediator Dei & hominum Chriſtus.* Et in ſymbolo Athanaſii confitemur, *Licet Deus ſit & homo, non duo tamen ſed vnus eſt Chriſtus.*

Probatur rationibus. In Chriſto Domino vna eſt tantùm perſona ſeu vnum ſuppoſitum. Ergo vnus eſt maſculinè & non duo. *Confirmatur* Ex communi loquendi vſu adiectiuum maſculinè per ſe primo denotat ſuppoſitũ vel perſonam. ergo vſurpari nõ poteſt pluraliter dicẽdo duos vel plures, niſi diſtincta fuerint ſuppoſita. Sed in Chriſto ſolũ eſt vnicum ſuppoſitum. Ergo vnus dici debet.

2. *Confirmatur ſecundò.* Petrum aut Paulum non dicimus eſſe duos aut plures quamuis conſtet partibus diuerſis anima & corpore, ea de cauſa quia eſt vna perſona & non plures, ita in Chriſto quamuis ſint duæ naturæ Diuina & humana, tamen non dicimus in Chriſto eſſe duo, quia eſt vna perſona Diuina ſubſiſtẽs in his duabus naturis.

 Confir-

Confirmatur tertiò. hoc ipſum quia numeralis terminus ſiue ſit maſculinus ſiue neuter, communiter primariò extendit ſe ad perſonã, quod indicauit D. Thomas ſupra quæſt. 2. art. 7. ad 2 vbi ſic dicit: *Quod ſi vna perſona Diuina aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti diceretur vnus homo habens duas naturas humanas.* Et reddit rationem, quia nomen ab aliqua forma impoſitũ nunquam pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatẽ ſuppoſitorum, homo enim qui duobus veſtimentis eſt indutus, non dicitur duo veſtiti ſed vnus veſtitus duobus veſtimentis: & qui habet duas qualitates dicitur ſingulariter aliqualis ſecundũ duas qualitates, Ita cum in Chriſto ſit vnum ſuppoſitum ſubſiſtens in duabus naturis Diuina & humana, ideo Chriſtus dicitur vnus maſculinè vel vnum neutraliter.

3. Dico ſecundò. *Chriſtum Dominum quamuis in eo ſint duæ naturæ Diuina & Humana, non debemus appellare duo aut plura ſed vnum in neutro.* Probatvr 1. Ioan. 4. dicitur: *Qui ſoluit aut diuidit Chriſtum eſt Antichriſtus.* Sed qui Chriſtum duo aut plura nominat eundem ſoluit & diuidit. ergo ne ſit Antichriſtus non duo ſed vnum dicendum.

Ratio ſecunda. Illa communiter dicimus eſſe duo vel plura quæ actu ſunt diuiſa, vnde indiuiduum Petri quamuis ex pluribus partibus anima & corpore conſtet, non dicimus plura, ſed quia vnita ſunt, vnum compoſitum & vnum Ens efficiunt; ita cum natura Diuina & humana excellentiùs & fortiùs vniantur in vna perſona Diuina, non debet dici Chriſtus duo vel plura ſed vnũ.

Vnde reiicienda eſt ſententia Durandi quam habet in 3. diſt. 6. quæſt. 1. vbi docet. admittendum eſſe Chriſtum eſſe vnum & duo, ſed non ſimpliciter ſed cum additamento. *Vnum quo ad ſuppoſitum, duo quo ad naturas.* Sed hæc opinio condemnata eſt in Concilio Nicæno, Epheſino, Chalcedonenſi. Et in Symbolo confitemur. *Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum.*

4. *Sed obijcies.* SS. Patres communiter loquuntur ſic. quòd in Chriſtò ſit aliud & aliud. *Reſpondeo*; cũ D. Thoma *hic art. 1. ad 2.* Hanc locutionem ſic eſſe exponendam quòd Chriſtus eſt habens aliam & aliam naturam. Obiectio. Solutio.

Dices. Si Chriſtus eſt aliud & aliud propter diuerſitatem naturarum Ergo duo neutraliter. *Reſpondeo* Nos concedere quòd Chriſtus ſit aliud & aliud propter diuerſitatem naturarum, negamus tamen quòd ſit neutraliter duo, quia terminus numeralis immediatè ad ſuppoſitum refertur, vt iam docuimus.

5. *Rurſum obijcies*, Pater & Filius & Spiritus S. ſunt tres perſonæ maſculinæ, dicuntur tamen vnũ neutraliter propter vnitatem naturæ. Ergo & Chriſtus licet ſit vnus maſculinè propter vnitatem ſuppoſiti ſiue perſonæ, ſed propter dualitatem naturæ poterit duo neutraliter dici. *Reſpondeo* negando Conſequentiam. Ratio quia D. Th. *in 3. diſt. 6. quæſt. 2. art. 1. ad 3.* hanc diſtinctionem aſſignat quia natura Diuina prædicatur in recto de perſonis propter identitatem rei. Sed duæ naturæ quæ ſunt in Chriſto nõ prædicantur de eo in recto, & quamuis natura Diuina prædicetur de Chriſto Obiectio altera. Ad eam reſponſio.

Chriſto in recto, nam benedicimus *Chriſtus eſt Diuinitas*. tamẽ non dicim⁹ quòd *Chriſtus eſt humanitas*. nam humanitas nec de aliis ſuis ſuppoſitis prædicatur, nam non dicimus. *Petrus eſt humanitas*. Vnde quemadmodum tres perſonæ Diuinæ dicuntur Vnum propter vnam Eſſentiam, quæ de his in Rectò prædicatur, ita Chriſtus non eſt dicendus duo ſed vnum propter duas naturas quia hæ præſertim humana non dicuntur de Chriſto in Recto.

Quomodo admittẽda hæc propoſiti, Chriſtus eſt Diuinitas & Humanitas?

6. *Sed quæres*. An hæc propoſitio ſit admittenda, *Chriſtus eſt Diuinitas & humanitas*. *Reſpondeo* Si coniunctio, *Et* ſumatur diuiſiuè: eſt falſa ſi ſenſum faciat quod hæ duæ naturæ ſint actu in Chriſto diuiſæ. Si autem particula. *Et* ſumatur complexiuè quod Chriſt⁹ eſt Diuinitas & humanitas ſimul, tunc eſt vera. *Et Ratio eſt*. Quia hæ duæ naturæ vniuntur ſubſtantialiter in eadem perſona, & ſicut hæc eſt vera *Materia & Forma ſimul ſumptæ ſunt Petrus*, ita & hæc vera. *Natura Diuina & humana ſimul vnitæ in perſona Verbi, ſunt Chriſtus*. Et Verba Symboli Athanaſii confitentur. *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homò vnus eſt Chriſtus*. Ex quo colli-

Corollariũ.

ge. quòd Diuinitas & humanitas vnum Chriſtum conſtituunt, & hæc ſimul ſumpta prædicantur de Chriſto, & Chriſtus de illis.

Vnio duplex Hypoſtatica ſiue Subſtantialis & Accidentalis.

7. QVANTVM *ad alterum*. An in Chriſto ſit vnum ESSE? Dico *in Chriſto ſolum eſſe vnum* ESSE. *Probatur* Duplex eſt vnio, quædam eſt hypoſtatica ſiue Subſtantialis, quædam verò Accidentalis. Et hæ ſic differunt, ea quæ vniuntur accidentaliter habent aliud *Eſſe* ab *Eſſe*, ſubſtantiali ſuppoſiti, vnde in vno ſuppoſito aliud eſt *Eſſe* ſubſtantiale, aliud accidentale, vt in hac propoſitione *Homo eſt albus*. aliud eſt *Eſſe* hominis, & aliud *Eſſe* albi; & hoc *Eſſe* accidentale pro multiplicatione formarum accidentalium multiplicari poteſt. Quæ autem vniuntur hypoſtaticè ſeu perſonaliter, non multiplicantur, quia pertinent ad vnam perſonam *Eſſe corporeum eſſe capitatũ. eſſe animatum*. hæc omnia in Platone cui hæc conueniunt, non multiplicantur quo ad *Eſſe*. quia hæc v. Caput, anima: corpus vniuntur illi perſonaliter, vnde ex his non niſi vnum *Eſſe* perſonale in Platone cõſtituitur. *Subſumptio*. Sed natura humana coniungitur Verbo Diuino hypoſtaticè ſeu perſonaliter (vt iã à nobis probatum eſt) & non accidentaliter. Ergo Filio Dei ſecundũ naturam humanam nõ aduenit nouum *Eſſe* perſonale, ſed eſt illud ipſũ *Eſſe* perſonale Verbi.

Differentia earum.

8. Hic duplex dubium occurrit *Primum* De quonam *Eſſe*. D. Th. hic inquirat? *Reſpondeo* quod inquirit de *Eſſe*. exiſtentiæ, nam expreſſè dicit quod hoc *Eſſe* ſequatur perſonam, & pertinet ad *Eſſe* perſonale hypoſtaſis ſubſiſtentis, & hæc non poſſũt intelligi de *Eſſe* Eſſentiæ, quia hæc eſt de ratione ipſius Eſſentiæ & præ intelligitur ſuppoſito ſeu perſona, nec intelligi debet de *Eſſe* ſubſiſtentiæ, quia hæc perſonam conſtituit. Ergo de *Eſſe* exiſtentiæ intelligendum.

De quo Eſſe inquirat hic D. Th.

Alterum dubium. An ſit vna in Chriſto exiſtentia increata, an verò præter hanc creata humanitatis ſit admittenda? Thomiſtæ vt Caiet. Capreol. Ferarien. *lib. 4. con. gen. cap. 41*. Medina

41. Medina, Aluarez. tenent quòd vna tantum ſit exſiſtentia increata. quòd verò etiam præter hanc creata ſit concedenda, ſentiunt D. Bonau. *in 3. diſt. 5. art. 2. q. 1. ad 1.* Albertus *in 3 diſt. 6. art. 5.* Rich. Scotus, Dur. & alii recentiores, ex quibus Valentia & Gamacheus.

In Chriſto duplex Eſſe eſſentia.

Pro determinatione ſupponim⁹ duo certa. *Primum* quod ſicut in Chriſto ſunt duæ naturæ, ita & duplex *Eſſe* Eſſentiæ eſt. *Secundò* quòd in Chriſto vnum eſt *Eſſe* perſonale, nam ſecundum fidem, (vt iam determinauimus,) vna tantum in Chriſto eſt perſona. His ſuppoſitis.

In eodem vnum Eſſe perſonale.

In Chriſto vna tantum Exſiſtentia Diuina & increata.

9. Dico ad controuerſiã. quòd *verior eſt ſententia quæ vnam tantum Exſiſtentiam Diuinam & increatam in Chriſto ponit.* Probatvr Damaſ. lib. 3. Orth. fidei cap. 22. dicit Humanitatem Chriſti exſiſtere per exſiſtentiam Verbi. Et colligitur ex D. Th. hic in artic. 2. vbi in corpore dicit. *Ideò in Chriſto vnum* Esse *tantum, quia natura humana vnitur Verbo Diuino hypoſtaticè ſeu perſonaliter, ſi enim non vniretur, oporteret in Chriſto duo* Eſſe *ponere vnum ſecundùm quod eſt Deus & alterum ſecundùm quòd eſt homo.* Idẽ S. Doctor in ſolutione ad 3. dicit. *In Diuinis cũ ſint tres perſonæ & habeant vnum* Eſſe *hoc ideo accidit, quia perſona Diuina eſt idem cum natura, & ideo in perſonis Diuinis non eſt aliud* Eſſe *perſonæ præter* Eſſe *naturæ, & ſic tres perſonæ non habent niſi vnum* Eſſe *haberent autem triplex* Eſſe *ſi aliud in eis eſſet,* Eſſe *naturæ & aliud* Eſſe *perſonæ.*

Corollariũ.

Ex quo collige quòd *Eſſe* ſiue vnicum ſiue multiplex iuxta vnitatem aut pluralitatem ſuppoſiti ſumendum, niſi quando *Eſſe* perſonæ non eſt aliud ab *Eſſe* naturæ vt eſt in Diuinis, ſed cum in Chriſto natura humana realiter diſtinguatur à perſona Verbi, ſequitur quod in Chriſto ſit vnicum. Esse propter vnitatem perſonæ. Et loquitur hic D. Th. de *Eſſe Exſiſtentiæ* non autem de *Eſſe ſubſiſtentiæ*, nam aliàs deberet omnino concedere in Diuinis triplex *Eſſe ſubſiſtentiæ*, ſicut ſunt tres perſonæ.

10. *Deinde* Leo Papa in epiſt. 11. ad Iulium Epiſcopum contra Euticheтem dicit: *Natura humana non ſic aſſumpta eſt vt prius eſſet creata, poſt aſſumeretur.* Ergo non fuit prius in facto *eſſe* humanitatẽ eſſe productam, ſed prius intelligitur eſſe aſſumpta quàm producta. Ergo humanitas non fuit terminata per aliquam exſiſtentiam creatam antecedentem ordine naturæ ipſam aſſumptionem & ſic non habuit exſiſtentiam, ſed ſicut à ſubſiſtentia Verbi, ita etiam ab exſiſtentia eius præuenta eſt & terminata atque etiam completa. *Præterea.* probatur hoc idem Rationibus.

Ratio prima. Exſiſtentia primò & per ſe tanquam proprietas conuenit perſonæ deinde naturæ ratione perſonæ. Sed perſona non multiplicatur in Chriſto. ergo nec proprietas. v. Exſiſtentia multiplicari debet. *Maior* ex illo Dicto Ariſtotelis colligitur. *Eius eſt.* Eſſe *cuius eſt generari & fieri.* nam fieri eſt acquirere. *Eſſe* ſed ſuppoſitum eſt ſeu perſona, quod primò & per ſe generatur, & non natura. Ergo Exſiſtẽtia eſt proprietas perſonæ. *Confirmatur* Terminus generationis humanæ eſt perſona exſiſtens in natura humana. Sed Chriſtus quando generatur ex B. Virgine, huius generationis eſt

perſona

perſona exſiſtens in natura humana & hæc non alia eſt, niſi Perſona Verbi. Ergo terminus huius generationis eſt perſona Verbi exſiſtens in natura humana, non per *Eſſe* creatum. ergo per *Eſſe* increatum.

11. *Ratio ſecunda.* Si humanitas in Chriſto haberet proprium *eſſe* Exſiſtentiæ ſuæ, nullo modo intelligere poſſemus, quomodo hæc vnio ſit ſubſtantialis: ſicut enim ſi in homine anima haberet aliud *Eſſe* & corpus aliud *Eſſe*. non poſſet intelligi quomodo ſubſtantialiter vnirentur, ita ſi humanitas Chriſti haberet proprium *Eſſe* exſiſtentiæ, vnio ſubſtantialis non eſſet.

Ratio tertia. Sequeretur quòd Verbũ Diuinũ exſiſteret per Exſiſtẽtiã creatã. *Probatur* Quia enĩ Verbũ aſsũpſit humanitatẽ & ideo dicitur homo & qa cũ humanitate aſſũpſit volũtatẽ, & ideo p illã vult. Ergo ſi etiã aſſũpſit exſiſtẽtiã creatã, p illã exſiſtet.

Ratio quarta. Si humanitas exſiſtẽtiã creata exſiſteret Verbum Diuinum etiam de potentia abſoluta nõ poterat illam aſſumere. nam ſicut corpus quantitate affectum, eſt immediatum ſubiectum ſuſceptiuum cuiuſlibet figuræ, ita ſuppoſitum eſt vnicum & immediatum, ſubiectum ſuſceptiuum exſiſtentiæ. ergo vt humanitas recipiat exſiſtentiam neceſſe eſt vt prius ſubſiſtat. Perſonalitas non eſt aſſumptibilis. (vt iam probatum eſt) ergo ſi eadem humanitas ſua propria exſiſtentia creata exſtitiſſet, non erat quoque aſſumptibilis à Verbo.

Obiectio. 12. *Dices.* Poterat Verbum ſua Diuina ſubſiſtentia terminare humanitatem, & nihilominus potuit permittere vt ab humanitate flueret propria exſiſtentia creata, & ſic humanitas in Verbo haberet exſiſtentiam creatam cum ſubſiſtentia Verbi ſine ſua ſubſiſtentia creata. *Reſpondeo* quominus hoc fiat hoc obſtare. quia exſiſtentia creata non poteſt recipi niſi in ſuppoſito creato, & quia hæc in humanitate Chriſti non eſt. ideo nec exſiſtentia dari poteſt, niſi velim dicere quòd à ſubſiſtentia Verbi recipiatur, ſed hoc eſt falſum nam ſequeretur quòd creatum adderet increato perfectionẽ Solutio eiꝰ.

Quidam vt Aſturicẽſis dicit, hũc eſſe ordinem naturæ vt exſiſtentia non recipiatur niſi in ſuppoſito, ſed hic ordo per Dei potentiam immutari poteſt, Sed in contrarium dico quod ſecundarius effectus formalis non poteſt conſeruari ablato primariò effectu *v. g.* Extenſio ſubſtantiæ in ordine ad locum eſt ſecundarius effectus formalis. ſed hic non poteſt eſſe niſi prius eiuſdem ſubſtãtiæ fiat extenſio quo ad ſe, licet nõ ſit in ordine quo ad locum, vt in venerabili Sacramento accidit. Sed exſiſtere eſt effectꝰ formalis ſecũdariꝰ, ſubſiſtere autẽ eſt primariꝰ. omnino ergo impoſſibile eſt quòd aliquid tribuat *Eſſe exſiſtentiæ*, humanitati nõ tribuendo prius Eſſe ſubſiſtentiæ.

13. *Sed inſtabis.* Humanitas Chriſti eſt quædam actualis Entitas quã ſecum importat & eam à Verbo nõ accipit. ergo illa humanitas exſiſtit per propriã creatã exſiſtẽtiã *Sequela,* Quia in cõceptu intrinſeco actualis Entitatis includitur exſiſtẽtia. *Reſpõdeo* & dico Exſiſtẽtia actualis nõ de intrĩſeco cõceptu Entitatis actualis, ſed ipſa Entitas dicit ordinẽ & habitudinẽ ad exſiſtẽtiã. *Declaratur* Materia & Forma ſunt partes compo- Obiectio. Solutio obiectionis.

po-

ponentes aliquod totum ſubſtantiale & in illo priore in quo cauſant compoſitum habent veram Entitatem actualem, & tamen in illo priori non intelliguntur actualiter exſiſtere, ſed ſolum quod ſint in via ad exſiſtentiam. Idem dicimus quod humanitas Chriſti in illo priori dicitur eſſe actualis Entitas, & hoc habet per ſuam Eſſentiã, ſed cum habitudine & ordine ad exſiſtẽtia Verbi

Obiectio altera. 14. *Rurſum inſtabis.* Exſiſtentia increata eſt quid abſolutum & Eſſentiale conueniens tribus perſonis in Diuinis. ergo per aliquid eſſentiale tribus perſonis eſt vnio facta incarnationis. ergo tres perſonæ aſſumpſerunt naturam humanam. *Reſpondeo.* quòd vnio naturæ humanæ primario & immediatè eſt facta cum ſubſiſtentia Verbi ſecundariò verò cum exſiſtentia increata, vnde quia ſubſiſtentia Perſonæ Verbi & non Patris nec Spiritus S. eſt terminata humanitas, idcirco & illa exſiſtentia increata quæ ſit Verbi, exſiſtit. Sicut enim Eſſentia Diuina eſt prædicatum eſſentiale commune tribus perſonis, & tamen inquantum eſt in Patre, eſt principium generationis Verbi, & non ſecundum quod eſt in Filio aut in Spiritu S. Eadem ratione dicimus quòd licet exſiſtentia increata ſit prædicatum abſolutum commune tribus perſonis, ſed in quantum eſt in Filio, complet & terminat vltimatè naturam humanam & eam formaliter extra ſuas cauſas conſtituit, & non vt eſt in Patre aut in Spiritu S.

Reſponſio ad eam.

Obiectio 3. 15 *Vltimò inſtabis,* Humanitas Chriſti non habuit niſi vnam exſiſtentiam Verbi increatam. ergo dato caſu ſi Verbum dimitteret humanitatẽ, illa humanitas annihilaretur, quia non habet aliam exſiſtentiam præter Verbi à qua cum dimittitur, neceſſe eſt illam interire. *Reſpondeo.* quòd in tali caſu ſi exſiſtentia creata dimitteret humanitatem & illa humanitas in ſuam propriam & connaturalem exſiſtentiam, v. creatam explicaret ſe, vnde non abiret in nihilum: Et hæc explicatio humanitatis in propriam exſiſtentiam non fieret noua actione, ſed virtute generationis per quam humanitas eſt producta, illa enim humanitas Chriſti, quia per generationem non fuit completa, vt per propriã exſiſtẽtiam exſiſteret, quia ſicut à ſubſiſtentia Verbi, ita etiam ab exſiſtentia increata præuenta eſt vnde remota ſubſiſtentia & exſiſtẽtia Verbi tanquam prohibente, illa ipſa actio antiqua generationis humanitatis Chriſti produceret, & ſubſiſtentiam & exſiſtentiam creatam. Eius rei manifeſtum eſt exemplum in Sacramentis, hæc enim ſi obſiſtat impedimentum fictionis in illo inſtanti in quo recipiuntur, non conferunt gratiam, ſed ablato impedimento ſine vlla noua actione ex opere operato præſtant gratiam. ita dicimus, quòd humanitas dimiſſa à Verbo virtute prioris generationis in ſuam propriam ſubſiſtentiam & exſiſtentiam ſe vindicaret, & faceret id quod factura erat, niſi fuiſſet impedita à ſubſiſtentia & ab exſiſtẽtia increata.

Eiuſdem ſolutio.

DISPV-

DISPVTATIO XVIII.

De Pertinentibus ad vnitatem Chriſti quo ad voluntatem.

1. SEx dubiorum reſolutione complectemur ea quæ ad voluntatem Chriſti videntur pertinere.

DVBIVM *primum.* An in Chriſto ſint duæ volūtates? *Reſpondeo* quòd multi erant hæretici qui *Monotelitæ.* ſunt appellati, qui variè voluntatem Chriſti oppugnarunt. *Quidam* eam prorſus negabant vt Apollinarius qui quoniam à Chriſto remouebat animam intellectualem, per conſequens & voluntatem humanam debuit remouere, cum hæc ſine anima rationali non poſſit conſiſtere. *Quidam* admittebant in Chriſto animam rationalem, ſed ſine voluntate. *Quidam* agnoſcebant volūtatem, ſed ſine actione. *Quidam* actionem voluntati tribuebant ſed inefficacem, nam omnem efficaciā referebant ad voluntatem Diuinā, ita quòd in humana ſolùm ponebant deſiderium; in Diuina motionem efficacem ad loquendum, mouendum, ambulandum, & ad alia officia expedienda.

In Chriſto Domino duæ voluntates fuerūt

2. Pro confutatione harum hæreſum dico. *Quòd in Chriſto duæ fuerunt voluntates Diuina & Humana.* PROBATVR potiſſimum de humana, ſiquidem hanc hæretici expugnant. Lucæ 22. *Non mea Voluntas ſed tua fiat* Ioan. 3. *Deſcendi non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* Et Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam.* Hæc loca loquuntur de humana voluntate per oppoſitionem ad Diuinam. Ergo in Chriſto duæ voluntates Diuina & Humana, ſunt ponendæ. Et ad Philip. 2. *Factus eſt obediens vsq; ad mortem,* obedientia eſt pertinens ad volūtatē. Sed per Diuinā non fuit obediens, nam obedientia dicit ſubiectionem volūtatis, & Diuinæ repugnat ſubiici.

3. *Tum* Filius Dei cum Patre æqualis fuit voluntatis Ergo per humanam voluntatem quæ eſt apta ſubiici Diuinæ, obediens fuit. ergo præter Diuinam fuit in Chtiſto humana voluntas. *Et ratio eſt.* D. Th. Filius Dei aſſumpſit naturam humanam perfectam (vt iam deductum eſt) Sed ad naturæ humanæ perfectionem ſpectat voluntas, quia ſicut intellectus ita & voluntas eſt potentia rationalis hominis. ergo cum natura humana aſſumpſit voluntatem humanam. in Chriſto itaq; Diuina & Humana Voluntas concedenda.

Hoc Dictum eſt de fide, nam definitum eſt in Concil. Lateranenſi ſub Martino 1. can. 10. qui ſic habet *Si quis non confitetur verè & propriè duas eiusdem & vnius Chriſti Dei voluntates, ſimili-*

ſimiliter & operationes cohærenter vnitas Diuinam & Humanam &c. ſit condemnatus.

4. Dvbivm *ſecundum.* An præter rationis voluntatem fuerit ſenſualitatis in Chriſto? *Reſpondeo* affirmatiuè *quod fuit,* & per hanc *ſenſualitatem,* non intelligimus potentiam appetitiuam vt eſt vitioſa & repugnans rationi, ſed vt eſt quædam facultas naturalis. nam omnes appetitus ſenſitiui in Chriſto erant illi rationi ſubiecti, ita vt nullus vnquam contra rationem inſurrexerit *Tum* quia animaChriſti ſanctiſſima ex coniunctione ad Diuinitatē habuit omnipotentiam ſupra corpus, & ideo in genere moris omnes motus eius etiam naturales à deliberata eius voluntate procedebant,nam ſicut cum voluit mortuus eſt, ita & eſuriuit & ſitiuit quando voluit, vnde hi motus dicuntur rationales per participationem, in quantum ſunt apti obedire rationi.

In Chriſto fuit ſenſualitas & quid per eam intelligendū?

5. *Probatur* Dictum: In Chriſto fuit triſtitia. Sed triſtitia ad ſenſualitatempertinet.ergo inChriſto fuit ſenſitiua voluntas voluntariè recipiens triſtitiam, *Deinde* Filius Dei aſſumpſit naturam humanam cum omnibus quæ ad illius perfectionē ſpectant. Sed appetitus ſenſitiuus ad perfectionem naturæ humanæ pertinet. ergo eum aſſumpſit. *Item* ſicut anima continetur in homine ita appetitus ſenſitiuus includitur in natura humana.

6. Dvbivm *tertium.* An in Chriſto fuerint duæ voluntates quantū ad rationem? *Reſpondeo* & Dico ſi *Voluntas ſumatur pro ſola potentia, ſic eſt vna.* Probatvr In quolibet ordine mouentium eſt vnum primum mouens. Sed voluntas in ordine humanorum actuum eſt primum & vnum mouens. ergo in vno homine & per conſequens in Chriſto vna eſſentialiter voluntas eſt ponē da. *Tum* vnitas potentiæ ſumitur ex vnitate formali actus & obiecti. Sed voluntatis vnum eſt obiectum nimirum Bonum, & ratio formalis vnica actus eſt quòd ſub ratione boni feratur. Ergo voluntas vt potentia eſt vna.

An fuerint in Chriſto duæ voluntates quantum ad rationem?

7. Dico deinde. *Si voluntas accipiatur pro actu, ſic ex parte actus erunt duæ. Prima quæ eſt finis & dicitur* Voluntas vt natura. *Altera eſt eorum quæ ſunt ad finem, & dicitur* Voluntas vt Ratio.

Patet autem, *quòd hæ duæ voluntates ſint diſtinctæ,* hinc quia voluntas vt Natura ſimpliciter & abſolutè fertur in id quod eſt ſecundùm ſe bonum,ea verò quæ eſt mediorum fertur cum quadam cōparatione, quia tendit in media, ſecundùm quòd ſumunt bonitatem ex fine; vt cum ſumimus medicinam propter ſanitatem, medicinam appetimus tantum quam bonum, quam boni rationem ſumit ex ſanitate.

8. Dvbivm *quartū.* An in Chriſto fuerit liberū arbitriū? *Reſpondeo* affirmatiuè *Quòd fuit. Probatur.* Iſaiæ 7. *Vt ſciat eligere bonū, & reprobare malū.* At eligere eſt act⁹ formalis libertatis, & hic ab infantia fuit in Chriſto. Et Ioan. 10. *Habeo poteſtatem ponendi animam, & iterum ſumendi illam.* Et *oblatus eſt quia ipſe voluit.* Ex quibus aperte colligitur. In Chriſto fuiſſe libertatem volendi. *Et ratio eſt* D. Th. quia tam *Voluntas vt natura* quæ nimirum fertur in bonum, quàm *voluntas vt ratio.* quæ eſt circa media ad finem fuit in Chriſto, & in hac poſteriori eſt

In Chriſto fuit liberum arbitrium.

In Chriſto fuit libertas volendi.

riori eſt propriè electio. ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

Electio. 9. *Sed dices.* Quominus in Chriſto poſſit eſſe libertas, vnicum obſtat v. quòd non ſit ad vtrumlibet, nimirum & ad bonum & ad malũ, nam Chriſtus ſicut non poterat peccare, ita nec velle malum *Reſpondeo* Hoc non obſtare, nã Deus eſt fons totius libertatis, & Deus non poteſt velle malum nec peccare. *Præterea* quamuis Chriſtus non habuit indifferentiam ad malas actiones, habuit tamen ad bonas & ad honeſtas, ex quibus illas quas voluit potuit eligere. Ita ſentit hic D. Th. a. 4. ad 3. cum dicit: *Quamuis Chriſti voluntas fuerit determinata ad bonum, ita quòd non poßet peccare, attamen fuit libera & indeterminata ad bonum hoc vel illud in particulari, ita quòd poterat vnum potius quàm aliud eligere, & hoc ad libertatem ſatis erat. Præterea* dico quòd Peccare nõ ſit perfectio ſed impfectio, non potentia ſed infirmitas, nam & peccare, non eſt facere ſed deficere.

Solutio ei. Ex quo collige. quod poſſe eligere malum non eſt de ratione liberi arbitrii, ſed conſequitur liberum arbitrium in quantum eſt in natura creata defectibili, quòd Chriſto repugnat propter vnionem cum Verbo.

Voluntas quotuplex? 10. Dubium *quintum.* An voluntas humana Chriſti fuerit conformis Diuinæ volũtati in volito? Pro determinatione. *Noto* quod duplex eſt Voluntas, quædam eſt Senſualitatis; quæ non propriè dicitur voluntas, ſed participatiuè, in quantum regitur à voluntate; quædam vero eſt voluntas Rationis; & hæc rurſum duplex, vel conſiderata per modum naturæ, vel per modum rationis (vt iam explicuimus) Volũtas ſenſualitatis naturaliter refugit dolores, corporis læſionem; ſimiliter voluntas vt natura repudiat ea quæ ſunt naturæ contraria vt mortem, dolorem quæ ſecundũ ſe ſunt mala, ſed quæ tamen voluntas per modum rationis eligere poteſt ex ordine ad finem, & talis voluntas non dicitur ſimpliciter efficax, ſed conditionata; quod in nobis experimur, cum enim propter peccata affligimur à Deo has afflictiones nollemus pati, ſed quia in his beneplacitum Diuinum agnoſcimus, acceptamus & dicim⁹, *Fiat voluntas tua* Hoc præmiſſo.

11. Dico *Chriſtus ſecundum voluntatem ſenſualitatis, & ſecundum voluntatẽ rationis vt eſt natura poterat aliud velle quàm Deus.* Deducitur Dicto D. Aug. lib. 8. contra Maximum *In hoc quòd Chriſtus ait.* Non quod ego volo, ſed quod tu, *aliud ſe oſtendit voluiße quam Pater.* Nam per voluntatem ſenſualitatis, & vt eſt natura, repudiabat dolores ſenſibiles, & corporis læſionem, quæ ſunt naturæ contraria Ergo voluntas ſenſualis & voluntas vt eſt natura erat difformis voluntati Diuinæ.

Idem Chriſtus ſecundum voluntatem quæ ſe habet per modum rationis. idem ſemper volebat quod Deus, nam ſicut Deus volebat Chriſti mortem non abſolutè ſecundùm ſe conſideratam, ſed ex ordine ad finem, v. propter reparandam ſalutẽ generis humani; ita & voluntas humana Chriſti etiam voluit eandem mortem propter eundem finẽ. Ergo voluntas vt rationis fuit conformis Diuinæ voluntati.

12. *Hic no-*

12. *Hic noto.* ex Medina quod etiã voluntas vt eſt ratio, non ſolùm ſecundum quod eſt natura. ſed vt eſt ordinans vnum ad aliud, poterat velle & voluit ſæpe aliud quàm Deus, licet non ſecundum eandem rationem. nam Chriſtus Dominus poterat nolle mori per voluntatem rationalem, in quantum videbat hinc ſubſecuturam Iudæorum excæcationem & obdurationem; & quia propter hoc videbat futuram euerſionem Ieruſalem. Sed hæc voluntas fuit per rationes inferiores; ſed quãdo penſabat ſuam mortem per regulas Diuinas & per rationes ſuperiores, ita eandem volebat, & hæc dicitur voluntas plenè deliberata, quæ procedit ex omnibus diligenter conſideratis.

13. DVBIVM *ſextum.* An in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum? *Reſpondeo* & dico. *quòd nulla vnquam contrarietas fuit.* Ita determinat Synodus ſexta quæ ſic habet: *Prædicamus duas naturales voluntates non contrarias (iuxta quod impii aſſerunt hæretici) ſed ſequentem eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potius ſubiectam Diuinæ eius atq; omnipotenti voluntati.* Et *Ratio eſt* D. Thomæ. contrarietas non poteſt eſſe niſi oppoſitio attendatur in eodem, & ſecundùm idem. Sed in Chriſto nulla fuit oppoſitio in eodem, & ſecũdum idem. ergo nulla fuit contrarietas *Minor* quamuis in Chriſto appetitus ſenſitiuus & voluntas vt natura aliud voluerint quàm voluntas Diuina & humana rationalis, tamen hoc non erat ſub eadem ratione, nam Diuina & humana rationalis voluntas volebat mortem tãquã medium redemptionis ſalutis humanæ, appetitus autem ſenſitiuus & voluntas vt natura, nolebat mortem, non ſub ea ratione vt eſt mediũ ſalutis humanæ, quia ad hoc pertingere nõ poterat, ſed vt malũ particulare quod naturaliter refugiebat.

In Chriſto nulla fuit contrarietas voluntatum.

14. *Ratio ſecunda.* Chriſtus volũtate ſua Diuina & humana rationali volebat vt appetitus ſenſitiuus & voluntas vt natura mouerentur ſecundum ordinem ſuæ naturæ, videlicet reformidandò dolores & paſſionem, ſed his ita plenè & perfectè dominabatur, vt nec motum rationis turbarent, & in tantùm mouebantur in quantum ratio permittebat. Colligitur hoc ex Chriſti oratione in monte Olyueti, cum enim dicit, *Tranſeat à me calix iſte.* expreſſit voluntatem ſenſitiuam & naturalem, vtraque enim paſſionem & mortem tanquam malum affligens & interimens reformidabat. Et iterum cum addit. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis,* Diuinam voluntatẽ quam communem cum Patre habebat exprimit. cui ſuã rationalẽ conformat.

Obiectio.

15. *Sed dices.* Cum dicit Chriſtus *Fiat voluntas tua, & non mea.* videtur aſſenſum paſſioni non præbuiſſe, ſi enim præbuiſſet, dixiſſet, *Et mea, & tua voluntas fiat.* ergo eſt contrarietas. *Reſpondeo* Fuiſſe aſſenſum voluntatis Chriſti vt mortem crucis ſubiret: colligimus ex aliis locis ſcripturæ. Luc 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Et Iſaiæ 33. *Oblatus eſt quia ipſe voluit;* & Iudæ traditori dixit. *Quod facis fac citius.*

Solutio obiectionis.

Ad obiectionẽ dico. etſi Chriſtus Dominus per voluntatem ſenſualẽ & naturalem reformidabat mortẽ: non ideo tamen dicendum quòd in eo fuerit contrarietas voluntatum,

ſiquidem

ſiquidem Chriſtus ſub ea ratione non recuſabat mortem ſub qua Deus volebat, nam Deus volebat ob redemptionẽ generis humani, Chriſtus recuſabat in quantum erat excæcatio Iudæorum, & quia multis inutilis futura erat; & ſub hac ratione etiam Deus Pater nolebat paſſionem Chriſti, ſed potius oderat. *Ad extremum* Hæc contrarietas ſi quæ in Chriſto fuiſſet, repugnaret illius plenitudini gratię, quã fuiſſe in Chriſto cõfitemur lõgè maiorẽ quã futura eſt in Beatis poſt reſurrectionẽ corporũ, quorũ volũtas perfectiſſimè in omnibꝰ Diuĩæ cõformis erat.

DISPVTATIO XIX.

De Pertinentibus ad Vnitatem Chriſti quantum ad operationem?

1. QVatuor reſoluẽda proponimus. *Primum* An vna ſit operatio Diuinitatis & humanitatis? *Secundum* An plures ſint actiones humanitatis? *Tertium* An actio Chriſti humana potuerit eſſe meritoria? *Quartum* An Chriſtus aliis potuerit mereri?

In Chriſto duæ fuerũt operationes Diuina & Humana.

QVANTVM *ad primum* dico. *In Chriſto duas fuiſſe operationes Diuinam & humanam* PROBATVR determinatione ſextæ Synodi, quæ ſic habet: *Duas naturales operationes indiuiſe, inconuertibiliter, inconfuſè, inſeparabiliter, in eodem Domino Ieſu Chriſto, vero Deo noſtro glorificamus, hoc eſt Diuinam operationẽ & humanã. Deinde* probatur ratione.

Ratio prima. Si in Chriſto vnica fuiſſet operatio. ergo aut tantum fuiſſet Diuina? aut tantum humana? aut neutra? Non ſola Diuina, nam Chriſtus ſolùm eſſet Deus, & non eſſet homo. Non ſola humana quia ſolum eſſet purus homo. Non neutra, quia ſequeretur Chriſtum nec eſſe Deum nec eſſe hominem. ergo ſunt omnino duæ operationes Diuina & humana.

2. *Ratio ſecunda.* vbicunque ſunt duæ naturæ realiter diſtinctæ, habentes diſtinctas formas & virtutes operandi, ibi quoque debent eſſe diſtinctæ operationes. ſed in Chriſto ſunt duæ naturæ diſtinctæ (vt ſupra docuimus,) & harum quælibet habet propriam virtutem per quam operatur. ergo in Chriſto duæ erant operationes.

Operatio triplex fuit in Chriſto Domino.

Nota in Chriſto fuiſſe triplicem operationem. *Prima* erat merè Diuina, vt eſt creatio animarum, motio corporum cæleſtium, & tales operationes exercuit Chriſtus ſine conſortio humanæ naturæ. *Secunda* eſt purè humana, quam Chriſtus vt homo exercebat virtute propriæ formæ, vt flere, eſurire ambulare. *Tertia* eſt quæ fiebat à Chriſto per virtutem Diuinitatis vt cauſæ principalis, & per virtutem humanitatis tanquam per inſtrumentum, qualis eſt ſuſcitatio à morte Lazari, illuminatio cæcorum.

Obiectio. Solutio ei⁹

3. *Sed dices*, In his operationibus miraculoſis Diuinitas fuit principa lis. ergo vnica fuit operatio. *Reſpondeo* quòd illa operatio, quæ procedit ab agente principali, & ſimul ab inſtrumento, vnica erat operatio ex parte vnius principii principalis actiui, propria virtute operantis; ſed quia inſtrumentum habet actionē propriam connaturalem & conuenientem ſibi, ratione ſuæ propriæ formæ, & ſic humanitas Chriſti cū in actionibus miraculoſis habeat ſe vt inſtrumentum, neceſſariò debuit habere propriam actionem formæ ſuæ conuenientem, & ſic in illuminatione cæci, fuit contactus, &in ſuſcitationeLazari fuit clamor, quia his Diuina virtus ad ſuum intentum tanquam agens principale vtebatur.

Corollariū.

4. Ex quo manifeſtè colligitur, quòd in his operationibus alia fuit operatio humanitatis, & alia Diuinitatis. *Declaratur*. Ablutio aquæ qua puer cùm baptizatur abluitur, eſt vna actio ad ſanctificationem animæ pueri: hæc tamen erit duplex: *prima* vt procedit ab aqua. *altera* vt illa Deus & Sacerdos vt miniſter vtitur ad ſanctificationem: ita operatio Chriſti inquantum eſt miraculoſa, eſt vna, ſed Chriſti clamor contactus, eſt alia operatio à miraculoſa quodam modo diſtincta. *tum* quia humanitas Chriſti non fuit inſtrumentum inanime & mortuum, ſed viuum & animatū, nam ex iudicio liberæ rationis operabatur.

Quare operationes Chriſti appellantur Theādricæ

Nota has operationes Chriſti appellari Theandricas, non quòd vna eſſet actio ex Diuina & humana cōflata, ſed quia operatio Chriſti fuit Diuina virilis, vel Diuina humana, non per aliquam confuſionem operationum aut virtutum vtriuſque naturæ, ſed per hoc quòd Diuina eius operatio vtitur humana, & humana eius operatio participat virtutem Diuinæ operationis, vt dicit D. Th. hic art. 1. ad 1.

In Chriſto vna tantùm fuit operatio humana

5. Qvantvm *ad ſecundum* quæ poſitum dico, *quòd in Chriſto ratione principij operatiui, vna tantùm fuit operatio humana*. Probatvr. illa operatio humana dicitur eſſe vna, quæ ab vno principio operatiuo, v. à ratione & à volūtate procedit. ſed omnes operationes Chriſti à iudicio rationis & à voluntate procedebant. ergo ex parte principij operatiui vna tantùm eſt operatio humana. *Nota*. ſi attendamus ad obiecta, ſic plures numero & ſpecie, pro ratione obiectorum, poſſunt eſſe humanæ operationes Chriſti.

6. *Ratio ſecunda*. In præcedentis Quæſiti reſolutione diximus ex mēte S. Doctoris, duas eſſe operationes Chriſti Diuinam & humanam, ideo quia ſunt duo principia in eo, v. voluntas Diuina & voluntas humana: ita quoq; iam dicimus vnam fuiſſe Chriſti operationem humanā quia vnicum eſt principium, v. ratio & voluntas humana.

In hominibus multæ ſunt operationes non humanæ.

Nota in hominibus ſunt multæ operationes non humanæ, vt ferri deorſum ob grauitatem corporis elementaris, & nutriri augmentari, ſecundum virtutem animæ vegetātis. *tum* videre imaginari ſecundùm virtutem ſenſitiuam. in Chriſto autem hæc omnia opera à voluntate & à ratione procedebant, ſiquidem omnis ſenſualitas illi perfectiſſimè ſubiecta erat. *tum* quia hæc erant tanquam inſtrumentum in poteſtate Diui-

te Diuinitatis, vnde voluntariè ſuſcipiebantur,&tādiu durabant quādiu illa volebat & permittebat.

7. QVANTVM ad tertium propoſitum: *An Chriſti operatio fuerit meritoria?*

Operatio Chriſti fuit meritoria.

Dico *fuiſſe meritoriam.* PROBATVR. id quod eſt nobilius Chriſto eſt tribuendum: ſed habere aliquid per meritum eſt nobilius quàm habere ſine merito, nam nobilius eſt habere aliquid per ſe quā habere per aliud, iam autem habere per meritum eſt quodā modo habere p ſe. ergo Chriſti operatio fuit meritoria.

Quæ Chriſtus nō meruit ſibi.

Dico ſecundò. *Chriſtus non meruit ſibi gratiam, nec ſcientiam, nec gloriam animæ, nec Diuinitatem.* PROBATVR, quia meritum eſt eius rei quæ nondum habetur. ergo ſi Chriſtus haberet gratiam, ſcientiam, gloriam animæ, & Diuinitatem per meritum aliquando illis caruiſſet, ſ: non haberet pro eo tempore, quo illa nondum meruerat. ſed his carere diminuit dignitatem Chriſti. ergo hæc non meruit.

Quæ Chriſtus meruit ſibi.

Dico tertiò. *Chriſtus gloriam corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem illius excellentiam vt eſt aſcenſio, veneratio, &c. meruit.* PROBATVR, quia his aliquando caruit, & eadem per act⁹ meritorios obtinuit.

Obiectio.

8. *Sed obijcies.* ſecundum legem ordinariam Beatus non poteſt mereri, ſiquidem iam eſt in termino *ad quem*, meritum dirigitur. ſed Chriſtus fuit Beatus à principio ſuæ cōceptionis. ergo non potuit mereri.

Solutio ei⁹.

Reſpondeo quòd ille Beatus, qui eſt omnino extra viam poſitus, non poteſt amplius mereri, ſed ille Beatus qui ſimul eſt Viator, & qui cruciatus & alios dolores in ſuo corpore per quandam diſpenſationem patitur, hic bene mereri poteſt.

Obiectio altera.

Dices ſi ex diſpenſatione patiebatur. ergo ex diſpenſatione merebatur. *Reſpondeo* Chriſtum ſecundùm legem ordinariam meruiſſe, nam omnis viator ſecundùm legem ordinariam meretur. Chriſtus autem fuit Viator. ergo ſecundùm legem ordinariam meruit.

Solutio ei⁹ prima.

Reſpondeo ſecundò, quia Chriſtus quamuis ex diſpēſatione fuit viator, tamē hoc ſuppoſito, miraculum eſſet ſi non mereretur, præſertim per opera ſummæ charitatis.

Solutio ſecunda.

Chriſtus nō meruit ſecūdum naturam Diuinā.

9. Dico quartò. *Chriſtus non meruit ſecundùm Diuinam naturam.* nam mereri eſt inferioris, ſed per Diuinam naturam fuit æqualis Patri æterno, ſecundum autem humanam naturā merebatur, tanquam per inferiorē.

Chriſtus à primo inſtāti ſuæ conceptionis cœpit mereri.

Dico quintò. *Chriſtus à primo inſtāti ſuæ conceptionis cœpit mereri, & deinceps per totam vitam merebatur.* PROBATVR. quia hoc pertinebat ad dignitatem hypoſtaticæ vnionis. *Item* quia à primo inſtanti habuit liberum vſū rationis, quæ eſt conditio requiſita ad merendum. *Item* quia ex illis verbis ad Hebr. 10. *Oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, tunc dixit: ecce venio, factus eſt oblatio pretioſa & electa ex omnibus antiquis in primo ingreſſu in mundum, hæc verba proferens Ecce venio.* Idem de alijs actionibus Chriſti affirmandum, ſiquidem hæ per rectā rationem erant ordinatæ ad perpetuam Dei gloriam. *tum* quia in Chriſto nulli erant motus repentini, nec vlli ſubiacebat perturbationi.

Poſt inſtās completum mortis Chriſtus nihil amplius meruit.

10. Dico ſextò. *Poſt inſtans completum mortis Chriſtus nihil amplius meruit.* PROBATVR ex 10. ad Hebr. vbi dicitur; quòd vna oblatione v. crucis &

crucis & mortis conſumauit in æter nũ ſanctificatos. *tum* quia per mortem deſijt eſſe viator. vnde non potuit mereri.

Ex. vulnere lateris Chriſti fluxerũt Sacramẽta. Quidam SS. Patres de vulnere lateris Chriſti dicunt, quòd ex eo fluxerint Sacramenta: equidem ita eſt, ſed hoc accipi debet myſticè in genere ſigni, quoad ſignificationem non autem meritoriè nec moraliter, aqua enim ſignificabat Baptiſmũ Sanguis Euchariſtiam ſeu paſſionẽ.

Vulnus lateris Chriſti quomodo fuit meritorium? Quidam de vulnere lateris Chriſti dicunt, quòd hoc meritorium erat, reſpectu temporis præteriti, quo Chriſtus adhuc viuens præuiderat latus lancea ſibi aperiendum, vnde ad hoc conſenſerat, & illud Deo Patri obtulerat, & ſic quidem hanc transfixionem concedimus fuiſſe meritoriam: ſed addim⁹ quòd pro eo tempore quo eſt inflictum, non fuit meritorium, iam enim ceſſauit eſſe viator, nec iam propriè erat homo, nam in illo inſtanti mortis & in triduo ſubſequenti, partes naturæ humanæ ſeparatæ erant, vnde vt ſic mereri non poterat.

Chriſtus omnib⁹ hominibus meruit. 11. QVANTVM ad quartũ propoſitũ *An alius potuerit mereri?* Reſpondeo *quòd omnib⁹ hominib⁹ meruit.* PROBATVR ad Rom: 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines incondemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ,* hoc eſt, ſicut peccatum Adæ in omnes homines deriuatur, qui ab alio per carnalem generationem deſcendunt, ita meritum Chriſti in omnes homines diffunditur, qui per lauacrum ſpirituale baptiſmi in Chriſto regenerantur *Et ratio eſt* D. Th. Chriſtus habuit gratiam capitis, & illi omnes homines tanquam membra vniuntur, ita quòd vnam perſonã myſticam conſtituant. ergo meritum Chriſti extendit ſe ad alios inquantum ſunt illius membra, & ſicut in quolibet homine actio capitis pertinet ad reliqua corporis membra, ita quòd caput non ſibi ſentiat aut videat ſed reliquis membris: idem de Chriſto dicimus, quòd illius actiones meritoriæ, tanquam capitis in reliqua membra diffundebantur.

Pelagianorũ hæreſis. 12. Hoc Dictum eſt contra Pelagianos qui negarũt Chriſtum gratiã nobis promeruiſſe, & nos à peccato liberaſſe. Eſt quoq; contra Abagilardum, qui (vt refert D. Bernard⁹) in epiſt. 190. ad Innocentium Papã, affirmat Chriſtum ad hoc ſolùm in carne veniſſe, vt viam ſalutis hominibus oſtenderet, eoſdemq; de rebus Diuinis erudiret, & ſuæ paſſionis exemplo ad humilitatem & patientiam colendam accenderet. Eſt quoque contra Capreolum. qui *in 3 diſt. 6. quæſt. vnica, art. 3.* in ſolutione ad argumenta dicit, quòd Chriſtus nó promeruit nobis diſpoſitiones præcedentes ipſam gratiam, & ſidem informem, timorem ſeruilem, vocationem, & alia. Diſpoſitiones autẽ concomitantes ipſam gratiam, vt fidem formatam, contritionem, pœnitentiam promeruit nobis. idem Bannes, Driedo, videntur ſentire. *Ratio illorum*, exiſtimant enim quòd fides ex pura Dei gratia & miſericordia nobis concedatur, hac verò ſuppoſita iam reliqua, vt primam gratiam, iuſtificationem promereri. Pro confutatione.

Chriſt⁹ meruit nobis remiſſionẽ peccatorũ. 13. Dico primò. *Chriſtus meruit nobis remiſſionem peccatorum.* Matth. 26. *Hic Calix Sãguinis qui ꝓ vobis eff.ᵉ detur in remiſſionem peccatorum.* & 1. Ioan 2. *Ipſe eſt*

Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed & totius mundi, quod quidem intelligendum ſufficienter, non autem efficaciter, nam non omnes ſaluabuntur.

Dico ſecundò. *Chriſtus adhuc meruit nòbis gratiam gratum facientem.* ad Epheſ. 1. *Gratificauit nos in Filio ſuo.* ad Epheſ. 5. *Chriſtus tradidit ſemetipſum pro Eccleſia, vt eam ſanctificaret, emundans eam lauacro aquæ.* ſed gratum facere, ſanctificare, emundare ſunt effectus gratiæ. Ergo hanc meruit Chriſtus.

Dico tertiò. *Meruit quoq; nobis Chriſtus fidem, diſpoſitiones ad iuſtificationem.* PROBATVR ad Epheſ. 1. *Benedixit nos Chriſtus omni benedictione ſpirituali.* ſed fides & diſpoſitiones ad iuſtificationem ſunt benedictiones Dei. Ergo hæc meruit. & Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* ſi nihil. ergo nec credere, nec vllos alios motus exercere ſine adiutorio Chriſti.

Obiectio.

14. *Sed obiicies.* Donatio Chriſti quæ nobis à Deo Patre eſt facta, eſt potiſſimum beneficium ad ſalutem neceſſarium. Sed hoc non meruit Chriſtus, quia (vt iam probatum) non meruit vnionem hypoſtaticam

Solutio ei⁹

Reſpondeo quòd Chriſtus ſuam incarnationem non meruit, vnde cum dicimus, quòd Chriſtus meruit nobis omnes gratias & omnia chariſmata; id intelligimus de illis donis & gratiis quæ ex illius plenitudine in nos deriuantur. Deinde Chriſtus eſt primum donum & cauſa vniuerſalis, & ideo ſub meritum non cadit: ſicut cum dicimus quòd Deus creauerit omne Ens, non tamen ex eo inferimus, quòd etiam ſeipſum creauerit, ſed quòd omne illud Ens quod eſt à ſe creauit.

Chriſtus ſuam incarnationem meruit?

Obiectio altera.

15. *Obiicies ſecundò:* Prima gratia non cadit ſub meritum teſte Apoſtolo, *Si gratia? non ex operibus,* & videtur eſſe cõtradictio aperta, quòd ſit prima gratia, & quòd detur ex meritis Chriſti. *Reſpõdeo.* quòd prima gratia nõ eſt ex meritis v. ex noſtris, ſed bene eſt ex meritis Chriſti. Ita dicit D. Paul⁹ ad Rõ. 3. *Iuſtificati gratis per gratiã ipſi⁹, per redẽptionẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Solutio ei⁹

Et hic duo nota. cum dicit *Gratis,* ſignificat quòd ſine vllis meritis noſtris. cum dicit *per gratiam ipſius,* ſignificat quòd merita Chriſti ſint pretium ſanguinis illius. Ex quo manifeſtum eſt quòd Chriſtus, omnia nobis promeruit, & illius meritum ſufficienter operatur vt quædam cauſa vniuerſalis ſalutis noſtræ, ſed oportet hãc cauſã applicare ſingulis per Sacramẽta & per fidẽ formatã, quæ per dilectionẽ operatur.

DISPVTATIO XX.

De Subiectione Chriſti ad Patrẽ.

1. CIrca hanc ſubiectionẽ duo inquirenda proponimus. *Primò* An Patri fuerit ſubiectus? *Secundò* An etiam ſibi ipſi?

Chriſti triplex ſubiectio ad Patrem æternum.

QVANTVM ad primum dico. *Chriſtus ſecundùm ſuam naturam humanam triplicem ſubiectionem ad Patrem æternũ habuit.* PROBATVR. Quicunque habet na-

bet naturam humanam, etiam illa debet habere quæ ſunt illi naturæ propria. Sed naturæ humanæ proprium eſt quòd triplicem ſubiectionem habeat ad Deum, v. *Primò* ſubiicitur ratione bonitatis, ſiquidem habet participatam bonitatem, Deus autem eſt ipſa bonitas per Eſſentiam, cui omnis bonitas creata ſubiicitur. *Secundò* Ratione Diuinæ poteſtatis cuius diſpoſitioni ſubiacet omnis creatura, & hæc ſubiectio dicitur Seruitutis. *Tertiò* Ratione proprii actus, per quem obedit Diuinis mandatis. Sed Chriſtus naturam humanam aſſumpſit. Ergo & cum illa hanc triplicem ſubiectionem quæ eſt propria naturæ humanæ. Et hanc ſibi ipſi attribuit. Primam quæ eſt ratione bonitatis adſcribit ſibi Matth. 19. *Quid me interrogas de bono? vnus eſt bonus Deus.* ſignificans quòd ad gradum bonitatis Diuinæ in quantum homo non pertingebat. Secunda manifeſtò attribuitur in quantum circa illius humanitatem omnia geſta ſunt diſpoſitione Diuina, & ſecundùm hoc dicitur *Formam ſerui accepiſſe.* Deniq; tertiam ſubiectionem obedientiæ frequenter ſibi attribuit. Ioan. 8. *Quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Et *Factꝰ obediens Patri vſq; ad mortem.*

Obiectio. 2. *Sed obiicies* non videri quòd Chriſtus poſſit propriè dici Seruus niſi forſan metaphoricè. *Et ratio eſt.* Quia humanitati Chriſti triplex participatio conuenit in bonis cũ Deo. *Primò* Quia in Chriſti humanitate inhabitat plenitudo Diuinitatis, & ratione huiꝰ humãitas & Diuinitas cõueniũt in vno ſuppoſito Verbi, & ſubſiſtũt in vna pſona Diuina. *Secũdò* Quia humanitas Chriſti ob coniunctionem cum Verbo cultu latriæ, quo ipſe Deus, adoratur. *Tertiò.* Ratione nominis & dignitatis, nam ſicut mulier Regi coniuncta per matrimoniũ dicitur & eſt Regina, ita & humanitas coniuncta hypoſtaticè Filio Dei qui eſt Rex Regum & Dominus Dominantium. Ergo & humana natura debet dici Regina & Domina. ergo Chriſtus ſecundùm humanitatem non eſt propriè ſeruus.

Pro reſponſione. Suppono quod Seruitus eſt duplex, *quædam* Legalis & Pœnalis, qualis eſt eorum qui in bello capiuntur, nam eorum qui eos ceperunt ſunt ſerui; ſic quoq; qui facit peccatum, eſt ſeruus peccati. *Quædam* verò eſt Naturalis, qua iure creationis, quælibet creatura Deum recognoſcit Dominũ, ita quòd teneatur illius mandatis obedire, & Deum abſolutum Dominum omnium rerum confiteri. Hoc præmiſſo. Seruitꝰ du-plex eſt.

3. Dico *Chriſtus non erat ſeruus, nec legali nec pœnali ſeruitute, ſiquidem illa caro quam aſſumpſit nunquam peccato ſubiecta fuit, nec alicui titulo captionis in bello aut emptionis ſubiacebat. Bene autem & propriè poteſt dici Chriſtus Seruus naturali ſeruitute.* Ita ſentit D. Th. hic art. 1 in ſolutione ad 2. cum dicit: *quamuis non propriè dicitur quod natura ſit Domina vel ſerua, poteſt tamen propriè dici, quod quælibet hypoſtaſis vel Perſona ſit Diuina, vel ſerua, ſecundùm hãc vel illam naturam,* & ſecundùm hoc nihil prohibet Chriſtum dicere Patri ſubiectum vel ſeruum ſecundùm naturam humanam. & Scriptura hoc nomine *Serui* Chriſtum appellat. Iſaiæ 42. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiã eum*: quem locum Patres de Chriſto interpretantur. & Chriſtus per Pſalmiſtam de ſeipſo confitetur. *O Domine*

Quomo[do] Chriſtꝰ [...] ſit dici ſe[r]uus?

Domine, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ. Et RATIO *eſt* Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt verè & propriè creatura. ſed omnis creatura verè & propriè eſt ſub dominio Dei, &per conſequens eſt ſerua.

4. Ad argumentum dico, quamuis Chriſtus ſecundùm humanitatem ita eſt Filius Dei, vt habeat cõmunem ſubſiſtentiam increatam cum Verbo Diuino ratione vnionis hypoſtaticæ, ita quòd in cultu, honore & ſede, communicet cum Patre; tamen (vt dicit Medina, & cum illo Aluarez,) impoſſibile eſt, quòd Chriſtus ſecundum humanam naturam habeat omnia quæ Pater habet, nam Pater eſt actus purus, & qui ſeipſum ſecundùm quòd cognoſcibilis eſt, comprehendit, idemque eſt æternus, omnipotens, quæ Chriſto ſecundùm naturam humanam non videntur conuenire, ſed ſolùm ratione Diuinæ naturæ, vnde meritò Chriſtus verè & propriè dicitur *Seruus Dei*, titulo creationis, & talis ſeruitus nullam includit imperfectionem, cùm ſit connaturalis & intrinſeca ipſi naturæ humanæ, nam prout eſt natura creata, dependet à Deo in Eſſe & in conſeruari.

An Chriſtus ſibi ipſi ſit ſubiectus?

5. QVANTVM ad alterum. *An Chriſtus ſibi ipſi ſit ſubiectus? Reſpondeo* cum diſtinctione, quòd ſubiectio ſi conſideretur ſecundùm diuerſitatẽ ſuppoſitorum, v. quòd alia ſit perſona Verbi Dei dominantis, & alia perſona hominis ſeruientis; *& ſic neganda, quia ſapit hæreſim Neſtorij.* ſi verò conſideretur ſubiectio ſecundum naturarũ diuerſitatem, ſic vera eſt propoſitio *quòd Chriſtus ſibi ipſi ſit ſubiectus.* nam in Chriſto eſt natura Diuina & humana, & ſecundùm Diuinam præeſt, & dominatur omnibus, ſecundùm autem humanam ſubeſt & ſeruit.

Nota primò ad propriam rationem iuſtitiæ aut ſubiectionis conſtituẽdam ſufficient duæ naturæ vnius perſonæ, & ſic Chriſtus vt ſibi ipſi verè ſubijcitur, ita etiam verè ſibi ipſi ſatisfecit, quoniam ad hoc naturarum diſtinctio ſufficiebat, cum gemina ratione eiuſdem Perſonæ.

Quæ relationes de Chriſto abſolutè prædicari poſſunt?

Nota ſecundò ex 2 articuli fine in corpore, quòd relationes dignitatis & excellentiæ, vt quòd Chriſtus ſit *Dominus*, ſit *Rex regum*, ſit *Maximus* in omni tempore, poſſunt abſolutè de Chriſto prædicari ſine vlla determinatione. Relationes verò defectus vt quod ſit *Patri ſubiectus*, vel *ſeruus*, vel *minor*, non niſi cum determinatione attribuendæ, v. ſecundum naturam humanam: & hoc ad euitandum errorem Arrij, qui abſolutè fatetur Filium minorem eſſe Patre.

DISPVTATIO XXI.

De Oratione Chriſti.

QVid de hac ſentiendum, quatuor Dictis exponam. Dico primò. *Oratio conuenit Chriſto Domino ſecundùm quòd eſt homo.* PROBATVR Lucæ 6. *Exijt in montem orare, & erat ibi pernoctans in oratione.*

Quomodo Chriſto Domino conuenitat Oratio?

tione. Ioan. 14. *Rogabo Patrem, & aliū Paracletum dabit vobis.* *Et* RATIO *eſt,* Oratio eſt quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, vt eam impleat. ſed ſi in Chriſto vna eſſet voluntas Diuina, ſic Chriſto non cō peteret orare, quia voluntas Diuina eſt effectiua eorum quæ vult, iuxta illud. *Omnia quæcunq̧ voluit fecit.* Ergo cùm alia ſit voluntas humana in Chriſto, quæ non ſit efficax ad implendum ea quæ vult, hinc accidit quòd Chriſto inquantum eſt homo conuenit orare. *Deinde* Deus eſt finis vltimus creaturæ rationalis, in quem mediante oratione eleuatur. ſed Chriſtus naturam hominis rationalem aſſumpſit. Ergo vt ſic conuenit illi orare. *Item* Chriſtus eſt mediator Dei & hominum Ergo illi competit vt nobis dona cæleſtia impetret, per quæ in Deum eleuemur.

Quare Chriſtus Dominus orauit?

2. *Nota primò.* Oratio Chriſti nō fuit ob indigentiam, ſed propter noſtram ſubleuandam miſeriam. *Tum* ad inſtructionem noſtrā, ideo enim orans leuabat oculos in cælum, vt nos ſimiliter in noſtris orationibus oculos in cælum attolleremus.

Chriſto in quantum De⁹ non conuenit orare?

Nota ſecundò. Chriſto in quantum Deus non conuenit orare. ita D. Th. *hic & 2. 2. quæſt. 83. art. 10.* nam Deo non conuenit vt ſe aut creaturas oret. *Deinde* quia eiuſdem ad ſeipſū non poteſt eſſe oratio. *Item* quia oſtenderet inefficaciam ſuæ voluntatis, ſiquidem oraret id ab alio implendum quòd ipſe nō poſſet, quòd nullo modo de Deo dicendū. Quando autem legimus apud D. Paulum, quòd *Spiritus S. poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* exponendū quòd nos poſtulare faciat.

An Chriſtus Dominus in cælo exiſtens beat⁹ oret pro nob.?

3. *Sed quæres* An Chriſtus iam extra ſtatum viæ in cælo beatus exiſtēs ꝓ nobis oret? *Reſpōdeo:* quoſdam negare, vt Rupert. *lib. 9. de Offic. c. 3.* quoſdam affirmare, vt D. Th. *in 4. diſt. 45. quæſt. 3.*

Oratio duplex.

Pro determinatione ſuppono, quòd Oratio eſt duplex, quædam eſt quâ aliquid nunc & hic impetram⁹, quòd antea non erat conceſſum, & per quam incipimus aliquid mereri quod antea non meruimus: quædā eſt per quam ſolùm petim⁹ id quod iam eſt noſtrum, & quod nobis ex iuſtitia debetur. Hoc præmiſſo.

Chriſt⁹ Dominus quomodo in cælo reſidens dicatur pro nobis orare?

4. Dico ad Quæſitum. *Chriſtus Dominus ſecundùm humanitatem in gloria Patris reſidens, non orat per modum merendi,* nam cùm eſſet viator ſufficientiſſimè meruit, & iam data eſt illi omnis poteſtas in cælo & in terra: *inquantum verò id quod illi ex iuſtitia debetur poſtulat, & ſic orare dicitur pro nobis, ſiquidem mediatoris & aduocati partes ſuſtinet.* 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum crucifixum:* hæc oratio non fit per modū humiliationis, quâ in diebus mortalitatis ſuæ vſus eſt, quia hic mod⁹ orandi non conuenit Chriſto in gloriam Patris aſſumpto: ſed orat exhibendo Patri antiqua ſua merita & præteritos labores crucis, vt illorum intuitu omnia ad ſalutem neceſſaria nobis conferantur.

Obiectio.

5. *Sed obijcies.* ſi Chriſtus pro nobis orat etiam in cælo. Ergo illius orationis erit infinitus fructus, ſiquidem orat vt Perſona Verbi.

Solutio.

Reſpondeo. quia Chriſtus in oratione pro nobis non applicat merita ſua quantum poſſunt, ſed prout ipſe vult, & ideo finito modo.

Dices. ergo rogare poſſum⁹ Chriſtum vt pro nobis oret ſed hoc abſurdum

ſurdum eſt, nam potiùs rogare debemus, vt nobis ipſe neceſſaria largiatur. *Reſpondeo* non eſſe ſic orandum, vt Chriſtus pro nobis oret, ne detur occaſio ſcandali. *Tum* quia ſic orandi non eſt conſuetudo Eccleſiæ, nam non dicit *Chriſte redemptor mundi ora pro nobis*, ſed aut *Exaudi nos* aut *Parce nobis*. Tum ſicut alloquendo Regem aut ſalutando, non compellamus eum militem, ſtrenuũ aut Poetam, aut Oratorem, quia hęc ſunt vulgaria, ſed vtimur titulis primarijs: ita orando Chriſtum, iam potiori formula vti debemus, illum appellando Deum, & ab illius miſericordia ſalutis noſtræ remedia poſtulando.

Chriſtus non orauit ſecũdùm ſenſualitatem.

6. Dico ſecundò. *Chriſtus nõ orauit ſecundùm ſenſualitatem*, quia oratio nõ eſt actus ſenſualitatis, nam ſenſualitas non tranſcendit ſenſibilia, oratio autem ſuper hæc eleuatur attingendo ipſum Deum. *Tum* quia oratio eſt actus rationis, ordinans ea quæ cupit à Deo impleri. Poteſt autem dici, quòd Chriſtus ſecundùm ſenſualitatem orauerit, inquantum oratio eius exprimebat affectum ſenſualitatis, quòd quidem ad inſtructionem noſtram faciebat. *Primò* vt oſtenderet ſe veram naturam humanam cum omnibus affectionibus naturalibus ſuſcepiſſe. *Secũdò* vt declararet licitum eſſe homini aliquid velle ſecundùm naturalem affectum, quod Deus non vult. *Tertiò* vt doceret conueniens eſſe homini vt ſuum proprium affectum Diuinæ voluntati ſubijciat, ſecundùm quod dixit *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*.

Chriſtus Dominus orauit pro ſe.

7. Dico tertiò. *Chriſtus Dominus orauit pro ſe*. PROBATVR. In Chriſti oratione tria exprimuntur. *primò* affectus ſenſualis: *ſecundò* ſimplicis voluntatis. *tertiò* deliberatæ voluntatis, ſed hæc omnia erant Chriſti. Ergo Chriſtus pro ſe orauit. *Antecedens.* expreſſit ſenſualem affectum, quando reformidabat dolores. ſimplicis verò voluntatis, quando ex naturali inclinatione eiuſdem voluntatis vt eſt natura, calicem à ſe transferri cupiebat. Oratio verò deliberatæ voluntatis duplex eſt. *primò* gratiarum actionis, nam Chriſtus Dominus pro acceptis beneficijs in natura humana frequenter Deo Patri gratias agebat. *ſecundò* fuit petitionis pro his bonis quæ ipſius naturæ humanæ deerant, qualis fuit Glorificatio corporis, pro qua orauit. Ioan. 17. *Clarifica Filium tuum, &c.*

Oratio deliberatæ voluntatis quotuplex?

Quæ oratio Chriſti nõ fuit exaudita?

8. Dico quartò. *Illa oratio quæ cõtinebat in ſe affectum ſenſualitatis, aut ſimplicis voluntatis, vt cùm naturaliter paſſionem reformidabat, & eam à ſe trãsferri poſtulabat, non fuit exaudita, quia non ſimpliciter ſed ſecundùm quid volebat, v. ſi aliud non obſtaret, vnde hæc voluntas dicitur* Velleitas *ab Optatiuo* vellem; *Tum* quia in ea ſolùm inclinatio naturalis exprimitur: illa verò oratio quæ procedebat ex abſoluta eius voluntate, ſemper eſt exaudita. ad Hebr. 5. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia*; nam hæc oratio id petebat quod erat cõforme voluntati Diuinæ, & ideo implebatur.

Quare Chriſtus inſtituit orationẽ quæ ſenſualem affectũ & voluntatẽ ſimplicẽ exprimebat?

9. *Sed quæres* cur Chriſtus inſtituit orationem quæ ſenſualem affectum & voluntatem ſimplicem exprimebat? ſiquidem ſciebat illam nõ exaudiendam. *Reſpondeo* ideo inſtituta fuit, vt per eam indicaret ſe verum fuiſſe hominem, qui ex na-

tura ſua dolorem & mortem refugit. *Secundò ideò*, vt nobis patientiæ exemplum relinqueret, quando aliter nobis quàm optauimus euenit. ita D. Aug. docet *epiſt. 120.* ad Probam de orando Deo cap. 14. *Si aliquid contra quam oramus acciderit, patiẽter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potiùs oportuiſſe, quod Dei non quod noſtra voluntas voluit; nam & huiuſmodi rei exemplum Mediator nobis exhibuit, qui cùm dixiſſet* Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte, *continuò ſubiecit*, verùm non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater.

10. *Sed obijcies* Chriſtum abſolutè oraſſe pro crucifixoribus, *Ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*; multi tamen ex illis ſunt damnati. Ergo non eſt exauditus. *Reſpondeo* quòd non pro omnibus crucifixoribus orauit, ſed pro his ſolùm qui erant prædeſtinati. ita D. Aug. tract. 31. in Ioan. *Ignoſce illis*, videbat quoſdã ſuos inter multos alienos, illis iam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam. Quidam dicunt quòd pro omnibus orauit, & fuit exauditus, vt illis gratia ſufficiens conferretur, quá vſi ſalutem conſequerentur; non autem pro omnibus orauit quoad gratiam efficacem, quia hanc pro ſolis Electis petijt.

Pro quibus crucifixoribus orauit Chriſtus Dominus?

DISPVTATIO XXII.

De Sacerdotio Chriſti.

Quinq; inquiremus:

1. *An fuerit Sacerdos?*
2. *De Hoſtia huius Sacerdotis.*
3. *De Effectu.*
4. *De Duratione.*
5. *An ſecundùm ordinem Melchiſedech debeat dici Sacerdos?*

QVÆSITVM I.

An Chriſto conueniat eſſe Sacerdotem?

Chriſto Domino maximè conuenit vt ſit Sacerdos.

AD Quæſitum dico. *Chriſto Domino maximè conuenire, vt ſit Sacerdos.* PROBATVR. Proprium officium Sacerdotis eſt eſſe mediatorem inter Deũ & homines, & hominibus quidem communicando res ſacras & Diuinas, Deo verò vt pro hominibus offerat

Sacerdotis quid eſt officium proprium?

ferat dona & ſacrificia. Sed hæc Chriſtus in ſuo munere adimpleuit. ad Hebr. 5. *Omnis pontifex ex hominibus aßumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis;* nam per Chriſtum reconciliati ſumus Deo Patri, & per illum Diuina & pretioſa dona ſunt nobis collata, & *ſemetipſum in ſacrificium obtulit.* Ergo verè fuit Sacerdos.

Chriſtus Dominus an fuerit Sacerdos legalis

2. *Sed quæres.* An Chriſtus fuit legalis Sacerdos v. ſecundùm ordinẽ Aaron? *Reſpondeo* Hoc nequaquam eſſe concedendum. *Probatur* Sacerdotium legale tantùm Tribui Leuiticæ competebat. Sed Chriſtus nõ erat ex Tribu Leui ſed ex Tribu Iuda. Ad Hebr. 7. *Manifeſtum eſt quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter.* in qua Tribu nihil de Sacerdotibus locutus eſt Moyſes. Ergo non fuit legalis. *Secundò* ſequeretur quòd adhuc legale Sacerdotium duraret, nam Sacerdotium Chriſti durat. Sed hoc falſum atteſtante Apoſtolo. Ad Hebr. 7. *Leuiticum Sacerdotium in Sacerdotiũ Chriſti tranſlatum eſt.*

Obiectio.

3. *Sed inſtabis* Chriſtum Dominũ fuiſſe ex Tribu Leui, ſiquidem Eliſabeth quæ fuit cognata B. Virginis, fuit ex Tribu Leui. Ergo & Chriſtus Dominus ex Tribu Leui. *Reſpondeo.* quòd & Chriſtus D. & Mater eius ſuper benedicta non ex Leui ſed ex tribu Iuda fuit; cognatos autem potuit habere ex Tribu Leui, nã hæ duæ tribus iungebantur ſibi, vnde fieri potuit, vt Pater Eliſabeth habuerit vxorem de ſtirpe Dauid, ratione cuius B. Virgo, quæ fuit ex ſtirpe Dauid, appellata eſt cognata Eliſabeth.

Chriſtus Dominus & Mater eius ſanctiſſima ex qua tribu ſuerit.

Chriſtus Dominus ſimul fuit Sacerdos, Rex, & Legiſlator.

4. *Nota.* Quòd Chriſtus D. ſimul fuit Sacerdos, Rex & Legiſlator. Iſaiæ 33. *Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe veniet & ſaluabit nos.* Quia in Chriſto erat plenitudo gratiarum, vnde hæc tria in eo tanquam in fonte omnium gratiarum reperiebantur. *Tum* quia Chriſtus Dominus fuit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech: Sed hic ſimul & Rex & Sacerdos fuit. Geneſ. 14. ergo & Chriſto idem tribuendum. Et quando Saluator dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* non ſic explicandum, quaſi Chriſtus negauerit ſe eſſe Regem mundi, ſed ſecundùm hoc ſignificauit ſe regnum lõgè maius & præſtãtiùs humano habere. Theophilactus ſic explicat. *Non dixit.* Regnum meum non eſt in hoc mundo, *ſiquidem regnum huius mũdi ab eo tanquam à Deo regebatur. ſed dixit:* Non eſt de hoc mundo. *quia eſt ſupernum & ante ſecula, & non eſt hinc, neq; ex terrenis conſtitutum, nam quem ſenſum haberent verba D. Ioannis.* In propria venit, &c. *ſi mundus non eßet eius proprius?*

QVÆSITVM II.

An Chriſtus ſimul fuerit Sacerdos & Hoſtia?

Medina

Hoſtiæ, Victimæ & Sacrificii deductio.

5 MEdina *Hoſtiæ Victimæ & Sacrificii* hanc deductionem facit, quòd *Hoſtia* poſt hoſtes profligatos offerebatur: Victima pro beneficio obtentæ victoriæ immolabatur: *Sacrificium* verò eſt res Deo oblata qua Deum vniuerſi authorem & omnium bonorum largitorem recognoſcimus. Hoc præmiſſo

Dico. *Chriſtus ſimul fuit Sacerdos & Hoſtia.* PROBATVR. Ad Epheſios 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* In quo duo aduerte. *Primò* quòd tradidit, hoc eſt, tanquam Sacerdos obtulit: *ſecundùm* quòd ſemetipſum oblationem & hoſtiam nominat. Ergo idem fuit & Sacerdos & hoſtia.

Sacrificiũ ad quid ſit neceſſariũ?

Et Ratio eſt. D. Thomæ. Sacrificium ad tria eſt neceſſarium. *Primò* ad obtinendam peccatorum remiſſionẽ: *Secundò* ad gratiæ conſeruationem: *tertiò* ad conſummationem. Sed hæc tria per humanitatem Chriſti in cruce oblatam accepimus, ſicut enim hoſtia Deo pro peccato offerebatur, ita Chriſtus ſemetipſum pro peccatis noſtris obtulit. Et ſicut hoſtia pacifica offerebatur pro ſalute offerentium; ita Chriſtus reconciliando nos Deo pacificauit per Sanguinẽ crucis omnia quæ ſunt in terra & in cælo, & dona dedit gratiarũ hominibus. Et ſicut holocauſtum totum Deo igne incẽdebatur, ita Chriſtus duplici igne charitatis & dolorum combuſtus ſeipſum in holocauſtum obtulit, vt ſic charitatis igne Spirit⁹ hominis adoleretur & Deo perfectè vniretur. Ergo ſimul erat & Hoſtia.

Solus Chriſtus Dominus eſt & Sacerdos & Hoſtia.

6. *Nota* Soli Chriſto Domino inter omnes Sacerdotes tam Veteris quàm nouæ legis proprium eſt vt ſit ſimul & Sacerdos & Hoſtia, nã legales Sacerdotes ſolùm pecora immolabant, Nouæ verò legis Chriſtum agnũ delentẽ peccata mũdi immolant: ſolus verò Chriſtus Domin⁹ ſeipſum in Hoſtiam Deo obtulit. Vnde ſolus & Sacerdos & Hoſtia fuit.

Obiectio.

Sed obiicies. Sacerdos qui offert hoſtiam debet eam occidere. Sed Chriſtus non occidit ſeipſum, ſed ab aliis occiſus eſt. ergo non erat verè Sacerdos. *Reſpondeo* quòd nonnulli ſentiunt, quòd ad rationem Sacrificii non ſpectat quòd ipſemet Sacerdos offerens occidat rem offerẽdam, ſed ſatis eſt quòd eam per manus alienas occiſam Deo offerat. Et ſic Chriſtus licet ſeipſum non occiderit, ſed crucifixorum manibus occiſus, ſe Deo in hoſtiam obtulit.

Solutio eiuſdem.

Sed potius. dicendum. quòd Chriſtus D. non ſolùm ſe voluntariè obtulit acceptando paſſionem & mortem ſicut alii Martyres quòd ipſe quodammodo ſit cooperatus ad ſuam mortem, non quidem directè ſe ſuis manibus interimendo, ſed indirectè, quia (vt infra dicit S. Doctor *quæſt. 47. art 1.*,) poterat mortem ſuam impedire, quia aduerſarios poterat reprimere vt eum non vellent aut non poſſent occidere. *Tum* quia habuit poteſtatem conſeruandi naturam ſuæ carnis, ne à quocũque læſiuo inflicto opprimeretur, & hoc habuit ex coniunctione ad Verbum. Quia ergo anima Chriſti (vt dicit D. Aug. lib. 4 de Trin.) nõ repulit nocumentum à proprio corpore illatum ſed voluit vt illi nocumento ſuccumberet: dicitur ſuam animam poſuiſſe vt voluntariè mortuus eſſet, & ſic hac ratione per indirectum cooperatus eſt ad ſui occiſionem vnde verè fuit Sacerdos & Hoſtia.

QVÆ-

QVÆSITVM III.
De Effectu Sacerdotii Chriſti?

7. Hic effectus non alius eſt quàm peccatorum expiatio, & hic hominibus fuit neceſſarius, ſed non Chriſto. Vnde

Dico primò. *Chriſti Sacerdotium habuit vim plenam expiandi peccata*: PROBATVR ad Hebr. 9. *Sanguis Chriſti qui per Spiritum S. ſemetipſum obtulit immaculatum Deo emundauit conſcientias noſtras ab operibus mortuis*, videlicet à peccatis.

D. Th. ſic probat. Sicut in peccato ſunt duo Macula & Reatus, ita ad peccatorum expiationem duo quoque ſunt neceſſaria Gratia quæ maculam delet, Satisfactio quæ reatum tollit. Sed Chriſti ſacrificium vtrúmque habet, nam per Chriſtũ gratiam accepimus, quæ corda noſtra emundat. Ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*. Tum quia ſecundùm rigorem iuſtitiæ ſatisfecit, dolores noſtros pro nobis patiendo. ergo Chriſti Sacerdotium habet vim expiandi peccata.

Nota Ex ſolutione ad 2. hic art. 3. quòd Sacerdos Nouæ legis Sacrificans non ſolùm repræſentat memoriale Dominicæ Paſſionis, ſed & verum ſacrificium offert, ipſum v. Chriſtum; nam verum Corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſacratiſſimis ſpeciebus contentum offert Deo.

8. Dico ſecundò. *Chriſto Domino non competit effectum Sacerdotii recipere quia hic effectus eſt abolitio peccatorum, & Chriſtus peccatum neſciuit*. Et *ratio* eſt. D. Th. Primum agens in quolibet genere ita eſt influens, quòd in illo genere non eſt recipiens: ſol enim illuminat, ſed non illuminatur: & ignis calefacit, ſed ab alio non caleſcit. Sed Chriſtus eſt primum agens & fons totius Sacerdotii. ergo illi non conuenit. de effectu Sacerdotii participare, ſed eundem aliis more ſolis aut ignis communicare. Chriſto Domino nõ cõpetit effectum Sacer dotij recipere.

Sed obiicies. Chriſtus ſecundùm humanitatem fuit ſubiectus Patri. ergo pro ſe offerre debuit. *Reſpondeo* quod illud ſacrificium. quod ratione ſubiectionis offertur, non eſt propriè ſacrificium, vnde nec effectus verè Sacerdotii, quia ad hoc offerendum etiam non Sacerdotes obligantur, Obiectio cum ſolutione.

QVÆSITVM IV.
An Chriſti Sacerdotium maneat in æternum?

9\. DIco. *Tenendum eſt indubitanter, quòd maneat in æternum.* PROBATVR Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum.* Et *ratio eſt.* D.Thomæ finis Sacrificii quòd Chriſtus obtulit non fuerunt bona temporalia, ſed æterna, quæ nos poſt eius mortem adipiſcimur. ergo hoc ſacrificium æternum. *Deinde* Triplici de cauſa dicitur eſſe æternum. *primò* ratione Perſonæ quia Chriſtus ita eſt Sacerdos vt nec ipſe cuiquam ſucceſſerit, nec ipſi quiſquam ſit ſucceſſurus, ſemper enim viuit, vnde nec illius Sacerdotium in aliũ transferri poteſt, ſicut Leuiticum poſt mortem vnius in alium tranſferebatur. *Secundò* ratione officii, quia nõ ſolũ pro nobis interpellat, ſed etiã ſacrificat, hoc ipſum agens per ſeipſũ, quòd per ſuos Vicarios ac miniſtros agit. *tertio* ratione Effectus qui eſt Gratia & Gloria, per quæ æternã ſalutẽ conſequimur: & ideo Sacerdotium Chriſti eſt æternum.

Quare Sacerdotium Chriſti dicatur eſſe æternum?

QVÆSITVM V.

An Chriſtus ſecundùm ordinẽ Melchiſedech fuerit Sacerdos?

10\. AD Quæſitum Dico *Chriſti Sacerdotium verè dicitur eſſe ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ita expreſſè legimus Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* Aſſimilatur autem Sacerdotium Chriſti Sacerdotio Melchiſedech ꝓpter tria. *Primò* ratione ordinis ſeu ritus ſacrificandi, vt enim Melchiſedech panem & vinum obtulit, ita Chriſtus hoc ipſum in cœna egit quando corpus ſuum & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent præcepit illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem. Secundò* propter æternitatem, nã Melchiſedech iuxta D. Paulum ad Hebr. 7. dicitur eſſe ſine patre ſine matre ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; & ideo aſſimilatur Filio Dei qui verè non habuit initium nec habiturus eſt finem, cũ ipſe ſit initium rerum & finis earum vltimus. *Tertiò.* propter Excellentiã Sacerdotii, nam Abraham obtulit Melchiſedech decimas omnium: & ſic cum Leui ex cuius Tribu Sacerdotes erant fuerit filius Abrahæ, ſic iã in lumbis Abrahæ eſt decimatus: Sed is qui dat decimas eſt inferior illo cui dat, & ſic Chriſti Sacerdotium excellentiam ſignificabat.

Propter quæ Sacerdotiũ Chriſti aſſimiletur Sacerdotio Melchiſedech?

11\. *Sed obicies.* In Verbis Geneſis 14. dicitur de Melchiſedech quòd protulit panem & vinum. Atqui proferre non eſt offerre. ergo non ſacrificauit ſed protulit ideo vt Abraham cum exercitu ex conflictu & ex via fatigatum reficeret. *Reſpondeo* Hoc Verbum *Proferendi* ſignificare quod protulit.

Obiectio
Solutio

protulit ad vſũ, & quia fuit Altiſſimi Sacerdos, ad hunc primum vſũ protulit vt offerret Sacrificium gratiarũ actionis, pro inſigni victoria Abrahã cõceſſa. *Secundò* Protulit in aliũ vſũ vt id quod obtulerat Deo, apponeretur in epulum Abrahæ & commilitonibus eius; nam hæc conſuetudo fuit vt ea quæ Deo ſacrificata eſſent ad conſumẽdũ apponerentur. Vt habetur Deuter. 32. *De quorum victimis comedebant adipes.* Plura de Melchiſedech vide apud Medinam hic quiſnam fuerit, & apud Aluarez in Commentariis ſuper caput 42. Iſaiæ.

DISPVTATIO XXIII.

De Adoptione Chriſti.

Adoptio quid ſit.

12. ADoptio eſt Aſſumptio ſeu Acceptatio Perſonæ extraneæ ad hæreditatem ad quam antea nullum ius habebat. De hac quatuor Dubia proponimus. *Primum Dubium* An Deo conueniat adoptare ſeu habere filios adoptiuos? *Reſpondeo* Omnino de fide eſt Deum habere filios adoptiuos. *Probatur*. Ad Rom. 8. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum.* Ad Epheſios 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum.* Et Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Sed certum eſt quòd hi homines qui dicuntur eſſe filii Dei, non ſunt filii naturales. Ergo ſunt per adoptionem: *Deinde* Adoptio Diuina habet ſimilitudinem ad humanam. Sed humana ex ſua bonitate conſtituit aliquem ſuæ hæreditatis ſucceſſorem. Atqui etiam Deus ex ſua bonitate communicat ſuam hæreditatem. Ergo conuenit Deo adoptare.

Deus habet filios adoptiuos.

13. *Sed obiicies.* Propriè adoptio fit perſonæ extraneæ. Sed nulla perſona eſt extranea Deo qui omnia produxit. *Reſpondeo* quòd Dur. *in 3. diſt. 10. quæſt. 2.* hoc argumento & aliis adductus dixit, Deum non propriè ſed metaphoricè adoptare filios. Huius etiam ſententiæ fuit D. Th. in *3. diſt. 10. quæſt. 2. art. 1. qu. 1.* Sed hic de hac tranſlatione nullam facit mentionem.

Vnde firmiter tenendum *quòd Deus propriè adoptat.* PROBATVR Dicto D. Auguſtini. *quoties verba Scripturæ ſecũdum proprium ſenſum ſumi poſſunt, non eſt recurrendum ad figuras & ad metaphoras.* Sed loca Scripturæ iam adducta de adoptione ſecundùm proprietatem ſumi poſſunt, quòd & nos ſumus filii adoptiui, & quòd Deus eſt Pater adoptans. *Tum* quia hæc adoptio fit per gratiam per cuius collationem ius acquirimus ad capiendam hereditatem æternam. *Tũ* quia hæc adoptio admittit nos in conſortium & communionem naturæ Diuinæ. Ergo propriè de adoptione debet explicari.

Deus propriè adoptat.

Ad argumentum Reſpondẽdo dico primò ſufficere ad hanc adoptionem quòd homines non habeant Eſſe à Deo per veram generationem ex ipſa Dei ſubſtantia, ſed habent Eſſe

Vuuu2 à Deo per

à Deo ꝑ creationē, vnde ſūt extra neæ pſonæ. *Reſpōdeo 2.* quòd homo cōſideratus quo ad bona naturalia nō eſt extraneꝰ à Deo ſed ſecūdùm bona ſupernaturalia v.gratiæ & glo riæ quæ homini non debentur, eſt extraneus à Deo, vnde verè adopta ri poteſt.

14. SECVNDVM *Dubiū* An toti Trini tati conueniat adoptare? *Reſpondeo* Omnibus Perſonis Sanctiſſimæ Tri nitatis conuenit adoptare. *Probatur* Eius eſt nos adoptare in filios, quē nos Patrem appellare poſſumus. iux ta illud ad Rom. 8. *Accepiſtis Spiri- tum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Sed cum dicimus ad De- um, *Pater noſter.* hoc pertinet ad Per- ſonas omnes Trinitatis. Ergo toti Trinitati conuenit adoptare. *item* Adoptio eſt opus Dei ad extra. Sed opera Dei ad extra ſunt communia Trinitati Ergo & adoptio commu- nis tribus perſonis.

Toti Trinitati conuenit adoptare.

Obiectio.

Sed inſtabis. Ergo omnes tres per- ſonæ in Diuinis nomine PATRIS ap pellabuntur. *Reſpondeo.* ſi nomen PATRIS in ſua proprietate accipia tur, ita quòd formaliter Paternita- tem includat, cui conuenit ab æter no generare Filium, & ſic ſoli Patri conuenit Paternitas: ſin verò no- men PATRIS accipiatur in quantum creaturæ rationali confert Eſſe per creationem, & ſic quælibet perſo- na in Diuinis, nomine PATRIS appel lari poteſt.

Solutio eiꝰ

15. TERTIVM Dubium. *An adopta ri ſoli creaturæ rationali competat?* Re- ſpondeo *quòd ſoli, ſed quæ ſit charitate informata.* PROBATVR. Ad Rom 8. quòd filii adoptiui ſunt hæredes. Sed talis hæreditas conſiſtit in vi- ſione & fruitione, & ſoli rationali.

Adoptari ſoli creaturæ rationali competit.

creaturæ conuenit. ergo hæc ſola adoptatur. *Item,* Quia Filius debet eſſe quodammodo connaturalis Pa- tri. Sed ſola creatura rationalis ha- bet connaturalitatem reſpectu ra- tionis, tum & per gratiam & chari- tatem. ergo illi adoptari conuenit. *Tum* Quia filiatio adoptionis habet ſimilitudinem ad Filiationem natu ralem. *Primò* ſecundùm rationem forma formæ; vt domus exterioris forma aſſimilatur formæ exiſtenti in intel lectu artificis; ita quælibet creatu- ra facta eſt per Verbum, & illi tan- quam exemplari aſſimilatur: *Secun- dò,* aſſimilatur quoad intelligibilita tē: ſicut ſcientia quæ eſt in intelle- ctu Diſcipuli aſſimilatur illi ſcientiæ quæ eſt in intellectu magiſtri; & ſic creatura rationalis aſſimilatur Ver- bo Dei ſecundùm ſuam naturam; *Tertiò* aſſimilatur ſecundùm vnitatē quam habet Verbum æternum cum Patre, nam ſimiliter natura rariona lis per gratiam & charitatem eſt v- num cum Deo. Iuxta illud. Ioan. 17. *Sint vnum in nobis ſicut & nos vnum ſumus,* & ſic adoptio propriè creatu ræ rationali competit.

Adoptio ... filiatio ... habet ... ſimilitudinem ... filiatio ... naturalem.

Addimus in Dicto. *quòd illi creatu- ræ rationali quæ habeat charitatem con- ueniat.* Nam ſecundùm dictum ad Rom. 8. *Spiritus S. dicitur eſſe Spiri- tus adoptionis filiorum Dei, & quidem per charitatem, quam diffundit in cordibus noſtris.*

16. *Nota primò.* quòd etiam An- geli verè poſſunt dici Filii adoptiui quia ex beneplacito Dei ad gratiā & charitatem, & tandem ad cæle- ſtem hæreditatem ſunt aſſumpti. De D. Chryſoſtomo obſerua, cum nō dicit Angelos in Sacra Scriptura nō appellari filios: quia hic Septuagi- ta interpre-

Angeli verè poſſunt dici filij Dei adoptiui.

ta Interpretes eſt ſecutus qui in locis Iob. Angelos appellat, vulgata verò Filios Dei nominăt.

Quomodo reprobi poſ ſunt dici filij adoptiui

Nota ſecundò. Contra Gabrielem quod etiã reprobi ſeu præſciti poſſunt dici Filii adoptiui, ſecundùm ſtatum præſentis iuſtitiæ, quia admittuntur ad gratiam quæ eſt hæreditas Dei. Et ad Rom. 8. legimus. *Quicunq; Spiritu Dei aguntur hi ſunt filii Dei*. Atqui reprobi, vt Iudas agebãtur Spiritu Dei, vnde erant Filii Dei tamdiu quamdiu à Spiritu Dei agebantur: ſicut prædeſtinati, quamdiu ſunt in peccato mortali, ſunt membra Diaboli. Vnde ſi reprobi nõ ſunt Filii Dei, hoc ſolùm eſt verum in præſcientia Dei, quia Deus præſcit illos, in ſua impietate morituros, ſed quamdiu piè implẽdo mãdata Dei viuũt, ſunt filii Dei adoptiui

Patres veteris teſtamẽti verè poſ ſunt dici filij adoptiuui.

Nota tertiò. Patres Veteris teſtamenti, verè poſſunt dici filii adoptionis. *Probatur*. Nam Iudæa erat gens Dei electa ex omnibus nationibus. Et Pſal. 113. dicitur. *Facta eſt Iudæa Sanctificatio eius*. Et D. Paulus ad Rõ. 9. docet eos fuiſſe adoptiuos cum dicit: *Quorum eſt adoptio & hæreditas*. Ideo verò quia vocantur filii ancillæ, aut quòd dicuntur habuiſſe Spiritum Seruitutis in timore non ſũt excludendi ab adoptione, nam hæc non ſimpliciter intelligenda, ſed comparatè & reſpectu filiorum Nouæ legis, ſiquidem qui in lege Moſaica moriebãtur in gratia & in charitate, hi ad lymbum deſcendebant, nec ſunt conſecuti vitam æternam, niſi in die glorioſæ Chriſti Aſcenſionis. Qui verò in lege Noua decedunt in gratia & nullo reatu ad pœnas pro peccatis exſoluendas obligantur, his ſtatim patet ingreſſus in hæreditatem æternam. *Deniq;* quamuis Lex Moſaica non iuſtificabat, fides tamen in venturũ Meſſiam habuit vim iuſtificandi.

17. QVARTVM *Dubium. An Chriſt⁹ ſecundùm quòd homo ſit filius adoptiuus Dei?* Reſpondeo *Nullo modo concedẽdum quòd Chriſtus ſit filius adoptiuus*. PROBATVR. Nam de fide eſt, quòd ſit naturalis Dei Filius ergo non adoptiuus. *Antecedens*. Ioannis vltimò *Vt ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto* Ex quo arguo. Adoptiuus filius non dicitur eſſe filius naturalis. ſed ille eſt naturalis qui eſt verus filius. Sed Chriſtus eſt verus Dei filius. ergo naturalis, ergo non adoptiuus.

Chriſt⁹ nõ eſt filiꝰ Dei adoptionis.

Sed *in 3. diſt. 4 quæſt. 1.* inſtat Dur. quòd in quantum homo ſit filius Dei adoptiuus, ſic enim arguit. Chriſtus in quantum Deus eſt filius Dei, ſed in quantum homo non eſt Filius Dei naturalis: nam aliàs & reliqui homines eſſent naturales Dei filii. *Reſpondeo* quòd hæc particula (*in quãtum homo.*) aut denotat ſuppoſitum aut deſignat naturam humanam; ita quòd filiatio adoptiua competat naturæ humanæ. Si igitur denotat ſuppoſitum, tunc verum eſt quòd Chriſtus ſit filius Dei naturalis, falſum verò quòd ſit adoptiuus. Si autem humanitas ſola ſumatur, tunc dico ſecundùm D. Th. quòd ſicut filiatio non conuenit propriæ naturæ, ita nec adoptio; vnde humanitas Chriſti, nec filia Dei naturalis, nec adoptiua dici poteſt. *Et Ratio eſt*. D. Th. quia filiatio eſt Proprietas perſonalis. Sed in Chriſto non eſt alia perſona niſi Filii Dei, qui quidem eſt naturalis. ergo non conuenit naturæ. *Præterea* Omne illud quod dicitur per ſe, nõ dicitur participatiuè. Sed filiatio a-

filiatio adoptionis eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis, & ſic cum Chriſtus ſit per ſe naturalis Dei filius non erit adoptiuus. Hæc eſt autem genuina ratio. ob quam Chriſtus dicitur eſſe filius Dei naturalis, quia humanitas eius perſonaliter eſt vnita ſuppoſito Filii Dei, & ideo Chriſtus eſt filius Dei naturalis.

DISPVTATIO XXIV.

De Prædeſtinatione Chriſti.

1. PVlchram quidē ſed ſub difficilem cōtrouerſiam habet, quam breuiter enucleandam ſuſcipimus reuocantes eam ad quatuor Dubia.

Chriſto cōuenit eſſe prædeſtinatum.

DVBIVM primum. *An Chriſto conueniat prædeſtinatum eſſe?* Reſpondeo affirmatiuè. *quod conuenit?* PROBATVR ad Rom. 1. *De filio ſuo qui factus eſt illi ex ſemine Dauid, qui prædeſtinatus eſt filius Dei.* Et hæc verba loquuntur de Chriſto ſecundùm humanitatē, ſeu de illo homine qui eſt Chriſtus. Et 1. Corinth 2. *Agnus immaculatus præcognitus ante mundi conſtitutionem.* Et Ratio eſt D. Thomæ. Prædeſtinatio

Prædeſtinatio quid?

propriè accepta eſt quædam Diuina præordinatio ab æterno de his quæ per gratiā Dei in tempore ſunt futura Sed per gratiam vnionis factum eſt à Deo in tempore quod homo eſſet Deus, & Deus eſſet homo, idque Deus ab æterno præordinauit ſe in tempore facturum. ergo Chriſto conuenit prædeſtinari.

2. *Nota* quòd Perſonæ Chriſti quādo prædeſtinatio attribuitur, non ſic intelligendum quaſi conueniat ſecundùm quod ſubſiſtit in natura Diuina, ſed ſecundùm quòd ſubſiſtit in natura humana. *Præterea* quia omnis filiatio tam naturalis quàm adoptiua, eſt tantùm ſuppoſiti. ſed omnis prædeſtinatio eſt ad filiationem aut ad naturalem aut ad adoptiuam. ergo per ſe prædeſtinatio non conuenit naturæ. Dici tamen poteſt conuenienter, *quòd humana natura ſit prædeſtinata*, nam benè dicimus, quòd anima ſit prædeſtinata. ergo etiam benè dicimus quòd & natura ſit prædeſtinata. *Tum* Sicut Petrus & anima Petri, eadem prædeſtinatione prædeſtināturːita Chriſtus & humanitas etiam ſimul prædeſtinantur. Sed cum ea differentia quòd Chriſtus primò & per ſe, humanitas ſecundariò & cōſequēter.

3. DVBIVM ſecundùm. *An Chriſtus ſecundùm quòd homo eſt prædeſtinatus vt eſſet filius Dei?* Reſpondeo affirmatiuè, *quòd ſic eſt prædeſtinatus.* PROBATVR. Prædeſtinatio duo includit. *primò* ex parte prædeſtinationis æternæ, antecedens id quod cadit ſub prædeſtinationem: *ſecundò* includit effectum gratuitum & temporalem. ſed ſecundùm vtrumq; attribuitur Prædeſtinatio Chriſto, ratione naturæ humanæ. nam natura humana non ſemper fuit vnita Verbo. *Tum* & per gratiam Dei habet, quòd Filio Dei in perſona ſit vnita. ergo cōuenit ei vt ſit Filius Dei naturalis.

Prædeſtinatio quæ includit

Inſtabis:

Obiectio cũ ſolutione.

Inſtabis. ergo Chriſtus ſemper exſtitit. *Reſpondeo.* ſi per nomen CHRISTI intelligamus id quod ſubſiſtit in Diuina Eſſentia per æternam generationem, tunc verum eſt, quòd ſemper exſtiterit, & ſic non eſt prædeſtinatus. ſed ſi nomine CHRISTI, id ſignificetur quod ſubſiſtit in natura humana per generationem tẽporalem, & ſic Chriſto cõuenit prędeſtinari, & in hoc ſenſu ſumimus hic Chriſtum.

Quomodo Chriſtꝰ poſſit dici abſolutè prædeſtinatus?

4. *Nota primò.* quòd Chriſtus ſine addito v. ſine hoc *ſecundùm quòd homo*, poteſt abſolutè dici prædeſtinatus. *Probatur.* quia quando aliquod prædicatum natum eſt conuenire ſubiecto ſecundùm ſe totum, tunc nõ prædicatur de illo abſolutè, ſed ſecundùm quid: vt cùm dico *Æthyops albus*, albedo quia toti ſubiecto & non tantùm dentibus nata eſt conuenire, ideò abſolutè non eſt dicendum quòd *ſit albus*, ſed cum addito *ſecundùm dentes.* ſed quando eſt tale prædicatum, quod natum eſt conuenire ſubiecto ſecundùm partem, & non conuenit ſecundùm totum ſubiectum, de illo abſolutè prædicatur: vt *Criſpum eſſe* nõ conuenit toti ſubiecto hominis, ſed ſecundùm capillos, vnde abſolutè dicimꝰ quòd *ſit criſpus.* ita quoq; ad præſẽs dicimꝰ quia prædeſtinatio non poteſt Chriſto conuenire niſi ratione humanæ naturæ, ideo propoſitio *Chriſtus eſt prædeſtinatus*, abſolutè eſt concedenda; quia eſſe prædeſtinatum, ſolùm ratione naturæ humanæ conuenit.

Nota ſecundò non poſſe dici abſolutè de Verbo & de Filio Dei, *quòd ſit prædeſtinatus*, ſed cum hoc addito *vt eſſet Caro, vel vt fieret homo.* & *ratio eſt* nã prædeſtinatio eſt gratuitorũ, nõ autẽ neceſſariorũ. ſed ex doctrina de Trinitate cõſtat omnes Proceſſiones Diuinas, quæ cõſtituũt perſonas Diuinas inter quas eſt Perſona Verbi ſeu Filij Dei, ſũt neceſſariæ. ergo illis abſolutè nõ conuenit prædeſtinari.

Ad quid Chriſtus Dominꝰ eſt prædeſtinatus?

5. *Sed quæres.* ad quid Chriſtus eſt prædeſtinatus? *Reſpondeo* primò & per ſe eſt prædeſtinatus, vt eſſet Filius Dei naturalis. Secundariò & conſequenter eſt prædeſtinatus ad gloriam animæ, & ad alia dona ſupernaturalia. hoc colligimus ex 1. ad Rom. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* & in his verbis eſt primarius terminꝰ Prædeſtinationis Chriſti: cùm verò addit *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, ſecundarium terminũ exprimit, vt nimirum ſit ſanctus & ſanctificator aliorum.

Nota hoc Dictum, *Chriſtus ſecundũ quòd homo eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei.* ſic explicandum eſt, vt particula (*ſecundùm quod homo*) non ſumatur reduplicatiuè, hoc eſt, quaſi natura humana ſit ratio formalis, aut cauſa quòd Chriſtus ſit prædeſtinatus, vt eſſet Filius Dei naturalis: nam ſic omnis homo eſſet Filius Dei naturalis prædeſtinatus, quod eſt falsũ. ſed ſumi debet ſpecificatiuè, v. quia deſignat naturam humanam eſſe ſuſceptiuam effectus prædeſtinationis. ſicut cùm dicimus hominem eſſe cripſum ſecundùm capillos, nõ eſt intelligendum quòd capilli ſint cauſa, quòd homo ſit criſpus, nam ſic quilibet habens capillos eſſet criſpus, ſed ſignificat ſubiectum ſuſceptiuum criſpitudinis.

6. DVBIVM tertium. *An Chriſti prædeſtinatio ſit exemplar noſtræ prædeſtinationis?* Reſpondeo. *ſi Prædeſtinatio conſide-*

conſideretur reſpectu actus prædeſtinantis, ſic non eſt exemplar. noſtræ prædeſtinationis. RATIO, quia Deus vno & eodem actu æterno ſuæ prædeſtinationis, & nos & Chriſtum prædeſtinauit. *Si verò prædeſtinatio ſumatur reſpectu termini ſeu effectus, ſic Chriſti Prædeſtinatio eſt cauſa exemplaris noſtræ prædeſtinationis.* Primò quantum ad bonũ ad quod prædeſtinamur. nam Chriſtus ad hoc prædeſtinatus, vt eſſet filius Dei naturalis, nos autem prædeſtinamur ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participatio naturalis filiationis. ſecũdò eſt cauſa exemplaris, quoad modum conſequendi hoc ipſum bonum, quia Chriſtus eſt id conſecutus per gratiam vnionis excludentem omne meritum; nam natura humana vnita eſt in Chriſto, nullis eius præcedentibus meritis. nos autem conſequimur per gratiam includentem meritum Chriſti, nam de eius plenitudine nos accepimus. Hoc innuit Scriptura cùm dicit: *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes imagini Filij ſui.* & D. Th. in lib. de Prædeſt. SS. cap. 15. dicit: *Nullum illuſtrius exemplar exſtare noſtræ prædeſtinationis, quàm quod ſit mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.*

Quomodo prædeſtinatio ſit exẽplar noſtræ prædeſtinationis.

7. DVBIVM quartum. *An Chriſti Prædeſtinatio ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis?* Reſpondeo cum D. Th. eandem reſolutionem quam ſupra attuli reaſſumendo, *quòd Prædeſtinatio ſumpta ex parte actus Dei prædeſtinantis, ſic non eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis* (quia vt iam dictum) vno eodemq; actu & nos & Chriſtus ab æterno prædeſtinati ſumus. *Si verò Prædeſtinatio ſumatur ex parte termini prædeſtinationis, hoc eſt electorum, ſic Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis.* PROBATVR. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. & prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſti.* Ex his locis ducit argumentum D. Th. tale. Deus prædeſtinauit noſtrã ſalutem ab æterno, prædeſtinando vt per Chriſtum compleretur. nam ſub prædeſtinatione non ſolùm hic includitur quod eſt in tempore futurum, ſed etiam modus & ordo ſecũdum quòd illud fieri & cõpleri vult ſed voluit per Chriſtum noſtram prædeſtinationem eſſe completam. ergo Chriſtus cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Quomodo prædeſtinatio ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis?

8 *Nota* quòd Chriſtus ſecundùm quòd Deus eſt, eſt cauſa efficiens principalis cum Patre & Spiritu S. noſtræ prædeſtinationis, ſecundùm quòd verò homo, eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis tripliciter: *Primò* in genere cauſæ finalis, nam vt dicit Concil. Trident. ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap 7. *Cauſa finalis noſtræ iuſtificationis eſt gloria Dei & Chriſti. ſecundò* in genere cauſæ exemplaris (vt iam dictum) *Tertiò* in genere cauſæ efficientis inſtrumẽtalis. Deus enim ab æterno decreuit, vt ſalus noſtra in tempore perficeretur dependenter ex meritis Chriſti. vnde dicit: *Sine me nihil poteſtis facere.* *Sed dices* Beneplacitum Diuinæ voluntatis eſt ſola cauſa noſtræ prædeſtinationis. ergo non Chriſtus. *Reſpondeo,* quòd noſtra prædeſtinatio ſi ſumatur vt includit Chriſti prædeſtinationem, & ſic in ſolam voluntatem Dei reijcienda eſt. ſi verò ſumatur noſtra prædeſtinatio ſecundũ ſuam propriam & præciſam rationem à Prædeſtinatione Chriſti, ſic iam noſtra prædeſtinatio pendet à Chriſti

Chriſtus ſecũdũ quòd homo eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis tripliciter.

Obiectio.

Solutio.

Prædeſti-

Prædeſtinatione. nam hæc fuit Diuina ab æterno prępordinatio, vt nos in Filio ſuo eligeret, prædeſtinaret. vocaret, iuſtificaret, & glorificaret,

DISPVTATIO XXV.

De Adoratione Chriſti.

1\. DE Chriſti Adoratione ſecundũ D. Th. diſpoſitionem ſex attingemus. *primò* An Diuinitas Chriſti & eiuſdem Humanitas ſit eadem adoratione adoranda? *ſecundò* An Chriſti Humanitas ſeu Caro cultu latriæ ſit adoranda? *tertiò* An etiam Imago Chriſti? *quartò* An etiam illius Crux? *quintò* An etiam eius glorioſa Mater? *ſextò* An deniqúe Reliquiæ Sanctorum adorandæ? ad hæc ſex Dictis reſpondebimus.

Chriſti Diuinitas & Humanitas vnâ eademque adoratione eſt adoranda.

Ad primum dico. *quòd Chriſti Diuinitas & Humanitas vnâ eademq́; adoratione ſit adoranda.* antequam Dictum confirmemus.

Adoratio quotupliciter ſumitur

Nota quòd hoc vocabulum *Adorare* ſeu *Adoratio* ſumitur dupliciter. *primò* latè inquantum ſignificat honorem quem creaturis exhibemus: & in hoc ſenſu nihil aliud eſt adoratio quàm exhibitio honoris alicui creaturæ propter illius excellentiã: & ſic legimus Geneſ. 23. quòd Iacob Patriarcha fratrem Eſau adorauit. *Tum* & vxores ſuas & liberos eundem adorare fecit. & Ioſeph de ſuo ſomno confeſſus, quaſi eum ſol & luna cũ ſtellis adorarẽt. *ſecundò* ſumitur ſtrictè, vt ſignificat cultũ quẽ Deo debemus, & ad eundem defendum obligamur. Matt. 4. *Dominũ Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Scias autem particulam excluſiuam (*Soli*) non eſſe additam primæ parti quæ loquitur de adoratione, eò quòd quilibet ſine culpa poſſit alias creaturas præter Deũ adorare, ſed poſteriori nimirum *& illi ſoli ſeruies* additã eſſe; ita quòd nullꝰ noſtrũ poſſit licitè & abſq; culpa idololatriæ cultum Deo debitũ impẽdere, & hoc volunt verba *ſoli ſeruies* illa ſeruitute quæ Deo eſt debita.

Adoratio ſtrictè ſumpta quotuplex eſt?

2\. *Nota ſecundò*, quòd adoratio ſtrictè ſumpta triplex eſt. *prima* latriæ, quæ ſignificat cultum ſoli Deo debitum propter eius excellentiam ſummam, infinitam, increatã, & propter Dominium vniuerſale, quod habet in omnes creaturas. *ſecunda* eſt Duliæ, quæ ſignificat cultum quem Sanctis Dei propter illorum excellentiam creatam, & à Deo ſibi conceſſam deferimus. *tertia* eſt Hyperduliæ, hæc ſignificat cultum quem debemus eminentioribus Sanctis, & inter hos & ſuper hos Beatiſſimæ Virgini, propter ſummas excellentias pręrogatiuarum. His præmiſſis.

Adoratio Latriæ.

Adoratio Duliæ.

Adoratio Hypduliæ.

PROBATVR *quòd eadem adoratione Diuinitas & Humanitas Chriſti ſit adoranda.* quia adoratio perſonæ debetur. ſed in Chriſto licet ſint duæ Naturæ, vna tamen eſt Perſona. ergo etiam vna & eadem eſt adoratio. *Deinde* Synodus S. (vt S. Doctor illius verba adducit) ſic dicit: *Si quis in*

duabus Naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duæ adorationes introducuntur, ſed nō vna adoratione Deum Verbum incarnatū, cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Eccleſiæ traditum eſt, anathema ſit. *Præterea* honor toti rei ſubſiſtenti exhibetur, nam non manus hominis ſed totus homo honoratur, & ſic quando manui aut pedi fit adoratio hæ partes non ſecundum ſe honorantur, ſed in illis totum. & ſic quia in Chriſto vnum ſuppoſitum, idcirco vna adoratio ex parte rei quę adoratur, ex parte autem cauſæ nimirū ſapientiæ, bonitatis, &c. poſſunt dici plures adorationes.

Humanitas Chriſti cultu latriæ eſt adoranda.

3. Ad ſecundum dico. *Humanitas Chriſti vt res adorata, ſeu inquantum eſt vnita Verbo, cultu latriæ, qui eſt ipſius Dei, adoranda eſt.* ita Damaſ. docet in 3. lib. Orth. fid. c. 3. *Adoratur autem Caro Chriſti in incarnato Verbo Deo, nō propter ſeipſam, ſed propter Verbum, & ſecundum hypoſtaſim Verbi,* & Pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius.* & gloſſa dicit: *Qui adorat Corpus Chriſti, non terram intuetur ſed illum potius cuius ſcabellum eſt, & cuius in honorem ſcabellum adorat.* Et *Ratio eſt,* quia adorare Chriſti Humanitatē nō eſt aliud ſecūdū ꝓprietatē ſermonis quàm adorare ipsum Dei Verbum quod eſt Caro factum, & humanatum, quæ adoratio cùm exhibetur Perſonæ Verbi, eſt illa ipſa quæ Deo debetur, v. Latriæ. ergo & Humanitas Chriſti cultu latriæ adorāda. *Præterea* Humanitas Chriſti vnita Verbo habet Esse Perſonæ Diuinę, quod qdē eſt Diuinū. Ergo cū habeat Esse Diuinū, cultu latriæ eſt adorāda. vnde in illo triduo & Corpꝰ Chriſti, & ipſa Anima eiꝰ adorari debebāt cultu latriæ, quia à Diuino Esse nō erant dimiſſa. *Item* idipſum vſus Eccleſiæ confirmat, quo vtitur in Corpore & Sanguine Chriſti adorando.

4. Dico ſecundò. *Humanitas Chriſti dimiſſa ſi ſumatur ſeorſim à Verbo Diuino, inquantum ſeparata eſſet ab illo, qualis nec eſt, nec vnquam erit: ſic dimiſſæ non debetur cultus latriæ, ſed hyperduliæ, propter donorum & gratiarum quibus eſt adornata excellentiam.* Ita D. Th. hic art. 2. in reſp ad 1. dicit: *Sic intellectæ & ſeparatæ à Dei Verbo deberetur ſibi adoratio Duliæ, non cuiuſcunq; (puta quæ communiter exhibetur aliis creaturis) ſed cuiuſdam excellentioris, quam Hyperduliā vocant.* Et *Ratio eſt,* quia Humanitas ſeparata à Perſona Verbi, creatura eſt, & iam non habet Esse Diuinum, vnde cultu Diuino non debet adorari. ideo D. Aug. ſerm. 58. de verbis Domini dicit: *Si hominem à Deo ſeparauerit, nunquam illi credo, nunquam illi ſeruio ſicut cùm quis diadema Regis aut purpurā iacentem inueniret, hæc adorare non tenetur. ſed cùm vtraq; Rex induerit, & ſi quis ea vna cum Rege adorare contemneret, capitale eſſet.* & D. Ambroſ. de obitu Theodoſij dicit: *Helena inuenta Cruce, non illam adorauit, quia hic eſt gentilis error, ſed adorauit illū qui pepēdit in ligno.*

Hic notamus, quòd hoc exemplum non prorſus quadrat rei præſenti; nam veſtis hominis non habet Esse hominis, ſed ſuum proprium, & ſic duo ſunt ſuppoſita, ſed in Chriſto contrarium eſt, ſiquidem humanitas Chriſti idem habet Esse, quod Perſona Verbi. Quidam ſic dicunt, quòd Humanitas Chriſti dimiſſa à Verbo Diuino ſi ſe explicaret in ſuū humanum ſuppoſitum, tunc illi cultus latriæ non eſſet reddendus. ſi autem illa Humanitas dimiſſa non vendicaret ſe in ſuam perſonam, & ſic eſſet tan-

eſſet tanquam pars Chriſti. vnde Diuino honore deberet adorari. *Et Ratio eſt*, quia honor ſimplex & abſolutus Toti ſubſiſtenti exhibetur. ſed Humanitas à Verbo ſeparata non eſt ſubſiſtens totum, hoc eſt Chriſtus. ergo illi cultus latriæ non debetur.

Nota iſtas abſtractiones, de quib⁹ iam dictum in re, præſertim grauiſſima non eſſe admittendas, ne forte occaſio ſcãdali aut idololatriæ alicui præbeatur, cùm à parte rei ſemper homo eſt Deus, & quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſſurus eſt.

Imago quid ſit?

5. AD tertiũ quod eſt de cultu imaginũ, antequã reſpõdebo. *Noto* quòd Imago (vt inqt Damaſ. orat 3. de imaginibus) eſt ſimilitudo ſeu effigies, quæ illũ in ſe, cuius eſt imago, exprimit. & ideo ab idolo differt, quòd Imago quaſi ab imitãdo dicta rei ſubſiſtẽtis, eſt illius expreſſa ſimilitudo Idolum verò eſt illius rei, quæ aut ſimpliciter non eſt, aut non eſt talis cui adoratio debeatur. & ſic Apoſt. inquit 1. Corinth. 8. *Idolum nihil eſt*, v. quoad formam & quo ad naturam, quæ ab idololatris creduntur ibi eſſe. Hoc præmiſſo

Quælibet imago Chriſti quando cultu latriæ eſt adoranda?

Dico *quælibet imago Chriſti, quatenus illum ſimul cum ipſa cogitatione apprehendimus, ſupremo cultu latriæ adoranda eſt.* PROBATVR, quia vt ſic ratio adorationis eſt ipſe Chriſtus. ſed Chriſto debetur cultus latriæ. ergo & imagini ſic apprehenſæ. *Item* Relatio accipit ſpeciem à termino. atqui terminus adorationis imaginis eſt Chriſtus, quẽ cultu latriæ veneramur. *Deinde* idem eſt motus animæ in imaginem & in exempla. ſed exẽplari v. Chriſto debetur cultus latriæ, ergo & imagini illius. & Synodus ſexta actione 4. dicit: *Is qui adorat imaginem Regis & Regem, adorare nõ imaginem ſed Regem.* & ibid. dicitur non eſſe duas adorationes Imaginis & Prototypi, ſed vnam eandemque, & qui colit imaginem exiſtimat ſe non imaginem ſed prototypum eiuſdem adorare. ad hoc faciunt verſus in ſeptima Synodo compoſiti.

Hoc Deus eſt, quod imago docet, ſed
non Deus ipſa,
Hanc videas, ſed mente colas, quod
cernis in ipſa.

Quãdo imagines nullũ cultum poſſint habere

Ex quo collige quòd imagines ſine reſpectu ad exemplar nullum cultũ poſſunt habere. *Et ratio eſt*, quia imagines in ſe præcisè ſũptæ, nõ ſũt rationis capaces, vnde nec honoris nec alicuius reuerentiæ, quæ ratione præditis debetur, erunt capaces.

Imagines ad quid ſũt inſtitutæ?

6. *Sed quæres.* Ad quid imagines ſunt inſtitutæ? *Reſpondeo* Vt Deum noſtrum in carne animis noſtris obiiciant, ad pietatem excitent, & in memoriam beneficia eius reuocent. *Secundò* vt plebem rudem inſtruant nam D. Greg. epiſt. 9. lib. 9. dicit. *quòd legẽtibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura. Tertiò.* quia vehementiùs animũ excitãt. *quartò.* quia hoc ipſo amoris noſtri indicia in eum proteſtamur, cuius imagines aſſeruamus.

Ad cultum imaginũ eſt præceptum obligans affirmatiuũ.

Quæres rurſus. An ad cultum imaginum eſt aliquod præceptum obligans? *Reſpondeo* Eſſe, & affirmatiuũ quo pro loco & tempore ad eas venerandas obligamur: Eſſe quoque & negatiuum prohibens, ne indecentia afficiantur, aut illorum cultus prohibeatur.

Crux Chriſti adoranda cultu latriæ.

7. AD quartum Dico. *Crux Chriſti, in qua paſſus & ſalutem noſtram operatus eſt, quamcunq; formam aut quantitatem reti-*

tem retineat adoranda eſt cultu latriæ. Et hoc duplici de cauſa. *Primo* Inquantum nobis repræſentat figuram Chriſti, in ea crucifixi. *Secundò* ꝓpter contactũ ad mẽbra Chriſti, & quia Chriſti Sãguine cõſperſa eſt: & ob hunc cõtactum omnia alia quæ Chriſti contingebant corpus, ſunt adoranda, vt claui, veſtes, lancea, præſæpè &c. labia tamen Iudæ ob contactum ex oſculo, non ſunt adoranda. *Et ratio eſt.* Quia res ex contactu ad membra Chriſti illa adorãda, quæ ſanctitatem aliquomodo participat. Sed labia Iudæ nullam ſanctitatem participarunt, quia crimine proditionis & auaritiæ polluta fœtebant. Vnde Damaſ. Orat. 3. de Imaginibus cap. 4. dicit. *Non adoro Iudæos, neq; enim actionũ Diuinæ participes exſtiterunt, neq; Dominum Deum meum eo conſilio affixerunt cruci, vt mihi ſalutem parerent, ſed inuidia potius & odio.*

Quando crux quælibet præter ſanctam cultu latriæ adoranda?

Præterea addo. *Crux quælibet præter ſanctam, ſi ſumatur vna cum Chriſto crucifixo, cultu latriæ adoranda.* ET *ratio eſt.* Superius docuimus Imaginem Chriſti debere adorari cultu latriæ, quandocunque totus Chriſtus & imago illius ſunt obiectum materiale illius adorationis ſimul & ſemel: & quando adorandi ratio eſt excellentia Chriſti. Atqui crux eſt verè imago Chriſti, & adoratur vna cũ ipſo. ergo tribuenda illi adoratio latriæ.

Obiectio hæreticorũ

8. *Sed obiiciunt hæretici.* Filii quorum pater ſuppliciopatibuli eſt affect⁹, habent illud exoſum, ita quod illud cõſpicere abominentur. ergo idem de cruce dicendum, in qua Saluator noſter ignominioſè paſſus & mortuus eſt. *Reſpondeo.* Merito illos

Solutio ei⁹dem.

filios abhorrere à ſupplicio ignominioſo patris, quia & parenti & illis & toti familiæ ignominiam attulit: ſed ſi pater illorum tale genus mortis adeat, quod quamuis eſſet cruẽtum & ignominioſum, per hoc tamen ſummam gloriam & dignitates in Republica conſequerentur, profecto illud in ſumma veneratione haberent. Idem de Chriſti cruce dicendum, ſummà dignam eſſe veneratione, quia per eamà ſeruituteDiaboli & peccati liberati ſumus, & æternam hæreditatem adepti. Iuxta illud ad Hebræos 10 *Vna oblatione ſiti licet in ara crucis conſummauit in æternũ ſanctificatos.*

Rurſum inſtabis. Si propter contactum ad membra Chriſti crux eſt adoranda, ergo & manus percuſſoris, quæ colaphum Chriſto impegit. Ergo & Aſina in qua ſedit quando Ieruſalem eſt ingreſſus. *Reſpondeo* Manum percuſſoris etiamſi ſacram Chriſti faciem violenter attigerit, non eſſe adorandã, ne hoc facinus quod is admiſit videamur approbare. Aſinam verò ideo non adoramꝰ ne honorem Deo debitũ videamur brutis more Ethnico impendere. *Deniq;* Quia ratio imaginis & reliquiarum Chriſti nullum in brutis habent locum.

Quare manus percuſſoris & Aſina non ſunt adorandæ?

9. *Sed quæres.* An ſicut alias cruces repræſentãtes illam ſanctam in qua Chriſtus paſſus, adoramus, etiam clauos, lanceas, ſpongias, repræſentantes illas, quæ ſanctã Chriſti Humanitatem attigerunt, adorare debemus? *Reſpondeo* Ideo cruces repræſentantes ſacram, adoramus quia ad hoc ex inſtitutione Eccleſiæ ſunt aſſumptæ. Sed quia claui, lãcea ſpongia, flagella, non aſſumuntur ex Eccle-

Claui, lancea &c. q̃ adorandæ & q̃ non?

ex Eccleſiæ inſtitutione, vt per alia repræſentari poſſint, ideo non debent adorari. Si verò ſimul & inſtrumenta paſſionis vnà cum cruce in eadẽ tabella depingãtur, iã tũc adorari debẽt, quia ex authoritate Eccleſiæ ſunt repræſentãtes paſſionem Chriſti.

Sanctiſſima Virgo cultu latriæ non eſt adoranda.

10. Ad quintum dico. *De cultu Glorioſiſſimæ Virginis, quòd cultu latriæ nõ ſit adoranda.* Ratio. quia cultus latriæ Deo conuenit, & B. Virgo non eſt Deus. *Ratio ſecunda.* quia neq; vt eſſet imago, ex Eccleſiæ conſenſu deſignata eſt ad Deum repræſentandum.

Pro quo tẽpore Beatiſſima Virgo debuit adorari cultu Latriæ?

Nota pro eo tempore quo B. Virgo in vtero ſuo geſtabat FiliumDei, debuit Latria adorari, & ſi cui reuelatum fuiſſet pro tũc hoc myſteriũ, obligabatur ad adorationẽ latriæ, & hic eodem cultu veneraretur, & Filium Dei & Matrem eius, quia tũc Filius Dei erat pars Matris.

Quo cultu debeat adorari Beatiſſima Virgo.

Dico autem quòd *debuit adorari cultu Hyperduliæ.* Probatur cultus hyperduliæ illis debetur Sanctis, in quibus ſuper alios maior excellentia gratiarum, virtutum inuenitur. ſed talis excellentiæ fuit B. Virgo. ergo cultu hyperduliæ adoranda. *Item* quia eſt Mater Dei. ergo ſuper omnes Sanctos venerãda. *Tum* quia B. Virgini hæc magnifica nomina ſuper alios tribuuntur, quòd ſit Regina *cæli*, Mater *miſericordiæ*, Vita, Salus, & Spes *noſtra*, non quòd illa ſit primaria cauſa vitæ, ſalutis, & ſpei, ſed quia per illã factũ eſt, vt vita, ſalus, & ſpes ad nos peruenirct, & quotidie peruenit illius hoc poſtulantibus meritis.

11. *Sed quæres* cur Chriſti Crux cultu latriæ adoratur, Beata autem Virgo non item? *Reſpondeo* quia B. Virgo vt creatura rationalis ſecundum ſe capax eſt honoris, ideo illo cultu eſt colenda, qui ei ſecundum ſe conuenit, & talis eſt hyperdulia: Crux autẽ cùm ſit inſenſibilis ſecũdum ſe non eſt capax honoris, niſi ratione Chriſti coniuncti vel repræſentati. Id tamen hic notam⁹, quòd B Virgo ratione coniunctionis quã maximam cum Chriſto habuit, adoranda cultu latriæ, & quidem maiori quàm crux aut imago: quia hæc coniunctio longè erat maior, ſiquidem ex ea carnem aſſumpſit, quàm crucis aut præſepis, quæ illius carnem attingebant.

Quare Crux Chriſti adoratur cultu latriæ Beatiſſima Virgo non itẽ?

Dices. ergo B. Virgo abſolutè adoranda cultu latriæ ſicut Crux. *Reſpondeo* longè illuſtrior eſt cultus B. Virginis cùm adoratur hyperduliâ ob excellentiſſimas illius virtutes, quàm cùm adoratur cultu latriæ ex coniunctione ad Chriſtum. & hoc iudicio Chriſti Domini verum eſt, cùm enim poſt Chriſti concionẽ exclamauit quædam mulier: *Beatus venter qui te portauit.* loquebatur de coniunctione B. Virginis ad Filium, & Saluator reſpondit: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Ex quo colligunt interpretes huius loci longè fuiſſe beatiorem B. Virginem, quando omnia verba Chriſti in corde ſuo ſeruabat & diſponebat, & voluntatem ei⁹ ſuper omnes creaturas perfectiſſimè adimplebat.

Reliquiæ Sanctorum ſunt colendæ. qd Reliquiarũ nomine intelligendũ?

12. Ad ſextum dico. *De fide eſt Reliquias Sanctorum eſſe venerandas.* nomine Reliqviarvm intelligimus, non tantum corpora eorumq; partes, ſed etiam illa omnia, quæ vel ipſis coniuncta fuerunt, vt veſtes,

 aut qui-

aut quibus vſi ſunt dum hic viuerent, vt ſunt inſtrumenta. PROBATVR ex Sacra Scriptura. Tùm quia corpus Moyſis ſepeliuit De⁹ per manus Angelorum, cui ſepulturæ interfuit Michael Angelus, vt ex epiſtola Iudæ colligitur. *Tum* quia Iudæi ex Ægypto recedentes oſſa Ioſephi ſecum aſportarunt. *Tum* oſſa Elizei Prophetæ per contactũ, mortuum ſuſcitarunt. *Item* Elizeus pallio Eliæ Iordanis aquas diuiſit. *Item* fimbria Chriſti fluxum ſanguinis ſanavit. *Deniq;* vmbra S. Petri ægrotis ſanitatem conferebat. *Et ratio eſt,* quia corpora Sanctorum erant membra Chriſti, templa Spiritus S. habitaculum animarum ſanctarũ, & quæ habitura ſunt conſortium æternæ beatitudinis. ita D. Auguſt. de dogm Eccl. c. 73. *Beatorũ Martyrũ reliquias, vt acſi Chriſti eſſent membra venerandas, & Baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta Diuino cultui mancipata affectu piiſſimo, & deuotione fideliſſima adeundas credimus, ſi quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur.* Hinc collige, quòd cùm Sancti ſint mẽbra Chriſti, cõſequens eſt vt honor, qui illis exhibetur, in Chriſtum referatur. Corollarii.

Et de Myſterio quidem Incarnationis propoſitis Diſputationibus noſtris quæ maximam in ſe difficultatem habebant; hîc feliciter finem imponimus. Deo interim, cuius honori diuino hæc omnia dicata eſſe volumus, pro nobis Incarnato cum Patre & Spiritu S. ſit laus, & gloria. ſit quoq; honor immaculatæ Matri eius ſemper Virgini, ſtudiorum noſtrorum Patronæ, cuius opem in noſtri ingenij tenuitate ſupplices implorauimus & experti ſumus.

AMEN.

IN-

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
Quæ in hoc Opere continentur.

Numerus paginam A columnã primam. B. ſecundam *indicat.*

ABraham *duo Filij quid ſignificent?* 91. b. Abſtractiones *ſcientiarum quot ſunt.* 44. a.

Abſtractum *ſubſiſtens non plurificatur.* 436. b.

Actio *coniuncta cum motu eſt realiter diſtincta à ſuo principio, at vero ſine materia & motu; minimè.* 318. b. *in diuinis procul eſt, vt à cæteris perfectionibus, ita à qualitatibus, & cauſalitate.* ibid. *inter intellectus & voluntatis actionem diſcrimen.* 331. a. *Diuinarum Perſonarum alicui conueniens quomodo debet conuenire actio.* 333. b. *Diuina quotupliciter conſideratur.* 168. a *Vitalis actio pendet à principio vitali.* 410. b. *nec à quopiam alio niſi ab illo produci poteſt.* ibid. *tranſiens & immanens quo differunt.* 411. a. *Actiones Angelorum tranſeuntes menſurantur tempore.* 434. b. *Actio rei differt à ſubſtantia rei.* 436. a. *terminus eius quotuplex? Actiones quædam factiuæ quædam vnitiuæ.* 580. b.

Actus *volendi & intelligendi æqualiter omnibus tribus Perſonis conueniunt.* 321. a. *vbi ſunt diuerſi ibi & diuerſæ potentiæ.* 438. b. *quomodo ſibi ſubordinentur, vel non.* 492. a. *Actus voluntatis proportionatur actui intellectus.* 496. b. *Actus fidei eſt cũ obſcuritate, beatitudinis cum claritate.* 507. b. *Charitatis ſupernaturalis & viſionis beatificæ quomodo ſit finitus vel infinitus?* 548. b.

Adam *cur Deus permiſit peccare?* 283. b. *data fuit ei iuſtitia & gratia ad exercenda opera.* 504. a.

Admiratio *in Chriſto vnde proueniebat.* 618. b.

Æternitatis *deſcriptio.* 164. b. *ad noſtrum tempus habet ſe vt communis menſura.* ibid. *eſt menſura Diuinæ cognitionis.* 167. b. *ambit tempus cum omnibus menſuris.* 169. a. *æterna nec prius nec poſterius habent.* 250. a.

Agentis *& conſentientis eadem eſt pœna.* 519. a.

Alius *importat diſtinctionem ſubiecti;* aliud *diuerſitatem naturæ.* 359. a.

Amor *amicitiæ quomodo ſit malus.* 520. b. *per voluntatem producitur.* 526. a. *ſecundum rem verè terminat non tamen ſecundum modum.* ibid. b. *in Diuinis ſumitur & eſſentialiter & perſonaliter.* 371. a. *Pater & Filius ſe amando producunt Spiritum S.* ibid. *idq́; perſonaliter ſe diligendo.* ibid. b. *Amor ſeu dilectio neceſſariò in Angelis eſt concedenda.* 494. a. *& eſt illis naturalis.* ibid. *non tamen neceſſaria.* 494. b. *Amor neceſſarius & electiuus quid.* 495. a. *Angelus & rationalis creatura magis inclinatur ad amandum Deum quàm ſeipſum.* 497. a. *Amor ſuus dum amori Diuino præfertur eſt peruerſus & rationi contrarius.* ibid. b. *Amor concupiſcentiæ inordinatus non poteſt reduci ad peccatum luxuriæ.* 521. a.

Angelus *& eius Eſſentia ſeu Subſtantia. Angeli nomen præter officium naturam ſignificat & cur.* 387. a. b. *Exſiſtentia Angelorũ non poteſt demonſtrari.* 388. a. *à Deo liberè vt à cauſa producti.* ibid a. *ſunt deſtinati ad cuſtodiam hominum & miniſterium* 389. a. *cur dari eos in vniuerſo oportebat* 390. b. *&* 391 b. *Carent materia ex qua* 392. b. *habent materiam in qua.* 393. b. *Datur in eis compoſitio ex eſſe & eſſentia,* 394. a. *&* b. *Multitudine ſunt innumerabiles.*

rabiles. 395. a. *an ſpecie vel numero differunt non eſt de fide. 398.* a, *omnes inter ſe ſpecie differunt potius quàm numero ſub vna ſpecie.* ibid. b. *ad ſui conſeruationem indiuiduorum multiplicatione Angelus nō indiget. 399.* a. *quilibet eſt Vnum numero in ſua ſpecie.* ibid *Forma Angelica dupliciter poteſt conſtituere indiuiduum. 399 b. Angeli ſunt durabiles in perpetuum. 402.* a. *ſubſtantia eorum caret omni contrarietate.* ibid. a. *Eſſe in eis eſt actus; eſſentia verò potentia. 402.* b. *habent formas ſubſiſtentes* ibid. *bonis Angelis parata præmia æterna, ſupplicia verò malis.* ibid. *ab extrinſeco ſunt corruptibiles 403.* a. *eſſe Angeli eſt intra eſſentiam Angelicam 438.* a. *non natura ſed gratia incorruptibiles* ibid. a. *quomodo ſunt incorruptibiles 403.* b. *non habent corpora 404.* a. *non ſumunt ſcientiam à ſenſibus 405.* a. *Subſtantia eorum non eſſet ſufficiens ad omnia perfectè cognoſcenda 441.* a. *Eſſentia Angeli eſt finita 442.* b. *& in eſſe & in fieri, & in conſeruari pendet à Deo 444.* a. *Superior magis debet æmulari perfectionem Diuinã 447.* a. *Eſſentia Angeli eſt in genere intelligibilium per ſe ſubſiſtens 450.* b. *habet ſe tanquam principium quo intellectionis 452.* a. *Eſſentia cuiuſlibet ſuo tantùm intellectui eſt proportionata 454.* a. *modus eſſendi ſuperioris Angeli eſt nobilior quàm inferioris 457.* a. *Eſſentia cuiuſlibet Angeli eſt propria ſpecies Dei, illum immediatè repræſentans 461.* a. *Angelus non poteſt per participationem Diuinæ Eſſentiæ repræſentare communem naturam & illius indiuidua 464.* b. *cum ſua natura omnia accepit 475.* b. *eſt creatus à Deo perfectiſſimè ſciens & prudens 517.* a. *felicitas eius eſt inamiſſibilis quomodo* ibid. b. *non idcirco defectibilis quia eſt ex nihilo 518.* a. *in ſui creatione duplex eſſe habuit 528.* b. *vbi ſunt creati 500.* a.

Angeli apparitio. *Angelorum apparitiones in veris corporibus 406.* a. *non tamen hypoſtaticè vnitis 407.* a. *quomodo vniunt ſibi corpora* ibid. b. *non poteſt informare corpus humanum Angelus. 407.* b. *nec illi coniungitur vt accidens ſubiecto 408* a. *ſed vt motor mobili* ibid. *dupliciter poſſunt apparere. 409.* a. *ſumunt corpus ex aere & vaporibus 410.* a. *actiones vitales exercet Angelus tantùm ad ſimilitudinem* ib. *nec inſtrumenta nec verum corpus habet 410.* b *eſt in loco per applicationẽ ſuæ virtutis ad locũ 414.* a. *plures ſimul in eodẽ loco eſſe nequeunt, vt ſunt cauſæ alicui' effect' immediatè 420* a. *Angel' poteſt eſſe in pluribus locis diſcontinuis partialibus licet non ſit in toto ſpatio 418.* b. *mouendo ſe motu diſcreto poteſt tranſire ab vno extremo in aliud ſine medio 429* a. *ſecundum ſubſtantiam non pendet à loco* ibid. b. *in momento quomodo ſunt vbiq; 430.* a. *motus Angeli quid ſit 433.* b.

Angeli cognitio, & medium eius. *In Angelis dantur gradus intelligendi 436.* b. *intellectio & volitio diſtinguuntur realiter in Angelis 437.* a *Intelligere Angeli non eſt illius eſſe* ibid. b. *præter cognitionem intellectiuam non datur in eis alia. 435.* b. ... *Angelus habet ſpecies congenitas 439.* a. *mediante ...* *cognitione cognoſcit omnia 440.* b. *non poteſt omnia diſtinctè per ſuam eſſentiam cognoſcere 442* a *in Angelis non eſt ſcientia confuſa 447.* a *quomodo ſe ipſos ... cognoſcunt 450.* a. *intelligendo ſuam eſſentiam Angelus verbum mentale producit 452.* a. *vnus alterum naturaliter cognoſcit 453.* a. *boni poſſunt ſe inuicem ... les præſtare malis 453.* b. *vnus alium cognoſcit per ſpeciem ſibi inditam 454.* b. *& quidditatiuè 455.* b. ... *inferior ſuperiorem non comprehendit 456.* a *ſuperior ...* ibid. b. *Angelus non ... mus cur ſe comprehendat?* ibid. b. *Angelus ... gnoſcit Deum per ſpeciem ſuperadditam 457.* a. *ſimplici cognitione & ſe & Deum cognoſcit 458.* a. ... *gnoſcit Deum per inditas ſibi omnium rerum ſpecies intelligibiles* ibid. *etiam per modum effectus* ibid. ... *non tamen eſt duplex vtraq; 459* a. *Angeli de Deo cognitio perfectior eſt per ſuam eſſentiam quàm per ſpecies creaturæ inferioris 460.* b. *etiam quàm per eſſentiam Angeli ſuperioris 461.* a. *Angeli cognoſcunt ... res materiales 462* a *quomodo* ibid. b. *diſtincta ... gnitione omnia cognoſcunt 462 etiam ſingularia ... terialium* ibid. *habet naturale deſiderium ſciendi ea quæ circa nos geruntur 463.* a. *quomodo Angelus cognoſcit ſingularia 464 poteſt cognoſcere cogitationes cordis humani ex præuiſis ſignis 469* a. ... *cordis certò non cognoſcit 470.* a. *& cur? 471* a *quomodo poſſit cogitationes cognoſcere? 471.* b. *myſteria gratiæ omnia non poteſt naturali lumine cognoſcere ... 472.* a. *in Angelo eſt cognitio triplicis obiecti 47... cognitio ſuipſius eſſentiæ in Angelo eſt principium cognoſcendi 476.* b. *cognitio ſuiipſius in eo non eſt ex neceſſitate*

neceſſitate ſed libera 456. b. *cognitio ſui in Angelis eſt quaſi actus naturaliter dimanans per modum paſſionis 477.* a. *Angelus ad Deum tanquam ſuum obiectum cognoſcendum ſemper eſt in actu* ibid. *per ſuam eſſentiam cognoſcit eum tanquam cauſam in ſuo effectu 477* b *Angeli ſemper ſunt in actuali cognitione totius vniuerſi 478.* a. *omnia repræſentata poteſt Angelus ſimul cognoſcere 480.* a. *poteſt & diſtinctis ſucceſſiuiſq́; cognitionibus eadem intelligere* ibid. b. *idem omnia repræſentata per vnam ſpeciem imperfectè tantùm poteſt cognoſcere 481.* a. *obiecta per plures ſpecies repræſentata cognoſcit Angelus, cùm per modum vnius intelliguntur 481.* b. *Angeli res naturales cognoſcendo non vtuntur diſcurſu 482.* a. *Angelus non poteſt pro ſua libertate diſcurrere 483.* b. *cognitâ cauſâ non poteſt ſuſpendere effectum 485.* a. *Angeli cognoſcendo ſua obiecta nec compoſitione nec diuiſione vtuntur* ibid. b. *Angelus cognitâ quidditate rei cognoſcit & omnia quæ illi attribui poſſunt 485.* b. *cognitio coniecturalis contingentium in Angelo quid 487.* b. *in ea bonus Angelus non poteſt decipi 488. poteſt autem malus* ibid. *cognitio matutina & veſpertina in Angelis vnde ſumpſit originẽ 489* a. *in beatis Angelis manet cognitio & dilectio naturalis 410* a.

Angeli dilectio. *Angelus quomodo ſeipſum diligat. 496* a. *neceſſariò ſe diligit quoad ſpecificationẽ, & quoad exercitium* ibid *Vnus alium naturaliter diligit.* ibid b. *quomodo ſe diligunt vel non 496* b. *dilectio Dei quomodo ſit Angelis neceſſaria. 503.* a. *nõ habet libertatẽ ceſſãdi ab amore Dei actuali 518* b.

Angeli gratia. *Omnes Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis acceperunt gratiam 503.* b *eſt illis conceſſa ad promerendam beatitudinem 506.* b. *qui erant naturæ perfectioris, conſecuti ſunt gradum gloriæ & gratiæ perfectiorem. 580.* a.

Angeli operatio. *Angeli boni nihil faciunt ſuperfluè 420.* b *Angeli boni operatio 484.* b *mali etiã* ibid *cur non poſſunt impediri in ſua tendentia ad finem & homines quare 509.* b. *Bonus Angelus non poteſt peccare 511.* a. *augmentum beatitudinis non poſſunt ſibi promouere 512* b. *In nunc creationis Angeli erant duæ operationes 526.* a. *Via Angelorum trib' inſtantibus eſt abſoluta 527.* b.

Angeli voluntas: *In Angelis voluntas ponenda eſt neceſſariò 499.* a. *eorum voluntas diſtinguiturné ſpecie à volũtate humana* ib. *volũtas eorũ diſtinguitur ab intellectu 492.* a *habẽt liberũ arbitriũ 492.* b *Angelorũ volũtas nõ diſtinguitur per iraſcibilẽ & cõcupiſcibilẽ, ſed manet indiuiſus. 493* a. *Cõcupiſcentia impropriè ſumpta, & furor eſt in eis & Dæmonibus 493.* b. *In primo inſtanti voluntas Angelorum fuit ad bonum determinata 503.* a. *Bonorum eſt confirmata in bono malorum in malo 533.* a.

Animæ *rationales ſeipſis indiuiduantur 400.* a. *cur à ſenſibus accipit ſcientiam 405.* b *quomodo ſit infimum ſupremi 439.* b. *eadem eſt numero anima quæ per phantaſiam & per intellectum operatur 445.* b. *quomodo ſeipſam poteſt intelligere 451.* b. *animam rationalem aſſumpſit Verbum 618.* b. *an fuerit prius aſſumpta quam caro? 619.* b. *tam in corpore quàm extra corpus quam habet ſubſiſtentiam 620.* a.

Anima Chriſti *habuit ſcientiam beatam 646.* a. *videndo eſſentiam Dei eandem non comprehendit 648.* a. *an cognouerit omnia per ſcientiam beatam? 649* a. *nec cognouit in Verbo omnia quæ ſunt in potentia Diuina 649.* b. *cognouit ea quæ ſunt in potentia creaturæ.* ibid. b *in Verbo non cognouit infinita actu 650.* a. *cognoſcit infinita in potentia in verbo 651.* a. *perfectius omnibus beatis videt Eſſentiam Diuinam 651.* b *per infuſam ſcientiam non cognouit Eſſentiam Diuinam 652.* a. *omnia obiecta tam naturalia quàm ſupernaturalia cognouit per infuſam ſciẽtiam* ibid a. *per eandem ſcientiam cognouit omnia quæcunq́; ab intellectu creato cognoſci poſſunt* ib. b. *quomodo cognoſcebat omnes cogitationes cordis 653* a. *etiam futura contingentia libera cognouit per infuſam ſcientiam* ibid. a. *non cognouit Deum eſſe vnum & trinum* ibid. a. *& qua cognitione cognouit myſterium Trinitatis 653.* b. *poterat cognoſcere ſine conuerſione ad phantaſmata* ibid *poterat ſe etiã cõuertere ad phantaſmata quando volebat 654.* a. *non erat eius potentia omnipotens 658.* a. *an reſpectu etiã immutationis creaturarum 658.* b. *quale ſit inſtrumentum diuinitatis anima Chriſti morale an Phyſicum?* ibid. *an reſpectu etiam proprij corporis habuerit omnipotentiam 659.* b. *an reſpectu executionis ſuæ voluntatis 660.* a. *non ſunt in ea ignorantia. 667.* a. *quotupliciter conſiderari poteſt 671.* a.

 Anti-

Antichriſtus *quomodo eſt caput malorũ?* 644. b.

Apoſtoli *à Chriſto D. propter quid electi?* 9. b. *quem gradum gloriæ habent?* 246. b.

Appetitus *indiget corporeis organis* 483. b. *quomodo mot⁹ eius ſenſitiui in Chriſto oriebantur?* 668. b.

Argumenta *contra fidem quibus modis ſoluenda?* 702. b. *negatiuè ex S. Scriptura ducta nihil probant* 78. b. *affirmatiua vt valeant quid ſeruandum?* ibid. *duorum vel trium SS. Patrum qualia?* 82. a. *ex communi conſenſu Doctorum quantum robur habeãt?* ibid. b.

Ariſtoteles *ſolùm habitus eos intellexit, qui à principiis naturalibus pendent* 55. a.

Aſſumptio *& vnio quot modis differunt?* 582. a. b. *&* 583. a. *habet rationem actionis & paſſionis* 583. a. *eſt actio Perſonæ aſſumentis* ib. a. *maximè propriũ eſt Perſonæ Diuinæ, vt poſſit aſſumere naturam creatam* 593. a. *eſſe principium aſſumptionis conuenit naturæ Diuinæ* 595. a. *quomodo naturæ Diuinæ conuenit vt ſit eius terminus?* ibid. *vna Perſona ſine alia poteſt aſſumere* 600. a. *quælibet Perſona Diuina poteſt abſolutè naturam creatam aſſumere* 601. a. *item tres Perſonæ Diuinæ poſſunt eandem numero humanitatem aſſumere* 601. a. *in caſu ſi tres Perſonæ aſſumerent vnam numero humanitatem, an eſſent plures an vnus homo?* 604. b. *Filius Dei aſſumendo naturam humanam non aſſumpſit perſonam* 611. b. *an aſſumere debuit naturam humanam abſtractam ab omnibus indiuiduis* 613. a. *an conueniens erat eam ex ſtirpe Adæ aſſumere?* 614. a

Attributa *ab Eſſentia ſolâ ratione ratiocinatâ diſtinguuntur* 342. b. *alia ſunt communia alia propria* ibidem.

Auxilia *quæ Deus præparauit peccatoribus ſunt quadruplicia* 284. b. *auxilium efficax peccatorem excitans prius eſt natura conuerſione* 298. b.

B.

BEati *linguis corporeis Deum laudabunt* 48. a. *eſt in illis aliquis diſcurſus* 47. b. *ſine ſpecie Deum intuentur* 451. a.

Beatitudo *Angeli conſiſtit in cognitione Dei.* 477. b. *hominum verò in viſione* 504. b. *Semel obtenta non amittitur.* 507. a. *non poteſt deſtruere naturam.* 510. a. *eſt viſio Dei.* 475. *ad naturalem quæ requiratur.* 478. a. *quid denotat.* 501. a. *Quotuplex.* ibid. *angeli conſiderati ſecundùm ſua naturalia habuerunt beatitudinem naturalem.* ibid. a. *& in principio ſuæ creationis ſupernaturalem.* 502. a. *beatitudo in Angelis duplex.* 513. b.

Bona. *animi corporis & fortunæ poſſunt dici effectus prædeſtinationis* 263. b. *&* 264. b.

Bonitas. *eſt ipſa Eſſentia Dei.* 492. a.

Bonum *particulare & vniuerſale quo differunt* 525. b. *eſt communicabile* 542. b. *eius communicatio quomodo ſit accipienda.* 543.

C.

CAdauer *inuentum.* 18. a.

Cæli *à primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt vim inditam ad motum ſphæricum exercendum.* 444. a.

Caiphæ *prophetia* 89. b.

Caput *quæ & quot in capite conſiderare poſſimus.* 640. a. *capita malorum duo.* 644. a.

Caro *an prius fuerit aſſumpta in incarnatione quam animæ vnita.* 620. a. *quare caro Chriſti dicitur eſſe facta in ſimilitudinem peccati carnis.* 666. b.

Cauſæ. *ſunt in triplici differentia.* 182. *ſecunda cauſa non poteſt impedire primã.* 309. *cælum non poteſt cauſas ſecundas modificare vt Deus.* 188. b. *cognoſcitur cauſa per ſuum effectum.* 458. b.

Certitudo *quid ſit.* 58. a.

CHRISTVS D *per ipſum ſalus omnibus credentibus.* 18. a *ſtatim poſt lapſũ primorũ parentũ promiſſus.* 18. b. *Argumentationibus vſus eſt ipſe.* 69. b. *& ſeq. Dat Eccleſiæ Romanæ aſſiſtentiam Spiritus S.* 83. a *Eſt Filius Dei adoptiuus non naturalis.* 322. b. *vt eſt filius Dei habet totam ſubſtantiam Patris quod in humanis non currit.* 324. *Chriſti Diuinitas quo probatur* 161. b. *eius incarnatio & merita conſiderantur dupliciter.* 258. b. *Chriſtus vt caput coniunctum & vt diuiſum conſideratur.* 259. b. *&* 260. a. *Eius poſt reſurrectionem vera fuit comeſtio.* 411. b. *in vero & reali corpore quibuſdam apparuit.* 409. b *Veriſimile eſt Angelis Chriſtũ D adorandũ fuiſſe reuelatũ* 524. b *Cõpoſitũ in Chriſto an poſſit dici totũ.* 575 b *imo duplex eſſe* 577. b. *quomodo illud explicetur dignus eſt accipere diuinitatem. Apoc.* 8. 588. b. *an meruerit*

meritis

meritis ſubſequentibus incarnationem de condigno. 591. a. & b. an in eo fuerint habitus ſcientiarum. 672. b. dona Spiritus S. fuerunt modo excellentiſſimo in eo 630. a. Timor Dei in eo fuit filialis 630. b. quomodo 631. a. gratias in eo fuiße vnitas quomodo ſit intelligendum. 632. a. Verè fuit propheta. ibid. gratia habitualis fuit in eo perfectè & totaliter. 633. a. eſt caput Eccleſiæ 637. a. & quare ſic vocatur. ibid. b. non eſt membrum Eccleſiæ 638. a. inquantum eſt Deus homo eſt caput Eccleſiæ 638. a. eſt caput omniũ hominum. 639. a. ſecundum quos gradus ſit caput Eccleſiæ, ibid b. an eorum qui erant in ſtatu innocentiæ caput fuerit. 642. a. inquantum homo, eſt verè caput Angelorum 641. a principalius eſt caput hominum. ibid. b. an in ratione meriti & redemptionis ſit caput Angelorum. 642. a. in eo triplex gratia ibid. & quomodo differunt iſtæ gratiæ. ibid. b. eſt natura ita & Scientia in eo duplex. 644. a. in Chriſto Domino fuit verè acquiſita ſcientia. 647. b. an ſciuerit vt homo diem iudicii. 650. a. voluntariè ſubiuit mortem 661. b. Similiter & defectus corporales voluntariè ſubiuit ſed non contraxit. 662 a. non omnes tamen defectus & infirmitates humanas aſſumpſit. ibid. b. in eo non fuerunt motus inordinati appetitus. 666. a. etiam puer non potuit habere errorem in parte ſenſitiua 668 a in eo verè fuit ſenſibilis dolor. ibid b Chriſtus Dominus perfectus fuit comprehenſor 671. a. quomodo ante paſſionem Deum clarè videbat; & quomodo deerat illi beatitudo ibid. a 6. Fuit perfectus comprehenſor 671 a. Non poteſt dici homo Dominicus. 674 a. Chriſtus ſecundùm quod homo eſt Deus quomodo vera eſt propoſitio quomodo non 680. a. non poteſt dici duo aut plures ſed vnus maſculinè 681. a. idem; eſt vnum in neutro. 682. a. Duplex in eo eſſe eßentiæ, vna exſiſtentia 684. a. & 685. Duæ in eo voluntates. 687. a. fuit in eo ſenſualitas & qualis 688, a. fuit & liberum arbitrium ibid. 6. quomodo poterat aliud velle quàm Deus. 689. b. Nulla in eo fuit contrarietas voluntatum. 690. a. Duæ in eo operationes 691. a. item triplex. ibid 6. Cur theandricæ. 692. a. Vna tantùm operatio humana in eo. 692. b Quæ Chriſtus Dominus meruit ſibi quæ non 693. a. Quando cœpit mereri ibid. 6. Poſt inſtans completum, nihil amplius meruit, 693. b. Ex vulnere lateris ſui fluxerunt Sacramenta. 694. a. Quibus meruit & quid ibid. 6. ſuam incarnationem meruit. 695. b. Triplex eius ſubiectio ad Patrem æternum. ibid 6 Quomodo dici poßit ſeruus. 696. b. Quomodo illi conciliauit. oratio. 697. An exſiſtens in cælo oret pro nobis. 698. b. Quod ſecundum ſenſualitatem non orauit. quare illius oratio non fuit exaudita 699. a. b. Maximè illi conuenit vt ſit ſacerdos. 700. a ſimul fuit Sacerdos Rex & legiſlator. 701. b. ſolus eſt & ſacerdos & hoſtia. 702. b.

Chriſtiani, plures reprobabuntur quàm ſaluabuntur. 307. b.

Circuminſeſſio in Diuinis præter præſentiam requirit identitatem realem Eßentiæ & vnitatem numericam. 382. b.

Cogitationum actus non ſunt res naturales ſed altioris ordinis. 471. a.

Cognitio in beatis triplex. 36. a. perfectiſſima parit perfectiſſimam delectationem. 52. b. contemplatiuæ finis eſt veritas practicæ opus. 53. a præſtantiorum eſt optabilior. 61. b comprehenſiua. 118. b. res cognoſcitur vel in ſe vel in alio. 110. b. quidditatiua quomodo fiat 456. a. tam matutina quàm veſpertina duplex. 489. b. & quid vtriusq; tam naturalis quàm ſupernaturalis, ibid. b. cognitionem matutinam & veſpertinam ſupernaturalem ſoli Angeli boni habent naturalem verò mali 489. b. cognitiones prædictæ non differunt inquantum ſunt ſupernaturales ſed inquantum naturales. 490. a. cognitionum differentia ibid. cognitio beatifica perfecta non tollit naturalem imperfectam. 510 a.

Communicatio eſt perfectio conueniens bono non ſuperueniens. 543 b. communicatio idiomatum. quomodo per communicationem idiomatum quæ conueniunt filio hominis prædicantur de filio Dei & contra. 674. b Quæ in his ſeruanda. 675. a. Per qualia verba debet fieri. ibid a.

Compoſitio alia ex his alia cum his. 574. b. & ex qua non reſultat totum perfectius. ibid. quid ad realem ſufficiat. 575. a.

Conceptus rei intellectæ ex vi intellectiua procedens ſignificatur nomine verbi 316. a.

Concilium quid ſit quæ ad illud concurrunt 81. a. & quomodo diuidatur ibid.

Concluſiones *ex articulis fidei tripliciter de-duci poſſunt. 27.* b. *quo differunt ab eis. ibid vnde vim ſumunt certitudinis 60.* a. *etiam in Theologia concluſio debiliorem partem. ſequitur. 304.* a.

Conſenſus *debet præcedere receptionem gratiæ. 503.* b.

Conſequentia. *quæ formalis quæ materialis. 34.* a.

Continere *eminenter conuenit illi ſcientiæ quæ eſt ordinis altioris. 51.* b.

Contingentia. *inquantum ſubſunt Diuinæ relationi ſunt neceſſaria 33* a. *tota radix contingentiæ in Deum refertur. 183.* a.

Continuum *diuiditur in ſemper diuiſibilia in infinitum. 144.* a.

Contradictio. *Scriptura quomodo explicanda. 19.* b.

Cor *eſt fons & origo omnium motuum. 476.* b.

Corpus *quare non poteſt moueri niſi per medium 430.* b. *differentia inter naturale & myſticum. 639* a.

Creatio *& annihilatio omnipotentiæ Diuinæ conuenit. 402.* a.

Creatoris *ad creaturas eſt relatio rationis. 544.* b.

Creaturæ *eſſe eſt determinatum. 438* a. *qualibet creatura magis repræſentat Deum quàm ſpeciem ſibi ſimilem. 460.* b. *creatura rationalis non poteſt per ſuam virtutem conſequi beatitudinem. 512.* b.

Creatum *aliquod non referri ad Deum eſt contradictio. 66.* a.

D.

DÆmones. *quadruplici de cauſa verum prædicere poſſunt. 468* b. *impediuntur à cognitione myſteriorum. 473* a. *intuitiuè non poterant cognoſcere incarnationem Chriſti 474.* a. *non ſolùm natura ſua fuerunt boni ſed & inclinationem ad malum non habuerunt. 525.* b. *tam naturalem quàm ſupernaturalem beatitudinem amiſerunt. 501.* b. *cognoſcunt ſingularia. 463.* b. *triplici de cauſa futura prædicunt 468.* b. *quæ illis myſteria occulta. 474.* a *ex operibus & miraculis non poterant cognoſcere Chriſtum D. hominem eſſe verum Deum. 474.* b. *in principio ſuæ creationis. Dæmon habuit gratiam. 564* a *duo tantum in Dæmonibus peccata ſuperbia & inuidia. 519* b *duplex in eis deformitas. 520.* b. *Lucifer appetiit æqualitatem ? et per vnionem hypoſtaticam ; 524* b. *naturaliter non potuit eſſe mali 525* a *non ſtatim in principio ſuæ creationis fuerunt mali. 526.* a *nec in eo peccare potuerunt. ibid. etiam per inordinatum actum ſuæ voluntatis. ibid* b. *in peccantibus quæ conſideranda deciſio quæſtionis 529* a. *inferiores ad peccandum erant procliuiores ibid. cognitio naturalis in eis neq; eſt ablata neq; diminuta 532* a. *nec per infuſionem erroris in eis potuit diminui Scientia 532* a. *quæ ſunt cauſæ in eis obſtinationis. 533.* a. *in obſtinatis dæmonibus quæ reperiantur. ibid dolor ſenſitiuus ab appetitu ſenſitiuo elicitus non eſt in dæmonibus ibid.* b. *prout dicit paſſionem & actum ſimplicem voluntatis reperitur in dæmonibus. 533* b *dolor eorum non poteſt compati ſecum gaudium ibid* b. *aer caliginoſus eſt carcer dæmonum. 534.* b. *quomodo Diabolus eſt caput malorum. 644.* a.

Decretum *duplex. 203.* a. *conditionatum non eſt ex parte volitionis Diuinæ ibid: eius emolumenta 204.* a.

Delectatio *quomodo non ſit peccatum. 521.* a.

DEVS *quomodo ſeipſum reuelat 4* b *ad eum accedendi modus triplex. 9.* a. *quomodo communicabilis tribus Perſonis. 11.* a *poteſt reuelare ſcientias dupliciter. 45* a. *in ſua Eſſentia omnia videt reliqua in Verbo omnia 28.* b. *in Deo identitas ſubſtantiæ diſtincta eſt cum reali diſtinctione relationum 314* a. *eſſet ſibi contrarius ſi doctrina fidei lumini rationis repugnaret ibid ignorat nouitatem eſſendi. 319* b. *duplex in eo ſapientia & charitas. 321.* a. *Eſſentia eius eſt incapax diuiſionis in partes cum ſit ſimpliciſſima. 324* a. *eſt Deus extra ordinem totius creaturæ, & in eius natura non eſt habitudo ad creaturas quare 337* a *in Diuinis omnia ſunt vnum realiter formaliter vbi non obuiat oppoſitio relationis. 341.* a *in Deo ſunt plures res plura Entia quomodo ſit accipiendum, ibid* b *in eo ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ 353.* a. *in Diuinis vna tantum eſt ſubſiſtentia 354* a. *numerus Categoricus in Deo non reperitur. 357.* b. *vnus eſt Deus non numero ſed. pluſquam numero*

mero 358. a. quomodo ſignificat eſſentiam, quomodo perſonam. 376. b. cur maioris & minoris perfectionis Angelos creauit. 509 a duplex illius potentia 99. a Scientia eius neq; vniuerſalis neq; particularis. ibid. b ſi per eſt in actu 105 a. item ſcientia eius eſt duplex. 114. a 122 a. 150. in eo eſt ſcientia eorum quæ nō ſunt 135. a. prout ſe cognoſcit habet Scientiam ſpeculatiuam 157. b. Auerroes ei cognitionem ſingularium adimit. 104 a nec fallere nec falli poteſt 162. a qualis ei duratio conueniat 166 b. ſucceſſio in cognitione eius non admittitur, 168. a eſt etiam in locis imaginariis Deus 172. a. res poſſibiles certò cognoſcit. 174 a. non ſumit ſcientias à rebus 179. a concurſus eius cum cauſis ſecundis quomodo in ipſis modificatur. 182. b. 183. a. & 186. a. Dei Scientia infallibilis & non neceſſitans 185 a. actus liberi ſequerentur quamuis ageret neceſſariò. 191. a non prius ad effectum quàm cauſa ſecunda operatur 195 a non ſine nobis nos iuſtificat. 235. a non facit contra iuſtitiā quod aliqui ſaluentur aliqui condemnentur. 240. a. & b. vult omnes ex parte ſua ſaluare ſi ſua præcepta ſeruent 269. b. quomodo manifeſtat ſua attributa. 282 b. quomodo in peccatorū conuerſione procedit 285 a. quod quibusdam ſua bona conferat non eſt ratio quærenda. 292. a prius ad actiones noſtras concurrit quam liberum arbitrium 299. b. quomodo indurat & excæcat 301. a. b cognoſcit ſingularia. 141. a. eſt cauſa Angelorum libera 388 a. vnum Angelum poteſt conſtituere in pluribus locis adæquatis. 419 b. non poteſt producere creaturam quæ ſit ex natura ſua ſimpliciter impeccabilis. 516 a longè plura poteſt facere quam intellectus noſter capere 401 a. per cognitionem ſuæ eſſentiæ cognoſcit omnia 440 a eſt cauſa omnium, angelus vero non item 442. a ſolus cognoſcit cogitationes intellectus & affectiones voluntatis. 469 a ſolus habet eſſe per ſuam eſſentiam cætera per participationem. 498. b ſuam bonitatem oſtendit tam bonis quam malis 504. a res dupliciter produxit 524 b eius duplex eſt communicatio. 544. a per incarnationem non eſt mutatus ſed ſolùm nouam relationem rationis acquiſiuit. 545. a. omnes miſerias in ſe excepto peccato aſſumpſit. ibid. b. agendo in peccatores non contaminatur 545. b. perfectio vniuerſi eſt in eo eminenter. 543. b. quæ eius perfectiones ſunt creaturis communicabiles & quæ non 658. a.

Dialectica vtilis & neceſſaria Theologiæ 23. b.

Dies. quibus creata ſunt omnia intelligendi. 489. a. Mane & Veſperè diei quid ſignificet ibid.

Diſcurſus fit de vno priori ad aliquid poſterius. 483. b ſine eo cognoſcere eſt modus perfectus cognoſcendi. ibid. diſcurſus procedit ex luminis debilitate 485. a.

Diſtinctio. rationis inter naturam diuinam & inter intellectum ac voluntatem non impedit vt aliter loquamur de natura aliter de intellectu & voluntate. 321 b. in humanis diſtinctio realis eſt inter Patrem & filium quoad numerum eſſentiæ & ſuppoſiti; at in diuinis ſolum eſt perſonarum & non naturæ 342. b. diſtinctio proceſſionum ſumenda non ex vnitate eſſentiæ ſed ex diuerſo modo proceſſionis ſeu communicationis 329. a. vt aliquid ſit communicabile & incommunicabile ſufficit diſtinctio rationis ſeu virtutis. 341. b.

Diuinitas Deitas Deitatis proprietates. 351. a. quod ſignum Diuinitatis. 161. a, & 162. b. Deitas ſpecies eſt propria diuinæ rei. 112. b.

Doctori Chriſtiano qualis moderatio adhibenda circa ſcientias naturales 23. b. quomodo diſputandum cum infidelibus 73. b. in Eccleſia cur dati Doctores. 82. a. 90. b. Scholaſticorum DD. authoritas. 82. b.

Donum eſt quid eſſentiale eſt & perſonale. 372. a. vti eſt perſonale peculiari modo ſoli ſpiritui S. conuenit. ibid. b.

E.

Eccleſia quale corpus 637. a. non eſt biceps 643. b. Orat pro infidelibus 257 a. authoritas eius 80. b. ſtatus medius inter ſtatum Synagogæ & Eccleſiæ triumphantis 92 b.

Effectus poteſt dici contingens & non reſpectu diuerſo fol. 187. b. effectus qui propriè dicitur 261. b. idem numero non poteſt habere plures cauſas totales ibid. à ſua cauſa diſtinguitur 437. b actionis productiuæ eſt realiter diſtinctus à producente 318. a quomodo poſſit præcedere cauſam ſine inconuenientia 178 a contingens & neceſſarius ſimul ſtare non poſſunt 189. a.

189. a. à cauſa defectuoſa eſt defectuoſus 191. b. Deus cum immediatè produceret ſe ſolo non appellaretur contingens 194. b. formaliter & propriè contingens non poteſt dici niſi reſpectu cauſæ ſecundæ ibid. prædeſtinationis in infantibus duplex 262. a. Effectus cõtingentes duplices 161. a. Effectus futuri modis quatuor cognoſcuntur 174. b. iterum dupliciter conſiderantur 185. b. reſpectu Dei non dicuntur contingentes 189. b. in cauſas proximas referuntur 193. b. in rebus triplices 182. b. prædeſtinationis ſunt duplices 261. b naturales non videntur ſpectare ad prædeſtinationẽ 262. a. prædeſtinationis ſunt tres ib reprobationis quot & qui 300. a. reprobationis ſunt duplices culpæ & pœnæ ib. culpæ non poßũt eſſe effect⁹ reprobationis ibid

Electio aliter contingit in nobis aliter in Deo 236. b. debet eße poßibilium 523. a. humana à Diuina quomodo differat 236. a. b. Diuina non deſtruit ſed perficit noſtram libertatem 244. b. Comparatio quid ſit 254. b. materialiter loquendo in particulari non fuit ex meritis ſed ex gratuita Dei voluntate 255. b. ſigna tria rationis habet 255. b. tum 256. a. Electis efficax auxiliũ datur reprobis tãtum ſufficiens 295. a.

Emanatio non eſt actio 318. a.

Ens duplex 344 a ſi eius ratio ab vltima differẽtia præſcindatur nihil in ea remanebit 238. a. Entia quæ nunquam ſunt futura cognoſcuntur à Deo 137. a. Entitas vera quid dicit 344. a.

Error Caluini quis ſit? 228. a. Errores circa prædeſtinationem quot & qui Hæreſim redolentes 225 b. 226. a. b. 227. a. b. admiſſi à Philoſophis 14. b. in ſciẽtiis naturalibus vnde contingant 58. b ſenſuum & intellectus à quo corrigantur 59. a. b. Eſſe rei eſt prius quàm operari 585. a. ibid. duplex 107. a. Eſſe in alio tripliciter dici poteſt 326. b. Eſſe duo requirit 415. b. Eſſe principium aſſumptionis conuenit naturæ Diuinæ 595. a.

Eſſentia Diuina deſcribitur 329. a. principium generationis & proceſſionis non eſt quod ſed quo 333. a. non generat nec ſpirat ſed Pater & Filius ibid. eſt idem realiter cum omnibus Diuinis Perſonis ibid. b. non eſt proximum principium generationis & ſpirationis 334. a. quomodo ſ. ibid b. à relationibus ſuis non differt realiter 339. quomodo dicitur producibilis 342. a. de ea & relationibus ante opus intellectus verificantur contradictoria ibid. poteſt benè concipi ſi- ne Diuinis relationibus ibid. b. non poteſt intelligi quin intelligantur perſonæ 343. b. non ſolùm eſt vna in Diuinis, ſed etiam quælibet perſona eſt vna 358. a. omnes perfectiones Dei continet 380. b. in illa tan- quam in ſpeculo apparent creaturæ 107. b. duplicem habet perfectionem 448. b. eſt principium vt quo pro- ceſſionum 318. b. eadem & virtus eſt infinita 417. a. omnia poſſibilia & futura repræſentat 124. a. eſt vni- ca ſpecies intelligibiliũ ab intellectu Diuino 150. a. b.

Euangelium eſſe credibile 75. a. Euangeliſtarũ ordo 80 a.

Eumonius Hæreticus volebat eneruare SS. Pa- trum authoritatem 314. a.

Exiſtentiam Dei Theologus ſupponit 67. b. Ex- iſtentia Angelorum demonſtratiuè probari non poteſt 388. a cur? ibid.

F.

FAtum quotuplex 160. a. quare reijcitur ib. b. Fatum ſeu neceſſitas abſoluta dicitur quadru- pliciter ibid. fatum communiter acceptum tol- lit contingentiam ibid. b.

Felicitas iuxta Ariſt. duplex 10. a conſiſtit in cla- ra viſione Dei ibid. b.

Fides in patria corrumpetur 48. b firmior eſt il- lius certitudo in via aliis ſcientiis 58. a non poteſt ſta- re cum dubitatione 59. b. à reuelatione quomodo dif- fert? 71. a cum ſuis articulis non repugnat Philoſo- phiæ 24. a. fundatur ſuper teſtimonio videntis 39. a. differt ab opinione, Scientia, & intellectu 42. a. do- cet omnes qui ſaluantur eſſe prædeſtinatos 305. a in Angelis & hominibus eſt eiuſdem ſpeciei 476. a con- tingit erraſſe SS Patres aliquos in eis quæ ſunt fidei 82. b. quomodo ſe habeat in Angelo 505. a. in Dæmo- nibus eſt amißa per ſuſpenſionem concurſus Diuini 532. b. Catholica non poteſt inclinare ad falſum 540. b. in Chriſto non fuit 628 a. meritum tamen illius in eo fuit eminenter, actus non neq; habitus 629. a eſt medium ordinatum ad ſalutem obtinendam 220. b. ad rectè cognoſcendam Sanctam Triadem præfertur rationi 313. a. vnde pullulat 314 a. b. quomodo ad ſa- lutem neceſſaria? 16 b cui innititur 39. a. illius my- ſteria non ſunt pro hoc ſtatu euidentia 25. a. à viato- ribus

ribus manifeſtè cognoſci non poſſunt 26. a. illa acce-
dimus ad Deum 16 b.

Filius in Diuinis eſt principium cum Patre ad In-
tra 163. a. ſine ſui mutatione poſſet dimittere huma-
nitatem quam aſſumpſit 579. b. non aſſumpſit carnem
mediante anima 610. a. vt aſſumeret naturam huma-
nam conueniens fuit 614. a. aſſumendo naturam hu-
manam non aſſumpſit perſonam 611. b. aſſumpſit na-
turam humanam non abſtractam ab omnibus indiui-
duis 613. a. reuelat Patrem in ipſum credentibus 313.
b. eſt verus Deus 315. b. appellatur Verbum 320. a. ha-
bet hæc omnia quæ ſunt ſui Patris 322. a. appellatur à
Patre Deus 322. b. Filij reſpicit generationem 328. b.
eſt imago 331. b. Filium non eſſe Deum eſſentialiter,
eſt Arriani dogma 322. a. b. magis conueniens erat
eum incarnari quàm Patrem aut Spiritum S. 606. a.

Filij gloriæ à filijs gehennæ quo differunt? 262. b.

Filiatio diuerſum ſortitur modum in definitio-
ne 344. b.

Finis ad quē res creatæ ordinātur duplex 206. b
in ſcientijs duplex 53. a. illi media correſpondere de-
bent 17. a.

Fomes quid ſit & quid per eū intelligatur 666. a.

Forma adueniens materiæ eſt quid imperfectum
407. b. ab illa eſt actus informationis ibid. b. natu-
ralis non poteſt cōtinere in ſe perfectiones ſuas omnes
442. b. eſt conſtitutiua eſſentiæ 399. a. eſt principium
indiuidui ſeu naturæ ſpecificæ 400. a. Formæ natu-
rales quomodo ſunt in materia plures 480. b. quando
duæ in abſtracto vel in concreto de ſe prædicantur, vel
non 569. b.

Furor & concupiſcentia impropriè ſumpta eſt in
Angelis & Dæmonibus 493. b.

Futura contingentia dupliciter cognoſcuntur
467. a. neceſſaria & determinata cognoſcuntur ab
Angelis 467. a. pendentia à voluntate Diuina, vel
humana ab illis certò non cognoſcuntur. 468. a. omnia
ſunt Deo vt præſentia ibid. b. pendentia ex libe-
ra voluntate hominis coniecturaliter cognoſci poſſunt
ab Angelis 468. b. Contingentia ſub ſolius Dei ſcien-
tiā cadunt 162. a ea annuntiare eſt certiſſimum Di-
uinitatis experimentum ibid. b. eadem Deus ante
decretum voluntatis ſuæ non cognoſcit 117. a. ab ho-
minibus & ab Angelis cognoſci non poſſunt niſi conie-
cturaliter aliquo modo 163. a. b. quot modis à Deo
cognoſcuntur ibid. quomodo eſſe præſentia Deo in
æternitate debeant intelligi 165. a. b. non ſecundum
obiectiuam exſiſtentiam cognoſcuntur à Deo 168. b.
quomodo illa Deus intueatur 169. a. etiam inquantū
ſunt ſcita, à Deo non ſunt abſolutè neceſſaria 198. a. b.
dicuntur effectus contingentes nunquam de facto fu-
turi 202. a. non ſunt fruſtra ſed neceſſaria 204. a. quæ
non ſunt futura, nec pœna nec præmio affici debent
235. b. ſcibilia ſunt à Deo, ſed non per mediam ſcien-
tiam 131. a.

Futurum contingens non habet eſſe in ſeipſo, ſed
in ſuis cauſis 173. a. vt eſt in ſuis cauſis indetermina-
tis non cognoſcitur infallibiliter à Deo 173. a. ſi pen-
det ex cauſis determinatis infallibiliter cognoſcitur.
174. b. tam conditionatum quàm abſolutum quomodo
à decreto Diuino dependeat 127. b. Futurorum con-
tingentium cum infallibili præſentia Dei ſaluandi
modus optimus 188. a. 189. b. conditionatorum nomi-
ne quid eſt intelligendum 202. a.

G.

GEneratio in creaturis prouenit ex illarum
natura 320. b. ſumitur dupliciter quarum al-
tera Deo competit 328 a. quæ eſt natiuitas ſo-
la fide tenenda ibid. b. tam creaturæ quàm creatori
conuenit analogicè 324 b. in Diuinis paſſiua, eſt idem
cum termino producto ibid. b. in Diuinis actiua, eſt
eadē cū perſona producente 325. a. actiua & paſſiua in
humanis eſt idem realiter cum termino 324. b. con-
uenit vi generandi 320. b. Generans & generatum
realiter differunt 333. a. Generans dicitur potentia
generatiua generare 318. a. cum genito ſunt eiuſdem
ſpeciei 324. a b. Generationis definitio 324. a. eius
conditiones 324. a. eius officium 329. b. Generatio-
nem Filij Angeli ignorant 323. b. Generandi vis in
Deo eſt idem realiter cum eſſentia 324. b. eius vis in
creaturis, eſt proprietas & accidens ibid. b. Gloria
& electio ad eandem pendet ex miſericordia, gratia
& voluntate Dei 244. a. prima datur ex merito non
item gratia prima ex electione 247. a. Chriſti & il-
lius merita ſunt exemplar gloriæ, ad quā prædeſtinati
ſumus 252. b. obtinetur per gratiam 263. b. Gloriæ
promerendæ duo neceſſaria, gratia & fides 246. a.

gradum determinatum in patria gradus charitatis determinatus in via adæquat 248. a. certus gradus nõ ex vi cooperationis libera arbitrij pendet 247. a.

Glorificatio *eſt effectus prædeſtinationis 263. a.* b. *eſt effectus & finis ſed diuerſo modo* ibid. b. *Glorificauit, quid apud Patres SS. notet 263.* a.

Gratia *Dei quid ſit 508.* a. *habitualis definitur 622.* a. *conſtituit hominem in eſſe ſupernaturali, mediante Fide, Spe, Charitate 334.* a. *creaturis data eſt ab initio mundi 266.* b. *cui ſimilis 270.* a. *ſufficiens & efficax differunt 294* b. *efficax non deſtruit ſed perficit libertatem arbitrij noſtri 299.* b. *neq; vnionis neq; habitualis fuit Chriſto naturalis 592.* a. *ad quid datur 622.* a. *Prophetiæ quomodo fuit in Chriſto 632.* a. *dupliciter conſiderari poteſt 633.* b. *quomodo Chriſti eſt infinita 634.* a. b. *an eiuſdem ſpeciei cum gratia hominum ſit* ibid. *non augetur in Chriſto habitualis 635.* a. *vnionis præcedit habitualem natura* ibid. b. a. *habitualiter factus eſt Chriſtus Caput Eccleſiæ 643.* a. *prima quæ collata fuit primo parenti, non fuit ex meritis Chriſti 254.* b. *eſt effectrix bonæ voluntatis 298.* b. *ſufficiens & efficax differunt inter ſe 294.* b. *ſpectans ad perfectionem naturæ humanæ quotuplex 621.* a. *in Chriſto habitualis neceſſariò ponenda eſt* ib. *cur habitualis ponatur in anima? 622.* a *habitualis ad operationes Chriſti ſupernaturales fuit neceſſaria 623.* b. *Gratiæ gratis datæ quo differunt à gratia gratum faciente 631.* a. *gratis datæ quot ſunt* ibid. b. *eadem in Chriſto modo excellentiſſimo fuerunt* ib. b. *quomodo illi vnitæ fuerunt 632.* a. *Gratiæ ſuæ & gloriæ Deus cuilibet electo certum gradum determinat 246.* a *abſentia eius dupliciter conſideratur 293.* b. *Gratiam gratum facientem à principio mundi rationales dum creabat creaturas Deus contulit 266.* b.

H.

HAbitus *intellectuales qui ſunt & quot 30.* a. *vnitas eius ſub qua ratione ponitur 43.* a. *Theologicus quomodo intenditur* ibid. *propter duo in patria manere poſſunt 46.* b. *certus & euidens eſt ſcientia 29.* b. *infuſi qui 43.* b. *eiuſdem pluralitas nõ impedit vnitatem ſpecificam* ibid. b. *ſcientiarum ſucceſſu temporis Chriſto Domino fuerunt acquiſiti 627.* a. *Hæreſis genita ex vſu verborum promiſcuo 314.* b. *Hæreſis Arrij abominanda Filium à Patre tanquam puram creaturam, item & Spiritum S. etiam vt creaturam ab vtroq; procedentem impiè aſſerens 315.* b. *damnatur quæ negat Chriſtum omnia cognouiſſe 649.* b. *VViclef quæ omnia fatali neceſſitate euenire affirmabat, damnata eſt Concilio Conſtatinienſi 198.* b.

Hæreticus *Luterus docet omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes 49.* a.

Hæretici *Sabelli ſenſus de Proceſſione 315.* b. *eiuſdem ſenſuq; de Relationibus in Diuinis 336.* a.

Homo *eſt Deus propria & vera propoſitio 624.* a.

Homo *factus eſt De⁹ non eſt vera propoſitio 675.* b.

Homo *per vias naturæ finem ſuum poteſt cognoſcere 10.* a. *vt cognoſcat ſuam felicitatem in clara Dei viſione conſiſtentem quæ requiruntur* ib. *diuerſas operationes ſimul operari poteſt 479* b. *quam diu eſt in vita meretur 248* a *quilibet de lege ordinaria ſaluari poteſt 285.* a. *iuſtus poteſt mereri peccatori iuſtificationem 257* a. *ſi non peccaſſet an Verbum Diuinũ incarnatum fuiſſet 160.* a. *in ſiluis enutritus carensq; fide an ſaluari poſſit 17.* b. *18.* a. *liberè & non neceſſariò peccare & gratiam promereri poteſt 185.* a. b. *ad finem ſibi deſtinatum nempè æternam beatitudinem ſuis viribus peruenire non poteſt 207.* b. *in ſolis naturæ viribus conſtitutus non poteſt facere quod ex ſe eſt ad vitam æternam 232.* b *233* a. *motus à Deo & illius gratia ſi non repugnet motioni eſt in via ad ſalutem 234* b. *dum indureſcit in malitia, non eſt ex Deo effectiuè ſed permiſſiuè 276.* a *auxiliante ſibi gratia Diuina poteſt euitare peccata facillimè 286.* b. *nulla facit bona quæ Deus non præſtet & faciat 295.* a. *homo hominem generans eſt ſimilitudo ſpecifica 324.* b *appetendo excellentiam ſui inordinatè peccauit 515.* a *ſeu creatura aliqua pura non poterat perfectè ſatis facere pro peccatis alienis 550.* b. *purus habens gratiam Dei, non poteſt ſatis facere pro peccatis omnium 552* *potuit imperfectè* ibid.

Hominis *cognitio inter Philoſophos incerta & fabuloſa 12.* a *eius ſtatus duplex 17.* b. *liberum arbitrium quomodo ſe habeat ad ſibi ſubiecta 187.* a.

Homines *cur impediuntur in ſua tendentiâ ad finem ? 209* b. *ſemper præueniuntur à Deo priuſquam ipſi cooperentur 248.* b. *omnes Deus ſaluaret ſi ea cũ*

accedentes

accederent 286. a. *auxilia tam interna quàm externa habentes, quidam à peccato conſurgunt, quidam non* 296. b. *Hominum vt vnus conuertatur, & alius non poſito æquali auxilio in duobus, vniuerſaliter de omnibus auxiliis loquendo eſt impoßibile* 297. a. b. *nullus eſt qui non ſit prædeſtinatus aut reprobus* 305. b. *aliqui ſunt prorſus omni auxilio ſupernaturali deſtituti, idq́; quomodo* 292. b. *Homini facienti quod in ſe eſt non ex lege ſed ex ſumma bonitate Deus dat gratiam* 290. a *habenti dábitur* ibid. *vbicunq́; mananti auxilia neceſſaria prouidere ad Dei ſpectat prouidentiam* 289. a. b. *conuerſio eius duo includit* 295. a. *Hominem fieri Deum quando importat mutationem* 644 b. *illuminari ſenſus duplex verborum* 294. b.

Hoſtiam *vnam plures Sacerdotes conſecrantes quales ſint cauſæ* 421. b.

Humanitas *Chriſti non poteſt dici nec Perſona nec Deitas* 349, b. *Diuina ſubſiſtentia non ſua terminatur* 545 b. *ſatiata ſubſiſtentia Diuina nec aliã appetit* ibid *exſiſtentia verbi exſiſtit* 583. b. *ſecundum ſe conſiderata habet naturalem inclinationem ad ſuam propriam perſonalitatem, inquantum tamen terminata eſt Perſona Verbi, amplius illam non appetit* 612. b. *per gratiam vnionis formaliter fuit ſanctificata* 622. a, *nullam habuit, nec in ea fuit qualitas ſupernaturalis ad miracula facienda* 659. b.

Humores *reliqui v. pituita, bilis flaua, atra, non fuerunt Verbo hypoſtaticè vniti* 917. b.

Hypoſtaſis *ſumitur primò intentionaliter prout concipimus illam ſuſtentare accidentia* 352. b. *à natura quomodo differat?* 353. b. *pro nomine ſumpta ſubſtantiæ ſeu eßentiæ non habet locum in Diuinis in plurali* 354. a. *Hypoſtaſis ſub nomine latet venenum* 575. b. *Hypoſtaſes duæ in Chriſto non ſunt* 571. b. *in Diuinis tres poßunt admitti* 353. b *Hypoſtaſim Arriani malè explicant* 353. b. 354. a.

Hypoſtatica *vnio eſt opus miraculoſum* 407. a.

I.

IDæa *malorum non eſt in Chriſto* 139. b. *Ideæ Diuinæ duplicem habent perfectionem* 466. b.

Ignorãtia *quotuplex* 667. a. *qualis in Chriſto* ib. b.

Illuminatio *abſtrahens ſpecies, neq́; corporalis neq́; ſpiritualis eſt* 455. b.

Imago *eſt nomen perſonale in Diuinis* 367. a. *duo requirit* ibid. *propriè ſumpta ſoli Filio Dei conuenit* ibid. b. *nec Patri nec Spiritui S. conuenit, niſi lato modo ſumpta* 363. a. b. *Imaginem eſſe & ad imaginem creari diſtinguuntur* 368.

Immaterialitas *eſt ratio propter quam aliquid eſt cognoſcitiuum* 97. b.

Immateriale *eſſe & non cognoſcitiuum repugnat* 99. a.

Immobilitas *rectitudinis prouenit ex parte voluntatis tam ex parte intellectus* 512. a. *in beatis prouenit à cauſis intrinſecis & extrinſecis* ibid.

Incarnatio *poßibilis omnibus tribus Perſonis* 538. b. *quomodo præſens in æternitate* 171. a. *in via Scoti eſt noſtræ prædeſtinationis cauſa & finis, ſecundùm veritatem tamen minimè* 258. a. b. *cum merito dupliciter conſiderari poteſt* ibid b. *non eſt medium ad ſalutem ordinatum, ſed finis prædeſtinationis* ibid. *non poteſt euidentibus rationibus probari, ſed probabilibus* 541. a. *maximè conueniens fuit filio* 542. a.

Incarnationis *nomen vnde ſumptum* 536. a. *eius poßibilitatem negare ſumma impietas* 538. b. *eius poßibilitas euidenter ex ſolo lumine naturali non poteſt cognoſci* ibid. *eius impoßibilitas ex ſolo lumine naturali non poteſt eludi* 540. b. *eius poßibilitas ſuppoſita fide naturali lumine cognoſci non poteſt* ibid. *eius cauſæ manifeſtatio Diuinæ bonitatis* 543. *eius ordo duplex* 559. a. *Incarnatio eſt miraculum ſuper omnia miracula* 544. b. *non fuit ſimpliciter neceſſaria* 546. a. *cur neceſſaria?* ibid. b. *virtutes diuinitùs infuſas in nobis fundat & promouet* ibid. *prouenit ex Diuina voluntate* 560. b.

Incarnatione *Chriſti quare non omnia peccata delentur* 563. a. *Incarnatus eſt Chriſtus principaliter ad delendum peccatum originale* 563. *ad delenda peccata venialia non fuiſſet Chriſtus incarnatus, neq́; ad mortalia paucorum hominum* ibid. b. *Incarnari Deum ab initio mundi non erat conueniens, neq́; ſtatim poſt commiſſum peccatum quare* 564. a. *Incarnationem Chriſti quas ob cauſas fuit conueniens in mundi finem differre* 564. a. *In Incarnatione quæ & quot relucent* 606. a.

Indifferentia *voluntatis humanæ vnde prouenit* 118. a.

Infantes qui vocantur 262. b. non Baptizati iuſtè excluduntur à regno Dei 268. b. ſine Baptiſmo decedentes ob quam cauſam puniantur 235. a. b.

Infernus eſt locus damnatorum 534. a. eſt in centro terræ ibid. Inferni ignis eſt idem ſpecie cum noſtro 534. b. cruciat non detinet tantùm damnatos ib. b. cùm ſit corporalis ſpiritualia cruciat permittente Deo 534. b. Infidelitas duplex 287. a. Infideles ſunt membra Chriſti potentia 256. b. ſufficiens auxilium habet ad conſequendam ſalutem animarum 289. a.

Infirmitates humanæ triplices 662. b.

Infinitum dupliciter dici poteſt 547. b. licet dicatur non pertranſibile tamen à Deo perfectè cognoſcitur 144. b. Infinita multitudo cogitationum ex parte Dei cognoſcẽtis ſemper eſt ſimul tota & actu 142. b.

Initium ſalutis non eſt à nobis 234. b.

Inſtantia duo quomodo ſint ſimul 433. a.

Intellectus agens & patiens non eſt in Angelis ſecundùm ſuas proprias rationes 438. b. principio caret actibus & ſpeciebus 439. a. humanus à phantaſmatibus abſtrahit ſpecies intelligibiles 445. a. actiones phantaſiæ & animæ rationalis intellectus radicatur in eadem numero anima ibid. b. non intelligit rem aliquam niſi illam intra ſemetipſam habeat 452. b. humanus rerum genera diuerſimodè cognoſcit 463. a. fit dupliciter in potentia 474. a. Angeli reſpectu eorum quæ naturaliter cognoſcit nunquam eſt in potentia ad actum 475. a. idem Angeli reſpectu diuinitus reuelatorum eſt in potentia ad actum ibid. idem reſpectu eorum quæ naturaliter cognoſcit eſt in potentia ad actum ſecundùm ibid. idem conſideratus vt habet viſionem Dei nunquam eſt in potentia ad actum ſecundùm ibid. ad habitus ſupernaturales habet ſe in perſona ib. Intellectus Angeli immobilitas vel mobilitas quid ſignificet 491. b. Intellectus ſcientia voluntas ſecundum rem ſunt eſſentialia Deo ſecundùm rationem differunt 131. b. actus & voluntatis diſcrimen 133. a. Dei ſpeculatiuus non eſt carentia rerum ſed practicus ibid. a. eius operatio duplex 145. b. Diuinus hoc vno actu & per vnicam ſpeciem cognoſcit, quod intellectus noſter pro hoc ſtatu per plures actus & ſpecies ibid. b. humanus cur componendo & diuidendo cognoſcit? 147. a. quando eſt in actu 155. a. creatus futura contingentia noſſe nõ poteſt 162. b. intellectus per actum ſuum intelligendi producit verbum quod eſt obiectum intrinſecum ſuæ intellectionis 327. a. Angeli ſpeculatiuus eſt perfectior hominis 462. a. Angeli ſpeculatiuus eſt in ſuis iudicijs determinatus 495. b.

Intelligere Dei eſt illius ſubſtantia 103. b. Angeli diſtinguũtur à ſubſtantia eius 437. b. facit proceſſionem in Diuinis 321. Intellectui Angelico plura obiecta repræſentari poſſunt 448. b. Intellectui Angelico ſua eſſentia obiectum eſt maximè proportionatum 4[illegible]. a. humano cognitio per diſcurſum eſt naturalis. Angelico non item 484. a. In intellectu Angeli eſt plenitudo luminis 485. a. tam boni quàm mali Angeli res naturales cognoſcente non poteſt eſſe falſitas 4[illegible]. falſitas in intellectu Angelico poteſt eſſe ſed per accidens ibid. b.

In intellectu Chriſti creato neceſſariò debet conſtitui ſcientia creata 645. a. Inter Diuinã eſſentiã & generationẽ mediat Diuinus intellectus Patris 334. a.

Ira quid ſit 493. b. tribuitur Deo non propriè ſed per ſimilitudinem effectus ibid. in quantum eſt paſſio non tribuitur Angelis ibid. fuit in Chriſto Domino ſecundùm ordinem iuſtitiæ ſeu zelus 670. b.

Iudæi cur non conuertuntur 72. a. contra eoſdem argumenta efficacia ex veteri teſtamento ſumuntur ibidem.

Iuſtificatio per donum perſeuerantiæ retinenda 263. a. maxima conſiderata ex parte noſtri habet miſericordiam & gratiam 261. a. b. Iuſtificationem alia opera antecedunt alia ſubſequuntur 242. a.

Iuſtitiæ Diuinæ oſtenſio eſt finis vniuerſaliſſimus permiſſionis peccati 282. b.

L.

LÆſio actualis quare ad dolorem excitandum requiritur 669. a.

Libertas non poteſt ſe habere merè paſſiuè reſpectu iuſtificationis 296. b. habet ſibi datum à Deo efficax auxilium, à quo prædeterminetur 298. a. dependet à Deo 289. a. radicaliter eſt in intellectu. formaliter in voluntate 482. b. voluntatis noſtræ non tollitur per determinationem à Deo in particulari omnium operum noſtrorum 247. b.

Liberum arbitrium defectibile eſt cauſa efficiens peccati non conuerſionis 292. b. per gratiam non [illegible]

euacuatur ſed magis adſtruitur 299. b. Liberè agere & neceſſariò quomodo ſtare poſſunt 189. a. Libero arbitrio nemo benè vtitur niſi per gratiam Dei 295. b

Loci Theologici quotuplices 76. a. quod ab authoritate Theologia ſint interni ib. interni quid ſint ib. externi quot, & quid ſint ibid. Locus vnus S. Scripturæ plures ſenſus poteſt habere 89. b. Locum acquirere & moueri localiter quid ſit? 433. a.

Lumen intelligibile eſt in intellectu agente receptio ſpecierum in poſſibili 441. b. lumen duplex, Naturale & fidei 57. a. lumen eſt duplex 540. b. Lumen medium inter naturale & ſupernaturale fictum 25. b. Luminis fidei & Theologici quintuplex diſcrimen 27. a. naturalis & ſupernaturalis non eſt eadem ratio 45. b.

Lucifer appetijt æqualitatem Dei per vnionem hypoſtaticam 524. b.

M.

MAgnificentia an fuerit in Chriſto 626. b.

Malum quotuplex 137. a. culpæ in voluntate Diuina nullo modo eſt 515. a. malum eſſe naturaliter dupliciter contingit 525. a. morale quotuplex 547. b. non repræſentatur in Deo per Idæam mali ſed per Idæam boni ſibi oppoſiti 140. a. Mala non habent Idæam in Deo 139. b. mala interdum minora permittenda ne maiora ſubſequantur 282. b.

Manichæorum deliramenta 180. a.

MARIA Virgo quantum gradum gloriæ habeat 241. b. poſt Chriſtum eſt prædeſtinata 250. b. meruit diſpoſitionem maternitatis Chriſti & quomodo 590. a. b. MARIÆ anima fuit prædeterminata ad bonum per gratiam efficacem 298. a.

Martyrium eſt effectus fortitudinis & prædeſtinationis 264. b.

Materia non eſt accidens formæ 579. a. eſt principium corruptionis 403. b. ſine forma non poteſt vniri hypoſtaticè Deo 609. b.

Matrimonium cur inſtitutum 403. b.

Media ordinis naturalis non poſſunt eſſe cauſa æternæ felicitatis 227. a. ad ſalutem conſequendam Deus ordinat & diſponit 271. a.

Merces nulli pœnitenti deerit etiam vltima hora conuerſo 286. b.

Meritum & beatitudo non poſſunt eſſe in eodem inſtanti 507. a. Meritum vitæ æternæ fundatur in gratia & charitate 504. a. congruum & condignum quo differunt? 589. a. vt ſit condignum quæ requiruntur ib. a. Merita Chriſti magis ſunt cauſa prædeſtinatorum quàm reproborum 257. a. Mereri quid ſit 507. a.

Michael quid ſignificat 522. b.

Miſericordiæ Dei ſalus hominum adſcribendæ (296. a.

Miniſterium quid ſignificat 472. b.

Myſteria ſupernaturalia Dei cognoſcunt Angeli per reuelationem 473. a. duplicia erant ibid. non cognoſcuntur à Dæmonibus ibid. quæ ſunt occulta Dæmonibus 474. a.

Miſſio quid præſupponit 369. a. quæ in ſe includit 382. a. non eſt in Diuinis per imperium ibid. b. nec per motum Concilij nec per motum localem, ſed per originem 383. b. Miſſio Spiritus S. in igne & columba fuit apparens 384. b. an continebat columbam ib. b. inuiſibilis quid ſit 383. b. Mitti cui perſonæ competit 383. a. Diuinam Perſonam duo ſignificant 383. a b.

Modus quo natura hominis mouetur quotuplex 630. a. modus agendi liberè eſt perfectior modo agendi ex neceſſitate 195. a. Modificatio in genere cauſæ materialis quid ſit 187. b.

Motus diſcretus menſuratur tempore 431. b. componitur ex pluribus mutatis eſſe 432. a. motus Angeli quid ſit 433. b. Angeli quibus conſtèt 434. a. diſcretus magis eſt proprius Angelo quàm continuus 429. a. eius medium quid ſit 430. b. Continui eſt menſura tempus 431. a. Motus inordinati appetitus non fuerunt in Chriſto 666. a. Motus in corporalibus eſt diuerſa ratio à motu Angelico 434. a. Motui continuo ordo prioris & poſterioris competit 428.

Moyſes primus ſapiens 7. a. multa de Chriſto venturo myſteria cognouit 89. a. multa ab eo Ethnici acceperunt 7. a.

Mutatio quibus de cauſis contingat 545. a. Mutatum eſſe & inſtans dupliciter conſiderantur 432. b. Mutata eſſe quid ſint, & quæ ad ea requiratur 432. a.

N.

NAtura ex ſe ſibimet non ſufficit ad finem ſibi præfixum 10. a. in Diuinis eadem cum omnibus abſolutis communicatur Filio & Spiritui S.

ſed non eodem modo 329. b. *natura vt & anima intellectualis operantur mediantibus potentijs 334.* b. *cum arte opera habet conformia 193.* a. *Natura Diuina & humana ſunt ſibi ſimiles 540.* b. *ſola humana fuit aſſumptibilis ad vnionem hypoſtaticam 607.* a. *humana natura à Perſona Diuina non eſt aſſumpta ſubiectiuè aut eſſentialiter formaliter ſed terminatiuè & perſonaliter 345.* a. *natura creata rationis expers poterat per potentiam Dei abſolutam vniri Deo hypoſtaticè 608.* b. *humana quotupliciter conſiderari poteſt 613.* a. *an fuerit aſſumpta mediante gratia 620.* b. *in Angelis & hominibus ſolis eſt beatificabilis 220.* a. *Natura in Chiſto duplex 644.* a. *natura humana an aſſumpta mediantibus partibus 620.* a. *Diuina quomodo accipiatur 566.* a. *natura humana poteſt à tribus Diuinis Perſonis eadem numero aſſumi 601.* b. *Natura eſt principium generationis 320.* b. *Diuina qualiter Filio communicatur. 328.* b. *Naturæ opus eſt opus intelligentiæ 105.* a. *duæ quando & quomodo faciant, vel non duas diſtinctas perſonas 670.* b. *eius excellentia eſt motiuum ſuperbiæ 525.* a. *Diuinæ conuenit vt ſit terminus aſſumptionis 595.* a. *naturæ humanæ perfectioni ſeruientia quæ ſunt 621.* a. *Naturæ non cōpetit generare 322.* a. *eius nomen quid ſonat 351.* b.

Neceſſarium *duplex 15.* b. *16.* a. *546.* a. *dupliciter dici poteſt 191.* b. *reſpectu ſubiecti quotupliciter conſideratur 16.* a. *Neceſſitas abſoluta à Philoſophis dicitur fatum 160.* a.

Nihil *eſt nec poteſt eſſe quod Deus per Scientiam ſimplicis intelligentiæ non ſciat 150.* a.

Nomen *generis infimæ ſpeciei dicitur 268.* *ſubſtantiuum ad ſui multiplicationem duo requirit 374.* b. *eſſentiale de Diuinis non poteſt enutiari in plurali 375.* a.

Nomina *adiectiua per quid multiplicantur 370.* a. *Diuina dupliciter accipiuntur 373.* b. *adiectiua in Diuinis duplicia* ibid. *perſonalia duplicia 374.* a. *abſtracta eſſentialia non poſſunt accipi pro perſonis concreta poſſunt 376.* a.

Notiones *Diuinæ omnino ſunt ponendæ & quid ſunt & quot 361.* a. b. *tres tantum perſonales* ibid. *Scoto auctæ ad ſenarium 362.* a. *Notionales actus Diuinis perſonis omnino tribuendi 378.* a. *ſunt actus voluntarij* ibid. b. *in Diuinis duo tantùm ſunt de eſſentia Diuina* ibid. b. *Numerus eſt duplex 357.* *definitus* ... *non competit Deo 357.* b. *tran-* ... *358.* b. *Cathegoricus non competit Deo 357.* b. ... *ſcendens competit Deo 358.* a. *Numerus prædeſtinatorum in Scientia Dei eſt certus 306.* a. *prædeſtinatorum ſoli Deo cognitus* ib. b. *reproborum abſolutè conſideratus longè eſt maior quam prædeſtinatorum 307.* a.

O.

OBiectum *Theologiæ eſt Deus 28.* a. *primarium & immediatum cognitionis Diuinæ eſt ipſamet Diuina eſſentia 109.* a. b. *134.* a. *ſecundarium & mediatum Diuinæ cognitionis ſunt creaturæ quas Deus cognoſcit non in ſeipſis ſed in ſua eſſentia 110.* a. *Scientiæ viſionis eſt Ens actu exiſtens* ... *Scientiæ ſimplicis intelligentiæ non Ens 115.* a. *Scientiæ conditionatæ præcedentis decretum non eſt ſcibile* ... *127.* a. b. *præſentiæ Dei ſunt omnes res futuræ 131.* a.

Obiectum *vnum poteſt à pluribus ſcientijs cognoſci 13* a. *formale ſcientiarum duplex. 42.* b *formale. quæ & ſub qua Theologiæ quid 61.* a. b. *intellectus eſt in intellectu 326* b. *voluntatis eſt in rebus extremis ibid. Obiecti formalis manus & conditiones* ... *quæ 67.* a. *obiecti formalis ſub qua fidei & Theologiæ* ... *differentia ibid.* b. *obiecti conditionem ſequitur ſcientia. 153.* b. *Obiecta non poſſunt transfundere ſpecies in Angelo. 441.*

Obligatio *non cadit in Deum vnde in bonis gratuitis nulla acceptio perſonarū eſt ſtauenda. 236.* b.

Obſtinationis *in Dæmonibus cauſa quæ 132.* a.

Odium *quomodo ſumendum in illis verbis. odio habui. 275.* b.

Offenſa *quando infinita. 551.* b.

Oratio *Chriſti Domini quem ad finem collineabat 698.* a *quomodo erat reſidens in gloria Patris pro nobis. ib.* b. *deliberatæ voluntatis quotuplex. 699.* b. ... *cur ſecundùm ſenſualem affectum à Chriſto Domino inſtituta ib.* b. *iuſti aſſidua multùm valet. 308.* b.

Oratione S. Stephani adiutus S. Paulus vt à Deo vocaretur. 308. b.

Ordo *agentium duplex 492.* *eius præcepta naturalia duplicia 517.* a.

Origenis *error de Anima. 226.* a.

Originale *peccatum inimicam Deo naturam humanam fecit. 268.* b. *per baptiſmum abolitum idque quomodo*

quomodo poteſt redire. 278. a. dimiſſum non eſt cauſa inflictionis pœnæ æternæ ib. b. Operatio duplex. 433. b. Angelica eſt viſio beatifica. 431. b. operatio quælibet eſt ſecundùm modum ſubſtantiæ ſuæ. 392. b.

Operationes Angelorum quotuplices. 436. b. operationes Angelorum vt res à re ita ab eſſentia eorum diſtinguitur 437. a. intellectus & voluntatis diſtinguuntur realiter ab eſſentia Angeli. ibid. operationes Dei ab extra ſunt liberæ non neceſſariæ. 304. a. b.

Opera moraliter bona antecedentia gratiam præuenientem non ſunt cauſa meritoria de Congruo Prædeſtinationis. 231. b. 232 a.

Os altiſſimi quid eſt 319. b. 320. a.

P.

PArabola quotuplex. 90. b. Paruuli habeantne auxilia ſufficientia ad ſalutem. 287. b.

Paſſiones tam corporis quàm etiam animæ erant in Chriſto 668. a. corporis afficiunt animam, ibi. aliter ſe habent in Chriſto quàm in nobis animæ paſſiones. ibi.

Pater alius eſt à filio adiectiuè non ſubſtantiuè 359. a. eſt principium. 362. b. eſt principium filij non tamen cauſa. 363. a. nomen pater reſpectu Creaturarum æqualiter tribus conuenit perſonis. ib. b. notionaliter ſumptum ſoli primæ perſonæ competit. ibi. Pater prius eſt pater filij in æternitate quàm Creaturarum. ibi. ſolus eſt ingenitus. 364. a. pater & Spiritus S. non ſunt incarnati 397. a. Pater ſuum filium appellat Deum 322. b. quid ſonat 318. a. pater & filius quid ſonant in Diuinis. ibi. a. dupliciter accipitur. 363. b. patrem eſſe filium & tandem Spiritum Sanctum falſa doctrina. 315. b. eundem non ſolùm filius nouit ſed & ille cui is reuelat. 313. b. patris vocabulum reſpicit generationem. 323. b. Patres antiqui non poterant de condigno promereri incarnationem Patres ſancti meruerunt de congruo. 589. b.

Partes myſterij SS. Trinit. ſubiectiuæ quæ ſunt 315. a. particulares quomodo conueniunt perſonis. ibid. 6.

Peccatum eſt Ens reale. 138. a. fit voluntariè 184 b. peccatum, mors, Diabolus, infernus, ad Deum referuntur. 68 b. poſitiuum punitur non poſſibile 235. b. obiectiuè refertur ad Deum. 68. b. cur Deus permittit. 265. a. eſt actio Dæmonis & Subſtantia illius. 437. a. inchoatum & ab Angelo & homine excellentiam ſuam inordinatè appetendo. 515. a. omne eſt contra præceptum. 516. b. dupliciter in aliquo eſſe poteſt. 519. a. in Dæmonibus poteſt eſſe & de facto eſt, & omnia ſunt ibi. a. Angeli primum non potuit eſſe niſi ſuperbia. 621. a. Angeli quomodo non ſubiici Deo habebat ſe conſequenter non poſitiuè. 523. a. quis eius finis in peccando ib. b. Angeli primi fuit alijs cauſa incitans. 530. a. ad illud perpetrandam in Angelis exhortatio qualis fuerit. 16. b. quomodo Deum perimit. 547. b. originale non eſt infinitum extenſiuè. 548. a. prouenit ex libero hominis arbitrio. 273. à quomodo ſit nihil & quomodo reale aliquid. 138. a. originale iuſtitiam vindicatiuam ſolicitabat non neceſſitabat. 270. in genere Entis quare non habebat infinitam grauitatem. 548. a. quomodo eſt infinitum. ib. b. tam originale quàm actuale mortale eſt ſimpliciter infinitum. 549. a. comparatum cum alio mortali quomodo eſt æquale & quomodo non ibi. b. quare veniale non habet infinitam malitiam. 550. a. ad quod delendum principaliùs venit Chriſtus. 563. a. an ad ſolum veniale Chriſtus incarnatus fuiſſet ib. Superbiæ & inuidiæ eſt ſecundùm effectum in Dæmonibus. 519. b. duo continet 140. b. commiſſa priuat beatitudine. 218. b. Scitur à Deo 132. a.

Peccandi modi ſunt tres 521. a. Peccati malitia originalis ſeu actualis eſt ſimpliciter infinita. 547. b. eius cauſa ceſſante nullo modo aduentus Chriſti in carne fuiſſet decretus. 562. originalis vel actualis nullo modo defectus aſſumpſit Chriſtus Dominus. 664. a.

Peccatores fideles ſint membra Chriſti. 640. b. ſua natura ſunt mali ex ſententia Manichæorum. 180. a.

Perſeuerantia in malo non eſt effectus reprobationis. 326.

Perſona ſi Catholicè loquimur. generat non natura 322. a. quælibet Diuina ſimpliciter totam Eſſentiam Diuinam habet eiq́; identificatur realiter. 346. b. definitur variè. 349. a. vna eſt alteri incommunicabilis ibi. b. non eſt quid commune vel Analogum in Diuinis ſed eſt vna & eadem numero perfectio perſonalis. 351. a. prout eſt Diuina formaliter dicit relationem. 355. a. quomodo dicit relationem quomodo

eſſentiam. ib. in Diuinis eſt communis ſecundùm rationem non ſecundùm rem 358. perſona verbi ad productionem verbi antecedenter concurrit, 366. b. *nulla perſona Diuina mittitur niſi ab ea à qua procedit. 369.* c. *Perſona Verbi deſcribitur. 318.* a. *humana Angelica per quid conſtituitur. 354.* a. *Diuina quomodo detur. 384.* a. *Creata nulla poteſt terminare ſua perſonalitate alienam naturam. 593.* b. *Creata etiam per abſolutam Diuinam potentiam non poteſt vnire ſibi alienam naturam. 594.* a. *Verbi dupliciter conſiderari poteſt. 557.* a. *Hypoſtaſis Subſiſtentia ſuppoſitum pro eodem accipiuntur 571.* a. *Diuina quælibet poteſt abſolute naturam creatam aſſumere 601.* a. *Verbi quomodo potuit vnire ſibi naturam Angelicam 608.* a. *ſi haberet Diuina duas naturas humanas quomodo eſſet vnus homo 605.* a.

Perſonæ *Diuinæ tres diſtinguuntur realiter. 319.* a. *productæ non recipiunt nouitatem eſſendi. 16.* b. *in humanis dicunt diſtinctionem realem numericam. 324.* b. *in Diuinis ſolùm dicunt realem diſtinctionẽ. ib.* b. *tres Diuinæ poſſunt eandem numero aſſumere humanitatẽ. 601.* a. *Perſonæ Diuinæ duæ ſignificationes competunt 355.* a. *eius quinq; conditiones 349* b. *eius nomen duo explicat. 350.* a. b. Perſonalitas *in quo genere cauſæ eſt effectus naturæ. 611.* a.

Potentia. *in Angelo vel in alia Creatura non eſt idem quod ſua eſſentia. 438.* a. *ſubiecti naturalis cuiuslibet eſt duplex 482.* a. *peccandi in Chriſto Domino non erat. 664.* a. *in Diuino intellectu non habet locum 149.* a. *in communi deſcribitur. 318.* a. *quæ eſt in Deo quid eſt ibi.* a. *ad præteritum non eſt 200.* b. *Potentiæ vbi ſunt diuerſæ ibi diuerſi actus. 438.* b. *Potentiæ Dei operatiuæ reſpectu operabilium & Scientiæ Dei reſpectu ſcibilium non eſt eadem ratio. 105.* b. *Potentiam habere Deum quomodo intelligendum ſit. 201.* b.

Pœnitentia *quomodo neceſſaria. 17.* a. *quare non fuerit in Chriſto. 626.* b.

Pontifex *Summus quod determinat pro fide tenẽdum eſt. 81.* b. *quomodo eſt caput Eccleſiæ. 643.* a. *quæ ipſius authoritas & à quo. 816.*

Praxis *in quo conſiſtat. 52.* a. *non eſt actio ſolius voluntatis ib.*

Prædeſtinatio *quid 206.* a. b. *209.* a. *Vnde componatur 207.* a. *quid ſignificet. 208.* b. *largè & impropriè ſumpta tum propriè ad quæ ſe extendat. 209.* a. *multipliciter definitur. 16.* a. *b. à prouidentia tripliciter diſtinguitur. 210.* a. b. *ad veramq; potentiam Diuinam tam intellectus quàm voluntatis tentiam Diuinam tam intellectus principaliter pertinet. 211.* a. b. *in actu intellectus eſt Diuina ponitur. 212.* a. *ſumitur dupliciter. ib.* b. *eſt Diuina prouidentia ordinata ad exſecutionem operis per efficacem voluntatem. 214* a *eadem eſt actus intellectus Diuini rationales creaturas eligent. 214.* b. *vnde ſumit efficaciam. 215.* a. b. *non pendet ex operibus. 216.* a. *omnium ſaluandorum quando eſt facta. 213. a. b. duo continet & quæ. 219.* b. *nullo modo Deo conuenire poteſt. ib.* a. *conſequens & antecedens quid 220.* a. b. *hominibus & Angelis quomodo conuenit. 201.* a b *hominum qui actu non exſiſtebant quomodo eſt facta, & qualis hæc videtur. 222.* a. b. *propriè dicta quorum eſt ib.* b. *etiam Chriſto Domino ſecundùm humanam naturam conuenit. 223.* a. *non tantum eſt propoſitum conferendi gloriam, ſed etiam ordinatio mediorum quibus ad æternam gloriam peruenitur. 231.* a. b. *quid excludat. ib.* b. *tam hominum quàm Angelorum ab æterno. 250.* a. *eſt prior præſcientia noſtro concipiendi modo 288.* a. *Cuius curanda 239.* a. *tam quoad primam gratiam, quàm quoad gloriam eſt gratis. ib.* b. *nullo modo eſt ex præuiſis meritis, ſed vnde 240.* b. *241. ſumpta pro actu voluntatis Diuinæ in quo electos ad certum gradum gloriæ per certa media determinauit eſt ab æterno ſimul ſine ſucceſſione. 249.* b. *in quantum eſt paſſiua & dicit effectus actiuæ non eſt ſimul ſed ſucceſſiuè. 250.* a *eſt principalis inter omnes benedictiones. 254.* a. *electorum ex meritis Chriſti præuiſis de abſoluta Dei potentia non eſt neceſſaria. 254.* a. b. *ſumpta quoad totum & integrum effectum non eſt ex meritis Chriſti 259* b. *ſumitur dupliciter 460.* a. b *ſecundum ſe ſumpta vt eſt in Deo non eſt in prædeſtinato. 261.* a. *tres producit effectus. 262.* a. b. *præſupponit merita; reprobatio peccatum, 275* a. *aliter ſe habet ad prædeſtinatos quàm reprobatio ad reprobatos. 277.* a. b *duo habet. 308* a. *ſumpta pro præordinatione, Sanctorum precibus non poteſt iuuari ibid. pro ſuis effectibus ſumpta precibus Sanctorum iuuari poteſt. ibid. ex ſola gratuita voluntate nullis meritis præuiſis*

ſis procedit. 23. a. duo actus ipſius. 213. a. eiuſdem ſigna ſex numerantur & ordinantur. 216. b. 217. a. Ex ſententia Scoti eiuſdem octo ſigna ponuntur. 217. a. eius terminus à quo eſt peccatum. 218. a. eiuſdem poteſt aliqua intra Deum aſſignari ratio mouens ab æterno ad prædeſtinandos aliquos. 224. b. 225. a. modo Phyſico quomodo cauſæ aſſignari poſſunt. 225. a. non poſſunt eſſe merita gratiam ſubſequentia. 223 a Chriſti & noſtræ diſcrimen 253. a. eſt cauſa merita Chriſti 260. a. Prædeſtinatione conſequenti prædeſtinari quid ſit. 221. a. prædeſtinatione conſequenti in omnes homines quidam certi. 220. b. Prædeſtinari & præſcire quid. 267. b. Prædeſtinatorum numerus ſoli Deo cognitus. 306. b. Prædictione futurorum Chriſtus Dominus ſuam Diuinitatem confirmauit. 161. b.

Præſcientia quid. 131. a. cum ſcientia ſunt idem, ib. non eſt in Deo propriè. 166. a. b. Diuina non imponit rebus neceſſitatem. 182. a. Diuina quotupliciter conſiderari poteſt. 184. b. Diuina nec cauſa rerum, nec modos cauſandi rerum futurarum immutat. 185. a Dei infallibilis non euertit libertatem, 189. a culpæ ſiue peccati non eſt reprobatio licet præſupponatur ad eam. 273. b. Præſcientiæ Diuinæ infallibilitas rerum contingentiam non tollit idq; quomodo 183. nomine quid intelligendum. 209. b. Præſcitum aliquid à Deo non neceſſario euenit, 189. a.

Principia ſunt cauſa efficiens concluſionis in ſcientia diſcurſiua. 149. b. principia ſeu præmiſſæ duplex in diſcurſu conſiderari poſſunt. 149. a. principia Myſterij SS. Trinitatis ſunt origines & relationes 315. a. Theologia non probat ſua principia. ſed illa ſupponit 71. b. Prius & poſterius ſecundùm noſtrum concipiendi modum in Deo conceditur.

Proceſſio reperitur in Scriptura. 315. a. conceditur in Diuinis à Sabellio ibid. b. Diuina explicatur à Sabellio erroneè. ib. eſt duplex. 316. a. ad extra adſcripta Deo eſt proceſſio erronea. 316. a. ad intra competit ſubſtantijs rationalibus ib. a. vt reperitur in Diuinis qualiter accipienda. ib. a. eſt perfectio ib a per quid ſit 317. b. Verbi attenditur ſecundum quid. 318. a. poteſt appellari productio ib. b. Filij & Spiritus S. per quam actionem ſit. 319. a. Filij ſit per intellectum. ibid. b. Spiritus S. cur non dicitur generatio. 321. b. Verbi in Diuinis dicitur generatio. 323. a. concedenda Spiritus S. 325. a. eſt actio productiua 327. a. in Diuinis & Creaturis duplex ib. b. amoris ad quid ordinatur ib. b. Filij Dei dicitur generatio, 328. a. Spiritus S. quæ nam ſit ib. a. Spiritus S. non eſt generatio ib. a. per voluntatem quomodo producit ſimile. 331. a. diſtinctio eius vnde ſumenda 329. a. modi Spiritui S. competentes 330. a. Diuinæ primæ terminus eſt verus Deus. 322. a. dari eam in Diuinis verum eſt. 315. a. eandem dari teſtatur Saluator. ib. a. conuenire Spiritui S. teſtatur ſymbolum, ib. a. fides admittit qualiter conſideratam. 316. b. Proceſſiones in Diuinis carent materia, motu, nec ſunt realiter diſtinctæ ab ijſdem 318. b. Diuinæ, non ſunt qualitates. ibi. b.

Productio vt reſultet duo ſunt neceſſaria. 318. productio Filij & Spiritus S. per quæ fit. 319. b. in Diuinis Verbi quomodo appellatur. 328. b. Producens efficiens 318. a. à producto quo diſtinguatur. 319. a. eſt prius producto. ibid. a. Productum per actionem eſt effectus. 318. b. aſſimilatur producenti. 330. a. Productionis paſſiuæ in Diuinis effectum. 325. a. Productiones ſunt duæ in Diuinis non habentes oppoſitionem relatiuam & quomodo diſtinguuntur. 325.

Propoſitio eſt triplex. 145. a. iſta (Deus ſciuit Antichriſtum fore) eſt neceſſaria ſed quomodo. 200. a. iſta (prædeſtinatio Sanctorum precibus iuuatur.) quomodo intelligenda. 309. a. iſta (Deus eſt homo) eſt vera. 672. a. Prepoſitiones hæ, mortui reſurgent, mortui non reſurgent, non ſunt contradictoriæ. 75. a. iſta, Deus ſciuit Petrum peccaturum, Antichriſtum futurum, quomodo ſe habeat. 199. a. neceſſariæ ſunt in duplici differentia. 107. b. neceſſariæ ex Suppoſitione tres gradus habent. 198. a. de futuro contingenti ſecundùm ſe ſumptæ non ſunt determinatè veræ aut falſæ. 119. b. iſtæ, prædeſtinatus neceſſariò ſaluatur, prædeſtinatus non poteſt damnari dupliciter ſumuntur, ac in ſenſu compoſito concedendæ in ſenſu diuiſo negandæ 303. a. b. Eædem ſi abſolutè ſumantur ſunt falſæ. 304. a. b. Propoſitio hæc vera eſt. Homo eſt Deus. 674. a. & hæc Deus factus eſt homo. 675. a. hæc Chriſtus eſt Creatura, quomodo ſit concedenda. 676. a. iſta homo (loquendo de Chriſto) incepit eſſe Verbum Diuinum, incepit eſſe, Deus

incepit

incepit eſſe. *tanquam Hæreticæ ſunt negandæ 678.* a. b. *& hæc* Chriſtus incepit eſſe. *falſa abſolutè ibi*. b. *& hæc* Chriſtus ſecundùm quod homo *eſt* perſona. *neganda.680*.b.*hæc* Chriſtus eſt Diuinitas & humanitas.*quomodo admittẽda.683*.a.

R.

R*atio formalis Theologiæ vt quæ eſt Deitas 66.* b. *ſub qua. ratio formalis Theologiæ eſt reuelatio Diuina obſcura. 67.* b. *formalis vt quæ quæ ſit & quid continere debeat. 67. a. quas habet conditiones. ib.*

Relatio. *Creatoris ad Creaturam eſt rationis. 544.* b. *relatio rationis quomodo fiat ib. Relatio perſonas multiplicat. 336.* a. *realis quæ dicitur 337.* a. *relatio quomodo prædicatur de Deo. 338.* b. *in Deo eſt idem cum ſua eſſentia. ib. duo continet 343.* a. *Diuina eſt in Deo. 345.* a. *Creata quid includit ib. relatio Originis quid 357.* a. *realis quali fundamento egeat 381.* a. *Relatio ſecundum communem rationem non prædicatur de Deo ſed ſecundum propriam & quare. 338.* b *in abſtracto non prædicatur de Deo ib* a. *in Diuinis dicit perfectionem tàm quoad eſſe ad quàm quoad eſſe in 344.*a. *Relationes in Deo reales eſſe de fide eſt. 336.* a. *reales fundamenta & extrema realia faciunt. 336.* b. *quomodo formaliter extrinſecè in Deo ponuntur. ib. etiam vt dicunt. ad ſunt reales 337.* a. *non ſunt in Deo mutabiles & amiſſibiles 338.* a. *vniuntur eſſentiæ diſtinguuntur autem ſecundùm eſſe notionale. 339.* b. *inter relationes Diuinas & eſſentiam nulla eſt diſtinctio actualis ex natura rei, 339.* b. *ſunt quatuor in Deo reales. 346.* a. *realiter ſunt diſtinctæ inter ſe. 347.* b. *conſtituunt Diuinas perſonas. 335.* b.

Reprobatio *eſt in intellectu 216.*b.*dari eam ratione improborum eſt de fide. 266.*a. *quomodo ſe habeat ad reprobatos. 277.* b. *à prædeſtinatione quomodo differt. 25,* b. b. *reſpectu cuius dicatur. 272.* a. *reprobatio & approbatio quando dicitur. 272.* a. *vnde tale nomen acceptum 272.*a.*eſt ex iuſtitia & indicatiua. 269.* a. *cum prædeſtinatione quomodo partes prouidentiæ Dei appellentur.*b. *reprobatio ad præſcientiam culpæ addit ordinationem ad pœnam æternam. 273.* b. *principaliter ſpectat ad intellectum præſuppoſita tamen approbatione voluntatis. 273.* b. 274 a. b. *ita reſpicit reprobos ſicut prædeſtinatio prædeſtinatos. 274.* a. *adultorum comparatiuè ſumpta quoad alios vnde proueniat 279.* b *ſumpta ſimpliciter non habet cauſam ex parte reprobi 280.* a. *cauſa eius peccatum. 268* a. *Reprobationis blaſphemia à Caluino facta. 274* b. *eius ordo 277.* b. *effectus eius qui & quot 300.* a. *non eſt effectus eius in malo perſeuerare. 302.* b. *Origines quam cauſam eius aſſignauit. 276. neq; originale neq; actuale peccatum eſt cauſa reprobationis adæquata. 281.* b. *eius cauſa ſufficiens ex parte Dei in electu. & in reprobis quæ ſit. 282.* a. b. *Reprobationis cauſa eſt peccatum parentum 240.* a. *ex parte reprobi nullam cauſam affirmare ſed eam in voluntatem Diuinam referre eſt hæreſis impia. 274.* b. *cauſa eius duplex 281.* a. *efficiens & finalis qui 274.* a. *Reprobi vt in peccata incidant aut in illis perſeuerent neq; Deus vult neq; ad hoc agit poſitiuè 301. ex bonis operibus Dei faciunt peccandi occaſionem. 302.* b. *circa reprobos quot actus ab æterno Deus habuit. 279.* b. *Reprobi cur dicuntur præſciti 267.* a. *peccando ad quem ſtatum peruenire poßunt. 284.* a. b. *plures etiam Chriſtiani quam prædeſtinati. 307.* b.

Res *intellecta in intelligente dicitur ſimilitudo amata in voluntate dicitur amor 326.* a *exiſtens in intellectu facit ipſum in actu 331.* a. *dupliciter cognoſcitur 110.*b.*111.*a.*nulla eſt quam Deus neſciat.154.*b. *ſignificata dupliciter poteſt intelligi per propoſitionem 156.* b. *Res creatæ actu exiſtentes non adæquant virtutem Dei. 135.* a. *cognoſcuntur à Deo prout ſunt in duratione æternitatis. 144.* a. *præterita & futura quomodo in ſcientia Dei ſe habeant. 153.* a. *ſiue mutentur ab eſſe ad non eſſe ſiue à non eſſe ad eſſe nullam mutationem in Dei ſcientia ponunt 153.* a *res omnesq; aliæ Creaturæ ideo ſunt quia eas nouit Deus ib. futuræ. quomodo in Nunc æternitatis tanquam præſentes contineantur. 167.* a b. *temporales dum dicuntur præſentes æternitati duplicem habent ſenſum. 169* b. *170,* a. *quæ in tempore fiunt quomodo exſiſtant in æternitate 170* a. *poſſibiles quæ nunquam futuræ ſunt quomodo cognoſcit Deus 174.* a. *naturales ſunt prædeterminatæ ad vnum. 180.* b.

Reuelatio. *& fides quo differant. 71.* a. *quomodo ſe*

do ſe habet. 46. b. Diuina ré ipſa eſt aliquid 44. a. eius defectu in viris doctiſſimis fuit cauſa errorũ.14.b.

S.

Sacerdotis officium quod eſt proprium 700. b. Sacerdotij & Hoſtiæ victima deductio 702. a.
Sacrificium ad quid neceſſarium 702. a.
Sapientia in Deo duplex 321. a. quomodo ſit ſimul ſcientia & intellectus 63. b. vt Theologia & vt donum differunt dupliciter 64. a. Sapientiæ officium eſt ordinare & iudicare 62. a. ſapientiæ Diuinæ & naturalis diſcrimen ibid.
Sanguis qui erat in corpore Chriſti, erat in Verbo hypoſtaticè vnitus 615. b. duplex eſt ibid. cur non poſſit dici Deus 617. a.
Satisfactio ſufficiens quotuplex 547. a. 550. b. Satisfactio Chriſti fuit infiniti valoris 554. b. quando eſt de rigore iuſtitiæ ibid. vnde ſumit valorem 555. a. ſatisfactio Chriſti in genere Entis fuit finita, in genere autem moris infinita 558. a. ad quam iuſtitiam pertinet ibid. Satisfactionis Chriſti valor infinitus ſumitur ex infinitate Perſonæ Verbi 557. a. Satisfacere imperfectè an purus homo poſſit pro peccato 550. a. purus homo de potentia Dei abſoluta potuit ſatisfacere imperfectè 552. a. Satisfecit ſibi quomodo Filius Dei in redemptione generis humani 556. b.
Scriptura vtitur nomine proceſſionis 315. a. Scriptura S. eſt verbum Diuinum 317. b. quomodo vitiatur 79. a. in ea & res & verba à Spiritu S. ſuggeſta ſunt 77. b. Sacra & Eccleſiaſtica quo differunt 78. a. argumenta ex illa ducta quomodo concludũt ib. b. Scripturas interpretandi ius cui datum 19. b. ad eas conſtituẽdas quot conditiones requiruntur 77. a. Chriſtus & apoſtoli in duplici ſenſu ſunt interpretati 86. a. Scriptura Sacra aperta de vera Diuinitate Filij Dei & Spiritus S. 315. b. eius dignitas & authoritas quanta 78. a. eius nulla ſuperflua ſunt neq; verba otioſa 77. b. eius nouum ſenſum inuenire non licet 82. a. eius ſenſus duplex continetur ſub vna litera 85. a. nullus locus eſt S. Scripturæ, qui non habeat ſenſum literalem 89. a. Senſus literalis duplex ibid. Spiritualis quid & quotuplex 91. a. b. ex quo ſenſu argumenta efficacia ſumuntur 91. a. quis ſenſus nobilior 93. b.
Scientia Dei habet ſe vt cauſa exemplaris & effectiua 132. b. quomodo ſit cauſa rerum ibid. b. ſimplicis intelligentiæ non eſt productiua rerum 133. b. viſionis eſt effectrix futurorum contingentium 175. a. Scientia Dei diuiditur 175. b. viſionis ſupponit in ſigno rationis res à ſe productas 176. b. Dei ſemper præſens eſt 177. b. Scientia Dei etiam malorum eſt 137. a. Dei non eſt diſcurſiua 148. a. Dei conſiderata quoad augmentum decrementum non eſt variabilis 153. b. Diuina & humana quo differunt 136. a. comprehenſiua quotupliciter ſumitur 648. b. in Deo qualis inuenitur 97. a. Dei ſemper eſt actualis 16. Dei quomodo dici poteſt habitus ibid. Dei iuxta Doctores quotuplex 113. a. b. 114. a. ſimplicis intelligentiæ & viſionis quomodo diſtinguitur. in Deo 114. b. ſcientia media quid 115. b. media cur ab authoribus adinuenta 126. media ſcientia quæ abſurda inuoluit 127. a. 126. Dei Scientia eſt productiua rerum 131. b. Scientia libera quid 128. a. Scientia Dei eſt neceſſaria non tamen ſequitur quod producat effectus neceſſarios 133. b. in Deo eſt etiam eorum quæ non ſunt 135. a. humana duplicẽ diſcursũ recipit 148. a. ſimplicis intelligentiæ eſt immutabilis 150. a. Scientia dupliciter variatur 151. b. ex parte cognoſcentis tripliciter variatur ibid. Dei ex mutatione rerum mutationem non recipit 152. b. ſumitur ex obiecto 153. a. Dei ſecundum veritatem aut falſitatem eſt inuariabilis 154. a. duplex 157. ſpeculatiua tripliciter poteſt dici ibid. Scientia infuſa in anima Chriſti an fuerit Angelis perfectior 655. a. infuſa in anima Chriſti fuit habitualis ibid. Scientia futurorum contingentium eſt proprietas ſolius Dei 162. a. approbationis non diſtinguitur à ſcientia viſionis 175. b. ſimplicis intelligentiæ conſtituit res in actu primo viſionis in actu ſecundo 177. b. Scientia Dei quales enuntiationes ſuſcipiat 197. b. Dei non imponit abſolutam neceſſitatem rebus futuris nec tollit liberum arbitrium 198. b. Scientia prædeſtinationis cur immediatè ſequatur ſcientiã Dei 205. b. Scientia in Chriſto infuſa fuit diſtincta per diuerſos habitus 955. b. Scientiæ noſtræ imperfectiones ſunt tres 97. a. Scientiæ variatio aut ratione medij, aut ratione virtutis intellectiuæ procedit 154. b. ſpeculatiua & practicæ conuenientia & differentia 50. b. Scientiæ ad res fidei habendas ſunt neceſſariæ 23. a. Sunt dona Dei ibid. Scientiam quomodo Chriſtus Dominus in breui ſuæ vitæ tempore acquiſiuit, & quæ per illam ſciuit 666. a. in ea proficiebat 557. a.

Sermo *quid ſonat, & ad quid ſpectat* 320. a.

Signa *rationis in intellectu Diuino quinq́;* 559.b.

Similia *duo dicunt diſſimilitudinem & potentiam intellectum abducendi à veritate* 313. b. *conuenientiſſimè vniuntur* 606. a. *Similitudo obiecti cogniti eſt verbū* 321.b. *Similitudo rei intellectæ eſt termin⁹* 326. a

Solus *cui poteſt adiungi* 859. a. *dupliciter accipitur* ibid.

Spes *in Chriſto Domino quomodo fuit & quomodo non* 629. b.

Species *intelligibiles recipiuntur ſine materia* 98. a. *Species quas Adã in ſui creatione accepit fuerunt per accidens infuſæ* 440. a. *neceſſariò ponendæ ſunt in Angelo* 442. b. *per quas Angeli intelligunt quando illis ſint infuſæ* 443. b. *Angeli ſpecies non poſſunt ſibi producere* 444. b. *tantò per pauciores Angelus & magis vniuerſales cognoſcit, quantò eſt ſuperior* 447. a. *Species duplices* 448. a. *Species Angeli plura poteſt repræſentare quare?* 448. b. *vniuerſalis dupliciter intelligi poteſt* 447. a. *Species Angeli quid ſunt* 455. a. *Angelicas producendi modus eſt tantum vnus* ib. *Species intelligibilis aliter repræſentat ſuum obiectum quàm effectus ſuam cauſam* 459. a. *Species inferiorum creaturarum nullam addunt Angelo perfectionem ad cognoſcendum Deum* 461. a. *Species Angelica eſt ſimilitudo Diuinæ ideæ exẽplari deriuata* 464. a. *vnde cognoſcit & communem naturã & indiuidua* 465. a. *quomodo ſit vna & varia ſpecies intelligibilis* 466. b. *non habet perfectionem repræſentandi omnia indiuidua poſſibilia* 16. *Species Angelicæ quomodo repræſentant oppoſita* 462. b. *Species intelligibiles non ſunt principium actiuum* 481. b. *Species quælibet continet in ſe duo* 394. a. *Specierum multiplicatio per ſe ordinatur ad perfectionẽ vniuerſi* 396. a

Spiritus S. *dupliciter aliquam reuelat veritatem* 77. a. *per actionem voluntatis procedit* 320. a. *procedit vt ſpiratus non vt genitus* 330. a. *in quo eſt ſimilis Patri & Filio* 731. b. *Spiritus S. proceſſio per modum ſimilitudinis eſt impoſſibilis* ibid. b. *Spiritus S. eſt qui ſpiratur* 333. a. *Spiritus S. nomen ſoli tantum tertiæ perſonæ competit* 368. a. *Spiritus S. Pater & Filius ſunt vnum principium productiuum* 369. b. *Spiritus S. eſt verus Deus* 316. a. *charitas appellatur* 320. a. b. *non eſt realiter diſtinctus à Filio quomodo* 325. *cur non eſt imago* 331. b.

Spiratio *actiua à ſpiratione paſſiua quomodo diſtinguitur* 347. *eadem à relationibus Paternitatis & Filiationis quomodo* ibid. *actiua quæ eſt in Patre & Filio quomodo opponitur paſſiuæ* ibid. *eſt principium proceſſionis & productionis Spiritus S.* 370. b. *nullam perſonam conſtituit ſpiratio actiua* ibid. *Spirator vnus non ſpiratores Pater & Filius* 370. a. *Spirans & ſpiratum realiter differunt* 333. a.

Stella *ducens magos quali conſtabat materia* 4[illegible] b. *Stellæ primæ magnitudinis quanta* 396. b.

Subalternatio *quid requirat propriè dicta* 127. a. *Subalternationis in Scientiis conditiones quatuor* [illegible] *Subalternari quid* 40. a. *eius genus triplex* ibid.

Subſiſtentiæ *in Deo tres dantur relatiuæ* [illegible]

Superbia *iuxta D. Aug. quid, & ſpecies eius quæ* ibid. 520. a. *ſumpſit originem ex inuidia in Diabolo* ibid. *eius* [illegible] *Angelis* 522. a. *Superbiæ cauſa inconſideratio in Angelis* 529. b. *motiuum eſt excellentia naturæ in Angelis*

T.

TEmpus *quomodo ſe habet ad nos & ad Deum* 151. a. *tempus ex pluribus inſtantibus fit* 432. a. *quomodo faciunt duo inſtantia* 433. a. *quo menſurantur Angeli à noſtro diuerſum* 433. b. *tempus in quo res aliqua exſiſtit quomodo ſe habet ad cognitionem noſtram & Diuinam* 151. a. *præſens dupliciter conſiderari poteſt* 155. a. *ab inſtantibus quomodo diuiditur* 432 b. *differentias eius volitio Diuina non admittit* 249. a. Temporales *res eſſe præſentes æternitati in duplici ſenſu* 169. a.

Teſtamentum *nouum non vtitur Tropis nec figuris ſicut lex antiqua* 618. a. *Teſtimonium tres queunt dare in cælo* 320. a.

Templum *habere eſt ſolius Dei* 315. b. *Spiritus S. ſunt membra humana* ibid.

Theologia *vnde dicitur* 3. a. *quotuplex* ibid. [illegible] *ſupernaturalis in triplici ſubiecto reperitur* 5. a. *quid ſcholaſtica & quid poſitiua & cur ita dicta* 5. b. *quid* [illegible] *ibid. non ſcripta* [illegible] *re inſtituta* 6. a. *quando cœpit* ibid. *non ſcripta quando cœpit & quando ante Moyſen* ibid. *ſcripta quando cœpit & quando perfecta* 6. a *eſt antiquior omnibus prophanis ſcientijs* 7. a. *etiam ad veritates luminis naturalis neceſſaria* 14. a. *triplex eſt* 15. a. *omnibus ad ſalutem neceſſaria* 16. a. *neceſſaria de Chriſto mediatore* 18. a. [illegible] *pta pro Sacræ Scripturæ interpretatione non eſt* [illegible] *ſingulis*

ſingulis ad ſalutem neceſſaria 18.b. Scholaſtica Eccle-
ſiaſtica ſſima 19.b. quo differt à poſitiua 16. quare ſe
ſeruitur ad Philoſophiam 21. a. b. eſt ſcientia 24. a.
eſt habitus quo quis bene deducere poteſt Concluſiones
ex principijs 27. a. in ſe & in ſubiecto conſideratur 27.
b. in Deo, Chriſto, Angelis, Beatis, eſt vera ſcientia
ibid. in viatoribus eſt euidens & obſcura 28. b. in
quibus deficit 30. b. ineuidens eſt vniuoca cum euiden-
ti 31. a. quæ eſt viatorum non ſubalternatur Theolo-
giæ Diuinæ 36. Beatorum & viatorum eadem habet
principia ibid. b. quæ eſt viatorum ex parte obiecti
non ſubalternatur Theologiæ Beatorum niſi ſecun-
dum quid 38. b. vtriuſq; eſt idem ſubiectum ibid via-
torum nulli ſcientiæ ſubalternatur 40. a. eſt vna ſci-
entia & vnus habitus ſpecie ſpecialiſſima 43. a. eſt pro-
babile in patria manſuram 46. a. magis eſt ſpecula-
tiua quàm practica 50 a. noſtra eſt participatio Diui-
næ ſcientiæ 54. a dignisſima eſt omnium ſcientiarum
57. a. & ſpeculatiuas & practicas ſcientias ſuperat
59. a. eſt verè ſapientia 61. b. corrigit aliarum ſcien-
tiarum defectus 63. a. noſtra cur non eſt Deo coæ-
qualis 65. b. eſt argumentatiua ſed cum triplici cau-
tione 69. a. dupliciter ſumitur 71. a. non probat ſua
principia ſed ſupponit 71. b. arguit contra eos qui ali-
qua principia negant & aliqua concedunt 72. a. infi-
delium diſſoluit rationes ibid. a. contra quos arguit
contra quos non 72. a. eſt habitus ſupernaturalis ha-
bens aliquid naturale 84. b. quotuplicia eius argu-
menta 94. b. Theologiæ variæ diuiſiones 6. b. eius ra-
tio formalis ſub Qua eſt lumen reuelationis 13. a.
quanta ſit eius neceſſitas 15. a. eius vniuocatio poteſt ſta-
re cum imperfectione 31. b. Theologo quis ordo in
diſputatione cum infideli ſeruandus 73. b.

Termini numerales qui ſunt 357. a. in creaturis
quomodo ſunt productiones 325. a. producti intra Di-
uinam eſſentiam ſunt duo 326. a. producti ſcilicet Fi-
lius & Spiritus S. realiter diſtinguuntur 326. a.

Timoris obiectum quod 631. a. Timor fuit in
Chriſto 670. a. Dei filialis in Chriſto fuit 630. b. quo-
modo fuit in eodem idem Dei filialis 631. a.

Traditio quid 79. a. quomodo differt à S. Scri-
ptura vel conuenit cum ea ibid. b. eſt locus Theologi-
cus internus 79. a. Traditionis quæ notæ & quæ ne-
ceſſitas 80. a. eius comparatio cum S. Scriptura, cum
authoritate ibid. b.

Trinitas SS. naturaliter nequit cognoſci 260 a.
Trinitatis myſterium ſuperat intellectũ noſtrum 314.
a. nullam continet falſitatem ibid. illud reuelat ipſe
Deus ibid. illud contemplantes quos modos debemus
obſeruare ibid. b. Trinitatis SS. myſterij duplicia
ſunt principia 315. a. partes ſubiectinæ duplices ibid.
proprietates tres ibid. b. doctrina non repugnat lumi-
ni naturali nec veræ Philoſophiæ 314. a. nomen eius
quid ſonat 358. b. Trinitatis SS. in myſterio fidem
ducem ſequi oportet potius quàm rationem 313. a. Tri-
nitas perſonaris ſubiectum eſt tractatus de SS. Trinita-
te principia ſunt origines & relationes 315. a. 314. b.
Trinitas SS. à Triſmegiſto quomodo declarata 360. a.
non poteſt cognoſci ne à poſteriori naturaliter ibid b.
Trinitas nomen optimè in hoc myſterio ad ſignifican-
dum tres perſonas vſurpatur 358. b.

V.

Verbum quid ſignificat 316. a. à Diuino in-
tellectu productum habet ſimilitudinem cum
verbo intellectus creati 317. a. Dei diciturquic-
quid ex præſcripto voluntatis Diuinæ fieri debet ſiue
ſunt ſigna ſiue effectus ibid. b. verbum mentis produ-
citur per actum intelligendi, vocale per actum loquẽ-
di 365. a. verbum in Diuinis ſolus Filius propriè dici-
tur ibid. etiam ad creaturas importat reſpectum ib.
b. vnde procedit ib. verbum producitur etiam ex co-
gnitione Spiritus S. 366. b. eſt expreſſa ſimiliudo in-
tellectionis 653 a. Verbum Diuinum vt incarnaretur
fuit maximè conueniens 542. a. Verbum Diuinum nõ
aſſumpſit naturam humanam exſiſtentem propria ex-
ſiſtentia 584 b. Verbum homo cogitatione producit
317. a. Deus Pater per intellectum generat ib. intel-
lectus noſtri eſt imago vel intelligitur 317. b. in men-
te artificis eſt ib. mentis noſtræ & diuinum per quid
manifeſtatur 317. b. Diuinum & humanum certum
eſt diſtingui ib. quibus ſolet accommodari ib. Dei
quod appellandum 317. b. mentis procedit ex vi intel-
lectiua 316. a. intelligibile vnde procedit 36. b. in-
tellectus noſtri deſcribitur ib. b. in natura ſpirituali
quid eſt 320. a. diſtinguitur contra ſermonem 320. a.
quid ſonat apud Arrianos 322. b. creationis non habet
conditiones Verbi Filij Dei 323. a. procedens dicitur
Filius ib. a. diuinum producitur per intellectionem
328. b, cur genitum ib. b. Verbum quid denotat 365.

 a. quo

a. quo differt à ſpecie intelligibili 433. b. eſt expreſſa ſimilitudo intellectionis 453. a. Verbum aſſumpſit humanitatem non Dei Filius hominem 613. a. non debuit aſſumere naturam humanam abſtractam ab omnibus indiuiduis 613. a. veram animam aſſumpſit 618. a. aſſumpſit animam intellectiuam ib. b. quomodo aſſumpſit carnem mediante anima 619. a. Verbum præſciuit quid denotet 238. b. Verbi licentia impiam gignit opinionem 314. b. Verbi quod erat in principio conditiones 313. a. Verbi in diuinis proceſſus 365. b. Verbi (Deſtino) acceptio duplex 207. a. Verba inordinatè prolata gignunt Hæreſim 314. b.

Veritas ex reuelatione cur efficax 12. a. lumine naturali cognoſcibilis indigebat Theologia 14. a. ob quas cauſas deſeritur à pluricus ib. Veritatē cur naturalis ratio non acquirit ſine errore 14. b. Veritates Dei Theologia quas conſiderat 68. a. dupliciter Spiritus S. reuelat 77. a. fidei excedunt captum rationis naturalis. 83. b.

Virtutes omnes in Chriſto fuerunt. 626. a. etiam acquiſitæ in Chriſto fuerūt 627. a infuſæ ſunt tres 334. a. Virtutis moralis qui primarius effectus. 627. b.

Viſio beatifica & gaudium æternum ſunt actiones Angelorum ſupernaturales 436. b. Viſio Dei habet quandam vim præſeruandi à peccato 502. b. Viſio Beatifica cum naturali ratione nullam habet repugnantiam. 510. b. Bonitatis Dei non permittit Angelum peccare 511. b. Viſionem beatificam pars Angelorum elegit pars contempſit. 496. a.

Vnio filij Dei cum humanitate nullam ponit mutationem in Deo. 544. b. Vnio Verbi incarnati facta eſt in Perſona. 569. a. Vnio Verbi incarnati non eſt facta in natura 566. b. non eſt facta in perſona quæ dignitatem ſignificet. 572. a facta eſt in Hypoſtaſi ſeu in ſuppoſito Verbi ib. Vnio animæ & corporis facta eſt in Chriſto. 576. a. Subſtantialis vnio duo requirit 578. a. eſt aliquid creatum 579. a. ſumitur tripliciter. ib. b. vt dicit actionem vniendi eſt quid increatum. 580. a. b. quomodo ſit omnium maxima. 586. a. Hypoſtatica eſt opus miraculoſum. 407. b. Vnionem hypoſtaticam nulla merita Chriſti præceſſerunt. 588. a. Vnione facta in Chriſto Domino manent duæ naturæ perfectè & non confuſæ. 567. b. Vniri accidentaliter eſſentialiter & ſubſtantialiter quid ſit. 577. a. vniri materia ſine forma poſſitnè Deo Hypoſtaticè. 609. b. vniri accidens poſſitne Deo Hypoſtaticè. 610. a.


Voluntas bonorum Angelorum in bono malorum in malo confirmata eſt 533. a. Voluntas per actum ſuum intra ſe aliquid non producit. 327. a. nihil amat quod non ſit prius in intellectu. 327. b. Diuina eſt cauſa quod quidam prædeſtinētur & quidam reprobentur. 239. b. & 240. b. cur non recipit Species 98. b Voluntas Diuina perducendi ad gloriam non eſt reprobatio. 272. b. in Chriſto fuit efficax. 660. b. ab intellectu Angeli diſtinguitur. 492. a. ſeu appetitus Angelorum manet indiuiſus. 493. a. Diuina non imponit rebus neceſſitatem. 190. b. Diuina eſt prima radix Contingentiæ 193. b. Diuina in prædeſtinatione dupliciter ſe habet. 214. b. Dei gratuita & miſericors eſt cauſa prædeſtinationis. 240. b Diuina ab æterno fuit ad prædeſtinandum vnumquemque electum determinata. 251. b. Dei ordinat quod vult 201. b. noſtra in actionibus ſupernaturalibus, non præuia ſed pediſequa eſt 299 b. permittendi peccatum licet ſupponatur ad reprobationem non eſt cauſa reprobationis ſed conditio ſine qua non 301. a. dicitur in ſe continere minus nota & nominata. 326. a. amando producit intus ipſum amorem ib. a. differt ab intellectu. ib. b. quid producit 327. a. quomodo fiat in actu 331. a. non producit aliquid intra ſe. 327. a Voluntatis quis terminus 327. a. Diuinæ acceptio ad prædeſtinationem requiritur, 214. 214. a. b. humana & Diuinæ differentia 243. a b. actus quis, 272. a. Diuina in prædeſtinando indifferentia triplex. 251. b. non aduitit

Volitio. Dei eſt tota ſimul. 152. b. non admittit differentias temporis. 249. a. b. terminata tamen ad obiectum ſecundarium admittit ib. differt ab intellectu. 331. a.

Vocabula in SS. Trinitatis myſterio quæ obſeruantur 314 b. reſultantia ex myſterio SS. Trinitatis duplicia ib.

Vſus Verborum promiſcuus generat Hæreſes periculoſiſſimum in myſterio SS. Trinitatis. 314. b. quibus vocibus vtuntur. PP. & Concilia ijſdem Hæretici ſunt hoſtes iurati ib. b.

Errata Beneuolus corriget Lector.


TRACTATVVM
THEOLOGICORVM
ex I2. et ex 2 2. Sumæ D. Thomæ
Authore
A. R. D. Adamo Opatouio s. th.
Doctore & in Academia Crac.
Profeſſore Eccl. Cath. Crac.
Canonico
PARS SECVNDA.

In Arma Illuſtriſsimi Domini,

D. IACOBI SOBIESKI,

PALATINI TERRARVM RVSSIÆ.



SCulpſit in hoc CLYPEO *ſuauis ſua nomina Suada;*
Sculpſit Mars, Pallas, Conſus, Apollo, Ceres.
Sculpſerunt Charites, ſculpſerunt nomina Muſæ,
Sculpſit Virtutum maximus Ordo ſua.
Cur tamen effugiant oculos tot nomina, quæris?
In CLYPEI *DOMINVM lumina verte, leges.*

MICHAEL KLONSKI,
Eloquentiæ & Philoſophiæ in Almæ
Acad. Crac. Auditor.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. JACOBO

à SOBIESZYN

SOBIESKI,

PALATINO TERRARVM RVSSIÆ, CRASNOSTAVIENSI, IAVOROVIENSI &c.

CAPITANEO.

Domino Patrono Colendiſsimo.

BENEDICTIONEM DIVINAM. P.

ACerba eſt & hoſtilis, à prima ſtatim origine mundi, Inuidiæ iuncta, ILLVSTRISSIME DOMINE, *non ſolùm cum virtute, bonorum operum fructus germinante; ſed etiam cum his, qui illius ſimulacrum quoddam in ſe effingere conantur. Huic enim peſti, in medijs inferni viſceribus natæ & enutritæ (his enim natalibus gloriatur) nihil magis dolet; quàm, ſi quem hominum opinione & laudibus, celebrari inaudiuerit. Et hic irrequietus dolor, ex alienâ gloriâ conceptus, adeò ima præcordia depaſcitur, atq; tam graui amaritudine corrodit: vt conquieſcere nequeat; donec id,*

)(*quod*

quod tantoperè laudatur, linguæ aculeis deformatum, aut de medio ſubla-
tum eſſe cognorit. Et huius quidem pernicioſi mali, ô quot, & quàm fune-
ſtæ clades, vbiq́; locorum conſpiciuntur! nec ipſi Cælo pepercit; ſed animum
Principis Angelorum, ex conſpectu admirabilis excellentiæ Diuinitatis,
in tantum liuore ſuccendit, & in rabiem extremam conuertit: vt auſu teme-
rario ac feroci, ſui Conditoris ac omnium ſæculorum Domini, Diuinitatem,
beatitudinem, & immortalitatem violenter rapere, ſibiq́; vſurpare veritus
non fuerit. Et ideò à tam enormis iniquitatis malitia, omni claritate lucis,
innumeriſq́; cæleſtium gratiarum ornamentis ſpoliatus, in teterrimo incluſus
carcere, nunquam finem habituris cruciatur flammis. Nec rabies huius in-
fernalis Furiæ, his tam atrocibus pœnis coërceri potuit; ſed virus ſuum in
primos effudit Parentes, eá ſolâ de causâ, quòd grauiter torqueretur; dum
eos animi & corporis donis, ab innocentia emanantibus, coruſcare conſpice-
ret, & Diuino complecti fauore videret: quos poſtquam per fraudem, ad di-
uini mandati contemptum, & præuaricationem traduxit; confeſtim omni
felicitate exutos, in extremam egeſtatem coniecit. Et tandem hæc pernicies,
in animis omnis ætatis, conditioniſq́; hominum inſedit, eoſq́; duriter exagi-
tat. Si quis enim amore propriæ excellentiæ plùs nimium tenetur, tunc ex
ſententia D. Auguſtini; vel paribus inuidet, quòd ei coæquentur; vel inferio-
ribus, nè ſibi coæquentur; vel ſuperioribus, quòd eis non coæquetur. Si verò
proſpera, & aduerſa aliorum conſiderat, ex proſperis cordis anxietatem pa-
titur; ex aduerſis autem, quæ proximos affligunt, lætatur & exſultat. Hinc
ô quanta diſſidia! quanta malorum colluuies, quanta animorum aliena-
tio! iam rumpitur Dominicæ pacis, & charitatis fraternæ vinculum, furit
diſcordia, ira ferueſcit, veritas adulteratur; atq́; hinc ad Schiſmata & hæ-
reſes proſilitur. Et licet hoc, quantulumcunq́; ſit, quod iam in lucem emitti-
mus, nullam ingenij & doctrinæ laudem præſeferat, vt meritò inuidiæ cen-
ſuram euitare poſſit: tamen huic malo, etiam hoc graue, & non tolerandum,
quòd lucem aſpiciat. nam has quoq́; lucubrationum vmbras, tenebris denſiſſi-
mis immerſas, & in his conſepultas eſſe optaret. Et ad has quidem præſti-
gias auertendas, efficacius remedium non poteſt haberi, præter patrocinium
alicuius primariæ authoritatis viri, in quem propter eius ſummas virtutes,
& ob inſignem opis ferendæ promptitudinem, omnium deſideria ſunt conuer-
ſa; &

ſa; & quem, tanquam beneficium ſidus, & tutelare numen, omnes ſuſpiciũt atq; intuentur. In hoc autem deligendo, non multùm, nec diu mihi laborandum fuit; poſtquam iucundiſſima Nominis Illuſt. Magnif. Tuæ, animum meũ ſubijt recordatio: in quo vera Heroicarum virtutum, & publicis commodis conſulentium, expreſſa reſplendent exempla. In viris Illuſtribus, publico bono, Eccleſiæ & Reipub. natis, omnium virtutum ſuffragio, principem locum tenet Religio; quæ mentem illorum cognitioni, amori, & cultui veri Dei adſtringit, & in iuſſis diuinis adimplendis exercet; certò his promittens, quòd æternæ beatitudinis, immortalia ſint conſecuturi præmia Hanc Tu Illuſtriſſime Domine, ſtatim à primis annis, ſummo ſtudio complexus es, illiq; tanquam cæleſti magiſtræ, teipſum moderandum tradidiſti; dictis eius, tanquam fideliſſimis monitis, in omnibus obtemperans, nec vnquam mundi illecebris, fucatiſq; promiſſionibus, aurem facilem accommodans: ſed hoc vnum votis ardentiſſimis exoptans, vt mens Illuſtriſſimæ Magnif. Tuæ, hoc tanquam certiſſimo ſignaculo æternæ hæreditatis capiendæ inſignita, vitiorum monſtra profligaret. Ita profectò non ſolùm Tuis, ſed etiam Ciuium ac Reipub. proſpiciens rationibus, hoc diligenter prouides; nè quid in eis lateat, quod Diuinis aduerſetur imperatis. iudicans & quidem ſapienter, nullum negotiũ, quod Deo aduerſante ſuſcipitur, proſperos progreſſus habiturum; plurimumq; eſſe metuendum, nè ob contemptum, indignationis Diuinæ furorem vlciſcentem experiamur. Si verò in aliquo, vel leuiter lædi, aut diminui integritatem, ac ſanctimoniam rerum ſacrarum aduertiſti: quid non egiſti, non modò Senatoria fungens dignitate; ſed etiam Ordinum Regni demandata officia gerens; vt illibatus honor templis, & illorum miniſtris debita redderentur ſtipendia. Cùm verò in iudicijs Regalibus, (Comitiorum tunc tempus erat) de graui iniuria, quam crudelis hæretica impietas, Deo dicatis Perſonis intulit, conqueſtum eſſet: & quod inſuper Crucifixi imagine ſculptâ, & Sacris ritibus, ad ludibrium, in diuerſis Regni prouincijs per ſummam ignominiam abuſa fuiſſet: & cum ad hunc tantum, pluſquàm barbarum Dei contemptum, rerumq; illius cultui deſtinatarum profanationem. Sua S. R. Maieſtas exhorruiſſet; Senatuſq; vniuerſus hoc abominandum ſcelus, capitis & exilij pœnis expiandum eſſe decreuiſſet. Tibi profectò Illuſtriſſime Domine, præter hunc communem dolorem, quidam acerbior defi-

xus cor ſauciabat. Zelo enim domus Dei zelabaris, dolens eò impietatem, & audaciam, Gentis Polonæ progreſſam eſſe; vt non metueret ignominioſè inſultare Sacris, illorumq́; honorem proſtituere & violare, pro quibus defendendis, cum Sacra Regia Maieſtate, quæuis pericula adire non recuſarunt; ſuum etiam, ſi ita neceſſitas poſtularet, parati fundere ſanguinem. O Te felicem Illuſtriſſime Domine, quem hic Zelus vrget, & gloriæ Diuinæ vindicem ac cuſtodem conſtituit: hic enim cum ingenti animi dolore coniunctus frequenter conqueritur; Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo, zelari ſuper iniquitatem impiorum. *Hinc crebris ſermonibus vſurpare ſoles, huius litis in cauſa Religionis, qua vnicuiq́; poſt Deum nihil carius eſſe debet, quandoq; gladium, tanquam arbitrum, fore diremptorem.* Zelus (*inquit D. Ambroſius in Pſal.* 118.) Dei gratia eſt, zelus Dei vita eſt, quam auctor gratiarum iuſtorum pectori infundit. *Et ſuperiùs idem dicit:* Zelo vindicatur Hieruſalem, zelo Eccleſia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia poſsidetur. *Ipſe quoq́; Saluator noſter ait;* Zelus domus tuæ comedit me, *increpans Iudæos, quòd domum Orationis ſpeluncam latronum, & domum negotiationis fecerint. Et hæc quidem virtus, è cæleſti rore benedictionis exorta, ſi quando in alicuius mortalium animo inſederit, magnum illuſtrium virtutum, quibus inculpatam vitæ ſanctimoniam operatur, ducit ſecum comitatum. Adeſt iuris & æqui vnicuiq́; reddendi ſtudium: adeſt in rebus agendis, & vitandis circumſpecta ſolertia; adeſt robur animi infractum, nulla aduerſa pericula extimeſcens: & quæ tumultuantes affectus, tanquam turbulentos ciues, regat & in officio contineat, moderatrix temperantia adeſt: ab his tandem radicibus, exorta infinita virtutum progenies, ſuo quælibet intenta operi, præſto quoq́; adeſt. Quis igitur ardentiſſima Tua in Deum pietate conſpecta, non conteſtim fatebitur, cæteras quoq́; virtutes propter mutuam inter ſe coniunctionem, in receſſu ſacrarij mentis Tuæ reſidere? & ſi quando aliena ac publica vtilitas, opem ſibi adferri inclamauerit, ſubitò quælibet illarum ad ſui muneris impletionem cum alacritate procedere? Et quia iuſtitiæ iura primaria ac ſacroſancta habentur, quibus ſalus & incolumitas Rerump. conſeruatur:* Nam remota iuſtitia (*dicebat D. Aug. lib. de Ciuit. Dei.*) quid ſunt regna; niſi mera latrocinia? *ideò hanc Illuſtriſſime Domine, in maximis & difficillimis*

cilliмis Reipub. negotijs peragendis, ſanctè & religiosè retinuiſti. Rectè enim iudicas, nihil vnquam glorioſum, nihil ſalutare, nihil ſtabile poſſe conſiſtere: ſi in aliquo à regula æquitatis diſceſſum eſſet, memor illius Diuini moniti Eccl. 10. cap. Regna à gente in gentem transferri propter iniuſtitiam, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos: illa verò florentiſſima, quàm diutiſſimè in pacis & tranquillitatis abundantia durare, & rerum omni copia florere; quæ ſuum cuiq; tribuunt, aliena non vendicant, diligenterq; communem æqualitatem, ad omnes æquabilem cuſtodiunt. Et hic incorruptus iuſtitiæ amor, multorum Tibi laborum tolerandorum, & ſumptuum faciendorum, ô quàm frequentes occaſiones præbet! in grauiſſimis enim controuerſijs componendis, ſi quando huic Regno cum vicinis interueniunt, Tuo perſpicaci, & bonorum conſiliorum feraci iudicio, ſemper Reſp. præclarè & feliciter eſt vſa. Tibi Eccleſia & vniuerſus Reipub. ſtatus debet, atq; etiam in acceptis refert, quod hucuſq; cum Othomanico imperio pacem habeamus. Tu enim Legatione ſuſcepta Oſmani Imperatoris crudelem animum, & huius Regni potiundi cupiditate incenſum, ac propè iam ſpe occupandi inflatum, ſumma dicendi copia, & ſagaci dexteritate, ad hoc Tibi diuinitus conceſſa repreſſiſti, & ad pacis conditiones accipiendas adduxiſti. Illa verò aduerſa procella, quæ Ciuium bonis, & Sacris templorum aris, interitum portendebat; cum inſolens audácia, à vero magiſtratu, ereptam iura dicendi poteſtatem, militi furioſo, audaci, malè feriato, & quod eſt deterius, fœderato tradidit: hæc (inquam) procella, quæ dignitatem Reip. afflixerat; ita, vt omnium bona oppreſſa ingemiſcerent, Tuo inprimis labore, à ciuicibus libertatis Polonæ fuit depulſa: cum promerita ſtipendia vnicuique, ſeruato æquitatis moderamine, perſolui curaſti. Hæc eadem dexteritas, tanquam æquitatis magiſtra, in Ciuium animis conciliandis, & in rationibus accommodandis, quid cui debeatur, ſumma cum laude verſata eſt, atq; etiam nunc infatigabilis verſatur: vt meritò ſibi publica iudicia gratulentur, quòd à multis perplexis difficultatibus, liberentur. Si verò rebus Tuis detrimenta inferri experiris, omiſſo fori ſtrepitu, Te ipſum in ſeuerum iudicem adhibes; vt, ſi quid fortè Tua culpa ſit admiſſum, ſarciatur; aut ne Tibi inſitus amor ſui ſuſpicionem pariat, totum iudicio prudentum libenter permittis, illorumq; decretis ſtandum eſſe arbitraris. Et cum pertinax iudi-

cium, ſuis confidens, & nullius acquieſcens conſilijs, rem ad arma deducit: vt inter Regna, illorumq́ Principes ſæpènumero contingit, qui ob ſublimem poteſtatem, cum nullis in terra ſubijciantur iudicijs, litem bello dirimendam committunt: cuius exitus cùm ſit in manu Dei, ex eius ſucceſſu, quid Deus illorum ſupremus arbiter conſtituat, colligunt. Hanc belli dubiam aleam, ſi quando hoc Regnum multis laceſſitum iniurijs, experiri debuit, Tuam quoq́ fideliſſimam & promptiſſimam operam, in eo peragendo expertum eſt: dum non modò copias militares, quæ veteranum militem, & in multis prælijs cū hoſte commitendis, exercitatiſſimum ducebant, ſubmittebas; ſed ipſam vitam caſtrorum incommodis, ac iniurijs cœli atterendam offerebas; aut, ſi qua tempeſtas ſubiti & inopinati periculi emergebat, Tua prudentia, conſilijs communicatis cum Primarijs, remouebas; aut, quum ita neceſſitas ſuadebat, imperterrita animi magnitudine, cum hoſte congrediebaris; Teq́ ferocibus immiſcendo agminibus, Tuis & aliorum cohortibus, fortiter belligerandi animum reparabas: glorioſumq́ duxiſti, etiam cum ſanguinis effuſione dimicare, quem in ſui oppugnatione vrbs Moſchouitica dicta Stolica/ *è brachio dextro glande plumbea traiecto, copioſè profluentem aſpexit. Et hoc quidem tale, pro patriæ ſalute conſeruanda, atq́ inprimis pro honore Dei defendendo, ſuſceptum vulnus, proximam Martyrio coronam meretur. Pari animi conſtantia, cum Tuo milite Tartarorum Copias ad Martinow & Gorczycány auertiſti; funeſtam, ne fieret, vaſtitatem à Regni huius bonis prohibendo. Quid verò rebelles Coſaci, & ſubditi Regiæ Maieſtati eidemq́ facti refractarij (genus eſt militum bellicoſum, inediæ & ſitis perferendæ patientiſſimum, manu promptum, equorum velocitate potens, & tunc maiori animorum cupiditate immutari ſtatum Regni depoſcens) an non ad Krylouium & Niedzwiedzielozy Tua fortitudine profligati, proſtrati, & demùm mitiores facti, ad ſuum ordinem ſunt redacti? Suecum quoq́, cum vix ſtricto gladio Pruſiam inuaderet, eandemq́ ſibi vectigalem cogitaret facere; an non à propoſito diſcedere coëgiſti, & Tua proſperitate in pugnando declarata, & admirabili dicendi copia compreſſiſti? Nec ferociam exhorruiſti Abbazi Baſſæ, armis pariter, & dolis inſtructiſſimi; ſed eidem, cum magno licet vitæ diſcrimine, obuiam cum ſelectis copijs proceſſiſti, remq́ inclinatam ſuo ſtatui reſtituiſti. Et hæc quidem & alia longè plura Illuſtriſſ.*

Magnif.

Magnif. Tuæ, præclara facta in Eccleſiam, & Rempúb. declarata, amoris & fortitudinis Tuæ ſingularia indicia, non eo quidem dicendi apparatu, quo cupiebat illorū dignitas, à me cōmemorata ſunt: illis tamen bonorum author, & conſeruator Deus proſpiciet, qui ſua dicendi copia, ſeræ poſteritati inſpicienda, extollenda, & imitanda proponent. Vix enim pueritiæ annis, in celeberrimis totius Europæ Academijs exactis, & his præſidijs ſcientiarum cōparatis, quibus indoles magnæ, diuinitus publico bono datæ, ſalutem & dignitatem Eccleſiæ, Reipub augere, & tueri conſueuerunt: vbi florentem adoleſcentiæ ætatem ingreſſus es, omni otio & luxu ſpreto, atq; deteſtabili lenocinio voluptatis penitus ex animo eradicato, in negotijs publicis agendis verſari cœpiſti; nihil vnquam omittens, vſq; in hunc diem, quæ ad officium optimi Ciuis, & amantiſſimi illius boni ſpectarent. Quàm verò propter Tuas ſummas virtutes, carus eſſes Deo, illius benignitas in Tuo acerbo dolore conteſtata eſt. Cùm enim Filium Tuum vnicè dilectum, qui iam cum Germano ſuo, in Academiæ noſtræ luce, in ſcientijs ab Illuſtriſſ. Magnif. Tua ordinatis, eruditur, ſpem bonam in animis omnium excitans, ſe vnà cum amantiſſimo Fratre, ob ingenij admirabilem promptitudinem, & naturæ bonitatem inſitam, non fore degenerem, à Tuis maximis virtutibus, iiſdemq; magno ornamento huic Regno futurum (ita vouemus, & ex animis noſtris comprecamur.) Hunc cùm vis morbi lethalis inuaſiſſet, nec ad illius comprimendam contumaciam medicina vllum remedium reperiret, eum Diuinæ voluntati permiſiſti; cumq; viuifica, & ſalutaria myſteria Corporis, & Sanguinis Ieſu Chriſti, tanquā è corpore egreſſurus, ſuſcepiſſet, ſubitò morbus languere, & ſenſim euaneſcere cœpit; donec tandem eò euaneſcente, ſuæ ſanitati perfectè reſtitutus eſt. Pro hoc repentino beneficio, quo mirifici conſolatus es, quæ tunc Tuæ gratiarum actiones, vt te Centurione Euangelico feiiciorem prædicares: hic enim non obtinuit, vt domum eius SALVATOR mundi intraret, & filium moribundum ſanaret; Tuam verò præter Tua vota intrauit, & benedictione, ſanitatem Filio Tuo donando, impleuit. Et huius beneficij vt immortalis memoria exſtaret, fundatione liberali proſpexiſti, quam Craſnoſtauienſi Eccleſiæ, vbi hæc acta ſunt, adſcripſiſti; vt nempè perpetua, in perpetuam tantæ gratiæ confeſſionem, Sacrificia expedirentur. Ipſum verò Monaſterium Sanctimonialibus Ordinis S.

Tereſiæ fundatum Leopoli, Tuam ſummam in Deum, & in hanc Religioſam familiam pietatem, an non deprædicabit? Deprædicabit & Tuæ Illuſtriſſimæ Conſortis, flagrantiſſimum, ſuſpiciendæ ac imitandæ, perfectionis religioſæ amorem: quo incenſa, quos non labores ſubijt, in eis, deducendis, collocandis, & alijs neceſſarijs comparandis; & ipſa quidem ſuis manibus, nemini ſuorum, hanc glorioſam curam concredens. Vtinam hoc exemplo ſuo, veteris illius, & melioris ſeculi, inducat conſimiles; vt neglecta decoris ſui cura, CHRISTO *placere ſtudeant. Intuetur eadem Leopolis Tuis impenſis domum pro alendis pauperibus erectam, cui non mediocres reditus, qui egentibus alimoniam & alia pro neceſſitate ſubminiſtrarent, aſſignaſti. Templa quoque Zloczenſe, & Pomorzanienſe, quámdiu durabunt; Tuam in ſe munificentiam in numeroſo Clero conſtituendo, & in ſacra ſupellectili augenda copioſè declaratam, enarrabunt. Inſuper Zolkieuianæ Eccleſiæ, immortale decus addidiſti, cum duorũ Martyrum S. Datiani & S. Creſcentiæ pretioſas Reliquias, duo videlicet Capita, tanquam duo luminaria, intuliſti; quondam pientiſſimis Zolkieuianæ Familiæ viris, & Illuſtribus Exercituum Ducibus, à Summis Pontificibus donata: quæ, quia in Sacello priuatæ deuotionis repoſita erãt, in lucem frequentioris populi adoranda expoſuiſti: maximè verò in eo templo exſtare voluiſti, vt non ſolùm miles, ſed & vniuerſa plebs ad præſentiſſimum patrocinium implorandum, contra aſſiduos incurſus hoſtium haberet refugium. Conſultò prætereo, Illuſtriſſ. Magnif. Tuæ, cæterarum virtutum, maximè in Sacris ædibus erigendis, ornandis, dotandis, & ſuo cultui reſtituendis, monumenta Tuæ inſignis pietatis: quæ licet nullis ornamentis Familiæ Tuæ ſint inſignita; in animis tamen omnium, ære perennius ſunt, ad Tui nominis immortalem gloriam propagandam, duratura. Meritò igitur hoc opuſculum meum, in ſinum protectionis Illuſt. Magnif. Tuæ omnibus periclitantibus paratiſſimum ſe recepit, ſpem bonam concipiens; quòd ſicut lumine ſolis ex oriente, nocturnæ aues, vt malæ ominoſæ, diſparent: ita irradiante Nominis Tui ſplendore, obſtrepentis inuidiæ voces ceſſabunt, & in cæca merſæ caligine, obmuteſcent. Præſertim cùm nemo ſit, qui neſciat, quanta, & quàm arcta Illuſtriſſ. Magnif. Tuæ, neceſſitudo intercedat cum literis, vt difficulter, etiam mole negotiorum inſtante Te auelli patiaris, quin aliquid ex illis, quod publicæ vtilitati ſeruiat, haurias. Magnitudo verò Tuorum*

rum in nos beneficiorum, quam abunde, non modò in graui immunitatum periculo experti ſumus; ſed etiam nunc in rebus noſtris, defendendis & ornandis experimur, infixa animis noſtris manebit perpetuò. Maximum etiam nobis inde acceſsit ornamentum, quòd non alibi Tua chariſsima, inſtitui voluiſti pignora; quàm in ea Academia, in qua Tua puerilis ætas eſt inſtituta, & quæ Tibi ſe totam ob reſtitutam libertatem debet. Hæc (inquam) & alia innumera beneficia, ſuo iure meritiſsimo, à nobis efflagitant: vt hoc ſaltem munere chartaceo, cum præſtantius eo, qui cum literis conuerſamur, non habeamus, gratitudinem noſtram conteſtemur; Diuino Numini ſupplicantes; vt Illuſtriſsimam Magnif. Tuam, vnà cum vniuerſa Domo, belli & pacis laudibus glorioſa, Eccleſiæ, Reipub. & Academiæ noſtræ, in multas & nunquam deſituras ſeries annorum, incolumem atque florentiſsimam conſeruet. Ex Collegio Maiori Ianuarij 7. A. D. 1645.

Illuſtriſsimæ Magnif. Tuæ

Indignus coram Deo Exorator

ADAMVS OPATOVIVS.

)( )(BENE-

Beneuolo Lectori Chriſtiano.

QVisquis es, ô amice Lector, qui tamen Chriſtianæ fidei lumine gloriaris, & ad ſortem æternæ hæreditatis obtinendam ingreſſum paras, hoc vnum, obſecro, age, quantum potes, (poteris autem, & quidem cum multiplici fructu, ſi gratiæ Dei innixus, vires intenderis) vt in omnibus tuis cogitatis, dictis, & factis, puritatem conſcientiæ retineas. Hæc enim eſt cæleſtis theſaurus, pretioſas margaritas rectefactorum reconditas cuſtodiens, in illum diem magnum, in quo cauſæ mortalium totius orbis, in negotio ſalutis diſcutientur, & in quo præmia bonis, ſupplicia malis, decernentur. Hæc eſt ille cæleſtis liber, in quo ea omnia, quæ aliquando, aut cogitauimus, aut locuti ſumus, aut fecimus, fideliter ſunt deſcripta. Et huius ſcriptionis characterem, nemo præter nos ipſos legere nouit: quoniam omnium nos ipſi nobis conſcij iumus; vt, ſi quæ reperiuntur vitiorum maculæ, eas ſalutaribus vndis lacrymarum, eluamus, atq; emundemus. Sed in die iudicij, hic idem liber aperietur, expandetur; & tunc abſcondita cordium reuelabuntur, & vniuerſis noſtra bene aut malè facta erunt manifeſta: & tunc ô quanta confuſio, & trepidatio impiorum erit! cum ad flammas æternorum cruciatuum rapientur; Bonorum verò ô quàm iucundæ ad inuicem reſonabunt gratulationes! cum Supremi Iudicis blandâ & hilari voce, ad ineffabilia gaudia poſsidenda inuitabuntur. Curam igitur, amice Lector, ſedulam & ſolicitam adhibe; ne vnquam mens tua aliqua labe concupiſcentiæ, & flagitiorum turpitudine, cōtaminetur; & ſic ſemper iugi conuiuio, cum vero cordis tui gaudio indulgebis, illudq; Apoſtolicum 2. Corinth. 1. in te implebitur. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, conuerſati ſumus in hoc mundo.* Et in hoc ſalutari propoſito conſequendo, quó magis te confirmatum reddam, hos Tractatus non mediocri ſtudio elaboratos, per hanc in publicum editionem

nem tui iuris eſſe volo. Et ſicut tria ſunt, quæ vniuſcuiuſque rei integritatem propagare, & conſeruare poſſunt, videlicet, in quo eius ratio ſalutis conſiſtat? deinde, quinam ſint morbi? denique quæ remedia? ita qui conſcientiam in eo nitore, quem à ſuo authore accepit, conſeruare ſtudet; ſalutis illius rationes, in quo conſiſtant, prius cognoſcat, oportet: pòſt quanta acrimonia, & acerbitas morborum; denique, quibus remedijs ſuæ ſanitati ſit reſtituenda. Et conſcientiæ quidem vita eſt, in perfecto iudicio, quod à dictamine rectæ rationis procedit. Huic enim ſimul cum formatione hominis, implantata eſt faciendorum, & non faciendorum ſcientia: huic durum & graue Tribunal coarguendi permiſſum. ſi quid enim aliquando perperam agimus, mens regalem thronum conſcendit, illudque dictum, aut factum, diris dolorum aculeis, & ſtimulis exagitat. Et cum in omni actione humana, aut bonitas, aut malitia neceſſariò reperiatur: ad mali conſpectum, tanquam ad monſtrum infernale, exhorreſcit; Boni verò ac virtutis ſtudium, vnicè ac tenerrimè complectitur, & in ſuum conſortium, tanquam ſuam animam, admittit: gaudetque incredibilem iucunditatem ſibi, ex illius conſortio, ac perpetuam dulcedinem, & ſecuritatem adaugeri. *Damna rerum* (inquit D. Bernardus in lib. de Conſid.) *nec verborum contumelias, nec corporis cruciatus metuit: ipſa enim morte magis erigitur, quàm deprimitur.* Qui itaque tranquillam, cum vera cordis hilaritate, conſcientiam retinere vult; bonitatis & malitiæ rationes exploratas habeat, neceſſe eſt. Et has quidem in noſtro Primo TRACTATV, qui eſt de *Bonitate & Malitia Actuum humanorum*, conati ſumus elucidare: vt hac cognitione mens illuſtrata, id ſolùm, quod eſt bonum, etiam in leui animi perturbatione eligat, atque amplectatur: malitiam verò, nequitia & improbitate illius cognita, varijſque eius impietatis artibus, quibus ſimulata bonitatis ſpecie, in præcipitium vitiorum adducit, perſpectis, tanquam paratiſsimum ac certiſsimum ſui interitum, exſecretur. Et quia voluntas eſt radix & origo, ex qua actiones humanæ prodeunt, & ex eadem ſuam dignitatem, atque in æſtimando pretium ſumunt; ſa de cauſa, TRACTATVM de *Voluntario & Inuoluntario* ſubiunximus;

mus;

mus; ex quo licebit cognoſcere, quanta ſit illius libertas, quám homini oneroſa,& multorum malorum cauſa. *Deus* (inquit Eccleſiaſticus) *ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum, in manu conſilij ſui, adiecit mandata & præcepta ſua,* ita tamen, vt ei ſit liberum, ſeruare & contemnere. *Ante hominem, vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Et hæc, niſi ſe voluntati Diuinæ regendam, & ducendam permiſerit, in multos exitiales ſcopulos impinget. Voluntas enim propria, poſtquam ſemel cupiditati laxauerit habenas, nihil moderatum ſuadet, ruit in vetitum, ſui conditoris, & mandatorum eius oblita; & hæc, quibus retinaculis Diuini amoris, coercenda & moderanda ſit, eidem Tractatui aperiendum commiſimus. Si verò contigerit (quod vtinam nunquam contingat) animum infeſtari lethali morbo, quem ex peccatorum commiſſorum impuritate contraxerit, hic primus gradus illius ſanandi erit; noſſe, quám ſit atrox malum, & in quantum periculum amittendæ ſalutis æternæ hominem conijciat; præſertim, ſi iteratis vicibus inualuerit: *Dum enim ſeruitur libidini* (D. Auguſtinus ait lib. 8. Conf.) *fit conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceßitas, qua trahitur & tenetur etiam inuitus animus.* Peccatum igitur vt exactè cognoſci poſsit, deſtinauimus TRACTATVM de *Peccatis & Vitijs*, quæ ſunt morbi animorum, delineauimus. Et cùm omnes varijs periculis obnoxij ſimus, illa benignisſimus Deus, qui mortem peccatoris non vult; ſed vt conuertatur, & viuat, ſine remedio noluit eſſe, & horum quidem primarium, ac efficaciſsimum eſt, Dominicæ Paſsionis tormenta, dolores, vulnera, ipſa denique mors Crucis ignominioſa. *Vulneratus enim eſt Filius Altißimi propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et ſicut in populo Iſraelitico, qui morſibus ſerpentum exulcerati erant, ſolo aſpectu ænei ſerpentis ſanabantur: ita hi, qui infernalis ſerpentis morſibus, hoc eſt, peccatis ſuis ſunt vulnerati, ſi ſanari cupiunt; oculos veræ fidei, in Chriſtum de Cruce pendentem, defigant. Et de hoc ſalutari aſpectu loquitur D. Petrus, 1. Pet. 4. *Chriſto in carne paßo, & nos eadem cogitatione armemur.* Si armis ſpiritualibus armari cupimus, contra ſpirituales nequitias tenebrarum, mentis de-

tis de-

tis deuota eleuatione, Chriſtum cruci affixum contemplemur. Et quia pauci ſunt, qui has aſcenſiones in corde ſuo diſponãt, quibus ad crucis myſteria ferantur, & à flagitijs reuocentur, placuit moderatoribus Rerumpub. leges in remedium adhibere, vt ſaltem formidine pœnarum, humana audacia coerceatur, & innocentia inter improbos ſit tuta. & ne quis ſuam accuſet infirmitatem, vnicuiq; in ſubſidium fortiſsima, & ſuauiſsima dona gratiarum conferuntur, quibus confirmatus, excuſſo iugo ſeruitutis infernalis, iuſtè & piè viuat in hoc ſeculo. Et huius vtriuſque antidoti, legum videlicet & gratiæ rationes, noſtri duo TRACTATVS immediatè ſe ſubſequentes, explanant. Poſtquam autem mens humana, à contagione iniquitatum fuerit emundata, & legum ac gratiæ, tanquam muro & antemurali roborata, iam incipit in Dei amore inardeſcere, illiuſque glorioſam faciem, quæ lucem inacceſsibilem inhabitat, inquirere; earum virtutum ſuſceptum exercitium continuando, quæ nos dignos amicitia Dei faciunt, videlicet, Fidei, Spei, Charitatis. Et FIDES quidem nõ fundatur in Logicis Demonſtrationibus, quæ intellectum conuincant, & ad aſſenſum pertrahant: non enim habet euidentiam rei, ſed innititur in primæ veritatis authoritate, reuelantis ea, quæ mentis humanæ captum excedunt, proinde intellectum captiuat, & in obſequium Chriſti redigit. Nam (vt dicit D. Gregorius Hom. 26.) *Operatio Diuina, ſi ratione comprehenderetur, non eſſet admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Ab hoc fundamento oritur SPES, quæ eſt futuræ pollicitationis, religioſus aſſenſus, fiduciam indubitatam animo concipiens, quód æternam gloriam Chriſti pretioſo ſanguine comparatam, & noſtrorum bonorum operum, Deo ſic ordinante, ſuffragantibus meritis conſequemur. Ex hoc inæſtimabili beneficio, quód conſortes Diuinæ naturæ efficiemur, flamma cæleſtis, qua Deum ſuper omnia amamus, accenditur: hæc prohibet, ne ad dilectionem alicuius creaturæ, cor noſtrum inclinemus; & ne vltra aliqua ſpecie mundi delectemur: admonetq;, vt præ vniuerſis, quæ cæli & terræ ambitu continentur, Deum ardentiſsimè diligamus. Et harum trium Diuinarum virtutum, Fidei,

)()(3 Spei,

Spei, Charitatis, cognitionem, tres vltimi noſtri TRACTATVS continent. Huius itaque edendi operis noſtri non aliud eſt propoſitum, quám vt illius opera adiuti, in bona conſcientia cuſtodienda, elaboremus; & præcipuè vt his, quibus cura operoſa quidem, ſed ſalutaris, regẽdarum conſcientiarũ commiſſa eſt, prodeſſe poſsint: his enim incumbit corruptos mores, & eorum iam etiam ſupra modum laſciuientem in veſtitu inſolentiam (ne paruulis ſit occaſio lapſus) prohibere. Ad extremum DEum, omnis boni largitorem, ſupplices oremus; vt hic labor ſuſceptus, odium & abominationem vitiorum, quæ grauia infligendo vulnera, internam mentis quietem perturbant, efficiat; amoremq; & ſtudium virtutum, ac bonorum operum inſerat: vt exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ Magni DEi, Saluatoris noſtri IESV CHRISTI, vitam hanc pacatè & tranquillè agamus, atque etiam feliciter finiamus.

APPRO-

APPROBATIO
MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.

ALteram partem Tractatuum, ex *1. 2. & ex 2.2.* Summæ D. Thomæ iuxta mentem eiuſdẽ S. Doctoris, & S. fidei Romanæ regulá, exactè elaboratam, operâ & ſtudio Perilluſt. & Adm. R. D. ADAMI OPATOVII, Canonici Crac. S. Th. Doct. & Profeſſoris in Academia Crac. Ego M. IACOBVS VITELLIVS, S. Th. Profeſſor, S. Floriani Canonicus, & interea eiuſdem Academiæ RECTOR, vidi, legi; & dignum prælo, ad communem Eccleſiæ, atque in Scientia Diuina proficientium vtilitatem, iudicaui. Quapropter, vt inprimatur, & publico bono exeat in lucem, permitto. Datum in Collegio Maiori Acad. Cracou. 10. Decemb. 1644.

Approbatio S. Theolog. Facul. DD. & Profeſſ. in Alma Academia Cracou.

NOS infra ſcripti Doctores & Profeſſ. S. Theol. in Acad. Crac. recognoſcimus & teſtamur, *TRACTATVVM THEOLOGICORVM ex 1. 2. & ex 2. 2. Summæ* D. Thomæ partem alteram, à Perilluſt. & Adm. R. D. ADAMO OPATOVIO, S. Th. Doctore Profeſſ. in eadem Academia Crac. Eccleſiæ Cathed. Cracou. Canonico, editam, eſſe opus elaboratum, doctrinâ Apoſtolicâ, Sacrorum Canonum, & S. Thomæ authoritate firmatum; viris tam Eccleſiaſticis, quàm Scholaſticis, & omnibus, qui lucem Theologicæ veritatis magno conatu inquirunt, ſummè neceſſarium. Idcircò, vt in lucem pro communi bono Eccleſiæ, & doctrinæ Sacræ incremento prodeat, quod muneris noſtri fuit, cenſuimus eſſe dignum. Dat. Crac. Anno D. 1644. 10. Decemb.

M. ALBERTVS BOROVIVS, S. Th. D. & Profeſſor, & eiuſdem Facultatis Th. Decanus. Præp. S. Flor. ad Crac.

M. MATTHIAS BLOSIVS BRVZINSKI, S. Th. Doct. & Profeſſor S. Flor. Decanus & Cancellarius Poſnanienſis.

M. IACOBVS VSTIENSIS S. Th. & I. V. Doctor ac Profeſſor, Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Crac. Præpoſitus, & Eccleſiæ S. Flor. Clepardiæ Cuſtos, nec non Ordinarius per Diæceſim Crac. librorum Cenſor.

APPRO-

Approbatio I. V. Doct. & Profeſſ. in Alma ACADEMIA Crac.

NOS ſubſignati Iuridicæ Facultatis Cracou. Doctores & Profeſſores, Opus Theologicum, cui titulus *TRACTATVVM THEOLOGICORVM ex 1. 2. & ex 2. 2. Summæ D. Thomæ*, à Perilluſtri & Adm. Rndo D. ADAMO OPATOVIO, S. Th. Doctore ac Profeſſore, Eccleſiæ Cathedralis Crac. Canonico, ſummo ſtudio & feliciſſimo labore compoſitum, vidimus, & cum maxima animi voluptate legimus: nihilque in eo, quod, aut Catholicæ veritati repugnare, aut à Chriſtiana morum honeſtate diſſentire videatur, aduertimus. immo verò omnia (vnde perſpicax & ſubtile Authoris ingenium quiſque colligere poteſt) clarè & acutè diſputata, probatiſſimamque & vere Angelicam Doctoris S. doctrinam, mira facilitate declaratam, ſolidis rationibus roboratam, & tā Sacræ Scripturæ, quám SS. Eccleſiæ Doctorum authoritatibus confirmatam, in ſe continere perſpeximus. Atque ideo, vt non modò ad communem Eccleſiæ Orthodoxæ vtilitatem, & Academiæ noſtræ ornamentum, typis mandatum feliciſſimè in lucem prodeat; ſed etiam, vt omnium in Theologico ſtudio proficere laborantium, obuijs vlnis excipiatur, & nocturnis diurniſque horis tractetur, dignum eſſe iudicamus. Dat. ex Collegio Iuriſconſ. 10. Decemb. Anno à Partu Virginis 1644.

IACOBVS GORSKI I. V. D. & Profeſſor, Eccleſiarum Cathedr. Crac. Canonicus, Collegiatæ SS. Omnium Cuſtos, Facultatis Iuridicæ Decanus, Protonotarius Apoſtolicus.

ANDREAS PETRICOVIVS, I. V. D. ac Profeſſor Ordinarius.

STANISLAVS PVDLOWSKI, I V. D. & Profeſſor. S. Nicolai Præpoſitus, Protonotarius Apoſtolicus.

Proteſtatio Authoris.

OMnia S. Matris Eccleſiæ, illiuſq; Supremi & viſibilis Capitis, veri IESV CHRISTI Vicarij, ac B Petri Succeſſoris INNOCENTII X. Opt: Max: Pontificis Romani, iudicio ſubiecta eſſe volo.

INDEX

INDEX TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, & QVÆSITORVM, in hoc Libro Contentorum.

TRACT: I. DE BONITATE ET MALITIA ACTVVM HVMANORVM. Fol. I.

QVÆS: *A quo ſumenda eſt moralitas in communi actionum humanarum?* *fol.* 2

DISP: I. De Bonitate & Malitia in communi. fol. 5.

QVÆS: I. *An omnis actio humana ſit bona, vel etiam aliqua ſit mala?* *fol.* 6.
II. *An actio hominis ſit bona, vel mala ex obiecto?* *fol.* 9.
III. *An actio humana ſit bona vel mala ex circumſtantijs?* *fol.* 11.
IV. *An actio humana ſit bona vel mala ex fine?* *fol.* 12.
V. *An actio humana ſit bona vel mala ex ſua ſpecie?* *fol.* 14.
VI. *An actus habeat ſpeciem boni vel mali ex fine?* *fol.* 16.
VII. *An ſpecies, quæ eſt ex fine, continetur ſub ſpecie, quæ eſt ex obiecto, tanquam ſpecies ſub genere?* *fol.* 17.
VIII. *An aliquis actus ſit indifferens ſecundum ſuam ſpeciem?* *fol.* 19.
IX. *An aliquis actus ſit indifferens ſecundùm induiduum?* *fol.* 21.
X. *An aliqua circumſtantia conſtituat actum moralem in ſpecie boni vel mali?* *ſ.* 23.
XI. *An omnis circumſtantia quæ auget bonitatem vel malitiam actus, conſtituit actum moralem in ſpecie boni vel mali?* *fol.* 25.

DISP: II. De Bonitate & Malitia Actus interioris voluntatis: fol. 27.

QVÆS: I. *An Bonitas & Malitia actus interioris pendeat ex obiecto?* *fol.* 28.
II. *An Bonitas actus interioris à ſolo obiecto dependeat?* *fol.* 29.
III. *An Bonitas actus interioris pendeat à ratione?* *fol.* 30.
IV. *An voluntas diſcordans à ratione errante ſit mala: & ſi concordat, an ſit bona?* *fol.* 31.
V. *An Bonitas actus interioris dependeat ex intentione finis?* *fol.* 38.

VI. *An*

VI. *An quantitas Bonitatis vel malitiæ in voluntate, ſequatur quantitatem boni vel mali in intentione?* fol. 48.

VII. *An voluntas ſeu bonitas actus interioris neceſſariò debeat concordare cum voluntate Diuina?* fol. 48.

DISP: III. De Bonitate ac Malitia actuum exteriorum. fol. 45.

QVÆS: I. *An Bonitas & malitia prius ſit in actu exteriori quàm in interiori?* fol. 46.

II. *An tota bonitas vel malitia actus exterioris dependeat à voluntate?* fol. 47.

III. *An eadem ſit bonitas vel malitia actus exterioris vel interioris?* fol. 48.

IV. *An actus exterior addat de Bonitate ſua vel malitia ad actum interiorem?* fol. 50.

V. *An euentus ſequens addat ad bonitatem vel malitiam voluntatis?* fol. 51.

VI. *An idem actus exterior poſſit eſſe bonus vel malus?* fol. 54.

DISP: IV. De his quæ ſequuntur bonitatem vel malitiam Actuum humanorum. fol. 55.

TRACT: II. DE VOLVNTARIO ET INVOLVNTARIO. fol. 57.

PARS I. DISPVTATIO I. fol. 58.

QVÆS: I. *An voluntarium in actibus humanis reperiatur?* fol. 59.

II. *An voluntarium reperiatur in brutis?* fol. 60.

III. *An voluntarium poſſit eſſe abſq; omni actu?* fol. 61.

IV. *An voluntati violentia inferri poſſit necne?* fol. 62.

V. *An violentia cauſet inuoluntarium?* fol. 63.

VI. *An metus cauſet inuoluntarium?* fol. 64.

VII. *An concupiſcentia cauſet inuoluntarium?* fol. 65.

VIII. *An ignorantia cauſet inuoluntarium?* fol.

DISP: II. De Circumſtantijs. fol. 66.

PARS II. DISP: prima. De Obiecto act⁹ volũtatis, qui eſt *velle.* fol. 68.

QVÆS: I. *An actus voluntatis, qui eſt* VELLE, *ſit tantùm circa bonum?* fol.

II. *An actus voluntatis, qui eſt* VELLE, *ſit tantùm circa bonum finem, an etiam circa media quæ ordinantur ad finem?* fol.

III. *An voluntas vno eodemq; actu feratur in finem, & in media?* fol.

DISP: II. De Motiuo voluntatis. fol. 72.

QVÆS: I. *An intellectus moueat voluntatem?* fol.

II. *An appetitus ſenſitiuus moueat voluntatem?* fol.

III. *An voluntas moueat ſeipſam?* fol. 75.

IV. *An voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio?* fol. 77.

V. *An voluntas moueatur à corpore cæleſti?* fol. 79.

VI. *An Deus moueat voluntatem tanquam exterius principium?* fol.

DISP: III. De modo, quo voluntas mouetur. fol. 81.

QVÆS:

QVÆS: I. *An voluntas naturaliter moueatur ad aliquid?* fol. 81.
II. *An voluntas à ſuo Obiecto neceſſariò moueatur?* fol. 83.
III. *An voluntas neceſſariò à Paſſione moueatur?* fol. 84.
IV. *An voluntas à Deo neceſſariò moueatur?* fol. 85.
DISPVTATIO IV. De Fruitione. fol. 86.
DISPVTATIO V. De Intentione. fol. 88.
PARS III. DISP: I. De Electione. fol. 91.
QVÆS: I. *An electio ſit actus voluntatis, an verò intellectus?* fol. 91.
II. *An Electio conueniat brutis?* fol. 92.
III. *Quodnam ſit obiectum Electionis?* fol. 94.
IV. *An actus Electionis ſit liber, an verò neceſſarius?* fol. 96.
DISPVTATIO II. De Conſilio. fol. 97.
DISPVTATIO III. De Conſenſu. fol. 101.
DISPVTATIO IV. De Vſu. fol. 103.
DISPVTATIO V. De Imperio. fol. 105.
QVÆS: I. *An imperium ſit actus intellectus an voluntatis?* fol. 105.
II. *An imperium conueniat brutis?* fol. 108.
III. *An imperium præcedat vſum?* fol. 108.
IV. *An imperare, & actus imperatus ſit vnus actus, an verò diſtincti?* fol. 109.
V. *Quinam ſunt actus hominis qui imperantur?* fol. 110.
APPENDIX. *An libertas formaliter conueniat intellectui, an verò voluntati?* fol. 115.

TRACT: III. DE PECCATIS ET VITIIS. fol. 119.
DISP: I. De Natura & Quidditate peccati. fol. 120.
QVÆS: I. *An vitium ſit contrarium virtuti?* fol. 121.
II. *An vitium ſit contra naturam?* fol. 122.
III. *An vitium ſit prius, quàm actus vitioſus?* fol. 124.
IV. *An peccatum poſſit eſſe ſimul cum virtute?* fol. 126.
V. *An in quolibet peccato ſit aliquis actus?* fol. 127.
VI. *An Eßentia peccati in poſitiuo an in priuatiuo conſiſtat?* fol. 130.
DISP: II. De Diuiſione peccatorum. fol. 133.
QVÆS: I. *Quænam ſint diuiſiones peccatorum?* fol. 133.
II. *Quænam ſit mens ſeu iudicium S. Doctoris de his Diuiſionibus?* fol. 134.
DISP: III. De comparatione peccatorum ad inuicem. fol. 137.
QVÆS: I. *An peccata ſint connexa?* fol. 137.
II. *An peccata ſint inter ſe æqualia?* fol. 138.
III. *Vnde inæqualitas peccatorum ſumenda?* fol. 140.
DISP: IV. De Subiecto Peccati. fol. 144.

QVÆS: I. *In quonam ſubiecto ſit peccatum?* *fol.* 144

II. *Qua ratione in ſenſualitate peccatum reperiatur?* *fol.* 146

III. *Conſenſus in delectationem quale ſit peccatum?* *fol.* 148

IV. *Conſenſus in ratione ſuperiori quomodo ſit peccatum?* *fol.* 151

DISP: V. De Cauſa peccatorum in communi. fol. 152.

DISP: VI. De Cauſa peccati in ſpecie, v. de ignorantia. fol. 154.

QVÆS: I. *An ignorantia poſſit eſſe cauſa peccati?* *fol.* 154

II. *An ignorantia ſit peccatum?* *fol.* 156

III. *An ignorantia in toto excuſet, an verò diminuat peccatum?* *fol.* 159

DISP: VII. De ſecunda cauſa interna peccati, v. de Paſſione. fol. 161.

QVÆS: I. *Sitne paſſio, & quomodo cauſa peccati?* *fol.* 161

II. *An Paſſio totaliter excuſet à peccato, an verò diminuat?* *fol.* 163

DISP: VIII. De tertia cauſa interna peccati, v. de Malitia. fol. 163.

DISP: IX. De Cauſis externis, earumq; prima, v. de Deo. fol. 165.

QVÆS: I. *An Deus ſit autor peccati?* *fol.* 165

II. *An Deus ſit cauſa excæcationis, & obdurationis.* *fol.* 167

DISP: X. De ſecunda cauſa externa peccatorum, v. de Diabolo. f. 170.

DISP: XI. De tertia cauſa externa peccatorum ex parte hominis, & de peccato originali. fol. 172.

QVÆS: I. *An primum peccatum primi hominis traducatur per originẽ ad poſteros?* *fol.*

II. *An alia peccata primi parentis aut etiam proximorum Parentum traducantur in poſteros?* *fol.*

III. *An peccatum primi Parentis traducatur per generationem in poſteros?* *fol.*

IV. *An ſi aliquis ex humana carne formaretur, peccatum originale incurreret?* *fol.*

V. *An Eua peccante, Adam non peccante peccatum originale contraheretur?* *fol.*

DISP: XII. De Eſſentia peccati originalis. fol. 182.

DISP: XIII. De ſubiecto peccati originalis. fol. 186.

DISP: XIV. De cauſa externa, quomodo vnum peccatum ſit cauſa alterius? fol. 188.

DISP: XV. De Effectis peccatorum & de primo qui eſt corruptio naturæ. fol. 189.

DISP: XVI. De Macula peccati, quæ eſt ſecundus effectus. fol. 19[illegible]

DISP: XVII. De reatu pœnæ tertio effectu peccati fol. 193.

DISP: XVIII. De peccato mortali & veniali. fol. 196.

DISP: XIX. De peccato veniali ſecundùm ſe. fol 200.

TRACTATVS DE LEGIBVS.

DISP: I. De EſſentiaLegis. fol. 204

QVÆS: I. *De quibuſdam communibus ad legem ſpectantibus.* fol. 204.
II. *An lex ſit actus intellectus an voluntatis?* fol. 206.
III. *An lex ordinetur ad bonum commune?* fol. 209.
IV. *An cuiuſlibet ratio ſit factiua legis?* fol. 211.
V. *An promulgatio ſit de eſſentia legis?* fol. 212.
DISP: II. De diuiſione & differentia legum. fol. 215.
DISP: III. De Effectibus legis. fol. 217.
DISP: IV. De Lege æterna. fol. 219.
QVÆS: I. *Quidnam ſit lex æterna, & quotuplex?* fol. 219.
II. *An lex æterna omnibus ſit nota?* fol. 221.
III. *An à lege æterna omnis lex deriuetur?* fol. 221.
IV. *An omnia ſubijciantur legi æternæ?* fol. 222.
V. *Quænam ſit immutabilitas & obligatio legis æternæ?* fol. 224.
DISP: V. De lege naturali. fol. 225.
QVÆS: I. *An lex naturalis ſit habitus?* fol. 226.
II. *An lex naturalis plura præcepta habeat?* fol. 228.
III. *An lex naturalis ſit vna apud omnes?* fol. 230.
IV. *Lex naturalis quam vim obligandi habeat?* fol. 231.
V. *An lex naturalis ſit mutabilis?* fol. 233.
VI. *An lex naturalis admittat diſpenſationem?* fol. 235.
DISP: VI. De Lege Humana. 240.
QVÆS: I. *An fuerit vtile vt a b hominibus leges conderentur?* fol. 240.
II. *Quinam ſunt qui habent poteſtatem condendi leges?* fol. 242.
III. *An lex humana deriuetur à naturali?* fol. 244.
IV. *Legis humanæ quænam ſunt conditiones, & quot ſunt diuiſiones?* fol. 244.
DISP: VII. De Poteſtate Legis humanæ. fol. 246.
QVÆS: I. *Lex humana & in ſe, & in prohibendo, & in præcipiendo quàm latè pateat?* f. 246
II. *An lex humana poſſit obligare ſubditos in conſcientia?* fol. 248.
III. *An lex humana obliget cum periculo mortis?* fol. 252.
IV. *An leges pœnales obligent in conſcientia?* fol. 254.
V. *Quomodo lex dicatur eſſe ſufficienter promulgata, vt vim obligandi habeat?* f. 258.
VI. *An vis obligandi legis ſit dependens ab acceptatione populi?* fol. 261.
VII. *An omnes legi ſubijciantur, & an ſubdito liceat contra verba legis agere?* fol. 264.
DISP: VIII. De Legum mutatione. fol. 266.
QVÆS: I. *Quænam ſit ratio mutandæ legis?* fol. 266.
II. *An conſuetudo vim legis obtinere poſſit?* fol. 268.
III. *An Legiſlator in lege humana diſpenſare poſſit?* fol. 270.
DISP: IX. De Lege Diuina veteri. fol. 272.
QVÆS: I. *Quid de lege veteri quoad illius authorem & bonitatem ſit ſentiendum?* fol. 272.
II. *Quænam ſunt præcepta legis veteris?* fol. 271.

INDEX

DISP: X. De Præceptis moralibus. fol. 276.

QVÆS: I. *De his quæ ad rationem præceptorum moralium pertinent.*

II. *An modus virtutis & charitatis cadat ſub præceptum?*

III. *An præcepta moralia veteris legis vim iuſtificandi habeant?*

DISP: XI. De Præceptis Ceremonialibus. fol. 282.

QVÆS: I. *De Ceremonialibus ſecundùm ſe.*

II. *De Cauſis Ceremoniarum.*

III. *De Duratione ceremoniarum.*

DISP: XII. De Præceptis Iudicialibus. fol. 287.

DISP: XIII. De Lege Euangelica. fol. 289.

QVÆS: I. *De Lege noua in ſe conſiderata.*

II. *De comparatione Legis nouæ ad veterem.*

III. *De his, quæ lex noua continet.*

TRACTATVS DE GRATIA DEI.

DISP: I. De Gratiæ Neceſſitate. fol. 296.

QVÆS: I. *De Nomine* Gratiæ *& eius acceptionibus.*

II. *An homo ſine gratia aliquod verum cognoſcere poſſit?*

III. *An homo ſine gratia poſſit velle & operari aliquod bonum?*

IV. *An homo ex ſolis naturæ viribus poſſit Deum diligere ſuper omnia?*

V. *An homo ſine gratia per ſua naturalia poſſit legis præcepta implere?*

VI. *An homo ſine gratia poſſit promereri vitam æternam?*

VII. *An homo ſeipſum ad gratiam præparare poſſit per ſeipſum ſine auxilio gratiæ exteriore?*

VIII. *An homo poſſit reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ?*

IX. *An homo ſine gratia poſſit non peccare?*

X. *An conſtitutus in gratia poſſit operari bonum abſq; auxilio gratiæ?*

XI. *An homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeuerandum?* fol.

DISP: II. De Gratia Dei quantum ad eius Eſſentiam.

QVÆS: I. *An gratia ponat aliquid in anima?*

II. *An gratia ſit qualitas animæ?*

III. *An gratia ſit idem quod virtus?*

IV. *An gratia ſit in Eſſentia animæ?*

DISP: III. De Diuiſione Gratiæ. fol. 339.

QVÆS: I. *An gratia conuenienter diuidatur in gratum facientem, & gratis datā?*

II. *An gratia conuenienter diuidatur in operantem & cooperantem?*

III. *An gratia conuenienter diuidatur in præuenientem & ſubſequentem?*

IV. *De gratia habituali & actuali.*

V. *An gratia conuenienter in ſufficientem & efficacem diſtinguatur?*

DISP. IV: De Cauſa Gratiæ. fol. 352.

QVÆS: I. *An Deus ſit cauſa gratiæ?* fol. 352.
II. *An aliqua diſpoſitio reſpectu recipientis requiratur ad gratiam?* fol. 357
III. *An præparanti ſe ad gratiam neceſſariò datur gratia?* fol. 355.
IV. *An gratia ſit aqualis in omnibus?* fol. 356.
V. *An homo poſſit certò ſcire ſe habere gratiam?* fol. 357.
DISP: V. De primo effectu gratiæ, ſ. de Iuſtificatione. fol. 359.
QVÆS: I. *An iuſtificatio impij ſit remiſſio peccatorum?* fol. 359.
II. *An ad iuſtificationem impij requiratur infuſio gratiæ?* fol. 362.
III. *An ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij?* fol. 369.
IV. *An ad iuſtificationem impij requiratur motus fidei?* fol. 371.
V. *An ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij deteſtantis peccata?* fol. 373.
VI. *An peccatorum remiſſio ſit vnum requiſitum ad iuſtificationē neceſſariū?* fol. 375.
VII. *An iuſtificatio impij fiat in inſtanti?* fol. 376.
VIII. *An infuſio gratiæ ſit prima inter ea, quæ requiruntur ad iuſtificationem?* fol. 377.
IX. *An iuſtificatio impij ſit maximum opus diuinum?* fol. 378.
X. *An iuſtificatio impij ſit miraculoſa?* fol. 379.
DISP: VI. De Merito. 379.
QVÆS: I. *An homo poſſit aliquid mereri à Deo?* fol. 380.
II. *An ſine gratia poſſit homo mereri vitam æternam?* fol. 383.
III. *An homo in gratia conſtitutus poſſit de condigno vitam æternam mereri?* fol. 384.
IV. *An gratia ſit principium merendi principalius per charitatem?* fol. 386.
V. *An aliquis homo poſſit mereri primam gratiam?* fol. 389.
VI. *An ſaltem alteri homini poſſimus mereri primam gratiam?* fol. 390.
VII. *An homo poſſit mereri ſui reparationem poſt lapſum?* fol. 391.
VIII. *An homo poſſit mereri augmentum gratiæ & charitatis?* fol. 392.
IX. *An homo poſſit mereri finalem perſeuerantiam?* fol. 393.
X. *An temporalia cadant ſub meritum?* fol. 393.

TRACTATVS Ex 2da. 2dæ. DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS. fol. 395.

TRACTATVS I. DE FIDE.

DISP: I. De Obiecto Fidei. fol. 399.
QVÆS: I. *An obiectum fidei ſit prima veritas?* fol. 399.
II. *An obiectum fidei ſit complexum vel incomplexum?* fol. 407.
III. *An fidei poſſit ſubeſſe falſum?* fol. 408.
IV. *An obiectum fidei poſſit eſſe viſum?* fol. 411.
V. *An obiectum fidei poſſit eſſe ſcitum?* fol. 415.
VI. *An credibilia in certos articulos ſint diſtinguenda?* fol. 419.

VII. An

VII. *An articuli fidei ſecundùm ſucceſſionem temporum creuerint?*
VIII. *An articuli fidei conuenienter enumerentur?*
IX. *An articuli fidei in Symbolo conuenienter ponantur?*
X. *An ad ſummum Pontificem pertineat Symbolum fidei ordinare?* 428.

DISP: II. De Actu interiori fidei qui eſt *credere*. fol.

QVÆS: I. *An credere ſit cum aſſenſione cogitare?*
II. *An actus credendi conuenienter diſtinguatur per hoc quod eſt* credere Deum, credere Deo, & credere in Deum?
III. *An ſit neceſſarium ad ſalutem credere aliquid, quod ſit ſupra vires naturæ?*
IV. *An credere ea, quæ naturali ratione probari poſſunt, ſit neceſſarium?*
V. *An homo teneatur ad aliquid credendum explicitè, & an omnes ad habendam fidem explicitam æqualiter obligentur?*
VI. *An explicitè credere myſterium Incarnationis ſit de neceſſitate ſalutis?*
VII. *An credere Trinitatem explicitè ſit de neceſſitate ſalutis?*
VIII. *An credere ſit meritorium?*
IX. *An ratio inducens ad ea, quæ ſunt fidei, diminuat meritum?*

DISP: III. De Actu exteriori fidei. fol. 442.

QVÆS: I. *An Confeſſio ſit actus fidei?*
II. *An Confeſſio fidei ſit neceſſaria ad ſalutem?*

DISP: IV. De Eſſentia fidei. fol. 448.

QVÆS: I. *Quid ſit Fides?*
II. *An fides ſit ſubiectiuè in intellectu?*
III. *An charitas ſit forma fidei?*
IV. *An fides ſeparata à charitate ſit vera fides, & an hæc talis fides poſſit eſſe formata?*
V. *An fides ſit virtus?*
VI. *An fides ſit vna ſpecie?*
VII. *An fides ſit prima inter alias virtutes?*
VIII. *Quam certitudinem habet fides reſpectu ſcientiæ & aliorum habituum intellectualium?*

DISP: V. De habentibus fidem. fol. 463.

QVÆS: I. *An in Angelo & in homine à prima ſui productione fuerit fides?*
II. *An fides ſit in Dæmonibus?*
III. *An qui diſcredit vnum articulum fidei, & alios credit articulos, ſit dicendus habere fidem?*
IV. *An in habentibus fidem poſſit eſſe fides maior in vno quàm in alio?*

DISP: VI. De Cauſa Fidei. fol. 472.
DISP: VII. De Effectibus fidei. fol. 475.
DISP: VIII. De dono Intellectus. fol. 476.
DISP: IX. De dono Scientiæ. fol. 478.
DISP: X. De Infidelitate. fol. 479.

QVÆS: I. *An infidelitas ſit peccatum?*
II. *An infidelitas ſit in intellectu tanquam in ſubiecto?*

III. *An infidelitas ſit maximum peccatum?* fol. 483.
IV. *An omnis actio infidelis ſit peccatum?* fol. 485.
V. *An ſint plures infidelitatis ſpecies?* fol. 486.
VI. *An infidelitas Paganorum ſit deterior?* fol. 489.
VII. *An cum infidelibus publicè ſit diſputandum?* fol. 490.
VII. *An infideles compellendi ſint ad fidem?* fol. 492.
IX. *An cum infidelibus poſſit communicari?* fol. 495.
X. *An infideles poſſint habere dominium ſupra fideles?* fol. 496.
XI. *An ritus infidelium ſint tolerandi?* fol. 498.
XII. *An pueri infidelium inuitis Parentibus ſint baptizandi?* fol. 499.

DISPVTATIO XI. De Hæreſi. fol. 501.
Quæs: I. *Quidnam ſit Hæreſis?* fol. 501.
II. *An hæreſis ſit propriè circa ea, quæ ſunt fidei?* fol. 504.
III. *An Hæretici ſint tolerandi?* fol. 505.
IV. *An reuertentes ab Hæreſi, ſint recipiendi ab Eccleſia?* fol. 512.

DISPVTATIO XII. De Apoſtaſia. fol. 514.
Quæs: I. *Quid Apoſtaſia & quotuplex?* fol. 514.
II. *An Princeps Apoſtata amittat dominium in ſubditos, ita quòd ei obedire non teneantur?* fol. 517.

DISPVTATIO XIII. De Blaſphemia in genere. fol. 518.
DIPVTATIO XIV. De Blaſphemia in Spiritum S. fol. 520.
DISP: XV. De Oppoſitis vitijs Scientiæ, & Intellectui. fol. 522.
DISP: XVI. De Præceptis Fidei, Scientiæ & Intellectus. fol. 523.

IN TRACTATVM 2dum DE SPE. 525.

DISPVTATIO I. De virtute Spei. fol. 526.
Quæs: I. *An ſpes ſit virtus?* fol. 526.
II. *An beatitudo æterna ſit obiectum Spei?* fol. 529.
III. *An vnus poſſit alteri ſperare æternam beatitudinem?* fol. 532.
IV. *An aliquis poſſit licitè ſperare in homine?* fol. 532.
V. *An Spes ſit virtus Theologica?* fol. 534.
VI. *An Spes ſit diſtincta ab alijs virtutibus Theologicis?* fol. 536.
VII. & VIII. *Spes quem ordinem dicat ad fidem & ad charitatem?* fol. 536.

DISPVTATIO II. De Subiecto Spei. fol. 538.

DISPVTATIO III. De Timore Dei. fol. 542.
Quæs: I. *An Deus poſſit timeri?* fol. 543.
II. *Quotuplex ſit timor?* fol. 544.

III. *An timor mundanus ſit ſemper malus?* fol. 545.
IV. *An timor ſeruilis ſit bonus?* fol. 547.
V. *An timor ſeruilis ſit idem in ſubſtantia cum filiali?* fol. 548.
VI. *An timor ſeruilis remaneat cum charitate?* fol. 548.
VII. *An timor ſit initium ſapientiæ?* fol. 551.
VIII. *An timor initialis differat ſecundùm ſubſtantiam à timore filiali?* fol. 551.
IX. *An timor ſit donum Spiritus S?* fol. 552.
X. *An creſcente charitate diminuatur Timor?* fol. 553.
XI. *An timor remaneat in patria?* fol. 554.
XII. *An paupertas ſpiritus reſpondeat dono timoris?* fol. 555.

DISP: IV. De Deſperatione primo vitio oppoſito Spei. fol.

QVÆS: I. *An deſperatio ſit peccatum?* fol.
II. *An deſperatio poſſit eſſe ſine infidelitate?* fol.
III. *An deſperatio ſit maximum peccatum?* fol.
IV. *An deſperatio ex acedia oriatur?* fol.

APPENDIX breuis. De Deſperatione quoad Praxim. fol. 562.

DISPVTATIO. V. De Præſumptione. fol. 564.

QVÆS: I. *An præſumptio innitatur Deo an virtuti propriæ?* fol.
II. *An præſumptio ſit peccatum?* fol.
III. *An Præſumptio magis opponatur timori, quàm ſpei?* fol.
IV. *An Præſumptio oriatur ex inani gloria?* fol.

DISP: VI. De Præceptis pertinentibus ad Spem, & Timorem. fol.

QVÆS: I. *An de ſpe ſit aliquod Præceptum?* fol.
II. *An de timore fuerit dandum aliquod præceptum?* fol.

DISP: De Viſione Dei. fol. 571.

QVÆS: I. *An intellectus creatus poſſit videre Deum per Eſſentiam?* fol.
II. *An Eſſentia ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem videatur.* fol.
III. *An Eſſentia Diuina poſſit videri oculis corporalibus?* fol.
IV. *An intellectus creatus per ſua naturalia poſſit videre Eſſentiam Dei?* fol.
V. *An intellectus ad videndam Eßentiam Diuinam indigeat aliquo lumine creato?* fol.
VI. *An videntium Eſſentiam Dei vnus alio perfectius videat?* fol.
VII. *An videntes Deum per Eſſentiam eundem comprehendant?* fol.
VIII. *An videntes Deum per Eſſentiam omnia in eo videant?* fol.
IX. *An ea, quæ videntur in Deo à videntibus Eßentiam Diuinam per ſimilitudines creatas videantur?* fol.
X. *An Beati videntes Eſſentiam Diuinam ſimul in ea videant omnia?* fol.
XI. *An homo in hac vita poſſit videre Deum per Eßentiam Diuinam?* fol.
XII. *An per naturalem rationem Deum in hac vita cognoſcere poſſimus?* fol.
XIII. *An per gratiam habeatur altior Dei cognitio, quàm ſit ea, quæ eſt per rationem naturalem?* fol.

TRACT.

TRACTATVS DE CHARITATE. 606.

DISP: I. De Charitate ſecundùm ſe conſiderata. fol. 598,
QVÆS: I. An charitas ſit amicitia? fol. 598.
II. An ratio virtutis conueniat charitati? fol. 603.
III. Charitas comparata cum aliis virtutibus qualiſnam ſit? fol. 607.
DISP: II. De Subiecto Charitatis. fol. 610.
QVÆS: I. An voluntas ſit ſubiectum charitatis? fol. 611.
II. De Cauſa efficiente charitatis. fol. 612.
III. De augmento charitatis. fol. 615.
IV. Quænam ſit charitatis perfectio pro hoc ſtatu? fol. 625.
V. An charitas poſſit diminui? fol. 628.
VI. An charitas amittatur præcipuè per peccatum mortale? fol. 629.
DISP: III. De Obiecto Charitatis. fol. 632.
DISP: IV. De Ordine Charitatis. fol. 640.
QVÆS: I. An homo magis Deum, quàm proximum, & quàm ſeipſum diligere debeat? fol. 640.
II. An homo ex charitate magis ſeipſum & corpus ſuum, quàm proximum diligere debeat? fol. 644.
III. An vnus proximus ſit alio magis diligendus? fol. 648.
DISP: V. De principali actu Charitatis. fol. 652,
QVÆS: I. Actus charitatis in quo conſiſtat? fol. 652.
II. Hoc actu charitatis quomodo Deum diligere debeamus? fol. 653.
III. Hoc actu diligendi quando meremur? fol. 656.
DISP: VI. De primo effectu Charitatis interno, ſ: de gaudio. 657.
DISP: VII. De 2. Effectu interno, ſ: de Pace. fol. 659.
DISP: VIII. De 3. Effectu interno, ſ: Miſericordia. fol. 660.
DISP: IX. De primo effectu externo Charitatis, ſ. de Beneficentia. fol. 663.
DISP: X. De Effectu externo Charitatis, ſ. de Eleemoſyna. fol. 665.
QVÆS: I. Quid ſit, & quotuplex? fol. 665.
II. Quænam opera, corporalia an ſpiritualia præſtent? fol. 667.
III. An obligamur ad largiendas Eleemoſynas? fol. 669.
IV. Qui? vnde? & quomodo Eleemoſynam facere debent? fol. 671.
V. Quinam poſſunt & debent Eleemoſynas diſtribuere? fol. 677.

DISP: XI. De Correctione fraterna, tertio effectu externo Charitatis. fol. 681.
fol. 681.
QVÆS: I. *Quid ſit correctio fraterna?* fol. 681.
II. *An correctio fraterna cadat ſub præceptum?* fol. 686.
III. *Correctio à quibus eſt inſtituenda?* fol. 690.
IV. *Quiſnam modus in corripiendo ſeruandus?*
DISP: XII. De Odio vitio oppoſito Charitati. fol. 692.
DISP: XIII. De Acedia, vitio oppoſito Gaudio. fol. 695.
DISP: XIV. De Inuidia, vitio oppoſito Gaudio. fol. 696.
DISP: XV. De vitijs oppoſitis Paci, & primo de Diſcordia. fol. 698.
DISP: XVI. De Contentione, vitio 2. Paci oppoſito. fol. 700.
DISP: XVII. De Schiſmate vitio tertio oppoſito paci. fol. 701.
DISP: XVIII. De Bello, 4 vitio oppoſito Paci. fol. 704.
QVÆS: I. *An bellum licitè, & ſine peccato geri poſſit?* fol. 705.
II. *An Clericis & Epiſcopis ſit licitum pugnare?* fol. 711.
III. *An ſit licitum in bellis vti inſidiis?* fol. 714.
IV. *An in die feſto ſit bellandum?* fol. 714.
DISP: XIX. De Rixa, quinto vitio oppoſito Paci. fol. 715.
DISP: XX. De Seditione. fol. 715.
DISP: XXI. De Scandalo. fol. 716.
DISP: XXII. De Præceptis Charitatis. fol. 719.
DISP: XXIII. De Sapientia. fol. 721.
DISP: XXIV. De Stultitia. fol. 723.

TRACTA.

IN TRACTATVM DE BONITATE & MALITIA ACTVVM HVMANORVM

PRÆFATIO.

CVm Diſputationem de Bonitate ac Malitia Actuũ humanorum cum S. Doctore aggredimur: nemo animum ſuum auertere debet, illud cum dolore commemorando *Scientiam Boni & Mali*, primis noſtris Parentibus & nobis eorum poſteris magno conſtitiſſe. ſiquidem illius experientia eos ab omni innocentia ſpoliatos; de poſſeſsione, non ſolùm Paradiſi; ſed etiam æternæ Beatitudinis exturbauit. Non hoc enim eſt noſtrum inſtitutum, quod ſerpentis fuit, conſiliarij pernicioſi, qui falsò promiſit: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Pollicebatur tãquam ſuis viribus abſq; Dei directione & auxilio, ſua ſcientia, eligendo quod eſt bonum: & cauendo, quod eſt malum, perfectam felicitatem, quod eſt ſoli Deo proprium, aſſequi poſſent. Nos verò intendimus præire, & tanquam protenſo digito demonſtrare, qua ratione, ex hac valle miſeriarum, in quam per fraudem dæmonis, & ob grauitatem peccati incidimus, actionibus noſtris, tanquam paſsibus ſpiritualibus ad cæleſtẽ patriã peruenire poſsimus. videlicet ſi Diuino adiuti auxilio, id quod eſt malũ abiecerimus; quod verò bonum amplexi fuerimus. Bonis quidem actionibus cælum Intentio Authoris

patet,

patet; malis verò Ignis inferni paratus eſt. Præterea in hoc curſu vitæ experimur, animo noſtro offundi tenebras: multos enim ſpecie honeſti deceptos in vitia præcipitant. Ex horum Sententia ita Diuus Auguſtinus loquitur *Furemur diuitibus, vt habeamus quòd demus pauperibus, falſa teſtimonia proferamus, non vt inde innocentes lædantur, ſed potiùs ſaluentur, Teſtamenta etiam vera cur non ſupprimimus? & falſa ſupponimus? ne hæreditates habeant qui nihil boni agunt, ſed hi potiùs qui indigentes adiuuantur?* Sed peccatum quouis colore boni veſtitum, ſemper eſt peccatum, & punitione dignum. vnde ex hac doctrina Bonitatis & Malitiæ Actuum humanorum non mediocre lumen iudicio accedet, vt quid verè? quid ſimulatè ſit bonum? diſcernamus.

DIVISIO TRACTATVS.

Diſpoſitionem S. Doctoris ſequemur, quatuor ille Quæſtiones, videlicet à Quæſtione 18. vſq; ad Quæſtionem 21. hanc Doctrinam proſequitur, idcirco & nos eam Quatuor noſtris Diſputationibus circumſcribemus;

1. *De Bonitate & Malitia Actuum humanorum in Communi.*
2. *De Bonitate & Malitia Actuum interiorum qui à voluntate eliciuntur.*
3. *De Bonitate & Malitia Actuum exteriorum imperatorum.*
4. *De quibuſdam Proprietatibus, quæ bonitatem ac malitiam humanorum Actuum conſequuntur, videlicet de Laudabili & vituperabili, Præmio & Pœna.* Placuit verò ante has Diſputationes vnicam Quæſtionem Prœmialem præmittere.

QVÆSTIO VNICA.

A quo ſumenda eſt Moralitas in communi Actionum humanarum?

1. TRes hic ſunt Opiniones: *prima eſt* Dur. *in 2. diſt. 38. q 1.* Bellarm. *Tomo 3.* Scoti *in 2. diſt. 40.* hi affirmant Moralitatem, quæ eſt in actionibus humanis ſumendam eſſe à libertate voluntatis noſtræ. *Probatur* Moralitas in actibus humanis ab eo debet ſumi; à quo ratio meriti & demeriti ſumitur. Nā meritū & demeritū ſolùm eſt in actibus moralibus. ſed ratio meriti & demeriti à libertate ſumitur, & ideo pueri & furioſi non merentur nec demerentur, quia libertate carent. ergo moralitas ex libertate ſumitur. *Deinde* Ens morale à *more* deducitur, inquantùm ſignificat conſuetudinē. ſed quælibet conſuetudo à libertate hominum introdu-

troducitur, v. ab actibus liberè frequentatis & introductis ab hominibus. ergo moralitas eſt à libertate.

Secunda ſententia tenet Eſſe morale non conſiſtere in ſola libertate, ſed in aliquo alio ſuperaddito Enti & rationi naturali. hoc autem Caiet. in *1 2æ. q. 49. a. 3.* vult eſſe quid abſolutum & intrinſecum ipſi actioni & relatiuum. Gabriel verò Vaſquez hoc ſuperadditum Enti naturali & libertati vult eſſe quandam proprietatem, v. poſſe regulari per rationem, vnde exiſtimat Actum humanum, ideo in genere moris reponi; quia actus humanus ſecundùm rectam rationem regulatur: & quia iſta regulabilitas aut eſt conueniens, aut diſconueniēs, ideo à conuenienti regulabilitate hominum bonitas, à diſconuenienti malitia ſumitur.

Tertia ſententia hanc moralitatem dicit eſſe ſitam in voluntate. non quidem præcisè vt eſt voluntas, neque item vt liberè operatur, ſed ſolùm vt ſubijcitur præſcripto regulæ rectæ rationis & legi ſuperioris: ita Cumel docet in *1. 2æ. ad quæſt. 61.* Pro determinatione dico tria.

2. Dico primo. Esse Morale *ſumptum in communi requirit libertatem tanquam conditionem ſine qua Moralitas conſtitui non poteſt, ita vt nullus actus poſſit eſſe moralis, niſi ſit liber.* Probatvr. Actio quæ nullo modo eſt libera, non procedit ab homine, vt ab agente morali. ergo non poteſt habere eſſe morale. ergo vt ſic in genere moris ab agente libero procedere debet. *Item* hæc Moralitas generica, eſt meritoria vel demeritoria; laude aut reprehenſione, præmio aut pæna digna. ſed hæc commemorata abſq; libertate non poſſunt fieri. ergo libertas ad moralitatē requiritur. Et Ariſt. *3. Ethic.* docet ab his quæ nobis natura indidit, neq; laudari nos, neq; vituperari, ſed à ſolis actib⁹ liberis. *Deinde* ſtādo in lumine naturali, nemo pueros aut mente captos iudicat eſſe bonos aut malos, laude aut repræhenſione dignos: quia libertate rationis ſunt priuati. ergo ad actus morales requiritur libertas.

3. Dico ſecundò. *In hac tamen libertate formaliter, non conſiſtit moralitas generica.* Probatvr. *Eſſe* Morale & *Eſſe* naturale differunt inter ſe, ita, quod conuenit actui vt eſt naturalis; non poteſt cōuenire illi vt eſt moralis, ſed libertas conuenit actui naturali hominis. ergo ex libertate moralitas nō poteſt ſumi [illegible]. *Minor.* Creatura rationalis producendo ſuum actum producit eum inquantum eſt rationalis, libera & vitalis. ergo libertas actui hominis naturali conuenit. *Præterea* vnus & idem numero actus non mutata libertate ex bono fit malus. v. g. ſi quis circa finem Feriæ Quintæ veſcatur carnibus, & illam comeſtionem protrahat vſq; ad principium Feriæ Sextæ, hic eſus carnium ratione Feriæ Quintæ fuit bonus, ratione Feriæ Sextæ fuit malus: nam præcepto Eccleſiæ eſt prohibitus. ergo cùm in libertate nulla ſit facta mutatio, libertas ad hos actus bonos & malos non poteſt eſſe genus. ſiquidem vna ſpecies non poteſt in aliam tranſire; niſi genere mutato. ſed liberum reſpectu eſus carnium non eſt mutatum, nam ſupponimus: quòd is, qui comedit, de Feria Sexta nihil cogitauit.

Sed dices actum hunc reſpectu libertatis fuiſſe mutatum, quia hic eſus carnium reſpectu Feriæ Quintæ eſt licitus, reſpectu Sextæ eſt illicit⁹. *Reſpondeo* quòd hic actus edendi carnes, vnus

vnus atque idem fuit, ſiquidem nulla mutatio facta eſt in voluntate eius qui comedit carnes: nam ſupponim⁹ quòd intellectus eius nihil cogitauit de Feria Sexta, & voluntas cùm ſit cæca ſequebatur intellectum, qui tūc ſolùm de edendis carnibus cogitauit. vnde eadem eſt planè voluntas reſpectu Feriæ Sextæ, quæ fuit reſpectu Feriæ Quintæ.

Moralitas actionū humanarū vnde deſumēda?

4. Dico tertiò. *Moralitas in actibus humanis deſumenda eſt ex Obiecto morali eorundem actuum, prout rectæ rationi ſubijcitur.* PROBATVR. Malitia moralis definitur ex Obiecto, quod eſt contra rationem, dicitur enim eſſe à D. Aug. Dictum, factum, concupitum, contra legem æternam. ergo bonitas moralis ſumetur ex obiecto, v. ex dicto, facto, concupito, quod ſit ſecundum legem æternā. ergo moralitas generica actuū humanorū ſumitur ex obiecto, quod reſpicit rectam rationem. *Deinde* genus in habitibus moralibus, vt in Iuſtitia, Fortitudine, Temperantia, ſumitur ab obiecto morali, vt reſpicit rectam rationem. nam Iuſtitia reddit ius ſuum vnicuique. Fortitudo tolerat aduerſa. Temperantia frenat concupiſcentias, & hoc ideo, quia recta ratio iubet. ergo moralitas ſumitur ex obiecto, quod eſt in ordine ad rectam rationem.

Sed obijcies ſi moralitas ab obiectis ſumitur, ergo non eſt intrinſecè in actibus humanis, ſed in obiectis. *Reſpondeo* quòd hæc moralitas ſit intrinſecè in actibus, ſicut enim veritas & falſitas propoſitionum ab obiectis ſumitur, iuxta illud: *Ab eo quod res eſt vel non eſt, dicitur eſſe propoſitio vera vel falſa*, & tamen veritas & falſitas, non eſt in obiecto, ſed in ipſis propoſitionibus intrinſecis. ita moralitas generica in actibus humanis pendet ab obiectis extrinſecè, ſed intrinſecè eſt in ipſis actibus moralibus.

Rectę rationis nomine quid intelligendum?

5. *Quæres* quid ſit nomine *Rectæ rationis* intelligendum, ſiquidem moralitas ſumitur ab obiecto vt reſpicit rectam rationem. *Reſpondeo.* Per *Rectā rationē* nō intelligim⁹ iudiciū Intellectus de rebus faciēdis, aut vitandis, neq; item cognitionem perfectiſſimā, quæ ad libertatem eſt neceſſaria, quia hæc duo (vt poſtea dicemus) quilibet actus moralis prǽſupponit. ſed intelligimus legem ſuperiorem. vnde in obiecto prout reſpicit legem ſuperioris poſita eſt moralitas generica cuiuſlibet actus humani. Ex quo

Deus moraliter non operatur.

Collige Deum non operari moraliter, *primò ideo*: quia moralitas ſumitur ex lege ſuperiori: ſed Deus ſe ſuperiorem non habet, vnde legi ſuperioris ſubijci non poteſt. *ſecundò* ideo quia actus morales meritū, demeritū, pœna, præmium, conſequuntur. ſed Deus non poteſt mereri, nec demereri, nec præmio, nec pœna affici. ergo moraliter non operatur.

6. *Sed obijcies* Actiones Dei ſunt maxima laude dignæ, laus autem & reprehenſio Actus morales conſequuntur. ergo Deus moraliter operatur. *Reſpondeo*. Laus quæ Dei actionibus tribuitur, non eſt propriè moralis, nam hæc coniuncta eſt cum merito, quòd in Deum non cadit. ſed hęc laus ſignificat quiddam excellentius laude, & debetur operationibus moralibus.

Obijcies ſecundò. Iuſtitia, Miſericordia, ſunt virtutes morales, & hæ Deo tribuuntur. ergo in Deo ſunt actiones morales. *Reſpondeo* Iuſtitiā, Miſericordiam in Deo reperiri, ſed demptis imperfectionibus, v. his quòd ſint Accidentia,

dentia, Qualitates, aut quòd moralitatem habeant.

Quæ & quot concurrant ad conſtituendum Actũ moralem?

Nota ad actum moralem conſtituẽdũ duo concurrere, *primò* id quòd eſt materiale, quod poſitum eſt in actu humano, in quantùm immediatè à ſua potentia procedit, vt viſio procedit ab oculo: cognitio ab intellectu: amor à voluntate: & ſic actus in genere Entis conſideratus, includit libertatem, cognitionem perfectam, vitalitatem. *ſecundò* id, quòd eſt eius ratio formalis, quòd nihil aliud eſt, quàm modus quidam qui aduenit actui humano, in quantùm reſpicit obiectum, ſubiectum legi ſuperioris.

7. Ad duo Argumẽta primæ Opinionis reſpondetur *ad primum*, concedo libertatem eſſe neceſſariam ad moralitatem: ſed nego quòd hæc ipſa libertas ſe ſola conſtituat moralitatẽ. Deus enim liberè operatur, & tamen moraliter non operatur; Beati liberè operantur, & tamen moraliter non operantur; quia non poſſunt mereri nec demereri. vnde libertas præſupponitur quidem ad moralitatem, at in ea non eſt ſola moralitas ſed in obiecto, cum reſpectu ad legem ſuperioris.

Ad ſecundum dico conſuetudinem introductam eſſe à libertate, ex eo tamen nõ colligitur moralitatem genericam ſumendã eſſe in actibus humanis à libertate, ſed ex obiecto quod eſt conforme legi ſuperiòris.

DISPVTATIO I.

De Bonitate ac Malitia in Communi.

Vndecim Quæſita habebit ſecundùm numerum Articulorum S. Doctoris, quos licet coarctare & numero breui comprehendere potuerimus, placuit tamen à D. Thomæ ordine non recedere.

1. *An omnis actio humana ſit bona, vel etiam aliqua ſit mala?*
2. *An actio ſumat bonitatem ac malitiam ex obiectis?*
3. *An etiam ex circumſtantiis?*
4. *An etiam ex fine?*
5. *An aliqua actio ſit bona vel mala in ſpecie ſua?*
6. *An Actus habeat ſpeciem boni & mali ex fine?*
7. *An ſpecies quæ eſt ex fine contineatur ſub ſpecie quæ eſt ex obiecto ſicut ſub genere vel è conuerſo?*
8. *An aliquis Actus ſit indifferens ſecundùm ſpeciem?*
9. *An etiam ſit indifferens ſecundùm indiuiduum?*
10. *An aliqua circumſtantia conſtituat actum moralem in ſpecie boni vel mali?*
11. *An omnis circumſtantia augens bonitatem, vel malitiam conſtituat actum moralem in ſpecie boni vel mali?*

 QVÆSI.

QVÆSITVM I.
An omnis Actio humana ſit bona, vel aliqua ſit etiam mala?

1. CIrca hoc Quæſitum duo determinabimus. *Primò* Hæreſes quaſdam confutabimus. *Secundò.* in quo Bonitas moralis & per conſequens malitia conſtituatur?

QVANTVM *ad primùm.* duas hic reperio Hæreſes. *Prima* Lutheri qui docet nullam actionem hominis eſſe bonam & meritoriam vitæ æternæ. ſed quòd quælibet Actio humana eſt peccatum. Fundamenta eius ſunt loca Scripturæ Geneſ. 8. *Senſus & cogitatio cordis humani, in malum prona ſunt ab adoleſcentia.* Geneſ. 6. *Dixit Deus non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt.* Sed is qui eſt carnalis & ad malum pronus, & Spiritu Dei carens, & qui fontem actionum humanarum v. Cor vitiatum per malum habet, quomodo operationes bonas ex ſe fundet? ergo omnis actio hominis peccatum. Iſaiæ 64. *Facti ſumus omnes vt immundi & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ* Matth. 7. *Arbor mala non poteſt bonos fructus facere.* Sed voluntas in homine ad malum propenſa, eſt mala arbor. ergo malas actiones producit. Omiſſis aliis locis quæ pro ſua hæreſi ſtabilienda Lutherus adducit.

Non omnis actio humana eſt peccatum.

2. Dico *Falſum eſſe quòd omnis actio humana ſit peccatum.* PROBATVR. Quilibet homo aut eſt peccator, aut eſt Iuſtus. Sed peccator facit quaſdam actiones Deo gratas; iuſtus quoq; in gratia exſiſtens, longè acceptiores Deo operationes facit. Ergo falſum quòd omnis actio hominis ſit peccatum. *Minoris* pars prima probatur *quòd peccatoris quædam actiones Deo placent.* Danielis 4. legimus vbi Daniel Nabuchodonoſorem peccato ſuperbiæ inſigniter infectum ſic alloquitur: *Rex conſilium meum placeat tibi Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Sed Daniel erat Spiritu Prophetiæ & gratia Dei plenus. Ergo Nabuchodonoſorem ad id, quod erat bonum, ducebat. Et 3. Regum 21. Cum Achab pœnitens pro homicidio, operuit Cilicio carnem ſuam & ieiunauit, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite: hi actus Pœnitentiæ peccatoris Achab erant Deo grati, ſic enim ad Eliam inquit: *Nonne vidiſti Achab humiliatum coram me: quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.* Actorum 10. ad Cornelium qui non erat Iudæus ſed miles Romanus, ſic inquit Angelus: *Orationes tuæ & eleemoſynæ aſcederunt in memoriam in conſpectum Dei.* Ergo operationes quædam peccatorum ſunt Deo gratæ. *Secundò* Deus in multis locis Scripturæ peccatores ad metum inferni concipiendum inducit vt *Memorare nouiſſima &c.* inter quæ eſt infernus. Et *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ierem. 15. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit ſuper vos.*

bo. Sed Deus ad malum non inducit Ergo metus gehennæ in peccatoribus non eſt peccatum.

3. *Pars ſecunda* Minoris *quòd iuſtorum opera ſint bona* PROBATVR Si enim peccatorum opera vt metus inferni Actus pœnitentiæ, ſunt Deo accepta quamuis ſint Dei hoſtes. ergo iuſtorum opera, qui ſunt amici Dei multò acceptiora erunt. *Item* Deus ad actus virtutum exercendos hortatur nos vt: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Et *Pœnitentiam agite.* Et *Recede à malo & fac bonum.* Ergo homo eos actus exercens Deo placet. Ergo hi actus ſunt boni. *Deinde* Deus immũditiam iniquitatum noſtrarum tollit ſua gratia, quam per Chriſtum habemus. Ad Titum 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret populum ſibi acceptabilem ſectatorem bonorum operum.* Ezech. 11. *Dabo eis cor nouum, & Spiritum nouum tribuam in viſceribus eorum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant.* *Præterea.* Deus exigit à nobis vt præcepta eius impleamus, & ad hoc exhibet nobis auxilium gratiæ ſufficientis, atque etiam efficacis. ergo bona opera iuſtorum ſunt Deo grata. Deinde eadem bona opera hominis æterna gloria coronat: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* Particula *Enim* eſt cauſalis, cauſam gloriæ æternæ ſiue Coronæ in merito conferens. Ergo opera ſunt bona iuſtorum. Pro reſponſione.

4. *Ad Argumenta.* Lutheri nota. nos homines non poſſe pro hoc vitæ ſtatu actiones producere, quæ ſint ab omnibus imperfectionibus emundatæ, cum rebellionem continuam carnis aduerſus ſpiritum experiamur.

Nota ſecundò. quòd Lutherus tanquam germana ſoboles Diaboli patrem ſuum mendacem aptè imitatur; ſicut enim hic in illo duello cũ Chriſto loca Scripturæ congerebat ſed in malum finem, vt cum dixit: *Mitte te deorſum,* ſubiunxit Scripturam: *Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis &c.* quam eo fine adduxit vt Chriſtum in præcipitium iactaret. Ita Lutherus tot loca Scripturæ congeſſit eo fine, vt nos in barathrum peccatorum conijceret & Epicureos faceret, poſtquam oſtendiſſet virtutis ac bonorum operum viam eſſe prorſus impoſſibilem.

Lutherus ſoboles germana Diaboli.

Ad primum Argumentum Reſpondeo *Primò* Pronitas ad malum dupliciter conſideratur vt eſt habitus vitioſus ex frequentatis actibus malis collectus. Et de hoc Scriptura nõ loquitur. *ſecundò* vt eſt quædam propenſio ſeu habitudo ex concupiſcentia enaſcens & ad malum ſolicitans & hæc pronitas neque eſt bona neque mala, ſed indifferens: bona, ſi quis reſiſtat, & opera virtutum exerceat: mala ſi ab ea duci ſe patiatur & peccet. & ſic Pronitas ſecundo modo non eſt mala vt Lutherus voluit.

Pronitas ad malum quo tupliciter conſiderari poteſt.

Reſpondeo ſecundò. Ex hoc loco Geneſ. 8. non ſequi omnia opera noſtra eſſe mala; ſed ſolùm illa, quæ ratio ab appetitu ſenſitiuo ſubiugata facit.

5. *Ad ſecundum* reſpondeo quòd ſolùm loquitur Deus pro ſtatu illorum hominum, qui ante diluuium corrupti & deprauati erant, nec hoc extendi debet ad omnes homines, ſiquidẽ contrarium Ezech. 11. legimus. *Dabo eis*

ba eis cor nouum, & Spiritum nouum tribuam. &c. Ad locum Iſaiæ 64. Dico Moris eſſe S. Scripturæ (vt D. Aug. lib. 3. de Doctr. Chriſt. obſeruat) vt quando Deus damnat improbos, videtur & bonos damnare. Et D. Paulus cum dicit: *Omnes quærunt quæ ſua ſunt.* non intelligit quòd omnes ad vnum in Eccleſia tales fuerint. nam ſciebat alios quærere quæ ſunt IESV Chriſti. De Arbore mala dico falſum eſſe quòd Lutherus cum Manichæis ſomniat, tanquam hæc Arbor mala, ſit voluntas malà; ſed intelligenda eſt intentio hominis: ſiquidem ex bona intentione, optimi fructus actionũ; ex mala verò praui enaſcuntur.

6. *Altera eſt.* Hæreſis Libertinorũ cuius authores duo ſutores Flandri Copinus & Quintinus exſtiterunt. qui docebant nihil eſſe peccatum, niſi quandam inanem & falſam hominum opinionem. Vnde dicebant quamuis homines homicidia, furta, latrocinia committant, non eſſe puniendos, nã talia opera, hominum opinio facit peccatum. Iidem dixerunt ideo Petrum meruiſſe reconciliationem poſt abnegationem, quia credidit ſe non peccaſſe: Iudam verò ideo damnatũ, quia ſe peccaſſe exiſtimauit. Quæ hæreſis cum ſit mera inſania, in ea confutanda non immoror. Ipſa Philoſophia moralis Ethnicorum, quæ eſt de virtutibus & vitiis eos confutat. vnde D. Paulus dicit Hæreticum infideli eſſe deteriorem.

Hæreſeos libertinorum qui ſint authores?

ô quàm egregij Theologi!

7. QVANTVM *ad alterum* Inquirimus in quo bonitas vel malitia Actionis conſiſtat. & præmitto primò diſcurſum S. Doctoris. Omne Ens habet ſuum ESSE, & quodlibet Ens eſt bonum, idcirco quia actio eſt Ens Ergo Actio quantum habet de *Eſſe* tantum habet de bonitate. Vel ſic clarius Dico. Illa Actio eſt bona quæ habet omnia requiſita debita ad ſuum *Eſſe*, & cui nihil omnino deeſt ex requiſitis, malitiam verò Actionis conſtituit, quando deeſt illi aliquid de plenitudine Eſſendi, ſeu de requiſitis, quæ debent ineſſe Actioni humanæ.

Sed quæres Quænam ſunt hæc requi- Quæ ad Actionẽ requiruntur?
ſita quæ ad Actionem requiruntur?
Dico quòd hæc in ſequentibus Quæſitis explicabimus, quæ erunt Obiectum, Finis, Circumſtantiæ, & alia inter quæ eſt etiam Recta ratio cum conformitate ad legem Diuinam. Erit igitur Actio hominis bona, quæ hæc omnia requiſita habebit; mala verò erit, ſi aliquod horum defuerit. Malitia quid?
Vnde communiter Malitia dicitur, Priuatio rectitudinis debitæ ineſſe: quæ quidem rectitudo in requiſitis ad Actionem conſiſtit. *v. g.* Sicut ad plenitudinem *Eſſe* hominis, requiritur vt ſit quoddam compoſitum ex Anima & Corpore habens omnes potentias & inſtrumenta cognitionis & motus: vnde ſi aliquid horum deficiat homini, deficit illi aliquid de plenitudine ſui *Eſſe*: vt homo cæcus, habet de Bonitate quod viuat, & malum eſt ei, quòd ſit cæcus. D. Aug. *lib 8. de Trin. cap. 2.* illuſtrat tali exemplo. Illa facies hominis dicitur eſſe bona, quæ eſt dimenſa pariliter, affecta hilariter, & luculenter colorata, quia habet ea omnia quæ ad illius pulchritudinem requiruntur; ſi quid autem eorum defuerit, erit priuatio debitæ rectitudinis, & per conſequens erit mala. Ita Actio hominis erit bona, quæ habet omnia requiſita ad plenitudinem ſui *Eſſe*; ſi autem aliquid horum defuerit, erit priuatio

debitæ

debitæ rectitudinis. Pro meliori intelligentia.

In rebus bonitas & Malitia reperitur.

8. *Nota* quòd Bonitas & Malitia in tribus rebus reperitur. *Primò* in Entibus naturalibus: *ſecundo* in artefactis: *tertiò* in actionibus humanis. Res naturalis dicitur eſſe bona per aliquid abſolutum quod in ea inexſiſtit: vt homo dicitur eſſe bonus per ſuam naturam rationalem: Aurum dicitur eſſe bonum, propter perfectiones proprias quæ illi inſunt. & è contra Res naturalis erit mala ſi debitis perfectionibus carebit: Res artificioſa dicitur eſſe bona, per comparationem ad Regulam artis: vt Imago dicitur eſſe bona, quando ad Regulam artis eſt depicta, mala verò ſi ab ea diſſideat: Operatio verò humana dicitur eſſe bona per comparationem ad rectam rationem, & ad alia requiſita, quæ in Actione reperiri debent: mala verò erit ſi aliquid horum defuerit. *Probatur* hoc ex D. Dionyſio *cap. 4. de Diu. Nom.* vbi dicit: *Bonum conſurgit ex integra cauſa, malum autē ex particulari defectu.* Ergo bonitas Actionis erit quando omnia requiſita habebit, ſeu plenitudinem Eſſendi & per conſequens rectitudinem debitam. Vnde Malitia erit priuatio rectitudinis debitæ ineſſe.

Malitiæ definitio.

9. Contra hanc definitionem malitiæ inſtat Ocham cū Almaino, quòd Rectitudo Actus non eſt Accidens Actus, quia Accidens ab eo cui inhæret diſtinguitur, ſed Rectitudo ab actu non diſtinguitur. *Reſpondeo* & dico quòd Rectitudo non eſt idē quod Actio; ſed quemadmodum figura diſtinguitur à quantitate, ita Rectitudo ab Actione cui ineſt. nam Rectitudo eſt diſpoſitio & ornatus actionis, dicit enim commenſurationem Actionis ad ſuam regulam.

Inſtāt ſecundò. Actio humana ex eo dicitur mala, quia lege Diuina eſt prohibita iuxta D. Paulum. *Si non eſſet lex nec præuaricatio eſſet.* Et D. Th. infra *quæ. 71. art. 6. ad 4.* Ideo dicit eſſe malū peccatum, quia lege Diuina eſt prohibitum. Ergo malitia Actionis ex eo erit quia eſt contra legem Diuinā & non ex eo quia caret debita rectitudine. *Reſpondeo primò.* quòd hæc ipſa Lex Diuina eſt Rectitudo, quæ in actione humana requiritur. *Reſpondeo ſecundò.* Secundùm hoc Argumentum ſi furtum non eſſet lege Diuina prohibitum, tunc furtum non erit peccatum, quia illud lex Diuina non prohibet, Atqui nihilominus furtum eſt malum, quia rectæ rationi aduerſatur, quæ eſt debita Rectitudo actionum. Ergo dato caſu, ſi furtum lege Diuina non prohiberetur, nihilominus eſſet malum; quia eſt contra Rectam rationem quæ eſt Rectitudo actionis. Vide hîc Bartholomæi Medinæ expoſitionem. Ex quo collige quòd ad Actionem bonam requiritur plenitudo eſſendi, ſeu requiruntur debita requiſita. porrò ſi aliqua defuerint, erit actio mala.

QVÆSITVM II.

An Actio hominis ſit bona vel mala ex Obiecto?

10. HVius Quæſiti difficultatem ex magna parte in Quæſito noſtro Prœmiali expediuimᵒ Vnde cum S. Doctore concludendo.

Dico. *Actio hominis primariam bonitatẽ aut malitiam ſumit ex Obiecto.* PROBATVR Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.* Ergo homo ex dilectione rei prohibitæ à Deo eſt abominabilis. Ergo ex obiecto Malitia ſumitur. *Præterea.* SuperioriQuæſito diximus Bonitatem Actionis ſumendam eſſe ex plenitudine Eſſendi; Malitiam verò ex defectu. Sed obiectum ad plenitudinem Eſſendi actionis humanæ ſpectat. Ergo ex obiecto Bonitas vel malitia actionum ſumenda. *Minor* Sicut res naturalis habet ſe ad ſuam formam; & motus ad terminũ: ita Actio moralis ad ſuum Obiectum Sed res naturalis præcipuam bonitatem ſumit ex forma. ergò etiam & Actio ſumit ex obiecto. *Maior* Sicut enim forma dat ſpeciem rei naturali, & terminus dat ſpeciem motui; ita obiectum dat ſpeciem Actui.

Per obiectum quid intelligendum?

11. *Sed quæres* Quid per *Obiectum* ſit intelligendum? *Reſpondeo* Per *Obiectum*, non eſt intelligenda res ipſa ſũpta ſecundũm ſe vt eſt in rerum natura, vt cibus, argentum, aliena poſſeſſio. Nam in his ita ſimpliciter conſideratis nulla poteſt eſſe bonitas, aut malitia moralis; ſed hæc debent accipi in quantum noſtræ actiones circa illas verſantur. vt moderatio circa cibum, eſt obiectum Temperantiæ. Argenti accumulatio cum cupiditate, eſt obiectum Auaritiæ. & rei alienæ raptus, violẽta occupatio, eſt obiectum furti.

Quæres rurſum, Hæc Bonitas & Malitia quæ ſumitur ex obiecto, qualisnam ſit an generica an ſpecifica?

Bonitas & Malitia ſũpta ex obiecto an ſit generica an ſpecifica?

Scotus *in 2. diſt. 7. quæſt. vnica.* Et Quodl. *quæſt. 18. art. 1.* dicit hanc bonitatem ſeu malitiam genericã, quam appellat capacitatem Bonitatis vel Malitiæ, ſpecificam in genere moris. Sed omiſſa Sententia Scoti. ſiquidem (vt Caietanus annotat) dicit & non probat.

Dico *Hæc Bonitas vel malitia quã Actio humana ex obiecto ſumit eſt ſpecifica ſpecie ſpecialiſſima.* Ita in corpore D. Thomas tenet. vbi inquit: *Dici ſolet Actionem humanam bonam ſeu malam ex genere.* Sed hoc dicit eſſe intelligendum de genere accepto pro ſpecie. *Probatur* ratione Caietani. Quemadmodum Actus cuiuſlibet virtutis aut vitij ex certa ſpecie virtutis aut vitij procedit: ita etiam ad certum obiectum ſpecificum illius virtutis, aut vitij terminari debet. Ergo ex obiecto ſumit ſpeciem.

12. *Nota* Non negat D. Th. etiam genericam Bonitatem vel Malitiam Actionum poſſe ex obiecto ſumi, ſed maximè ſumendã eſſe ſpecificã, quòd Scotus negat. Nam verſari actione circa aliquam rem, eſt quid genericũ verſari verò circa rem propriam aut alienam, erit quid ſpecificum. *Probatur.* Quemadmodum in Logicis Genus eſt in quo ſpecies plures conueniunt, id autem ſpecificum vnicuiq; in quo differunt: ita & Actiones humanæ habent aliquid genericum in quo conueniunt, vt operari circa aliquam rem: habent & id in quo ſpecie differunt; vt operari circa rem propriam, eſt actus iuſtitiæ; & operari circa alienam eam ſibi vendicando eſt actus iniuſtitiæ.

Obijcit

Obiicit Stotus. Hæc act:o. *Volo eſſe ſtudioſus.* eſt bona ex genere ſuo, & quia æqualiter ad omnes virtutes ſpectat. idcirco nulla ſpecies virtutis erit. Similiter *Volo eſſe nequam homo.* hæc actio cum ſimiliter ad omnia vitia ſe extendat, in nulla erit ſpecie. Ergo ex obiecto ſumitur generica ratio actionis. *Reſpondeo* quòd hæc actio, *Volo eſſe ſtudioſus.* refertur ad iuſtitiam legalem cuius eſt officium omne bonum virtutis promouere. Sed ſi hæc Actio interna in aliquam exteriorem tranſibit, iam ſpeciem ex obiecto habebit. vel referetur ad Synteresim in qua hæc ſunt principia conſignata: *Bonum eſt amplectendum, malum fugiendum.*

QVÆSITVM III.
An Actio humana ſit bona vel mala ex Circumſtantijs?

13. PRo intelligentia Quæſiti *Noto primò.* quòd circumſtantiæ ſint vera Actionum humanarum Accidentia: quia Circumſtantiæ nõ ſunt aliquid intrinſecum ipſi actioni: attamen aliquomodo ad eam ſpectant. Ergo ſunt Accidentia. *Item* Communiter dicimus quemlibet Actum hominis ſiue bonum ſiue malũ, habere ſuam ſubſtantiam. Sed Subſtantia naturalis, habet ſua accidentia. ergo & actio humana habebit circumſtantias ſicut Accidentia, *Item* Circumſtantiæ adueniunt actioni iam eſſentialiter conſtitutæ, & ſunt quid poſterius ipſa actione. ergo ſunt Accidentia.

Circumſtantiæ quot enumerantur à S. Thomà?

Noto ſecundò. D. Th. *in 1. parte qu. 7. art. 3.* Octo Circumſtantias enumerat v. has: *Quis? Quid? Circa quid? Quo ſeu quibus auxilijs, aut inſtrumentis? Cur? Quomodo? Quando? vbi?* QVIS non tam ſubſtantiam, quàm Qualitatem perſonæ ſignificat, v. An is qui peccauit ſit laicus? vel Sacerdos? Nobilis vel Ruſticus? Nam hæc qualitas perſonæ auget aut minuit grauitatem peccati. *Quid* ſimiliter ſignificat, non tam ſubſtantiam Actionis humanæ, quàm qualitatem v. An res ablata fuerit magna an parua? *Circa quid.* ſignificat perſonam, circa quam quis peccat *Quo* ſignificat quibus auxilijs, aut per quæ inſtrumenta quis actum vitioſum exerçuit? *Cur* finem ſignificat, vt cũ quis furatur luxuriæ aut comeſſationis cauſa. *Quomodo* quærit an illa Actio facta fuerit ex toto animi conatu? an verò ex remiſſo? *Quãdo* quærit an eo tempore ludo, venationi, deditus erat, quo Sacrum audire tenebatur? *Vbi* inquirit an furtum commiſſum in loco ſacro an profano?

14. *Noto tertiò. Quædam* ſunt Circũſtantiæ, quæ non variant qualitatem Actionis, vt Occidere hominem ante prandium vel poſt. & hæ Circumſtantiæ dicuntur in genere naturæ, non autem in genere moris. *Quædam* verò ſunt quæ variant qualitatem Actionis, mutando vel genus vel ſpeciem: vt furtum ſi fiat in loco ſacro, iam non eſt ſimpliciter furtum,

ſed ex circumſtantia loci ſacri eſt ſacrilegium. *Quædam* verò ſunt circum ſtantiæ quæ intra eandem ſpeciem variant qualitatem Actionis, vel augendo vel minuendo, vt furari rem pretioſam aut vilem.

Noto quintò. Quidam dicunt quod hæ Circumſtantiæ, quæ variant qualitatem Actionis intra eandem ſpeciem ſunt veræ Circumſtantiæ; ſed quæ mutant in aliam ſpeciem, iam non ſunt circumſtantiæ, ſed tranſeunt in rationem obiecti, vt de furto in loco ſacro commiſſo dictum. Quibusdam videtur quòd ſemper ſint circumſtantiæ. *Et ratio eſt*. nam Actio humana ab obiecto immediato habet ſuam ſpeciē Eſſentialē, quæ nūquā ab Actione ſeparatur, ergo circū ſtantiæ ſemper erunt circumſtantiæ. pro huius intelligentia

Quilibet Actus humanus duplicem poteſt habere ſpeciem.

Sciēdum eſt quòd qlibet Act⁹ humanᵒ duplicē poteſt habere ſpeciē: *Prima* eſt ſubſtantialis, primæua, inuariabilis quæ ab obiecto immediato ſumitur. *Secunda eſt* Accidentaria, variabilis, ſecundaria, quæ ab obiecto ſecundario ſumitur. *v. g.* Si quis occidat hominem vt eūdem deprædetur, iſte Actus habet ſpeciem ſubſtantialem homicidii, & ſumitur ab obiecto primario, nimirum ab occiſo homine. Accidentaria verò forma eſt deprædatio, quia homicidium ordinatur ad deprædandū. Vnde circumſtantia ſolū ſpeciē accidētariā actioni addit.

15. *Noto ſextò.* Monet Concili. Trident. Seſs. 14. in materia de Confeſſione cap. 5. vt hæ circumſtantiæ in Confeſſione exprimantur, quæ aut ſpeciem peccati mutant, aut quæ malitiam aggrauant. His præmiſſis.

Dico cum S. Doctore. *quòd actio hominis ſumit Bonitatem ſiue Malitiam ex Circumſtantijs.* PROBATVR. Eo modo de Bonitate & Malitia Actionum humanarum iudicandum eſt, ſicut de Bonitate & Malitia aliarum rerum. Sed hæ ſumunt ſuam bonitatem non tantùm ex ipſa Eſſentia rei, ſed etiā ex accidentibus. vt homo non ſolùm ob naturam rationalem dicitur Bonus; ſed etiam ob ſtudia & negotia quibus vacat. Ergo & actio humana ex circūſtātijs quæ ſūt accidētia ſiue bonitatem ſiue malitiam ſumit, *De inde* communiter dicitur *bona eſſe bene facienda iuſta*, nam aliàs boni gratiam deperdent ſi debitæ circumſtantiæ aut omiſſæ, aut non conuenienter ſeruatæ fuerint. *Præterea* Sacra Scriptura aliqua opera quæ ex ſe ſunt bona, frequenter reprehendit ſi aliquæ deſint circumſtantiæ vt finis, perſonæ, temporis. Sacrificare enim eſt Actio bona & tamen. 1. Regum 13. reprehenditur Saul, quòd ſacrificauerit, quia hoc ſolius Sacerdotis eſt.

Noto ex D. Thoma, Actionem humanam eſſe bonam, ſi debitas ac requiſitas circūſtantias ad illā actionē habebit: malā, ſi aliqua harū defuerit.

QVÆSITVM IV.

An Actio humana ſit bona vel mala ex Fine?

16. Aperta

16. Aperta eſt Concluſio D. Thomæ v. quòd *Actiones humanæ, & illa omnia quæ dependent ab alio, ſumunt ſuam bonitatem & malitiam ex fine.* PROBATVR: Boetius 3. Topic. inquit. *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoq; bonum eſt: & cuius finis malus, ipſum quoque malum.* ergo bonitas aut malitia Actionis ſumitur ex fine.

Probatur ſecundò. ratione D. Thomæ Bonitas rei cuius *Eſſe* dependet ab aliqua cauſa, etiam dependet ex fine ad quem res ipſa per ſuam cauſam ordinatur. Sed Actio hominis dependet à cauſa v. ab ipſo homine. ergo & bonitas à fine dependet ad quē ab ipſo homine ordinatur. *Maior* à contrariò deducitur. Ideo bonitas Diuinæ Perſonæ non attenditur ex fine; quia Diuina Perſona non habet cauſam ſui Eſſe. *Secundò* quia cũ quælibet cauſa agat propter finem, neceſſe eſt vt Entitas effectus producti habeat cauſam finalem. Sed cùm Bonitas actioni humanæ conueniat ſecundùm ipſius Entitatem: idcirco à fine tanquam à cauſa pendet.

Bonitas quadruplex in actione humana conſiderari poteſt.

Ex eodem Articulo 4. Colligo in actione humana quadruplicem Bonitatem poſſe conſiderari: Prima eſt ſecundùm Genus ſeu Naturalis, quæ conſequitur actionem in quantum eſt actio; & quæ quantum habet de Entitate tantum habet de bonitate: & talis bonitas etiam reperitur in Actionibus malis inquantum ſunt Entia. *Secunda* eſt ſecundùm ſpeciem, ſeu ſpecifica, quæ ſecundùm obiectum conueniens rationi accipitur. *tertia* ſecundùm circumſtantias, quæ quia actioni aduenient, idcirco illi bonitatem Accidentalem tribuunt. *quarta* eſt ex fine ſecundùm habitudinem ad cauſam bonitatis.

17. *Sed obijcies.* Videtur S. Doctor Ordinem perturbatum habere in doctrina præſenti. Nam determinauit & nos cum eo præcedenti Quæſito Bonitatem vel Malitiam ſumendam eſſe ex Circumſtantijs. Sed Finis eſt Circumſtantia præcipua. ergo non neceſſariò hic de fine agit.

Reſpondet Caietanus quòd Finis reſpectu Actus Exterioris eſt circumſtantia; reſpectu autem Actus Interioris eſt obiectum, reſpectu autem vtriusque eſt finis. Vnde Actioni humanæ dat bonitatem vel malitiam finis, inquantum eſt Actus Interioris vt Obiectum: inquantum verò eſt Exterioris vt Circumſtantia; vtriuſque autem vt Finis. Vt in actione furti propter fornicationem; Fornicatio eſt Circumſtantia reſpectu actus Exterioris, reſpectu autem interioris eſt Obiectum. Dicit poſtea ad obiectionem, quòd in præcedenti Articulo egit de fine, vt eſt Circũſtantia Actus Exterioris; in præſenti agit de fine vt eſt obiectũ Interioris.

18. *Reſponſio hæc* vix aliquos ſequaces habet, vnde reiicitur à nobis. *Primò* (vt Medina hic deducit.) quia non videtur eſſe intelligibile quòd aliqua circumſtantia ſit actus Exterioris, & non ſit actus Interioris, ſiquidem Actus interior & exterior pro codē reputantur, vnde quòd eſt vnius circumſtantia erit & alterius, *Præterea* qui furtum committit in loco Sacro ordinando ad hunc vel illum finem, etiam habet volitionem furti, qui eſt actus interior, vt fiat in loco ſacro, & propter hunc vel illum finem. ergo quod erit circumſtantia Actus exterioris

terioris, erit etiam interioris. *Ad Exemplum* illud dico. Cum quis furatur vt fornicetur, non eſſe hic intentionem finis, ſed eſſe electionem medii ad talem finem v. furtum tanquã medium eligitur, ad fornicationem vt ad finem. Sed electio non ſumit ſuam ſpeciem ex fine, ſed ex medio. Vnde medium tribuit ſpeciem, non autem finis adiunctus atque ſic hic finis adiunctus erit circumſtantia.

Finis quotupliciter conſiderari poteſt? *Vnde potius* dicendum finem tripliciter poſſe conſiderari. *primò* vt eſt Obiectum per ſe terminatiuum Actus, & ſic dicitur eſſe intrinſecus Actus: *Secundò* vt accidit Actui, & ſic eſt vna ex circumſtantijs: *tertiò* vt habet rationem cauſæ, & cuius gratia aliquid fit. In præſenti igitur agimus de fine non primô modô vt eſt obiectum terminatiuum actus: non ſecundò, vt eſt circumſtantia, ſed vt eſt quædam cauſa ſeu Ratio obiecti. quia finis habet rationem boni, & eſt cauſa propter quam agimus. Nam de ratione illius eſt, vt ſit cauſa excitans & mouens ad agendum.

QVÆSITVM V.

An Actio humana ſit bona vel mala ex ſua Specie?

19. SEnſus eſt Quæſiti An ſ. Bonum & Malum ſint differentiæ quæ diuerſas ſpecie actiones humanas conſtituunt? Circa finem Articuli in corpore eiuſmodi Concluſionem Collige *Bonum & malum diuerſificant ſpeciẽ in Actibus Moralibus*, ſeu quod idem eſt *Actiones humanæ differunt ſpecie ſecundum Bonum & Malum*. PROBATVR D. Dion. *4. cap.* de Diu. Nom. *Bonum* inquit, *hominũ eſt ſecundùm rationem eſſe malum, aut quod idem eſt propter rationem*. Ex quo ſic arguo. Bonum & Malum dicitur per Comparationem ad rationem, quæ quidem ratio eſt quædam Norma ac Regula Actuum humanorum in quantum enim rationi conuenit, dicitur eſſe Bonum, in quantum non conuenit dicitur eſſe malum. Sed ſpecies ex obiecto ſumitur, v. ex eo quod rationi conuenit ſumitur bonum: ex eo quod non conuenit ſumitur malum. ergo malum & bonũ diuerſificant ſpecie Actus humanos. Quid ſit bonum? Quid ſit malum? Vnde Bonum & Malum conſtituunt per ſe differentiam in Actibus humanis. *Probatur* Bonum eſt illud quod eſt Obiectum conueniens rectæ rationi: malum verò quod eſt diſconueniens. Sed Conueniens & Diſconueniens dicunt per ſe differentiam ad rectam rationem Actus: Actus autem humani à ratione producuntur Ergo Bonum & Malum conſtituunt per ſe differentiam in actibus humanis.

Malum Morale quid ſit? 20. *Sed obiicies*. Malum eſt priuatio & nihil, quomodo ergo Malum conſtituet contrariam ſpeciem Actꝰ humani? *Reſpondeo* cum Caiet. Malũ morale eſt aliqua natura poſitiua, & aliquod bonum in ſe, licet in ordine ad hominem ſit malum. Vt forma Cadaueris

dauerîs in ſe eſt quoddam bonum, ſed malum homini viuenti. Ita & Actus Iniuſtitiæ eſt Ens poſitiuum cõtrarium Iuſtitiæ.

Malum morale ſumitur dupliciter.

Obiicies rurſum. Secundùm D. Dion. & D. Aug. Malum dicitur eſſe priuatio & nihil *reſpondet Caiet.* Malum abſolutè ſumptum eſſe nihil, & priuationem, quamuis denominatiuè dicatur eſſe Ens. Malum verò Morale dupliciter ſumitur: *Primò* vt eſt Carentia rectitudinis debitæ, & ſic eſt Priuatio & nihil, & ſub malo abſolutè ſumpto continetur. *Secundò* dicitur eſſe malum Contrarium, & ſic iam ſub malo abſolutè ſumpto nõ continetur, ſed eſt Ens quoddam poſitiuum contrarium bono. *v. g.* In furto eſt Priuatio, quia eſt carentia rectitudinis, v. ne alienum raperet, & in eodem furto eſt quid poſitiuum nimirum Actus, rem alienam vſurpans: vnde Actui iuſtitiæ opponitur non priuatiuè, ſed contraria oppoſitione, ſicut duæ qualitates Calidum & frigidum ſibi opponuntur.

Malum Naturale & Morale quo differunt.

Nota Differentiam inter Malum Naturale & Morale: *Prima* Naturale eſt Priuatio vt Cæcitas. Morale autem eſt quid poſitiuum vt Actus Iniuſtitiæ. *Secunda* Malum naturale nõ conſtituitur in aliqua ſpecie, quia eſt priuatio, vnde non eſt cognoſcibile: Morale vero habet differentiam intrinſecam perquam in ſpecie conſtituitur, vnde cognoſcitur.

21. *Obiicies tertiò.* Ergo Deus mali Moralis erit cauſa. *Probatur* Omnẽ naturam poſitiuam Deus producit, ſed malum Morale eſt natura poſitiua. Ergo à Deo producitur. *Reſpondeo* rem illam poſitiuam à Deo produci quia natura ſuâ non ſit defectibilis, quale eſt peccatum, quod non tam effectus quàm defectus dici debet. Vnde non in Deum qui eſt cauſa perfectiſſima, ſed in cauſam deficientẽ; quale eſt liberum arbitrium referendum; ſi quid autem eſt perfectionis in malo morali, vt Entitas, id in Deum commodè referri debet.

Deus non eſt cauſa mali.

Vel cum Magiſtro Cano lib. 2. de Locis, dicit enim cap. 4. quando nõnulli argumentantur. *Deus eſt cauſa omnis Entitatis realis. Ergo eſt cauſa peccati.* Neganda Conſequentia. Nam eſt variatio. quia Antecedens intelligitur de Cauſa Naturali. Conſequẽs verò de Morali. nam peccatum cùm ſit effectus Moralis à cauſa morali prouenit. Quòd verò Deus non concurrat per modum cauſæ Moralis in Quæſito Proœmiali circa finẽ determinauimus. & certum eſt quia non concurrit efficiendo tanquam principium Regulæ ſuperioris ſubiecti, neque item præcipiendo aut conſulendo, cum vbique peccatum prohibeat: neque concurrit vt cauſa naturalis, niſi ad Entitatem quæ in peccato reperitur.

22. *Nota* quoad quartum Argumentum. Bonum & Malum dicitur in Actibus quandoq; ſecundùm circumſtantiam, ſed circumſtantia cùm ſit accidens, non dat ſpeciem Actui. ergo Actus humani non differunt ſpecie ſecundùm bonitatem & Malitiam. *Reſpondet D. Thomas.* Circumſtantia ſumpta vt differentia Eſſentialis obiecti, & ſecundùm quod ad rationem comparatur, ſic dat ſpeciem Actus moralis Circumſtantia verò quandoque tranſmutat Actum de Bonitate in Malitiam.

Circa hanc reſponſionem duo Noto. primo. Cum dicit quòd *Circumſtantia tunc eſt differentia Eſſentialis in quantum ad Rationem*

Quando circumſtantia eſt Differētia actus Eſſentialis.

tionem comparatur, non ſic intelligendum quòd Circumſtantia ideo ſit differentia Eſſentialis quia à ratione comparatur, quia ſic quælibet circumſtantia cum à ratione conſideretur, eſſet differētia Eſſentialis; ſed tūc circūſtātia eſt differētia eſſētialis act⁹ quādo habet cōueniētiā, ſeu cōformitatē cum ratione, ſecūdū illud D. Dion. *Bonū hominis eſt ſecūdū rationē.*

Noto ſecundò cùm dicit quòd Cir-
cumſtantia tranſmutet Actum de bonitate
in malitiam. non eſt ſenſus, quòd A-
ctus humanus prius habeat Actu bo-
nitatem moralem, ſed quòd eam ha-
beret niſi obſtaret circumſtantia ma-
la. vt ferire hoſtem eſt actus de ſe
bonus, ſed ferire per latus ciuis,
iam bonitas eius impeditur ob cir-
cumſtantiā malam occiſionis ciuis.

QVÆSITVM VI.

An Actus habeat ſpeciem boni vel mali ex Fine?

23. IN veritate huius Quæſiti determinanda variè Interpretes procedunt, ſed placuit, D. Th. veſtigiis inſiſtere in art. 6. expreſſis. itaque.

Dico primò. *Ille actus cenſendus eſt eſſe humanus, qui eſt voluntarius, ſiquidem voluntas eſt fons & origo actionum humanarum. Et hic quidem Actus voluntarius duplex. Interior vt volitio furti. Exterior vt ipſum furtum. Vterq; autem hic Actus ſiue Interior, ſiue Exterior, debet habere ſuam ſpeciem. & neceſſario ab alio obiecto ſiquidem omnibus potentiis, Actibus, inſtrumentis conuenit, vt ab obiecto immediato ſuam ſpeciem ſumant. Actus igitur Interior ſumit ſuam ſpeciem ex fine; Actus autem Exterior ex obiecto.* PROBATVR vnusquiſq; Actus ab eo ſpecificatur ſeu determinatur circa quod verſatur. Atqui Actus Interior circa finem verſatur, Exterior autem circa Obiectum. ergo actus interior ſumit ſpeciem ex fine. Actus autē Exterior ex obiecto.

Quid voluntas? — *Actus voluntarius quotuplex* — Voluntatis duplex actus. — Actus volūtarii vnde ſumant ſpeciem?

Dico ſecundò. *Actus humani ſpecies formaliter conſiderantur ſecundùm finem. Materialiter autem ſecundùm obiectum Ex*

terioris Actus. PROBATVR. Sicut enim
ſe habet forma ad materiam. ita actus
interior ad exteriorē & ſicut forma ſuā
omnē actiuitatē trāsfundit in mate-
riam: ita actus interior in exteriorem
tranſmittit rationem formalem. er-
go actus interior tanquam quædam
forma perficit actum exteriorem
velut materiam. *Deinde* Actus exte-
riores in tantū ſunt morales inquā-
tum ſunt voluntarii, ſed ſunt volun-
tarii ab Actu Interiori, qui habet ſpe
ciem ex fine. ergo Actus humanus
formaliter conſideratur ſecundùm fi-
nem, materialiter autem ſecundùm
obiectum Actus Exterioris.

24. *Noto primo*. Dictum illud quod
S. Doctor adducit ex Ariſt. 5 Topic.
Ille qui furatur vt adulteretur, per ſe loquē-
do magis eſt adulter quàm fur. Ita primo
intelligendum, quòd *in hoc primo Actu*
eſt duplex ſpecies moralis. Furtum & Adul-
terium: quorum vnum eſt Eſſentiale & in-
uariabile. v. furtum, alterum verò eſt Ac-
cidentale, ſed magis principale. Probatur
quòd furtum, in hoc actu eſt Eſſentiale. Illa
ſpecies Eſſentialis & inuariabilis eſt
in acti-

in actibus humanis, quæ nunquam tranſmutatur, quócunque fine fiat vt homicidium ſiue fiat ob adulteriũ ſiue ob rapinam, ſiue ob quemuis alium finem, ſemper homicidii naturam redolet: ita hic etiã cùm quis furatur vt adulteretur, furtum habet Eſſentialem ſpeciem, quia non mutatur quocunque alio fine fiat. Ergo in hoc caſu furtum eſt ſubſtantiale. Probatvr *quod adulterium ſit Accidentale*. Bonitas vel Malitia, maior vel minor, non ſumitur ex forma Eſſentiali, ſed ex Accidentali, v. ex virtutibus aut ex vitijs ſuperadditis. Vt homo ex Anima rationali, non dicitur bonus nec malus, ſed ex virtute aut ex peccato Ergo adulterium eſt accidẽtale, ſiquidem furto eſt ſuperadditum. Probatvr *quòd adulterium ſit Actus magis principalis*. Id quòd ad alium ordinatur eſt principale, ſed furtum ad adulterium ordinatur. ergo adulterium eſt principale. *Item* Act⁹ imperans eſt principalior quàm imperatus, ſed ſi quis furatur, vt adulteretur ex volitione adulterii imperat ſibi furtũ. ergo adulteriũ eſt principale.

25. *Noto ſecundò*. in hoc Quæſito cũ D. Thoma hoc volumus, quòd Actus Interior qui eſt ex fine, eſt quædam quaſi forma Actus Exterioris qui eſt ex obiecto. nam Actus Exterior (vt iam dictum) non poſſet dici humanus nec moralis niſi ab Interiori dependeret. Vnde interior eſt illius formæ.

Noto tertiò. Non intendimus quòd Actus Interior ex fine ſit propria forma ſpecificationis Actus qui ſumitur ab obiecto. nam vterque Actus habet ſuam propriam formam, per quã conſtituitur, vt furtum & adulteriũ, vnde ſunt formaliter diſtincti actus: ſed hoc ſolùm intendimus, quòd actus Interior, qui ſumitur à fine habet quandam analogiam Formæ ad ſpecificandum Actum exteriorẽ, qui ſumitur ex obiecto; quia (vt iam dictũ toties) Actus Exterior primariò reſpicit Actum Interiorem, tanquam ſuã formam ſpecificantem.

QVÆSITVM VII.

An Species quæ eſt ex fine, continetur ſub ſpecie quæ eſt ex Obiecto tanquam ſpecies ſub genere?

26. HVius Quæſiti duplex eſt ſenſus. *Primus* Notum eſt ex præcedentibus quòd Actus humanus duplicem ſpeciem habere poteſt. quarum vna ex Fine, altera ex obiecto. Inquirimus itaque. *An ſi contingat quod actus vnus habet has ſpecies, an illas habeat ita, quòd vna alicui ſubordinetur, an verò quòd non ſubordinetur?* Secvndvs *ſenſus*. Cum actus humanus ſumit ſuam bonitatem & malitiam ex Obiecto, vel ex fine quærimus: *An ex eis duas bonitates & malitias ſpecie diſtinctas habeat, vel vnam tantum quæ ab vtroque Actu certô modô pendeat?* ſed acci-

ſed accipimus Quæſitum in primo ſéſu. *Præterea*

Nota Cùm dicit D. Th. vnam ſpeſpeciem ſub alia contineri, tanquam ſpeciem ſub genere. *Genus* non ſumitur hic pro gradu generico, ſed pro eo quod eſt aliquô modô commune multis. *v. g.* Actus ieiunii, orationis-Eleemoſynæ habent ſuam propriam bonitatem: ſed ſi hos actus ad ſatisfactionem referamus; ſic ſatisfactio tanquam Actus ex fine habebit ſimilitudinem generis, quia multis eſt communis. His præmiſſis.

27 Dico primò. *Quando obiectum nõ eſt per ſe ordinatum ad finem, neque etiam Actus qui ſumit ſpeciem ex obiecto per ſe ordinabitur ad Actum qui ſumit ſpeciem ex fine: & ſic neutra ſpecies continetur ſub alia, ſed erit Actus ſub duabus ſpeciebus diſparatũ.* Declaratur. Cùm quis furatur propter adulterium, furtum eſt ſpecies ex obiecto, Adulterium eſt ſpecies ex fine: & quia obiectum furti non ordinatur per ſe ad finem, idcirco vnius actus duæ erunt diſtinctæ ſpecies. *Probatur* ratione D. Th. quam ex Ariſt. 7. Metaph. textu 43. ſumit. Differentia ſpecifica conſtituens certam ſpeciem ſub aliquo genere determinato debet ſe habere ad illud genus per ſe, & non per accidẽs. Sed quando ſunt ſpecies eiuſmodi actu, vt eſt furtum & adulteriũ, quorum differentiæ non ordinantur ad ſe; Ergo nec ad genus ordinari poſſunt. ergo inuicem non cõtinebuntur. *Maiorem* S. Doct. deducit diuiſione animalis. v. quòd animalium aliud eſt rationale, aliud irrationale. Et ſi quis rurſum Animal Irrationale in Alatum & non Alatum diuidat. non erit diuiſio recta: quia hæc diuiſio eſt per accidens & non eſt per ſe determinatiua eius quod eſt Irrationale. Sed quando ſic diuidimus. Quod aliud eſt habens pedes, aliud non: & habentium pedes, aliud duos, aliud quatuor, aliud multos: & hæ differẽtiæ determinãt per ſe illam differentiam Irrationale.

28. Dico ſecundò. *Si obiectum per ſe ordinetur ad finem, iam tunc ſpecies quæ ſumitur ex obiecto continetur ſub eo actu qui ſumitur ex fine tanquam ſpecies ſub genere non ſumpto ſub rigore, ſed vt quandam communem rationem ad illam ſpeciem ſubordinatam ſibi dicit.* Declaratur Quando miles in acie cum hoſte fortiter depugnat propter victoriam & vltionem hoſtium intentam à Duce: in hoc actu ſunt duo: eſt ſpecies fortitudinis ex obiecto conflictus cum hoſte ſumpto: eſt quoque altera ſpecies vltionis victoriæ à fine Iuſtitiæ vindicatiuæ. vnde decertatio cum hoſte eſt ſubordinata victoriæ vltioni intentæ à duce. ergo ſpecies ex obiecto continetur ſub ſpecie ex fine. *Probatur* Quando ſunt duæ ſpecies, quarum vna alteri ſubordinatur, tũc particularis vniuerſali ſubordinari debet. Atq ſpecies ſũpta ex obiecto, vt cõflict⁹ cũ hoſte, eſt particularis; ſũpta verò ex fine, vt victoria, eſt vniuerſalis. ergo ſpecies ex obiecto ſubordinari debet ſpeciei quę eſt ex fine.

29. *Obijcies contra primum Dictum.* ſi quis temperatè viuat, vt debita perſoluat, in hoc Actu ſunt duæ ſpecies Temperantiæ & Iuſtitiæ; & ſunt diſtinctæ, ſed cùm vnus illorum habet ſe vt Forma, u. Iuſtitia, alter vt materia, v. Temperantia. ergo erunt vnum, ſiquidem ex materia & forma vnum fit. *Reſpondeo* Obiectum vnius virtutis dupliciter poteſt referri ad finem alterius virtutis. *primò* quando finis ad aliam

Obiectum virtutis vnis ad finem alterius virtutis dupliciter refertur.

aliam virtutem ſpectat, & non habet de ſe vt poſſit imperare obiecto alterius virtutis. vt iuſtitia non habet de ſe facultatem imperandi temperantiæ actum, & tunc ſunt omnino diuerſæ ſpecies. vnde hic actus *volo temperatè viuere, vt ſoluam debita*, eſt in duabus ſpeciebus omnino diuerſis Temperantiæ & Iuſtitiæ. *ſecundò* quando virtus quæ ſumit ſpeciem ex fine, ex natura ſua alijs imperat, ea de cauſa, quòd finis illius ſit tanquam cauſa vniuerſalis, & ad eam reliquæ virtutes quæ ex obiecto ſumũt ſpeciem ordinantur, & ſic iã vna aliã cõtinebit.

Ad Argumentum dico, quòd *comedere temperatè* eſt actus Temperantiæ, & *vt hæc ſoluantur debita*, eſt actus Iuſtitiæ, & omnino ſunt inter ſe diſparati. Forma verò & Materia non phyſicè ſed materialiter ſumi debent. vnde quemadmodum in illo actu cùm quis furatur vt fornicetur, ſiue ſumatur actus vt exterior ſiue interior, ſunt omnino duæ diuerſæ, & nullam coordinationem inter ſe habent ex natura ſua; poſſunt tamen à ratione & à voluntate deſtinari & coordinari, vt vnus alterius gratia fiat, ita vt hunc exercendo ad alium deueniant.

QVÆSITVM III.

An aliquis Actus ſit indifferens ſecundùm ſuam ſpeciem?

30. NON loquimur de Actionibus, quæ vſum liberi arbitrij anteuertunt, vt ſunt Motus primò primi: ſed loquimur de actionibus moralibus deliberatis, an aliquæ ſint indifferentes, i.e. nec bonæ nec malæ? Pro determinatione.

Dico *aliqui Actus humani ſecundùm ſuã ſpeciem ſunt indifferentes* Huic Concluſioni contrarius eſt Scotus in 2. ſent. diſt. 7 a 4. *Probatur* verbis D. Aug. de ſerm. Domini in mõte. Sũt quædã facta media, quæ poſſunt bono vel malo animo fieri, de quibus eſt temerarium iudicare, maximè vt condemnemus. ergo ſunt quidam actus ſecundùm ſpeciem indifferentes. *Probatur ſecundò ratione* D. Th. Actiones ideo bonæ vel malæ ſunt inquantùm illarum obiecta dicunt ordinem, conuenientiam aut diſconuenientiam ad rationem, quæ eſt Regula actionum humanarum. ſed quemadmodum ille actus humanus dicitur eſſe bonus, cuius obiectum eſt rationi cõforme. vt dare eleemoſynam pauperi: & quemadmodum ille actus erit malus, cuius obiectum non eſt conforme ordini rationis, vt rem alienam auferre: ita ille actus erit indifferens ſecundùm ſuam ſpeciem, cuius obiectum nec conformitatem nec deformitatem ad rationem includit.

Quænã eſt ratio cõſtituens actionem indifferentem?

Nota. Ratio conſtituens actiònem indifferentem eſt illa, quando eſt eiuſmodi actio quæ nullam conuenientiam aut repugnantiam ad rationem dicit. vt leuare feſtucam ſeu paleam de terra.

Ratio ſecunda. Sunt quædam actiones, vt

nes, vt ambulare, ſcribere, pingere, ludere fidibus, mouere caput, tollere paleam, quæ per ſe non conueniunt, nec etiam repugnant rationi rectæ. ergo ſunt actiones indifferentes.

31. *Inſtabis* inter Ens & non Ens nullum eſt medium ergo etiam inter bonum & malum nullum eſt medium. ergo etiam non datur actus indifferens, qui neque ſit bonus neq; malus. *Conſequentia.* Bonum enim & malum cum Ente & non Ente conuertuntur.

Solutio obiectionis 1. *Reſpondeo primò* concedendo, quòd quamuis Ens & Bonum conuertantur, ita vt omne Ens ſit bonũ, & omne bonum ſit Ens. tamen negatur, quòd omne non Ens, ſeu omnis negatio ſit malum, nam non videre, non ſentire eſt non Ens, & tamen in lapide non eſt malum; imò videre & ſentire eſſet malũ lapidi, quia eius natura deſtrueretur. ergo non ſequitur quòd inter bonum & malum non ſit medium, quod ſit indifferens.

Obiectionis ſolutio 2da *Reſpondeo ſecundò.* Bonum & malum ſi ſpectantur phyſicè vel metaphyſicè in genere Entis, ſic contradictoriè ſibi opponuntur, & inter illa non datur medium. ſed non in genere moris, aut bonitatis, aut

Eiuſdem ſolutio tertia malitiæ. *Reſpondeo tertiò.* Bonum & malum, & bonum non bonum diuerſa inter ſe ratione opponuntur: ſiquidem bonum & malum priuatiuè ſibi opponuntur. Bonum verò non bonum negatiuè. & quamuis inter bonum non bonum nullum ſit medium loquendo negatiuè, cùm de quolibet vel eſt Affirmatio vel Negatio. nam vnumquodq; aut eſt aut non eſt tamen inter bonum aut malum oppoſitio priuatiua reperitur medium. nam illud dicimus priuatiuè malum, quod caret bonitate, quam habere debuit aut potuit. ſed dantur aliquæ actiones morales, quibus nulla bonitas ineſſe debet ex præcepto, vt fricare caput, leuare feſtucam. ergo erunt indifferentes, nec bonæ nec malæ in genere virtutis aut vitij.

Obiectio altera. *Inſtabis rurſum.* Oppoſita priuatiuè nullum habent medium. ſed ſecundũ te bonũ & malum priuatiuè opponũtur. ergo non habent medium.

Solutio eius *Reſpondeo*, quòd illa priuatiuè oppoſita quæ intenduntur & remittuntur, remittũtur recipiendo magis ac minus, medium habent, vt inter lucem ac tenebras, eſt medium crepuſculum. & inter album & nigrum eſt pallidũ. & ſic bonũ & malũ ſe habẽt, quia recipiunt magis & minus: dicitur enim magis & minus bonum: maior aut minor charitas: & furtum minus eſt decem aureorum, maius autem centum, & ideo bonũ & malũ recipiunt medium.

32. Dico ſecundò. *Quòd illa abſentia bonitatis in actionibus humanis, non ſemper eſt priuatio, ſed tunc, quando moralis bonitas ex præcepto aliquo ineſſe debuit, & ideo priuatio eſt ſolùm formæ debitæ ineſſe.* ſed dantur tales actus humani, vt fricare caput, leuare feſtucam, quibus rectitudo & bonitas moralis non eſt debita, nec neceſſaria. ergo erunt indifferentes.

Nota cum Alph. Curiele indifferentiam ad bonitatem & malitiam, ſeu quæ neq; habet bonitatem nec malitiam in actibus humanis, non eſſe aliquas ſpecies poſitiuas ſpectantes ad genus moris. PROBATVR. quia præter Entitatem Actus importat negationem conformitatis aut deformitatis ad rectam rationem. ergo in genere moris non eſt quid poſitiuum.

Nota ſecundò cum Medina, præter actus bonos & malos, atque etiam indifferentes dari actus, qui in malum

lum ſonant. *Deducitur exemplo.* Occidere hominem non eſt per ſe malum. nam Iudici licet homicidam, furem, & quemlibet malefactorem occidere: *Deinde* occidere hominem per ſe non eſt bonum: quia non eſt per ſe expetenudum; neq; hic actus occidē-di hominem eſt indifferens. ergo eſt in malum ſonans. *Secundum exemplum.* Habere plura beneficia, non eſt ex ſe malum, quia quandoque licitum eſt: neque de ſe bonum quaſi expetendū: nec eſt indifferens, vt conſtat. ergo eſt actus in malum ſonans.

QVÆSITVM IX.

An aliquis Actus ſit indifferens ſecundùm Indiuiduum?

33. ASſerit Scot. in *1. diſt. 41. q. vnica.* & *in 2. diſt. 7. q. vnica, a 1.* D. Bonau. *in 2. diſt. 41. a. 1. q. 3.* v. quòd aliquis actus deliberatus in indiuiduo poſſit eſſe nec bonus nec malus, ſed indifferens. nam poteſt eſſe aliquis Actus qui in Deum non referatur, ſed in finem naturalem. vt ſi quis deambulet vt recreetur: & hic actus nec culpam incurrit, nec à Deo mercedem habebit. ergo nec bonus nec malus. ergo indifferens. Hanc ſententiam ſequuntur Almaginus in ſuis Moralibus *Tract. 1. cap 14.* & *in 3. diſt. 23. q. 1.* Gabriel. Baſſolius. ſed hac omiſſa. opinionem negantem quæ eſt D. Thomæ amplector: vnde aſſerendo

Dico. *nullus actus deliberatus in indiuiduo poteſt eſſe indifferens ad bonum & ad malum morale. ſed neceſſariò debet eſſe aut bonus aut malus moraliter.* Hoc Dictum tuentur Dur. *diſt. 40 q. 1* Greg Capr. ibidem. Ioannes Maior *quæſt. 2* Rich. Med. Alph. Curiel, & alij recentiores. Fundamentum eſt S. Doct. cui inni-tuntur reliquæ probationes. Actum moralem eo ipſo in indiuiduo eſſe malum, quia bono fine caret.

Ex quo arguo. Omnis actus deliberatus debet habere finem bonum moraliter, quem ſi non habeat, erit malus, quia deſtituitur debita perfectione. ſi autem habet illum finem cū debitis & requiſitis circumſtantijs, erit bonus. ſed inter hæc duo, v. quòd actus habeat debitum finem, & quòd non habeat, non datur medium. ergo nec actus indifferens datur. *Confirmatur.* ſicut agentia naturalia inclinantur à ſuis propenſionibus ad actus proprios, ita agentia libera determinantur ad ſuos actus ratione præcepti. ſed agentia naturalia ab authore naturæ accipiunt propenſiones, à quibus determinantur ad ſuas actiones. ergo & agentia libera habent præceptum à ſuo authore, vt cùm ſint agentia rationalia, tendant in finem naturæ ſuæ rationali conuenientem. Actus deliberatus debet habere finem bonū, aliàs erit malus.

34. *Probatur ſecundò.* Verba ſunt Saluatoris Matth. 12. *Dico autem vobis, quòd omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de illo in die iudicij.* Ex quo argumentor. hoc in loco prohibetur nobis vſus verbi otioſi. ergo verbum otioſum eſt peccatum. ſed illud eſt

lud eſt verbum otioſum, quòd caret fine moraliter bono. ergo etiam facere aliquid quod non habeat finem moraliter bonum, erit opus otioſum. ergo erit malum. *Sequela.* nam non eſt maior dicere cur potiùs in verbis, & non etiam in factis teneamur intendere ſemper bonum finem moralem. nam maioris põderis ſunt opera deliberata quàm verba.

Quid verò ſit verbum otioſum, quod careat fine morali: ita docent SS. Patres dum interpretantur hunc locum. D. Greg. *lib. 7. Moral. cap 25. Otioſum verbũ eſt quod aut ratione iuſta neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret.* & D. Hier. *Otioſum verbum eſt, quod ſine vtilitate loquentis aut audientis dicitur.* ſi omiſſis ſerijs de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. & ſic alij hunc locum intrepretantur. Nec valet ſi dicatur, quòd S. Patres vtantur quadam exaggeratione, & loquantur de his in particulari, qui aut perfecti ſunt, aut ex inſtituto arctioris vitæ in perfectionem tendunt, & in his verbum otioſum poteſt eſſe defectus, ſaltem perfectionis. non valet (inquam) nam S. Patres qui hunc locum explicant, ſimpliciter, abſolutè, non applicando ſeipſos ad hunc vel illum vitæ ſtatum, loquuntur de verbo otioſo; cuius ratio in die iudicij reddenda erit. ergo eſt peccatum. Eſt igitur verbum otioſum quod non dirigitur in finẽ propriũ hominis inquãtũ eſt Rationalis.

35. *Probatur tertiò.* Illud eſt opus malum quod defectum finis habet. ergo in indiuiduo qui actus in finem dirigitur erit bonus, qui autem non dirigitur erit malus. ergo non datur indifferens. *Confirmatur.* ſicut artifex non tenetur quidem ſtatuam hominis facere, cùm ſit Agens liberum, ſed ſi faciat, & quidem ſine debitis linea- mentis corporis humani, erit opᵘs ma- lum. ita ſimiliter liberum eſt homi- ni opus in indiuiduo facere, ſed ſi fa- ciat & quidem ſic, quòd fine ſuo & debitis circumſtantijs careat, erit opᵘs malum.

Inter potentiam & habitum diſcrimen.

Probat Dur. quartò ſecundùm Ariſt. 2. *Ethic cap. 5.* hoc eſt diſcrimen inter Potentiam & Habitum, quòd Potentia ſit qua poſſumus: Habitus verò, quo benè aut malè poſſumus. ſi igitur in indiuiduo dantur actus indifferentes. ergo & habitus dabũtur indifferentes. *Conſequentia*, quia ex multiplicatis actibus in indiuiduo generãtur habitᵘs, ſed cũ actᵘs ſint indifferẽtes, Ergo & habitᵘs erũt indifferẽtes v. qbᵘs nec benè nec malè poterimᵘs; quod eſt contra Ariſtotelẽ, qui Habitũ dicit eſſe quò aut benè aut malè poſſumus.

36. *Sed obijcies* nullum eſſe præceptum obligans nos, vt vnumquodque opus deliberatum, in finem moraliter bonum referamus. *Reſpondeo* eſſe præceptum naturale, quia cùm homo ſit rationalis, ab authore naturæ hãc legem inſculptam habet, vt ſecundũ rationem operetur, & per conſequẽs propter finem. Et hæc lex naturalis reduci debet ad primum præceptum de Dilectione Dei, in quam tenemur omnes actiones noſtras deliberatas referre.

Homo ſecũdum rationem debet operari.

Obijcies ſecundò. ire in agrum hoc ſolo fine, vt eam nec eſt opus bonũ nec malum. ergo indifferens. *Reſpondeo* hoc ipſum opus *ire ad agrum* ob ſolum finem *vt eamus*, eſt opus malum, quia eſt vanum & temerarium, carens fine. *Tum* quia contra præceptum naturale, quo homo ratione præditus ſecundùm rationem operari tenetur, *Nota hi*

Nota. hi actus indifferentes in actu exercito cùm ſint mali, reuocabũtur ad ſpeciem otioſitatis: & quamuis otioſitas videatur eſſe communis, tamen quia actum de bono & indifferenti in malum transfert, iam dat ſpeciem particularem.

Ad agrum ſolius delectationis cauſa eſt malum.

37. *Obijcies tertiò.* ire in agrum cauſa delectationis, nec eſt opus bonum nec malum de ſe (vt patet) ergo eſt indifferens. *Reſpondeo* cum D. Gregor. quòd *ire ad agrum ſolius cauſa delectationis*, eſt opus malum. eius ſunt verba: *Mihi autem videtur diſtinguendum: nam ire ad agrum propter delectationem tantum certè eſt opus malum & otioſum, ſi autem referatur in opus honeſtum, ad recreandum corpus & animum, vt confirmatiores ad ſtudia redeamus, quæ cedunt in laudem Dei, & ſic eſt opus bonum.*

Obijcies quartò. ſequeretur quòd cõtinuè homines venialiter peccarent, quia communiter homines continuò & ſæpenumerò aliquos actus exercẽt vt manus, aut pedes, aut digitos mouent, aut barbam fricant, quos cùm nõ referãt in finẽ. ergo cõtinuè peccabũt ſaltẽ venialiter. *Reſpõdeo* nos loqui de Actib⁹ deliberatis, ſed hi enumerati fiũt ſine ſufficiẽti deliberatiõe & ex quadã imaginatione procedũt, vnde in peccatũ reputari nõ debent.

38. *Inſtabis contra.* ergo actus ex imaginatione procedentes non ſunt morales, quia non procedunt ex deliberata ratione. ergo nullum peccatũ in parte ſenſitiua committitur. ſed hoc falſum. nam actus imaginationis & ſenſitiui, ex eo poſſunt eſſe peccatum, quia eos tenemur & poſſumus vitare, quamuis ex ratione deliberata non procedant. *Reſpondeo cum Caiet.* hic & Dur. in *2. diſt. 40. q. 1. a. 9.* D. Th. loqui de actibus ſic ab imaginatione ſola procedentibus, quòd nec directè nec indirectè à ratione procedãt, quod tunc accidit quando ratio nec potuit nec debuit eiuſmodi actus prohibere, vt eſt fricatio barbæ, & his ſimilia, & hi nullo modo ſunt morales: cùm nec directè, nec indirectè ſint voluntatis.

Dices rurſum. Actus ab imaginatione procedentes poſſunt impediri, vel non impediri à ratione deliberata? *Reſpondeo.* poſſunt quidem impediri, ſed in motib⁹ ſubitis, quos Theologi *primò primos* appellant, quod eſt difficile. *Præterea* Actus ſaltem indirectè voluntarij ſunt illi, quos & poſſũ & teneor impedire. ſed homo nõ ſemper tenetur manum prohibere à fricatione barbæ, aut capitis: ſi quando autem tenetur, vt ſi quis ſacrum faciendo barbam fricaret, tunc à peccato non excuſaretur.

QVÆSITVM X.

An aliqua Circumſtantia conſtituat Actum Moralem in ſpecie boni vel mali?

39. IN tertio Quæſito noſtro determinauimus, quòd Actus humani ſumunt aliquam bonitatem vel malitiam à circumſtantijs, nunc iam inquirimus de ſpecie huius bonitatis & malitiæ, *an ſit etiam à circumſtantiis.* nam aliud eſt bonitas, & aliud ſpecies bonitatis. v.

g. Maior

g. Maior quantitas pecuniæ cæteris paribus tribuit eleemoſynæ bonitatem, ſed non tribuit ſpeciem nouam. nam eleemoſyna ſiue maius ſiue minus conferat, ſemper eſt eleemoſyna. Ex diſcurſu & fine articuli 10 hanc determinationem Quæſiti colligēdo

Dico. *quandocunq; circumſtantia aliqua reſpicit ſpecialem ordinem rationis, hoc eſt, conuenientiam cum ratione, aut repugnantiam tunc neceſſe eſt, vt circumſtantia actui morali det ſpeciem bonitatis aut malitiæ.* Pro intelligentia huius Dicti.

Circumſtantia formaliter ſumpta ſpeciem tribuit externam, & accidentariā actionibus certis.

Noto primò. Circumſtantia formaliter ſumpta vt eſt circumſtantia, nō poteſt tribuere ſpeciem internam & eſſentialem illis actionibus, quarum circumſtantia eſt, ſed ſolùm externā & accidentariam. Veritas hæc patet ex 3. noſtro Quæſito. *& Probatur.* Circumſtantiæ ſunt mera accidentia. ſed nullum accidens poteſt dare ſpeciem internam illis rebus quibus accidit, vt albedo quæ parieti accidit, non conſtituit illius ſpeciem. ergo & circumſtantiæ quæ accidunt actui iam in actu exſiſtenti, non conſtituunt illius ſpeciem. *Præterea* ſpecies actus in moralibus ab obiecto & à fine ſumitur, vt iam determinatum. ſed circumſtantiæ vt ſunt circumſtantię nō habent rationem obiecti, neq; finis. ergo non conſtituunt ſpeciem.

Quando circumſtantia dicitur circumſtantia & quando non?

40. *Noto ſecundò.* Quando circumſtantia tribuit nouam ſpeciem actionum, non eſt iam propriè circumſtantia, ſed induit rationem obiecti, vnde circumſtantia vt obiectum nouam ſpeciem actus importat. Et hoc eſt quod dicit S. Doct. circumſtantiam tunc dare ſpeciem actui morali, cùm reſpicit ſpecialem ordinem rationis, vel pro vel contra. hoc eſt, tunc dicit ordinem rationis, quando circumſtantia à ratione conſideratur vt obiectum. Hic autem ordo aut eſt *conformitatis*, & ſic ſpeciem bonitatis conſtituit : aut eſt *difformitatis*, & cōſtituit ſpeciem malitiæ. *Probatur* Locus ſacer & res ſacra ſunt & circumſtantiæ, ſunt quoque & obiectum. ſed diuerſa ratione reſpectu furti, inquantùm eſt furtum, ſunt meræ circumſtantiæ accidentales, reſpectu ſacrilegij ſunt illius veræ differentiæ. nam impoſſibile eſt ſacrilegium definire, aut cognoſcere, abſq; eo quod ſit ablatio rei ſacræ in loco ſacro. ergo circumſtantia vt circumſtantia non conſtituit ſpeciem actus, conſiderata verò vt obiectum, conſtituit nouam ſpeciem.

Ordo rationis eſt duplex.

41 *Obijcies.* ſi circūſtantia inquantū eſt obiectum, dat rationem actui. ergo in uno actu erunt duæ bonitates aut malitiæ. *Reſpondeo,* quòd actiones morales poſſunt habere duplicem bonitatem. & ita docet D. Th. in reſp. ad 3. & art. 10. hic. *Non eſt conueniens, quòd vnus actus moralis ſit in pluribus ſpeciebus moris etiam diſparatis.* Et hoc quidem tunc accidit, quando illa actio eſt conformis, aut repugnans duabus virtutibus. v.g. ſi quis ieiunet ex præcepto Eccleſiæ, & ſimul ex voto emiſſo, huiꝰ actionis duplex erit bonitas: vna ad virtutem obedientiæ ſpectās, quia præcepto Eccleſiæ obedit, & altera ad virtutē religionis, & ſic actio ſi conformetur duabꝰ virtutibus, duplex bonitas in ea erit: ſi autem actio erit repugnans duabꝰ virtutibus, erūt duæ malitiæ. vt ſi quis furetur rem ſacram in loco ſacro, duplex erit malitia, vna furti contra Iuſtitiam, altera ſacrilegij contra Religionem. Si autē actio moralis vni tantùm virtuti cōueniet, aut repugnabit, vnam etiam bonitatem aut malitiam ſolùm importabit, vt

Actiones morales habent duplicem bonitatem.

tabit, vt ieiunare die Veneris ob præceptum Eccleſiæ, vna ſolùm erit bonitas, quia cum vna obedientia conuenit. *Similiter* dare eleemoſynam ob vanam gloriã, erit vna malitia, reſpectu ſuperbiæ & vanitatis.

42. *Nota.* quando in vna actione ſunt duæ bonitates, aut duæ malitiæ, tunc diligẽter attendendum eſt vtra harum ſit magis interna, hæc enim dicetur eſſe obiectum & differentia conſtituens ſpeciem: altera verò minus interna habebit rationem generis vel circumſtantiæ accidentalis, vt ſtuprum, raptus, inceſt⁹, adulteriũ, ſacrilegium, ſunt ſpecies luxuriæ ductæ ex circumſtantia violatæ perſonæ. Et in his actionibus ſunt duæ malitiæ *prima* eſt luxuriæ, *altera* quæ ſumitur ex circumſtantia perſonæ violatæ. Et hæc ordinantur inter ſe, vnde dicuntur vniri per modum contrahẽtis & contrahibilis. Nam̃ luxuria habet rationem generis, differentiæ verò ex perſonæ circumſtantia ſumptæ conſtituunt ſpeciem. ſi autem vtræq; tam bonitates quàm malitiæ videntur æqualiter eſſe Internæ & Eſſentiales, tunc dicendum vtraſq; conſtituere diuerſas & diſparatas ſpecies actus, vt cùm quis furatur in loco ſacro. huius actus duæ erunt ſpecies morales, quæ ex diuerſis differentijs conſurgunt. Furtum ex rei alienæ ablatione, & ſacrilegium ex rei ſacræ in loco ſacro ademptione.

In quibus actionibus ſunt duæ malitiæ?

Quæres. cùm in vno actu ſint duæ malitiæ, an duo erunt peccata? *Reſpondeo* vnum ſolùm eſſe, vt furtum, ſacrilegium, vnum eſt peccatum, & inceſtus vnum eſt peccatum, licet in eo duæ malitiæ Luxuria & Violatio perſonæ conſanguineæ. *Ratio* quia ad pluralitatem peccati, nõ ſufficit ſola pluralitas formalis, ſed etiam requiritur pluralitas materialis. ſed in hoc caſu vt in furto & inceſtu, vnus tantùm actus ſecundùm ſubſtantiam, quia eſt circa vnam materiam, & ideo erit vnũ peccatum.

QVÆSITVM XI.

An omnis Circumſtantia quæ auget bonitatem vel malitiam Actus, conſtituit actum Moralem in ſpecie boni vel mali?

43. Concludit Angelicus D. art. 11. negatiuè, & tenent omnes Theologi, quòd *non omnis circumſtãtia quæ auget bonitatem vel malitiam, conſtituit actum in ſpecie boni vel mali, ſed ſolùm illa circumſtantia quæ dicit ordinem rationis ſpecialem & diſtinctum, quòd vel conueniat vel repugnet rectæ rationi.* nam tollere alienum in magna, aut in parua quantitate, non reſpicit ordinem rationis in bono vel malo, ſed ſolummodò per exſiſtentem aut vrgens aut minuens. ergo non conſtituit nouam ſpeciem. *Declaratur ſimili à Caiet* ſicut ex accidentibus naturalibus, *quædam* ſunt per ſe formæ, vt quãtitas, color, albedo: *quædam* verò ſunt harum for-

 marum

Circumſtantiæ quædam dicunt ordinem rationis, quædam tantùm ſunt modi.

marum modi, vt plùs, maius, minùs: ita circumſtantiæ cùm ſint accidentia Actuum moralium, *quædam* dicunt ordinem rationis, & ideo ſunt formæ per ſe, quæ ſpecies actuum cõſtituũt: *quædam* ſolùm ſunt modi, vt plùs aut minùs furari, aut in eleemoſynam dare: nam hæc non diuerſificãt ſpeciem actus, ſed intra eandem ſpeciem augent aut minuunt.

Poſt diſputationem explicatam ad certos Canones ſeu Regulas primariam doctrinam reuocandam eſſe duxi, ſecutus in ea re Medinam tum, & Valentiam. Quocirca duo annotabimus: *primò* quo ad actus morales. *ſecundò* quo ad circumſtantias, quânam ratione ſpeciem conſtituunt?

44. QVANTVM *ad primùm* ſit *primus Canon.* Actuum moralium & circumſtantiarum cognitio apprimè eſt neceſſaria Confeſſario, ad iudicandũ de grauitate peccati, & ad medendum vnicuiq; vitio, & ad declarandum cui flagitio ſit pœnitens magis deditus.

Secundus Canon. omiſsâ nimis exquiſitâ indagine de ſpeciebus & circumſtantijs actuum moralium, ſuffecerit cognoſcere, grauius eſſe peccatum de loco ſacro furari quàm de profano. & in hoc ſit cautus, quòd ſæpenumerò circumſtantia illa quamuis non mutet ſpeciem, grauius peccatum cõſtituat, quàm circũſtantia quæ mutat: vt rem magni pretij ex loco profano tollere, non facit nouam ſpeciẽ peccati; tollere autem minimum ex loco ſacro quamuis mutet ſpeciem, furtum v. in ſacrilegium, prius tamen magis eſt peccatum quàm poſterius.

Tertius Canon. Actus humanus ſumit ſuam ſpeciem ex immediato obiecto atque etiam ex fine, præcipuè tamen ex fine, vt cùm quis furatur propter Mœchiam, magis eſt mœch' quàm fur. vnde vnus actus poteſt eſſe in duplici ſpecie, vt hic actus eſt in ſpecie furti, & in ſpecie mœchiæ.

Quartus Canon. ſi contingat in aliquo actu, quòd obiectum ſit bonum, & finis malus, talis actus erit in ſpecie mali: vt cùm quis dat eleemoſynam ob vanam gloriam: ſi verò contingat obiectum eſſe malum, & finem bonum, nihilominus actus eſt malus, vt cùm quis furatur vt det eleemoſynam. *Probatur.* Bonum enim nonniſi ex integra cauſa, malũ autem ex defectu alicuius requiſiti. cùm ergo ad actum bonum requiratur & obiectum bonum, & finis bonus, idcirco ob defectum alicuius erit malus.

45. QVATVM *ad ſecundùm.* Quinq; Regulæ notandæ ſunt, ex quibus iudicare licebit, quando circumſtantia mutat ſpeciem actus, & quando non.

Regula prima. Quãdocunq; circumſtantia alicui actui ſuperpoſita dicit ordinem rationis, hoc eſt, dicit conformitatem nouam, aut repugnantiã nouam ad rectam rationem, tunc nouam ſpeciem actus conſtituit, vt cùm quis furatur in loco ſacro, circumſtãtia loci ſacri, dicit nouam deformitatem ad rationem, v. quòd loco ſacro iniuria inferatur; & ideo præter ſpeciem furti, aliam nouam ſacrilegij importat; ipſum autem actum furandi, rei magnæ aut paruæ ablatio, non cõſtituit nouam ſpeciem, ſed per exſiſtẽtem auget aut minuit.

Regula ſecunda. Omnis illa circumſtantia quæ mutat actum de bono in malum, tribuit nouam ſpeciem malitiæ. vt cum quis eleemoſynam dat ob vanam gloriam. Bonum actum v. *dare eleemoſynam* mutat in malũ hæc circumſtantia *ob vanam gloriam.*

Regula

Regula tertia. Quando circumſtantia aut finis eſt intrinſecus actui, tunc nullam bonitatem aut malitiam nouã ſuperaddit. vt cùm quis pugnat propter victoriam, vel cùm orat ob Dei cultum.

46. *Dices.* ergo etiam dare eleemoſynam ob amorẽ Dei & proximi, erit huius actus vna bonitas. nam eleemoſyna de ſe intrinſecè continet Dei & proximi amorẽ. *Reſpondeo.* quòd in hoc actu adducto ſunt duæ virtutes diſtinctæ, v. Miſericordia reſpectu proximi, & Charitas reſpectu Dei. ergo duplex erit bonitas, (vt Quæſito 10. docuimus.)

Regula quarta. Quandocunque circumſtantia induit rationem Obiecti, ſemper actui moralem ſpeciem confert. nam in doctrina D. Th. certiſſimum eſt, quòd nihil confert ſpeciem actui morali, niſi id, quod aut eſt obiectum, aut quod rationem obiecti habet.

Regula quinta. Omnis illa circumſtantia quæ eſt volita formaliter aut virtualiter, aut interpretatiuè, confert nouam & veram ſpeciem actui. *Formaliter,* vt cùm quis in templo occidit hominẽ volens eũ eſſe in tẽplo. *Virtualiter,* cùm quis vult interficere hominẽ, nolens eum eſſe in Eccleſia, ſed nihilomin⁹ vult eũ occidere in tẽplo. *Interpretatiuè,* cũ quis occidit hominẽ in Eccleſia, ignorãs culpabiliter illũ eſſe in Eccleſia. Et de prima Diſputatione, in qua agitur de Bonitate ac Malitia Actuũ humanorum, hucuſq;.

DISPVTATIO II.

De Bonitate & Malitia Actus interioris voluntatis.

Actus interior. Ex præcedenti Diſputatione quæ fuit in genere de Bonitate & Malitia Actuũ humanorum, certum & euidens eſt omnino reperiri Bonitatem & Malitiam in actibus humanis, idcirco inquirimus de Actibus internis, vnde ſuam bonitatem aut malitiam ſumant? Per *Actum* autẽ *interiorem* intelligimus eum, qui fit à voluntate tanquam à principio vitali elicitus & productus ſubſtantialiter. Et quemadmodum *intelligere* eſt Actus Interior Intellectus, ita *velle* eſt actus Interior voluntatis.

Quæſita ſeptem determinanda proponimus:

1. *An Bonitas & Malitia Actus Interioris dependeat ex Obiecto?*
2. *An ita ex Obiecto dependeat vt ex ſolo?*
3. *An Bonitas Actus Interioris dependeat à recta ratione?*
4. *An voluntas diſcordans à ratione errante ſit mala, eademq́; concordans cum ratione, ſit bona?*
5. *An Bonitas & Malitia Actus Interioris dependeat ex intentione finis?*
6. *An quantitas bonitatis vel malitiæ in voluntate ſequatur quantitatem boni vel mali in intentione?*
7. *An bonitas eadem pendeat ex lege æterna & ex conformitate ad voluntatem Diuinam?*

QVÆSITVM I.

An Bonitas & Malitia Actus Interioris pendeat ex Obiecto?

1\. QVoad ſenſum Quæſiti: non inquirimus *an tota bonitas ſumatur ex Obiecto?* nam de hoc ſequenti Quæſito inquiremus ſed inquirimus *an ſit neceſſaria ad hoc vt voluntas bona quòd ſit obiecti?* Ad Quæſitum

Dico. *Indubitatum eſſe quòd bonitas & malitia actus interioris ex obiecto pendeat.* PROBATVR Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? qui operatur iuſtitiam.* ſed quæſo quiſnam hic eſt, qui operatur iuſtitiam? nonne qui voluntate ſua ad opera iuſta exercenda fertur? ergo ex obiecto quod eſt opus iuſtum pendet bonitas voluntatis. *Deinde* Ariſt. 5. Ethic dicit, quòd *Iuſtitia eſt ſecundùm quam aliqui volunt iuſta.* ergo per eandem conſequentiam virtus erit ſecundùm quam volumus bonū. ergo ex bonitate tanquam ex obiecto ſumit ſuam bonitatem voluntas. *Præterea* ex D. Thoma actus humani ſumunt ſpeciem ex obiecto (vt probatum Diſputatione præcedenti q. 5.) ſed bonitas & malitia ſunt differentiæ ſpecificæ actuum humanorum. ergo ſuam bonitatem vel malitiam ſumūt ex obiecto. *Minor* ſicut ſe habet veritas & falſitas ad actus Intellectus; ita ſe habet bonitas & malitia ad act⁹ voluntatis. ſed veritas & falſitas ſunt differentiæ actuum Intellectus. ergo etiam bonitas & malitia ſunt differentiæ ſpecificæ actuum voluntatis.

2\. Caiet. hic dubitandi occaſionē ſumit *an bonum & malum ſint differentiæ actuum in genere naturæ, an in genere moris?* Conrad. & Gabriel *in 2. diſt. 41. q. vnica* docuit, quòd bonum & malum non ſolùm ſunt differentiæ in genere moris, ſed etiam in genere naturæ.

Sed contrarium tenemus cum D. Th. hîc, & Caiet. Durando in 2. *diſt. 40. q. 2.* Capr. ibid. v. quòd bonum & malum non ſunt differentiæ per ſe actuum humanorum in genere naturæ, ſed etiam in genere moris. ita D. Th. hic *1 2dæ. q 19 a. 9.* in reſponſ. ad 3. cùm inquit: *Bonum inquantùm per rationem repræſentatur voluntati, eſt vt obiectū, ſic & inquantùm cadit ſub ordinē rationis, pertinet ad genus moris, & cauſat bonitatem moralem in actu voluntatis. Ratio enim principium eſt actuum humanorum & moraliū.* Pro intelligentia.

Bonū quo modo pertinet ad genus moris.

3\. *Nota.* Bonum & malum dupliciter conſiderari; *primò* vt eſt quoddá naturale bonum aut malum, & ſic bonitatem aut malitiam naturalem producit: *ſecundò* bonum & malum morale, inquantùm ratio ſeu intellectus voluntati repræſentat, v. ſub ea ratione, inquantùm eſt ſibi conforme, & ſic eſt bonum morale: aut inquantū eſt diſconueniens, & ſic malū morale.

Bonum & malum dupliciter conſiderari poteſt.

Probatur ratione. Poſſunt eſſe actus eiuſdem ſpeciei conſiderati quoad naturam, quorum vnus eſt bonus & alter malus. ergo horum actuum ſecundum naturam conſideratorum bonitas & malitia non erunt differentiæ ſpecificæ.

Interfectio hominis quando eſt actio bona & quando mala

ſpecificæ. *Antecedens.* Interfectio hominis ſiue fiat à Iudice ſiue à priuata perſona, quoad naturam actionis eſt eiuſdem ſpeciei; ſed inquantùm à Iudice fit, eſt actio bona, inquantum à priuata perſona, eſt mala. ergo ſolùm ſunt differentiæ in genere moris.

Ratio ſecunda. Diuerſi actus in genere naturæ ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris quoad bonitatem ſeu malitiam: vt comedere carnes temperatè, & comedere piſces temperatè, quoad naturam ſunt diuerſi actus, quoad genus moris ſunt eiuſdem ſpeciei, quia ad eandem virtutẽ temperãtiæ ſpectant. ergo bonum & malũ ſolùm ſunt differentiæ in generemoris.

4. *Ratio tertia.* vnus atque idem actus numerò ſucceſſiuè & ſine vlla interruptione poteſt eſſe bonus & malus. ſed ſi bonum & malum ſunt differentiæ actus conſiderati in genere naturæ, hoc iam impoſſibile eſt, ſiquidem *eadem res numero non poteſt ſucceſſiuè reponi eſſentialiter in diuerſis ſpeciebus.* ergo tantùm ſunt differentiæ in genere moris. *Maior.* ſi quis non aduertendo eſſe actum malum, tamẽ exerceat iudicando vt bonum, & tandem in progreſſu aduertat eſſe malum, tunc ſi in eo actu perſeuerabit, idem actus qui prius fuit bonus, poſtea erit malus. v. g. ſi quis Feria quinta comedat carnes ante horam duodecimam, & ſi comeſtionem continuet poſt duodecimam, Actus comeſtionis, qui prius fuit bonus, ſucceſſiuè fit malus. aut ſi Sacerdos incipiat celebrare in Eccleſia, & tandem interdicatur à Iudice, tunc ea re cognita niſi ceſſauerit, ex bono fiet malus actus.

5. *Inſtabis.* Ille actus idem numero non poteſt eſſe ſucceſſiuè bonus vel malus. nam bonitas & malitia ſumenda eſt ex obiecto. ergo obiectum variari debet. *Reſpondeo.* cùm ex actu bono fit malus, variatur quidẽ obiectum in genere moris. nam nunc cõuenit rationi, nunc diſconuenit, ſed non variatur in genere naturæ.

Inſtabis ſecundo. nihil eſt volitum niſi ſit cognitum. ergo actus voluntatis intrinſecè dependet à iudicio rationis. ergo erit aliud iudicium act⁹ boni, & aliud mali ergo ex variatione obiecti erit variatio iudicij rationis, & perconſequens actus. *Reſpondeo.* Iudicium in genere naturæ idem eſt, & ſolùm variatur in genere moris.

Dico ſecundò. *Etiamſi varietur iudicium rationis, ex eo non ſequitur quòd varientur actus voluntatis* nam charitas viæ & patriæ eadem permanet, licet iudicia varientur. in via enim iudicamus per fidem, in patria per claram viſionem. & idem calor à diuerſis agentibus prouenit à ſole & igne. ergo etiã idem actus numerò poteſt eſſe à diuerſis Iudicibus. Variato iudicio rationis non variatur actu voluntati.

QVÆSITVM II.

An Bonitas actus interioris à ſolo Obiecto dependeat?

6. DIco affirmatiuè cum Angelico Doct. *Bonitas & malitia act⁹ interioris dependet à ſolo Obiecto. Probatur.* id quod eſt primum in aliquo genere, neceſſe eſt, vt ſit quiddam ſimplex, & vt rationẽ

ſuam accipiat ab vno. ſed in genere actuum, velle eſt quid primum. ergo debet eſſe ſimplex. ergo ab vno v. à ſolo obiecto bonitatem vel malitiam ſumit. *Maior.* In genere corporum cæleſtia ſunt prima, & ideo ſunt ſimplicia, & ſimplicitas ex vno conſtituitur. *Minor.* nam omnis actus moralis dicitur eſſe bonus vel malus, ratione actus interioris, v. ratione *velle*. *Præterea* ex eo per ſe pendet bonitas voluntatis in actu interiori, quod per ſe bonitatem facit. ſed obiectum per ſe facit bonitatem in actu. ergo bonitas actus interioris eſt ex ſolo obiecto.

7 *Iſtabis* Doct. Angel. ſibi aduerſari, ſiquidem in præcedenti Diſputatione cum eo docuimus actum moralem ſumere ſuam bonitatem non ſolùm ex obiecto ſed etiam ex fine, ex Circūſtantijs. CONRADVS *quē ſequitur* VALENTIA *ſic reſoluit*: quòd actus interioris obiectum adæquatum ſit illud, quòd non modo materiam ſeu rem exteriorem, ſed etiam actum interiorem & circumſtātias illius includit: ita quod per obiectum adæquatum actus interioris, intelligant id totum, quod eſt ex his omnibus conflatum. Actus verò exterior habet pro obiecto ſolam materiam ſeu rem externam.

Sed hæc reſolutio patitur inſtantiam nā D.Th. in Corpore a. 2. circa finem dicit, quòd bonitas voluntatis ex illo ſolo vno pendet, quod per ſe facit bonitatem in actu. ſed circumſtantiæ cùm ſint accidentia, non faciunt bonitatem per ſe. *Victoria ſic reſoluit* (vt Medina refert) S Doct. loqui de bonitate & malitia ſpecifica, ita, quòd tota ab obiecto proueniat, licet in eadem ſpecie maior aut minor aliunde v. ex intentione, ex Circumſtātijs & modo operandi poſſit prouenire. Et hæc interpretatio doctrinæ S. Doctoris videtur conuenire, quia hæc bonitas de qua loquimur eſt per ſe non per accidēs: ea autē bonitas quæ eſt ex circumſtantijs, non eſt per ſe, ſed per accidēs, ſiquidem eodem actu in genere moris manente ex circumſtantijs variari poteſt.

Medina conuenientiùs explicat v. in actu voluntatis interiori duplicem eſſe bonitatem. *quandam* eſſe primariā & inuariabilem, & hæc eſt ex ſolo obiecto. *quandam* verò accidentariam & ſuperadditam, & hæc etiam ex circumſtantijs ſumi poteſt. nam prorſus eſt abſurdum etiam in Philoſophia dicere, quòd bonitas voluntatis ex ſolo obiecto excludendo circumſtantias, pendeat.

In actu voluntatis interiori duplex eſt bonitas.

QVÆSITVM III.

An Bonitas Actus Interioris pendeat à Ratione?

8. DIco Affirmatiuè cum Angelico Doctore & cum alijs Theologis *Bonitas Actus Moralis atque etiam Interioris à ratione dependet.* PROBATVR. Pſal. 118. *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Cuſtodia

dia legis Diuinæ eſt bona actio, & hæc ex ſcrutinio rationis procedit, nam dicit. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor.* Ergo bona actio ex ratione pẽdet. *Probatur ſecundò.* Pſal. 16. *Noluit intelligere vt benè ageret.* Benè agere eſt idem quod bona actio: & benè agere præſupponit intelligere. ergo & bona actio præſupponit intellectionem. Et. D. Aug. *lib. 1 de Ser.* Dei in monte *cap. 8.* dicit: quòd *pax filiorum Dei in eo conſiſtat ſi omnes animi ſui motus componant & ſubiiciant rationi, & ſi id quòd eſt præcipuum & excellens in homine imperet cæteris, qualis eſt ratio.* Et Ariſt. 2. Ethic. cap. 6. dicit Veritatem conſiſtere in mediocritate quæ à ratione præfinita eſt. Et D Hilarius lib. 10. de Trinit dicit. *Immoderata eſt omnis ſusceptarum voluntatum pertinacia, vbi voluntas non ſubiicitur.* ergo vt in actionibus non ſit immoderatio, ſed mediocritas, rationi voluntas ſubiicienda eſt. Et.

Ratio eſt D. Th. Bonum in quantũ intellectum eſt obiectum proportionatum voluntatis. Ergo bonitas act⁹ ex ratione pendet. *Conſequentia* Bonitas enim voluntatis ſumitur ex obiecto, & hoc ipſum obiectum à ratione intellectum voluntati proponitur ergo bonitas voluntatis ex obiecto à ratione intellecto pendet.

Bonitas dupliciter dependet.

9. *Nota primò.* Duplici modõ poteſt pendere bonitas Actus à ratione: *Primò* inquantum procedit à ratione, & ſic actus voluntatis erit bonus, ſi conſentaneus fuerit rectæ rationi; malus verò ſi nõ cõſentiat cum ratione. *Secundò* inquantum eſt recta & ſic recta ratio eſt norma & Regula bonæ voluntatis, & ab ea ſoli actus boni procedunt. Et ab hac ratione recta, non pendet malitia Actus cum ab illa abhorret.

Iudiciũ rationis quotuplex?

Finis iudicij ſpeculatiui, & Practici.

Nota ſecundò. Ratio ſeu iudicium rationis duplex eſt Speculatiuum & Practicum, & hæc non diſtinguuntur ſecundùm Eſſentiam ſed ex fine Finis enim iudicii Speculatiui eſt cognitio veritatis; Practici verò Dirigere operationem. *v. g.* Intellectus Speculatiuus oſtendit, quòd virtus ſit honeſta, laudabilis; ex quo Practicus infert Bonum rationis eſſe ſequendum; atque ſic ad operationem dirigit. Vnde Practicus Intellectus, non in cognitione rerum & veritatis, ſed in directione ad rectam operationem conſiſtit.

Quando verum eſt Iudicium Practicum.

Nota tertiò. Contingit quandoque verum eſſe Iudicium Practicum licet Speculatiuum ſit falſum: nihilominus Iudicium Practicum erit directiuum ad operationem. v. Si quis ex ignorantia inuincibili, iudicat hanc rem eſſe ſuam, & eâ vtitur; cum Speculatiuè ſit falſum quia non eſt eius. nam veritas ſpeculatiua in eo conſiſtit, quòd res eſt aut non eſt: iã autem in caſu dicto, non eſt eius; nihilominus actio eſt bona, nam talis ignorantia cauſat inuoluntarium, ac proinde à peccato excuſat.

In quo conſiſtit veritas ſpeculatiua

QVÆSITVM IV.

An voluntas diſcordans à Ratione errante ſit mala; & ſi concordat an ſit bona?

10. EX determinatione præcedenti clarum eſt Bonitatem Actus pendere ex Ratione. *Tum* ſi detur caſus quod cõtigat Rationẽ errare, tũc voluntas aut concordabit aut diſcordabit à ratione? & ſi diſcordabit, inquirem⁹ an erit mala? ſi verò concordabit? ergo per ſua erit bona.

Nota Per *Rationem* intelligimus hic cõſcientiam: Vnde cùm quærimus *An Voluntas à ratione errante diſcordans ſit mala.* eundem ſenſum habet acſi inquiramus. *An conſcientia erronea obliget voluntatem.* Pro determinatione Quæſiti quatuor attingemus: *Primò* Quid Synteresis? Quid conſcientia? *Secundò* quid conſcientia erronea? *tertiò* quid dubia? *quartò* quid Scrupuloſa? & quomodo obligent?

Quid Synteresis

Prima principia Practica quæ?

11. QVANTVM *ad primũ.* D. Th. *in 1. p. q. 79. art. 12. & 13.* diſtinguẽs cõſciẽtiã & Synteresi, ita primò definit ſynteresĩ quòd ſit lumẽ habituale mẽti noſtræ à natura ſeu ab Authore naturæ inſitũ quo clarè prima principia practica in ſeipſis cognoſcuntur: Sunt autẽ hæc principia *Bonũ eſſe ſequẽdũ, malum autẽ fugiendũ.* Quẽadmodũ ineſt nobis lumẽ naturale quo prima pricipia Speculatiua cognoſcimus, v. hæc *Vnumquodque eſt aut non eſt.* Et *De quolibet vera eſt affirmatio vel negatio.* Ita Synteresis eſt quoq; lumẽ naturale ad principia cognoſcẽda practica, neceſſarium.

Conſciẽtia quid?

Conſcientia eſt ſcientiæ (illius v. quæ à Synteresi eſt accepta) applicatio ad actionem Nam mens noſtra ſecundùm ea quæ per Synteresim nouit ſtatuit in particulari aliquid agẽdum aut non agendum. *v. g.* Hæc propoſitio *Omne malum eſt fugiendum,* nota eſt per Synteresim. Hæc quoque propoſitio *Omnis fornicatio eſt mala,* eſt quoque nota, tam per rationem ſu-
periorem, v. per legem Diuinã, quæ
Prohibet fornicationem; quàm per
rationem inferiorem, v. per huma-
nam, quæ oſtendit in fornicatione
manifeſtã eſſe turpitudinẽ. Tãdẽ cõ
ſciẽtia iudicat. *Ergo fornicatio tãquã ma-
lum, ad quã voluntas ſolicitatur eſt fugiẽda.*

Synteresis reſiſtit ſenſualitati.

12. *Nota* de Synteresi. *Primò.* quòd
reſiſtit ſenſualitati quæ ad peccatum
ſolicitat. vnde etiam & peccato reſi-
ſiſtit, & ab eo retrahit, & per conſe-
quẽs errorẽ recipere nõ poteſt. quòd
reſiſtat D. Paul. docet: *Sentio aliã legẽ*
repugnantẽ legi mentis meæ. Sed hæc lex
in mẽbris repugnãs eſt ſenſualitas, &
repugnat legi mentis, v. Synteresi. er
go Synteresis reſiſtit ſenſualitati.

Synteresis quoad ſe extingui non poteſt, quare?

Nota ſecundò. Synteresis quoad ſe ex
ſtingui non poteſt. *Ratio* Quia eſt lu-
men animæ noſtræ à Deo inditum ad
cognoſcenda bona: & eius rei ſignũ
eſt in damnatis, nam in his reperitur
perpetuus conſcientiæ remorſus ab
inſita Synteresi productus. Nam cũ
damnatis Synteresis non poſſit ſerui-
re ad reſiſtendum, nec ad reſipiſcen-
dum, ſeruit illis ad pœnam. nam *ver-
mis eorum nõ morietur.* Poteſt tamẽ Syn-
tereſis impediri, quominùs ad bonũ
inducat, vel à malo reducat: ſicut
lumen Solis quoad ſe extingui non
poteſt, ſed per Lunæ interpoſitionẽ,
vt in Eclipſi patuit, quoad effectum
illuminandi impeditur: ita Synter e-
ſis patitur impedimentum, & quidẽ

Quomodo Synteresis impeditur?

triplex. *Primò* cum in organo corpo-
reo, cuius miniſterio ad iudicium fa-
ciendum indiget, eſt defectus: vt in
infantibus & in amentibus. *Secundò im-
peditur* in paſſione appetitus ſenſi-
tiui, nam ab inordinato & vitioſo ha
bitu abſorpta, & tanquam denſa ca-
ligine obtenebrata, non valet radiũ
ſuum

ſuum diffundere vſq; ad actum particularem, in quo eſt ratio peccati. De his loquitur Pſal. 53. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus.* ideo ſcilicet, quia ſine remorſu conſcientiæ peccant, nam in eis præualet ſenſualitas longo vitiorum vſu firmata. *Tertiò imponitur* ex ſubſumptione falſa aut malè intellecta, vt in hoc Syllogiſmo *Omne prohibitum à Deo eſt fugiendum. Sed omne Iuramentum eſt prohibitum à Deo* Matth. 5. *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Et hæc ſubſumptio malè intellecta, eſt falſa, quia hic locus habet interpretationē. vnde ſequitur Concluſio, ex qua erronea conſcientia naſcitur. *ergo omne iuramentum fugiendum.*

13. Ex Syntereſi ſic intellecta, iā notum eſt Quid ſit Conſcientia? videlicet quòd ſit ſcientiæ ad aliquem actum applicatio. *Hoc tanquam bonum ſequendum eſt, illud tanquam malū vitandū.*

Eſt autem Triplex Officium conſcientiæ. *Primum* per modum teſtis. nam contra nos agit pro nobis teſtificatur dictando nos aliquid feciſſe, aut non feciſſe. Ad Romanos *Teſtimonium mihi perhibente cōſcientia* 2. Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimoniū conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate & ſinceritate Dei conuerſati ſumus in hoc mūdo.* Et D. Aug. dicit: *Quando Deus erit Iudex, Conſcientia erit teſtis. Secundum officium Conſcientiæ* eſt *Iudicare* vnde habet ſe per modum iudicis: poſtquam enim cognouit aliquid à nobis eſſe factum, ſtatim iudicium inſtituit, an conformiter fecerimus ad Regulam? ſi non? accuſat, redarguit, ex quo inquietudo, triſtitia, remorſus, oriuntur: ſi autem conuenienter egimus approbat rectè eſſe factum, & hinc pax, quies, gaudium, naſcitur. *Tertium officium.* inſtar legislatoris, nam cum iudicat eſſe bonum, tunc præcipit & dictat vt in poſterū ſequamur: ſi autem reprehendit eſſe malum, vetat agendum. Hæc conſcientia ex variis conditionibus quas admittit varias appellationes ſortitur, dicitur eſſe, *Recta, Erronea, Dubia, Scrupuloſa,* de quibus inferius agemus.

Conſciētiæ officiū quotuplex?

Conſciētiæ diuiſio.

14. QVANTVM *ad ſecundum* videlicet ad Rectam & erroneam conſcientiam, quia hæc ſibi opponuntur *Dico* quod *Recta conſcientia eſt, per quam homo de eo? quod aut agendum, aut omittendum, iudicat vt par eſt* vt cū iudicat hoc eſſe bonum & proſequendum, illud verò malum & omittendum. *Erronea autem Conſcientia eſt, ſecundum quam homo, ſecus quàm cōueniens eſt iudicat.* quod quidem ex ignorantia prouenit. Eſt autem ignorātia duplex. *Quædam* vincibilis eademque culpabilis & inexcuſabilis: & contigit circa id, quòd potuit homo & debuit ſcire, ſed noluit intelligere, ne benè ageret. *Quædam* Inuincibilis, eademque inculpabilis & excuſabilis: & verſatur circa id, quod non potuit nec debuit ſcire.

Recta conſciētia quæ?

Erronea cōſciētia quæ?

Ignorantia quotuplex?

Hæc Conſcientia Erronea iudicās de rebus agendis aliter quàm conuenit, dupliciter hoc facit. *Primò* per modum conſilij & liciti, dictando aliquid bonum eſſe & licitum, illud facere cum ſit illicitum: vel contra iudicans aliquid eſſe malum & illicitū: cum tamen ſit licitū: *Secundò* per modum Præcepti vel prohibitionis, v. dictādo aliquid faciēdum aut omittendum eſſe, ſub præcepto cum nullum exſtet.

Conſciētia Erronea dupliciter de rebus iudicat.

Tandem contingit circa res triplices: *Primò* Circa actiones indifferentes, eaſdem tanquam à Deo præceptas proponendo: vel tanquam prohibitas,

Conſciētia Erronea tripliciter fit.

hibitas, cùm non ſint: vt leuare feſtucam de terra: *ſecundò* circa actiones de ſe bonas dictando illas eſſe à Deo prohibitas: *Tertiò* circa actiones de ſe malas, dictando eas eſſe bonas. His ſuppoſitis cum quæritur: *An quemadmodum conſcientia recta obligat ad faciendum, aut non faciendum, etiam Erronea obliget?* Pro reſolutione.

Volũtas mala eſt dum diſcordat à ratione.

15. Dico primò *Quando voluntas diſcordat à ratione, tunc eſt mala* Hoc Dictum communis ſententia tenet. *Probatur* Velle malum ſemper eſt malum. Sed voluntas quotieſcunq; diſcordat à ratione vult malum. quia diſcordãs id amplectitur quod ratio iudicat eſſe malum. ergo voluntas diſcordans à ratione vult malum, & per conſequens eſt mala. *Deinde* Velle aliquid contra Syntereſim, v. contra lumen à natura inditum, quod dictat malũ non eſſe proſequendum, eſt omnino malum. Sed qui vult id quod ratio iudicat eſſe malum, ſiue hoc ſit verũ ſiue falſum, contra Syntereſim facit. ergo eſt mala.

Quare malum eſt voluntatẽ à ratione diſcordare?

Nota Ideo malum eſſe voluntatem diſcordare à ratione, quia cum ſit cæca, ductum rationis in omnibus ſequi debet & tenetur.

Contraueniens Conſcientiæ, peccat.

16. Dico ſecundò. *Sicut conſcientia Recta ita & Erronea ſiue ſit culpabilis ſiue inculpabilis obligat ad non contraueniendũ ei, alioquin contraueniens peccat.* PROBATVR In Eccleſia primitiua peccabãt qui carnes idolis immolatas comedebant, quamuis hoc licitè facere potuerint. quia faciebant contra conſcientiam Erroneam dictantem hoc eſſe peccatum. Ergo conſcientia Erronea obligat ſub peccato. *Antecedens* Ad Roman. 4. *Scio quia nihil commune in Chriſto.* id eſt, immundum, *niſi ei qui exiſtimat*, v. per Erroneam conſcientiam, *illud eſſe commune.* hoc eſt immũdum. Et inferius. *Qui autem diſcedit* (id eſt, qui iudicat per Erroneam conſcientiam eſſe immundum) *ſi manducauerit iam damnatus eſt: quia non ex fide, Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Per *Fidem* intellige, propriam Opinionem ſeu perſuaſionem de aliqua re.

Ratio ſecunda. Quemadmodum is peccat, ex quo ſcit quod Deo diſplicet. Sed is qui facit contra conſcientiam Erroneam, credit ſe Deo diſplicere in eo. Ergo conſcientia Erronea obligat.

Qui dictamen rationis ſpernit reus eſt maieſtatis.

Ratio tertia. Sicut reus eſt Maieſtatis non ſolum ille qui verum Regem percutit, ſed etiam qui percutit illum quem putat eſſe Regem. Ita non ſolũ illæ æternæ Maieſtatis reus, qui ſdictamen rationis, æternam legem promulgans violat, ſed etiam qui idem dictamen rationis ſpernit, tanquam legem Diuinam cùm non ſit.

Voluntas à ratione cognoſcit legem Diuinam.

Ratio quarta. Si lex ad populum nõ ſpectaret, niſi in quantum à Præcone Regio promulgaretur; tunc ſi contingat, quòd ille præco legem Regiã promulget, quæ non ſit Regis, nihilominus omnes ad eam ſeruandam obligarentur, & qui contrauenirent haberentur contemptores legis Regis. Sed Voluntas humana non aliũde cognoſcit legem Diuinam niſi à ratione, tanquam à Diuino præcone. ergo tenetur illi auſcultare, & ſi contraveniat peccatum committit, etiãſi reuera non ſit lex nec prohibitio.

Peccatum Erroneæ conſcientiæ.

17. *Quæres* Cùm conſtet quòd cõſcientia Erronea obliget: quæritur quale erit peccatum? *Reſpondeo* Tale eſſe quale conſcientia Erronea dictat: ſi dictat eſſe mortale, erit mortale: ſi dictat eſſe veniale, erit veniale. vt ſi cui dictet ratio, quòd in Eccleſia

eleſia ſpuere, ſit mortale, erit illi mortale. *Et ratio eſt.* Qui agens in tali actione vult tale peccatum cōmittere quale illi conſcientia dictat. ergo tale cōmittet.

Quæres rurſus. Si cui dictet conſciētia ſimplicem fornicationem eſſe veniale peccatum. ergo venialiter peccabit. *Reſpondeo* Si actio ex conſcientia erronea verſatur circa materiam mortalem ex errore culpabili, quia ab ignorantia culpabili, potuit enim & tenebatur ſcire: In tali caſu peccatū erit illi veniale, quia illi ita dictat ratio. ſed mortaliter peccabit: quia iſta actio eſt in materia mortali, & procedit ex ignorātia culpabili, potuit enī ſcire & tenebatur, quale peccatū ſit fornicatio, vide D Th. quodl. 8. a. 15.

Nota Si autem conſciētia Erronea dictat in genere aliquid eſſe peccatū, non determinando ſitne veniale vel mortale, & ſitne contra hanc vel illam virtutem, contra hoc vel illud præceptum? De hoc iudicandum ex actu, quem apud ſe conſtituit cōmittere.

18. Dico tertiò. *Conſcientia Erronea inculpabilis dictans aliquid agendum aut omittendum per modum præcepti vel prohibitionis, obligat ad agendum ſecundùm illius dictamen.* PROBATVR Talis enim conſcientia cùm proueniat ex ignorantia inuincibili non poteſt deponi, ergo neceſſe eſt, vt id quod dictat amplectatur.

Actio Erroneæ Conſcientiæ quando bona?

Obiicies Ergo actio ſecundùm conſcientiam erroneam etiam ſi habeat obiecta moraliter mala erit bona? *Reſpondeo* id admitti poſſe quòd ſit bona, cū ex bona fide proueniat, nihil enim refert, quòd obiectum habeat malū. nam cùm voluntas ſit cæca & à ratione moueatur, quæ illi ab intellectu proponit. vnde non poteſt dici, quòd in obiectum malum moueatur. vt accidit Iacob Patriarchæ qui acceſſit ad Liam putans eſſe inculpabiliter Rachelem, & ideo non peccauit: ita voluntas quando ad id mouetur per intellectum quod inculpabiliter putat eſſe bonum, illud ipſum non eſt malum ſed bonum, & ideo non peccat.

19. Dico quartò. *Conſcientia Erronea culpabilis quæ dictat aliquid agendum aut omittendum per modum præcepti aut prohibitionis, ita obligat ad non agendum contra illam, vt non obliget ad agendum ſecundùm illā, quo circa deponenda eſt.* Ideo obligat ad non agendum contra illā quia tenemur ſequi dictamen rationis. Ideo non obligat ad agendum ſecūdùm illam, quia aliàs obligaret ad peccatum, quia dictat id licere quòd non licet. Neque etiam agentem ſecūdùm illam excuſat vt docet D. Th. *hic art. 6.* quòd hi qui occidebant Apoſtolos à peccato non excuſabantur, quamuis hoc ex zelo Diuini honoris faciebant (nam hoc proueniebat ex ignorantia culpabili) Ergo omnino deponenda eſt per contrariā rationē.

Nota Tenemur deponere Erroneā conſcientiā: Ita Apoſtolus iubet ad Epheſ. 4. *Deponentes ſecundùm priſtinam conuerſationem veterem hominem qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.* Et cū in conſcientia Erronea ſint duo: *primò.* Conſcientia ſeu dictamen rationis, & hoc non debemus deponere: *Secundò* Error præſertim ſi ſit culpabilis, & hunc tenemur deponere. Modus deponendi. *Primò* per contrariā rationem quæ ſit ſufficienter probabilis ad contrarium aſſenſum mentis remouendum: *Secundò* ſi temere & ſine cauſa rationabili error eſt ſuſceptus, etiam ſine vlla cauſa deponi debet.

In Erronea Conſcientia ſunt duo

Modus deponendi Erroneam Conſcientiam.

20. Dico

20. Dico quintò. *Quando conſcientia errans culpabilis, dictat aliquid per modum conſilij aut liciti, vt quod ſurandum ſit vt eleemoſynam faciamus: aut quòd liceat mentiri, vt aliquem ex morte eripiamus; tunc homo non obligatur ſimpliciter ad eam deponendam, quemadmodum obligat dictās per modum præcepti aut prohibitionis, ſed ſolùm obligat per modum diſiunctiuæ aut ad eam deponendam, aut ad non conformandū ſe illi.* quia talis conſcientia non dictat per modum obligantis ſed ſuadentis. Et ſicut homo conſilijs Diuinis non conformando ſe non peccat, ita neque hic peccabit.

Cauſæ ex quibus oritur conſcientiæ error ſeptem.

21. *Nota* Septem eſſe cauſas ex quibus oritur conſcientiæ Error (vt docet Antonin. *in 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 3.* *Prima eſt ignorantiæ.* vt cùm homo bonum ſub ratione mali, aut malū ſub ratione boni apprehendit. *Secunda eſt Negligentiæ*, vt cùm quis propter labores aut alias occupationes negligit ab alijs addiſcere vt liberetur ab errore *Tertia Amor ſui.* cùm quis ex eo quòd ſe nimium amet, inclinat conſcientiam ad id quod appetit: *Quarta puſillanimitas cordis.* vt cùm quis id timet, quòd ſecundùm rectam rationem nō eſt timendum. Iuxta illud: Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor *Quinta ſuperbia.* cum quis intellectum ſuum non humiliat ad credendum melioribus, doctioribus & Superioribus, de quibus dicitur. *Quæcunq; dixerint vobis facite*: *Sexta perplexitas conſciētiæ*: cùm quis ſibi interdum duo operabilia conſtituit, quorum alterum debet agere, & quodcunque egerit, peccabit.

22. *Nota* hanc perplexitatē quæ videtur quandam neceſſitatem peccandi importare, non oriri ex parte rei, ſed ex parte fatuæ opinionis, quæ eſt in homine, qui ſtatuit in vtroque firmiter permanere. Quemadmodum accidit illi qui iurauit ſe aliquem occiſurum; ex quo perplexam conſciētiam format; *ſi occidero homicidium committam, ſi non, periurus ero*: quod ex fatua opinione prouenit, quia falſò exiſtimat ſe fore periurū ſi nō occiderit. *Septima ex cordis puritate.* quod accidit hominibus puræ mentis, qui etiā illic culpas agnoſcunt & deplorant vbi non ſunt. Et conſcientia ex ea cauſa proueniens, non eſt reprehenſibilis, ſicut proueniens ex ſuperioribus, ſed laudabilis, quia voluntas dictat, non ſolùm ea quæ ad Iuſtitiā ſpectant, ſed quæ etiam faciunt ad perfectionis adeptionem.

Conſcientia Dubia quæ?

23. Qvantvm *ad Dubiam* Conſciētiam, Dubia eſt illa quæ nec habet aſſenſum nec diſſenſum, ſed hæret in dubio, *v. g.* ſi Superior imperet ſubdito vt crimen proximi reuelet, ex quo naſcitur talis dubia conſcientia. Si enim reuelauero, contra fidem datam proximo peccabo, & eundem infamabo: ſi vero non reuelauero crimen inobedientiæ incurram.

Quæres. An obligat conſcientia dubia? *Reſpondeo* ſi dubitat an ſit mortale, & facit, peccabit mortaliter: & ſi dubitat an ſit veniale, peccabit venialiter: & ſic ea ratione & ad veniale & ad mortale obligabit. *Probatur* ad Rō. 14. *Omne quod non eſt ex fide eſt peccatum*, hoc eſt, quod non eſt ex conſcientia, quæ iudicat quod ſit licitum, eſt peccatum. Sed is qui dubitat non iudicat ex fide, ſeu ex conſcientia, id eſſe licitum quod operatur. ergo peccat.

Ratio ſecunda. Lex eſt veræ amicitiæ vt non ſolum caueamus peccata quæ directè ſunt contra amicitiam, ſed etiam ea de quibus dubitamus, an offendat

fendant amicum. Sed is qui dubitat, non cauet, ne in aliquid impingat, quod ei amicitiam violet, cum illud ipſum operatur. ergo peccat.

24. *Quæres* Quodnam ſit remediũ Dubiæ conſcientiæ? *Reſpondeo* Hoc eſſe vt eam deponamus, & alteri parti quæ ſit probabilis determinate aſſẽtiamus. *v. g.* cùm ſubditus dubitat an prælato præcipiẽti qui iubet, vt crimen proximi reuelet, debeat reuelare, cum hinc infamia, hinc obedientia vrget. Conſilium eſt vt dubium deponat determinando ſe, quòd prælato ſit obediendum, propter quatuor cauſas, (vt Soto & Syluester docet.) *Prima* ſi conſtat prælatum iure præcipere: *Secunda* ſi conſtat prælatũ contra ius præcipere, tũc non tenetur obedire: *tertia* Ideo obedire debet, quia authoritas Prælati in dubiis ſequenda. *Tum* quia ſubditus non eſt iudex, qui definiat, an Prælatus iure præcipiat? & Prælatus non tenetur ſemper reddere cauſam, quare hoc vel illud præcipiat: *quartò* ſi opinetur quòd Prælatus contra ius præcipiat, & hoc ex leuibus cauſis; tunc illam opinionem debet deponere & obedire.

4. Cauſæ deponendi cõſcientiam dubiam.

Nota quod aliqui ſentiunt in contrarium faciendam eſſe determinationem v. non eſſe Superiori obtemperandum ſi ſit euidens, quòd ex illa reuelatione vita vel fama proximi in æternum ſit in periculo futura. nam licet Prælatus, ſit in legitima poſſeſſione obedientiæ, tamẽ etiã proxim' eſt in legitima poſſeſſione ſuæ famæ: ſi tamen præcipientis Prælati fuerit doctrina inſignis & vitæ integritas tunc illi tenetur obedire.

Probabilis [illegible]

25. *Nota* ſit itaque certum, quod in dubia conſcientia tenemur nos determinare ad partem probabilem. Eſt autem illa pars dubij probabilis, quã probabiliores rationes ſuadent, & quam vir ſapiens & prudens & probus putaret eſſe probabilem.

Nota ſecundò. quamuis ſit tutiùs in rebus fidei & morum, eam partem eligere, quæ ſit probabilior & tutior tamen ad vitandum peccatum ſufficit vt ſequamur opinionem probabilem & tutam.

Nota tertiò. Si vrgeat aliquis caſus particularis in quo ſtatim voluntas debet ſe determinare, tunc ſi ad eam partem inclinet, quæ non ſit per ignorantiam inuincibilem, excuſabitur à peccato. Nam non eſt poſſibile vt in breui ſpatio vtriusque partis rationes inſpiciat & examinet, ſed maiori tempore ad cogitandum ſumpto, tunc maius & accuratius examen faciẽdũ, & ea pars quæ ſit vera eligẽda.

Nota quartò. Si quis in caſu dubij ita ſit pplexus, vt omnino dubitet quod ſibi liceat facere, nec ſe poſſit ad aliquam partem dubij determinare. hic qui ita dubius eſt & perplexus, quicquid faciet peccabit. quòd autem ita ſit perplexus, ſibi imputet, quod ſe determinare noluerit: nam in noſtro arbitrio eſt in dubijs quando non cogit euidentia rei, eam partem, quæ ſit probabilior eligere. Vide Medinam *in l. 2. q. 19. art. 5. & 6.* Nau. in man. *cap. 27. nũm. 286.*

26. QVOAD *Scrupuloſam Conſcientiam.* Nomen *Scrupuli* per metaphorã ſumptum à lapillo, qui in calceo pedem pungens, ambulantem moleſtiã afficit, & tranſlatum ad animi angorem ſignificandum: vnde Scrupuloſa conſcientia eſt quædam formido ex ſuſpicione orta, quæ animum excruciat, an aliqua res ſit licita vel illicita:

Scrupulus metaphoricè.

Conſcientia Scrupuloſa quid ſit

 licita:

licita: vt ſi quis credat ſibi licere in Quadrageſima veſci carnibus, tum propter ægritudinem, tum quòd ita medicus iudicat; & tandem ſuboritur quædam motio contraria, quæ animum pulſat & angit, an hoc nobis liceat: & quamuis putemus nos non peccare, in ea tamẽ opinione nõ ſumus conſtantes & ſecuri, ſed perturbati & inqueti ab animi anxietate.

Quæres An Conſcientia ſcrupuloſa obliget? *Reſpondeo* & dico tria.

An Conſcientia Scrupuloſa obliget.

Dico primò *Si Scrupulus ſit qui nullo argumento nititur, tunc non obligat, & contra illum liberum eſt agere.* PROBATVR. Agens contra eiuſmodi Scrupulum. nullo periculo peccandi ſe exponit. nam hic Scrupulus, qui eſt anxietas animi, non obligat ad agendũ, ſed potius ad non agendum ſecundũ illum, & retrahit à bono opere, aut efficit, vt illud fortiter nõ aggrediatur.

Agere contra Scrupulum quando licet & quando nõ?

27. Dico ſecundò. *Si Scrupulus nitatur argumento infirmo, leui, etiam non obligat. vnde conſilium eſt contra talem Scrupulum agere.* PROBATVR Nam certitudo moralis omnium actionum ſufficit ad aliquid agendum, & hæc ſecũ formidinem compatitur, quæ tamen ab alia actione non debet nos reuocare. Et Ariſt. l. Ethic. cap. 3. *In rebus agendis & moralibus. non ineſt ea ſtabilitas, vt de contraria falſitate formidare non poſſimus.*

Dico tertio. *Si nitatur Scrupulus aliqua rationabili cauſa, quæ iudicium ante ſuſceptum reddat infirmum, & deſtitutum probabilitate morali, tunc obligat; & contra talem ſcrupulum agere non eſt licitum.* PROBATVR. Quia peccaret ſi ageret. nam recta ratio dictat, contrarium eſſe certius. ergo eã non ſequens peccabit. De Remedijs Scrupuloſæ conſcientiæ Antoninus in *1. parte tit. 3. cap. 10.* Sylueſter. Nauarrus in *man. cap. 27. n. 282.* ſed omnium certiſſimũ remediũ, proprio iudicio nõ niti, ſed virorum bonorum & ſapientum.

QVÆSITVM V.

An Bonitas Actus interioris dependeat ex intentione finis?

28. AD hoc Quæſitum cum D.Th. Dico primò *Bonitas actus Interioris ex intentione præcedente finis depẽdet.* PROBATVR. Bonitas voluntatis dependet à voluntate voliti. ſed intentio præcedens ordinat volitum ad finem, & eſt quædam ratio bonitatis voliti. ergo ex intentione finis præcedente dependet. *v. g.* Cùm quis intendit ieiunare propter Deum, ex hoc quia fit propter Deum; ieiunium habet rationem boni. ergo bonitas actus interioris dependet ex intentione finis.

Nota Si contigerit intentionem finis eſſe bonam, ſed electionem medij malam, erit actio mala. vt ſi quis intendat eleemoſynam facere, & eligit medium furtum, actio erit mala, quamuis finis bonus, quia electio medij mala. vnde Scriptura Eccleſiaſti 34. *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.* Et ibidem *Qui offert ſacrificium ex ſubſtan-*

ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Hæ enumeratæ actiones, habent finem bonum v. Cultum Diuinũ, & tamẽ tanquam malæ reprobantur ob medij mali electionem. vnde

1. Actionibus quæ habent finem bonum, medium malũ ſit faciendum?

Noto ſecundò. cum Medina duo hîc tenenda eſſe. *Primò* quando ex intentione boni finis, nõ neceſſariò ſequitur mala electio medij, tunc illa intentio non eſt mala. vt cum quis vult egeſtati ſubuenire, & ex ſuis facultatibus ſubuenit; & ſic intentio eſt bona, & electio ex ea conſequens eſt bona, vnde & actio eſt bona. *Secundò* quando ex intentione boni finis neceſſariò ſequitur mala electio medij ſic illa intentio mala, & per conſequens non dat bonitatem actui interno. *v. g.* Si quis efficaciter conſtituat. quòd velit ſubuenire pauperi, & cum non habeat proprias facultates, nec aliud medium, vnde hoc faciat, niſi furtum: dicimus quòd talis intentio neceſſitat ad malam electionem. vnde ad caſum dicendum: cum non habeo vnde pauperi ſubueniam, niſi ex alieno, tunc propoſitum non obligat pro eo tempore ſubueniendi pauperi, niſi ſit in periculo mortis. nam tunc licet alienum tollere & ſubuenire. nam in tali neceſſitate omnia ſunt communia.

29. Dico ſecundò. *Bonitas actus Interioris voluntatis, non dependet ex intentione finis ſubſequente, ſed ipſe actus voluntatis vnà cum intentione ſubſequente reiterari debet.* vt ſi quis priùs velit aliquid facere, & tandem illud referat in Deum, bonitas primæ voluntatis non dependet ex intentione ſequente, ſiquidem prius ex poſteriori non dependet, vnde & actio iterari debet, & in Deum referri, & ſic iam intentio non erit ſubſequens ſed præcedens.

Quæres An ex bono fine diminuatur aliquid de prauitate malæ electionis. *v. g.* Quodnam leuius furtum? an cùm quis furatur propter alendã familiam? an verò cum propter libinem exercendã? Almaginus in mor. *cap. 12. & 13.* aſſerit Bonitate finis non minui de malitia prauæ electionis. ſed potiùs contrarium aſſerimus v. Minui. cùm Diuus Auguſtinus lib. contra mendacium *capite 8.* dicat: *Peior eſt qui concupiſcendo quàm qui miſerando furatur*: Idem aſſerit Magiſter in 2. *diſtinctione 40.* Gratianus enumerat octo gradus mendacij, & vnum alteri conferens dicit: *Mentiri tantò eſt leuius quantò habet meliorem finem.* Quia peius eſt mentiri ex conſuetudine mentiendi quàm recreationis causâ & peius eſt recreationis causá quàm hominis conſeruandi gratiá. Et omſenſu omnium minus eſt peccatum cum quis in defenſione amici hominem occidit, quàm qui ex nulla iuſta cauſa eundem occidit. Et quiuis iudicat minus eſſe peccatum furari propter alendam familiã, quàm propter exercendam libidinem. ergo bonus finis minuit de malitia prauæ electionis.

Bonitas finis minuit de malitia prauæ electionis.

30. *Obijcies* cum Almagino ex D. Aug. cùm quis dicit: *Volo furari diuitibus, & dare pauperibus*, non minuit ſed duplicat peccatum. *Reſpondeo.* quòd nunquam D. Aug. dicit, quòd non diminuatur furtum ex intentione dãdæ eleemoſynæ, ſed hoc docet, quòd is qui furatur diuitibus & dat pauperibus, duplicat peccatum, vnum eſt furtum, alterum quod cùm teneatur ablatum reſtituere, facit ſe impotentem ad reſtituendum, quia totum pauperibus

peribus tribuit: ſicut ſi quis Sacerdos nauigãdo apud ſe cõſtituat, quod nolit horas Canonicas recitare, & iã eſt peccatum, alterum verò erit quia Breuiarium in mare proiecit, nam facit ſe impotentem ad officium recitandũ.

QVÆSITVM VI.

An quantitas Bonitatis vel Malitiæ in voluntate ſequatur quantitatem boni vel mali in intentione?

31. SVppono cum S. Doct. quod circa actum & intentionẽ finis, duplex Quantitas conſiderari poteſt: *prima* ex parte obiecti, quia vult maius bonum aut illud agit: *ſecunda* eſt ex parte Agẽtis & intẽtione actus, quia agẽs intensè vult, vel agit. Hoc præmiſſo

Dico primò. *ſi loquamur de quantitate vtriuſq; ex parte obiecti tunc quantitas actus tam interioris quàm exterioris non ſequitur quantitatem intenſionis.* PROBATVR quia obiectum quod ordinatur ad finem, ſæpenumerò non eſt fini proportionatum: vt ſi quis habeat intentionem cõſequẽdi rẽ, quæ valet cẽtũ aureos, & eligat obiectũ & ordinet ad eã rẽ v. decẽ aureos ſic iã intentio non poteſt refundere quantitatem bonitatis in obiectum. *Deinde* quia impedimenta ſuperueniunt ſuper actum maximè exteriorem, quæ remouere non poſſunt. vt ſi quis habeat intentionẽ eundi Romam, & tandem à talibus rebus impeditur, vt ire non poſſit.

Actus internus impediri non poteſt.

Obſerua hæ duæ rationes concludũt de actibus exterioribus: de internis verò ſola tantùm prior, poſterior minimè, ſiquidẽ actus interni ſũt in noſtra poteſtate, vt impediri nõ poſſint.

32. Dico ſecundò. *quando Intentio eſt ratio & cauſa electionis, tota bonitas intentionis redundat in electionem* vt ſi quis intẽdat redemptionem captiuorum, & ad hoc eligat duos dare argenteos, tota bonitas intentionis redundat in electionem, & quò melior intentio eò melior electio.

Dico tertiò. *Intentio intentionis ex parte agentis formaliter conſiderata, vt ſit cauſa electionis redundat tam in actum interiorem, quàm in exteriorẽ.* vt cùm quis intensè vult ſanari, etiã intensè vult per medicinam curari: ſi autem intentio & electio ſumantur materialiter ſecundùm ſe, ita, quòd vna nõ ſit cauſa alterius, tũc intentio intentionis non redundat in actum. nam poteſt quis velle intensè ſanari, & vult remiſsè per medicinam curari.

Dico quartò. *quando intentio tenet ſe ex parte obiecti. tunc quantitas electionis nõ ſequitur intenſionis quantitatem.* nam poteſt quis velle intensè operari, & tamen non intensè operatur: & miles illius arcis quam obſidet, vult intensè diuitias, & tamen non intensè nncè expugnat, *Vnde Corollarium* eſt D. Th. non quantùm quis intendit mereri tantum meretur. nam meritum non in volitione intenſa, ſed in operis intenſione conſiſtit.

33. *Sit*

Electio non eſt ſemper tam bona, ſicut intentum.

33 *Sit itaq; certum*, ſi reſpiciamus ad bonitatem & perfectionem boni intenſi, nõ ſemper tam bona eſt electio ſicut bonum intentum. vt cùm quis vno ieiunio vult ſatisfacere pro vniuerſis peccatis ſuis, tunc bonum intentũ v. ſatisfactio pro vniuerſis peccatis, maius eſt bonum quàm electio, v. vnum ieiunium. nam obiectum nõ tribuit actui totam ſuam bonitatem. vt cùm quis diligit Deum, hoc obiectum intentum DEVS, non tribuit actui humano totam ſuam bonitatẽ, nam alioquin quælibet dilectio hominis eſſet tanta quãta eſt ipſius Dei, ſed ſolùm tantam tribuit quantæ eſt capax actus voluntatis, inquantùm ab agente perfecto aut imperfecto progreditur.

Bonitas autem intentionis tribuit electioni & actui ſuam bonitatem, ſed cum ea moderatione, vt ſi electio bonum eligat, quod ſit proportionatum ſuo intento: nam ſi intendat magnum bonum, & medium paruum ſeu nõ proportionatum. vt ſi vellet eam rem conſequi decem aureis, quæ valet mille, & ſic intentio non tribuit quãtitatẽ ſuæ bonitatis actui. ſi autẽ intẽdat ingẽs bonũ, vt martyrium, & ponat omnia media poſſibilia, tũc licet impediatur à Martyrio cõſequẽdo, nihilominus nõ perdit meritum, quia voluntas pro facto reputatur.

Bona intentio tribuit electioni & actui bonitatem.

QVÆSITVM VII.

An voluntas ſeu bonitas actus interioris neceſſariò debeat concordare cum voluntate Diuina?

34. TRes Articulos Angelici Doct. iſto Quæſito complectimur *8 9. & 10* quia vnum propoſitum intẽdit, v. an nos conformare debeamꝰ voluntati Dei, & cùm voluntas Dei ſit in lege æterna *primò* reſoluendum venit, an bonitas actus interioris dependeat à lege æterna? Reſpõdeo affirmando. *quòd actio hominis multò magis à lege æterna quàm autem à voluntate humana dependeat.* PROBATVR. in omnibus cauſis ſubordinatis plùs depẽdet effectus à cauſa prima quàm à ſecunda, nam cauſa ſecunda agit in virtute cauſæ primæ. ſed voluntas humana ſubordinatur legi æternæ. ergo ab illa dependet. *Minor.* quamuis enim ratio humana ſit Regula actionum humanarum; tamẽ intantum eſt, inquantũ legi æternæ ſubordinatur.

Voluntas magis à lege æterna pendet.

Sed obijcies. Lex æterna cùm ſit in mente Diuina, quomodo poteſt eſſe Regula? nam Regula debet eſſe nota norma. *Reſpondeo* duplici modo nobis innoteſcit: *primò* per rationem naturalem, quæ ex Deo tanquam illiꝰ Regula eſt deriuata: *ſecundò* per reuelationẽ, quæ habetur in S. Scriptura.

35. *Obijcies ſecundò* eſſe aliqua ex natura ſua ita bona, quæ ſi fiant, etiã ſi nulla lex æterna eſſet, nihilominus eſſent bona: & ſunt quædam de ſe ita mala, vt homicidiũ, adulterium, quæ etiamſi

etiamſi nulla lege prohibeantur, ſunt tamen mala. ergo bonitas & malitia non pendet ex lege æterna. *Reſpondeo* conformiter inhærendo doctrinæ Apoſtoli. *vbi non eſt lex, peccatum non eſt.* & D. Th. in *1. 2dæ. q. 71. a. 6. ad. 4* dicit: *Si nulla lex eſſet, adulterium peccatum non eſſet: ſed nihilominus eſſent mala moralia, quia diſconuenirent à recta ratione Reſpondeo ſecundò*, cùm recta ratio legem æternam inſculptam habeat, adhuc eſſet lex æterna. Hoc determinato.

36. *Rurſus inquirimus.* An actus interior voluntatis debeat conformari voluntati Diuinæ? Gregorius Arim. *in 1. diſt. 48.* Gabriel. explicans illud *Fiat voluntas tua*, docent quòd homo etiam in volito materiali, obligatur ſuam voluntatem conformare Diuinæ. *Fundamentum eius.* Impium eſt contrauenire & reſiſtere voluntati Diuinæ, cùm omnes hoc vnum optemus illis verbis: *Fiat voluntas tua.* v. vt in omnibus, & ſup omnia, & ab omnibus adimpleatur. ergo obligamur ad concordandam voluntatem noſtram cum Diuina. Confirmatur *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra*, particula *Sicut* exprimit modum. ſed beati in cælo non ſolùm in formali volito ſed etiam in materiali voluntatem ſuam conformant (vt docet D. Th. *hìc a. 10. ad 1.*) ergo & nos eodem modo, v. etiã in materiali volito tenemur Deo conformari. Pro determinatione

Volūtas noſtra conformanda eſt volūtati Diuinæ.

37. *Suppono* ex art. 10. hìc primò: contingit plerumque, quòd duæ voluntates volunt oppoſita; & tamen illæ duæ voluntates oppoſitæ ſunt bonæ, propter diuerſas rationes ſibi adiunctas. nam Iudex vult ciuem latronem mori propter bonum commune, eundem illius vxor vult viuere, propter bonum ſuæ familiæ, vnde vtraq; voluntas, licet oppoſita, eſt bona.

Voluntates oppoſitæ poſſūt bonę.

Suppono ſecundò. voluntas fertur in bonum, & huius boni ratio ſecundū quod fuerit vniuerſale, ſecūdùm hoc etiam voluntas in bonum communiꝰ fertur. ſiquidem bonum quantò communius, tantò melius.

Suppono tertiò. Deus quidquid vult, vult ſub ratione boni vniuerſalis, tãquam gubernator & prouiſor totius vniuerſi: homo verò quicquid vult: ſub ratione boni particularis vult: ex hoc contingit, vt illud bonum quod vult creatura, ſub ratione boni particularis, Deus nolit, ſub ratione boni vniuerſalis. vt filius vult patrem viuere ex pietate, Deus vult illum mori ob ordinem vniuerſi ita cõſtitutum. vnde vtraq; voluntas bona ex diuerſis rationibus.

Deus vult bonum vniuerſale, homo particulare.

Suppono quartò. Creata voluntas cū vult aliquod bonum particulare, vt ſit bona, debet bonum particulare referre in vniuerſale, quod eſt Diuinum. nam appetitus naturalis ita eſt à natura inſtitutus, vt ſit propter bonum vniuerſale. His notatis

38. Dico primò. *Actio moralis non poteſt eſſe bona, niſi voluntati Diuinæ fuerit conſentanea & conformis.* PROBATVR. quemadmodum enim intellectus Diuinus, ita etiam & voluntas Diuina eſt exemplar & regula actionum moralium. ſed actiones humanæ à voluntate humana proueniunt. ergo voluntas producendo actiones, cum Diuina tanquam cum exemplari conuenire debet. ita S. Scriptura docet Pſal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam.* 1. Ioan. 2. *Mundus tranſit, & concupiſcentia eius, qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.* Ad Hebr. 10. *Voluntatē Dei facientes, reportantes repromiſſionem.* Eadem S.

Volūtas noſtra ſumit bonitatē à Diuina.

dem S. Scriptura reprehendit eos, qui non obediunt voluntati Diuinæ. Iſaiæ 58. *In die ieiunij inuenitur voluntas veſtra.* Ibid *ſi auerteris facere voluntatem tuam.* Ex his enumeratis locis ſequitur quòd voluntas noſtrarum actionum tunc ſumit bonitatem ex Diuina voluntate, eidem ſe conformando.

39. Dico ſecundò. *Cùm de modo cõformationis ſit dubium, an in volito formali, an verò materiali conformare nos teneamus, idcircò* dico, *quòd in volito formali concordare debemus.* PROBATVR. Volitum formale reſpectu Dei conſideratum, eſt ratio propter quam Deus omnia vult, & hæc eſt ſumma eius bonitas. ſed homo vniuerſam ſuam actionem in Deum tanquam in ſummum bonũ referre debet. ergo in volito formali tenetur conformari.

Homo omnem actionem in Deũ debet referre.

Obijcies ſi omnis actio in Deum referenda. ergo infidelis omnis operatio erit mala, quoniam is ignorat Deũ, in quem actiones ſuas referre debet, & cùm non refert. ergo omnis eius actio erit mala. *Reſpondeo* ſatis eſſe quòd actio moralis infidelis implicitè referatur, qui enim vult bonum & honeſtum, quod nullam circumſtantiam malam ſecum compatitur, hoc ipſum tale bonum, ſuâ naturâ in Deũ refertur, & conformatur Deo in volito formali.

Obijcies ſecundò. Qui legem Diuinam violat, v. g. cùm quis furatur. duplex peccatum committit. vnum cõtra præceptum negatiuum, alterum contra affirmatiuum, quod iubet vt nos uoluntati Dei conformemus. *Reſpondeo* vnũm ſolùm peccatum committi, ſiquidem præceptum de conformitate cum voluntate Diuina eſt diffuſum per omnia præcepta. nam omnia tam affirmatiua quàm negatiua, inducunt nos ad obediendum Deo

40. Dico tertiò. *Modus conformandi nos in volito formali, ſi non poſitiuè, ſaltem negatiuè debet eſſe.* EXPLICATVR. Non eſt neceſſarium vt actiones noſtræ poſitiuè ad eundem finem referantur, ita, quòd incurramus peccatum, niſi nos quoque eundem finem actu aut virtute intendamus, quem Deus ſibi proponit, ſed ſufficit, quòd actiones noſtræ negatiuè referantur, v. quòd ſimpliciter non reſiſtamus, nec nos contrariè habeamꝰ, nec ordo Diuinæ ꝓuidētiæ, illiꝰq; æterna ordinatio mediorũ nobis non diſpliceat, ꝓpter quã Deus vult aliquid fieri, aut permittere. Et in hoc ſenſu debemus, voluntatem noſtram Diuinæ in omnibus rebus & actionibus conformare. nam aliàs ſi velimus contradicere, ita quòd ſi nobis Diuinæ prouidētiæ diſpliceat ordo, ſignũ eſſet grauis impietatis & blaſphemiæ. *Item* quia grauẽ iniuriã directè faceremus, ſi enim nobis diſplicet ordo Diuinæ prouidentiæ. ergo neceſſe eſt vt ſupponamꝰ in eo eſſe aliquid mali aut erroris, quod falſũ eſt. vnde Apoſtolus dicit: *O homo tu quis es, vt reſpondeas Deo? voluntati eius quis reſiſtet? nunquid figmentum dicet figulo, cur me ſic feciſti?* Sufficit igitur, vt in formali volito, ſi non poſitiuè, hoc eſt, vt actiones referamus ad eum finem, ad quem Deus refert, at ſaltem negatiuè, vt non reſiſtamus, nec contradicamus, & conueniamus cum Diuina voluntate.

Quomodo homo Diuinæ voluntati ſuam debeat conformare?

41. Dico quartò. *Poſſumus ſine vllo peccato in materiali volito cum Diuina voluntate non concordare, tam poſitiuè quàm negatiuè,* hoc eſt, *non eſt neceſſe, vt id velimus, quicquid Deus vult ad extra, ſed nonnunquam de eo poſſumus dolere & triſtari,* dummodo

In materiali volito poteſt homo ſine peccato non concordare cum Diuina voluntate.

dummodò ob eam rationem non diſpliceat, ob quã Deus vult, iã enim eſſet obiectũ formale, in quo debemus cõformari Diuinæ volũtati, ſi non poſitiuè ſaltẽ negatiuè (vt iã dictũ) ſed ſi materiale volitum ſeu obiectum diſpliceat, ob aliam rationem, vt quod in genere Entis ſit malum, aut quod dolorem inferat, aut quod naturali inclinationi repugnet: & ſic non conformari Diuinæ voluntati nullum eſt peccatum. PROBATVR. quia in hoc sẽſu propriè non aduerſatur voluntati

Quæ repugnantia propriè dicatur

Diuinæ. nam repugnantia propriè dicta, non ſolùm eſt de eadem re, ſed etiam ſecundùm eandem rationem & ſecundùm idem. ſed in hoc ſenſu quẽ explicuimus, non eſt repugnantia ſecundùm eandem rationem, ſed ſecũdùm diuerſam, hoc eſt, non diſplicet nobis eo reſpectu quòd Deus illud vult, ſed propter quandam aliam circumſtantiam mali, v. g. non diſplicet nobis aliqua calamitas, aut vis morbi, vt à Deo immittitur, propter noſtram correptionem & ſatisfactionem pro peccatis. ſed diſplicet, vt rationem mali habet, inferendo dolorem, moleſtiam, & ſic triſtari nullum eſt peccatum.

Probatur ſecundò. Sciebat Chriſtus Dominus diuinitùs eſſe decretum, vt pro nobis moreretur. Lucæ 24. *Oportebat Chriſtum pati.* & tamẽ de ſua morte & paſſione vehementer triſtabatur Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*, hinc totus ſudore ſanguineo irrigatus & perfuſus fuit. *Probatur tertiò.* quando Deus permittit peſtem, bellum, famem, ſerpentes, aut alias calamitates, non peccamus hæc fugiendo, aut his incommodis repugnando. ſed tenemur reſiſtere, iure naturali: & præceptum Diuinum eſt. *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.*

42. *Sed dubium eſt* de voluntate beneplaciti Diuini, an eidem voluntatẽ noſtram conformare debeamus? Pro reſolutione cum Medina dico primò. *Si beneplacitum voluntatis Diuinæ in aliquo particulari negotio non fuerit nobis manifeſtatum, nullum erit peccatum contrariũ velle & agere.* PROBATVR. Dauid ignorãs in contrarium eſſe voluntatem Diuinam, voluit Deo ædificare templum, & in hoc non peccauit. *Deinde* quando Princeps Perſarum, v. Angelus cuſtos Perſarum, reſiſtebat Gabrieli cupiens, vt in captiuitate populus Dei detineretur: Gabriel autẽ liberationem vrgebat, neceſſariò ſtudium alterutrum debuit eſſe contrarium voluntati Diuinæ, ſed quodcunque fuit ſiue Gabrielis ſiue Principis Perſarũ, nullum in eo peccatum fuit, quia beneplacitum Dei reuelatum non fuit.

Dico ſecundò. *Etiamſi nobis innotuerit beneplacitum voluntatis Diuinæ, tamen ſi ſpectemus appetitum noſtrum ſenſitiuum, & voluntatem noſtram, inquantum eſt natura quædam, poſſumus non conformari volũtati Diuinæ.* PROBATVR. cùm quis ægritudine deponitur, ſcit eſſe volũtatem Diuinam vt ægrotet, & tamen ſecundùm appetitum ſenſitiuum, nõ tenetur illi conformari, ſiquidem appetitus naturaliter, id quod eſt nociuum & deſtructiuum refugit, & talis propenſio eſt bona, quia eſt ab authore naturæ. *Similiter* voluntas vt eſt natura, naturaliter in id bonum quod eſt ſuppoſiti fertur; & id quod eſt ei deſtructiuum refugit. & ſic Chriſtus D. cùm dicebat: *Pater ſi poſſibile eſt, trãſeat à me calix iſte*: dicebat ſecundùm voluntatem inquantum eſt natura, & vt cupit ſui ſuppoſiti conſeruationẽ: & ſciebat eſſe beneplacitum Diuinũ, vt acerbiſſimam mortem ſuſtineret.

Voluntas vt eſt natura naturaliter in id bonum quod eſt ſuppoſiti fertur & id quod eſt ei deſtructiuum refugit.

43. Dico tertiò. *Etiamſi certò ſciamus vo-*

mus voluntatem beneplaciti eſſe, vt hoc particulare fiat, non tenemur illi conformari in materiali volito, hoc eſt, *non tenemur id velle quidquid Deus vult, ſed poſſumus contrarium velle.* PROBATVR. Dauid quãuis ſciret voluntatis eſſe Diuinæ vt viueret, nihilominus orabat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* & Chriſtus D. ſciebat, quòd Ieruſalem Diuina voluntate peritura erat, & tamen *videns ciuitatem, fleuit ſuper eam.* Deniq; ſi in omnibus quæ Deus beneplacito voluntatis vult, teneremur nos conformare, tunc peccator teneretur velle vt careat gratiá Dei: nam vult Deus vt peccator careat gratià: & ſi cui Deus reuelaret illũ eſſe reprobũ, teneretur id velle, quod eſt cõtra propriã charitatẽ. ergo nõ obligamur in omni beneplacito Diuino nos cõformare.

Nota tũc teneremur nos cõformare, ſi præter notitiam beneplaciti Diuini præcepto obligaremur. *Probatur.* Scimus quòd in conſilijs Euangelicis eſt beneplacitum voluntatis Diuinæ, & tamen non tenemur nos votis Religionis obſtringere, quia nullum eſt Præceptum nos obligans

44. Dico quartò. *Non eſt neceſſariũ, vt ſingulæ noſtræ actiones morales ex charitate fiant, ſed ſolùm hypotheticè, ſi cupimus eas meritorias eſſe.* PROBATVR. Modus actionis non cadit ſub præceptũ, vt docet D. Th. *in 1. 2dæ. q. 100. a. 9* nam cùm quis in ſtatu peccati mortalis ſeruat ieiunia ab Eccleſia præcepta, aut Miſſam audit: talis dicitur adimplere præceptum Eccleſiæ de ieiunio & de Miſſa audienda quamuis enim Eccleſia cupiat hæc præcepta à fidelibus adimpleri in ſtatu gratiæ, tamen ad hoc non obligat niſi ad ſubſtantiã actionis. vnde modus actionis v. vt fiat in gratia, non cadit ſub præceptũ. Ad Argumenta reſpondetur.

Ad primum dico impium eſſe contrauenire voluntati Diuinæ, ſecundùm eandem rationem: ſed ſecundùm diuerſam non eſt impiũ quemadmodum cùm Iudex vult ciuem latronem mori, vxor latronis ciuis non eſt impia, cùm vult eum viuere.

Ad ſecundum dico diſparem eſſe rationem. nam Beati cognoſcunt in eo quòd Deus vult omnes fines particulares quos Deus intendit, & ideo cõformantur voluntati Diuinæ in vtroque volito: viatores verò non cognoſcunt omnes fines particulares, nec à viſione beatifica diriguntur vt Beati. *ſecundò* in nobis viatoribus affectus Compaſſionis cum triſtitia locum habet, in Beatis non habet, vnde diuerſa eſt ratio. Quomodo eſt impium contrauenire Diuinæ voluntati?

DISPVTATIO III.

De Bonitate ac Malitia Actuum Exteriorum.

Cùm à voluntate non ſolùm actus interni, ſed etiam externi producantur, de his ſex inquirenda proponimus.

1. *An Bonitas & Malitia priùs inueniatur in actu exteriori, quàm in interiori?*
2. *An tota bonitas & malitia actus exterioris dependeat à voluntate?*
3. *An ſit eadem bonitas & malitia actus interioris & exterioris?*
4. *An actus exterior addat aliquid de Bonitate & Malitia ſuper actum interiorē?*
5. *An euentus ſubſequens aliquid addat de bonitate & malitia ad actum exteriorē?*
6. *An idem actus exterior poſſit eſſe bonus & malus?*

QVÆSITVM I.

An Bonitas & Malitia priùs ſit in actu exteriori quàm in interiori?

Actus Exterior quinam ſit?

1. NOto primò, quidnam ſit *Actus exterior?* quemadmodum igitur per *actus interiores morales* eos intelligimus, qui à voluntate eliciuntur: ita nomine *Exterioris* quemlibet illum actum appellamus, qui ſit imperatus ſimul & ab intellectu & à voluntate, & à potentijs inferioribus productus. vt *velle furari* eſt actus interior, *tollere rem alienam* eſt actus exterior.

Noto ſecundò actum externum & internum voluntatis conſideramus, nõ vt ſunt vnum numero peccatum, nec vt ſunt vnus numero actus bonus in genere moris: ſed vt ſunt duæ actiones inter ſe realiter diſtinctæ. vnde ſenſus Quæſiti: *An bonitas vel malitia conueniat actibus exterioribus primò & per ſe, an verò per accidens, & quaſi dependenter ab actibus internis voluntatis.* Pro determinatione

2. Dico. *In actibus externis ſeu imperatis, reperitur bonitas aut malitia moralis.* Contrarium ſentit Agailarg. qui omninò negat externos actus eſſe bonos vel malos. ſed hæc eius opinio damnata eſt (vt refert D. Bern *epiſt. 180.*) PROBATVR. Bonitas vel malitia moralis maximè attenditur ex præcepto, & ex lege ſuperioris: ita quòd illud dicatur eſſe morale, quod prohibetur vel imperatur lege. ſed Diuinæ leges atque humanæ, non tantùm actus internos, ſed etiam externos deliberatos præcipiunt aut prohibent. ergo in externis actibus eſt bonitas aut malitia moralis. *Minor.* hæ leges *Honora patrem & matrem. Non occides. Non mœchaberis.* expreſsè loquuntur de actibus externis, nam non dicunt *Non velis furari. Non velis occidere*, qui ſunt actus interni: ſed prohibent *Non occides. Non furaberis*, qui ſunt actus externi. *Deinde* Leges tam Eccleſiaſticæ quàm Politicæ, potiùs ſunt de actibus externis quàm de internis. nam cùm Eccleſia, & quæuis alia Reſp. ſit viſibilis, vnde de his quæ ſunt externa iudicat. ergo in externis eſt bonitas aut malitia moralis. *Præterea* ſicut velle furari, qui eſt actus internus, eſt malus; ita ipſa actio externa furti eſt mala, & profectò maius eſt malum actio externa quàm interna. nam nõ ſic nocet proximo, cùm eum volo occidere, quàm cùm eum actu occido.

Actio Exter- na eſt maius malum quã interna.

Dico ſecundò quoad Quæſitum. *Bonitas & malitia quæ ſumitur ex fine, priùs conuenit*

conuenit actibus internis voluntatis quàm externis. PROBATVR. illi actui per-prius conuenit bonitas quæ eſt ex fine, qui habet immediatum ordinem ad finem. ſed actus voluntatis interior immediatè reſpicit finem, ſiquidem finis eſt immediatum voluntatis obiectum. ergo bonum & malum, quod eſt ex fine, perfectiùs conuenit actui interiori, qui eſt in voluntate, quàm exteriori. *Item* vna eademque eſt actio externa ieiunij, & hæc erit bona, ſi feratur in laudem Dei: erit mala, ſi reſpiciat vanam gloriam. ſed hæc bonitas & malitia, ex diuerſis finibus à voluntate intentis prouenit. ergo per pri⁹ actui interno conuenit.

Vna & eadē actio externa quomodo eſt bona & mala?

3. Dico tertiò. *Bonitas & malitia ſi conſideretur ex obiecto & circumſtantiis, inquantum hæc ſunt in apprehenſione & ordinatione rationis, tunc bonitas priùs eſt in actu exteriori quàm in interiori.* PROBATVR. Intellectus ſeu ratio, quando apprehendit actum interiorem, eundemq; voluntati repræſentat, tūc illum ipsū actum externum ſecundùm eam bonitatem aut malitiam quam in ſe habet repræſentat. ergo iſte actus exterior erit bonus aut malus, nullo interueniente actu interiori. *Antecedens mœchari, occidere, furari,* qui ſunt actus externi, proponuntur hæc à ratione voluntati noſtræ, aut vt acceptanda, aut vt fugienda. ergo actus externi ſine dependentia ab interiori habent in ſe aut bonitatem aut malitiam. *Deinde* ideo *velle furari,* & *velle occidere* eſt malum, qui ſunt act⁹ interni. quia furari & occidere, qui ſunt actus externi, ſunt mali.

Dico quartò. *Si conſideretur actus exterior inquantum eſt in genere moris effectus actus interioris, ſic bonitas & malitia priùs erit in actu interiori quàm in exteriori* PROBATVR. quia act⁹ exterior, vt ſic cōſiderat⁹ à volūtate tāquā à cauſa efficiēte pēdet. ergo erit poſterior. ergo bōitas aut malitia poſteri⁹ illi accidet.

QVÆSITVM II.

An tota bonitas vel malitia actus exterioris dependeat à voluntate?

Bonitas aut malitia in actu exteriori duplex.

4. DEterminatio Quæſiti non adeo difficilis, pro qua ſuppono. quòd bonitas aut malitia in actu exteriori duplex conſiderari poteſt: *quædam* eſt ex parte obiecti, ſeu ſecūdùm debitam materiam, & circumſtantias: *quædam* verò ſecundùm ordinem ac finem.

Dico primò ad Quæſitum. *Ad hoc vt actus exterior ſit bonus, non ſufficit bonitas voluntatis, quæ eſt ex intentione finis.* PROBATVR. vt aliquid ſimpliciter ſit bonum, non ſufficit vnum ſingulare bonum, ſed requiritur integritas cauſarum, quæ bonitatem conſtituant. ſed bonitas voluntatis ex intentione finis eſt vnum ſingulare bonum ergo non ſufficit ad conſtituendum actum exteriorem, vt ſit bonus.

Dico ſecundò. *Ad hoc vt Actus Exterior ſit bonus, neceſſarium eſt vt voluntas ſit bona, & ex obiecto proprio, & ex intentione finis, & ex debitis circumſtantiis.* PROBATVR.

Bonum non niſi ex integra prouenit cauſa.

BATVR. Quia bonum non niſi ex integra cauſa prouenit, Sed hæ cauſæ Intentio, Finis. Obiectum, circumſtãtiæ, ſunt cauſæ actionum. ergo illarum concurſus conſtituit bonitatem actus.

5. Dico tertiò. *Si Voluntas ſit mala, ſiue ex actu volito, ſiue ex intentione finis, etiam actus exterior proueniens ex illa erit malus.* PROBATVR Ad hoc vt aliquid ſit malũ ſufficit ſingularis defectus. Caietanus hic mouet quædam dubia quæ parùm vtilitatis videntur habere, niſi quis obiiciat: quòd actus bonitatis ſiue ex fine, ſiue ex obiecto dependeat, quòd non à voluntate, ſed à ratione proueniat. *Probatur* Illud enim op⁹ bonum diximus, quod eſt rectæ rationi conſonum, illud vero malum, quod eidem rectæ rationi repugnat. Ergo ex ratione ſumit bonitatem. *Reſpondeo* Actionum humanarum duplicem eſſe regulam: *Prima eſt.* eademque remota ratio à qua tanquam à prima Regula omnis operatio dependet: *ſecunda* eſt proxima & immediata, & talis eſt voluntas ad quam tanquam ad proximam & immediatam Regulam actiones ſunt referendæ.

Humanarum actionum regula duplex.

QVÆSITVM III.

An eadem ſit bonitas vel malitia actus exterioris vel Interioris?

6. SVppono *Primò* in præſenti Quæſito conſideramus Act⁹ Internos & Externos, tam bonos quàm malos, vt inter ſe proximè & immediatè coniunguntur. Nam ſi inter ſe ab inuicem ſeparentur, certum eſt aliam eſſe bonitatem vel malitiam, actus Interioris ab Exteriori. nam actus eſt Interior, cum quis conſtituit occidere, & ſublata hac intentione, ſi poſtea de facto occidat, huius actus Exterioris, erit diuerſa malitia à priori qui erat in Intentione. *Probatur* Quia hæc actualis occiſio cum illa quæ fuit in intentione, & poſtea fuit ſublata: nullam habet connexionem.

Suppono ſecundò Actus Interior & Exterior, conſideratus in genere naturæ ſeu Entis, eſt diuerſus. ſed conſideratus in genere moris, eſt vnus actus propter vnam voluntatem à qua dependet

Actus Interior & Exterior quomodo eſt diuerſ⁹ & quomodo vnus

Suppono tertiò D Th. hic dicit, quòd actus Interior ſumit ſuam bonitatem ex fine. Actus autem exterior ſumit ex obiecto, & ex circumſtantijs. His notatis.

Vnde ſumat Actus interior & exterior ſuam bonitatem.

7. Dico ad Quæſitum. *Si conſideremus Bonitatem aut malitiam quam ſumit Actus Exterior ex fine, tunc illius eadem erit bonitas vel malitia cum actu interiori.* PROBATVR. Medicina ideo dicitur eſſe ſana, quia ordinatur ad ſanitatem animalis. ergo etiã & actus exterior, quando ordinatur ad finem actus interioris, eandem cum illo bonitatem habebit. *Confirmatur* Sicut enim in Medicina, non eſt alia ſanitas quæ ſit diſtincta à ſanitate animalis, ſed eadem eſt intrinſecè in animali, extrinſecè per denominationem in medicina:

cina: ita & in actu exteriori in quantũ eſt bon⁹ ex fine non erit diſtincta bonitas ab actu interiori, ſed in actu interiori erit intrinſecè, in actu exteriori per extrinſecã denominationẽ, de qua inferiùs. ergo vtriuſque actus vna bonitas conſiderata ex fine.

Dico ſecundò. *Si autem conſideretur bonitas vel malitia actus exterioris in quantum illam ſumit ex obiecto, & ex circumſtantijs, iam erit diuerſa à bonitate vel malitia actus interioris.* PROBATVR. Hæc talis bonitas vt ſumitur ex obiecto & Circumſtantijs, conuenit actui exteriori ſecundùm ſe, & non ex intentione finis. ergo vt ſic non erit eadem bonitas vel malitia actus exterioris cum interiori.

8. *Quæres* An hi duo actus vnum peccatũ vel duo conſtituant? Gabr. *in 2. diſt. 42. q. vnica.* affirmat eſſe duo ſed hæc eius Opinio non tenetur? vnde Dico *Actio interna & externa ſimul vnum opus numero conſtituit in genere boni vel mali, & ideo non ſunt duo, ſed vnum peccatum: vt cum quis actu furatur*: Ita D. Th. Bon. Rich. Dur. Capr. *Probatur* Quamuis enim actio Interna conſiderata phyſicè & in genere naturæ ſeu Entis differat ab Externa. vtraq; tamen actio moraliter ſumpta vnum Ens conſtituit. Sicut enim ligna lateres, cæmentum, inter ſe phyſicè conſiderata, ſpecie aut genere differunt: tamẽ quia hæ ad vnũ totum, v ad ædificium conſtituendum referuntur, & vnam exſiſtentiam totalem habẽt, idcirco in genere Entis artificialis ſunt vnum: ita quamuis alia ſit Entitas ſingularis & propria actionis internæ, & alia externæ in genere Entis, tamen in genere moris vna eſt bonitas aut malitia quæ ex vtraque actione conſurgit.

Ratio ſecunda. Hæ duæ actiones in genere moris conſideratæ referunt ad ſe inuicem bonitatem aut malitiã ergo vnum opus conſtituunt. *Antecedens* Actio Externa, bonitatem quæ eſt ex fine non poteſt participare, niſi per actionem internam: & actio interna non poteſt bonitatem participare quæ eſt ex obiecto, niſi per actionem Externam: nam ſunt Entia per aggregationem.

Ratio tertia. Vtriusque actus tam Interioris quàm Exterioris eadem eſt libertas, idem motiuum, eadem rectitudo ſeu conformitas ad legem ſuperioris. ergo eadem quoque bonitas & malitia, vtriusque actus.

9. *Obiicies* vna eademque numero Forma non poteſt reperiri in duobus ſubiectis realiter inter ſe diſtinctis Sed bonitas vel malitia eſt vna numero forma, quomodo igitur dicetur de Actibus Internis & Externis? ſiquidem hi realiter diſtinguuntur. *Reſpondeo* quòd bonitas aut malitia de actibus Internis dicitur intrinſecè, de externis verò extrinſecè, vnde vna erit forma, ſed quæ in vno ſubiecto eſt per modum informationis, in alio autem per modum denominationis extrinſecè: vt ſanum in animali eſt intrinſecè per modum informationis, in medicina per modum denominationis extrinſecæ. Bonitas aut malitia dicitur de actibus internis intrinſecè de externis extrĩſecè.

Quòd verò hi duo actus vnum cõſtituant & non duo. *Probatur* Secundùm Ariſt. *2 Topic. cap. 2. Vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantùm.* Sed actus exterior eſt bon⁹ vel malus propter actum interiorem. ergo vnũ eſt peccatum *Deinde* Tam actus interior quàm illi coniunctus exterior, vno præcepto prohibentur, vt: *Non occides. Non mœchaberis.* Similiter eodem præce-

præcepto vterque hic actus præcipitur vt *Honora parentes, Sabbatha ſanctifices.* Ergo vnum peccatum conſtituunt. *Item* Actus Internus & Externus vnã totalẽ malitiã aut bonitatẽ complet, ita vt Intern⁹ ordineturad Externũ. ergo vnũ cõſtituunt peccatum.

Actus Exteriores quotupliciter dicãtur boni vel mali? *Quæres* An Actus Exteriores tantũ dicantur boni vel mali per extrinſecam denominationem? *Reſpondeo* dici bonos vel malos tripliciter (vt Medina obſeruat) *primò* Formaliter & intrinſecè, in quantũ ſunt conformes aut difformes rectæ rationi, vt ſupra notauimus: *ſecundò* Cauſaliter in quãtum in actu interiori, bonitatem aut malitiam cauſant. nã *velle ſurari* ideo malum, quia actuale furtum eſt malũ *tertiò* per denominationẽ extrinſecã tunc autẽ sũt ita ſunt boni vel mali, à bonitate vel malitia quæ eſt in voluntate, quãdo in vſu ſunt & in exercitio. Nam actus exterior non dicitur liber, niſi à libertate voluntatis; nec dicitur meritorius aut demeritorius, niſi etiam à voluntate.

QVÆSITVM IV.

An Actus exterior addat de bonitate ſua vel malitia ad Actum Interiorem?

10. TRibus Dictis doctrinã *art. 4.* complectar, & tandem difficultatem reſoluam. Dico primò *Bonitas vel malitia Actus Exterioris quam habet ex fine, nihil addit ad bonitatem vel malitiam Actus interioris, niſi contingat ipsã voluntatem ſecundùm ſe fieri meliorem in bonis, vel peiorem in malis,* quòd quidem tripliciter contingit. *Primò* ſecundùm numerum vt cum quis bono fine vel malo fine vult aliquid facere, ſed tamen tunc non facit, poſtea verò vult & facit; & ſic duplicatur Actus volũtatis, eſtque duplex bonum vel duplex malum *ſecundò* ſecundùm extenſionem vt cum vsque ad complemẽtũ operis exterioris cõtinuatur actus interior, vt cum quis vult aliquid facere bono fine vel malo, & tamen propter impedimẽtũ interueniẽs deſiſtit; alius autem inclinat motũ voluntatis quousque opus perficiat: & talis voluntas eſt diuturnior in bono vel in malo; & ſic aut eſt peior aut melior: *tertiò* ſecundùm Intentionem vt ſi propter delectationem quam aliquis ex actu exteriori percipit intẽdat actum Interiorẽ. nam actus qui magis sũt delectabiles, aut magis pœnoſi, magis etiã voluntatẽ intendũt.

Tripliciter contingit, ipsã voluntatẽ ſecundum ſe fieri meliorẽ in bonis vel peiorem in malis.

Dico ſecundò. *Bonitas vel malitia Actus Exterioris quam habet ex obiecto & debitis circumſtantijs, ſic iam addit ad bonitatem vel malitiam actus Interioris.* PROBATVR Ab eo aliquid habet bonitatẽ à quo accipit perfectionem Sed act⁹ Exterior ſic ſumptus perficit Interiorem: nam ſecundùm eum inclinatio voluntatis perficitur, ad conſecutionem finis ſeu termini ſui. ergo addit bonitatem aut malitiam.

11. Dico tertiò. *Si contingat voluntatem ſine opere eſſe perfectam & efficacem, quòd vellet op⁹ aliquod externum producere, ſed ob defectum poſſibilitatis, aut aliud impedimen-*

pedimentum, opus intermittit; talis voluntas tantundem præmij aut pœnæ meretur, quantum ſi opus ipſum produxiſſet. PROBATVR. Quia hic defectus eſt ſimpliciter inuoluntarius. Sed inuoluntarium ſicut nec meretur præmiũ, nec pœnam in operando bonum vel malum: ita deſiſtendo ab operando bonum vel malũ nihil diminuit de præmio nec de pœna.

Sed hoc Dictum propter Scotum in quodlib. quæſt. 48. eſt controuerſũ. Cõtrarium enim his rationibus ſuadet. *Prima* Quæcunque diſtinctis præceptis præcipiuntur aut prohibentur habent diſtinctam bonitatem vel malitiam Sed actus exterior, vt furari, prohibetur hoc præcepto *Non furaberis.* & actus interior, videlicet *Non velle furari.* prohibetur hoc præcepto *Non concupiſces rem proximi.* ergo habent diſtinctam malitiam aut bonitatem *Deinde* D. Aug. de Trin. *lib 13. cap. 5.* dicit *Hominem fieri miſerũ, malâ voluntate; deteriorem autem quotieſcunq; malã iſtã voluntatẽ ad effectũ deducit.* *Præterea* ſi Actus Exterior mal⁹, nullam adderet malitiam ſupra actum interiorem non eſſet neceſſe in Confeſſione actus exteriores exprimere: nam ſola peccata in Confeſſione Sacramentali ſunt exprimenda. Sed experientia eſt teſtis, quòd in foro Cõſciẽtiæ act⁹ externi mali sũt adducẽdi ſecundùm ſuas circumſtantias. ergo ſignum eſt euidẽs, quòd actus exterior addit aliquam malitiam actui interiori

12. Hoc non obſtante cum D. Th. Greg. *in 2. diſt. 42.* cum Dur. & alijs recentioribus tenemus contrarium. Pro cuius determinatione.

Dico primò *Quando Actus Externus tam bonus quàm malus eſt immediatus coniunctus interiori, tunc Actus externus, nullam addit bonitatem aut malitiam ſupra actum interiorem.* PROBATVR Quia nulla bonitas aut malitia datur in actu Exteriori, quæ ſit diuerſa ab ea quæ reperitur in actu interiori. *Confirmatur* Quælibet enim bonitas aut malitia à libertate voluntatis, & ab aduertentia ad legem Superioris prouenit: & cum datur de nouo aliqua bonitas aut malitia, neceſſe eſt dari nouam libertatem, & nouam aduertentiam ad Regulam Superioris. Sed in Actu externo qui ſit coniunctus cum Interno, non datur noua libertas, neq; noua aduertentia ad legem Superioris. ergo aut vna erit bonitas aut malitia. *Deinde* Ratio meriti ex gratia præueniente eademq; efficaci cum conatu voluntatis noſtræ prouenit. ſed hæc intrinſeca ſunt actioni interiori & ſolùm per extrinſecam denominationem dicuntur de Exteriori. ergo actus externus vt ſic coniunctus cũ Interiori, nihil addit ſupra bonitatem aut malitiam actus interioris.

13. Dico ſecundò. *Si Actus Internus ſit eiuſmodi qui efficaciter voluit actum externum producere, ſed aut impotentia viriũ aut alia violentia externa ſit prohibitus, tũc ita meritum aut demeritum incurrit, ſicut ſi actum ipſum externum produxiſſet* PROBATVR locis S. Scripturæ. *Geneſ. 22.* ad Abrahamum dicitur: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuũ.* Hæc oblatio ſola voluntate Interiori fuit peracta, & tamen ſic commẽdatur à Deo ac ſi opere externo fuiſſet completa *Lucæ 22.* Duo æra minuta quæ vidua paupercula obtulit. anteponit Dominus largitioni factæ à Principibus Iudæorũ, quæ largitio illorum longè fuit maior quo

ior quoad actū exteriorē. Ergo volūtas eius & act⁹ interior reputatur lōgè maior actu Iudæorū Externo. Ita tenēt SS. Patres. D. Chryſoſt. *homil. 26 in Matth Sola voluntas remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo. Opera verò externa, ſunt ſigna huius voluntatis.* Et D. Bern. *epiſt. 27. Voluntas pro facto reputatur, vbi factum excludit neceſſitas.* Et ita paſſim Patres loquuntur quòd opera externa non ſunt peccata, niſi fuerint liberè à voluntate operante facta.

Sed obiicies. Si Actus Externus nec bonitatem nec malitiam addit interiori: & ſi voluntas efficax pro actu reputatur, vt quid à Deo præcipitur? *Reſpondeo* ideo præcipi vt voluntas in opere externo exardeſcat. nam actio externa poteſt excitare voluntatem, vt ſtudio & conatu vehementiori operetur.

14. Dico ſecundò *Quando dicitur quòd* Voluntas reputatur pro facto, *id ita intelligatur, vt ſit perfectè efficax, & quæ feratur quantum in ſe eſt, & quantum opus, in actum Externum; ita vt nullus ſit defectus ex parte voluntatis, ſed ſolùm quòd ab aliquo externo, aut ab impotentia virium impediatur; & ſic voluntas eſt efficax, etiamſi effectum non producat. Sed ſi voluntati datur facultas operandi, & non operatur, non eſt efficax, ſed eſt* Velleitas *& ideo pro facto, non debet reputari.*

Ad Argumenta Scoti Dico. *Ad primum.* negando Sequelam, quòd ea quæ diſtinctis præceptis prohibentur habeant diſtinctam malitiam. niſi forſan præcepta ad diuerſas virtutes trahant. nam furtum ſiue lege Diuina, ſiue ciuili prohibeatur, vbique eandem malitiam habet. *Deinde* dico idcirco his præceptis *non mœchaberis: non concupiſces, &c.* prohiberi non ſolū actum externum, ſed etiam voluntatem actus, ne quis arbitretur motum concupiſcentiæ exardeſcentem, non eſſe peccatum.

Ad D. Aug. authoritatem dico Intelligendam eſſe de actibus ſeparatis, cùm nos interim loquamur de coniunctis. nam actus Exterior coniunctus Interiori omnem malitiam ab interiori ſumit. *Actus ſūt duplices ſeparat. & coniūcti.*

Ad tertiū. Dico in Cōfeſſione ideo Actus Externos manifeſtandos eſſe, quia ex actu interno aut externo vnū numero peccatum mortale conſurgit: *Secūdò* quia poenitenti debita ſatisfactio iniungenda eſt, quòd fieri nequit ſine manifeſtatione operis externi, nam ex eo ſæpenumerò damna, ſcandala ſequuntur. vnde inducunt reatum ſeu obligationem ad ſatisfaciendum proximo.

15. *Sed obiicies.* Ille eſt verè Martyr qui ſanguinem fundit pro Chriſto. mors enim videtur eſſe de Eſſentia Martyrij. ergo mors pro Chriſto, eſt melior Actus, quàm qui ſolū voluntatem habet, *Reſpondeo* ita communiter teneri quòd voluntas moriendi pro Chriſto tam præclara & laudabilis eſt, etiamſi non datur facultas moriendi, atque ſi ipſum martyrium opere conſummatum fuiſſet, vnde D. Hieron. contra vigilantium dicit *Deū in Martyribus ſolam voluntatē coronare.* Et Eccleſia de S. Martino canit: *O ſanctiſſima anima quā etſi gladius perſecutoris nō abſtulit. palmā tamē Martyrij nō amiſit.*

Quantum ad Laureolam Martyrij dico, hanc ſolùm his dari qui martyrium opere conſummarunt. Sed hæc ad præmium accidentale ſpectat, nō autem ad Eſſentiale, quod in viſione Dei conſiſtit.

Obijcies ſecundò Recipere Baptiſmū abſolutio-

abſolutionem peccatorum, Euchariſtiam: meliùs eſt quàm velle recipere. *Reſpondeo* quòd hæc ex parte operantis conſiderata, æqualem bonitatem & meritum habent, ſed conſiderata vt ſunt actus ſuſcepti; tum ex opere operato conferunt gratiam, vnde meliùs eſt ſuſcipere actu Sacramenta quando eſt opportunitas, quàm velle ſuſcipere.

16. *Obijcies tertiò.* Illud eſſe grauius quod opere completur eo, quod ſolùm mente fit per conſenſum deliberatum. *Reſpondeo* quòd actuale homicidium eſt grauius peccatum, quia eſt cauſa damni irreparabilis. Sed ex eo dicimus non ſequi, quòd ſit maior actus interior. quia damnum quod ex opere completo eſt ſubſecutum nō imputatur ad peccatū: niſi ratione actus interioris: & ſi quis inuoluntarius intulit damnum, vt furioſus nō peccabit, nec tenetur ad reſtitutionē vnde malitia damni ſubſecuti, in voluntate eſt conſtituta, vnde eandem pœnam apud Deum incurrit, qui vult efficaciter inferre damnum, quàm qui actu intulit.

Obijcies quartò. quomodo voluntas illa efficax quæ non aſſequitur ſuum finem dici poſſit perfecta, quādoquidem realiter nō conſequitur bonum? *Reſpondeo* nihilominus eam voluntatē eſſe perfectam: duplex enim eſt perfectio: *quædam* eſt moralis quæ ex libero arbitrio & ex intentione actus, & ex obiecto prouenit: quædam verò eſt Naturalis in quantum propenſio voluntatis in bonum eſt quidam motus realis: ſicut lapidis eſt motus ad centrum. *Vnde* Dico. Voluntas quæ eſt efficax, etiamſi bonum non fuerit conſecutum, ideo quòd non ſit facultas uel opportunitas operandi in genere moris, eſt perfecta nec detrimētum in præmio, nec in pœnæ diminutione patitur: quia hic defectus, non eſt voluntarius, vnde non poteſt voluntatem facere imperfectam. ſed in genere naturæ non eſt perfecta: quia realiter non aſſequitur id quod deſideratur. Perfectio duplex moralis & Naturalis.

QVÆSITVM V.

An Euentus ſequens addat ad bonitatem vel malitiam voluntatis?

17. AD Quæſitum tribus propoſitionibus reſpōdeo: Prima Propoſitio. *Euentus ſequens ſi eſt præuiſus, addit ad bonitatem vel malitiam actus.* PROBATVR. ſi aliquis cogitans præſciat quòd ex hoc ſuo opere, multa mala ſunt ſubſecutura, & illud opus non dimittit, manifeſtum eſt, quòd ex his malis voluntas eius magis inordinata. *Similiter* ſi quis præuideat, quòd ex ſuo actu multa bona ſubſequi poſſunt, & ſi illud non dimittit, conſtat quòd illa bona voluntatem eius magis ordinatam efficient. ergo euentus vt præuiſus addit bonitatem vel malitiam ad actum.

Propoſitio ſecunda. *Euentus ſubſequens ſi non eſt præuiſus, ſed qui per ſe ſequatur, ex tali actu, vt plurimùm, tunc ad bonitatem vel ad malitiam actus addit.* PROBATVR, quia ex tali actu bono nata

ſunt

ſunt bona plura ſequi, & ex tali actu malo, poſſunt quoq; per ſe plura mala ſubſequi.

Propoſitio tertia. *Euentus ſubſequēs ſi non eſt præcogitatus, & qui ſolùm per accidens ex tali actu ſubſequitur, & non frequenter, ſed in paucioribus, tunc ad bonitatem aut malitiam actus nihil addit.* PROBATVR. Iudicium enim de illa re quę eſt ſecundùm accidens, non poteſt dari, ſed ſolùm de illa, quæ eſt ſecundùm ſe. Pro ſufficientia & complemento primæ Propoſitionis

18. *Nota* non ſatis eſſe vt euentus ex actu ſubſecutus ſit præuiſus, ſed etiā vt ſit intentꝰ. aut ſi ſit euentꝰ volitus, tunc aut eſt directè intentus? quia vult eum ſequi: aut interpretatiuè? vt ſi euentus non ſit intentus, ſed in eo nobis complaceamus: vt ſi mulier ad Sacrum audiendum eat, & non intendat vlli eſſe ſcandalum, & interim ſi fiat, & in eo ſibi complacet. vel interpretatiuè volitus euentus eſt, quando ex charitate teneor cauere, & poſſum & non caueo. vt ſi quis furioſo det gladium, quo ille cōplet homicidium, tunc homicidiū illi qui gladiū porrexit imputatur. quia ex charitate tenebatur non porrigere. *Similiter* de muliere dicendum, ſi ſciat ſua forma ſe multis in ruinam fore, quòd hæc, vt quidam tenent, ſi modo ſine cauſa prodeat, mortaliter peccat. ſin verò neceſſitate, aut cauſa legitima cōpulſa exeat, dicūt eam non peccare. nam malitia alterius non debet eſſe grauamen bonis. ſed ſecuriùs eſt vt dicamus. ſi ruina & ſcandalum ſequeretur ex illius conſpectu, talis mulier nunquam in publico ornata, ſed ſemper velata facie compareat, vt ſi ad Miſſam audiendam exeat, aut alia negotia alio tempore domi incluſa operetur. *væ enim illi per quem fit ſcandalum.*

Malitia alterius non debet eſſe grauamen bonis.

QVÆSITVM VI.

An idem Actus exterior poſſit eſſe bonus & malus?

Actus idem numero nō poteſt eſſe ſimul bonus & malus.

19. PRo reſolutione Quæſiti dico primò. *Actus idem numero ſiue interior ſiue exterior in genere moris conſideratus, non poteſt ſimul eſſe bonus & malus.* PROBATVR. *Non poteſtis Deo ſeruire & māmonæ.* ſeruire Deo eſt actus bonus, ſeruire māmonæ eſt actus malus. & dicitur *non poteſtis.* ergo idem numero actus non poteſt eſſe ſimul bonus & malus. 2. Corinth. 6. *Quæ conuentio lucis ad tenebras? quæ participatio iuſtitiæ cū iniquitate? Deinde* Bonitas & malitia (vt ex ſuperioribus notum) ſunt differentiæ oppoſitæ & eſſentiales actionum humanarum. ſed impoſſibile eſt, quòd duæ differentiæ oppoſitæ eædē eſſentiales, ſint ſimul in vna eademq; re. ergo vna actio moralis non poteſt eſſe bona & mala ſimul.

Sed obijcies. vnꝰ actꝰ includit in ſe actionē & paſſionē. atqui fieri poteſt, quòd vnius actꝰ, v. Paſſionis Chriſti, ſit actio mala, vt in Iudæis, & paſſio ſit bona, vt in Chriſto patiētē fuit. ergo idē actus poteſt eſſe bonꝰ & malus.

Reſpondeo cum S. Doct. a. 6. hic, quòd Actio & Paſſio ea ratione ad genus moris ſpectant, in quantum includit rationem voluntarij, vbi autem ſunt diuer-

diuerſæ voluntates, iam Actio & Paſſio pro vno actu morali non debet cō putari, ſed pro duobus. & ſic alia fuit voluntas Iudæorum, ex qua actio mala ſequebatur & alia Chriſti Domini, ex qua paſſio bona ſubſecuta.

Idem actus exterior prout à diuerſa voluntate egreditur poteſt eſſe bonus & malus.

Ex quo collige. quòd idem actus exterior prout à diuerſa voluntate egreditur, ob diuerſam voluntatem poteſt eſſe bonus & malus. vt ſi Dominus, qui eſt in ſtatu gratiæ, faciat eleemoſynam per manus ſerui, qui eſt in ſtatu peccati, actus eleemoſynæ diuerſo reſpectu erit bonus & malus. idem accidit ſi moriens in teſtamento hæredibus præcipiat, vt pia opera pro redemptione peccatorum illius faciant, & illi ob vanam gloriam fecerint: aut ſi Sacerdos in peccato mortali exiſtens, Sacrificium offerat, ſed nomine Chriſti & Eccleſiæ; Sacrificium diuerſo reſpectu erit bonum & malum.

20. *Sed quæres?* an aliquod opus poſſit eſſe ſimul meritorium & demeritorium? *Et ratio dubij eſt*, quia exceptis viris perfectis, reliqui qui non ſunt tanto feruore charitatis prædìti, cùm aliqua pia opera exercent: vt cùm fūdunt preces, vix fieri poteſt, vt non aliquæ maculæ, aut ex negligentia, aut ex concupiſcentia ſuboriantur. ergo iā illa opera ſuā mercedē amitterent, quòd quidem duriſſimum eſt.

Nullus actus poteſt eſſe ſimul meritorius & demeritorius.

Reſpondeo nullum actum poſſe ſimul meritorium & demeritorium eſſe. Hieremiæ 48. *Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter.* ergo qui ſingulare opus exercet, ſed negligenter, non meritum ſed maledictionem meretur. Caiet. *in Opuſc. 17 qq.* concludit, quòd in eodem actu meritum & peccatum veniale nō poſſit reperiri. nam nemo peccando meretur.

Dices veniale non contrariatur charitati, vnde eo mereri poſſumus. *Reſpondeo*, quòd nullus peccando meretur. Cùm verò dicitur *veniale non contrariari charitati* dico hoc eſſe verum, & ea de cauſa non tollit à perſona meritum, nec Deo inimicum facit; ſed ab actu quem veniale afficit, tollit meritum vitæ æternæ.

Dico ſecundò. *Idem numero actus in genere naturæ ſiue Phyſicè conſideratus, poteſt ſucceſſiuè bonitatem aut malitiam moralem acquirere, & qui prius fuit bonus, poſtea poteſt eſſe malus.* PROBATVR. quia idem numero actus phyſicè conſideratus, poteſt per aliquod ſpatium noſtri temporis durare, vt per horam aut ſemihoram. ergo in hoc ſpatio poterit acquirere diuerſas rationes aut circumſtantias, propter quas ex bono fiat malus, & ex malo bonus: etiamſi vnus & idem in genere naturæ exſiſtat, v. g. ſi quis habeat actum voluntatis veſcendi carnibus, eo tempore quo eſt licitum, eſt actus bonus: tandem ſi eundem actum continuet vſq; ad tempus, quo vſus carnium prohibetur, erit malus. ergo idē actus phyſicè, modò bonitatem, modò malitiā moralem acquirit. ſit igitur certum, quòd *idem actus in genere moris non poteſt eſſe ſimul bonus & malus: ſed in genere naturæ de bono poterit eſſe malus, aut è contra.*

DISPVTATIO IV.

De his quæ ſequuntur bonitatem vel malitiam actuum humanorum.

In

1\. IN hac Diſputatione inquirimus de Proprietatibus, quæ actus humanos tam bonos quàm malos conſequuntur. Angelicus Doct. quatuor articulis doctrinã de his proprietatibus eſt cõplexus, nos omiſſa multiplicitate Quæſitorũ rem ipſam quinq; Dictis determinamus.

Dico primò *ſex ſunt proprietates actuũ humanorum: Rectitudo, Obliquitas, Laus, Vituperium, Meritum, & Demeritum: & hoc etiam meritum ac demeritum reſpectu Dei conſideratur.* PROBATVR. omnis actus aut eſt bonus aut malus, ſi eſt bonus, habebit has proprietates, Rectitudinem, Laudem, Meritum, etiam in ordine ad Deum: ſi eſt malus, tres itidem habebit oppoſitas, Obliquitatem, Vituperium, Demeritum, etiam reſpectu Dei.

Dico ſecundò. *Actus humanus ex hoc quòd ſit bonus, habet rectitudinem, ex hoc quòd ſit malus, habet obliquitatem ſeu peccatum.* PROBATVR. Actum enim illũ bonum eſſe concipimus & iudicamus, qui rectæ rationi & legi æternæ eſt conformis, & ſic rectitudinem habet: ſimiliter illum actum eſſe malum, qui & à recta ratione, & à lege æterna diſcordat, & ſic habet obliquitatem.

Dico tertiò. *Cùm homo per ſuam voluntatem ſit dominus ſuarum actionum, idcirco in ſolis voluntariis actibus laus & vituperium conſiſtit*: ſi enim actum bonum ex libera ſua poteſtate operabitur, laude dignus erit: ſi autẽ actũ vitioſũ exercebit, quẽ ex libertate voluntatis vitare potuit, reprehenſione dignus erit.

Nota ea quæ ſunt neceſſaria & naturalia, non mereri laudem nec reprehenſionem. *Probatur.* quia ſola illa opera merentur laudem aut reprehenſionem, quæ ex libero arbitrio procedunt.

2\. Dico quartò. *Actus bonus habet rationem meriti, malus verò habet rationem demeriti.* PROBATVR. quoduis enim meritum aut demeritum ordinatur ad retributionem, quæ fit ſecundùm iuſtitiam, hæc autem retributio ex eo fit, quando actus quem quis operatur, cadit in bonum aut in nocumentum alterius. vnde ſi illud bonum aut malum, quod quis operatur vergat directè in bonum aut malum totius ſocietatis, principaliter debetur retributio à tota ſocietate, ſecundariò à reliquis partibus quæ ſunt in ſocietate. ſi autem ſingularis perſona aut iuuatur, aut læditur, tunc primariò debetur retributio à ſingulari perſona, ſecundariò à ſocietate, cuius eſt pars.

Dico quintò. *Actus humani tam boni quàm mali, habent rationem meriti vel demeriti apud Deum, duplici de cauſa. Prima* Deus enim eſt vltimus finis. ergo cõueniens eſt immo debitum, vt ad Deũ tanquam ad vltimum finem ordinentur actiones, & ſi ordinantur, important meritum; ſi non, incurrunt demeritum. *ſecunda Cauſa* quia Deus eſt Rector vniuerſi, ſed ſicut ad Rectoré cuiuſlibet communitatis ſpectat, vt pro his retribuat, quæ in communitate benè aut malè fiunt. ita ſimiliter ad Deum totius vniuerſi Rectoré retributio ſpectabit.

Ex quo collige. qui actum malum facit, Deum honore priuat, quia ad eũ tanquam ad vltimum finem omnia referri debent. & quamuis ex actibus noſtris malis nihil Deo decedat, qui eſt & fuit ante ſæcula glorioſus, & nihil illi ex bonis operibus noſtris accreſcit: in eo tamen grauis eſt offenſa Dei, quia ordo, quem ille inſtituit, nõ ſeruatur. Et hucuſq; de Bonitate & Malitia actuum humanorum.

IN TRA-

IN TRACTATVM DE VOLVNTARIO ET INVOLVNTARIO

PRÆFATIO.

CVm ex communiſsimis Circumſtantijs Actuum humanorum, quibus tanquam paſsibus vltimum finẽ, v. *Æternam Beatitudinem* conſequimur, *Voluntarium* ſit vnum: de hoc in præſenti agendum eſſe duximus: actus enim illi vere cenſentur eſſe hominis, qui ſunt Voluntarij. nam voluntas, quæ eſt Appetitus Rationis, eſt propria hominis,& ab hac tanquam à radice *Voluntarium* conſurgit. & ratio meriti & demeriti, quæ in omni actione humana reperiri debet, prorſus exſtinguitur, ſi voluntas non acceſſerit. In hoc Tractatu ſummè quidem neceſſario ad exactam cognitionem actionum humanarũ habendam, ſed non adeò difficili, quantá maximâ poterimus, breuitate vtemur.

DIVISIO TRACTATVS.

Angelici Doct. vt doctrinam ita & ordinem ſequemur: in cuius doctrina, quia ordo hic relucet vt de Actibus humanis, primò in vniuerſali: tandem in ſpecie dupliciter agat, idcirco huius Tractatus tres erunt primariæ partes.

1. *De Actibus voluntatis in communi*
2. *De Actibus in ſpecie, qui ſunt ad finem, & hi ſunt tres,* velle, Intendere, Frui.
3. *Pars erit de Actibus qui ſunt circa media, & hi ſunt præcipui* Conſilium, Electio, Deliberatio, *& de his tribus inpræſenti Tractatu explicatio inſtituenda.*

PARS I.

In hac parte prima duo attingemus, vnde duæ erunt Diſputationes,

1. *De Voluntatio & Inuoluntario.*
2. *De Circumſtantijs.*

DISPVTATIO I.

Octo quæſita habebit.

1. *An Voluntarium reperiatur in Actibus humanis?*
2. *An ſit in brutis animantibus?*
3. *An poſſit eſſe abſq; omni actu?*
4. *An violentia voluntati poſſit inferri?*
5. *An violentia cauſet Inuoluntarium?*
6. *An metus producat Inuoluntarium?*
7. *An ſimiliter concupiſcentia?*
8. *An denique ipſa ignorantia?*

QVÆSITVM I.

An voluntarium in actibus humanis reperiatur?

Voluntariũ quid? 1. PRo reſolutione non ſolùm præſētis Quæſiti ſed etiam ſequētium *Suppono Primò* ſecundum D.Th. hic & Ariſt: 3. *Ethic cap. 1.* volũtariũ eſſe quod procedit ab intrinſeco cum cognitione finis. *Probatur*. Hæc enim duo in eo qui operatur voluntariè ſunt neceſſaria, vt in ſe habeat principium Intrinſecum, v. voluntatem, & cum cognitione finis. Ergo hæc duo in definitione voluntarij eſſe debēt. *Deinde,* Mo-

Motus voluntarius à naturali diſtinguitur dupliciter.

Deinde. Mot⁹ volũtari⁹ à naturali hoc diſtinguitur. *Primò* quia motus voluntarius requirit cognitionem in eodẽ agente: naturalis verò vt in motu lapidis, ab alio cognoſcente in finem dirigitur. *ſecundò*, quia motus voluntarius eſt operatio appetitus intellectiui aut ſenſitiui conſequens cognitionem: naturalis verò non eſt operatio, ſed naturæ inclinatio, aut ſi eſt operatio, non eſt ex cognitione, ſed ex naturæ inclinatione. hoc tamen voluntarium reſpicit obiectum tanquam aliquod principium extrinſecum. nam operari non poſſet niſi illi aliquod obiectum proponeretur.

Spontaneũ voluntariũ & Liberum quomodo inter ſe differant.

2. *Suppono ſecundò* Spontaneũ, Voluntarium & Liberum differre inter ſe. *Spontaneum* eſt *in 3 Ethic. c. 1.* cuius principium eſt in ipſo agente, & ſic ſpontaneum eſt in inanimatis, vt in metallis, in lapide, quæ à grauitate deorſum, tanquam à principio intrinſeco mouentur: eſt in animatis, quia ab appchenſione intrinſeca motus producunt: eſt in hominibus, quia intra ſe habent principium actionum: eſt in Diuinis, quia Diuinæ Perſonæ ſpontaneè ab intrinſeco principio intellectus & voluntatis procedunt.

Voluntariũ eſt quod à voluntate tã quam à principio intrinſeco procedit cum cognitione finis. Liberũ quod ab eadem voluntate oritur ſed vt indifferẽs ad agendũ vel non agendum.

Voluntarium eſt illud, quòd à voluntate procedit tanquam à principio intrinſeco, cum cognitione finis. *Liberum*, quod ab eadem voluntate oritur, & inquantum eſt indifferens ad agendum vel non agendum.

Voluntarij diuiſio prima.

3. *Suppono tertiò.* omiſſis alijs diuiſionibus voluntarij, tribus D. Th. ſimus contenti. *Prima* voluntarium aliud eſt Directum, aliud Indirectum: *Directum* eſt, quod per ſe intenditur à voluntate: *Indirectum* verò, quando non agimus id quod debemus & poſſumus, ſed aliquid aliud: vt ſi quis eo tempore, quo Sacrum eſt audiendum ſomno indulgeat. *Secunda diuiſio.* voluntarium aliud eſt perfectum, quod habet ortum à principio intrinſeco cum perfecta cognitione finis, vt eſt finis. *aliud* imperfectum, quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione imperfecta finis. *Tertia diuiſio.* hoc imperfectum voluntarium quoddam eſt à principio intrinſeco ſenſibili, media cognitione imperfecta, vt in brutis animatibus. *quoddam* eſt à principio intrinſeco rationali, cum cognitione imperfecta finis vt in pueris & amentib⁹: & harum diſtinctionum frequẽs vſus erit in præſenti Diſputatione.

Voluntarij diuiſio 2da.

Voluntarij diuiſio tertia.

Ad Quæſitum *reſpondeo* affirmatiuè *oportet voluntarium eſſe in humanis actibus.* PROBATVR. voluntarium eſt illud, quod habet a principio intrinſeco ortum, cum cognitione finis. ſed quilibet actus humanus hæc duo habere debet: vt ſit à voluntate tanquam à principio intrinſeco, & cum cognitione finis quia homo cùm ſit Agens rationale, in omni actione intendit finem. ergo voluntas reperitur in actibus humanis.

QVÆSITVM II.

An voluntarium reperiatur in Brutis?

4. SVppoſito quòd voluntariū ſit principium actus ad intra cum cognitione finis: ex hoc elicio, quòd cognitio Dei duobus modis fit: *primò* materialiter & imperfectè, quādo id ſolùm percipitur quòd eſt naturæ conueniens: *ſecundò* formaliter & perfectè, quando aliquid cognoſcitur non ſolùm ſub ratione boni & conuenientis ſibi, ſed ſub ratione finis & mediorum vt ducunt ad finem. Hoc ſuppoſito

Cognitio Dei quot modis fit?

Dico. *in brutis materialiter & imperfectè voluntarium inuenitur, ſed formaliter & perfectè minimè* PROBATVR *primùm.* quia operari videntur propter finem, nam agnoſcunt ſibi bona conuenientia: & vſu experimur bruta potius hoc quàm illud expetere pabulum. *Probatur ſecundùm* quia ſub ea ratione propter finem non operantur, vt rationem finis & mediorum conſequātur. nam hoc ſolùm creaturæ rationali conuenit, quæ & cognoſcit finem & mediū, & ordinat ad finem, & aptiora ad eum conſequendum eligit.

5. *Ex quo collige primò.* voluntarium in brutis eſſe imperfectum, ſed in creatura rationali perfectū. *ſecundò* quòd voluntarium ſumptum in particulari inquantum à voluntate deducitur, ſolùm metaphoricè eſt in brutis. quia bruta & voluntate & intellectu carent. Sumptum autem latiùs inquantum id ſignificat, quod eſt à principio interno cum cognitione finis. ſic eſt verè in brutis, quia agunt ex aliqua cognitione finis, prout aliqua res materialiter ſub ſenſum bruti cadit, & vt per ſenſum allicit appetitum, & ſic araneæ texunt tela, vt muſcas capiant, aues nidos ſtruunt: vulpes ſoueas faciunt, vt in his ſe tueri poſſint, & formicæ congregant æſtate, quo hyeme veſcantur. ergo in brutis latè ſumptum voluntarium reperitur.

Voluntariū in brutis imperfectū in rationali creatura perfectum.

Voluntariū late ſumptū reperitur in brutis.

QVÆSITVM III.

An voluntarium poſsit eſſe abſque omni actu?

6. NOto voluntarium dupliciter ſumi. *primò* directè, quod non ſolùm in ſua cauſa & antecedenter. ſed etiam in ſcipſo intenditur: *ſecundò* indirectè, quod non in ſeipſo, ſed ſolùm in cauſa intenditur à qua dependet: vel quando alicuius rei effectus cauſam impedire potuimus, ſed noluimus: vt ſi quis aperiat feneſtram, & apertam relinquat, hic ſaltem virtute & indirectè videtur velle, vt ventus aut ſol ingrediatur quamuis tunc aperiendo, nec de vento, nec de lumine cogitârit, ſed vt trāſeuntes homines contēplaretur. Hoc notato

Dico primò. *Voluntarium ſumptum directè, neceſſariò debet habere aliquem actū* PROBATVR. voluntarium directū eſt id, quod à voluntate tanquam ab agente procedit. ſed nihil poteſt eſſe à voluntate tanquam ab agente, niſi per aliquem actum voluntatis. ergo voluntarium directè includit aliquē actum.

Dico

Dico ſecundò. *Voluntarium indirectũ poteſt eſſe quandoq; ſine actu exteriori, ſed cum interiori: vt cum voluntas vult non agere, quandoq; abſq; actu interiori, vt cum voluntas ſimpliciter non vult.* PROBATVR nam quod nauis ſubmergatur, nauclero tribuitur, in quantum à regenda natura deſiſtit. ergo id quod eſt nõ velle, aut non agere, dicitur voluntarium & à volũtate produci, in quãtum voluntas deſiſtit ab actu interiori, vel exteriori.

Vt aliquis a[illegible] omiſ- [illegible] impute- tur ad Pec- catum tria re quiruntur.

7. Dico tertiò. *Ad hoc vt aliquis actus omiſſus dicatur eſſe voluntarius & imputetur ad peccatũ tria requirũtur: primò* quòd poſſimus id præſtare quod omittim⁹; quia nemo peccat in his quæ vitare non poteſt: ergo in noſtra poteſtate debet eſſe: *ſecundò* quòd teneamur ad id quod omittimus. nam non quælibet omiſſio ſacri audiendi imputatur ad peccatum, ſed ea ſolùm quæ fit in die feſto, quia tũc tenemur *tertiò*. vt de facto id omittamus agere quod potuimus & debuimus: Dãtur enim infinitæ omiſſiones quæ sũt in noſtra poteſtate & ſunt de bonis operibus, & hæ non ſunt culpabiles. quia eas hic & nunc nõ tenemur præſtare: vt ſi quis non claudat oſtium templi, ad quod claudendum non tenetur, furtum ſubſecutum, non debet illi imputari.

Dices qui vult antecedens vult cõſequens, ſed hic vult non claudere oſtium. ergo vult furtum. *Reſpondeo* conſequentiam non valere, quia furtum non ſequitur ex omiſſione mea ad quam ego non tenebar; ſed ex malitia alterius quã cauere non teneor.

QVÆSITVM IV.

An Voluntati Violentia inferri poſſit, nec ne?

Quid ſit actus impera tus?

8. DIco primò. *In actibus imperatis poteſt voluntas violentiam pati*: PROBATVR. Actus imperatus eſt qui à voluntate imperante procedit & à membris ſeu potentijs exterioribus exercetur vt loqui, ambulare. ſed membris exterioribus vt linguæ, pedibus, quæ illud vt imperium voluntatis exſequi cupit, poteſt vis inferri. Ergo et actibus imperatis voluntatis.

Quid actus elicitus?

Dico ſecundò. *Illis actibus qui ſunt eliciti à volũtate, nulla violẽtia inferri poteſt.* PROBATVR. Act⁹ elicitus eſt qui procedit à principio intrinſeco cũ cognitione finis: violẽtia autẽ eſt ab extrĩſeco principio. ergo act⁹ elicit⁹ nõ patitur violẽtiã: nã aliàs apertè ſequeretur repugnãtia: & quòd eſſet act⁹ violẽtus, quia ab extrinſeco, & quòd voluntatis, quia à voluntate procedit.

Dubium eſt de Deo. An quo ad actus elicitos poſſit cogere voluntatẽ? Pro reſponſione.

9. Dico tertiò. *Quòd voluntas etiam per omnipotentiam non poteſt cogi, in ſuis actibus elicitis.* PROBATVR quia ex eo quòd voluntas cogatur, euidens cõtradictio ſequitur: *Deducitur* Voluntas tunc propriè violentiam pateretur, quando eliceret actum cõtra ſuã

voluntatem; vt ſi non volens vellet. ſed hoc inuoluit contradictionem, nã ſi elicit actum volendi, vult; & ex alia parte quia cogitur, non vult. ergo eſt aperta contradictio. *deinde* Actus elicitus neceſſariò eſt vitalis, quia à Potentia nimirum à voluntate vitaliter operante. ſed actus violentus non eſt neceſſariò vitalis, cum ſit ab extrinſeco. ergo hæc ſunt diuerſa. Hinc *collige primò*. Deus poteſt neceſſitare voluntatem in actibus elicitis. ſed hæc neceſſitas nullam violentiam importat: nam Beati neceſſariò Deum amãt & in hac neceſſitate nulla èſt violentia. *Præterea* neceſſitando Deus, confirmat voluntatem in bono, & in hoc nulla eſt coactio.

Neceſſitare & cogere diſtinguuntur.

Collige ſecundò. Non eſt idem neceſſitare & cogere. nam bruta neceſſitãtur ab impulſu naturali, ſed non coguntur. Deus neceſſariò ſe amat ſed non inuitus. Deus Pater neceſſariò generat Deum Filium, ſed non coactus. Eſt autem hæc ratio diſcriminis inter Neceſſitatem & violentiam, quia neceſſitas ſæpè oritur à principio intrinſeco, vt lapis à propenſione naturali propter grauitatem, neceſſariò deorſum tendit violentum autem eſt (vt Ariſt. *lib. 3. Ethic. cap. 1.* definit) cuius cauſa eſt externa, & ad quod patiens nihil confert. *Nota* *Nihil conferre* non ſolùm ſignificat, quòd non cooperetur ad violentiam ſed quod reſiſtat & repugnet.

Neceſſitas oritur à principio intrinſeco Violẽta ab extrinſeco.

10. *Collige tertiò*. Deus poteſt impedire voluntatem, quominus exeat ad actus elicitos & imperatos. *Probatur* Deus enim cum in operationibus ad extra ſit liber, poteſt voluntati noſtræ denegare concurſum. ergo voluntas poterit impediri. *Conſequentia* nam certum eſt cauſas ſecundas non poſſe operari, niſi accedente concurſu Cauſæ primæ: & quilibet effectus magis eſt à Deo, quàm ab vlla cauſa ſecunda.

Nota ex eo non eſſe colligendũ. Si Deus poteſt impedire actus elicitos. ergo & cogere; Hæc enim ſunt diuerſa: quia in dicto caſu, ſi Deus negaret ſuum concurſum, voluntas nihil penitus operaretur.

Collige quartò. Deus voluntatẽ noſtram immutare poteſt. immutatur autem quando voluntas ex volente fit nolens, vel è contra: & hæc immutatio fit aut per inhæſionem nouæ qualitatis; aut per deperditionem eius quod inhærebat. Et ſic Deus in Sauli voluntatem infudit ſui & Chriſtianitatis amorem ardentem; & ſic voluntatem eius immutauit.

QVÆSITVM V.

An Violentia cauſet Inuoluntarium?

Violẽtia tollit voluntatem.

11. Dico *Violentia tollit volũtarium*. PROBATVR Violentum eſt à principio extrinſeco, nullam ad id conferente vim paſſo, ſed reſiſtente quantum poteſt: voluntarium autem eſt, quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione finis ergo violentum deſtruit voluntarium, ſiquidem à diuerſis & oppoſitis cauſis.

ſis. *Deinde* Violentia actiuè ſumpta; ita eſt cauſa alicuius effectus, vt voluntas illius qui patitur violentiam aduerſetur & reſiſtat quantum poteſt ergo violentum deſtruit voluntatem ita tenet Innocentius Tertius in cap. *Maiores* de Bapt. *Imprimit Sacramentalis operatio characterem, quando non inuenit obicem contrariæ voluntatis reſiſtentem.* Vnde ſi paganus aut Iudæus per vim baptizetur, non erit verè Baptiſmus, præſertī ſi ex parte baptizati vis probatur vnde tempore Siſebuti Regis, Iudæi merito ad Chriſtianitatem compellebantur, ſiquidem iam ſuſceperant verè baptiſmum & alia Sacramenta.

Cruciatus martyrum ſunt dupli ces.

12. *Obijcies.* Martyrés dum diros cruciatus per crudelitatem patiuntur, in his tamen exſultant. ergo violentum cauſat voluntatem. *Reſpondeo* Cruciatus martyrum in quantum à crudelitate tyrannorum proueniunt ſunt violenti; & ad hãc actionẽ nihil martyres conferunt: in quantum verò illos cum gaudio pro Chriſto ſuſtinent, ſunt voluntarij.

Obijcies ſecundò. Si virginis pudicitia per vim expugnetur, tunc ſi hæc fortiter ſolùm voluntate repugnet, & per actus externos non repugnet, hæc coactio cauſabit voluntarium. *Reſpōdeo* quòd in hoc caſu amiſſio pudicitiæ, ad culpam fæminæ imputari debet, quia ſaltem indirectè videtur conſentire: nam poterat reſiſtere & tenebatur, & non fecit: ſi autem ideo non tenebatur reſiſtere aut clamare. quia mors illi inferebatur. nam minus bonum qualis eſt pudicitia, maiori bono, qualis eſt vita poſt haberi debet. nihilominus illud factum cenſetur eſſe violentum. vide Alphonſum Curielem. *l 2. q. 6 a. 5.*

Obſerua diligenter.

QVÆSITVM VI.

An Metus cauſet inuoluntarium?

13. ARiſt. in Eth. ſic Metum definit. *Metus eſt quadam animi perturbatio, ex cognitione orta imminentis mali, quod mortem aut moleſtiam adferre poſſet.* Pro reſolutione Quæſiti.

Dico primò. *Ea quæ per metum fiunt, habent ſemper admiſtum aliquod voluntarium & ſimul inuoluntarium.* DECLARATVR Infirmus qui amaras potiones ſumit, aut qui patitur abſcindi ſibi mēbrum aliquod conſiderato periculo mortis, aſſenſum præbet; ſed aſſēſum inuolūtario miſtum cum pugna voluntatis, quia cuperet non abſcindi: *idem* dicendū de mercatore merces ſuas in mare proijciente tempore tempeſtatis, ad euitandum naufragiū quod hic vt nunc vult proijcere, ſed tamē ſi fieri poſſet vellet nō proijcere.

14. Dico ſecundò. *Quæ fiunt ex metu ſunt ſimpliciter voluntaria, & ſecundùm quid inuoluntaria.* PROBATVR. Mercator tempore tempeſtatis & naufragij imminentis eligit proijcere merces liberè & non coactè. ergo proiectio mercium eſt ſimpliciter voluntaria. *Ratio ſecunda.* Tempore metus ſunt duæ voluntates quarum vna eſt deſiderij & conditionata, *vellem ſcilicet ſi poſſem*: altera

Quæ fiūt ex metu ſīpliciter ſūt volūtaria, & ſecūdū q̄d inuoluntaria.

altera ſimpliciter abſoluta, *volo facere* & ideo eſt voluntas efficax & impérium. ergo actio in metu, eſt ſimpliciter voluntaria, ſecundùm quid inuoluntaria.

Nota contractus quos facimus in metu graui, ſed libero conſenſu, iure naturali ſunt validi: vt ſi quis prædoni, iurauit daturum ſe illi pecuniam, propter iuſiurandum factũ, ad ſolutioné tenetur: Idem de Votis tenẽdum, quæ homines in periculo mortis conſtituti nũcupãt Deo, quòd vbi cõualuerint cõſenſu Doctorum ſunt valida. illud quoq; matrimonium validũ quod metu mortis, perſonę inter ſe contrahunt quæ ſeipſis abutebantur: tunc autem contract⁹ non ſunt validi in metu graui celebrati, cum per iniuriam extorquetur cõſenſus.

15. *Nota ſecundò* Duas Regulas eſſe tenendas. *Prima eſt.* Ea quæ fiunt cõtra negatiua præcepta, & metu cadẽte in conſtantem virum, ſemper ſunt peccata, vt ſunt homicidium, adulterium, quocunque metu fiant ſiue leui, ſiue graui, cum periculo mortis, ſemper ſunt peccata. *ſecunda* quæ fiunt contra præceptum Diuinum poſitiuum ex metu cadente in conſtantem virum, v. ob periculum mortis, licet ſint voluntaria, non incurrunt peccatum, vt ſi quis Die Dominico laboret, vt in extrema neceſſitate vitam ſuſtentet, non eſt tranſgreſſor legis: quia non eſt credibile quòd Deus in omni caſu etiam cum amiſſione vitæ, velit obligare homines ad obſeruationem legum.

In duobus tamen caſibus, non licet propter vitæ conſeruationem Ius Diuinum Poſitiuum tranſgredi: *Primus* ſi ex omiſſione Iuris Diuini Poſitiui ſequeretur abnegatio fidei, & ſcandalum puſillorum. & ſic Machabæi pluris fecerunt porcinas carnes non manducare quàm mortem: ea de cauſa quòd timuerunt ne illorum exemplo alij inducerentur, ad abnegationem legis Moſaicæ. *Caſus ſecũdus.* quãdo præceptum iuris Diuini Poſitiui eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, vt Baptiſmus, Pœnitentia ſunt neceſſaria ad ſalutem: ſimiliter fides; vnde inſtante periculo mortis hæc cum poſſumus, re ſuſcipienda ſunt aut cùm non poſſumus, in voto cum Miniſtri non eſt copia.

Ius diuin. poſitiuum tranſgre. propter vitæ conſeruationẽ in duobus caſibus non licet.

QVÆSITVM VII.

An Concupiſcentia cauſet inuoluntarium.

16. NOn intelligimus hoc in Quæſito per *Concupiſcentiam*, quæ dicitur *Concupiſcibilis*, & quæ circa illicitas carnis voluptates verſatur, ſed excepto metu, de quo iam diximus, intelligimus quamcunque paſſionem ſeu perturbationem quæ ſit in appetitu Rationali & Senſibili, & ad aliquid agendum vel nõ agendum inclinat. Eſt autem Duplex concupiſcentia (vt docet D. Th. *hic quæſt. 77. art. 2*) quædam eſt *antecedẽs* quæ omnem conſultationem antecedit,

Concupiſcentia duplex.

cedit, vnde & quoduis iudicium Rationis. *quædam Conſequens* quæ eſt paſſio in appetitu ſenſibili, recepta ex præſcripto voluntatis. Hoc notato;

Dico primò. *Concupiſcentia* Conſequens *non ſolùm cauſat voluntarium, ſed etiam auget.* PROBATVR. Procedit à voluntate tanquam à principio intrinſeco cum cognitione finis, ergo volũtarium cauſat. *Deinde* Concupiſcentia repræſentat voluntati obiectum in ratione boni magis conuenientis & delectabilis. ergo auget Voluntarium. nam tali repræſentatione accendit & allicit voluntatem.

17. Dico ſecundò. *Concupiſcentia* Antecedens *& improuiſa, non tollit quidem perfectum* Voluntarium, *ſed minuit.* PROBATVR: Per *voluntarium perfectum* intelligimus actiones volũtatis tam elicitas quàm imperatas. ſed concupiſcentia antecedens huiuſmodi actiones ſolet impedire, illisque moram inijcere, atque etiam minuere. Ad Roman. 7. *Non quod volo bonum hoc habeo, ſed quod odi malum, hoc facio. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* ergo impedit & diminuit. *Deniq;* concupiſcentia minuit cognitionem & Iudicium Rationis, ex quo libertas ſequitur voluntatis. ergo minuit libertatem. *Sequela* Radix libertatis eſt cognitio & iudicium rationis. *Ad extremum* Peccata ex concupiſcentia violenta commiſſa, cenſentur eſſe minora, quàm ex malitia cõmiſſa.

QVÆSITVM VIII.

An ignorantia cauſet inuoluntarium?

Ignorantia triplex.

18. IGnorantia ſecũdùm D.Th. Triplex eſt. *quædam* eſt *Antecedens* quæ eſt cauſa actus per remotionem ſcientiæ, quæ ſi adfuiſſet, actus ſubſecutus non fuiſſet: & hæc dicitur *ignorantia Inuincibilis.* quia omnino antecèdit & anteuertit liberam poteſtatem voluntatis, nec vllo modo in voluntatẽ cadit; eandemque nec potuimus nec debuimus depellere: *quædam* eſt concomitans, cum aliquid facimus ignoranter: ſed ſi eius rei ſcientiam haberemus, nihilominus faceremus: vt ſi quis putans ſe occidere leporem, occidit lupum, quòd cum deprehendit gaudet & tantò libentiùs feciſſet, ſi ſciuiſſet: aut cum quis venationi deditus, putans ſe occidere ceruum in denſiſſima ſylua, occidit inimicum, quem omnino vellet occidere ſi ſciuiſſet. *quædam* eſt *Conſequens* vt cũ quis omnino vult ignorare vt excuſationem habeat à peccato, & hanc ignorantiam potuimus & debuimus remouere & non fecimus: vnde hæc Ignorantia eſt voluntaria, Vincibilis, Craſſa, Affectata. *Hoc ſuppoſito.*

19. Dico primò *Ignorãtia* Antecedẽs *cauſat Inuolũtariũ.* PROBATVR. Quia deſtruit omnẽ cognitionẽ neceſſariã ad hoc vt actus dicatur eſſe voluntatis. *Deniq;* Illa ignorantia eſt inuoluntaria, ex qua ſequitur triſtitia poſtquã cognoſcimus id à nobis factum quod eſt prohibitum; vt ſi quis non exſi- — Ignorantia antecedens cauſat inuoluntarium.

ſtens in politia, latam legem ignoret & contra eandem aliquid committat. Ita Ariſt. *lib. 3. Ethic. Ex ijs qui ex ignorantia agunt, quem facti pœnitet, feciſſe inuitus videtur.*

Ignorantia cõcomitãs cauſat non voluntariũ nõ verò voluntarium aut inuolũtarium.

Dico ſecundò. *Ignorantia* Cõcomitans, *nec voluntarium, nec inuoluntarium, ſed non voluntarium cauſat.* PROBATVR. *quod non cauſet voluntarium.* quia voluntariũ non poteſt dici niſi fuerit cognitum: ſed in eo qui inimicũ occidit putans eſſe feram, non fuit cognitum obiectum. ergo nec volũtarium. *quod non cauſet Inuoluntariũ.* patet. quia quãuis ignorans facit, vt cum quis inimicum occidit, putans eſſe ferã, hoc tamen factũ non eſt contrarium eius voluntati: quia ſi ſciuiſſet, occidiſſet. Ergo non Inuoluntarium, ſed cauſat omninò non voluntarium. quia hæc actio ex tali ignorantia, nec eſt voluntaria, nec inuoluntaria, vt iam probatum. ergo non voluntaria.

Ignorantia conſequens cauſat voluntariam actionem.

Dico tertiò. *Ignorantia conſequẽs actionem voluntariã cauſat. Probatur* qualis enim cauſa, talis effectꝰ. Sed ignorantia conſequẽs eſt talis cauſa quòd ſit verè voluntaria, & ex imperio voluntatis ſiue directè ſiue indirectè proueniens: quia noluit intelligere, vt benè ageret. *Et Iob. 21. Impij dicunt Deum recedere à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus.* ergo hæc ignorantia eſt voluntaria & peccato obnoxia.

DISPVTATIO II.

De Circumſtantijs.

1. DE Circũſtantijs Actuũ humanorum diſputat D. Th. *hic quæſt. 7. in art. 4. Sentent. in 4. diſt. 16. art 3. Ethic. cap. 1.* Marcus Tullius in Top. & Part. Nos doctrinam huius Diſputationis quatuor Concluſionibus comprehendemus, quæ quatuor Articulis D. Thomæ reſpondebũt.

Concluſio prima. *Circumſtantiæ ſic ſe habent ad actum humanum ſicut accidentia illius.* PROBATVR. quod aduenit Enti iam conſtituto intra ſuam ſpeciem, eſt illius accidens: Sed circumſtantiæ accedunt actibus humanis, iã conſtitutis intra ſuam ſpeciem. ergo ſunt illorum accidentia. *Deinde* Circumſtantiæ ſunt extra ſubſtantiam actus & tamen eandem aliquo modo attingunt. ergo ſunt accidentia. *Item* Hoc nomen *Circumſtantia* deſumptũ eſt ab his quæ ſunt in loco. ſed ea, quæ continentur loco dicũtur circumſtare aliquid, quod ſit extra illam rem, eam tamen attingit. vt vinum ſuperficies poculi attingit. ergo ſunt accidentia. Pro meliori intelligentia.

Vnde nomẽ hoc Circũſtantiæ eſt deſumptum?

Quid ſit Circumſtantia?

2. *Nota primò.* Circumſtantia eſt accidens adiacẽs actioni humanæ nõ eo modo eſt accidens quòd reperiatur in actu humano tanquam in ſubiecto. ſed quia iſtæ circumſtantiæ augent vel certè minuunt bonitatem vel malitiam moralem actus humani intra eandem ſpeciem. vt furtum in magna quantitate eſt mortale, in parua autem eſt veniale.

Nota ſecundò, quædam ſunt circumſtan-

Quæ circũſtantiæ variẽt qualitatem actionis? & quæ non?

ſtantiæ quæ non variant qualitatem actus humani. vt homicidium committere ante prandium vel poſt. *quædam autem* ſunt quæ variant qualitatem actionis, mutando eius vel ſpeciem. vt locus ſacer reſpectu furti, aut homicidij, variat peccatum nam non eſt ſimplex furtũ ſed ſacrilegium. *Quædam* verò ſunt quæ intra eandem ſpeciem variant qualitatem actionis, augendo vel minuendo, vt accipere rem pretioſam vel vilem. Ex quo.

Quæ circũſtantiæ ſint accidẽtia actus humani?

Collige quòd illæ ſolùm Circumſtãtiæ ſunt accidẽtia actus humani quæ intra eandem ſpeciem variant qualitatem actionis; quæ autem circumſtantiæ mutant ſpeciem, iam tranſeũt in rationem obiecti, à quo illa actio ſuam ſpeciem ſumit.

Actionis humanæ duplex ſpecies.

Collige ſecundò. quòd Actionis humanæ duplex ſpecies aſſignari debet *quædam eſt* primaria quæ à ſubiecto primario ſumitur & dicitur ſubſtantialis & inuariabilis. *quædam* ſecundaria, quæ à ſecundario ſubiecto ſumitur, & dicitur *accidentalis & variabilis.* vt ſi quis hominem occidat vt eum deprædetur; primaria ſpecies eſt homicidium, ſecundaria deprædatio.

3. Concluſio ſecunda, *Pertinet ad Theologum conſiderare de Circumſtantijs*

Cognitio circumſtantiarum ſpectat ad Theologum.

PROBATVR Ad Theologum ſpectat conſiderare actus humanos, quibus ad beatitudinem tanquam ad vltimũ finem ordinantur. Id autem quo ordinamur ad finem, debet illi proportionatum eſſe ſecundùm debitas circumſtantias. ergo ad Theologũ ſpectat cognitio circumſtantiarum. *Deinde* Theologus debet conſiderare actus humanos, vt in illis eſt bonum vel malum, melius vel peius. Sed variantur hæc per circumſtantias ergo de illis agere debet. *item* contingit aliquando actum eſſe inuoluntarium ob ignorantiam alicuius circumſtantiæ. Et Cõcil. Trident. *Seſſ. 14. cap. 6.* monet vt à Doctore Theologo, q Sacramẽtũ Cõfeſſionis miniſtrat, circũſtãtiæ cognoſcãtur, quæ mutant ſpeciẽ.

Circumſtãtiarum numerus.

4. Concluſio tertia. D.Th. *hic art. 3 & Sentent. in 4. diſt. 16. Septem duntaxat enumerat Circumſtantias actus humani quæ hoc verſiculo cõtinentur.*

Quis? quid? vbi? quibus auxilijs? cur? quomodo? quando?

Probatur ſufficientia. Circumſtantia eſt id, (vt iam dictũ) quod extra ſubſtantiã actus exiſtit, illã tamẽ tribus modis attingit; aut quoad Actũ, aut quoad cauſã, aut quoad effectũ ſi cõtingit quoad actũ tũc vel p modũ mẽſuræ? & ſic eſt *Tẽpus* & *Locus* vel p modũ qualitatis actus? & ſic eſt *modus agendi*: Si attingit quo ad cauſam, tunc vel eſt finis? vt *cur*, ſeu cuiꝰ gratia aliqd fit. vel eſt materialis? vt *Circa quid.* vel eſt Agentis, eiꝰq; principalis? vt *Quis.* vel Inſtrumẽtalis? vt *Quibꝰ auxilijs.* vel ſi attingit quo ad Effectũ? & ſic *Quid* fecerit, & ſic ſeptẽ erunt Circumſtãtiæ.

Quid quælibet Circũſtantia ſignificat?

5. *Nota* quid quælibet Circumſtantiarum ſignificet? *Quis* non tam Perſonam quæ actum commiſit ſignificat, quàm illius qualitatem, vt Sacerdos an Laicus, Ruſticus an Nobilis: & hæc qualitas perſonæ aut minuit aut auget peccatum. *Quid* non ſignificat ſubſtantiam actus, ſed qualitatem, v. an res ſublata furto ſit magna an parua? *Vbi* non Loci præciſè, ſed illius conditionem inquirit, an in ſacro vel profano? *Quibus auxilijs* hoc eſt, quibus Inſtrumentis actum vitioſum exercuit? *Cur.* Finem ſignificat, eundemque remotum operantis, vt cum quis furatur animo potãdi, ludẽdi, *Quomodo* ſignificat quo affectu?

fectu ? quo conatu ? ſummo an remiſſo? *Quando* ſignificat non præciſè tẽpus quo aliquid eſt factum, ſed circumſtantiam temporis, ſcilicet an venationi eo tempore, quo ſacrum audire debuit, deditus erat? *Circa quid* ſignificat perſonam circa quam aliquis peccauit.

Quæ eſt prĩcipaliſſima omniũ circumſtantiarum & quæ ſecundaria Circumſtãtia.

6. Concluſio quarta. *Secundùm D. Gregorium Niſſenum. lib. 5. cap. 2. Omnium Circumſtantiarum principaliſſima eſt.* Cur *gratia cuius aliquid fit. Secundaria eſt* Quid *aliæ verò circumſtãtiæ, magis vel minus principales, in quantum magis aut minus ad has appropinquant.* PROBATVR. nã circumſtantia *cuius gratia* attingit ipſamſubſtantiam actus, quæ quidem ex obiecto quod eſt Finis ſumitur. ergo eſt principaliſſima: Circumſtantia autem *Quid*, etiam ſubſtantiã attingit. nam inquirit, in quibus eſt operatio, vel quænam fecerit. ergo eſt ſecundaria. Hucusque de Prima parte.

PARS II.

VErſabitur in explicandis Actibus Voluntatis humanæ quibus tendit in finem, Sunt autem hi Actus tres *Vellé*, *Frui*, *Intendere*, quorum doctrinam quinque Diſputationibus abſoluemus, Actus *Velle*, tres vſurpabit ſibi: primam *De Obiecto.* ſecundam *De Motiuo.* tertiam *De modo quo mouetur.* Actus *Fruitionis* quartam. & Actus *Intentionis* quintam.

DISPVTATIO I.

De Obiecto Actus Voluntatis qui eſt *Velle.*

Tria inquiremus.

1. *An actus Voluntatis qui eſt* Velle, *ſit tantum circa bonum?*
2. *An hic idem actus ſit tantum circa bonum quod eſt Finis, an etiam circa media quæ ſunt ad finem?*
3. *An idem ſit actus quo voluntas mouetur & in finẽ, & ad ea quæ ſunt ad finem?*

QVÆSITVM I.

An Actus Voluntatis qui eſt *Velle* ſit tantùm circa bonum?

Gulicl-

1. GVlielmus Occam *in 3. diſt. 13, ad 3.* Obiectum. Actus volendi conſtituit non ſolùm bonum ſed etiam malum, ita quòd voluntas velit malum in quantum eſt malum. Sed contrarium ſentimus inhærentes ſententiæ D. Thomæ & aliorum. Vnde dico. *Voluntas per actum volendi, non poteſt ferri in malum, vt eſt malũ ſed ſolùm in bonum ſub ratione veri boni vel apparentis.* PROBATVR Ariſt. *1. Ethic. c. 1.* dicit. *Omnem artem & omnem diſciplinam, & electionem appetere aliquod bonũ.* Et paulò poſt *Bonum eſt quod omnia appetunt.* Et D. Dion. *cap. 4.* de Diu. nom. inquit: *Nihil in malũ aut in mali naturã reſpiciẽs operatur, & boni cauſa omnia fiũt.* Et D. Greg. Niſ. lib. de Op. hom. *c. 20. Nemo in vitia & ſordes ruit, niſi aliqua ſpecie boni ineſcatus.* Probatur rationibus, *quia* illud quod voluntas noſtra vult eſt omnino finis. Sed finis & bonum ſunt vnum & idem. ergo ſi voluntas eſt finis, etiam eſt boni. *deinde* Actus voluntatis qui eſt *Velle*, eſt quidam Appetitus rationalis. ſed omnis appetitus eſt tantum boni. nam Appetitus eſt quædam inclinatio in id quod ſibi eſt conueniens, hoc autem eſt ipſum bonum. ergo actus voluntatis qui eſt *velle*, eſt bonum, duntaxat in quod fertur *Præterea* Nihil poteſt agere extra latitudinem ſui adæquati obiecti. ſed malum eſt extra latitudinem obiecti adæquati voluntatis. quia bonum in quantum eſt bonum eſt obiectum voluntatis, & ſub hoc malũ vt malum non includitur.

Omnis appetitus eſt boni.

2. *Inſtabis* pro Sententia Occami. Ens eſt obiectum voluntatis. Sed ratio Entis non minus reperitur in malo quàm in bono. ergo malum ad obiectum voluntatis ſpectabit. *Reſpondeo* Falſum eſſe quòd Ens in quantum Ens ſit obiectum voluntatis, nam eſt obiectum adæquatum intellectus, voluntas autem & Intellectus ſunt diſtinctæ potentiæ, vnde & diſtincta obiecta habent *Reſpondeo ſecundò.* Si Entitatem in malo aſſignas. ergo in eam impietatem impinges, quòd Deum authorem mali facies. nam quodlibet Ens creatum, eſt participatio Entis increati. *Deniq;* ſequetur quòd volũtas noſtra plus adamaret muſcam aut paſſerem, nam hæc habent plures gradus Entis, vt *Eſſe, viuere, ſentire*, quàm aliquam gemmam pretioſam, quod quidem falſum eſt.

Inſtabis ſecundò. Intellectus noſter, non ſolùm verum ſed etiam falſum pro obiecto habet. ergo & voluntatis obiectum, non ſolùm bonum ſed etiam malum erit. *Reſpondeo* Falſum conſideratum ſub ratione falſi, non pertinet ad obiectum Intellectus. nemo enim falſo ſub ratione falſi aſſentitur; ſed ſub ratione veri apparentis: idem de malo dicendum, quòd in quantum eſt malum, ad obiectum voluntatis non ſpectat, nam quilibet naturaliter malum fugit; ſed illud ſub ratione boni apparentis apprehendit *Ad extremum*: cum quis ex malitia ſciens peccat, vt cum ſeipſum ſtrangulat, aut inimicos vlciſcitur, aut à vitioſis habitibus in malum inclinatur id accidit ob rationem boni in eo malo latentem, quòd aut ſibi ſit delectabile, conueniens; aut quia volũt carere ærumnis: aut cruciatu, quæ qdẽ omnia cuiusdã boni apparẽtis rationem habent.

Falſum ſub ratione falſi non pertinet ad obiectũ intellectus nec malũ ad voluntatis.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

An actus voluntatis qui eſt *Velle*, ſit tantum circa bonum finis, an etiam circa media quæ ordinantur ad finem?

3 AD Quæſitum Dico primo. *Si loquamur de voluntate vt eſt quædam potentia, ſic certum eſt quòd Voluntas non ſolum in finem tendit. ſed etiã in media quæ ducunt ad finem.* PROBATVR. Quælibet potentia ad ea omnia extendi poteſt in quib us ratio illius obiecti aliquomodo inuenitur: vt potentiæ viſiuæ eſt obiectũ color, vnde ad omne illud extenditur, in quo eſt ratio coloris. Sed obiectum voluntatis, quod eſt bonum, non ſolum inuenitur in fine, ſed etiam in medijs quæ ordinãtur ad finem. ergo voluntas vt eſt potentia, non ſolùm eſt finis ſed etiã mediorum.

Dico ſecundò. *Voluntas ſumpta pro actu volendi, ſimpliciter & abſolutè eſt circa ſolùm finem; ſecũdariò verò eſt circa media relatiuè & formaliter hoc eſt in quantum ſunt media ſumpta.* PROBATVR Quælibet res non ſolet abſolutè denominari, niſi ab eo quod eſt primarium, *v. g.* intellectus non ſolùm intelligit principia ſed etiam Concluſiones, & tamen ſimpliciter & abſolutè dicitur eſſe principiorum & non concluſionum; ſicut è contra ſcientia abſolutè dicitur eſſe concluſionũ, licet etiam aliquo modo ſit principiorum, quia per principia deducit concluſiones. Sed inter obiecta voluntatis, primarium locum habet finis, media verò vt ſũt formaliter media, ſecundarium locum tenent. nam non ſimpliciter expetuntur, ſed vt ordinantur ad finem. ergo voluntas vt eſt actus volendi primariò finem, ſecundariò media expetit.

Inter obiecta voluntatis primarium locũ habet finis media verò ſecundarium.

4 *Nota* Ideo loquentes de medijs dicimus *Media vt media*, & vt relationem habent ad finem nam media ſi ſumantur in genere Entis, & ſecundùm ſuam internam bonitatem ita vt ad finem non referantur, poterũt abſolutè à voluntate expeti.

Sed quæres. An aliquis actus voluntatis poſſit eſſe, qui neque ſit finis, nec mediorum ſed neuter? *Reſpondeo* Scotus & nominales vt Occam, videntur concedere: Sed verior ſententia eſt. *quòd nullus actus datur in voluntate noſtra qui ſit circa obiectum, circa quod nec ſit volitio finis, neq. mediorum, ſed quilibet actus aut eſt circa finem, aut circa media.* PROBATVR. quod enim à nobis expetitur, vel expetitur propter ſe? vel propter aliud? ſed id quod expetitur propter ſe, habet rationem finis: quòd verò propter aliud, habet rationem medij. ergo omnis act' voluntatis verſabitur aut circa finē aut circa media. *Itē* ſicut intellect' quidquid intelligit; aut intelligit per ſe? aut per aliud? ſed per ſe intelligit principia, per aliud cōcluſiones. ergo & voluntas per ſe aſſequitur finē, per aliud verò, v. per media principium. ergo eſt finis & mediorum.

QVÆ-

QVÆSITVM III.

An Voluntas vno eodemque actu feratur in finem & in media?

Finis dupliciter conſideratur.

5. NOta Finis dupliciter cõſiderari poteſt. *Primò* ſecundùm ſe & abſolutè. *Secundò*, Formaliter & propriè, in quantum finis eſt ratio appetendi medij. vnde

Dico primò. *Si Finis conſideretur abſolutè & ſecundùm ſe, ſic diuerſo actu, finẽ, & diuerſo media appetimus.* PROBATVR. Finis ſecundùm ſe conſideratus eſt quoddam Ens; & abſolutam boni rationem habet. ergo finis vt ſic diſtincto actu voluntatis à medijs expetitur. *deinde* Experiẽtia teſtis quòd quælibet res prius oportet vt nobis placeat, & tandem de acquiſitione eius per media inquirimus. Prius enim miles vult in bellum proficiſci, quàm arma cõparet: & infirmus priùs vult ſanitatem quàm medicum accerſat: & agricola priùs intendit meſſẽ quã culturam agri: & hoc priùs non ſolùm eſt natura, ſed ordine opus vt finis multo ante tempore placeat quã nos ad media conuertamus. ergo finis abſolutè conſideratus diſtinctum actũ voluntatis habebit, ab actu quo volumus media.

6. Dico ſecundò. *Si ſumamus finem formaliter & propriè ſic vno actu finem & media volumus.* PROBATVR. Finis formaliter vt eſt finis & media formaliter vt ſunt media, ſunt relata. Sed relata ſunt ſimul natura, nec vnum ſine alio formaliter intelligi poteſt. ergo etiam voluntas vno actu finem & media appetit. *Item* Finis formaliter ſũptus eſt ratio appetendi medij. ergo impoſſibile eſt appetere finem & non medium. *Deinde* Sicut ſe habet intellectus in ſpeculatiuis ad principia, & concluſiones, ita ſe habet voluntas ad finem & media in practicis. ſed vno eodemque actu quo apprehendimus concluſiones, etiam principia intuemur. ergo etiam vno eodemque actu voluntatis finem & media volumus.

Finis formaliter ſũptus eſt ratio appetendi medij.

7. *Obijcit* Gregorius Ariminenſis *in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2.* Finis eſt cauſa quòd velimus media, ergo non erit vnus actus circa finem & media, cũ nihil ſit ſuiipſius cauſa. *Reſpondeo* Verum eſſe quando diſtincto tempore volo, & diſtinctè volo, & media eligo (vt in primo Dicto dictũ) ſed quãdo ſimul volo & finem & media, tunc vno actu id fieri poteſt, ſicut cũ dicimur viſu videre coloratũ propter lucem; tunc non ſunt duæ viſiones, vna lucis & altera colorati, ſed vna eſt viſio: ita volitio finis & mediorũ vnus actus volendi.

Nota Hæc volitio mediorum, non eſt neceſſe vt ſit formaliter volitio finis. vt infirmus ſumendo medicinam non ſemper cogitat de ſanitate, ſed ſufficit quòd hæc volitio mediorum virtualiter includat volitionem finis; ſiquidem media vt ſunt media, non habent aliam bonitatem niſi eamquã accipiunt à fine.

DISPV-

DISPVTATIO II.
De Motiuo voluntatis.

Cùm non ſolùm ipſum obiectum de quo diſputamus ſit vnum ex mouentibus voluntatem, ſed etiam aliæ cauſæ reperiantur, de his iam determinandum. Sex igitur Quæſita erunt;

1. *An voluntas moueatur ab Intellectu?*
2. *An moueatur ab appetitu ſenſitiuo?*
3. *An ipſa voluntas ſeipſam moueat?*
4. *An moueatur ab aliquo exteriori?*
5. *An moueatur à corpore cæleſti?*
6. *An moueatur à Deo tanquam à principio exteriori?*

QVÆSITVM I.
An Intellectus moueat voluntatem?

1. CIrca hoc Quæſitum plura dicemus quàm inquirimus, ſolùm enim inquirimus, *An intellectus moueat voluntatem?* ſed præter hoc etiam determinabimus, quòd voluntas mouet intellectum. vnde duo hic ſunt primaria: *primum* de Motione Voluntatis: *ſecundum* de Motione Intellectus.

Voluntatis officium eſt mouere alias potentias.

QVANTVM *ad primum* dico primò *Voluntati conuenit, vt alias potentias moueat.* PROBATVR. principium enim motionis ex fine ſumitur. ſed finis qui eſt obiectum voluntatis, habet rationem boni vniuerſalis, reliquarum verò potentiarum, ſunt fines bona particularia, vnde ſub vniuerſali obiecto voluntatis conſiderantur, quemadmodum enim dux exercitus, qui totius exercitus intendit bonum cõmune, mouet ſuo imperio Tribunum qui bonum particulare vnius cohortis intendit: idem de voluntate & interioribus potentijs dicendum.

Dico ſecundò. *Potentias inferiores animæ vegetantis aut ſentientis, non in omnibus operationibus mouet, ſed in aliquibus.* PROBATVR. Accretio, nutritio, ſunt vegetatiuæ facultates. ſed hæ in nobis ſine vlla dependentia à voluntate fiunt. nam dato alimento, ſequitur nutritio, accretio, etiam aduerſante voluntate. ergo hæc motum à voluntate non habent. *Quòd verò in aliquibus moueat.* PROBATVR. Generatio eſt actio vegetatiuæ facultatis, & hæc eſt in noſtra poteſtate. ſunt enim Eunuchi, qui ſeipſos caſtrarunt propter Regnum cælorum, v. voto continentiæ ſe obligarunt Deo.

Volũtas non mouet intellectũ in omnibus actionibus.

2. Dico tertiò. *Voluntas non mouet Intellectum in omnibus eius actionibus.* PROBATVR

BATVR. in voluntate nihil eſt volitum, niſi ab intellectu ſit prius cognitum. ergo admittenda eſt aliqua intellectio in intellectu, quæ non depẽdeat à voluntate. *Item* inter orandũ experimur intellectum vagari, & tunc circa varia obiecta ſe occupare ipſa voluntate renuente & reuocante, & anxiè mouente intellectum, vt aduertat ad ea quæ à Deo petit.

Omnis actio humana vt ſit meritoria, vel non meritoria, debet eſſe libera.

Dico quartò. *Voluntas noſtra tunc maximè mouet intellectum, & cæteras potentias, quando actus qui ſunt verè hominis, exercendi ſunt.* PROBATVR. quælibet actio humana vt ſit meritoria aut demeritoria, debet eſſe libera. ſed hæc ipſa libertas eſt in voluntate. ergo voluntas tunc maximè mouet, cùm act⁹ humani ſunt exercendi.

Quibus de cauſis volũtas exercet imperiũ in potentias vniuerſas?

Nota. duæ ſunt cauſæ, propter quas voluntas imperium exercet in potentias vniuerſas. *prima*, quia in voluntate libertas formaliter conſiſtit, quæ libertas ad actus humanos, vt ſint meritorij, requiritur, reliquæ verò potentiæ eandem libertatem ex motu & conſenſu voluntatis participant. *ſecunda*, quia obiectum voluntatis eſt bonum in ſua latitudine ſumptum, reliquæ verò potentiæ habent pro obiecto bona particularia. vnde non mirum quòd quando voluntas in aliquod obiectum propendet, ſtatim & totus homo ſecundùm ſuas potentias in idem fertur, & ſicut motus primi cæli rapit inferiora corpora: ita cùm & voluntas aliquid efficaciter vult, ſecum rapit & intellectum & reliquas potentias.

3. *Nota ſecundò.* cùm dicimus *voluntatem mouere alias potentias* non ſic intelligas quaſi in eis motum aut aliquam qualitatem producat, ſed mouet eas applicando ad hoc potius producendum. & hic modus applicandi in naturalibus, eſt modus agendi per accidens, qui enim applicat ad ignem, non is comburit qui applicat, ſed ignis. in moralibus modus applicandi eſt agendi per ſe. nam experiẽtia teſtis, quod cocus aut aurifaber ex eo quod applicant ad ignem, ſecundũ artis ſuæ præſcriptum laudem merẽtur. vnde opera moralia à voluntate applicante intrinſecè dependent.

Nota tertiò. quando dicimus *voluntatem mouere alias potentias ad operandum.* hoc ita intelligas, quòd mouet quoad exercitium actus, non autem quoad ſpecificationem. *Probatur.* nam ſpecificatiò ſeu ſpecies actus, ſumenda eſt ex obiecto: exercitium verò eſt circa aliquod obiectum ex imperio voluntatis.

Obſerua. quòd Potentiæ inferiores ea ratione voluntati rationali ſubijciuntur, quemadmodum animæ rationali ſentiens vegetatiua, & loco motiua ſubijciuntur.

4. QVANTVM *ad ſecundum*, quomodo intellectus moueat voluntatẽ. Dico primò. *Voluntas in omni ſua operatione quam de facto exercet dependet ab intellectu.* PROBATVR. omnium conſenſu voluntas dicitur eſſe cæca. ergo ductore opus habet, & talis eſt intellectus. *Item* Axioma notum eſt: *Nihil volitum niſi prius cognitum. Deinde* volitio voluntatis nihil aliud eſt, quàm inclinatio ſeu tendentia in ſuum obiectum, quod ab intellectu eſt apprehenſum. ergo non fertur in obiectũ niſi poſita illius cognitione in intellectu.

Voluntas in omni ſua operatione depẽdet ab intellectu.

Dico ſecundò. *Intellectus mouet voluntatem quantum ad ſpecificationem ſeu determinationem ſui actus.* PROBATVR. Intellectus enim eſt qui voluntati ob

iectum tanquam cognitum à ſe præſentat,& obiecto ſic præſentato iam determinat potentiam ad actum ſpecificum.ergo intellectus quantum ad ſpecificationem actus mouet voluntatem. *Confirmatur.* quòd enim actus voluntatis ſit huius aut illius ſpeciei, id habet ex obiecto. ſed hoc ipſum obiectum intellectus repręſentat.ergo quoad ſpecificationem mouet.

Ad cur intellectũ repræſentatio obiecti pertineat? *Nota* ideo ad intellectum ſpectat repræſentatio obiecti,quia (vt D.Th. dicit, hic 1 2. *q 9. a.1.*) primum principium formale eſt Ens, cuius paſſiones ſunt Verum & Bonum. & hoc idẽ Ens cum ſuis paſſionibus eſt obiectũ intellectus,ita quòd non ſolùm intelligat Ens vt verum, ſed etiam Ens vt bonum. ergo ad intellectum ſpectabit,voluntatem mouere,cum illi⁹ obiectum cognoſcat.

Obijcies volũtas eſt domina omniũ actionum ſuarum. ergo poterit ſine dependentia ab intellectu operari. *Reſpondeo* verum eſſe Antecedens de Actionibus liberis,non autem neceſſarijs, inter quas computatur prima intellectio cuiuſlibet hominis,&cùm voluntas ſit cæca.idcirco intellectio præmittenda.nam nunquam præſens obiectum habere poteſt, niſi ab intellectu cognitum & præſentatum.

Intellectus mouet volũtatem in genere cauſæ finalis vel formalis nõ efficientis. 5. Dico tertiò. *veriſimile eſt,quòd intellectus mouet voluntatem ſolùm in genere cauſæ Finalis vel formalis, & non in genere efficientis.* PROBATVR. quia expreſsè dicit D.Th. hic,*quòd intellectus mouet voluntatem ſicut repræſentans obiectum.*ſed hoc quod repræſentat,nõ influit effectiuè in effectũ,ſed tãtũ motiuè.ergo ſolũ mouet in genere cauſæ finalis.

Medina tamen ſuſtinet tanquam veriſimilius, quod efficienter in genere cauſæ efficientis mouet. *Ratio eius.* cum loquimur quòd intellectus efficaciter moueat voluntatem, non loquimur de intellectu ſpeculatiuo, ſed de Practico,in quo reſidet Prudẽtia quæ eſt rerum agibilium. vnde quando eſt imperium efficax intellectus, iam nulla libertas eſt in voluntate ad contradicendum. ergo efficaciter mouet.

Nota. quamuis verum ſit quòd intellectus mouet voluntatem,& ſimiliter voluntas mouet intellectum, ne autem detur circulus aut progreſſus in infinitum, deueniendum eſt ad vnum primum imperium, & tale eſt intellectus,quod antecedit omnem actionem voluntatis.

Vt voluntas in ſuũ obiectũ feratur requiritur iudiciũ intellectus. 6. Dico quartò. *ad hoc vt voluntas in ſuum obiectum feratur, requiritur iudicium intellectus, quod obiectum voluntati proponat tanquam conueniens aut diſconueniens.* DECLARATVR. ſicut enim æſtimatio in Potentia ſenſitiua bruti mouet appetitum. nam propoſitis ſibi duobus pabulis,experimur,potius ad vnũ quàm ad aliud ferri, quod ideo accidit,quia facultas æſtimatiua hoc pabulum iudicat magis ſibi eſſe conueniens quàm illud. *Idem* dicendum de voluntate, quòd ad efficacem illius motionem non ſufficit ſimplex apprehenſio. ſi enim ſic: omnia æqualiter eſſent appetibilia vel fugienda,quod eſt falſum.ſed requiritur vt intellect⁹ iudicet, quòd hoc bonum ſit conueniens aut diſconueniens.

Nota per *iudicium Intellectus* intelligimus apprehenſionem & æſtimationem alicuius boni,ſub ratione conuenientiæ aut diſconueniẽtiæ, commodi aut incommodi, quod quidem debet eſſe intellectus Practici his verbis expreſſum: *Hoc fac, hoc ama.* ſed de hoc Imperio inferius dicemus.

QVÆ-

QVÆSITVM II.
An Appetitus Senſitiuus moueat voluntatem?

7. AD Quæſitum dico primò. *Pro certo habendum eſt, quòd Appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem.* ita affirmat S. Scriptura Dan. 13. *Concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me, &c.* 1. Petri 2. *Carnalia deſideria militant aduerſus animam.* Deniq; ipſi experimur, vt ſi quando contingat, quòd aut fomes concupiſcentiæ, aut furor iræ, in appetitu ſenſitiuo exardeſcit, quantum nobis negotij, moleſtiarum, exhibeant, & quàm graues contentiones in nobis excitent, dum illis reſiſtimus, & quandoque voluntatem quaſi collo obtorto in quæuis abominanda exercenda trahunt.

Difficultas reſiſtendi vitijs.

Quid facit motionem voluntatis,

Dico ſecundò. *hanc motionem voluntatis facit appetitus ratione obiecti.* PROBATVR Iacobi 1. *vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* ſed nemo à concupiſcẽtia abſtraheretur, niſi appetitus ſenſitiuus in quo eſt cõcupiſcentia, moueret voluntatem. ergo appetitus ſenſitiuus ratione obiecti mouet voluntatem. *Præterea* illud mouet voluntatem ex parte obiecti, quod ab intellectu apprehẽditur ſub ratione boni & conuenientis. ſed appetitus efficit, vt obiectum appareat conueniens ipſi intellectui, & ſic voluntati proponitur expetendum. ergo Appetit⁹ ſẽſitiu⁹ in quo ſũt paſſiones mouet voluntatem ex parte obiecti.

8. Dico tertiò. *Licet modus quo appetitus mouet voluntatem ſit indirectus & ex parte obiecti, magna tamen eſt vis ac vehemens appetitus ſenſitiui, quâ voluntatem ex quadam colligatione ac redundantia trahit, ita, vt non ſolùm ex parte obiecti, ſed etiam ſubiecti moueat.* vnde ratio, & voluntas facile ad illud afficiuntur; ad quod propendet appetitus qui eam allicit, vt illud expetat quod ille appetit: quandoque impediendo voluntatem ab exercitio operationum quæ illi cõueniunt. & quemadmodum cùm in aliqua domo vxor & filij aliquam rem vehementer cupiunt, etiam virum in illius rei concupiſcentiam pertrahũt: ita cùm in aliquo homine appetitus afficitur aliqua paſſione erga aliquã rem. afficitur & voluntas, & tandem & ipſe intellectus.

Nota. quando Paſſio trahit ſecũm voluntatem ex colligatione & redundantia, ſemper intellectus immutatur, non quidem in iudicio, ſed in imperio. nam paſſio eſt in cauſa, quod intellectus imperat hoc vel illud eſſe faciendum, ſine quo voluntas non operatur. cùm autem hæc paſſio trahit voluntatem, atq; etiam intellectum, non ſic iudicium eius affi- cit, vt ſemper illud bonum iudicet eſſe conueniens, ad quod paſſio trahit, ſed vel ex diſſimulatione, aut ex quadam inanimaduertentia imperat.

Quãdo mutatur intellectus.

QVÆSITVM III.
An voluntas moueat ſeipſam?

Motio qua voluntas ſe ipſam mouet duobus cõtigit modis.

9. HÆc motio qua voluntas ſeipſam mouet, dupliciter contingit: *primò* ad intentionem finis. *ſecundò* ad electionem mediorum.

Dico igitur primò. *voluntas ſuppoſita intentione finis mouet ſeipſam ad electionem mediorum.* PROBATVR. voluntas ſuarum actionum vt ſunt liberæ, eſt Domina. atqui electio mediorum vt ipſum nomen *Electionis* ſignificat, eſt actio libera. ergo à voluntate procedit. *Deinde* electio mediorum eſt à voluntate tanquam à principio vt tali, eſt quoq; cum deliberatione præmiſſa, & cum facultate ad vtrumlibet extremum, vt poſſit velle & nolle. ergo voluntas ſuppoſita intentione finis mouet ſe ad electionem mediorum.

Quod ſeipſũ mouet debet eſſe ſimul in actu & potẽtia.

Item id quod ſeipſum mouet, debet eſſe ſimul in actu & in potentia, vt 3. *Phyſ.* de motu dicitur, *quòd ſit actus Entis in potentia.* ſed voluntas quoad intentionẽ finis, quã ſupponimus eſt in actu, & quoad electionẽ mediorum eſt in potentia. ergo ſeipſam mouet.

Inſtabis ſuperius determinauimus, quòd intellectus mouet voluntatẽ, quomodo igitur voluntas mouet ſeipſam? *Reſpondeo*, quod ab intellectu mouetur quoad ſpecificationem, à ſeipſa verò quoad exercitium: ab illo obiectiuè, à ſeipſa phyſicè, effectiuè actum volitionis virtute ſua intra ſe eliciendo.

Quomodo volũtas mouetur ab intellectu & quomodo à ſeipſa?

10. Dico ſecundò. *voluntas ad intentionem finis non mouet ſe propriè.* PROBATVR. finis in moralibus eſt quid primum, ad quod cætera referuntur. nã voluntas primò intendit finem, & tãdem ſequitur deliberatio, & electio mediorum ad talem finem. ergo voluntas ad finem non mouetur propriè. *Deinde* ſæpè ex improuiſo ante omnem deliberationem oritur in nobis intentio alicuius finis, vel per inſpirationes à Deo immiſſas, aut ab Angelo excitata, aut ab amicis, aut ab obiectis de repente occurrentibus. & ſic quamuis voluntas effectiuè & phyſicè eandem intentionem finis producat, tamen non moraliter, quia non præmiſſa deliberatione. ergo ad eam non mouet ſe.

QVÆSITVM IV.
An voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio?

11. EX Quæſito præcedenti notum eſt, quòd tunc voluntas cùm eligit media ſeipſam mouet, mediante conſilio & deliberatione, nunc de externo principio mouente voluntatem inquirimus

Dico primò. *voluntas ſecundùm quod*

mouetur

mouetur ab obiecto, tunc tanquam ab exteriori principio mouetur (vt iam dictum) Dico ſecundò. *eadem voluntas inquantum mouetur ad exercitium actus, neceſſariò ab aliquo exteriori moueri debet.* PROBATVR. omne id quod quandoq; eſt in potentia, quandoq; in actu, indiget moueri ab alio actualiter mouente. ſed voluntas ſic ſe habet, quòd prius ſit in potentia poſtea in actu, nam incipit aliquando velle id quod antea non volebat. ergo indiget exteriori mouente.

Quomodo voluntas ſe mouet?

Sed quæres voluntas cùm vult finem an moueat ſeipſam? *Reſpondeo*, quòd non mouet ſeipſam, ſed neceſſe habet, vt moueatur in finem ab alio exteriori mouente. *Probatur.* tunc voluntas dicitur ſe mouere, quando mediante deliberatione & conſilio, applicat ſe ad operandum. ſed de fine nulla eſt deliberatio, nullum conſiliũ. nemo enim de ſanitate niſi mente captus deliberat, an ſit appetenda? ergo in appetitione finis voluntas ſe non mouet.

Nota. verum quidem eſt, quòd voluntas volitionem finis efficienter intra ſe producit. Ipſa enim eſt quæ amat finem, & ſic ad actũ amandi producendum efficienter concurrit ſed tamen vt eam volitionem producat, inſtinctu alterius mouentis opus habet.

QVÆSITVM V.

An voluntas moueatur à corpore cæleſti?

12. DIco ſeptem pro determinatione Quæſiti. Dico primò. *Corpora cæleſtia non mouent voluntatem directè, ita quod in eam virtute ſua influant, eandemq́, efficaciter ac neceſſariò moueant.* PROBATVR. nullum corpus poteſt agere in rem omnino incorpoream. ſed intellectus & voluntas ſunt animæ facultates immateriales. ergo in eas agere non poteſt.

Voltas nõ mouetur directè à corpore cæleſti.

Obijcies primò. Phantaſma eſt res corporea, & hoc in intellectu qui eſt incorporeus ſpeciem intelligibilem producit. ergo res corporea in incorpoream agit. *Reſpondeo* ex mente D. Th. in *1. p. q. 84. a. 6.* cognitio ſenſitiua non eſt cauſa cognitionis intellectiuæ, ſed ſolam materiam præbet, ex qua intellectus agens abſtrahit ſpecies intelligibiles. *vel reſpondeo ſecundò.* Phantaſmata mouent quidem intellectum, tamen non in propria virtute, ſed intellectus Agentis.

Quomodo phantaſmata mouēt intellectum?

Obijcies ſecundò ignis inferni eſt corporeus, & agit in animas damnatorũ, quæ ſunt ſpiritus. & Aqua Baptiſmi pertingit ad deletionem peccati originalis. *Reſpondeo* quòd res corporea eleuata virtute ſupernaturali Diuina, benè poteſt agere in ſpiritus, atque etiam effectus immateriales producere vt videbimus in materia de Sacram & de Nouiſſ.

13. Dico ſecundò. *Voluntas poteſt eo modo moueri à corporibus cæleſtibus, ſicut mouetur ab obiecto exteriori, v. indirectè.* PROBATVR. manifeſtum eſt ex 2.

Voluntas a corporibus cæleſtibꝰ moueri poteſt indirectè.

Quæſito huius Diſputationis, quòd obiectum appetitus ſenſitiui mouet voluntatem. ſed appetitus ſenſitiui cùm ſint corporei, ſubijciuntur corporibus cæleſtibus. ergo quia corpora cæleſtia mouent appetitus ſenſitiuos, & hi voluntatem in ratione obiecti. vnde indirectè voluntatem mouent.

Corpus cæleſte dupliciter mouet voluntatẽ.

Nota dupliciter corpora cæleſtia ex parte obiecti & indirectè mouere poſſunt voluntatem: *primò* cùm in appetitu ſenſitiuo efficiunt aliquod obiectum, quod ſit voluntati noſtræ conueniens aut diſconueniens, & tũc ad illud expetendum, aut repellendũ afficiunt voluntatem, vt hyeme cùm frigus eſt productum, ex hoc appetitus ſenſitiuus iudicat eſſe conueniẽs vt voluntas calorem expetat. è contrario in æſtate efficiunt calorem, & tunc appetitus trahit voluntatem, vt frigus & vmbras quærat. *ſecundò* immutando organa potentiæ ſenſitiuæ. nam ex influxu & impreſſione virtutis cæleſtis, poteſt ita afficere organi diſpoſitionem, vt id quod eſt dulce, iudicet eſſe amarum, aut è contra.

14. Dico tertiò. *Licet corpora cæleſtia ex parte obiecti imprimendo illud in appetitu ſenſitiuo moueant voluntatem, nunquam tamen virtute ſuâ pertingunt ad voluntatẽ, nec illi aliquam qualitatem imprimunt, quæ eam coarctet ac neceſſitet ad hoc vel illud agendum, ſed voluntas libera manet, & liberas electiones de medijs conferentibus ad hunc vel ad illum finem inſtituit.* PROBATVR. contrarium ſentire eſt error in fide, quia adimit homini liberum arbitrium S. Scriptura affirmante, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eũ in manu conſilij ſui.* & Ptolomæus aſſerit: *vir ſapiens dominabitur aſtris.* & D. Chryſ. Homil. 9. T. 5. *Quanquam corpora cæleſtia diuerſas cauſent complexiones, & diuerſos effectus in appetitu ſenſitiuo, ex quibus indirectè voluntas inclinatur ad aliquid ſaciendum vel reſutandum, nihilominus tamen voluntas libera manet ad reſiſtendum paſſionibus appetitus ſenſitiui.* Domino præcipiente Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* vide D. Th. 3. *con. gen. cap.* 84. & 85.

Quæ Aſtrologia eſt damnata ab Eccleſia.

Dico quartò *Illa Aſtrologia damnata eſt ab Eccleſia, quæ quandam neceſſitatem & fatalem curſum rerum inducit*: quanquã enim Deus impoſuit aſtris neceſſitatem, vt ſemper ſecundùm eandem rationem moueantur, ipſe tamẽ eſt Dominus, Creator, & ſupra omnem neceſſitatem ſupremus omnium moderator, qui ſolis curſum tempore Ioſue inhibuit, & tempore quo Chriſtus paſſus eſt, ſolis defectionem miraculoſam fecit.

Quæ Aſtrologia conceſſa eſt.

15. Dico quintò. *Illa tamen conceſſa eſt, quæ colligit ex aſtris effectus, qui vt plurimum eueniunt*, vt ſunt ſiccitates, humiditates. ſed neq; in his certitudo eſſe poteſt: quia omnium ſtellarum curſus, coniunctiones, oppoſitiones, noſſe oportet, quod humanum ingenium videtur ſuperare.

In Aſtrologia quid damnatur.

Dico ſexto. *illud etiam damnatur in hac ſcientia, quaſi cælum homines, ad fraudes, ad adulteria homicidia, ſolicitet.* nam corpora cæleſtia quia à Deo creata ſunt, idcirco ſunt bona. ergo in bonũ inclinant. ijdem cæli ſecundùm præſcriptum voluntatis Diuinæ circumferuntur, & munus ſuum exercent, ſed præſcriptum Dei non ſolicitat ad malum.

Qui damnantur ab Eccleſia.

Dico ſeptimo. *Maximè hi damnantur ab Eccleſia. qui effectus futuros liberos, qui à voluntate hominum dependent, ex ſtellarum conſtitutione prænuntiant.* ita definit Cõcilium Braçcarenſe ſub Ioanne Tertio

tio Can. 9. *Si quis animas & corpora humana fatalibus ſtellis credit aſtringi, anathema ſit.* & Toletanum primum ſub Anaſtaſio Papa, & Honorio Imperatore in confeſſione fidei. *Si quis Aſtrologiæ & Matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit.* vnde vnicuique tenendum eſt, quòd liberum arbitrium, timore Dei perculſum, auxilijs gratiæ Diuinæ adiutum, omnes ſtellarum conſtellationes & inclinationes ſuperare poteſt.

QVÆSITVM VI.

An Deus moueat voluntatem tanquam exterius principium?

16. DVran. in *2. diſt. 1. quæſt. 5.* aſſerit voluntatem noſtram pendere à Deo ſolùm quoad exſiſtētiam & conſeruationem, non autem quoad operationem. Contra quem Dico. *Solus Deus tanquam principium exterius, poteſt mouere voluntatem in genere cauſæ efficientis, & quoad exercitium.* PROBATVR Iſaiæ 6. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis.* ad Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.* Ioan. cap. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Probatur Rationib⁹

Solus Deus poteſt mouere voluntatem in genere cauſæ efficientis.

Ratio prima. quemadmodum quælibet res naturalis habet ſe ad ſuū motū naturalē ita & voluntas habet ſe ad ſuū motū volūtariū. ſed quęlibet res poteſt quidem mouere rem naturalē, vt lapidem. vt cum homo lapidem ſurſum proijcit, ſed non poteſt naturalem motum producere, niſi illud quod eſt cauſa lapidis, vt dicitur 8. Phyſ. tex. 17. 29. *Generans mouet leuia & grauia ſecundùm locum.* ita voluntatē poſſunt exteriora mouere (vt iam dictum) ſed nullum horum poteſt cauſare motum voluntarium, niſi quod eſt cauſa illi⁹, & talis eſt ſol⁹ De⁹. ergo Deus efficiētèr mouet volūtatē.

17. *Obijcies.* homo non eſt author lapidis, & tamen actiuè ad eius motū naturalem concurrit, cùm illum deorſum proijcit *Reſpondeo.* quòd homo proijciens lapidem deorſum, imprimit illi virtutem: vnde etiam celeriùs mouetur, atq; hic motus non erit illi naturalis.

Ratio ſecunda. eſt illud Axioma ex l. de cauſis. *Prima cauſa immediatius attingit effectum, quàm cauſa ſecunda.* ex quo ſic arguo. Deus eſt cauſa prima ſuprema, efficiens, vniuerſalis. ergo ab illo omnes aliæ cauſæ dependent. ſed non tantum (vt voluit Duran.) in genere Entis, ſed formaliter, vt ſunt cauſæ. ergo Deus cum illis efficienter concurrit ad agendum, nec ſine eo effectus ſuos producere poſſunt. ergo idem de voluntate ſentiendum.

Ratio tertia. bonum inquantum eſt apprehenſum, mouet voluntatem noſtram, & hoc ipſum bonum cùm intellectus noſter apprehendit, voluntati præſentat, & per modum ſuadentis mouet, manifeſtando quòd ſit illi conueniens. at ſi contingat quòd voluntati manifeſtetur aliquod ſummū, & vniuerſale bonum, illud iam efficienter rapiet voluntatem noſtram. ſed

ſed hoc bonum ſolus Deus manifeſtat, qui dicit: *Ego oſtendam tibi omne bonū*, & hoc *omne* ac ſummū ipſe eſt De⁹, quòd Beatis ſeipſum clarè videndum præſentans manifeſtat. ergo ſol⁹ De⁹ efficienter mouet voluntatem.

18. *Quæres* quæ cauſa cur bonum particulare non mouet efficaciter? *Reſpondeo*, quia in particulari bono ſēper eſt aliquid quod ſit diſconueniēs aut incommodum: in ſummo autem bono nihil incommodi, ſed ſummè eſt cōueniens, & ideo efficaciter mouet.

Quæres ſecundò. cur hic motus quo Deus mouet voluntatem non ſit violentus cùm ſit ab extrinſeco? *Reſpondeo.* quia ſolus Deus eſt tale principiū exterius, quod per Eſſentiam, præſentiam, potentiam, eſt intimè in omnibus rebus, & qui in re mobili cauſat principium intrinſecum motus. cùm igitur Deus ſit ſolus, qui voluntatem creauit, & ad volendum dedit illi principium intrinſecum, & ideo immediatè illi voluntas ſubiacet, & ille ſolus eſt qui influit in volūtates humanas. ergo ſolus eſt qui modo conuenienti & connaturali per modum efficientis mouet voluntatem.

Ad motum volūtatis & Deus & voluntas actiuè concurrunt.

Quæres tertiò. ad motum voluntatis an Deus actiuè, & voluntas quoque actiuè concurrat? *Reſpondeo*, quòd & Deus actiuè, & voluntas actiuè ad eandem actionem concurrit. *Probatur* volitio eſt actio vitalis voluntatis noſtræ. ergo à principio intrinſeco illius eſſe debet. *Deinde* volitio eſt operatio noſtra, quod ſi noſtra. ergo ad eā actiuè concurrimus, *Præterea* Deus ſe ſolo operationes voluntatis creatæ non poteſt producere. poteſt quidem actū volendi in genere Entis aut qualitatis ſimplicis producere ſe ſolo, ſed nō in genere actionis cùm ſit quid vitale, vnde à principio intrinſeco volūtatis neceſſe eſt vt procedat.

Duobus modis mouetur à Deo voluntas.

19. *Quæres quartò.* quot modis mouet Deus voluntatem? *Reſpondeo* duobus: *primus eſt* infundendo voluntati aliquos nouos habitus & virtutes, tā naturales quàm ſupernaturales, quibus voluntas promptior ad agendum redditur: aut etiam in potentijs inferioribus, vt in iraſcibili, aut concupiſcibili, infundendo illuſtrationes, pias affectiones, quibus in obſequium intellectus & voluntas alacriores efficiantur. *ſecundus* non immittendo aliquam qualitatem, ſed concurrendo per ſuam infinitam virtutem cum voluntate noſtra. *Probatur* D. Th. 1. p. q. 195 a. 5. inquit. *Deus mouet creaturas, non ſolùm producendo & conſeruando, ſed etiam applicando earum virtutes, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum.* ergo Deus concurrit cum creaturis tanquam cum inſtrumento. ſed agens principale influit virtute in inſtrumētum. ergo & Deus ſuâ infinita virtute influit immediatè in actionem volūtatis.

20. *Obijcies* concludit argumentū de creaturis ratione carentibus, ſed non de homine. *Reſpondeo* etiam de homine concludere. ita enim D. Th in 1. 2. q. 21. a. 4. ad. 2. *Homo ſic mouetur à Deo ſicut inſtrumentum*, nec hoc impedit quin homo ſeipſum moueat per liberū arbitrium. ſolus igitur De⁹ eſt, qui phyſicè & efficienter mouet voluntatem.

Habitus qui ſunt in voluntate ſunt duplices.

Obijcies ſecundò habitus ſunt in voluntate, & hi voluntatem efficienter mouent? ergo non ſolus Deus. *Reſpondeo*, quòd hi habitus aut ſunt ſupernaturales, & ſic illorum motio fit Diuina virtute, vnde in Deum referendā: aut ſunt naturales, ſtudio acquiſiti,

ſiti, & hi vt ſunt in voluntate, ita virtute voluntatis mouent ad operandũ, vnde non ſeipſis mouent.

Obijcies tertiò intellect⁹ quoq; mouet efficaciter volũtatẽ. ergo non tãtum Deus. *Reſpondeo* nos loqui de exteriori principio, quale eſt Deus, intellect⁹ verò cũ ſit animæ facultas, pro intrinſeco principio iudicari debet.

Nota de Angelis tam bonis quàm malis dicendum, quòd hi turbando humores corporis, mouendo phantaſmata corporea, quibus in præſenti vita cogitatio noſtra alligata eſt, poſſunt mouere: ſed hic motus non erit naturalis voluntati, nec directus, ſicut cùm Deus eandem voluntatem mouet.

DISPVTATIO III.

De Modo quo Voluntas mouetur.

Sicut vnaquæq; res, ita & voluntas apta eſt moueri, eo modo qui ſibi ſit cõnaturalis. De hoc modo quatuor inquiremus.

1. *An voluntas naturaliter moueatur ad aliquid?*
2. *An neceſſariò moueatur à ſuo obiecto?*
3. *An à paſſione de neceſſitate moueatur?*
4. *An à principio exteriori, quod eſt Deus, moueatur neceſſariò?*

QVÆSITVM I.

An Voluntas naturaliter moueatur ad aliquid?

Natura duobus modis accipitur.

1. NOto primò. Cum D. Th. Hoc nomen *Natura* varie ſumitur: *Primò* in rebus mobilibus ſumitur pro primo principio intrinſeco vt Materia & Forma. *ſecundò* dicitur eſſe natura quælibet ſubſtantia, quodlibet Ens, & id quod ei conuenit, ſecũdùm ſubſtantiã, dicitur eſſe naturale.

Volũtas dupliciter conſideratur & deſinitur.

Noto ſecundò cum Caiet. hîc. Voluntas dupliciter conſiderari poteſt. *primò* vt eſt natura quædam: *ſecundò* vt eſt libera. *voluntas, vt natura,* eſt quædam res habens talem naturam, per quam apta eſt velle. *Voluntas vt libera,* eſt quæ libero arbitrio eſt prædita, & in ſuis operationibus liberè procedit

Voluntas vt res in cauſando diſtĩguitur à volũtate vt libera.

Ex quo nota. quòd voluntas vt eſt Res ſeu Natura, non diſtinguitur à voluntate vt eſt libera, ſed ſolùm in modo cauſandi diſtinguuntur. quia ea res quæ naturam habet eſt ad vnũ determinata: voluntas verò in quãtum eſt libera potẽtia non eſt ad vnũ determinata: ſed indifferens ad vtrũ libet extremum: & ſic hic vterque

Quomodo cōueniat?

modus cauſandi voluntati conuenit *Primò conuenit* ei vt eſt quædam natura, nam competit ei vt poſſit determinari ad vnum: *ſecundò* vt eſt potentia libera, vt ad vtrumque extremum poteſtatem habeat. Et hi duo modi cauſandi non ſunt duæ res, aut duæ cauſæ ſed ſunt duæ rationes diuerſæ in genere cauſandi. Et quemadmodum vnus eſt Intellectus, & tamen duos modos operandi habet. nam *alius* eſt quo concluſionibus per diſcurſum aſſentitur; *& alius* quo principijs ſimplici intelligentia per ſolā apprehenſionem terminorū ſine vllo diſcurſu præbet aſſenſum: ita voluntas vna eſt, ſed duos diſtinctos modos operandi exercet. vt enim eſt quædā Res naturalis ita apta eſt velle, & ad vnum determinari: vt verò eſt libera, ſic operatur liberè, & cum indifferentia ad vtrumlibet. cū autem in vnaquaq; re priùs eſt natura, quàm operatio, neceſſe eſt vt in volūtate priùs agnoſcamꝰ naturā & illiꝰ modū naturalē cauſādi & tādē liberā operationē, & ſic priùs eſt velle, quā liberè velle. Hoc notato ad Quæſitū.

Intellectus duos habet operādi modos ſicut & voluntas.

2. Dico *Voluntas ex ſua natura in quā tum eſt volitiua boni, naturaliter fertur in bonum commune.* PROBATVR quod alicui conuenit tanquam principium reliquorum, id ei eſt naturale: ſed bonum in communi conuenit voluntati tanquam principium reliquorum volitorum: ergo in bonum commune naturaliter fertur. *Item* Sicut ſe habet primum Principium in ſcientijs; ſic ſe habet vltimus finis, qui eſt idem quod bonum in communi, in rebus agendis. ſed intellectus prima principia naturaliter cognoſcit. Ergo & voluntas id quod eſt primum in ordine volūtarij naturaliter cognoſcit. Sed talis eſt Finis vltimus ſeu bonū in cō muni. ergo illud naturaliter cognoſcit. *Item* quælibet potentia naturaliter fertur in ſuum obiectum. ſed obiectum voluntatis eſt bonum in communi. ergo ad illud naturaliter fertur.

3. *Nota* cùm dicimus *quòd voluntas naturaliter ſeu neceſſario ad aliquid fertur.* intelligimus quoad ſpecificationem, non quoad exercitium actus: nec ita neceſſariò fertur quoad ſpecificationem quaſi voluntas cum dicit actum, neceſſariò appetat bonum in communi, ſed quia nihil appetit cui non cōpetat ratio boni. ideo autem quoad exercitium actus, non neceſſariò mouetur, quia in hac præſenti vita intellectus noſter à quacunq; cogitatione & cognitione ceſſare poteſt; & nō eſt aliquod obiectum ita perfectum etiam ipſius beatitudinis, cuius deſitio non ſit: & hoc aut propter nouū interueniens obiectum, aut quòd poſterior cogitatio impedit priorē, aut ex tædio, aut ex fatigatione, aut ob requiē corporis. vnde apparet quòd nullas actiones perpetuas in hoc ſtatu vitæ habere poſſumus. ergo volūtas quo ad exercitium actus, non mouetur neceſſariò.

Volūtas [illegible] mouetur neceſſariò.

Cur ceſſat intellectꝰ à cognitione

Nota ſecundò. Voluntas noſtra quoad ſpeciem actus circa has perfectiones, vt *Eſſe, viuere, ſentire, intelligere, habere* organa corporea, & eorum conſeruationem *velle* neceſſario ſe habet *Ratio* quia ad ea appetenda naturalem inclinationem habet. Poſſunt tamen aliquando hæ perfectiones odio haberi, ſed hoc per accidens, aut alicuius grauioris incōmodi euitandi gratiâ, vt Iob ob acres dolores dicebat: *Tædet animam meā vitæ meæ*. Et D. Paulus dicebat ob ſpē maioris boni cōſequēdi: *Cupio diſſolui & eſſe cū Chriſto*. Hæc tamē præcisè & in ſe cōſiderata nullo modo voluntas repudiare poteſt.

Volūtas circa quæ neceſſariò ſe habeat?

Perfectiones certæ odio habentur interdū

QVÆSITVM II.

An Voluntas à ſuo obiecto neceſſariò moueatur?

4. DVo colligimus Dicta ex 2. art. S. Doct. inſinuata in præcedenti Quæſito. vnde. Dico primò. *Voluntas quo ad exercitium actus à nullo obiecto neceſſariò mouetur.* PROBATVR vnusquiſque pro arbitrio ſuo poteſt à cognitione ſuſcepta alicuius obiecti deſiſtere (vt iam deductum eſt.) ergo non neceſſitatur.

Dico ſecundò *Eadem voluntas quantum ad ſpecificationem actus ab aliquo Obiecto poteſt neceſſariò moueri, ab alio verò minimè.* PROBATVR Si quando voluntati aliquod tale vniuerſale bonum ſecundùm omnem conſiderationem tanquam ſibi conueniens præſentetur, qualis eſt beatitudo, tunc neceſſariò ad illud mouebitur. Si verò aliquod bonum particulare proponatur in quo contingat eſſe defectum ab aliquo bono, ſic ſumptum bonum non neceſſariò mouet voluntatem, ſed illud repudiare poteſt.

Quomodo neceſſitantur beati?

5. *Obijcies contra primum Dictum* In patria etiam quoad exercitium actus neceſſitantur beati, quia Deũ neceſſariò amãt. *Reſpondeo primò.* nos loqui de ſtatu præſentis vitæ colligimus ex ratione D Th. qui dicit, quòd poſſit ceſſare à cogitatione, quod in ſtatu beato non contingit. *Reſpondeo ſecundò* quòd hæc neceſſitas nõ prouenit ex obiecto, ſed ex natura ipſius voluntatis nam hæc eſt natura & inclinatio voluntatis; quod quando habet obiectum præſens ſummè bonum, & in quo nulla ratio mali appareat, vt in patria accidit, tunc neceſſariò in illud mouetur: ſicut ſi à lapide impedimentum omne remotum fuerit, lapis naturaliter fertur in centrum: ita de voluntate dicẽdum. Hæc quoque neceſſitas accidit ex Deo, qui eſt author voluntatis, & quando intellectus lumine gloriæ illuſtratus, hoc imperio efficaci, *Hoc ama*, rapit volũtatem ad amandum Deum.

Sed quæres. Cur in præſenti vita nõ ita neceſſariò mouetur voluntas vt in beata. *Reſpondeo* id prouenire *primò* ob imperfectionem noſtri intellect⁹ in hoc ſtatu, qui ob impedimenta occurrentia facile diſtrahitur; beati verò Intellectùs in vita beata, nullo impedimento à conſiderando ſummo bono diſtrahitur. *ſecundò* quia Iudicium hominis in vita beata eſt certum & euidens, quo iudicat, quòd perſeuerantia in ſummo bono ſit felicitas hominis: in præſenti verò vita poteſt homo propter aliarum rerũ contemplationem ſe à ſummo bono auertere, vnde eius iudicium nõ eſt certitudine firmatum.

QVÆSITVM III.
An Voluntas neceſſariò à Paſsione moueatur?

Paſſio volũ tatẽ neceſ- ſitat.

6, DVbium Quæſiti duobus Dictis reſoluo.: vnde Dico primò. *S contingat appetitum ſenſitiuum in tā- tum vehementem eſſe,vt omne iudicium rationis & vſum illius impediat & tollat, tunc paſſio neceſſariò voluntatē mouebit*, PROBATVR *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* ſed homo tunc equo & mulo ſimilis euadit, cum ſequendo vehemētes concupiſcentias Intellectum amittit: & vt in equo & mulo, ita & in homine vehemens concupiſcentia dominium ſibi actionum vſurpat.

Secundò Ad Epheſ. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Per *Solem* hic intelligunt Patres lumen intellectus vnde ſenſus verborum *Iracundia veſtra non ſit tam vehemens quæ omnino obnubilet Intellectum illiusq́; lumēn ac iudicium obtenebret.* Et Sācti Patres vt D.Greg. Niſs. *orat. 2.* de Creat. hominis: Appetitus vehementes *Beſtiarum* nominibus appellat. *Tertiò* Genes. 1. *Creauit Deus hominem vt præeſſet beſtijs*, hoc eſt *proprijs affectibus & concupiſcentijs*, quæ nos brutis ſimiles faciunt. Deut. 7. Cur Deus omnes gentes in circuitu Iudæorū nō ſuſtulerit, hæc cauſa aſſignatur. *ne fortè multiplicarētur beſtiæ agri contra ipſos.* hoc eſt, ne populus Domini ob nimiam proſperitatem beſtiarū cupiditates ſequeretur Et Ariſt. 7. *Ethic. cap. 3.* dicit quòd Ira & cupiditas homines in furorem ac inſaniam vertat.

Probatur ratione. Sublato iudicio rationis, manent ſoli appetitus ſenſitiui, vt in amentibus & brutis, & hi voluntatem illorum ad varia neceſſitant. ergo paſſio ſublato Iudicio rationis voluntatem neceſſitat.

Nota In amentibus eſſe quidem Actus, ſeu motus voluntatis, in quantum v. voluntas eſt natura, non autem vt eſt libera, vnde in illis motus voluntatis non habet ſe actiuè ſed paſſiuè: nam vt bruta ita furioſi quôdam impetu mouentur.

In amen- bus volun- tas ha- paſſiuè.

7. Dico ſecundo. *Si paſſio aliquo modo obnubilet rationem, ſed nihilominus manet iudicium rationis, tunc voluntas libertate ſua, poterit reſiſtere paſſioni, & non neceſſariò mouetur.* PROBATVR. ad iudicium rationis liber motus voluntatis conſequitur. Sed in hac perturbatione manet iudicium rationis. ergo & liber motus voluntatis.

Nota non eſſe in noſtra poteſtate vt motus concupiſcentiarum non inſurgat: ſed in noſtra poteſtate eſt, vt illis reſiſtamus. vnde præceptum Domini. *Non concupiſces.* nō prohibet vt in nobis non ſint motus concupiſcentiæ, nam hi ſunt motus *Primò primi*, qui non ſunt in noſtra poteſtate: ſed prohibet ne velimus, & ne cōſentiamus concupiſcentiæ.

Nota ſecundò. Quādo dicimus quòd *Paſſio vehemens neceſſitat voluntatem* non ſic intelligas, quaſi appetitus ſenſitiuus directè in voluntatem agat; nam iam determinauimus quòd ſolùm indirectè

Appe- ſitiuus ... diante ... ne agit ... volun...

directè & mediante ratione, in-quantum v. perturbatus Intellectus apprehenſum bonum voluntati repræſentat, & quia tunc agit confusè non diſtinctè, agit vt natura ſeu vt facultas mera naturalis, non vt rationalis.

Quomodo iudiciũ rationis opprimitur? *Quæres* Quidnam ſit Iudicium Rationis à paſſione vehementi opprimi? *Reſpondeo* libertas quæ in voluntate eſt formaliter, & intellectu radicaliter, conſiſtit in indifferẽtia, quæ ſe ad vtrumlibet habet. & quia hæc indifferentia quo ad actum ſuũ pendet ex vſu inferiorum ſenſitiuarum potentiarum, & ex certa corporis diſpoſitione. vnde ſi contingat hanc diſpoſitionem ex vehementi paſſione perturbari & immutari, iam tunc indifferentia quoad actum ſuum, & quoad vſum inferiorum potẽtiarum impeditur, vt non poſſit conſiderare quæ ad rem ſpectant, & ſic dicitur Iudicium opprimi. Ad has paſſiones vincendas implorandum ſpeciale auxilium gratiæ Diuinæ.

QVÆSITVM IV.

An Voluntas à Deo neceſſariò moueatur?

8. SVppono primò. quòd Deus efficienter & phyſicè in omnes actiones voluntatis noſtræ influat: nec ſolùm indirectè conſeruando voluntatem vt exſiſtat, ſed etiam directè virtute ſuâ entitatem actionum attingendo.

Voluntas liberè mouetur à Deo. *Suppono ſecundò*. quòd neque coactè mouet voluntatem. nam coactio fit à principio Externo vim non cõferente paſſo; hoc eſt, quòd paſſio nihil iuuat ſed reluctatur; iam verò actio voluntatis eſt in illa permanẽs & ſpontanea, vnde conſentiendo & cooperando confert vim ad agendũ; & ſic coactè à Deo non mouetur. Nunc dubium reſtat de Neceſſitate. *An mouendo inſerat illi neceſſitatem?* Ad cuius reſolutionem.

Dico *Deus mouendo voluntatem noſtram, nullam illi neceſſitatem infert* PROBATVR. ad prouidentiam Diuinam ſpectat rerum naturas quas creauit non deſtruere ſed conſeruare. ſed cum quarundam creaturarum alias liberas produxit, alias contingentes, alias neceſſarias, conuenit illius ſuaui diſpoſitioni & concurſui, vt cũ liberis liberè, cum contingentibus cõtingenter, cum neceſſarijs neceſſariò concurrat: ſed cum voluntas hominis ſit libera & indifferenter ſe habẽs idcirco Deus eam liberè & non neceſſariò mouet.

Ratio ſecunda. Deus quando virtute ſua applicat res creatas ad mouendũ id facit eo modo quo illis congruit, & quo vult & ſtatuit. ſed Deus voluit & ſtatuit ut voluntas noſtra liberè moueretur. ergo repugnaret Diuinæ ordinationi ſi voluntas neceſſariò moueretur.

Ratio tertia. Sequeretur quòd in homine non eſſet liberum arbitriũ, nec illius vſus, nec opera noſtra meritoria aut demeritoria eſſent quæ in libertate

bertate fundantur, ſiquidem per motionem neceſſariam Dei, vis voluntati inferretur.

9. *Sed quæres.* de Abſoluta Dei potentia An Deus voluntati humanæ neceſſitatem inferre poſſit? *Reſpondeo* quòd poſſit, ſed quo ad actum ſecũdum non autem quo ad actum primũ; ideo non poteſt quoad actũ primum, quia actus primus eſt aptitudo ad liberè volendum aut nolendum, ita quòd in hoc Eſſentia & natura cõſiſtat voluntatis; & ſic hac aptitudine ſublata, etiam voluntas quo ad actum primum, ſeu quo ad Eſſentiã ſuam aufertur.

Deus Voluntati hominum neceſſitatẽ inferre poteſt quoad actum ſecũdũ non quo ad primum.

Nota Idcirco Theologi aſſerunt quòd in dæmonibus & in damnatis eſt voluntas, non quo ad actum ſecundum, ſiue quo ad exercitium, ſed quo ad actum primum. poteſt autem neceſſitare quo ad actum ſecũdum. *Probatur* Poteſt Deus impedire cognitionem obiecti voluntatis, ergo & remouere obiectũ à voluntate, & ſic nõ poterit volũtas actũ ſuũ exercere, ſiqdẽ in id quod eſt ignotũ nõ fertur.

Ratio ſecunda. Finitum ſuperatur ab infinito. ſed potentia volendi eſt finita in homine, in Deo verò infinita. ergo poſitis requiſitis ad agendum, poteſt impedire, quominus actum ſuum eliciat. Heſter 13. *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.*

10. *Ratio tertia.* Stante hoc fundamento quòd in nobis ſit virtus finita, in Deo infinita; tum poſitis omnibus requiſitis ad agendũ, poteſt Deus voluntati noſtræ, nouam aliquam qualitatẽ imprimere, quæ neceſſariò rapiat volũtatẽ & quo ad ſpeciẽ & quo ad exercitium actus, eãq; determinare vt hoc velit. ergo abſoluta virtute poteſt neceſſitare. *Cõfirmatur* In his qui per prauos habitus ſunt deprauati, videre licet quòd hi tam efficaces ſunt, quòd etiã reluctãtẽ ad vitia rapiant. ſi igitur acquiſitus habit⁹ tantã virtutem habet vt voluntati vim inferat. ergo multò magis Deus poterit aliquã talẽ qualitatẽ imprimere, quæ voluntatem ad hanc actionem eliciẽdam propendentem, poſſit ad contrariam, aut ad diuerſam rapere.

Obijcies Si Deus poteſt neceſſitatẽ inferre. ergo poterit cogere. *Reſpondeo.* non ſequi. nam Coactio & Neceſſitas ſunt diuerſa; in coactione enim tota operatio ab externo prĩcipio dependet, nullam vim conferente paſſo. neceſſitas verò, in eo conſiſtit vt ſit determinata ad vnum modum operandi: vt ignis neceſſariò vrit, & non poteſt frigefacere.

Coactio & Neceſſitas differunt.

Quæres rurſus. ſi Deus poteſt neceſſitatẽ inferre volũtati virtute ſua abſoluta, quæritur an hoc de facto faciat? *Reſpondeo* id Deum nunquã facere, *Deus enĩ omnia diſponit ſuauiter.* Sap. 8. *Et eſt ſuauis vniuerſis.* Pſal. 144.

DISPVTATIO IV.

De Fruitione.

INter alios act⁹ Volũtatis eſt quoque *Fruitio* præſtantiſſima Operatio, quam D. Th. *in lib. 2. quaſt 11.* quatuor articulis complexus eſt; nos facta ſuppoſitione tribus Dictis illius doctrinam complectemur.

Suppono

Suppono igitur in primis. Fruitio vt docet hic *art. 1.* D. Th. ſumpſit nomē à Fructibus, qui vltimo ex arbore exſpectantur & cum ſuauitate percipiuntur. Vnde ſicut in Fructu ſunt duo *Primò* quia eſt vltimum exſpectatum. *ſecundò* quòd illius vſus delectationē pariat: ita Fruitio erit circa eā rē quā tāquā vltimum quid expetiuimus, & in ea cum ſuauitate & delectatione acquieſcimus. *Tandem dico.* Eſſe controuerſum cuius potentiæ ſit Fruitio ſit ne intellectus vt Scotus affirmat. *in lib. diſt. 1. quæſt. 3. Et in 4. diſt. 49. qu. 5. Et Soto in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 4.* An verò ſit voluntatis? vt vult D. Th. Caiet. Medina. Pro determinatione igitur.

Dico *fruitio eſt actus potentiæ appetitiuæ, qualis eſt voluntas.* PROBATVR Sapiē. 2. *Venite fruamur bonis.* hoc eſt in bonis cum iucunditate delectemur. Et D. Aug. *lib. 83. quæſt. 13.* inquit: *Fruamur illis ex quibus voluptatem capimus.* Idem D August. *10. de Trinit. cap. 4.* dicit *Frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam* ſed amor pertinet ad appetitiuam potentiam. ergo & Fruitio eſt potentiæ appetitiuæ. Et *ratio eſt* D. Th. Fruitio ad amorem & delectationem ſpectat quam ex adeptione vltimi exſpectati percipimus. ſed vltimum exſpectatū idem eſt quod finis, qui eſt obiectum volūtatis. ergo ad volūtatē pertinet.

In æterna beatitudine ſunt tria.

2. *Sed quæres.* Cum in Fruitione ſit Amor & Delectatio, quodnam horū ſit proprium? *Reſpondeo* quòd in Fruitione eſt propriè delectatio. nam *frui Deo* non tantùm ſignificat *Amare Deū.* ſed ex illius præſentia iucundari, & optata frui delectatione, vnde tria ſunt in æterna beatitudine, viſio, Amor, & Delectatio. id eſt, Fruitio.

Quæres rurſus. An hæc controuerſia componi poſſit, propter Rationes Scoti quibus contendit fruitionem ad Intellectum ſpectare? *Reſpondeo* Poſſe nimirum hac ratione vt fruitio diuerſo reſpectu ad intellectum & ad voluntatem ſpectet. conſiderata enim fruitio in quantum eſt conſecutio rei deſideratæ, ſic ad Intellectum ſpectat. nam ſummum bonum per ſolam cognitionem intellectus obtinetur, cuius eſt officium apprehendere, cognoſcere, & præſentare obiectum voluntati. Conſiderata verò Fruitio vt amorem Dei denotat ſimul cum delectatione elicita per modum actionis formalis, ſic ad ſolam voluntatem ſpectat. *Probatur* Quia delectatio poteſt eſſe bona vel mala, meritoria vel demeritoria. ſed intellectui non conuenit amare nec mereri, ſed ſoli voluntati. Fauet D. Th. dicens quòd *Fruitio eſt propriè vltimi finis ſeu ſummi boni.* ſed finis vt finis; & bonum vt bonum eſt formale obiectū voluntatis. ergo ad volūtatē ſpectat.

Fruitio diuerſo reſpectu & ad intellectum & ad voluntatem pertinet.

Delectatio multiplex.

Sed quæres tertiò. Poſſibile hoc fieri vt alia facultas obiectum percipiat, & alia ex eo delectationē capiat. *Reſpondeo* Sicut manu apprehendimus cibos, flores, aromata, & ex his voluptatem non manus, ſed guſtus & odoratus ſentit: ita in adeptione ſummi boni Intellectus eſt tanquam manus apprehendens; voluntas verò eſt quaſi ſtomachus, quæ in adeptione rei delectatur.

3. Dico ſecundò. *Fruitio ſecundùm ſuam rationem perfectam ſoli creaturæ rationali conuenit; brutis verò imperfectè, alijs verò rebus naturalibus carentibus cognitione nullo modo conuenit.* PROBATVR *primum.* Fruitio ſumpta propriè, habet pro obiecto Finem cum proportione ad media & circumſtantias. ſed ſola natura

la natura intellectualis intelligit finē & proportionem mediorum ad finē. ergo ſoli rationali creaturæ propriè conuenit.

Probatur ſecundùm. Bruta per ſenſus bona ſua particularia hic & nūc percipiunt. nam dicit D. Aug. *lib. 83. qu.* Beſtias frui cibo potu, non tamē hæc ſub ratione boni aut finis cognoſcūt ſed ſolùm vt ſunt conuenientia ſuæ naturæ percipiunt.

Probatur tertium. quia fruitio non poteſt dari ſine cognitione quæ ſit vel per ſenſum vt in brutis: vel per Intellectum vt in homine. ergo quæ carent cognitione, carent & delectatione, & per conſequens fruitione.

Carentibus cognitione cõuenit quies.

Nota. Rebus carentibus cognitione conuenit quies: nam cum ſuos attingunt fines vt leuia ſurſum, grauia deorſum quieſcunt. Quies brutis conuenit etiam delectatio, quamuis impropriè, reſpectu hominis vt iam probatum. Gaudium verò ſoli creaturæ rationali, ſicut & lætitia, quæ ſe ſignis externis vt geſtu, motu corporis manifeſtat.

Dico tertiò. *Obiectū fruitionis eſt ipſe vltimus finis, qualis eſt illa cæleſtis beatitudo v. viſio & conſortium Dei.* PROBATVR. quia talis vltimus finis vt videre licet in beatis cum quadam delectatione ita quietat & ſiſtit appetitum, vt nihil vltra ampliùs deſideret. ergo fruitio ſolùm eſt propriè vltimi finis.

4. Hinc *Collige primò* in eo non poſſe eſſe fruitionem quòd nullam in ſe delectationem habet, vt medicina amara. vnde non ex ſe, ſed propter aliud, v. ob ſanitatem appetitur.

Quod nullā in ſe delectationem habet in eo poteſt eſſe fruitio.

Collige ſecūdò. quòd in eo in quo eſt delectatio licet non ſit vltimum, poteſt eſſe fruitio, ſed impropriè: quia non quietat deſiderium voluntatis, quæ tamdiu ſuſpenſa manet, donec id quod eſt vltimum conſequatur.

Quæres An fruitio ſit tantùm finis habiti ac poſſeſſi; an etiam poſſit dici illius finis qui in ſpe? *Reſpondeo* Perfectam fruitionem ſolùm eſſe finis poſſeſſi: *Probatur* Fruitio eſt quies interna, ſed hæc quies tunc eſt cum obiectum iam poſſidetur. ergo perfecta fruitio ſolùm eſt finis poſſeſſi. imperfecta verò fruitio poteſt etiam eſſe finis ſeu boni quod ſperatur *Probatur.* Quia cogitatio de ſperato bono poſſidēdo ſuſcepta licet perfecta voluptate animū nōexplcat, tamē quadā ſuauitate dēulcet. ad. Rō. *Spe gaudētes.*

DISPVTATIO V.

De Intentione.

Hæc quatuor de Intentione attingemus.

1. *Quid ſit? Cuius potentiæ? & quo differat à fruitione?*
2. *An Intentio ſimul & ſemel in plura poſſit ferri?*
3. *An idem poſſit eſſe actus Intentio finis, & electio mediorum.*
4. *An conueniat brutis animantibus.*

QVAN-

1\. QVANTVM *ad primum.* Dico. *Intentio eſt Actus voluntatis ex directione Intellectus proueniens.* PROBATVR Omnis actus volũtatis præſupponit actum Intellectus, cum nihil ſit volitum, niſi ſit cognitum: ſed Intentio non ſolùm prærequirit cognitionem finis, ſed etiam ordinationem & directionem ab Intellectu factam. ergo Intentio eſt à voluntate, ſed cum directione Intellectus.

Quid eſt intentio? *Nota* Intentio eſt quædam tendentia in finem, & hæc tendentia aut eſt ſine cognitione aut cum cognitione finis, aut eorum quæ ducunt ad finẽ.

Sed quæres primò. Quæ cauſa cur ordinatio Intentioni conueniat? *Reſpõdeo* Ideo quia intentio eſt finis conſequendi per media quæ in illum ordinantur. ſed ordo eſt propriè Rationis vnde non conneniet voluntati ſecũdum ſe, ſed eũ ab Intellectu habebit.

Intentio eſt ſubiectiuè in volunta. te cum reſpectu tamẽ ad intelle. ctum. *Quæres ſecundò.* Cuiꝰ facultatis erit Intentio volũtatis ne an Intellectus? *Reſpondeo* actionem Intentionis ſecundùm ſuam Entitatem eſſe formaliter ſubiectiuè in voluntate, cum reſpectu tamen ad Intellectum à quo obiectiue eſt, & in ratione ordinis dependet. *Probatur* quia voluntas in quã tum eſt facultas rationalis nõ poteſt tendere in ignotum obiectum, ſed præſupponit Intellectus cognitionẽ. *Deinde* Nullus intendit finem niſi in quantũ per media eũ cõſequi poteſt. ſed mediorum ſiue comparatio ſiue relatio, ſiue electio ſine intellectu eſſe nequit. ergo Intentio dependet ab Intellectu.

Obijcies. Matth. 6. dicitur: *Sit oculus tuus ſimplex.* & per *Oculum* intelligitur Intentio; & Oculus eſt Symbolum Intellectus. ergo intentio ad Intellectum ſpectat. *Reſpondeo* Intentio dicitur *oculus*, non formaliter, ſed obiectiuè, quo ad directionem & ſuggeſtionem. nam voluntas nihil intẽdere poteſt, niſi hoc ab intellectu cognitum fuerit. Intentio itaque non ab Intellectu producitur, ſed ſolùm ab eo dirigitur. Intentio dicitur oculꝰ obiectiuè.

2\. *Quæres tertiò.* An Intẽtio & Fruitio inter ſe diſtinguantur? *Reſpondeo* quòd primo conueniant in eo quòd tam Intentio quàm Fruitio ſunt actꝰ voluntatis, & circa finem verſantur. Dupliciter autem diſtinguuntur. *Primò,* quia Fruitio eſt circa finem ſeu bonum quod ſit præſens & in quo poſſidendo cum iucunditate delectamur. Intentio verò eſt circa finem ſeu bonum quod eſt abſens futurum tamen vt ædificans domum intendit manſionem pro ſine, quæ nondum eſt in actu, ſed ſolùm mente concepta. *Secundò* differunt. Fruitio enim ſolùm finem intendit, qui ſit ſimpliciter vltimus, (vt iam declaratũ.) Intentio verò intendit finem, ſiue ſit vltimus ſimpliciter ſiue ſecundùm quid. *Probatur* ab Experientia. Quia non ſolùm intendimus vltimum finẽ æternam beatitudinem, ſed etiam hos intermedios fines, vt puritatem conſcientiæ, ſcientiam æternæ ſalutis, gratiam Dei, Diuinorum impletionẽ mandatorum. Intentio & Fruitio inter ſe diſtinguuntur?

3\. QVANTVM *ad ſecundum* Dico *Voluntas poteſt ſimul & ſemel plura intendere, ſiue ſint illa ſubordinata, ſiue fuerint plura diſparata, ſed quæ tamen (vt dicit S. Th.)ſint aliquo modo vnum.* PROBATVR De pluribus quæ ſibi ſubordinantur voluntas, cum appetit finem appetit & media, & hæc ſunt plura & ſubordinata. Ad Coloſs. 3. S. Scriptura hortatur *vt quæcunq; agimus, omnia in gloriam Dei re-*

Dei referamus. ergo ſimul plura intendit. *Probatur* de pluribus quæ ſibi non ſubordinantur, quòd ea voluntas ſimul intendere poteſt. *Ratio* D. Th. Quia vnum bonum alteri ideo præeligimus, quia ſe ad plura extendit & ad plura eſt vtile, licet nõ ſint ſubordinata ergo Intentio fertur in plura diſparata. *Præterea* experimur quòd ſtudioſi diuerſos libros & diſtincta Argumenta expetunt. Et homo Politicus plures poſſeſſiones & plurimorum amicitias cupit, & cum hæc diſparata ſimul & ſemel voluntas intendit, ſub ea ratione intendit, vt ad vnum referantur. vt intentio diuerſorum librorum eſt propter commodius ſtudium. varietas agrorum intenta propter meliorem victus ſuſtentationem. ergo hæc plura cum ſunt aliquomodo vnum intendunt.

Obijcies. Non requiri vt per modũ vnius intendant, nam tam latè patet voluntas atque Intellectus. Sed hic poteſt plura bona apprehendere, licet non relata ad vnum tertium. vt poteſt ſimul intelligere harmoniam muſicam, picturas, veſtes, quæ inter ſe ſunt diuerſa. *Reſpondeo* non eſſe temerè recedendum à doctrina D. Thomæ quòd hæc plura ſub vnius ratione intendi debent; quamuis enim harmonia, muſica, veſtes, picturæ, habeant ſuas peculiares voluptates, tamen ſufficit quòd Intellectus ſub vna ratione generali delectationis, hæc diuerſa voluntati proponat, vt ea ſimul intendat.

4. QVANTVM *ad tertium.* Dico *Motus Voluntatis in finem & in id quod eſt ad finem ſi ſimpliciter conſiderentur & abſolutè ſeu ſeorſim ſecundum ſe, ſunt duo motus diſtincti; & ſic voluntas vno actu intendet finem, & alio media; ſicut Intellectus ſi concluſiones & principia ſeorſim & abſolutè conſideret, tum hæc diuerſos Actus intellectus requirunt. Si autem voluntas intendat finem in quantum eſt ratio eligendi media, ſic vno actu intendit finem & media.* PROBATVR. Idem enim eſt actus qui cadit in obiectum, & in rationem obiecti, ſed finis eſt obiectum Intentionis. Ratio illius ſunt media. ergo vno actu feretur: ſicut Intellectus vno actu principijs & concluſioni aſſentitur.

QVANTVM *ad quartum.* Dico *Intentio vt ordinat motum ſuum in finem per media certa, non competit brutis, ſed ſolùm creaturæ rationali.* PROBATVR. Quia Intentio eſt motus in finem vt eſt finis & cum proportione ſeu comparatione mediorum ad inuicem, quænam illorum ſint aptiora. ſed brutis hoc non conuenit cum nullo modo cognoſcant. quid ſit Finis? quid Medium? nec ordinant media ad finem. ergo intentio vt ſic, brutis non conuenit. Si autem Intentio ſumatur in quantum aliquid ab alio agente mouetur in finem: ſic etiam natura inanimata lapidis, in quantum eſt mota à Deo, ſicut ſagitta à ſagittante intendit: aut inquantum ab inſtinctu naturali mouetur, vt bruta. nam inſtinctus naturalis brutorum, eſt motus à Deo, qui idcirco eum indidit eis, vt ſuũ finẽ cõſequãtur. Intentio ergo ꝓpriè rationalis creaturæ, quia ſolius eſt rationis ordinare motũ intẽtionis ad finẽ; & hac ratione carẽt bruta. Hucusq; de Secunda parte.

Intentio eſt propriè rationalis creaturæ aliarum verò ſecundum quid.

PARS III.

PARS III.

Requirit ordo, vt poſt actus voluntatis explicatos, qui circa finem verſantur, qui quidem ſunt tres, v. *Velle, Fruitio, intentio*, ad eos actus eiuſdem voluntatis tranſeamus, qui ſunt circa media: ſunt autem hi tres primarij, *Conſilium, Deliberatio, Electio*, quibus annectuntur *Vſus* & *Imperium*. Quinque igitur inſtituemus Diſputationes: *primam* de Electione, *ſecundam* de Conſilio, *tertiam* de Deliberatione, *quartam* de Vſu, *quintam* de Imperio.

DISPVTATIO I.

De Electione.

Quatuor de Electione inquiremus:

1. *Electio cuiuſnam potentiæ ſit actus?*
2. *An Brutis conueniat?*
3. *De Obiecto illius.*
4. *Actus Electionis ſitne liber an neceſſarius?*

QVÆSITVM I.

An Electio ſit actus voluntatis, an verò intellectus?

1. MEritò quiſpiam inquiret, cur prius de Electione agamus, cùm conſilium & deliberatio ſint actus præcedentes ipſam Electionem? *Reſpondeo* nos ſequi authoritatem & ordinem S. Doct. qui ideo præmittit electionem, quia licet conſilium ſit prius electione, conſilium tamen eſt propter electionem tanquam propter cauſam finalem. ſed ordo efflagitat vt prius de fine, quàm de his quæ ordinantur ad finem agamus idcirco prius de Electione agimus.

Ad Quæſitum dico. *Duo hæc Voluntas & Intellectus ad Electionem concurrunt. loquendo tamen conuenienter ad mentem S. Doct. Electio propriè ad voluntatem ſpectat, ſed præſuppoſito actu rationis, & ſic Electio erit quidem operatio voluntatis, ſed includendo & præſupponendo eſſentialem ordinem ad intellectum.* PROBATVR *primò* Ariſt. 6 Eth. cap. 2 dicit, *quòd Electio ſit appetitus intellectiuus ſeu intellectus appetitus,*

 non

non quòd electio penitus ad intellectum ſpectet, ſed quia hæc duo, v. intellectus & appetitus ſeu voluntas ad electionem concurrunt ſic, quòd intellectus conſultat, deliberat, de aliqua re, v. de bello, de pace, varias inter ſe conferendo rationes, tandem determinat hoc agendum, & ſic conſilium ſeu deliberationem ſequitur appetitus, vt illud determinatum appetat & cupiat exſecutionem mandare, & iam dicitur eſſe electio. *Ex quo collige*, quòd Electio ſequitur conſiliũ deliberationem intellectus, vnde meritò dicitur appetitus intellectiuus.

Probatur ſecundò quòd ad voluntatẽ ſpectat. *primò* quia obiectum Electionis (vt inferius patebit) eſt bonum, quod ad voluntatem pertinet. *ſecundò* eligere eſt magis velle vnum quàm alterum, & magis illud amare, quod quidem eſt voluntatis. *tertiò* propter obiecta electionis bona aut mala, dicuntur homines boni vel mali. ſed bonum eſſe aut malum eſſe à voluntate prouenit. nam ob actionem intellectus nemo dicitur bonus vel malus, ſed aut ſciens aut ignorans. ergo electio ad voluntatem ſpectat.

Bonum eſſe aut malum a voluntate prouenit.

2. *Probatur tertiò* quòd ſit in voluntate Electio, præſupponendo actum intellectus. *primò* quia omnis actus voluntatis ſequitur iudicium rationis: *ſecundò* quia electio conſequitur conſilium & deliberationem, quæ intellectui conuenit, vbi enim non eſt cõſultatio nec deliberatio inter multa ibi nec electio eſſe poteſt. Pertinet igitur electio & ad intellectum, quia illius actum præſupponit. ſed phyſicê & quo ad actionem ſuam vitalem, ad voluntatem ſpectat. Declarat hoc Capreolus *in 1. diſt. 1 quæſt. 2.* ſicut enim motus aquæ deorſum non tribuitur cælo, licet ad eum motu ſuo generali concurrat, quia aqua habet hoc ex natura, quòd in imum defluat locum. ſed motus fluxus & refluxus in mari, quia Lunæ virtute ac influẽtia fiat, ipſi Lunæ tribuitur. ita, quòd voluntas in finẽ feratur, nõ tribuitur intellectui ſed voluntati, quæ ſuapte natura in finem tendit, ſed quo ad media quænam horum aptiora ad cõſequendum finem, & quòd hæc potiùs quàm illa eligat, iã hoc ex natura ſua non habet, ſed ab intellectus conſultatione determinatur.

Sed inſtabis electionem omni ex parte ad voluntatem ſpectare, non ad intellectum, ſiquidem voluntas media ad finem eligit, ordinat, & dirigit. *Reſpondeo* quòd nullo modo ordinatio, ſed directio, ad voluntatem ſpectat, ſed ſolùm volitio. *Reſpondeo ſecundò* quòd ordinatio actiua eſt in intellectu, paſſiua in voluntate. ſicut ſagittator dirigit ſagittam, illa verò dirigitur. ita intellectus dirigit & voluntas dirigitur. & hæc eſt cauſa, cur electio peculiari modo præſupponat actũ intellectus? quia electionis eſt media inter ſe & cũ fine cõparare, ſed hæc ordinatio mediorũ & cõparatio ad inuicẽ ex iudicio intellectus pẽdet. ergo electio actũ intellectus præſupponit.

Ordinatio actiua eſt in intellectu, paſſiua in voluntate.

QVÆSITVM II.

An Electio conueniat Brutis?

Conclu-

3. CONcludit S. Doct. hic *q. 13. a. 2.* quòd electio in propria ſignificatione accepta, nullo modo brutis conuenit. Pro intelligentia

Electio in propria ſignificatione nullo modo brutis conuenit.

Nota. ſi nomine *Electionis* quemcũque appetitum cum qualicunque cognitione ſignificare voluerimus, ſic Electio in hac communitate ſumpta, etiam brutis conuenit, vt etiam voluntarium latè ſumptum brutis attribuimus. ſed ſumpta electio propriè & ſtrictè vt eſt quædam appetitio voluntatis cum indifferentia, & vt quãdã collatione mediorũ facit præmiſſa cognitione, ſic brutis non conuenit.

Probatur. in his quæ ſunt determinata ad vnum, electio non habet locum, quia de natura electionis ſunt plura. ſed bruta ſunt determinata ad vnum, ſiquidem appetitus ſenſitiuus qui in illis viget, eſt ad vnũ particulare determinatus ſecundùm ordinem naturæ. ergo in brutis non eſt electio. *Deinde* Electio includit in ſe libertatẽ quæ eſt cum indifferentia ad vtrumlibet. nam varia media inter ſe comparat, & de illis conſultat, & ea quæ ſunt aptiora ſeligit &, voluntati proponit. ſed in brutis nulla libertas. ergo nec electio. idem aſſerit Ariſt. *3. Ethic. cap. 2.* vbi dicit *voluntarium eſſe in pueris & brutis, electionem non item.* Pro reſolutione rationum in contrariũ

Bruta apprehendũt bonum particulare, nõ vniuerſale.

Nota primò. quòd bruta apprehendunt quidem bonum particulare hic & nunc. ſed non appehendunt bonũ vniuerſale. nã prorſus ignorant quid ſit bonum in communi, ſed illud bonum quod eſt particulare, & naturæ ſuæ accommodatum expetunt, non ſub ratione boni aut finis, ſed conuenientis. vnde equus dum premitur ſiti, appetit aquam, non in communi, ſed aquam in particulari, quam illi phantaſia ſuggerit, quòd eam in hoc vel in illo loco biberit. nam brutum per ſenſus cognoſcit, ſenſus autẽ eſt particularium. ergo aquam particularem expetit.

Nota ſecundò. in brutis (vt dicit D. Th. hic ad 3.) miram eſſe ſagacitatem cum quadam prudentia, quam declarant in ordinatiſſimo proceſſu, quem in latibulis aut in nidis conficiendis, in victu quærendo, in animalibus arcendis à ſuis cubilibus exhibent: tamen electio ideo non eſt illis tribuenda. nã hoc ex inſtinctu authoris naturæ ſuæ habent. vt horologium miro quodam artificio horas diei emetitur ſed huius artificij ratio non horologio ſed artifici tribuenda. ſicut & motus in mobili eſt ſolùm ſecundùm potentiam paſſiuam, in mouente ſecundùm actiuam. ita hæc ſagacitas naturalis in brutis ad artem Diuinam referenda eſt.

In brutis eſt ſagacitas cum prudentia.

5 *Sed obijcies.* ſi equo famelico, duo proponantur pabula, quibus æqualiter omnia conueniunt, ita vt ſit æqualis bonitas vtriuſque pabuli, æqualis diſtantia, æqualis attentio per ſe oculorum & phantaſiæ, & æqualis affectio ex parte equi: in hoc caſu equus, aut ſe determinabit? aut non determinabit? ſi determinabit potiùs ad hoc quàm ad illud. ergo in brutis erit electio. ſi autem non determinabit, tunc ideo quia non agit liberè ſed naturaliter, atq; ſic ad vtrumque hoc pabulum propendet æqualiter. ergo in ſuſpenſo erit, & ſic ad neutrum accedet, vnde & fame peribit, ſed non eſt poſſibile quòd pereat, ſiquidem pabulum præſens habet. ergo vrgente fame ad alterutrum ſe determinabit. ergo in brutis eſt electio.

Reſpondeo cum Medina & alijs, hũc caſum eſſe nimis metaphyſicum & impoſſibilem, quia vt talis æqualitas omni ex parte in his duobus pabulis inueniatur, vt argumentum ſupponit eſt omnino impoſſibile. *Ad Caſum dico.* quòd equus ſic conſtitutus, vtrũque pabulum tanquam vnum appeteret, ſed tamen ad alterum ſe applicaret, non quaſi vnum præ alio acceptaret, & ab alio abhorreret, ſed ex inſtinctu naturali, vt videre licet quando eidem equo auena apponitur, naturaliter appetit omnẽ, ſed tamẽ à certis granis comeſtionẽ incipit, & cùm hæc prius aut illa comedit, non facit ex nouo appetitu, quo magis in hæc quàm in illa feratur, ſed facit ex inſtinctu naturali. De cane quoq; venatico dicendum, quòd is cùm deuenit in conuentum & exordia viarum, odoratu explorat feram per viarum exordia diſcurrendo, quòd ibi electio ne non vtitur, ſed odorem feræ tranſeuntis captat, & tandem illa via ſe cõfert in qua feræ odorem ſentit.

QVÆSITVM III.
Quodnam ſit obiectum Electionis?

6. TRibus Dictis ad Quæſitũ reſpõdeo & dico primò. *Finis inquantum finis, non cadit ſub electionem, ſed propriũ & formale obiectum electionis eſt ipſum medium.* PROBATVR. Ariſt. 3. Ethic. *Voluntas eſt finis, electio autem eorum quæ ſunt ad finem.* Ex quo argumentor. id quod abſolutè & ſimpliciter eſt bonum, in illud voluntas ſuaptè natura fertur, nulla deliberatione & electione præmiſſa. ſed cùm finis ſit abſolutè & ſimpliciter bonus. ergò voluntas in illum nulla conſideratione & electione facta fertur. ergo finis non cadit ſub electionem. *Item* Finis in practicis ſic ſe habet, vt principium in ſpeculatiuis, & non habet ſe vt cõcluſio. Ex quo argumentor quod eſt tanquam concluſio, cadit ſub electionem. ſed finis non habet ſe vt cõcluſio, quia in practicis habet ſe vt principium, & vt intellectus ſimplici intelligentia acquieſcit principijs, ita voluntas ſuapte natura quieſcit in fine. ſed ſola media ſunt vt concluſio, quia vt concluſio ex præmiſſis, ita electio ex conſultatione & iudicio intellectus colligitur. ergo non finis ſed media cadunt ſub electionem.

Nota ſi pro fine vltimo accipiamus viſionem Dei, tunc quia de hoc fine ex naturali cognitione nobis non cõſtat, ſed ſolũm ex reuelatione, de eo deliberatio & perconſequens electio fieri poteſt an videlicet his reuelationibus ſit aſſentiendum? ſed poſtquam certò conſtituimus eſſe noſtrum vltimum finem, iam de eo non deliberamus. ſi autem accipiamus finem in cõmuni, quẽ omnes expetimus, qualis eſt beatitudo: aut ſi ſumamus finẽ, quem ſibi vnuſquiſque in particulari conſtituit, & ſic de his nulla conſultatio & electio eſſe poteſt.

7. Dico ſecundò ex art. 4. *Electio eſt actuum humanorum ſeu eorum quæ per homines agi poſſunt.* PROBATVR Ariſt. 3. Ethic. *Electio et actuum humanorum.*

3. Ethic. nullus eligit niſi ea quæ exiſtimat poſſe fieri per ſemetipſum. *Ratio ſecunda.* electio ſemper eſt eorum quæ ſunt ad finem. ſed id quod eſt ad finem, aut eſt actio humana, aut res, quam per actionem attingimus, ſed hæc per nos agi poſſunt. ergo electio eſt actuum humanorum.

Nota. ſi electionem ſumpſerimus inquantum in ſe includit vnum alijs magis eſſe anteponendum, ita non ſolùm ſignificat actionem quam eligẽs exercere poteſt. ſed etiam illam quæ per alios exercenda eſt: aut etiam denotari poteſt res præciſè ab actione conſiderata. vt cùm deliberamus, quænam res ex duabus ſit perfectior aut amore dignior? in præſenti materia morali ſolùm illam actionem intelligimus, quæ per ipſum eligentem agi poteſt.

Nota ſecundò cum D. Th. ad 3. quòd cùm homines quibus electio Epiſcopi aut principis cõuenit, eligunt quãuis non attingant officium Epiſcopi aut principis, nihilominus obiectum illius electionis eſt actio eligentis. nã eligens eligit tunc nominationem ſuam, qua vnum alteri anteponit ad illud munus obeundum.

Electio efficax ſolùm eſt poſſibilium. Dico tertiò ex art. 5. *Electio efficax & abſoluta ſolùm eſt rerum poſſibilium nam inefficax etiam circa res impoſſibiles fieri poteſt, vt vellet homo non mori, Rex eſſe ſi hoc poſſibile eſſet.* PROBATVR. electio eſt eorum quæ ſunt in noſtra poteſtate & quæ per nos agi poſſunt. ſed impoſſibile non eſt in noſtra poteſtate. ergo impoſſibilium non eſt electio. *Item* Electio præſupponit conſilium, ſed conſiliũ verſatur circa ea, quæ sũt in nobis. ergo & electio. ergo nõ impoſſibilium, quia hæc non ſunt in nobis. *Præterea* electio eſt mediorum, vt his finem conſequamur. ſed per ea quæ ſunt impoſſibilia non conſequimur finem. ergo electio non eſt impoſſibilium. *Demum* experientia teſtis eſt, poſtquam homines de aliqua re conſultant, tandem cùm cognoſcunt illã eſſe impoſſibilem, ceſſant à deliberatione. vnde nemo deliberat, qua ratione mortuus viribus naturæ ad vitam ſit reuocandus: aut qua ratione ſolis curſus ſit inhibendus, quia hoc impoſſibile. vnde neque horum eſt electio.

18. *Nota primò* quòd aliquando poteſt eſſe voluntas de re impoſſibili, non de illa quæ eſt abſolutè impoſſibilis, & quæ euidentem contradictionem inuoluit, vt Deum eſſe creaturã Angelum eſſe Deo æqualem, & hoc impoſſibile eſt omnibus modis: & de hoc voluntas non conſultat. ſed de illo impoſſibili poteſt eſſe voluntas, quod eſt ex ſuppoſitione, vt cùm homo qui peccauit vult non peccaſſe. vnde poteſt quis hunc actum voluntatis elicere: *vellem non peccaſſe*, v. ſi fieri poſſet, & ſi illud tempus reuocari poſſet. aut cùm quis ex deſiderio defuncti parentis hunc actum eligit. *vellem patrem meum non eſſe mortuum.*

Nota ſecundò. quamuis electio efficax non poſſit eſſe rei impoſſibilis, benè tamen poteſt eſſe inefficax ſeu cõditionata, quæ dicitur *Velleitas*, ab optatiuo *vellem*, vt ſi cui pater & ſeruus ſit mortuus, & ſciat certò illos non poſſe reuocari ad vitam, tunc ſic apud ſe eligere poſſet, *ſi mihi daretur optio, potius eligerem reſuſcitationem patris quàm ſerui.* vel *ſi mihi daretur optio duorum imperiorum eligendorum ſolius terræ ſanctæ, quàm alterius partis mundi dominus eſſe eligerem.*

Nota

Nota tertiò. ideo addidimus *quòd efficax electio non eſt impoſſibilium,* ſiquidē illa eſt voluntas & electio efficax, ad quam ſequitur opus, ſed ex impoſſibili nullum ſequitur opus. *Præterea* quia impoſſibile habet rationem nō Entis, vnde nec eſt bonū, nec conueniens. ergo illud volūtas non expetit.

Nota quartò. Electio eſt vltima vis animæ, exſequens id quod ab intellectus iudicio eſt conſtitutum, & eſt quaſi manus qua rem deſiderabilem apprehendimus. *Ex quo collige* quòd cùm res impoſſibilis fieri non poſſit nec manu apprehēdi, ideo ad electionem non ſpectat.

Res impoſſibilis ad electionem nō ſpectat.

Nota quintò velleitates ſeu volitiones inefficaces, quanquam ſub electionem quæ ſit cum adeptione non cadunt, habent tamen rationem meriti aut demeriti in operationibus moralibus. vt cùm peccator ſuorum delictorum memor excitat in ſe deſiderium, quòd vellet nunquam Deum offendiſſe.

Ad rationes Scoti quibus defendit *in 2. diſt. 6. q. 1.* poſſe electionem eſſe impoſſibilium. *dicendum* quòd concludunt de impoſſibilibus, quæ ex ſuppoſitione apprehendi poſſunt, vt poſſibile. v.g. vt alicui defunctus pater reſurgat eſt impoſſibile, ſed ſi ex ſuppoſitione quòd per Diuinam virtutem id fieri poſſit apprehendatur, iam tanquam poſſibile apprehenditur, atque ſic de vita parentis defuncti tanquam poſſibili poteſt aliquis cogitare, & in eam voluntate ferri. ſed de impoſſibili ſimpliciter non concludunt. quæ enim apprehendūtur vt impoſſibilia, in illa nullo modo voluntas ferri poteſt.

QVÆSITVM IV.

An Actus electionis ſit liber an verò neceſſarius?

19. TAnquam certum concludimus quòd *Actio Electionis eſt omnino libera, & quo ad ſpeciem actus, & quoad exercitium.* vt Caiet. vult *Probatur primum.* Electio eſt mediorū, & ex his voluntas poteſt aliqua velle, agere & non agere. ergo Actio Electionis eſt libera. *Probatur ſecundò* Quidquid Intellectus poteſt apprehendere vt bonum, in hoc etiam voluntas per Electionem poteſt tendere. ſed poteſt Intellectus apprehendere bonum non ſolùm hoc quod eſt velle aut agere, ſed etiam illud quod eſt non velle, non agere. ergo etiam voluntas illud bonum ſub ea ratione apprehendit. quòd aut illud volet, aut aget, aut repudiabit, aut nō aget. nam ſi intellectus præſentabit bonū ſub ratione boni, illud voluntas eliget: ſi autem præſentabit cum annexo defectu, tunc illud reſpuet. ergo libera actio eſt Electionis. Hinc

Intellectus quale bonū apprehendat?

Collige primò. quòd voluntas in electione mediorum duplicem libertatem habet: *Primam contradictionis.* quia poteſt velle & non velle, agere & non agere. *Secundam contrarietatis.* quia poteſt vnum velle, & tandē refutare, & contrarium eligere.

Voluntas quando eligit media habet libertatem contradictionis, & contrarietatis.

Collige ſecundò. quòd voluntas circa bea-

ca beatitudinem ſolùmhabet libertatem contradictionis, quia poteſt illã velle & non velle; ſed non habet contrarietatis; quia non poteſt velle beatitudinẽ & eandem refutare, & cõtrarium v. æternam calamitatẽ appetere

20. PROBATVR *ſecũdũ v. quod electio ſit libera quoad ſpecificationem.* Hæc libertas in eo conſiſtit quòd è pluribus obiectis vnum potius eligere poſſum°, quàm alterũ illi oppoſitũ. nã nullum eſt bonũ particulare in quo quilibet adhibita diligentia ſicut inuenire poteſt perfectionem, ita etiam imperfectionem, ſeu aliquam rationem boni aut mali, vnde tale bonum poterit expeti, aut non expeti. ergo quoâd ſpecificationem quæ ſumitur ex obiecto eſt actio libera electionis.

PROBATVR *tertium. quoad exercitium actus.* Quia libertas exercitij in eo eſt vt poſſit agere & non agere, actum producere & non producere. *Confirmatur.* Id poteſt homo liberè velle & eligere, quod habet rationem boni & delectabilis. Atqui bonitas & delectatio, non ſolùm conſiſtit in eligendo actu, ſed etiam in ſuſpenſione. nam ceſſare ab actu etiam homini gratum eſt. ergo electio quoad exercitium actus habet libertatem.

In quo conſiſtat libertas exercitij?

Sed quæres. Si contingat eſſe eiuſmodi medium quod ſit neceſſarium ad conſequendum talem finem, tunc quæritur: *An tale medium liberè, an neceſſariò eligetur Reſpondeo* ſi quis efficaciter vult finem conſequi, & iudicat hoc medium eſſe neceſſarium ad hũc finem. vt cum ad pacem obtinendam iudicat bellum eſſe neceſſarium, tunc dico, *quòd voluntas neceſſitabitur, vt tale medium eligat, ſed tamen liberè eligit.*

21. *Probatur.* quia hæc neceſſitas eſt ex hypotheſi ſeu conditionalis, v. *Si volo efficaciter finem, etiam hoc medium neceſſariũ ad hunc finem debeo velle.* & hæc neceſſitas nõ aufert libertatem: ſicut *ſi loquar, neceſſariò debeo loqui.* cum tamẽ liberè loquar, & ſi deambulo, neceſſariò debeo deambulare, cum tamen deambulatio libera. *Præterea* aliàs ratio meriti ac demeriti tolleretur. nam beatitudo eſt finis quem fideles efficaciter velle debent, & ad hunc conſequendum hoc medium eſt ſummè neceſſarium. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* ſi ergo neceſſariò eligeremus obſeruationem mandatorũ. iam meritum nullum eſſet, nam ne neceſſarijs non meremur.

Neceſſitas non tollit libertatem.

Finis beatitatis neceſſariò expetendus.

Mediũ beatitatis Præcepta Dei.

Quæres ſecundò ſi intellectus præſẽtet voluntati duo bona ex omni parte æqualia, an voluntas pro ſua libertate poſſit vnum eligere & aliud refutare? *Reſpondeo* hunc caſum magis eſſe ſpeculatiuum quàm quòd in moralibus duo obiecta æque bona proponantur ab intellectu voluntati. vnde cum D. Th. dico hic ad art. 3. *Moraliter loquendo ſemper intellectus inuenit aliquam peculiarem rationem boni in vno bono, quam non inuenit in alio, & ſic voluntas illud eliget in quo maior eſt ratio boni.* iuxta illud: *Electio eſt de meliori bono.*

DISPVTATIO II.

De Conſilio.

1. PErtinet ad perfectam voluntarij cognitionem, vt de reliquis actibus agam^9, ac primùm de Cōſilio, cui^9 doctrinæ ſummariū ex D.Th.*q.14.a.6.* Concluſionibus quatuor complectemur. ſed prius

Conſilium tribus ſumitur modis.

Præmitto, conſilium tria ſignificat. *primò* conſultationē & inquiſitionem de rebus agendis aut vitandis, Pſal. 12 *Quamdiu ponam conſilia in anima mea. ſecundò* iudicium de rebus agendis aut fugiendis ſimul cum deliberatione & conſultatione, Gen. 49. *In conſilium eorum non veniat anima mea.* nam hi verè ſunt beati qui ab impijs rerū agendarum non requirunt iudicium, *tertiò* ſolùm ſignificat iudicium ſeu ſententiam de rebus agendis aut vitandis. Ad Epheſ. 1. *Omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatū ſuæ.* nam hoc conſilium in Deo ſolùm iudicium ſine cōſultatione denotat.

Quid ſit cōſilium?

Ex quo collige, conſilium eſt inquiſitio ſeu deliberatio & conſultatio de medijs, quæ ſunt accommodata ad finem, ſed in ordine ad electionem, vt ex his quæ ſint conueniētiora eligamus. Hoc præmiſſo.

2. Dico primò. *Conſilium eſt actus intellectus.* PROBATVR Ariſt. Eth 3. c. 3. dicit *conſilium eſſe appetitionem conſultatiuam*, v. quæ ex conſilio rationis procedit. idem 6. Ethic. cap. 9. dicit. *Prudentiū eſſe benè conſultare.* ſed prudentia & inquiſitio formaliter ſunt ſubiectiuè in intellectu. ergo & conſilium eſt actus intellectus.

Ratio D.Th. in quibus eſt magna incertitudo & dubietas, in his opus eſt iudicio rationis. ſed in rebus agendis eſt dubium & incertitudo. ergo opus habent iudicio rationis. ſed iudicium ſine præmiſſa conſultatione & inquiſitione eſſe nequit. ergo à iudicio rationis conſilium eſſe ineundum. ergo conſilium eſt in intellectu.

Cōſiliū eſt in intellectu.

Præterea omne conſilium reſoluendū eſt in iudicium, ſcientiam & electionem de his quæ ſunt agenda & vitāda. ſed iudicium, ſcientia ſunt propriè intellectus ordinantis & ſtatuentis. ergo conſilium eſt actus intellectus.

Nota. cùm dicimus *conſilium eſſe actū intellectus*, non excludimus eum à voluntate. *Probatur.* nam voluntas materiam conſultandi præbet, omnis enim conſultatio colligitur ex finis intentione, qui ad voluntatem ſpectat.

Præterea in intellectu eſt conſilium ſubſtantialiter & ſubiectiuè, quia eſt actio ab intellectu elicita, ſed quia tamen reſpicit intentum finem à volūtate. idcirco eâ ratione v. relatiuè & impropriè erit voluntatis.

Conſilium non petitur ab intellectu ſpeculatiuo ſed à practico.

Nota ſecundò. loquimur in præſenti de intellectu Practico, non autem ſpeculatiuo. nam conſilium de rebus agendis aut fugiendis nemo petit ab intellectu ſpeculatiuo.

3. *Obijcies* conſilium non eſſe inquiſitionem nec deliberationem. de Deo enim dicitur ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundùm conſilium volūtatis ſuæ.* ſed Deus quemadmodum vnico actu ſimpliciſſimo omnia intelligit, ita & omnia decernit. ergo ſine inquiſitione quæ dicit imperfectionem. ergo conſilium non eſt inquiſitio. *Reſpondeo.* ſicut alias perfectiones quas in his inferioribus intuemur tribuimus Deo, omni imperfectione ſublatâ, eâdem ratione conſilium referimus in Deum, omni remotâ imperfectione. & cùm ſint duo in noſtro conſilio diſcurſus ſeu inquiſitio, poſtea definitum.

tum iudicium & certum, quod reſultat ex noſtra deliberatione, quia ergo inquiſitio dicit imperfectionem, idcirco eam remouemus, & ſolùm conſilio iudicium relinquimus.

Obiectū cōſilij non finis ſed media.

4. Dico ſecundò. *Obiectum conſilij nō eſt propriè finis, ſed ſolùm media quæ ſunt ad finem. ſi quando verò finis eſt obiectum, id materialiter accidit, inquantum rationem medij habet reſpectu vlterioris finis.* PROBATVR *primùm* id quod eſt dubium in conſultationem cadit. ſed finis non habet ſe vt dubium, ſed ſola media ſunt eiuſmodi. ergo non finis ſed media ſunt obiectum conſilij. *Minor.* D. Th. hic art. 2. in ſolutione ad 1 id quod iam accipitur vt finis eſt certum determinatum, vnde ſi aliquando habetur vt dubium, non erit finis. *Deinde* finis in rebus agendis habet ſe vt principium. ſed principia vbique tanquam certa ſupponuntur. ergo de fine non eſt conſultatio. PROBATVR ſecundum, *quòd materialiter finis cadit ſub conſilium.* Poteſt homo qui incertus eſt in quo illius vltimus finis conſiſtat, plures fines ſibi proponere, & de his conſultare, an v. adhærendum ſit creaturæ? an verò Deo? ſicut Ioſue dicebat cap. vlt. *Optio vobis datur, eligite hodie quod vultis, an Deo? an dijs Amorrhæorum ſeruire?* ergo ſaltem materialiter de fine poteſt eſſe deliberatio. nam de vltimo fine omnes homines conſentiunt, per quem beatitudinem aſſequuntur, ſed incertum eſſe poteſt an hæc vel illa res ſit vltimus finis?

Conſiliū eſt circa ea quę agenda.

5. *Sed quæres* circa quæ contingat conſilium fieri? *Reſpondeo* propriè cōſilium eſt circa ea quæ à nobis ſunt agenda. *Probatur* Ariſt. 3. *Ethic. c.* 3. aſſerit non de quolibet fieri conſultationem, ſed de his quæ ſunt agenda. & Greg. Niſſenus ait: *Conſiliamur de his quæ ſunt in nobis, & quæ per nos fieri poſſunt.*

Ratio D. *Th.* conſilium ſignificat collationem inter plures, quòd in conſilio plures ſedere ſolent ad conferēdum de particularibus, in quibus multæ ſunt circumſtantiæ, quas quidem faciliùs plures aduertunt, quàm vnus. ſed talis cognitio particularium cum circumſtantijs eſt propter operationem. ergo conſilium eſt eorum quæ ſunt agenda à nobis.

Nota de his rebus agendis quæ ſunt impoſſibiles nulla eſt conſultatio, in quorū numero ſunt præterita, nam ad præterita nulla datur potentia, & ideo ſunt impoſſibilia. De impoſſibilib' nulla eſt conſultatio.

Nota ſecundò de rebus amicorum ea ratione conſultare poſſumus, inquantum bonum amicorum noſtrum bonum exiſtimamus, & quia quæ amici faciunt ad nos videntur pertinere, cū amicus ſit *Alter ego.*

Nota tertiò de rebus aliorum, vt sūt etiam peregrini conſultare poſſumus inquantum ipſi à nobis conſiliū exquirunt, & noſtro arbitrio ſe ſubmittunt.

6. *Quæres rurſum* an de omnibus quæ à nobis aguntur fiat conſilium? *Reſpondeo* quòd excipiuntur res parui momenti, & ea quæ ſunt determinata. *Probatur.* conſilium ſeu inquiſitio ſolū de dubijs eſt ſed duo sūt de quibus non dubitamus. *primò* quia eſt determinatum quale illud eſt quod per vias determinatas ad deſtinatos fines procedit, vt cùm ſcribit ſcriptor, non deliberat quomodo ſint literæ trahendæ, quia hoc per artem determinatum eſt. *ſecundò* de rebus parui momenti non dubitamus cùm parum referat an hoc vel illo modo fiant? ergo de

De reb' pręteritis, paruis, & determinatis nō deliberatur

de rebus determinatis & paruis non ſit deliberatio.

Conſultando, à principio incipiendum.

7. Dico tertiò. *Conſilium ordine reſolutorio procedit.* PROBATVR. in omni conſilio ſeu inquiſitione oportet nos ab aliquo principio incipere. ſed hoc principiũ aut eſt prius in *Eſſe* & cognitione, & facit ordinem compoſitionis: quoniam à cauſis tanquam ſimplicioribus ad effectum procedimus. aut hoc principium eſt prius cognitione, ſed poſterius in *Eſſe*, vt cùm de effectibus iudicamus, reſoluendo in cauſas, & eſt ordo reſolutionis. ſed in inquiſitione conſilij cùm finis ſit principium, & hic eſt prior in intentione, & poſterior in *Eſſe*. ergo inquiſitio ordine reſolutionis vtitur. *Minor illuſtratur.* finis ædificantis eſt domus, quem ſolùm intendit, tunc conſultat de medijs, ex quibus ſit ædificanda, & ideo reſoluit, quòd aut ex lapidibus, aut ex lignis, & definit quòd ex lapidib⁹. Rurſum cõſultat, an comportatio lapidum curru an iumentis facienda? & definit quòd curru, & ſic ab illo fine intento progreditur per cauſas ſeu per media eadem reſoluendo, donec conſequatur finem v. domum.

Ratio ſecunda. ordo reſolutionis eſt cùm à compoſitis ad ſimpliciora progredimur, vt à toto ad partes, ab effectu ad cauſas. ſed ſic ſe habet in cõſultatione, quòd priùs ſupponimus finem, tandem ad media inquirenda procedimus, quibus auxiliantibus cõſequimur, & ſic finis in ordine ad media rationem effectus habet. ergo in conſilio ordine reſolutionis vtimur.

In conſilio ordine reſolutionis vtimur.

Sed inſtabis. Proceſs⁹ à cauſa ad effectum eſt ordo compoſitionis. ſed in conſilio procedimus à cauſa, quia à fine. ergo procedimus compoſitionis ordine. *Reſpondeo* conſilium non procedere à fine inquantum finis eſt cauſa, ſed inquantum res eſt quædam ſeu quidam effectus, quem per media cõgrua conſequimur.

In conſilio non ſit proceſſus in infinitum.

8. Dico quartò. *In conſilio non ſit proceſſus in infinitum.* PROBATVR. id quod eſt intra terminos, non procedit in infinitum. ſed conſilium eſt intra terminos, v. intra media & finem. ergo non procedit in infinitum. concedi tamen poteſt quòd proceſſus conſilij in infinitum eſſe poſſit, in potentia, ſecundùm quod aliqua media in infinitum poſſunt occurrere conſilio.

Quando licet conſulere malum?

Sed quæres. An liceat quandoque conſulere malum? *Reſpondeo* ſimpliciter & abſolutè loquendo, non licere cùm ſit omnino malum, & ad peccatum inducat. ſed loquendo conditionaliter dico quandoque licere. vt ſi quis conſtituit ebrietati indulgere, ex qua ſcandalum oritur, cùm ſit perſona fulgens dignitate, tum id quod minus eſt, illi conſulere poſſumus, vt ſaltem clauſo oſtio, ſine ſcandalo, quod eſt minus peccatum id faciat. & D. Aug. dicit: *Si decreuiſti homicidium aut adulterium facere, adulterium committas, non homicidium.* vnde hic illa ſententia locum habet: *Ex duobus malis minus eligendum.*

Nota. cùm huic qui conſtituit apud ſe peccare conſulo, vt minus malum eligat, non induco eum ad peccandũ, ſiquidem animo parato eſt, ſed ſolùm ſtatuo, vt minori malo ſit contentus.

DISPV-

DISPVTATIO III.
De Conſenſu.

1. NAturā conſenſus quatuor Dictis explicabimus Dico primò. *Vocis huius* Conſenſus *conſiderantes primæuam ſignificationem; dicimus quòd ſignificat applicationem ſenſus ad aliquod obiectum.* nam proprium eſt ſenſus quòd ſit præſentium cognoſcitiuus. Hic tamen à Diuo Thoma qu. 15. ſumitur pro quadam applicatione appetitiuæ facultatis, ad appetendum id, quod ab Intellectu per conſilium eſt propoſitum. vel clarius dico. *Conſenſus eſt Actus voluntatis approbās iudicium intellectus factum de rebus agendis* PROBATVR. D. Bern. lib. de Gratia & libero arbitrio dicit: *Conſenſus eſt motus voluntatis ſpontaneus.*

Quid ſignificet: conſentire?

Ratio ſecunda. Conſentire nihil aliud eſt quàm ad ſententiam & iudiciū alterius accedere, at intellectus nō accedit ad ſuam ſententiam ſed hoc voluntatis eſt officium vt accedat & ſequatur iudicium Intellectus. ergo conſenſus eſt actus voluntatis.

Ratio tertia. Conſentire in rebus practicis, de quibus in præſenti loquimur ſignificat nos hoc velle fieri, & non repugnare. Et ſic Patres loquūtur de peccato, quòd hoc non imputatur, niſi accedat conſenſus voluntatis. ergo conſentire eſt actus voluntatis.

Conſenſus ab intellectu pendet.

2. *Nota* Quamuis conſenſus ſit actus elicitus voluntatis ſemper tamē ab intellectu proponente & dirigente pendet. *Et ratio eſt.* Conſenſus enī à ſentiendo dicitur, ſentire autem eſt propriè intellectus non voluntatis. nam quamuis etiam voluntas dicatur ſentire in quantum in ſuo obiecto conquieſcit, & illo fruitur, tamen non propriè nec perfectè ſentit niſi accedente & concurrente Intellectu.

Dico ſecundò. *Conſenſus loquendo propriè, non eſt in brutis animalibus, ſed tantùm in natura rationali.* PROBATVR. Conſenſus eſt applicatio potentiæ appetitiuæ ad aliud, ſed bruta motum ſuarū potentiarum non applicant ad aliquid. ergo in illis non eſt conſenſus. *Minor* Illa dicuntur applicare motum appetitiuum, quæ eundem habent in ſua poteſtate. ſed bruta non habent in ſua poteſtate motū appetitiuum, quia hic motus ex inſtinctu naturæ habet determinationem: ſed creatura rationalis habet in ſua poteſtate motum appetitiuum quia pro arbitrio poteſt eundem applicare vel nō. ergo conſenſus rationali naturæ propriè conuenit.

Conſenſus non eſt in beſtiis.

Nota hîc ex art. 2. D. Th. ad 1. quòd etiam in rationali natura eſt conſenſus importans determinationem, nō ſolùm paſſiuam. ſed magis actiuam in brutis autem ſolùm paſſiua habet ſe determinatio.

3. Dico tertiò. *Conſenſus propriè loquendo, non eſt de fine, ſed ſolùm de medijs quæ ducunt ad finem.* PROBATVR Conſenſus ſequitur conſilium, nā id amplectimur quod per conſultationem

definitum eſt. ſed conſilium (vt ſupra docuimus) ſolùm eſt de medijs. ergo & conſenſus ſolùm eſt de medijs. Ideo autem conſenſus non eſt de fine, quia in vltimum finem naturaliter voluntate ferimur.

Quæres. An Conſenſus ab Electione differat? *Reſpondeo* Inter hæc dari differentiam. nam poteſt dari conſēſus abſque electione, vt cùm plura media ab Intellectu per cōſilium volūtati proponūtur quorū vnūquodque ei placet. ſed Electio ſine conſēſu dari non poteſt, nam quicunq; aliquid eligit proculdubio conſentit, non autem viciſſim quicunque conſentit eligit, cum poſſit aliquis plura propoſita media acceptare.

Conſenſus & Electio differunt.

Dices. Qualis eſt hæc diſtinctio? *Reſpondeo* ex mente D. Thomæ. *hic art. 3 ad 3.* quòd eſt Realis & Rationis. Realis eſt quando ſunt plura media occurētia quæ ad finem ducunt, & hæc quidem omnia placent; & ſic voluntas in omnia conſentit. & nulla eſt hic electio, vnde eſt realis diſtinctio. *Tandem* ſi contingat ex illis medijs vnum præaliis eligi, iam erit electio, eam ob cauſam (vt dicit D. Thom.) quòd electio ſupra conſenſum addit quandam relationem ergo re diſtinguuntur. quando autem vnum ſolum eſt medium quod proponitur, & idem voluntati placet, ſolùm ratione differunt. nam Conſenſus id dicitur quod placet. Electio verò quando vnum præ alio eligitur. *Quidam* nō admittunt realem diſtinctionem ſed ſolùm rationis. quia ille numero actus quo voluntas iudicio ab intellectu propoſito approbat, & dicitur eſſe conſenſus; eſt etiam Electio facta à voluntate de medio vtili ad finē conferente. *Tum* quia hi duo actus ſub eadem ratione conſiderantur, hoc eſt circa media vt ad finem obtinendum conferant.

4. Dico quartò. *Conſenſus eſt actus pertinens ad partem ſuperiorem hominis v. ad Intellectum & voluntatem.* PROBATVR Conſenſus eſt quædam quaſi vltima ſententia voluntatis conſequens vltimam ſententiam Intellectus. ſed vltima ſententia pertinet ad partem ſuperiorem hominis nam quamdiu exſpectatur ſentētia ſuperioris tamdiu non habetur vltima & finalis ſententia Hæc autem ſuperior pars hominis eſt intellectus, & voluntas procedens ex Diuinis & æternis rationibus. ergo conſenſus pertinet ad partem hominis ſuperiorem.

Conſenſus pertinet ad intellectum & voluntatem.

Nota Ratio ſuperior non ſolùm dicitur tunc conſentire quando directè ex rationibus æternis concludit aliquid eſſe faciendum, ſed etiam indirectè conſentit, cum per illas non impedit cùm impedire poſſit quominus aliquid fiat; & per hunc indirectum conſenſum interdum in ſenſualitate committitur peccatum mortale, vt in materia de peccatis dicemus.

5. *Quæres.* Quid per rationes æternas intelligendum? *Reſpondeo* Duplices eſſe Rationes. Humanas & æternas. *Humanæ* ſunt quæ ex aliquo principio naturali temporaneo & conuenienti ſenſualitati procedūt. vt quòd ſit honorificum aut delectabile: vt ſi quis inimicum obuium habeat, & ſic ſecum ratiocinetur ex principio naturali. *Bonum eſt, malū à ſemetipſo auertere. ergo bonū eſt inimicū occidere. Diuinæ* verò rationes ſunt cùm ab aliquo præcepto Diuinæ legis ratiocinamur, vt; *Bonum eſt Deo obedire, ſed Deus mandauit.* Diligite inimicos veſtros. *ergo inimicus non eſt interficiendus.*

Ratio duplex Humana & Diuina.

Ex quo

Ex quo colllige. Quod ratio humana cum Diuiua quandoque conſentiunt & non contradicunt ſibi, vt cū quis humanam deſerit rationem & ſequitur Diuinam.

Collige ſecundò. In rebus agendis voluntas non debet conſentire niſi cōſultis æternis rationibus: & ſi conſulat & conſentiat malo, imputatur ad peccatū: ſi conſentiat & non conſulat, etiam incurrit peccatum: quia cum potuit, noluit conſilium capere.

DISPVTATO IV.
De Vſu.

1. TRia de Vſu dicimus. Dico primò. *Vſus principaliter eſt actus voluntatis.* nam vſus eſt applicatio potentiæ ad operationem. ſed voluntatis eſt tam interiores quàm exteriores potentias applicare ad operandum. ergo vſus principaliter eſt voluntatis. Eſt quoque vſus Intellectus tanquam dirigentis, ſiquidem nihil amari aut deſiderari poteſt niſi ab intellectu præcognito. Idem denique vſus eſt aliarum potentiarum tanquam exſequentium, & ideo tanquam inſtrumentorum.

Sed quæres. Quidnam ſit Vſus? *Reſpondeo* quòd vſus in communi ſua ratione ſumptus ſignificat applicationem alicuius rei, ſiue ſit potentia ſiue inſtrumentum ad actum ſecundū exercendum: & ſic dicitur aliquis vti equo, gladio, veſte, libro &c. quādo hæc ad fines illorum deſtinatos & ad proprias operationes applicamus, propriè tamē vſus eſt act⁹ volūtatis.

2. *Nota* vſus dupliciter dicitur Actiuè & paſſiuè: *Actiuus* vſus eſt ipſius voluntatis, qui efficaciter imperat & applicat potentias ad agendum per aliquam ſuam actionem. *Vſus verò* Paſſiuus eſt applicatio paſſiua ex parte potentiarum ſeu inſtrumentorum, quæ imperio voluntatis ſubiacent. & hi duo actus v. Actiuus & Paſſiuus correſpondent ſibi: ſiquidem actio non datur ſine paſſione: ſicut neque mouens datur ſine mobili. Vſus igitur ſubſtantialiter eſt in voluntate in quantum eſt actiuus; in alijs vero potentijs etiam inuenitur in quantum eſt Paſſiuus.

Quæres rurſum. Quānam ratione actus Voluntatis cum ſit immanens mouet alias potentias? *Reſpondeo* Mouere mediante ſuppoſito, non verò vt voluntas præcisè ſumitur.

Nota Differentiam inter *vti & vſum* *vti* ſignificat applicare, *Vſus.* ſignificat ipſam applicationem. vt vti calamo, eſt calamum ad ſcribendum applicare, vſus eſt ipſa ſcriptio. Vnde vſus à brutis remouetur; quia vti eſt applicare aliquid ad alterum; ſed hanc applicationem vnius ad alterum non poteſt facere niſi ſola ratio. ergo brutis non conuenit. Vti & vſus differunt.

3 Dico ſecundò *Obiectum vſus ſunt propriè media & finis in quantum finis.* PROBATVR. vſus eſt eorum quæ referuntur ad aliud, ſiquidē vſus, (vt iam dictum,) eſt applicatio. Atqui ſola media ſunt quæ ad aliud, v, ad finē referun-

referuntur ergo vſus ſolùm eſt mediorum *Deinde* D. Auguſt. *lib. 83. qu.* dicit quòd ſolus Deus eſt vltimus finis, & nemo poteſt vti Deo, quia Deus ad aliud non poteſt referri, cũ ſit vltimus finis, vltra quem nullus alius datur. ergo fine in quantum eſt finis, hoc eſt, vt eſt vltimus finis non vtimur; ſola ergo media quæ cõferunt ad conſecutionem finis, ſunt obiectum vſus.

Quæres. An *vti* & *Frui* differant? *Reſpondeo* differre, quia *Frui* eſt in vltimo fine, qui ad alium ordinari nõ poteſt, cum quadam delectatione cõquieſcere: *vti* verò ſolis medijs conuenit, aut quandoque fini, ſed non vt eſt finis, ſed in quantum vt medium ad vlteriorẽ finẽ referri poteſt.

Vti & Frui differunt.

4. *Quæres ſecundò.* Re fruenda vti, eſtne aliquod peccatum? *Reſpondeo* cum D. Auguſtino lib. 93. quæſt. 30. vbi dicit: *Vti re fruenda, eſt ſumma peruerſitas*, ſed re fruenda vti, eſt debitum ordinem inuertere. ergo eſt ſumma peruerſitas: *Minor* Debitus ordo eſt, vt res fruenda qualis eſt Deus, ſit vltimus finis ad quem omnia referantur. ſed qui re fruenda vtitur, Deum videtur qui eſt vltimus finis ad alium ſuperiorem referre, quod eſt peruerſum. ergo ſummam peruerſitatem admittit. *Similiter* Re vtenda frui eſt peruerſitas. quòd tunc accidit cùm peccator aut in luxuria, aut in auaritia vltimum finem conſtituit. vnde Diu. Paulus de his qui ventri ſtudent dicit: *Quorum Deus venter eſt.* & Auaritiam appellat *Idolorum ſeruitutem.* Huc ſpectant illi qui res ſacras pretio vendunt, aut qui Deo ideo ſeruiunt, & ſacros ordines ſuſcipiunt, vt bona tẽporalia obtineãt. Hi enĩ bona maiora & præſtantiora, ad minora referunt.

Peccat, qui vtitur fruẽda re, & fruitur vtenda.

5. *Quæres tertiò.* An etiam aliquomodo poſſimus vti Deô. *Reſpondeo* Cum S. Auguſtino abſolutè loquendo nemo Deo vti poteſt, ſed ſecundùm quid, & ſecundum eam rationem poſſumus aliquomodo vti Deo, quando eo vtimur in noſtrum commodum vt illum poſſideamus, eodéque fruamur: ita quòd hæc noſtra fruitio ſit ipſe Deus. Vnde Beati amore amicitiæ puriſſimo amant Deum, nam ſe & omnia ſua in Deum referunt; & tanto affectu amoris ſũt in Deum, vt omnia ſi expediret pro Deo amittere parati eſſent: & cũ hoc excellentiſſimo amore illorum, ſtare poteſt amor concupiſcentiæ, quo Deum tanquam ſuum proprium finẽ amant.

An liceat vti Deo?

Dico tertiò. *Cùm hi duo actus in rebus agendis concurrant. videlicet* Electio & Vſus *dicimus quòd hæc inter ſe differunt: nam quandoque vſus eſt prior Electione, quandoque poſterior.* PROBATVR. Prior eſt vſus tunc Electione, quando voluntas applicat intellectum ad conſultandum de medijs, ex quo ſequitur Electio. *Poſterior* verò eſt quãdo applicat potentias ad exſecutionem operis. *Item* contingit ſæpenumero vt priùs media eligamus, vſum autem electorum mediorum in aliud tempus reijciamus. ergo electio & vſus inter ſe differunt. nam electio eſt prior, vſus poſterior. *Deinde* Vſus Electione eſt perfectior, quia poſterior, nam natura ab imperfectis ad perfectiora, quæ ſunt poſteriora tẽdit. ſed prius eſt natura imperfectum poſterius perfectum. ergo differunt.

Vſus & Electio differũt.

6. *Nota.* Si contingat quòd volũtas ſimul & eligat, & applicet ad operandum, tunc non eſt Realis diſtinctio quærenda inter: *hæc nam*

ſuffici-

ſufficiunt diuerſi reſpectus rationis, ita vt vna eademque actio dicatur *Electio* in quãtum fertur in media apta ad conſequendum finem: & dicatur *Vſus* in quantum per illa media re ipſa tendit in exſecutionem. Pro meliori intelligentia.

Nota ſecundò. Quomodo hi actus voluntatis ſeſe ſequantur notandus proceſſus quem inter ſe videntur ſeruare. Primò enim cum aliquod opus externum molimur, finem intendit. nam hoc proprium eſt Agentis per intellectum; & hæc Volitio erit Intentio finis. Tandem ſuppoſito fine, quòd *v. g.* infirmus velit ſanitatem, Intellectus de medijs conſultat. Hãc cõſultationem ſequitur Electio, cùm ex pluribus medijs propoſitis, præ alijs conuenientiora ſeligimus. Poſt Electionem ſuccedit Imperium efficax, quod dicit *Hoc age*. Ad extremum fit applicatio potentiarum ad operandum, & dicitur Vſus aut fruitio, ſi finem ſummè delectabilē, qualis eſt Deus conſequimur. Ex hoc proceſſu euidens diſtinctio Electionis & Vſus colligenda eſt.

DISPVTATIO V.

De Imperio.

Inter Actus hominis eſt quoque *Imperium*, quod in hac vltima Diſputatione Tractatus noſtri explicandum ſuſcepimus, hoc ordine.

1. *Imperium ſit ne actus Intellectus an voluntatis?*
2. *An conueniat brutis?*
3. *Qui ſit ordo inter vſum & Imperium?*
4. *An Imperium & Actus imperatus inter ſe diſtinguantur?*
5. *Quinam ſunt actus hominũ qui imperantur?*

QVÆSITVM I.

An Imperium ſit Actus Intellectus an Voluntatis?

1. SVppono primò. Hoc nomen *Imperium* eſt Analogum. *Primariò* enim ſignificat illum actum, quo ſuperior ſubdito aliquid agẽdũ præcipit. *Secundariò* per quandam proportionem illum actũ ſignificat huc Intellect⁹ ſiue Voluntatis humanæ, ex quo alij cõſequũtur, quia tanquam inferiores, illi actui ſuperiori ſubijciuntur. In præſenti per *Imperium* illum actum hominis intelligimus qui ſit efficax, & ad quem neceſſariò conſequitur effect⁹ qui per Modum imperatiuum enunciari

Imperium duo ſignificat.

tiari ſolet ſic, *Hoc age, Hoc fac*, proponens quidnam ſit agendum.

Suppono ſecundò. Rectè D.Th. de Imperio diſputare quia ſecutus in ea re Ariſt. videtur qui *8. Ethic. à capite 8. vſq; ad 12.* ſufficientiſſimè de Imperio diſſerit: quocirca Almarius & alij non ſunt auſcultandi, qui hunc ſuperfluè excogitatum affirmant. Hoc ſuppoſito ad Quæſitum.

Imperare eſt actus intellectus.

2. Dico *imperare eſt eſſētialiter act⁹ intellectus, præſuppoſito tamen actu volūtatis in cuius virtute ratio mouet per Imperiū, quoad exercitium actus.* Hoc Dictum eſt cōtra Henricum Gandauen. Almarium. Ioan. Medinam. Scotum *in 2. diſt. 6. quæſt. 1.* qui aſſerunt, quòd Imperiū ſit Actus voluntatis. *Probatur* ratione D. Thomæ *quòd ſit Actus Intellectus.* Imperare eſt aliquem intimando ordinare ad aliquid agendum. ſed ordinare per modum intimationis, ad Intellectum ſpectat. nam intimare nihil aliud eſt quàm ordinem ſeu modum aliquid agendi conſcribere, quòd eſt Intellectus officium. ergo & imperare ad Intellectum pertinebit. *Item* Imperare eſt inſinuare & proponere aliquid alteri cum authoritate & cum relatione ſuperioris ad inferiorem. ſed hic actus proponendi hoc modo eſt Intellectus. ergo & Imperare ad Intellectum ſpectabit. *Deinde* in his quæ obediunt Imperio requiritur apprehenſio, quæ eſt actus Intellectus. Nam neceſſarium eſt vt intelligant in quibus obedire debeant. ergo & in eo qui imperat neceſſarius eſt Intellectus, vt intelligat quòd imperet. ergo imperium eſt actus intellectus. *Tandem* Ariſt. 1. Ethic. cap. vlt. loquens de appetitu ſenſitiuo dicit: parere quodammodo rationi irrationalem hanc partem, ſed parendi ratio ſeu obedientia, dicitur propriè in reſpectu illius cui Imperium conuenit: ſed rationi obedit Senſus appetitus. ergo ad rationem ſpectat imperium.

Quid ſit imperare?

Nota Cauſa propter quam Imperiū aſſignam⁹ in Intellectu; quia propter apprehenſionem, & iudicium neceſſe eſt ex parte intellectus dari aliquā cauſam ob quam Voluntas neceſſariò circa obiectum propoſitum eliciat actum ſuum. ergo hoc erit Imperium *Conſequentia* Apprehenſio & iudicium ſunt indifferentia in voluntate, ita quòd ab his moueri poſſit voluntas & non moueri. *v. g.* Contingit quòd duo homines circa idem obiectum, idem apprehendant & iudicent, & tamen vnius mouetur voluntas, & alterius non. Ergo danda eſt propria cauſa quæ voluntatem efficaciter determinet, & tale eſt imperium ex parte Intellectus.

Imperium præciſè cōſideratū in voluntate eſſe nō poteſt.

3. *Nota ſecundò.* Quòd Imperium præciſè conſideratum in voluntate non poſſit eſſe. *Probatur* Dei Voluntati aut Prælatorum non tenemur in omnib⁹ nos conformare, vt: vult Deus patrē alicuius mori, & tamen nihilominus filius de morte patris poteſt mærore affici: *Similiter* Intelligit ſubiectus quòd hoc velit ſuus ſuperior, ad hoc tamen præſtandum non obligatur. ſed præcepto tam Dei quàm Prælatorum tenemur nos conformare, & hoc præceptum habet ſe per modum Imperij. ergo voluntas non includit Imperium. *Præterea* poteſt gubernator ciuitatis aliquid præcipere, quod à ſuis ſubditis fieri non cupiat; erit hic actus Imperij, ſed non erit volitionis. ergo imperium ad intellectum ſpectat. PROBATVR alterum, *quòd Imperium quamuis ſit actus intellectus includit tamen motionem voluntatis.* Primum mouens in-

Imperium includit motionem voluntatis.

uens inter vires animæ, vt ordinantur ad exercitium, eſt voluntas. Sed imperare, eſt mouere ad exercitium. ergo intellectus Imperium motricem virtutem voluntatis includit. *Confirmatur* Hæ duæ potentiæ Intellectus & Voluntas mutuò ſe præueniunt. nã ratio ratiocinatur de volendo, & voluntas vult ratiocinari; & cum Intellectus ratiocinatur, virtutem mouẽtem volũtatis includit, quæ hoc ipsũ vult, ita cũ imperat Intellectus quoad exercitium in ſuo imperio rationẽ voluntatis continet. Ex quo.

Collige quòd voluntas eſt primum mouens inter vires animæ, in quantum hæ ad exercitium ordinantur: & Intellectus eſt ſecundũ mouens. ſed ſecundum mouens in voluntate primi mouentis mouet. ergo Intellectus tanquam ſecundùm mouens motionem voluntatis includit tanquam primi mouentis.

Nota Voluntas ſub ea ratione conſiderata, quòd ipſa moueat & applicet alias facultates animæ quo ad exercitiũ; & ſic eſt ſuperior; etiã ipſo Intellectu. Intellectus verò ſimpliciter eſt ſuperior quia mouet imperando, illuminando, ordinando & præſcribendo modum operis exercendi.

Imperiũ eſt motus cum intimatione.

4. *Sed obijcies*. Imperare eſt efficaciter mouere, ſed hoc voluntatis eſt proprium non intellectus. ergo imperare erit voluntatis. *Reſpondeo* Imperium non eſſe quemlibet motum, ſed cum intimatione, ſeu cum ordinis præſcriptione, quod ſoli intellectui conuenit.

Obijcies ſecundò. Eius eſt imperare cuius etiam impellere, ſi ita expediat. ſed voluntas impellit, quia efficienter concurrit: Intellectus verò ſolũ obiectiuè. ergo imperare eſt voluntatis. *Reſpondeo* Maiorem veram eſſe de iure, non de facto: nam poteſt dari aliquis cui de iure competat imperare, qui tamen de facto non poteſt cogere, quia vires illi deſunt. *Reſpondeo ſecundò*. non eſt neceſſe vt is qui imperat immediatè per ſeipſum cogat, ſed poteſt hoc per alios præſtare vt: Rex habet legitimum imperium in regno cui imperat, ciues tamen regni non per ſeipſum, ſed per magiſtratus ad officium parendi & debitè viuendi compellit. Similiter ſufficit intellectui quòd imperet; & non eſt opus vt ipſe immediatè ad imperata præſtanda impellat, ſed hoc commodè expedire poteſt per voluntatem, aut per ſuppoſitũ, cum actiones ſint ſuppoſitorum.

Imperium cõuenit intellectui practico.

Nota cum dicimus. *Imperium conuenire Intellectui*, intelligimus Practicũ, non Speculatiuum.

Iudicium & imperiũ differunt dupliciter.

5. *Sed quæres*. an Imperium & iudicium Intellectus practicum, inter ſe differant? *Reſpondeo* quòd vtrumque quandam vim enuntiationis habent ſed in hoc differunt; quia Iudicium Practicum efferri ſolet per modũ proponentis in tempore præſenti Indicatiui, v. *Hoc nunc agendum*. aut *Hoc nunc fugiendum*. Imperium verò effertur per modum impellentis in tempore Imperatiui v. *Hoc age, Hoc fuge*. *Secundò differunt*, Iudicium Practicum dicit relationem ad rem faciendam, aut vitandam; quod tunc verum eſt, ſi obiectum fuerit conſentaneum: Imperiũ verò potius volũtatẽ & illius deſideriũ reſpicit quod cũ intimatione inſinuatur. Sit igitur manifeſtũ *quòd actus Imperij principaliter eſt in Intellectu, ſed ab eo nõ excludimus volũtatẽ, ſed eãdẽ ad actionẽ imperãdi cũ Intellectu cõcurrere affirmamus, primas partes Intellectui aſſignantes*.

QVÆSITVM II.
An Imperium conueniat Brutis?

Imperium Brutis non poteſt conuenire.

6. Reſpondemus dicendo, *Non poſſe conuenire.* PROBATVR Imperare eſt aliquid ordinare ad operandum cum quadam motione intimatiua. ſed ordinare ſic ſolùm illis conuenit qui rationem habent, ergo cum bruta careant illa & Imperij actu carere debent.

Nota primò. Idcirco in maiori addidimus *quòd ſit rationis ordinare cũ quadã intimatione* v. dirigẽdo. nã ordo etiã obiectiuè ad voluntatẽ ſpectare poteſt, ſed nõ poteſt ĩtimare, nec dirigere cũ ſit cæca, nam hoc ſolius eſt rationis.

Nota ſecundò. Concedimus in Brutis eſſe appetitiuam facultatem eandemque motionem efficientem: ſed negamus quòd in brutis imperet, ſed ſolùm in homine imperat, in quantum rationẽ imperantẽ mouet.

Nota tertiò. In Brutis eſſe quandam ordinationem: quia appetitus illorum vbi aliquod obiectum tanquam ſibi conueniens apprehendit, in illud naturaliter mouetur: ſed hæc ordinatio non eſt ab ipſis brutis, ſed ex inſtinctu naturæ, vnde in Brutis non eſt imperium, ſed impetus.

QVÆSITVM III.
An Imperium præcedat vſum?

7. Communem ſequens reſponſionem dico duo ad hoc Quæſitum. Dico primò. *Tunc vſus eſt prior Imperio, quando voluntas applicat Intellectum ad conſultandum de medijs.* PROBATVR Imperium eſt formaliter in Intellectu, & Intellectus non imperat niſi præſuppoſita deliberatione. ergo vſus cum quo intellectus applicatur ad conſultandum, eſt prior imperio *vel hæc Ratio ſic formari poteſt.* vſus præcedit electionem, (vt præcedenti Quæſito docuimus,) & electio præcedit imperium. ergo vſus prior Imperio.

Dico ſecundò. *Si conſideretur vſus in quantum eſt in inferioribus potentijs applicãdo illas ad exſecutionem medij ſic iam Imperio eſt poſterior.* PROBATVR Has potẽtias inferiores, (vt teſtis eſt experiẽtia) non mouemus ad exſecutionem niſi ſaltem moraliter & deliberatè, præſuppoſito Intellectus imperio. ergo vſus vt ſic, eſt imperio poſterior. *Deinde* Imperium pri⁹ eſt naturâ imo quandoque tempore, quam ſit exſecutio quæ fit per potentias inferiores. ſed vſus ſimul eſt cum exſecutione. ergo vſus eſt poſterior. *Item* Poſito imperio efficaci in Intellectu, ſequitur vſus & exſecutio. nam Imperium efficax eſt ad quòd neceſſariò opus ſequitur, præſertim ſi nullum ſit im-

Imperium efficax quid

ſit impedimentum. ergo imperium eſt priùs quàm vſus.

Imperiũ eſt prius vſu.

8. *Nota* Abſolutè loquendo ſemper Imperiũ eſt prius Vſu, & quouis alio actu voluntatis. *Probatur* Etiam cum voluntas applicat Intellectum ad aliquam conſultationem, id nihilominꝰ proceſſit ex quodam Imperio & declaratione Intellectus, nam declarauit illam deliberationem eſſe vtilem. *Præterea* Licet Electio ſit prior Imperio quo exſecutionem imperamus, tamẽ hæc eadem electio. dici poteſt poſterior, ex intentione finis. nam intentionem finis intellectus imperare poteſt, declarando finem illum eſſe bonũ & alio meliorẽ. *In ſũma.* nihil volũtas poteſt tã circa finẽ quã circa media, niſi p̃miſſa declaratiõe Intellectꝰ.

Volũtas pòteſt ſibi ipſi imperare.

Nota ſecundò. non eſſe abſurdum vt voluntas per actum reflexum ſibi imperet, ſeu ſeipſam moueat. nam vult ſe velle, vel ſe eligere media, vel ſe intendere finem.

Nota tertiò. Licet exſecutio neceſſariò ſequatur imperiũ Intellectus, exſecutio nihilominus erit meritoria & laudabilis. nam hoc neceſſarium non eſt abſolutum ſed ex cõditione, quòd libertatem humanam non lædit.

QVÆSITVM IV.

An Imperare & Actus imperatus ſit vnus actus an verò diſtincti?

9. AD Quæſitum Dico. *Imperium & Actus imperatus in genere moris ſunt vnus actus humanus, ſed in genere naturæ ſunt plures & diuerſi.* PROBATVR primũ, quod *ſit vnus actus humanus.* Ariſt. *2. Eth. cap. 2.* dicit: *vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantùm.* ſed actus imperatus eſt propter imperium. ergo ſunt vnꝰ actus. *Item* Sicut in genere rerum naturalium habet ſe materia & Forma; ita in genere actuum moralium habet ſe imperium & actus imperatus. ſed materia & Forma in genere rerum naturalium conſtituunt vnũ quoddam totum compoſitum. ergo & actus imperans & imperatus in genere moris vnum actum totalem cõſtituit. *Deinde* Sicut compoſitum in genere naturæ licet habeat multas partes; vt homo habet Animã & corpns, eſt vnum Ens naturale: ita actus humanus habet hæc plura, Imperium & Actum imperantem, & nihilominus eſt vnum Ens morale vnitate morali. ergo ſunt vnus actus in genere moris.

Actus imperans & imperatus in genere moris ſunt vnũ cõſtituunt.

In genere naturæ ſunt diſtincti.

PROBATVR alterum. quòd *in genere naturæ ſunt diuerſa.* Actus enim imperans & imperatus conſiderati ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſunt plures ijdemque ſeparabiles, vt partes hominis poſſunt ab inuicem ſeparari ergo quoad ſubſtantiã ſunt diuerſa.

10. *Quæres* Quomodo ſe hi actus habeant ad inuicẽ? *Reſp.* ſic ſe habere quòd actus imperans eſt ille, qui actum imperatum perficit, eundem eliciendo, & in ſuum obiectum dirigendo? Actus verò Imperatus eſt qui ab inferiori Potentia in virtute ſuperioris exercetur. & ſicut actus prĩcipalis

Quid ſit actus imperans & imperatus? cipalis agentis habet ſe formaliter ad actum inſtrumenti: ita & actus imperans habet ſe inſtar formæ, & Imperatus qui eſt inferioris potentiæ habet ſe inſtar materiæ. *Ex quo collige.* quòd ex illis duobus quorum vnum habet rationem materiæ, & alterum habet rationem Formæ, fieri vnum, & ideo actus imperans & imperatus vnus actus.

Nota ſecundò. Cum dicit D. Thomas quòd *actus imperans & imperatus ſunt vnum*, intellige quòd non ſunt vnum ſimpliciter; ſed ſecundùm quid & vt ſunt vnus actus humanus; & vt vnum quoddam totũ compoſitum conſtituunt, Vnde per vnitatem non intellige Realem ſed Moralem.

Sit igitur manifeſtum. *Quod hi duo actus licet ſint duo Entia, ſunt tamen vnus actus humanus.* PROBATVR vnam & eandem bonitatem aut malitiam habent. ergo ſunt vnus actus. nam fores domus effringere, rem alienã auferre, vnam malitiam habet *Præterea* homicidium dicitur eſſe vnius actus peccatum, & tamen homicidium habet plures actus ſubordinatos, vt Imperium, Intellectus, vſum, voluntatis exſecutionem, quæ fit per partes inferiores; ſunt igitur vnus actus peccati, qui ex his partibus còaleſcit.

QVÆSITVM V.
Quinam ſunt actus hominis qui imperantur?

11. IN hoc Quæſito complectimur doctrinam S. Doct. quæ in quinque ſequentibus art. eſt ſparſa: inquirimus autem *quinam ſunt actus qui ſub imperium cadũt?* hi autem videntur cadere, qui ſunt humani, & cùm actus humani ſint quinduplices: *primus* eſt voluntatis, *ſecundus* rationis, *tertius* potentiæ appetitiuæ ſenſitiuæ; *quartus* animæ vegetatiuæ: *quintus* membrorum exteriorũ. & de his iam inquirendum an imperio ſubiaceant?

Act⁹ humani quotuplices ſunt?

Dico itaque primò. *Actus voluntatũ, imperio rationis ſubijciuntur.* PROBATVR. id quod eſt in poteſtate noſtra, ſubiacet imperio noſtro. ſed actus voluntatis noſtræ ſunt maximè in poteſtate noſtra, quia aliàs non eſſent voluntatis. ergo imperantur. *Deinde* imperium eſt actus rationis ordinantis cũ quadam ratione ad aliquid agendum. ſed ratio poteſt ordinare de actibus voluntatis. ergo & actus voluntatis imperare poteſt. *Minor.* ſicut enim poteſt iudicare quòd hoc ſit bonum, ita etiam poteſt ordinare imperando vt velit.

12. *Obijcies.* ſi actus voluntatis imperantur. ergo dabitur proceſſus in infinitum in actibus intellectus & voluntatis. *Sequela.* nam ante quemlibet actum harum duarum potentiarum aliquem præceſſiſſe credendum eſt, nam voluntas mouet intellectum vt imperet, & intellectus imperãdo rurſus voluntatem mouet, & quia voluntas in motione dependet ab imperio, ergo antequam mouet intellectum, habuit imperium rationis. vt ſe ad imperandum moueret. ergo erit proceſſus in infinitum.

Reſpondeo

Primus actus volun- tatis nõ ſub- jicitur rati- oni.

Reſpondeo quòd ratio illum ſolùm actum voluntatis imperat qui rationi ſubijcitur. ſed eſt quidam primus actus voluntatis qui eſt circa finem, & in quem naturaliter fertur, & hic non ſubijcitur rationi. nam ex inſtinctu naturæ, ſeu ab authore naturæ ad illud mouetur.

Quidam reſpondent quòd non eſt neceſſe, ut ante quodlibet imperiũ præcedat actu aliquis motus voluntatis, ſed ſufficit quòd potuerit præcedere. Hoc idèo dictum eſſe volo ad hoc ſaluandum, quòd actus voluntatis circa finem eſt liber & meritorius, & in noſtra poteſtate. nã actibus purè naturalibus nihil meretur. ideo autem dicitur eſſe ex inſtinctu naturæ aut authoris naturæ, quia volũtas p aliquem actum priorem non applicat ſe ad illum ipſum actum, queãdmodũ in alijs actib⁹ cõtingit, vt cũ media eligit

13. *Obijcies*, videtur eſſe contrarietas quædam huius doctrinæ cum ſuperiori: antea docuimus, quòd intellectus mouet voluntatem quantũ ad ſpecificationem, v. proponendo illi obiectum, ſed nullo modo efficaciter mouet. quoad exercitium actus. hîc autem dicim⁹, quòd mouet quoad exercitium, quia mouet ratio voluntatem per imperium, vt v. in ſuũ actum exeat.

Reſpondeo primò verùm eſſe quòd ante docuimus, quòd voluntas à nullo extrinſeco mouente, moueri poſſit quoad exercitium, niſi à ſolo Deo. ſed ratio mouens imperio ſuo voluntatem, non eſt mouens extrinſecum, cùm ſit facultas eiuſdem animæ cuius & voluntas & tantò magis cùm virt⁹ mouens quæ eſt in imperio ex volũtate procedit.

Reſpondeo ſecundò. imperium duos actus continet, *primus* eſt ordinare, dirigere actum circa id quod eſt agendum. *alter* eſt mouere, quoad exercitium illius actus. vnde ordinare ad rationem ſpectat, etiam actus voluntatis. ita quòd volũtas mouet intellectũ ad imperandũ, & rurſus intellect⁹ ordinando & dirigendo mouet voluntatem. *Dicitur* itaque actus voluntatis à ratione imperari, inquantum ordinatur ad exercitium, & vt in eodẽ actu exercendo dirigitur. ſed efficienter non mouet voluntatem ad ipſum actum eliciendum. nam virtus mouens non à ratione ad voluntatem, ſed è contra à voluntate ad intellectum deriuatur.

Imperiũ duos actus cõtinet.

Reſpondeo tertiò. Intellectus vt eſt intellectus, v. in ſe præcisè conſideratus, non mouet voluntatem efficienter quoad exercitium, ſed intellectus vt à voluntate motus, tunc habet vim mouendi acceptam à voluntate, vt poſſit quoad exercitium moueri. quia fons & origo motionis in moralibus actibus à voluntate prouenit.

Intellectus vt intellectus nõ mouet voluntatem.

14. Dico ſecundò. *Actus rationis, quantum ad exercitium imperari poſſunt, ſed quoad ſpecificationem, ſiue quoad aſſenſum vel diſſenſum circa obiectum non omnes imperantur.* PROBATVR primum, quòd *quoad exercitium imperatur*. Hi actus rationis q exercẽtur, ſunt *apprehendere, intelligere, aſſentiri, diſſentire*. ſed hos actus rationis ipſa ratio imperare poteſt. ſiquidem ordinare poteſt ergo hos actus imperat. *Item* ratio poteſt ſuper ſeipſam reflecti, nam intelligit ſe intelligere. ergo quemadmodum imperando ordinat actus aliarum potentiarũ, ita etiam & proprium actum ordinare poteſt. ergo imperat. *Deinde* experimur in nobis quòd ratio de quolibet ſuo actu ordinare po-

Intellectus poteſt ſupra ſeipſum reflecti.

nare poteſt, v. quomodo? quando ſit efficiendus? ergo imperantur.

PROBATVR alterum, quòd *quoad ſpecificationem, ſeu quoad obiectum, non omnes actus ſub imperium rationis veniant. nam illi qui habent cauſas conuenientes & neceſſarias, non imperant.* PROBATVR. Illi actui imperamus, qui eſt in noſtra poteſtate. ſed ea quæ conuincunt rationem, nõ ſunt in poteſtate noſtra, quia extorquent aſſenſum, vt cum primis principijs aſſentimur, aut concluſionibus quæ per prima principia deducuntur. ergo actus qui ex cauſis conuincentibus procedunt non imperãtur, ſed ſolùm illi actus qui aſſenſum vel diſſenſum liberũ habent, ita quòd apprehenſis poſſimus aſſentiri & diſſentire. Pro maiori euidentia

Circa obiectum rationis duo actus contingunt.

15. *Nota.* quòd circa obiectum rationis duo actus contingunt: *primus* eſt qui veritatem circa illud obiectũ apprehendit, & hic actus non eſt in noſtra poteſtate. nam apprehenſio veritatis fit per lumen aut naturale aut ſupnaturale, quæ nõ sũt in noſtra poteſtate. vnde tales act⁹ nõ imperantur. *ſecundus* eſt actus rationis, dũ his quæ apprehendimus aſſentimur, tunc ſi hæc quibus intellectus aſſentitur ſint eiuſmodi, quæ aſſenſum naturaliter extorquent, vt ſunt prima principia, & talium aſſenſus & diſſenſus, non eſt in noſtra poteſtate, ſed ſunt in ordine & imperio naturali: ſin autem apprehenſa talia fuerint, quòd neceſſariò non conuincunt rationẽ, tunc his aſſentiri aut diſſentire poſſumus: aut etiã circa hæc ex aliqua cauſa actũ ſuſpẽdere, & hæc sũt in noſtra poteſtate, vnde imperari poſſunt.

16. Dico tertiò. *Actus appetitus ſenſitiui ſubijciuntur imperio*, ſed non totaliter. Pro intelligentia

Nota. in appetitu ſenſitiuo sũt duo: *primò* apprehenſio ſeu vis appetitiua: *ſecundò* eſt diſpoſitio organi, vt in oculo eſt potentia viſiua apprehendens colores, & diſpoſitio in organo oculi, per quam aut iuuatur aut impeditur. *vnde* actus appetitus ſenſitiui pendet & ex vi apprehenſiua, & ex diſpoſitione corporis, & ratione apprehenſionis, ad imperium rationis refertur, ratione verò diſpoſitionis, quæ varia contingit, ſic iam imperio ſe ſubducit.

In appetitu ſẽſitiuo duo ſunt.

Probatur. id ſubiacet imperio rationis, quod eſt in noſtra poteſtate. ſed appetitus ſenſitiuus ſecundùm quod apprehendit, eſt in poteſtate rationis, quia apprehenſio in ſenſu eſt particularis virtus, quæ ab vniuerſali apprehenſione quæ eſt rationis, regulari debet. ſed ſecundùm quod dependet à diſpoſitione corporis, iam non eſt in noſtra poteſtate, quia nemo oculo læſo imperare poteſt, vt acutè videat: ſi aut ſit debilitas in imaginatione ex diſpoſitione organi, nemo imperare poteſt, vt fortiter imaginaretur. ergo appetitus ſenſitiuus non ſubiacet totaliter imperio rationis. *Item* ſunt quidam motus qui ſubitò concitantur in appetitu ſenſitiuo, per apprehenſionem imaginationis, & hi ſunt præter imperiũ rationis. ergo non omnes ſubijciuntur rationi. *Præterea* Ariſt. 1. Politic. cap. 3. dicit, quòd ratio dominatur appetitui ſenſitiuo, vt concupiſcibili & iraſcibili facultati, non imperio deſpotico ſeu herili, vt dominus ſeruo imperat, qui omnia ad nutum domini imperantis exſequitur, ſed politico ſeu ciuili, ſicut Rex ſubditis, & conſul ciuibus imperat, qui quandoque imperium detrectare poſſunt. ergo non totaliter imperium rationis ſequitur.

Appetitus ſenſitiuus non ſubiacet totaliter imperio rationis.

Omnium affectionum origo eſt imaginatio.

17. ***Nota*** omnium affectionum & motuum tam ordinatorum quàm inordinatorum principium & origo eſt imaginatio, ex qua immutatio in organo corporeo ſequitur. ſignum eius rei eſt, quòd homines ex alteratione facta in organo per virtutem imaginatiuæ facultatis, non ſolùm in vigilia, ſed etiam ſomno conſopiti varias phantaſias patiuntur.

Nota ſecundò. hæc imaginatio & ex ea exorientes cogitationes aliquo modo ſubijciuntur rationis imperio, ſed quando turbantur ex diſpoſitione organi iam imperium recuſant. nam ſæpenumerò has vel illas turpes & noxias cogitationes volumus repellere, & non poſſumus ob alterationem in appetitu ſenſitiuo factam.

Imaginatio quando ſub iaceat rationi?

Nota tertiò imaginatio reſpectu eorũ quæ à ratione conſiderantur, ſubiacet rationi: nam ratio imperare poteſt imaginationi, vt pœnas inferni iudicis acerbitatem repræſentat: tunc autem imaginatio erit in poteſtate rationis, ſi impedimenta corporis, hoc eſt paſſiones, affectus domiti fuerint, & ſic imperare poterimus, vt malæ cogitationes abeãt & bonæ ſuccedãt.

Nota quartò. concupiſcere, nõ ſemper ſubeſt rationi, ſed conſentire aut diſſentire concupiſcentijs, id iam imperio rationis ſubijcitur.

18. Dico quartò. ***Actus animæ vegetatiuæ imperio rationis nõ ſubijciuntur.*** PROBATVR. Ratio ſolùm illis inferioribus facultatib⁹ imperat, quæ cõſequuntur aliquam apprehenſionem. ſed act⁹ vegetatiuæ animæ non conſequũtur vllam apprehẽſionem, ſed ſolùm vim naturalem animæ vegetatiuæ. ergo nõ ſubijciuntur imperio rationis. ***Confirmatur.*** vegetatiuæ animæ ſunt hæ facultates, nutritio, digeſtio, augmentatio, & hæ non ſequuntur cognitionem. nam non eo modo quo quis cognoſcit, & vult nutritur, augmentatur, ſed hæ facultates functiònes ſuas exercent ſecundùm vim animæ vegetatiuæ.

Quæ ſũt facultates vegetatiuæ animæ?

Inſtabis. vires ſenſitiuæ animæ, ſunt nobiliores viribus vegetatiuæ, ſed hæ ſubijciũtur imperio rationis. ergo & vegetatiuæ debent ſubijci. ***Reſpondeo*** negando conſequentiam: ideo enim aliqua ſunt nobiliora, quia imperio rationis ſubijciuntur, quæ verò non ſubijciuntur, ſunt ignobilia, quia ſubiectio quæ fit alicui nobili, non ignobilitatem, ſed nobilitatem importat, vt dicebat D. Agatha ***Chriſti ſeruitutem eſſe ſummam ingenuitatem.*** vnde ad propoſitum ***dico,*** quòd quantò aliquis actus eſt immaterialior, tantò eſt nobilior, & magis rationi ſubdit⁹ propter ſimilitudinem, per quam eſt aptus ad imperium rationis ſuſcipiendum.

Actus aliquis quantò immaterialior, tantò magis rationi ſubditus.

Sed inſtat Caiet. membra ſunt materialia, & hæc ſine contradictione ad nutum rationis parent; appetitus autem ſenſitiui paſſiones ſunt immateriales & ſpirituales, & hæ non ſemper parent rationi. ergo falſum eſt, quòd quantò quid immaterialius; tantò magis imperium rationis audit.

Reſpondeo cum eodem Caiet. quod inter hæc eſt hoc diſcrimen, membra enim corporis habẽt ſe vt inſtrumenta potentiarum, & non habent proprium obiectum: potentiæ autem ſenſitiuæ habent diſtincta obiecta; vnde pro diuerſitate actuũ quos circa obiecta eliciunt, membra tanquã inſtrumenta mouent.

19. ***Dico præterea*** quòd appetitus ſenſitiuus nobiliori modo obedit rationi

tioni quàm membra exteriora. nam ſuſtinet formam obedientiæ liberam, quam ciuis erga conſulē habet, quòd poſſit obedire & non obedire. membra verò ex quodam inſtinctu naturæ obediunt ſicut penicillus pictori obedit. *vnde* anima rationalis magis dicitur propriè obediens quàm anima bruti, licet anima bruti Diuinam legem non tranſgrediatur, ſicut homo, quia ad eam ſuſcipiendam non eſt capax.

Actus ab animæ ſenſitiuæ potentijs productis ſubijciuntur rationi at verò à potentijs animæ vegetatiuæ, minimè.

Dico quintò. *Actus membrorum exteriorum qui mouentur à potentijs ſenſitiuis, ſubijciuntur rationi: qui verò fiunt à potentijs animæ vegetatiuæ, hi à ratione non imperantur.* PROBATVR. membra ſunt organa ſeu inſtrumenta potentiarum animæ. ergo in quas potentias animæ imperium rationis extenditur, in illarum etiam inſtrumenta deriuabitur. ſed ſolùm ratio imperat ſenſitiuis (vt iam probatum) vegetatiuis autem non imperat. ergo illa ſolùm membra obediunt rationi quæ mouet potentia ſenſitiua, illa verò imperium recuſant, quæ mouet vegetatiua.

20. *Inſtabis.* membra exteriora magis videntur obedire rationi quàm potentiæ ſenſitiuæ. nam *1. Politic. c. 3.* dicitur hoc differre membra exteriora à potentijs ſenſitiuis, quòd in mēbra ratio habet imperium herile vt in mancipia, ita quòd non reſiſtant, ſed ad nutum obediant: in potentias verò ſenſitiuas habet imperium politicum, ciuile, nam contradicere poſſunt, ſed abſurdum videtur quòd magis membra obediant quàm potentiæ ſenſitiuæ.

Reſpondeo. ſi ratio imperans per ſe ſola conſideretur, tunc verũ eſt, quòd & membra & potentia ſenſitiua eodē modo obediunt rationi. ſi autem conſideretur ratio, inquantum à ſenſitiua potentia adiuuatur in imperio, ſic verum eſt quod probat argumentum, quòd magis membra quàm ſenſitiuæ potentiæ obediunt rationi, ſiquidem in membris nulla eſt reſiſtentia. nam ex ſe non habent aliquod obiectum, quod obiecto rationis ſit contrariũ, quemadmodum accidit in ſenſitiuis potentijs quæ habent obiectum delectabile rationi contrarium, & ideo repugnant.

21. *Sed quæres* an ſit neceſſarium vt in quauis operatione hi actus explicati ſecundùm ordinem præſcriptum reperiantur, ita vt primò ſit neceſſarium velle finem, tandem intendere, demum conſultare, conſentire, eligere, imperare, ad extremum vt ſit exſecutio rei & vſus? *Reſpondeo,* non eſt neceſſe vt quæuis actio hunc ordinem præſcriptum ſeruet. Idcirco tres Regulas obſeruandas tradimus.

Regula prima. ſi in aliquo negotio actus poſteriores reperiantur, certũ eſt, quòd priores præceſſerint, vel ordine naturæ vel tempore. nam poſtremi à prioribus habēt neceſſariam dependentiam: vt ſi eſt imperium, præceſſit electio, & ſi electio, præceſſit cōſultatio & intentio finis. Regulæ.

Regula ſecunda. non eſt neceſſe, vt quoties actus priores ponuntur, poſteriores neceſſario tunc ſubſequãtur. nam data cognitione finis, non ſtatim ſequitur volitio, & poſito appetitu finis, nō ſtatim intentio ſequitur. ſi tamen intentio fuerit efficax, iam reliqui actus neceſſario niſi aliquod impedimentum interceſſerit, ſubſequi debent.

Regula tertia. non eſt neceſſe vt in quauis actione ſint hi omnes actus diſtincti, nam in genere moris omnes ſunt

ſunt vnus actus, vt in homicidio omnes hi actus concurrunt, & ideo non eſt neceſſe, vt in confeſſione exprimat hos actus, quòd voluerit, intenderit, conſultauerit, imperauerit, impleuerit. nam in homicidio expreſſè includuntur.

Hucuſq; de Voluntario & Inuolũtario & de Actibus qui ex voluntate promanant egimus. ſed huic doctrinæ vnicum inſtar Appendicis annectere placuit de Libertate in quo cõſiſtat? cùm hoc ad perfectionem cõſummatã huius Tractatus requiratur

APPENDIX.

An Libertas formaliter conueniat Intellectui, an verò Voluntati?

22. INſtitutum eſt noſtrum determinare de Libertate. v. in qua potentia harum duarũ formaliter conſiſtat? nam de Libero arbitrio conſiderationem in alium locum reſeruamus.

Opinio prima. Circa hanc difficultatem quatuor opiniones reperio: *prima* eſt Dur. in 2. *diſtin.* 24. q. 24. qui docet formaliter libertatem conſiſtere tam in intellectu quàm in voluntate, ſed ea ratione vt intellectus magis & prius habeat de libertate. idem videtur ſentire Magiſter in eadem diſtinct. cùm dicit: *quòd liberum arbitrium eſt facultas rationis & voluntatis.* & Ariſt. 9. *Metaph. c.* 3. vocat potentias rationales eſſe liberas. ſed intellectus eſt rationalis, idemq; prius & magis rationalis quàm voluntas. ergo magis & prius liber.

Opinio ſecunda. *Opinio ſecunda* Henrici quodl 1. *q.* 16. Scoti in 2. *diſt.* 25. hi affirmant, quòd voluntas ita eſt formaliter libera, vt nullo modo in ſua libertate à ratione dependeat, nec à iudicio practico rationis determinetur. idem de intellectu duo dicunt: *primò* quòd formaliter non ſit liber, ſiquidem intellectus expulſa ignorantia aut errore, neceſſariò eo modo iudicat de rebus prout ſunt: *ſecundò* dicunt, quòd nec radicaliter ſit liber, quia radix libertatis ſignificat illius veram cauſam, at ratio non eſt vera cauſa libertatis, ſed ſolùm conditio *ſine qua non.*

Opinio tertia. *Opinio tertia* eſt Alexand. Alen. in 2. *p. ſum q.* 73. *mem.* 1 *a* 3. hic exiſtimat liberum arbitrium eſſe quandam potentiam à ratione & voluntate diſtinctam. *Ratio eius.* quia homo ad imaginem SS. Trinitatis eſt creatus ſed intellectus refert Filium, qui eſt veritas, & voluntas repræſentat Spiritum S. qui eſt bonitas. ergo ab his conſtituẽda eſt diſtincta facultas, quæ Patris perſonam adumbret, & cui potentia tribui poſſit, & tale eſt liberũ arbitriũ.

Opinio quarta. *Opinio quarta* S. Doct in 1. *p. q* 83. *a.* 1. 2. 3. & 1. 2*dæ. q.* 13. & *in* 2. *diſt* 24 *q.* 1 & *lib. de verit. q.* 24. idem docet Caiet. Conradus, Capr. Richar. hi duo dicunt: *primò* voluntatem eſſe quidem formaliter liberam, ſed radicem eius libertatis eſſe in intellectu: *ſecundò* dicunt voluntatis libertatem non ſolum pẽdere ab hac radice, ſed etiam determinari à iudicio practico intellectus pro determinatione.

 23. Nota

Agẽtia ſũt in triplici differentia.

23. *Nota primò* ex 1. p. q. 83. a. 1. in *Corp.* Agentia ſunt in triplici differentia: *quædam* ſunt quæ abſq; vlla cognitione & iudicio agunt, ſed ex neceſſaria naturæ determinatione, vt cùm ignis ſurſum aſcendit, lapis deorſum fertur: *quædam* verò ſunt quæ agunt ex cognitione & iudicio, ſed non libero, & talia ſunt bruta, quæ ex inſtinctu naturæ & ex iudicio infixo à natura operantur: vt ouis lupo viſo apprehendit eum ſub ratione mali diſcõueniẽtis, ſed iudicio naturali nõ libero. *Quædã* deniq; quæ agũt sũt ex iudicio libero, & cum quadã collatione ſeu conferentia vel conſultatione, ita quòd per vim cognoſcitiuam iudicat hoc eſſe amplectendum aut fugiendum. & huius liberi iudicij ratio & illius vſus eſt fundamentum.

Nota quæ ſit cauſa cur iudicium rationis ſit cum indifferentia, quæ quidem eſt radix libertatis in intellectu, v. quia ratio poteſt ferri in contraria. idcirco autem poteſt, quia actiones hominis cùm ſint particulares, ideo ratio quæ circa contingentia ſeu particularia verſatur, quæ contingentia quia ſe habẽt ad diuerſa, hoc eſt, quia poſſunt eſſe & non eſſe, idcirco & iudicium rationis erit ad oppoſitum, & non erit determinatum ad vnum.

Nota tertiò ex 1. 2dæ. q. 6. a. 6. in reſponſione ad 2. ex hoc cõtingit, quòd homo ſit dominus ſui actus, quia habet deliberationem de ſuis actibus, ex hoc enim quòd ratio eſt deliberans ſe habet ad oppoſita, voluntas in vtrumq; poteſt. Ex quo manifeſtè collige deliberationem eſſe in intellectu

Deliberatio eſt in intellectu.

& hæc in vtramq; partem propendet, & hinc ex hac indifferentia libertas voluntatis originatur. His notatis.

24. Dico primò. *ſolùm illæ creaturæ quæ ſunt rationales ſeu intellectuales, ſunt agentia libera, bruta autem animantia nullo modo libera dici poſſunt.* PROBATVR. negatio vſus rationis eſt cauſa adæquata negationis libertatis. ſed in brutis non eſt vſus rationis. ergo neque eſt libertas. *Item* illa creatura eſt libera quæ dominium ſuæ actionis habet. ſed ſola intellectualis habet dominium, quia ſola deliberare poteſt. ergo non bruta, ſiquidem hæc ex inſtinctu naturæ ad ſuas operationes determinantur.

Solùm creaturæ intellectuales ſunt agentia libera.

Nota non eſſe audiendos qui dicũt in brutis animalibus quoddam veſtigium libertatis reperiri quoad aliquos motus, ita quòd in illorum ſit poteſtate mouere ſe in hanc aut in illam partem. nam hoc prorſus falſum eſt cum libertatis origo & cauſa ſit ratio, quæ nulla eſt in brutis. vnde non mouentur ex perſuaſione cognoſcitiuæ facultatis, ſed ex determinatione propriæ naturæ.

25. Dico ſecundò. *Libertas formaliter conſiſtit in voluntate, in Intellectu verò tanquam in radice & vero fundamento reſidet.* Ita præter D. Th. & illius ſcholam Bellarminus in lib. 3. de Gratia & libero arbitrio cap. 8. Et eſt Dictũ directè contra Durandum. PROBATVR primum. quod ſit formaliter in voluntate Eccleſiaſtici 18. *Ante hominem vita & mors, quicquid placuerit ei, dabitur illi.* 1. Corinth. 7. *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* Deuteron. 30. *Teſtes inuoco, cælum & terram quòd poſuerim robũ bonum & malum &c.* elige ergo &c. Probatur quoque rationibus.

Libertas formaliter in voluntate; tanquam in radice in intellectu reſidet.

Ratio prima. Illa potentia eſt in nobis formaliter & intrĩſecè libera, quæ & ſeipſam determinat, & reliquas potentias inferiores. ſed voluntas eſt

eſt talis, quia & ſeipſam determinat, (vt iam deductum,) & alias potentias, vt ex illo Geneſis interpretantur quidam: *Sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* ergo voluntas eſt formaliter libera.

Ratio ſecunda. Omnis actio libera prouenit ex appetitu alicuius boni, aut ex fuga alicuius mali. ſed appetitus boni in natura rationali: nihil aliud eſt quàm voluntas. ergo volũtas eſt in qua eſt libertas.

Nota In Intellectu ad intelligendũ poteſt eſſe quidam appetitus, ſed hic eſt naturalis & quaſi pondus quoddam Intellectus inclinantis ad Intelligendum. ſed quòd intellectus nunc exerceat actũ intelligendi, vel quòd quieſcat, aut ſuum actum ſuſpendat iam hoc ad intellectum referri non poteſt, ſed in appetitum totius ſuppoſiti quod eſt voluntas.

Indifferentia iudicij dupliciter contingit. 26. PROBATVR alterum, quòd *libertas radicaliter ſeu cauſaliter ſit in Intellectu.* Nam Intellectus voluntati quæ eſt cæca proponit obiectum ſub indifferentia, v. ſub ratione boni aut mali, conuenientis aut diſconuenientis. ita vt voluntas in quamcunq; partem voluerit poſſit ſe inclinare. ergo in intellectu radix libertatis. Pro intelligentia.

Nota Indifferẽtiã Iudicij dupliciter contingere. *Primò.* quòd Intellectus de eadem re poteſt ſucceſſiuè vel cõtraria vel diuerſa iudicia facere. Et notum eſt experientia; quia idem homo qui nunc hanc rem tanquam ſibi eſſe conuenientem iudicauit; poſtea vel quòd mutatio ſit facta à parte rei vel ob aliam nouam circumſtantiam adiunctam, iudicat non eſſe conuenientem: *Secundò* Quando intellectui duo media æque conuenientia proponuntur: & tunc intellectus non eſt magis affectus ad iudicandum de conuenientia vnius quam alterius, Et hoc vtroque modo poteſt homo indifferens iudicium habere. ſed hæc indifferentia iudicij in Angelis primo modo non datur ob ſublimem in intelligendo perſpicuitatem: *Tum* quia Angelus ſucceſſiuè non cognoſcit. & tantò magis hic primus mod° à Deo remouendus, cum illius actus ſcientiæ ſit maximè euidens: Secundo modo libertas eſt in Deo. Idcirco enim Deus hunc mundum produxit, quia iudicauit hoc medium eſſe conueniens ad manifeſtandam gloriam & bonitatem ſuam. ſed nihilominus etiam cognouit quòd alius mundus diuerſus ab iſto, poterat æque conueniens eſſe medium ad manifeſtandam gloriam & bonitatem ſuam. vnde ſicut primum liberè elegit, ita etiã & alterum poterat elegiſſe. *Item* Poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt adhuc Voluntas agere vel non agere. ergo in ea formaliter eſt libertas.

27, *Nota ſecundò.* ad libertatem nõ requiri potentiã ad contrariè oppoſita. vt ad bonum vel ad malum faciendum, ſed ſufficit potentia ad oppoſita contradictoria, vt ad agendũ vel non agendum. *Probatur* In Deo eſt perfectiſſimè libertas (vt docet D. Thomas *1. parte quæſt. 19. art. 10.*) ſed in Deo non eſt facultas ad faciendũ bonum vel malum, ſed ſolùm ad faciendum bonum, quia opera Dei ſũt perfecta. ergo ſufficit ad libertatem oppoſitio contradictionis, facere nõ facere. Ad libertatem ſufficit potentia ad oppoſita cõtradictoria non verò contraria.

Nota tertiò. Poſſe peccare non eſt perfectio liberi arbitrij, ſed potius eſt quædam imperfectio ex eo illi conue- Poſſe peccare nõ eſt pfectio ſed impfectio liberi arbitrij.

conueniens, quòd ſit ex nihilo productum.

Ad Durandi Argumentum. dico Liberum arbitrium eſſe facultatem Rationis & Voluntatis, ſed ita quòd ratio dicatur libera radicaliter, voluntas verò formaliter.

Ad argumenta Scoti reſpondeo. quòd probant ſolum Intellectum formaliter non eſſe liberum, ſed non probãt quòd radix libertatis non ſit in Intellectu: illud verò quòd *Intellectus eſt conditio ſine qua non* Falſum eſſe. Intellectus enim proponens obiectum voluntati non habet ſe vt applicans Ignem ad combuſtionem; neque vt ille qui aperit feneſtram; ſed confert quandam actiuitatem, ſicut lumen facit actu viſibiles colores, facit vt res ſit actu expetibilis, quæ ſolùm fuit potentia. ergo concurrit nõ vt Conditio *ſine qua non*, ſed vt vera cauſa.

Ad illud verò quòd *Intellectus neceſſariò iudicat. ergo non eſt liber, reſpondeo* libertas quæ eſt in ratione non eſt ita libera à coactione ſicut voluntas, hæc enim prorſus excludit coactionẽ quia inclinatio voluntatis eſt inclinatio toti⁹ ſuppoſiti. vnde nihil velle poteſt quod repugnet ſuppoſito, & ideo Voluntas inclinatur ad bonum, quod etiam eſt totius ſuppoſiti. Ratio verò ideo poteſt cogi contra inclinationem ſuppoſiti; quia propendet ad intelligendum verum, ad quod non propendet totum ſuppoſitum. vnde cogi poteſt ad iudicandum contra inclinationem non quidem ſuam ſed totius ſuppoſiti vt cum credit Articulos Fidei.

28. *Reſpondeo ſecundò* Ratio non eſt libera à neceſſitate quo ad ſpecificationem: ſi enim in argumento neceſſario proponantur rationes neceſſariæ, neceſſariò aſſentitur: ſi proponantur probabiles, vt in materia cõtingenti opinatur neceſſariò, ſed cũ formidine in contrarium. Ita Ariſtoteles 2. de Anima. vbi dicit nos poſſe imaginari quod volumus, non tamen opinari, niſi id quod argumenta concludunt. *Ratio non eſt libera à neceſſitate quoad ſpecificationẽ.*

Ad argumentum Alenſis reſpondeo. Id quòd eſt de eſſentia alicuius, non poteſt eſſe ab illo diſtinctum tanquã illius Eſſentiale: & ſic libertas (vt eſt probatum) eſt eſſentialis voluntati, vnde ab ea non diſtinguitur. ſed de his copioſiùs quando Gratiæ myſterium ingrediemur. Nunc Appendici finem imponimus, Deum omnis ſcientiæ authorem & largitorem venerantes & humiliter deprecantes vt hoc quicquid eſt à nobis in hoc Tractatu præſtitum in laudem illius nominis Sanctiſſimi & B. Virginis MARIÆ cedat.

IN TRA-

IN TRACTATVM DE PECCATIS ET VITIIS.

PRÆFATIO.

OMissâ interpretatione Quæſtionũ, quæ ſtatim à principio in prima ſecundæ habentur: nã ob ſui facilitatem à quouis Lectore mediocri adhibito ſtudio cognoſci poſſunt. Et præmiſſa conſideratione de Bonitate ac Malitia actuum humanorum & de voluntario ac inuoluntario quæ magnam lucem & euidentiam ad actus vitioſos & laudabiles diſcernendos adferunt tum & plurimùm conducunt ad moleſtos conſcientiæ fluctus ſedandos, qui continua iactatione cordis anxietatem pariunt & ſalutis conſequendæ laqueos deſperationis injiciunt ad Tractatum de Vitijs & Peccatis ex Doctrina D. Th. concinnandos tranſimus, in quo plurimæ difficultates & controuerſiæ reſoluendæ occurrunt. Ex cuius cognitione hunc fructum in animis Auditorum germinare cupimus, vt peccati grauitatem cognoſcant, & quibus bonis nos ſpoliet, & quantis calamitatibus afficiat: præclarè B. Proſper inquit: *Excludit à gaudio Diuinæ contemplationis, Sanctorum ſocietate priuat, extorres à cæleſti patria facit, in ignem æternum cum Diabolo & Angelis eius*

Fructus huius Tractatus quis? Peccatum quanta adferat damna.

lis eius expellit vbi baratri fumantis cæcâ caligine oculi obcæcantur & gehennæ fluctuantis incendio cum edaciſſimis vermibus dolores multiplicando in perpetuum excruciant. Vtinam hæc cogitatio, menti noſtræ infixa, doceat nos blandimenta carnis refrænare, & omnia peccata deteſtari.

DIVISIO TRACTATVS.

Sex primarijs partibus naturam Peccati D. Th. videtur comprehendere; *Primò.* docet Quid ſit peccatum? *Secundò* affert diuiſionem. *Tertiò* Comparationé. *Quartò* Subiectum explicat. *Quintò* Cauſas. *Sexto* Effectus. Sed quia Cauſæ, & Effectus ſunt multiplices, nam cauſæ ſunt numero ſeptem, Effectus verò numero tres. Idcirco quò ratio ordinis maniſeſtior euadat nouemdecim Diſputationes, conformantes nos totidem Quæſtionibus D. Thomæ, præſentis Tractatus aſſignamus.

1. *De Quidditate Peccati.*
2. *De Diuiſione Peccatorum.*
3. *De comparatione eorundem peccatorum.*
4. *De Subiecto illorum.*
5. *De cauſis in genere.*
6. *De prima cauſa interna peccati, ſcilicet de Ignorantia.*
7. *De ſecunda cauſa interna ſcilicet de Paſſione.*
8. *De tertia cauſa interna, ſcilicet de Malitia.*
9. *De prima cauſa externa, ex parte Dei.*
10. *De Secunda cauſa externa de Diabolo.*
11. *De tertia cauſa externa v. ex parte hominis & naturæ per propagationem communicatæ.*
12. *De natura originalis peccati.*
13. *De Subiecto eiusdem.*
14. *De quarta cauſa externa. quomodo præcedens peccatum ſit cauſa ſubſequentis.*
15. *De primo effectu peccati v. de corruptione naturæ.*
16. *De ſecundo effectu de Macula.*
17. *De tertio effectu de Reatu, ſeu obligatione.*
18. *De Peccato Mortali & Veniali ſimul.*
19. *De ſolo veniali ſecundùm ſe conſiderato.*

DISPVTATIO I.

De Natura & Quidditate Peccati.

Sex exa-

Sex examinabimus.

1. *An vitium ſit contrarium Virtuti?*
2. *An vitium ſit contra naturam?*
3. *An vitium ſit peius quàm Actus vitioſus?*
4. *An Peccatum ſimul eſſe poſſit cum virtute?*
5. *An in quolibet peccato ſit aliquis actus?*
6. *De Quidditate peccati,*

QVÆSITVM I.
An Vitium ſit contrarium Virtuti?

Quot ſunt quæ virtuti opponūtur.

1. RESpondēdo ad Quæſitum Dico *Contrariari, tria enim ſunt v. Peccatum, vitium, Malitia, quæ virtuti opponuntur.* PROBATVR. Duo ſunt quæ in quauis virtute conſiderantur. *primò* Eſſentia virtutis. *ſecundò* id ad quod ordinatur virtus. & rurſum in Eſſentia virtutis ſunt duo. *Primum* directè v. ipſa Eſſentia virtutis, quæ nihil aliud eſt quàm quæ per ſe ſignificat quandā diſpoſitionem conſentaneam, & cōgruentem naturæ cuiuscunq; rei. *Alterum* in virtute indirectè, & ex conſequenti, vt virtus dicatur eſſe bonitas, & ſic virtus dicitur eſſe qualitas bona mentis, quà benè viuimus, & quà nemo male vtitur. In ſumma tria ſunt in virtute. *Primò* eſt Diſpoſitio conſentanea naturæ, & ſic vitium opponitur virtuti: *ſecundò* eſt in virtute ex conſequenti bonitas, & ſic virtuti opponitur malitia: *tertiò* eſt id, ad quod ordinatur v. Actus bonus, & ſic virtuti opponitur peccatum, quod eſt actus malus. ergo hæc tria *vitium, Peccatum, Malitia.* opponuntur virtuti; ſed diuerſa ratione, (vt iam declaratum.)

In quauis virtute conſiderantur duo.

Quænam & quot ſint in virtute?

2. *Nota* Hæc tria nomina, *Peccatū. Malitia, vitium.* non ſunt ſumenda pro eodem ſignificato. *Vitium* enim quamuis communiter videatur ſignificare quemlibet actum turpem, inhoneſtū tamen hoc in loco ſumimus vitium pro habitu turpi inhoneſto; vnde vitium opponitur virtuti tanquam habitus habitui *Peccatum* verò ſignificat actum quemlibet turpem, inhoneſtū contrarium legi ſuperioris, & ſic peccatum opponitur. virtuti, vt ordinatæ ad actum honeſtum. *Malitia* id ſignificat quod vitium & peccatū conſequitur, & ſic virtuti ratione bonitatis opponitur, quæ virtutem conſequitur.

Peccatum, vitium, malitia nō ſūt ſumenda ꝑ eodem ſignificato.

Probatur autem primum quòd *vitiū opponatur virtuti.* quia id quod conuenit regulæ rectæ rationis, opponitur illi, quod eſt diſſentiens à regula rectæ rationis. ſed virtus eſt conformis regulæ rectæ rationis; ſiquidem virtus ad actus honeſtos exercendos inducit, vitium verò diſſentit à regula rationis; quia ſolicitat ad actus inhoneſtos. ergo ſibi opponuntur.

Vitium opponitur virtuti.

Probatur ſecundùm quòd *Peccatum cōtrariatur virtuti.* nam Peccatum ſignificat actū

Peccatū virtuti contrariatur

ficat actum qui legi & præcepto ſuperioris opponitur. ſed virtus ordinatur ad actum qui ſit conformis legi ſuperioris. ergo ſibi contrariantur.

Malitia virtuti opponitur.

Probatur tertium. ſcilicet Quòd *Malitia virtuti opponatur.* Bonitas enim & Malitia ſunt ſibi oppoſita. ſed bonitas eſt in virtute. ergo malitia ꝓpter bonitatem in virtute inexſiſtentem virtuti opponetur. Et ſicut malitia ad vitiũ, & peccatum conſequitur, ita bonitas ad virtutem ex conſequenti ſe habet

Quomodo bonitas habet ſe conſequẽter ad virtutem?

3. *Quæres* Quomodo bonitas habet ſe conſequenter ad virtutem? Caiet. reſpondet; quod in eſſentia cuiuſlibet rei duo ſunt: Genus & Differentia, & Differẽtiam dicit primò & per ſe conuenire rei, Genus verò ſecundariò in ſecundo modo *per ſe*; & quia bonitatem dicit habere rationem generis, idcirco affirmat quòd conſequenter habet ſe ad virtutem. *Sed hæc reſolutio impugnatur.* nam genus præſupponitur differentiæ in conſtitutione alicuius ſpeciei. ergo non conſequitur: & ſicut Formæ naturali præſupponitur Materia, ita differentiæ præſupponitur gen⁹. Sed materia quę ſupponitur non dicitur conſequi rẽ quam conſtituit. ergo nec genus cõſequetur illam ſpeciem quam conſtituit, ergo nec bonitas ſic conſequetur virtutem.

Bonitas duplex in virtute.

Medina reſpondet. Duplex bonitas in virtute, *quædam* eſt Diſpoſitio, quæ benè afficit eum, in quo eſt, ad hoc vt conformiter ad regulam rectæ rationis operetur: *quædam* verò eſt operatiua bonitas: *primam* dicit primò, & per ſe conuenire virtuti. *alteram* ex conſequenti. ſed & hæc reſolutio pa titur difficultatem; nam repugnat do ctrinæ D. Th. hic *quæſt. 55. art. 2.* vbi dicit, Virtutem per ſe eſſe operatiuã boni, & ſicut quodlibet vitium ob vitioſam diſpoſitionem ex ſe ad malum inclinat, ita & virtus cum ſit bona diſpoſitio ex ſe ad bonum inclinat. ergo bonitas inquantum eſt operatiua boni, n õ habet ſe cõſequẽter ad virtutẽ.

4. *Vera igitur* Reſolutio hæc eſt. duplex eſt bonitas in virtute: *quædam* eſt quæ illi per ſe conuenit: *quædam* autem quæ conuenit ex accidenti: *Prima* dicitur eſſe cauſa boni actus: *ſecunda* dicitur eſſe conueniens ſubiecto cui ineſt. *Probatur* Omnes res creatæ duas bonitates admittunt, quarum vna eſt *Eſsentialis*, quæ cum natura, & Eſſentia cuiuslibet rei conuertitur: alia verò *Extra Eſſentiam.* ergo etiam in virtute duæ erunt bonitates Eſſentialis & extra eſſentiam, *Conſequentia.* nam virtutes ſunt quædam Entitates reales productæ. ergo quod alijs Entibus, hoc etiam virtuti conuenit.

Res creatæ duas bonitates habẽt

Nota Hæc bonitas cui malitia opponitur habet ſe eo modo, quo Paſſio ad proprium ſubiectum, aut vt actus ſecundus ad primum. ſed paſſio non ſpectat ad Eſſentiam ſubiecti. ſed illud conſequitur. ergo & bonitas cõſequitur virtutem.

Bonitas cui malitia opponitur quo modo ſe habet?

Quæres. Quænam hæc eſt bonitas conſequens? *Reſpondeo* eſſe qualitatẽ & promptitudinem ad benè operandum, quam virtus ſubiecto confert.

Bonitas cõſequẽs quænam eſt?

QVÆSITVM II.

An Vitium ſit contra naturam?

Suppono

In homine Natura eſt duplex.

5. SVppono primò. In homine duplex eſt natura; quædam eſt *Rationalis* quæ eſt propria hominis: quædam *Senſitiua* quæ illi cum brutis communis, & ſecundùm hanc duplicem naturam duplex eſt in homine appetitus. *Rationalis* qui dicitur Voluntas, & *Senſitiuus* qui in ſenſibus cõſiſtit, dũ vnusquiſq; in obiectum ſibi cõueniẽs procedit.

Appetitus in homine duplex.

Suppono ſecundò. in appetitu Senſitiuo duplex eſt inclinatio: *quædam* eſt ad proprium obiectum, quod quidẽ eſt delectabile, & ſenſibile: *quædam* eſt ad ſequendam motionem voluntatis, & hæc dicitur vniuerſalis, quia ad bonum totius hominis inclinatur.

In Appetitu Senſitiuo duplex inclinatio.

Suppono tertiò. Tribus modis dicitur aliquid eſſe cõtra naturam *Primò* quia eſt contra id, quod eſt à natura, vt lapis habet à natura vt deorſum feratur, vnde ſi ſurſum proijciatur motus erit contra naturam: *ſecundò* quia eſt contra id, ad quod aliqua res habet naturalem inclinationem; vt lapis habet naturalem inclinationẽ; ad motũ deorſum, vnde motus ſurſum, eſt cõtra naturalem inclinationem: *tertiò* quia opponitur ei quod eſt ſecundũ naturam, ſeu quod eſt naturæ conueniens & accõmodatum: & hoc tertio modo vitium, & peccatum ſunt contra naturam, quia ſunt contra id, quod eſt conueniens naturæ rationali. His ſuppoſitis.

Contra naturam aliquid eſt tribus modis.

6. Dico. *vitium eſt contra naturam.*

Vitium eſt contra naturam.

PROBATVR. D. Aug. *lib. 3. de lib. c.* 13. inquit: *Omne vitium eo ipso quod eſt vitium contra naturam eſt.* Et lib. de Spiritu & Litera cap. 28. explicans locũ ad Rom. 9. *Gentes, quæ legem non habent quæ legis ſunt naturaliter faciunt.* inquit, *naturaliter, eô quòd vitium eſt contra naturam Probatur rationibus.* Vitium (vt iam probatum eſt) eſt virtuti contrarium ſed virtus inducit diſpoſitionem, quæ ſit naturæ conueniens, vitium verò inducit diſpoſitionem, quæ non ſit naturæ conueniens ergo vitium eſt contra naturam. *Deinde* Natura hominis potiſſimum cõſideratur ſecundũ animam rationalem ita vt illud ſit ſecundũ naturã hominis, quod eſt ſecũdũ rationẽ, ſeu ſecundùm dictamẽ rectæ rationis Sed vitiũ nõ eſt ſecundũ dictamẽ rectæ rationis cùm inducat malũ. ergo vitiũ contra naturam. *Item* Sicut Deus eſt author naturæ, ita etiã inclinationis naturalis. ergo naturalis inclinatio in homine non poteſt eſſe niſi tantùm ad bonum. Sed vitium omne, & peccatum inducit ad malum. ergo eſt contra naturam.

Inſtantia.

7. *Inſtabis* Inclinatio appetitus ſenſitiui videtur eſſe ſecundùm naturam & hæc in peccatum fertur. ergo peccatum eſt ſecundùm naturam. *Reſpondent quidam* hanc Inclinationem ad peccandum debere intelligi de appetitu ſenſitiuo poſt peccatum, non autem ſimpliciter ſecundùm propriã naturam; ſed falluntur nam exſiſtente naturâ humanâ in puris naturalibus, & ſuppoſito quòd per peccatum non ſit vitiata, nihilominus eadem rebellio membrorum & facultatis ſẽſitiuæ fuiſſet contra rationem, nam ex varia affectione, quæ eueniret ex diuerſo temperamento in corpore id quod eſt delectabile appeteret. Vnde.

Reſpondeo Appetitum ſenſitiuum ferri in peccatum non formaliter ſed tantùm impropriè, & materialiter, vt eſt quædam actio voluptatem adferens. *Et ratio* eſt. Quia illud eſt formaliter peccatum quod rationi, & legi repugnat vnde nõ ad appetitũ, ſed ad rationem ſpectat. *Tum* ſi appetitus ſenſi-

Appetitus ſenſitiuus in peccatum quomodo feratur?

ſenſitiuus per ſuam inclinationem moueret adpeccatū, ſequereturquòd hoc Deo tribuendum eſſet, ſiquidem act⁹ elicit⁹ ab inclinatione naturali tribuitur authori ipſius inclinationis

An virtutes ſint ſecundum naturam?

8. *Obijcies* Si vitia ſunt contra naturam. ergo virtutes erūt ſecundum naturam? *Reſpondeo* Virtutes per ſe infuſas non eſſe homini connaturales, ſed ſolùm acquiſitas. *Per virtutes per ſe infuſas* intelligo illas, quæ à ſolo Deo, tanquam à cauſa principali in nobis producuntur vt Fides, Spes, charitas, & ad has nulla eſt naturalis inclinatio in nobis: quia prorſus ad finem ſupernaturalem ordinantur ad quem in nobis non eſt naturalis inclinatio. ergo ſolum erit inclinatio obedientialis, quòd natura humana ſit in manibus Dei, qui cum ea poteſt facere id, quod non inuoluit cōtradictionem. Per *Virtutes acquiſitas* illas intelligo, quæ ex frequētatis actib⁹ etiā ſine ſpeciali auxilio gratiæ in nobis producuntur vt Iuſtitia, Prudentia, Temperantia, & hæ ſunt homini naturales.

Ad Fidem, Spem, Charitatem, naturalis inclinatio nō eſt.

Peccata nō ſunt naturalia.

9. *inſtabis rurſum.* Principium peccandi in nobis eſt voluntas: & hæc eſt naturalis. ergo peccata ſunt naturalia. *Reſpondeo* certum eſſe quòd voluntas eſt prīcipium peccati, & quòd natura humana ſinevoluntate nō poſſit eſſe. ſed addo. quòd hæc eadem voluntas in nobis liberè ſe habet, ita quòd in illius ſit poteſtate operari prout voluerit: & ſic ſine dictamine rationis & contra præſcriptum legis operabitur, actum vitioſum committet, qui eſt contra naturam.

Non ſolùm peccata Sodomiæ ſunt contra naturam.

Sed adhuc inſtabis. Peccata Sodomiæ eſſe ſola contra naturam. *Reſpondeo* ita obtinuiſſe vſum. quòd hæc ob ſui enormitatem à quibus etiam beſtiæ abhorrent peculiari modo, & per Antonomaſiam dicuntur contra naturā ſed cum hoc benè ſtat quòd & reliqua vitia dicuntur peccata contra naturam, ſiquidem diſpoſitionem naturæ conuenientem corrumpunt.

QVÆSITVM III.

An Vitium ſit peius quàm Actus vitioſus?

10. PLura in determinatione dicimus quàm ſit in Quæſito, nam de ſolo vitio & Actu vitioſo inquirimus determinabimus verò de Actibus & de habitibus in communi. Comparādo igitur Actum cum habitu dupliciter loqui poſſumus, aut in genere Moris, aut in genere Entis. Loquendo in genere Moris

Actus excedit Habitū, in malitia & bonitate

Dico. Quòd *act⁹ nō ſolùm in malitia, ſed etiā in bonitate excedit habitū.* PROBATVR, Habitus medium tenet inter Potentiam, & Actum, quemadmodum Calamus eſt quid medium inter manum & ſcripturam, & Habitus quidem excedit potentiam, ſed eūdem habitum excedit Actus.

Habitus excedit Potētiam.

Quòd Habitus excedat Potentiam, Probatur. Quia habitus ſunt cauſæ inſtrumentales quæ dant promptitudinem facilitatem ad actus producendos

cendos. ergo potentias excedunt. *Quod verò Actus excedant habitum, Probatur.* Benè agere eſt actus, poſſe benè agere eſt habitus. ſed melius eſt benè agere, quàm poſſe benè agere. ergo Actus in bonitate excedit habitum. Et malè agere eſt actus, poſſe malè agere eſt habitus. ſed deterius eſt malè agere, quàm poſſe malè agere. ergo actus excedit habitum in malitia.

Actus excedit Habitũ.

Bonitas & malitia formaliter eſt in actibus.

Ratio ſecunda. Bonitas & malitia formaliter eſt in actibus & non in habitibus. ergo actus excedunt Habitus. *Probatur* Ad bonitatem vel malitiam moralem requiritur libertas, & obligatio proueniẽs ex lege, aut ex præcepto dirigente mores. ſed libertas propriè actibus conuenit, nam habitus non dicuntur liberi niſi in quantum per actus liberos exercentur; neque lex dicitur eſſe Regula directiua habituum ſed actuum. ergo in actib⁹ formaliter bonitas aut málitia. ergo actus excedunt.

Cauſa efficiens quomodo ſit præſtantior ſuo effectu?

11. *Sed inſtabiṡ* Omnis cauſa Efficiens boni vel mali. eſt potior ſuo effectu, & ab eo non ſuperatur. ſed habitus eſt cauſa efficiens actuum. ergo ab his non exceditur. *Reſpondeo* verum eſſe de cauſa efficienti, quæ ſit principalis, non autem de ea, quæ ſit Inſtrumentalis: vt Calamus non eſt præſtantior ſcriptura, nec penicillus imaginem excedit. *Ratio eſt.* Quia inſtrumenta ad producendos effectus non concurrunt virtute propria, vnde illam perfectionem, quam effectus producti habent non cõtinent in ſeipſis.

Inſtabiṡ ſecundò. De gratia habituali quòd hæc nos Deo gratos faciat, quod actibus noſtris tribui nõpoteſt. *Reſpondeo* Nos loqui de habitu operatiuo. & qui noſtris actibus acquiri poteſt, qualis non eſt gratia cùm nobis infundatur: & ſi charitatis habitum cum actu charitatis comparare voluerimus, præſtantius eſt diligere Deum, quàm actum dilectionis habere. Certum itaque ſit actum vitioſum eſſe etiam deteriorem habitu, ſiquidem habitibus tam bonis, quàm malis nec meremur, nec demeremur. ſed ſolùm actibus ipſis aut meritum, aut demeritum conquirimus.

Actus vitioſus eſt deterior habitu

12. Loqvendo *verò* de Habitu & de actu in genere Entis. Dico *quòd etſi probabile eſt Habitum eſſe perfectiorem, nam vtiq; habitus efficienter concurrunt ad producendos actus, nihilominus probabilius eſt quòd etiam in genere Entis Actus ſint perfectiores.* Probatvr. Actus enim perfectius conſtituũt ſuum ſubiectũ, quàm habitus. ergo in genere Entis Actus eſt perfectior. *Antecedens* Habitus conſtituit ſubiectum in potentia ad actum ſecundum ſeu dat illi vires vt operari poſſit cum facilitate. ſed actus hæc omnia ad actũ deducit ergo ratione Entis perfectior actus.

Actus in genere Entis ſunt perfectiores.

Sed obijcies Habitus acquiſitos eſſe cauſas actuum. *Reſpondeo* Non eſſe cauſas habitus Actuum ſecundùm eorum ſubſtantiam & Entitatem, ſed ſolùm quoad facilitatem. Et ad do. potius actus eſſe cauſas habituum quoad Entitatem, ſiquidem habitus ex frequentatis actibus conquiruntur.

Habitus acquiſiti quomodo ſunt cauſæ actiuæ?

Nota Habitus infuſos ſupernaturales in entitate ſuos actus excedere, vnde habent ſe vt cauſæ æquiuocæ ad ſuos effectus producendos.

Habitus infuſi ſupernaturales in ẽtitate ſuos actus excedunt.

Sed obijcies ſecundò. Virtus cùm ſit naturâ ſua permanens, eſt perfectior actu virtutis, cùm hic tranſeat. *Reſpõdeo* Verùm eſſe phyſicè loquẽdo in genere entis, nõ autẽ in genere moris; nã act⁹ virtutis ex gratia ꝓcedẽs vim meriti habet quod ipſi virtuti nõ cõuenit

Quomodo virtus ſit perfectior actu virtutis?

 [*Sed ex hoc*

Sed ex hoc inferes. ergo & vitiū cum ſit habitus permanēs erit peior actu. *Reſpondeo* Non ſequi ideo quia bonitas virtuti per quandam intrinſecam rationem, & denominationem conuenit. malitia verò per ordinem ad actū malum vitio competit. Et ſic non vitiū, ſed actus vitioſus erit deterior.

QVÆSITVM IV.

An peccatum poſſit eſſe ſimul cum virtute?

Virtutes ſūt duplices.

13. NOta quoad ſenſum Quæſtionis duplices ſunt virtutes, *quædam* ſunt *Acquiſitæ* per ſe, quæ nihil aliud ſunt præterquā qualitates ex frequentatis & iteratis actibus productæ, quibus ad benè operandum diſponimur. *Quædam* ſunt *infuſæ* ſimiliter qualitates à Deo per ſe infuſæ, quibus iuuamur ad actus ſupernaturales exercendos vt Fides, Spes, Charitas, Pœnitentia. Senſus itaque eſt Quæſtionis An virtutes tam Acquiſitæ, quàm Infuſæ ſimul in eodē ſubiecto ſtare poſſint quod peccato mortali eſt infectum?

Quæ ad virtutem quāuis conſtituendam concurrunt ſūt duo.

Nota ſecundò. Quoad modum oppoſitionis duo ſunt quæ ad quamuis virtutem conſtituendam concurrunt *Primò* eſt ratio Entis, quam quælibet virtus debet habere, & ſecundùm hanc Entitatem etiam bonitatem cōſequentem habet: *Secundò* eſt Ratio virtutis D. Th. appellat cauſam virtutum in quantum cum gratia & charitate connexionem habent, & hominem gratum Deo reddunt, & ſic iam virtus per peccatum mortale tollitur His notatis.

Habitus Acquiſiti & infuſi nonnulli in genere Entis poſſunt eſſe cū mortali peccato.

14. Dico primò. *Tam habitus acquiſiti quàm nonnulli infuſi conſiderati in ratione Entis poßunt eße ſimul in eodem ſubiecto cum peccato mortali.* PROBATVR Ideo in rebus naturalibus vna forma naturalis non poteſt ſimul eſſe cum alia ſibi oppoſita; quia quælibet forma naturalis ex neceſſitate producit operationem ſibi conuenientem. ſed habitus exſiſtens in anima non producit ex neceſſitate ſuam operationem, ſed eſt in poteſtate hominis, vt cùm voluerit, poſſit illo vti. ergo habitu in anima exſiſtēte poterit illo homo nō vti & contrarium illi producere. ergo habitus acquiſiti cū peccato mortali ſimul eſſe poſſunt. *Item* Habitus acquiſiti ſunt multis actionibus iteratis comparati. ergo nonniſi multis actibus contrariis deſtruentur. ergo cum vno peccato habitus eſſe poteſt.

PROBATVR alterum. *Quod etiam quædam virtutes Infuſæ vt Fides, Spes, cum mortali peccato ſimul eſſe poſſint.* Ita tenet Concil. Trident, Seſſ 6. cap. 15. vbi definit. *Aſſerendum eſt quôcunq; peccato mortali quamuis non amittatur fides acceptam iuſtificationis gratiam amitti.* PROBATVR *ſecundò.* Si non poſſent eſſe cum peccato mortali. tunc ideo quia à peccato corrumperentur. Sed conſequens falſum quia vnumquodque quod corrumpitur à ſuo contrario corrumpitur, ſed infuſæ virtutes non poſſunt à mortali corrumpi ſiquidem in ſuo

in ſuo *eſſe*, & *conſeruari* à ſolo Deo dependent. *Confirmatur* Sicut enim Angeli & Animæ rationales ideo à ſolo Deo corrumpuntur, quia ab eo in eſſe & conſeruari dependent. ergo idem de virtutibus infuſis dicendum, quòd ab eo ſolo corrumpantur cùm à ſolo Deo in *eſſe* & *conſeruari* dependeant.

Habitus tã infuſi quàm acquiſiti in ratione virtutis nõ poſſunt eſſe cũ mortali peccato ſimul.

15. Dico ſecundò. *Habitus tam infuſi quàm acquiſiti conſiderati in ratione virtutis non poſſunt eſſe ſimul cum peccato mortali.* PROBATVR. per *rationem virtutis* intelligimus gratiam & charitatẽ. ſed quoduis mortale peccatum tollit gratiam & charitatem. ergo in ratione virtutis ſimul non conſiſtunt. *Deinde* virtus ſimpliciter in ſua ratione conſiderata reddit hominem Deo acceptum, & tribuit illi ius ad vitam æternã cõſequẽdã. ſed hæc talis bonitas virtutis nõ poteſt ſtare cũ peccato mortali. ergo in ratione virtutis nõ ſubſiſtunt cum peccato mortali.

Quomodò Fides Spes cum mortali peccato eſſe poſſint

Sed inſtabis ex determinatione iam facta fides, ſpes, cum peccato mortali eſſe poſſunt. *Reſpondeo* quòd fides, ſpes, per peccatum mortale ſpoliantur gratiâ & charitate, vnde ſunt quidem in anima peccatoris ſecundùm entitatem ſupernaturalem, ſed iam vt ſic conſideratæ non habent ſimpliciter rationem virtutis, nam nec hominem Deo gratum faciunt, nec conſortem vitæ æternæ.

Nota habitus vitioſi poſſunt quidẽ perſeuerare cum infuſis & acquiſitis in eodem ſubiecto, tamẽ iam non denominant homines vitioſos. *Ratio* quia in habitu duo entitas & moralitas ſecundùm entitatem ſunt, ſed ſecundùm moralitatem denominatio fit. vnde quia ſolùm ſunt ſecundùm entitatem, idcirco non denominant.

In Habitũ duo.

QVÆSITVM V.
An in quolibet peccato ſit aliquis actus?

16. HVius Quæſiti proponẽdi eſt occaſio peccatũ omiſſionis, videtur enĩ omnino excludere actũ. nã omiſſio dicitur eſſe prætermiſſio ſeu priuatio act⁹, quem aliquis ex præcepto obligatur implere. duæ hic opiniones.

Opinio prima circa hanc quæſtionem.

Prima eſt Alexandri *2. p. q. 130. m. 10.* hic tenet ad peccatum omiſſionis requiri actum internum voluntatis qui ſit volitio ipſius omiſſionis, v. quòd velit illud præceptum ad quod obligatur omittere. ita Baſolis in *2. diſt. 75. q. vnica, a. 1.* Gabr. *diſt. 41.* ita Caiet. *in 1. p. q. 6. a. 5.* cauſam reddens, cur Angelus non potuit peccare peccato omiſſionis, dicit: *quia peccatum omiſſionis habet annexum actum voluntatis non rectũ qui in Angelo non potuit eſſe, cùm illius volũtas naturaliter fiat determinata ad rectitudinem primi actus.*

Altera ſententia Capr. *in 2. diſt. 35. q. 1. a. 4. Concl. 2.* Conradi. D. Bonau. Richardi, Ægidij Henrici, *quodl. 12. q. 24.* & D. Th. pro cuius determinatione.

17. Dico primò. *poteſt dari aliquod peccatum omiſſionis abſq; omni actu.* ita hic D. Th,

Peccatum omiſſionis aliquod poteſt dari abſque omni actu.

D. Th. a. 5 *verius,* inquit, *dici poteſt, quòd aliquod peccatum poſſit eſſe abſq; omni actu.* Probatvr. actus non eſt de Eſſentia peccati omiſſionis. ergo peccatum omiſſionis poteſt eſſe ſine actu. *Antecedens* dupliciter loqui poſſumus de peccato omiſſionis, vel per ſe, vel ex accidenti, & quamuis peccatum omiſſionis ex accidenti ſemper ſit cum aliquo actu, tamen iudicium de reb' verius datur ſecundùm id quod eſt per ſe quàm quod eſt ex accidenti. ſed omiſſio per ſe eſt abſq; omni actu primo, quia actum ad quem obligamur, omittit, & tunc eſt omiſſio. *ſecundò* quia omiſſio non eſt in eo vt agas, ſed potius in eo vt non agas. ſed non agere non includit actũ, & nõ agere eſt omiſſio. ergo omiſſio abſq; actu.

De peccato omiſſionis dupliciter loqui poſſumus.

Ratio ſecunda. Peccatum omiſſionis eſt quandoquis id prætermittit quod debuit & potuit facere, ſed hoc fit ſine vllo actu. iuxta illud *ſcienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi* non facere nullum dicit actum, & non facere eſt omiſſio. ergo omiſſio ſine vllo actu.

Peccatum omiſſionis.

Ratio tertia. poteſt quis aduertere ſe teneri ad eliciendum actum dilectionis, tunc ſi hunc actum ſuſpendat, vt quidem poteſt, ſiquidem ſe ad eum liberè habet, & ſic committetur peccatum omiſſionis, & quidem abſque omni actu. Ergo omiſſio poteſt eſſe abſq; actu. *Reſpondet* Henr quod in hoc caſu omiſſio eſt negatiua, ſed non priuatiua, ideo non eſt peccatũ.

Sed contra ſequeretur, quòd homo ſecundùm Henr. poſſet ſeipſum ſubtrahere ab obligatione præcepti eo tempore pro quo præceptum obligat, nam poſſet ſe negatiuè habere, quod eſt falſum. *Præterea* in hoc caſu omiſſio non eſt negatiua ſed priuatiua. nam ſicut in naturalibus carentia debitæ formæ eſt priuatiua, ita hic, quia eſt abſentia actus debiti, idcirco eſt omiſſio priuatiua.

Peccatum omiſſionis ſemper habet aliquẽ actum coniunctum.

18. Dico ſecundò. *Peccatum omiſſionis vt plurimum ſemper habet aliquem actũ coniunctum.* pro intelligentia

Actus in omiſſionibus modis poteſt eſſe

Nota. tribus modis actus in omiſſione eſſe poteſt: *primò* cùm ille actus eſt internus, vt cùm volumus omittere: *ſecundò* vt ille actus ſit occaſio omiſſionis, & ſit coniunctus cum omiſſione, v.g. ſi quis eo tẽpore quo præceptum obligat ad audiendum Sacrum, ſtudeat, dormiat, venationi indulgeat, propter quos actus omittit præceptum: *tertiò* ſi talis actus ſit antecedens ex quo moraliter ſequitur impedimentum quominus impleatur obligans præceptum, vt ſi quis nimium vigilet aut ſe vino inebriet, ex quo ſequitur quod diu in lucem dormiet, & Sacrum non audiet. hoc poſito.

Probatio concluſionis

Probatvr *Concluſio.* quilibet noſtrum hoc in ſeipſo experitur, quod id ad quod tenetur non omittit, niſi aut quia vult omittere, aut cùm intẽdit non audire Sacrum, quia alteri actui ſit deditus qui ſit incompoſſibilis, & occaſio omittendi cum actum ad quem obligamur. ergo omiſſio ſupponit actum. *Confirmatur.* ſicut enim intellectus circa aliquod obiectum tunc deſinit verſari quando ad aliud conſiderandum ſe transfert. idem de voluntate dicendum, quòd ideo omittit actum præceptum quia alium intendit.

Ratio ſecunda. qui cõmittit peccatũ omiſſionis aut aduertit præceptum quo obligatur? aut non aduertit? ſi aduertit. ergo cum ad impletionem ſolicat, & ſi non obedit ideo accidit, vel ex-

vel expreſsè vult omittere, vel quia intendit eo tempore pro quo obligatur alijs rebus vacare. ergo ex tali aduertentia erit actus in omiſſione ſi autem non aduertit tunc vel naturaliter, & ſic nullũ erit peccatum. ſi autem inanimaduertentia ſit vincibilis, tũc ex aliquo actu prouenit quo fuit volita, aut quia aliud fuit volitum.

19. Dico tertiò. *quando omiſſio eſt culpabilis, tunc maximè nullo modo poteſt eſſe ſine aliquo actu libero* PROBATVR. doctrina eſt D. Aug. *Peccatum niſi ſit voluntarium non eſt peccatũ*. ſed omiſſio ſi excludit omnem actum voluntatis. ergo non erit voluntarium. ergo nec peccatum etiamſi ſit culpabilis, quod eſt falſum.

Dices eſſe indirectè voluntarium. *Contra inſto* indirectè voluntarium nihil eſt, niſi in eo ſit contentum, quod eſt formaliter liberum: occiſio enim in ebrietate commiſſa eſt indirectè volita, ſed quia hæc in actu ebrietatis continetur quo hic voluit ebrietatem, vnde indirectè voluit conſequentia ebrietatẽ. *Præterea* in omni peccato mortali eſt auerſio à Deo, & conuerſio in creaturã, tanquã in vltimũ finẽ, ſed hæc ſine actu eſſe nequeũt, et ſi in omiſſione nullus eſt actus. ergo omiſſio nõ erit peccatum, quod eſt falſum.

An ille actꝰ ꝑpter quẽ omiſſio eſt facta eſt peccatum?

20. *Quæres primò*. an ille actus propter quem omiſsio eſt facta ſit peccatum? vt ſi quis ſtudio aut venationi vacet cùm ſit Miſſa audienda. *Reſpondeo*. ſi ille actus eſt cauſa omiſſionis, ita quòd propter eum decreuit non audire Miſſam cùm tenetur audire, & ſic erit peccatum, quia exſiſtit cauſa omiſsionis actus, qui lege Diuina præcipitur. ſi autem ille actus non eſt cauſa omiſsionis, ſed ſolùm eſt concomitans omiſsionẽ, & ſic non eſt peccatum, *v. g.* decreuit quis die feſto nõ audire Miſſam, & ne ſit otioſus aut ſtudet aut ludo ſe exercet, & ſic non erit peccatum, quia melius eſt hominem aliquid agere quàm otioſum eſſe.

Quo tẽpore peccatũ omiſſionis incurritur?

21. *Quæres ſecundò*. quo tempore peccatum omiſsionis incurritur, an quando eſt tempus implendi, & omittit implere? an quãdo ſe periculo non implendi exponit? vt largius vinum ſumendo, aut in longã noctem vigilando, ex quo neglectus Miſſæ ſubſequitur.

Reſpondeo & *dico primò*. tunc peccatum omiſsionis incurritur, quando præceptum affirmatiuũ obligat ad implẽdũ & non impletur, nã ante illud tempꝰ non tenetur homo operari. ergo ante illud tempus non eſt omiſsio.

Dico ſecundò. ſi quis tamen voluntariè ponit impedimentum ad impletionem præcepti affirmatiui: aut ſe exponit periculo omittendi, & tunc peccat. vt ſi quis ſe inebriat pridie feſti quo Sacrum audiendũ, & ſic non ſolùm peccat quod ſe inebriat, ſed quia ſe exponit periculo non audiendi Sacrum.

Nota peccatum quo quis ſe periculo exponit omittendi, non eſt quidem formaliter omiſsio, niſi velit directè omittere.

QVÆSITVM VI.
An Eſſentia peccati in poſitiuo, an in priuatiuo conſiſtat?

22. Circa hoc Quæſitum tres ſunt opiniones: *prima eſt* quæ aſſerit quod formale conſtitutiuum peccati inſola conſiſtit priuatione, ita quòd peccatum ſit priuatio rectitudinis debitę, ſiue deuiatio à lege Dei. ita docent Altiſiodorenſis *lib. 2. Sum. Theol. 3. cap. 1.* D. Bonau. Richar. *in 2. diſt. 34.* Scot. *diſt. 37.* Dur. Gabr. Henr.

Secunda eſt Capr. *in 2. diſt. 35. quæ. vnica.* Caiet. hic quos ſequitur Medina, qui etiam pro ea ſententia Victoriam cum Cano allegat. idem ſentit Curiel. Vaſquez. diſput. 95. quamuis hîc relationem diſconuenientiæ ad legem ſuperioris pro conſtitutiuo peccati faciat.

Tertia eſt Ferrar. qui conſtitiuum peccati dicit eſſe ex priuatiuo & poſitiuo ſimul, quia in peccato ſunt duo, *conuerſio* ad bonum creatum, & hoc eſt quid poſitiuum, & *auerſio* à lege æterna quæ eſt quid priuatiuū. qua de re quid ſit ſentiendum breuiter determino. Et

Ratio formalis cōſtitutiua peccati non cōſiſtit ſimul in priuatiuo & poſitiuo.

23. Dico primò. *Ratio formalis conſtitutiua peccati non conſiſtit ſimul in priuatiuo & poſitiuo.* PROBATVR. Formale conſtitutiuum alicui⁹ rei debet eſſe indiuiſibile quid, ſiquidem ſpecies (vt docet Ariſt.) ſunt ſicut numeri, & ſicut ternario ſiue detrahas vnitatem ſiue addas, variabis ipſius ſpeciem. ita ſi natura peccati eſt in priuatione. ergo ſi addis poſitiuum, iam varias naturam peccati, quia cùm prius erat in priuatione, iam eſt in poſitiua entitate. *Item* videtur eſſe abſurdum, vt ſub priuatiuo genere contineatur poſitiuum. ſed ſi gen⁹ eſt quid priuatiuum, & ſpecies debet eſſe priuatiuum. *Deinde* ex Ente & non ente non conſtituitur tertia entitas, ſiquidem Enti & non Enti nihil poteſt eſſe commune. ergo nec ex priuatiuo quod eſt nō Ens, & poſitiuo quod eſt Ens, peccatum conſtituetur.

Vltimò ſequeretur, quòd in ratione formali peccati intrinſecè includeretur bonum & malum, nam omne poſitiuum eſt quid bonum, & omne priuatiuum dicitur eſſe malum. ergo in peccato ſimul erit intrinſecè bonum & malum, quod eſt abſurdum.

Ratio [illegible]

24. Dico ſecundò. *Ratio formalis conſtitutiua peccati non eſt relatio cōtrarietatis ſeu diſconuenientiæ ad legem ſuperioris.* hoc Dictum eſt contra quendam recentiorem, qui docet quòd in actibus peccati omiſſionis eſt reſpectus ſeu ordo ad legē ſuperioris, inquantum cum illa diſcordāt, & hunc reſpectum appellat relationem rationis. & in hoc formale conſtitutiuum peccati facit. *Probatur.* Peccatum pri⁹ eſt in Eſſe peccati conſtitutiuum quàm dicat diſconuenientiam à lege ſuperioris. ergo relatio diſconuenientiæ non conſti-

conſtituit peccatum. *Confirmatur.* ſicut enim aliquid pri⁹ natura quãtũ, quàm æquale aut inæquale: ita Eſsẽtia peccati eſt pri⁹ natura quàm dicat diſconuenientiam ad legem. *Tandem* quælibet relatio fundatur in aliquo fundamento. ſed huius relationis diſconuenientia peccatum eſt fundamentum. ergo prius eſt quàm diſconuenientia ad legem

25. *Sed inſtabis.* Peccatum ſecundùm D. Aug. eſt *dictum, factum, concupitum, contra legem Dei æternam.* ergo actus peccati in eo conſiſtit, quòd ſit contrarius legi ſuperioris. ergo formale cõſtitutiuũ peccati eſt relatio diſcõueniẽtię ad legẽ ſuperioris

In actu peccati duo.

Reſpondeo. in actu peccati ſunt duo: *primum* eſt id quod eſt primarium, v. aut priuatio rectitudinis, aut tendentia ſeu ordo ad obiectũ diſcõueniens ſuperioris præcepto: *ſecundũ* eſt concomitans, quod ille actus ſit contrarius legi ſuperioris, & dicit relationem diſcõuenientiæ ad legem. vnde relationes conuenientiæ & diſconuenientiæ ſunt quidem in actibus humanis, ſed poſteriores quolibet actu bono vel malo conſiderato in genere moris, prius enim actus eſt bonus vel malus, poſtea conſequenter dicit conuenientiam aut diſconuenientiam cum lege ſuperioris.

Formalis ratio peccati conſiſtit in aliqua entitate reali & poſitiua.

26. Dico tertiò. *probabiliter ſuſtineri poteſt opinio quæ dicit, quòd ratio formalis peccati conſiſtit in aliqua Entitate reali & poſitiua, non in ea quæ ſit Phyſica & naturalis, ſed quæ ſit moralis.*

Nota. per eandem entitatem intelligo cum Medina ordinem tendentiam ſeu habitudinem quæ datur in actibus vitioſis peccati commiſſionis, nam reſpiciunt obiectũ malum malitia obiectiua morali, in quantum hi actus contrariãtur legi ſuperioris.

Probatur ſecundum D. Th. 3. *con. gen. c. 9.* malum morale eſt aliqua natura poſitiua, ſiquidem malum morale eſt voluntarium. ergo ab homine intenditur. ergo habet tẽdentiam & ordinem ad obiectum diſconueniens rationi & legi. ergo hoc poſitiuum conſtituit peccatũ. *Item* quod conſtituit ſpeciem poſitiuam diuerſam, debet etiam ipſum poſitiuum eſſe. ſed malum morale conſtituit diuerſas ſpecies peccatorum, alia enim ſpecies eſt vitij rem alienam rapere, alia adulterij, & ſic de alijs. ergo poſitiuũ eſt cõſtituẽs.

Deinde inter bonum & malum morale eſt oppoſitio contraria & non priuatiua nec contradictoria nam inter contradictoria & priuatiuè oppoſita non datur mediũ. ſed inter bonum & malum morale datur mediũ act⁹ indifferẽs, vt sũt *v. g.* comedere, bibere. ergo cõtrariè opponuntur. iam autem contrariorũ ſunt termini poſitiui, nam à malo ad bonum & è contra fit recurſus, à priuatione autẽ ad habitum non datur regreſſus.

Tandem ſequeretur, quòd in Sacramento pœnitentiæ id quod peccatori remittitur, & à quo abſoluitur, eſſet nihil cùm peccatum nõ ſit quid poſitiuum, ſequeretur adhuc quòd Deus cùm peccatorem punit pro nihilo eũdem puniat, ſiquidem peccatum eſt nihil.

27. *Sed obijcies* ſequi ex hoc Dicto Deum aut eſſe authorem peccati, aut quandam entitatem eſſe independentem. *Conſequentia* ſecundùm te peccatum eſt entitas realis poſitiua.

tiua. ſed Ens per participationem dependet ab Ente per eſſentiam qui eſt ſolus Deus, qui à nullo dependet. ergo peccatum erit à Deo. *Reſpondeo* quòd peccatum eſt entitas deficiens, vnde nō in cauſam efficientem ſed in deficientem qualis eſt voluntas humana referri debet. *Tādem addo.* quòd Entia rationis non producit Deus, ſaltem proximè & immediatè, & Deus cauſam formalem nequit ſupplere, & relationes phyſicæ non producuntur ſaltem per ſe, ſed conſequuntur entia creata. ergo ſicut hæ entitates exſtant quæ non ſunt à Deo, ita non eſt abſurdum entitatem moralem defectuoſam exſtare quæ non ſit à Deo.

Entitas peccati qualis?

Deꝰ author peccati non eſt.

28. Dico quartò. *Probabilior tamen ſententia eſt, & iam videtur eſſe communis quod formale conſtitutiuum præter commiſſionis ſit priuatio rectitudinis debitæ.* PROBATVR. ita Scriptura tenet cùm peccatum dicit *Nihil, Auerſionem.* Ioan. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil,* id eſt peccatum. Pſal 77. *Auerterunt & non ſeruauerunt pactum.* ita & SS. Patres ſentiunt. Diuus Damaſc. 2. de Fide 64. *Malum nihil aliud eſt quā boni priuatio aut virtutis defectus.* D. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei. c. 9. *Mali nulla eſt natura ſed amiſſio boni* mali *nomen accepit.*

Formale cō ſtitutiuum peccati pręter commiſſionis eſt priuatio rectitudinis debitæ.

PROBATVR *rationibus.* Ratio formalis peccati conſiderata inquantum eſt communis peccato commiſſionis & omiſſionis eſt priuatio, nam horum peccatorum rationes formales cōueniunt vniuoce in vna ratione communi. ſed omiſſionis ratio conſiſtit in priuatione. ergo & commiſſionis erit in priuatione. *Item* in peccato commiſſionis ſunt duo: *primò* auerſio à Deo & ab illiꝰ lege: *ſecundò* conuerſio ad aliquid poſitiuum per actum vitioſum. ſed abſtracta per intellectū auerſione conuerſio non erit contra Deum nec contra illius legem, & per conſequens non erit mala. ergo conuerſio non conſtituit peccatum, ſed ipſa auerſio quæ eſt idem quod priuatio.

In peccato commiſſionis duo.

29. *Quæres* per priuationem rectitudinis quidnam ſit intelligendum? *Reſpondeo* per priuationem rectitudinis, *non intelligitur gratia gratum faciens,* quia hæc ſicut in fieri ita & in conſeruari à Deo pendet, vnde priuatio gratiæ eſt à Deo, ſed ſuppoſito peccato & demerito.

Priuatio rectitudinis quid?

Dico ſecundò. *Per iſtam priuationem rectitudinis non intelligitur priuatio virtutis quæ peccato commiſſo opponitur,* ſiquidem habitus virtutis cū peccato oppoſito ſimul eſſe poſſūt (vt Quæſito 4. probatum.)

Dico tertio. *per priuationem rectitudinis intelligitur actus debitus, qui hic & nunc ex obligatione legis potuit & debuit à nobis fieri,* tunc enim peccamꝰ cùm id non adimplemus ad quod implendum lege obligamur: aut cùm id facimus quod lex faciendū prohibet. ergo in priuatione actus debiti erit rectitudo.

Dico quartò. *per eandem priuationem rectitudinis debitæ intelligitur debita rectitudo voluntatis creatæ,* v. *vt ſubijciatur legi Diuinæ praſcriptū.* ita D. Aug. lib. de Paradoxis cap. 8. *Quid eſt peccatum niſi prauaricatio Diuinæ legis & cæleſtium præceptorum inobedientia.*

DISPVTATIO II.

De Diuiſione Peccatorum.

Duo primaria inquiremus:

1. *Quænam ſint diuiſiones peccatorum?*
2. *Inquiremus quænam ſit mens D. Th. de his diuiſionibus?*

apud D. Th. eſt Q. 72. habens art. 9.

QVÆSITVM I.

Quænam ſint diuiſiones peccatorũ?

1. REdigimus ad certum ordinem diuiſiones peccatorum in hoc Quæſito. quædam igitur ſunt eſſentiales, quædam accidentales. Eſſentiales ſunt quatuor. & cum in eſſentia peccati ſint duo: *primùm* defectus voluntarius: *ſecundùm* defectus debitæ perfectionis, ex his oriuntur hæ eſſentiales diuiſiones. In Eſſentia Peccati duo

Diuiſio prima. in Perſonale & Originale. *Perſonale* illud eſt quod propria voluntate peccantis committitur. *Originale* quod etiam *naturæ* dicitur eſt id quod communi volũtate primi parentis quæ totius humani generis eſſe cenſetur, eſt commiſſum. iuxta illud ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Peccati Eſſentialis diuiſio prima

2. *Diuiſio ſecunda.* Peccatum perſonale *quoddam eſt actuale*, quod in ſola actione conſiſtit, vt cùm quis actũ homicidij, luxuriæ, facit. *quoddam habituale*, quod poſt completam actionem per modum habitus manet, niſi per pœnitentiam Sacramẽtalem ſublatum fuerit. Diuiſio 2. Eſſentialis.

Diuiſio tertia. Peccatum actuale *aliud eſt Commiſſionis*, quod fit contra præceptum negatiuum, illum actũ adimplens qui prohibetur. vt præceptum eſt negatium *Non furtum facies*, prohibet actum furandi, ſi quis in eum incidit, incurrit peccatum commiſſionis. *aliud omiſſionis*, quod eſt contra præceptum affirmatiuũ, conſiſtit in priuatione actus debiti ad quem implendum ex præcepto obligamur. Diuiſio 3. Eſſentialis.

Diuiſio quarta. in peccatũ, in Deũ, in ſeipſos, & in proximum, de quib⁹ inferius. Eſſentialis diuiſio 4.

Sequuntur quatur diuiſiones accidentales, quæ ideo accidentales dicuntur, quia peccato iam exſiſtẽti accidunt, nec ad illius Eſſentiam ſpectant, ſed ſolùm extrinſecus circumſtant. Diuiſiones peccati Accidentales & cur ſic dictæ?

3. *Prima diuiſio* in mortale & veniale, *Mortale* eſt, quod hominem gratia Dei & vita æterna priuat: *Veniale* eſt quod non aufert gratiam & charitatẽ, ſed feruorẽ diminuit. Accidentalis 1. diuiſio

 Diuiſio

Diuiſio 2. *Diuiſio ſecunda* procedit ex obligatione ad pœnam, nam quoduis peccatum ſi ſit mortale, obligat ad pœnam æternam, ſi eſt veniale obligat ad pœnam temporalem; & hæc pœna tam æterna quàm temporalis aut eſt maior aut minor pro grauitate peccatorũ mortaliũ & venialium.

Diuiſio 3. Accidentalis. *Tertia diuiſio* in pecata *ſpiritualia* quæ interiore ſenſu & ſola voluntatis apprehenſione conſũmantur, vt inuidia, ſuperbia, infidelitas, deſperatio. & *Carnalia* quæ ſenſu per quendam contactũ conſummantur.

4. Diuiſio. *Diuiſio quarta.* quædam peccata ſunt cordis: quædam oris, quædam operis, quæ pro diuerſa ratione diuerſificant ſpecies peccatorum.

Diuiſio 5. *Diuiſio quinta.* quædam ſunt ex ſuperabundantia: quædam ex defectu. & hæc eſt breuis & ſummaria collectio diuiſionum peccati.

QVÆSITVM II.

Quænam ſit mens ſeu iudicium S. Doctoris de his Diuiſionibus?

4. NOuem Articulis non omnes ſed primarias Diuiſiones perſequitur, cuius doctrinæ veſtigijs adhærẽdo, nouẽquàm breuiſſimè attingem⁹. *Primò* vnde ſumẽda ſit diſtĩctio ſpecifica peccatorũ?

Reſpondeo Quòd mens S. Doct. Peccata diſtingui ꝓpriè ex obiectis.

Vnde ſumẽda diſtĩctio ſpecifica peccatorũ. RATIO ei⁹ quia act⁹ ꝑ obiecta diſtinguũtur. Sed peccata ſunt actus vitioſi. Ergo ex obiectis diſtinguentur. Hoc obiectum vult Caiet. vt ſumatur ex conuerſione. Scotus ſuadet, vt ſumatur ex auerſione. Nam in peccato ſunt duo Auerſio & Conuerſio. Pro determinatione.

Dico. *Si actus vitioſus conſideratur in genere Entis, tunc illius ſpecifica vnitas ſumenda eſt ex conuerſione*. PROBATVR Quia quælibet potentia illiusque habitus & actus ſumunt ſuam ſpeciem ex modo tendendi & conuertendi ſe ad obiectum, *Item* Quia peccatum eſt dictum, factum, concupitum contra legem Dei. ergo peccatum tendit & conuertit ſe ad obiectum prohibitum.

5. Dico ſecundò. *Si actus vitioſus conſideretur in genere moris, tunc ex auerſione ſeu ex priuatione rectitudinis debitæ ſpecificam vnitatem ſumit*, PROBATVR Quia natura peccati verè ſumit ex priuatione rectitudinis. *Item* quia priuationes ſumunt ſuam ſpeciem à diuerſis virtutibus ſibi oppoſitis, vt Gula eſt priuatio temperantiæ in cibo: furtum eſt priuatio iuſtitiæ quæ ſuum vnicuique reddit.

Obiectio. *Obijcies* Nullo modo ab oppoſitis virtutibus ſumendam eſſe ſpeciem nam prodigalitas & auaritia ſpecie inter ſe differunt, & vni virtuti v. liberalitati repugnant.

Eiuſdẽ ſolutio. *Reſpondeo* ſpecificam diſtinctionem peccatorum eo modo ſumendam eſſe ex oppoſita virtute qua illi opponuntur. Atqui diuerſo modo opponuntur Prodigalitas enim dat vbi non eſt neceſſe

neceſſe Auaritia non dat vbi eſt neceſſe liberalitas verò dat vbi expedit. Vnde ſecundum hos diuerſos modos ſpecificantur.

An diſtinctio peccatorũ ſumẽda ex cauſis?

6. *Secundò* An diſtinctio peccatorum ſumenda ex cauſis? Reſpondeo. *Duplices eſſe cauſas, aliæ ſunt Motiuæ, & hæ non faciunt diuerſitatẽ ſpecificam.* PROBATVR. Ex vna cauſa motiua poſſunt plures diuerſæ ſpecies peccatorum procedere: vt ex cupiditate diuitiarũ poteſt quis moueri ad committendum furtum, homicidium, ſimoniam & alia peccata quæ differunt ſpecie. ergo ex cauſis motiuis ſpecifica vnitas non ſumitur. *Secundò* Sequeretur omnia peccata vnius eſſe ſpeciei. Dicitur enim Eccleſiaſtici 10. *Initium omniũ peccati ſuperbia.* Et ad Timoth. 1. vltimo. *Radix omnium malorum, cupiditas* Aliæ ſunt cauſæ Finales, & hæ dant ſpeciem peccatis. Finis eſt obiectũ volũtatis, quia finis & bonũ ſunt idẽ in moralibus. ſed ex obiecto act⁹ humani ſumunt ſpeciem. ergo ex fine. *Nota* Per finem non intelligas obiectum motiuum ſed terminatiuum, nam finis vt terminat actum, volũtatis, dat ſpeciem peccati.

Cauſæ Finales dant ſpeciem peccatis.

Diuiſio peccatorum in Carnalia & Spiritualia.

7. *Tertio* De Diuiſione peccatorum in Carnalia & Spiritualia Dico *Illa eſſe Carnalia, quorum delectatio conſummatur per ſenſum tactus in quantum comprehendit guſtum, & hæc ſunt duo Gula & Luxuria. Illa ſunt Spiritualia quorum delectatio eſt ſpiritualis, & conſummatur potentijs tam cognoſcitiuis quàm Apprehenſiuis: vt Ira, Inuidia.*

Dico ſecundò. Hæc peccata ſpecie differunt, quia ab obiectis v. à carne & Spiritu ſpeciem & denominationem accipiunt. *Dices* Quomodo Apoſtolus ad Epheſ. 7. Auaritiam carnalibus peccatis annumerat? *Reſpondeo* Ideo. quia auaritia pro adulterio ſumitur, in quo eſt iniuſta vſurpatio alienæ vxoris: vel quia auaritia circa rem corporalem verſatur, cuius tamen delectatio non ad carnem, ſed ad ſpiritum ſpectat.

Auaritia cur inter Carnalia peccata annumeratur?

8. *Quartò* De diuiſione peccatorum In Deũ, In nos, & in proximũ.

Peccatorũ diuiſio In Deũ In nos & In Proximum.

Dico. *Quòd hæc diſtinctio ſit facta ſecundum diuerſas ſpecies.* PROBATVR. Ad Titum 2. *Vt ſobriè, piè, iuſtè viuam⁹ in hoc ſeculo.* Sobriè *in ordine ad nos,* Piè *in ordinè ad Deum.* Iuſtè *in ordine ad Proximũ.* *Confirmatur* Secũdũ obiecta diuerſificantur ſpecies peccatorum. Sed obiecta sũt triplicia à quib⁹ homo deordinatur, eſt Deus, eſt ipſe homo, eſt Proximus in quantum erga hæc tria in noſtris actibus inordinatè nos habemus. *Deinde* Virtutes quibus opponuntur peccata, diſtinguuntur ſpecie ſecundũ hoc triplex obiectum. nam quædam sũt quæ nos ordinant ad Deum vt fides Spes, Charitas, Pœnitentia, Religio: quædam nos diſponunt erga nos ipſos vt Temperantia, Fortitudo: quædam erga proximum vt Iuſtitia. ergo & vitia in quantum opponuntur his virtutum generibus diuiduntur ſpecificè in peccata in Deum, in nos ipſos, & in proximũ.

Diuiſio peccatorum ſecundum Reatum.

9. *Quintò* De Diuiſione peccatorum ſecundum Reatum Dico *Quod hæc diuiſio non facit diuerſitatem ſpecificam.* PROBATVR Per Reatum Pœnæ maximè diſtinguitur peccatum in *Mortale* & *Veniale*, quia mortale ad pœnam æternam obligat, veniale ad temporalem. ſed hæc non diſtinguuntur ſpecie, nam hæc differentia mortalis & venialis peccati conſequitur actum vitioſum in quã

tum

tum mortale deordinat à fine vltimo, veniale deordinat à medijs quæ ſunt ad finem, ergo non differunt ſpecie. *item* Reatus ſeu obligatio ad pœnam eſt præter intentionē peccantis. ergo reſpectu peccantis eſt per accidens. Sed id quod eſt per accidens non conſtituit ſpeciem. ergo ex reatu non ſumitur ſpecifica diuiſio.

Diuiſio in peccatum Commiſſionis & omiſſionis.

10. *Sextò* De Diuiſione in Peccatum commiſſionis & Omiſſionis Dico. *Quòd hæc materialiter ſumpta differunt ſpeciè, formaliter verò minimè.* PROBATVR *primum.* Actus Commiſſionis & Omiſſionis conſiderati ſecundum materialem actuum conſiderationem ſunt diuerſi, nam commiſſio fit per actum indebitum Omiſſio fit per prætermiſſionem actus adquem ex lege obligabamur ergo materialiter ſpecie differunt. PROBATVR *ſecundum.* Quia ex eodem motiuo procedunt & ad idem ordinantur. ergo in eadem ſunt ſpecie. *Antecedens* Auarus enim ex vno motiuo cupiditatis pecuniæ rapiēdo aliena, commiſſionis peccatum incurrit; & non dando quæ dare debet. Omiſſione peccat. *Similiter* guloſus peccat commiſſionis peccato, ſuperflua comedendo; Omiſſionis, ieiunia debita prætermittendo, quod vtrumque ex delectatione procedit.

Diuiſio in peccatum Cordis, Oris, & Operis.

11. *Septimò* De Diuiſione Peccatorum in peccatum Cordis, Oris, & Operis. Dico *Si hæc peccata conſiderentur in quantum vnumquodq́; ſua natura conſūmatur, & ad aliud non refertur,* (*vt* Corde *Conſummatur Hæreſis, Deſperatio, Odium, Inuidia*: Ore *conſummantur verba otioſa, Mendacia, Calumniæ, Blaſphemiæ.* Opere *conſūmantur Furtū Homicidium*:) ſic differunt ſpecie, quia habent diuerſas ſpecies actionum completas. *Si verò conſiderentur in quantum hæc peccata quæ Corde, Ore, & Opere fiunt, ſunt diuerſi gradus, eiuſdem ſpeciei peccatum. vt furtum Corde, Ore, & Opere committitur, vnde eiuſdem ſunt ſpeciei.*

Diuiſio peccatorū ſecū dum ſuperabūdantiā & defectum

12. *Octauò* de Diuiſione paccatorum ſecundum Superabundantiam & defectum Dico *Quod hæc faciunt diuerſas ſpecies.* PROBATVR. Vbicunque eſt diuerſum motiuum inclinans intentionem ad peccandū, ibi eſt diuerſa ſpecies peccati. Sed in ſuperabūdātia vt in prodigalitate, eſt diuerſum motiuum, quia nō dat, ſed effundit vbi etiam non neceſſe: in defectu verò vt in auaritia non dat vbi neceſſe. Ergo ſunt diuerſa motiua. ergo diuerſæ ſpecies.

An propter diuerſas circumſtantias ſunt diuerſa ſpecie peccata? Circūſtantiæ dupliciter conſiderari poſſunt

Nono habetur dubium tale. An propter diuerſas circumſtantias ſunt diuerſa ſpecie peccata?

Reſpondeo cum S. Doctore. Dupliciter Circumſtantiæ conſiderari poſſunt. *Primo* In quantum in eis idem motiuum occurrit vt Auarus ab appetitu nimio pecuniæ tanquam ab eodem motiuo accipit vbi non oportet; & oportet & plus quàm oportet; & ſic hæ circumſtantiæ non diuerſificant ſpecies peccatorum, ſed ad vnam & eandem ſpeciem peccati ſpectant. *Secundo* quādo à diuerſis motiuis proueniunt, & ſic inducunt diuerſas ſpecies peccatorum: vt cum quis auidè comedit ex illo motiuo quòd ob conſumptionem humidi non poteſt ferre dilationem cibi, aut comedit propter fortem virtutem digeſtiuam; aut cum delicatos cibos comedit propter appetitum

titum delectationis : & hæc ſunt diuerſa motiua, vnde diuerſæ ſpecies peccatorum orientur.

Quæ circumſtantiæ faciunt peccatū.

13. *Quæres* Quænam circūſtātiæ faciunt peccatū? *Reſpondeo* : Illæ quæ inducunt nouam deformitatē peccati, quòd fit dupliciter. *Primò* Formaliter, vt cum quis intendit ex loco ſacro furari, & ſic hæc circūſtātia *locus ſacer*, inducit nouam deformitatem, v. ſacrilegium. *Secundò.* *Virtualiter & interpretatiuè.* vt cum quis intra ſe dicit, quòd hanc rem vellem rapere, ſed nollem eſſe illam in loco ſacro, & cum rapit nihilominus peccatū ſacrilegij incurrit.

DISPVTATIO III.

De comparatione peccatorum ad inuicem.

Habetur apud D. Thomam *quæſt. 73. in art. 10.* nos eius doctrinam ad tria Quæſita reuocamus.

1. *An Peccata ſint connexa inter ſe?*
2. *An peccata ſint paria?*
3. *Vnde ſumenda inæqualitas peccatorum?*

QVÆSITVM I.

An peccata ſint connexa?

1. Dico primò. *Non eſt neceſſe vt peccata ſint inter ſe coniuncta, neq; quo ad ſpeciem poſitiuam, cum quodlibet peccatum habeat ſuam determinatam ſpeciem, & in illa ſpecie diſtinctū actum. nam actus furandi, non eſt actus homicidij. Nec ſunt connexa quo ad oppoſitionem priuatiuam, quia furto opponitur res aliena quæ ex iuſtitia rapi non debet, & homicidio vita proximi* PROBATVR Iacobi 2. cap *Quod ſi non mœchaberis, occidas autem, factus es legis tranſgreſſor.* Ex hoc loco colligitur vnum peccatum poſſe committi ſine alio. ergo non ſunt connexa. *Item* Contraria non poſſunt ſimul connecti. ſed ſunt multa peccata quæ ſunt omnino contraria vt Auaritia & Prodigalitas. ergo non ſunt cōnexa quia ſe mutuò tollunt. *Deinde* Bonum appetibile eſt quòd peccans intendit. ſed hæc bona non ſunt cōnexa, nam bonum appetibile delectationis eſt in luxuria, vindictæ in homicidio. ſed delectatio & vindicta non ſunt connexa. ergo nec peccata erunt connexa.

Peccata habent inter ſe colligationem tripli ci modo.

2. Dico ſecundò. *Quamuis peccata non ſint inter ſe connexa quo ad ſpeciē, habent tamen quandam inter ſe colligationem, triplici modo. Primò* cum in vno pec-

no peccato ſunt multæ deformitates, vt in adulterio eſt alia deformitas contra iuſtitiam, alia contra caſtitatem. *Secundò* quando contingit quòd vnus actus peccati eſt cõtra diuerſa præcepta, vt in religioſo fornicatio eſt contra decem præcepta, contra religionem, contra emiſſũ votũ caſtitatis. *tertiò* cũ vnũ peccatum ad aliud trahit, vt ex ebrietate multi in homicidium, multi in luxuriam incidunt.

Quomodo quis qui in vno offendit fit omnium reus?

Sed obijcies. Si quis *totam legem ſeruauerit offendat autem in vno factus eſt omnium reus*. ergo peccata neceſſariam connexionem inter ſe habent? *Reſpondeo primò.* Quòd in peccato duo ſunt diſtinguenda, Auerſio à Deo, & Cõuerſio ad creaturã; quando igitur aliquis mortaliter peccat, vno illo peccato fit omnium reus, v. quo ad auerſionem, quia ſimpliciter auertit ſe à Deo; ſed non quoad Conuerſionem, quæ quidem diuerſa eſt in diuerſis peccatis; nam res ad quas nos conuertimus peccando ſunt diuerſæ, vt in furto res aliena; in ambitione honor; in auaritia pecunia.

3. *Reſpondeo ſecundò.* D. Auguſt. *epiſt. 29.* ad D. Hieron. hunc locum intelligit de peccato mortali in quã tum cum gratia & charitate comparatur: vt ſit ſenſus eum qui in vno offẽdit eſſe omnium reum, quia deſtruit charitatem & gratiã, quæ ad impletionem præceptorum Dei eſt neceſſaria, nam plenitudo legis eſt dilectio.

Reſpondeo tertiò. Eum qui in vno offendit, reum eſſe omnium, non quidem formaliter & actu, ſed diſpoſitiuè, qui enim in vnum peccatum incidit, iam videtur eſſe diſpoſitus vt in aliud & rurſum in aliud incidat, & ſic reus omnium exſiſtet.

Reſpondeo quartò. Locus hic eſt exponẽdꝰ de damnatione æterna ac priuatione viſionis diuinæ, vt ſit ſẽſus qui cõtra vnũ Diuinũ præceptũ peccat & non agit pœnitẽtiã, non minùs damnationem æternam experietur, ac ſi contra vniuerſam legem peccaſſet, quia vtique viſione Dei carebit in æternùm.

QVÆSITVM II.
An Peccata ſint inter ſe æqualia?

Error Stoicorum qui dicebant omnia peccata eſſe paria.

4 DIco primò. *Antiquum fuiſſe errorem Stoicorum, qui dicebant quòd inter peccata nullum ſit diſcrimen ſed omnia ſunt paria.* Fundamentum eorum peccatum potiſſimum conſiſtit in priuatione rectitudinis ſed priuatio conſiſtit in indiuiſibili, ſiquidem tollit totam rei perfectionem & nihil relinquit. ergo peccata ſunt paria. Hanc Stoicorũ hæreſim ſequitur Cicero Paradoxq. 3 Iouinianus, vt conſtat ex D. Aug. epiſt. 29.

Peccata non ſunt æqualia.

Dico ſecundò Contra Stoicos, *peccata non ſunt paria nec inter ſe æqualia.* Ante probationem duo declaro cum S. Doctore quàm ſit falſum funda-

funda-

Priuationũ duo ſũt genera.

fundamentum Stoicorum, præſertim minor appoſitio. Duplex enim eſt Priuatio *Quædam eſt,* quæ conſiſtit quaſi in *corruptum eſſe.* hoc eſt priuatio ſimpliciter, quæ tollit totam rectitudinem: & ſic mors eſt priuatio vitæ, quia mors nihil relinquit in eo ſubiecto in quo eſt, & ſic tenebræ ſunt priuatio luminis. *quædam verò* quæ magis conſiſtit in *corrumpi* quàm in *corrumptumeſſe.* ita quòd non ſit ſimplex priuatio ſed aliquid retinet de habitu oppoſito; vt ægritudo corporis eſt priuatio diſtemperans commenſurationem humoris, in quo eſt ſanitas animalis ſed non priuat vita. Priuatio igitur primi generis, quia nihil formæ oppoſitæ in ſubiecto relinquit, nō recipit inæqualitatem; ſed talis priuatio vt volebant Stoici non conſtituit peccatum, ſed priuatio ſecūdi generis quæ penitus non tollit formam oppoſitam, ſed aliquid ex ea relinquit: & hæc admittit magis & minùs, & per conſequens inæqualitatem; & talis priuatio eſt in peccatis, vnde ſecundùm eam dicuntur peccata inæqualia.

5. PROBATVR Dictum Thren 4. *Maior facta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Et Ierem. 4. *Peius operati ſunt quàm Patres eorum.* Ioan. 9. *Qui me tibi tradidit maius habet peccatum.* Hæc loca loquũtur de peccatis comparando inter ſe ſecūdùm magis & minus. ergo in peccatis inæqualitatem ſtatuunt. Deinde probatur idem rationibus.

Quomodo peccata ſũt inæqualia?

Ratio prima. Peccata formaliter in priuatione conſiſtunt Sed priuatio æſtimatur ſecundùm rectitudinem & perfectionem oppoſitæ virtutis cuius eſt priuatio, ita vt quantò habitus virtutis eſt præſtātior, tantò priuatio illius ſit deterior. Sed virtutum datur perfectio vna aliâ perfectior. ergo & priuatio vna aliâ dabitur deterior, & ſic peccata erunt inæqualia.

Ratio ſecunda. In qualibet ſpecie peccati mortalis dantur gradus qui inæqualitatē ſignificāt, vt in ſpecie homicidij maius eſt fratrem occidere, quàm ſimplicem hominem; & in ſpecie furti, maius eſt tollere mille aureos quàm centum. ergo in peccatis inæqualitas.

Ratio tertia. Vnumquodq; peccatum non priuat ſimpliciter tota rectitudine, ſed tantũ ſecundũ quoſdam gradus nunc magis nunc minùs, vnde qui centum furatur, non eſt dicendus quòd mille abſtulerit: aut qui interfecit hominem non eſt exiſtimandus quòd patrem occidat, quia peccatum mortale licet includat in ſe priuationem virtutis oppoſitæ, tamen non includit totā priuationem & per conſequens totam grauitatem quæ poteſt eſſe in alio peccato. Fundamentum huius rationis ſumitur ex Ariſt. *lib.4* Eth. *cap.* 8. vbi dicit. *Non datur ſummum aut purum malum, quia aliàs ſeipſum deſtrueret.* volūtas enim non poſſet talem actum exercere. quia voluntas intendens peccatùm ſimul intendit bonum. ſed ſi eſſet purum malũ nullam etiam ſpeciem boni ſecum compatiens in illud non raperetur, vnde hic actus malus non daretur.

6. *Ratio quarta.* Pœnæ peccatorũ decernũtur inæquales. Deuter. 25. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* Et Retributio vitæ æternæ erit inæqualis. *In domo Patris mei multæ manſiones.* Et *Sicut Stella à Stella differt cla-*

ſert claritate, ſic erit in reſurrectione. ergo inæqualitas etiam in pœnis peccatorum erit.

Peccatum mortale quomodo ſit infinitũ?

Sed obijcies. Quodlibet peccatum mortale eſt infinitum. Sed infinitum altero infinitũ non eſt maius. ergo nec peccatum altero peccato erit maius. *Reſpondeo* Conſiderando peccatum in quantum eſt Auerſio à Deo, ſic infinitam malitiam includit: ſed conſiderando in quantũ eſt conuerſio adcreaturam, aut inquãtũ eſt privatiovirtutis oppoſitæ, quæ quidem ſunt finita; ſic peccatum eſt finitum. vnde peccatũ mortale per ſe nõeſt ſuà naturâ infinitum, niſi in quantum eſt contra Deum qui eſt infinitus.

QVÆSITVM III.

Vnde inæqualitas Peccatorum ſumenda?

Quantitas in Peccato triplex.

7 Dico *Quòd ſit ſumenda ex Quantitate.* Triplex autem in peccato quantitas. *Prima* eſt Eſſentialis, quæ conuenit peccato ſumpto ſecundùm Eſſentiam & abſtrahendo ab omnibus accidentibus. vt cùm homicidium cum furtoquo ad Eſſentiam confertur, & ex eo grauitas colligitur. *Secunda* eſt Intenſionis vel remiſſionis in quantum intra eandem ſpeciem peccati vnum altero dicitur eſſe grauius; vt furtum centum aureorum maius eſt eo quod eſt ſolùm decem. *tertia.* quantitas ſumitur ex multitudine in quantũm in vno peccato diuerſorum peccatorum deformitates concurrunt, vt in eodem furto homicidium adulterium.

Quantitates Peccati vnde ſumãtur?

Prima Quantitas ſumitur ex obiecto. *Secunda* ex Circumſtantijs, ſed quæ non dant ſpeciem peccato ſed important diuerſos modos intra eandem ſpeciem, vt peccatum creſcit ex aduertentia intellectus & ex conatu voluntatis. *Tertia* ſumitur ex circumſtantijs itidem, ſed quæ variant ſpeciem: vt peccatum homicidij ex circumſtantia quòd Clericus ſit occiſus, ſacrilegij ſpeciem aſſumit. Hoc præmiſſo iam inæqualitas ſeu grauitas peccatorum declaranda.

An grauitas peccatorũ ex obiectis ſumatur.

8. Qværes igitur primò. *An grauitas peccatorum ex obiectis ſumatur?* Reſpondeo *Quòd ex obiectis principalis cauſa grauitatis peccatorum deſumitur.* Probatvr Species peccatorum (vt iam probatũ) ex obiectis ſumitur. ergo & grauitas peccatorum ex obiectis ſumenda; vt quantò obiectum fuerit peius circa quod verſatur peccatum, tantò malitia peccati ſit mala. *Deinde* Fines ſunt obiecta actionum humanarum. Sed actiones humanæ tunc ſunt virtutes quando eas intellectus ordinat ad fines debitos, & tunc actiones humanæ ſunt peccata quando deordinant à fine. ergo illud peccatũ erit grauius quod ab altiori fine deordinabit. ergo grauitas ſumitur ex fine & per conſequens ex obiecto.

Declara-

Declaratur. Res inferiores ordinantur ad hominem, homo ordinatur ad Deum : vnde auferre externas res eſt graue peccatum, auferre vitam homini eſt grauius, & auferre honorem Deo per blaſphemiæ peccatum eſt grauiſſimum, *Probatur* Illud enim peccatum cenſetur magis malum obiectiuè quod opponitur bono ſeu fini præſtantiori. ſed hoc eſt bonum præſtantius quàm res externæ, & Deus eſt bonum præſtantiſſimum omnium. ergo grauius eſt auferre vitam homini & grauiſſimum auferre honorem Deo.

An grauitas peccati ex virtutibus oppoſitis ſumenda?

9. QVÆRES ſecundò. *An grauitas peccati ex oppoſitis virtutibus ſumenda?* Reſpondeo *quòd illa peccata quæ præſtantiori virtuti aduerſantur ſunt grauiora.* PROBATVR Ariſt. lib. 8. Ethic. *Peſſimum optimo eſt contrarium.* ergo ſi obiectum virtutis eſt maximæ bonitatis, vitium illi oppoſitum erit maximæ malitiæ. ergo ex oppoſitis virtutib9 grauitas peccati ſumēda.

Comparan. peccata quæ haben. da regula?

Nota Comparando peccata quodnam horum ſit grauius, hæc regula præoculis habenda. *ſi cætera adſint paria* quod etiam in naturalibus eſt manifeſtum, Aurum enim eſt præſtantius argento, ſed cæteris paribus. v. ſi fuerit in æquali quantitate, nam ſi argentum in magnum pondus excreſcat quàm ſit aurum, iam pluris æſtimabitur argentum. Ita peccatum blaſphemiæ eſt maius quàm homicidij. Atqui fieri poteſt vt peccatum homicidij, vt in morte Filij Dei, in tantum excreſcat, vt excedat blaſphemiam.

Obiectio.

Sed obijcies. Furtum non eſt grauius peccatum quàm fornicatio, nã fornicationis obiectum eſt propriũ corpus quod inquinatur, furti eſt res externa: corpus autem re externa præſtantius. ſed ſi grauitas peccati ſumenda ex virtute oppoſita, furtum erit grauius, quia iuſtitiæ opponitur, fornicatio autem temperantiæ. *Reſpondeo* Si errare nolumus in comparando, hoc ſemper in comparatione vitiorum & virtutum ſeruandum eſt vt *maximum maximo, mediocre mediocri, infimum infimo comparetur,* Vnde iniuſtitia inquantum directè opponitur interitui Reipub. ſuperat peccatum intemperantiæ, licet contra naturam fuerit, ſed ſi mediocre cum mediocri compares vt ablationem rei alienæ cum inquinatione proprij corporis ſic fornicatio erit grauior quàm furtum. Solutio.

Quænã peccata grauiora Carnalia an Spiritualia?

10. *Quæres* Quænam ſint grauiora peccata Carnalia an Spiritualia? *Reſpondeo Spiritualia eſſe grauiora, Carnalia leuiora, ſi tamen cætera paria adfuerint.* PROBATVR. Peccatorum grauitas æſtimanda eſt ex auerſione, quia auerſio eſt à Deo, vnde rationem culpæ habet. Sed ſpiritualia plùs habent ex Auerſione, vt odium Dei, blaſphemia: Peccata verò Carnis plùs ex conuerſione ad delectationem corporum. ergo ſpiritualia grauiora. *Item* Peccatis carnalibus peccamus cõtra proprium corpus, quòd eſt minùs diligendũ: Spiritualibus peccamus contra Deum qui ſupra omnia diligendus eſt. ergo ſpiritualia grauiora. *deīde* Carnalia habent maius incentiuum ex fomite concupiſcentiæ, & quò grauior tētatio tantò periculoſior pugna, vnde & leuius peccatum: nam caſtitatis prælia præ alijs ſunt ardua, in quibus frequens pugna, rara victoria.

Carnalia peccata ſint maioris infamiæ quã ſpiritualia.

Nota Sunt tamen carnalia maioris infamiæ quàm ſpiritualia verſãtur enim circa voluptates quæ pecudibus ſunt propriæ, per quas illis ſimiles reddimur.

An cauſa peccati aggrauet peccatum?

11. *Quæres* An cauſa peccati aggrauet peccatum? *Reſpondeo* Cauſa propria peccati eſt volũtas quãtò igitur voluntas eſt magis propenſa ad peccandum, tantò peccatum erit grauius; non eſt tamen de neceſſitate vt hæc grauitas in confeſſione exprimatur, niſi eſſet enormiter grauius: vt ſi quis hominem vt Deum amaret.

Dico ſecundò. *Inter cauſas externas quæ inducunt voluntatem ad peccandum eſt Finis, & hic ita aggrauat peccatũ, vt quò peior eſt finis qui mouet voluntatem ad peccandum eò peccatum ſit grauius.*

Dico tertiò. *Sunt quædam cauſæ externæ quæ inducunt voluntatem ad peccãdum, vt ignorantia quæ minuit iudicium rationis, & metus, violentia quæ minuunt libertatem; & hæc diminuunt de peccato, ſiquidem diminuunt voluntarium.*

An Circũſtantia aggrauet peccatum?

Quintò quæres. An Circumſtantia aggrauet peccatum? *Reſpondeo* Tribus modis aggrauare. *Primò.* quamdo circumſtantia ex vna ſpecie trãſfert peccatum in aliam: vt qui rem alienam rapit eſt furtum, ſed ſi eã rapiat quæ ſit applicata vſui ſacro, erit ſacrilegium grauius peccatum. *Secundò* Circumſtantia non quidem grauat peccatum in aliam ſpeciem trahens, ſed ſolummodo multiplices rationes peccati intra eandem ſpeciem auget: vt ſi prodigus det quando non debet & cui non debet eſt grauius peccatum: ſicut ægritudo eſt grauior quæ multas corporis partes inficit. *tertiò* circumſtantia aggrauat peccatum ex eò quòd auget deformitatẽ, quòd non ſolùm rem alienam rapiat, ſed quòd in magna copia auferat.

Circumſtãtia ex veniali faciũt & mortale.

Nota Circũſtãtiæ ex veniali faciũt mortale: vt auferre tres groſſos veniale: auferre cẽtum eſt mortale: & inter mortalia alia alijs ſunt maiora, vt auferre centum grauius, auferre mille longè grauius, & ſic cõſequenter. Et hi exceſſus in Confeſſione exprimendi.

An nocumẽtum quod ſubſequitur peccatũ aggrauet illud ipſum peccatum?

12. *Sextò quæres.* An nocumentũ quod ſubſequitur peccatum aggrauat illud ipſum peccatum? Reſpõdeo & Dico ſex.

Dico primò. *Quando nocumentum eſt præuiſum & intentum, illud præſertim quod ex peccato conſequitur, vt cum quis furatur occidit, intendens alteri nocere; tunc hæc grauitas nocumenti auget peccatum,* quia ex voluntate multũ inclinata ad peccandum procedit.

Dico ſecundò. *ſi nocumentum eſt præuiſum ſed non eſt intentum, tunc quantitas nocumenti indirectè aggrauat peccatum* vt ſi quis ad furandum vadat & compendio vtatur, quòd per agrum frumento conſitum eat, erit nocumentum aggrauans, quia procedit ex volũtate propenſa ad peccandum.

Dico tertiò. *ſi nocumentum neq; eſt præuiſum nec intentum, ſed per accidens ex peccato ſequitur, directè quidem non aggrauat peccatum, ſed tamen propter negligentiam conſiderandi quod ſubſequuturum erat homini ad peccatum imputatur, præſertim ſi rei illicitæ dabat operam.* vt ſi Sacerdos tendat arcum, & incautè ſagittam emittat, quæ hominem occidat, incurrit irregularitatẽ ob negligentiam, & quia rei illicitæ dabat operam.

Dico

Diço quartò. *ſi nocumentum ſequitur per ſe ex peccato, licet non ſit intentũ nec præuiſum, directè aggrauat peccatũ.* vt ſi quis fornicetur, & ex hoc ſequatur plurimorum ſcandalum, quamuis fornicans id nõ intendat, nec fortaſſis præuideat, directè tamen hoc nocumentum ſcandali aggrauat peccatum.

Dico quintò. *Nocumentum pœnale quod ille incurrit qui peccat.* vt cũ quis ad occidendum hominem ſe proripit, & interim grauiter lædat pedẽ, non aggrauat peccatum.

Dico ſextò. *Quando nocumentum pœnale per ſe conſequitur ad actum peccati quamuis non ſit intentum nec præuiſum, tunc tale nocumentum non facit grauius peccatum, ſed è contra grauius peccatum inducit grauius nocumentum.* quia infidelis propter homicidium grauiꝰ punitur quàm propter furtum.

Fideles magis punientur quàm infideles.

Nota. Fidelis ſciens pœnas inferni & nihilominus peccat, grauius punietur quàm infidelis qui illas ignorabat, nam fidelis contemnit pœnas vt ſuam peruerſam voluntatem adimpleat.

An homicidium caſuale committens omni diligentia adhibita ne id cõmittat irregularitatem incurrat?

13. *Sed quæres* an is qui homicidium caſuale committit, ita quod ſit præter illius intentionem atque etiam ne contingeret omnem diligẽtiam adhibuerit, irregularitatem incurrat? *Reſpon.* Syluester, Caiet. Conrad. Couaruuias. ſic reſpõdent, ſi quis qui in hoc caſuale homicidium incidit dabat operam rei licitæ, & omnem diligentiam adhibuit ne homicidium ſequeretur, tunc in nullam irregularitatem incidit: ſi autem rem illicitam exercebat, etiamſi omnem diligentiam adhibuerit, & ſequatur homicidiũ, erit irregularis. Quidam ſufficientiùs reſpondent (vt Soto, Alphonſ. à Caſtro, Medina *hîc art. 8.*) dicunt, quòd ex eo quod rei illicitæ dabat operam, ſi ſequatur homicidium caſuale, non incurrit irregularitatem ſed tunc ſolùmmodo ſi illa res illicita & prohibita habet annexum periculum homicidij, tunc ſolùm incurrit irregularitatem.

Cur Sacerdotibus chirurgia bella &c. ſint prohibita?

Nota. ideo Sacerdotibus chirurgia, bella, armorum tractatio, ſunt prohibita quòd his periculum occiſionis ſit annexum.

An perſona in quã peccatur aggrauat peccatum?

14. *Septimò quæres* an perſona in quam peccatur aggrauet peccatũ? *Reſpondeo.* quòd quemadmodum ex obiecto & fine ſpecies peccati ſumitur, ita & grauitas ex perſonis ſumenda eſt, vt quantò perſona erit maior in quam peccatur tantò peccatum in illam commiſſum ſit grauius. ſunt autem tres Perſonæ, Deus, Homo, Proximus. vnde

Dico primò. *Peccatum contra Deũ commiſſum eſt omnium maximum*, quia Diuinæ Perſonæ dignitas læditur, quæ eſt ſummè eminentiſſima. *Poſt Deum graue eſt peccatum quod committitur in perſonam Deo coniunctam per vota, ſanctitatem* Iuxta illud: *qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.*

Dico ſecundò. *Graue eſt peccatum, cùm quis peccat in perſonam coniunctam ſibi naturali neceſſitate, vt in parentes fratres.*

Dico tertiò. *Tantò grauius peccatũ ex parte proximi, quantò peccatum plures tangit,* vt Regis offenſa in damnum plurium redundat.

Dico quartò. *Grauius peccat, qui ſeipſum quàm qui alium occidit.* nam naturalia bona & ſpiritualia non ſubſunt dominio voluntatis noſtræ. ſicut res poſſeſſæ vt pecunia, libri.

nam hæc

nam hæc ad alios transferri poſsũt, naturalia autem & ſpiritualia non poſſunt.

Dignitas peccatis p-ſonę an aggrauet peccatum?

15. *Octauò quæres.* magnitudo ſeu dignitas perſonæ peccantis an aggrauet peccatum? *Reſpondeo.* per *magnitudinem perſonæ* intelligendi ſunt hi qui ob vitæ rationem ſuſceptam, ſanctitate præfulgere debent, vt Sacerdotes, Religioſi, Epiſcopi. vnde

Dico primò. *ſi qui incidunt in peccatum ex ſurreptione. v. ex ignorantia & & ex infirmitate, tunc non aggrauat.* quia hæc peccata non procedunt ex negligentia, ſed quia naturæ humanæ infirmitas ea ſubterfugere non poteſt, ideo quòd ſit difficilior reſiſtentia.

Dico ſecundò. *quæ peccata proueniunt ex deliberatione, hoc eſt, ex malitia & contemptu, hæc aggrauãt.* PROBATVR. quia hæ perſonæ ſcientia & virtute excellunt, vnde faciliùs reſiſtere poſſunt. *ſecundò* aggrauat propter ingratitudinem, quia tales perſonæ multis beneficijs ſunt oneratæ. *tertiò* quia ſunt quædam peccata quæ perſonæ in dignitate conſtitutæ repugnant, vt fornicatio Sacerdoti qui caſtitatem vouit, iniuſtitia ei qui ius ſuum vnicuique reddere debet. *quartò* quia peccata ſuperiorum cùm ad notitiam hominum perueniunt. ea indignè ferunt, & exemplum vitæ laxioris capiunt. vnde ſcandalum oritur.

DISPVTATIO IV.

De Subiecto Peccati.

D. Th. continet eam quæſt. 74. articulis *decem*, loquimur de peccatis actualibus, vnde excipimus originale, de quo inferiùs dicemus.

Quatuor inquiremus:

1. *In quo ſubiecto ſit peccatum?*
2. *Quomodo in ſenſualitate peccatum reperiatur?*
3. *Conſenſus in delectatione quale ſit peccatum?*
4. *Conſenſus in ratione ſuperiori quomodo conſtituat peccatum?*

QVÆSITVM I.

In quonam ſubiecto ſit peccatum?

1. DIco primò. *Proprium ſubiectum peccatorum eſt voluntas.* PROBATVR ratione D. Th. peccatum eſt actus inordinatus. ſed actuũ *quidam ſunt tranſeuntes* qui in externã materiam tranſeunt, vt ſecare, ſcribere, & hi actus habent pro ſubiecto id

cto id in quod actio tranſit: *quidam immanentes*, vt in intelligente eſt cognoſcere, cogitare, ſed omnes actiones tam vitiorum quàm virtutum ſunt immanentes. ergo ſunt in eo ſubiecto quod illorum eſt productiuum. ſed voluntas eſt producẽs. ergo ſunt in voluntate tanquam in ſubiecto.

Obiectio.

Sed obijcies. Homicidium eſt peccatum, & homicidium eſt tranſiens actus. ergo non eſt immanens. *Reſp.*

Reſponſio ad eam.

homicidiũ dupliciter conſideratur: *primò* vt eſt quædã actio externa quę in eo conſiſtit, quòd priuata authoritate vitam alicui aufert, & ſic actio tranſiens: *ſecundò* vt habet malitiam, & hanc tribuit ei voluntas & efficit, vt ei ad culpam imputetur, & ſic hanc actionem externam homicidij præcedit actio immanẽs in voluntate, quia elicit intra ſe actum occidendi.

Bonitas & malitia moralis dupliciter conſiderantur.

2. Dico ſecundò *Bonitas & Malitia moralis dupliciter conſiderari poteſt*. Quædam eſt *in Eſſendo vt in rebus ipſis* Quædam *verò eſt obiectiuè per apprehẽſionem*, vt cum quis intra ſe actum occidendi elicit antequam ipſum hominem occidat, ſicut Metaphyſici dicunt quòd veritas quædam eſt in Eſſendo vt in rebus ipſis: quædam obiectiuè in intellectu per apprehenſionem *Probatur* Nulla actio poteſt in ſe includere actum volũtatis niſi ſit libera & voluntaria. ſed liberum & voluntarium eſt in volũtate. ergo & peccatum in voluntatè. Ita tenet D. Th. hic *quæſt. 21 art. 2*. dicens nullum actum poſſe alicui imputari ad culpam niſi fuerit in eius poteſtate, hoc eſt in voluntate. Et *in 2. diſt. 24. quæſt. 3. art. 2.* docet, nullum motum & actum pertinere ad genus moris niſi proceſſerit à voluntate quæ quidem eſt principium Moralium. Et, Ibi incipit genus moris vbi incipit dominium voluntatis.

3. Dico ſecundò. *Non ſolùm ipſa vòluntas ſed etiam aliæ potentiæ vt intellectus & appetitus ſenſitiuus ſunt ſubiectũ peccatorum*. PROBATVR Actus voluntatis non ſolùm illi dicũtur qui ſunt eliciti à voluntate, ſed etiam qui ſunt imperati. ſed intellectus eſt qui imperat & reliquæ potentiæ ſunt quæ act⁹ imperatos exſequũtur. ergo etiam ſunt ſubiectum peccatorum *item* Quæ eſt ratio bonorum actuum & habituum, eadẽ eſt malorum. ſed actus boni atque etiam habitus ſunt in intellectu tãquam in ſubiecto vt habitus fidei, qui eſt aſſentiri reuelatis myſterijs aſſentiri autem ad intellectum ſpectat, & prouidere eſt dirigere ad finem, directio autem eſt intellectus ergo in intellectu eſt habitus fidei & prouidentia. ergo & contrarij videlicet infidelitatis erunt intellectus.

Intellectus & appetit⁹ ſenſitiuus ſunt ſubiectum peccatorum.

Nota Peccatum in tribus potentijs ſubiectiuè exſiſtere *Primò* In voluntate tanquam in primo mouẽte: *ſecundò* in intellectu tanquam indirigente vt illa actio ſit rationi & legi Diuinæ conſona: *tertiò* in ſenſitiua potentia tanquàm in proximo efficiente ipſam actionem.

Peccatum in tribus potentijs ſubiectiuè exſiſtit.

QVÆSITVM II.
Qua ratione in Senſualitate peccatum reperiatur?

4 DVplex hic controuerſia. *Primò* Cum hæreticis. *Secundò* cū Scholaſticis Doctoribus, Hæretici vt Lutherus, Caluinus, docent in ſola ſenſualitate ſeu cōcupiſcentia ſeu in appetitu ſenſitiuo, non accedente voluntate conſiſtere peccatum. *Fundamentum illorū.* Quia lege Diuina prohibetur. Exodi 20. *Non concupiſces.* Prohibitio autem eſt peccati. ergo concupiſcentia peccatum. Et ad Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc ago ſed quod odi malum.* Loquitur de inordinatis motibus concupiſcentiæ & hos appellat *Malum,* id eſt, *peccatum*: & fiunt non accedente voluntate, quia dicit: *non quòd volo.* ergo ſine conſenſu voluntatis in cōcupiſcentia eſt peccatum. ſed contrarium eſt tenēdum. vnde.

Senſualitas in ſe conſiderata non eſt peccatū. Dico *ſenſualitas præcisè & in ſe conſiderata vt eſt ſomes concupiſcentiæ non eſt peccatum.* PROBATVR. Ita enim definit Cōc. Trid. *Seſſ.* 5. decade de Pec. orig. vbi inquit *M... eré autem in baptizatis concupiſcenti... nitē* Hæc S. Synodus fatetur ...ſ...t, quæ cum ad agonē ſit relicta nocere conſentientibus poteſt, ſed viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus non poteſt. Vlterius inquit *Hanc concupiſcentiam quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat S. Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe Peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat. ſi quis autem contrarium ſenſerit anathema ſit.* Et *Ratio ſtatim* Quia multa ſunt loca S. Scripturæ quæ nos hortantur vt abſtineamus à peccatis. ſed hæ adhortationes vanæ eſſent ſi ſine cōſenſu voluntatis peccata committeremus, quod equidem fieret, ſi concupiſcentia abſque voluntate peccatum committeret. Antecedēs Ioan 5. *Ecce ſanus factus es; noli amplius peccare.* Et Eccleſiaſtici 18. prohibetur. *Poſt concupiſcentias non eas,* hoc eſt deſiderijs concupiſcentiæ conſenſum non præbeas.

5. *Ad locum primum.* Scripturæ allegatum. *Reſpon.* illam ſolam concupiſcentiam prohiberi quæ aliquā libertatem voluntatis includit. ſed motus ex ea erūpētes non prohibētur, cum hi in natura noſtra ſint radicati. *ſecundò* in dormiente ſunt motus concupiſcentiæ, ſed quia non adeſt conſenſus voluntatis, ideo non ſunt peccata. ergo etiam in vigilante non erunt peccatum ſine conſenſu voluntatis. Ad ſcriptu- ræ loca hæreticis allegata reſponſio.

Ad ſecundum Reſpondeo. Latiùs ſe habet malum quàm Peccatum, ſicut enim claudicatio eſt malum quia eſt motus diſſentaneus à perfectione corporis, ſed non eſt peccatū quia non eſt contra legem Dei: ita motus concupiſcentiæ in rem illicitā abſq; conſenſu voluntatis, eſt malum quoddam naturale, quia caret perfe- Ad ſec... reſponſio

perfectione quæ debetur naturæ, ſed non eſt peccatum quia non aduerſatur legi Diuinæ.

Sed dices ad Rom. 6. *Quod habitat in me peccatum.* Et *non regnet peccatum in mortali corpore veſtro.* ſed nõ de alio loquitur quàm de concupiſcentia. ergo concupiſcentia eſt peccatum.

Concupiſcentia quatuor ob cauſas ſolùm eſt impropriè peccatum.

Reſpondeo quòd concupiſcentia ſolùm impropriè eſt peccatum, quatuor de cauſis. *Prima* quia verſatur circa malũ peccati: *Secunda* quia eſt effectus peccati inclinans voluntatem ad peccandũ: *tertia* quia mot⁹ cõcupiſcentiæ ſunt corruptio quædã & deprauatio naturæ humanæ, *quarta* eſt diſpoſitiuè peccatũ, quia eſt fomes incitans: & vt venenum dicitur eſſe mors quia diſponit ad mortẽ: ita concupiſcentia dicitur peccatũ quia ad peccandũ diſponit.

6. QVOAD DOCTORES Scholaſticos controuerſia eſt an appetitus ſenſitiuus habeat aliquam libertatem quæ à libertate voluntatis nõ dependeat. *Reſpondeo* Ita affirmare Caietanum, qui etiam infert quòd in appetitu ſenſitiuo poſſit eſſe veniale peccatum ſine conſenſu volũtatis, non autem mortale *Ratio eius* Quia in appetitu ſenſitiuo eſt quædam libertas, ſed quia imperfecta, ideo ſolum erit veniale peccatum ſed contra.

In appetitu ſenſitiuo eſt quædam libertas.

Dico primò. *In appetitu ſenſitiuo eſſe quandam libertatem.* PROBATVR. quia appetitus ſenſitiuus eſt potentia quæ apta nata eſt moueri à voluntate. ergo ab ea participabit libertatẽ. Itẽ appetitus ſenſitiuus nõ eſt potẽtia purè naturalis quẽadmodũ vegetatiuá, quæ nullo modo rationi obedit: neq; eo modo ſe habet, vt membra exteriora quæ rationi deſpoticè ſiue ſeruiliter obediunt; ſed Politicè ſubeſt rationi vt Ciues ſubſunt principi, ſed nõ in omnib⁹ ita sẽſitiua facultas obedit rationĩ in multis enim repugnat vt ipſi experimur. ergo in ſenſualitate eſt quædam libertas.

Dico ſecundò. *Quamuis in appetitu ſenſitiuo concedamus eſſe libertatem, Peccatum tamen illi imputari non poteſt ſine conſenſu voluntatis.* PROBATVR. Quemadmodum enim voluntas licet ſit formaliter libera, in ea tamẽ nequit eſſe peccatum niſi accedat error in intellectu à quo dirigitur: ita licet in appetitu ſenſitiuo ſit libertas, tamen in ea non erit peccatum niſi in quantum à voluntate mouebitur. nã voluntas eſt vniuerſalis appetitus totius hominis. ergo vt peccatũ in ſenſualitate exſiſtẽs imputetur homini, neceſſe eſt vt accedat voluntas. Ita D. Auguſt. *lib.* de vera relig. *cap.* 14 *Quare* inquit: *aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi.* Et D. Th. 1. 2æ. *quæſt* 24. *art.* 1. in corpore inquit *In paſſionibus appetitus ſenſitiui ſi ſecundum ſe conſiderentur non eſſe bonũ aut malum morale, ſed ſolùm quatenus ſubijciuntur imperio rationis & volũtatis.*

In appetitu ſenſitiuo peccatum non eſt ſine conſenſu voluntatis.

7 Ad extremum ex hac ſententia Caietani ſequuntur hæc abſurda. *Primum* quod appetitus ſenſitiuus & voluntas haberent ſe vt duo homines. *Sequela* Quia ſecundum Caietanum eſt libertas in vtroque & independens, ergo renitente voluntate poterit appetitus motu ſuo in aliquod obiectum malum ferri, atque ſic recuſante voluntate peccabit homo, quod eſt falſum. *ſecundum ſequeretur* Qui voluntate & appetitu fertur in aliquod obiectum malum

Abſurda quæ ſequũtur ex ſententia Caietani.

malum quòd duplex peccatum cõmitteret, mortale per voluntatem veniale per appetitum ſenſitiuum. *Tertium ſequeretur.* quòd poſſet diabolus efficaciter nos mouere ad peccandum, ita quòd ei reſiſtere non poſſemus, quod eſt contra ſcripturam quæ dicit: *Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis.* *Sequela* Poteſt in corpore humano concitare humores, vt cõcupiſcentiæ ignem, flammam iræ accendere, & ſic iam eſſet peccatũ commiſſum.

Veniale peccatum quomodo in cõcupiſcentia reperiatur?

8. *Sed inquires primò.* Quomodo illud D. Thomæ *art.4.* intelligendũ vbi dicit. *Veniale peccatum poſſe in concupiſcentia reperiri, mortale non item.* *Reſpondeo* cum Durando in *2. diſt. 24. quæſt. 5.* Si appetitus ſenſitiuus à voluntate mouetur per conſenſum plenum & deliberatum, & ſic non ſolùm venialia ſed etiam mortalia poſſunt eſſe in appetitu ſenſitiuo. ſi verò appetitus hunc perfectum conſenſum anteuertit ita quòd plenè voluntas non concurrat, & ſic ſolùm erunt venialia. *Ratio* Quia cõſenſus imperfectus poteſt ſufficere ad veniale conſtituendum, ſed non ad mortale.

Inquires ſecundò. Cum in concupiſcentia ſeu inſenſualitate ſint motus & hi *quidam* ſunt *primò primi* quales ſunt illi quos facimus ante vſum & aduertentiam rationis: *quidam* ſunt *ſecundò primi,* quales ſunt hi qui in nobis ſunt cum quadam rationis aduertentia ſed cum imperfecta: *quidam* denique ſunt motus cum pleniſſimo rationis vſu: hi igitur motus quomodo in nobis peccatum faciunt?

Motus primò primi nõ ſunt peccata.

Reſpondeo & Dico. *Motus primò primi ſiue oriantur in parte ſuperiori ſiue in inferiori non ſunt peccata nec venialia nec mortalia.* PROBATVR Motus primò primi ſiue contingant in voluntate ſiue in intellectu ſiue in ſenſitiuo appetitu ſunt ante vſum rationis præueniunt libertatem voluntatis & euitari non poſſunt. ergo non ſunt peccata.

Motus ſecũdò primi ſunt peccata.

Dico ſecundò. *Motus ſecundò primi ſiue ſint cum conſenſu imperfecto ſiue perfecto & deliberato, ſunt peccata omnino.* PROBATVR. Quia ſunt actus inordinati cum conſenſu voluntatis & liberè à nobis fiunt & verſantur circa res malas. ergo ſunt peccata.

QVÆSITVM III.
Conſenſus in delectationem quale ſit peccatum?

AD Quæſitum Dico primò ſecundum Ariſt. ex *lib. 10.* Ethic. *Omnis delectatio neceſſariò debet habere aliquod obiectum circa quod verſatur, & ex hoc obiecto capiendum iudicium de delectatione quale ſit peccatum; ſi igitur obiectum eſt materia peccati mortalis, erit delectatio mortalis: ſi autem obiectum fuerit materia peccati venialis, erit veniale. ſi autem fuerit indifferens, erit delectatio peccatum indifferens.*

Dico

Delectatio de duplici obiecto eſſe poteſt.

Dico ſecundò cum D.Th.ex art. 8. *Delectatio de duplici obiecto eßepoteſt. primò* ſolùm de cognitione circa rem illicitam cognita, vt cùm quis de peccato fornicationis concionaturus, aut de impedimentis matrimonij diſputaturus ſecū prius meditetur, & hæc mente comprehendat, & ſupra hanc cogitationē reflectens gaudeat illud ſe intelligere, tunc conſenſus in delectatione de ſola cogitatione quod gaudeat ſe intelligere, non erit mortale, ſed erit moraliter bonus, quando cognitio eſt vtilis: aut venialiter malus, quando cogitatio eſt vana & inutilis. *ſecundò* delectatio poteſt eſſe ex affectu ad rem ipſam illicitam cogitatam, tunc iuxta malitiam rei cogitatæ erit peccatum, ſi res cogitata eſt mortalis, erit peccatū mortale, ſi autem venialis, veniale. pro euidentiori intelligentia addimus hic quædam ex Caiet.

Quomodo concupiſcētia & delectatio imputetur homini ad peccatum?

10. Addo primò. *Concupiſcentia & delectatio non imputatur homini ad peccatum, quamuis ſit moroſa & turpis, niſi conſenſus voluntatis accedat.* RATIO. quia volūtas eſt fōs & origo, immo & cauſa efficiens peccati. ergo ſine huius conſenſu non erit peccatum. & quando lex prohibet *Non concupiſces.* non carni prohibet, ne motus ex concupiſcentia exorientes non experiatur, ſed homini vt voluntate ſua non conſentiat.

Delectatio de turpi aliqua quando non ſit peccatum?

Addo ſecundò. *ſi contingat aliquā perſonam de aliquo actu delectari quantumcunq; turpi, & non aduertit ad id de quo delectatur, ita tamen quod ſi aduerteret non approbaret, & intra ſe fieri delectationem non pateretur, tunc ſi de ea re vnum etiam diem cogitaret, nullum eſſet peccatum.* PROBATVR. motus ſenſualitatis tunc imputantur ad peccatum quando ratio præſentit & non reprimit. vnde ſi nō præſentiat nec reprimat non erit peccatum. *Tum* quia actus humanus non poteſt dici qui eſt ſine aduertentia rationis.

Delectatio quando peccatum?

Nota ſi quis ſtudioſus & data opera non aduertat aut diſſimulet ſe aduertere, ideo vt illa turpi & illicita delectatione animum ſuum oblectare poſſit, tunc ſine dubio peccabit. *Probatur.* nam motus inordinati concupiſcentiæ ſunt notabiles in corpore, vnde ratio aduertere poteſt, & ſi aduertit, tenetur reprimere: ſi autem fuerit inaduertentia naturalis ſubita, ita quod nō poſſet homo tam citò aduertere, tunc nullum eſſet peccatum.

Grauis & vehemens delectatio ex tentatione quale ſit peccatum?

11. Addo tertiò. *ſi homo ex tentatione incidat in grauem & vehementem delectationem, ita vt ſua paſſione præualeat, vt plene aduertere non poßit, tunc propter imperfectionem deliberationis ſolùm erit peccatum veniale.* PROBATVR. ad actum enim peccati mortalis requiritur plena & deliberata aduertentia. ergo ſi fuerit ſemiplena erit venialis.

Quando delectatio eſt & non eſt peccatum?

Addo quartò. *ſi quis autem plenè aduertit graſſari in ſuo corpore delectationē verè turpem, tunc aut diſſentit, videlicet quod neq; in illam cogitationem delectationis neq; in opus conſentiat, ſed vtrumq; exſecratur, & ſic nullum eſt peccatum: ſi autem conſentiat ſoli cogitationi, etiamſi in conſummationē peccati non conſentiat, nihilominus mortaliter peccabit.* PROBATVR. talis enim ſciens & prudens admittit carnalem delectationem, & exponit ſe periculo mortaliter peccandi. & *qui amat periculum peribit in illo.* ſi autem circa illam delectationem ſe negatiuè habeat, hoc eſt, ſup-

eſt, ſupponendo actum conſentiē- di, tunc in materia mortalis peccati mortaliter peccabit. & D. Th. art. 6. hic ad tertium inquit: *Delectatio moroſa non dicitur ex mora temporis, ſed ex eo quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit.* & Caiet. in Summa verbo. *Delectatio moroſa*, ſic inquit, *ſi poſitiuè nec conſentit nec diſſentit, & tamen in illa cogitatione delectabili perſeuerat, conuincitur conſentire ex ipſa continuatione delectationis, quo circa qui ſic in ancipiti hæret, videtur habere conſenſum interpretatiuum, & ideo moraliter peccat.*

Delectatio moroſa vnde dicitur?

12 Addo quintò, *Dupliciter in modo reprimendi delectationem moroſam poteſt quis peccare*: primò *ſi aduertens negligat reprimere, & in ea voluntariè ſibi complaceat, & ſic mortaliter peccat.* ſecundò *cùm non reprimit ſed ſpernit, certus quod eum ad conſenſum trahere non poteſt, nihilominus venialiter peccabit. Ratio.* quia rationis eſt humanæ paſſiones dirigere, & ſicut tenetur ratio coercere membra ne quid illicitum faciant, ita tenetur concupiſcentiam reprimere, ne in aliquid quod ſit illicitum feratur.

Dupliciter in modo reprimendi delectationem moroſam poteſt quis peccare.

Sed quæres in reprimendo quiſnā & quantus conatus requiratur? *Reſpondeo* ſi inualeſcit delectatio & periculum eſt conſentiendi, aut fæditatis ſubſecuturæ, tenemur corpus affligere inedia, aſperitate cilicij, caſtigatione. nec quiſquam arbitretur hoc eſſe religioſum, ſiquidem vnuſquiſque Chriſtianorum debet remedijs vti, quibus efficaciter peccatum mortale abigere poſſit. *Præterea* vtiliſſimum fuerit diuertere imaginationem ad cogitandum de alio obiecto, & ſic voluntas ſenſus remittet atq; etiam relinquet obiectum turpis delectationis, quam non inuiti ſequentur appetitus cōcupiſcentiæ.

In reprimēdo quiſnam & quantus conatus requiratur?

13. *Sed quæres* quid ſit tenendum de confeſſario, ſi in excipiendis peccatis luxuriæ ſentiat in ſe motus inordinatos etiam cum periculo futuræ fæditatis? *Reſpondeo* cum Caiet. quod iſti inordinati motus in confeſſario quando non ſunt in ſe voliti nec formaliter nec interpretatiuè, ſed ſolùm ſunt voliti in cauſa, tunc de illis iudicandum ex cauſa, vt ſi cauſa bona, & affectio bona, & ſi cauſa mala, & paſſio mala. cùm igitur auſcultatio confeſſionis ſit cauſa in ſe bona, ſequetur quòd motus inordinati quos circa confeſſiones patitur, non imputabuntur illi in peccatum.

Confeſſarius excipiendo confeſſiones ſi ſentit in ſe motus inordinatos an peccet?

Sed inſtabis. Confeſſarius ex officio inquirit voluntariè de circumſtātijs luxuriæ. ergo delectatio quæ ſubſequitur erit voluntaria. ergo peccatum. *Reſpondeo* cum Caiet. iſti motus non ſunt voliti inquantum ſunt cauſa delectationis, ſed ſunt & debent eſſe voliti inquantum ordinantur ad alios fines bonos, v. ad rectū iudiciū de peccatis faciēdū.

Obiectio.

Reſpondeo ſecundò. ne effectus ſit voluntarius in cauſa, non ſemper tollenda eſt cauſa, niſi adſit obligatio ad illam tollendam, & ſic Confeſſarius qui patitur motus inordinatos, non obligatur ad intermittendas aut interrūpendas confeſſiones, nam ſic ſcandalizaret pœnitentē, immo diffamaret ſi ab eo recederet medio curſu confeſſionis.

Ad extremum. ſi ob inordinatos motus quos quilibet Confeſſarius patitur abſtinendum eſſet à confeſſionibus, oportet aut homines eſſe

priuj

Elicere actū delectationis ſub conditione, an ſit peccatū mortale?

priuilegiatos, aut Angelos eſſe miniſtros huius Sacramenti.

Quæres vltimò. an ſit peccatū mortale elicere actū delectationis ſub conditione, *vt ſi non eſſet probibitum:* aut ſi Cleric⁹ cogitet quòd ſi *in matrimonio viuerem, hiu voluptatibus carnis operam darem. Reſpondeo* quod omnino eſt peccatum mortale. *Ratio* quia ad hunc actum qui elicitur ſequitur delectatio, qui quidem actus ex ſe eſt malus, conditionalis autē nihil ponit in *eſſe*, vnde à peccato non excuſat.

QVÆSITVM IV.

Conſenſus in ratione ſuperiori quomodo ſit peccatum?

Ratio ſuperior & inferior quid?

14\. NOta primò quidnam ſit intelligendū per *rationem ſuperiorem & inferiorem.* eſt igitur *ratio ſuperior* quæ æternis ac Diuinis rebus intendit. *inferior* verò quæ ſolùm temporalia conſiderat, ita docet D. Aug. *lib. 12. de Trinit cap. 12.* & 14. vbi aſſerit, quòd *cultus Dei & ſapientia rerum altiſſimarum in ſuperiori parte exſiſtit: ſcientia verò temporalium in ratione inferiori.* eſt igitur *ratio ſuperior* quæ conſiderat rationes æternas, vt quid voluntati Diuinæ? quid virtuti? quid honeſtati? quid regulis moralibus? quæ omnia ſūt æternæ veritatis, ſit conſentaneum. *inferior* verò ratio eſt circa res fluxas, caducas, quales ſunt delectationes quæ ex creaturis capiuntur. *porro* hæc diuiſio rationis in ſuperiorem & inferiorem non ſic intelligenda tanquam ſint duæ potentiæ, nam in homine non ſunt duæ rationes realiter diſtinctæ, ſed vna eademq; potentia eſt, ſed quæ pro diuerſitate obiectorum nunc dicitur ſuperior, cùm circa res æternas nunc inferior cùm circa inferiores occupatur. Hoc notato

15\. Dico ad Quæſitum. *Conſenſus in actum propriè pertinet ad rationem ſuperiorem: conſenſus verò in delectationē pertinet ad rationem inferiorem.* PROBATVR. in actibus humanis delectatio eſt præambula quæ inducit ad actum, actus verò eſt id quod vltimo fit ſed de re inferiori qualis eſt delectatio ſpectat iudicium dare ad rationem inferiorem, de actu verò qui in rebus agendis eſt vltimus, ſpectat iudicium ad ſuperiorem rationem. ergo conſenſus in actū erit ſuperioris rationis, conſenſus verò in delectationem inferioris, vltima enim ſententia ad ſupremum iudicē, qualis eſt ratio ſuperior, ſpectat.

Conſenſus in delectationem an pertineat ad rationem ſuperiorē?

Sed obijcies. veriſimile eſt quòd ſicut conſenſus in actum, ita conſenſus in delectationem ad rationem ſuperiorem pertineat. *Probatur.* quia actus ſuppoſito quòd ſit malus, non poteſt habere rationē motiui niſi ſub ratione vtilis aut delectabilis. ergo conſenſus in delectationē ad rationem ſuperiorem ſpectat. *Similiter* quando homo propter motiuum temporale conſentit in delectationem turpem ſecundùm rationem inferiorem, etiam conſentit ſecundùm rationem ſuperiorem. *Probatur.* quia ratio ſuperior

perior non ſolùm tenetur actus humanos dirigere ſecundùm legem Dei æternam, ſed etiam & delectationes.

16. *Reſpondeo* cum Caiet. quòd quamuis vtriq; rationi tam ſuperiori quàm inferiori conueniat conſenſus, tam in actum quàm in delectationem, nihilominus conſenſus in actum appropriatur rationi ſuperiori, & conſenſus in delectationem appropriatur rationi inferiori. quemadmodum opera SS. TRINITATIS ad extra ſunt indiuiſa, & tamen opera *Potentiæ* attribuūtur PATRI, opera *Sapientiæ* FILIO, opera *Charitatis* SPIRITVI S. ita quamuis hic conſenſus tam in actū quàm in delectationem vtriq; rationi cōueniat, cōſenſus tamē in actū rationi ſuperiori, & cōſenſus in delectationem inferiori appropriatur.

Quomodo delectatio ſit præambulū quoddam ad actum?

Nota quando D. Th. dicit, quòd *delectatio ſit præambulum quoddam ad actum.* ita intellige quòd loquitur de delectatione quæ eſt mente apprehenſa, hæc enim eſt quoddam præambulum inducens ad actum peccati. nam alia eſt delectatio quæ ad actum ipſum conſequitur.

In ratione ſuperiori an poſſit eſſe peccatum?

17. *Sed quæres* an in ratione ſuperiori inquantum eſt directiua rationum interiorum poſſit eſſe peccatum? *Reſpondeo.* quemadmodum ratio ſuperior quando conſentit in talem actum qui eſt cum auerſione à fine vltimo & ab æterna lege, eſt peccatum mortale: ita veniale peccatum committet quando conſentiet in talem actum qui non eſt cum auerſione à fine vltimo nec à rationibus æternis.

An in ratione ſuperiori poſſit eſſe veniale peccatum?

Quæres ſecundò. an in ratione ſuperiori conſiderata ſecundùm ſeipsā poſſit eſſe veniale peccatum? *Reſpōdeo.* in motibus ſubitis ex defectu deliberationis poteſt ratio ſuperior venialiter peccare, etiamſi ſit peccatum ex genere ſuo mortale. *Probatur.* poteſt enim ratio ſuperior circa proprium obiectum ſecundùm ſimplicem intuitum habere actum inordinatum circa Diuina: vt ſi quis ſubitò infidelitatis motum patiatur antequam plenè conſulat legem Dei, erit peccatum veniale, ſed ſi poſt deliberationem talis motus maneret, eſſet peccatum mortale.

DISPVTATIO V.

De Cauſa Peccatorum in communi.

1. MErito poſt factam determinationem de ſubiecto, de cauſis peccatorum inquirimus, ſiquidem Iob 5. dicitur: *Nihil in terra ſine cauſa fit.* ſed peccatum in terra fit. nam *eſt dictum factum concupitum contra legem Dei.* ergo debet habere cauſam. de hac ergo in communi in præſenti inquirimus, & quatuor Quæſita reſoluemus:

Quænam eſt cauſa peccati?

Primum Quæſitum quænam eſt cauſa peccati? Dico *voluntas carens directione regulæ rationis & legis Diuinæ intendens bonum commutabile, eſt cauſa peccati.* ita D. Aug. *Peccatum* (inquit) *volunta-*

In peccato duo ſunt. voluntariè operamur non adhibita regula rectæ rationis aut Diuinæ legis, & extra voluntatem non eſt quærenda cauſa peccati. & cùm peccatum ſit actus quidã poſitiuus voluntarius inordinatus, ideo in peccato ſunt duo: *Actus & Inordinatio*, & vtriuſq; voluntas eſt cauſa, *Actus* eſt cauſa per ſe, *Inordinatio* eſt cauſa per accidens: ſicut ignis eſt cauſa per ſe caliditatis, per accidens verò eſt cauſa priuationis frigiditatis. nam ad immiſſionem caloris ſequitur frigiditatis expulſio. ita & voluntas primò & per ſe producit aliquem actum conuertẽdo ſe ad bonum commutabile, tandem ex accidenti quia eſt carentia debitæ rectitudinis, ſequitur inordinatio.

Carentia regulæ rationis &c. in noſtra voluntate ſitne malum? 2. *Sed quæres* carentia regulæ rationis & legis Diuinæ in noſtra voluntate ſitne malum? *Reſpondeo* cũ Medina, quòd hæc carentia non habet rationem mali nec culpæ nec pœnæ, ſed eſt pura negatio quæ volũtati noſtræ eſt annexa ex eo quòd voluntas noſtra ex nihilo eſt creata, vnde natura ſua poteſt & deficere.

Habetne Peccatum cauſam interiorem? *Quæſitum ſecundum.* habetne cauſam peccatum interiorem?

Dico. *Actus peccati duplex cauſa aſſignari poteſt interior: Proxima & Remota: proxima eſt intellectus & voluntas, & inter has voluntas eſt proximior: remota eſt ſenſus & appetitus, & inter has ſenſus eſt remotior.* PROBATVR. hæc enim ad peccatum concurrunt, v. bonũ apparens motiuum, & ad ſenſum & ad appetitum ſpectat, abſentia verò rectitudinis debitæ ad rationẽ pertinet; ipſa deniq; perfectio act⁹ voluntarij, ad ipſam immediatè voluntatem ergo voluntas eſt cauſa immediata quàm propè eſt ratio, *Remota* verò ſenſus & appetitus.

Quæ cauſæ cauſent peccatum? *Nota* ex Caiet. tres iſtæ cauſæ *ſenſus, appetitus, ratio*, cauſant peccatum quoad ſpecificationem, quia obiectum voluntati repræſentant, determinando voluntatem vt circa tale obiectum, ad hunc actum, & non ad oppoſitum feratur: *voluntas* verò cauſat peccatum quoad exercitiũ, ad quod liberè ſe habet, quia hæ repræſentationes non neceſſitant voluntatem, ſed ipſa liberè licet inuitata obiecto delectabili, ad conſummandũ peccatum mouetſe.

Eſtne aliqua cauſa exterior peccati? 3. *Quæſitum tertium*. Eſtne aliqua cauſa exterior peccati?

Dico *ea quæ ſunt externa, dupliciter poſſunt eſſe cauſa peccati. primò* perſuadendo, vt Homo & Diabolus, qui rationibus ad peccandũ inducunt: *ſecundò* mouendo appetitum, vt bona exteriora, quæ tanquam obiecta ſenſus mouent, & ſenſus poſtea voluntatem inducit. hæ autem cauſæ exteriores non mouent efficaciter ad peccandum, ita quod neceſſariò ſequatur peccatum, nam ſola eſt voluntas efficienter complens peccatum.

Peccatum ſitne cauſa peccati? 4. *Quæſitum quartum.* Peccatum ſitne cauſa peccati?

Dico *vnum peccatum poteſt eſſe cauſa alterius, ſecundùm quatuor genera cauſarum. primò* ſecundum genus cauſæ efficientis, & aut mouentis ſecundũ ſe, vt cùm homo ex vno actu peccati diſponitur ad conſimilem actũ faciendi: aut ex accidenti mouentis, vt cùm homo per vnum peccatum mortale amittit gratiam & verecundiam quæ fuerunt retrahentia à peccatis: *ſecundò* ſecundum genus cauſæ materialis, inquantum vnum peccatũ præparat alteri materiam, vt diuitiæ per auaritiam col-

lectæ ſunt materia luxuriæ, ebrietatis: *tertiò* ſecundùm genus cauſæ Finalis: vt cùm vnum peccatum propter aliud committimus, vt ſi Cleric⁹ ſimoniam committat propter ambitionis finem: *quartò* ſecundùm genus cauſæ Formalis, vt vnum peccatum ſit forma alterius, *v g* ſi quis furetur vt fornicetur, furtum erit materiale, fornicatio formale.

DISPVTATIO VI.

De Cauſa peccati in ſpecie, v. de Ignorantia.

Cauſæ peccatorum duplices.

In hac Diſputatione exordimur conſiderationem de Cauſis peccatorum in ſpecie, quarum quædam ſunt internæ, quædam externæ: *primò* de internis dicemus, ſunt autem hæ tres *Ignorantia*, quæ eſt cauſa peccati ex parte rationis: *Infirmitas* ſeu *paſſio*, quæ eſt cauſa peccati ex parte ſenſus: *Malitia* ex parte voluntatis, quæ etiam cauſat peccatum. Tria autem de ignorantia inquiremus:

1. *An ignorantia poſſit eſſe cauſa peccati?*
2. *An ignorantia ſit peccatum?*
3. *An excuſet à peccato ex toto, an verò ſolùm diminuat?*

Habetur apud S. Doct. *1. 2æ. q. 76. in art. 4.*

QVÆSITVM I.

An ignorantia poſſit eſſe cauſa peccati?

Ignorantia quid?

1. SVppono quid ſit ignorantia & quæ illius diuiſiones? ignorantia igitur eſt vitiũ humanæ rationis, vt cùm quis non ſatis intelligit quid faciat aut dicat. differt autem ignorantia à neſcientia, neſciẽtia eſt cùm quis ea neſcit quæ ad ſe non attinent, vt ſi ruſticus idiota Metaphyſicã, vel Geometriam neſciat, quia hæ ad illius ſtatum non pertinent, & hæc dicitur eſſe ignorantia puræ negationis. Ignorantia verò eſt, vt cùm quis ea ignorat quæ ad ſtatum vitæ ſuæ ſpectant, vt ſi ciuis ignoret iura ſuæ ciuitatis.

Ignorantia à neſcientia differt.

Ignorantiæ diuiſio 1a.

Diuiſio prima ignorantiæ. Ignorãtia aut eſt iuris aut facti. *Ignorantia iuris* eſt, vt cũ quis id ignorat quod iure deſcriptum eſt. v. aut naturali, aut poſitiuo, aut Diuino, & hoc aut legis veteris, aut nouæ, aut humano iure, vt ſi quis ignoret prohibitum eſſe duellum, aut recipere ordinem Sacerdotij ante annum vigeſimum quintum, ſaltim inchoatũ, nam qui ita ſuſcipiunt ſunt irregulares. *Ignorantia Facti* eſt, quando ſcimus

ſcimus hoc vel illud prohibitum eſſe, vt Clericum non eſſe percutiẽdũ, ſed nunc & in tali actione ignoramus an hic quem percutimus ſit Clericus.

Eiuſdem diuiſio 2. 2. *Diuiſio ſecunda.* ignorantia quædam eſt habitualis, quædam actualis. *Ignorantia habitualis* eſt quæ opponitur ſcientiæ habituali, vt cùm quis caret ſcientia & actu & habitu. *Ignorantia actualis* eſt, quæ opponitur ſcientiæ actuali, vt cùm quis actu ea non conſiderat quæ habitualiter ſcit.

Diuiſio 3. *Diuiſio tertia.* Ignorantia quædam eſt inuincibilis, quædam vincibilis. *Inuincibilis* eſt, quam homo vincere non poteſt, faciẽdo pro tunc quod facere tenetur ad acquirendam ſcientiam oppoſitam. *Vincibilis* eſt, quã homo ſi hoc vel illud faciat vincere poteſt, ſed facere omittit, aut ex malitia, aut ex negligentia.

Diuiſio 4. *Diuiſio quarta.* Ignorantia vincibilis aut eſt affectata aut craſſa, illa eſt *affectata*, quam quis formaliter & expreſsè vult & intendit, iuxta illud Pſal. 31. *Noluit intelligere vt benè ageret.* *Craſſa* verò & ſupina eſt illa, vt cùm quis nõ intendit quidem ignorantiam, ſed quia negligens eſt in illis addiſcendis quæ tenetur ſcire. vnde ratione negligentiæ ex qua prouenit, dicitur eſſe craſſa.

Diuiſio 5. *Diuiſio quinta.* Ignorantia quędã eſt Antecedens in ordine ad volũtatẽ, vt cũ ratione ignorãtiæ exſiſtentis in intellectu fit aliquid quod non fieret, ſi eum non anteceſſiſſet. quædam *concomitans* & *conſequens* quæ tenet ſe in ordine ad ipſum effectũ ad quem conſequitur.

Diſtinctio autẽ ignorantiæ culpabilis & inculpabilis reuocatur ad ignorantiam vincibilem & inuincibilem. nam ignorantia vincibilis eſt culpabilis, ſicut inuincibilis eſt inculpabilis. His notatis ad Quæſitum.

3. Dico primò. *Ignorantia poteſt quidem eſſe cauſa peccati, ſed non vt cauſa per ſe, v. vt influens & mouens propria ſua virtute peccatum tanquam effectum per ſe producendo. ſed cauſa per accidens inquantum remouet prohibens.* nam ſcientia eſt prohibens peccatum, ignorantia verò eſt remotio ſcientiæ, ex cuius remotione ſequitur peccatum, & ſic ignorantia vt remouet ſcientiã prohibentem peccatum, poterit eſſe cauſa peccati. Concluſio prima.

Dico ſecundò. *Non qualibet ignorantia eſt cauſa peccati, ſed illa tantùm quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati.* nam non quæuis ignorantia eſt cauſa peccati, ſed illa quæ ad ſtatum alicuius ſpectat. Caiet. hic ex verbis D. Th. quòd *illa ignorantia quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati, eſt cauſa peccati.* infert quòd etiam ignorantia inuincibilis ſit cauſa peccati, vt ſi quis ex ignorantia inuincibili interficiat hominem, dicitur ex ignorantia feciſſe homicidium, & hæc ignorantia licet excuſet à peccato, ignorantia tamen eſt cauſa peccati. Cõcluſio 2.

4 *Sed conformiùs* veritati loquuntur, *quòd ignorantia inuincibilis non eſt cauſa peccati*, talis enim ignorantia cauſat inuoluntarium, de facto nõ facit peccatum, & nullam deformitatem inducit, vnde etiam excuſat à peccato. nam eſt quidem cauſa act⁹, vt occiſionis, ſed hæc de ſe non eſt peccatum. nam ſequeretur, quòd etiam Deus qui eſt cauſa actus peccati, eſſet cauſa peccati. Ignorantiã inuincibilis non eſt cauſa peccati.

Vnde ad authoritatem D. Th. dicendum, quòd illa ignorantia eſt cauſa peccati, quando actus qui ſequitur ex ignorantia eſt omnino peccatum. ſed ſi ignorantia tollit ſcientiam, qua poſita non fieret peccatum vt eſt inuincibilis, ſic talis ignorantia, non eſt cauſa peccati.

Concluſio tertia. Peccare per ignorantiã & peccare ignoranter differunt.

Dico tertiò. *Inter peccare per ignorantiam & peccare ignoranter eſt differentia.* ille peccat per ignorantiam cuius ignorantia eſt cauſa ſui peccati, vt ſi ſciret hoc non faceret. ille verò ignorãter ſeu ignorans peccat, cuius ignorantia non eſt cauſa peccati, quia etiamſi hoc ſciret adhuc vellet facere, ſicut credens ſe interficere feram occidit inimicum ſuum, quem tamen occidiſſet libẽtiùs, ſi nouiſſet eum. & ſic D. Paul. fecit per ignorantiam, qui ſi ſciuiſſet Chriſtum fuiſſe Deum, eum perſecutus non fuiſſet. Iudæi verò nõ per ignorantiam occiderunt Chriſtum, ſed ignoranter, quia ſi ſciuiſſent ipſum eſſe Deum, libentiùs occidiſſent eum.

Iudæi ignoranter occiderunt Chriſtum.

Sed obijcies 1. Corint. 2. *ſi cognouiſſent, nunquam Deum gloriæ crucifixiſſent.* *Reſpondeo*, quòd cognitio duplex, quædam eſt ſecundum ſuam naturam conſiderata, cuius perfectio eſt, vt ad illud obiectum quod eſt cognitum amandum trahat, & ſi talis in Iudæis fuiſſet, cõcedo quòd non crucifixiſſent: *quædam* verò cognitio eſt quæ habet odium & inuidiam adiunctam, & cuius eſt proprium, vt quantò cognitum eſt excellentius tantò in illud atrociùs ſæuire voluiſſet propter inuidiã, & talis in Iudæis fuit cognitio. & ideo crucifixerunt eum ſumma crudelitate.

Cognitio duplex.

QVÆSITVM II.
An ignorantia ſit peccatum?

5. AD Quæſitum dico primò *Prorſus ignorantia videtur eſſe peccatum.* PROBATVR. Peccatum de ſe meretur pœnam. ſed ignorantia meretur pœnam. ergo eſt peccatũ. *Minor.* ſi quis ignorat, ignorabitur, hoc eſt, qui Deum & ea quæ ad Deũ & ad illius cultum ſpectant ignorat, à Deo hanc pœnam referet, quia ignorabitur, illiq; dicetur *Neſcio vos.*

Ignorantia non quæuis eſt peccatũ

Dico ſecundò. *Non quæuis ignorantia eſt peccatum, ſed illa per quam quis ea ignorat quæ tenetur & poteſt ſcire.*

Sed quæres Quænam hæc ſint? *Reſpondeo* ſunt *primò* articuli fidei, ſecundùm quos vitam dirigere debemus. *ſecundò* ſunt præcepta Decalogi, ad quæ ſcienda Deuter. 6. obligamur. *Et ratio eſt.* quia hæc adimplere tenemur. ſed quomodo adimplebimus, ſi ea ignorabimus. *tertiò* quilibet fidelis tenetur ſcire ea quæ ſunt iuris poſitiui, hoc eſt, tenetur ſcire Præcepta Eccleſiæ, vt quòd proprio Sacerdoti ſit confitendum, & quòd in Quadrageſima ſit ieiunandum, & Decimæ reddendæ & alia. *quartò* quilibet fideliũ immo & Eccleſiæ Prælatorum tenetur ea ſcire quæ

Scire, quæ tenetur quilibet?

re quæ ad ſtatum illius &munia officij obeunda requiruntur. vt Epiſcopus ſcire debet quæ ſunt illius officia, & Confeſſarij longè plura ſcire debent ſub pœna peccati, imò &Curati Sacerdotes quã ſimplices.

Nota horum omnium enumeratorum ignorantia ſi fiat ex negligẽtia, eſt peccatum. nam ſi infidelis nihil audiat de Euangelio, &ideo ignoret legem Chriſtianam non imputabitur illi ad peccatum, quia in eo nulla negligentia.

Ignorantia an de ſe ſit peccatum?

Sed quares An ignorantia de ſe ſit peccatum, an verò propter adiunctam ſibi negligentiam? *Reſpondeo*. Caiet. dicit ob ſolam negligentiam eſſe peccatum. *Ratio eius*, quia omne peccatum debet alicui virtuti morali opponi. ſed ignorantia non virtuti morali ſed ſcientiæ quæ eſt in intellectu contrariatur. ergo ignorantia de ſe non eſt peccatũ ſed propter negligentiam. Hoc non obſtante.

Ignorantia quomodo ſit peccatũ?

6. Dico tertiò. *Ignorantia non ob adiunctam negligentiam ſed ex propria ſui ratione eſt peccatum.* ita ſentit D. Th. *in 2. diſt. 22. q. 2 a. 1.* D. Bonau. Albert. Rich. Marſil. PROBATVR facere contra præceptum ſecundùm ſe eſt peccatum. ſed is qui ignorat id quod tenetur ſcire facit contra præceptum quo obligamur ea noſſe quæ ad vitam rectè inſtituendam ſpectant, dicitur enim Deuter. 6. *hoc quod ego præcipio tibi hodie erit in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis* in his verbis præcipitur ſcientia legis Diuinæ. ergo ignorantia de ſe eſt peccatum. *Item* negligentia &contemptus ſciendi ideo peccatum eſt, quia ſcire præceptum eſt. ergo negligentia ideo peccatum, quia contra præceptum. *Deinde* in peccato omiſſionis ideo negligentia eſt peccatum, quia omiſſio eſt prohibita. ergo pari ratione ideo negligentia eſt peccatũ in ignorantia, quia ſcientia præcipitur quæ à nobis negligitur.

Reſponſiones ad argumentum Caietani.

Ad Caiet. argumentum *reſpondeo* non eſſe neceſſarium vt illud ſolũ ſit peccatum quod virtuti morali contrariatur, ſed ſatis erit ſi opponitur alicui perfectioni quæ ſit nobis præcepta; & ſic ſcientia eorum quæ tenemur ſcire cadit ſub præceptum. *Præterea* Hæreſis eſt peccatum in intellectu & in voluntate exſiſtens & non opponitur alicui virtuti morali ſed ſcientiæ rerum Diuinarum quæ myſteria fidei tractat. *Vel deniq; dico* quòd ignorantia opponitur virtuti morali quæ dicitur *ſtudioſitas*, cuius officium eſt vt mentem excitet ad ea ſcienda quæ ſcire oportet.

Obiectio.

Sed obijcies. Quod hic art 2. dicit D. Th. Ignorantiam eſſe peccatum ob adiunctam negligentiam. *Reſpondeo* ſenſum eſſe non quòd negligentia ſimpliciter faciat ignorantiam eſſe peccatum. ſed facit vt aliquid imputetur ad peccatum. Vnde

Ignorantia non imputatur homini ad peccatum niſi ratione negligentiæ.

7. Dico quartò. *Ignorantia non imputatur homini ad peccatum, niſi ratione negligentiæ.* Nam aliud eſt aliquem actum eſſe peccatum ſecundum ſe, & aliud imputari operanti ad peccatum: quia vnum ſine alio eſſe poteſt. auferre enim rem alienam eſt de ſe peccatum, quia proximo detrimentum affert, & tamen ex ſe non imputatur ad peccatum, niſi inquãtum ille actus eſt voluntarius, & ſic furioſo furanti non imputatur peccatum: ita ignorantia licet de ſe ſit peccatum, quia ei in quo eſt nocet,

tamen

tamen imputari ad peccatum non poteſt, niſi ratione negligentiæ; vt infideli ignorantia Euangelij non imputatur peccatum, quia non potuit audire.

Ignorantia vincibilis eorum quæ non tenemur ſcire peccatum non eſt.

Dico quintò. *Ignorantia vincibilis eorum quæ non tenemur ſcire, peccatum non eſt*; vt ſi mercator Aſtrologiam, Geometriam ignoret. ſed illa vincibilis eſt peccatum; ſi ea ignoremꝰ quæ tenemur & poſſumus ſcire: vt ſi ignoret quis articulos fidei, Præcepta Eccleſiæ, & illa quæ ſunt ſcitu neceſſaria ad ſalutem animæ obtinendam.

Dico ſexto. *Ignorantia inuincibilis ſecundum quam homo neſcit ea quæ ſcire non potuit, non eſt peccatum.* Nullus enī ad impoſſibile ſed ſolùm ad idquòd eſt poſſibile obligatur.

Quâ re opꝰ vt ignorantia dicatur inuincibilis

8. *Sed quæres.* Quanam re opus eſt vt ignorātia dicatur inuīcibilis? Dico cum D. Th. Requiri vt ſtudium adhibeatur, quo ſi ignorantia vinci non poterit, dicetur Inuincibilis: non requiritur autem Summum ſtudium, ſed ſufficit moralis diligentia, quæ arbitrio viri probi & prudentis ſufficiens iudicari poſſit: nam moralia non Metaphyſicè ſed moraliter ſunt accipienda; & in moralibus quæ maximam habent difficultatem cenſentur habere impoſſibilitatem.

Nota Si ſit negotium cuius ſciētia ſuperat vires humanas, tunc ſtudium quod etiam ſit ſupra vires humanas requiritur: vt ſi fidelis inter infideles ſit in carcere & ibidem tētetur à diabolo qui ſe in Angelum lucis transfiguret, & ſe à Deo miſsū mentiatur, huius ſcientia humano ſtudio haberi non poteſt, cum non habeat viros doctos quos conſulat idcirco ad ieiunia, ad vota, orationem ſe conuertat, vt Deus hanc ignorantiæ nebulam diſcutiat, & quid ſentire debeat, aperiat.

Nota ſecundò. Si homo infidelis faciat quod in ſe eſt, hoc eſt, ſi Deum quærat in corde humiliato & contrito, & in fuga ſuorum peccatorū, tunc Deus qui non deficit in neceſſarijs & qui vnicuique homini dat ſufficiens auxilium, ita quòd illuminet omnem hominem venientē in hunc mundum, infallibiliter talem hominen, aut miniſterio angelorum aut hominum illuminabit.

9. *Sed obijcies.* ſi contingat eſſe infidelem in quo ſit ignorantia inuincibilis v. quòd adhibito ſtudio non poſſit habere ſcientiam fidei; & idem ſi nullum mortale peccatum haberet, quid cum hoc futurum? non poteſt enim damnari, cum mortali peccato careat; non poteſt ſaluari, quia impoſſibile eſt ſine fide placere Deo; & ob peccatum originale non meretur pœnam ſenſus, ſed ſolum damni.

Reſpondeo Hunc caſum eſſe impoſſibilem, nam videtur eſſe impoſſibile quòd paganus quantocunque tempore viuat quòd nullum peccatum mortale admittat, vnde propter hoc damnabitur.

Sed ſi vrgeas. Fieri poſſe quòd mortaliter non peccet. *Dico* Deum non permiſſurum vt in tali ſtatu ex vita decedat, ſed ſecundū magnā miſericordiā efficiet vt Diuinitꝰ illuminetur, & vel per Angelos vel per hominem de rebus fidei inſtruatur.

QVÆSI-

QVÆSITVM III.

An Ignorantia in toto excuſet, an verò diminuat peccatum?

10. DVo hic inquirenda? *Primò* an totaliter excuſet? *Alterum* an diminuat? Quantum ad primum.

Ignorantia eſt cauſa peccati.

Dico primo. *Illa ignorantia quæ non eſt cauſa peccati, non excuſat à peccatò.* PROBATVR Ignorantia enim(vt iam deductum eſt) cauſat peccatũ, quod non produxiſſet ſi ſcientia adfuiſſet. ergo ignorantia eſt cauſa peccati, Sed ſi ſcientia qua per ignorantiam priuamur non prohiberet peccatum propter inclinationem voluntatis in illud, & talis ignorãtia quia non facit inuoluntarium, idcirco non excuſat à peccato.

Inuincibilis & antecedens ignorantia excuſat à peccato.

Dico ſecundò. *Ignorantia quæ eſt cauſa peccati qualis eſt Inuincibilis & antecedens, omnino excuſat à peccato, cuius eſt cauſa.* PROBATVR. Nihil homini imputari poteſt ad culpam niſi fuerit voluntarium, nec poteſt eſſe voluntarium, niſi aliquo modo ſit præcognitum, ergo vbi nulla eſt cognitio ibi nec voluntarium. ergo excuſat. Huc pertinent peccata ebriorũ præſertim quæ probabiliter non ſunt præuiſa, aut moraliter timeri non potuerunt vt docet D. Bonau. *in 2. diſt. 22.* Caiet. *2. 2. quæſt, 105.* Per hanc ignorantiam excuſatur etiam Loth nõ ab ebrietate, qua de re peccauit, ſed ab incæſtu, quia hunc nõ præuidit, nec moraliter præuidere potuit.

11. *Sed obijcies.* Ebriorum peccata mereri duplicem pœnam. *Reſpon.* ita eſſe in foro externo, quod cordis abſcondita non penetrat, ſed ex his quæ apparent iudicat, & ſæpenumero ad terrorem & ad exemplũ aliorum. ſed in foro interiori v. cõſcientia, non imputatur ebrijs ad peccatum, niſi ex ignorantia vincibili & culpabili proueniat: vt ſi quis in ſeipſo experiatur quod ex nimio potu & calore vini, in hæc vel illa peccata incidat, à vino autem nimio non abſtineat.

Ebriorum peccata vbi merentur pœnam duplicem.

Dico tertiò. *Ignorantia vincibilis & conſequens ſimpliciter non excuſat peccatum, nec omnem culpam tollit ſed ſolùm ex parte & ſecundum quid.* nam ſi talis ignorantia ſolum fuerit voluntaria indirectè, qualis eſt quæ procedit ex negligentia craſſa, & hæc ex parte excuſat. ſi verò directè ex voluntate procedat & ſit affectata tunc non ſolum non minuit ſed auget potius, quia procedit ex intentione maiori peccandi, ita vt maiori lubentia & impetu in peccatum feratur, qui quidem talis conſenſus valde imputatur in peccatum.

Sed inſtabis. Ignorantia vincibilis ſemper eſt peccatũ. ergo ſiue directè ſiue indirectè fuerit volita, eodem modo erit peccatũ. *Reſpon.* negando cõſequentiam nam homicidiũ commiſſum per ebrietatem, licet in cauſa fuit vincibile, leuius eſt peccatum, quia indirectè eſt volitum. Sed homicidium quod quis ſobrius

ex di-

ex directa intentione facit, longè grauius eſt peccatum.

Ignorantia concomitãs quomodo excuſat peccatum, & quomodo non?

12. Dico quarto. *Ignorantia concomitans qualis eſt in eo qui putans eſſe feram occidit inimicum, & gaudet quòd occiderit, nam tantò libentiùs occidiſſet ſi ſciuiſſet inimicum; ratione actus exterioris excuſat, ſimpliciter tamen à peccato circa idem obiectum non excuſat.* PROBATVR. *quòd excùſet.* Ignorantia concomitans facit non voluntarium quia procedit ex actu interiori, qui nunquam hoc intendebat. ergo excuſat à peccato. *Confirmatur* Actus externus non addit bonitatem aut malitiam moralem actui interiori, nam idem eſt obiectum ſicut prius. ſed actus interior voluit ferire ferã ergo & exterior; vnde quòd inimicus ſit occiſus, eſt euentus caſualis præter intentionem. ergo excuſat.

Probatur ſecundò. quòd *ſimpliciter non excuſat.* Illa ignorantia ſimpliciter excuſat, quãdo operãs poſtquã cognoſcit factum dolet ſe feciſſe. ſed qui operatur cum ignorantia concomitante non dolet, ſed gaudet poſtquam hoc ſcit ſe feciſſe. ergo ſimpliciter non excuſat à peccato, ideo enim peccatum eſt quia in hoc qui occidit eſt complacentia in facto, & ita eſt animo diſpoſitus & comparatus quod voluiſſet eum occidere ſi ſciuiſſet inimicũ fuiſſe, quod quidem coram Deo eſt grauiſſimum peccatum, vnde non excuſat à peccato. Vide hic Medinam. *lib. 2. quæſt. 76. art. 3.* Vrielem

An ignorantia minuat peccatum?

13. QVANTVM *ad alterum.* An
ignorantia minuat peccatum? *Re-*
ſpondeo Quod eſt hæc eſt Regula S.
Doctoris. Cùm Omne peccatum
ſit voluntarium in tantùm ergo
ignorantia poteſt diminuere pecca-
tum inquantum diminuit volunta-
rium. Si autem non diminuit vo-
luntarium, nec peccatum dimi-
nuit. Hinc

Infero primò. Ignorantia qualis eſt
inuincibilis quæ totaliter excuſat
nõ minuit peccatum. *Probatur* Quia
totaliter aufert voluntarium. ergo
& peccatum. ergo non minuit.

Infero ſecundò. Ignorantia quæ nõ
eſt cauſa peccati ſed concomitan-
ter ſe habet ad peccatum, nec dimi-
nuit nec aug.t. ſed habet ſe ſicut im
pertinens & non excuſat ſe ſim-
pliciter.

Corollaria.

Infero tertiò. Illa ſola ignorantia
poteſt minuere peccatum quæ eſt
cauſa peccati, & tamen totaliter nõ
excuſat à peccato. *Probatur.* Nam
hæc ignorantia aut eſt directè per
ſe voluntarium? vt cum aliquis ſua
ſponte neſcit aliquid vt liberiùs
peccet, & ſic non diminuit ſed po-
tius auget peccatum, nam eſt
ignorantia affectata: aut eſt in-
directè voluntarium? vt cum quis
in ſtudio non vult laborare ex ne-
gligentia, & tunc diminuit pecca-
tum, nam in hac ignorantia ſi quis
fertur in peccatum, non poteſt dici
quòd feratur directè vnde diminuit
peccatum.

DISPVTATIO VII.
De ſecunda cauſa interna peccati videlicet de Paſsione.

Tractat eam D. Thomas *quæſt. 77. in art. 8.* Huius doctrinam ad duo Quæſita reuocamus.

1. *An Paſſio appetitus ſenſitiui poſſit eſſe cauſa peccati?*
2. *An excuſet à peccato vel certè illud diminuat?*

QVÆSITVM I.
Sitne Paſſio, & quomodo cauſa peccati?

Paſſio appetitus ſenſitiui mouet voluntatem ad peccandum.

1 DIco *Primò. Negari non poteſt quòd paſſio appetitus ſenſitiui moueat voluntatem ad peccandum.* Daniel. 13. *Concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Iac. 1. *Vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua.*

Paſſio appetitus ſenſitiui non poteſt directè mouere voluntatem.

Dico ſecundò. *Paſſio appetititus ſenſitiui non poteſt directè mouere voluntatem.* PROBATVR. Immateriale nō poteſt moueri à materiali ſed paſſio appetitus ſenſitiui eſt quid materiale, voluntas verò eſt quid immateriale. ergo directè non mouet.

Paſſio quibus modis moueat voluntatē indirectè?

Dico tertiò. *Hæc eadem paſſio poteſt indirectè mouere voluntatē duobus modis:* PRIMO Per diſtractionem, hoc modo, cum enim omnes potentiæ in vna Eſſentia animæ radicentur: ergo ſi contingat aliquam potentiam in operatione intendi, neceſſe eſt alias remitti, aut totaliter impediri. *Secundò* ex parte obiecti, cum enim appetitus ſenſitiuus fertur in aliquod obiectum ſuum, tunc ſimul ſecum imaginatiuam & æſtimatiuā rapit. & ex perturbatione hinc oriente ratio incipit ſe conformare; atque ſic & voluntas ſe inclinat, & ſic ratione obiecti, indirectè paſſio mouebit voluntatem.

Dupliciter voluntas contra ſciētiam in intellectu exſiſtentem, poteſt à paſſione in malum ferri.

2. *Sed quæres.* An in intellectu exſiſtente perfecta ſcientia, poſſit in voluntate eſſe peccatum propter paſſionem? *Reſpondeo* quòd voluntas contra ſcientiam in intellectu exſiſtentem poteſt à paſſione in malum ferri, idq; dupliciter: *Primò* ſi habeat ſciētiā vniuerſalē v. nō eſſe furādū, & eandem ſcientiam in particulari non habeat, v. hunc actum qui eſt furtum non eſſe fugiendum, & ſic ex defectu particularis ſcientiæ cō tra vniuerſalem operabitur. *Secundò.* ſi vtramque ſcientiam habeat habitualiter, ſed careat aduertentia particulari in hoc actu aut in illo, & ſic in defectu aduertentiæ

contra ſcientiam habitualem operabitur.

Aduertentia in particulari quot modis impeditur à paſſione?

Hæc autem aduertentia quæ debet eſſe actualis in re particulari, tribus modis à paſſione impediri poteſt. *Primò* per diſtractionem potentiarum. *Secundò* per immutationem corpoream, in quantum per paſſionem turbantur ſenſus interni *tertiò* per contrarietatem, in quantum paſſio inclinat ad contrarium huius quod habet ſcientia vniuerſalis. Quòd autẽ paſſiones poſſint impedire, ſignum eſt eius rei, quia eædẽ paſſiones ſi nimium intendãtur, contingit hominem totaliter vſum rationis amittere, vt videre eſt in his qui ex nimia amoris paſſione in inſaniam vertuntur.

Peccata quæ ex paſſione fiunt rectè dici poteſt quòd ex infirmitate fiant.

3. Dico quartò. *Peccata quæ ex paſſione fiunt, rectè dici poteſt, quòd ex infirmitate fiant.* PROBATVR Infirmitas animæ dicitur ad ſimilitudinem infirmitatis corporis. ſed infirmitas corporis tunc eſt quando propter inordinationẽ partiũ corporis debilitatur homo & impeditur in exſecutione propriæ operationis: ita in anima eſt infirmitas cum aut ex vi iraſcibili aut concupiſcibili oritur paſſio inordinata, ex qua iam debilitatur homo, vt non poſſit rectè operari ergo paſſio eſt quædam infirmitas.

Paſſio amoris ſuiipſius inordinati in vnoquoque eſt principium peccati omnis.

Dico quintò. *Paſſio amorũ ſuiipſius inordinati, in vnoquoq; homine eſt principium omniũ peccati.* PROBATVR. omne enim peccatum procedit ex inordinato amore boni temporalis; ſed quod quis inordinate appetat bonum temporale id ex amore ſuiipſius inordinato procedit; nam amare aliquem, eſt illi velle bonum. Sed tu ô homo teipſum inordinatè amas. ergo per hunc inordinatum amorem tuiipſius vis bonum commutabile. ergo amor ſui eſt cauſa omnis peccati.

Ad quæ omnes paſſiones quæ ſunt cauſa peccatorum reduci poſſint?

4. Dico ſextò. *Ad iſta tria v.* Cõcupiſcentiam carnis, oculorum, ſuperbiam vitæ, *omnes paſſiones quæ ſunt cauſa peccatorum reduci poſſunt.* PROBATVR. Paſſiones enim (vt iam deductum) ſunt cauſa peccati. Sed paſſiones ex duplici fonte oriuntur v. ex concupiſcibili & ex iraſcibili. ſed omnes paſſiones concupiſcibilis, ad concupiſcentiam carnis & oculorum reducuntur vt ſunt voluptates carnis, ornatus veſtium, aut pecunia. Ad ſuperbiam verò omnes paſſiones iraſcibilis reducũtur, vt appetitus excellentiæ, honoris. ergo ex his tribus oriuntur paſſiones.

An peccatũ quod eſt ex paſſione poſſit eſſe mortale?

Sed quæres An peccatum quod eſt ex paſſione poſſit eſſe mortale? *Reſpondeo* Poſſe eſſe. *Probatur* Peccatum mortale eſt auerſio ab vltimo fine qui eſt Deus, ita quòd hæc auerſio fiat per deliberantem rationem. Sed ex perturbatione paſſionis accidit quòd homo per deliberationẽ conſentiat, & hoc non fit ita ſubito, vt in motibus primò primis, ſed fit cum quadam cunctatione, ita quòd ratio paſſionem ortam poſſit impedire, vnde ſi non impediat ex paſſione videtur conſentire, & ſic peccatum erit mortale.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

An Paſsio totaliter excuſet à peccato; an verò diminuat?

Paſſio antecedens liberum arbitrium diminuit peccatum.

5 AD Quæſitum dico. Primò. *Paſſio quæ antecedit & anteuertit iudicium rationis & liberi arbitrij electionem, diminuit peccatum.* PROBATVR. Act⁹ enī peccati cēſēdus eſt ex volūtario. ſed cū paſſio anteuertat rationē,& per cōſequēs voluntatis deliberationem ergo diminuit voluntarium. ergo & peccatum.

Paſſio conſequens electionem liberi arbitrij aggrauat peccatum.

Dico ſecundò. *Paſſio conſequens electionem liberi arbitrij & iudicium rationis, non diminuit ſed aggrauat peccatū* PROBATVR Paſſio vt ſic conſequens, demonſtrat maiorem intentionem ad actum peccati: nam talis paſſio ex vehementia voluntatis excitatur, in quantum illius redundantia diffundit ſe in vires inferiores, & cum maiori voluntatis lubentia. ergo aggrauat.

6. Dico tertiò. *Quando paſſio quæ ex toto aufert vſum rationis, eſt à principio voluntario, tunc non excuſat à peccato. ſed actus cum illa commiſſus imputatur ad culpam, quia in ſua cauſa eſt voluntarius: vt cum quis in ebrietatem incidit ex qua in varia peccata prolabitur, tunc illa peccata imputantur illi ad peccatum, quia in ſua cauſa nimirum in ſumptione ſuperflua vini, ſunt volita;* ſed quando *paſſio quæ totaliter aufert vſum rationis, non eſt voluntaria, ſed naturalis: vt ſi quis ex ægritudine vſum rationis amittat, tunc actus redditur omnino inuoluntarius, vnde ex toto excuſatur à peccato.* Si autem *per interualla fiat reditus ad rationem, tunc tenetur ratio conniti, vt hanc paſſionem (vt ſi quando ex nimio amore in inſaniam deueniat) excludat, aliò cogitationem diuertendo*, nam alias non excuſabitur à peccato.

DISPVTATIO VIII.

De tertia cauſa interna peccatorū videlicet Malitia,

1. QVatuor attingam de Malitia. *Primū.* Quod ſit cauſa peccati. Ita enim teſtatur Scriptura Pſal 72. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum* Prouerb. 2. *Lætantur cū maleſecerint & exſultant in rebus peſſimis.*

Origo malitiæ quæ eſt?

Sed quæres. Origo malitiæ quænam eſt? *Reſpondeo* quòd origo malitiæ eſt inordinatio facta & exſiſtens in voluntate. *Quòd ſit declaro.* Ordinatio naturalis in homine eſt vt naturaliter appetat bonum,ſi autem contingat quòd in malum declinet,

clinet, id contingit ex inordinatione facta in aliquo principio actuũ humanorum. Sunt autem tria principia actuum humanorum. *Primò* Intellectus, in quo ex inordinatione exſiſtit ignorantia, quæ eſt cauſa peccati. *Secundò* Appetitus ſenſitiuus, in quo ex inordinatione oritur paſſio quæ ſimiliter eſt cauſa peccati. *tertiò* voluntas, ex cuius inordinatione oritur malitia.

Actuum humanorum principia tria.

Sed quæres rurſum. Hæc inordinatio in voluntate in quo ſita eſt? *Reſpondeo* in eo quando voluntas minus bonum, quale eſt temporale, magis amat, & eligit ſpreto ſpirituali bono quod eſt maius bonum.

Inordinatio in voluntate in quo ſita eſt?

2. *Sed quæres.* Quid igitur erit ex malitia peccare? *Reſpondeo* Peccare ex malitia non eſt eligere malum ſub ratione mali (vt Scotus putauit *in 2. diſt. 43.*) nam hoc impoſſibile eſt, vt in *Tract.* de Voluntario deduximus *2. p. diſp. 1. quæſt. 1.* ſed cum voluntas nulla impellente paſſione nec aliqua ignorantia obcæcata; quæ ſit aut iuris aut facti, ſed probè ſciens & animaduertens quòd illa res quam elegit ſit mala, hoc tamen non obſtante illam ex pura ſua libertate, ſub ratione boni minoris. hoc eſt aut vtilis aut delectabilis, eligit. *Probatur* Velle priuari bono ſpirituali vt potiamur bono temporali eſt ſimpliciter malum. ergo qui ſic ſciens eligit malum dicitur ex malita peccare. *Item* Peccatum quod hoc modo procedit, (vt iam deſcriptum eſt) non eſt ex ignorantia, nec ex paſſione. ergo ex malitia, *Conſequentia.* quia ex his tribus peccatum procedit, (vt iã notauimus.)

Ex malitia peccare quid?

3. ALTERVM *quod attingimus.* An qui peccat ex habitu, ex malitia peccet? *Pro reſponſione ſuppono,* quòd prauus habitus eſt cauſa malitiæ; nam prauus habitus efficit vt homo eligat minus bonum tanquam ſibi cõnaturale: ſicut enĩ corrupto guſtu aliquis carbones, aut puluerem cõedit ſciens in vniuerſali hunc cibũ homini non eſſe naturalem, ſed ob corruptionem in guſtu factam, eundem tanquam conuenientem ſibi eligit. Ita voluntas eligens hoc malum non eligit ſub ratione mali, ſed ob habitum corruptum, ratione cuius hoc ſibi eſſe conueniens iudicat. Hoc ſuppoſito.

Qui peccat ex habitu an ex malitia peccet?

Dico ad Quæſitum primò. *Poſito habitu prauo in voluntate non eſt neceſſe quòd quoties quis peccat, toties ex habitu peccet.* PROBATVR Habitus enim eſt in poteſtate illum habentis, ita vt eo poſſit vti cum voluerit. ergo non eſt neceſſarium vt habitu ſemper vtamur. *Tum quia* habitus vitioſus non corrumpit totaliter naturam, ſiquidem videmus peccatores in actiones virtutum prorumpere.

Dico ſecundò. *Quando autem ij qui habet vitioſum habitum vtendo ipſo habitu peccat, tunc ex malitia peccat.* PROBATVR. Quilibet enim habens corruptum habitum & eundẽ ad vſum reducens illud bonũ quòd illi corrupto habitui indicat eſſe cõueniens, eligit tanquam ſibi conueniens, id bonũ naturale. ſed habitui prauo id bonũ quod eſt minus videlicet temporale eſt illi conueniens, & illud ipſum eligit ſciens vniuerſali ſcientia ſibi non conuenire. ergo peccans ex habitu ex malitia peccat.

4. TERTIVM *quòd attingimus.* An qui peccat ex certa malitia, peccet ex habitu? Dico *Omne peccatum ex inordinatione exſiſtente prouenit.* ſed hæc in-

An qui peccat ex certa malitia peccet ex habitu?

hæc inordinatio non ſemper eſt habitus, ſed quandoq; eſt habitus quãdoque diſpoſitio ægritudinalis ex parte corporis; quandoque eſt id quod remouet retrahens à peccato; vt ſpes vitæ æternæ, timor gehennæ, retrahit hominem à peccato; vnde remota ſpe per deſperationem, timore per præſumptionem, ſequuntur peccata ex certa malitia vnde non eſt neceſſe vt qui peccat ex certa malitia, quòd ſemper ex habitu peccet, ſiquidem his etiam enumeratis modis peccare poteſt.

Peccatum ex malitia ſitne grauius peccato ex paſſione?

7. QVARTVM *quod attingimus.* Peccatum ex malitia ſitne grauius peccato ex paſſione?

Dico *Peccatum ex malitia eſſe grauius.* PROBATVR. Quia peccatum ex malitia eſt actus ex motiuo voluntatis proueniens, quia eſt inordinatio in voluntate; Paſſio autem ex quodam impulſu extrinſeco prouenit. ergo ex malitia grauius, *Item.* Paſſio eſt citò & facilè tranſiens, & à tali peccato facilis eſt reſipiſcentia. ſed peccatum ex malitia diutius durat, & ad pœnitentiam conuerſio difficilis. ergo grauius. *Præterea* Quia peccatum ex malitia eſt ex habitu, & habitus non minuit libertatem; *tum* eſt voluntarium, & ex maiori conatu voluntatis procedit ergo grauius.

DISPVTATIO IX.

De Cauſis Externis, earumq; prima videlicet de Deo.

Cauſæ externæ peccatorũ quot.

Hucuſque de cauſis internis peccatorum, v. de Ignorantia, Paſſione, Malitia, egimus: nunc accedimus ad Cauſas externas, ſunt aute tres: DEVS, *Diabolus*, *Homo*, Deus in quantum eſt cauſa vniuerſalis cuiuslibet Entitatis, quæ etiam peccato conuenit Diabolus in quantum eſt excitans & inducens ad peccatum. Homo denique in quantum non ſolùm ſuadendo, ſed etiam transfundendo eſt cauſa peccati. Eſt Quæſtio D. Th. 79. *articulos* 4. habens. Duo inquiremus.

1. *An Deus ſit autor peccati?*
2. *An ſit cauſa obcæcationis & indurationis hominum?*

QVÆSITVM I.

An Deus ſit author peccati?

1 MAgnum negotium eſt Doctoribus Orthodoxis cum Hæreticis vt cum Luthero Caluino, qui conſtanter aſſeuerant Deum non ſolùm permiſſiuè ſed etiã efficiẽter cõcurrere ad producẽdũ peccatum; ita vt ſicut Dei opus eſt

Conuerſio Pauli, ita quoque Dei opus traditio Iudæ. Pro euerſione huius blaſphemæ in Deum doctrinæ.

Deus non poteſt eſſe cauſa peccati.

Dico primò *Deus non poteſt eſſe cauſa peccati, & contrarium ſentire eſt blaſphemum.* PROBATVR locis Scripturæ Abacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non potes.* Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sapientiæ 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas eius.* Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij* dicit Dominus Deus, *& non vt conuertatur à vijs ſuis & viuat.* Et alia his ſimilia paſſim reperiuntur quæ à Deo peccatum remouēt.

2. *Sed obijcies.* Eſſe in contrarium alia loca Scripturæ quæ Deum authorem peccati faciunt. Iſaiæ. 45. *Ego Dominus creans malum.* Iob. 12. *Errare eos faciet quaſi ebrios.* Amos, 3. *Si eſt malum in ciuitate quod non fecerit Dominus.* 2. ad Theſalon. 2. *Qui charitatem veritatis non receperunt immiſit in eos Dominus operationem erroris.*

Reſpondeo. Hæc loca cum SS. Patribus exponenda eſſe per permiſſionem; vnde hæc verba *Errare fecit, decepit, indurauit, excæcauit, tradidit in reprobum ſenſum;* quæ videntur actionē Dei ſignificare, explicāda quòd *Permiſit errare in deceptionem, tradere in reprobum ſenſum.* Similiter verba habentia vim imperandi peccato per verbum *permiſſionis* ſunt explicāda. PROBATVR. quod *per permiſſionem ſint explicanda* Scriptura nunquam ſibi repugnat, quia aliàs Deus à quo eſt Scriptura repugnaret ſibi. cum ergo in Scriptura duo contradicētia inueniamus: *Primum* Quòd ſint loca quæ Deo peccatum adimunt, *Alterum* quòd ſint loca alia quæ Deo tribuunt peccatū: atqui horum cōtradicentium illud Deo tribuendū. quod illius dignitati conuenit, ſed conueniens eſt dignitati Diuinæ quòd non ſit cauſa peccati. ergo talia loca explicanda ſunt per permiſſionem.

Ad illud verò Iſaiæ *Ego Deus creans malum. Reſpondeo* Loqui Prophetam de malo pœnæ vt ſunt Peſtis, inopia, fames, bellum, captiuitas, quæ Deus immittit, non autem loquitur de malo culpæ.

Deus permittit peccata ſciẽ.

3. Dico ſecundò. *Deus ab æterno voluit permittere peccata & iam etiam permittit vt à voluntate creata fiant.* PROBATVR, Nihil fit niſi Deo volente aut ſaltim libere non impediente cum poſſit impedire. ſed peccatum non fit Deo volente. ergo fit Deo non impediente. ergo permittēte. *Sequela* Nam quod quis aduertit & cum poſſit impedire non impedit, videtur illud permittere. *Item* Peccata in tempore non fiunt à caſu. ergo à voluntate Diuina permittēte. *Deinde* Hæc permiſſio peccatorum eſt conueniens dignitati humanæ, nā arguit dignitatem vt homo liberè, & habens ſe cum indifferentia ad vtrumque quod potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, ſuam felicitatem conſequatur.

Licet Deus voluerit ab æterne permittere peccata, non tamen actu poſit. voluit, vt peccatum voluntas humana committeret.

4. Dico tertiò. *Quamuis Deus ab æterno voluerit permittere peccata, non tamen ab æterno poſitiuo actu voluit, ordinauit, & decreuit vt peccatum voluntas humana committeret.* PROBATVR Peccatum ſemper eſt auerſiuum à Deo. ſed Deus id non decreuit quod nos ab eo auertat. ergo nec peccatum decreuit. *Item* Peccatum in quantum eſt in voluntate humana, eſt velle aliquid & amare plus quàm

Deum.

Deum, ſed hoc voluntas Diuina nō ordinat. ergo nec peccatum. *Præterea.* Quia velle peccatum eſt velle id quod ſit rationi diſſonū. ſed De⁹ non poteſt velle quod ſit rationi diſſonum. ergo non vult actu poſitiuo peccatum.

Sed cum pro confirmatione huius Dicti allegamus loca Scripturæ, vt *Oculi tui ſunt mundi* &c. *Et Odio ſunt Deo,* &c. Reſpondent Hæretici, Duplicem eſſe voluntatem Diuinam. *Prima* eſt in præceptis expreſſa qua Deus prohibet peccatum: *Altera* eſt Arcana, quæ in præceptis non habetur ſed occultè eſt ordinatiua peccatorum:

5. Sed hoc eſt commentum falſum Hæreticorum. *Probatur* In his locis Scripturæ & aliis ſimilibus, habuit Deus intentionem voluntatis ſuæ prohibere peccatum, & ideo in tranſgreſſores comminatus eſt graues pœnas. ergo falſum eſt quod præter hanc expreſſam in præceptis habuerit aliam arcanam ordinantē peccata. *Conſequentia* Quia hæ duæ voluntates ſunt ſibi contradicentes, quarum vna v. præcipiens vult non fieri peccata, altera v. ordinãs vult fieri, quòd in Deo dari non debet.

Deus non operatur nec vllo modo poteſt operari peccatum.

Dico quartò. *Deus non operatur nec vllo modo poteſt operari peccatum.* PROBATVR. Deuter. 32. *Fidelis Deus & abſq; vlla inquitate.* Pſal. 144. *Et ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Sacra Scriptura tribuit Deo hæc attributa quod ſit *Sanctus* & *Fidelis* & *abſq; vlla iniquitate.* ſed hæc attributa non poſſent verificari de Deo, ſi Deus operaretur peccatum. ergo Deus nō operatur peccatum. *Item.* Deus eſt omnipotens, & peccare, dicit defectum potentiæ. ergo Deus non operatur peccatum. *Deinde* Deus eſt ſumma bonitas quâ maior & melior excogitari non poteſt. ergo non poteſt operari peccatum. *Deniq;* *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Prouerb. 16. ita quòd Deus in ſeipſum & in amorem ſuum conuertat quæcunq; operatur. ſed peccatum non poteſt conuerti in Deum ergo illud non operatur.

Deꝰ nec alliciēdo nec mouendo, nec cogendo inducit voluntatem creatam ad peccandum

6. Dico quintò. *Deus nec alliciendo, nec mouendo, nec cogendo inducit voluntatem creatam ad peccandum* PROBATVR. Concil. Trident. *Seſſ. 6. can. 6.* definit. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm ſed etiam propriè & per ſe adeo vt ſit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ quàm vocatio Pauli, anathema ſit.* D. Auguſt. lib. Reſpon. ad Articulum ſibi falſò impoſitum. *Deteſtanda eſt*, inquit. *& abominanda opinio quæ Deum cuiuſq; voluntatis aut malæ actionis credit authorem.*

Probatur Ratione. Si enim Deus alliceret homines ad peccandum, ſequeretur quòd magis Deus peccaret quàm homines. *Sequela* Is enim qui alium ad peccandum allicit, magis cenſetur peccare quàm is qui peccatum admiſit ex ſuggeſtione. ſed hoc de Deo dicere blaſphemum eſt. ergo non allicit. *Deinde* Sequeretur quod eſt impium dictu, Deum eſſe crudelem nam exigeret pœnas eorum peccatorum, ad quorum executionē nos ipſe induceret, quod Diuinæ Bonitati repugnat.

7. Dico ſextò *Nec dici debet quòd Deus infundat nobis aliquos habitus vitioſos.* PROBATVR Habitus vitioſi inclinant ad peccandum, ergo ſi Deus

habitus

Non debet dici quòd Deus infundat nobis aliquos habitus vitioſos.

habit⁹ vitioſos infunderet, inclinaret ad peccatum. *Confirmatur* Qui enim dat propenſionem ad aliquid operandum, cenſetur eſſe author illius operationis; vt inclinatio deorſum quæ eſt in lapide, non tantū lapidi ſed etiam authori lapidis tribuitur. ſed Deus non mouet ad operationem mali, ergo non tribuit habitus vitioſos.

Sed obijcies. Poſito habitu vitioſo qui eſſet infuſus à Deo, adhuc voluntas creata eſſet libera ad operādum vel non operandum. ergo non repugnat Deo quòd habitus vitioſos infundat.

Reſpondeo repugnare adhuc, ſicut enim ſi alicuius voluntas aut ab homine aut à diabolo ſolicitaretur ad peccatum, voluntas maneret quidem libera, ſed ſi ſe determinaret ex illa ſuggeſtione ad peccandum, tunc peccatum commiſſum non ſolùm peccatori, ſed etiam diabolo vel homini inducenti ad peccandū tribueretur. Ita quoque ſi Deus habitum vitioſum infunderet, qui voluntatem inclinaret ad peccandū, tunc ſi ex hac inclinatione peccaret, illud ipſum peccatū adhuc Deo tribueretur quod eſt impium.

Deus eſt cauſa actus peccati, ſed non eſt deformitatis.

8. Dico ſeptimo *Cum in peccato ſint duo Actio & Inordinatio ſeu deformitas, & primum à Theologis dicitur eſſe materiale, alterum formale; ideo aſſerimus quòd Deus eſt cauſa actus peccati, at non eſt deformitatis, ſed hæc in voluntatem tanquam in cauſam efficientem referenda eſt.* Probatvr. Quia omnis actio eſt bona, & omne bonum eſt Ens, & Ens aut eſt per Eſſentiam aut per participationē, & ſolus De⁹ eſt Ens per Eſſentiam. ergo actio erit Ens per participationem. ergo dependebit à Deo in producendo. iam autem inordinatio eſt mala, malum verò non eſt intrinſecum bono, v. Actui, ſicut enim priuatio viſus non eſt intrinſeca oculo, quia non eſt de ratione illius ſed de ratione cæcitatis: ita inordinatio nō eſt intrinſeca actioni, quia non eſt de ratione illius, ſed de ratione peccati. Pro notitia meliori.

Nota primò. De ratione mali moralis eſt, quòd procedat à volūtate deficiente, (vt ante dictum eſt.)

Nota ſecundò. Quando duo principia ad aliquem effectum producendum concurrunt, neceſſe eſt vt vtrumque principium ſit perfectū; ſed ſi contingat alterum eſſe imperfectum, qualis eſt voluntas humana deficiens à regula rectæ rationis & legis Diuinæ, iam defectus in voluntatem tanquam in cauſam deficientem reducendus eſt.

Nota tertiò quando dicimus *Actū eſſe malum*, intellige quòd malum ad actum habet ſe conſequenter, nam malitia conſequitur actum in quātum à voluntate deficiente progreditur. vnde actus in occiſione quæ fit à Iudice, à leone, à furioſo, nullā habet malitiā, ſed inquantum procedit ab homine qui priuata authoritate ex appetitu vindictæ hominē vita priuat. *Tum* quia à voluntate procedit deficiente, habet rationem mali.

Obiectio.

9. *Sed inſtabis.* Deus non ſolùm in genere quoad ſubſtantiam actus ſed etiam in particulari prout habet circumſtantias ſingulares, quibus etiam annexa eſt malitia, eſt cauſa actus. ergo Deus non ſolùm ad actum ſed etiam ad malitiam actus concurrit.

Reſp.

Solutio ei^s

Reſp. negare nos non poſſe affirmante hic D. Thoma, quòd Deus ad actionem particularem concurrat, inquantum in hoc loco, aut tẽpore exercetur. ſed ex eo non ſequitur quòd malitia in Deum referri debeat. nam in natura videm⁹, quòd defectus qui eſt in aliquo effectu, non cauſæ vniuerſali ſed particulari tribuitur. iuxta illud. *Effectus immo & Concluſio in ſyllogiſmo debiliorem partem ſequitur.* & *monſtri generatio ſoli particulari cauſæ adſcribitur.*

Obiectio 2.

Sed rurſum dices. Cauſa vniuerſalis qualis eſt etiam Deus, magis in effectum influit quàm particularis. ergo ille effectus ex toto vniuerſali cauſæ tribuendus.

Solutio eiuſdem.

Reſp. affirmatiuè *ita eſſe*, quia vniuerſalis propter ſummam & perfectiſſimam actiuitatem magis influit, & ideo defectus ſi qui eſt in effectu agenti particulari tanquam debiliori tribuendus. *Præterea* quamuis Deus in totam ſubſtantiam actionis influat: tamẽ ſolùm phyſicè, & non moraliter, non enim concurrit ſuadendo, conſulèndo, vt ſolent cauſæ morales, quando ad aliquem actum malum concurrunt.

Obiectio 3.

10. *Sed inſtabis tertiò.* quando ſunt aliqua duo ita inter ſe coniuncta, vt per nullam cauſam à ſe ſeparari poſſint, tunc quòd eſt cauſa vnius, eſt cauſa alterius. ſed in peccato ſunt duo, actio & malitia, ita connexa vt ſeparari non poſſint, nam à mendacio ab odio Dei nemo malitiam ſeparare poteſt, v. vt ſit mendacium & non ſit malum, ſit odium Dei & non ſit malum. ergo ſi Deus eſt cauſa actionis, erit & malitiæ.

Eiuſdem ſolutio.

Reſp. cum Gabriele & Richardo in 2, *diſt.* 37. quòd Maior eſt vera de his quando duo aliqua ſunt eſſentialiter & ex natura rei inter ſe colligata. ſed in peccato actus & malitia non ſunt connexa eſſentialiter ex natura rei ſed ſolùm per accidẽs poteſt enim Deus eam actionem quæ eſt in mendacio abſoluta ſua potentia phyſicè producere, quæ nullam malitiam in ſe includat reſpectu Dei, nam hæc malitia eſt quædam relatio in reſpectu rectæ rationis & Diuinæ legis, & habet ſe conſequenter ad actionem, vnde ab actione differt.

Malitiæ author cur nõ ſit Deus?

Nota. ideo Deus non eſt author malitiæ, licet ſit author actus poſitiui, quia peccatum eſt quidam effectus moralis, Deus autem non eſt cauſa moralis ſed ſolus homo, nam ſolus eſt capax meriti & demeriti. ſit igitur indubitatum *quòd Entitas ſeu actio peccati eſt à Deo, ſed inordinatio, deformitas, malitia, voluntati creatæ tribui debèt.*

QVÆSITVM II.

An Deus ſit cauſa excæcationis & obdurationis?

11. HOc Quæſitum ideo apponimus, quia ſunt multa loca Scripturæ, quæ indurationẽ & excæcationem videntur Deo tribuere.

Dico itaq; *excæcationis & indurationis inquantum ſignificant firmam adhæſionem*

heſionem animi in malum, & auerſionem à Diuino lumine, Deus non eſt cauſa. ſed *inquantum Deus ſubtrahit auxilium gratiæ efficacis, ne mentem illuminet & cor indurati emolliat ad rectè viuendum, ſic eſt cauſa obcæcationis & indurationis.*

Nota. quamuis Deus auxilia ſpecialia gratiæ efficacis ſubtrahat ob ingratitudinem iuſto ſuo iudicio, ea tamen non ſubtrahit quæ ſunt neceſſaria & ſufficientia ad cõuerſionem, ſed hæc Deus quantum eſt de ſe vnicuiq; tribuit.

Obijcies. ergo ſaltim indirectè De⁹ erit cauſa excæcationis, nam ad ſubtractionẽ gratię ſequitur excęcatio. *Reſp.* ſi Deus teneretur conferre auxilia efficacis gratiæ, verùm eſt quia indirectè eſſet cauſa obcæcationis, ſed quia non tenetur idcirco nec indirectè cooperatur.

Obijcies ſecundò Videtur Deus ea intentione ſubtrahere hæc auxilia vt voluntas in malo induretur. Iſaiæ 6. *Excæca cor populi huius & aures eius aggraua.* Et Ioan. 12. *Excæcabit oculos eorum vt oculis non videant.*

Reſpondeo Quòd ſubtractio auxiliorum gratiæ non ordinatur à Deo in hunc finem vt mente non intelligant nec conuertantur; ſed ſolùm ſcriptura videtur innuere quòd excæcationem ſeu in malo firmam adhæſionem hęc ſubſequãtur quòd non intelligant & oculis nõ videãt.

12. *Nota* Indurati, obcæcati non illi dicuntur qui ſunt in aliquo peccato mortali, ſed illi ſolùm qui obſtinato animo adhærent malo, & ab eo difficulter reſurgere poſſunt, licet auxilia neceſſaria præſto habeant.

Sed quæres. An excæcatio & obduratio, ordinetur in ſalutem eius in quo eſt? *Reſp.* Quòd excæcatio, obduratio, ſi ex ſua natura conſiderẽtur, non niſi in damnationẽ ordinantur Ex miſericordia autem Dei poſſunt ordinari. *primò* in ſalutem eius qui obduratur vt agnoſcat diſcrimen ſalutis ſuæ & ſummam Dei miſericordiam & humiliando accõuertendo dicat: *Niſi Dominus adiuuiſſet paulò min⁹ habitaſſet in inferno anima mea. Secundò* ſi obduratio ei in quo eſt non confert ſalutem, tunc ordinatur in aliorum medicinam, v. ad bonum toti⁹ vniuerſi maximè prædeſtinatorum, vt ſummam Dei miſericordiam agnoſcãt, ſiquidem Deus ſi quæ mala fieri permittit, illa in aliquod bonum ordinat: vt permiſit crudelitatem tyrannorum, vt inde ſequeretur martyrium; & hominem primũ permiſit labi, vt ex hoc Chriſti incarnationem ordinaret.

DISPVTATIO X.

De Secunda cauſa externa peccatorum videlicet de Diabolo.

1 QVatuor Dictis pręſẽtem diſputationem determino. vnde Dico primò, *Diabolus eſt cauſa peccati, ſed indirectè, quia per modum ſuadentis & appetibile proponentis eſt author peccati commiſſi.*

miſſi, PROBATVR. Illud eſt cauſa peccati quod poteſt mouere voluntatem ad peccandum. ſed ſola voluntas ſeipſam directè mouet & determinat ad peccata committenda. ergo non diabolus. *Confirmatur* Duo ſunt quæ poſſunt mouere voluntatem. *Primò* Id quòd eam intrinſecus inclinat ad volendum: *ſecundò*. Id quod extrinſecus mouet proponẽdo obiectum. Sed id quod intrinſecus inclinat, aut eſt Deꝰ, aut ipſa voluntas hominis; at Deus (vt iam deductum) non mouet ad peccatũ. ergo ipſa voluntas intrinſecus directè ſeipſam mouet ad peccandum. Id verò quod extrinſecus mouet eſt obiectum ex parte cuius contingit tripliciter moueri voluntatem: *Primò* per ſe, vt cibus appetitum hominis ad comedendum excitat: *Secundò* per eum, qui proponit & offert obiectum: *tertiò* per eum qui perſuadet obiectum propoſitum habere rationem boni. ſed *primò* modo res exteriores mouent ſeipſis volũtatem, *Secundò* autem modo & *tertiò* v. præſentando & perſuadendo obiectum habere rationem boni, ſic Diabolus atque etiam homo ad peccatum ſolicitat, & hic modus eſt indirectè mouendi. ergo Diabolus indirectè eſt cauſa peccati. *Præterea* Diabolꝰ ſolùm allicere poteſt nec quenquam niſi volentem & cõſentientem vincere poteſt. ergo nõ eſt directè cauſa peccati.

Quæ moueret poſſunt voluntatem ſunt duo.

2. Dico ſecundò. *Diabolus non ſolùm hoc exteriori modo v. præſentando obiectum, & quod ſit bonum perſuadendo, inducit ad peccatum, ſed etiam interius concitando phantaſiam & appetitum ſenſitiuum.* PROBATVR. Operatio interior diaboli tota eſt circa phantaſiam & appetitum ſenſitiuum, nã vtrumque concitare poteſt. ergo interius mouet ad peccatum. *Confirmatur.* Diabolus interius non poteſt inclinare voluntatem cum ipſa voluntas (vt iam probatum) ſeipſam inclinet; nec diabolus illuminat intellectum ad veritatis cognitionẽ, ſed ſtudet eum obtenebrare, vt faciliùs peccato conſentiat. ergo ſolũ illi reſtat interius phantaſia & appetitus ſenſitiuus.

Diabolus non modò repræſentãdo obiectũ ſed concitando phantaſiam & appetitum inducit ad peccatum.

Modus autem has potentias cõcitandi talis eſt, Phantaſiæ inijcit & præſentat quaſdam formas imaginarias, quæ ſint accommodatæ ad intellectum obtenebrandum & ad conſenſum à voluntate obtinendũ. Appetitum ſenſitiuum concitat inijciendo aliquam ſimilitudinem rei amatæ, ex qua paſſio amoris oritur intellectum obumbrans & voluntatem ad aſſenſum alliciens.

Modus cõcitandi potentias qualis?

Nota Plurimos hic veterator obiectis in phantaſia imaginationibus decipit ita vt exiſtiment reuelationes ſibi à Deo immiſſas eſſe cũ ſint inania phantaſmata in deceptionẽ fabricata, frequenter enim exiſtimant ſe re ipſa videre aliquid cum à parte rei nihil ſit, ſed ſola in phãtaſia repræſentatio.

3. Dico tertiò. *Diabolus propria virtute niſi refrænetur à Deo poteſt aliquem inducere ex neceſſitate ad actum eum operandum qui ſit peccatum. ſed non poteſt inducere neceſſitatem peccandi.* PROBATVR. *primum.* Poteſt diabolus niſi refrænetur à Deo totaliter vſum rationis impedire vt in arreptitijs videre eſt, iam autem ratio eſt motiuum quo peccato reſiſtimus. ergo ratione totaliter impedita ita quòd ex toto ſit ligata, poteſt ex neceſſitate

Diabolus ex propria virtute poteſt aliquẽ inducere ad actum eum operandum qui ſit peccatum, ſed non poteſt inducere neceſſitatẽ peccandi.

ceſſitate actum facere qui ſit peccatum, ſed ob ligatam ex toto rationē non imputabitur illi ad peccatum.

Probatvr *alterum.* Dicitur 1. Pet. vltimo *Cui reſiſtite fortes in fide.* Neceſſitati reſiſtere non poſſumus ſed diabolo reſiſtere poſſum⁹. ergo diabolus non inducit neceſſitatem ad peccandum. *Deinde* Voluntas neq; quoad exercitium neq; quo ad ſpecificationem neceſſitatur ab obiecto, quod quidem obiectum diabolus proponit, & in eo eſſe rationē boni ſuadet. ergo non neceſſitatur. Eccleſiaſt. 15, *Deus ab initio hominem conſtituit & reliquit illũ in manu, cõſilij ſui, adiecit mandatũ & præcepta ſua ſi vo lueris mandata ſeruare conſeruabunt te.*

Dico quartò. *Rectè affirmare poſ- ſumus quòd ea ratione diabolus poteſt dici cauſa omnium peccatorum, in quantum primos parentes induxit ad peccatum, quo quidem peccato in tantum vitiata eſt na- tura humana, vt omnes ad peccandum ſi- mus procliues: vnde remotè, mediatè, oc- caſionaliter, indirectè, eſt cauſa peccato- rum. ſed non poteſt dici cauſa directè tan- quam ſingula peccata perſuadeat,* nam multa peccata ex hominum ignorantia, malitia, infirmitate fiunt. Diabolus quando ſit cauſa omnium peccatorum.

DISPVTATIO XI.

De Tertia cauſa externa peccatorum ex parte hominis, & de peccato Originali.

Duobus modis Homo poteſt eſſe cauſa peccati alteri: *Primò per ſuaſionem* & ſuggeſtionem, ſicut de diabolo diximus: iuxta illud *Cum perverſo perverteris.* Et. *Væ mundo à ſcandalis. Secundò.* per traductionem naturalem ex vi generationis, ita quòd per peccatum Primi Parentis natura humana ſit corrupta; vnde omnes homines cum natura peccatum ſuſcipiunt, vnde hoc peccatum dicitur Originale, de quo tres erunt peculiares Diſputationes. *Prima* de Traductione: *Secunda* de eius Eſſentia. *tertia* de Subiecto. De Traductione eſt præſens Diſputatio, in qua quinque inquiremus.

1. *An primum peccatum hominis deriuetur per originem in poſteros?*
2. *An omnia alia peccata Primi Parentis vel etiam aliorum parentum per originem deriuentur in poſteros?*
3. *An originale peccatum per generationem traducatur ad poſteros?*
4. *An in eos deriuaretur qui miraculosè ex aliqua parte corporis humani formarentur?*
5. *An fæmina peccante, viro non peccante deſcenderet peccatum originale in poſteros?*

QVÆ-

QVÆSITVM I.

An Primum peccatum Primi Hominis traducatur per originem ad poſteros?

Peccatum originale lumine naturali non potuit cognoſci, &c.

1 NOto primò. *Peccatum Originale & illius exſiſtentia lumine naturali non potuit cognoſci & demonſtrari, ſed ad hoc cognoſcendum opus fuit reuelatione.* PROBATVR. *primum.* Peccatum originale non poteſt cognoſci niſi etiam cognoſcatur iuſtitia originalis, & quoddam pactum quod inter Deum & Primum hominem interceſſit de tranſmiſſione iuſtitiæ originalis in poſteros, ſi à cõeſtione fructus prohibitæ arboris abſtinuiſſet. ſed hæc lumine naturali non poſſunt cognoſci (vt eſt notum.) ergo nec exſiſtentia peccati originalis. *Item* Ex calamitatibus quæ ſunt ſubſecutæ peccatum originale, vt ſunt affectus deordinati, ægritudo, mors, non poteſt euidenter colligi exſiſtentia originalis peccati; nam etiamſi homo in puris naturalibus procreatus fuiſſet, hæc mala illum afflixiſſent. ergo ex his effectis non potuit cognoſci originale peccatum.

Peccatum originale ex reuelatione agnoſcitur.

PROBATVR alterum, *quòd ex reuelatione debuit cognoſci.* Hæc reuelatio eſt in locis Scripturæ Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* Eccleſ. 25. *A muliere initium peccati, & per illã omnes moriuntur.* Et Iob dicit: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua conceptus ſum.* Ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiuit.* ſunt & alia quã plurima loca quibus Deus reuelauit Eccleſiæ originale peccatum,

2. *Nota ſecundò.* Quamuis de exſiſtentia peccati originalis ſint loca ſcripturæ, ſunt tamen non pauci qui illud negant. In primis Hebræi, nam circumciſionem aiunt nõ ideo inſtitutam vt per eam aliquod peccatum paruulorum deleretur, ſed vt eo ſignaculo in corpore ſuſcepto ciues Iſraelitici & filij Abrahæ deſignarentur. Idemque negant Meſſiam ad abolendum peccatum originale eſſe promiſſum. Similiter Pelagiani negant (vt D. Aug. *lib. 1. de* Peccar. meritis & remiſ. *cap. 18. 20.*). Hi enim affirmant infantes abſque originali peccato naſci illisq; ideò neceſſarium eſſe baptiſmum, vt regnum cælorum conſequãtur, quòd nemini patebit, niſi qui ex inſtituto Chriſti ex aqua renatus fuerit.

Quidam ex Catholicis (vt Theodoretus inquit) Peccatum, originale non traduci in poſteros ſecũdùm culpam, ſed ſolùm ſecundùm occaſionem peccandi, ita quòd peccatum originale ſit occaſio & incitatio ad peccandum. Quidam verò dicunt Peccatum originale in nos traduci non generatione ſed exemplo &

plo &

plo & imitatione, non in omnes ſed in eos qui ad ſimilitudinem præuaricationis Adæ ſponte ſua peccauerunt. Pro determinauione.

Primũ peccatum primi hominis originaliter trãſit in poſteros.

3. Dico primò. *Secundùm fidem Catholicam firmiter tenendum eſt, quòd primum peccatum Primi hominis originaliter tranſit in poſteros.* PROBATVR Tribus teſtimonijs Scripturæ. Iob. 14 *Quis poteſt facere mundum de immũdo conceptum ſemine.* Non loquitur Iob de immunditia corporea, ſed de ſpirituali, nàm ſubiungit *Nonne tu qui ſolus es?* ergo ſignificat quòd homo ab origine trahit ſecum quandam immunditiem ſpiritualem quæ dicitur Peccatum originale. *ſecundò* Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.* Hebræi habent in ſingulari *Ecce enim in iniquitate conceptus ſum.* Loquitur hic locus de quodam inſigni & ſingulari peccato quo inficimur adhuc in vtero materno exſiſtentes: ſed hoc eſt originale. ergo in poſteros cum natura traducitur. *Tertium* Ad Roman. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors.* Hæc verba propriè & ſine figura loquuntur de peccato originali. ergo de originali intelligi debent: nam priùs dicit intraſſe peccatum, demùm ſubſecutam eſſe mortem.

Per peccatum originale nõ debet intelligi ſolùm pœna ſed etiã culpa.

Deniq; per peccatum non debet intelligi ſolùm pœna ſed etiam culpa: ſiquidem idem dicit D. Paulus *Nos liberari per iuſtificationem* quæ quidem eſt culpæ. ergo loquitur de peccato quod & culpam & pœnam includit. Idem definit Concil. Tridẽt. Seſs. 5. can. 2. *Si quis Adæ præuaricationẽ ſibi ſoli & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem & iuſtitiam quam perdidit ſibi ſoli & nobis etiam perdidiſſe: aut in quantum illũ per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantum in genus omne humanum transfudiſſe, non autem peccatũ quod eſt mors animæ, anathema ſit.* Idem ſentiunt Sancti Patres.

Probatur ratione. Adam poſt ſui creationem accepit iuſtitiam originalem etiam deriuandam in omnem ſuam poſteritatem; idem poſtquam peccauit hanc amiſit, & nos in illo amiſimus. Et quemadmodum in hoc gratuito beneficio accipiendi iuſtitiam originalem vna cum natura ſufficiebat conſenſus Primi Parentis qui etiam pro noſtro iudicabatur. Ita ſimiliter in amiſſione per peccatum conſenſus Adæ tanquam capitis noſter erat. ergo ex eo peccatum contrahimus.

4. Dico ſecundò. *Hoc peccatum originale quod per generationem transfunditur, habet verè & propriè rationem peccati, ita quod ſecundùm definitionem concilij Trident. allegatam Adam non ſolùm mortem & pœnas corporis, ſed etiam peccatum quod eſt mors animæ transfuderit:* PROBATVR. In rigore & propriè dicitur eſſe peccatum. Oſeæ 6. *Ipſi autem ſicut Adam transgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me. Vbi* explicat D. Hier. ſcilicet *in Paradiſo.* Et dicit *Præuaricati ſunt.* quia præuaricatio eſt verè peccatum Et 1. ad Corĩth. 5. *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus.* ergo ante Ghriſtum omnes mortui erant & non alia morte ſed originalis peccati.

Obijciunt Pelagiani. Omne peccatum debet eſſe voluntarium. ſed in paruulis nullus eſt vſus rationis aut voluntatis. ergo non erit in eis originale peccatum. *Reſpondeo* cum D. Auguſt. Peccatum omne debere eſſe vo-

Omne peccatum aut eſt voluntarium volũtate propria ſi fuerit actuale, aut interpretatiua ſi fuerit originale.

eſſe voluntarium, aut volũtate propria ſi fuerit actuale; aut aliena ſeu interpretatiua ſi fuerit originale: Et ſic in Primo parente aliena volũtate peccauimus. D. Th. illuſtrat exemplo quemadmodum membra in corpore faciunt vnum quiddam; ita & omnes homines in Adam ſunt quoddam vnum. ſed actio manus dicitur eſſe voluntaria non voluntate manus, ſed voluntate animæ quæ manum mouet, ergo ſimiliter peccatum originale quod exſiſtit in poſteris non eſt voluntarium illorum propria voluntate, ſed ſolùm aliena in quantum ſunt membra totius capitis v. Adam (vt pulchrè D. Aug. inquit) *Omnes homines ratione communionis naturæ, tanquam vnus homo erant.*

Quomodo peccatum aliena voluntate cõmiſſum noſtrum cenſeri debet?

5. *Sed queres.* Quomodo peccatum aliena voluntate commiſſum, noſtrum cenſeri debet? *Reſpondeo* Ideo debere cenſeri, quia voluntas Primi Parentis ex ordinatione Diuina omnium noſtrum fuit: Et ſicut homines ob communitatem vnius ſpeciei dicuntur vna ſpecies numero: ita omnes voluntates noſtræ & poſterorum Adami, tanquam vna ſpecie voluntas habetur: & ſicut id quod cõſequitur ſpeciem reperitur in omnibus indiuiduis; ita & peccatum commiſſum per voluntatẽ primi Parentis reperitur in cæteris poſteris.

Tandem dico. Nos hoc habere ex doctrina ſolius fidei Chriſtianæ quæ docet quòd peccatum primi parentis producit in nobis originale peccatum dependenter à volũtate primi Parentis, quod quidem in nobis habet verè rationem culpæ.

Cur poſteri contrahunt peccatum originale.

Præcipua tamen ratio eſt cur poſteri contrahant peccatum originale. Quia Deus hoc quaſi pactum cũ Adam inierat, & hanc quaſi legem ſtatuerat vt primus Adam gratiam originalem non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro poſteris acciperet, ita vt ſi illam non comedendo de arbore vetita conſeruaret, eam poſteri habituri erant. ſi autem præuaricando amitteret, etiam ſuæ poſteritati amitteret, vnde hæc transfuſio peccati vim ſumit ex ordinatione Diuina. Pactum hoc colligi poteſt ex illo genere. *Quacunq; hora comederis, morte morieris.* ergo ſi non comediſſet, nec mortem guſtaſſet. ergo iuſtitia originalis illi & poſteritati integra manſiſſet.

6. *Secundò vrget Pelagius.* Vbi nõ eſt lex, nec præuaricatio. ſed poſteris nulla lex data erat ſed ſoli Adæ cum dicitur: *In quacunq; hora comederis,* & dicit Scriptura in numero ſingulari ergo ſoli Adæ, & non pro poſteris hæc lex data eſt. *Reſpondeo* Hoc præceptũ etiã pro poſteris datum fuiſſe, illoſq; ea ratione obligabat qua capaces erant, v. non in ſua ſed in aliena perſona, ſiquidem prim⁹ parens ex decreto Dei erat caput totius generis humani, ita quòd nos omnes in illo virtute cõtinebamur, quia ab eo naturam humanam eramus accepturi, vnde poſteritatis Adæ hoc eſt infortunium quòd pri⁹ peccauerunt quàm exſtiterunt, pri⁹ in cognitione Diuina; prius virtute & originaliter in ſuo capite; illud tamen non contrahunt niſi cum actu exſiſtunt.

Poſteri Adæ prius peccarunt quàm exſtiterunt.

7. *Inſtat tertiò.* Adam per pœnitentiam fuit à peccato mũdatus & poſtea genuit filium, quomodo igitur potuit transfundere peccatum originale in filios: & nunc Chriſtiani pa-

ni parentes ſunt mundati per baptiſmum ab originali, quomodo ergo transfundunt originale in filios, nã nemo dat quod non habet?

Reſpondeo Illud peccatum fuiſſe remiſſum Adamo in quantum erat illius perſonæ, ſed non erat illi remiſſum vt erat naturæ humanæ. nam amiſerat gratiam non tantùm pro ſe ſed etiam pro poſteris, vnde per pœnitentiam recepit eam pro ſe, ſed non pro poſteris, *Deinde* quia nos poſteri primo illo peccato peccauimus, & ideo per generationẽ illud contrahimus & manem⁹ inquinati, donec fonte baptiſmatis mũdemur *Tum.* In veteri lege pater circumciſus gignebat filium incircumciſum: & ex grano purgato generatur granum palleis veſtitum, vnde non mirum ſi ex parente baptizato generatur filius cum peccato originali.

Ad illud verò. *Nemo dat quod non habet.* Reſpondeo. Verum eſſe ſi nullo modo habeat, ſed ſi aliquo modo habet non, v. non habet pro ſe quia illud in baptiſmo abluit; & aliquo modo habet, quia pro poſteris trãſfundendum habet. *Vel dico.* Propriè loquendo parentes non dant nec communicant peccatum ſuis filijs, ſed ipſi filij illud contrahũt in quãtum ex primo parẽte naturæ ſuæ originẽ ſumũt; ideo autẽ ſumũt, quia in eo ſimul omnes peccarunt.

Inſtabis vltimò. Si potuit Adã ſuã poſteritatẽ in peccatũ coniicere, cur eandẽ per factã pœnitẽtiã nõ potuit emundare. *Reſpondeo* Quia per peccatũ iã dignitatẽ capitis amiſit, nec illã per pœnitẽtiã potuit recuperare. *Tũ* quia nullus de cõdigno poteſt alteri mereri primã gratiã, nec in rigore iuſtitiæ poteſt pro alijs ſatisfacere, niſi fuerit Deus, (vt in myſterio Incarnationis videre eſt.)

Quare Adã poſteritatẽ ſuã à peccato per factam pœnitentiã non potuit emundare.

QVÆSITVM II.

An alia peccata primi Parentis aut etiam proximorum parentum traducantur in poſteros?

Præter primum peccatum originale nulla alia nec Adæ nec proximorũ parentum in nos transfundi potuerunt.

8. DIco primò. *præter peccatum originale nulla alia nec Adæ nec proximorum parentum in nos transfundi potuerunt.* PROBATVR nam ſecundùm deciſionem Concilij Trident. ſeſſ. 5. *Peccatum originale dicitur eſſe vnum origine.* ergo ſolùm vnũ eſt quod in nos transfunditur. *Item* ad Rom. 5. dicitur: *Per vnum hominẽ peccatum intrauit in hunc mundum.* ergo de facto proximorum parentum peccata in nos non traducuntur. *Deinde* ſoli Adæ data erat iuſtitia originalis in nos transfundenda, & ſolus Adam à Deo conſtitutus fuit Caput illorum hominum, quod illi non per totam vitam, ſed ſi permaneret in ſtatu innocentiæ conueniebat. ergo ille ſolus potuit tranſfundere peccatum in poſteros, & non ſemper, ſed ſi in eo ſtatu permaneret,

maneret,ſed quia eum amiſit,vnde benè ſequitur, quòd ſolùm illud peccatum potuit transfundere in poſteros

Quomodo intelligen. dum primũ peccatum primi parẽ. tis in poſte- ros transſi- uiſſe,

Nota quando dicimus *primum peccatum primi Parentis tranſiuiſſe in poſteros*, non ſic intellige, quaſi ille ipſe actus qui fuit in Adam in poſteros tranſierit, nam accidẽs de ſubiecto in ſubiectum non tranſit, ſed quia in poſteros tranſiuit meritoriè & effectiuè, *meritoriè* ideo, quia ſuo malo merito in ſuam poſteritatem transfudit carentiam iuſtitiæ originalis, quæ debuit ineſſe, *effectiuè* ideo, quia ſuo peccato infecit naturam.humanam, & eandem Deo inuiſam fecit, ex qua omnes qui naſcuntur maculam contrahunt, non eandem numero ſed ſpecie,quia videlicet generat ſibi ſimile in ſpecie cum ſimili defectu.

Quare peccata paren. tum in ſuos poſteros nõ transfundã- tur,

9 *Sed obijcies*. poſteri continentur in ſuis proprijs parentibus, ergo illorum peccata debent in eos transfundi. *Reſpondeo* quòd peccata talia quæ dantur in parentibus proximis ſunt peccata perſonalia & non naturæ, ſolùm autem peccatum naturæ & non perſonale trãſfunditur in poſteros. ideo autem peccata perſonalia non transfunduntur, quia non corrumpunt naturam, ſed ſolùm illud corrupit quod erat naturæ in primo parente.

Cur & quomodo punit Deus peccata parentum in Filijs?

Rurſum dices. frequenter legimus in ſacris literis, quod Deus peccata Parentum vindicat in filijs. ergo Peccata parentum tranſeunt in poſteros.*Reſpondeo* punire quidem Deũ peccata parentum in filijs, ſed pœnis temporalibus non autem æternis:Ideo autem puniuntur,quia reputantur quædam eſſe bona parẽtum,vnde iuſtè De⁹ in eos animaduertit pœna temporali. nos autem loquimur de peccato quod pœnam æternam meretur.

10. Dico ſecundò. *quamuis Adam non peccante aliquid filij Adæ peccaſſent, tamen ex ſe genitos peccato originali non inficerent*. PROBATVR. quia ſoli Adæ data fuit iuſtitia originalis cõmunicanda per naturalem generationem. *Tandem* quia ſolus Adam fuit Caput in *Eſſe* morali humanæ naturæ.

Sed obijcies iſti poſteri Adam per peccatum mortale amiſerunt iuſtitiam originalem ergo eam transfundere non poſſunt. *Reſp*. negando conſequentiam,nam ſicut nunc contingit quòd ex parentibus baptizatis,& qui iam non habent peccatum originale, nihilominus naſcuntur filij infecti peccato originali: eadem ratione iuſtitia originalis communicaretur filijs, quamuis hæc non fuiſſet in illorum parentibus, nam acciperent hi iuſtitiam originalem dependenter non à proximis parentibus, ſed dependenter à primo parente naturæ humanæ tanquam à capite.

Sed quæres ſi Adam in ſtatu innocentiæ ante peccatũ filios procreaſſet, & poſtea peccaſſet comedendo de arbore vetita, an illi filij ante peccatum geniti peccato originali inquinarentur?

Filij ante peccatum Adę geniti, an peccato originali inquinarentur?

Reſp quia non. *Probatur*. quia peccatum originale eſt carentia iuſtitiæ originalis inquantum contrahitur per generationem naturalem dependenter à primo parente. ſed ſi ex ſuppoſitione Adam genuiſſet filios antequam peccaſſet. ergo nõ

contra-

cõtraxiſſent peccatum *Deinde* ideo peccatum originale contrahitur, quia natura humana eſt vitiata, ſed hı filij fuiſſ nt g niti ante vitiatam naturam. eigo non contraxiſſent peccatum.

QVÆSITVM III.

An peccatum primi Parentis traducatur per generationem in poſteros?

11. Concludimus tanquã certum *quòd per naturalem generationem peccatum originale traducatur in poſteros*. PROBATVR. ſi enim non traduceretur in omnes, ſequeretur quòd non omnes indigerent redẽptione quæ eſt facta per Chriſtum, quod quidẽ falſum eſt, Chriſtus enim ad redimendum nos à peccato originali principaliter venit. *Item* culpa originalis ſic traducitur ex peccato primi Parentis per generationem in poſteros, ſicut peccatum actuale à voluntate animæ traducitur ad membra corporis. ſed peccatum actuale ideo à voluntate traducitur ad omnia membra, quia voluntas apta nata eſt mouere omnia membra. ergo & poſteri ideo contrahunt peccatum originale, quia per generationem mouentur ab Adam ad hoc vt exſiſtãt.

Peccatum originale quomodo traducatur? Sed difficultas eſt de *Modo* quo traducatur. *quidam* dicunt ideo traduci, quia anima virtute generatiua producitur. ſed hoc falſum. & Concil. Lateranen. 2. ſub Leone 10. *Seſſ. 8.* hunc errorem damnauit, aſſerens firmiter animas eſſe immortales. *Quidam* aſſerunt eſſe quãdam qualitatem morbidam immiſſam corpori parentũ ſibillo ſerpentis quæ cum natura participatur, & tandem anima ex coniunctione cũ carne contrahit originale peccatũ. ſed hæc qualitas eſt mera fictio. *tum* etiamſi admitteretur, difficultas maneret adhuc, quomodo illa qualitas cùm ſit corporea poteſt agere in animam, quæ eſt incorporea producendo in ea peccatum?

12. S. Doct. art. 1. in reſol. ad 2. hũc modum tradit dicitque, *quòd per ge-* *Per generationem naturalem anima cauſatiuè non producitur.*
nerationem naturalem anima cauſatiuè non producitur. nam virtus generatiua quæ eſt in propagatione non poteſt pertingere ad productionem animæ rationalis: ſed generatio habet ſe diſpoſitiuè, v. inquantum virtus generatiua ad ipſius animæ introductionem diſponit coaptando corpus vt fiat idoneum ad ſuſcipiendam animam rationalem quæ deforis venit, atq; ſic ad naturam conſeruatam virtute generatiua conſequitur peccatum. quæ ſententia vteò diſtinctiùs explicari poſſit.

Dico primò. *vt natura alia diſtincta numero ab ea quæ fuit in Adam poſſit eſſe infecta peccato originali, requiritur actualis generatio, in qua debet eſſe virtus generatiua mediatè aut immediatè decidens ab Adam.* PROBATVR primum. quia *quòd actualis generatio requiratur*, quia hoc peccatum quoad efficaciã nõ poteſt

poteſt participari niſi à natura actu exſiſtente. ſed ad hoc vt natura exſiſtat neceſſaria eſt generatio. ergo requiritur.

Probatvr alterum *quòd hæc generatio debeat eſſe virtute generatiua decidente ab Adam, ſiue mediatè ſiue immediatè.* quia peccatum Adæ ſolùm in eos transfunditur quorum ille Caput fuit in *eſſe* morali. ſed illorum tantùm fuit Caput in *eſſe* morali, quorum etiam fuit Caput in *eſſe* naturali. ſed in *eſſe* naturali ſolùm illorum fuit Caput qui ab eo per generationem deſcendunt generatiua virtute. ergo requiritur vis generatiua deſcendens ab Adam.

Generatio quæ fit ab Adam virtute generatiua non requiritur ad hoc vt per illam fiat productio peccati originalis.

13. Dico ſecundò. *hæc generatio quæ fit virtute generatiua ab Adam, non requiritur ad hoc, vt per illam fiat productio peccati originalis, ſed ſolùm vt per illam fiat productio ſubiecti cum debito contrahendi illud.* Probatvr. quòd *generatio non producat peccatum originale.* Peccatum Adæ non eſt formaliter aliquid reale poſitiuum. ergo mediante actione reali non producitur. *Confirmatur.* hoc enim peccatũ habet rationem defectus moralis. ergo eſt à cauſa morali agente defectuosè in genere moris. ſed generatio non pertinet ad genus moris. ergo per eam peccatum originale non producitur.

Peccatum actuale Adæ per modum cauſæ efficientis eſt cauſa peccati originalis in puero recens nato moraliter.

Dico tertiò. *Peccatum actuale Adæ in quantum fuit peccatum Capitis, eſt cauſa peccati originalis in puero recens nato, ſed non eſt cauſa concurſu phyſico ſed morali, nec per modum meriti aut demeriti, ſed per modum cauſæ Efficientis, media quadam reſultantia morali.* Probatvr primum. *quòd peccatum Adæ ſit cauſa originalis peccati.* ad Rom. 5. *per vnum hominem intrauit peccatum in hunc mundum.* Et D. Aug lib. 2. de Nuptijs & concup. cap. 26. dicit. *Voluntarium peccatum Primi hominis eſſe cauſam peccati originalis.*

Probatvr ſecundùm *quòd phyſicè non concurrat.* Peccatum Adæ nullo modo eſt nunc phyſicè cũ aliquis puer naſcitur, & quod non eſt non poteſt phyſicè concurrere. ergo nõ concurrit. *Item* ſi phyſicè concurreret. ergo media generatione. ſed generatio (vt iam probatum) non eſt productiua peccati. ergo non concurrit phyſicè.

Probatvr tertium. *quòd non concurrat per modum meriti nec demeriti.* Adam non fuit caput influens in ſua membra per modum meriti, quòd hoc ſolùm Chriſto Domino conueniat. Non per modum demeriti, nam ſequeretur quòd peccatum in puero ſolùm haberet rationem pœnæ, ſicut enim meritum ordinatur ad præmium, ita demeritum ad pænam ordinaretur.

14. *Ex quo iam infero.* Sit igitur certum quòd modus traducendi peccatum originale ab Adam in poſteros fit quidem per generationem, ſed ipſa generatio naturalis non eſt productiua peccati, ſed ſolùm ad hoc requiritur vt per eam exſiſtat actu ſubiectum cum debito contrahendi originale peccatum, in quantum v. eſt membrum Adæ, in quo per modum cauſæ efficientis moraliter atque etiam per quandam reſultantiam moralẽ peccatum ſubſequitur.

Probatur Ex ordinatione Diuina peccatum Adæ, fuit peccatum capitis. ergo de iure eſt vt quicunque eſt membrum Adæ ſine aliqua noua cauſalitate vt in eum deriuetur peccatum originale. *Deinde* Peccatum

actuale ideq; perſonale eſt ſufficiẽs ſine noua aliqua cauſalitate ad inficiendum ſubiectum. ergo & peccatum Adæ eſt ex ſe ſufficiens ad hoc vt ex ipſo deriuetur ſimilis denomi natio ad ſua membra quæ cum ipſo ſimul conſtituunt quoddam vnum corpus.

15. *Declaratur.* Si Deus hominem qui actu peccauit annihilet, & poſtea eundem numero hominem reproducat per creationem ſine gratia, tunc ſic reproductus homo ſtatim habebit peccatum denominans peccatorem, & hoc peccatum non eſt productum per creationem, nec per aliquem nouum actum hominis. ergo ad tale ſubiectum reproductum, ſubſecutũ eſt virtute præcedentis actualis peccati. Ita dicimus quòd in puero nunc nato eſt peccatum originale, ſed nõ eſt productum per generationem, ſed eſt ſubſecutum & quaſi reſultans ratione peccati Adæ, ſuppoſito quòd tale ſubiectum actu exſiſtens ſit membrum Adæ ratione generationis.

In puero nato peccatũ originale non producitur per generationem ſed eſt ſubſecutum ratione peccati Adæ.

Sed inſtabis. Si peccatum transfunditur in poſteros Adæ, ergo vel id contingit ratione animæ? vel ratione corporis? ſed neutrum. ergo non transfunditur. *Minor* Non ab anima? nam anima à ſolo Deo procreatur. ſed Deus non eſt author peccati. ergo anima in quantum creatur non contrahit peccatum. Non à corpore contrahit, ſi enim contraheret, ergo ideo quia vnitur anima corpori inquinato peccato originali. ſed res ſpiritualis nõ poteſt inquinari à re ſẽſibili. ergo nõ incurrit peccatũ

Reſpondeo Animam non ideo inquinari peccato originali, quia creatur à Deo: neque ideo quia vnitur corpori. ſed quia vnitur corpori quod per generationem ab Adam deſcendit, nam generatio facit vt hic verè ſit filius Adæ, & vt careat iuſtitia originali propter peccatũ commiſſum ab Adamo vnde hoc peccatum ad exſiſtentiam talis ſubiecti quod habet debitum contrahendi tale peccatum per reſultantiam moralem ſubſequitur.

Anima inquinatur peccato originali quia vnitur corpori quod per generationem ab Adam deſcendit.

QVÆSITVM IV.

An ſi aliquis ex humana carne formaretur peccatum originale incurreret?

16. DOctrina eſt S. Doct. hic art. 4. *Si quis virtute Diuina formaretur ex humana carne, talis non incurreret originale peccatum.* PROBATVR Quia hæc vis quæ eſt formatiua talis hominis, non deriuaretur ab Adam. ergo ſic formatus homo non contraheret peccatum. *Conſequentia* Hi enim ſoli homines contrahunt culpam originalem qui per vim generatiuam deſcendentem ab Adam procreantur. ſed talis homo ſic formatus non deſcenderet ab Adam per virtutem actiuam generationis. ergo nõ cõtraheret peccatum.

Formatus ex carne humana non incurreret originale peccatum.

Ratio ſecunda. Concil. Trident: Decreto

homi- naſce- ex ſe nat. Adæ eſſent iuſti.

Decreto de Iuſtif. can. 3. determinat. *Quòd homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iuſti.* ſed homo miraculosè formatꝰ non eſſet propagatus ex ſemine Adæ. ergo non eſſet iniuſtus.

Sed obijcies. Homo ſic formatus ex humana carne non haberet iuſtitiam originalem. ergo illa eſſet priuatus. ergo haberet peccatum originale: *Reſpondeo* quòd ſic productꝰ homo non haberet iuſtitiam originalem. ſed quando infers. *ergo illâ priuaretur.* Nego conſequentiam, & Dico quòd non eſſet priuatio, ſiquidem priuatio eſt ſolum eius quòd alicui debetur, iam autem iuſtitia originalis ſolùm illis hominibus debetur, qui per naturalem generationem deſcendunt à primo parente: vnde in homine ſic producto ſolùm erit negatio iuſtitiæ originalis.

17. *Quæres.* Hi verò qui ex Dæmone ſuccubo vel incubo generantur an contrahunt peccatum originale. *Reſpondeo* Verũ eſſe vt D. Aug. *lib. 15. cap. 23.* de Ciuit. Dei teſtatur, *Dæmones exſtitiſſe improbos mulieribus,* Vnde fieri poteſt quòd vim generatiuam à viris impuris emanantem cum temperamento caloris aſſeruato in vterũ illarum inijciunt, & eas concipere & parere faciunt; & hi contrahunt peccatum originale, quia formantur ex virtute generatiua decidẽte mediatè ab Adã, vnde naturam eius vitiatam participant.

Qui ex dæmone ſuccubo &c. generantur an contrahant peccatum originale?

Rurſum quæres. Quid de his ſentiendum qui ex ſterilibus generantur? *Reſpondeo* Etiam hos contrahere peccatum originale, nam his hoc beneficiũ Deus cõcedit, quòd auferat ſterilitatem & fecunditatẽ tribuat, quæ generare non poteſt niſi mediante generatione naturali. quæ dependet à primo parente, vnde contrahunt peccatum originale.

Qui ex ſterilibus generantur an contrahunt &c.

QVÆSITVM V.

An Euâ peccante Adâm non peccante peccatum originale contraheretur?

18. RESpondeo ad Quæſitũ. *Si Eua peccaſſet & Adam non peccaſſet, tunc nullum peccatum originale fuiſſet transfuſum in poſteros.* PROBATVR. Peccatum originale traducitur per virtutem generationis actiuã. ſed hæc non eſt ab Eua, ſed ab Adamo. ergo non traduceretur. Hæc ratio fundatur in illa quæſtione. *An mater cõcurrat actiuè ad prolis generationem?* de qua videndus D. Th. *in 3. p. quæſt. 32. art. 4.* & determinat quòd non concurrit actiuè; & dato quòd actiuè concurreret, adhuc *ratio* in robore manet, quia inter agentia actiuè eſt vnum principale à quo virtus alterius actiua ſi quæ eſt in actum reducitur: ſed hanc omnes concedũt eſſe principaliter in maribus. ergo cum hi ſint actiuum principiũ principale generationis, ex illis peccatum originale traducitur.

Sed dicet. Dignitas capitis in *Eſſe*

 morali

morali ex ordinatione Diuina indifferenter tam viro, quàm mulieri cõceſſa fuit. *Reſpondeo.* ita eſſe quòd vtrique indifferenter Parenti conueniebat. ſed tamen videtur eſſe cõſonum naturis rerum; & ipſa ratio idem requirit vt dignitas capitis potiùs & principaliùs viro, quàm fœminæ ſit conferenda, ſiquidem in eo primaria virtus actiua generationis reſidet. *Probatur* ad Rom. 5. *Per vnum hominem intrauit peccatum in hunc mundum.* Sed Apoſtolus per hunc vnum hominem intelligit Adamũ; ſic enim explicando inferius dicit, *Regnabit mors ab Adam.*

Dignitas capitis principalius cõfertur viro.

19. *Sed dices ſecundò.* Eua à Scriptura vocatur nomine *Adami.* Gen. 5. *Et vocauit nomen eorum Adam in die quo creati ſunt. Reſpondeo* Hoc nomen *Adam* non accipi hic vt proprium, ſed vt appellatiuum. *Tum ex* Doctrina D. Th. & Ss. Patrum manifeſtè colligitur, quòd iuſtitia originalis non fuit data Euæ ſed ſoli Adamo; vnde ex eo transfundenda erat Et cum originale peccatum ſit priuatio iuſtitiæ originalis. idcirco Adamo non peccante licet Eua peccaſſet, nulla culpa originalis fuiſſet transfuſa in poſteros.

Iuſtitia originalis ſoli Adamo data.

Sed dices tertiò. Eccleſiaſt. 25. *A muliere initium peccati & per illam omnes morimur. Reſpondeo* Mulierem fuiſſe initiũ peccati occaſionaliter; & per modum ſuaſionis, nam hæc ſuis blãditijs induxit virum, vt guſtaret fructum prohibitæ arboris.

DISPVTATIO XII.

De Eſſentia Peccati originalis.

1 Circa Eſſentiam peccati primò breuiter determino quid in quatuor articulis ſentiat Sanctus Doctor.

Quærit primò. An paccatum originale ſit habitus, *Reſpondet* Peccatum originale nõ eſſe habitum quo inclinatur potentia ad agendum, vt ſunt ſcientiæ, virtutes; ſed dicitur eſſe habitus naturæ, per quem malè ſe habet & efficitur veluti languida. nam *peccatum originale eſt quædam inordinata diſpoſitio proueniens ex diſſolutione illius harmoniæ quam efficiebat iuſtitia originalis*: Quemadmodũ ægritudo corporis dicitur eſſe inordinata diſpoſitio corporis, & ſecundùm hanc ſoluitur Symetria ſeu æqualitas, in qua ſanitas conſiſtebat.

Peccatum originale eſt habitus naturæ.

Originale peccatum quid?

Quæritur ſecundò. An in vno homine ſint multa originalia peccata? *Reſpondet* in vno homine eſt vnũ ſpecie & in eodem eſt etiam vnum numero. *Ideo eſt vnum ſpecie.* quia vnitas ſpecie conſideratur ex parte cauſæ, iam autem in originali peccato vna eſt cauſa, v. Priuatio iuſtitiæ orginalis. ergo vnum ſpecie. *Ideo vnum numero.* quia vnitas ſecundùm numerum ex parte ſubiecti ſumitur; iã autem quilibet homo eſt vnum numero ſubiectum. In diuerſis autẽ hominibꝰ eſt vnũ ſpecie, quia vnũ ſpecie prĩcipiũ reſpiciũt, ſed diuerſũ eſt numero, quia in diuerſis ſubiectis.

An in vno homine ſint multa originalia peccata.

2. *Quærit*

An concupiſcentia ſit originale peccatum?

2. *Quærit tertiò.* An concupiſcentia ſit originale peccatum? *Reſpondet* Peccatum originale formaliter eſt Priuatio iuſtitiæ originalis materialiter autem eſt concupiſcentia. *Probatur* Quia formalis ratio peccati ſumitur ex cauſa. hæc autem eſt carentia iuſtitiæ originalis. ergo in carẽtia iuſtitiæ originalis formaliter eſt peccatum. Ideo autẽ concupiſcentia eſt materialiter peccatum, quia inordinatio viriũ & facultatũ inferiorũ habet ſe vt quid materiale in peccato originali.

Peccatum originale eſt æqualiter in omnibus?

Quærit quartò. An peccatum originale ſit æqualiter in omnibus? *Reſpondet* eſſe æqualiter in omnibus, quia donum Iuſtitiæ originalis æqualiter omnibus eſt ſublatum, & omnes æqualiter habent relationẽ ad vnum principiũ naturæ vitiatæ.

Originalis peccati definitio.

Ex hac doctrina D. Th. talem definitionem peccati originalis colligimus. *Peccatum originale eſt quædam habitualis diſpoſitio inordinata relicta in natura humana ex peccato Adæ propter priuationem iuſtitiæ originalis, ex quo ſubſecuta eſt diuerſarum potentiarum inordinatio inter quas mirabilem harmoniam & conuenientiam Iuſtitia originalis faciebat.* Hæc S. Doctor. Nos melioris intelligentiæ gratia inquirimus. *In quonã conſiſtat ratio formalis peccati originalis?*

In quo conſiſtat ratio formalis peccati originalis?

3. Quatuor hic ſunt opiniones. *Prima eſt* Matthiæ Illirici, qui in libello de iuſtitia originali affirmat Peccatũ originale non eſſe aliquod accidens morale, ſed eſſe quandam ſubſtantiam à diabolo productam; itaquòd per peccatum prior forma ſubſtantialis penitus ſit amiſſa, & in nouam quandam operâ diaboli ſit ſubſtantialiter transformata, ſicut vinum in acetum tranſmutari ſolet. Hanc tranſmutationem intelligit eſſe factam non vt homo eſt phyſicus, v. animal rationale; nam hæc ſubſtantia etiam poſt peccatũ commiſſum manſit: ſed ſecundùm hominem Theologicum quem eſſe dicit in quantum ſecundùm mentem ad legem Diuinam refertur; & ſic hũc hominem ad imaginem Dei factum corruptum eſſe dicit, & in quandam diaboli formam transformatum eſſe, vt legem Diuinam cõtemnat & in vitia prolabatur. Pro confutatione huius ſententiæ.

Imago Dei in homine eſt.

4. Dico primo. *Falſum eſt quod Illiricus dicit, tanquam imago Dei ſit amiſſa, & in nouam diaboli fuerit transformata.* PROBATVR. Imago Dei non cõſiſtit in aliqua perfectione accidentali, aut ſubſtantiali. quæ aboleri potuit, ſed eſt in ipſa mente hominis in quantũ imitando ſimilitudinem Dei Intelligentiâ, voluntate, ac memoriâ eſt præditus. ſed hæc per peccatum non eſt amiſſa, vt D. Aug. *lib.* 14. de Trinit. inquit Hanc imaginem per peccatum non fuiſſe deletam, ſed obſoletam, & quendam quaſi ſanctitatis nitorem amiſiſſe, ſed nihilominus permanente mente, in qua eſt imago Dei.

Peccatum originale non eſt ſubſtantia.

Dico ſecundò. *Falſum quoq; eſt tanquam peccatum originale ſit ſubſtantia.* PROBATVR Quodlibet Ens, & quælibet ſubſtantia eſt dependenter à primo Ente, à prima ſubſtantia qualis eſt Deus: & ſic Deus eſſet author peccati, quod iam à nobis confutatum. *Item ſequeretur* Per Baptiſmum non deleri peccatum originale, ſiquidem poſt baptiſmum eadem ſubſtantia hominis manet. *Reſpondet* Illiricus ſe loqui de homine Theologico non de Phyſico. ſed

Poſt baptiſmum manet ſubſtantia hominis eadem.

quilibet

quilibet animaduertit ſubſtantiam hominis eſſe quid reale, & phyſicū.

Peccatum nec animæ nec corpori morbidam inflixit qualitatem.

5. *Opinio ſecunda* eſt, quæ dicit, quòd peccatum originale conſiſtit in quadam morbida qualitate, quæ ex affatu & afflatu venenoſi ſerpētis qui eos in peccatum induxit, cōtracta eſt; & hæc per virtutem generationis in poſteros transmittitur; ex qua ſic morbida qualitate exſiſtente in carne producitur quædam alia noxia qualitas in anima quæ eſſentialiter eſt peccatum originale. Hæc opinio tribuitur. Magiſtro *in 2. diſtinct. 25.* Gabrieli *diſt. 30.* Ariminenſi.

Sed falſum eſt quòd primum peccatum quandam morbidam qualitatem inflixerit humanæ carni, nā hoc ſine fundamento dicitur. Falſum quoque eſt quòd hæc qualitas in carne exſiſtēs producat aliquam ſpiritualem qualitatem morbidam; nam hic effectus eſt ſupra vires illius actiuitatis, nam corporeum non agit in ſpirituale.

Opinio *tertia.* Lutheri & Caluini hi concupiſcentiam quæ eſt fomes peccati & lex carnis, appellant eſſe peccatum originale. Fundamētum illorum ad Rom. 7. vbi dicit concupiſcentiam neſciri niſi lex diceret: *Non concupiſces.* ergo concupiſcentia eſt peccatum, ſiquidem lege prohibita. ſed hoc non obſtante.

Concupiſcentia non eſt peccatū originale.

6. Dico. Quòd *hæc concupiſcentia non eſt peccatum originale.* PROBATVR. Si concupiſcentia eſt originale peccatum, ergo in renatis poſt baptiſmum maneret peccatum originale, nam baptizati experiuntur inordinatos motus concupiſcentiæ. *Reſpondent Hæretici* Manere quidē poſt Baptiſmum, ſed occultari ita vt non imputetur. ſed hoc expreſsè contra D. Paul. qui ad Rom. 6. docet *Veterem hominem exui per baptiſmum,* nam dicit baptizatos eſſe, *innocentes, immaculatos, innoxios,* quæ ſignificant funditus originale eſſe abolitum.

Quæ abſurda ſequerētur ex opinione Lutheri, &c.

Tandem ſequerentur hæc abſurda. *Primum* quòd originale peccatū reſideat in carne, ſiquidem eſt concupiſcentia. *ſecundùm* Quòd in infantibus recens natis non eſſet originale peccatum, nā hi nullos motus concupiſcentiæ ſentiunt. *tertiū* quòd ſi homo ex nihilo crearetur, hic nō incurreret peccatum originale, ſiquidem non eſſet filius Adæ, & tamen motus concupiſcentiæ ſentiret, maximè ſi in puris naturalib' crearetur. ergo falſum quòd concupiſcentia ſit peccatum originale.

Quomodo intelligatur Scriptura dum concupiſcentiam dicit eſſe peccatum.

7. *Nota* Quando Scriptura concupiſcentiam appellat *peccatum, legem peccati.* intellige quòd concupiſcentia impropriè & materialit. in quantum materiam & occaſionē peccandi præbet, dicitur peccatum ſed propriè, & per ſe nō eſt peccatū

Inſtabis. Si poſt Baptiſmum manet concupiſcentia ſtimulans ad peccatum. ergo Baptiſmus non confert Iuſtitiam originalem. *Reſpondeo* Baptiſmum conferre Iuſtitiam originalem quoad effectus qui ſimpliciter ſunt ad ſalutem neceſſarij vt iuſtificemur, & Deo ſimus reconciliati. Alios autem effectus qui ſunt ſecundum quid, vt quòd inferior pars ſenſitiua ſit ſubiecta rationi, & hoc non confert, ſed relinquit in certamen & in pœnam.

Opinio *quarta.* quorundam Catholicorum vt Alberti Phygij controuerſia de originali peccato. Ambroſij, Catharini de lapſu hominis *cap. 8.*

cap. 8. Hi docent peccatum originale eſſe præuaricationem primi parentis. & ideo eſt in ipſo parente, ſed in infantibus natis formaliter non reperitur, tanquam in ſingulis ſint diuerſa, ſed ſolùm in illis eſt effectiuè in quantum huius peccati pœnas ſuſtinent, v. miſerias, morbos, ipſamque mortem. *v. g.* Si Rex aliquem adoptaret in filium eâ lege, vt ſi in Regem aliquando peccaſſet, & ille & filij eius eſſent ignobiles; tunc ſi contingat Patrem peccare, illud peccatum eſt in ſolo Patre, & non in filijs niſi effectiuè ſecũndum pœnam, quia ignobilitatem incurrunt.

Sed hæc opinio eſt omnino falſa, *Probatur* Expreſſè eſt contra definitionem Concilij Trident. Seſs. 5. can. 3. vbi ſub pœna anathematis definitur peccatum Adæ eſſe quidẽ vnum origine, ſed quod tamen per propagationem in poſteros transfunditur, & vnicuique eſt propriũ. Idem Concil. Seſſ. 6. can. 3. *Homines dum concipiuntur, propriam iniuſtitiã contrahunt.* Et Apoſtolus apertè dicit primò *peccatum per primum hominem intraße in mundum* : & tandem addit, *& per peccatum mors.* ergo pri⁹ eſt peccatum in filijs Adæ, poſtea pœna. His ita reiectis opinionibus.

Peccatum originale quid.

8. Dico. *peccatum originale eſt defectus, carentia, ſeu priuatio Iuſtitiæ originalis, quæ quidem ex Diuina inſtitutione in vnoquoq; homine ineße debuit, ſi Primus parens non peccaßet.*

Per Iuſtitiã originalem quid intelligatur?

Nota. per *iuſtitiam originalem* maximè nos intelligere effectum primarium, qui quidem eſt vt ſimus Deo grati, reconciliati, & mente in eum conuerſi. *Probatur* Peccatum originale nihil aliud eſt, quàm priuatio illius perfectionis quæ nobis per baptiſmum reſtituitur. ſed in baptiſmo confertur nobis gratia, quã Deo grati ſumus, & per quam Deo ſubiecti ſumus. ergo originale conſiſtit in priuatione gratiæ originalis *Deinde* Peccatum originale dicitur eſſe mors. Ad Rom. 5. *Vnius delicto mors intrauit.* ſed mors animæ conſiſtit in priuatione iuſtitiæ, ſeu gratiæ originalis, v. gratum facientis, ex cuius poſſeſſione vita ſpiritualis conſurgit. ergo Originale eſt priuatio iuſtitiæ.

9. *Sed inſtabis.* Sequetur nullum eſſe diſcrimẽ inter originale & mortale, ſiquidem vtrumque priuat gratiâ, & ſubiectione habituali. *Reſpondeo* hæc peccata diuerſa eſſe: *Primò* nam mortale propria voluntate cõtrahitur originale aliena, v. Primi Parentis, vnde habet eſſentialem ordinem ad primum Parentẽ, qui erat caput generis humani. *Secũdò* mortale formaliter conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe actui vel voluntati: peccatum verò originale dicit formaliter carentiam Iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe in poſteris Adæ.

Diſcrimen originalis peccati à mortali.

Rurſum inſtabis. Pœna peccati non eſt ipſum peccatum. ſed priuatio iuſtitiæ originalis eſt pœna peccati originalis. ergo priuatio Iuſtitiæ originalis nõ eſt peccatum originale. *Reſpõdeo* priuatio iuſtitiæ originalis duo ſignificat, *Primò* quòd partem inferiorem perficiat vt in omnibus rationi ſubiiceretur, & ſic hæc talis priuatio non eſt peccatum originale, ſed pœna: nam hæc deordinatio ſenſitiuę etiam poſt baptiſmum manet. *Secundò* ſignificat carentiam

Præuaricatio iuſtitiæ originalis quid ſignificat?

gratiæ gratum facientis, & ſic eſt peccatum originale, quod dicit priuationem huius gratiæ. eſt igitur peccatum originale carentia iuſtitiæ originalis, quæ debuit ineſſe ex Diuina ordinatione in poſteris Adæ, niſi peccatum primum interceſſiſſet.

DISPVTATIO XIII.

De Subiecto Peccati Originalis.

1. DIco primò. *in Adam tãquam in cauſa principali fuit peccatum originale quod in omnes homines traductum eſt, & quia mediante generatione traductum*; addo *in vi generatiua decidenti ab Adam tanquam à cauſa inſtrumentali peccatum originale contineri, nihilominus tamen in poſteros transfuſum non eſt in carne ſed in anima.* & quãuis negari nõ poſſit quòd per quãdam denominationem huius peccati ſubiectum poſſit dici *Totus homo*, quia totus homo à peccato cõmiſſo denominatur peccator, & totus homo tenetur ſe Diuinæ legi conformare, tamen quia homo ex parte carnis hoc non habet, ſed ex parte animæ quòd ſit Diuinæ legis capax, & quòd eidem ſe conformet aut ab ea diſcedat, idcirco cum D. Th.

Primarium ſubiectum peccati originalis quid

Dico, *quòd primarium ſubiectum peccati originalis in poſteris Adæ ſit anima.* PROBATVR ratione D. Th. in id verè transfunditur peccatum originale, quod aptum eſt à voluntate moueri, id enim quod à voluntate mouetur eſt particeps peccati. ſed vis nutritiua & alia membra non ſunt apta moueri à voluntate, vnde non poſſunt participare peccatum, ſed ſola anima apta eſt, vt moueri poſſit à voluntate peccante. ergo anima eſt ſubiectum huius peccati. *Deinde* quicquid ex huius peccati deprauatione ad animam peruenit, habet rationem culpæ, quicquid autem ad corpus deuenit habet rationem pœnæ. ergo non caro ſed anima eſt ſubiectum peccati originalis.

Peccatum originale prius eſt in Eſſen. animæ quàm in alijs potentijs [illegible]

2. Dico ſecundò. *Peccatum originale prius eſt in eſſentia animæ, quàm in alijs potentijs recipiatur.* PROBATVR. Peccatum originale tranſmittitur in poſteros Adæ per naturalem generationem. ſed generatio naturalis prius attingit Eſſentiam animæ, & hâc mediante attingit alias potentias, quia anima eſt forma corporis humani, & ex vnione animæ cum corpore natura hominis conſurgit.

Sed inſtabis. Agens naturale non attingit productionem animæ, nã hæc à ſolo Deo creatur. *Reſpondeo.* quòd licèt anima à Deo creetur, dependenter tamen ab actione agentis naturalis. Tandem quia diſpoſitio vltima eſt neceſſaria ad introductionem animæ rationalis, quæ fit ab agente naturali.

Ratio ſecunda. Peccatum originale eſt peccatum naturæ. ſed anima rationalis conſtituit naturam. ſeu Eſſentiam

Eſſentiam hominis. ergo hoc peccatum in Eſſentia animæ.

Ratio tertia. Iuſtitia originalis eſt idem cum gratia gratum faciente, ſed hæc eſt in Eſſentia animæ (vt videre eſt in Tractatu de Gratia.) ergo peccatum originale eſt in Eſſentia animæ.

3. *Sed inſtat primò* Scotus in 2. diſt 32. Peccatum non poteſt eſſe niſi accedat conſenſus voluntatis. ergo hoc peccatum in voluntate. *Reſpondeo* verum eſſe argumentum de Actuali peccato, quod eſt noſtra voluntate commiſſum, ſed originale non eſt actuale.

Anima ra- ...alis nō ...eſt eſſe ...ctum ...æ actu- ...is.

Probatur quòd anima rationalis non poſſit eſſe ſubiectum culpæ actualis, ſiquidem hanc contrahit mediante potentiâ per actum illi⁹, ſed ſi eiuſmodi fuerit culpa, quam non mediante potentia per actum illius contrahimus, iam in Eſſentia animæ erit, & tale eſt peccatum originale, quod per actum non incurritur, ſed per originem naturæ.

Inſtat ſecundò. illud peccatū Adæ quod in nos transfuſum eſt, voluntate accedente eſt commiſſum. ergo etiam in voluntatem noſtram tanquam in ſubiectum transfundetur. *Reſpondeo* peccati originalis rationem diuerſam eſſe in Adam, & in poſteris. nam in Adam ſic ſe habet, quòd eius perſona infecit naturam, vnde illud peccatum quia fuit illi actuale, potentia eſt commiſſum, ideo priùs infecit potentias. in poſteris Adæ ſic ſe habet, quòd natura infecit perſonam, nā hoc peccatum eſt naturæ, vnde priùs eſt in eſſentia animæ quàm in alijs eius potentijs.

4. Dico tertiò. *Peccatum originale priùs inficit voluntatem quàm alias potentias.* PROBATVR ratione D. Th. in infectione peccati originalis duo conſiderari poſſunt: *primò* illi⁹ inhærentia quoad ſubiectum, & ſic ſubiectiuè eſt in eſſentia animæ. *ſecundò* illius inclinatio quoad actum & ſic reſpicit potentias animæ. ſed inter has voluntas eſt primaria facultas, quæ inclinat ad peccandū. ergo inter alias potentias priùs voluntas inficitur. *Item* quia hæc infectio ſignificat deordinationem voluntatis, & aliarum inferiorum potentiarum in peccatis admittendis. iam autem aliæ potentiæ non peccant formaliter niſi à voluntate moueantur, quia omne peccatū à voluntate tanquam à cauſa demeritoria ſumitur.

Dico quartò. *hæ tres potentiæ Vis generatiua, Concupiſcibilis facultas, & Senſus tactus, ſpecialiter dicuntur eſſe infecta.* PROBATVR. hoc enim originale peccatum trāsfunditur per generationem, ad quam hæc tria concurrunt *Vis generatiua, facultas concupiſcibilis, & tactus:* ergo in his maxima infectio apparet.

Vis generatiua, cōcupiſcibilis facultas, & Sēſus tactus, ſpecialiter dicuntur eſſe infecta.

Nota ex reſponſione ad 2. Peccatum originale dupliciter ſumi: *primò* vt inclinat ad peccandum, & ſic pertinet ad voluntatem: *ſecundò* vt traducitur per generationem in poſteros, & ſic priùs ſpectat ad vim generatiuam, concupiſcibilem, & ſenſum tactus.

Originale peccatum dupliciter ſumitur?

DISPVTATIO XIV.

De Cauſa externa Quomodo v. vnum peccatum ſit cauſa alterius?

Cupiditas tripliciter ſumitur.

I. SVppono. Cupiditas tripliciter ſumitur: *primò* pro inordinato appetitu diuitiarum, & ſic eſt peccatum ſpeciale auaritiæ: *ſecundò* pro inordinato appetitu cuiuſlibet boni tẽporalis, & ſic ſumpta cupiditas, eſt genus omnis peccati: *tertiò* pro quadam inclinatione naturæ corruptę ad bona temporalia inordinatè appetenda, & ſic cupiditas eſt radix omnium malorum propendens ex ſua deprauatione in quoduis malũ. Hoc notato

Auaritia eſt cauſa omnium peccatorum

Dico primò. *Cupiditas ſecundùm quod eſt ſpeciale peccatum v. auaritiæ, ita eſt cauſa omnium peccatorũ.* PROBATVR 1. ad Timot. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* & quòd Apoſtolus intelligat auaritiam, ex præcedentibus & ſubſequentibus licet colligere. dicit enim *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueũ diaboli.* PROBATVR ratione D. Th. ſicut radix arboris præſtat alimentum toti arbori, ita diuitiæ inordinatè appetitæ ſubminiſtrant facultatem quodcunq; peccatum perpetrandi. *Probatur* Auarus enim primò incidit in errorem à fide. 1. ad Timoth. 6. *quam quidam appetentes errauerunt à fide. ſecundò* inducit idololatriam. ad Coloſſ 3. *auaritia quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus. tertiò* venum exponit animam Eccleſiaſt. 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius, hic enim animam venalem habet.* & *ratio eſt.* Auaritia congerit diuitias, quæ ſunt adiumẽtum ad omnia peccata perpetranda. ergo auaritia eſt cauſa peccatorum.

2. *Inſtat* Duran. in 2. diſt. 42. ſic. Gula & luxuria ſunt peccata. & hęc requirunt impenſas. ſed auaritia nõ eſt in exponendis pecunijs, ſed iniquè accumulandis, & ſordidè retinendis. *Reſpondeo primò* quòd auaritia comprehendit ſub ſe alias particulares differentias, v. cupiditatem congregandi, & aliam cupiditatem retinendi, aut diſtribuendi, ſi non per ſe, ſaltim per hæredem. vnde falsò Duran. æſtimat auaritiam ex cupiditate retinendi, cùm aliam habeat diſtribuendi. *Reſpondeo ſecundò* cum Caiet. Auarus primò & principaliter appetit diuitias, vt habendas, quòd autem habitæ retineantur vel exponantur, id per accidens fit. in ſumma ab omnibus auaritia cenſetur radix eſſe peccatorum, & auarus in congerendis pecunijs ita eſt deordinatus, ita animo affectus, vt ſit paratus quæuis facinora admittere, modo augere poſſit pecuniam.

Superbia tripliciter dicitur.

3. *Suppono* pro ſecundo Dicto. ſuperbia tripliciter dicitur: *primò* vt ſignificat inordinatum appetitũ propriæ excellentiæ, & ſic eſt ſpeciale

ciale peccatum: *ſecundò* vt importat quendam contemptum Dei ad hoc intentum, vt legi Diuinæ non ſubijciatur, & ſic eſt generale peccatũ. *tertiò* vt dicit quandam inclinationem ex naturæ corruptione ad cõtemptum legis Diuinæ, & ſic eſt initium peccati.

Auaritiæ & ſuperbiæ conuenientia & differentia.

Suppono ſecundò. quãdo dico quòd auaritia radix peccatorum, & ſimiliter dicam quòd ſuperbia initium peccati. *Nota*. quòd auaritia & ſuperbia conueniunt in appetitu inordinato. In hoc differunt, quòd auaritia eſt in conuerſione ad diuitias, ſuperbia verò eſt ex auerſione à Deo. Hoc notato.

Superbia quomodo ſit initium omnis peccati.

Dico. *Superbia inquantum eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, eſt initium omnis peccati.* ita Eccl. 10. habetur: *Initium omnis peccati ſuperbia.* Et *ratio eſt* D. Th. in actibus voluntarijs quale eſt peccatum, duplex eſt ordo Intentionis, qui intendit finem, & dat principium actioni, & exſecutionis, in quo acquiritur finis. ſed appetitus inordinatus excellentiæ intẽdit finem non alium, niſi ſui excellentiam, & ex eo capit initium omnis actionis prauæ. ergo ſuperbia eſt initium peccati.

Peccata capitalia ſunt cauſa aliorum peccatorum.

4. Dico tertiò. *Præter auaritiam & ſuperbiam, reliqua peccata capitalia ſunt cauſa aliorum peccatorum.* PROBATVR. vt enim à capite membra, vt ab arbore rami; ita ab his reliqua deſcendunt peccata. Quod verò *ſeptem ſint capitalia*. ex hoc diſcurſu collige. Fines horum ſeptem vitiorum habent primas rationes, quibus mouent appetitum aut directè aut indirectè. Hi autem fines ſunt duo aut appetitus boni? aut fuga boni? ex appetitu boni ſed inordinato, hæc quatuor oriuntur: bonum enĩ hominis aut eſt animæ ex ſola apprehenſione? & ſic eſt honor & gloria, ſed ſi homo hæc inordinatè appetat erit ſuperbia. aut eſt bonum corporis, & aut ad conſeruationẽ ſui indiuidui ſpectat? vt cibus, pot⁹ quæ ſi quis inordinatè appetat erit Gula: aut hoc bonum v. conſeruatio ſpeciei in indiuiduis inordinatè v. extra matrimonium appetitur? & eſt Luxuria. Tertium bonum eſt externum vt diuitię, quæ ſi inordinatè appetuntur, generant Auaritiam. & ſic directè ex bono ſed inordinatè appetito quatuor vitia oriuntur.

Capitalia peccata ſeptem ſunt tantùm.

Reliqua tria. indirectè ex fuga boni ob adiunctum malum, vt cum quis de bono ſpirituali, hoc eſt, ex recitatione Diuini officij triſtatur, & eſt Acedia. aut eſt de bono alieno? vt cũ quis de alieno ſine vĩdicta triſtatur, & eſt inuidia. aut eſt de bono alieno cũ vindicta? quia impediẽs eſt propriã excellẽtiã, & ſic eſt Ira. atq; ſic ſunt ſeptẽ vitia capitalia.

DISPVTATIO XV.

De Effectis peccatorum, & de primo qui eſt Corruptio naturæ.

1. Quin-

1 QVinque effectus peccatorum numerari ſolent: *Primus eſt* corruptio naturæ: *Secundus* Macula: *tertius* Offenſa Dei: *quartus* Auerſio: *Quintus* pœnæ reatus. ſed duo ſ: Offenſio Dei & Auerſio, quia ex Macula poſſunt intelligi, idcirco à nobis omittentur: nunc de Corruptione naturæ ſex determinabo.

Peccatum originale bona hominis inuaſit.

Dico primò. *Certum eſt quòd omne peccatum, atq; inprimis originale inuaſit bona hominis, quorum quædam auſert, quædam lædit, quædam imminuit.* Quæ hæc ſunt bona? ſequentia Dicta docent,

Quomodo bonum hoc quod peccatum inuaſit ſumatur?

Dico ſecundò. *Hoc bonum quod peccatum inuaſit, variè ſumitur: ſi enim pro eo ſumatur quod conſurgit ex principijs naturæ & proprietatibus à naturæ principijs productis, vt eſt anima & eius potentiæ. & ſic horum nihil tollitur; nec minuitur per peccatum.* PROBATVR. Si enim principia eſſentialia conſtituentia naturam humanam, vel tollerentur vel diminuerentur: ſimiliter ſi aliqua perfectio ſubſtantialis decederet, ſequeretur quòd homo poſt peccatum non eſſet homo, nam formæ rerum ſunt ſicut numeri, quibus ſi aliquid addas, vel diminuas mutantur.

Ratio ſecunda. D. Dionyſ. cap. 4. de Diu. nom. affirmat, quod in dæmonibus poſt lapſum omnia naturalia manſerunt, ſed peccatum originale non potuit plus obeſſe homini, quā obfuit Angelis. ſed in Angelis poſt lapſum omnia naturalia manſerunt ergo & in homine.

Quod bonū totum ablatum ſit per peccatum originale.

2. Dico tertiò. *Bonum hominis ſi ſumatur pro dono Iuſtitiæ originalis, ſic hoc totum ablatum eſt per peccatum originale,* ſiquidem originale peccatum eſt priuatio iuſtitiæ originalis, & cum hac iuſtitia originali amiſit homo omnia gratuita.

Inclinatio ad virtutē per peccatū diminuitur.

Dico quartò. *Bonum hominis ſi ſumatur pro inclinatione ad virtutem, & ſic & ipſa inclinatio per peccatum diminuitur.* PROBATVR. Quando enim vnum aliquid ad vnum contrarium inclinatur; iam illius inclinatio ad alterum contrarium diminuitur. ſed per peccatum cōmiſſum magis propendet homo ad peccandum. ergo eius inclinatio quoad virtutem diminuitur.

Quomodo inclinatio ad virtutem diminuatur?

Nota Modus quo inclinatio ad virtutem diminuitur, non eſt per alicuius rei ablationem, ſed per impedimenti poſitionem: vt nebula eſt impedimentum vt diaphanum corpus non poſſit lucem ſuſcipere: ita in anima peccatoris eſt diſpoſitio praua, relicta poſt peccatum, & ponens impedimentum, ne lumine gratiæ illuſtrari poſſit.

Dona naturalia per peccatum quomodo læſa?

3. Dico quintò. *Si bonum hominis ſumatur pro donis naturalibus, tunc quamuis natura humana non fuerit intrinſecè per peccatum originale corrupta, fuit tamen læſa. & quodammodo in naturalibus vulnerata.* PROBATVR. Quatuor ſunt potentiæ animæ Intellectus, Volūtas, Iraſcibilis potentia, & Concupiſcibilis, & hæ per peccatum ſunt vulneratæ. *Intellectus* enim qui eſt in ordine ad verum, accepit vulnus ignorantiæ. *Voluntas* quæ tendit in bonum, accepit vulnus malitiæ. *Iraſcibilis* quæ tendit ad ardua, accepit vulnus infirmitatis. *Concupiſcibilis* quæ tendit ad delectabile, accepit vulnus inordinati & corrupti appetitus.

Potentiæ animæ ſunt quatuor.

Natura humana læditur à peccatis quotidianis magis.

Nota Hæc natura humana ſic vulnerata per originale peccatum, adhuc magis læditur quotidianis peccatis

catis, nam peccatorem priuant gratia gratum faciente, & inducunt habitus vitioſos, qui ex ſe peccatorem ad malum operandum magis ac magis inclinant.

Mala quæ manarunt ex peccato originali in poſteros Adæ ſunt tria

Nota ſecundò. Tria mala ex peccato originali manarunt in poſteros Adæ. *Primum* quòd in peccatis concipiamur. *Secundum* Inordinatio omnium potentiarum: ſicut enim venenum hauſtum inficit membra corporis, ſic originale omnes potẽtias Adæ infecit. *Tertium* Redigit ſe in ordinem pecudum, ſicut enim hæc ſolùm inſenſibilia feruntur, ita peccatum nihil ſapit niſi terrenum.

Ægritudines, morbi, &c. ſunt eſſe[ctus] peccati.

4 Dico ſexto. *Ægritudines, morbi; dolores, & alia, deniq; ipſa mors de lege quadam communi tanquam effectus peccati originalis in omnem eius poſteritatem manarunt.*

Nota. Quamuis ægritudines ex pugna quatuor qualitatum conſurgant, iuſtitia tamen originalis in ſtatu innocentiæ impediebat, ne aliqua qualitatum exceſſum faceret ſed hac ſublata, iam corpus humanum conflictari cœpit cum varijs morbis. Gen. 2. *In quacunq; die comederis ex eo morte morieris.*

An omnes poſteri Adæ moriantur?

Sed quæres. An omnes poſteri Adæ moriantur? Videtur quod non ex verbis ad Theſal. 1. cap. 4. cum dicit *Et mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi.* Deinde *Nos qui viuimus cum illis ſimul rapiemur obuiam Chriſto in aera.* ergo ſi viui rapiuntur, hi iam non morientur. *Reſpondeo* Magis eſſe probabile quòd omnes homines morientur. Ad Hebræos 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertranſit.*

Ad verba D. Pauli dico cũ S. Aug. l. 2. de Ciuit. Dei. c. 20 quòd illi homines viui quos Chriſt⁹ deprehẽdet rapientur quidẽ in aera cũ mortuis, nihilomin⁹ in breui ſpatio mortem patiẽtur, & ĩmortalitatẽ accipient.

DISPVTATIO XVI.

De Macula peccati quæ eſt ſecundus effectus.

1 DIco primo. *Macula eſt effectus Peccati.* PROBATVR. Negari non poteſt quòd poſt cõmiſſum, & tranſactum peccatum datur macula in anima peccatoris ergo macula eſt effectus peccati. Ita affirmat Scriptura Toren. 4. *Denigrata eſt ſuper carbones facies tua.* Pſal. 14. *Qui ingreditur ſine macula.* & Eccleſiaſt. 47. Salomon dicit, *Dediſti maculam in gloria tua.* Eadem ſcriptura tribuit animæ ablutionem, ergo ſignum eſt animam per peccatũ maculari. *Antecedens* Iſaiæ 1. *Lauamini & mundi eſtote.* Et cap. 4. *Abluet Dominus ſordes filiarum Syon.* *Tandem* omnes paſſim fatentur peccati mortalis magnam eſſe fœditatem. ergo animam inficit.

Dico

Macula quomodo dicatur eſſe in anima?

Dico ſecundò. *Macula verè & propriè dicitur eſſe in rebus corporalibus, quãdo corpus nitidum vt aurum, argentum, veſtis candida, ex contactu rei fœtidæ nitorem amittit: in anima autem tanquam in re ſpirituali dicitur eſſe macula per quandam ſimilitudinem corporalium, ita vt ex contactu ſpirituali rei illicitæ ſuum nitorem amittat.*

Nitorem anima duplicem habet.

Nota Duplicem nitorem anima habet, *vnum* ex effulgentia luminis naturalis per quam in ſuis actionibus dirigitur: *Alterum* habet ex refulgentia luminis ſupernaturalis gratiæ & ſapientiæ. Contactus autem per quem hic nitor maculis perſtrĩgitur eſt, cum anima rebus terrenis per amorem inordinatum contra lumen rationis & ſupernaturale inhæret.

2. Dico tertiò. *Falſum eſt quod dicit Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. Quòd transacto peccato non aliud in anima peccatoris remaneat niſi relatio rationis per quam homo voluntate Diuina ad luendam pœnam deſtinatus intelligitur.* Hæc enim ſententia paſſim refutatur.

Deus non intendit maculam peccati.

Primò Deus non intendit nec intendere poteſt maculã peccati. Atqui reatum pœnæ intendit, & author eſt obligationis ad pœnã. ergo præter reatum eſt macula. *Confirmatur.* Peccatum ex ſe (vt iam probatum) eſt malum, turpe rectæ rationi repugnans. ſed obligatio ad pœnam eſt quid bonum rationi conſonum, & ſecundùm iuſtitiam. ergo tranſacto peccato, præter reatum erit macula. *Tandem* ſupponamus quòd Deus non puniret peccatum homicidij & adulterij, tunc commiſſo & tranſacto peccato homicidij non eſſet obligatio ad pœnam. Atqui adhuc eſſet in peccatore deformitas actionis, ſiquidem illa actio eſt quid malum & contra rectam rationem & Diuinam legem: ergo etiamſi obligatio ad pœnam non maneret, macula nihilominus maneret.

Quidam Scoti ſententiam volẽtes ſtabilire, faciunt diſtinctionem inter dignitatem pœnæ, & deſtinationem ad pœnam. Dicunt Deum nõ eſſe authorem deſtinationis. ſed dignitatis pœnæ. ſed hoc mẽti Scoti & Nominalium parum conuenit, qui nomine *Reatus* non aliud intelligunt quàm obligationẽ ad pœnã.

Macula quorum bonorum priuationem importet?

3. Dico quartò. *Cùm omnis pulchritudo animæ tanquam filiæ Regis proueniat ex informatione gratiæ & charitatis, certum eſt quod macula importat priuationem horum donorum & pulchritudinis reſultantis.* Ita hic D. Th. art. 1. cùm dicit: *Maculam eſſe priuationem nitoris debiti, qui quidem à gratia ſumitur. Præterea.* Peccatum mortale eſt priuatio gratiæ ſupernaturalis, quia tale peccatum eſt deſtructiuum gratiæ. ſed mortale peccatum imputatur homini ob aſſenſum expreſſum aut interpretatiuum. ergo poſito aſſenſu circa mortale peccatum, neceſſe eſt animam maculari, & pulchritudinem illius obfuſcari.

Macula quamdiu maneat?

Dico quintò. *Poſt peccatum commiſſum tamdiu deformitas peccati ſeu macula manet, quamdiu actus illius peccati per pœnitentiam non fuerit retractatus* PROBATVR. Cauſa proxima & immediata maculæ in anima productæ non eſt alia niſi aſſenſus in peccatum. ergo quamdiu hic aſſenſus erit, tamdiu & macula. ſed hic etiam perpetuò manere poterit, niſi per pœnitentiam retractatus fuerit, nam hoc toto tempore intelligitur anima auerſa à Deo. ergo tranſeunte actu peccati

peccati manebit macula, donec reuocata fuerit per pœnitentiam.

An priuatio gratiæ ſit eſſentialis peccato mortali?

4. *Sed quæres.* An priuatio gratiæ ſit eſſentialis peccato mortali? *Probatur quod non ſit.* Creatus in puris naturalibus poſſet mortaliter peccare, & tamen in eo non eſſet priuatio gratiæ, ſiquidem in ſtatu purè naturali eſt creatus, & ad finem purè naturalem, vnde gratiam non habuit, & ideo non potuit illâ priuari. ergo in tali ſtatu eſſet peccatum, & non eſſet priuatio gratiæ.

Alia eſt priuatio ex parte peccati, alia ex parte hominis prout intelligitur non habere gratiam.

Reſpondeo certum eſſe quòd priuatio gratiæ ſit eſſentialis mortali peccato, ſiquidem mortale peccatum in quocunque ſtatu conſideretur, repugnat gratiæ. *Ad rationem oppoſitam reſpondeo* quòd alia eſt priuatio ex parte peccati, & alia ex parte hominis, prout intelligitur non habere gratiam. Dico itaque in ſtatu purè naturali non fuiſſet ſimpliciter priuatio gratiæ, quia vt ſic non tenetur eam homo habere, cum ad illam non ſit creatus: & ſic hæc priuatio maculam non infligeret, niſi forſan ex accidenti, in quantum v. hanc gratiam odio haberet, tanquã aliquod malum. ſed priori modo, v. ex parte peccati ſemper priuatio gratiæ eſſet eſſentialis mortali peccato. *Deniq.* quòd peccatum in puris naturalibus commiſſum eſſet priuatiuum in illo homine aptitudinis ad recipiendam gratiam.

DISPVTATIO XVII.

De Reatu pœnæ tertio effectu peccati.

Per reatum pœnæ quid intelligendum?

1. DIco primò. *Per reatum pœnæ intelligimus obligationem ad pœnam, quàm quodlibet peccatum ſecum trahit, & in peccatorem inducit: ſicut enim cuilibet actioni honeſtæ, annexa eſt laus & præmium, ita quælibet actio culpabilis reprehenſionem & pœnam meretur.*

Pœnam triplicem peccator incurrit.

Nota primò. Peccator triplicẽ pœnam incurrit A ſe ipſo, Ab homine & à Deo. *Ratio* Quia peccando triplicem ordinem cui ſubijcitur euertit, ratione rectæ rationis, patitur remorſum conſcientiæ: ratione hominis qui regimen in eum habet, patitur carcerem, compedes, &c: ratione Dei, & legis Diuinæ, patitur vltionem gehennæ. *Nota ſecundò.* Pœna in quantum eſt à Deo aut ab homine infligitur eſt iuſta & bonũ quid: & ſic reatus pœnæ non eſt directè effect⁹ peccati, ſed ſolùm diſpoſitiuè. Sed dignum eſſe pœna, & eſſe reum, eſt malum, & ſic pœna eſt effectus peccati.

Quomodo pœna ſit effectus peccati?

Quomodo peccatum ſit pœna prioris peccati?

Dico ſecundò. *Peccatum per ſe conſideratum in ratione peccati non eſt pœna prioris peccati, ſed ſolùm per accidens* PROBATVR *primum* Quia de natura peccati eſt vt ſit voluntariũ, omnis autem pœna eſt illi inuolũtaria qui eam ſuſtinet. *Deinde* quia pœna eſt quid conſonum rectæ rationi, peccatum autem eſt contra rationem.

Prӕterea Deus eſt author pœnæ, & non eſt author peccati. ergo peccatum per ſe non eſt pœna.

PROBATVR *alterum* quòd peccatum per accidens eſt pœna. *primò* per remotionem prohibentis quia ob peccatum præcedens commiſſum ſubtracta eſt gratia Dei quæ prohibebat peccatum. *Itē* quia actus peccati inducit quandam afflictionem, aut interiorem vt actus Iræ, inuidiæ: aut exteriorem vt laborem laſſitudinem. *Prӕterea* Tum peccatum eſt pœna reſpectu conſequentis effectus vt ruboris, infamiæ, morbi turpis. Tandem quia peccata ſunt inter ſe connexa, vnum aliud trahit & ad illud diſponit: nam ex frequentatis actibus malis, naſcitur habitus prauus per quem inclinatio ad virtutem minuitur, & ad peccandum augetur.

Peccatum mortale quodlibet inducit reatum pœnæ æternæ.

2. Dico tertiò. *Quodlibet peccatum mortale inducit reatū pœnӕ ӕternӕ.* PROBATVR. Peccatum mortale inducit deordinationem irreparabilem. ergo & pœnam inducit æternam. *Confirmatur* Qui enim mortaliter peccat, priuat ſeipſum gratia Diuina, & manet in ſolis naturalibus. ſed impoſſibile eſt naturæ viribus reſurgere per iuſtificationem. ergo illud peccatum durabit in æternum, per conſequens & pœna. Pro intelligentia.

Nota Quando peccatum facit peruerſionem ordinis, tunc aut reparari poteſt, aut non poteſt. Poteſt tunc reparari quando principium manet: vt cum viſio eſt impedita, ſed principium videndi manet. ſed quando fit peruerſio ordinis cum amiſſione principij, vt ſi & viſio impediatur, & videndi facultas peruertatur, tunc peruerſio eſt irreparabilis; & ſic eſt in peccato mortali. quia ex eo fit peruerſio ordinis, quo homo ad Deum ordinabatur, & ſimul, & gratiæ & charitatis, quæ ſunt principia vitæ ſpiritualis; & hæc viribus naturæ reperari non poteſt.

Ex quo ſic arguo. A priuatione ad habitum per potentiam naturalem non datur regreſſus, vt à morte ad vitam, quia mors & vitam & animā, vitæ principium adimit, vnde vita eſt irrepabilis. Et à cæcitate non datur regreſſus ad viſionem, quia cæcitas & viſionem & videndi facultatem deſtruit: vnde viſio per naturam non eſt reparabilis. ſed peccatum mortale & vitam ſpiritualem aufert & gratiam cum charitate quæ ſunt principia neceſſaria ad vitam ſpiritualem, & ideo hæc vita viribus naturæ non eſt reparabilis. *Demum* ſicut Deus eſt æternus, ita & anima rationalis eſt æterna. ergo ſiue præmium, ſiue pœna hominis debent eſſe æterna.

3. Dico quartò. *Hæc pœna quam diximus eſſe ӕternam, eandemq́ deberi peccato mortali, duplex eſt. Senſus & damni.* Hoc ideo quia in peccato ſunt duo conuerſio ad creaturā, & huic debetur pœna ſenſus v. Ignis & auerſio à Deo cui reſpondet pœna Damni v. Priuatio viſionis claræ. & hæc conuerſio ad bonum commutabile inducit quidem pœnam Senſus finitam, quia hoc bonum eſt finitum, & ipſa conuerſio finita. ſed ex parte Dei qui quidem eſt infinitus, quia auerſio eſt infinita, idcirco pœna Damni infinita.

Sed inſtabis. Quodlibet peccatum mortale eſt temporale, & illius delectatio

lectatio eſt momentanea. ergo cõuenit vt illius pœna ſit temporalis. Et Deuter. 25. dicitur. *Secundũ quãtitatem delicti, erit & plagarum modus.* ſed delicti quantitas momentanea. ergo & punitio debet eſſe momentanea. ergo non æterna.

Pœna peccati mortalis cum ſit temporale, cur ſit æterna?

Reſpondeo Sanctos Patres varias eius rei cauſas aſſignare D. Aug. dicit quòd in retributione iuſtitiæ nõ oportet ſeruare æqualitatem temporis inter culpam & pœnam: ſiquidem ob adulterij crimen gladio trãſgreſſores vita in æternum priuantur. D. Th. 3. contra gentes cap. 144. dicit, in iudicio voluntatem ſolere pro facto computari. ſed is qui peccat habet voluntatem quòd bono commutabili ſi fieri poſſet vellet in æternum frui, vnde ideo dignus pœna æterna, quia à bono infinito ſe auertit. D. Greg. 4. Dialog. cap. 14. hanc cauſam reddit. *Qui in ſuo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur.* at æternum hominis non eſt continuatio actus in æternum, ſed quia in bono commutabili finem vltimum ſuum conſtituit, vnde ſi poſſibile eſſet, habet voluntatem in æternum peccandi.

Vel ſic breuiter Reſpondeo. quòd culpa & pœna ex obiecto quod quidẽ eſt Deus & quidem infinitus, ſumẽda eſt: vnde non mirum ſi pro temporali peccato erit pœna æterna.

Cur peccato veniali non debeatur pœna æterna?

4. Dico quintò. *Peccato veniali nõ debetur pœna æterna, quia non facit deordinationem irreparabilem, nam non aufert gratiam, nec charitatem quæ ſunt principia reparandi.*

Quomodo peccatum veniale puniatur in inferno pœna æterna?

Nota. Veniale peccatum in inferno punitur pœna æterna, quod accidit non de ratione venialis peccati, ſed de ratione ſtatus, quia in inferno nulla redemptio, nulla remiſſio.

Poſt dimiſſam culpam quid remaneat?

Dico ſextò. contra Lutheranos, *Poſt dimiſſam culpam in foro pœnitentiæ manere reatum ſeu obligationem ad pœnas* Dauid enim peccatum remiſſum fuit, ſed nihilominus illi dictum *Filius tuus morietur.* ergo reatus pœnæ manſit: *Similiter* Moyſi & Aaron crimen diffidẽtiæ dimiſſum, ſed reatus mãſit, quia in terram promiſſionis non ſunt ingreſſi.

Pœna triplex.

Dico ſeptimò. *Triplex eſt pœna, quædam eſt Propriè dicta, quæ conſequitur culpam, & quam peccans obligatur ſuſtinere: quædam eſt ſatiſfactoria quam non ſolùm is qui peccat ſuſtinet, ſed alter pro illo ſuſtinere poteſt, eo modo: vt cum quis in ſe ſuſcipit ſolutionẽ debiti alieni. quædam verò eſt Medicinalis quoad exercitiũ virtutum: vt Iob in corpore, graui vlcere percuſſus eſt ad exemplum patientiæ alijs exhibendæ:* Hinc

Pœna propriè dicta qui puniſtur?

Colligo primò. Pœnâ propriè dicta nullus poteſt puniri pro peccato alterius, quia eſt debita illius culpæ à quo eſt commiſſa. *Anima quæ peccauerit ipſa morietur.*

5. *Sed inſtabis.* Exodi 20. dicitur. *Ego Dominus zelotes viſitans iniquitatem Patrum in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et ob peccatum Achab totus exercitus punitus. *Reſpondeo* verùm eſſe quòd Deus punit filios ob peccata parentum, ſed pœna temporali non autem gehennæ: maximè autem tunc punit, quando filij ſunt æmulatores paternæ iniquitatis, quòd indicant hæc verba. *Eorum qui oderunt me.* Ideo verò pœna temporali, quæ ſe habet inſtar medicinæ punit filios ob peccatum, quia filij ſunt quædam res ſuorum parentum: quemadmodum

Parentum peccata quali pœna in filijs puniuntur?

Cur Deus punit filios ob peccata parentum?

 & ſub-

Pœna ſatiſfactoria & medicinali qui puniuntur?

& ſubditi, quos Deus ob Regum vitia punit, ſunt quædam res ſuorũ Principum, ex quo dolorem & triſtitiam capiunt, & ad vitæ emendationem inducuntur.

Pœna ſatiſfactoria & medicinali in quibus bonis puniantur homines?

Colligo ſecundò. Pœna Satisfactoria atque etiam Medicinali poteſt aliquis pro peccato alterius puniri: vt cum quis in ſe alieuius peccatoris pœnam ſoluendam ſuſcipit.

Colligo tertiò. Hæc pœna tã Satisfactoria quàm Medicinalis ſolùm eſt in bonis temporalibus, non autem in ſpiritualibus. nemo enim detrimentum in charitate Dei & gratia ob alienum peccatum pati poteſt nec debet; quanquam in alijs bonis ſpiritualibus, vt in prædicatione verbi Diuini, poteſt vnus ob peccatum alterius puniri, vt cũ Deus Prædicatores verbi ſui non mittit ob peccata quorundam.

DISPVTATIO XVIII.

De Peccato Mortali & Veniali.

Diuiſio peccati in mortale & veniale.

1. DIco primò. *Peccatum conuenienter diuiditur in Mortale & Veniale.* PROBATVR. quia peccatum (vt iam deductum eſt) eſt peruerſio ordinis, & hæc ſi eſt reparabilis, eſt veniale, ſi irreparabilis eſt mortale. ergo duplex peccatum. Eadem diſtinctio colligitur ex locis S. Scripturæ. Matth. 7. *Vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non conſideras.* ſed D. Hieronym⁹ per *Feſtucam* intelligit veniale, per *Trabem* mortale. ergo eſt duplex. & Prouerb. 24. *Septies in die cadit iuſtus.* ſed ſi non eſſet veniale, ſed ſolùm mortale: ſequeretur quòd ſepties mortaliter peccaret, quomodo ergo iuſtus diceretur? ergo vt dicatur iuſtus, dandum veniale eſt. Et Concil. Trident. Seſſ. 6. can. 11. definit: *quòd homines quantumuis ſancti, excepta B. Virg. in hac mortali vita, in multa leuia & quotidiana incidunt peccata, quæ non adimunt illis iuſtitiam, vnde venialia dicuntur.*

Mortale & veniale peccatum quid?

Dico ſecundò. *Mortale peccatum eſt quod vſq; ad interiora animæ penetrat & adimit gratiam viuificantem, & ideo mors ſubſequitur, vnde* Mortiferum *dictum, quod mortem animæ procuret, & dignam æternâ damnatione facit. Peccatum veniale eſt illud quod cenſetur eſſe dignum venia, ob paruitatem offenſæ, quia non auertit hominem à Deo, nec inimicũ illius facit.*

Veniale peccatum quotupliciter dicitur?

Nota. Veniale tripliciter dicitur: *primò* ab euentu ob remiſſionis poſſibilitatem, quia illius veniam conſequi poſſumus, & ſic omnia mortalia peccata dici poſſunt venialia, ſiquidem illorum per pœnitentiam remiſſionem cõſequimur: *ſecundò* dicitur veniale ex cauſa, vt quia vel ex ignorantia vel ex infirmitate eſt commiſſum, & ſic dicit D. Paul. *quod miſericordiam ſit conſecutus, quia ignorans fecit.* *tertiò* dicitur veniale ex genere ſuo, quia nõ demeruit gratiam, & ex natura ſua meretur veniam, & in hoc vltimo ſignificato accipimus hic veniale.

2. Nota

Damnantur hæreſes circa diuiſionē peccati.

2. *Nota ſecundò.* Damnanda eſt hæreſis quæ diſtinctionem venialis & mortalis peccati in ſolam Dei voluntatem refert. dicit enim quia Deus vult quorũdam peccatorum exigere pœnas temporales, & ideò dicuntur venialia: quorundam æternas, & dicuntur mortalia. ſed hoc falſum. nam per ſuppoſitionē ſi Deus non aduerteret peccatum, adhuc nihilomin⁹ homines venialiter & mortaliter peccarent. Iuxta illud *Pro menſura delicti ſit & plagarum modus.*

Damnatur & Viclephus qui prædeſtinatorum peccata appellat venialia, reproborum verò mortalia, quòd quàm ſit falſum inde colligimus. D. enim Matthæus, Latro, Magdalena, ſunt de numero prædeſtinatorum, nemo autem docet, quòd illorum peccata fuerint venialia, cùm Chriſtus ex Magdalena ſeptem dæmonia eiecerit.

Damnatur & Luther⁹ qui omne peccatum mortale & nullum veniale ſtatuit.

[illegible] pec[illegible] poteſt [illegible] Ana.

3. Dico tertiò. *Hæc diuiſio peccati in Mortale & Veniale pro diuerſa ratione poteſt dici Vniuoca & Analoga. Vniuoca eſt, ſi natura peccati inquãtum eſt peccatum metaphyſicè conſideretur.* PROBATVR. Peccatum vt ſic in communi ſumptum, & vt præſcinditur à mortali & veniali, eſt id quod eſt contra aliquod præceptum, & contra aliquam virtutem, & contra rectã rationem. atqui hæc ratio peccati ſic in communi conſiderata, ex æquo mortali & veniali conuenit. ergo hæc diuiſio erit vniuoca.

Confirmatur. Prouerb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* & Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* In his locis ſumitur peccatum, vt conuenit æquè veniali & mortali, hoc eſt, inquantum vtrumque eſt contra aliquod præceptum, aut contra regulam rationis. ergo vniuocè illis conuenit. *Præterea* furtum magnum & furtum paruũ non diſtinguuntur inter ſe ſpecie, nam vtrumq; ad vnã ſpeciem furti ſpectat. ergo peccatum furti vniuocè dicitur de magno & paruo furto.

Si autem conſideratur peccatum in genere moris, erit diuiſio analogi in analogata. *Probatur.* Peccatum enim in genere moris eſt id quod deſtruit gratiam, & mortem ſpiritualem infert. ſed ſolùm mortale eſt eiuſmodi, veniali autē hoc conuenit ex accidenti & per relationē ad mortale, inquãtum venialia frequentiùs committēdo diſponimur ad mortalia. ergò mortale & veniale in genere moris ſunt analoga.

In aſſignanda differentia inter mortale & veniale magna difficultas.

4. Dico quartò. *Plurimùm laborãt Theologi in aſſignanda differentia inter Mortale & Veniale.* Scotus *in 2. diſt. 21. quæſt. 1.* Gabriel. *in 4. diſt. 6. q. 5.* docet hoc diſtingui, *quod mortale eſt contra præceptum, veniale contra conſilium.* ſed hæc opinio non tenetur, quia vtrumq; eſt lege prohibitum, & nemo dicitur contra conſilium peccare, antequam ſe ad illud ſeruandum obligauerit, vt ſi quis caſtitatem ſeruet, & voto non emiſſo, ſi in matrimonio viuat, non dicitur peccare.

Diuiſio mortalis & venialis peccati, Caietani quæ?

Caiet. ſic diſtinguit, *quia mortale eſt contra vltimum finem, veniale circa media.* ſed neque hoc teneri poteſt, nam poteſt quis contra Deum qui eſt vltimus finis venialiter peccare, vt ſi actum amoris Diuini tepidiorem quàm oporteat eliciat,

aut ſi in oratione animo diſtrahatur.

Diſtinctio peccati D. Bonauenturæ & cæterorum.

D. Bonauentura, Alenſis, ita diſtinguunt, *quòd mortale ſit contra legē, veniale autem minimè.* De qua opinione hoc dicunt non poſſe negari quòd veniale non ſit contra præceptum. nam Matth. 12. dicitur de verbis otioſis reddendam eſſe rationem Deo. ſed veniale eo modo non eſt contra præceptum ſicut mortale, quia mortale euertit legē cum charitate. iuxta illud *Plenitudo legis eſt dilectio.* veniale verò lædit quidem præceptum, ſed charitatem non euertit ſed minuit.

Vnde ſumēda diſtinctio peccati mortalis & venialis?

5. Omiſſis alijs opinionibus Dico *ſumendam eſſe diſtinctionem ex grauitate & leuitate offenſæ Dei, grauitas autem in eò conſiſtit peccati, quando homo in creatura ſiſtit, & in ea tanquam in vltimo fine ſibi complacet.* iuxta illud: *Qui plus diligit patrem aut matrem quàm me, non eſt me dignus.* vnde qui peccat mortaliter, pluris facit creaturam quàm creatorem.

Grauitas & leuitas offēſæ vnde colligenda?

Nota. Hæc grauitas aut leuitas offenſæ, ex his quatuor modis colligenda: *primò* ex cauſa, vt ſi actus vitioſus cum plena deliberatione & perfecto vſu rationis committatur, erit mortale. ſi autem deliberatio fuerit imperfecta, aut vſus rationis imperfectus, erit veniale: *ſecundò* ex quantitate materiæ, vt ſi res parua ſed aliena ſumatur, erit veniale: ſi autem magni pretij, erit mortale. *tertiò* ex genere ſuo veniale eſt, vt quia naturam habet venialis peccati, vt iocoſum mendaciū, ablatio calami. ex genere ſuo mortale eſt quod ſecundùm ſe conſideratum naturam mortalis habet, vt fornicatio: *quartò* ex qualitate præcepti, vt ſi ſeuerè & ſub interminatione grauis pœnæ fuerit prohibitum, & ſic comeſtio pomi in paradiſo fuit res parua, ſed ratione præcepti, quia ſub interminatione mortis æternæ prohibitum, idcirco fuit mortale.

Quomodo ex veniali poteſt eſſe mortale & è contra?

6. Dico quintò. *Controuerſum eſt, quomodo ex veniali poſſit eſſe mortale, & ex mortali poſſit eſſe veniale?* Tribus autem modis ex veniali poteſt eſſe mortale: *primò* per diſpoſitionem. *ſecundò* per tranſmutationem. *tertiò* per additionem circumſtantiæ.

De primò, hoc eſt de diſpoſitione, Dico *quòd peccatum veniale ex genere non poteſt per ſe & directè diſponere ad mortale ex genere. Probatur* quia actus peccati directè & per ſe diſponens, ſolùm diſponit ad actum ſimilem. ſed actus venialis & mortalis peccati, non ſunt ſimiles ſecūdùm ſpeciem. ergo non diſponunt directè ad mortale.

Quomodo veniale directè diſponat ad mortale?

Nota. Reſpectu agentis poteſt veniale directè diſponere ad mortale, vt ſi quis in re ſeu peccato veniali conſtituat vltimum finem; & talis diſpoſitio tenet ſe ex parte agētis, vnde vt ſic poterit diſponere directè.

Quomodo indirectè diſponat.

Nota ſecundò. poteſt tamen veniale indirectè & inquantum remouet prohibens diſponere ad mortale. Per *Prohibens* intelligo id quod efficit vt mortale non eueniat. Eſt autem hæc ſubiectio voluntatis ad ordinem debitum, qui igitur venialia frequenter committit, conſueſcit voluntatem non ſubijcere ordini debito in minoribus, & ſic remouet hoc prohibens. vnde quemadmodum qui remouet columnā prohibentem ne ſaxum deorſum cadat,

cadat, ipſo facto de cauſa indirectè diſponens ad ruinã ſaxi: ita qui tollit ſubiectionem volũtatis ad ordinem debitum, hic ipſo facto erit quoq; cauſa indirectè diſponens vt in mortale ruat.

7. De ſecundò v. de transmutatione dico. *quòd veniale non poteſt mutari in mortale.* PROBATVR. Quæ enim in infinitum diſtant, non poſſunt in ſe inuicem transmutari. ſed veniale & mortale in genere moris in infinitum diſtant. ergo non trãſmutantur. *Minor* Mortale enim deſtruit gratiam, veniale autem non deſtruit. Sed hæc habent oppoſitiõnem cõtradictionis; ſicut inter Ens & non Ens, quæ in infinitum diſtãt. ergo mortale & veniale diſtant in infinitum.

Nota Quòd ex parte agentis poteſt veniale ex genere ſuo fieri mortale, ſi agens in peccato veniali vltimum finem conſtituat; aut ſi veniale referat ad mortale.

Sed queres. An ex pluribus venialibus ſimul ſumptis poſſit conſtitui aliquod mortale peccatum?

Reſpondeo Quantumcunque multiplicentur venialia etiam in infinitum, non poſſunt conſtituere vnũ peccatum mortale, quia peccato mortali debetur pœna æterna, veniali autem pœna temporalis. ſed multiplicatis temporalibus pœnis, etiam in infinitum non poteſt ex his pœna æterna conſtitui. ergo nec venialia mortale conſtituent.

Ratio ſecunda. Nullum veniale ex ſe meretur priuationem gratiæ. ergo in quo cunq; numero fuerint ſũpta venialia, non facient priuationem gratiæ. ergo nec mortale, quòd ex natura ſua priuat gratiam.

Nota. Diſpoſitiuè tamen multa venialia poſſunt facere vnum mortale, (vt iam dictum) nam ſi vnum veniale diſponit. ergo aliud magis, & ſubſequentia longè magis. ergo plura accumulata magis diſponunt. Multa venialis quomodo poſſunt facere vnum mortale?

8. De tertio v. de Additione dico. *quòd illa ſola circumſtantia poteſt ex veniali conſtituere mortale, quando habet adiunctam deformitatem peccati mortalis* ſed pro meliori iudicio quomodo ex veniali poſſit eſſe mortale?

Nota. Peccatum veniale ex ſuo genere (vt iam deductum) non poteſt eſſe mortale, ſed ex accidenti poteſt eſſe, accedente aliqua conditione, quod quinq; modis fieri poteſt. Modi quinque quibus ex veniali fit mortale. *Primò* ſi quis veniale cum ea animi præparatione admittat, vt ſi ſciret illud eſſe mortale, aut contra legem òbligantem ad mortale, nihilominus faceret, & ſic iam erit mortale; vt furari decem groſſos eſt veniale, ſed furari cum ea animi præparatione, vt ſi eſſent centum aurei, auferret, iam erit mortale Idem de læſione leui iudicandum. ſi fiat cùm animo occidendi, erit mortale. *Secundò.* ſi quis veniale eo animo & fine committat, vt aliquem in peccatum mortale ſcilicet blaſphemiæ inducat, vt dicendo verbum iocoſum, erit mortale. *Ratio* Quia talis eſt actio, qualis eſt finis propter quem fit. *tertiò* ſi in veniali intendat contemptum legis, aut legislatoris, erit mortale; quia hic cõtempt⁹ includit ſuperbiã, quæ apertè deſtruit charitatem, quam ſuperiori debemus; & deſtructio charitatis ſufficit ad conſtituendum mortale. *quartò.* quando ex veniali commiſſo ſequitur aliquod graue nocumentum ſiue animæ ſiue corporis, & ſic talis effectus direc-

ctus directè cum charitate pugnat, vnde mortale cōſtituit. *quintò* ſi quis vèniale committendo dubitet An ſit mortale, ſi credit quòd ſit mortale, & ſic ex dictamine conſcientiæ erit mortale. ſi autem dubitet ſolū & non credat, erit veniale; aut ſi credat eſſe mortale, ſed ita eſt animo affectus, quòd ſi certo ſciret eſſe mortale, illud non faceret, & ſic adhuc veniale erit.

An ex mortali fiat veniale?

QVANTVM *ad alteram.* An ex mortali fiat veniale? *Reſpondeo* poſſe fieri non per additionem. ſed per ſubtractionem. *Probatur* Id quòd natura ſuà eſt perfectum non poteſt fieri per additionem imperfectum. ſed mortale de ſua natura eſt perfectum, perfectum autem eſt id cui nihil deeſt. ergo per additionem non fiet veniale. *Item* Actus moralis voluntatis noſtræ poteſt eſſe aliquando non plenè deliberatus, ſed ſubitus. ſed hic defectus fit per ſubtractionem deliberationis perfectæ, & ſic erit veniale. ergo ex mortali per ſubtractionem fit veniale.

DISPVTATIO XIX.

De Peccato veniali ſecūdùm ſe.

Peccatum veniale non imprimit maculam &c.

1 DIco primò. *Peccatum veniale non imprimit maculam propriè dictam ſed ſolùm impropriè & ſecundùm quid.* PROBATVR. Macula propriè dicta deſtruit pulchritudinem & nitorem infuſæ animæ. Atqui veniale non aufert hunc nitorē, quia veniale compatitur ſecum gratiam à qua eſt pulchritudo. ergo non infert maculam propriè dictam. Et Prouerb. 20. *Quis poteſt dicere mundū eſt cor meum?* hoc eſt, Nemo quantūcunque ſit iuſtus. Atqui etiam iuſtus inficitur macula. at non mortalis ſed venialis peccati. ergo neque hic eſt mundus, quia maculam ſecundùm quid contrahit.

Venialia gratiam impediunt.

Nota. Quamuis venialia non deſtruant gratiam quoad habitum, tamen quo ad operationem impediunt, quia homo venialiter peccans non iam ita feruidè operatur; & ſicut pilus eſt res exigua: hic tamen proijcit vmbram, ita veniale vmbrâ gratiam perſtringit.

In ſtat… innoc… non … eſſe v… pecca…

Dico ſecundò. *In ſtatu innocentiæ non potuit eſſe veniale peccatum.* PROBATVR. Omne veniale oritur ex inordinatione & rebellione partis inferioris cum ſuperiori, & hinc oriūtur motus ſubiti non plenè deliberati, qui ſunt peccata venialia. ſed in ſtatu innocentiæ fuit ordinatio debita, nam inferior pars videlicet ſenſualitas firmiter cōtinebatur ſub ſuperiori videlicet ſub ratione. ergo in ſtatu innocentiæ non potuit eſſe veniale peccatum.

Contrarium tenet Scotus *in 2. diſt. 21. quæſt. 5.* Sed illius obiectionum reſolutiones vide apud Caietanum *2. 2. quæſt. 89. art. 3.*

Dico tertiò. *Neq; Angeli boni neq; mali peccare poßunt venialiter.* PROBATVR. *de Bonis* Homo in ſtatu innocētiæ non

Neq; Ange. boni ne. nali pec care poſsūt venialiter.

tiæ non potuit venialiter peccare. ergo multò minus peccabunt Angeli in ſtatu beato, cum ſtatui beato in quo ſunt Angeli omne peccatum etiam veniale repugnet. ergo venialiter non peccant.

Probatur de malis. Quia hi ſunt in malo obſtinati & maximè à Deo auerſi & omnia in ordine ad finem ſuæ ſuperbiæ operantur. ergo ſemper mortaliter peccant, quia peccata mortalia ex fine ſuam ſpeciem ſumunt,

Impoſſibile eſt quòd peccatu veniale ſit cū ſolo originali abſque mortali.

2. Dico quartò. *Impoſſibile eſt quòd Peccatum veniale ſit cum ſolo originali abſq; mortali.* Ita Diu. Thomas hic quæſt. 89. art. 6. *Probatur* Homo ante vſum rationis nec venialiter nec mortaliter peccare poteſt, quia peccatum eſt contra dictamen rectæ rationis. Et idem homo poſtquam ad iudicium & ad vſum rationis deuenit, ſi in illo inſtanti nō conuertit ſe ad Deū faciendo quod in ſe eſt, peccato omiſſionis, quòd eſt mortale, peccat. ergo veniale cum ſolo originali nequit eſſe.

Ratio ſecunda. Anima ſeparata à corpore ſi habuerit veniale cum ſolo originali, tunc talis anima non poterit mitti in lymbum puerorū, quia hic ſoli originali eſt deſtinatus & qui nullam meruerunt pœnam ſenſus, ſicut veniale meretur. Non poteſt quoque mitti in infernum damnatorum, quia in inferno pœnæ ſunt æternæ, veniali autem debetur pœna temporalis; nec cōuenit miſericordiæ Dei vt quis pro veniali in æternum puniatur. Non poteſt mitti in Purgatorium, quia ignis Purgatorij eſt pro his qui in ſtatu gratiæ ex hac vita migrarunt, & reatum pœnæ temporalis ſecum detulerunt. ergo non eſt concedendum quod aliquis ſimul cum veniali & originali decedat ex hac vita.

3. Dico quintò. *Probabile eſt quòd puer nondum baptizatus & ad vſum rationis perueniens, non ſtatim mortaliter peccat.* Ita Richardus *diſt.* 4. Gabriel *in* 4 *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *Et ratio eſt.* Quia nullum exſtat præceptum quod illum puerum obliget vt vſum rationis incipiens habere, & ſub pœna peccati mortalis ad Deum conuertatur. ergo ſi eam conuerſionem omittat, non peccabit. *Antecedens* euidens eſt. Quia hoc præceptum nec in S. Scriptura, nec apud Patres habetur. *Tandem* difficile eſt deprehendere illud ipſum inſtans quo incipit vſus rationis ac iudicij ſe exercere. Et neque in illo inſtanti quo incipit vſum rationis habere habet ſufficientem notitiam de Deo. ergo durum eſt vt contrahat mortale.

Puer nondū baptizatus, & ad vſum rationis perueniens nō ſtatim mortaliter peccat.

Dicunt quidam. eſſe præceptum. Zachariæ 1 *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Sed hic locus loquitur de conuerſione quæ fit per contritionem & pœnitentiam *Tandem* cōceſſo, quòd ſit hoc præceptum; ad huc puerum ignorantia huius præcepti à mortali excuſaret. *Vnde* ſententia D. Thomæ ſic exponenda. quòd intelligat inſtans non Phyſicum. ſed morale, in quo iam puer habet diſtinctam cognitionem Dei & eorum quæ tenetur agere, aut per doctrinam alterius, aut per diſcurſum proprium. *Præterea* loquitur de obligatione, non quòd explicita ac formali conuerſione in Deum tendere teneatur, ſed quòd implicitè & confuſè proponendo apud ſe id ſequi quod ſit bonum, & fugere quod ſit malum.

Nota

Notandus caſus.

Nota Infectus originali ac veniali peccato, non tamen cum veniali decederet; quia in illo agone mortis excitaretur ad cõuertendũ ſe ad Deũ; tunc aut ſe conuerteret, & ſic emundaret illũ Deus per infuſionẽ gratiæ ab originali: aut negligeret ſe conuerti, atq; ſic iã peccaret mortaliter: quia in re magni momenti videlicet in negotio ſalutis eſt negligens, vnde moreretur ſimul in mortali cum veniali.

Hucusque de Peccatis; atque vtinam hucuſque! ne vltra Diuinam incurramus indignationem, à quorum ruina & interitu æterno, conſeruet nos miſericordia Dei, Cui ſit laus, honor, & gloria.

AMEN.

IN TRACTATVM DE LEGIBVS

PRÆFATIO.

REm vitæ humanæ atq; inprimis Chriſtianæ ſummè neceſſàriam aggredimur, v. Conſiderationem de Legibus. *Lex enim* (inquit Regius Pſaltes) *lex immaculata conuertens animas*, ideò *immaculata*, quia eſt Antidotum præſeruans animas, ne illarum pulchritudo peccati rubigine infuſcetur, & quia mentem ſui impletione nouis gratiarum incrementis, tanquam coloribus ſuperadditis venuſtat. ideo *Conuertens*, quia eſt Regula actionum humanarum, expultrix vitiorum, virtutum directrix, earum curſum in Deum dirigendo. Lucerna pedibus noſtris in hoc vitæ ſtadio caliginoſo: lumen rediens in ſemitis noſtris, mentemq; Diuinæ gratiæ fulgore irradians ne in aliquo offendamus. *Lex* (inquit D. Aug. de Spiritu & Litera cap 19.) *data eſt vt gratia quæreretur, gratia data vt lex impleretur*: ſi hæc duo Lex & Gratia mutuas ſibi operas nauant, & mutuò ſe confouent vnde S. Doct. inquit: *Principium exteriùs mouens ad bonum, eſt Deus qui nos inſtruit per legem, & iuuat per gratiam*: idcircò in præſenti Tractatu de primo motiuo externo v. de Lege, in ſequenti de Gratia agemus.

Lex Domini quid?

DIVI-

DIVISIO TRACTATVS.

S. Doctor hanc doctrinam de Legibus in Quæſtionibus 19. comprehendit, incipiens à Quæſt. 90. vſq; ad Quæſt. 108. ſed Compendio conſulentes totam eius tractationem ad Diſputationes 13. reuocamus:

1. *Erit de Eſſentia legis.*
2. *De Differentia legum.*
3. *De Effectis.*
4. *De Lege æterna.*
5. *De Lege naturali.*
6. *De Lege humana.*
7. *De poteſtate legis humanæ.*
8. *De Mutatione legis humanæ.*
9. *De Veteri lege in communi.*
10. *De Præceptis moralibus.*
11. *De Præceptis Ceremonialibus.*
12. *De Præceptis iudicialibus.*
13. *De Lege Euangelica.*

DISPVTATIO I.

De Eſſentia Legis.

Quinque diſputanda proponimus:

1. *Quædam communia præmittemus.*
2. *Inquiremus an lex ſit actus intellectus an verò voluntatis?*
3. *An Lex ordinetur in bonum publicum?*
4. *An cuiuslibet ratio ſit effectiua legis?*
5. *An promulgatio ſit de Eſſentia legis?*

QVÆSITVM I.

De quibuſdam communibus ad legem ſpectantibus.

Pertinere arbitror ad naturam Legis perfectiùs intelligendam, vt quatuor communia præmittamus. vnde

Præmitto primò Hoc nomen *Lex* varijs nominibus appellari, ſed præcipuè his: *primò* nomine *voluntatis*, vt 2. Machab. 1. cap. *Det vobis Deus cor omnibus* vt ſa- *Acceptiones legis*

vt faciatis eius voluntatem. ſecundò dicitur *mandatum*, vt *ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata. tertiò* dicitur *præceptũ*, quod ſubditis à ſuperiori præcipiatur. Pſal. 18. *Præceptum Domini lucidum. quartò* dicitur eſſe *Ius*, quia eſt regula præcipiens iuſtum, aut ideo dicitur Ius quod vim coërceat, vnde ius & vis per quandam tranſpoſitionem literarum correſpondent ſibi. ſed hoc nomen *Lex* eſt receptum ad ſignificandum id, quod præcipit. agenda & prohibet vitanda.

…entia …Præ. …& Le. …quæ?

Vnde hæc tria *Ius, Præceptum, Lex*, differũt: *Ius* enim in materia morali dicitur de ſpeciali obiecto iuſtitiæ, vnde ius ſuum vnicuiq; tribuere, in Iuriſprudentia ſignificat æqualitatem in rebus ſeruandam. *Præceptum* eſt quod inferiori ſuperior præcipit qui vterq; eſt Perſona priuata, vt Pater filio, Dominus ſeruo præcipit *Lex* verò eſt à publica perſona quæ ſit cum poteſtate gubernãdi toti communitati promulgatur, vnde hoc nomen *legis* in hoc tractatu retinemus.

…noti… …quæ?

2. *Nota*. Hoc nomen *lex* varias notiones habet. Quidam (vt Cicero lib. 1. de legibus) deducit ab *Eligendo*. quod Lex quid ſit eligendũ præſcribit. Quidam deducunt à *legendo* ſeu à *Recitãdo* quod Lex ſoleat promulgari, ne ſe ab illius impletione ciues ignorantia excuſent. Quidam (vt D. Th. hic deducit) à *Ligando*, quòd legibus tanquam vinculis à legislatore ſubditi obſtringantur.

Præmittò ſecundò. Indubitatum eſt leges eſſe *Probatur* Lex enim æterna eſt, ergo ſaltim obiectiuè in mente Diuina à b æterno extitit. *Itẽ* Eadem lex ſtatim cum orbe terrarum & cum creaturis rationalibus nata eſt. ergo leges exſiſtunt. *Antecedens* Angelis poſt illorum creationem data eſt lex. Ad Hebræos 1. Cum introducit primogenitum ſuum dixit. *Et adorent eum omnes Angeli eius.* quam legem quia Draco & Angeli eius præuaricati ſunt, ideo condemnati Primis quoque parentibus lex de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali data eſt.

Tandem Legum præſcriptis tam Diuini codices quàm profani ſunt pleni, ſoli Lutherani videntur legẽ tollere, quorum hæc vox eſt *Chriſtiano ad ſalutem ſufficere fidem, cætera eſſe libera & indifferentia Ratio* illorũ. 1. ad Timoth. 1. *Lex nõ eſt poſita iuſto*. — Lutherani tollunt legem.

Reſpondeo Iuſto non eſſe poſitam legem coactiuam ſeu coercentem aut punientem, iuxta illud ad Galat. 5. *quod ſi ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege*, nam cum in præcordijs iuſti diffuſa ſit charitas Dei per ſpiritum charitati autem nihil eſt iniucundũ vnde iuſti ad implẽdam legem ſpõte & cum iucunditate feruntur. ſed lex proponens & directiua, quid ſit Deo placitum? hæc iuſto imponitur, multa enim quæ ad benè viuendum requiruntur, poſſunt iuſti ignorare, vnde legum informatione indigent. — Qualis lex iuſto ſit poſita?

Deniq; etiã in illa vita in qua beati æterna felicitate perfruuntur sũt leges, lex enim Dei eſt æterna. ergo in æternum durat; & hæc lex beatis non ideo neceſſaria, vt eos ad finem dirigat ſed vt in acquiſito fine placidiſſimè conquieſcant. Et ſicut virtutes morales vt Iuſtitia Temperantia erunt in beatis, non ideo vt cum paſſionibus decertent, ſed vt ſuo fine — Lex in beatis cur neceſſaria?

ſuo fine in æternum fruantur; ita lex eſt in vita beata non vt ducat in finem ſed vt fine acquiſito fruātur.

Legis conſtituendæ neceſſitas quadruplex

§ *Præmitto tertiò.* Quatuor ſunt quæ legis conſtituendæ neceſſitatē perſuadent, v. quadruplex ordo ſecundum quem homo à legibus ordinari debet. *Primus* eſt ordo quem homo habere debet ad Deū, & quidem habet cum Deum ex legibus cognoſcit Supremum eſſe Dominū tum in ſemetipſo recognoſcit requiri neceſſitatem obediendi, Demum intelligit circa ſe Diuinam prouidentiam, cum illius legibus dirigitur ad finem ſupremum conſequendum. *Secundus* ordo quem habere debet ad ſe ipſum, nam cum homo ſit indeterminatus ob arbitrij in vtrumque contrarium benè vel malè agēdi propenſionem, indiget legibus vt ab his ad benè agendum determinetur. *Tum* quia appetitus ſenſitiu⁹ ad malum eſt propenſus, & ob naturæ corruptionem concitatus, legum moderatione opus habet ne præceps in peccata ruat. *Demum* quia legum Diuinarum obſeruatio homini aditum ad æternam beatitudinem patefacit. *Tertius* ordo reſpectu aliorum hominum, & ratione horum lex homini neceſſaria, nā ſine lege ſtatus viuendi in ſocietate hominum perturbaretur, dum quiſque ſuò arbitrio viueret, & quia vitia impunita eſſent, bona ciuium à rapinis tuta non eſſent, tantum enī quiſq; poſſideret quantum audacia valeret, nec quicquam ſanctum ſua religione ſe tueretur. *Quartus ordo* reſpectu aliarum rerum, hoc eſt ne in his homo ſiſtat, & tanquam in vltimo fine ſibi complaceat, legum inſtructione opus habet.

4. *Præmitto quartò.* Conſiderationem de legibus vindicat ſibi Philoſoph⁹ moralis, Iurecōſult⁹ & Theologus, ſed modum conſiderandi diuerſum ſeruant. *Moralis* illas ſolùm leges ſpeculatur quas ad mores cōponendos conducere lumine naturali comprehendit. *Iureconſultus* verò ſi ius Cæſareum dicit, pacem publicam intendit; ſi ius Pontificium, ꝓſpicit regimini Eccleſiaſtico. *Theologus* verò non de his ſolùm legibus ſed in vniuerſum de omnibus agit, nō iam fines particulares ſolùm ſed etiam vltimum ſupremum; & ſupernaturalem inueſtigat fruitionē Dei. *vnde* in tribus primis Diſputationibus agemus in communi de Lege in ſequentibus ſingulas ſpecies legum explicabimus.

QVÆSITVM II.

An Lex ſit actus intellectus an voluntatis.

§ ALphonſus à Caſtro *in l. 1. de lege pœn. 1.* Almaginus in ſuis moralibus. *cap. 2.* affirmant Legem eſſe actum voluntatis. D. Thomas docet eſſe Actum intellectus. Quidam vt Michael de Palatino. *in 3. diſt. 23. diſput. 1.* ſentit quòd lex æqualiter

qualiter procedit & ab actu intellectus & voluntatis. Pro determinatione.

Dico primò. *Cauſa legis eſt ſola natura intellectiua ſeu rationalis.* PROBATVR. Legis officium eſt dirigere in finem honeſtum & Reipublicæ vtilem. ſed id quod eſt honeſtum & vtile reipublicæ ſola ratio cognoſcit ergo ſola rationalis natura eſt cauſa legis. *Item* Lex habet rationẽ præcepti & præſupponit capacitatem dominij & iuriſdictionis. ſed ſola rationalis natura & præcepti & dominij eſt capax ergo eſt ſola legis cauſa.

Sed obijcies. Etiam legem extendi ad ea quæ ſunt omnis ſenſus expertia. Prouerb. 8. *Legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos. Reſpondeo* quòd lex quandoque ſumitur impropriè vt præcepta Grammaticorum dicũtur Leges, & concupiſcentia graſſans in corpore, dicitur Lex ad Romanos 7. *Sentio aliam legem in membris meis* Ita hic lex ſumitur pro terminis ſeu finibus quos Deus aquis poſuit. Propriè autem dicta lex eſt quædam Regula publica authoritate firmata præſcribens modum aut boni publici aut æternæ ſalutis conſequendæ. Et de hac lege in præſenti loquimur, & hæc ſola ad creaturam rationalem pertinet.

6. Dico ſecundò. *Cum in natura rationali ſint duæ potentiæ Intellectus & voluntas.* Dico. *quòd hæc duo ad conſtituendam legem concurrunt.* PROBATVR. Lex non eſt aliquod Ens per ſe vnius naturæ, ſed eſt Ens morale, per quãdam aggregationem conſtitutum ſicut enim ad conſtitutionem Entis artificioſi vt domus, plura Entia in ſuo genere naturæ completa concurrunt, vt ligna, lapides: ita Lex eſt quædam coaugmentatio ex ordinatione intellectus & obligatione voluntatis, Intellectus enim iudicat eſſe neceſſarium vt hoc fiat, voluntas autem eſt quæ approbat & obligat ex quo lex conſurgit. ergo hæ duæ potentiæ ad legem requirũtur. *Probatur.* Sigillatim quòd requiratur voluntas, ſiquidem lex *voluntatis* nomine appellatur. Pſal. 42. *Notas fecit voluntates ſuas.* id eſt, leges ſuas. ergo lex à voluntate, *Tum* Ariſt. in Rhet. ad Alexandrum Legẽ appellat *conſenſum multitudinis.* ſed conſenſus eſt actio propria voluntatis. ergo voluntas legem condit *Item* Lex & Regula ſunt vnum & idem, ſed voluntas ſuperiorum eſt regula eorum quæ ſunt agenda aut vitanda ab inferioribus. ergo à voluntate eſt lex.

Sed quæres quinam hic eſt actus voluntatis, qui ad legem conſtituendam concurrit? *Reſpondeo* eſſe obligationem quà legiſlator vult obligare ſubditos ad hæc aut facienda aut vitanda, & hæc quidem obligatio eſt de intrinſeca ratione legis. Quinam hic eſt actus voluntatis qui ad legẽ conſtituendam concurrit?

7. Dico tertiò. *actus intellectus ita concurrit, quod primò & principaliter requiratur.* PROBATVR Ariſt. lib. 10. Ethic. cap. 9. vocat Legem rationem ex quadam mente & prudentia profectam. & Cicero lib 1. de Legibus appellat *rectam rationem in iubendo & prohibendo.* ſed hi omnes modi dicendi ad intellectum pertinent, non ad voluntatem. ergo lex eſt ab intellectu. *Item* imperare eſt actus intellectus, ſed imperiũ conſtituit legem. ergo & intellectus. *Deinde* id quod in vno quoq; genere eſt Actus intellectus quomodo concurrat?

re eſt

re eſt primum principiũ, illud eſt etiam regula omnium illius generis. ſed intellectus eſt principium actionũ humanarũ. ergo & omniũ quæ in genere actionum continẽtur erit regula. ſed leges inducunt ad agendum vel ab agendo deducunt. ergo lex ab intellectu. *Tandem* in voluntate hi ſunt actus *Nolitio* & *Volitio*. ſed hi non habent vim præcepti, nam etiam ſi quis ſciat ſuum ſuperiorem hoc velle maximè, vt à ſuo ſubdito fiat, ad illud præſtandum non tenetur, niſi illi præceptũ fuerit. ſed præcipere eſt actus intellectus. ergo ad intellectum lex ſpectat.

Qui act⁹ intellectus requiritur ad legis conſtitutionem?

8. *Sed quæres*. quinam actus intellectus requiritur ad legis conſtitutionem. *Reſpondeo* eſſe intimationem per quam ſuperior intimat inferiori quid ab eo fieri velit. *Probatur*. Eſſentia legis maximè eſt in eo actu in quo reperitur ratio præcepti ſed in intimatione ratio præcepti eſt. ergo etiam in intimatione præcipiente erit lex.

Lex quomodo ſit in intellectu Legiſlatoris?

Nota. Lex ita eſt in intellectu legiſlatoris, vt etiam ſit in ratione ſubditorum: in legiſlatore lex eſt tanquam in menſura & regula, in ſubditis verò eſt tanquam in eo quod menſuratur, præcipuè tamẽ eſt in intellectu legiſlatoris, quia ad rationem legis authoritas requiritur, & hæc reſidet in legiſlatore.

9. *Sed obijcies*. Lex maximè conſiſtit in vi obligandi ad aliquid agẽdum vel omittendum. ſed hæc obligatio à voluntate ſupeiioris procedit. ergo & lex. *Reſpondeo* vis obligandi eſt inſeparabilis à qualibet lege, ſicut enim radius à ſole, riſibile à natura rationali reſultat, ita à lege promulgata reſultat obligatio, & ſicut radi⁹ inſeparabilis à ſole, & riſibile à natura rationali, ita obligatio inſeparabilis à lege. & hęc quidem lex quæ habet inſeparabilem obligationem, non à voluntate ſed ab actu intellectus procedit. nam ſi quis contra legem Dei agat, peccat: ſi quis contra voluntatem faciat Dei, non peccat. Dauid enim voluit ædificare domum nomini Domini, & hoc fuit contra voluntatem Diuinam, nihilominus non peccauit. ergo voluntas non habet vim obligandi.

Vis obligãdi eſt inſeparabilis à qualibet lege.

Tandem priùs eſt in mente legiſlatoris obligatio ad aliquid agendum aut omittendum, quàm de facto illa obligatio obliget, ſed quãprimùm lex per intimationem innoteſcit, ſtatim vim obligandi habet. ergo lex eſt ab intellectu.

Praterea Hæc obligatio à iudicio rationis prouenit ſic, quia enim iudiciũ rationis iudicat hoc conuenire rectæ rationi & debito fini ideo ſtatim ſine interueniente actu voluntatis inducit obligationem vt hoc fiat: idem iudicium quando iudicat hoc diſconuenire rationi & fini debito ſtatim obligat vt non fiat: ſicut conſcientia priuatiua quãdo iudicat hoc eſſe malum obligat ad vitandum, aut ſi iudicat hoc eſſe bonum obligat ad faciendum. ſed hoc iudicium rationis eſt ſufficiens ad legem ſtatuendam. ergo vt lex ita & obligatio eſt ab intellectu.

10 *Sed inſtabis*. Lex ordinat ad finem, ſed finis ad voluntatem pertinet. ergo & lex. *Reſpondeo* quòd tã intellectus quàm voluntas in finẽ tendunt ſed diuerſa ratione. voluntas

luntas fertur in finem illum deſiderando, appetendo, intellectus verò ordinando, recipiendo, quòd eſt de ratione legis.

Rurſum inſtabis. Lex eſt regula agẽdorum. ſed voluntas Dei atq; etiam legiſlatoris eſt regula agendorum. ergo à voluntate lex. *Reſpondeo* Voluntatem legiſlatoris imperatiuam quæ etiam ſit à recta ratione regulata non eſſe proximam cauſam actionum humanarùm, ſed eſſe legem quæ mouet ſubditos ad agẽdũ aut omittẽdũ. Et hæc lex in iuſſione ſeu in imperio ſuperioris conſiſtit. Sed imperiũ & iuſſio ſunt act[9] nõ volũtatis ſed intellectus. Habet tandẽ Voluntas ſe ad legẽ duplici modo: *primò* vt motiuum aliarum potentiarũ: *ſecundò* concomitanter.

QVÆSITVM III.

An Lex ordinetur in bonum commune?

DIco affirmatiuè cũ D Thoma, *quòd lex debet ſpectare bonum commune. quòd ſi hoc negligat, lex dici non poterit.* PROBATVR. Iſid. lib. 5. orig cap. 21. *Lex nõ pro priuato commodo ſed pro communi ciuium vtilitate eſt conſcripta.* *Ratio* D. Th. Lex principaliter debet reſpicere vltimum finem. ſed finis vltimus humanæ vitæ eſt felicitas ſeu bonum cummune. ergo lex ordinatur ad publicum bonum. *Deinde* Lex debet eſſe immutabilis, & moraliter loquendo æterna. ſed communitates ſunt æternæ & illarum bona communia. ergo & lex vt ſit æterna bonum publicum ſpectabit Sapientiæ 6 *Cum eßetis miniſtri eius non rectè iudicaſtis.* Et D. Paul. ad Rõ. 13. *Miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.* Hæc duo loca loquuntur de his qui præſunt Rebuspublicis, & hos appellant miniſtros ſed bonus miniſter non priuatis commodis, ſed Domini inſeruit; Ita hi qui habent delegatam poteſtatem regendæ Reipublicæ non priuatæ ſed publicæ commoditati inſeruire debẽt ergo & leges condere bonum publicum ſpectat.

Ratio quarta. Philoſophus lib. 3. Polit. dicit, *quòd regnum non eſt propter regẽ, ſed rex eſt propter regnum.* ergo in lege condenda non ſpectabit rex bonum priuatum ſed commune, *Probatur.* Deut 12. *Regia poteſtas certis cancellis circumſcribitur ne in legem Perſarum pernicioſam degeneret, quæ regi permittebat licere quod liberet.* Dicitur enim ibi. *Rex conſtitutus non multiplicabit ſibi equos, non habebit vxores plurimas, nec auri, aut argenti pondera immenſa.* Et ne Rex arbitretur ſe à legibus exemptum eſſe ibidem ei præcipitur. *Deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius, legetq; illud omnibus diebus vitæ ſuæ vt diſcat timere Dominum Deum ſuum & poßit populum ſuum dirigere ſecundùm legem Diuinam.* Lex autem Diuina Ezechielis 46. vetat ne Rex Chriſtianus priuato commodo ſtu-

do ſtudeat *non accipiet princeps de hæreditate populi nec de poßeſſione eorum.* Et cap. 33. *Væ paſtoribus Iſrael qui paſcunt ſemetipſos, nonne greges paſcuntur à paſtoribus?* Ex his locis ad propoſitum ſic arguò. Regum poteſtas Diuina lege eſt circūſcripta vt propriæ vtilitati non ſtudeant ſed tantùm publicæ. ergo etiam leges ab illis promulgandæ quæ publicum bonum amplificent.

12. *Sed inſtabis.* 1. Regum cap. 8. dicit Samuel. *Hoc erit ius regis, filios veſtros tollet, ponetq; in curribus ſuis, tollet agros & vineas & dabit ſeruis ſuis.* ergo licitum eſt Regi ad ſuam vtilitatem leges ferre. *Reſpondeo* Hoc nomen *Ius* non ſignificat hic legem aut id quod ſit iuſtum. nam quilibet iudicat regi non licere res alienas rapere; ſiquidem ob vineam Naboth raptam Achab reprehenſus: ſed hoc nomen *Ius* in malam partem ſumitur, vt *Summum ius, ſumma iniuſtitia.* Et ius etiam ſignificat id quod non punitur, vt furta, vſuras exercere apud infideles ius erat hoc eſt non puniebatur. Et ſic in hoc loco ſumitur *Ius* quod mos ſit regum propter ſummam poteſtatē qua excellunt, & quod factorum ſuorum punitio ad homines nō ſpectat, vt exiſtiment licere ſibi agere quod velint. *Tum* quia voluit Deus permittere vt electus rex Saul populum Iſrael grauibus iniurijs affligeret, quod eum in Samuele contempſerint.

Quid ius ſignificat?

Sed rurſum inſtabis. Lex naturæ eſt vera lex, ſed hæc priuatum bonum v. vitæ conſeruationem vniuscuiusq; intendit. ergo non erit lex. *Reſpondeo* Veriſſimum eſſe quòd leges eſſentialiter bonum commune ſpectare, debent, ſi non ſemper & immediatè ſaltem ſecūdariò, vnde cum bonum publicum conſiſtat in bonis ciuiū & ex his reſultet, nā quilibet ciuis eſt membrū Reipublicæ vnde ſi quæ lex, vt natura præſcribit vitæ ſuæ tuitionem, id nihilominus ſit in ordine ad bonum publicum.

13. *Inſtabis tertiò.* Leges ſunt duplices vt docetur Lege 1. Paragrapho de Iuſtitia & Iure. Quædam enim ad bonum commune, quædam ad priuatum ordinantur. ergo non omnis lex ad bonum commune. *Præterea* ſunt quædam leges in fauorem pupillorum, & in fauorem militum, quæ plurimos in Republica grauant.

Quotuplices ſunt leges.

Ad primum reſpondeo, quòd *Bonum* commune eſt duplex. *Quoddam* eſt primò & per ſe, quod dominio ſolius communitatis & non alicuius priuatæ perſonæ ſubeſt, vt ærarium publicum, vectigalia, ſyluæ. *Alterum* eſt bonum commune non primò & per ſe quia immediatè eſt quorundam ciuium, ſed ſecundariò & per quandam redundantiam cenſetur eſſe bonum commune, nā ſpectat ad bonum Reipublicæ vt benè ſit ciuibus.

Bonum cõmune duplex.

Ex quo collige. Semper leges quæ ordinantur ad bonum certorum ciuium, reſpiciunt bonum commune, quia ex hoc motiuo procedunt.

Ad illud verò, quòd lex in fauoré militum ſit condita quæ paruum pretium rerum ſtatuit, aut ſtatiua decernit eſt grauans partes Reipublicæ; ſed quia bonum publicum v. ne hoſtis Rempublicā inuadat, Eccleſiam Dei iniurijs & contumelijs afficiat, tanquam maius bonū præ-

ferendum

ferendum eſt idcirco id ferendum eſt priuatis ciuibus.

Nota Hæc eſt cõditio rerũ humanarũ quòd in omnibꝰ nõ habet ſe vniformiter ſed ſæpenumerò accidit, vt quod toti communitati eſt vtile, hoc aliquas partes reipublicæ affligit ſed cauſa boni publici id ferẽdũ.

QVÆSITVM IV.
An cuiuslibet Ratio ſit factiua legis?

Cuius ſit munus condere leges?

14. AD Quæſitũ Dico primò. *Leges condere non eſt cuiuslibet rationis, ſed aut totius multitudinis, aut qui regimen totius ſuſtinet communitatis.* PROBATVR. Lex eſt directiua totius communitatis, & eſt ſpectãs bonum eiusdem cõmunitatis. ergo etiam legem condere aut ad totam communitatem aut ad ſuperiorem communitatis ſpectabit. *Itẽ* Ad Rom. 13 *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubiecta.* ergo ſuperioris cum ſit imperare ordinare, & ſubditorum eſt obedire. ergo ad ſuperiorem qui præeſt communitati ſpectabit leges ponere *Deinde* D. Th. hic art. 3. ad 2. dicit. *Poteſtas quæ condit leges, debet neceſſariò habere facultatem coactiuam & punitiuam contra legum transgreſſores.* ſed poteſtatem coactiuam & punitiuam nullus priuatus habet, ſiquidem paris in parem non eſt poteſtas. ergo legum latio ad ſuperiorem ſpectabit

Per poteſtatem quæ communitatibus fert legem, quid intelligendum.

15. Dico ſecundò. *Per hanc poteſtatem quæ communitatibus fert legem, non intelligo illam quæ ſumit originem ex natura; nemo enim naſcitur Dominus, nemo ſeruus, ſed omnes cum ſint eiusdem naturæ rationalis naſcuntur liberi: nec illã qualis eſt inter Patrem & Filium: nec illam, quæ eſt ex quodam pacto inter virum & vxorem: nec illam quæ eſt ex iure gentium, vt eſt poteſtas Domini in ſeruum bello captum: neque quæ eſt ex humana conuentione vt inter Dominum & ſeruum; ſed illam intelligo quæ aliquam communitatem reſpicit cum iuriſdictione gubernationis.* Et ſic ſolus Deus comparatione ſolius mundi habet poteſtatis plenitudinem in ſe & à ſe, Hanc verò Chriſtꝰ vt homo ſumit à Deo, qui iuxta Iſaiam 33 *eſt Legifer noſter.* Et à Concilio Trident Seſs. 6. cã. 21. definitur, *non ſolùm redemptor, ſed etiam Legiſlator.* & ideo ab ipſo latæ leges extendunt ſe ad vniuerſos homines, vt habetur Matthæi vltimo *Docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* Hanc etiam poteſtatem in veteri teſtamẽto Moyſes, Dauid, Ioſuæ à Deo acceperunt regendi populi. Et in noua lege Summus Pontifex non ab Electoribus nec ab Eccleſia ſed immediatè ab ipſo Chriſto ſumit, Reges verò gentium & rectores populi ſumunt poteſtatem tanquam ſibi delegatam à ſubditis.

16. *Sed contra inſtabis.* Poteſtas ſuprema neceſſaria eſt ad leges condendas. ſed hæc eſt penes Chriſtũ. Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon, Reſpondeo.* Duplex in Eccleſia poteſtas *quædam* eſt inuiſibilis ſpectans ad inuiſibilem gubernationem, & ſic illius Chriſtus Dominus

Poteſtas in Eccleſia duplex.

minus eſt caput & in eo eſt plenitudo ſupremæ poteſtatis, ille enim eſt Rex Regum & Dominus Dominantium. *Alia* verò poteſtas eſt viſibilis cuius adminiſtrator eſt Summus Pontifex, vnde vocatur caput *viſibile & miniſteriale Eccleſiæ.*

Summus Pontifex aut in morũ regula præſcribenda aut in rebus fi lei definiendis aberrare non poteſt.

Ex quo colligimus. quòd ex conſenſu Doctorum Summus Pontifex aut in morum regula præſcribẽda, aut in rebus fidei definiẽdis ab errare non poteſt. nam ea de cauſa Spiritus S. Eccleſiæ eſt promiſſus. Ioannis 15. *Mittam vobis Spiritum veritatis.* Poteſt ergo ſupremus Pontifex condere leges vicaria poteſtate à Chriſto ſibi delegata illis verbis *Tibi dabo claues* Et *paſce oues meas.* Et hæc eſt ſuprema quia ab ea ad aliud tribunal quod ſit in terris prouocare non licet.

An aſſenſus multitudinis ſeu communitatis cui lex imponitur requiratur?

17. *Sed quæres.* An Aſſenſus multitudinis ſeu communitatis cui lex imponitur requiratur, *Reſpondeo* ſimpliciter non requiri. Nã vis obligandi quam lex debet habere ſumenda eſt ex eo qui habet ſummam poteſtatem, talis autem eſt Rector populi. vnde non requiſito conſenſu obligare poteſt. *Tandem* quorſum eſſet illa poteſtas in legiſlatore ſi per diſſenſũ à multitudine impediri poſſet. *Deniq;* ſi princeps habet omnem poteſtatem à communitate in ſe tranſlatã propter rationẽ gubernandi, cuius inſtrumẽta ſunt leges, tũc ſi multitudo huic ſupremæ poteſtati obſiſteret grauẽ illi iniuriam inferret.

Nota primò. ſi quando lex fertur eadẽq; ob iuſtas cauſas nõ acceptatur, & ſi fiet reſiſtẽtia nõ à paucioribus ſed aut ab omnib⁹, aut à parte maiori, iam vim legis non habet. *Quando lex vim legis amittit.*

Nota ſecundò. Conſuetudo cõtraria poteſt legem abrogare conniuente legislatore, ſecus autem ſi reſiſtat, nam irritari non poteſt. *Legem abrogat conſuetudo contraria legislatore conniuente.*

QVÆSITVM V.
An Promulgatio ſit de eſſentia legis?

18. DIco primò cum S. Doctore quòd *Promulgatio ſit neceſſaria ad hoc vt lex habeat virtutem obligandi.* PROBATVR Capitulo *in iſtis.* diſtinct. 4. vbi dicitur *Leges inſtituuntur cum promulgantur.* ergo antequam promulgentur non erunt leges. *Item* Lex eſt regula humanarum actionum. ſed regula niſi applicetur eſt vana & inutilis. Applicatur autem per promulgationẽ. ergo lex requirit promulgationem vt obliget. *Deinde* Lex omnes obligat ſub reatu alicuius pœnæ atque etiam culpæ. ſed ignorans nec reatum culpæ nec pœnæ incurrit. ergo ad tollendam ignorantiam requiritur cognitio legis quæ fit per promulgationem. *Deniq;* Deus cum in veteri teſtamento legem populo Iſraelitico tradebat vſus eſt ſolenni promulgatione dum voces ac tonitrua de cælo detonarẽt. Nouæ quoque legis ſolẽnis promulgatio facta, iuxta illud *Factus eſt repentè de cælo ſonus &c.* Eandem legem quia voluit Deus per Apoſtolos tanquã per præ-

per præcones eſſe promulgatã, ideo *apparuerunt illis diſpartitæ linguæ*, vnde *In omnem terram exiuit ſonus eorum &c.*

...omulga. ...egum ...n fit ea. ...em ratio...

Nota. Hæc promulgatio legum non fit eadem ratione, nam lex æterna & naturæ cenſentur eſſe promulgatæ per lumen rationis, cum enim Deus indidit homini lumen naturale per illud has ipſas leges ſufficienter cognoſcere poteſt. Et hæc promulgatio per naturalem Synterefim vel conſcientiam magis innoteſcit, ſiquidem hæc illas leges menti inculcat. Lex autem Diuina poſitiua & humana debet exteriori verborum denuntiatione promulgari, & ſic vim obligandi habet.

19. Dico ſecundò. *Nomine promulgationis non eſt intelligenda qualibet denuntiatio voluntatis Principis, ſed requiritur promulgatio quæ ſit ſolenniter facta*, hoc eſt. *vt in curia Principis aut Eccleſiaſtici ſi ſit lex Eccleſiaſtica : aut ſecularis & Politici ſi ſit Politica pmulgetur.* PROBATVR. *primũ*. ſi priuatus homo dicat hoc Regem velle, hæc denũtiatio non habet vim legis, nam fieri poteſt quòd aut mentiatur, aut non benè mentem regis intellexerit. Demum dato caſu ſi ille homo cum mandato ſit à rege miſſus, & eius rei ſufficientia documenta habeat, illud quidem mandatum hoc modo ad aliquem delatum obligabit ad ſui impletionem, ſed vim legis non habebit, quia ſolenniter non eſt promulgata.

PROBATVR alterum *quòd ſuffi it vt fiat promulgatio in curia pricipis* quia ſufficit quòd cognoſcetur à pluribus & à proceribus regni qui in aula regis commorantur, ab his enim tanquam qui præſunt Reipublicæ reliqui cognoſcere poſſunt. *Nota* quamuis non negemus requiri vt eadem lex in curia regis promulgata etiam in alijs ciuitatibus ac communitatibus regni denuntietur ne quisquam ſe ignorantia excuſet; tamen hæc poſterior promulgatio legis vim ex priori ſumit, vnde non eſt ſimpliciter promulgatio ſed ſecundùm quid, vel potius eſt Declaratio legis.

Dico tertiò. *Illa promulgatio habenda eſt pro ſufficienti, quando lex ita eſt propoſita quòd moraliter loquendo ad notitiam omnium deuenire poſſit.* PROBATVR Nam facta eſt denuntiatio ſecundùm receptam conſuetudinem in regno. *Tum* quia non eſt neceſſe, vt is qui legem promulgat eandem ſingulis recitet. Quæ promulgatio ſit habenda pro ſufficienti?

20. *Sed quæres.* Si lex fuerit promulgata in curia Regis ſed illius notitia in ciuitate aliqua non habetur An ſi ciuis contra illam faciat, peccet? *Reſpondeo* Illum ciuem ſaltem materialiter peccare quia iam legis ſolẽnis promulgatio facta, ſed quia non innotuit idcirco non imputatur ad peccatum: ſicut ſi quis adhibita morali diligentia ne quenquã læderet, interim homicidium committat, talis peccauit materialiter, quia eſt in materia peccati mortalis factum, ſed illi homini non imputatur ad peccatum ſiquidem moraliter loquẽdo non fuit eius intẽtio.

Quidam dicunt Obligare in actu primo. id eſt, remotè mediatè, hoc eſt vbi acceſſerit ſufficiens notitia, nõ obligare autẽ in actu ſecundo, hoc eſt immediatè ſine præmiſſa notitia. Ita tenet Soto de Iuſt & Iure. quæſt 1. art. 4 Sylueſter, Gregorius de Valentia.

Quidam

Quidam dicunt etiam obligare in actu ſecundo etiamſi notitia legis ad ſubditos non peruenerit. *Probãt* quia illa ſola ſolénis promulgatio in curia regis facta habet vim obligandi, quia eſt à ſuprema poteſtate denuntiata. ergo obligat nam illa promulgatio quæ fit in alijs ciuitatibus ex priori (vt iam dictum) vim obligandi ſumit *Item* poteſt aliquis homo antequam naſcatur obligari. ergo multò magis ille poterit obligari qui adhuc notitiam non habuerit. *Antecedens* Pater enĩ in aliquo contractu obligat filios quos nondum habet; & nos qui poſteri Adæ ſumus antequam nati eſſemus, iam ab illo ad contrahendum peccatum originale obligati ſumus. Et *Ratio eſt*. quia moralia habent ſe ad modum Entium rationis nam in quibusdam relationibus conſiſtunt, & in quouis tempore obiectiuè poſſunt repræſentari per ſolam operationem intellectus, vnde multò magis hoc fieri poteſt cũ aliqui ſunt præſentes & audiunt, vt ſunt regni primates circa promulgationem legis.

Deniq. dato caſu ſi in aliqua ciuitate lex promulgetur, tunc ſi contingat aliquem ciuem illam ignorare denuntiationem legis, hæc tamen lex illũ obligat, vnde ſi quid contra legem recitatam emerit, fecerit, totum erit irritum propter legis promulgatæ obligationem. ergo lex promulgata habet vim obligandi etiamſi contingat illam ex accidenti ab aliquibus ignorari.

Quando lex promulgata in curia nõ ſtatim habet vim obligandi?

Nota In hoc caſu lex in Curia Epiſcopi aut Regis promulgata non habet vim obligandi ſtatim, quando legiſlator ita conſtituit vt non niſi poſt factam promulgationem in ſingulis Parochijs aut ciuitatib⁹ robur obligandi ſortiatur vt Decretum Concilij Trident. *Seß. 24.* de Cland. Matrim. non obligat Paræciam, niſi in ea lectum fuerit, ſic enim Patres Concilij ſtatuerunt.

Quæ le[...] ſtatim promu[...] tione[...] ligand[...] habeat[...]

Nota ſecundò. Illas ſolùm leges poſt promulgationẽ vim obligandi habere, quæ bonum commune promouẽt, ſed ſi Princeps ſanciat legẽ & ſoléniter promulget quæ ſit contra Deum & illius religionem, aut contra Eccleſiæ conſtitutiones, talis non meretur nomen *legũ*, nec in conſcientia obligat.

An Bullæ Summi Pontificis in Curia ſua [...] gata [...] gant [...] nes [...] eas [...]

21. *Sed quæres*. An Bullæ Summorum Pontificum in Curia ſua promulgatæ obligent exteras nationes etiamſi eas non cognouerint? *Reſpondeo* quòd illa ſolennis in Curia Summi Pontificis promulgatio obligat, illius tamen notitia vt ad alios deueniat, illarum denuntiatio neceſſaria; quamuis hoc ſit controuerſum. Panormitanus in caput *cognoſcentes*. de conſtit. Ioannes Monachus. Syluester verbo *Lex* quæſt 6. affirmant obligare ſtatim omnes prouincias orbis Chriſtiani poſt factam promulgationem. Negat Soto *lib. 1. de Iuſt. & Iure quæſt. 1 art. 4.*

Quæ ſententiæ ſic oppoſitæ cõciliari poſſunt. quod ſi obligant ſtatim, & ſi quis ob ignorantiam nullo contemptu accedente contra illas faciat, peccat quidem, ſed non incurrit reatum peccati. nam (vt iam dictum eſt) Aliud eſt peccatũ, & aliud Reatus peccati. Puto tamẽ partem affirmantem eſſe ſecuriorẽ quòd Bullæ Pontificiæ ſtatim ac fuerint debito ac ſolenni modo promulgatæ, omnes Chriſtianas prouin-

prouincias obligent. Si enim (vt iam probatum) Legiſlator ciuilis legis poteſt poſt factā promulgatio nē ſtatim obligare ciues. ergo hoc tātò magis ſupremo legiſlatori Eccleſiaſtico tribuēdum, ſiquidem in ſede ea reſidet quæ eſt Apoſtolica, præſentiam Spiritus S. habens, nec in vllis determinationibus tā quæ ad morum emēdationem, quā quæ ad fidei propagationem ſpectant aberrare poteſt; vnde debita cum reuerentia & ſubiectione admittēdæ, cum omninò obligent, & ab his quorum intereſt denuntiatæ ſint, ne irrepat illarum ignorantia & damnū quod ex omiſſione illarum ſequi poteſt.

Sub finem huius Quæſtionis cū Sancto Doctore colligo talem definitionem legis. *Lex eſt ordinatio rationis in commune bonum inſtituta, & ab habente authoritatem promulgata.* Legis definitio.

DISPVTATIO II.

De Diuiſione & Differentia Legum.

... ſpe. 1 ... quot

DIco primò. *Quatuor cōmuniter aſſignantur ſpecies legis v. Æterna, Naturalis, Humana Diuina.* Ita docet D. Th. *1. 2dæ. quæſt. 91.* Sēt. *in 3. diſt. 37.*

... æterna ... ebet ne- ... ſſariò ... mitti ... ntelle. ... volū- ... Diuina ... ſtens.

Dico ſecundò. *Neceſſarium eſt vt legem æternam in intellectu & voluntate Diuina exſiſtentem admittamus.* PROBATVR. Ratio Diuina gubernans hoc totum vniuerſum debet eſſe æterna, quia in Deo nihil in tempore incepit ſed hæc eſt lex æterna. ergo lex æterna eſt in Deo. *Deinde* Cum Deus ſit author vniuerſi orbis, ad eum ſicut creatio ita & prouidentia rerum creatarum ſpectat. ſed hæc prouidentia vniuerſum gubernans eſt lex æterna. ergo eſt in Deo.

2. *Sed inſtabis.* Lex regit creaturas, ſed hæ non fuerunt ab æterno. ergo neque lex eſt æterna. *Reſpondeo primò.* quòd creaturæ quæ legibus reguntur; aut exſiſtunt in ſeipſis aut *in eſſe cognito Dei.* licet igitur creaturæ in ſeipſis non exſiſterent ab æterno, tamen ſecundum *Eſſe cognitum* in Ideis Diuinis exſiſtebant.

Reſpondeo ſecundò. ſecundùm doctrinam. D. Th. *1. part. quæſt. 14.* quā in noſtro Tractatu de Scientia ſumus complexi. quòd omnes creaturæ ſunt Deo præſentes in æternitate, non tantùm ſecundùm *Eſſe cognitum.* ſed ſecundū veras & reales exſiſtentias.

Inſtabis ſecundò. Lex æterna nō eſt ab æterno promulgata. ergo non habet vim legis. *Reſpondeo* cum D. Th. hic art. 1. ad 2. Duplex Promulgatio, *Verbo* aut *Scripto*, vtroq; autē modo lex æterna promulgata eſt. *primò* verbo quia verbum Dei æternum eſt; *Secundò* ſcripto, quia liber

vitæ æternus eſt. ſic igitur lex æterna in æternitate promulgata, nihilominus tamen habet ordinem eſſentialem vt in tempore promulgari poſſit.

Lex naturalis quæ eſt impreſſio legis æternæ eſt admittenda, &c.

3. Dico tertiò. *Lex naturalis quæ eſt quædam impreſſio legis æternæ ſecundùm principia communia practica, eſt admittenda.* PROBATVR Lex eſt regula ſeu menſura. ergo aut eſt in regulante ſeu menſurante, aut in regulato ſeu menſurato, quia vnumquodque à ſua menſura regulatur. ſed regula regulans eſt in Deo menſurans hoc totum vniuerſum. ergo hæc eadem lex in regulãte per quãdam impreſſionem in creatura rationali ponenda, quæ inclinet ad proprios actus, & fines conueniẽtes, & talis eſt lex naturalis. ergo lex naturalis danda.

Legis naturalis proprietas triplex.

Ex quo collige. quòd legis naturalis triplex eſt ꝓprietas. *Prima.* quòd ſit deriuata ab æterna lege Dei. *Secunda.* vt verſetur circa prima principia rationis practicæ, & circa cõcluſiones per ſe notas ad differentiam legis humanæ quæ eſt circa concluſiones particulares & minùs notas. *Tertia* vt ſit in intellectu creato ad differentiam brutorum quæ habent quoque inditas quaſdam inclinationes ad debitas actiones & ad fines conuenientes ſuæ naturæ. ſed hæc propenſio in illis non poteſt dici verè lex naturalis, quia lex vt ſic eſt actus rationis & ad intellectum ſpectans.

Lex humana quæ circa concluſiones ſingulares verſatur neceſſariò eſt admittenda.

4. Dico quartò. *Lex humana quæ circa concluſiones ſingulares verſatur, neceſſariò eſt admittenda.* PROBATVR. ſicut enim intellectus ſpeculatiuus, mediante diſcurſu, ex cognitione tamen primorum principiorum varias colligit concluſiones, ita intellectus practicus ex princijs legis naturalis, quæ ſunt per ſe nota, procedit ad aliqua particularia diſponenda, certas conficiens leges. ergo lex humana admittenda.

Dices. Lex naturalis eſt participatio legis æternæ, ſed per legem æternam ſunt omnia ordinatiſſima. ergo & lex naturalis ſufficit ad particularia ordinanda. ergo non eſt neceſſaria humana.

Reſpondeo ad Maiorem cõcedendo. quòd lex naturalis ſit participatio legis æternæ. ſed non ad plenum, ſed modò imperfectò. & ſicut intellectus ſpeculatiuus per naturalem participationem habet in ſe cognitionem vniuerſalium quorũdam principiorum, ſed cuiuſlibet veritatis propriam notitiam non habet ſicut habet Diuinus intellectus. ita intellectus practicus habet quandam participationem naturalem legis æternæ, quia quædã principia communia cognoſcit. tamen ſingulares directiones particularium non habet, ſicut lex æterna. vnde ideo leges conſtituuntur vt ſecundùm has vita hominum dirigatur.

Præter legem naturalem & humanam neceſſaria eſt lex Di-

5. Dico quintò *Præter legem naturalem & humanam neceſſaria eſt lex Diuina. Primò ideo.* quia homo non ſolùm ad finem naturalem ſed etiã ad ſupernaturalem ordinatur, & ideo lex Diuina neceſſaria. *Secundò ideo.* vt tollatur dubitatio & diuerſitas iudicij atque etiam incertitudo, quæ oriri poſſit circa contingentia de quibus ſunt leges, vnde cum lex Diuina errare non poſſit, neceſſariò danda eſt quæ ſine errore determinet quid ſequendum & vitandum

vitandũ ſit. *Tertiò ideo.* quia ad perfectionẽ virtutis requiritur, quòd homo non ſolùm in actibus exterioribus, ſed etiam in interioribus ſit ordinatus & rectus. ſed lex humana ſolùm ordinat actus exteriores, Diuina autem etiam actus interiores, ideo neceſſaria. *Quartò ideo* quia lex humana non poteſt prohibere neç punire omnia mala, quia ſi vellet etiam multa bona tollerẽtur, & impediretur vtilitas commu nis boni: vt ſi militum inſolentiæ aliquid non daretur, miles ad defenſionem Reipublicæ difficulter haberetur, opus igitur fuit lege Diuina per quam omnia peccata prohiberentur.

Nota, Lex Diuina ex principijs reuelatis colligitur. ſicut humana ex principijs ſuaptè natura cognitis.

Nota ſecundò. Lex æterna & Diuina differunt, quia æterna eſt in ſolo Deo præcisè, Diuina verò etiam eſt in humano & Angelico intellectu per participationem legis æternæ & per reuelationem factam nobis in tempore.

Nota tertiò quòd lex æterna dicit quidem ordinem ad creaturas, ſed tanquam ad menſuratum ſeu tanquam ad obiectum quod dirigitur. ſed non habet ſe tanquam ad ſubiectum inhæſionis. Lex æterna quomodo dicit ordinem ad creaturas?

6. Dico ſextò. *Lex Diuina eſt duplex. Vetus & Noua*; Et hæc diuiſio non eſt ſpeciei in differentias, ſed ſecundùm perfectum & imperfectum. Lex enim Vetus eſt rudis, imperfecta, vmbris plena: Noua autem ipſam rerum veritatem habet & gratiam gratum facientem confert. Lex Diuina duplex.

Dico ſeptimò. *Lex fomitis non eſt verè & propriè lex, niſi impropriè* quia lex verè dicta, eſt in ratione hæc autem eſt in membris carnis eiusque deſideria accendit. Ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Lex fomitis non eſt propriè lex.

Nota. Hæc lex fomitis iuſto Dei iudicio in pœnã præcedẽtis peccati eſt permiſſa, vt ab ea affligeretur homo, nam in ſtatu innocentiæ lex fomitis non erat, ſed ſublata iuſtitia originali per peccatum motus ſenſualitatis concitat. Lex fomitis in pœnam peccati eſt permiſſa.

DISPVTATIO III.

De Effectibus Legis.

1 Dico primò, *Proximus & immediatus effectus legis eſt* Facere homines bonos. PROBATVR. Officium virtutis eſt vt eum in quo eſt bonum faciat. ſed cuiuſlibet ſubditi eſt virtus, vt ei à quo gubernatur benè ſubijciatur, & ad hoc lex ordinat. ergo primarius legis effect⁹ eſt *Facere ſubditos bonos.* Legis effectus proximus & immediatus eſt homines bonos facere.

Nota Cum dicimus quòd *lex faciat homines bonos.* hoc ita intellige nõ quòd vires ſubminiſtret quemadmodum gratia Diuina, ſed quia di- Quomodo intelligatur legem facere homines bonos.

rectiuè mouet, declarando, quid ſit agendum, quid fugiendum.

Nota ſecundò. Lex cum intendit homines bonos facere, aut facit ſimpliciter bonos aut ſecundùm quid; tunc autē lex facit homines ſimpliciter bonos, quando in verū bonum refertquod eſt rectæ rationi conueniens, & eſt in ordine ad veram beatitudinem ſiue naturalē. ſiue ſupernaturalem. Tunc autem lex facit homines ſecundum quid bonos, quando dirigit in id, quod non eſt verum ſed apparens bonū. Et talis lex etiam in his reperitur quæ per ſe ſunt mala, vt latrocinari eſt malum & tamen dicitur Bonus latro, qui leges in latrocinando implet, quamuis hæ impropriè ſint leges.

2. *Sed inſtabis.* Lex ciuilis ſeu Politica non poteſt facere homines ſimpliciter bonos, nam nullus homo ſine gratia & charitate Dei eſt ſimpliciter bonus.

Variæ bonitates ad quas leges inducunt.

Pro reſponſione dico. ſicut variæ ſunt ſpecies legum, ita quoq; ſunt variæ bonitates ad quas leges inducunt. nam Diuina lex intendit homines facere bonos bonitate ſūmè perfecta, nam dirigit ad finem ſupernaturalem cōſequendum, qui in amore filiali & clara viſione Dei conſiſtit. Lex autem humana intēdit ſubditos facere bonos, bonitate ciuili, vt videlicet inter ſe iuſtè benè, & honeſtè viuant. vnde. *ad argumentum dico.* quòd lex ciuilis nō facit homines ex omni parte bonos nam ea ſolùm genera virtutum imperat, ſecundum quæ inter ſe benè & conuenienter viuant; talis autē bonitas in ſuo genere eſt perfecta, & ſic in ordine ad finem hunc ciuilem, facit homines ſimpliciter bonos; quamuis quo ad finem ſupernaturalem qui in gratia & charitate Dei conſiſtit, non faciat.

Solutio obiectionis.

Religionis Chriſtianæ ſumma perfectio eſt.

Vnde hic Medina obſeruat Chriſtianæ religionis ſummam eſſe perfectionem. nam extra illam nulla eſt virtus perfecta, nam ad perfectionem virtutis requiritur cognitio Dei & relatio in Deum, ſeu vt propter Deum actus virtutum exerceãtur, requiri quoq; gratiam Dei, atq; inprimis chariratem (charitas eſt perfectio legis) quæ tribuit vires vt lex adimpleatur.

Ad virtutis perfectionē quæ requirantur?

Actus ſeu effectus legis quatuor

Cur dicantur actus & effectus?

3. Dico ſecundò. *ſunt quoq; hi quatuor actus ſeu effectus legis* Imperare, Prohibere, Permittere, Punire. *Nota* reſpectu legiſlatoris ſunt Actus, reſpectu ſubditorum ſunt Effectus. *Probatur* Legis officiū eſt actus humanos dirigere. ſed hi actus aut ſunt in rebus per ſe bonis, vt Deum colere, parentes honorare, & hæc lex imperat, aut ſunt in rebus per ſe malis, vt furari, concupiſcere, & hæc lex prohibet: aut ſunt in rebus indifferentibus, quæ v. aliquid bonitatis & malitiæ adiunctæ habeant, & hæc lex permittit. & quia lex ad ſui obſeruationem cogit ſubditos pœnis, idcirco dicitur punire. ergo quatuor erunt actus & effectus legis, *Imperare, Probibere, Permittere, Punire.*

Legis officium quod?

Non eſt neceſſe vt hi quatuor effectus in quauis lege reperiantur.

Nota. non eſt neceſſe, vt hi quatuor effectus in quauis lege reperiantur, ſed ſufficit quòd horum aliquis inueniatur.

Sed inſtabis contra permiſſionem, quòd non ſit effectus legis. Indifferentia ex eo quòd ſint indifferentia liberè exerceri poſſunt. ergo non indigent permiſſione. *Reſpondeo* has

actiones

Quomodo actiones indifferentes cadant ſub legem?

actiones indifferentes ea ratione ſub legem cadere, inquantum poſſunt imperari vel prohiberi. nam contingit pro diuerſitate temporũ & indigentia circumſtantiarum, quòd indifferentia quandoq; ſint illicita, quandoq; neceſſaria, vnde ea ratione legibus imperari aut prohiberi poſſunt.

An lex permittat mala?

4. *Sed quæres* An lex permittat mala? *Reſpondeo breuiter* quòd lex æterna permittit, vt homines peccata cõmittant. nam vt D. Aug teſtis non poteſt aliquid fieri, niſi quod Deus omnipotens velit fieri, vel ſinendo fieri, vt mala, vel ipſa faciẽdo vt bona. ideo autem Deus permittit mala, vt liberum arbitrium hominis conſeruet. nam hominem in manu conſilij eius conſtituit, &

Cur Deus permittat homines mala facere?

ante hominem vita & mors, quodcunque voluerit dabitur ei.

Ratio ſecunda. Tum quia ad vniuerſalem prouiſorem ſpectat aliqua mala permittere, ne bonum cõmune impediatur, & ſic permiſit primum hominem peccare, ex quo Incarnatio VERBI ſubſecuta, quod ſummam homini perfectionem attulit. Lex verò naturalis permittit ea quæ ſunt indifferentia, quæ neq; ſunt prohibita, neq; præcepta. Lex ciuilis permittit minora mala, ad euitanda maiora, vt exercitia vſurarum, fornicationum, ita quod hæc mala nec per priuatos impediuntur nec à Iudice puniuntur, & ſic lex ciuilis his malis dat impunitatem, ſed à Deo grauiſſimè puniuntur.

DISPVTATIO IV.

De Lege æterna.

Poſt explicationem Legum in genere factam, nunc de ijs in ſpecie & primò de Lege æterna, circa quam quinque Quæſita reſoluenda proponimus:

1. *Quid ſit Lex æterna & quotuplex?*
2. *An ſit omnibus nota?*
3. *An ab ea omnis lex deriuetur?*
4. *Quænam ſunt quæ illi ſubijciantur?*
5. *De illius immutabilitate & obligatione.*

QVÆSITVM I.
Quidnam ſit Lex æterna, & quotuplex?

1. Lex æterna quid ſit?

DIcò primò ſecundùm D. Th. q. 93. a. 1. *Lex æterna eſt ratio Diuinæ ſapientiæ in quantum eſt directiua omnium actuum & motuum, & per hanc creaturæ diriguntur ad finem ſibi connaturalem.* Pro intelligentia definitionis

Duæ ſunt nobiliſſimæ actiones quæ Deo attribui ſolent.

Noto primò. Duæ ſunt nobiliſſimę actiones quæ Deo attribui ſolent: *prima* eſt creatio: *ſecunda* gubernatio: per creationem res quæ prorſus non erãt in ſuis naturis exiſtẽtiam ſo. tiuntur: per gubernationẽ verò eædem res creatæ gubernantur, vt ſuos fines conſequi poſſint. & hæc gubernatio cuiuſlibet creaturæ dicitur *Lex æterna*, quia eſt directiua omnium actuum & motionum.

Quomodo Deus ad extra aliquid operetur?

Noto ſecundò. cùm Deus ſit agens perfectiſſimum idemque cùm operatur ad extra, non niſi mediante cognitione agit, vnde ad hoc intellectus & voluntas concurrunt tanquam cauſæ omnium rerum. Antequam autem ad extra Deus agat, primò intra ſe præconcipit quandam cognitionem ſeu formam, ſecundùm quam vult operari, quemadmodum artifices dum intendunt aliquod opus producere intra ſe Ideam illius operis producunt, & ad illius imitationem opus efformant. & quia Deo etiam conuenit ratio gubernandi, idcirco etiam intra ſe producit rationem dirigendi creaturas per certa media in ſuos fines. vnde in Deo erunt duæ rationes exſiſtentes, quarum vna eſt operandi ad extra, & dicitur *Idea*, altera verò dirigendi creaturas, & dicitur *Lex æterna*. vnde Lex æterna non eſt ratio per quam res creatæ producuntur, ſed per quam creaturæ in ſuos fines diriguntur.

In Deo ſunt duæ rationes exiſtẽtes.

Nota. Lex æterna cum prouidentia coincidunt in eo quòd creaturas in ſuos fines dirigant. ſed in eo differunt, quòd lex ęterna per quaſdam cõmunes regulas dirigit. Prouidentia verò vnamquamq; rẽ per ſingulares regulas moderatur.

Lex æterna cum prouidentia in quo coĩcidat & differat?

2. Dico ſecundò. *Lex æterna dupliciter conſiderari poteſt: primò* materialiter ſeu obiectiuè, & ſic pro diuerſitate materiæ multiplex aſſignari poteſt, v. vt alia lex æterna ſit neceſſariorum, alia contingentiũ, alia creaturarum rationabilium: *ſecundò* formaliter, & ſic eſt vna & ſimpliciſſima duplici de cauſa *primò* quia ordinat ad vnum finem qui eſt bonum commune: *ſecundò* quia lex æterna idem eſt eſſentialiter cum Dei Eſſentia. ſed Dei Eſſentia eſt vna & ſimpliciſſima. ergo & lex æterna erit vna & ſimpliciſſima.

Lex æterna quotuplex?

Sed dices. repugnare legi æternæ, vt ad aliquem finem referri poſſit, nam cum ſit idem quod Deus, & Deus ad nullum finem refertur, ſed ad Deum omnia referuntur. *Reſpondeo.* Lex æterna vt eſt in Deo, & idem eſſentialiter quod Deus ad nullum finem refertur. ſed lex æterna inquantum eſt directiua creaturarum, ita intẽdit finem non ſuũ per quem in aliud referatur, ſed creaturarum ad quem illas refert.

Lex æterna quomodo in aliud finem referatur?

QVÆ

QVÆSITVM II.
An Lex æterna omnibus ſit nota?

3. IN hoc Quæſito non inquirimus: *an ſit omnibus notum eſſe legem æternam*? nam hoc omnibus notum, ſed inquirimus *an ſit omnibus nota?* quænam ſit & qualis hæc lex æterna? ad Quæſitum.

Dico primò *legem æternam conſideratam in ſe ſeu vt eſt in Deo, nullus cognoſcit, niſi ſolus Deus & Beati.* PROBATVR. Lex æterna idem eſt eſſentialiter cum Eſſentia Diuina. ergo qui cognoſcit Eſſentiam Diuinam cognoſcit & legem æternam. ſed ſolus Deus & Beati cognoſcunt Eſſentiã Diuinam, quia eam intuentur. ergo ſolus Deus & Beati eam cognoſcunt.

4. Dico ſecundò. *Lex æterna in quantum eſt in ſuo effectu ſecundùm maiorem aut minorem irradiationem, ita à creatura rationali cognoſci poteſt.* PROBATVR. quælibet creatura rationalis cognoſcit rerum veritates, habet enim ad hoc impreſſa ſibi adiumenta, v. lumen rationis, & cõmunia principia. ſed hæc impreſſa ſunt per irradiationem incommutabilis veritatis quæ eſt lex æterna. ergo vt ſic cognoſcit eam creatura rationalis. *Item* prouidentia Dei & alia attributa, vt quod ſit *omnipotens infinitus, immenſus, &c.* cognoſcuntur ab hominibus per naturalem Philoſophiam, in qua ſplendet lumen rationis. ergo & lex æterna cognoſcetur. *Deinde* D. Aug. *lib. 1 de lib. arb. cap 6.* expreſsè affirmat, æternæ legis notitiam nobis eſſe impreſſam, v. per lumen rationis naturalis, in quo ſunt principia tanquam ſemina inſerta veritatis cognoſcendæ.

Deniq; Iob dicit: *Interroga iumenta, & docebunt te, interroga volatilia cæli, & dicent tibi.* quid eſt hoc *Interroga iumenta & volatilia?* v. homo rationalis non ſolùm ex hoc effectu, ſcilicet ex lumine naturali rationis quod conſitum principijs communibus radiat, ſed etiam ex effectis aliarum creaturarum, quos in actionibus ſuis obſeruat lex æterna cognoſcenda, ſiquidem hæc certo tempore ineunt connubia & cantu aërem implent, & certò ab his abſtinent, quæ non à caſu ſed ex ordinatione legis æternæ proueniũt.

QVÆSITVM III.
An à Lege æterna omnis lex deriuetur?

Quomodo leges deriuentur à lege æterna?

5. **A**D Quæſitũ dico *omnes leges in quantum participant de recta ratione, in tantum deriuantur à lege æterna.* PROBATVR Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Et D. Aug. lib. 1. de lib. arb. dicit *quòd in lege temporali nihil eſt iuſtum atq; legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines deriuarint.* Et *Ratio eſt.* ſecundum Ariſt. 1. Metaph. *Primum in vnoquoque genere eſt menſura reliquorum.* ſed Lex æterna in genere omnium legum eſt quid primum. ergo eſt regula cæterarum legum. ergo ab illa deriuantur. *Confirmatur.* Sicut enim ſecundarij motores motum ſuum deriuant à primò motore; & ſicut inferiores artifices deriuant ſuas rationes in operando à primo artifice tanquam à regula; ita inferiores rectores deducunt ſuas rationes in gubernando à primo Rectore. ſed rationes inferiorum Rectorum ſunt leges & ratio ſuperioris rectoris eſt lex æterna ergo à lege æterna omnes leges deriuãtur. *Præterea.* Leges humanæ & Diuinæ aut proueniunt mediante diſcurſu rationis ex principijs ſuapte natura notis? aut ex prĩcipijs reuelatis? ſed lex humana oritur ex principijs ſua natura notis, lex Diuina ex principijs reuelatis. atqui hæc principia tam reuelata quàm ſua natura nota ſunt à lege æterna. ergo & leges tam humanæ quàm Diuinæ ſunt à lege æterna.

An lex fomitis à lege æterna deriuetur?

6. *Quæres.* An lex fomitis ſeu concupiſcentiæ à lege æterna deriuetur? *Reſpondeo* Nos hic loqui de Lege propriè dicta qualis non eſt lex fomitis. Ea tamẽ ratione poteſt dici quòd deriuetur ab æterna in quantum Deus ſtatuit permittere vt eſſet in pœnam peccati primi parentis.

Obiectio et ſolutiones.

Inſtabis. Leges humanæ ſunt quæ peccata permittunt ergo hæ non deriuãtur ab æterna. *Reſpõdeo* quòd lex etiam peccata permittens, ea ratione à lege æterna deriuatur, quia lex æterna iubet omnia fieri ſuauiter, tũc autẽ fiũt ſuauiter cũ curſus rerũ nõ impediatur, & cũ humana ſit defectibilis fit cũ ea ſuauiter cũ ei deficere permittitur. Tãdẽ Legiſlator cũ permittit peccata, idẽ ea de cauſa facit quia impedire non poteſt, nam lex æterna non obligat eum ad impoſſibilê, vt ea faciat quæ non poſſit. ſed ſi lex ea malá permittat quæ poſsit & debet impedire, & ſic nec lex dici debet, nec ab æterna deriuatur.

QVÆSITVM IV.

An omnia ſubiiciantur legi æternæ?

Res omnes creatæ legi æternæ ſubijciuntur.

7 **P**Ro reſponſione Dico. *Omnes res creatæ quæcunq; illæ ſunt ſubijciuntur legi æternæ, & hæ aut ſunt neceſſariæ, aut contingentes, aut humanæ. ergo omnes ſubijciuntur legi æternæ.* PROBATVR. primum. *quod res neceſſariæ ſubijciantur, ſed non illæ quæ pertinent ad Eſſen-*

ad Eſſentiam Diuinam. Quæcunque ſubduntur gubernationi Diuinæ ſubijciuntur & legi æternæ. Atqui omnia quæ Deus creauit ſunt ſub illius gubernatione. ergo & ſub illius lege æterna. Iob. 38. *Quis conclusit oſtiis mare.* Et inferius. *vsq; huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* quòd aquæ marinæ limite certo concludantur, id fit à lege æterna, Et cum aquæ ſit agens neceſſarium. ergo neceſſaria ſub lege æterna.

Obiectio ... ſolutio.

Sed inſtabis. Neceſſaria non opus habent lege æterna qua regantur, quia eorum natura eſt vt aliter ſe habere non poſſint. *Reſpondeo* quòd neceſſaria eodem modo & non aliter ſe habeant id habent ex ordinatione legis æternæ & in eſſendo & in operando. nam à lege æterna ſecundùm inſtitutionem ſuæ naturæ conſeruantur. *Tum* quia ſecundum principia impreſſa ſibi à lege æterna operantur.

Eſſentia Diuina legi æternæ an ſubijciatur.

8. Probatvr deinde *neceſſaria quæ pertinent ad Eſſentiam Diuinam non ſubijciuntur legi æternæ.* quia hæc cum lege æterna ſunt idē realiter, ſubiectio autem non eſt niſi inter diuerſa, quorum quidem vnum eſt inferius & imperfectius.

Sed dices. Voluntas Dei ſequitur dictamen Diuinæ ſapientiæ, & voluntas ad Eſſentiam Dei ſpectat. ergo voluntas Dei ſub lege æterna *Reſpondeo.* quòd voluntas Dei & lex æterna ſunt idem à parte rei, vnde dependentia ſeu ſubiectio vnius ad alterum eſſe non poteſt. ſecundùm tamen noſtrum modum concipiēdi benè poſſumus dicere, quòd Diuina ſapientia illiusq; ordinatio ſit ratio voluntatis Diuinæ, *Tum* & hoc dici poteſt. quòd hæc ſubiectio ratione volitorum conſiderāda, non autem voluntatis Diuinæ.

9. Probatvr alterum. *quòd naturalia contingentia ſubijciantur.* Pſ. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Per hoc *Verbum quod faciunt res naturales* intelligimus ordinationem legis æternæ illis impreſſam qua inclinantur vt ad ſuos motus naturales ferantur. Eadem quoque naturalia contingentia faciunt verbū Dei, quando modo extraordinario iuxta ſpecialem Dei ordinationem concurrunt ad aliquid præſtandū, vt cum mundus diluuio peribat, aquæ, hoc faciebant verbum quod illis æterna lex ordinauerat, vt pugnarent pro Deo cōtra peccatores.

Naturalia contingentia legi æternæ ſubijciuntur.

Sed inſtabis. Cōtingētia ideo quia ſunt contingentia & inſtabilia certa lege gubernari non poſſunt. *Reſpondeo* quòd cōtingentia reſpectu cauſarum ſecundarum à quibus immediatè producuntur ſunt contingentia. ſed reſpectu Dei qui immutabili ordinatione etiam inſenſibilia regit. ſic neceſſario eueniunt & ſubiacent legi æternæ. Nam ſecundùm Dei conſtitutionem habent viciſſitudinem v. quòd generentur & corrumpantur.

Contingentia quomodo ſubiaceant legi æternæ?

10. Probatvr. tertium. *quòd etiam res humanæ, æternæ legi ſubijciantur. Primò.* quia vt cæteræ res ita & homo habet impreſſum principiū operandi per quod inclinatur ad propriam operationem. Et hæc impreſſio eſt à lege æterna: *ſecundò* quia in ratione habet lumen naturale quo mediante cognoſcit Deū & illius leges ſecundum quas vitā & actiones ſuas moderari debet.

Res humanæ legi æternæ ſubijciuntur.

Nota

Qui ſubijciantur legi æternæ?

Nota Huic legi æternæ ſubijciũtur & boni & mali, ſed boni perfecto modo, nam inclinatio in bonis qua ad bonum feruntur promouetur à motiuo gratiæ & charitatis, & naturalis cognitio augetur à lumine fidei & ſapientiæ, vnde in bonis inclinatio & cognitio eſt perfecta. Mali verò imperfecto modo ſubijciuntur, quia inclinatio naturalis ad bonum per habitus vitioſos corrumpitur, cognitio verò per motus paſſionum obtenebratur. Ijdem mali ratione actionis quam non conformant legi æternæ imperfectè ſubijciuntur, ſed ratione paſſionis perfectè ſubijciuntur, & ita quod actioni deeſt id à paſſione ſuppletur hoc eſt, recuſauit peccator ſubiici legi æternæ, quoad actiones honeſtas Diuinis mandatis obtemperando, iam autem quo ad pœnam debebit ſubijci; nam eadem lege æterna cautum, vt præuaricatores legis puniantur.

An peccata ſubiiciantur legi æternæ?

Sed quæres. An peccata ſubiiciantur legi æternæ? *Reſpondeo* ſubijci non ſolùm materialiter ſed etiam formaliter tribus de cauſis: *Prima* quia ſtatuit Deus ab terno permittere peccata ex quibus bona colligat: *Secunda* Subſunt quo ad prohibitionem quia peccata prohibet Deus: *tertia* quo ad punitionem, quia illa & in præſenti & in futura vita punit.

QVÆSITVM V.

Quænam ſit Immutabilitas & obligatio legis æternæ?

Lex æterna dupliciter ſumitur.

II. QVantum ad immutabilitatam Dico. *Lex æterna vt præſcribit ordinationem rebus quæ illi ſubijciuntur, eſt mutabilis: vt verò eſt in mente diuina ab æterno eſt immutabilis.*

Quomodo lex æterna ſit mutabilis?

PROBATVR. *primum.* quia res ſublunares & ex materia conſtantes ſunt mutationi obnoxiæ. *probatur ſecundum.* eſt æterna. ergo immutabilis, id enim æternum quod incommutabile. *item* hæc lex quicquid præſcribit, ab æterno inuariabiliter præſcribit, quãuis hoc ipsũ ex parte rei materialis ad tempus ſit duraturum. ergo.

Illud quod per legem æternam ordinatur non eſt neceſſe vt ſit æternum.

Nota Illud quod per legem æternam ordinatur non eſt neceſſe vt ſit æternum, nam poteſt eſſe temporale: ſicut enim ſcientia Dei eſt æterna nec tamen quicquid per illàm cognoſcitur eſt æternum; ita lex æterna eſt quidem æterna ſed non eſt neceſſe vt per eam ordinata ſint æterna, nam poſſunt eſſe mutabilia quæ ordinat Et ſic Lex vetus & antiquæ obſeruationes, cæremoniæ &c. ſunt per legem æternam conſtituta, duratio tamen illorum ſolùm ad tempus certum manſit, vſque ad legem Euangelij, (vt inferius patebit.)

Nota ſecundò cum hac mutabilitate rerum humanarum, benè ſtare immutabilitatem legis æternæ, ideo enim res humanæ variantur, quia

Cum muta- ſtate re- tum huma- ... bene ... immu ... litas le- ... æterna.

quia ſic lex æterna illarum variationem præſcripſit. Iuxta illud Pſal. 101. *Ipſi peribunt tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent; & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient.*

Lex æterna ... ando obligare ... cœpit.

12. QVANTVM ad obligationem dico. certum eſſe quòd lex æterna ea omnia quæ illi ſubijciuntur ad ſui obſeruationem obligat: ſed cum Promulgatio ſit neceſſaria ad legem conſtituendam. *dico* quòd tunc obligare cœpit quando eſt promulgata: diximus autem ab æterno fuiſſe promulgatam verbo. ſed quia lex nos homines tāquam ſubditos Dei reſpicit, & nos in tempore ſumus; idcircò *dico* creaturæ rationali in tempore fuiſſe promulgatam, tum lumine naturali, tum per effectus: ſicut ſol dicitur videri in radio per illuminationem; tum per ſacram ſcripturam, per traditiones, per leges humanas tam Eccleſiaſticas quàm Politicas. His igitur & alijs modis promulgatio legis æternæ creaturis rationalibus innoteſcit.

Legis æter. ... reli- ... diffe- ...

Nota Quòd hæc lex æterna plurimùm à reliquis differt, ita quòd nobiliori & altiori modo dicatur eſſe lex quàm reliquæ. nam hæc lex dicitur verbo promulgari, vnde Filio Dei, iam autem Filius Dei imperio legis nullo modo ſubiacet: *Tum* lex hæc æterna eſt ipſius Dei ſecundum quam creaturas in fines naturales dirigit, Deo autem nulla propriè dicta lex conuenit, vnde hæc lex æterna, eſt lex eminentiori modo.

13. *Sed quæres*. An aliqui ab illius obligatione ſint excepti? *Reſpōdeo* tunc aliquis ab obligatione legis æternæ poteſt excipi cum quis in aliquo tempore ex certis circumſtantijs tenebatur ex lege æterna aliquid facere; ſed diuerſo tempore & nouis circumſtantijs ſuperuenientibus ad id faciendum non tenetur. Et hac ratione poteſt aliquis ab obligatione legis æternæ eximi, quamuis illa lex in Deo perpetuò & immutabiliter duret, tunc autem à lege æterna liber eſſe non poteſt cū quis eo tempore & his poſitis circumſtantijs non facit aliquid quod ex lege æterna debuit facere. *Probatur*. ſequeretur enim in Deo dari mutationem ſi prius præſcriberet & poſtea ab illo præſcripto hominem eximeret. Tandē illud præſcriptum ab æterno fruſtra eſſet ſiquidem non obligaret. An aliqui à legis æternæ obligatione ſint excepti?

Nota. Solus Deus qui eſt ſuprem⁹ omniū qui leges cōdunt in ſua lege æterna ideo immutabilis eſt, quia ille certò & infallibiliter ab æterno cognoſcit quicquid ſit futurū. Reliqui verò quia certò nō poſsūt de futuris cōtingētibus ſcire legū cōditores, ideo poſſunt aliquos à lege eximere quos prius obligarant. Cur Solus Deus in ſua lege æterna ſit immutabilis?

DISPVTATIO V.

De Lege Naturali.

Sex de lege Naturali Quæſita reſoluenda proponimus.

1. *An lex naturalis ſit habitus?*
2. *An plura præcepta habeat?*
3. *An ſit vna?*
4. *Quam vim obligandi habeat?*
5. *An lex naturalis ſit ita mutabilis quòd etiam ex corde hominis aboleri poſſit?*
6. *An admittat diſpenſationem?*

QVÆSITVM I.

An Lex Naturalis ſit habitus?

Lex naturalis non eſt propriè habitus.

1. Dico primo cũ S. Doct. *Lex naturalis non eſt propriè & eſſentialiter habitus.* PROBATVR. Lex eſt quiddam per rationem conſtitutum ſeu eſt quoddam opus rationis, ſicuti eſt propoſitio, vt enim propoſitio ex terminis per rationẽ componitur, ita quælibet lex aut ex principijs reuelatis, aut ſua natura notis per rationem colligitur. ergo non eſt habitus. *Conſequentia* Principium enim quo quis agit, & opus quod quis agit, qualis eſt lex diſtinguuntur inter ſe.

Ratio ſecunda. Omnis habitus eſt ad vnum determinatus ſ. aut ad bonum tantùm, aut ad malum tantũ. ſed lex naturalis non eſt determinata ad bonum tantùm aut ad malum tantùm ſed ſic ſe habet quòd prohibet mala, præcipit autem bona. ergo lex naturalis nõ eſt habit⁹

Ratio tertia. Quilibet habitus ſiue ſit infuſus vt fidei, ſpei, &c. ſiue acquiſitus vt Logicus, Metaphyſicus, ſimpliciter loquendo poteſt remoueri à ſuo ſubiecto in quo eſt. ſed lex naturalis nullo modo ſeparari poteſt ſaltim in actu primo vt in pueris & in mente captis contingit in quibus lex naturalis non eſt in actu ſecundo, cum in his ſit quædam carentia vſus rationis. ergo lex non eſt habitus.

Ratio quarta. Habitus morales cõparantur ex actibus frequentatis. at lex naturæ non acquiritur ſed eſt implantata naturæ rationali ita neceſſariò vt ab ea ſeparari nõ poſſit. ergo non eſt habitus.

Lex natura- lis qua ... tione p... dici hab...

2. Dico ſecundò *Lex naturalis impropriè & ea ratione poteſt dici habitus ſecundum quam id dicitur habitus quod habetur ſiue habitu tenetur.* PROBATVR. Præcepta legis naturalis vt: *Quòd bonum & honeſtum ſit amplectendum malum & turpe fugiendum:* aliquando à ratione actu conſiderãtur, aliquã do in ea ſunt ſecundum permanentiam, & per conſequens ſecundùm habitum. ergo lex naturalis impropriè eſt

priè eſt habitus. *Deinde* Tranſacto actu manet iudicium & dictamen rationis, nam adhuc recta ratio iudicat & ſimul imperat aliquid agendum. Atqui hoc iudicium & illius actus manet in nobis. ergo lex naturalis eſt impropriè habitus. *Præterea* Quamuis recta ratio non ſemper iudicet atque etiam præcipiat hæc vitanda illa verò amplectenda, ſemper tamen eſt apta nata iudicare atque etiam præcipere, vt quæ ſunt rectæ rationi conuenientia agantur, quæ verò ſunt repugnantia vitentur, ergo quodam modo eſt habitus.

Lex naturalis eſt actus & operatio intellectus.

Dico tertiò. *Lex naturalis eſt actus & operatio intellectus ſeu id quod eſt conceptum per modum actus.* PROBATVR. Lex omnis formaliter & propriè debet eſſe iudicium & dictamen rationis practicæ. ſed hoc ipſum iudicium practicum eſt actio non autem habitus, nam non manet in dormiente nec in furioſo in quibus remanere habitus dicuntur. ergo eſt actio. *Item* Lex omnis neceſſariò includit & ſupponit in ſe imperium ſed imperium eſt actus intellectus. ergo & lex naturalis eſt actus. *Deinde* Lex naturalis eſt quædam præſcriptio rectæ rationis qua per lumen inſitum nobis à natura cognoſcimus quænam ſint agenda? & quæ vitanda? ſed hæc dicunt rationem actus. ergo lex naturalis eſt actus.

Quid ſit Syntereſis? quid conſcientia?

3. Dico quartò. *Lex naturalis non eſt ſyntereſis nec cōſcientia.* PROBATVR *primum*. Syntereſis eſt quoddam lumen habituale noſtræ menti inſitū à natura ad hoc vt clarè percipere poſſimus prima principia practica; & ex his ratiocinando poſſimus in particulari iudicare quid voluntati ſit ſequendum, quid fugiendum. ergo non eſt lex naturalis, ſicut enim habitus intellectus nō eſt collectio principiorum, ſed eſt lumen ex quo virtus aſſentiendi reſultat? ita Syntereſis nō eſt collectio principiorum practicorum, ſed eſt lumen ſeu virtus aſſentiendi dictaminibus rationis quæ ſunt principia practica. Lex autæm eſt collectio principiorum. ergo à ſynthereſi differt. *Præterea* ſyntereſis eſt habitus quia hebet lumen quo inclinamur ad aſſentiendum principijs, & lex naturalis non eſt propriè habitus. ergo differt.

Syntereſis non eſt lex naturalis.

PROBATVR alterum. *quod lex naturalis non ſit conſcientia.* nam lex eſt quædam regulá generalis circa agenda: conſcientia verò eſt dictamen practicum particulare, ſeu applicatio legis naturalis ad opus particulare. *Deinde* Lex naturalis verſatur circa agenda, conſcientia verò circa facta, vnde conſcientia dicitur ligare, accuſare teſtificari.

Lex naturalis à conſcientia quomodo differat?

4. *Ex his omnibus* talis definitio legis naturalis colligenda. *Lex naturalis eſt iudicium naturale ſeu dictamē rationis pacticæ, quod per lumen rationis ab æterna lege impreſſum cognoſcimus, quænam ſint agenda? & quæ fugienda?* Ideo Legem naturalem appellamus *Iudicium & Dictamen rationis*, quia debet eſſe formaliter actus, non autē habitus: Ideo dicimus eſſe *rationis practicæ*, quia primo & per ſe non ad cognoſcendum ſed ad agendum ordinatur: ideo dicimus eſſe *Lumen à lege æterna impreſſum*, quia ab authore naturæ & ab illius lege æterna vim & authoritatem ſuā ſumit: ideo dicimus: *Per eam cognoſci, quæ ſint agen-*

Legis naturalis definitio.

Explicatio definitionis.

ſint agenda vel ſugienda. ſcilicet in genere & in vniuerſum, & ſic à ſyntereſi & conſcientia differt quòd hæc in actionibus ſingularibus verſetur & imperat quid hic & nunc agendum vel fugiendum.

Alia legis naturalis definitio ex S. Scriptura

Vel ex doctrina S ſcripturæ & SS. Patrum ſic breuiter accipe: *quòd lex naturalis ſit deſcripta in cordibus hominum ab authore naturæ Deo.* Et ſicut carentia ratione habent vires ſecũdum quas ad agendum conuenienter naturæ ſuæ inclinantur, ita creatura rationalis habet inſita quædã cõmunia prĩcipia quæ inclinãt homines ſeruata illius libertate vt his aſſentiatur & ſecundũ hæc operetur. Sunt autem hæc cõmunia principia. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Et *Quæcunq, vultis vt faciant vobis homines, & vos facite.* Et *Bonum eſt amplectendum, malum fugiendum.*

Principia communia quæ?

QVÆSITVM II.

An Lex Naturalis plura præcepta habeat?

In lege naturali plura & diuerſa præcepta continentur.

5 DIco primo. *In Lege naturali plura & diuerſa præcepta cõtinẽtur.* Præcepta Decalogi ſunt multa v. *Deum colere, Parentes honorare, rem alienam non concupiſcere.* Et hæc ſunt iuris naturalis, nam etiãſi nulla lex Diuina de his extaret ea tamen homines ex dictamine legis naturalis adimplerent. ergo ſunt plura præcepta legis naturalis *itẽ.* Lex naturalis conſurgit ex his principijs per ſe notis, *omne bonum amplectendum, omne malum fugiendum;* & ex his alia deducuntur, ergo in lege naturali plura præcepta. *Deinde* Lex naturalis plura præcepta dictat, *Deum eſſe colendum. Parentes honorandos. ex mutuò in quantum eſt mutuum nihil ſperandum.* ſed hæc præcepta ſunt diuerſa, quia de diuerſis rebus, & de diuerſis officijs illis impendendis. ergo non ſolùm plura præcepta, ſed etiam diuerſa.

Hæc plura præcepta quo reli... conſiſtũt.

6. Dico ſecundò. *Hæc tamen plura ac diuerſa præcepta vno tanquam reliquorum fundamento conſiſtunt, videlicet Bonum eſſe amplectendum.* PROBATVR. Sicut enim in ſpeculatiuis ſcientijs ſũt plura indemõſtrabilia principia, hæc tamẽ in hoc vno cõmuniſſimo fundamento v. *De eodem idem affirmare & negare eſt impoſſibile.* Ita in cognitione practica omnia naturæ præcepta in hoc vno radicantur. *Bonum eſt perſequendum, malum fugiendum;* ita quòd omnia facienda ſunt ſub ratione boni vitanda ſub ratione mali.

Pluralitas principiorum variè diſtinguitur.

Dico tertiò. *Hæc pluralitas principiorũ variè diſtinguitur. Primò.* Ex parte perſonarum adquas ordinantur, nam quædam ad Deum, quædam ad perſonam proximi, quædam ad propriam perſonam ſpectãt. *Secũdò diſtinguuntur* ex intellectu humano, nam quædam ſunt communiſſima præcepta & omnibus nota vt quod *bonum*

bonum ſit amplectendum. quædam per ſe & in ſe nota non tamen vniuerſaliter quoad omnes homines, ſed ſaltim quoad ſapientes vt: *quòd rebus humanis non ſit fidendum.* Quædam ſunt quæ diſcurſu indigent vt ex alijs notioribus innoteſcant.

Tertiò diſtinguuntur ſecundum diuerſas hominis inclinationes. *Primò.* enim ineſt homini inclinatio ad bonum conueniens ſuæ naturæ, & in hoc cum alijs brutis conuenit nam omnia ſuum bonum appetunt, & ad illud inclinantur. *Secundò* ineſt homini inclinatio quòd cupiat ſuæ ſpeciei conſeruationem ſicut cætera animalia, & ſic ad generationem & ad ſuſceptæ prolis educationem inclinatur: *tertiò* ineſt homini in quantum eſt rationalis inclinatio vt veritatem cognoſcat & ignorantiam vitet, ne in multis offendat & ſic videre licet in ſpecie & in particulari leges naturales eſſe multiplices; ſed in genere vnum eſt præceptum legis naturalis ad quod reliqua reuocantur. v. *Bonum ſequendum, malum fugiendum.*

7. *Sed quæres.* An actus virtutũ ad legem naturalem pertineant? *Reſpondeo* & inhærendo reſolutioni S. Doctoris dico *quòd actus virtutum cõſiderati in quantum ſunt virtuoſi, ſint de lege naturali.* PROBATVR. Id ad legẽ naturalem ſpectat, ad quod homo ſecundum naturam inclinatur, ſed inclinatio ineſt homini vt ſecundũ virtutem viuat, ſiquidem vnumquodque naturaliter inclinatur ad operandum ſecundum ſuam formam, vt ignis ex propria forma ad calefaciendum inclinatur. ſed hominis forma propria eſt anima rationalis. ergo ſecundum eam inclinabitur ad viuendum ſecundùm rationem, ergo & ad viuendum ſecũdum virtutem.

Dico deinde. *Si actus virtutum conſiderentur in particulari & in ſua propria ſpecie, ita non omnes actus ad legem naturalem ſpectant.* PROBATVR. Multa enim ab homine fiunt & quidem ſecundùm virtutem, vt carnis afflictio ſit Cilicio, ieiunio, ad quæ homini non ineſt naturalis inclinatio ſed ea homines per rationis inquiſitionem inueniunt quòd ad bene & beatè viuendum conferant.

Sed quæres. rurſum An hæc reſolutio S. Doctoris in communi de omnibus virtutibus tam acquiſitis quàm infuſis ſit intelligenda quod hæ pertineant ad legem naturalem?

Pro reſolutione dico. *Naturale ſeu id quod eſt ſecundum naturam dupliciter accipitur.* primò *pro eo quod lumine naturali euidenter cognoſcitur, & ſic rationes virtutum infuſarum ad legem naturalem non ſpectant. ſed tantum acquiſitarum.* Nã virtutes infuſæ vt fides, ſpes &c. & conſilia Euangelica ſũt ordinis ſupernaturalis, nec naturaliter cognoſci poſſunt. ergo vt ſic ad legem naturæ non ſpectant. *Secundo* ſumitur *Naturale pro eo quod eſt naturæ conueniens, aut quia eam perficit, & ſic etiam virtutes infuſæ & concilia Euangelica ad legem naturalem ſpectant.* Hæc enim omnia licet ſint ordinis ſupernaturalis, plurimùm tamen ad maiorem perfectionem naturæ conferunt & ſicut gratia non deſtruit ſed perficit naturam, idem de infuſis virtutibus & conſilijs Euangelicis dicendum, quòd eam perficiant.

Naturale dupliciter conſiderari poteſt.

QVÆSITVM III.

An Lex naturalis ſit vna apud omnes?

Lex naturalis dupliciter conſiderari poteſt.

8 PRo reſponſione ſuppono, Lex naturalis dupliciter conſideratur aut ſecundùm ſua communia & generalia principia vt *quod bonum ſit amplectendum malum verò ſugiendum?* aut ſecundùm particularia præcepta in quantum ex primis deducuntur? Si primo modo conſideretur, *ſic eſt vna lex apud omnes.* PROBATVR Omnes homines ſemper & vbique agnoſcunt & iudicant bonum eſſe proſequendum, malum fugiendum. Et hæc proprietas non eſt alicuius indiuidui, ſed omnem naturam hominis conſequitur. ergo vna erit lex naturalis apud omnes. *Si poſteriori* modo conſideretur in quantũ ex illis principijs leges particulares deducuntur, *ſic non erit eadẽ lex apud omnes neq; quo ad notitiam, neq; quo ad rectitudinem.* PROBATVR. Sicut de legibus particularibus ſumuntur iudicia ex varijs circumſtantijs ita & rectitudo illarum ex circumſtantijs ſumenda. ſed contingit circumſtantias mutari, ita quod certum & rectum erat ex hac circumſtantia, iam ex alia ſuperueniente & mutatione facta deſinit eſſe certum. *Verbi gratia.* Ex hoc principio legis naturalis. *Quod tibi non vis alteri ne feceris.* ſequitur hoc *Res aliena inuito Domino non eſt detinenda. Tum* ſit caſus quòd aliquis depoſitum alterius habeat, tunc lex naturæ ſi repetatur, iubet vt res aliena reddatur, ſed ſi hæc circumſtantia ſuperueniat, quòd Dominus depoſiti ſit furioſus, & velit illo in ſuam perniciem abuti; aut ſi ſit hoſtis Reipublicæ, tunc non eſt rectum depoſitum reddere; & huius rei lex naturalis eſt author, quia ſicut demóſtrat æquum eſſe vt depoſitum reddatur: ita oſtendit iniquum eſſe huic reddere qui eo contra ſuam aut Reipublicæ ſalutem vti velit.

Legis naturalis cognoſcendæ & ignorandæ cauſa duplex.

Nota. Legis cognoſcendæ naturalis aut ignorandæ duplex eſt cauſa. *Prima* ex parte eius qui cognoſcit vt ſi ſit ingenio obtuſo; aut quia omnes circumſtantias ex quibus iudicatur rectum mente non comprehendat: aut quia paſſionibus corruptus eſt, & ideo quid ſit rectũ videre nequit. ſed altera eſt ex parte prĩcipiorũ, illa enĩ præcepta legis naturæ ab omnibus facilè cognoſcuntur, quæ facili negotio ex primis deducuntur. ſed quæ magna induſtria adhibita deducũtur, hæc non ſunt ita nota, vt quòd depoſitum hoſti non ſit reddendum.

QVÆSITVM IV.

Lex naturalis quã vĩ obligãdi habeat

Dico

9. DIco primò. *lex naturalis habet vim obligandi*, ſiquidem ab authore naturæ eſt impreſſa. eademque præcipit honeſta, vetat turpia: eadem lex naturalis tranſgreſſores ſuos punit remorſu conſcientiæ. quæ ex accuſatione & teſtimonio ex remurmurante conſcientia prouenit. ad Rom. 2. *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus.*

Dico ſecundò. *Lex naturalis præcipiendo & prohibendo obligat in conſcientia, illiusq. tranſgreſſores incurrunt reatum non ſolùm venialis ſed etiam mortalis, præſertim in re notabili.* Probatvr ad Rom. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum vt faciant ea quæ non conueniunt.* Et *Qui cum iuſtitiam Dei cognouißent non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte.* Loquitur hic Apoſtolus de ſapientibus quorum cognitio lege naturali nitebatur, & hi quia faciebant digna morte, idcirco incurrebant reatum peccati mortalis. *probatur ſecundò.* Adulterium, furtum, mollities, prohibentur iure naturali vt Apoſtolus deducit ad Rom. 1. ſed ſecundùm D. Paulum 1. Corinth. 6. *Adulteri, molles, rapaces, non poßidebunt regnum Dei.* ergo priuãtur beatitudine. ergo incurritur peccatum mortale. *Probatur tertiũ.* quælibet lex in re notabili obligat ad reatũ peccati mortalis, ergo & lex naturalis. *Conſequentia.* quia omnes leges deriuantur à lege naturali. *Tandem* Pœna æterna incurritur quando eſt actio eiusmodi quæ auertit à Deo tanquam ab vltimo fine & conuertit ad creaturam, conſtituens in ea vltimum finem. ſed tranſgreſſio legis naturalis auertit à Deo & conuertit ad creaturam tanquam ad vltimum finem. ergo incurrit pœnam æternam.

10. *Sed inſtabis.* Lex vt obliget debet promulgari. ſed lex naturalis non videtur eſſe promulgata. *Reſpondeo* legem naturalem ſufficiẽtiſſimè tũc eſſe promulgatã quando eſt inſerta in mentib⁹ hominũ, vox autẽ promulgationis tunc inſonat cùm ratio officio ſuo fungi incipit, tũc enim dictat id quod rationi eſt conſonum, quod item repugnat. Quando lex naturalis eſt promulgata.

Dico tertiò. *Lex naturalis tunc incipit obligare hominem cum ad vſum rationis peruenit, tunc enim tenetur ſe homo conuertere in Deum tanquam ad ſuum finem vltimum ſub pœna peccati mortalis.* Vide eius rei declarationem in Tractatu de peccatis Diſput 19. ſub finem. Et ratio ſuadet dictans Deum eſſe colendum, nam eadem dictante ratione à Deo beneficia accepimus & animæ & corporis. Eadem ratio dictat agnoſcendos & colendos eſſe benefactores. ergo cum ſe vſus rationis exerit tenemur nos ad Deum conuertere. Quando lex naturalis incipiat obligare hominem.

Sed inſtabis. Inueniri plures homines qui negant dari Deum? *Reſpondeo* illos qui tales ſunt eſſe inexcuſabiles, ſiquidem habent à lege naturali multa incitamenta intrinſecus inſerta, quæ Deum eſſe demonſtrãt. *Tum* & ratio illius cognitionis ex rebus naturalibus demonſtrat, vnde quilibet obligatur ſcire Deũ eſſe & ad eum ſaltim tanquam ad finem naturalẽ ſe conuertere. quando vſus rationis ſuum exercitium aggreditur.

11. Dico

Quanta ſit obligatio legis naturalis ?

11. Dico quartò. *Tanta eſt obligatio legis naturalis, vt quidam non ſint veriti affirmare quòd obligatio cuiuslibet legis ſit effectus legis naturalis.* PROBATVR. Tam enim obligatio huius legis humanæ quàm Diuinæ eſt effectus legis naturalis. *Probatur* de Lege humana. quia lex naturalis iubet, & iubendo obligat vt humanæ legi pareamus. ergo obligatio legis humanæ eſt effectus legis naturalis.

Dices Hanc obligationem pendere ex voluntate ſuperioris qui legem ſanxit. *Reſpondeo* hoc non impedire nam etiamſi quis obſtringat ſe voto obedientiæ, & quamuis in eo reddendo interueniat voluntas ſuperioris, nihilominus adhuc obligatio reddendi votum, erit effectus naturalis, Lex enim naturæ iubet reddere id quod eſt promiſſum. ergò & id præcipit reddere quodcunque voluntate ſuperioris iniungitur.

Probatur de Lege Diuina, quòd *illius obligatio ſit effectus legis naturalis.* Lex naturalis obligat vt quoties res aliqua per euidentem declarationem ad cognoſcendum deducitur & intellectui proponitur vt illi aſſentiamus. ſed contingit ſic deduci euidenter (intelligo per euidentiam quòd illa deductio ſit cōueniēs rationi) articulos fidei. ergo obligatio aſſentiendi illis erit effectus legis naturalis. nam non aſſentiri rebus fidei ſufficiēter deductis & propoſitis eſt contra lumen naturæ Hoc Dictum ſic explicamus. aut enim loquitur de obligatione in quantum eſt immediatus & proximus effectus? aut in quantum eſt remotus? vnde.

Explicatio Concluſionis.

12. Dico. *Quod non omnis obligatio poteſt eſſe effectus proximus & immediatus legis naturalis, ſed benè remotus.* PROBATVR. quia lex naturalis non eſt per ſe primò proxima regula actionum humanarum.

Non omnis obligatio poteſt eſſe effectus immediatus legis naturalis.

Nota Quando lex humana imperat aliquid agendum aut non agēdum vt cum vigilias, ieiunium, indicit; tunc talis obligatio eſt à lege humana. Quando autem fundatur in rebus circa quas ſunt actiones & virtutes, tunc obligatio non ex lege humana ſed ex lege naturali oritur. vt lex eſt humana quòd quis iure præſcriptionis acquirat dominium certæ poſſeſſionis, vnde accidit quòd illam poſſeſſionem alius non poſſit ab eo auferre. hæc obligatio quà quis tenetur ne ab eo auferat dictam poſſeſſionem, fundatur in lege naturali quæ prohibet ne rem alienam tollamus.

Nota Ideo legis humanæ obligatio ſumitur ex lege naturali, quia ratio humana ex principijs legis naturalis varias leges humanas deducit, & in illis fundantur. Ideo autem obligatio legis Diuinæ non eſt effectus legis naturæ, quia ratio humana leges Diuinas iam non ex principijs legis naturalis ſed ex reuelatis & ſupernaturalibus deducit.

Cur legis humanæ obligatio naturæ lege naturali ?

Sed dices. Quia cognitio naturalis intercedit (vt iam deductum.) *Reſpondeo* Quòd intercedat tanquā conditio neceſſaria vt obiectum ſufficienter applicetur ad cognitionem ſupernaturalem acquirendam vnde hoc dictamen naturæ ſupponi poteſt tāquā neceſſario & quod inducat obligationem, ſed non eſt cāuſa per ſe ſicut legis Diuinæ ita nec

nec obligationis, ſed ſolùm per accidens. Nam lex naturalis & illius principia & per conſequens cognitio conueniens rationi ſunt ordinis inferioris, vnde non poſſunt eſſe cauſa per ſe cognitionis ſupernaturalis, quæ eſt ordinis ſuperioris.

QVÆSITVM V.
An Lex Naturalis ſit mutabilis?

Lex Natu-ralis quotu-pliciter mu-tari poſſit?

13. Secundùm D. Th. dupliciter mutari poteſt lex naturalis: *Primò* per additionem: *ſecũdò* per ſubtractionem aut defectionem. Pro determinatione.

Lex natura-lis per addi-tionem mu-tari poteſt.

Dico primò. *lex naturalis per additionem mutari poteſt*. PROBATVR Supra legem naturalem plurima ſunt ſuperaddita v. leges Diuinæ, Humanæ quæ ad hominum vtilitatem ſpectant & hæc quidem per legem naturæ non erant præſcripta. ergo hoc modo videlicet per additionem alicuius præcepti, lex naturalis mutari poteſt

Declaratur Lex naturæ eſt vt coniuges per mutuum conſenſum voluntatum matrimonium inter ſe cõtrahant. Et circa hunc actum nihil aliud natura requirit, ſed Conciliũ Tridentinum definiuit, ad firmitatem matrimonij requiri ſupra conſenſum voluntatum vt fiat in præſentia Parochi aut illius vicarij cum duobus teſtibus. ergo hæc lex Eccleſiaſtica aliquid ad legem naturæ addidit, eandemque per talem additionem immutauit.

Declaratur ſecundò. Lex naturæ eſt quæ iubet omnia eſſe communia, ſeu concedit vſum omnium bonorum fieri communem, ſed iure gentium facta eſt nihilominus diuiſio bonorum, agrorum, vt quiſq; ſuã poſſeſſionem propriam habeat, nec cuiquam licitum eſt alterius bona inuadere. ergo per hanc additionẽ in lege naturæ mutatio facta.

Nota. Hæc mutatio non eſt propriè mutatio, ſiquidem lex naturæ ſtante etiam tali additione in ſua integritate manet.

14. Dico ſecundô. *Lex naturalis conſiderata in ſua communi ratione per ſubtractionem non poteſt ſic immutari vt deſinat obligare*. PROBATVR. Lex naturalis eſt quædam imago participata à lege æterna. ſed lex æterna eſt immutabilis. ergo & naturalis eſt immutabilis. *Deinde* Lex naturalis continet prima prĩcipia & concluſiones quæ ex illis immediatè deducuntur. ſed nec prima principia nec concluſiones immediatè deductæ poſſunt mutari. ergo neq; lex naturalis. *Minor* Non principia prima, nam hoc principium *Bonum eſt amplectendum*. mutari non poteſt; ſicut nec ipſum lumen rationis mutari poteſt. nec concluſiones mutari poſſunt. nam hæ ex principijs neceſſarijs & immutabilibus colliguntur. ergo & hæ ſunt immutabiles. Item Hæc principia cõmuniſſima. *Bonum eſt amplectendum, malum*

Lex naturalis quomodo immutari non poſſit.

malum fugiendum, & *quod rationi conuenienter ſit viuendum* &c. legem naturæ faciunt. ſed hæc in nullo deficiunt. ergo nec poſſunt mutari. nam defectus eſt cauſa mutationis quæ fit ad perfectionem rei.

Concluſiones ex primis principijs deductæ mutationem admittunt.

Nota Non negamus quòd cōcluſiones ex primis pricipijs deductæ quandam exceptionem atq; etiam mutationem admittant, vt lex naturæ iubet parentes honorare; ſed ſi fuerint hoſtes patriæ, in hoc caſu honor illis non debetur. Similiter Lex naturæ eſt *Non occides.* ſed in defenſione vitæ, modo id cum moderamine inculpatæ tutelæ fiat, vt cum aliter fieri non poteſt, & ſic permittitur occiſio ſed hæc mutatio eſt ratione materiæ & superuenientis circumſtantiæ, vnde lex vī ſuā obligandi retinet, excepto hoc caſu cum circumſtantijs vel ſimili.

Lex naturalis quoad perſonam particularem mutari poteſt.

15. Dico tertiò *Lex naturalis conſiderata in ordine ad aliquam perſonam particularem, ſic quadam ratione mutari poteſt.* PROBATVR. De iure naturali eſt conſeruatio vitæ propriæ, ſed contingit aliquando alicui priuato vt citra culpam poſſit non cōſeruare vitam. ergo ſic quo ad priuatam perſonam, lex naturalis mutabitur.

Minor Si ſit tempus peſtis & eadem infectus ſit Parochianus, tunc hic in articulo mortis conſtitutus, ſi vocet Parochū ad Sacramentorū adminiſtrationem, & tunc ille ſi nō habeat vicarium tenetur in perſona ſua miniſtrare; et ex præcepto Dei *Diliges proximum &c.* et ex obligatione paſtorali quia *Bonus paſtor animam ſuam dat.* Similiter ſi ciuis videat Rempublicam in extremo periculo conſtitutam, & eādem cum videt quòd priuatus conſeruare poſſit, tenetur periculo mortis ſeipſum exponere.

Declaratur ſecundò. Conſeruatio ſecreti eſt de iure naturali, ſed ſi accidat quòd illud ſecretum vergit in detrimentum Reipublicæ, aut Regis, aut fidei Catholicæ, & ſi ſecreti author monitus ab incepto non deſiſtat, non tenemur ad illius cuſtodiam. ergo lex naturalis vt ſic, quoad perſonam mutari poteſt. ſed hæc mutatio (vt iam dictū eſt) ratione materiæ & interuenientis circumſtantiæ, vnde hæ leges ſimpliciter & abſolutè vim obligandi retinent.

An lex natura[lis] ... men... hom... abo... poſ...

16. *Sed quæres.* An lex naturalis ex mentibus hominum aboleri poſſit. Pro reſponſione cum D. Th. dico duo. *Primò.* quòd lex naturalis quo ad ſua prima & communiſſima principia nulla ratione ex animis hominū aboleri poteſt. Ita D. Aug. inquit *Lex tua ſcripta eſt in cordibus hominum quam nec vlla quidem iniquitas delet.*

Probatur Principia legis naturalis vt quòd *bonum ſit amplectendum malum fugiendum*, non ſolùm nobis ſed etiam in ſe ſunt euidentiſſima. ergo qui hæc ignorat & his nō aſſentitur, oportet vt ſit mente captus *Confirmatur* Illud eſt euidentiſſimum cui diſſentire non poſſumus præſertim præmiſſa cognitione terminorum, & illorum connexionis ad inuicem. ſed talia ſunt principia legis naturalis. ergo euidenter cognoſcūtur. ergo aboleri nō poſſūt.

Ratio ſecunda. Natura intellectualis, & lumen illius naturale extingui nō poſſunt. ergo nec prima principia legis naturalis. *Cōſequētia* quia

hæc prin-

hæc principia cum natura intelle-ctiua ſaltim radicaliter ſunt idem.

Nota (vt Medina deducit) ſi quã-do accidat quòd alicuius hominis intellectus à concupiſcentia ſua il-lectus contra legem naturalem fa-ciat; non tamen dicendum eſt quòd in, corde talis hominis ſit abolita, nam manent hæc principia: *Bonum amplectendum, malum fugiendum*, ex quo remorſus conſcientiæ oriun-tur poſt quoduis malefactum.

...natura- ...omo. ...x intel ...huma- ...ffit a- ...

17. Dico ſecundò *Legem natura-lem quo ad aliquas ſecundarias, & parti-culares concluſiones, quæ aliquomodo ad legem naturalem ſpectant, ſimpliciter autem ad legem poſitiuam pertinent, poſ-ſe ex intellectu humano aboleri* PROBATVR. *experientia.* Sunt pleriq; ita ſceleſti, qui in tantum in pro-fundum malitiæ abierunt, vt quæ-dam peccata exiſtiment nõ eſſe pec-cata, nam de his gloriantur, & ex-ſultant.

Sed inſtabis. ergo ius naturale per deſitionem mutari poteſt? *Reſpon-deo* quamuis homo notitiam deper-dat alicuius concluſionis particu-laris, & deperdat aut propter per-turbationem: aut ob prauam con-ſuetudinem, tamen lex naturæ non deſinit obligare. v.g. ſi quis in Ger-mania eo tempore, quo furtum nõ erat peccatum, furaretur, non illi reputaretur in peccatum; nihilomi-nus talis ob ablationem rei alienæ ſtimulos conſcientiæ pateretur. nã lumen naturæ dictaret illi, *rem alie-nam eſſe reddendam.* Ius natura-le per deſi-tionem mu tari non poteſt.

QVÆSITVM VI.

An Lex naturalis admittat diſpen-ſationem?

18. LOquimur in hoc Quæſito non ſolùm de lege naturali, quæ imprimis principijs cõſiſtit, ſed etiam de præceptis Decalogi, quæ facili negotio ex principijs le-gis naturæ colliguntur.

Quidam vt Occam *in 2. quæſt. 19.* Petrus Aliacus *in 1. diſt. 14.* Almain *Tract. 3. Moral. cap. 15.* affirmãt quòd Deus in omnibus præceptis Deca-logi abſolutè poſſit diſpenſare, etiã auferendo omnem obligationem ab illis. Tum & diſpenſare quod poſſit vt odium Dei quamuis homi-ni voluntarium eſſet, nõ eſſet pec-catum. ſed hæc opinio tanquam abſurda ab omnibus reijcitur.

Scotus in *3. diſt. 37. quæſt. 1.* affir-mat, prima duo præcepta Negatiua vt *Non habebis Deos alienos.* Et *non aſſu-mes nomen Domini Dei tui in vanũ*, quæ dicuntur eſſe Primæ tabulæ, eſſe omnino indiſpenſabilia. De Præ-cepto affirmatiuo Sabbathi ſanctifi-candi dubius eſſe videtur, Reliqua, autem ſeptem præcepta Decalogi quæ ſunt ſecundæ tabulæ, ſentit eſſe diſpenſabilia. Idem ſentit Ga-briel D. Bonau.

Durand. verò *in 1. quæſt. 45.* dicit omnia præcepta negatiua tam Primæ, quàm ſecundæ tabulæ eſſe indiſpenſabilia; ſimiliter & affirmatiua, quæ ordinãt homines ad Deũ. ſed illa affirmatiua, quæ homines inter ſe ordinãt affirmat eſſe diſpẽſabilia.

Vltima eſt ſententia D. Th. *in 1. 2. quæſt. 100. art. 8.* Caietani ibidem, Soto *lib. 2. de Iure & Iuſt. quæſt. 3. art. 8.* M. Alberti Richardi *in 3. diſt. 37. art. 1 quæſt. 5.* quòd lex naturæ & præcepta Decalogi non poſſunt diſpẽſari. Pro determinatione.

Legẽ abrogare, explicare, & in ea diſpenſare quid?

19. *Noto vnicum.* aliud eſt legem abrogare; aliud explicare: aliud in lege diſpenſare. *Abrogari* dicitur lex, quando omnino tollitur lex, vt nullam vim obligandi habeat: *explicari* dicitur quãdo legem explicamus, quòd in hoc aut in illo caſu deſinat obligare. *Diſpenſatio* verò propriè eſt in lege cum aliquem ab obligatione legis eximimus, vt tutò contra eandem legem operari poſſit, eadem lege in ſuo vigore manente. quoad obligationem aliorum; vt cùm infirmo diſpenſatur, vt in quadrageſima veſcatur carnibus hoc notato.

Lex naturalis ſaltim ſola virtute Diuina diſpenſari poteſt.

Dico primò *Probabiliter tantùm teneri poteſt cum quibuſdã Doctoribus, quòd lèx naturalis quadam ratione ſaltim ſolâ virtute Diuina diſpenſari poſſit.* PROBATVR. D. Bernar. lib. de Præc. & Diſpen. cap. 5. dicit. Non occides. Non mœchaberis. *& reliqua illius tabulæ legiſcita, & ſi nullam prorſus hominũ diſpenſationem admittant &c. Dominus tamen horum, quod voluit & quando voluit ſoluit: Soluit* Non mœchaberis, *quando ozeæ uſſit vt ex fornicaria filios fornicationis progeneraret: ſoluit* Non occides. *cum Abrahæ præcepit vt filium, Iſaac immolaret.* ergo in præceptis Decalogi Deus diſpenſat.

Ratio ſecunda. Deus in ſuis operationibus ad extra, eſt agens liberũ. ſed lex naturæ eſt opus naturæ ad extra. ergo Deus ad legem naturæ liberè ſe habet. ergo cum voluerit, & quem voluerit poterit ab illius obligatione eximere.

Papa in quibus diſpenſat?

Ratio tertia. Cõmunis eſt opinio quæ docet quòd Summus Pontifex non ſolùm in votis ſimplicibus, ſed etiam in ſolennibus diſpenſare interdum & aliquando poſſit. ſed hæc vota in quibus diſpenſat Pontifex ſunt legis naturæ, quia lex naturæ iubet promiſſum ſoluere, & vota ſunt promiſſa Deo ideo ſoluẽda, ergo multò magis Deus poterit in lege naturæ diſpenſare.

Neq; legis naturalis generaliſſima principia, neque præcepta Decalogi etiam virtute Diuina diſpenſari poſſunt.

20. Dico ſecundò. *Multò probabilius eſt, quòd non tantùm legis naturalis generaliſſima principia, ſed quòd neque præcepta Decalogi, etiam virtute Diuiná, diſpenſari poſſint.* PROBATVR. *de Principijs legis naturalis,* quia in his nulla eſt controuerſia, omnes enim admittunt *Bonum eſſe amplectendum, Malum eſſe fugiendum.* Et quòd in his reſpectu hominis liberè & moraliter operantis nulla diſpenſatio eſſe poſſit.

PROBATVR *de Præceptis Decalogi.* quãdo præcepta ſunt in tali materia, quæ intrinſecè & inſeparabiliter includit in ſe rationem debiti, ita quòd ab homine debeat fieri, aut debeat non fieri: tunc eiuſmodi præcepta nec per Dei potentiam abſolutam admittunt diſpenſationem. ſed præcepta Decalogi ſunt in tali materia quæ inſeparabiliter includit ratione debiti, quòd debeat fieri

fieri aut debeat non fieri. ergo diſpenſari non poſſunt.

Maior primò declaratur Per *debitum* intelligo obligationem, quòd debeat fieri aut non fieri: hoc autem obligans debitum inſeparabile ſumendum ex materia: ſi enim legis materia fuerit ſuà naturâ mala, erit debitum obligans vt non fiat. ſi autem fuerit materia ſuâ naturâ bona, erit debitum obligans vt fiat. *Tandem probatur.* Si enim in talibus daretur diſpenſatio, ſimul darentur duo contradictoria, quod eſt abſurdum. *Sequela* Supponimus enim quòd materia includit inſeparabiliter rationem debiti, ſed ſi fuerit diſpenſatio tolleretur ratio debiti, & ſic erit & non erit, quæ ſunt contrãdictoria. *Probatur maior* Hæc præcepta Decalogi aut prohibent? aut præcipiunt? ſi quando prohibent, ſunt in materia ſuâ naturâ mala. vt *Non occides. Non mœchaberis &c.* vnde includunt debitum inſeparabile, vt non fiat. ſi quando verò præcipiũt ſunt in materia ſuâ naturâ bona, vnde includunt debitum vt fiant v.g. *Deum cole. Parentes reuerere.* Idcirco autem hoc debitum dicitur eſſe inſeparabile à materia, quia intrinſecè continetur ab ipſis rebus ante omnem voluntatem, quæ hæc, aut præcipiat, aut prohibeat.

21. *Nota.* In præceptis Negatiuis hi actus vt *Non habere Deos alienos.* Nõ *aſſumere nomen Dei. Non furari*: ita ſũt ſua naturâ mali, vt ſecùm trahant prohibitionẽ. vnde Euodius apud D. Auguſt, lib. 1. de lib. arb. cap. 3 dicit Adulterium non eſſe ideo malum, quia prohibitum, ſed ideo prohibitum quia malum. Et *Confirmatur dupliciter.* ſi enim verbi gratia *mentiri*, *Falſum teſtimonium dicere.* non habent ex ſe malitiam, ob quam ab homine vitiari debeãt, niſi cum ab aliquo ſuperiori prohibentur. ergo poterũt non prohiberi. ergo erunt licita. *Confirmatur ſecundò.* Si non habent intrinſecam malitiam. ergo ſunt indifferentia, Indifferentia autẽ ſunt licita, immo & præcipiuntur, ſi ſint in ordine ad honeſtum finem. ſed hæc ſunt abſurda. ergo in ſua natura habẽt malitiam. Ex hoc fundamento ad contrarias opiniones reſpondemus. Opiniones contrariæ refutantur.

Ad primam. quòd cùm in præceptis Decalogi eſt debiti ratio inſeparabilis incluſa in materia præceptorum, ita quòd debeant fieri, aut debeant non fieri. ergo in his diſpenſatio impoſſibilis.

Ad Scoti opinionem dico. in ſeptem negatiuis non eſſe poſſibilem diſpenſationem cùm ſint in materia, quæ habet intrinſecam malitiam, & ideo neceſſariò debent non fieri.

Ad Durandi dico. quòd illud affirmatiuum, *Honora parentes*, habet rationem debiti inſeparabilis. ſi enĩ v. g. Deus produceret Petrum ſine concurſu parentum, Petrus non indigeret diſpenſatione in præcepto de honorandis parẽtibus, quia habet *Eſſe* ſuum independens à parentibus. ſed ſi Petrus ſuum *Eſſe* à parentibus ducat, iam conſurgit inſeparabile debitum honorandi parentes, Et hæc ratio debiti eſt inſeparabilis.

22. *Nota* Pro reſolutione vlteriori quòd quãdo loquimur de diſpenſatione, aut loquimur de propriè dicta? aut de Impropriè dicta? Dico igitur *quod diſpenſatio propriè dicta nec ab homine, nec à Deo fieri poteſt.* Diſpenſatio propriè dicta nec ab homine nec à Deo fieri poteſt.

 Nota

Propriè dicta Diſpenſatio, quæ?

Nota. Propriè dicta diſpenſatio eſt in lege naturali efficere, vt is, qui prius erat obligatus per legem naturæ ad aliquid faciendum, aut vitandum, his aut alijs conditionibus. poſtea idem ſtantibus ijsdem conditionibus non ſit ad id obligatus, quod nec Deus facit, nec homo facere poteſt. PROBATVR. *quod non homo.* Quia lex naturalis à Deo eſt ſancita, & eius dictamini homines ſunt ſubiecti. Eadem lex naturalis eſt regula ſecundū quā magiſtratus ſuā poteſtatē moderari debet. ergo lex naturæ eſt ſupra homines. ergo homo in ea diſpēſare non poteſt. PROBATVR. *quòd non Deus* quia Deus eſt fidelis, nec ſeipſum negare poteſt, nec ſuū decretū retractare poteſt. ſed ſi à lege naturali gen' hominū liberaret, quā ipſe tulit. ergo ſeipſū negaret, decretū ſuū retractaret, quod de Deo dici non debet.

Quomodo poſſit fieri diſpenſatio legis naturalis?

Loquendo autem de diſpenſatione generaliter dicta, tunc Dico. *Poſſe fieri diſpenſationem legis naturalis per remotionem cōditionis ab aliquo actu, & ſic iam ſub eam legem non cadit v. g. ab illo actu quo Hebræi Ægyptios ſpoliauerunt, remouit Deus hanc conditionem, vt non eſſet vſurpatio rei alienæ, ſed Deus tanquam Dominus vniuerſalis dominium quod habuit in res Ægyptiorum tranſtulit in Hebræos; vnde non diſpenſauit propriè, niſi forſan impropriè in præcepto* Non furtū facies. aut dicēdum quòd *Deus tāquam ſupremus iudex idemq́; æquus reddidit illis mercedem duræ ſeruitutis, quam Ægyptiis ſeruiebant.*

23. *Sed dices.* Deus præcepit Abrahæ vt Iſaac filium occideret. ergo diſpenſauit in præcepto. *Non occides.* RESPONDEO. Non diſpenſaſſe

Deus habet Poteſtatem vitæ, & necis

propriè ſed ſolùm ab hoc præcepto *Non occides*, remouit cōditionē cōſtituentē hoc præceptū v. *Non occides priuatâ authoritate.* ſed non prohibet, vt ille non occidat, qui habet ſupremum dominium vitæ, & necis hominum, vt Deus, qui non ſolùm nocentem. ſed etiam innocētem tam per ſe, quàm per alium occidere poteſt. Ita & magiſtratus habet dominium in populum ſibi cōmiſſum vitæ, & necis, ita quòd malefactores aut per ſe aut alijs demādando vices, occidere poſſit; & ad hoc non indiget diſpenſatione.

Sed rurſum inſtabis. Pluralitas vxorū quā De' permiſit, eſt contra naturam, ex eo, quia vir nubens primæ conſorti, dat illi poteſtatem ſui corporis. ergo non poteſt alteri corpus ſuum tradere. *Reſpondeo* Ita fuiſſe inſtitutum ab initio à Deo, vt inter vnum & vnam matrimonium contraheretur, ſed propter multiplicandum genus humanum permiſit pluralitatem Quando autem dicis eſſe contra naturam vt vir qui iam vni ſui corporis fecit poteſtatem, vt eandem poteſtatem eiuſdem corporis in alteram tranſferat: dico, quòd abſque diſpenſatione id licitè potuit fieri. nam Deus qui habet abſolutū dominiū noſtrorum corporum, potuit ordinare quòd traſlatio corporis in vnam vxorem non eſſet tam plena & abſoluta, quin etiā reſeruaretur viro facultas illud etiā alteri communicandi ſiue ſecūdæ, ſiue tertiæ.

24. *Dices tertiò.* De libello verò repudij quid? cum Deus in lege naturæ conſtituerit: *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.*

Reſpondeo primò. Hunc libellum Repudij tempore Moyſis non *fuiſſe lici-*

ſe licitum, ſed ad euitandum maius malum à Moyſe fuiſſe toleratum.

Reſpondeo ſecundò. quòd hic non fuit diſpenſatio propriè dicta; quia Deus, qui in nos, & actus noſtros dominium pleniſſimum habet, ſuſtulit obligationem contractus matrimonialis.

Reſpondeo tertiò. Quia nulla iniuria fiebat vxoribus, quia hac lege nubebant: vt ſi gratiam non inuenirent repudiarentur.

Inſtabis vltimò. At Oſeæ diſpenſauit vt ad fornicariam mulierem accederet? *Reſpondeo* Prophetam mandatum à Deo accepiſſe, vt eam in legitimam vxorem acciperet. *Sed rurſum dices.* Quia ſcriptura filios ex ea ſuſceptos *fornicationis* appellat. *Reſpondeo* ideo ita fuiſſe appellatos propter matris præcedentes fornicationes: ſicut Magdalena etiam nunc dicitur *Peccatrix*: aut ideo dicti ſunt *fornicationis*. quia forſan eorum mater fidem coniugalem Prophetæ non ſeruauit. aut denique quòd hi filij Ozeæ à verò Dei cultu receſſerint, vnde ad hoc ſignificandum, dicti *fornicationis*.

[Margin: ... Ozeæ ... filij for- ... cationis?]

Sed quæres. An Ἐπιείκεια ſeu Interpretatio locum habeat in lege naturali? Primò explico *Quid* Ἐπιείκεια & Dico primò. *quòd multa præcepta naturalia indigent interpretatione ad ſenſum illorum declarandum, hoc ideo. quia non ita adæquatis, & rem exprimentibus verbis comprehenduntur, vt dictat ipſa ratio.*

[Margin: ... Interpretatio locum habeat in lege naturali? ... Quid Ἐπιείκεια]

Dico ſecũdò. *Quamuis* Ἐπιείκεια *ſit interpretatio, non tamen omnis interpretatio eſt* Ἐπιείκεια, *nam* (*vt Caiet. deducit*) *leges ob verborũ interpretationẽ, aut ambiguitatem indigent interpretatione, talis tamẽ interpretatio non eſt* Ἐπιείκεια.

25. Dico tertiò. *Illa ſola interpretatio eſt* Ἐπιείκεια *cum legem interpretamur deficere in aliquo particulari, quia in eo iuſtè & rationabiliter ſeruari non poteſt, vt Sabbathi ſanctificatio obligat Machabæos ne opus ſeruile atque etiam arma tractarent, ſed coacti ab hoſte arma ſumpſerunt legẽque per* Ἐπιείκειαν *interpretati ſunt licere in ſui defenſionem cum hoſte vrgente confligere.* Hoc præmiſſo. Quando Ἐπιείκεια eſt interpretatio?

Ad propoſitum dico. *quòd præcepta legis naturalis, conſiderata in quantũ ab ipſa ratione naturali adæquatè dictantur,* Ἐπιείκειαν *non admittant.* PROBATVR. Ea quæ præceptis negatiuis prohibentur ſunt ſua natura illicita. ergo per nullam interpretationem poſſunt eſſe licita. ergo in his Ἐπιείκεια non habet locum.

Ratio ſecunda. Quia Ἐπιείκεια eſt quædam legis correctio, quæ id, quod in lege minus conſideratè eſt latum emendat, & quod ſub ea lege non poſſit comprehendi. ſed lex naturalis à lumine naturali, & à recta ratione dictatur, vnde eſt iuſtũ, nec aliquem defectum habet: ergo non admittit Ἐπιείκειαν.

Sed inſtabis. Lex reddendi depoſitum eſt naturalis, quia ſuũ vnicuique reddẽdum eſt. ſed hæc patitur Ἐπιείκειαν nam furioſo gladius depoſit⁹ non eſt reddendus, & hæc eſt interpretatio. Ergo lex natur: Ἐπιείκειαν admittit. *Reſpondeo* Non eſſe id propriè Ἐπιείκειαν ſed ſolùm eſt interpretatio ſimplex quòd in eo caſu non obligamur reddere, quia eſſet contra charitatem & iuſtitiam. Idem de aliis exemplis dicendum.

DISPV-

DISPVTATIO VI.
De Lege Humana.

Cum Lex Humana, & ab æterna & à Naturali ſuam originem & robur accipiat, conſequens eſt vt his duabus iam expeditis ad Humanam tranſeamus. *Quatuor* autem de Lege Humana inquirenda proponimus.

1. *An fuerit vtile vt leges ab hominibus ponerentur?*
2. *Quinam homines habent poteſtatem condendi leges?*
3. *An lex humana deriuetur à naturali?*
4. *An conditiones legis humanæ ſint rectè aſſignatæ ab Iſidoro? & quænam illarum diuiſio?*

QVÆSITVM I.
An fuerit vtile vt ab hominibus leges conderentur?

Conqueſtiones hæreticorum. 1 CONqueritur turba Lutheranorũ & Caluiniſtarũ, quòd durũ, & inportabile iugum legũ humanarũ ſit ſupra ceruices Chriſtianorum impoſitum, quod eſt cõtra expreſſam doctrinam Chriſti. Matth. 28. *Docentes ſeruare eos quæ ego mandaui vobis.* Hic Apoſtoli accipiunt limitatam poteſtatem docendi v. eorum quæ illis à Chriſto ſunt mandata.

Secundò. affirmãt repugnare hoc libertati Euangelicæ, per quam nõ ſolùm à ſeruitute peccati, ſed etiã à grauitate legis Moſaicæ liberati ſumus. Et verba Chriſti Domini ſũt *Iugum meum ſuaue, & onus meum leue.*

Tertiò. Quia lex Chriſti eſt perfectiſſima ad omne opus bonum iuxta illud: *Omnis doctrina Diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum arguendũ & erudiendum, vt perfectus ſit homo Dei.* ergo humanæ leges ſũt fruſtraneæ. Hoc ſtrepitu Hæreticorum non obſtante.

Dico cum D. Th. *Præter leges æternas & naturales neceſſariæ ſunt leges humanæ.* PROBATVR. Neceſſariũ fuit audaciam comprimere, pacé & tranquillitatem publicam conſeruare, & vt innocentia inter improbos legum præſidio armata, tuta eſſet. ſed hoc leges humanæ præſtant ergo ſunt neceſſariæ. Leges hu- na neceſſa- riæ.

Ratio ſecunda. Leges humanæ prohibent, ne quis id faciat, quod ſibi ſolùm bonum videatur? ſed etiam quod publicam vtilitatem promoueat pœnaſque diſtrictas habent in con-

in contrauenientes ergo leges humanæ neceſſariæ.

Ratio tertia. Actiones humanæ ſunt ſingulares, & ex circumſtantijs pendent, vnde ſuppoſito iam peccato originali in multis offendere poſſunt. ergo ad vitandos lapſus indigebat homo ad dirigendũ lege humana.

Ratio quarta. D. Thomæ. Sũt quidam natura ſuâ ad virtutes propẽſi, idque vel naturæ diſpoſitione, vel Diuinâ gratia id in eis operante, vel quòd à teneris monitis ſalutaribus ſint benè inſtituti. ſed plures ſunt longè homines proterui, ad vitia proni, à quibus cùm verbis abduci non poſſunt, metu pœnarum ſunt coercendi, vt & alios in quiete viuere ſinant, & vt ipſi ſenſim formidine pœnarum ad virtutis ſtudium accendantur. Ergo ſunt neceſsariæ.

Ratio quinta. Lex naturæ atque etiã Diuina quandoque quãdo præcipiunt, aut prohibent aliquid, id in cõmuni præſtant non ſpecificãdo modos particulares adimplendi legem. ergo ne fieret cõfuſio in Reipub: dum vnusquiſq; de his modis ſuo arbitrio ſtatueret, oportebat vt lex humana de his determinaret

2. *Sed obijcies.* Satis ſufficienter pœnas has videntur intentare lex Diuina & Naturæ. ergo lege humana non erat opus. *Reſpondeo* Legem æternam & naturalem continere quidem pœnas ſed in communi, & non adeò clarè, & ordinariè. ergo opus fuit humanâ, quæ eas ſingulis legibus opponeret, & conſpiciendas oculis hominum proponeret, vt his deterriti malè operari deſinant.

Sed rurſum inſtabis. Melior eſt iuſtitia animatata, quàm inanimata. ſed princeps, ſeu Iudex eſt iuſtitia animata, leges autem ſunt iuſtitia inanimata. ergo præſtat Iudici ſeu Principi exſecutionem iuſtitiæ cõmittere, quam legibus. ergo leges non ſunt neceſſariæ. *Reſpondeo cum D. Th* hic ad 2. Meliùs eſſe vt Reſpublica ordinetur legibus quàm autem permittatur arbitrio iudicum, ob tres cauſas. *Prima* Difficile eſt tot habere ſapientes, & bonos viros qui poſſint ſufficere ad ſingulas Reipublicæ partes gubernãdas, facilius autem eſt habere paucos, qui rectas leges conſtituant ſecundùm quas prĩcipes ſua iudicia moderentur. *Secunda.* Leges maiori cũ deliberatione, & magis matura, & longa cum experientia ſtatuuntur, Iudicia autẽ fiũt caſibus ſubitò exòrtis, vnde in vno particulari caſu non ita facile, quid ſit rectũ animaduerti poteſt. *Tertia* Leges in communi, & pro futuris caſibus ſine vllo reſpectu ad particulares perſonas, aut cauſas feruntur, Iudices autem dicunt ſententiam de caſibus præſentibus, & attendendo ad particulares perſonas; vnde contingit aut ex amore aut ex odio fieri iudicium, & ideo quandoque fieri corruptum. eſt igitur vtiliſſimũ Reipublicæ vt quàm pauciſſima arbitrio Principis relinquantur, & quantum poſſibile eſt; vt omnia legum præſcripto ordinentur.

Quare meliùs Reſp. ordinatur legibus quam arbitrio iudicum.

3. Dico ſecundò. *ſine fundamento Hæretici de multitudine & grauitate legum ciuilium & Eccleſiaſticarum conqueruntur.* PROBATVR ſunt enim multa loca S. Scripturæ quæ docẽt D. Petro & Apoſtolis datam fuiſſe

Hæretici ſine fundamento conqueruntur de grauitate legum.

Hh poteſt-

poteſtatem gubernandi Eccleſiam. ergo & condendi leges Eccleſiaſticas. *Conſequentia.* ad eum enim ſpectat leges condere, ad quem etiam ſpectat Rempub: gubernare. ſed Apoſtolis tradita eſt gubernatio Eccleſiæ. ergo & ius traditum legum condendarum. *Antecedens* Matt 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Ioan. 10. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis &c.* Matt. 20. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Principes & Sacerdotes, omnia quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite. & ſi Eccleſiam non audieris, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Obiectiones hæreticorũ ſoluuntur.

Ad obiectiones reſpondeo: Argumentum ab authoritate negatiuè procedens nihil concludit, quale eſt hoc. *Tandem* in loco adducto Scripturę nulla eſt particula excluſiua, quod omnino neceſſarium fuit, vt ſolùm Chriſti præcepta exſecutioni demandarent.

Leges hu- manæ [illegible] abrogandæ

Ad ſecundam reſpondeo verum eſſe legem Euangelij eſſe legem libertatis, quia Chriſti morte à iugo peccati, & legũ Moſaicarum multipliciter obſeruatione liberati ſumus, & ſolùm quædam moralia cum Sacramentis diuiniſſimis manſerunt, quæ obſeruatu ſunt facilia. ſed ex eo non ſequitur quòd leges humanæ ſint abrogandæ, ſiquidem hæ non lædunt ſed promouent Euangelicam libertatem. nam aliàs neque obedientiã Præpoſitis deberemus, quod eſt contra Scripturam.

Ad tertiam dico in lege Euangelica eſſe ſummã perfectioné, ſed in communi traditã, vnde in particulari per leges humanas explicari debuit.

QVÆSITVM II.

Quinam ſunt qui habent poteſtatem condendi leges?

4 BElarminus refert lib. 3. de Laicis cap. 2. quòd quidam Trinitarij & Anabaptiſtæ docuerunt, Chriſtianis non licere Magiſtratũ gerere, nec gladij acerbitatem in maleficos ſtringere. Contra quos

A Chriſto Domino eſt inſtitula poteſtas &c.

Dico primò. *A Chriſto Domino eſſe inſtitutam poteſtatem tam in Eccleſia, quàm in ciuili Republica, quæ non ſolùm moderandi facultatem, ſed etiam leges ſtatuendi habet.* PROBATVR Matt. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Tangit hic duplicem magiſtratum: *primò* Eccleſiaſticum, qui in perſona Dei præſidet, & huic obedientia in ſpiritualibus reddenda, *ſecundo* politicum in perſona Cæſaris cui reddenda eſt obedientia in temporalibus. & 1. Pet. 2. *Subditi eſtote omni creaturæ, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue Ducibus ab eo miſſis ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, quia hæc eſt voluntas Dei.* Ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſto, non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. & Princeps non ſine cauſa gladium portat, Dei enim Miniſter eſt, debemuſque ei obedire non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Ex qua authoritate

Collige

Collige primò. cùm dicitur *Omnis anima*, neminem excipit ab obſeruantia legum,& ab obedientia præſtanda Regibus, vnde Hæretici falſò ſe eximunt Baptiſmi, & legis Euangelicæ perfectione. *Collige ſecundò* leges ciuiles non ſolùm ad pœnam, ſed etiam in conſcientia quandoque obligare. ſed de hoc inferiùs cum de Poteſtate agemus.

5. Dico ſecundò. *Summus Pontifex habet poteſtatem in Eccleſia condendi leges Eccleſiaſticas*. PROBATVR. quia illi dictum *Paſce oues meas*. nam non ſolùm hoc Dictum ad Petrum, ſed etiam ad ſucceſſores eius extenditur. *Item* quia eidem aſſiſtentia Spiritus S. promiſſa Lucæ 22. *Ego rogabo pro te vt non deficiat fides tua*. ergo in his determinandis, quæ ſunt fidei,& religionis ampliandæ,& morum corrigendorum non poteſt errare. *Deinde* quia idem Summus Pōtifex eſt caput viſibile, cū poteſtate regiminis pręſidēs, iam autē regimini facultas cōdēdi leges eſt annexa.

Dico tertiò. *Quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi eſt cum poteſtate condendi leges*. PROBATVR. quia quibet eſt cum poteſtate regiminis ſuæ Eccleſiæ, quæ de iure communi reuocari non ſolet. ergo quilibet poteſt condere leges.

6. *Sed inſtabis* ad hoc vt quis cōdat leges requiritur ſuprema poteſtas, qualis non eſt Epiſcoporum, ſiquidem à Summo Pontifice depēdent. ergo non poſſunt leges condere. *Reſpondeo primò* nullam eſſe ſupremam poteſtatem in terris, ſiquidem & Summus Pontifex & Rex ſubijciūtur Deo. ad Rom. 13. *Omnis anima ſit poteſtatibus ſublimioribus ſubdita*: & tamen & Summus Pontifex & Rex leges ſtatuunt.

Reſpondeo ſecundò. quamuis poteſtas Epiſcoporum pendeat à Summo Pontifice, ex eo tamen non eſt colligendum, quòd non poſſint leges condere, ſiquidem in ſua Diœceſi habent poteſtatem ordinariam, eandemq; perpetuam, quæ (vt iam dictum) de iure communi reuocari non ſolet. *Tum* à Summo Pontifice creatus Epiſcopus, accipit poteſtatem regendi ſuam Eccleſiam, vultq; vt eandem exerceat non ſolùm in miniſterio Sacramentorum, ſed etiam in legibus bonis ſtatuendis.

Dico quarto. *Imperator, & quilibet Rex aut Princeps, qui non ſit alteri ſubditus, tum & quælibet Reſpublica modò ſit libera, poteſtatem habet leges condendi*. PROBATVR. quia hi omnes in ſua Republica ſunt cum poteſtate ſuprema, cui quidem ſupremæ poteſtati annexa eſt facultas condendi leges. *Tum* vſus & experientia id confirmant, quia de facto leges ſtatuunt pro ſuis ſubditis.

Sed obijcies Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum*. ergo & dominatio gentilis eſt. ergo Chriſtianos non decet. *Reſpondeo* illam dominationem ſolùm à Chriſto reprehendi, quæ ſit immoderata, & cū quadam tyrannide. *Deinde* quia Chriſtus Apoſtolos alloquitur conſtituens eos Eccleſiæ Prælatos, vt ſe non gerant in ea dignitate, ſicut Reges gentium.

Leges ciuiles quandoque in conſcientia obligant.

Summus Pontifex habet poteſtatem in Eccleſia cōdendi leges Eccleſiaſticas.

Quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi cum poteſtate condendi leges.

Suprema poteſtas in terris nulla.

Rex imperator, & c. habent poteſtatem condendi leges.

Quæ dominatio reprehendatur à Chriſto.

QVÆSITVM III.

An lex humana deriuetur à naturali?

Lex humana deriuatur à lege naturali.

7 DIco primò. *Lex humana deriuatur à lege naturali atque etiam æterna Diuina.* PROBATVR. omnis lex in tantum eſt lex in quã-tum eſt iuſta. ſed quod eſt iuſtum, debet à regula rationis pendere, ita vt ſit rationi conueniens. ſed regula rationis eſt lex naturæ. ergo lex vt ſit iuſta, oportet vt rationem includat, & per conſequens legem naturæ. ergo lex humana à naturali deriuatur. *Deinde* omnis honeſtas debet eſſe conformis legi naturali & Diuinæ. ſed lex humana continet honeſtatem. ergo à iure naturali deſcendit. *Præterea* eadem lex humana continet iuſtitiam & ſanctitatem, eandemq; lex naturalis, & Diuina primariò. ergo ab his deriuatur.

Modi duo deriuandi leges humanas à naturali.

Dico ſecundò. *Sunt autem duo modi deriuandi leges humanas à naturali.* PRIMVS eſt, quando lex humana à lege naturali ſic deriuatur ſicut Concluſio ex principijs. *v. g.* lex naturæ eſt: *Nemini eſſe nocendum*, ex hac lege tanquam ex principio deducimus has leges tanquã Concluſioes. ergo *Non furandum, non occidendum, non mœchandum*, quia his modis & alijs nocemus alteri. ALTER eſt quando deriuãtur ſecundùm quãdam determinationem, ea ſc. determinando quæ lex naturæ indeterminata relinquit, quia in communi proponit, *v. g.* lex naturalis eſt, *Malefactores ſunt puniendi*, dicit in cõmuni de pœna, eam non determinando, vnde lex humana determinat, *quòd hic fur ſuſpendio, hic adulter gladio ſit tollendus, aut aliâ acerbiori pœna pro ratione delicti afficiendus.* vnde D. Th. dicit hic art. 3. quòd *Legiſlator humanus habet ſe ſicut artifex, qui formam domus in communi, modò ad hãc, modò ad illam in particulari pro ſuo arbitrio applicat.* ſic in propoſito habetur, communis pœna in varias formas pœnarum determinatur.

QVÆSITVM IV.

Legis humanæ quænam ſint conditiones & quot ſint diuiſiones?

8. DVo hic determinanda: *primò* de Conditionibus legis humanæ: *ſecundò* de Diuiſionibus.

Legis humanæ conditiones tres.

QVANTVM *ad primum*: tres ſũt conditiones legis humanæ, quas Iſidorus lib. 5. deſcribit: *prima* quòd conueniat Religioni, ea de cauſa, quia debet eſſe proportionata legi æternæ

æternæ, & Diuinæ, quæ Deum eſſe colẽdum docet: *ſecunda* quòd congruat diſciplinæ, leges enim vitam humanam inſtituunt, vnde poſſibiles eſſe debent: *tertia* vt proficiat ſaluti hominum, ſeu bono cõmuni.

Præter has memoratas cõditiones ſunt aliæ ſex: *prima* vt ſit honeſta. *ſecunda* vt ſit iuſta. *tertia* vt ſit poſſibilis & naturæ humanæ non onerosa. *quarta* vt ſit in tempore congruo. *quinta* vt ſit vtilis *ſexta* vt ſit neceſſaria. ſed hæ ad illas tres Primarias facilè reducuntur.

QVANTVM *ad alterum* v. ad diuiſiones legum dico, quòd *legum humanarum eſt quadruplex diuiſiò*, hoc ideo, quia lex humana quatuor in ſe includit: *primò* quòd deriuatur à lege naturali, & æterna. *ſecũdò* quòd ad commune bonũ ordinatur. *tertiò* quòd à cõmuni Rectore inſtituitur. *quartò* quòd actus humanos dirigat.

9. *Prima igitur eſt diuiſio* ſumpta ex deriuatione à lege naturæ & æterna, & diuiditur in Ius gentium & Ius ciuile. *Ius gentium eſt quod non ſcripto, ſed conſuetudine, non vnius ciuitatis, aut Regni, ſed omnium gentium conſenſu eſt introductum & approbatum.* & ratio naturalis dictat quòd vniuerſo generi humano, quod in varias nationes eſt diuiſum ſit hoc vtile conueniens, vt habeant inter ſe aliqua iura communia, quemadmodum Ius gentium eſt *admittere legatos ſub lege immunitatis & ſecuritatis*, quod omnium gentium conſuetudine eſt firmatum, ita quòd repudiare legatos ſit actus diſformis Iuri Gentium.

Ius verò ciuile eſt quod vſu & conſuetudine alicuius regni aut ciuitatis eſt introductum accedente authoritate Principis aut Magiſtratus. Hoc vtrumq; Ius art. 4. hic D. Th. ſic deſcribit. Ius gentium dicit deriuari à lege naturali, tanquam Cõcluſiones ex principijs. Ea de cauſa, quia, quæ in iure gentium habentur ſunt generalia, ſuntq; toti vniuerſitati hominum vbiq; conueniẽtia & ſunt vtilia, ita quòd ratio humana hæc ex lege naturæ promanare facilè deprehendat. Ius autem ciuile dicit à lege naturali per modum determinationis deſcendere, quia determinat quid hic, & nunc in hoc regno ſit ſeruandum.

Nota Ius ciuile ſubdiuidi in *Politicum*, quod dependet à poteſtate ſæculari, & in rebus ſæcularibus ordinem præſcribit. & in *Ius Eccleſiaſticum*, quod dependet à poteſtate ſpirituali, quod in his gubernandis verſatur, quæ ad Religionẽ ſpectãt. Iuris ciuilis ſubdiuiſio.

10. *Nota ſecundò.* Iureconſulti Ius gentium ita generaliter ſumunt, vt in eo non ſolùm actus naturæ rationalis includant, vt quòd *Deus colendus, Parentes honorandi*, ſed etiam eos qui nobis cum brutis ſunt communes, vt actio qua nos, vitamq; noſtram conſeruamus, vel qua prolem ſuſcipimus & educamus. Quomodo iureconſulti ius gentium ſumũt?

Secunda diuiſio eſt ratione boni communis quod pendet ex tribus generibus hominum: *primò* ex Sacerdotibus, qui Deo preces & Sacrificia offerunt: *ſecundò* ex Regib⁹, aut ex Magiſtratu qui ciues alicuius regni aut ciuitatis gubernant. *tertiò* ex militibus, qui pro incolumitate Reipublicæ in acie contra hoſtes decertant, vnde triplex erit Ius, Sacerdotale, Regium, Militare. Diuiſio ſecunda ratione boni communis.

Tertia diuiſio ſumitur ex diuerſitate co-

Tertia diuiſio legis ratione eorum qui Reipub. præſunt.

tate eorum, qui Reipublicę præsũt, & ſic diuiditur in Iuſſa, ſeu in Conſtitutiones Regum, quando ab vno gubernatur, & dicitur *Monarchia.* aut in Senatus conſulta, reſponſa ſapientum: quando optimates Regunt, & dicitur *Ariſtocratia*, aut in Ius Prætorium, quando pauci ijdẽque diuites ac potentes gubernant, & dicitur *Oligarchia*: aut in Plebiſcita vt cùm populus regit, & dicitur *Democratia.*

Quarta diuiſio ſumitur ex actibus de quibus eſt lex humana, & dicitur Lex Iulia de Adulteris, & Lex Cornelia de Siccarijs.

Diuiſio 4. ex actibus.

Nota quòd Ius gentium poteſt aboleri authoritatę alicuius Reipublicæ, & ſic per legem Euangelicã in quibuſdam tollitur. *Declaratur* Ius gentium eſt, vt ſit diuiſio bonorum. atqui hoc in primæua Eccleſia ſublatũ fuit. nam fideles omnia habebant communia. & Ius Gentium eſt, vt victus & in bello capt⁹ victori ſeruiat. atqui lege Eccleſiaſtica cautum eſt ne Christiani etiã in bello capti pro ſeruis habeãtur.

Ius gentiũ cuius authoritate aboleri poſſit?

Nota ſecundò. Ius Gentium non poteſt derogare iuri naturali, nam ius naturæ eſt, vt vnuſquiſq; vitam ſuam conſeruet, & ideo tempore extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia. & huic iuri naturali ius Gentium, quod bonorum diuiſioné introduxit non præiudicat.

Quare ius gentium non poſſit derogare iuri naturali?

DISPVTATIO VII.

De Poteſtate Legis humanæ.

Quænam ſit vis Legis humanæ in obligando, iam determinandum venit multæ controuerſiæ, & ſçitu neceſſariæ, ex quibus ſeptem Quæſita determinanda delegimus?

1. *Lex humana in ſe, & in prohibendo, ac præcipiendo quàm latè pateat.*
2. *An lex humana in foro conſcientiæ obliget?*
3. *An obliget cum periculo mortiſ?*
4. *An leges pœnales in conſcientia obligent?*
5. *Quomodo lex humana dicatur ſufficienter promulgata ad hoc vt obligare (poſſit?*
6. *An poteſtas obligandi dependeat ab acceptatione ſubditorum?*
7. *An omnes legi ſubijciantur, & ſubdito an liceat agere præter verba legũ?*

QVÆSITVM I.

Lex humana & in ſe, & in prohibendo, & in præcipiendo, quàm latè pateat?

Tribus

...x conſi-...rata in ſe ...am late ...ere debe-...u.

1 TRibus Dictis præſens Quæſitum determino. Dico primò. *Lex conſiderata in ſe tam latè patere debet, vt non in particulari ſed in cōmuni ſit pronuntiata.* PROBATVR. Lex eſt, quæ ad multa reſpicit v. ad multa negotia, ad multas perſonas, ad multas circumſtantias. ergo in cōmuni debet eſſe. *Deinde.* Lex humana eſt regula generalis, ſecundùm quam, qui ei ſubijciuntur operari debent. ergo in communi eſt conſtituenda. *Confirmatur* Sicut enim vniuerſale dicitur eſſe communis natura, quæ eſt in ordine ad multas ſpecies, aut indiuidua. ita lex humana eſt in ordine ad omnes homines, & ad illorum actiones. ergo in communi poni debent. *Præterea* Sicut id, quod eſt vniuerſale eſt præciſum per intellectum à ſingularitate materiæ, & à proprietatibus illam concomitantibus: ita lex à circumſtantijs perſonarum, loci, temporum, eſt quid præciſum, quia hæc innumera ſunt, & mutationi obnoxia, & quæ præuideri nō poſſunt. Ergo lex ſic præciſa à circumſtantijs erit in communi neceſſaria *Tandem* Lex diſtinguitur à Priuilegio, & à Præcepto, quia hæc ſolū reſpiciunt vnam, aut plures perſonas. Lex autem omnes homines alicuius Reipublicæ reſpicit. ergo debet eſſe in communi.

Legis huma...ia pre...bendo la...tudo.

2. Dico ſecundò. *Legū humanæ in prohibendo ea debet eſſe latitudo, vt non omnia vitia prohibeat, ſed ea tantum, quæ aduerſantur bono publico.* PROBATVR. Lex debet eſſe accommodata capacitati, & conditioni eorum, quibus imponitur. ſed ſi lex omnia vitia prohiberet pœnas & ſupplicia inferendo, non eſſet accommodata hominum conditioni. ergo non omnia vitia prohibet. *Minor,* Hominum ea eſt conditio vt ad mala ſint procliues & in virtutibus ſint imperfecti, ergo ſi quæuis vitia prohiberentur, & in eos pœnæ extenderentur, periculum eſſet ne aut iugum excutiant, aut deteriora audeant. *Confirmat D Th. hîc ad 2.* cum dicit: *Quod ſi vinum nouum* id èſt præcepta perfectæ vitæ *mittantur in vtres veteres.* id eſt in homines imperfectos, *vtres rumpuntur,* id eſt, præcepta contemnunt & vinum effunditur, hoc eſt, ex contemptu ad peiora mala ſe proripiunt.

Ratio ſecunda. Si leges humanæ omnia vitia prohiberent. ergo iudices non ſufficerent in Iudicijs exercēdis, & pœnis irrogandis, ſiquidem lata eſt via quæ ducit ad perditionem, & multi eam ingrediuntur.

Ratio tertia. Peccatum periurij, & blaſphemiæ eſt grauius peccatū quàm furti, aut adulterij, nam illa honorem Dei afficiunt, hæc verò damna bonis proximi inferunt, & tamen grauius furtum, & adulterium punitur, eò quòd hæc publicam quietem perturbant, illa verò nō, ideo Deo punienda relinquūtur. Peccata grauiora Deo vindicanda cōmittūtur

Addo tamen quòd *ad legem Eccleſiaſticam ſpectat omnia peccata mortalia & notoria prohibere, & pœnis ſpiritualibus punire.* Ita loquitur Summus Pōtifex in capite de Iudicijs. *Ad noſtrū,* inquit. *officium ſpectat de quocunq; peccato mortali corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coërcere.* ET RATIO eſt: Quia ad Eccleſiā ſpectat dirigere homines ad finem ſuper- Lex Eccleſiaſtica omnia peccata mortalia pœnis ſpiritualibus punire debet.

ſupernaturalem conſequēdum. ergo ad eundem ſpectabit ea auertere, quæ huic fini aduerſantur, qualia ſunt peccata mortalia.

Lex humana in præcipiendo quā latè pateat?

3. Dico tertiò. *Lex Humana in præcipiendo tam latè patet, vt non præcipiat de omnibus actibus omnium virtutum, ſed ſolùm de illis qui ſunt ordinabiles ad bonū commune, vel mediatè vel immediatè.* PROBATVR. Lex humana ordinatur ad bonum commune. ſed non omnes actus omnium virtutū ſunt ordinabiles ad bonū cōmune, fortitudo enim eſt virtus, illius actus conſeruare ciuitatem, ſaluare ciuē; quandoque ſunt actus oſtentationis. ergo non omnes præcipi poſſunt, ſiquidē actus oſtētationis nō ordinatur in bonū. *Deinde* Lex Eccleſiaſtica eſt lex humana, & hæc præcipit actus ieiunij, eleemoſynæ, ſed nō præcipit quid ſingulis dieb⁹, aut hebdomadis ſit agēdū. ergo nō omnes actiones virtutum præcipit.

Sed inſtabis Secundùm D. Th. certæ ſpecies vitiorum v. quæ non aduerſantur bono communi, nō prohibentur, (vt iam dictum.) ergo etiam non debent omnes ſpecies virtutum imperari. *Reſpondeo* Diuerſam eſſe rationem ſtatuēdi aliquid de virtutibus ſiquidē virtutes ſunt pauciores, vitia innumera. *Probatur* Virtus enim habet in ſe rationē boni, vitium autem habet rationē mali. Sed bonum eſt vnum. ergo malum multum. ergo vitia multiplicia. Et experientia teſtis. vni humilitati aduerſatur ſuperbia, ſub qua hæc vitia continētur. Præſumptio, Iactantia, Deriſio, Pertinacia, Hypocryſis & alia. Et vni liberalitati duo vitia, Prodigalitas & Auaritia ſunt oppoſita, & ſub auaritiæ vexillo hæc monſtra militant, Turpis quæſtus, Inhumanitas, Immiſericordia, Vſura, Fraudes, alea prohibita, & his ſimilia.

Innumera ſunt vitia virtutes paucæ.

QVÆSITVM II.

An Lex Humana poſsit obligare ſubditos in conſcientia?

4 NEgant quidā vt Gerſon. Cancel. Pariſiē. Almainus in Tract. de poteſtate Eccleſ. cap. 12. Medina cap de Ieiunio q. 7. Driedo libert. Chriſt. cap. 1. Et plerique alij. Præſertim autem negant de Poteſtate Ciuili.

Ratio prima illorū. Obligare incōſcientia, eſt obligare ad peccatum mortale, ſed cum mortale priuat fine ſupernaturali, ſicut veniale ad illo remoratur. ergo ille obligare poteſt, qui de fine ſupernaturali agit. ſed poteſtas ciuilis non eſt de bono ſupernaturali; ſed de bono cōmuni, vt de pace de trāquillitate. ergo nō poteſt in conſcientia ligare.

Ratio ſecunda. Quia poteſtas ſecularis non habet poteſtatem ligandi, aut ſoluendi in conſcientia, quia hæc D. Petro & Eccleſiæ demandata eſt. ergo nec habet poteſtatem obligandi in conſcientia. *Confirmatur*. Nam

tur. Nam poteſtas ſecularis non eſt ſpiritualis. ergo ad forum ſpiritua-le non debet ſe extendere. ergo nec obligare in conſcientia. Affirmat D. Th. hic, & cum eo illius commẽtatores. Pro determinatione.

Leges humanæ habent poteſtatem obligandi in conſcientia.

Dico primò. *Leges humanæ tam Eccleſiaſticæ, quàm Ciuiles habent poteſtatem obligandi conſcientias ſubditorum.* PROBATVR. cap. 13. ad Rom. in quo loquitur maximè de poteſtate ſeculari. & vt ei ſubijciamur imperat his verbis: *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſit ſubdita,* Deĩde prohibet reſiſtentiam ſub damnatione; *Qui reſiſtunt* v. ſuperioribus *ſibi ipſis damnationem acquirunt.* Deinde dicit illorum imperia ſeu leges obligare in conſcientia, *Ne dum propter iram.* v. pœnam. *illis obediendum, ſed propter conſcientiam.* id eſt propter culpam quæ conſequitur trãſgreſſionem illorum legis. Ibidem habetur. *Qui poteſtati reſiſtunt ordinationi Dei reſiſtunt.* D. Anſelmus inquit. *Dei ordinationi reſiſtit, qui ordinauit vt talibus ſubijciamur.* Vnde non ideo poteſtati humanæ obtemperandum tanquã idem præcipiat quod De⁹, ſed quia hæc poteſtas eſt à Deo inſtituta in hoc ipſum, vt qui præſũt ea præcipiant, quæ communi bono expediunt, & ſubditi obtemperent.

5. *Probatur de Poteſtate Eccleſiaſtica* Luc. 10 *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* & 1. ad Theſſal. 4. *Qui hæc ſpernit.* v. præcepta, quæ Apoſtolus illis tradidit, *non hominem ſed Deum ſpernit,* Sed Deum ſpernere eſt reatũ culpæ æternæ incurrere. Idẽ Apoſtol. 1. Corinth. 11. inter ſua præcepta, & Chriſti diuidit. *Sicut* inquit, *tradidi vobis præcepta mea teneatis.* Et in fine eiusdem capitis *Catera* (inquit) *cum venero diſponam.* Vnde autem poteſtatem conſtituendi leges acceperit, 2. Corinth. 13. docet. *Hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem quam Dominus dedit mihi.* Et Concil. Trident. Seſſ. 6. can. 20, ſic definit. *Si quis dixerit hominem iuſtificari & quantumlibet perfectè non teneri ad obſeruantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, anathema ſit.*

Leges humanæ iniuſtæ ratione ſcandali obligant.

Probatur authoritate D. Th. qui hic art. 4 tria dicit. PRIMÒ *Humanæ leges iuſtè obligant in conſcientia quia deriuantur à lege æterna, quæ omnes ligat.* SECVNDO *Leges humanæ ſi fuerint iniuſtæ, ideo quia oppugnant bonum commune non obligant in conſcientia niſi ratione ſcandali, & ideo ſeruandæ ne occaſio ſit turbarum,* TERTIÒ. *Leges iniuſtæ quæ oppugnant bonum Diuinum vt cultum & honorem Dei. quia ad idololatriam compellunt: et hæ non obligant in conſcientia, nec illis vllo modo obediendum.* nã magis Deo quàm hominibus obedire oportet.

6. *Probatur ratione* Lex Diuina æterna, & naturalis non potuerunt diſtinctè & clarè comprehendere, quæ tum ad vitam rectè inſtituendam, tum ad cultum Deo reddendum ſpectabãt. nam pro ratione temporum, locorum, perſonarum, aliqua erant mutanda, abroganda, & alia ſubſtituẽda. ergo ſuperioribus tam in Republica ciuili, quàm in Eccleſia debuit poteſtas relinqui ad ea ſtatuenda cum facultate obligandi, vt eò faciliùs ſuam exſecutionem ſortirentur.

Ratio ſecunda. Poteſtas ciuilis intendit conſeruare pacem publicã. Poteſtas Eccleſiaſtica intendit hominem perducere ad finem ſuper-

naturalem. ſed vtraque hæc non cõſequeretur ſuum finem niſi poteſtatem haberet obligandi in conſcientia. ergo obligant in foro cõſcientiæ.

Ratio tertia. Lex humana præſertim iuſtum, & honeſtum præcipiẽs eſt opus Dei. ergo ſicut lex æterna, ita & humana obligabit in conſcientia. *Sequela.* non ſolùm enim illud eſt opus Dei, quod Deus per ſe, & immediatè producit, ſed etiã quod mediantibus cauſis ſecundis efficit. ergo non ſolùm lex æterna, quam Deus per ſe facit erit opus Dei, ſed etiam humana quam per ſuperiores conſtituit.

Ratio quarta. qui in re graui ſui ſuperioris trãſgreditur legem peccat mortaliter. ſed homines tranſgrediuntur leges in re graui, tam Eccleſiaſticæ quàm ſecularis poteſtatis. ergo mortaliter pecant ergo leges humanæ obligant eos in conſcientia.

Falſum dogma.

7. Dico ſecundò *Falſum eſt dogma, tanquam Prælati Eccleſiæ non poſſint mãdare ſubditis, niſi ea quæ à Chriſto ſunt mandata.* PROBATVR 1. Corinth 7. vbi D. Paul. clarè dicit: *Præcipio ego & non Dominus.* PROBATVR *ſecundò.* Eccleſia de facto ponit leges, vt ieiunium feria ſexta ſeruetur & vt matrimonia vſque ad quartum gradum conſanguinitatis non contrahantur; & in his diſpenſat eademq; commutare poteſt.

Sed inſtabis. Deuter. 4. Præcipit Dominus ne addatur quicquam ad verbum quod locutus eſt, neq; auferatur ab eo. ergo legibus Diuinis non licet quicquã ſuperaddere

Scripturas corrumpendi duplex modus.

Reſpondeo. Senſum eſſe præcepti Diuini. Præcipit vt Sacra ſcriptura in ſua integritate conſeruetur, neue à quopiam corrũpatur. Et cum duplex ſit modus ſcripturas corrũpendi. aut cùm quid additur. aut cùm quid aufertur, id circo vtrũq; prohibet. *Reſpondeo ſecundò.* Mandari hoc Diuino præcepto, ne quicquã addatur quod ſit Diuinis præceptis repugnans; non autem prohibetur ne aliquid addamus ad illorum meliorem obſeruationem. Sit itaq; certum *Poſſe ſuperiores tam Eccleſiaſticos quàm Politicos in conſcientia obligare ſubditos, ad legum ſuarum obſeruationem.*

8. Ad rationes contrarias reſpõdeo. *Ad primam* vt lex obliget in conſcientia & ad culpam, non eſt neceſſe vt ſit de fine ſupernaturali, ſed ſufficit vt ſit in re graui ad aliquid agendum, aut vitandũ. *Ad ſecundam reſpondeo* Poteſtatẽ ſecularem non habere ſpiritualem poteſtatem & iuriſdictionem, ſed ex eo non ſequitur quòd non poſſint in conſcientia obligare, nam poſſunt leges ponere, quarũ trãſgreſſio in re graui erit peccatum mortale, idcirco habent poteſtatẽ obligãdi ſecundùm id quia leges ponunt.

Sed quæres. Quando lex humana obligat in conſcientia ad ſui obſeruationem? *Reſpondeo* ad hoc diſcernendum hæ Regulæ ſeruari debẽt.

Quãdo humana ligat conſcie... ad ſui ſeruatio... Regulæ hoc di... nendum

Prima. Si ea res, quæ lege præcipitur ſit grauis ad bonum publicum aut Religionis conducens, tunc lex obligat ad mortale peccatũ, alioquin minimè. *Probatur* Peccatum enim mortale, & veniale ex grauitate aut leuitate materiæ eſt æſtimandum.

Regula ſecunda. illæ leges humanæ obligant ſub peccato mortali, quæ

quę verbis diſertis pręcipiunt ſubditis hoc, vel illud agendum aut vitandum: quæ verò nec iubent, nec prohibent aliquid fieri, ſed ſolùm decernunt pœnam, v. g. Petrus vt ſecundas nuptias celebret non prohibetur ei, nec præcipitur, ſed pœnam irregularitatis ob bigamiam incurrit ſi velit in ſacris Ordinibus promoueri, & ſic non obligant in conſcientia, quia ad culpã non obligant, ſed ad ſolam pœnam ſuſtinendam.

Regula tertia. Tunc lex humana obligat, quando tam ciuilis, quàm Eccleſiaſtica habet graues pœnas appoſitas, vt lex ciuilis pœnam capitis, lex Eccleſiaſtica pœnam Excõmunicationis expreſſam, & tunc ad mortale obligat, quia ex pœnæ grauitate colligimus rem præceptam eſſe grauem, & rei grauitas obligationem ſub mortali inducit.

[...]æ ſunt [...]a qui- [...] pœnæ [...]imi ſo- [...]at.

9. *Sed quæres* quænam ſunt verba quibus pœnæ exprimi ſolent & obligare in conſcientia? *Reſpondeo*. quando Legiſlator Eccleſiaſticus addit hæc verba. *In virtute ſanctæ obedientiæ. Sub pœna maioris Excommunicationis, aut Indignationis Diuinæ, aut Maledictionis æternæ, aut Interminationis diſtricti iudicij Diuini, aut Depoſitionis, Degradationis.* aut ſi ſecularis Legiſlator addat: *Sub pœna capitis, ſeruitutis, carceris, exilij æterni, confiſcationis bonorum.*

Nota. quando additur pœna maioris excommunicationis, ſiue ſit latæ ſententiæ, & incurritur ipſo facto: ſiue ſit comminatoria, & per Iudicem infligenda, ſemper ſub peccato mortali obligat quando autem apponitur pœna Irregularitatis, Suſpenſionis, Interdicti, non ſemper includit pœnam peccati mortalis, ſed quandoq; ſolùm venialis. vide hic Nauarrum in Manuali cap. 23. Num. 51. Caiet. in Summa verbo *Suſpenſio*. *Probatur*. quia hæ pœnæ ob ſolùm veniale incurruntur, nam ſi Clericus ludens fortuitò alterum vulneret, ex quo moritur, incurrit irregularitatem, peccatum tamen eſt veniale. Aliquando incurruntur quamuis nullum ſit peccatum, nec mortale nec veniale, vt Iudex ferens ſententiã mortis incurrit irregularitatem, nullum autem peccatum committit, quia actum iuſtitiæ exercet, ſed ob ſolam decentiam incurritur.

Irregularitas poteſt eſſe ſine peccato.

Nota ſecundò. quando autem quis legem ſiue Eccleſiaſticam ſiue ciuilem ex contemptu tranſgreditur, ita quòd notabiliter oſtendat ſe & legem, & authoritatem Legiſlatoris nihili facere, & ideo eandem tranſgreditur, tunc peccatum mortale incurrit. nam ſuperiorem contemnere eſt peccatum mortale.

Contẽptus legis eſt mortale peccatum.

10. *Sed quæres* ſi quis ex contemptu legis quia eſt leuis, & parui momenti, legẽ trãſgrediatur, an mortaliter peccat? *Reſpondeo* ſi in illa lege præuaricanda authoritas Legiſlatoris, & poteſtas contemnitur, ita vt contemptus ſuper eam feratur, tunc erit peccatum mortale. *Ratio* quia licet natura legis ſit parui momẽti, tamen authoritas & poteſtas Legiſlatoris quia eſt maximi momenti, ideo eſt peccatum mortale. ſi autem ſola res contenta in lege ob ſui paruitatem contemnatur, ita quòd cõtemptus non tranſit ad ſuperiorem, erit peccatum veniale.

Nota hæc verba appoſita in lege

Mandamus, Iubemus, Præcipimus, Prohibemus. Iniungim°, vel teneantur, omnes obligant ſub mortali. ita Syluester verbo *Præceptum* Num. 3. A Caſtro lib. 1. de lege pœnali c. 4. documẽto 4 Nauarrus & alij. *Et ratio eſt* quia hæc verba habent hanc obligationem, non ex propria ſignificatione, ſed ex vſu, & communi praxi Eccleſiæ, quæ quidem in his verbis includit intentionem obligandi ſub mortali.

Nota ſecundò illæ leges & conſtitutiones ad nullam planè obligant culpam, quæ hæc verba ſolùm appoſita habent *Volumus, Statuimus, Ordinamus, Decernimus,* & his ſimilia. vide hic Nauarrum cap. 23. num. 52.

QVÆSITVM III.

An Lex humana obliget cum periculo mortis?

Opinio prima.

11. TRes hîc Opiniones: *prima* quorundam qui negant. *Ratio illorum.* quilibet enim ex iure naturali ad ſuæ vitæ defenſionem & conſeruationem obligatur, & huic iuri lex humana poſitiua derogare non poteſt.

Opinio Secunda.

Secunda opinio eſt Caiet. hic q. 96. circa art. 4. hic affirmat quòd lex, quæ ad peccatum mortale obligat, eadem etiam ad ſui obſeruationem cum adeũdo periculo mortis obligat. *Rationes eius, prima* vt ſe habet pars ad totum, ita ciuis ad Rempublicam. ſed totum habet in poteſtate partem, ita, quòd ad bonum totius poſſit illam ordinare. ergo & Reſpublica habet in poteſtate ciuem, & bono publico exigẽte poterit illum periculo mortis obijcere. *Ratio ſecunda.* ſi quis cogatur cum Conſobrina contrahere matrimonium, potiùs debet mori, quàm prohibitionem Eccleſiaſticã violare. *Similiter* ſi Sacerdos cogatur vt extra altare ſine Corporali, & ſine veſtibus Sacerdotalibus celebret, potiùs mori debet. *Vltimò* allegat Capitulum *Sacrũ,* de his quæ vi metuſq; cauſa fiunt, vbi Innocẽtius tertius ſic definit, quòd metus non excuſat ab excommunicatione, quia potiùs debet mori, quàm peccare mortaliter.

Opinio tertia.

Tertia eſt opinio Dominici Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. quæ mediam viam tenet determinans, quòd quandoq; poſſit obligare cũ periculo mortis, quando violatio legis in detrimẽtum cedit, aut Religionis, aut Reipublicæ. Pro determinatione

Noto. vitæ periculum quandoq; ſequitur ab intrinſeco, v. ad obſeruationem legis, quandoq; per accidens, & ab extrinſeco ſequitur, vt quando tranſgreſſio eſt in contemptum aut in detrimentum Religionis aut boni publici. Hoc præmiſſo

Quando transgreſſio legis ... obligat ... cum periculo ...

12. Dico primò. *ſi legis tranſgreſſio cederet in magnum Reipublicæ detrimentum, tunc lex obligat ad ſui obſeruationẽ cum periculo vitæ, præſertim ſi Legiſlator ponens*

ponens legem præuideat ex ſua lege ſecuturum vitæ periculum. PROBATVR. Lex militaris eſt ne miles ſuam ſtationem deſerat, præſertim cùm hoſtes ciuitatis aut caſtrorum oppugnationem vrgent. Talis lex cum vitæ diſcrimine ſeruanda eſt. *Confirmatur* quia ciuis in tali caſu non ſolùm quoad ea quæ poſſidet, ſed etiam quantum ad ſeipſum eſt pars Reipublicæ. ergo Reſpublica ad ſui boni conſeruationem poterit vitã ciuis periculo mortis exponere. Tũ quia quilibet ciuis cùm ſit pars cõmunitatis, tenetur bonum commune ſuo priuato anteponere, ſiquidẽ pars eſt propter totum.

Dico ſecundò. *Ideo de lege Eccleſiaſtica dicendum, quòd quando illius præuaricatio cedit in detrimentum fidei, in contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ, talis lex cum vitæ diſcrimine eſt ſeruanda.* PROBATVR. Lex eſt Eccleſiæ prohibens feria ſexta eſum carnium, tunc ſi Chriſtianus ab hæreticis captus iubeatur illis veſci in contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ, tunc in eo caſu debet mortem oppetere, quàm carnes comedere.

Ratio ſecunda. ſi Epiſcopus graſsãte peſte præcipiat Parochis vt in Parochijs maneant, & Sacramenta adminiſtrent, tunc tenentur illi obedire, & cũ vitæ diſpendio peſte infectis miniſtrare, nam tranſgreſſio legis in detrimentum Eccleſiæ & animarum vergit. *Similiter* ſi Epiſcopus graſſante hæreſi ſanctæ inquiſitionis viſitatoribꝰ præcipiat vt hæreſes exſtirpent, tenentur obedire etiã cum diſcrimine vitæ, ſiquidem præuaricatio huius legis in detrimentum Eccleſiæ cedet.

13. Dico tertiò. *quando lex prohibet ea, quæ natura ſua ſunt mala, & intrinſecam malitiam habent, ita quòd virtutibus aduerſentur, tunt potiùs vitæ amiſſio eligenda, quàm lex præuaricanda.* PROBATVR. quia talis legis præuaricatio inuoluit peccatum mortale, potiùs autem moriẽdum quàm mortaliter peccandum.

Dico quartò *quando autem lex prohibet ea, quæ non habent intrinſecam malitiam, ſed ideò ſunt mala quia prohibentur, tunc conſiderandæ circumſtantiæ & ſi non adſit contemptus legis, aut grauitas materiæ* nam lex Eccleſiaſtica obligat ad ieiunium Quadrageſimę, ſed ſi quis ſit infirmus excuſatur.

13. Dico quintò. *Præter hos enumeratos caſus leges humanæ non ſemper obligant ad ſui obſeruationem cum periculo vitæ.* PROBATVR. Lex humana non habet maiorem vim obligandi quàm Diuina. ſed Diuina non ſolet paſſim, & ſemper obligare cum periculo vitæ. ergo nec humana obligabit. *Minor.* lex antiqua fuit, quòd panes propoſitionis Laicis non licebat ſed ſolis Sacerdotibus comedere. ſed 1. Reg. 21. Dauid vrgente fame accepit panes propoſitionis, illiſq; Laicus exſiſtens veſcebatur, quod factum Chriſtus Dominus Matt. 12. approbauit. Et lex Diuina eſt, *Sabbathum ſanctifices.* atqui Machabæi hoſte vrgente die Sabbathi arma capiebant, & prælium committebant. & integritas confeſſionis eſt de iure Diuino, ita quòd nemo vllum peccatum mortale reticere debet ſed ſi confitens videat ex certi alicuius peccati cõfeſſione imminere ſibi periculum mortis, veriſimiliter credens quòd illud Confeſſarius reuelaturus eſſet, tunc ſi alium Confeſſarium non habeat,

Nõ ſemper leges humanæ ad ſui obſeruationem cum periculo vitæ obligant

habeat, poterit pœnitens illud peccatum aut circumſtantiam grauiſſimam ſupprimere. ergo lex Diuina non obligat ſemper cum periculo mortis. ergo multò minus humana obligabit.

Leges quædam Diuinæ ſunt quæ cum minori detrimento non obligāt

Præterea ſunt quædam leges Diuinæ, quæ etiam cum minori detrimento non obligant, vt lex audiēdi Miſſam, aut ieiunij, nam infirmũ ne grauius valetudinem oſtendat, non obligat. eſt quoq; lex Diuina quæ obligat Sacerdotes ad reddendum penſum horarum, Sacerdos tamen in graui morbo exſiſtens ad illud perſoluendum non tenetur.

14. *Deniq;* Capitulum *Quoniam multos.* & Capitulum *Inter* docent de Excommunicatione, quòd viatores, peregrini, mercatores, non incurrunt pœnam Excommunicationis, cum vrgente neceſſitate refectionis ad Excommunicatos diuertunt, & cum illis communicant. & *Ratio eſt* quia non eſt veriſimile quòd Legiſlator in quouis actu velit ad obſeruationem legis ſemper ſubditos obligare, exceptis illis caſibus enumeratis. *Tum* etiam ſi vellet extra hos caſus obligare, non eſſet voluntas rationalis, quia hoc prorſus humanæ infirmitati eſſet intolerabile. Ad rationes Caiet. dico.

Ad rationes Caietani reſpondeo.

Ad primam dico non negare nos quòd aliquãdo ciuis tanquam pars Reipub. debet vitam ſuam pro bono Religionis ac Reipub. obijcere. ſed negamus quòd extra hos caſus debeat ſe ſēper periculo exponere.

Ad ſecundum dico hic, qui vrgetur cum periculo mortis, vt cum conſobrina matrimonium contrahat, quòd poterit contrahere, ſed cùm ſciat irritum eſſe, non debet conſummare, nam aliàs in peccatũ fornicationis incideret, ad quod euitandum mors potiùs eligenda.

Ad tertium dico ſi cogatur Sacerdos celebrare in contemptum legũ Eccleſiaſticarum, tunc non licere vllo modo ſic celebrare. ſi autem cogatur cum periculo mortis, vt nullus inde Eccleſiæ contemptus ſequatur, tunc ſi hoc poſſibile in tali caſu poterit celebrare. ita D. Antonius in *3. p. tit. 13. cap. 36.* Paludanus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2.*

Nota valde eſſe difficilè, vt ſic celebrans Sacerdos ſine veſtibus ordinarijs, & ſine altari vt hoc non includat contemptum Eccleſiæ, quare nunquam Sacerdoti hoc faciendum.

QVÆSITVM IV.
An Leges pœnales obligent in conſcientia?

Lex quotuplex eſt?

15. N*Oto primò* lex duplex eſt, *quædam* præceptiua ſiue purè moralis, quæ aliquid faciendum aut vitandum conſtituit nulla appoſita pœna, & talia ſunt præcepta Decalogi: *quædam* verò eſt pœnalis, quæ iam aliquid facien-

faciendum, aut omittẽdum ſtatuit pœna in tranſgreſſores appoſita, aut iam determinata, aut determinanda arbitrio Iudicis pro qualitate criminis. Hæc autem pœna quãdoq; apponitur ob culpam, vt quicunq; hoc fecerit, ſiue illud, ſit priuatus bonorum poſſeſſione, aut ſit excommunicatus. Aliquando exprimitur pœna ſine vlla appoſitione culpæ propriç aut alienæ, ſed ob aliquam cauſam quæ Legiſlatori viſa eſt in id iuſta imponitur, vt ad ſecundas nuptias tranſiens, aut cũ vidua contrahens ſit irregularis.

Noto ſecundò. Lex pœnalis rurſum diuiditur in mixtam & purè pœnalem, mixta duo habet: *primò* aut præcipit aut prohibet? *ſecundò* pœnam apponit, talis eſt lex Diuina data in paradiſo, in qua prohibitio eſt de ligno ſcientiæ boni & mali, *ne comedas*, appoſitio pœnæ *in quocunq; die comederis, morte morieris*. hæc lex mixta adhuc eſt duplex, aut enĩ eſt copulatiuè miſta, vt cùm pœnã cõtra trãſgreſſores copulatiuè, ponit hoc modo *Nullus frumentum extra patriã exportet, qui exportauerit luat cẽtum*. aut indiſiunctiuè miſtam, quæ diſiunctiuè apponit patriam hoc modo, *nullus ex ciuitate frumentum euehat, aut ſoluat ærario publico centum*. Purè pœnalis eſt, quæ nihil præcipit aut prohibet, ſed ſolùm imponit facienti aliquid aut omittenti pœnam, vt *ſi quis patri aut matri maledixeret morte moriatur*. His præmiſſis

16 Dico primò. *Lex pœnalis quæ habet adiunctam in tranſgreſſores pœnam obligat ad ſui obſeruationem, aut ſub mortali aut ſub veniali pro ratione materiæ, niſi aliundè conſtet, nollę Legiſlatorem obligare ad culpam*. ita communiter tenent Suarez *lib. 3. cap. 26. & lib. 5. c. 3.* Clauis regia Salonius *Tomo 2. q. 77.* Medina *hìc q. 96. a. 4.* PROBATVR. D. Aug. lib. 1. Retractat. c. 6. inquit: *omnis pœna iuſta eſt, quæ pro peccato impenditur*. ET RATIO eſt *prima*. Lex continens præceptum obligat in conſcientia. ſed lex pœnalis continet præceptum. ergo obligat in conſcientia. *Ratio ſecunda*. Legiſlator quando aliquid ſtatuit abſolutè nulla appoſità pœnâ, certum eſt quia obligat ad culpam. ergo idem Legiſlator quando legi apponit pœnam, euidens eſt quod illud tantò efficaciùs velit fieri. ergo magis obligat.

Dico ſecundò. *Lex pœnalis copulatiuè miſta, obligat in conſcientia ad id præſtandum, pro quo pœna apponitur*. DECLARATVR. Lex eſt copulatiuè miſta *Nullus exportet frumentum extra patriam qui exportauerit luat mille*. hęc lex obligat in conſcientia ad id prę ſtandum, v. ne exportet frumentũ, nam pro eo pœna apponitur luitionis mille. ita Couaruuias ad Regulam *Peccatum*, parte 2. § 5. num. 2. Alphonſus à Caſtro lib. 2. de lege pœnali cap. 8. Syluester verbo *Obedientia*. PROBATVR quia in tali lege præceptum morale continetur, quod vim obligandi inducit. ergo tãtò magis obligabit propter appoſitam pœnam. *Confirmatur*, quia pœna non repugnat culpæ, ſed eam ſupponit. ergo obligat pœna.

17. Dico tertiò. *probabile eſt quòd lex pœnalis diſiunctiuè miſta non òbligat abſolutè in conſcientia ad rem quæ in lege proponitur faciendam, ſed vel ad eã faciendam, vel ad pœnam ſubeundã*. PROBATVR

Lex pœnalis copulatiuè miſta an obliget?

Lex pœnalis diſiũctiuè miſta nõ obligat.

BATVR. euidens enim eſt quòd voluntas legiſlatoris hoc ipſo quòd pœnam diſiũctiuè ponit relinquat hoc in arbitrio ſubditorum, vt quam velint partem eligant; quã uis conſtet fore gratius legiſlatori ſi ſe legi eius conformauerint, ſed hoc non inducit obligationem ſaltem ſub mortali.

Lex purè pœnalis obligat.

Dico quartò. *Lex quæ, eſt purè pœnalis, modò ſit verè pœnalis obligat in conſcientia ad id præſtandum, pro quo pœna apponitur.* ita Soto lib: 1. de Iuſtitia & Iure art. 5. PROBATVR. voluntas legiſlatoris expreſsè intimata ſubditis habet vim eos obligandi. ſed eo ipſo quòd legiſlator apponit pœnam intimat diſertis verbis, quòd hoc velit à ſuis ſubditis fieri. ergo lex purè pœnalis obligat.

Deinde. Quia lex pænalis duas leges implicitè videtur continere, quarum vnâ aut præcipit aut prohibet, alterâ pœnam apponit. ergo eſt efficax ad obligandum ſi ſit lex purê pœnalis: *quicunq; noctu armatus inceſſerit, carcerem ſuſtineat.* hic ſunt duæ leges implicitè *prima* quà vnicuiq; prohibetur ne noctu armatus incedat. *ſecunda* irrogatur pœna tranſgreſſori vt carcerem ſuſtineat.

Leges, quæ non ſũt veræ leges?

18. Dico quintò. *Leges, quæ conſtitutæ ſunt animo non obligandi, neq; ad culpam, neq; ad pœnam, non ſunt veræ leges, ſed potius dicendæ ſunt Regulæ, Ordinatiònes, quæ oſtendunt quid ſit bonum, & ad illud dirigunt.* Similiter *illæ conſtitutiones quæ habent quandam ſpeciem & apparentiam legis pœnalis, non ſunt veræ leges, vt Irregularitas in Iudice non eſt verè pœna, ſed ſolùm dèclarat non decere, vt qui manus ſanguine contaminatas habet vt myſteria Corporis, & Sanguinis Agni immaculati diſpenſet. ſimiliter Irregularitas in Bigamo, non eſt verè pœna, ſed ſolùm irrogatur propter ſignificationē, Chriſtus enim vnicam ſponſam Eccleſiam ſibi deſponſauit.*

An is qui legem pœnalem transgreditur, teneatur ad ſubeundam pœnam ante ſententiam Iudicis

Sed quæres. An is qui legem Pœnalem tranſgreditur, teneatur ad ſubeundam pœnam, ante ſententiã Iudicis? *Reſpondeo & Dico primò.* Dominicum Soto lib: 1. de Iuſtitia quæſt: 6. art. 6. ſufficienter diſputare.

Dico ſecundò. *Duas hîc eſſe opiniones. prima.* Alphonſi à Caſtro *lib: 2. de Iuſta hæret: punit. cap. 1.* idem Panormitanus aſſerit quòd tenentur ad pœnas tranſgreſſores ante Iudicis ſententiam. *altera* eſt D. Thomæ *22. qu. 62. art. 3.* Caietani ibidē. Adriani quodlib: *6. art. 1.* & aliorum qui dicũt non teneri reum ad ſubeundam pœnã ante Iudicis cōdemnationem.

19. Dico tertiò. *quòd pœnæ quæ in legibus pœnalibus exprimuntur ſunt triplices. quædam* ſunt quæ ad ſui exſecutionem nulla indigent actione, nec ex parte Iudicis, nec ex parte delinquentis, ſed conſiſtunt in priuatione, vt excommunicatio Irregularitas: *quædam* inquibus actio delinquentis eſt permiſta paſſioni, vt pœna exilij in qua neceſſarium eſt vt delinquens patria decedat & illius priuationem patiatur: *quædam* in quam duo concurrunt actio exſequentis iuſtitiam, & Paſſio delinquentis, vt ſupplicia quæ corpori inferuntur ob commiſſa crimina, vt pœna mutilationis, diſmembrationis, mortis &c.

Dico quartò ad Quæſiti reſolutionē. *illæ pœnæ quæ in priuatione conſiſtunt*

ſiſtunt & ipſo facto vel ipſo iure in lege pœnali apponuntur, incurruntur à transgreßoribus in conſcientia ante Iudicis ſententiam; & tales ſunt pœnæ ſpirituales, Excommunicatio, Irregularitas, ſuſpenſio, interdictum. PROBAT. Caietanus ſic, hæ pœnæ in ſola priuatione conſiſtunt. ergo abſq; præuia monitione aut declaratione incurruntur. Sotus ſic deducit Excommunicatio non eſt priuatio alicuius boni proprij, ſed eſt priuatio bonorum communium vt receptionis Sacramentorum, & communionis ſuffragiorum Eccleſiæ, quæ ab Eccleſia erat recepturus, Eccleſia igitur eos omnes qui eius leges præuaricantur ad hæc omnia inhabiles facit priuando ita quòd ſtatim ſint priuati his bonis poſtquã crimen lege vetitum commiſerint.

...tis pœ- ...tranſ- ...oribus ...ſentẽ- ...Iudi- ...ſub- ...dæ?

Si autem ſint pœnæ in actione & paſſione conſiſtentes, tranſgreſſor non tenetur eas ſubire ante Iudicis ſententiam vt ſunt exilium, ſolutio pecuniæ, priuatio poſſeſſione bonorum. *Et ratio eſt.* Quia reus non obligatur ad maius quàm legiſlator intendat illum obligare, ſed non vult vt tranſgreſſor ſe ipſũ exuat bonis, ſed exſpectare debet decretum iudicis. ergo non obligant vt ante Iudicis ſententiam ſubeantur.

20. *Deniq;* ad illarum pœnarum exſecutionẽ quæ in actione exſequẽtis miniſtri & in paſſione trãſgreſſoris conſiſtunt, non tenentur tranſgreſſores ante Iudicis ſententiam. PROBATVR Lex enim pœnalis duo in ſe includit, vnũ quòd ad ſubditos ſpectat, vt cum præcipit vel prohibet alterum quòd ad Iudices ſpectat vt pœna capitis, confiſcatio bonorum, vnde tranſgreſſor legis non obligatur vt ſibi mortẽ conſciſcat, aut ſeipſum ſuſpendat, aut membrum aliquod ſibi amputet, prout lex pœnalis violata mandat, quia nemo ad id obligari poteſt quod licitè præſtare non poteſt, iam autem vt quis in ſeipſum ſæuiat, hoc licitũ nõ eſt.

Reus condemnatus tenetur parere pati.

Nota quando reus iuſta ſententia Iudicis ad pœnam condemnatur, tenetur parere pati, quandoq; pœnam exſequi, vt ſoluere pecuniam, in carcerem, in exilium ire, quia poteſtati non eſt reſiſtendum. ſi autem ſit pœna mortis, aut mutilationis, tunc tenetur ſolùm pati & non agere. ſi tamen verberum ſeu plagarum pœna ſibi à Iudice imponatur, eam exſequi poterit, alias autem vt veneni ſumptionem aut venæ ſectionẽ vt per ſe faciat, id iam exſequi non debet.

Ad quæ cõdemnatus non teneatur facienda?

Pœnæ Rectorũ in mãdatis appoſitæ quam vim obligãdi in cõſciẽtia habent?

21. *Sed quæres adhuc* pœnæ quas Rectores vniuerſitatis in ſuis mandatis apponunt, quam vim obligandi in cõſcientia habent? *Reſpondeo* quòd pœnæ quæ per Rectores apponuntur ſunt duplices: *quædam* ſunt certæ pecuniæ ſoluendæ: *quædam* verò ſub iuramẽto ſeu ſub pœna præſtiti iuramenti. de vtroque breuiter

Pœnæ quæ per Rectores apponũtur duplices

Dico primò. *ſi pœna apponitur certæ pecuniæ exſoluendæ, tunc ſi à tranſgreſſore non requiritur, ad eius ſolutionem nõ tenetur.* nam tranſgreſſor ſibi iam perſuadere debet, quòd eã ſibi Rector condonet, vnde ad illius ſolutionem ante ſententiam Rectoris nemo tenetur.

Sed dices an ideò incurro in conſcientia culpam? *Reſpondeo primò* ſi hoc ex contemptu fiat, incurri pec-

catum, pro grauitate contemptus diuerſum, maximè ſi fiat contemptus cum ſcandalo, mortale incurrit extra contemptum dico obligari tantùm vt pœnam perſoluat: ſicut ſi quis in communi ſylua contra legem prohibentem cædat ligna, nullam incurrit culpam, ſed ad pœnam ſoluendam obligatur. *Denique* quia Rector obligans ad pœnã tranſgreſſores, videtur eſſe contentùs exactione pœnæ, & nolle obligare ad culpam.

Quando verò in ſuo mandato apponit pœnam ſub iuramento. aut ſub pœna præſtiti iuramenti, vt interſit Miſſæ Sacrificio, quod pro Fundatoribus aut Fautoribus vniuerſitatis celebrandum eſt: dico hæc appoſita pœna iuramenti durè & inciuiliter non eſt intelligenda, tanquam mandans voluerit ſic iuratos & vocatos obligare ad peccatum mortale periurij ſi non paruerint, ſed quòd mãdantis Rectoris hæc eſt pia intentio, quòd velit illis in memoriam reuocare præſtitum iuramentum, ne illius mandatum contemnatur, alioqui contra tranſgreſſores ad pœnas in corpore ſuſtinendas procedere intendit, quas leges vniuerſitatis præſcribunt. Et

22. *Confirmatur*. ſunt enim quædam leges ſub pœna Excommunicationis, & hæ non obligant tranſgreſſores ad pœnam peccati mortalis. *v.g. Lex eſt vt Clericus qui comam laxiorem deſert excommunicetur.* tunc ſi quis Clericorum eam deferat, nõ ſtatim iudicandus quòd mortaliter peccet; ſed ſi monitus contumax fuerit iam ob contumaciam & contemptum grauiter peccat, & eſt excommunicatus. Idem hîc dicendum quòd ſolùm intendit commonefacere, vt memores iuramenti ſint & obediant, ſi autem moniti contumaces exſtiterint, iam grauem pœnam incurrunt.

Sed obijcies quòd ſi Rector intendat in ſuo mandato, vt non obedientes ſint periurij rei. ergo hi obligantur ad mortale. *Reſpondeo* quòd intentiones quæ ſunt temerariè mandantium & non conformes legibus, aut ſi in rebus parui momenti, non obligant ſubditos. Requiritur ergo vt intentio mandantis Rectoris ſit rationabilis, & quæ animas ſuo regimini commiſſas, ſuis intentionibus non irretiat, ſed contentus ſit communibus pœnis, & quæ ſunt legibus deſcriptæ. nam leges vniuerſitatum non ſunt veræ leges, ſed ſolùm quædam conſtitutiones ſeu conuentiones quæ ad pœnam obligant, vt lex eſt de cædendis lignis, aut lex Confraternitatis, vt ſi quis in Sacro non adſit, ſoluat duos groſſos, abſens non incurrit culpam, ſed pœnę ſolutionẽ. *Obiecto et ſolutione.*

QVÆSITVM V.

Quomodo lex dicatur eſſe ſufficienter promulgata, vt vim obligandi habeat?

23. In

23. IN prima Diſputatione huius Tractatus, Quæſito vltimo concluſimus, neceſſitatē promulgationis, nūc de ſufficientia eiuſdem concludendum.

Lex neceſſa o publicè promulgari debet.

Dico primò. *Lex in genere conſiderata vt vim obligandi habeat, neceſſariò requirit, vt ſit publicè promulgata, aut ſolenniter edita, hoc eſt, vt vel publicè legatur, vel ſcripta in locis publicis affigatur, iuxta conſuetudinem regionum, & non eſt neceſſarium vt auribus omnium inculcetur.* PROBATVR. lex imponitur omnibus, eademq; ignota ab omnibus ſeruari non poteſt. ergo vt ad notitiam omnium deuenire poſſit, promulganda eſt.

Quæ requi- tur vt leges Impera- censean- tur ſuffi- cienter eſſe promul- gatæ?

Dico ſecundò. *vt leges Imperatoriæ cenſeantur ſufficienter eſſe promulgatæ, & per conſequens vt obligare poſſint duo requiruntur. primò* vt cùm Imperator varia Regna & prouincias ſubiectas habeat, in Metropoli ſingulorū Regnorum & Prouinciarū promulgentur. PROBATVR ex Authentico, vt factæ nouæ Conſtitutionis, vbi ordinat Imperator legē ſuam non habere valorem & effectum in prouincijs, niſi poſtquam in Metropoli ſingularum fuerit promulgata. & licet ſolùm loquatur de Conſtitutionibus Teſtamentarijs, tamen eadem ratio videtur eſſe de alijs legibus, nam de his diſponit. *Item* Imperator habet poteſtatem imperandi in ſe transfuſam à Prouincijs quibus imperat. ſed hæ non dederunt ei poteſtatem vt eas ad obſeruationē illarū legū obligare poſſit, quas apud eas non promulgauit. ergò debent promulgari.

Requiſitum ſecundum

Secundò requiritur vt lex promulgata incipiat vim obligandi habere poſt tempus duorum menſium elapſum à die promulgationis. ita habetur in allegata Authentica. *Tum* hoc tempus duorum menſium eſt quaſi tempus induciarum, quod ſubditis conceditur vt ſe ſuauiter ad legis obſeruationem diſponant. *Tum* quia hoc tempus ſufficit ad ignorantiam excuſandam. *Deniq;* niſi concederetur, oriretur quædā in Repub. deformitas, dum quidam eam legem tanquam cognitam ſeruarent, alij verò tanquam ignotæ contrauenirent.

24. Dico tertiò. *quòd legum Imperatoriarum promulgatione dictum, idē intelligendum de legibus Regum,* vt ſi Rex plura regna, diſtrictus, Ducatus habuerit, non ſatis eſt quòd in ciuitate illius reſidentiæ publicetur, ſed oportet ad ſufficientiā promulgationis, vt ſaltim in primaria ciuitate cuiuſlibet regni, diſtrictus, Ducatus promulgetur. ita communiter tenent Doctores. *Tum* quia diſtincta regna & diſtincti diſtrict⁹ aut Ducatus habent diſtinctam communitatem. ergo diſtinctam promulgationem requirunt.

Nota Salas & Suares docēt, quòd Rex aut alius Princeps qui non eſt ſubditus legibus imperij ſui, poteſt de abſoluta potētia vnica promulgatione in vno loco facta omnia regna & prouincias obligare.

Quæ requirātur vt ſanctiones Pontificiæ vim obligandi habeant

Dico quartò. *vt ſanctiones Pontificiæ vim obligandi habeant, ſufficit vt in Curia Romana promulgentur, niſi aliter in lege ſit expreſſum.* PROBATVR quia nullum eſt ius in contrarium. *Tum* quia longo vſu receptum eſt, vt leges

ges Pontificiæ in ſola Curia Romana promulgentur. *Deniq;* ſunt multæ Decretales quæ extra Curiam Romanam non ſunt promulgatæ, & tamen vim obligandi in vniuerſo orbe habent. ita Syluester verbo *Lex quæſt. 6.* Azor, Salas *diſput. 12. q. 2. num. 10.* Reinaldus *lib. 13. num. 155.* Soto *l. de Iuſt. q. 1. a. 4.*

Promulgatio Romæ tantùm facta non eſt oneroſa.

25. *Sed obijcies* videri eſſe oneroſum vt leges Romæ publicatæ vim obligandi habeant. *Reſpondeo* hoc onus non eſſe oneroſum, ſiquidem Chriſti fideles non peccant, ſi illarum promulgationē ignorant. *aut reſpondeo* ſolùm materialiter peccare, quia ab illis facta eſt tranſgreſſio legis iam promulgatæ, ſed non imputari illis ad peccatū, ideò quia non innotuit. Valentia dicit legem promulgatā, ſed cuiꝰ promulgatio ignoratur obligare ſolùm in actu primo in conſcientia, legem verò cuius promulgatio ſcitur obligare in actu ſecundo, ita quòd hi qui contra talem legem peccant, iā per ignorantiam excuſari non poſſunt.

An lex Papalis &c. requirat ſpatium duorū menſiū ad hoc vt obligare poſſit?

Sed quæres an lex Papalis quemadmodum Imperatoris ſecundùm iam allegatam authenticam ſpatiū duorum menſium requirit, ad hoc vt obligare poſſit, ſiquidem Pius quartus in Bulla *ſicut ad ſacrorum* ſignificat ſe quoque motum diſpoſitione iuris communis ad concedēdam iuſtam temporis moram, antequam Decreta Concilij Tridentini circa reformationes inciperēt obligare? *Reſpondeo* quoſdam Doct. affirmare, vt Soto in *l. de Iuſt. & Iure q. 1. a. 1.* negant alij, vt Syluester verbo *Lex.* Pro reſponſione

26. Dico. *eſſe in poteſtate Summi Pontificis, tempus exprimere, & illius terminum aſſignare quo incipiat lex obligare* (vt fecit Pius quartus) *ſed quando in Conſtitutione ſua nullam mentionē facit temporis, tunc ſtatim poſt promulgationem eius conſtitutio vim obligandi habet.* PROBATVR quia lex ſimul ac lata publicè fuerit, habet vim obligādi. ergo ſtatim obligat niſi aliter Legiſlator exprimat. *Deinde* refert Nauarrus Conc. de Conſtit. *quæſt. 14. num. 18.* quòd qui legem Pontificiam promulgatam Romæ non ſeruant, nondum etiam elapſis duobus menſibus puniuntur. ergo ſtatim obligat. *Item* fruſtra exſpectatur ille euentus, cuius nullus effectus, vt habet Capitulum *Cùm contingat,* de officio Iudicis. Nec opus vt qui certus eſt, fiat certior vlteriꝰ, ergo fruſtra exſpectatur tempus duorum menſium. *Præterea* ſciens indubitanter legem eſſe latam ab eo qui poteſtatem legitimam illius ferendæ habet, & cum intentione obligandi, nihil eſt quod vltra exſpectare poſſit. *Deniq;* Concilij Tridentini Conſtitutiones quemadmodum & aliorum generaliū Conciliorum ſtatim vim ſuam obtinuerunt obligandi, poſtquam ſolenniter promulgatæ ſunt præſentibus ex omni Natione Prælatis, alijſque Venerabilibus fide dignis viris, nec in aliqua Prouincia ſpeciali promulgatione ſunt promulgatæ, ne Romæ quidem niſi quòd Bulla Sūmi Pontificis illud Concilium confirmans eſt edita. ergo ſufficiens erit promulgatio legum Pontificis in Curia Romana: nec tempus exſpectari debet.

Diſcrimen Legum Imperialiū & Pontificialium quoad

27. *Tum* diuerſa eſt ratio legum Imperialium & Pontificalium: *primò* quia

quia (vt Ioannes Monachꝰ inquit) Papa habet plumbeos pedes non plumeos, hoc eſt, Papa ea facilitate & celeritate non poteſt orbem terrarum percurrere, ſiue per ſe ſiue per Commiſſarios, ſicut Imperator, aut alius Rex ditionis ſuæ Regiones percurrit: *ſecundò* quia Imperator habet poteſtatem ab hominibus, vnde aliquo modo ab illis dependet: Papa autem accipit poteſtatem immediatè à Chriſto.

Sed quæres an Epiſcopi qui dicũtur eſſe locorum ordinarij teneantur Conſtitutiones Summorum Pontificum in Curia Romana promulgatas in ſuis Diœceſibus publicare? *Reſpondeo* ſi Summus Pontifex in ſua lege exprimit quòd velit, vt vbiq; obliget, etiam ſi alia publicatio non acceſſerit, & tunc ordinarij obligantur operam dare, vt ea conſtitutio à ſibi ſubiecto populo obſeruetur, & ſi viderint ita expedire vt promulgetur, eandem promulgare debent. ſi autem ordinarij illius obſeruationem neglexerint, ſciant illorum ſubditi ſe ad obſeruationem illius legis teneri, quandocunq; & quomodocunque ad illorum notitiam deuenerit. ita Nauarrus conſilio 1. de Conſtit. Alderus hic ad quæſt. 90. art. 4. dubio 3.

Si autem Summus Pontifex non dirigit voluntatem ſuam de obſeruatione ſuæ legis ad Ordinarios locorum, nec velit vt vbiq; obliget, tunc Ordinarij probabiliter non peccabunt, quando illius legis publicationem & obſeruationem in ſua Diœceſi non procurauerint, præſertim ſi videant quòd pro illo loco & tempore & hominum moribus non magnos fructus ſit allatura. ſed ſi viderint notabiles fructus ex illius promulgatione ſubſecuturos, & eam neglexerint promulgare vix excuſari poſſunt à peccato. nam mens Summi Pontificis ſic intelligenda eſt, quòd ille cùm legẽ ſuam vniuerſali Eccleſiæ præſcribat, expetit vt in illis locis & eo tempore & apud eos homines promulgetur, vbi fructificare poſſit. ergo obligantur talium legum promulgationem & obſeruationẽ procurare.

QVÆSITVM VI.

An vis obligandi legum ſit dependens ab acceptatione populi?

28. CONtrouerſum eſt inter Doctores. pro illius determinatione duo dicam.

Dico primò. *Probabilis eſt ſententia eorum qui dicunt quòd lex humana vt vim obligandi habeat, debet vſu ac receptione ſubditorum eſſe firmata.* ita docet Nauarrus *cap. 23. num. 41.* Alphonſus à Caſtro de Poteſtate legis pœnalis *cap. 1.* Emanuel Sa verbo *Lex*, & alij recentiores.

PROBATVR Capitulo *In iſtis diſtin. 4.* vbi dicitur *quòd leges tunc firmantur*

mantur cum moribus vtentium approbantur. & *Confirmatur.* lex firmata abrogatur moribus vtentium in contrarium, hoc eſt, contrario vſu tollitur, nam conſuetudo rationabilis & legitimè præſcripta tollit legem. ergo tanta eſt vis in moribus vtentium, vt ſi ſint contra legem, eandem abrogent, ſi ſint ſecundùm legem, eandem confirment. ergo legis firmitudo aut abrogatio ex moribus vtentium dependet.

Probatur ſecundò lege *De quibus* cuius verba ſunt. *nam cùm ipſæ leges non alia de cauſa nos teneant, quàm quòd iudicio populi ſint recepta.* ergo leges à ſuperiori legitimo debito modo promulgatæ non habent vim niſi cùm acceptantur.

Probatur tertiò. Nauarrus dicit *lib.* 1. Conſil. *tit.* 2. Conſilio 1. *num.* 24. leges ſub hac tacita conditione feruntur, vt vim habeant obligandi ſi fuerint acceptatæ & vſu receptæ. *Deinde* videtur hoc eſſe recto regimini conforme, vt ſuperiores cum ſubditis benignè & ſuauiter agant, ne onerati iugo legum intolerabili cogãtur illud excutere, vnde inuiti ac renitentes ad id faciendum non ſunt cogendi, quod alioqui nec naturali nec Diuina lege præſtare tenentur.

29. *Sed dices* id forſan ſolùm valere in legibus Principum ſeculariũ qui poteſtatem ſuam à populo acceperunt· ſed non valet in Conſtitutionibus Papæ, qui immediatè à Chriſto poteſtatem habet. *Reſpondeo* ſecundùm ſententiam horum Doctorum, quòd hoc etiam in Conſtitutionibus Papæ valere debet. nam licet Papa à Chriſto & non à populo poteſtatẽ acceperit, tamen (vt inquit D. Paul. *2. Corinth. 13.*) ad ædificationem ſibi commiſſi populi, non ad deſtructionem accepit, vnde acceptatio populi requiritur.

Quid ſit legem à populo non acceptari?

Sed quæres quid ſit legem à populo non acceptari? *Reſpondeo* quando vniuerſus populus, aut maior pars eius proſequitur facere quod facere conſueuerat ante legis promulgationem: quando autem vitæ rationes & mores ſuos legi conformat, aut tota communitas aut maior pars, tunc lex eſt acceptata.

Dico ſecundò. *valdè quoq; probabilis eſt ſententia, quæ dicit quòd leges ſiue Eccleſiaſticæ ſiue ciuiles debito modo promulgatæ, non pendent ab acceptatione populorum, ita quòd Papa ob plenitudinem poteſtatis habet facultatem promulgandi leges, & ſine acceptatione dat illis vim, vt ſubditos ſibi populos ad illarum obſeruationem obligare poſſint.* PROBATVR quia Papa nõ à populo nec ab ipſo Eccleſiæ corpore, ſed immediatè à Chriſto habet poteſtatem regendi Eccleſiam, & in illius vtilitatem condendi leges. ergo vt ſic de abſoluta poteſtate Papæ loquendo poteſt ferre leges independenter à populi acceptatione.

30. Idem dicendum de Principe ſeculari ſupremo, *quòd eius leges non dependent à populi acceptatione.* ita docent Doctores, Lopez *lib. 16. tit. 1. par. 1 num.* 4. Medina *cap. de Reſtit. q. 36. art. 5.* Suarez, Vaſquez, & alij. *Probatur.* Princeps ſecularis modo ſit abſolutè ſupremus, licet à populo acceperit poteſtatem gubernandi Rempub. & condendi leges, illa tamẽ poteſtas in eum ſic tranſfuſa in illo ipſo reſidet, & illius dominium & vſus illius poteſtatis eſt

in eo

in eo ſolo. ergo loquendo abſolutè de tali eius poteſtate non dependet ab acceptatione populi. *Præterea* ſi leges Principum ab acceptatione populi dependerent, iam Princeps non eſſet Dominus nec in illum poteſtas gubernandi verè eſſet tranſfuſa, ſed eſſet tanquam Syndicus, aut os populi, qui ſolùm proponeret aut declararet leges, quod eſt abſurdum.

…ia Re… in le… con… quo… ſe ha… bat?

Nota Eſſe Regna (vt hoc noſtrum inclytum Poloniæ) in quibus ſuprema poteſtas condendi leges abſolutè non eſt in Regem tranſlata, ſed ad hoc vt Regni leges & Conſtitutiones robur habeant, requiritur Ordinũ Regni conſenſus publicus in Comitijs. ſed ſi loquamur vti loquimur de abſoluta & ſuprema poteſtate, tam Eccleſiaſtica quã ſeculari, certum eſt quòd lex debito modo promulgata ſingulos ex communitate obligat ad illius acceptationem *Confirmatur* dicit enim Suarez ſubditos peccare qui legem latam & promulgatam non acceptant & non ſeruant.

Ratio ſecunda. Quia in lege promulgata eſt voluntas Legiſlatoris manifeſtè expreſſa per verba præceptiua. ergo ad parendum illi debet eſſe promptitudo in ſubdito, vbi enim eſt authoritas mandantis, ibi debet eſſe promptitudo obedientis.

Ratio tertia. quemadmodum voluntas Parentis dum imperat filio, vel Domini cùm mandat ſeruo, non ſic exponenda eſt, ſi filius vel ſeruus parere & acceptare voluerit, ſed ſimpliciter vult pater & Dominus vt non aliter niſi ſecundùm mandatum ſuum fiat. ergo & voluntas Principis non eſt intelligenda: ſi eam populus acceptauerit.

Ratio quarta. Quia hæc conditio ſubintellecta circa promulgationem legis vt vim habeat ſi à communitate accepta fuerit, videtur legibus robur adimere. *tum* difficile eſt vt leges quæ morum emẽdationem & diſciplinam intendũt, vt effectum ſuum ſortiantur; nam ſemper maior eſt pars hominum quæ ad libertatem in quauis communitate propendet.

31. *Nota* ſi Princeps legem durã & oneroſam ferat, præſumendum eſt quòd illam legem non promulgat abſolutè cum vi obligandi, ſed ſolùm experiendi gratia, quomodo populus circa eius obſeruationem ſit ſe habiturus, cuius prudentiæ erit ſi populum reluctantẽ viderit, vt eandem moderetur vel abroget: vel ſi ſponte amplectentem viderit, vt confirmet. Dico tamen cum Suarez quòd loquendo in rigore iuris, ſi lex ſit ita dura, quòd excedat poteſtatem Principis, ita quòd eam non potuerit ferre cum ſit oneroſa, talis lex iam non obligabit, non propter defectum voluntatis, ſed poteſtatis: ſi tamen durities legis fuerit inter latitudinem iuſtæ legis, omnino parendum legi, conſultius tamen eſt Publico bono vt apud Regem agatur de moderatione vel relaxatione talis legis.

Lex quæ nõ obligat?

Sed obijcies. moribus vtentiũ firmari leges. *Reſpondeo* quòd hæc verba non dicunt firmari acceptione, ſed moribus vtentium firmari quod non ita intelligendum eſt, quòd lex ante mores vtentium nõ

Quomodo intelligendum quòd moribus vtẽtium firmentur leges

habuc

habuerit vim, robur, efficaciam legis, ſiquidem à ſuperiore eſt lata, ſed quia lex moribus vtentiū munitur, ne poſſit abrogari.

Ad illud vero quod dicit cōtraria opinio *non debent inuiti & renitentes adigi ad legis obſeruationem. Reſpondeo.* quandoq; expedire Reipublicæ vt renitentem populum ad legum obſeruationem cogamus. nam arbitrio plebis legum ſanctionem permittere, eſt inobedientiā augere, & velle ſementem rebellionis ſpargere.

Nota. Si coactio futura ſit turbarum origo, prudentis erit principis conniuere vel relaxare cum vſus poteſtatis non ad deſtructionem ſed ad ædificationem ſit illi commiſſus.

QVÆSITVM VII.

An omnes legi ſubiiciantur, & an ſubdito liceat contra verba legis agere?

Homo eſt ſubiectum legis.

32. QVANTVM *ad primum* Dico primò. *Homo qui eſt capax rationis eſt ſubiectū legis.* PROBATVR. tale debet eſſe ſubiectum legis, vt non implenti tranſgreſſio imputetur ad peccatū. ſed qui non habent rationem aut illius vſum, vt pueri. amentes, nam ad peccatum aduertētia & conſenſus requiruntur. ergo ſubiectum legis debet eſſe ratione præditum. *Deinde.* leges his imponuntur qui eas intelligere & illis obtemperare poſſint. ſed ratione deſtituti hæc præſtare non poſſunt. ergo ratione carentes non ſubijciuntur legi.

Lex humana omnes legiſlatoris ſubditos obligat.

Dico ſecundò. *Lex humana omnes legiſlatoris ſubditos obligat; iuſtos quo ad vim directiuam, malos verò & quo ad vim directiuam & ſimul quo ad coactiuam.* PROBATVR primum Ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſit ſubdita.* ad Titum 3. admonet illos Principibus & poteſtatibus eſſe ſubditos. *item* Iuſtus ſeruat legem, virtutis amore, non formidine pœnæ. *Tum* quia ſua ſponte paratus eſt obedire Deo. ergo quo ad vim coactiuam non ſubiacet legi.

Quomodo iuſti ſubſint legi?

Nota. Quando dicimus *quòd iuſti quo ad coactionem non ſubſunt legi* hoc ita accipe non quòd ſimpliciter nō ſubſint, nam ſi peccauerint, omnino incurrunt pœnas; ſed quia (vt docet D. Th.) non trahuntur inuiti, ſed ſua ſponte legem implent.

33. *Sed inſtabis.* Iuſti cū non ſint in gratia confirmati, poſſunt mortaliter peccare. ergo ſunt ſub lege coactiua. *Reſpondeo.* iuſtus in ſenſu diuiſo in quantum ſcilicet eſt homo, peccare poteſt mortaliter, ſed iuſtus in ſenſu compoſito in quantum eſt iuſtus, ſic mortaliter peccare non poteſt, quomodo enim diceretur iuſtus?

Nota ſecundò etiam Chriſtum Dominum dum in carne noſtra verſaretur in terris ſubditum fuiſſe legibus. nam Matthæi 17. *præcepit* Petro vt capto piſce & inuento in eo ſtate

eo ſtatere pro ſe ſolueret. & Pilato reſpondit Ioannis 19. *Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Idem de B. Virgine aſſerendum, quòd legibus humanis ſubiecta erat, nam (vt D. Lucas refert) vnà cum Ioſepho profecta fuit, & ſecundùm mandatum Auguſti Cæſaris, nomen ſuũ profeſſa eſt.

Sed dices B. Virginem nulla legũ directione aut coactione opus habuiſſe, ſiquidem peccare non potuit. *Reſpondeo* verum eſſe quia quo ad hæc, ab omni lege fuit exempta, ſed quo ad actus humilitatis & obedientiæ exercendos; *Tum* quo ad exemplum & aliorum ædificationem. *Tum* quo ad ſeruandum ordinem qui à Deo cõſtitutus eſt, legibus fuiſſe ſubiectam.

34. Dico tertiò *legiſlatores & Principes qui ſunt cum ſuprema poteſtate non ſubijciuntur ſuis legibus ex vi illarum in quantum v. ab illis ſunt latæ: ſed iure naturæ & æquitatis & honeſtatis ſubijciuntur dum modò illæ leges Maieſtati Regis non repugnent.* PROBATVR, non ſubijciũtur quo ad vim coactiuam legis, nam pœnam infligere eſt propriè ſuperioris & habentis iuriſdictionem. Sed princeps non eſt ſeipſo ſuperior, nec in ſe habet iuriſdictionem. ergo quo ad vim coactiuam non ſubiacet legi.

Sed dices. Legiſlator vt eſt ſupremus princeps, ſic eſt ſuperior; in quantũ verò eſt homo, ſic eſt ſubditus. *Reſpondeo* inter principem & ſubditum debere eſſe realem diſtinctionem, hæc autem diſtinctio eſt rationis *tum* propriè nemo à ſeipſo cogitur, quia nihil in ſeipſum agit.

Sed dices Princeps accipit poteſtatem à ſubditis. *Reſpondeo* ita eſſe. & poſt trãsfuſam in ſe poteſtatem, iam eſt maioris dignitatis & altioris ſtatus quàm cæteri, vnde non eſt cõueniens vt legibus ſubijciatur. Deinde ſicut in familia Dominus ſolutus eſt legibus ſeruorũ, & Pater non ſubiacet legib⁹ quas liberis poſuit, ita nec Princeps ſubiacebit legibus, quas pro ſubditis tulit.

Nota leges quæ ab illa communitate ſtatuuntur, ita quòd omnes in ſolidum ſupremam poteſtatem repræſentent, hæ omnes in illa communitate obligant. Talis eſt Reſpu. Venetorum, in qua nec Dux ſolus ſine Senatoribus, nec Senatores ſine Duce vendicant ſibi ſupremam poteſtatem. vnde dico quòd ſinguli Senatores per ſe ſumpti, & ipſe etiam Dux ſeorſim tenentur ad obſeruationem legis, tanquam membra ſingula ex quibus Reſpu. coaleſcit. idem intelligimus de Statutis Collegij, Capituli, Religioſorum, vbi & ſuperiores illarum cõmunitatum, qui habent authoritatem conuocandi aut primum locũ occupandi, aut primò ſuffragium ferendi ſubiacent legibus. Notandum de Repub. Veneta.

35. PROBATVR, alterum *quòd Princeps quoad vim directiuam legis, ſaltem ex naturæ lege & ex æquo obligatur ad legũ obſeruationem.* ita Capitulum *Cùm omnes* de Conſtit. dicit, quòd quiſq; iuris in alios ſtatuit, ipſe vti debet eo. & ibidem hæc quaſi vox naturæ clamantis allegatur: *Patere legem quam ipſe tuleris.* & habetur in lege quæ incipit: *Digna vox maieſtate regnantis*, legibus alligatum eſſe Principem profiteri. & *Ratio eſt* quã Iureconſulti ex Baldo ſumunt. Princeps

ceps eſt animal rationale, & quamuis legibus ſit ſolutus tamē non à dictamine rationis pręſcribentis, vt legem patiatur quam tulerit. *Tum* ratio naturalis dictat Principem in moribus debere cōuenire cum Republ. ergo ad mores vtentiū obligatur. ergo & ad legem.

Neq; Papa neq; Epiſcopus ſubijciūtur ſuis legibus.

Nota ſecundò idem ſentiendum eſſe de legib⁹ Eccleſiaſticis, v. quòd nec Summus Pontifex nec Epiſcopus ſubjcitur ſuis legibus in quantum ab illo ſunt latæ, ſed ſolùm ex vi legis naturalis & ex æquo vt iam deductum.

Nota tertiò. quādo Epiſcopi cū ſuo Archiepiſcopo in Synodo leges ſtatuunt, ſinguli ſeorſim cum ſuo Metropolitano ad illarum obſeruationem obligantur: quia illæ leges nō ſunt vni⁹ Epiſcopi, ſed toti⁹ Cōcilij.

An ſubdito præter verba legis liceat facere?

36. QVANTVM ad alterum, v. *an ſubdito præter verba legis liceat agere?*

Dico primò. *ſi legis obſeruatio cum aliquo graui incommodo Reipub. contingat, non eſt tunc lex obſeruanda ad verbū ſed benignè exponenda.* PROBATVR. Lex enim ordinatur ad bonum cōmune, & in tantum obligat in quātum hoc bonum reſpicit & promouet. v. g. lex eſt ne tempore belli portæ aperiantur, ſed ſi contingat militem eſſe extra ciuitatem, & in magno periculo verſari, tunc conueniens eſt, vt contra verba legis portæ aperiātur, vt miles ſaluari poſſit.

Dico ſecundò. *ſi in lege periculum ſuboriatur, & non eſt ſubitum, tunc conueniens eſt, vt pro legis interpretatione ad Principem recurratur*, ſiquidem ſic Principis authoritati & ſubditorū obedientiæ conſuletur, & ſcandala euitabuntur, nam cuius eſt condere legem illius & interpretari. *ſi autem eſt ſubitum periculum quod moram non patitur, tunc ipſa neceſſitas quæ legi non eſt ſubiecta diſpenſare debet.* nam videtur eſſe cōueniēs rationi quòd his circumſtantijs poſitis, & ſi Legiſlator adeſſet, non obligaret ſubditos ad legis obſeruationem. vide hic Medinam circa artic. 6.

DISPVTATO VIII.

De Legum Mutatione.

Euidens eſt humanas leges ipſa etiam atteſtante experientia mutarij, idcirco de Mutatione legum tria examinanda proponimus.

1. *Quæ ſit ratio mutandæ legis?*
2. *An conſuetudo vim legis obtineat?*
3. *An Legiſlator humanæ legis poſſit in ea diſpenſare?*

QVÆSITVM I.

Quænam ſit ratio mutandæ legis?

1. Duo

1 DVo determinabimus: *primò* de cauſis mutãdæ legis: *ſecundò* de ratione mutationis.

Legis iuſtæ mutandæ duplex cauſa.

QVANTVM ad primum dico. *Legis iuſtæ mutandæ duplex cauſa eſſe poteſt: prima ex parte Legiſlatoris.* DECLARATVR. huius enim hic eſt naturalis progreſſus, vt ab imperfectis ad perfecta procedat, hoc ideo, quia non poteſt mente ſua comprehendere caſus particulares, & alias incidentes circumſtantias. ergo legẽ imperfecto modo de bono publico ſancit: ſicut enim in ſpeculatiuis ita & in Practicis accidit. Sed in ſcientijs ſpeculatiuis hi qui primò ſũt philoſophati quædã imperfectè tradiderunt, poſteriores verò philoſophi longè hæc exactiora & perfectiora reddiderunt: Ita in Practicis primi legum conditores non valentes ex ſeipſis omnia inuenire, quæ ad publicum bonum ſpectarent, leges imperfectas condiderunt. ergo hæ à ſucceſſoribus perfectiores tradi debent, & per conſequens immutari.

Altera cauſa mutationis legum eſt ex parte hominum. DECLARATVR. actus enim hominum lege regulantur. ſed ea eſt conditio hominum, quòd & ipſi & actus illorum mutẽtur. ergo ex parte hominum leges mutari neceſſe eſt. *v.g.* ſi ſit lex lata vt populo qui tunc moderatus erat, & publicis vtilitatibus ſtudẽs, liceat Magiſtratum eligere, ſed ſi ille populus ſucceſſu temporis ſit deprauatus, & ſuffragium venale habeat, vtile eſt, ob morum mutationem etiam legem mutari.

Concilia priora emendantur per poſteriora.

2. *Nota* ex D. Aug. *lib. 2.* de Bapt. *cap. 3.* etiam Concilia priora emendari per poſteriora, quod Doctores intelligi volunt, non ſolùm de particularibus, ſed etiam de generalibus Concilijs. Hæc tamen mutatio non eſt intelligenda in materia fidei, neq; in moribus generalibus, ſed ſolùm quoad particularia in quantum ratio locorum, perſonarum, temporum requirit.

Sed inſtabis. Lex eſt Regula ſeu Menſura, ſed hanc conuenit eſſe certam, & immutabilem. *Reſpondeo* Regula eſt immutabilis pro ratione rei ſubiectæ, quam menſurat. ſed quia actiones humanæ, quas lex menſurat ſunt mutabiles, ideo & menſuram mutari neceſſe eſt. *Præterea.* Lex immutabilitatem accipit ex circumſtantijs, & ſtatu rerum, quamdiu igitur ſtatus rerum & circumſtantiæ manent, & lex manet, ſed his mutatis & lex mutatur.

Quomodo lex quæ eſt Regula mutari debet.

QVANTVM ad alterum Dico. *Leges non ſunt facile mutandæ, etiam occurrente maiori bono, niſi quando aut neceſſitas flagitat, aut maxima & euidentiſsima vtilitas boni publici, quæ ex illa lege prouenit.* PROBATVR. Lege ſecũda de cõſtit. in nouis rebus vbi dicitur. *Euidens debet eſſe vtilitas vt recedatur ab eo, quod diu æquumviſum eſt.*

Leges non ſunt facile mutandæ.

Probatur ſecundò Capitulo *ridiculum* vbi dicitur *Ridiculum eſt & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus ſuſcepimus infringi patiamur. deinde* Quia authoritas legiſlatoris ex mutatione legum vileſcit, nam frequens mutatio arguit eum leuitatis. *Item* quia mutatio hoc graue incommodum importat, quia conſuetudinem, ſeu morem agendi conſuetum ipſa antiquitate firmatum tollit. *deniq;* Philoſo-

loſophus lib: 2. Politic. c. 6. hoc incommodum adfert, quòd ex frequenti legum mutatione aſſuefactio non parendi ſuperioribus naſcitur. vnde ſuadet potiùs quædam errata toleranda eſſe, quá de facili legum mutatione corrigenda.

QVÆSITVM II.
An conſuetudo vim legis obtinere poſsit?

3. NOto Quòd Iſidorus *lib. 2. Orig. cap. 10.* ſic conſuetudinem deſcribit: *conſuetudo eſt* Cõſuetudo quid ſit? *quoddam ius moribus inſtitutum quod pro lege ſuſcipitur dum deficit lex.* vel (vt quidam volunt) *conſuetudo eſt ius quod frequentatione actuum humanorum eiuſdem rationis per aliquod tempus continuata introducitur.* hoc notato.

Dico primò cum D. Th. *conſuetu-* Cõſuetudo quas leges non poteſt mutare? *do vel etiam deſuetudo, nec legem Diuinam, nec Naturalem immutare, aut abrogare poteſt.* PROBATVR. Lex naturalis. & Diuina procedunt à voluntate Diuina (vt iam probatum eſt) ergo per conſuetudinem procedentem à voluntate humana immutari non poteſt, ſed ad hoc requiritur voluntas Diuina. *confirmatur.* cuius enim poteſtatis eſt condere legem, eiuſdem eſt & mutare. ſed poteſtas Diuina vtramq; legem condit. ergo ſola vtramq; immutare poteſt.

Quomodo conſuetudo poſſit immutare leges? *Ratio ſecunda.* duplex eſt via per quam conſuetudo poteſt immutare legẽ *prima* conniuentiæ, vt cum legiſlator ſciens, volens tolerat, nec punit præuaricatores. *ſecunda* præſcriptionis, quando id, quod certo tempore per actus contrarios exercitum eſt præualet. ſed via conniuentiæ conſuetudo non mutat legem Diuinam nec naturalem, quia Deus præuaricatores ſuæ legis vel hic, vel in futuro ſeculo punit. Non præſcriptione, quia hæc vim habet ab humana conſtitutione ſed humana conſtitutio non poteſt præiudicare legi Diuinæ & naturali ergo non immutat.

Nota. Si ſit conſuetudo aliqua derogans vel legi naturali, vel Diuinæ, potius corruptela, quàm conſuetudo dicenda, & tantò eſt peior, quantò antiquior.

4. Dico ſecundò *Leges humanæ tam Eccleſiaſticæ quàm ciuiles per conſuetudinem rationabilem mutari poſſunt.* Ita D. Th. in corpore art. 3. circa finem. *conſuetudo habet vim legis & legem abolet, & eſt legum interpretatrix.* Et D. Aug. Epiſt 86. *Mos populi & inſtituta maiorum pro lege ſunt habenda, & ſicut præuaricatores legum Diuinarum, ita & contemptores conſuetudinum, & Eccleſiaſticarum ſunt coercendi.* Et lege 36. dicitur: *Magnæ authoritatis hoc ius habetur, quod in tantùm probatum eſt vt non fuerit neceſſe ſcripto illud comprehendere.* Et ratio eſt. Lex tũc ceſſat quando legiſlator ſignificat velle ſe per conniuẽtiam illius mutationẽ non puniẽdo tranſgreſſorẽ. ergo per cõſuetudinẽ ton: F... ſt.

Nota.

ſuetu- poſſit dicare a & habe- eat?

Nota. conſuetudo vt poſſit præiudicare legi, quatuor habebit *primò* vt ſit rationabilis nam ſic conſuetudo (vt iam dictum) vim legis habet, & lex eſt recta ratio. ergo debet eſſe rationabilis. *ſecundò* vt ſit vniuerſalis, non paucorum, vnde ſi in communitate quidam hoc ſeruant, quidam verò non, vim cōſuetudinis obligantis habere non poteſt. *tertiò* vt ab omnibus iudicetur, quòd ſit obſeruatu neceſſaria, (vt non fiat ex pia animi affectione. *quartò* vt illa conſuetudo ſit approbata voluntate ſuperioris aut expreſſa, aut interpretatiua, vt ſi legis tranſgreſſores non puniat, euidens eſt quòd conſuetudinem approbet.

dnam s re- ur vt io icet

5. *Sed quæres primò* quodnam tēpus requiratur, vt conſuetudo præiudicet legi? *Reſpondeo* quidam dicunt quòd vt conſuetudo contra legem Eccleſiaſticam præſcribat, requirit ſpatium quadraginta annorum, vt verò præſcribat contra ius ciuile, requirit inter præſentes ſpatium decem annorum, inter abſentes viginti. nam ad inducendam aliquam conſuetudinem requiritur tempus longæuum. ſed tale hoc eſt. ergo *vel dico* cum alijs hoc valere in præſcriptionibus circa res, poſſeſſiones, ſed non in conſuetudinibus quæ circa facta & morales actiones verſantur. vnde hi dicunt quòd ad introducendam conſuetudinem ſufficiat ſpatium vnius aut duorum menſium.

Conſuetu- em obligā abet?

Quæres ſecundò conſuetudo qualem vim obligādi habet? *Reſpondeo* habere eā, quæ eſt legis, ſicut enim lex omnes ſubditos ita & cōſuetudo omnes obligat. & ſicut lex eſt vniuerſalis obligās, ita & cōſuetudo ſi ſit Eccleſię vniuerſalis omnes Chriſtianos ad ſui obſeruationem obligat. ſi autem ſit particularis alicuius Epiſcopatus, nō obligat ſubditos alterius Diœceſis. vnde Panormit. dicit, *quòd conſuetudo Epiſcopatus Romani in quantum eſt Eccleſia particularis, non obligat alias Eccleſias.*

Quādo cōſuetudo cēſenda eſt vim legis habere?

Quæres tertiò. quando conſuetudo cenſenda eſt vim legis habere? *Reſpondeo* tunc quando palam ab omnibus illam frequentari videmus, aut certè à maiori parte, maximè autē à viris ſapientibus.

Nota poſſe hoc accidere vt aliqua conſuetudo fuerit ab initio mala, ſed eadem ſi ſucceſſu temporis recepta fuerit, & ab alijs frequentata, & à Principe tolerata, tunc ſecundùm eā viuere, nullum eſt peccatū, immò cùm vim legis habeat, obligat ad ſui obſeruationem.

An conſuetudo Laicorum obliget Clericos?

Quæres quartò an conſuetudo Laicorum obliget Clericos? *Reſpondeo* conſiderandum eſſe in qua materia conſuetudo verſetur, ſi enim purè ſit ciuilis, non obligat Clericos, *Probatur.* quia Princeps ſecularis nō poteſt per expreſſam voluntatem legis promulgatæ obligare Clericos. ergo nec per tacitam quæ videtur conſuetudinem approbare. nec Clerici contra ſuam libertatem Eccleſiaſticā cōſentire poſſunt, ſubijciendo ſe illi conſuetudini. ſi autem conſuetudo ſit in materia mixta, ita quòd vim ſumat à tacito cōſenſu ſecularis, & Eccleſiaſtici Principis, tunc tenebūtur Clerici ad illius obſeruationem. ſi autem in cōſuetudine adſit aliqua ratio ob quā magis illa conſuetudo videatur eſſe Laicorum, tunc non obligabit Clericos, qui ſunt diſtincti ordinis à Laicis.

QVÆSITVM III.
An Legislator in lege humana diſpenſare poſsit?

Modi quatuor quibus obligatio legis tolli poteſt.

6. NOto primò. Quatuor ſunt modi quib9 obligatio legis tolli poſſit: *primus* eſt per interpretationem, quæ declarat in hoc, vel illo caſu propter incidentes circumſtantias non obligare legem: *ſecundus* eſt per abrogationẽ, per quam tota lex, quæ obligat tollitur, nam ſi in parte tollatur, dicitur derogatio. *tertius* per Irritationem, per quam lex antequam incipiat obligare, impeditur ne robur obligandi habeat. *quartus* per Diſpenſationem, per quam is, qui erat verè obligatus eximitur ab obligatione legis authoritate Principis.

Diſpenſatio quid importet?

Noto ſecundò. Diſpenſatio (vt ait S. Doct. hic art. 4.) importat cõmenſurationem alicuius communis ad ſingula, v. diſpenſationis eſt ordinare, & diſpenſare quâ ratione aliqua lex; quæ eſt communis & omnes obligans, à ſingulis ſit adimplenda. tunc ſi cõtingat quòd præceptum ieiunandi in Quadrageſima non conuenit huic perſonæ in tali caſu, v. in infirmitate, iam tali perſonæ diſpenſatur, hoc eſt, tribuitur licentia, vt hoc præceptum nõ ſeruet. His notatis

Qui habent poteſtatem diſpenſandi in lege?

Dico primò. *qui habet poteſtatem regendi aliquam multitudinem, etiam habet poteſtatem diſpenſandi in lege, quæ ſuæ authoritati innititur.* PROBATVR *primò.* poteſt Legiſlator ex cauſa legima occurrente, legem ſuam ab-
rogare ſi velit cùm ſit illius author.
ergo etiam iuſtâ cauſa interuenien
te poterit in ea lege diſpenſare. *Cõ-
ſequentia.* qui enim poteſt maius, po-
teſt & minus. ſed maius eſt tollere,
minus autem diſpenſare cum ea cũ
aliquo. *Deinde* voluntas Legiſlato-
ris eſt ſuâ naturâ mutabilis, quia ſe
ſtatui rerum mutabili accommo-
dare debet. ergo poterit diſpenſa-
re. *Præterea* Legiſlator poſt legem
promulgatam eſt illâ ſuperior, &
non minori poteſtate præditus,
quàm antea. ergo in ea diſpenſare
poteſt.

7. Ex quo collige *primò* de po-
teſtate Papæ in diſpenſandò quàm
ſe latè habeat. & Dico *quòd in lege
naturæ ſicut & in iure Diuino, nulla hu-
mana poteſtas diſpenſare poteſt.* PROBA-
TVR. Lex enim naturæ, & Diuina
dicitur Fœdus ſempiternum, quia
illud tranſilire non eſt licitum. *Item*
debet eſſe aliqua immota regula (&
talis eſt lex naturæ, & Diuina) ex
qua tanquam ex certiſſimis Princi-
pijs leges tanquam Concluſiones
deducũtur. *Item* huic vtriq; Legũ-
latores conformare ſe debent in le-
gibus ſtatuendis. *Deniq;* quia exce-
dunt humanam poteſtatem.

Poteſtas Papæ in diſpenſando quàm ſe latè habeat.

Si quando verò Summus Pon-
tifex diſpenſat in Voto, aut in Iura-
mento. Dico cum D. Th. *ex 2. 2dæ.
quæſt. 88. art. 10. quòd non diſpenſat in
Iure Diuino & naturali, ſed ſolùm modo
determinat in hoc caſu non eſſe congruam
materiam,*

materiam voti, quia vel ſimpliciter eſt malum, vel maioris boni impedimentum, vel quòd inutile, & ſic iam non cadit ſub legem, quam ſibi voto facto impoſuit. Valẽtia huc videtur reſpexiſſe cùm dicit quòd Summus Pontifex cùm diſpenſat, ſolùm obligationem humanam tollit, ſupra quam innititur naturæ lex, & Diuina, ſed hac ſublata, iam lex nec naturalis, nec Diuina obligat.

Idem Papa in legibus ab Apoſtolis latis, poteſt diſpenſare, non in his quorum Chriſtus Conditor extitit, illi autem promulgatores, ſed quas ipſi Apoſtoli, tanquam Eccleſiæ Paſtores condiderunt. *Et ratio eſt* quia Papa in ſua poteſtate non eſt inferior D. Petro, & alijs Apoſtolis.

Poteſt adhuc diſpenſare in Cõſtitutionibus à ſuis Prædeceſſoribꝰ latis, ſiquidem cum eis eſt æqualis iuriſdictionis, & eadem poteſtate gaudet.

Deniq; poteſt diſpenſare in legibus factis ab alijs Epiſcopis, nam *inferior poteſtas eſt ſubordinata ſuperiori.* Similiter quilibet Epiſcopus non ſolùm in Diœceſalibus, ſed etiam in Synodalibus diſpenſare poteſt. *Et ratio eſt* quia Synodales Conſtitutiones ab eo tanquam à legitimo ſuperiori pendent, nam reliqui Sacerdotes, qui ad Synodum conueniunt, non ideo conueniunt vt decidant & concludant, ſed vt maturiori conſilio leges ſtatuantur, facultas autem determinandi eſt penes Epiſcopos.

8. *Sed quæres* an inferior vt Epiſcopus, poſſit diſpenſare cum lege ſuperioris vt Papæ? *Reſpondeo* tunc poſſe diſpenſare quando diſpenſatio non eſt reſeruata, & quoties ſic non reſeruatur, præſumitur quòd vnicuiq; Epiſcopo data ſit facultas diſpenſãdi in propria Diœceſi. ſi autem fuerit reſeruata, tunc in his caſibus poterit adhuc diſpenſare. *primò* in his quæ ſunt leuia, vt cũ lex non obligat ſub mortali ob materiæ leuitatem. *ſecundò* in his, quæ frequenter eueniunt. nam non eſt poſſibile quòd in his Summus Pontifex reſeruet ſibi facultatem, ſed eorum diſpenſationem arbitrio Epiſcoporum relinquit, & ſic videmus Epiſcopos in ieiunio in feſtis diſpenſare. *tertiò* ſi ſubita & grauis neceſſitas adueniat, vt tam citò Sũmus Pontifex non poſſit adiri, tunc iudicandum de Summo Pontifice, quòd illius tacita conſenſio videtur eſſe, quia non videtur imponere ſubditis tam rigidam obligationem accedendi ad ſe, niſi aliter conſtet.

Nota Epiſcopi propter conſuetudinem diuturno tempore firmatam, quæ legum interpres eſſe iudicatur, poſſunt in omnibus votis diſpenſare excepto voto Religionis, caſtitatis, peregrinationis Hieroſolymitanæ. In quibus votis Epiſcopi diſpẽſare poſſint?

9. Dico ſecundò. *Diſpenſatio debet ſupponere iuſtam cauſam, ob quam aliquis à communi obligatione legis eximatur.* Diſpenſatio quid ſupponere debeat PROBATVR 1. Corinth. 11. *Facultas diſpenſandi non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem Eccleſiæ conceſſa.* ſed diſpenſare ſine cauſa eſt deſtructio. ergo. *Præterea* in eo fides requiritur vt bona fide diſpenſet quæ innitatur cauſæ legitimæ. 1. Corinth. 4. *ſic nos exiſtimet homo vt diſpenſatores myſteriorum.* hîc iam quæritur vt fidelis, quis inueniatur. ſi autem cõ-

tingat,

tingat, quòd Legiſlator, aut qui ab eo authoritatem diſpenſandi habet, ſi ſine cauſa diſpenſet, incurrit peccatum mortale. *Tum* quia grauem iniuriam alijs infert, quando hunc à vinculo legis ſine cauſa eximit. *Tum* quia occaſio ſcandalorũ oritur, nam eſt acceptio perſonarũ. *Tum* quia reliqui ſubditi inde occaſionem accipiunt non parendi legibus.

An illa diſpenſatio quam quis concedẽdo peccat ſit valida?

10 *Sed quæres* an illa diſpenſatio quam quis concedendo peccat ſit valida? *Reſpondeo* etiamſi Epiſcopus diſpenſando peccet, nihilominus eſt valida diſpenſatio. *Ratio.* ſicut enim proprij Sacerdotis, qui fuit excommunicatus, & poſtea non benè abſolutus, eſt valida abſolutio, & ſicut Iudicis, qui ab officio depoſitus erat, & tandem indebito modo reſtitutus eſt, valida reſtitutio, & validi actus iudicij, quos exercet: ita dicendum de diſpenſatione ſine cauſa obtenta, quòd licèt eam concedens, peccet, nihilominus eſt valida. nam aliud eſt benè agere, aliud verò operari. Sacerdos enim excommunicatus, aut in peccato mortali exſiſtens, ſi ſacrificet, peccat mortaliter, quia non benè facit, ſed verè conſecrat, quia hoc ex charactere poteſtatis procedit.

Nota omnis illa diſpenſatio, quæ ex cauſa falſa eſt obtenta, & falſis teſtibus comprobata, eſt inualida.

Quæ diſpẽſatio inualida?

Nota ſecundò. ſi contingat fieri diſpenſationem in aliqua lege Eccleſiaſtica cum perſona ſummę dignitatis, quæ cauſam intrinſecam diſpenſandi non habet, ſed extrinſecã habet, vt cùm datur diſpenſatio illi, vt per eum amicitia Eccleſiæ cõciliari poſſit multùm profutura, aut quia hoc alia vtilitas Eccleſiæ aut Reip. expoſcit, aut vt gratitudo perſonæ, de Eccleſia benè meritæ declaretur, tunc ſine peccato erit.

Diſpenſatio quæ ſine peccato poteſt?

DISPVTATIO IX.

De Lege Diuina veteri.

Sequentes Diſputationes cùm ſint ex ſe legenti manifeſtæ apud D. Th. à quibuſdam Doct: omitti ſolent, ſed quò magis hic noſter Tractatus de Legibus ſit abſolutus, eaſdem attingere decreuimus. Duo autem examinabimus circa præſentem Diſputationem.

1. *Quædam in communi de Authore, & Bonitate legis veteris.*
2. *Quænam ſint illius præcepta?*

QVÆSITVM I.

Quid de Lege veteri quoad illius Authorem, & Bonitatem ſit ſentiendum?

1. Dico

1. DIco primò. *Loquimur hîc de Lege Diuina in quantum eſt de Obiecto ſupernaturali, & quod non niſi lumine reuelato fidei cognoſcitur, & ordinat hominem ad vitam æternam conſequendam.* PROBATVR. Quemadmodũ enim legis humanę ea eſt perfectio, vt ciues in omni virtute ciuili perfectos reddat, & vt in ſocietate publica, pace, & trãquill:tate fruantur. ita legis Diuinæ hæc eſt perfectio, vt homines per virtutum exercitia Deo gratos & acceptos reddat, & vt ob Diuinorum mandatornm adimpletionem ad illam æternam vitam in qua eſt clara viſio Dei deducat, iuxta illud *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Nota licet lex naturalis ſit impreſſa menti noſtræ, hæc tamen non eſt medium ſufficiens perducendi nos ad illum finem, qui eſt ſupernaturalis, ſed ſolùm ad eum, qui eſt naturalis. ergo debuit dari lex Diuina

Dico ſecundò. *hæc lex Diuina duplex eſt vetus & Noua, ſeu Euangelica, & vtraq; pro diuerſa ratione temporis ſecundùm beneplacitum Dei tradita eſt.* Ad Hebr. 1 *Multifariam multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis nouiſſimè his diebus locutus eſt nobis in Filio.*

2. Dico tertiò. *Lex vetus fuit omnino bona, ſed imperfecta.* ita tenet D. Aug. *lib. de Hæreſ. cap. 21.* & *46. indubitata fide credendum eſt. ſuo tempore fuiſſe bonam & vtilem, imò etiam ad ſalutem neceſſariam.*

ET *ratio eſt prima.* quia à Deo tradita eſt, qui eſt fons bonitatis. ergo bona. *Ratio ſecunda* quia ea præcipit quæ rectæ rationi conſona, refrenat enim concupiſcentiam prohibendo *Non concupiſces.* ideo autem fuit imperfecta, quia totaliter non reddebat hominem idoneum ad vitam æternam poſſidendam, nec conferebat gratiam ex opere operato, ſicut lex noua, ſed ex opere operantis, ſiquidem figuras & vmbras continebat.

Sed obijcies Ezechiel. 20. dicitur, *Dedit illis legem non bonam. Reſpondeo* ſumpta lex vetus cõparatè ad Nouam, ſic eſt non bona, quia imperfecta, ſed in ſe conſiderata, & pro illo ſtatu hominum fuit bona.

Dico quartò. *Lex vetus non alium authorẽ agnoſcit, niſi ſolùm Deum bonum.* Eſt Dictum directè contra Manichæos, qui legem veterem à Deo malo conditam eſſe aſſerebant, quã Hæreſim refutarunt Tertulian quatuor libris contra Marcionem D. Cyril. Alexand. *lib. 10. in Ioan. cap. 11.* D. Aug. *libris duobus contra aduerſariũ Legis & Prophetarum, & in varijs locis contra Fauſtum, Manichæum.* PROBATVR ad Rom. 10. *Finis legis Chriſtus.* ergo lex vetus ordinabat homines ad Chriſtum dupliciter: *primò* teſtimonium perhibendo de Chriſto, vt ipſe Saluator ait Ioan 5. *ſi crederetis Moyſi, forſitan crederetis & mihi, de me enim ſcripſit ille.* SECVNDÒ diſponendo ad Chriſtum ea ratione, quia ab idolorum cultu retrahebat, & in vnius Dei ſeruitio eos cõtinebat, qui illos per Chriſtum ſaluare debuit.

Legis veteris author Deus malus Hæreſis Manichæorũ.

Lex vetus quotupliciter ordinabat homines ad Chriſtum?

Nota ſicut nos nunc per fidem in Chriſtum ſalutem conſequimur, ita in veteri lege per fidem in venturum Chriſtum Patres ſalutem conſequebantur.

Lex vetus per miniſterium Angelorum tradita eſt.

5. Dico quintò. *Lex vetus à Deo per miniſterium Angelorum tradita eſt.* PROBATVR ad Galat. 3. *Lex ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris.* & *ſi ſermo qui per Angelos dictus eſt* (intelligit legem veterem) *factus eſt firmus.* Actor. 7. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum.* ET *ratio eſt*, quia conueniens eſt vt Diuina myſteria per Angelos, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus hominibus tradãtur.

Ratio ſecunda ita communiter videmus quòd quilibet artifex operis perfectionem per ſe inducit, ea verò quæ ad eam diſponunt, per miniſtros operatur. ita lex vetus cùm ad nouam Euangelicam diſponebat, per Angelos miniſtranda erat: Euangelica verò lex tanquã perfectiſſima per vnigenitum Patris proponenda erat.

Nota quotieſcunq; legitur in ſacra Scriptura, quòd Dominus aut apparuit, aut locutus eſt Moyſi, aut alteri Prophetarum, intelligi debet de Angelo, qui in perſona Dei apparebat, & loquebatur.

Cui populo hæc collata?

Dico ſextò. *Soli populo Iudaico lex & reliqua beneficia collata ſunt.* PROBATVR Pſal. 75. *Notus in Iudæa Deus.* Deuter. 4. *Quæ eſt alia gens tam inclyta. quæ habeat cerimonias & iuſta iudicia.* Ad Rom. 9. *Quorum* (id eſt Iudæorum) *eſt adoptio & teſtamentum, & legiſlatio.*

Quæ cauſa cur huic Nationi & nõ alteri lex tradita?

Sed quænam cauſa cur huic nationi, & non alteri lex tradita? *Reſpondeo* quia Abrahæ facta eſt promiſſio naſcituri Chriſti, & quia Iudæi erant filij Abrahæ, ideo ſpeciali ſanctitate decorandi erant, ex quibus venturus Meſſias carnem accepturus erat. Quidam huius beneficij conſecutionem referunt in meritum obedientiæ Abrahæ. Gen. 22. *Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo propter me, benedicam tibi, & in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* ſed hoc potiùs referendum in gratuitam Dei vocationem & electionem, ſicut enim Abrahamum, ita & quemuis alium potuit Deus eligere, & ei promiſſionem facere. ergo quòd & Abrahæ facta eſt promiſſio, & lex in poſteris eius data, eſt opus miſericordiæ Dei.

4. Dico ſeptimò. *Gentiles quibus lex Diuina non fuit tradita, tenebantur ad illorũ obſeruationem, quæ lex vetus cõtinebat de lege naturæ, vt quòd Deus ſit colendus, quòd parentes honorandi, quòd alienum non ſit concupiſcendum:* hæc enim in lege veteri præſcribuntur, & hæc eadem inſinuat dictamen rationis naturalis. ergo ad ea obligabantur. *ſed ad obſeruationem eorum quæ lex ſuperaddebat legi naturali, non tenebantur niſi ſolus populus Iudaicus.* hęc enim ſuperaddita erant propter ſpecialem ſanctificationem illius gentis ex qua Chriſtus naſciturus erat.

Nota poterant gentiles à Iudæis recipi, qua de re Exodi 12. dicitur: *Si quis peregrinorũ in veſtrã voluerit trãſire coloniã, & facere Phaſe, Domini circũcidatur priùs, & ſic celebrabit.* & ſic ex gentibus circumciſi ad vniuerſæ legis obſeruationẽ obligabãtur, iuxta illud Ad Galat. 5. *Circumcidenti ſe quod debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.*

Dico octauo. *Lex vetus conuenientiſſimè Moyſis tempore eſt tradita.* PROBATVR. Lex vetus tunc debuit dari, vt malis cùm maximè eſſent mali, daretur in remedium, bonis verò in adiutorium. ſed circa Moyſis tempora

tempora erant tunc homines ſummè mali, ob ſuperbiam & potentiã, propter ſuperbiam erãt mali, quia putabant, quòd per illam ſcientiã quam ex lumine naturali habebãt poterãt ſaluari, ſed cõuicta eſt ſuperbia de ſua ſcientia quòd eſſet mera ignorantia cùm ex lege cognoſcerẽt quòd in turpiſſimã idololatriã, & alia vitia incidiſſẽt. Cõuicta eſt potentia quã ſit infirma, dũ implere nõ poſſent, quod lex præcipiebat. ergo ad hæc vitia eliminanda lex debuit tradi. Bonis verò in adiutoriũ data, vt ex ea cognoſcerent ad quæ implenda tenerentur.

QVÆSITVM II.
Quænam ſunt præcepta Legis veteris?

5. DIco primò. *Lex vetus ad diſciplinam, & ad duritiem cordiũ emolliendam populo Iudaico tradita fuit, vnde certa præcepta continere debuit, quibus eos à vitiis retraheret, & in Deum converteret. & hæc præcepta in ratione finis ſunt vnum, conſiderata in ratione medij ſunt plura.* Finis enim horum præceptorum eſt, vt hominem beatum efficiant, & hoc per varia media in lege veteri pręſcripta pręſtari debet.

Dico ſecundò. *Præcepta veteris legis triplicia fuerunt moralia, cærimonialia, & Iudicialia.* ita colligi Deuter. 6. *Hæc ſunt præcepta & cærimoniæ & Iudicia.* PROBATVR: quòd ſunt triplicia. Legis Diuinæ veteris, eſt intentio quomodo ſe habere debent ad Deum, & ad alios homines. ſed homo dupliciter ordinatur ad Deũ, aut per actus interiores, aut per actus exteriores. Actus *Interiores* ſunt credendi, ſperandi, amandi, tũ & actiones virtutum, quæ qui habet, eſt bonus & amicus Deo. ergo neceſſe erat, vt aliqua exſtarẽt præcepta de his, & talia ſunt Moralia. Per actus *Exteriores* homo cultum Diuinum profitetur, & hæc dicuntur eſſe Cærimonialia.

Nota Actus colendi Deum licèt ſit actus mentis, & ad præcepta moralia ſpectet, tamen in quantum præſcribit quòd his hoſtijs, ſacrificijs, hoc adhibito modo coli debet Deus, ſic iam ad Cærimonialia pertinet. eadem lex Diuina ordinat homines ad inuicem, vt inter eos debitus & rectus ordo ſeruetur, quod quidem iuſtitia præſtat, & ſic ſunt Iudicialia. In ſumma *Moralia* præcepta fuerunt, quæ hominem intrinſecus per actiones internas virtutum in bonitate reformabant, & in Deum eleuabant, non ſolùm ſpẽ faciendo ad obtinendas promiſſiones huius vitæ, vt terram fluentem lacte & melle, ſed etiam ad gratiam & gloriam ſupernaturalem conſequendam, ſiquidem lex ad Chriſtũ ordinabat, per quem gratia & vita æterna. *Cærimonialia* verò certum modum in cultu exhibendo Deo ſeruandum præſcribebant, quibus v. ſacrificijs, quo ordine, & apparatu in his vtendum, determinabãt.

Actus colẽdi Deum quomodo ad pręcepta Cæremonialia pertineat?

Iudici-

Iudicialia verò erant circa actiones, quibus vitam Politicam, & ciuilē inter ſe ducerent, vt nemo alteri, aut damnū, aut nocumētū inferret.

6. Dico tertiò. *Præter hæc triplicia præcepta v. Moralia, Cærimonialia, Iudicialia, ſi quæ ſunt alia, ad hæc reducuntur.* PROBATVR. omnia præcepta cōtinent in ſe rationem debiti. ergo aut ſecundùm Regulam rationis præſcribentis ea, quæ ſunt ad benè viuendum, & de neceſſitate ſalutis, & ſic erunt Moralia: aut continēt rationem debiti ſecundùm Regulā legis determinantis? tunc aut in rebus Diuinis? & ſic erunt Cærimonialia, aut in rebus humanis? & ſic erunt Iudicialia.

Quomodo mandata diſtinguuntur à Præceptis

Nota Mandata diſtinguuntur à præceptis, ita quòd illa dicuntur eſſe mandata, quæ per alios præcipiuntur. Præcepta, quæ Deus per ſe ipſum mandat. Iuſtificationes verò dicuntur omnia præcepta legis, in quantum exſecutioni ſunt mandata.

Quare lex Moſaica promittebat res temporales

Dico quartò. *Lex Moſaica quia erat imperfecta, & populo duræ ceruicis tradita, idcirco præter præmium venturi ſeculi, etiam res temporales promittebat, quandoq; grauibus comminationibus terrebat, vt illa gens in officio contineri poſſit.* Iſaiæ 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis, quòd ſi nolueritis, gladius deuorabit vos.*

DISPVTATIO X.

De Præceptis Moralibus.

Tria examinabimus:

1. *Ea, quæ ad rationem Moralium præceptorum ſpectant*
2. *An modus virtutis & charitatis cadat ſub præceptum?*
3. *An Præcepta Moralia veteris legis vim iuſtificandi habeant?*

QVÆSITVM I.

De his quæ ad rationem Moralium præceptorum pertinent?

Præcepta Moralia pertinēt ad legem naturæ.

1. DIco primò. *Omnia præcepta Moralia pertinent ad legem naturæ, ſed diuerſa ratione.* PROBATVR *primum.* præcepta Moralia ſūt præcepta Decalogi quæ diriguntur ad efficiendos mores hominū bonos, ſed hi mores bonitatem ſumūt ſi rationi naturali conueniunt in qua lex naturæ eſt inſculpta, & quę ratio

ratio eſt radix & principiũ, ac regula bonarũ actionũ. ergo præcepta Moralia ſpectant ad legē naturæ.

PROBATVR ſecundùm. *quòd diuerſa ratione ſpectent, quædam* enim ſunt ita explicita, & manifeſta, vt quiſque de his facili negotio per ſe iudicare poſſit, vt quòd homicidium, furtum non ſit faciendum. *quædã* quæ conſideratione circumſtantiarum opus habent, & de his iudicium nõ niſi ſapientum eſt, vt accidit in ſcientijs, in quibus deductio ſingularum Concluſionum ad ſolos ſapientes ſpectat, vt quòd coram cano capite ſit aſſurgendum, hoc ex ſapientum iudicio cognoſcitur. *Quædam* ad quæ indicanda indiget homo Diuina inſtructione, vt ad credendum his, quę ſunt fidei, vt quod ſculptile vt illud adores non ſit faciendum.

Præcepta [illegible] cō [illegible] præ. [illegible] vir. [illegible]

2. Dico ſecundò? *Hæc eadem Moralia veteris legis continent præcepta omnium virtutum.* PROBATVR. præcepta legis ordinantur ad bonum communitatis, ſed cùm ſit duplex lex Diuina, & Humana. ergo illius coordinatio ad bonum commune duplex erit. Lex humana proponit præcepta de actibus iuſtitiæ. *Probatur.* Quia huius legis eſt finis ordinare communitatē vt ſibi inuicem per actus externos communicare poſſint. ſed hoc iuſtitia præſtat, quæ eſt directiua communicationis humanæ. ergo lex humana d. Iuſtitia. Si autem lex humana de actibus aliarum virtutum præcipit, hoc ideo facit, quia rationem iuſtitiæ in ſe includunt. Lex autē Diuina dat præcepta de actibus omnium virtutum. *Probatur.* Ordinat enim hominem ad Deum, tanquam commune & ſummum bonum, ſed per virtutum actiones; nam per eaſdem Deo vnitur, dum per virtutes intellectuales eũdem contemplatur, & amore voluntatis eidem conſociatur.

3. Dico tertiò. *omnia præcepta Moralia veteris legis ad Decem præcepta Decalogi reducuntur.* PROBATVR. Hæc enim omnia præcepta aut ſunt generaliſſima, aut Particularia. *Generaliſſima* ſunt quæ nullo diſcurſu indigent vt quòd bonum amplectendum, & malum fugiendum. *Particularia* quæ longiori meditatiòne & diſcurſu indigent vt leges Eccleſiaſticæ, & Ciuiles, quæ tanquam concluſiones ex principijs hoc eſt ex præceptis Decalogi, quæ ſunt legis naturalis deducuntur. ergo ad præcepta Decalogi reducuntur.

Præcepta Moralia ad Decalogum reducuntur

Dico quartò *Præcepta Decalogi in duplici tabula collocantur* PRIMÆ *tabulæ ſunt tria* primum. *ego Dominus Deus Non habebis Deos alienos Non facies tibi ſculptile* ſecundum. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui inuanum* tertium. *Sabbathum ſanctifices.* SECVNDÆ *tabulæ ſunt ſeptem* primum *Honora parentes*: ſecundum *Non occides* tertium. *Non mœchaberis.* quartum. *Non furtum facies.* quintum. *Non dices falſum teſtimonium.* ſextum. *Non concupiſces vxorem proximi.* ſeptimum. *Non concupiſces bouem nec aſinum, nec vniuerſa quæ illius ſunt.*

Præcepta Decalogi in duplici tabula collocātur.

Sed obijcies. Præceptum de dilectione in Decalogo non contineri. *Reſpondeo.* quòd dilectio Dei & proximi antecedenter habet ſe ad præcepta Decalogi, nimirum vt principium ex quo Decalogus procedit, vnde præcepta Decalogi primæ

tabulæ, dilectionem Dei annexam
habent. Secundæ verò tabulæ di-
lectionẽ proximi, & ſine hac dile-
ctione impletio Decalogi nullius
momenti eſt.

4. *Obijcies ſecundò.* præceptũ pri-
oris tabulæ, duo præcepta conti-
nẽs hæc *Ego Dominus Non habebis De-
os alienos*, ad fidem ſpectat: hoc ve-
rò *Non facies tibi ſculptile*, ad cultum
latriæ. ergo cum ad duas diſtinctas
virtutes pertineãt, erunt duo di-
ſtincta præcepta *Reſpondeo* hæc vni-
cum præceptum conſtituere, nam
fides, ſicut & charitas anteceden-
ter tanquam principium habet ſe
ad Decalogum, nam præcepta De-
calogi cùm in Deum ordinent, ſup-
ponũt neceſſariò cognitionem Dei
ſupernaturalem per fidem.

Quomodo Præcepta prioris tabulæ vnicũ conſtituant præceptum

Nota. In Decalogo non prohi-
bentur ſimpliciter ſculptilia, ſed
illa tantùm quæ pro Dijs habean-
tur, & ideo additur *vt adores illud.*
Nam qui Deus in Decalogo vetuit
ſculptile fieri, idẽ mandauit Moyſi
ſculptiles Cherubinos in arca col-
locare. ergo ideo ſculptilia prohibẽ-
tur ne illis cultũ Dei exhibeamus.

Quæ ſculptilia in Decalogo prohibentur?

Obijcies tertiò In præceptis ſecũ-
dæ tabulæ *Non mœchaberis.* & *Non
concupiſces vxorem proximi* videntur
vnum eſſe præceptum quia circa
eandem rem verſantur. *Reſpon-
deo.* Hæc ideo diſtingui. quia di-
ſtinctas deformitates habent; ali-
ud enim eſt conſũmatio operis, per
actum exteriorem, & hoc prohi-
betur hoc præcepto *Non mœchaberis.*
Aliud verò opus eſt quod mentis
deſiderio & conſenſu occulto in
peccatũ cõſummatur, & hoc pro-
hibetur hoc præcepto *Non concupi-
ſces vxorem.* & ſic voluit Deus non
ſolùm actum Exteriorem, ſed eti-
am interiorem prohibere.

Præcepta Non mœchaberis. Et Non concupiſces quomodo ſint diuerſa?

5. *Inſtabis vltimò.* ergo etiam ho-
micidij, furti, concupiſcentia ve-
tari debuit. *Reſpondeo.* Non eſſe pa-
rem rationem, nam peccatum car-
nis circa illa verſatur, quæ mouent
appetitum ſub ratione delectabi-
lis. *Tum* excepta deformitate ali-
quid boni habent, reliqua peccata
ſunt plena horroris, vt homicidij,
furti. *Tum* quia peccati carnis ten-
tationes ſunt omnib⁹ inſitæ & mo-
leſtę, aliorũ peccatorũ ſũt rariores.

Quare homicidij, furti, concupiſcentia non ſit prohibita?

Dico quinto. *Præcepta Decalogi
ſunt ordinata ordine dignitatis & natu-
ræ, non autem cognitionis aut doctrinæ.*
PROBATVR. Deus enim & ea of-
ficia quæ Deo debemus ſunt ſum-
mæ dignitatis, & ſic Primæ tabulæ
præcepta ſunt de Deo, reliqua quæ
ſequuntur ſunt de proximo. *Præte-
rea* in ordine naturæ primò finis
ponitur, deinde media ſtatuuntur.
ſed Deus eſt noſter vltimus finis,
ideo primo loco in Decalogo po-
nitur cum ſuo cultu quem illi de-
bemus, tandem ſequuntur media,
v. præcepta enumerantur, quorum
impletione Deum conſequimur.
ergo præcepta Decalogi & digni-
tatis & naturæ ordinem ſeruant.
ſed non ſeruant ordinem doctri-
næ, quia hic à nobis notioribus in-
cipit, & ſic proximus quàm Deus
eſt nobis notior, & ab hoc proximo
nõ exorditur Decalog⁹. ergo in De-
calogo nõ ſeruatur ordo doctrinæ.

Quo ordine Præcepta Decalogi ſunt ordinata?

An verò hæc præcepta Decalo-
gi ſint diſpenſabilia? determinaui-
mus hic Diſp. 5 *quæſt. 6.* vbi de diſpẽ-
ſatione legis naturæ egim⁹ & ſimul
de Præceptis Decalogi, cũ hæc ex
natura oriãtur (vt ibi dictum)

QVÆ-

QVÆSITVM II.

An modus virtutis & charitatis cadat ſub præceptum?

6. DVo inquiremus. *primò* de modo virtutis: *ſecundò* de modo charitatis, an hi duo modi cadant ſub præceptum, hoc eſt, an ad implendam legem ſatis ſit opus præcepti feciſſe, an verò requiratur vt illud opus debito modo, hoc eſt, fiat benè & cum intentione, & ex affectu amoris in Deum ſuper omnia.

Nota ex Ariſtot. *lib. 2. Ethic. cap. 4.* quòd modus virtutis in tribus cõſiſtit: *primò* in cognitione. *ſecundò* in voluntate. *tertiò* vt fiat cum firmitate ſeu ex habitu & cum quadã delectatione. *quartum* addimus ex S. Doctore, vt fiat cum bona intentione, & cum alijs requiſitis circũſtantijs ad opus bonũ. Hoc notato

Dico primò. *Modus virtutis quantũ ad hoc vt ex cognitione & à voluntate procedat, cadit ſub legem tam naturalem quàm humanam atq; etiam Diuinam.* PROBATVR. ad rectum opus virtutis requiritur, vt fiat ex cognitione intellectus, & deliberata voluntate. ſed actus virtutis à lege imperatus eſt opus virtutis. ergo cum cognitione & deliberata virtute fieri debet.

Confirmatur. omnis illa lex quæ actum præſcribit, diſponit de illo actu vt fiat à ratione & voluntate, is enim qui fortuito aut per vim aut per coactionem ſeruat legem, & neq; tunc neq; antea habuit intentionem ſeruandi, non dicitur legem adimplere, *v. g.* ſi quis in Eccleſia tempore Miſſæ maneat ſomno oppreſſus, ſed aliàs non manſiſſet, ille non dicitur legem impleuiſſe de Sacro audiendo in die feſto. aut ſi quis contra voluntatem ſuam ad templum trahatur, & cogatur contra ſuam voluntatem ſacro intereſſe, neque hic præcepto Eccleſiæ ſatisfacit. *Et ratio eſt* ſicut enim nemo dicitur eſſe legis tranſgreſſor niſi ſciens & qui ex deliberato iudicio agat, ita nec legis obſeruator erit, niſi qui ſciens & volens eam obſeruet.

7. *Sed quæres* an ille qui debitum per vim ſoluit, quia ab eo pecunia tollitur, quam tamen ſi poſſet nollet reſtituere, an hic legi de reſtituendo alieno ſatisfacit? *Reſpondeo* ſatisfacere quoad realem & actualem ſolutionem debiti, nam nihil alienum retinet. ergo nihil ampliꝰ ab eo exigi poteſt. ſed coram Deo non ſatisfacit perfectè legi, quia ſolùm reſtituit debitum quoad ſubſtantiam, ſed non quoad modum, quia non quoad voluntatem, quia vellet retinere alienum. An hic qui debitũ per vim ſoluit, ſatisfaciat legi de reſtituendo alieno?

Sed quæres an qui audit Sacrum die feſto, & non conſiderat quòd ſit feſtum: aut is qui ex deuotione ieiunat, & non cogitat eo die eſſe præceptum ieiunij, an præceptum de audienda Miſſa & de ieiunio adimpleat? *Reſpondeo* adimplere, quia ſeruat

ſeruat debitum modum opus implendo legis, quia facit ſcienter liberè & ex intentione, ideo autem non cogitat de pręcepto implendo quia forſan ignorat aut eſt oblitus, ſed quia abſolutè facit opus bonũ quod lex iubet, ideo ſatisfacit legi.

Modus virtutis ex intétione ſub quam legẽ cadit?

Dico ſecundò. *Modus virtutũ ex intentione ſumptus ſub ſolam legem Diuinam cadit.* PROBATVR. Eccleſia enim & Reſp. non iudicat de internis. ſed inter interiora eſt quoq; intentio. ergo de hac nec Eccleſia nec Reſpub. iudicat, ſed id totum iudicio Diuino reſeruat. *Confirmatur.* qui mente adulterium aut homicidiũ committunt cum deliberato conſenſu voluntatis, non puniuntur lege humana, ſed ſolùm Diuina in foro conſcientiæ.

Intẽtio quãdo puniẽda.

8 *Nota* & ſi intentio ſub iudiciũ legis humanæ in quantum eſt mentalis & occulta non cadit, ſed ſi ſignis manifeſtis in apertum erumpat, puniẽda eſt. vt ſi quis deprehẽdatur ex ſignis quòd voluerit furari aut occidere, aut venenum præbere, quamuis facto id non adimpleuerit, pœnâ debitâ affici debet.

Modus virtutis ex habitu ſub nullum præceptum cadit.

Dico tertiò. *hic modus virtutũ vt quis conſtanter firmiter & cum quadam delectatione operetur, quia habet habitum comparatum, ſub nullum præceptum legis cadit.* PROBATVR. nã qui ab illicitis voluptatibus aut à furto, aut ab alijs inhoneſtis rebus abſtinet, facit hoc cũ labore contrarios act⁹ virtutum exercendo, & hic non afficitur pœna, ſed laudari ſolet. *Tum* qui peccatis renuntiarunt inuiti & nolentes operantur virtutes. ergo non cum delectatione. ergo hic modus non cadit ſub præceptum.

Dico quartò. *Modus virtutis vt ſci-*

licet opus legis fiat cum debito fine & circumſtantijs non cadit ſub præceptum. PROBATVR. poteſt enim quis ſufficiẽter implere opus à lege præceptum quoad ſubſtantiam vt ſit bonum; licet quo ad aliquam circumſtantiam ſit prauum, *v. g.* ſi quis det eleemoſynam implendo legem, quæ hoc iubet, hæc ipſa eleemoſyna relata ad legem, eſt bona, quia legi commenſurata. ſed relata ad humilitatem & modeſtiam, eſt peccatũ.

An modus charitatis cadat ſub præceptum.

9. QVANTVM ad alterum. *an modus charitatis cadat ſub præceptum,* hoc eſt, *an ex affectu amoris tenemur leges implere vt illis ſatisfaciamus?*

Cum Diuina lex præcipit actũ charitatis, modus charitatis cadit ſub præceptum.

Dico primò. *quando Diuina lex præcipit actum charitatis, tunc modus charitatis cadit ſub præceptum.* PROBATVR. Præceptum de Deo ſuper omnia diligendo, eſt hoc, *Diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo, &c.* in hoc præcepto ſunt duo: *primum* dilectio, quæ eſt ſubſtantia operis: *ſecundum* modus, cùm dicitur *ex toto corde &c.* Tandem quia præceptũ charitatis licet ſit affirmatiuũ, tamen nõ obligat pro omni tempore, ſed pro illo tantùm in quo tenemur exercere actum dilectionis Dei ſuper omnia.

Charitas in quantũ modus eſt aliarum virtutum non cadit ſub præceptum.

Dico ſecundò. *In quantum autem charitas eſt modus aliarum virtutum, ſic non cadit ſub præceptum.* PROBATVR. Finis legis non cadit ſub præceptũ illius legis ſed ſupponitur. ſed præcepta legis ſunt de medijs quibus finis obtineri poſſit. Charitas autẽ eſt finis omnium præceptorum 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti charitas.* ad Rom. 15. *Plenitudo legis dilectio.*

10. *Præterea* ſi quis obtemperet Eccleſiæ, aut ſi parentibus in illorũ neceſſitate ſubueniat, talis implet præceptum, etiam ſi hoc contingat fieri

fieri in ſtatu mortalis peccati, & ſine amore Dei ergo implebit præceptum ſine charitate. ergo modus charitatis non cadit ſub præceptũ. *Item* non eſt neceſſe vt adimpletio præceptorum procedat ex habitu charitatis tanquam ex principio imperante, quia ſequeretur quòd is qui non eſſet in gratia, nullum præceptum ſeruare poſſet, non poſſet audire Sacrum, nec decimas ſoluere, ſequeretur etiam quòd infidelium opera, qui ſunt extra ſtatũ gratiæ, eſſent peccata, quod omnino falſum, ſiquidem faciunt opera moralia, quæ ſunt bona. *Ad extremũ* nemo eorum qui accedunt ad Baptiſmum & ad pœnitentiam reciperet effectum, ſiquidem hæc Sacramenta ſunt mortuorum, & ſunt inſtituta ad conferendam primam gratiam per quam anima viuificatur.

Nota licet præcepta legis quoad ſubſtantiam & quoad finem proximum obſeruari poſſint ſine modo charitatis, tamen vt ſint meritoria vitæ æternæ, requiritur charitas.

Præcepta legis vt ſint meritoria, charitate opus.

QVÆSITVM III.

An Præcepta Moralia veteris legis vim iuſtificandi habeant?

DIco primò. *Præcepta moralia veteris legis impropriè iuſtificabant, inquantum v. ſignificabant iuſtitiam & ad eam diſponebant.*

Dico ſecundo *ſi iuſtificatio ſumatur pro exſecutione iuſtitiæ, ſic præcepta moralia iuſtificabant.* PROBATVR. id dicitur iuſtificare in quantum hoc quod ſecundùm ſe eſt iuſtum, continet. ſed præcepta moralia & Cerimonialia & Iudicialia continent id quod iuſtum eſt. ergo ea ratione vt hoc continebant, & exſecutioni dabant, ſic iuſtificabant. *Minor* Cerimonialia ſolùm continebant iuſtitiam in generali, hoc eſt prout exhibebantur in cultu Dei, ſed in ſpecie non continebant iuſtitiam ſecundùm ſe, ſed ſolùm ex determinatione legis Diuinæ, vnde etiam ex deuotione & obedientia qui ea faciebant, iuſtificabant. Moralia continebant id quod ſecundùm ſe eſt iuſtum in genere vnde iuſtitiam ſignificabant, quæ ſecundùm Ariſtotel. *lib. 5. Ethic.* eſt omnis virtus. Iudicialia habebant iuſtitiam ſpecialem in quantum v. fuit directiua contractuum vitæ humanæ.

Dico tertiò. *Præcepta moralia veteris legis non conferebant iuſtitiam propriè dictam, eam cauſando, & ſecundùm quàm homo dicitur apud Deum eſſe iuſtus.* PROBATVR. Gratia Dei quæ eſt per Chriſtũ, hæc ſola eſt quæ iuſtificat. ſed præcepta moralia nõ continebant hác gratiã, nec eã conferebãt. ergo præcepta moralia non iuſtificabant. ita D. Paul. ad Galat. 2. *Ex operibus legis nõ iuſtificabitur omnis caro: & ſi per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* hoc eſt, ſi ex lege iuſtificatio, ſine cauſa Chriſtus crucifixus eſt, nam lex ſufficiebat ad homines iuſtificandos.

Præcepta moralia non conferebãt iuſtitiam.

DISPVTATIO XI.

De Præceptis Cerimonialibus.

Tria examinabimus:

1. *De ipſis Cerimonialibus ſecundùm ſe.*
2. *De Cauſa eorum.*
3. *De Duratione.*

Notandum de Paulo Burgenſe Rabino Iudæorum.

Nóta quòd Medina refert quendam Paulum Burgenſem, inſignem Rabinum Iudæorum, lecta hac Quæſtione D. Thomæ de Cerimonialibus, confeſſum fuiſſe, ſe hucuſq; ignoraſſe legem ſuam, & tandem fuiſſe Chriſtianum factum.

QVÆSITVM I.

De Cerimonialibus ſecundùm ſe.

Cerimonia quid ſignificat?

1. Dico primò. *Cerimonia ſignificat Religionē ſacrorum quæ Deo ab hominibus debetur. Cerimonialia verò ſunt quæ continent Diuina præcépta quæ ſpectabant ad cultum externum Deo exhibendum.* & ſicut Iudicialia determinant moralia præcepta in ordine quoad proximum, ita Cerimonialia determinant moralia præcepta ad Deum colendū.

Quid ſunt Cerimonialia?

Cultus Dei duplex quare?

Dico ſecundò. *cùm homo ſit compoſitus ex Anima & corpore, & vtrumq; à Deo acceperit, dignum eſt vt Deum colat, & cultu mentis interiori qui fit per intellectum & piam voluntatis affectionem in Deum, tum & corporis cultu exteriori quo vtitur ad cultum interiorem declarandum.* nam cultus interior eſt finis exterioris. Et quia in futura beatitudine intellectus intuebitur veritatem in ſeipſa, nulla figura cultus exterioris indigebit, ſed totus in laudibus Deo referendis immorabitur. ſed in ſtatu vitæ præſentis, quia non poſſumus ipſam veritatē intueri, vt eſt in ſeipſa idcirco indigemus, vt nobis radius illius per ſenſibiles figuras illuceſcat, & hic quidem in veteri lege obſcurè radiabat, quia nec erat ipſa veritas manifeſta, nec via ad illam perueniendi declarata, vnde cultus veteris legis debuit eſſe figuratiu', non ſolùm futuræ veritatis manifeſtandæ in patria, ſed etiam Chriſti in carne noſtra venturi. In ſtatu autem Nouæ legis cùm iam & veritas ſit reuelata, & via ad illam perueniendi tradita, non poteſt iam

præfi-

præfigurare cultus illius, ſed tantũ per modum præſentis ac præteriti commemorat, aut ſi præfigurat tũc illam æternam vitam quam exſpectamus.

2. Dico tertiò. *Expediebat tam quoad bonos quàm etiam quoad malos, vt multiplicia eſſent præcepta Cerimonialia.* ideo *quoad bonos*, quia mentis ſuæ affectum diuerſimodè declarabant, & ad myſterium Chriſti venturi cõſiderandum, quæ præfigurabant, excitabant. ideo *quoad malos*, ne in idololatriã inciderent ad quam ille populus pronus erat, vnde multiplicatione Cerimonialium nimis detinebatur, vt tempus exercendæ idololatriæ non haberent.

Dico quartò. *Cerimonialia veterũ legũ reuocantur ad quatuor, ſunt autem hæc Sacrificia, Sacra, Sacramenta, & Obſeruationes.* PROBATVR. quòd ſint quatuor, quia in Cerimonialibus ſunt tria: *primò* ipſe cultus Dei: *ſecundò* Colentes: *tertiò* inſtrumenta colendi. ſed cultus conſiſtit in Sacrificijs quæ Deo offerebantur, inſtrumenta autem colendi ſunt Tabernaculum, Vaſa, Altare, & hæc dicebãtur *Sacra*. In colentibus duo requirebãtur, *primò* vt cõſecrarentur in miniſterium Dei, & ſic ſunt Sacramenta. *ſecundò* requirebatur certa vitæ, victus, ac veſtium ratio, per quam ab alijs diſtinguebantur, & ſic ſunt Obſeruationes ergo Cerimonialia conuenienter in quatuor diuidebantur.

Pro meliori intelligentia ſingulas ſpecies deſcribimus. *Sacrificia* dicebantur res illæ quæ Deo in recognitionem ſupremi Domini offerebantur, & hæc erant triplicia; *primò* pro Peccatis: *ſecundò* erant Pacifica ſacrificia, pro gratiarum actione: *tertiò* erat Holocauſtum, quod totum igne comburebatur. *Sacra* erant illa omnia quæ ad cultum Dei erant deputata, vt Templum, Tabernaculum, Vaſa, Altare, veſtes Sacerdotales. *Sacramenta* erant certæ Cerimoniæ ad ſanctificationem hominum inſtitutæ, & aut omnium, & talis erat Circumciſio: aut ſingularium & certorum vt Conſecratio Pontificis & Sacerdotis Leuitici 7. *Hæc eſt vnctio Aaron & filiorum eius.* Obſeruantiæ ſunt ritus viuendi, qui & in veſtibus & in cibis ab illo populo obſeruari debebant. Huc ſpectant vota ac ieiunia Nazareorum, & Baptiſmata ſeu ablutiones, vbi quid immundũ aut mortuum tetigiſſent.

Sacrificia quæ dicebãtur? & quo duplicia erant?

Sacra quæ erant?

Sacramenta quæ?

Obſeruationes quæ?

QVÆSITVM II.
De Cauſis Cerimoniarum.

DIco primò. *Cerimonialia neceſſariò habebant cauſas, eaſdemq; rationabiles.* PROBATVR Pſal. 17. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* ſed Cerimonialia ſunt præcepta Dei. ergo ſunt lucida. ſed lumen intellectus cauſa, tunc enim ſcimus cùm cauſam agnoſcimus. ergo habebãt cauſam rationabilem.

Cerimonialia ad finẽ ordinata aliquem.

Dico ſecundò. *Cerimonialia ſunt ordi-*

ordinata in aliquem finem. PROBATVR. quodlibet ordinatum debet habere debitum finem, ſiquidem finis eſt principium ordinis in rebus agendis. ſed Cerimonialia ſunt à Diuino intellectu & ſapientia inſtituta. ergo ad aliquem finem inſtituta. Eſt autem hic finis duplex ad quem ordinabantur: *primus* cultus Dei, qui pro illo tempore erat: *ſecundus* Chriſtus Dominus quem figurabant. *Et ratio eſt.* quia Cerimonialium duplex cauſa, Literalis & Figuralis. *Literalis* præſcribebat rationes cultus Diuini, ſiue ad ſignificandam excellentiam Dei, ſiue ad commemoranda beneficia, ſiue ad deſignandam mentis diſpoſitioně, ſiue ad vitandã idololatriam *Figuralis* verò aſſignat cauſas ſecundũ quod ordinantur ad Chriſtum figurandum.

Cæremonialium finis duplex.

Cerimonialia quatuor, habent proprias cauſas.

4. Dico tertiò. *Cerimonialia quæ ſunt numero quatuor, habent in ſpecie proprias cauſas.* primò Sacrificiorum *prima cauſa* vt oblatione hoſtiarum recognoſcerent Deum eſſe primũ principium & vltimum finem omnium rerum. I. Paralip. 29. *Tua ſunt omnia & quod de manu tua accepimus, dedimus tibi.* *Secunda cauſa* vt ille populus qui ad idololatriã erat pronus, ab illa retraheretur, & in cultu veri Dei contineretur. Exodi 22 *Qui immolat diis occidetur, propter Dominum ſolùm.* *Tertia* quia Sacrificia ſignificabant illud Sacrificium vnũ & ſempiternum, quo Chriſtus ſeipſum Deo in odorem ſuauitatis in ara crucis obtulit.

Sacrificiorum cauſæ duæ.

Sacrorũ cauſa quæ?

Cerimoniæ verò Sacrorum hanc cauſam habebant, vt maior reuerentia Dei eſſet, & ideò vaſa, Altaria, veſtes Sacerdotum conſecrabantur. nam humanus affectus ea quę ſunt communia & ab alijs non diſtincta minus reueretur, vnde conuenie- bat ob maiorem excellentiam & reuerentiam cultus Diuini, vt Tem- pla, vaſa deſtinata Sacrificijs per conſecrationem ab alijs ſecerne- rentur.

Cerimonialium autem quæ dicũ- tur *Sacramenta* triplex fuit cauſa: *prima* cultus Dei pro illo tempore: *ſecunda* quia ordinabantur ad Chri- ſtum figurandum: *tertia* vt per ea cultores Dei conſecrarentur, & po- puli fuit conſecratio per circumci- ſionem, nam ſine hac nemo ad le- galium communionem admitteba- tur. Fuit quoq; conſecratio Sacer- dotum per vnctionem. *Poſt hanc* conſecrationem quædam vſibus totius populi deſeruiebant, vt eſus agni paſchalis, ad quem nullus in- circumciſus admittebatur: quædã vſibus Sacerdotum tantùm deputa ta erant, vt Panes propoſitionũ. & quia contingebat aut populũ aut Sacerdotes fieri immundos, vt ſi quid immundũ aut mortuũ attin- gerent idcirco purificatio in aquis populo fuit aſſignata, Sacerdotib' raſio capillorum, ablutio manuum, pedum.

Cerimonialium deniq; quæ dicũ- tur *Obſeruantiæ* duplex fuit cauſa: *prima* congruentia cultus Diuini, quia (vt iam dictum) & populus Iudæorum, & potiſſimum Sacer- dotes electi erant in cultũ Diuinũ, ergo quaſdam obſeruãtias ſeu cer- tam viuendi regulam obſeruare te- nebantur: *ſecunda cauſa* quia figu- rabant vitam Chriſtianorum nam animal quod vngulam findit & ru- minat, dicebatur mundum, quod ſigni-

ſignificatione Chriſtianos denotat, nam *fiſſio* aut ſignificat duarum in Chriſto naturarum diſtinctionem, aut duorũ teſtamentorũ veteris & noui: *Ruminatio* meditationẽ Scripturarum ſignificat.

QVÆSITVM III.
De Duratione Cerimoniarum.

5. DIco primò. *Ante legem à Deo traditam fuerunt quædam cerimoniæ, ſed non poterant dici legis,* quia ante legem erant. nam ante datam legem fuerunt viri ſpiritu prophetico & pietate in Deum ſingulari præditi, & hi Deo in illis inſtinctum naturalem excitante quaſdam Cerimonias colendi Deum inſtituebant, vt Abel obtulit de primogenitis gregis, Caim de fructibus terræ, Nöé holocauſta, Abraham ædificauit altare.

Dico ſecundò. *Cerimonialia corporis immunditiam quæ ex contactu rei immundæ contrahebatur tollebant.* nam per hoc non erant idonei ad cultũ Deo exhibendum, vnde ad tollendam immunditiã Cerimoniæ erant inſtitutæ vt dicit Apoſtolus *ſanguis hircorum & taurorum & vitulæ aſperſæ cinis inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.*

Sed hæc Cerimoniæ ab immunditia mentis hoc eſt à peccato non emundabant. *Ratio.* quia myſterium paſſionis Chriſti nondum realiter erat peractum ex quo profluit omnis noſtra emundatio à peccatis.

6. *Sed dices.* ſacrificia in veteri lege fuiſſe oblata pro peccatis. ergo à peccatis emundabant, *Reſpondeo* ita eſſe, ſed hæc ex ſe non emũdabãt à peccatis ſed ſolùm in quãtum erant quædam proteſtationes fidei in Chriſtum venturum & paſſurum. Nam D. Th. *hic quæſt. 103.* dicit *Poterant mentes fidelium tempore legis Chriſto paſſo coniungi, & ſic poterant per fidem in Chriſtum iuſtificari, quam extrinſecè per oblata ſacrificia proteſtabantur.* & Porrecta dicit. *Anima intellectiua eſt ſupra tempus. & conſequenter illius operationes non menſurantur per ſe tempore.* ergo mens humana aliquid vt realiter in tempore futurum poteſt per intellectum apprehendere ac ſi eſſet præſens Ergo ad illud tanquam ad præſens affici poteſt & per affectum illi cõiungi, vt in amantibus videre licet, qui quãuis à ſe ſint diſtincti, ita tamẽ in ſua cogitatione de ſe ipſis delectãtur ac ſi eſſẽt præſẽtes. Poterat igitur mens fideliũ tẽpore legis veteris per intellectũ fide illuminatum & charitate informatum Chriſto paſſo veraciter coniungi, & per conſequens poterat virtutẽ à Chriſto paſſo profluentẽ participare atq; ſic iuſtificationẽ cõſequi.

7. Dico tertiò. *Cerimoniæ veteris legis vim obligandi & efficaciam amiſerunt in aduentu Chriſti.* PROBATVR. ad Hebræos 8. *Nouum teſtamentum veterauit prius, & translato ſacerdotio* *neceſ-*

Quando Cerimoniæ veteris legis vim obligãdi amiſerũt

neceſſe eſt vt legũ translatio fiat & *Ratio eſt.* Cerimoniæ ſunt actiones exteriores quæ ad cultum Dei ſpectant. ſed exterior cultus debet interiori mentis proportionari qui conſiſtit in fide, ſpe, charitate, ſed in aduentu Chriſti per legem Euãgelicam cultus interior eſt immutatus. ergo & exterior debuit immutari. *Minor.* In lege veteri Fides & ſpes fuerunt de bonis cœleſtibus, & de his per quæ ad illa introducimur, & de vtriſq; tanquam de futuris. In noua autem lege fides & ſpes de bonis cœleſtibus tãquam de futuris, ſed de his per quę introducimur ſicut aut de præteritis aut de præſentibus. ergo in aduentu Chriſti Cerimoniæ veteris legis ceſſarunt.

An Iudicialia, Cerimonialia, Moralia veteris legis ceſſarunt?

Sed quæres. An Iudicialia, Cerimonialia Moralia veteris legis ceſſarũt? *Reſpondeo,* De Cerimonialib⁹ & Iudicialib⁹, quòd omnino ceſſarũt. De moralibus Dico quòd ceſſarũt quo ad vim obligandi quam ex lege habebãt, ſed quo ad efficaciam obligandi quam ex lege naturali habent, non ceſſarunt, quia hæc eſt immutabilis lex.

An lex vet⁹ ſtatim poſt Chriſti Natiuitatem ceſſauit?

Quæres ſecundò. An lex vetus ſtatim poſt Chriſti natiuitatem ceſſauit? *Reſpondeo.* non ſtatim ceſſaſſe, nam ipſe Chriſtus Dominus vniuerſa legis mandata ſeruauit, & ad illorum obſeruationem alios hortabatur. *Tum* quia hæc vitam & paſſionem Chriſti ſignificabant, vnde non debuerunt ſtatim euaneſcere.

Quando ceſſauit lex vetus?

8. *Quæres tertiò.* Quando ergo ceſſauit? *Reſpondeo.* quòd in morte Chriſti penitus ſunt mortua. Hoc ſignificant verba Chriſti in cruce *conſummatum eſt*, hoc eſt, legem cum omnibus quæ ad illam pertinebãt, per ſuam mortem eſſe terminatã. Hoc ſignificauit Velum tẽpli ſciſſum, aſſerunt Patres, legem ſcilicet ſicut vmbram tranſijſſe.

Sed inſtabis. D. Paulus poſt Chriſti paſſionem circumcidit Timotheum *Reſpondeo* id fuiſſe factum non ex aliqua obligatione legis quæ penitus morte Chriſti exſtincta fuit, ſed ad euitandas Iudæorũ contentiones, & vt illis (tanquam gentili patre natus) gratior euaderet & Euangelij idoneus apud eos prædicator exſiſteret.

Num obſeruans Cerimonias v. l. peccaret mortaliter.

Dico quartò. *Si quis nunc cerimonias veterũ legis obſeruaret peccaret mortaliter.* PROBATVR. Ad Galat 5. *Si circumcidimini Chriſtus nihil vobis proderit.* Sed fructum Chriſti & paſſionis eius nihil tam excludit quã peccatum mortale. ergo circumcidi & alias cerimonias obſeruare, erit peccatum mortale. *Item* Cerimoniæ veteris legis erant proteſtationes fidei in Chriſtum venturũ. Sed iam Chriſtus æterna veritas illuxit. ergo hæ ceſſarunt; & ſicut ante Chriſti paſſionem veritatem habuerunt, ita poſt paſſionem falſitatem habent.

Quo tempore lex vetus mortifera exſtitit.

9. *Nota.* Hic oriri celebrem diſputationem inter D. Hieronymũ & D. Auguſtinum Quo tempore lex vetus mortifera exſtitit? D. Hieronymus epiſt. 29. aſſerit quòd ſtatim à morte Chriſti exſtitit mortifera, & prohibita fuit ſub pœna peccati. Si verò quædam legalia Apoſtoli obſeruarunt, id dicit factum fuiſſe per quandam diſpenſationem ad euitandum ſcãdalum Iudæorum, & vt illorum infirmi-

tati

tati conſuleretur. D. Auguſtinus Epiſt: 9. & 19. tenet poſt ſufficientem Euangelij promulgationem tum demum mortiferam factam fuiſſe, non verò ſtatim illo paſſionis tempore. Sententiæ D. Auguſtini ſubſcribit hîc D. Th. *quæſt. 103. art. 4. ad 1.* D. Bonauentura. Scotus. Richardus. Soto. *lib. 2. de Iure & Iuſt. quæſt: 5. art. 4.* Et Concilium Florentinũ fauet, quanquã non negat licuiſſe obſeruare legalia ante ſufficientem Euangelij promulgationem, modò non crederentur ad ſalutem neceſſaria. vide hic Medinã circa *quæſt. 103. art. 4.*

DISPVTATIO XII.

De Præceptis Iudicialibus.

1\. DVo examinabimus. *Primò.* Quædã communia. *Secundò.* De Rationibus Iudicialium. Quantum ad primum dico quatuor.

[Ra]tio Iudi-[ci]alium in [qu]ibus con-[ſiſt]at?

Dico primò. *Ratio Iudicialium in duobus conſiſtit primo vt homines inter ſe ordinent: ſecundo vt vim obligandi non habeant ex ſola ratione, ſed ex inſtitutione* PROBATVR. Quia præcepta Iudicialia dicuntur determinationes præceptorum Moralium quæ ad homines ordinandos ſpectant. Nam moralia ex primis naturæ principijs immediatè per modum concluſionis inferuntur. At Cerimonialia & Iudicialia ex his quidem etiam naturæ principijs ducuntur, ſed iam per modum determinationis ſeu remotioris concluſionis. Lex naturæ iubet in genere Deum eſſe colendum. Sed cerimonialia iam in particulari ritus & cerimonias quibus Deus ſit colendus determinãt *Similiter* Lex naturæ iubet iuſtitiam eſſe colendam, & quòd malefactores ſint puniendi: ſed Iudicialia in particulari determinant, quomodo hic & nunc ius vnicuiq; ſuum ſit tribuendum? & quo ſupplicio aliquod crimen puniendum?

2\. Dico ſecũdò. *Præcepta Iudicialia non primo & per ſe ſed ex conſequenti ſunt figuralia.* PROBATVR. Quia iudicialia ſunt primò & per ſe inſtituta ad ordinandum illum populum ſecundùm iuſtitiam: ex conſequẽti verò figurabant, quia ſtatus illius populi qui per hæc præcepta regebatur & diſponebatur erat figuralis. 1. ad Corinth: *10 omnia in figura illũ contingebant.*

Præcepta Iudicialia quomodo ſint figuralia?

Nota. diſcrimẽ inter cerimonialia & Iudicialia, quòd cerimonialia ad hoc primariò erant inſtituta vt figurarent aliquid pertinens ad cultum Dei & ad myſterium Chriſti. Iudicialia verò primariò ſunt inſtituta ad ordinãdum populum, ſecundariò ad figurandum.

Inter Cerimonialia & Iudicialia quod diſcrimen?

Dico tertiò. *Iudicialia non habebãt vim obligandi in perpetuum,* ſiquidem per aduentum Chriſti ſunt euacuata. Ad Hebræos 7: *Tranſlato ſacerdotio*

Quãm vim obligãdi iudicialia habebant?

dotio neceſſe eſt vt legis translatio fiat ſed ſacerdotium ab Aaron ad Chriſtum eſt traſlatum. ergo & tota lex translata. *Deinde.* Si adhuc vigeret obligatio Iudicialium adhuc ſtatus illius populi duraret, ideo quia Chriſtus nondum venit, ad quem ille populus diſponebatur, ſed iam actualiter Chriſtus venit. ergo & ſtat⁹ populi mutatus. & Iudicialia mutata etiã vim obligandi amiſerũt.

Iudicialia quomodo mortua?

3. *Nota.* Iudicialia (vt dicit D. Th.) ſunt quidem mortua quo ad vim obligandi, non tamen ſunt mortifera, quia poſſet aliquis Princeps ordinare vt in regno ſuo illa iudicialia ſeruarentur, tanquam ea quæ rectum ordinem viuendi in communi præſcribunt; ſed ſi mandarentur ideo obſeruari quia ex veteris inſtitutione legis habent vim obligandi, ſic iam mortiferum eſſet. hoc eſt, & princeps qui mandaret, & ſubditi qui ſeruarent peccatum mortale incurrerent.

Diſcrimen inter Iud. & Cerimonialia quod

Ex quo collige. Diſcrimen inter Iudicialia & Cerimonialia, quòd illa aliquo modo ad regimen rectum alicuius populi induci poſſunt, modò vim obligandi ex lege veteri non ſortiantur. Cerimonialia verò nullo modo iam induci poſſunt.

Præcepta iudicialia ad quot capita reuocantur?

Dico quartò. *Præcepta Iudicialia ad quatuor capita circa quæ verſantur reuocari poßunt, primo* enim ordinant populum ad principem: *ſecundo* populum ad inuicem: *tertio* eundē populum quo ad extraneos ſeu peregrinos: *quarto* domeſticos ſeu illos qui ſunt vnius domus vt qui ordo inter virum & vxorem, inter Dominum & ſeruum, inter parentes & filios, & de his inferius dicemus.

Qvantvm *ad alterum* v. quo ad Rationes Iudicialiũ hoc eſt quòd cõuenienter ſint tradita, quo ad ſuperius enumeratã, quatuor dicim⁹.

In populo Iudaico optima principatus ordinatio facta fuit.

4. Dico primò. *In populo Iudaico optima principatus ordinatio facta fuit* Probatvr. Optima eſt illa ordinatio Reipublicæ in qua omnes partem principatus habent, v. quãdo vnus præficitur qui ſit cum virtute, & quando alij ſub eo partem principatus in ſe deriuatam adminiſtrant, & quando hic Principatus ad alios ſpectat: ſed ſic fuit in illo populo, quia Moyſes & poſt hunc illius ſucceſſores præerant populo. Tandem eligebantur ſeptuaginta duo Seniores ſecundùm virtuté ex vniuerſo populo. Deuter. 1. *Tuli de veſtris tribubus viros ſapientes & nobiles & conſtitui eos Principes.* Et idem ille populus habuit ius ſuffragij ſeu poteſtatem eligendi. Deuter. 1. *Date ex vobis viros ſapientes.*

Politiæ ſpecies optima quæ?

Nota. *Illa* ſpecies Politiæ quæ ſit miſta ex Monarchia, Ariſtocratia & Democratia eſt optima ſecundùm D. Thomam.

Iudicialia populum Iudaicũ optimè inter ſe ordinabant.

Dico ſecundo. *Præcepta Iudicialia populum Iudaicum optimè inter ſe ordinabant.* Probatvr. Duo requiruntur ad rectam gubernationem ciuium ad inuicem: *primo* vt ſubditi authoritate principis habeant iudicia & vt pœnæ à delinquentibus exigantur: *ſecundo* vt propria volũtate res poſſeſſas inter ſe communicare poſſent. De his vtrique erant conuenientiſſima præcepta ſiquidem ordinabant iudices numerum teſtium, pœnas pro diuerſitate delictorum. Similiter erant certæ ordinationes de poſſeſſionibus, de illarum

illarum diuiſione, de ſucceſſione, de pauperum ſubſidio: ergo conuenientiſſimè ordinata erant.

Iudiciariæ leges ordinabant, qua ratione cũ extraneis procedẽdũ.

5. Dico tertiò *Eædem leges Iudiciariæ ordinabant quâ ratione cum extraneis ſit procedendum.* PROBATVR. Ille enim populus cum extraneis aut ſe habuit pacificè? aut hoſtiliter? ſi pacificè, & hoc tribus modis: *primò* quia tanquam peregrini fines illorum regni tranſibant: *ſecundò* Aut quia ad terram illorum inhabitandi gratia veniebant. De vtriſq; lex fuit Exodi 22. *Aduenam non contriſtabis.* Et 23. *Peregrino moleſtus non eris.* TERTIO quando extranei ad religionem populi, & ritum totaliter admitti poſtulabant. Et de hoc fuit lex Exodi 12. *Siquis peregrinorum in veſtram coloniam voluerit intrare & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritq; ſicut indigena terræ. Si* autem extranei hoſtiliter procedebant cum populo, tunc Deuter 20. Ordo procedendi cum eis talis deſcribitur. *Primò* vt pacem offerrent: *ſecundò* vt bellum inirent & fortiter pro-mouerent. *tertiò* vt impedimenta remouerent v. eos remittendo, qui impedimento eſſe poſſent: *quartò* vt victoria moderatè vterẽtur, parcendo mulieribus, paruulis, & ligna fructifera illius regionis non excidendo.

Eadem lex domeſticis debitum ordinem præſcribit.

6. Dico quartò. *Eadem lex Iudicialium domeſticis ſeu in eadem domo viuentibus debitum ordinem præſcribit.* PROBATVR. In qualibet domo tres ſunt ordines hominum. *Primò* vir & vxor: *ſecundò* parentes, & liberi: *tertiò* Dominus & ſeruus. Et his omnibus conuenientia præcepta ſunt tradita. De *vxoribus* vt ex eadem tribu ducantur, & fratrum defunctorum, quas ſine liberis reliquerunt, & prohibet alienigenas duci, ne cor illorum à Domino auertant. Tandem mandat ne eas infament, aut propter odium ne affligant. De *liberis* præcipiunt vt eos in fide in mandatis & obſeruationibus Diuinis inſtituant, coërcendo laſciuiam, & morum inſolentiam. Deniq; de *ſeruis* diligenter prouidit vt à Dominis moderatè tractentur, quo ad labores, pœnas, dimiſſionem liberam, & de viatico illis dãdo. Hæc ſingula quomodo præcipiantur quilibet ſumpto veteri teſtamẽto facilè reperiet.

DISPVTATIO XIII.

De Lege Euangelica.

Tria proponimus determinanda?

1. *De ipſa Lege Noua, ſecundùm ſe conſiderata.*
2. *De Comparatione illius ad veterem.*
3. *De his quæ continet.*

QVÆSITVM I.
De Lege Noua in ſe conſiderata.

Legis Nouæ ſubiectũ quod?

1\. DIco primò. *Lex Noua principaliter eſt cordibus hominum indita, ſecundariò verò literis conſcripta.* PROBATVR. Ieremiæ 31. *Dabo leges meas in mentes eorum & in corda eorum ſuperſcribam eas.* ET *ratio eſt.* In lege Noua eſt principaliter gratia Spiritus S. Sed gratiæ ſubiectũ ſunt corda hominum. ergo lex in quantum ſignificat gratiam eſt in cordibus hominũ. Sed quia eadẽ lex continet inſtructionem fidelium, tam circa credenda, quàm circa agenda, & hæc inſtructio fit verbis & ſcriptis. ergo quoad hoc Lex Noua debuit ſecundario eſſe ſcripta,

Lex Noua quomodo iuſtificat?

Dico ſecundò. *Lex Noua quoad ſuum principale, quod continet v. quoad gratiam Spiritus S. iuſtificat.* PROBATVR. Gratia enim per Chriſti paſſionem, data eſt iuſtificans, & hæc in cordibus hominum eſt infuſa. ergo vt ſic lex noua iuſtificat. Eadem lex quoad ſecũdarium v. quoad doctrinam fidei, & præcepta ordinantia affectus & actus humanos, ſic non iuſtificat, ſed ſolùm modo diſponit.

Quæ lex Noua à principio mundi non debuit dari?

Dico tertiò. *Lex Noua à principio mundi non debuit dari* PROBATVR. Quia lex Noua eſt gratia Spiritus S. Sed hæc impedimentum habuit peccatum originale. ergo hoc prius erat primò tollendum, quod quidem per paſſionem Chriſti eſt effectum. *Item* Quia vnumquodq; non ſtatim ad ſuam perfectionem adducitur, ſed quadam ſucceſſione ordinis, & temporis, opus habet, nam videmus quemlibet hominem prius eſſe puerum, tandem viri perfectionem acquirere. Ita & de lege ad Galat: 3. dicitur *Lex padagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur? at vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo.* *Deinde* Quia homo poſt creationem ſuæ poteſtati relinquendus erat, vt per ipſum in peccatum ſuam infirmitatem & indigentiam gratiæ confiteretur.

Legis noui... author...

2\. Dico quartò. *Legis Nouæ Euangelicæ Author & legislator eſt Chriſtus.* Iſaiæ 33. *Dominus iudex, Dominus legifer, & Rex noſter.* Ioan: 1. *vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrabit.* Et de facto Chriſtus mandata legis Nouæ condidit, vt de Baptiſmo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit.* Et de Euchariſtia *Niſi manducaueritis &c.* De Pœnitentia Ioan: 19. *Quorum remiſeritis &c.*

Lex Eu... gelica... temp... pit obli...

Dico quintò *Lex Euangelica poſt Chriſti paſſionem peractam omnes in vniuerſo mundo homines obligabat, quoad authoritatatem, & vim obligandi, ſed non quoad peccatum niſi poſt ſufficientem promulgationem factam in toto orbe, & ſic obligabat, & quoad peccatum.* PROBATVR *primò.* Quia lex vetus per conſummatam Chriſti paſſionem abrogata eſt. *Probatur ſecundum* Quia promulgatio legis non eſt conſtitutio, ſed ſolùm denuntiatio

tio, ſed legis Nouæ conſtitutio ante mortem Chriſti facta eſt, vt poſt mortem illius obligaret.

Dico ſextò. *Hæc lex noua & per conſequens ſtatus fidelium vſq; ad conſummationem ſæculi durabit.* PROBATVR. Quia ſtatus Nouæ legis ſucceſſit veteri, tanquam perfectius imperfecto, & non eſt nec futura eſt alia lex hac ipſa Noua perfectior. ergo nulla illi ſuccedet. ergo ad cõſummationẽ ſæculi durabit,

...æ Noua ...conſum. ...tionem ...i dura. ...it.

QVÆSITVM II.

De comparatione legis Nouæ ad Veterem.

...omodo ...x Euan. ...a ſit di... ...a à ve...i? 3. DIco primò. *Lex Euangelica non eſt alia ſecundùm diuerſitatem ſpeciei à veteri, ſed ſolùm ſecundùm diuerſitatem perfecti, & imperfecti.* PROBATVR. *primum* Quia tam Vetus quàm Noua lex ad vnum, & eundem finem ordinant, v. vt homines Deo ſubijciantur tanquam authori & legiſlatori vtriuſq; legis. ergo non differũt ſpecie. *Conſequentia.* Illæ enim leg.s differunt ſpecie, quarum vna ordinat vt populus dòminetur, altera vt optimates Rempublicam gubernent: quia diuerſos fines reſpiciunt, vnde diuerſas ſpecie Politias ſtatuunt, id eſt, Reſpublicas, ſed hic vtriuſq; legis vnus finis v. Deus. ergo non differunt ſpecie. *Probatur alterum.* Quia lex vetus remotius ordinat ad finem, Noua verò propinquiùs. ergo ſecundùm perfectum, & imperfectum differunt.

...fferentiæ ...ouæ legis à veter. lex *Nota.* Soto *lib. 2. de Iuſt. & Iure quæſt. 8. art. 1.* diſputat de Diſtinctione Nouæ legis à veteri. Tu nota ſex differentias. *Prima* Quia lex vetus per Moyſen, Noua immediatè per Deum factum hominem. *ſecunda.* vetus in tabulis lapideis Noua in cordibus hominum deſcripta: *tertia* illa ſoli populo Iudaico, Noua vniuerſo mundo data: *quarta* illa ad tempus, id eſt, ad Chriſti mortem, Noua ad ſæculi conſummationem duratura. *quinta* vetus vmbra eſt, & figura, noua gratia & veritas: *ſexta* lex vetus portã cæli peccato obſeratam non aperuit, Noua ſublato peccato per paſſionem Chriſti ingreſſum regni cæleſtis facit.

4. Dico ſecundò. *Lex noua adimplet veterem, ea ſupplendo quæ deſunt.* PROBATVR Matth. 5. *Non veni ſoluere legem ſed adimplere.* ET *ratio eſt.* omne perfectum id adimplet, quod deeſt imperfecto. atqui lex vetus habet ſe ſicut imperfectum ad Nouam, ſicut ad perfectum. ergo noua id implet quod illi deeſt. quod duobus modis accidit. Primi ſunt tres rationes: *prima* Finis vtriuſque eſt iuſtificatio, & per eam coniunctio cum Deo. ſed hanc vetus ſolùm figurabat, Noua autem per Chriſti paſſionem confert ergo adimplet quod illi deeſt. *Ratio ſecunda.* quia promiſſiones Patrum factæ in Lex Noua adimplet veterem.

in veteri lege in Euangelio adimpletæ ſunt, in quo ſæpiùs legimus: *hoc autem factum eſt, vt impleretur Scriptura. Ratio tertia.* quia lex vetus erat figura ſeu vmbra, vnde Nouâ tanquam veritate accedente, illa penitus euanuit.

Lex Noua Legem veterem quotupliciter perficit?

Secundò modò implet. quia præcepta legis perficit: *primò* verum intellectum legis exprimendo, vt in præcepto homicidij, & adulterij, cuius adimpletionem Phariſæi in ſolo actu exteriori ſtatuebāt, Chriſtus Dominus etiam actum mentis interiorem, qui fit per conſenſum prohibuit. *ſecundò* ordinando quomodo tutiùs quædam præcepta ſeruarētur, lex vetus mandabat, vt homo non iuraret, Chriſtus Dominus adimpleuit, niſi cauſa neceſſitatis. *tertiò* conſilia Euangelica proponendo, paupertatis, caſtitatis, obedientiæ. ſic enim adoleſcenti de mandatorum legis veteris impletione glorianti reſpondet: *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, &c.*

5. Dico tertiò *Lex vetus contine-* Quomodo lex vetus continebat in ſe legem nouam?
bat in ſe nouam non eo modo, vt locus con tinet in ſe locatum, ſed virtute implicitè ſicut fructus continetur in ſpica, aut in flore arboris.

Dico quartò *ſi attendamus ad opera exteriora legis veteris, ita antiqua lex* Lex vetus quomodo ſit grauior? *& ſū- grauior,* quia hæc multa erant, habemam difficultatem annexam habebant, vnde Apoſtolus veterem ſeruituti, Nouam libertati comparat. & Saluator inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis,* hoc eſt, qui iugum legis veteris importabile ſupportatis.

Sed ſi attendamus ad actus interiores Lex Noua quomodo grauior? *præceptorum ſic Nouæ legis ſunt grauiora.* nam in Noua lege motus interiores prohibentur, qui non ſic exactè in veteri prohibebantur. *Tum* qui non habet virtutis habitum ſecundùm quem promptè & delectabiliter operamur, eſt illi difficillimum. D. Aug. explanans illud 1. Ioan. 5. *Mandata eius grauia non ſunt,* non ſunt grauia amanti, ſed non amanti grauia ſunt.

QVÆSITVM III.

De his quæ lex Noua continet.

6. **D**Ico primò. *quantum ad actus exteriores debuit lex Noua quædam opera exteriora præcipere.* PROBATVR. quia lex Noua efficit homines filios lucis. ſed filiis lucis conuenit opera lucis facere, & ab operibus tenebrarum abhorrere. ergo hæc opera debuit Noua lex præcipere.

Sed quæres quænam ſunt hæc opera, per quæ filij lucis efficimur? Quæ opera determinat lex Noua? *Reſpondeo* ſunt primò Sacramentorum opera, quæ in noua lege ſunt inſtituta, hæc enim ad gratiam inducunt, & ſicut ſol mediante cau- la par-

ſa particulari effectus in his inferioribus producit, ita Deus mediante Sacramento, aut re, aut in voto ſuſcepto, gratiam homini confert. *ſecundò* præcipiuntur opera exteriora, quæ ex gratiæ inſtinctu procedunt, vt confeſſio fidei, & contraria prohibentur, vt Negatio fidei. *tertiò* ſunt quædam opera exteriora, quæ à lege noua non ſunt præcepta nec prohibita, quia nullam neceſſariam connexionem, aut contrarietatem habent ad gratiam & charitatem, ſed à Legiſlatore Chriſto Domino vnicuiq; ſunt relicta, vt poſſit ſe illis obligare, ſi voluerit, & talia ſunt conſilia.

7. Dico ſecundò. *Lex noua nulla alia opera exteriora determinare debuit præcipiendo, niſi Sacramenta vel moralia præcepta.* Et *ratio eſt.* illa enim ſola opera exteriora lex noua debuit præcipere, quibus aut inducimur ad gratiam, vel quæ ſunt de neceſſitate ad rectum vſum gratiæ. ſed Sacramenta quaſi manu prehenſos ducunt nos ad gratiam, & moralia nouæ legis vſum rectum gratiæ demonſtrant. ergo hæc præcipi debebant.

Dico tertiò. *quoad actus interiores* v. quòd *Chriſtus in Euangelio ſuo motus interiores ordinat.* primò *quoad ipſum hominem.* ſecundò *quoad proximum.*

Quoad ipſum hominem duo ſunt Interiores motus ad res agendas *primò* voluntas quæ eſt de agendis. *ſecundò* Intentio, quæ eſt de fine. *Voluntatem* ordinat per diuerſa præcepta, vt v. abſtineat ab operibus externis eorum, quæ ſunt ſecundùm ſe mala, & etiam ab interioribus motibus, & occaſionibus malorum. *Intentionem* ordinat præcipiendo, vt non quæramus vanam gloriam, nec mundanas diuitias, quia hoc eſt theſaurizare in terra.

Quoad proximum ordinat motus interiores, vt non temerè iudicemus, nec præſumptuosè, nec tamen ſimus valdè remiſſi ac indulgentes circa eos, vt indignis miniſtremus Sacramenta.

8. Dico quartò. *ſupra præcepta conuenienter ſunt propoſita conſilia. nam præcepta ſunt de his, quæ ſunt neceſſaria ad conſequendam vitam æternam, conſilia verò vt faciliùs beatitudinis finem conſequamur. Non eſt tamen neceſſarium ad finem vltimum conſequendum, vt res mundi penitus abijciamus.* nam poteſt quis eum conſequi, ſi ita vtatur mundi rebus, vt in eis finem non conſtituat, ſi tamen totaliter res mundi abiecerit meliùs & expeditiùs eundem conſequetur. — Conſilia Euang. cur ſunt præ poſita?

Sunt autem tria conſilia ſecundùm quòd bona huius mundi ſunt triplicia: *primò* ſunt diuitiæ quæ pertinent ad concupiſcentiam oculorum, & hæc per conſilium paupertatis abijciuntur: *ſecundò* ſunt voluptates carnis, quæ ad concupiſcentiam carnis ſpectant, & has per conſilium caſtitatis abdicamus *tertiò* honores, dignitates, quæ ad ſuperbiam vitæ attinent, quæ per obedientiam remouentur. & in his tribus votis fundantur Religiones, & illarum perfectio. — Conſilia Euangelica tria.

Poteſt tamen homo extra Religionem in ſæculo viuens quandam ſimilitudinem horum conſiliorum exprimere: *primò* quoad diuitias, ſi eleemoſynam tunc cùm non tenetur largiatur. *ſecundò* quoad caſtitatem, ſi à carnalibus deſiderijs abſtineat, vt orationi vacare poſſit. — Quomodo horum conſiliorum ſimilitudinē extra religionem viuens exprimat?

ſit. *tertiò* quoad voluntatem, vt ſi eandem tunc declaret, quando nō tenetur, vt ſi inimicis benefaciat cùm non tenetur: aut ſi offenſam dimittat, cùm eam iuſtè exigere poſſit. Et ad eum modum reliqua incidentia moderari poteſt, & rationem conſiliorum ſequi.

Et de Legibus hucuſque quas in hac peregrinatione caliginoſa, donec illuceſcat dies, inſtar lucernæ, ſplendere optamus; & cùm multiplices bonorum operum fructus germinauerint, hoc ad extremū ex animo cupimus, vt nobis aditum vitę æternæ reſerare, & nos Deo noſtro conſociare poſſint.

IN TRACTATVM DE GRATIA DEI

PRÆFATIO.

HOmo ad imaginem Dei factus, cùm nobiliſſimum finem deſtinatū habeat, ipſum v. conſortium Diuinæ naturæ, quod iuxta præceptum Domini, legis & mandatorum Dei impletioni, promiſſum eſt: ad hoc ipſum decenter faciendum, ordinata ſunt duplicia principia: *quædam ſunt* intrinſeca, v. Intellectus & Voluntas, à quibus actus morales proueniunt, vnde de Voluntario, & de Bonitate & Malitia actuum egimus, tandem de Peccatis quæ opponuntur Intrinſecis principijs: *quædam verò* ſunt externa principia quibus ad agendum inducimur, hæc ſunt duo: *primum eſt* Diabolus ſolicitans & inclinans tentatione ad malum, vt in Tractatu de Peccatis Diſputatione 10. docuimus, & D. Th hîc quæſt. 80. docet. *Alterum eſt* ipſe Deus mouens ad bonum duplici inſtrumento Legis & Gratiæ, & *per Legem* inſtruit nos imperando, quæ & ſecundùm rectam rationem & ſecundùm virtutem conuenienter agi poſſunt: *per Gratiam* verò ad actus bonos ſupernaturales producendos auxiliatur. Et cùm de Legibus iam egerimus, reſtat vt de ipſa Gratia agamus.

Finis hominis quis?

Ad conſequendum finem deſtinatum principia duplicia.

Intrinſeca principia quæ?

Externa principia quæ?

DIVI-

DIVISIO TRACTATVS.

Sequimur in eo ordinē Angelici Doct. & vt ille ſex Quæſtionibus doctrinam de Gratia abſoluit, ita & nos eandem ſex Diſputationibus abſoluere curabimus.

1. *Eſt de Neceſſitate Gratiæ.*
2. *De Eſſentia.*
3. *De Diuiſione.*
4. *De Cauſa Gratiæ.*
5. *De primo effectu Gratiæ*, v. *de Iuſtificatione impij.*
6. *De ſecundo effectu*, v. *de merito ſeu de actione meritoria vitæ æternæ.*

DISPVTATIO I.

De Gratiæ Neceſſitate.

Vndecim Quæſita examinanda proponimus:

1. *De Nomine* Gratiæ *& illius acceptionibus.*
2. *An homo ſine Gratia poſſit aliquod verum cognoſcere?*
3. *An homo ſine gratia poſſit facere bonum, aut velle?*
4. *An homo ſine Gratia Deum diligere ſuper omnia?*
5. *An ſine gratia per ſua naturalia poſſit homo præcepta legis obſeruare?*
6. *An ſine gratia poſſit mereri vitam æternam?*
7. *An ſine Gratia poſſit ſe præparare ad gratiam?*
8. *An ſine Gratia poſſit reſurgere à peccato?*
9. *An ſine gratia poſſit vitare peccata?*
10. *An homo conſecutus gratiam poſſit abſq; alio Diuino auxilio bonum facere & peccatum vitare.*
11. *An per ſe ipſum poſſit in bono perſeuerare?*

QVÆSITVM I.

De Nomine *Gratia*, & eius acceptionibus.

Gratia vnde dicta? 1. TRia hic determinãda ſūt: *primò* de Nomine *Gratiæ*. Dico itaq; *quod* Gratia *inde videtur eſſe dicta, quòd non ex debito, nec ex aliqua obligatione, ſed gratis conferatur.* ita Apoſt. ad Rom. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* In his verbis Gratia opponitur debito, ita quod debitum excludat Gratiam, & gratis

& gratia quoq; excludit debitum. & cap 11. id euidentiùs deducit. *Si gratia eſt, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia.* Hic ſimiliter operibus opponit gratiam. nam ſi propter opera præcedentia aliquid confertur, illud nō eſt gratuitum, ſed debitum erit igitur gratia id quod gratis datur.

ceptio. Gratiæ Prima.

QVANTVM ad acceptiones Gratiæ dico, *quòd hæ ſunt multiplices, ſed duæ ad præſens ſpectant. Prima eſt* quādo gratia ſumitur pro omni illo dono ac beneficio, quod à donante gratis liberaliter & nullis præexiſtentibus meritis ex parte noſtra, & ideo ſine vllo debito confertur. & in hac ſignificatione comprehēduntur omnia dona, ſiue ſint naturalis ſiue ſupernaturalis ordinis, & ſic creatio eſt gratia, quia ab homine nō eſt promerita. Suppoſito tamen, quòd Deus velit & conſtituerit creare hominem; iam exoritur quædam ratio debiti ex parte naturæ exigentis, vt ea quæ ad perfectionem illius requiruntur ſint illi debita, vt Intellectus, voluntas, manus, pedes, &c. illa tamen Deus non ex debito, ſed ex ſua liberali gratia nobis confert: & hæc acceptio Gratiæ eſt minùs propria.

nda ac ceptio.

2 *Secunda acceptiò eſt* cùm ſumitur Gratia pro dono gratuito ſed ſupernaturali, quod naturæ humanę gratis confertur, vt ad cæleſtem beatitudinem quam naturæ ſuæ viribus attingere nequit, peruenîre poſſit, & hæc aut confertur homini in ſtatu peccati mortalis, vt iuſtificari poſſit? Ad Epheſ 2. *Gratia Dei ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex nobis, donum enim Dei eſt.* aut homini iuſto & Deo grato confertur gratia, vt per incrementa ſuperaddita ſit tantò iuſtior & Deo gratior.

Tertia acceptio.

Ad hanc duplicem ſignificationem reuocamus illam gratiam quæ ſumitur pro beneuolentia, ſeu beneplacito voluntatis Diuinæ, quòd hæc dona vel illa velit Deus hominibus conferre, & ſi voluerit dona naturalia conferre, tunc ad primā ſignificationem ſpectabit, ſi autem voluerit ſupernaturalia donare, & ſic ad poſteriorem reducenda.

Dona ſuper naturalia quædam Actualia quędam Habitualia.

Nota dona ſupernaturalia gratiæ *quædam ſunt Actualia*, quæ nihil aliud ſunt quàm quædam illuminationes, inſpirationes, motiones, ſeu pię affectiones quas Deus in nobis producit. *quædam Habitualia*, v. quædam qualitates humanis mentibus impreſſæ, cum quibus natura humana actus ſupernaturales producit, vt actum fidei, ſpei, &c.

Pelagij Gratia quæ.

Nota ſecundò. Quòd Pelagius nullā aliam gratiā admittebat, niſi naturam hominis ipſamque mentem & liberum arbitrium, quod nobis à Deo gratis eſt conceſſum, gratiam appellabat. vnde gratiam ſupernaturalem quæ eſt per Chriſtum, & qua Chriſtiani facti ſumus, & quæ ad iuſtitiæ conſecutionem eſt neceſſaria, penitus excludebat. negās omnino requiri aliquod donum gratuitum ordinis ſupernaturalis ad actus ſupernaturales, & ad finē vltimum conſequendum.

Status hominis ſex.

3. QVANTVM *ad tertium*, v. quoad ſtatus in quibus homo aut creari potuit, aut creat[o] eſt, Dico *quòd ſex ſunt:* qui à Caiet. & à Soto in *lib. 1.* de Natura & Gratia enumerantur.

Primus naturæ nudæ

Primus ſtatus eſt naturæ nudæ, quę ex corpore & anima rationali cum ſuis potentijs conſtat, ita quòd habeat

Pp

beat intellectum & voluntatem, atq; etiam appetitum ſenſitiuum cum ſua inclinatione ad obiecta ſenſibilia ordinem rationis turbãdo, ſed nullam gratiam aut iuſtitiã originalem aut donum ſanans haberet, vnde ob luctam perpetuam ſpiritus cum carne ſummam difficultatem in honeſti adeptione pateretur. & in hoc ſtatu non eſt creatus homo, nec vnquam creabitur.

Secũdus Naturæ integræ.

Secundus ſtatus eſt naturæ integræ, quæ gratia quidem & donis ſupernaturalibus caruiſſet, ſed fuiſſet natura perfecta, quia pars ſuperior hominis v. ratio ſubiecta eſſet Deo, vt principio & fini naturali omniũ rerum, & pars inferior, v. ſenſitiua ſubijceretur rationi, ita, quòd eius imperium ſeruaret.

Cur dicatur naturæ integræ?

Hic ſtatus ideò dicitur naturæ integræ, quia nihil illi ad perfectionem naturæ humanæ deeſt. Obſeruat Soto, quòd in hoc ſtatu poterat homo creari ſi ad ſolum finem naturalem ordinaretur, & non ad ſupernaturalem.

Tertius. Iuſtitiæ originalis.

Tertius ſtatus Iuſtititiæ originalis, in quo natura humana ornata erat iuſtitia originali' quæ efficiebat vt pars rationalis eſſet ſubiecta Deo; & pars ſenſitiua rationali, ita, vt nullo modo eandẽ præueniret aut aduerſum eam inſurgeret, & ſic cõditus erat homo.

Quartus Naturæ lapſæ.

Quartus ſtatus naturæ lapſæ in peccato & corruptæ per peccatum, & talis in primis parentibus poſt peccatum eſt ſubſecuta, & in nobis durat, qui in peccato originali concipimur & naſcimur, & quadam propenſione inclinamur ad mala, & plurima incommoda ſuſtinemus.

Quint9 Gratiæ gratum facientis.

Quintus ſtatus eſt gratiæ gratum facientis, per quam expurgamur à peccatis, & ſanctitati ac iuſtitiæ reſtituimur.

Sextus ſtatus Patriæ.

Sextus ſtatus eſt Patriæ ſeu futuræ gloriæ, in qua eſt clara viſio Dei.

Diſcrimen inter hominem in natura nuda, & in natura lapſa conſtitutum.

4. *Sed obijcies primò.* Homo conditus in natura nuda, ſeu in puris naturalibus, quo differt ab homine in natura lapſa conſtituto. *Reſpondeo* cum Caiet & Soto hoc eſſe diſcrimen, quod eſt inter hominem nudum, qui nunquam habuit veſtes, & ſic ſe habet ſtatus naturæ nudæ, qui iuſtitia originali tanquam veſte caruit, & inter nudum qui ſplẽdidis veſtibus eſt ſpoliatus, & talis eſt ſtatus naturæ lapſæ, quia per peccatum ſpoliata eſt iuſtitia originali. Prior ergo nuditas non eſt pœna ſed naturæ conditio. Poſterior verò eſt pœna, quia eſt quædã ſpoliatio, & rebellio fuiſſet in natura nuda tanquam naturæ conditio, ſed in lapſa eſt vt pœna.

Sed quæres hæc rebellio in qua natura fuiſſet vehementior? *Reſpondeo* quòd propè paris rationis fuiſſet. ſicut enim lapis ablato impedimento, non deſcendit velociùs deorſum, quemadmodum deſcenderet ſi nullum impedimentum haberet, ita in ſtatu naturæ corruptæ iuſtitia originali remota, quæ impediebat rebellionem, ſtatim rebellio eo modo ſubſecuta eſt, quæ fuiſſet in puris naturalibus.

Nota: Loquimur hic de homine in natura lapſa, vt eſt cum ſolo peccato originali, nam ſi alijs vitijs infectus eſſet, iam tunc rebellio vehementior futura eſſet, ſiquidem per vitioſos habitus eſt pronior ad malum & ad bonum ineptior.

5. *Quæres ſecundò.* Homo in natura nuda, & homo in natura integra conſti-

conſtitutus quo differant, ſiquidẽ vtraq; natura eſt in puris naturalibus. *Reſpondeo* hoc differre, quia in natura nuda viget rebellio carnis aduerſus ſpiritum. at in natura integra nulla eſt rebellio, ita quod ad ſuum finem naturalem ad quem ordinaretur poterat ſine difficultate peruenire, nihilominus tamen ſi vellet poterat ab hoc rectitudinis ſtatu deuiare.

Quæres tertiò quo differt ſtatus naturæ integrę à ſtatu originalis iuſtitiæ, ſiquidem in vtraq; eſt ſubiectio partis ſenſitiuæ ad rationem? *Reſpondeo* hoc differre, quia homo in ſtatu naturæ integræ habuit rectitudinem & ſubiectionem cum dono ſanante naturam, vt ſuum finẽ naturalem conſequi poſſit. Homo verò in ſtatu Iuſtitiæ originalis habuit rectitudinem & ſubiectionem non ſolùm in ordine ad finem naturalem, ſed etiam ad ſupernaturalem obtinendum. *Secundò differunt.* quia ſtatus Iuſtitiæ originalis ſupra naturam integram addit gratiam, quæ nos Deo gratos facit, & eſt principium actionum meritoriarũ *Secundum diſcrimen.*

Sed inſtabis. ergo tam in ſtatu originalis iuſtitiæ quàm in integro erit idem donũ ſanans naturã, & ſubijciens inferiorẽ ſuperiori. *Obiectio.* *Reſpondeo* hoc donum eſſe diuerſæ rationis, nã in Iuſtitia originali duo habet: *primò* ſanare naturam in ordine ad finem naturalem: *ſecundò* ſanare ſeu rectificare eandem naturam ad finem ſupernaturalem. natura autem integra ſolùm habet donum ſanans ad finem naturalem. vnde hoc donum maioris eſt vigoris in iuſtitia originali, ſicut cogitatiua ex coniunctione ad animam rationalem perfectior eſt in homine quàm in brutis. ita hoc donum ex coniunctione ad iuſtitiam originalem eſt perfectius. *Solutio eiꝰ.*

QVÆSITVM II.

An homo ſine gratia aliquod verum cognoſcere poſsit?

6. PRo intelligẽtia *Nota* ex art. 1. D. Th. hic Duplex eſſe auxilium Gratiæ: *quoddam eſt Generale* quod dicitur quidam concurſus generalis, quo Deus ad omnes effectus cauſarum ſecundarum producendos concurrit, & ſine quo nulla cauſa ſuũ effectum producit. *Et ratio eſt.* Quia cauſæ ſecũdæ à primò agente v. à Deo non ſolùm in *eſſe*, ſed etiã in *operari* dependent, ita quòd dato caſu ſi Deus alicuius cauſæ particularis conſeruaret *eſſe*, ſed cum ea non cõcurreret ad producendum illius effectũ, tunc illa ipſa cauſa ſecunda nõn produceret ſuum effectum, vnde ceſſante motu cæli, ignis ſtupam non combureret. Et cum intellectus ſit ex numero cauſarum ſecundarum idcirco ad cognitionem indiget vt à Deo hoc generali concurſu ad actum intelligendi exercendum

Speciale auxilium.

moueatur. *Quoddam verò eſt ſpeciale* quod ſuper additur intellectui tãquam noua illuſtratio ad cognoſcendum ea quæ lumen naturale excedunt.

Veritates duplices Naturales & ſupernaturales.

Nota ſecundò Veritates ſunt in duplici differentia. *Quædam ſunt Naturales* quæ lumine naturali cognoſci poſſunt. *Quædam ſupernaturales* quæ nobis per Diuinam reuelationem manifeſtãtur vt myſteria fidei, incarnationis &c. *Hæ adhuc* veritates

Diuiſio altera corũdem

quædam ſunt ſpeculatiuæ, quæ ad ſolam cognitionem ſpectant: *quædam vero Practicæ*, quæ ad operationem ordinantur & de moribus ac virtutibus diſputant. His notatis?

Quæ veritas ſine ſpeciali auxilio poſſit cognoſci

7 Dico primò. *Omnis illa veritas ſpeculatiua ſiue ſit de Deo, ſiue de creaturis, quæ à rebus ſenſibilibus deducitur, poteſt ſine auxilio ſpeciali ſuperaddito cognoſci.* PROBATVR. locis ſcripturæ. ad Romanos: 5. *Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur.* Ex quo loco ſic arguo. Cognitio ſempiternæ virtutis & Diuinitatis ſunt veritates ſpeculatiuæ & hæ cognoſcuntur ex rebus ſenſibilibus quia per ea quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur. ergo veritas ſpeculatiua de Deo ſine ſpeciali auxilio cognoſci poteſt. Sapientiæ 13. *A magnitudine creaturæ poterit cognoſcibiliter creator horum videri.* Ex quo arguo, cognitio creatoris eſt veritas ſpeculatiua & cognoſcitur à rebus ſenſibilibus, quia à magnitudine creaturæ ſolo lumine naturali. ergo veritas ſpeculatiua de Deo ſine ſpeciali auxilio cognoſcitur. Pſalmo 41. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Ex hoc loco duo colligo *Primò*

Homini inditum lumẽ ad veritates cognoſcendas.

Homini & intellectui illius inditũ eſſe lumen à ſui creatione ad veritates cognoſcendas. *ſecundò.* Obiectum huius luminis ſunt res naturales, ex quarum conſideratione ad cognoſcendum Deum, vt authorem vniuerſi, & finem naturalem eleuamur. Vnde veteres Philoſophi vt Plato, Ariſtoteles ſpeculando veritates rerum ſenſibilium Deum agnouerunt tanquam ſupremam cauſam eandemq; vt cauſam cauſarum, & tanquam Ens Entium, & ideo ſunt inexcuſabiles, quia *cum cognouiſſent Deum, non vt Deum glorificauerunt. Præterea* omnis potentia poteſt attingere per vires ſuas obiectum ſibi proportionatum, ſed in Deo eſt quædam potentia. ergo omne illud quod ſub obiectum ſuum proportionatum cadit, per vires naturæ intelliget. ergo nõ indiget ſpeciali auxilio

8. *Nota primò.* nos ſupponere quòd concurſus generalis Dei requiritur, vt ad motum cuiuſlibet creaturæ ita quoque ad cognitioné intellectus de quacunq; veritate ſpeculatiua.

Nota ſecundò. hoc Dictum intelligendum eſt de veritatibus ſolùm diſtributiuè, non autem collectiuè ſumptis, nam quodlibet verum quod eſt ordinis naturalis, conſideratum in particulari, poteſt bene cognoſci. At hæ veritates ſi collectim ſumantur ſic iam ſine ſpeciali auxilio cognoſci non poſſunt. Alphonſus Curiel dicit quòd intellectus omnes veritates ſpeculatiuas ſumptas collectiuè poteſt cognoſcere, ſi ſpectemus virtutem intellectus. *Et ratio eſt.* Quia omnes veritates ſpeculatiuæ collectiuè ſumptæ ſunt obiectum proportionatum

natum virtuti intellectus noſtri, nam non ſunt ordinis ſupernaturalis, tum nec impedit multiplex cognitio ſucceſſiua, quia hæc non debilitat, ſed perficit intellectum. Sed idem author dicit. Quòd conſideratis ijs quæ requiruntur ad hoc vt cognoſci poſſint ſimpliciter & abſolutè, ſine ſpeciali auxilio non poſſunt cognoſci. *Et ratio eſt.* Quia experientia teſtis quòd præter actiuam virtutem intelligendi requiritur longa ætas quæ vt Hippocrates tenet eſt breuis, tum ſenſus imperfectè miniſtrant: deniq; appetitus animi tranquillitatem quæ ad intelligendum eſt neceſſaria turbat, ipſum corpus ſtudio & defatigatione laſſum quietem poſcit.

9. *Sed obijcies.* Intellectus virtute ſua non poteſt diſtributiuè multa in rebus naturalibus cognoſcere, vt quæ ſunt rerum vltimæ differentiæ, tum quomodo circulus quadrari poſſit. *Reſpondeo ideo hæc de facto non cognoſci quia illorum effectus* non ſunt manifeſti, *nos autem loquimur de his quæ* ſufficienter ex ſẽſibilibus deduci poſſunt.

Secundò obijcies. 2. Corinth: 3. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis.* Et concilium Arauſicanũ Canone 22. *Homo nihil habet à ſe ipſo præter mendacium. Reſpondeo.* Hæc loca loqui & intelligenda eſſe de cognitione ſupernaturali. *Reſpondeo ſecundò* quòd quælibet cognitio eſt donum Dei, & ad hoc ſufficit concurſus Dei generalis.

10. Dico ſecundo. *Homo etiam in ſtatu naturæ corruptæ poteſt abſq; ſpeciali auxilio per ſolas naturæ vires quã dã veritates practicas morales ordinis naturalis cognoſcere.* Ita tenet Richardus *in 2. diſtin: 28.* Durandus *diſtinct. 38. quæſt. 1. & 2.* Scotus *diſtinct: 28. quæſt. 1.* Gabriel. Caietanus. *Et probatur* ad Rom: 1. dicitur Philoſophos fuiſſe inexcuſabiles, quia *cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* Ex quo ſic Arguo. Antiqui Philoſophi lumine naturali cognouerunt hanc veritatem Moralem practicam *Deum dignum eſſe omni veneratione*, & quia eidem debitum venerationis cultum non exhibuerunt, ideo vituperantur. ergo lumine naturali veritates practicæ cognoſci poſſunt.

11. *Sed obijcies.* Illos cognouiſſe ſed cum auxilio particularis gratiæ. *Reſpondeo.* Apoſtolum loqui de cognitione cum ſolis viribus naturæ excluſo particulari auxilio dicit enim. *Quod notum eſt Dei manifeſtatum eſt illis, Deus enim illis manifeſtauit:* quis autem modus fuerit manifeſtandi his verbis exprimit. *Inuiſibilia enim illius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur.* ergo ex mundi opificio ex rebus ſenſibilibus à Deo productis per ſolum lumen naturæ manifeſtum Deum habuerunt. Obiectio. Solutio ei⁹.

Probatur ſecundò. Practicæ veritates Morales ſunt obiectum intellectus proportionatum: ergo ſaltem aliquæ cognoſci poſſunt. *Conſequẽtia.* Quia quælibet potentia naturalis ſuapte natura fertur in obiectum ſibi proportionatum. *Tertia ratio.* Poteſt intellectus ſine ſpeciali auxilio gratiæ quaſdam veritates ſpeculatiuas cognoſcere (vt iam probatum) ergo etiam poterit quaſdam veritates morales practicas cognoſcere. *Conſequentia.*

Quia ſunt omnino eiuſdem claritatis: vel addo quòd veritates ſpeculatiuæ difficiliùs cognoſcuntur quia ſunt maioris abſtractionis vt veritates Metaphyſicæ Mathematicæ. ergo ſi has intellectus cognoſcit poterit minus difficiles quales ſunt morales cognoſcere. *Quarta ratio.* Quælibet res per ſuam formam ſine ſpeciali auxilio poteſt operationes naturæ ſuæ conuenientes exercere, vt ſerra poteſt ſecare lignum, & ignis vrere. ergo & intellectus per inditum ſibi lumē naturale poterit ſine ſpeciali auxilio quaſdam veritates morales practicas cognoſcere. nam aliàs conditio hominis eſſet deterior. *Deniq;* Lumen intellectus naturale non poteſt ad falſum inclinare. ergo aptū eſt ad veritates cognoſcendas. *Antecedens.* Quia hoc lumen eſt immediatè à Deo ſed Deus non inducit ad falſum. ergo nec dat lumē quod ad falſum inducat.

Homo inſtatu naturæ corruptæ non poteſt ſine auxilio ſpeciali de omnibus veritatib⁹ moralibus collectiuè ſumptis certam cognitionē habere.

12. Dico tertiò *Homo conſtitutus in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt ſine auxilio ſpeciali de omnibus veritatibus moralibus collectiuè ſumptis certam cognitionem habere & vera iudicia facere. Quid nimirum ſit ſequendum & quid fugiendum?* Ita tenent Gregorius *in 2. diſtin:* 26 Capreolus *diſtinct: 21. quæſt: 1. articulo 3.* & alij recentiores. *Probatur* ſapiētiæ 9 *cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Ex quo collige* tria *primò* quòd conſortio animæ cū corpore, iudicia hominis ſubiecta ſūt falſitati: *ſecundò* intellectus multis paſſionibus inordinatis turbatur, vt quid ſit agendū non poſſit benè iudicare? *tertiò* hi motus affectuum inſurgentes magis impediunt veritatem iudicij Practici quàm Speculatiui. vnde quidam conqueritur. *Video bona, proboq; deteriora ſequor*: videre bona eſt iudicij ſpeculatiui, deteriora ſequi eſt iudicij practici à paſſione corrupti. *Ratio ſecunda.* ſæpè in Sacra Scriptura auxilium diuinum imploratur ad id cognoſcendum quid ſit faciendum. ergo omnia nō poſſunt cognoſci lumine naturæ. *Antecedens* Pſal. 24. *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me* 142. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* & *Doce me facere voluntatem tuam Deniq;* experientia teſtis quòd veteres Philoſophi per vires naturæ cognoſcebant quaſdam veritates, in multos tamen errores prolapſi ſunt, ideo quia omnes ſine ſpeciali auxilio cognoſci non poſſunt. *Et ratio eſt.* nam ſunt quædam Concluſiones practicæ morales ordinis naturalis, quæ longo diſcurſu indigent, & quæ ex multis principijs pēdent, & quæ per multas conſequentias colliguntur, vnde vix ſine errore cognoſcuntur.

Quare iudicia hominis ſint ſubiecta falſitati?

13. Dico quartò. *Veritates ſpeculatiuæ quæ ſunt ordinis ſupernaturalis quales ſunt fidei, non poſſunt ab homine per vires naturales cognoſci, ſed ad hoc requiritur auxilium ſpeciale ſupernaturale.* Probatvr. hæ veritates fidei ideo dicuntur ſupernaturales, quia lumen naturale ſuperāt intellectus noſtir. ergo indigēt nouo ſuperaddito auxilio, vt percipi poſſint. Et Concil. Trident. *Seſſ. 6 Can. 3* dicit: *Si quis dixerit ſine præueniente inſpiratione Spiritus S. poſſe hominem credere ſicut oportet, Anathema ſit.*

Nota

Quomodo ...tia Du... di cum ...tia D. ... hac ...tia cō. ...dā?

Nota quòd particula *Sicut oportet* exponenda eſt de aſſenſu fidei firmiſſimo, & qui nihil formidinis aut dubitationis habeat. *Ex quo collige* quòd ſententia Durandi *in 2. diſt. 28.* cùm dicit poſſe hominem abſq; reuelatione Concluſionibus fidei aſſentiri, cùm ſententia D. Th quæ hoc ipſum negat ſic conciliāda eſt, quod ſi loquamur de aſſenſu imperfecto qui fit per ſolam fidem humanam, quæ dicitur eſſe potiùs opinio, quàm fides, tunc ſine reuelatione poſſumus aſſentiri. ſed ſi loquamur de aſſenſu fidei perfecto & firmiſſimo. vt v. credat homo ſicut oportet, hoc eſt, ſine vlla dubitatione hoc nequit eſſe ſine ſpeciali auxilio gratiæ. nam Concluſiones fidei non ſunt per ſe euidentes. ergo vt illis firmum & promptum aſſenſum præbeamus, opus eſt auxilio ſpeciali.

14. *Sed inſtabis.* Doctor Catholicus poſſet gentili rationibus naturalibus perſuadere fidem noſtrā, nam poſſet ratione naturali declarare in noſtra fide nihil eſſe rationi aut Philoſophiæ contrariū: tunc poſſet contrarias rationes cōtra fidem adductas diſſoluere. ergo poſſet fidem noſtram naturali ratione credibilem facere gentili *Reſpondeo* quòd poſſet Doctor Catholicus rationibus ex natura deſumptis quendam aſſenſum parere in animo infidelis. ſed hic eſſet probabilis, & cum quadam formidine. ſed aſſenſus qui ſit infirmus, indubitatus, conſtans, hic in Ethnici mente produci non poteſt, ſine auxilio gratiæ ſpeciali, nam hic Ethnicus ex tali aſſenſu folùm iudicaret myſteria fidei eſſe probabilia. ſed hæc probabilitas ad certitudinem quæ requiritur ad aſſenſum fidei non ſufficeret.

Nota Ad hoc, vt homo vt oporteret credat requiri auxiliū ſpeciale, quod & intellectum illuſtret, & voluntatem pia affectione moueat. Actor. 16. *Dominus aperuit cor intendere ſuis quæ à Paulo dicebantur*. Nomine *cordis* intelligitur voluntas, hoc eſt, ſic voluntatem diſpoſuit vt firmiter aſſentiret & Ioan. 12. *Propterea non poterāt credere, quia iterū* dixit Iſaias: *Excæcauit illorū oculos, & indurauit eorū cor*, hoc eſt quia ſuo auxilio ſpeciali illorum intellectū non illuſtrauit, nec voluntatem emolliuit, idcirco non crediderūt. ergo ad credendum myſterijs fidei requiritur ſpeciale auxilium, quod & intellectum illuſtret, & voluntatem emolliat. & hic notādus eſt error Pelagij, qui dicebat externam Euangeli prædicationē ſi debito & congruo modo extrinſecus fiat ſufficere ad aſſenſum illi præbendum, & non requiri lumen de ſuper infuſum. quem condemnat Concil. Arauſic. Can. 7. ſic: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ &c Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe affirmat, abſq; illuminatione & inſpiratione Spiritus S. hæretico ſpiritu fallitur.* ergo ſicut ad intellectum illuminatio, ita ad voluntatem inſpiratio neceſſaria.

Ad hoc vt homo vt oportet credat requiritur auxiliū ſpeciale.

QVÆSI-

QVÆSITVM III.

An homo ſine gratia poſſit velle & operari aliquod bonum?

15 DVo hic determinanda: *primū* ex S. Doct. quoad ſtatus naturæ: *ſecundū* id quod in hac re cōtrouerſum. QVANTVM ad primum, doctrinam S.Doctoris quatuor propoſitionibus complectimur: *prima propoſitio* tam in ſtatu naturæ integræ, in qua naturalia viguerunt cum ſubiectione partis inferioris ad ſuperiora, quàm in ſtatu naturæ corruptæ, qualis eſt in nobis poſt peccatum, indigebat homo generali Dei concurſu ad quoduis bonum volendum & faciendum.

Homo tam in ſtatu naturæ integræ, quàm in ſtatu naturæ corruptæ indigebat generali Dei concurſu ad quoduis bonum volendum & faciendum.

Secunda propoſitio in ſtatu naturæ integræ poterat homo per ſua naturalia ſine ſpeciali auxilio bonum velle & operari, quod ſuæ naturæ eſſet proportionatum, quale eſt exercitiū virtutum. ſed infuſarum virtutum vt fidei, ſpei, charitatis, non poterat actus exercere ſine ſpeciali auxilio. quia hi actus vires naturæ excedunt.

In ſtatu naturę integrę poterat homo per ſua naturalia bonū velle & operari

Tertia propoſitio in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo per virtutem ſuæ naturæ aliquod opus morale facere, vt plantare, ædificare, nam per peccatum natura humana non eſt totaliter corrupta, ſed totum bonum ſibi connaturale ita vt in nullo deficiat, nō poteſt ſine ſpeciali auxilio operari. ſicut homo infirmus poteſt aliquos act⁹ exercere qui ſunt hominis, ſed ita perfectè non poteſt vt homo ſanus, ſed indiget medicinæ auxilio: ita homo in natura corrupta poterit aliquod bonum ſibi connaturale velle & facere, ſed ita perfectè vt operetur & in nullo deficiat, iam indiget auxilio ſpeciali.

In ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo per virtuté ſuæ naturæ aliquod opus morale facere.

Quarta propoſitio hoc eſt diſcrimē inter naturam integram & corruptam, quòd integra ſolùm vnico auxilio v. ſupernaturali indigebat, vt opus ſupernaturale præſtaret. Natura verò corrupta duplici op[e] habet: *primò* ſanante, ne rebellio appetitus fiat, & vt opus bonum operari poſſit: *ſecundò* ſupernaturali, vt actus meritorios vitæ æternæ facere poſſit.

16. QVANTVM ad alterum, v. *quid nam hic ſit controuerſum.* Dico tres eſſe hic Opiniones erroneas: *prima* eſt Pelagij, qui dicebat (vt refert D. Aug *lib. de Hæreſ. cap. 88 & epiſt. 105.*) quòd homo in ſtatu naturæ corruptæ poteſt non ſolùm opera moralia, ſed etiam meritoria vitæ æternæ præſtare per ſuas vires naturæ ſine ſpeciali auxilio hunc errorem in ſequentibus Quæſitis cōfutabimus. *Altera eſt* Lutheri, qui contrarium dicebat, v. omne opus non ſolùm peccatoris, ſed etiam hominis iuſti eſſe peccatum, ideò quia ab homine fomite concupiſcentiæ contaminato procedit. *tertia eſt*

tia eſt Gregorij Ariminenſis *in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 1. Concl. 2.* Capreoli & aliorum, qui affirmant, quod quamuis ad omne opus bonum morale non requiratur auxilium gratiæ iuſtificantis, quod omnes Catholici concedunt. tamen dicunt requiri quoddam aliud auxilium actuale quo homo adiuuetur & promoueatur ad opus bonum operandum. vnde

Nota. quòd hi duplex auxilium ſpeciale quod à generali concurſu Dei ſit diſtinctum faciunt. *vnum* ſupernaturale, quod ad finem ſupernaturalem ordinet. *aliud verò* naturale actuale, quod dicunt ad opus bonum morale producendũ eſſe neceſſarium. Pro determinatione.

...no in ...natu- ...ruptæ ...pecia. ...xilio ...ernatu. ...poteſt ...a bo- ...oralia ...ũ o- ...rari.

17. Dico primò. *Homo in ſtatu naturæ corruptæ ſine ſpeciali auxilio ſupernaturali poteſt aliqua bona moralia interdum operari.* Eſt cõmunis ſententia cõtra Lutherum PROBATVR ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciũt.* Ex quo arguo. ea quæ legis ſunt, ſunt opera moralia, & hæc gentes naturaliter faciunt. ergo per vires naturæ opus moraliter bonum fieri poteſt. & Origenes in cap. 2. ad Rom. *Omni operanti bonum honor. Quantum* inquit, *poſſum capere, loquitur Apoſt. de gentibus nondum credentibus, gentilis enim legem non habet, ipſe ſibi lex eſt, oſtendens opus legis in corde ſuo, & naturali ratione doctus, multa facit conuenienter virtuti. Confirmatur.* Obſtetrices Ægyptiorum quòd contra edictum Pharaonis pepercisſent maſculis Hebræarum, benedictionem à Domino obtinuerunt. ſed hæ erant infideles. ergo infidelis per ſolas vires naturæ poteſt opus bonum morale præſtare. *Præterea* Chriſtus Dominus non reprehendit Ethnicos, quòd amicos diligerent, aut quòd fratres ſalutarent, & hæc erant opera moralia. ergo ſine ſpeciali auxilio poſſunt fieri. *Tandem* infidelis poteſt opus morale operari quod ſit rationi conueniens, nam ex ſola commiſeratione poteſt indigenti dare eleemoſynã, ſed hic actus erit moraliter bonus. ergo poteſt infidelis opera moralia facere.

18. *Sed dices* iſtum actum non eſſe bonum, quia ad Deum non refertur. *Reſpondeo* ſatis eſſe quòd hic actus cum recta ratione conſonet quæ quidem cum diuina ratione habet concentum naturalem, vnde per quandam conſequentiã Deũ reſpicit. *Tandem* homo in ſtatu naturæ integræ cum ſolo concurſu generali poſſet benè moraliter operari, nam teneretur ad vitam ſecundùm rationem inſtituendam. ergo etiam homo in ſtatu naturæ corruptæ poterit cum ſolo generali concurſu bonum moraliter operari. Obiectio.

Sed inſtabis non valere conſequẽtiam, quia in ſtatu naturæ integræ fuit natura ſana, quia pars inferior ſubijciebatur ſuperiori. In ſtatu verò corruptæ eſt læſa & vitiata. *Reſpondeo* eſſe quidem per peccatũ læſam & infirmam. ſed hæc infirmitas non impedit quominus aliqua natura poſſit aliquos effectus ſuæ naturæ conuenientes exercere, quamuis non in ea perfectione ſicut natura ſana. *Confirmatur.* aliàs ſequeretur liberum arbitrium in nobis penitus eſſe extinctum. *Se-* Obiectio altera.

quela. tunc enim aliqua potentia cenſetur eſſe extincta, quando nequit vllum effectum ſibi connaturalem cum generali concurſu producere. *Præterea* quælibet res naturalis cum ſolo concurſu generali poteſt per vires naturæ effectus proportionatos ſibi operari, vt conſtat ex leuibus & grauibus, tum ex plantis ſiquidem hæc non accedente ſpeciali auxilio effectus ſuos producunt. ergo & homo per ſolas naturæ vires poterit effect' rectæ rationi conuenientes producere, & parentes honorare, egenis ſubuenire. & ſicut quælibet res naturalis ideo ſuos effectus attingit, quia continentur intra latitudinem illius obiecti adæquati. ita actus moralis continetur intra latitudinem obiecti naturæ corruptæ, nam bonum morale ordinatur ad finem naturalem conſequēdum. ergo ab homine in natura corrupta cum ſolo concurſu generali fieri poteſt.

Non omnes actiones peccatoris ſunt peccata.

Nota. Contra Lutherum, *non* omnes actiones peccatoris eſſe peccata. PROBATVR. ad bonitatem enim actus moralis ſufficit, vt ſit circa obiectum per ſe honeſtum, & fiat liberè & careat omni turpi circumſtātia. Sed homo peccator poteſt has conditiones adimplere, vt poteſt parentes colere liberè, & ſine turpi circumſtantia.

Homo in ſtatu naturæ corruptę poteſt ſine vllo ſpeciali auxilio, quod ſit ordinis naturalis boni aliquod morale operari.

19. Dico tertiò *Idem homo in ſtatu naturæ corruptæ poteſt ſine vllo ſpeciali auxilio quod ſit ordinis naturalis bonum aliquod morale operari.* Eſt Dictū contrà Gregorium & Capreolum, contrà quos tenemus ſufficere ad præſtandum aliquod opus moraliter bonum ſolùm generalem concurſum, & non eſſe neceſſarium auxilium ſpeciale, quod ſit ordinis naturalis. PROBATVR. Ita hic tenet D. Th. *quæſt: 109. art. 2.* Quòd in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo actus morales per propriam virtutem operari. Sed inſtat Capreolus D. Th. intelligere bonitatem naturalem, non autem moralem, nam adducit exēpla quæ ſunt merè naturalia v. ædificatio, plantatio vineæ: *Sed dico:* quod hi act' etiam ſunt morales, in quantum fiunt liberè & deliberatè, & ad finem rectæ rationi conſonum referuntur. *Tandem* hic D. Th. per *bonum naturæ humanæ proportionatum* intelligit bonum virtutis acquiſitæ & non infuſæ. ergo loquitur de bono morali. *Probatur ſecundò.* Vt aliqua potentia creata ſit ſufficiens ad aliquid ſibi proportionatū exercendum, ſufficit quòd à parte ſua habeat ſufficientem virtutem, & non impeditam ad operandum, & quòd ex parte Dei habeat generalem concurſum. Sed homo habet ſufficientem virtutem quia habet lumen rationis ſufficiens ad iudicandum practicè & voluntas habet ſufficientem virtutem ad volendum, & nulla harum potentiarum patitur impedimentum, quia hoc maximè eſſet tentatio dæmonis, ſed hæc quemadmodum iudiciū particulare practicum intellectus non impedit, ita nec impedit voluntatem, quominùs illud ſequatur, *tum* dari poſſunt caſus in quibus nec ſit tentatio, nec motus inordinatus ſenſitiui appetitus, vt cum eſt opus facillimum idemque appetitui conueniens, vt cum ad illius conſeruationem ſpectat. *Ad extremum.*

extremum. Hoc auxilium Ariminẽſis, aut ideo eſſet neceſſarium? vt per illud voluntas humana promoueatur ad bene operandum, aut cum ſit indeterminata vt determinetur? Aut quia actio moralis ſine hoc auxilio non poſſit dici? ſed nihil horum. *non primum*, quia vt ad agendum promoueatur voluntas ſufficit ad hoc generalis concurſus; quemadmodum alijs cauſis ſecundis ſufficit, vt per eum ad ſuos effectus producendos promoueantur. *Non ſecundum*, quia cuiuſlibet agentis liberi eſt ſeipſum aut ad agendum, aut non ad agendum determinare. Et ideo homo dicitur eſſe Dominus ſuarum actionum. *Non tertium*. quia ad bonitatem moralem ſufficit libertas & tendentia quæ ſit conformis legi ſeu præcepto ſuperioris.

20 Dico tertiò *Homo in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus, non poteſt ſine ſpeciali auxilio facere totum bonum naturæ ſuæ proportionatum*. PROBATVR. Quia iam deductum eſt quòd homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt ſine ſpeciali auxilio ita cognoſcere rectum morale vt non frequenter, & in multis erret ergo multò minùs poterit operari omnẽ bonum morale quod ſit illi proportionatum, ſiquidem voluntas magis quàm intellectus eſt infirma nam diuerſis paſſionibus ſubiacet.

Dico quartò. *Sine ſpeciali auxilio gratiæ nullus in ſtatu naturæ lapſæ in bonis operibus longo tempore perſeuerare poteſt*. PROBATVR. Quia perſeuerantia ex Concil. Trident: ſeſſ: 6. vſq; ad extremum vitæ ſpiritum cenſetur eſſe donum Dei. ergo nullus ſine hoc ſpeciali auxilio in bonis operibus diu perſeuerare poteſt. *Deinde* in hac vita plurimæ tentationes homini occurrunt, tum ex innata concupiſcentia, tum ex ſuggeſtione Dæmonis, quæ quidem ad malum ſolicitant, nec ſine ſpeciali auxilio Dei ſuperari poſſunt, non ſolùm omnes ſed nec ſingulæ præſertim cum vehementer vrgent.

Nullus in ſtatu naturæ lapſæ ſine ſpeciali auxilio gratiæ in bonis operibus lõgo tempore perſeuerare poteſt.

Nota. Poſſe aliquando (vt concedunt Doctores) quaſdam tentationes quæ ſunt leuioris momenti viribus naturæ ſuperari.

Poſſũt quædam tentationes leuiores ſuperari ſine auxilio.

QVÆSITVM IV.

An homo ex ſolis naturæ viribus poſsit Deum diligere ſuper omnia?

21. NOta primò Dilectio Dei ſuper omnia dupliciter ſumitur *Primò* pro quodã pondere ſeu naturali inclinatione qua omnes res creatæ ad amandũ Deum ſuper omnia inclinantur, & talis amor eſt etiam in dæmonibus In 1. *parte quaſt*: 64. *art* 2. *ad* 5. Quia per peccatum non amittitur inclinatio naturalis. *ſecundò* pro actu elicito, inquantum à potentia appetitiua elicitur, & terminatur ad Deum tanquam ad obiectũ ſuper omnia dili-

diligendum: & hoc ſecundo modo ſumimus hic amorem Dei ſuper omnia.

Secundum duplicẽ cõſiderationẽ Dei eiuſdẽ dilectio duplex.

Nota ſecundò. ſicut hoc obiectum DEVS, dupliciter conſideratur, ita & dilectio Dei ſuper omnia eſt duplex. *primò*. enim Deus conſiderari poteſt in quantum eſt principium & finis omnium rerum ſupernaturalium, ita quòd quæ de illo cognoſcuntur non niſi per lumen fidei cognoſcuntur, & ſic erit dilectio qua Deum diligimus vt authorem gratiæ & gloriæ ſupernaturalis, & diligimus per dona gratuita ſuperaddita quibus ad illum cognoſcendum & amandum altiori modo eleuamur. *ſecundò* conſideratur Deus in quantum eſt principium & finis rerum naturalium, nam ab eo res vniuerſæ acceperunt *eſſe*, & ad eum ut ad finem naturalem ordinantur, & ſic erit dilectio quà Deum diligimus vt authorem naturæ per inditas nobis vires naturæ.

Dilectio Dei naturalis & dilectio Dei ſupernaturalis ſũt duo actus ſpecie diſtincti.

22. *Nota tertiò*. Hi duo actus v. Dilectio Dei naturalis, & Dilectio Dei ſupernaturalis, ſunt duo actus ſpecie diſtincti. *Probatur*. ſicut enim ratio veri cognoſcibilis, & ratio boni appetibilis in quantum ſunt viribus naturæ proportionata: & eadem ratio veri cognoſcibilis, & ratio boni appetibilis in quantum non ſunt naturæ proportionata, ſed eam excedunt ſunt ſufficientia propter rationes diſtinctas formales vt inducant actus diſtinctos. ita & dilectio Dei ſupernaturalis erit actus diſtinctus ab eo qui eſt naturalis, quia naturale & ſuper naturale ſunt rationes formales ſpecie diſtinctæ.

Dilectio Dei ſuper omnia eſt vnus actus &c.

Nota quartò, Dilectio Dei ſuper omnia (quod quidẽ idẽ eſt, quod placere Deo per omnia & in omnibus. illius amorem rebus creatis præferendo) eſt quidem vnus act ſed virtute res plurimas & difficillimas in ſe cõtinet. *Declaratur*. Qui enim Deum diligit dilectione ſuper omnia naturali, is ad omnia illa mandata Dei ſeruanda quæ ratio dictat tenetur. *Similiter* Qui diligit Deum dilectione ſupernaturali ſuper omnia, is etiam ad omnium mandatorum Diuinorum quæ per reuelationẽ ſunt tradita ad implementionem obligatur Ita enim Saluator docet. *Qui diligit me mandata mea ſeruabit*. Et 1. Ioan. *Qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non ſeruat mendax eſt, qui autem ſeruat verba eius in hoc charitas Dei perfecta eſt.*

Dilectio Dei ſuper omnia in ſe ...

Ex quo collige. quòd dilectio Dei ſuper omnia cõtinet in ſe efficacẽ voluntatem, omnia mandata Dei ardua & difficillima adimplendi. His præmiſſis iam determinatur de hac dilectione ſecundùm tres ſtatus. *primò*. in ſolis naturalibus. *ſecundò* in ſtatu naturæ integræ. *tertiò* in ſtatu naturæ corruptæ.

Homo in puris naturalibus ... modo ... potest.

23. Dico itaq; primò. *Homo in puris naturalibus conſtitutus poteſt quidem aliquo modo*, hoc eſt, *dilectione imperfecta per vires naturæ diligere Deum ſuper omnia, ſed dilectione perfecta nequaquam diligere poteſt, ſine ſpeciali auxilio.*

Actus diligendi ſuper ... duplex.

Nota. quòd actus diligendi Deum ſuper omnia eſt duplex. primus eſt in voluntate inefficaci, vt cùm quis vellet Deum ſuper omnia diligere ſed effectu non præſtare, & hic actus dicitur *velleitas*. *Alter eſt*. in voluntate efficaci & abſoluta quo amam' Deũ ſuper omnia & affectu, & effectu,

& effectu, quia opere adimplemus. *Probatur primò.* Homo in puris naturalibus conditus in primo inſtanti vſus rationis, poteſt per vires naturæ hos actus exercere vt: *quòd velit malum vitare & quòd velit adhærere bono, & quòd velit placere Deo ſuper omnia,* ſed hi actus volendi ſũt imperfecti. ergo per vires naturæ modo imperfecto poteſt diligere Deum *ſecundò* Homo in puris naturalibus poteſt totum facere quod in ſe eſt. ergo quantum in ſe eſt poteſt velle diligereDeũ ſuper omnia. ergo vt ſic habebit actum dilectionis Dei ſuper omnia per vires naturæ. *Alterum probatur.* Homo in puris naturalibus conſtitutus non poteſt per vires naturæ totum bonum naturæ ſuæ proportionatum operari (vt in ſuperioribus probatum) ſed ſi homo talis haberet dilectionem Dei perfectam iam totum bonum naturæ ſuæ proportionatum adimpleret, nam dilectio Dei perfecta includit mandata Dei, vt iam nihil Deo & mandatis eius præponatur, & ſic iã homo poſſet omnia legis mandata implere ſine gratia Dei, quod falſum eſt.

24. Dico ſecundò. *Homo in ſtatu naturæ integræ potuit diligere Deum ſuper omnia dilectione naturali cum ſolo concurſu generali ſed ſine ſpeciali auxilio.* PROBATVR Nomine *naturæ integræ* intelligimus eam quæ ſit ſine peccato & ſine dono gratuito ſupernaturali, & quæ cõformiter regulæ rectæ rationis ſine impedimento appetitus ſenſitiui operari poteſt congruum & cõnaturalem ſibi effectum. ſed dilectio Dei ſuper omnia eſt proportionatus effectus naturæ. ergo poteſt diligere. *minor probatur primò* nam in hoc ſtatu debuit homo diligere Deum ſuper omnia aliàs enim prætermittendo dilectionem Dei non peccaret, nemo enim peccat ſi omittat id ad quod non tenetur. *ſecundò* in ſtatu naturæ integræ habuit homo ſufficientia inſtrumenta ad cognoſcendum Deum vt authorem naturæ, v. habuit dictamen rectæ rationis. ergo etiam habuit inſtrumenta ſufficientia ad amorem Dei ſuper omnia excitandum. *Conſequentia.* Cognitio enim boni in intellectu excitat appetitum in voluntate. ergo cognitio ſupremi boni amorem Dei ſuper omnia in voluntate [illegible] tabit. *Secundò D. Th. probat* vnaquæq; res amat bonũ proprium propter bonum commune totius vniuerſi quod eſt Deus ergo homo in ſtatu naturæ integræ dilectionem ſui deferebat ad Deum, ſimiliter & aliarum rerum dilectionem. ergo Deum ſuper omnia diligebat. *Hoc Dictum* noſtrum oppugnant Alexand. *2. par. 4. quæſt. 3 membro 1. art. 2.* Altiſiodorus *lib. 2. ſuæ Summæ cap. 1 quæſt. 1.* Greg. Capreol. tali ratione, ſi homo ſine ſpeciali auxilio in natura integra poteſt diligere Deum ſuper omnia, vt eſt author naturæ. ergo eundem poterit etiã diligere vt eſt author gratiæ, & vt eſt obiectum beatitudinis ſupernaturalis. *Conſequens* falſum. ergo & *Antecedens. Conſequentia.* Actus amandi Deum vt eſt author gratiæ, eſt actus facilior quã amandi vt eſt author naturæ, nam actus amandi Deum vt eſt author gratiæ, habet plures rationes allicientes ad amandum, quia gratiam & amicitiam Dei habet; *tum* multa dona

Inſtat Alexander cõtra hoc Dictum.

ta dona gratuita quæ ſunt præſtantiſſima ergo multò faciliùs eſt amare Deũ vt eſt author gratiæ, quàm vt author naturæ, ſed dilectio Dei vt eſt author naturæ eſt ſine ſpeciali auxilio. ergo & dilectio Dei vt eſt author gratiæ erit ſine ſpeciali auxilio. *Reſpondeo & dico* quòd in hoc caſu poſſet homo actum dilectionis elicere circa Deum, vt eſt author gratiæ, ob has rationes multas perſuadentes ſed hic actus ſolùm terminaretur ad Deum, vt eſt author gratiæ materialiter non autem formaliter, ſicut enim gentilis aſſenſum in ſe excitat circa articulos fidei ob rationes naturales quæ illi perſuadent, quòd fides nõ ſit rationi repugnans, & hic aſſenſus aliquo modo attingit id quod eſt ſupernaturale, nam ſolùm verſatur circa res fidei materialiter, non autem vt ſunt ſupernaturales, ita dicimus dilectionem Dei ob has rationes ſolùm terminari ad obiectum ſupernaturale materialiter non autem formaliter. ſolùm enim illi declaratur, quòd author gratiæ ſit bonum excellens, & lumen rationis excedẽs, & ſic ſolùm materialiter cognoſcitur.

Ad inſtãtiam Alexandri reſponſio.

Nota quando ſunt rationes quędam naturales & quædam ſupernaturales diligendi, hæ non faciũt vnum obiectum formale, ſed aliud erit naturale & aliud ſupernaturale, vnde ſi obiectum formale fuerit, ſupernaturale iam extrahitur ex latitudine obiecti formalis naturalis, & transfertur ad ordinẽ obiecti ſupernaturalis.

Homo in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt diligere Deum ſuper omnia ſine ſpeciali auxilio gratiæ

25. Dico tertiò. *Homo in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt Deum diligere ſuper omnia ſine ſpeciali auxilio gratiæ*

Probatvr ad Rom. 5. *Charitas*
Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spi-
ritum ſanctum, qui datus eſt nobis. ad
Galat. 5. *Fructus autem ſpiritus eſt cha-*
ritas gaudium, pax &c. & Concil. A-
rauſic. 2. Can. 25 dicit: *Prorſus do-*
num eſt Dei diligere Deum, ipſe vt dili-
geretur dedit, qui non dilectus diligit.
Secundò probatur. S. Scriptura dicit,
quòd *lumine naturali creator à magni-*
tudine creaturæ cognoſcibiliter videri po-
teſt. & eadem docet: *quod veteres*
Deum cognitum non glorificauerunt. er-
go eundem in natura corrupta ſu-
per omnia non dilexerunt, nam
glorificatio Dei eſt ſignum amo-
ris. *Tertia ratio.* ſuperiùs probatũ
eſt quòd homo in ſtatu naturæ cor-
ruptæ non poteſt totum bonum
naturæ ſuæ commenſuratum ad-
implere. ergo neq; poteſt Deũ
ſuper omnia diligere, nam dilectio
Dei ſuper omnia elicit actum effi-
cacem totius boni, & omnium mã-
datorum implendi. *Quarta ratio.*
quia in natura corrupta vigẽt affe-
ctus effrenes ad omnẽ illicitã con-
cupiſcentiam, quia ob peccatum
vt homo ita & affectus eius ſunt
auerſi à Deo, vt meritò dicatur. *Fi-*
lij hominum vſquequo graui corde, vt quid
diligitis vanitatẽ. ergo homo in natu-
ra corrupta ſine ſpeciali auxilio nõ
poteſt diligere Deum ſuper omnia.

Locus … docet.

26 *Sed inſtabis.* Homo in ſtatu na-
turæ integræ poteſt diligere Deum
ſuper omnia (vt iam probatum)
ergo & in ſtatu naturæ corruptæ
poterit ſine ſpeciali auxilio, nam
in vtroque ſtatu eadem eſt natura
humana. *Reſpondeo* quòd ſit eadem.
ſed dico quòd eſt diſcrimen, quia na-
tura integra eſt ſana, natura verò
corrupta eſt infirma. ergo ſicut nõ

Quare ho-
mo in … [illegible]

ſequitur

ſequitur quòd quicquid poteſt homo ſanus efficere per virtutē propriā idē poſſit infirmus, ita non ſequitur quòd quidquid poteſt natura integra idem poſſit corrupta.

Obijcies ſecundò in ſtatu naturæ lapſæ poteſt homo diligere alium ſuper omnia, nam pro patria, pro liberis, homo paratus eſt mori ſine ſpeciali auxilio. ergo multò magis poteſt amare Creatorem vniuerſi tanquam præſtantius bonum. *Reſpondeo negando conſequentiam.* Ideo enim homo pro alio amico aut pro liberis magis paratus eſt ex dilectione mori quàm pro Deo, quia hæc ſenſibilia magis nos afficiunt quia in ſenſus influunt quàm ſpiritualia quæ aſēſibus ſunt remota.

Nota. in hoc ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo viribꝰ naturæ aliquē actum dilectionis Dei imperfectum elicere tanquā erga authorem naturæ. *Probatur.* Ad Rō. 7. *Velle adiacet mihi perficere non inuenio,* hoc eſt, Homo læſus poteſt in ſe excitare quaſdā imperfectas volitiones diligēdi Deū & ſeruādi illius leges, ſed eas ad effectum dedu cere ſine ſpeciali auxilio nō poteſt

27. Dico quartò. *Homo in omni ſtatu conſtitutus non poteſt diligere Deum dilectione ſupernaturali in quantum eſt principium gratiæ & obiectum ſupernaturale nos beatificans ſed indiget ad hoc auxilio ſupernaturali.* PROBATVR. A d Epheſios 6. *Pax fratribus & charitas cum fide, à Deo patre.* 1. Ioannis 4. *Charitas ex Deo eſt ſecunda ratio.* Actus fidei Chriſtianæ non poteſt haberi ſine auxilio ſpeciali gratiæ. ergo nec actus charitatis ſupernaturalis ſine eodem auxilio habebitur. *Tertia ratio.* Actus dilectionis Dei ex concil. Arauſic. eſt donum Dei conferens ad gratiam iuſtificationis conſequendam. Sed gratia iuſtificationis ſine ſpeciali auxilio haberi nequit. ergo nec dilectio Dei ſuper omnia.

An homo poſſit diligere Deum in quantum eſt donum ſupernaturale beatificans &c.

Sed quæres. An homo poſſit diligere Deum in quantum eſt donum ſupernaturale beatificans ſaltim actu imperfecto dilectionis per vires naturæ, ſicut per vires naturæ haberi poteſt aſſenſus ſaltim opinatiuus in myſterijs fidei. *Reſpondeo* negando & dico quòd ſub ea ratione vt Deus eſt bonum ſupernaturale & naturam excedens, nō poteſt per vires naturæ diligi. *Et ratio eſt.* Quia tale obiectum eſt improportionatum voluntati vt ab ea ametur ſicut intellectui noſtro eſt improportionatū vt ab eo Deus ſicuti eſt videatur. ſed ea ratione in quantum inde poteſt quidam conceptus boni in communi abſtrahi ſic quidam affectus imperfectus & inefficax haberi poteſt erga hoc bonum. Sed hic affectus erit humanus ſicut & bonum in communi eſt humanum, ſicut etiam ille aſſenſus opinatiuus circa myſteria fidei non verſatur circa illa vt ſunt ſupernaturalia ſed ſecundùm quandam communem rationē quæ ex rationibus humanis naſcitur, & ſicut hic aſſenſus opinatiuus quia eſt propriè humanus ad iuſtificationis gratiam nihil cōducit, ita neque hæc dilectio quæ fertur in hanc communem rationem quòd Deus vt author gratiæ eſt, ſummū bonum ſupereminens naturam excedēs, cum ſit affectus humanus nihil confert ad iuſtificationem conſequendam.

QVÆ-

QVÆSITVM V.

An homo ſine Gratia per ſua naturalia poſsit legis præcepta implere?

Errores hæreticorum duo.

28. Dvplex hic negotium, *Primum* cum Hæreticis, *Alterum* cum Catholicis quid v. in hoc Quæſito ſentiendum QVANTVM *ad primum* Duo ſunt errores

Primus error Pelagianorum.

primus Pelagianorum qui tenent quòd homo etiam in ſtatu naturæ corruptæ poteſt cum ſolo generali concurſu omnia præcepta tam naturalis quàm ſupernaturalis ordinis, & quo ad ſubſtantiam, & quo ad modum implere ſine actuali auxilio gratiæ. ſed hæc ſumma eſt impietas & cõdemnata in concilio Arauſic: 2. Mileuitano. Trident: ſeſſ: 6 *Et ratio eſt* Matt: 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata,* vita æterna eſt finis, media illius ſunt obſeruatio mandatorum. ſed media & finis debent eſſe proportionata & eiuſdem ordinis, & cum vita æterna ſit finis ſupernaturalis ergo & obſeruatio mandatorum erit medium ſupernaturale. ergo impleri non poſſunt ſine ſpeciali auxilio

Secundus error Lutheranorum & Caluiniſtarum.

gratiæ ſupernaturali; *sacunda eſt* Hæræſis Lutheranorum & Caluiniſtarum, hi audent affirmare quod etiam cum auxilio ſpeciali non poteſt homo mandata legis implere, vnde in hoc ſtatu vitæ dicunt eſſe impoſſibilem mandatorum impletionem, ſed hic error tãquã falſus in Concil. Trident: ſeſſ.6. cap. 19. condemnatus eſt. *Si quis dixerit Dei præcepta etiam homini iuſtificato & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandu impoſſibilia, anathema ſit.* Et D. Auguſt. lib. de natura & Gratia cap. 43. inquit. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Tum ſacra ſcriptura dicit Deuteronomi 30. *Quòd mandata legis non ſunt ſupra nos neq; procul à nobis poſita, neq; in cœlis ſita, ſed eſſe in manu cuiuſlibet noſtrum.* Et Matt. 11. dicitur. *Iugum meum ſuaue eſt & onus meum leue. Deniq;* obſeruatoribus legis Diuinæ promittitur vita æterna. ergo præcepta legis impleri poſſũt ab homine cum auxilio ſpeciali.

Sed inſtant. *Diliges Dominum Deum ex toto corde & ex tota anima &c.* Hoc implere in hac vita prorſus impoſſibile. *Reſpondeo* hoc præcepto ſolùm obligari hominem ad diligendum Deum appretiatiuè, hoc eſt, ſi duo obiecta amanda De° & creatura ſimul occurrerent tenetur homo in hoc caſu ſi vult hoc præceptum appretiatiuè implere ob amorem Dei creaturam poſthabere & creatorem præponere ſed non obligatur ad imlendum intenſiuè cũ multa ſint in hac vita quæ homini ſunt impedimento vt corpus, concupiſcentia. &c.

29. QVANTVM ad ſecundum *quid de quæſito cum Catholicis ſentiendum.*

Homo in ... naturæ integræ po... cum ſo... concurſu generali o... præce... legis ... ad ſub... ad... ...ere.

dum. Dicò primò, quo ad ſtatum naturæ integræ *quòd homo in eo ſtatu conſtitutus potuit cum ſolo concurſu generali ſine auxilio ſpeciali omnia præcepta legis quo ad ſubſtantiam ad implere.* Ita hic D. Th. *art 4.* & illius interpretes Soto *lib: 1. de natura & Grat. cap 22* & alibi. *probatur.* In hoc ſtatu naturæ integræ habet homo naturam in ea integritate & perfectione quòd caro & illius concupiſcentia ſubeſt regimini rationis. ergo præcepta legis naturalis potuit implere.

Secunda ratio. Homo in eodem ſtatu habuit vim eliciendi actum ſibi conuenientem & proportionatum. ſed obſeruatio præceptorum Decalogi eſt actus proportionatus naturæ operanti in ſtatu naturæ integræ quia vti actus naturæ integræ ſunt naturales, ita præcepta Decalogi ſunt ordinis naturalis. *tertia ratio.* Ideo Concilia & Patres fatentur quòd homo in ſtatu naturæ integræ non poſſit implere totam legem naturalem quia (vt Concil: Arauſicanum *2. can. 2. dicit*) Liberum arbitrium primi hominis per peccatum fuit attenuatum & inclinatum. ſed in ſtatu naturæ integræ non fuit attenuatum n.cinclinatum. ergo potuit implere præcepta Decalogi.

Quidam recentior ad hoc argumentum dicit: quòd in natura integra hoc ſpeciale auxilium ideo fuit neceſſarium vt ſe homo determinaret ad operandum, homo enim cum ſit liber ideo & indifferẽs vnde indeterminatus ad bonũ & malum. ergo præter generalem concurſum indiget ſpeciali auxilio per quod determinetur.

30. *Sed contra hoc dico,* quòd hoc auxilium ſpeciale non eſt ſimpliciter neceſſariũ ad determinandũ nam homo in ſtatu naturæ integræ habuit ab authore naturæ inditum ſibi liberum arbitrium cum ſufficienti efficacia ad operãdum. ergo etiam ad determinandum, nam operatio præſupponit determinationem. *Sed iterum* Capreol⁹ *in 2. diſt: 29. quæſt: 1. art. 1.* Gregorius ibidem Vaſquez vrgent verbis Concilium Arauſicanum *2. can. 19. Natura humana etiamſi in illa integritate in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſe ipſam creatore non adiuuante ſeruaret.* Loquitur Concilium de natura integra & affirmat quod in ſua integritate non poterat ſe ſeruare, ſcilicet à peccato & requirit adhoc auxilium Creatoris. *Reſpondeo* Loqui Concilium de integritate hominis data illi in creatione v. loquitur de iuſtitia originali cum donis ſupernaturalibus fidei, ſpei, charitatis & gratum facientis quę quidem hominem perficiebant nõ ſolùm in ordine ad finem naturalem, ſed etiam ad ſupernaturalem, vnde mirum videri non debet ſi affirmat quòd in hac integritate non potuit homo diu perſeuerare ſine ſpeciali auxilio nos autem loquimur de integritate quæ ordinat hominem ad ſolum finem naturalem, quem cum ſolo concurſu generali potuit conſequi.

Reſpõſio ad inſtantiam.

Inſtantia Capreoli.

Tertiò inſtat. ſi homo in ſtatu naturæ integræ poteſt ſine ſpeciali auxilio præcepta legis implere. ergo etiam ſine ſpeciali auxilio poterit ſe præparare ad gratiam iuſtificantem. quod eſt falſum. *Conſequẽtia*

Inſtãtia tertia.

tia Matt. 19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* ergo obſeruatio mandatorum dat ingreſſum ad vitam. ergo etiam dat iuſtificationem, nam iuſtificati vitam æternã ingrediuntur. *Reſpondeo* negando conſequentiã, quia ſecundùm ſuppoſitionem à principio factam loquimur de natura integra quæ implet præcepta Decalogi cum ſolo concurſu generali ſine ſpeciali. vnde hæc obſeruatio mandatorum eſt merè naturalis, iuſtificatio autẽ eſt ſupernaturalis, iam autem id quod eſt naturale, non diſponit ad ſupernaturale.

Quid eſt implere præcepta quo ad ſubſtantiam & quo ad modum?

Nota quid ſit implere præcepta quo ad ſubſtãtiam & quo ad modum: per *ſubſtantiam operis* intellige ipſum exercitium actus præcepti vt quòd poſſit ieiunare, eleemoſynam dare, &c. per *modum* intellige, vt actus præcepti ſint cum debitis circumſtantijs maximè ex charitate, & ſic quoad modum ſine ſpeciali auxilio impleri non poſſunt.

Homo in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt per vires naturæ ſine ſpeciali auxilio omnia præcepta legis naturalis obſeruare, &c.

31. Dico ſecundò. *Homo in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt per vires naturæ ſine ſpeciali auxilio omnia præcepta legis naturalis obſeruare quoad ſubſtantiam operis.* PROBATVR ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, &c. Infelix ego homo quis me liberabit? gratia Dei, &c.*

Ex quo collige primò, quod per *legẽ quæ eſt in membris,* intelligit concupiſcentiæ & motuum inordinatorum rebellionem: *ſecundò* ideo appellat *legem,* quia inſtar cuiuſdam legis vehemẽter mouet & impellit. *tertiò.* hunc vehementem impulsũ innuit dicens: *Captiuantem me in lege peccati*: *quartò* fatetur infirmitatem, quòd nullum in viribus naturæ præſidium habeat cùm exclamat: *Infelix ego homo quis me liberabit? &c.* & ſubiungit: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* ergo Gratia Dei in natura corrupta ad impletionem mandatorum neceſſaria.

Secundò probatur. ad obſeruationem mandatorum omnium requiritur naturæ ſanitas & integritas, ſed hæc non poteſt haberi in ſtatu naturæ corruptæ, quia iam non eſſet natura corrupta ſi eſſet ſana. *Tum* ſi homo cõſtituatur in gratia iuſtificante nihilominus ſentit homo deordinationem partis ſenſitiuæ, quæ hominem ſolicitat & inducit ad operandum contra legem mentis & Dei. ergo ad obſiſtendũ illi requiritur ſpeciale auxilium.

32. Dico tertiò. *Homo in natura corrupta poteſt ad breue tempus aliqua præcepta legis naturæ qualia ſunt Decalogi implere viribus naturæ. at in longiori non poteſt quia incidunt vehementes tentationes, quæ difficulter ſine ſpeciali auxilio ſuperari poſſunt.* PROBATVR Sapien. 8. *quia ſcio quòd nemo poteſt eſſe continens niſi tu dederis. & non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus ſpiritus tenebrarum.* ergo ad hos tam potentes ſuperandos hoſtes requiritur ſpeciale auxilium.

Inſtantia.

Sed inſtabis. poteſt homo in exiguo tempore aliqua præcepta implere. ergo etiam poterit in longo tempore. *Conſequentia* quia actus præcedentes diſponunt ad ſequentes, & gignunt habitum qui facit opus cũ facilitate. *Reſpondeo* quòd hoc argumentum haberet probabilitatem, ſi cætera eſſent paria. ſed

ſed omnia non ſunt hic paria, nam in longo tempore ſunt grauiſſimæ tentationes & perturbationes quę in paruo tempore non fiunt. vnde præcedentes ad has ſequentes non diſponunt. *Tum* quia in longo tēpore obiecta ardua difficilia occurrunt, quæ in præcedentibus nō erant. *Tum* quòd homo non ſemper eodem modo eſt affectus, ſed mutatur in horas, & ſi aliquanto tempore viribus naturæ in aliquo labore durauerit ſtatim languet, vnde ad perſeuerandum indiget auxilio Dei.

Sed quæres quid cauſæ quòd dicatur homo, poſſe aliqua præcepta ſeruare, ſed non omnia. *Reſpondeo* in cauſa eſſe conditionem humanam. nam auxilium gratiæ Diuinæ mouet liberum arbitrium ſecundū conditionem naturæ humanæ. ſed hæc eſt conditio illius quòd in certo tempore poteſt adhibere diligētiam, ſed pro omni non poteſt propter varia negotia quibus homo implicatur tum ob laſſitudinem membrorum quibus in operando animal vtitur.

Quæres ſecundò quæ ſit cauſa auxilij ſpecialis? *Reſpondeo* quia liberum arbitrium maximè in natura corrupta eſt defectibile, quia eſt ex nihilo, vnde neceſſariò debet deficere, niſi diuinitus adiuuetur. ſed cum neceſſariò deficit, liberè tamē deficit, quia hæc neceſſitas eſt ſuppoſitionis quæ non tollit libertatem, ſicut cùm ego nunc lego, ſuppoſito quod lego, iam neceſſariò lego, & tamen liberè cùm deſiſtere poſſim.

33. Dico quartò, *Nullum præceptum Diuinum quo ad modum v. vt ex charitate fiat & ſit meritorium vitæ æternæ, ſine auxilio ſpeciali impleri poteſt.* PROBATVR Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Per hunc *fontem ſalientem* intelligit gratiam & charitatem, ex qua impletio legis & merita, & ipſa vita æterna manat. Et Geneſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius* ideo prius ad Abel, quia perſona offerens Sacrificium Deo, debet eſſe Deo grata & chara ergo quoad modum requiritur ſpeciale auxilium.

Dico quintò *hoc auxilium gratiæ neceſſarium ad impletionem præceptorum duo in ſe includit*: primò *gratiam habitualem*: ſecundò *auxilium actuale ſpeciale*, & gratia habitualis eſt emundans à peccatis & iuſtificans, & eſt cū habitibus infuſis fidei, ſpei, charitatis, & gratiæ gratum faciētis, & hæc potentias animæ reddūt efficaciores ad operandum, ſi enim habitus acquiſiti hoc conferunt, quantò magis infuſi, ſed quia hæ vires adhuc ſunt infirmæ, idcirco opus habēt auxilio actuali promouente ad agendum. Et hæc gratia habitualis eſt de lege Dei ordinaria conditio requiſita ad hoc vt auxilium ſpeciale haberi poſſit, vt ſic potentiæ animæ ad vitæ opera meritoria vitæ æternæ efficaciter operari poſſint. *Non negamus tamen* quod loquendo de potentia abſoluta poteſt Deus homini in peccato mortali exiſtenti dare hoc auxilium ſpeciale quod ſit requiſitū ad impletionem omnium mandatorum quamuis de lege ordinaria non ſoleat dare, niſi præſuppoſita gratia habituali. Ita communiter tenent Henriquez *quodlib. 5. quæ. 20.* Richard *in 2. quæſt. 18. art. 7. quæ. 2.*

Auxilium gratiæ neceſſariū ad impletionē præceptorū quæ in ſe includat?

Caiet. Conrad. & alij interpretes. ita Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 13. *Deus ſemel iuſtificatos non deſerit niſi ab eis primò deſeratur.* Tandem quòd hi iuſtificati per gratiam habitualem accipiant à Deo auxilium ſpeciale. ſic loquitur: *Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum ita perficiet operans velle & perficere. Et ratio eſt.* homo per peccatum prius quoad mentem deordinatus erat, quàm quoad partem ſenſitiuam. ergo etiam prius quoad mentem ſanari debuit, & hoc fit per gratiam habitualem, & tandem quo ad partem ſenſitiuam, & hoc fit per auxilium ſpeciale quod appetitum ſenſitiuum refrenat ne mentem impediat in mandatorum Dei impletione. ergo conueniens videtur, vt gratia habitualis præſupponatur ad receptionem auxilij ſpecialis.

Hoc auxilium ſpeciale actuale cuiuſnã ſit ordinis?

34. *Sed quæres* hoc auxilium ſpeciale actuale cuiuſnam ſit ordinis. *Reſpondeo* quòd quidam recentior vult eſſe omnino ordinis naturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & nihilominus eſſe gratiam, quia illud Deus ex ſua miſericordia conſtituit nobis dare. *Sed dico* veriùs eſſe vt dicamus quòd hoc auxiliũ actuale eſt de facto & re ipſa ſupernaturale, & quamuis impletio mandatorum ſit ordinis naturalis, tamen quia homo in ſtatu naturæ corruptæ eſt obligatus ex Dei ordinatione ad obſeruandum mandata Dei ſub mortali. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* idcirco impletio mandatorum ordinatur ad finem ſupernaturalem. ergo & auxilia quæ dantur à Deo ad hoc vt efficaciter impleantur erunt ſupernaturalia. nam media & finis eiuſdem ordinis eſſe debent. *Deniq;* quia hoc auxilium quod hic recentior negare non poteſt, datur propter merita Chriſti, & ordinatur ad finem redemptionis noſtræ quæ eſt ſupernaturalis. ergo eſt ordinis ſupernaturalis.

QVÆSITVM VI.
An homo ſine Gratia poſſit promereri vitam æternam?

35. DE hoc Quæſito in præſenti breuiter dicimus, reſeruantes illud ad Diſputationem quæ erit de merito. vnde pro determinatione Dico. *homo ſine gratia non poteſt mereri vitam æternam.* PROBATVR ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sẽſus verborũ quòd nos, non noſtræ vires nec merita, ſed miſericordia Dei ad vitam æternã perducat. *ſecundò* Nulla res poteſt producere illum effectum qui illius facultatem excedit. ſed vita æterna eſt effectus excedens vires naturæ humanæ. ergo virib' naturæ nemo eã poteſt aſſequi: *tertiò* ad vitam æternã conſequendam requiruntur dilectio Dei ſuper omnia, & impletio mandatorum Dei. ſed hæc haberi non poſſunt in natura corrupta ſine ſpeciali auxilio

Homo ſine gratia non poteſt mereri vitam æternam.

xilio (vt iam probatum.) ergo nec vita ſine ſpeciali auxilio habebitur. *Nota* quòd poſſit homo per vires naturæ operari opera moralia quæ illi conferunt ad bonũ naturale, vt ædificare, plantare, amicos parare.

...homo vires na... opera... poteſt?

QVÆSITVM VII.

An homo ſeipſum ad gratiam præparare poſsit per ſeipſum ſine auxilio Gratiæ exteriore?

36. PRimò reijciemus duas hæreſes. tandem determinabimus veritatem Quæſiti.

Dico primò. *Lutheri eſt dogma perniciosum*, quòd homo ſi faciat quod in ſe eſt ad conuertendum ſe ad Deum mortaliter peccat. *&* ſi homo peccator ſecum peccata recogitet, & de his ſi velit conteri quòd magis peccet. *Fundamentum eius.* quia liberum arbitrium per peccatum eſt penitus exſtinctum, & eſt res de ſolo titulo ſeu eſt titulus ſine re. ſed quod hoc ſit falſum probatur Scripturæ locis 1.Reg.7. 16. *Præparate corda veſtra Deo.* Prouerb. *Hominis eſt præparare animam.* Et *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* & *Hieruſalem quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Ex quib⁹ collige quod Deus tribuit libero arbitrio præparationem, conuerſionem, mollitionem conuerti ad Deum. ergo tribuit libero arbitrio operationem. ergo non eſt res de ſolo titulo.

Sed inſtabis. Arauſic. Concil. dicit quòd Deus non exſpectet noſtrum conſenſum, vt nos conuertat. ergo nec exſpectat noſtram præparationem. *Reſpondeo* ideo dicit Concil. Deum non exſpectare noſtrum conſenſum, vt declaret quòd nos non præuenimus Deum, ſed ille ſua gratia nos præuenit cõferendo libero arbitrio vt conſentiat.

37. Dico ſecundò. *Error eſt Pelagij, quòd homo ex viribus naturæ poſſit ſe præparare ad gratiam de condigno cui veritatem Catholicam opponimus, quòd nemo viribus naturæ ſuæ poteſt ſe præparare ad gratiam iuſtificantem, ſed ad hoc auxiliũ ſpeciale requiritur.* PROBATVR. quia gratia (vt primo Quæſito deduximus) non datur ex meritis, quia ſi ex meritis iam non gratia, ſed debitum eſt, ſiquidem ei qui non operatur merces non imputatur ſecundùm debitum ſed ſecũdùm gratiam. Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum.* Hoc verbum *traxerit* ſignificat quòd voluntas noſtra nullo modo gratiam Dei præcedit, nemo enim dicitur trahi qui ad id ducitur quod volebat, ſed trahitur vt velit quod videbatur nolle, & hæc tractio non vim ſed voluptatem includit. *Deinde* 1. Corinth. 4. *Quis te diſcernit*, v. quod non ſis in numero reproborum? dices mea fides, mea bona opera: reſpondet Apoſto-

Error Pelagij.

Nemo viribus naturæ ſuæ poteſt ſe præparare ad gratiam iuſtificantem.

Tractio.

poſtolus *Quid habes quod non accepiſti, & ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis.*

Hæreſes quid intendant?

Nota hæ duæ Hæreſes hos fines intendunt, Pelagius ita vult extollere liberum arbitrium, vt penitus gratiam tollat. Lutherus vt gratiã adſtrueret exſtinxit liberum arbitrium, Fides Catholica in iuſtificatione impij & gratiam & liberũ arbitrium concurrere confitetur, ſed gratiæ primas libero arbitrio ſecundas tribuit.

Gratia ſine meritis homini datur.

38. Dico tertiò. *Eſt igitur doctrina Catholica quòd gratia ſine meritis homini datur, & ad hanc habendam liberũ arbitrium per auxilium ſpecialis gratiæ à Deo diſponitur.* ita Apoſtolus *Gratia Dei ſum, id quod ſum.* & *Gratia eius in me vacua non fuit.* & Concil. Trid. declarat in multis locis quòd iuſtificatio in adultis ſumit exordium à gratia præueniente, v. à Dei vocatione, qui homines peccatores à ſe auerſos ad ſemetipſum conuertit per gratiam excitantem & adiuuantem vt homo conuertatur.

Bonum duplex ad quod fit præparatio voluntatis humanæ.

Pro intelligentia nota ex S. Doctore. Duplex eſt bonum ad quod fit præparatio voluntatis humanæ: *primum* eſt viſio ſeu fruitio Dei, & ad hoc conſequendum requiritur gratia habitualis, nam hæc eſt principium actionum meritoriarum fruitionis Dei: *ſecundum* bonum eſt gratia habitualis ad quam obtinẽdam homo præparatur non iam per aliquod donum gratiæ habitualis, quia ſic daretur proceſſus in infinitum, ſed per donum gratuitũ Dei interiùs mouentis intellectum quidem per illuminationem, voluntatem verò per inſpirationem piè afficiendo ad illud ſequendum quod in intellectu relucet. *Huius auxilij neceſſitas probatur.* omne agens conuertit ſuum effectum ad proprium finem qui ſit ſibi conueniẽs. ſed Deus eſt primum mouens & idem finis ſupernaturalis. ergo ex motione ipſius Dei eſt quòd omnia in ipſum conuertantur vt ad ſummum bonum. ergo & homo ſi cõuertitur ad Deum hoc non fit niſi ex motu gratiæ præueniente.

39. *Nota ſecundò ex Medina* quòd diſpoſitiones ſunt triplices: *quædam ſunt perfectæ* eædemq; vltimæ, ad quas immediatè & infallibiliter ſequitur gratia, vt cùm quis pœnitet de peccatis efficaciter propter Deum cum propoſito in poſterum honeſtè & piè viuendi, & ad hoc ſequitur efficaciter gratia ſecundũ illud: *In quacunq; hora ingemuerit peccator amplius iniquitatum eius non recordabor. quædam ſunt imperfectæ*, ad quas non ſequitur infallibiliter gratia, vt cùm Deus peccatori immittit metum gehennæ, ita vt incipiat ſed per deſideria imperfecta velle aggredi viam iuſtitiæ, & huic non ſtatim infunditur gratia: *quædam verò ſunt impropriæ*, v. bona opera moralia quæ homo in ſtatu peccati operatur, vt cùm dat eleemoſynam, & vnicuiq; quod ſuum eſt tribuit. His notatis

Dico quartò. *quòd hæc diſpoſitio vltima v. contritio & dolor de commiſſis peccatis efficaciter propter Deum non eſt ex viribus naturæ, ſed ex dono gratiæ.* Probatvr diſponere ſe ad gratiam eſt animum à peccatis auertere, & ſe in Deum conuertere: ſicut qui eſt auerſus à ſole dicitur ſe ad illuminationem recipiendam diſponere ſi faciem ad ſolem conuertat, ſed

ſed talis conuerſio non fit ſine auxilio gratiæ. Pſal. 79. *Deus virtutum conuerte nos.* & Thren. 5. *Conuerte nos Domine & conuertemur.* ergo non fit ſine auxilio gratiæ. *Ratio ſecunda.* Diſpoſitio ad gratiam eſt initium & bona pars noſtræ ſalutis, ſed hoc initium ſalutis non eſt ex nobis, teſte D. Paulo. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis.* ergo ex gratia Dei. *Ratio tertia* ſecundùm D. Th. Iuſtificatio noſtra & prædeſtinatio ita eſt in manu Dei ſicut lutum in manu figuli, ſed figulus ſic habet lutum in poteſtate, vt ex eo priùs emolito & præparato faciat vas in honorē. ergo & præparatio ad gratiam eſt à Deo. *Ratio quarta.* Vltima diſpoſitio ad gratiam eſt ſimul cum gratia, & inde meritum vitæ æternæ naſcitur, ſed gratia & meritum non ſunt ex viribus naturæ ergo nec diſpòſitio.

40. Dico quintò *Diſpoſitiones imperfectæ quæ noſtram præcedunt iuſtificationem ſunt ex gratia Dei.* PROBATVR. ſicut enim calor vt octo cum tali raritate & ſiccitate qui eſt vltima diſpoſitio, ita etiam calor vt tria cum tali raritate & ſiccitate, qui eſt imperfecta diſpoſitio, eſt ab vno & eodem igne agente, ita quòd non ſolùm contritio de peccatis efficaciter ob amorem Dei quæ eſt vltima diſpoſitio, ſed etiam dolor de peccatis ob metum gehennæ quæ eſt diſpoſitio imperfecta erit à Deo. Hoc tamen eſt diſcrimen inter Agens naturale & ſupernaturale. quòd agens naturale nunquam inducit formam niſi mediantib⁹ diſpoſitionibus imperfectis, hoc ideo quia eſt finitæ virtutis. Agens verò ſupernaturale quia eſt infinitæ virtutis poteſt ſubitò hominem iuſtificare ſine diſpoſitionibus imperfectis, vt contingit in conuerſione D. Pauli & Magdalenæ.

Dico ſextò. *Opus moraliter bonum quod facit homo in peccato exſiſtens viribus naturæ deſtitutus gratia, nullo modo poteſt dici propriè diſpoſitio ad gratiam, niſi fortè quod ſit remota.* PROBATVR. ſicut ſe habet ſiccitas in ligno, ita opus moraliter bonum in peccatore. ſed ſiccitas in ligno non eſt diſpoſitio propria, quia non prouenit ab agente naturali, v. ab igne inducente formam ignis. ergo nec opus moraliter bonum erit propriè diſpoſitio, nam non procedit à cauſa ſupernaturali inducente formam gratiæ Et ſicut ſiccitas in ligno eſt impropriè diſpoſitio, quia eſt potentia paſſiua. ita & op⁹ morale quod facit peccator erit ſolū potentia paſſiua.

Opus moraliter bonum &c. nullo modo poteſt dici propriè diſpoſitio ad gratiam &c.

41. Addo ad Dictum. *quòd hæc opera moraliter bona non ſunt meritum de congruo primæ gratiæ.* PROBATVR ad Epheſ. 2. *Gratia Dei ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis.* at opera moralia ex nobis. ergo non ſunt meritum de congruo. D. Aug. Ser. 15. in hæc verba; *Non ex operibus* (inquit) *ne fortè dicas* promerui, & ideo accepi, *non putes te promerendo accepiſſe, qui non promereres niſi accepiſſes, gratia præceſſit meritum tuum, non gratia ex merito ſed meritum ex gratia.* Et inferiùs inquit: *Pro nihilo ſaluos facies illos.* Quid eſt *pro nihilo ſaluos facies?* nihil in eis inuenis vnde ſalues? & tamen ſaluas, omnia merita præcedis, vt dona tua conſequantur merita. Et nihil inuenis vnde ſalues, & multùm inuenis vnde damnes. *Ratio ſecunda.* ex puris natura-

Opera moraliter bona non ſunt meritū de congruo primæ gratiæ.

Verba pulcherrima D. Auguſtini.

naturalibus non habetur diſpoſitio ad gratiam. ergo nec meritum de congruo primæ gratiæ. *Conſequentia* quia maius eſt meritum quàm diſpoſitio. ergo ſi diſpoſitio tanquam minus viribus naturæ non conuenit. ergo nec meritum de congruo. *Ratio tertia.* meritum & debitum ſunt correlatiua ſed prima gratia iuſtificans excludit debitum ad Rom. 4. *Si ex debito non eſt gratia.* ergo & meritum excludit. *Ratio quarta.* homo in puris naturalibus nullam aptitudinem habet ad producendam gratiam iuſtificantem, nec per modum agentis Phyſici, ſiquidem gratia eſt effectus ſupernaturalis excedens vires cauſæ Phyſicæ, nec per modum agentis moralis v. merendo impetrandæ, nam humana natura per peccatum eſt inimica Dei & indigna, vt beneficium Dei experiatur.

Obiectio Scoti. *Sed vrget Scotus* quòd niſi detur meritum de congruo primæ gratiæ iuſtificantis difficile erit ſaluare quòd Deus non ſit acceptor perſonarum. *Reſpondeo* cum D.Aug. quòd in hominibus iuſtificandis non eſt acceptio perſonarum, quia eſt merè opus gratuitum, de quo dicitur: *An non licet mihi facere de meo quod volo? An oculus tuus nequam eſt quoniam ego bonus.* Ad Rom 9 *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, non enim eſt volentis neq; currentis ſed miſerentis Dei qui dicit* : Miſerebor cuius miſereor. *Rurſus dices.* ergo hæc gratia erit fatum quod cæco impetu fertur. *Reſpondeo* non eſſe fatum ſed eſſe opus gratuitum, quod Deus ex ſua miſericordia & pro ſuo beneplacito certa ratione diſpenſat.

Altera obiectio.

42. *Inſtabis tertiò.* dicitur in S.Scriptura : *Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos.* & Pſal. 80. *Dilata os tuũ & implebo illud.* ergo eſt quædam inchoatio in homine ad quam nos Deus inuitat, quam poſtea ſequitur gratia. *Reſpondeo* hæc loca & alia his ſimilia hoc ſolùm docẽt, quòd in iuſtificatione liberum arbitriũ noſtrum non eſt inſtar trunci aut lapidis, ſed habet ſuam cooperationem, nam qui creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. & hæc operatio liberi arbitrij non niſi à gratia excitante & adiuuante præuentum conuerſionem operatur. Tertia obiectio.

Ex hoc collige, quòd donum iuſtificationis fit & à gratia Dei, & à voluntate humana. ſed gratia præcedit voluntas verò famulatur illi & illa roborante operatur. vnde dicitur. *Dilata os tuum.* Et rurſum. *Domine labia mea aperies.* Et *Intelligite inſipientes.* Et *Da mihi intellectum.* Donum iuſtificat fit & à gratia Dei & à voluntate humana.

Rurſum dices. Patres antiqui de congruo ſuis orationibus meruerunt Chriſti incarnationem. ergo promeruerunt primam gratiam. *Reſpondeo.* negando conſequentiam. Quia Patres antiqui non meruerunt Chriſtum vt cauſam efficiẽtem ſuæ gratiæ. *Et ratio eſt.* Quia cauſa efficiens non operatur antequam ſit iam autem certum eſt quòd ante Chriſti aduentum collata fuit Patribus gratia, gratis ex præuiſis meritis Chriſti tanquam ex cauſa finali. ergo meruerunt quidem de congruo incarnationem Chriſti ſed non vt cauſam efficientem & ideo nec primam gratiam meruerunt. Obiectio.

43. *Inſtabis quartò* Verbis Euangelij Inſtantia.

gelij quibus Chriſtus compellat infirmos. *Quid vis vt faciam tibi.* Et iterum. *Vis ſanus eſſe.* Ergo non dat gratiam niſi præcedat in nobis deſiderium. *Reſpondeo.* ex his verbis hoc ſolùm colligitur quòd Deus ſanitatem iuſtitiam homini non confert niſi eius voluntate cooperante, ſed minimè quòd voluntas per vires naturæ operando ſuum deſiderium gratiam mereatur & quòd deſiderio ſit dedita.

Inſtabis quintò Videtur eſſe conueniens quòd qui magis in moralibus actionibus peccatores connituntur quòd hi magis digni ſunt gratia Dei his qui vitijs ſunt dediti. *Reſpondeo.* quòd Deus auxilia gratiæ non confert ob maiorem conatum liberi arbitrij ſed ex ſua gratuita & miſericordi voluntate. *Probatur.* Hæc omnia operatur vnꝰ atq; idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult. ergo non ex conatu naturali quem homo declarat operando opera moraliter bona. Et ad Epheſ: 4. *Vnicuiq; noſtrum data eſt gratia, ſed ſecundum menſuram donationis Chriſti*, ſi menſura gratiæ ex donatione Chriſti prouenìente ex miſericordia. ergo non ex menſura operũ moralium. *Tandem.* Quia conatus omnes naturales & opera moralia quæ ex viribus tantum naturæ procedunt nullum dicunt ordinem ad gratiam quia ſunt diuerſi ordinis. *Deniq;* ſequeretur ꝙ homo vtendo bene bono naturæ quod illud Deus ſua gratia promoueat vt ſit ſupernaturale. ſed hoc falſum. Deus enim prius natura influit in potentiam eamq; mouet vt ſic mota auxilio gratiæ actus ſupernaturales producat, ſed in actus ipſos vt in cogitationem & cognitionem credendorum non influit niſi (vt dictũ) mediãte potentia. ergo ex naturalibus non facit actus ſupernaturales.

44. *Sed vltimo inſtabis* adferendo illud. *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam.* nam Matt. 7. dicitur. *quòd Deus dat Spiritum bonum petentibus ſe.* Sed qui facit id quod in ſe eſt, facit ex viribus naturæ. ergo per eas ad gratiam poterit ſe præparare. *Reſpondeo.* cum D.Th. *hic art: 6. ad 2.* ſenſum axiomatis ita eſſe verum facienti quod in ſe eſt in quantum v. aliquis motus à gratia Dei præueniente facit quod in ſe eſt, & huic Deus non denegat gratiam, non tamen ex aliqua lege aut pacto ſed ex miſericordi beneplacito volũtatis ſuæ. Et 3. *contra gentes cap. 149.* probat. quòd auxilium gratiæ non poſſit homo conſequi virtute propria nullum enim agens particulare poteſt vniuerſaliter præuenire actionem primi & vniuerſalis agentis, cò, quòd omnis actio agentis particularis originem habet ab agente vniuerſali, ſicut in iſtis inferioribus omnis motus præuenitur à motu cæleſti. ſed anima humana ordinatur ſub Deo, ſicut particulare agens ſub vniuerſali. ergo impoſſibile eſt eſſe aliquem rectũ motum in ipſa quem non præueniat actio Diuina.

Quomodo intelligendum illud Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam?

QVÆSITVM VIII.

An homo poſſit reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ?

Homo ad hoc vt reſurgat à peccatis indiget & infuſione gratiæ iuſtificantis & c.

45. DIco. *Certũ eſt quòd homo ad hoc vt reſurgat à peccato indiget & infuſione gratiæ iuſtificantis, & Dei motione interiori.* PROBATVR. Omnes peccauerũt, & egẽt gloria Dei. Ad Hebr. 9. *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Oleæ 13. *Perditio tua ex te tantùmmodo in me auxilium tuum.* Matth. 1. *Ipſe ſaluum faciet populum à peccatis eorum.*

Ex quo collige quòd reſurgere à peccato indiget remiſſione peccatorum, & remiſſio non fit ſine Saluatore & illius gratia. *Ratio ſecunda* Iuſtificatio non aliud eſt quàm tranſitus à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. ſed ſtatus gratiæ excedit ſtatum naturæ. ergo non reſurget à peccato niſi ſit ſuffultus dono gratiæ. *Ratio tertia* D. Th. reſurgere hominem à peccato non ſolùm in eo conſiſtit, vt ab actu peccati ceſſet, ſed etiam vt ea reparare poſſit quæ amiſit. ſed homo peccando triplex detrimentum incurrit: *primò* maculam inquantum priuatur decore gratiæ debitæ ineſſe: *ſecundò* incurrit corruptionem naturalis boni, in quantum voluntas hominis non ſubijcitur Deo, quo ordine ſublato ſequitur, quod tota natura humana inordinata maneat: *tertiò* incurrit reatum pœnæ in quantum qui peccat mortaliter meretur pœnam æternam. ſed nihil horum ſine auxilio gratiæ reparari poteſt, nam macula per infuſionē gratiæ habitualis deletur, voluntas itidē fit Deo ſubiecta cũ à Deo trahitur, nã ſicut rectitudo ante peccatũ originaliter eſt à Deo, quia Deus ab initio fecit hominē rectum, ita hæc amiſſa nõ poteſt reſtitui niſi à Deo. *Deniq;* reatus pœnæ æternæ à nullo dimitti poteſt niſi à ſolo Deo, in quē commiſſa eſt offenſa, & qui eſt iudex hominum. ergo reſurgere à peccato non poteſt peccator niſi auxilio gratiæ adiutus.

QVÆSITVM IX.

An homo ſine gratia poſſit non peccare?

46. PRimò veritatem Quæſiti determinabimus quoad ſtatum naturæ integræ. *ſecundò* quoad ſtatum naturæ corruptæ. *ſed illud* primò quoad Hæreſes breuiter.

Nota tres fuiſſe: *prima eſt* Manichæorum, qui in nobis malā men-

tem à Deo malo productam conſtituebant, quæ hominem ad malũ ſolicitat. *altera eſt* Lutheri, qui aſſerit naturam per peccatum adeò eſſe corruptam, vt in omni ſua actione peccet, ſed illi qui credit in Chriſtum, non imputatur in peccatum. *Tertia* Pelagij, qui more ſuo affirmat hominem ex viribus naturæ ſine auxilio gratiæ poſſe ſeruare mandata Dei, & non peccare. Contra has Hæreſes præſens eſt Quæſitum.

Homo in ſtatu naturæ integræ poteſt ſine gratia habituali ad longũ tempus vitare peccata, &c.

47. Dico itaq; primò. *quòd homo in ſtatu naturæ integræ exſiſtens poteſt etiam ſine gratia habituali ad longum tempus vitare peccata & mortalia & venialia.* PROBATVR *ratione* D. Th.

Peccare quid?

peccare nihil aliud eſt quàm recedere ab eo quod eſt ſecundùm naturam rationalem. ſed homo in ſtatu naturæ integræ exiſtens poterat ſuis viribus ſine ſpeciali auxilio cum ſolo concurſu generali ad longũ tẽpus non recedere ab eo quod eſt ſecundùm naturam rationalem, quia in eo ſtatu erat homo ſanus, ita vt appetitus ſenſitiuus dictamini rationis non repugnaret, & hanc ſanitatem ad longum tempus nulla vis eripere poterat. ergo poterat non peccare viribus naturæ: *ſecundò probatur*. quia Concilia & SS. Patres non aliam cauſã aſſignant, cur homo in ſtatu naturæ corruptæ indigeat gratia niſi quia incurrit ægritudinem & infirmitatem. ita D. Aug. *Liberum,* inquit, *arbitrium indigere gratia. quãdiu non ſanentur omnes languores animæ noſtræ.* ſed in natura integra non erat infirmitas, non erant languores. ergo nec indigentia gratiæ.

Inſtantia.

48. *Sed inſtabis* in illo ſtatu naturæ integræ poterat homo tantam difficultatem pati quanta eſt ex rebellione carnis ad rationem. ſed rebellio carnis indiget ad reſiſtendum auxilio gratiæ. ergo in ſtatu naturæ integræ poterat tam vehementem difficultatem ex tentationibus pati quæ vires excederet. ergo ad reſiſtendum indigebat auxilio gratiæ. *Reſpondeo negando* quod in ſtatu integro poſſit vis tentationis adæquare vim rebellionis, quia in prædicto ſtatu ſine omni difficultate poterat reſiſtere cuilibet tentationi, nam tentatio dæmonis ſolùm fuiſſet mouẽs extrinſecè liberum arbitrium, & non habuiſſet aliquod fundamentum in homine, quia voluntas hominis in eo ſtatu non fuiſſet propenſa ad malum, ad quod dæmon ſolicitat: in ſtatu autem corrupto eſt ſumma propenſio ad vitia, & appetitus carnis eſt aſſiduè ſolicitans. ergo non eſt æqualis, nam tentatio dæmonis ſumit vim ex concupiſcentia, quæ inèſcat & allicit liberum arbitrium, & huius concupiſcentiæ fomes in natura integra eſt exſtinctus, *tum* quia in eo ſtatu voluntas non propẽdet niſi in illud obiectum quòd ſit bonum, & naturæ ſuæ conuenienter propoſitum.

Eio ſolutio

Homo peccator in ſtatu naturæ lapſæ ſine auxilio gratiæ poteſt ad breue tẽpus aliqua vitare peccata.

49. Dico ſecundò. *Homo peccator in ſtatu naturæ lapſæ ſine auxilio gratiæ poteſt ad breue tempus aliqua vitare peccata. Ratio* quia in hoc ſtatu (vt iam probatum) poteſt aliqua præcepta implere quæ ſunt iuris naturalis, vt *Deum colere, parentes honorare,* & hoc ſine ſpeciali auxilio, ſed idem peccator ad longum tempus non poteſt omnia collectiuè vitare. *Probatur* quia habet multas cau-

 ſas

Cauſæ propter quas homo peccator adlōgum temp non poteſt vitare peccata.

ſas inuitantes ad malum: *prima eſt voluntas hominis quæ non eſt ſub*iecta Deo, nec in bono fundata, ſed auerſa à Deo & ad malum protendens: *ſecunda* amor noſtri inordinatus vſq; ad contemptum Dei, dū enim quis peccat, ſuam cupiditatē voluntati Diuinæ præponit: *tertia* quia habet hoſtes intenſiſſimos, qui ad malum inducunt. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates tenebrarum.*

Similitudo S. Chriſoſt:

Ex quo collige ob hæc tanta irritamenta malorum non poteſt homo diu ſtare quin in peccata incidat. D. Chryſ. illuſtrat tali ſimili, ſicut nauis fracto gubernaculo nō, quò vult vadit ſed quò fluctus impellunt, ita homo amiſſa gratia ab affectuum tempeſtate in peccatorū præcipitia abripitur. *Deniq;* ex ſuperioribus euidenter concluditur

Homo in ſtatu naturæ lapſæ nō poteſt implere ſine auxilio gratiæ præcepta?

Homo in ſtatu naturæ lapſæ viribus naturæ ſine auxilio gratiæ non poteſt implere præcepta, non poteſt Deum ſuper omnia diligere, nō poteſt ſe diſponere ad gratiā, nec reſurgere à peccatis. ergo ex viribus naturæ non poteſt omnia peccata vitare.

Homo iuſt in eodē ſtatu ſine auxilio ſuper addito quomodo peccata vitare poteſt?

50. Dico tertiò. *In eodem ſtatu naturæ homo iuſtus ſine auxilio ſuperaddito poteſt nonnulla peccata mortalia vitare, non tamen omnia & ſingula collectiuè vſq; ad finem vitæ ſed ſupra gratiam habitualem requiritur ſpeciale auxilium* PROBATVR primo ad Philippen. 4. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* loquitur de Gratia. ergo cum gratia habituali vitare poteſt. *Deinde* ad euitandum quodlibet peccatū in particulari ſufficit aſſiſtentia Spiritus S. ſed homo iuſtus habet aſſiſtentiam Spiritus S. ſaltem ſecundùm effectum in ſe productū. Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* ergo vitare poteſt. PROBATVR alterum. *quòd ſine auxilio ſpeciali ſuperaddito non poſſit vitare.* dicit enim Concil. Trident. *Seſſ 6. Can. 22.* vbi anathematizat omnes qui aiūt poſſe hominem perſeuerare in bonis operibus, & in gratia ad vltimū vſq; vitæ ſpiritum ſine auxilio gratuito.

Nota Charitas & gratia gratum faciens non poteſt dici auxilium ſpeciale, quia hæc etiam reprobis conferuntur, vnde hæc dona ſunt communia, tam quoad prædeſtinatos quàm quoad reprobos.

51. *Sed inſtabis* ſi homo ſingula peccata diſtributiuè vitare poteſt. ergo & omnia collectiuè *Reſpondeo* negando Conſequentiam ſicut enim non valet *poteſt quis ſigillatim Ioannem aut Caſimirum, aut Franciſcum, aut Bonauenturam inuadere & expugnare. ergo omnes collectiuè poteſt.* ita quoq; non valet *poteſt ſingula peccata vitare. ergo & omnia collectiuè.* nam maiores vires requiruntur vt quis aliqua plura collectiuè ſumpta expugnet quam ad vnum aut ad alterum expugnandum.

Dico quartò. *Quantumlibet ſit homo iuſtus, & gratia Dei præditus, qui tamen exiſtit in ſtatu naturæ corruptæ, nō poteſt omnia ſimul venialia peccata vitare.* ab hoc Dicto excipimus Chriſtum Dominum, qui fuit Deus & homo, Deo autem peccatum non conuenit, & B. Virg. MARIAM ob priuilegium. *Probatur* 3. Reg. 8. *Non eſt homo qui non peccet.* Prouerb. 24. *Septies in die cadit iuſtus.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus*

dixerimus quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.

Ex quo collige quòd loquitur S. Scriptura de iuſtis qui ſunt in gratia, & qui hoc vnum curant, vt nō peccent, & nihilominus dicit quòd in peccata incidant. ergo non poſſunt viri iuſti vitare omnia peccata venialia. & Concil. Trid. *Seſſ. 6.* Can 23. dicit: *Si quis dixerit hominem ſemel iuſtificatum poſſe in tota vita omnia peccata vitare etiam venialia niſi ex ſpeciali priuilegio quemadmodum de B. Virgine Eccleſia tenet, Anathema ſit.*

52. *Sed inſtabis* ſuppoſita gratia poteſt iuſtus quodlibet peccatum veniale præciſè & ſigillatim ſumptum vitare. ergo & omnia collectiuè ſumpta vitare poterit. *Conſequentia*: quia peccata venialia collectiuè ſumpta non ſic accipienda quòd omnia ſimul hominem inuadant, ſed quòd ſeorſim & diſtinctè & ſic iam vitari poſſunt. *Reſpondeo* verum eſſe quòd per peccata collectiuè ſumpta non intelligimus quaſi vno eodemque momento ſimul omnia hominem aggrediantur, ſed quòd collectiuè hoc eſt diuerſo tempore & ſucceſſione ſeruata. vnde quilibet iuſtus in alia ex his impinget, idq; propter continuam pugnam & reſiſtentiam partis inferioris, & ob cogitationes repentinas & diſtrahentes, ita quòd ratio non ſit ſufficiens vt poſſit ad omnia attendere, vt non in aliquod incidat, *tum* quòd homini iuſto illud accidit quod illi qui cùm hoſtes perſequitur alijs occaſionem præbet à tergo ſe ipſum inuadendi. *Probatur adhuc Dictum*. ad vitanda omnia peccata venialia requiritur ſanitas & integritas naturæ, vt concupiſcentia carnis ſit rationi ſubiecta ſed hæc integritas non eſt in ſtatu naturæ corruptæ, nam charitas & gratia non extinguit fomitem concupiſcentiæ, ſed cum gratia manet deordinatio in parte inferiori. ergo iuſtus etiam in gratia & charitate conſtitutus non poteſt vitare omnia venalia.

53. *Sed inſtabis*. Iuſtus tenetur non ſolùm in particulari vitare vnumquodq; veniale, ſed etiam vniuerſa. Si tenetur, ergo vitare poteſt, quia nemo tenetur ad id quod non poteſt. *Reſpondeo*. ſuppoſito lapſu primi hominis, & ſuppoſito quòd homo gratiam amiſſam recuperet adhuc tamen homo non habet perfectam libertatem ad vitandum omnia venialia per longum tempus, ſed manet in eo infirmitas & imperfectio ita quòd moraliter ſit illi impoſſibile per longum tempus vitare omnia venialia. Et in hoc Diuina bonitas non eſt accuſanda quia hoc meritò patimur ob pœnam violati fœderis quòd primus parens cum Deo inierat, vnde in illo ſtatu iuſtitiæ originalis poteramus omnia non ſolùm ſigillatim ſed etiam collectiue ſumpta vitare.

Altera obiectio.

Eiuſdē ſolutio.

Sed quæres. Quænam cauſa cur Deus permittat vt in venialia incidamus. *Reſpondeo* Varias hic aſſignari cauſas, tu quatuor nota. *Prima* eſt Humilitas vt homines cū in venialia ex infirmitate labūtur ſe eſſe homines ſciant. *ſecunda* Ad excitandam diligētiam vt ſemper homo ſit circumſpectus & tāquā in excubijs, ne ex veniali ad mortale progrediatur. *tertia*. vt noſtræ imbe-

Cauſæ quatuor cur Deus permittat vt in venialia peccata incidamus.

imbecillitatis cõſcij per continuas orationes Dei auxilium imploremus. *quarta* quia venialia per comparationem ad mortalia non magnum detrimentum animæ inferunt, tum illorum remiſſio varijs modis obtineri poteſt.

Poſſet homo ex ſpeciali priuilegio gratiæ vitare per totam vitã omnia peccata venialia.

Dico vltimo. *Poßet homo iuſtus ex ſpeciali priuilegio gratiæ ad hoc ſibi conceßo, vitare per totam vitam omnia peccata venialia*, quia poteſt Deus de abſoluta ſua potentia aut extinguere fomitem aut frænare, tum & motus inordinatos cohibere poteſt etiam dare pias cogitationes quæ mentem in officio retineant, ita vt circa hunc hominem ſit quædam ſpecialis Diuina prouidentia atq; ſic iam vitare poterit omnia venialia.

QVÆSITVM X.

An conſtitutus in Gratia poſſit operari bonum abſque auxilio Gratiæ?

54 DEterminatio Quæſiti ex deciſione ſuperiorũ facilè colligi poteſt, nihilominus cum S. Doctore.

Homo qui iam eſt in gratia habituali non indiget nouo alio habitu gratiæ.

Dico primo. *Homo qui iam eſt in gratia habituali non indiget nouo alio habitu gratiæ quæ ſit habitualis.* PROBATVR. Homo in ſtatu naturæ corruptæ primo indiget auxilio per quod ſanari poſſit & ſanatus vt ad operandum actiones meritorias vitæ æternæ quæ vires naturæ excedunt eleuari poſſit ſed tale eſt donum gratiæ habitualis. ergo quo ad hoc non indiget alio auxilio habituali, nam aliàs proceſſus daretur in infinitum.

Homo in gratia conſtitutus quo auxilio gratiæ indigeat?

Dico ſecundo. *Indiget tamen homo in gratia conſtitutus alio auxilio gratiæ ſcilicet Dei mouentis intrinſecus ad rectè agendum.* PROBATVR Rationibus D. Th. *prima.* Homo in gratia conſtitutus eſt res creata. Sed nullum creatum cum ſit cauſa ſecunda dependens à prima poteſt in actum exire ſine promotione Diuinæ virtutis. ergo indiget alio auxilio. *Ratio ſecunda.* Quia homo in gratia exiſtens, eſt quidem quo ad mentem per gratiam ſanatus, ſed quo ad partem inferiorem eſt corruptio & ſeruit legi peccati ergo ne hæc corruptio impediat actiones ex gratia prodeuntes indiget auxilio Dei mouente. *Ratio tertia.* Quia in intellectu ex ignorantia eſt quædam obſcuritas ob quam ignoramus quid petere debeamus. ergo neceſſe eſt vt à Deo mouente dirigamur & protegamur qui omnia ſcit & poteſt. 45. *Sed quæres.* Per hoc bonum quod in Quæſito appoſitum eſt quod nam ſit intelligendum. *Reſpondeo.* Duplex *Aliud rectæ* *morale* illud v. opus quod rectæ rationi ſit conſonum ex obiecto & circũſtantijs. *Aliud meritoriũ* quod quandã condignitatem & proportionem habet ad vitam æternam.

Rurſus

55 *Rurſus quæres.* An bonũ morale ſine auxilio ſpeciali poſſit iuſtus operari. *Reſpondeo* Quòd poſſit ſi enim (vt in quit, Caietanus,) Homo extra gratiam (vt iam probatum) poteſt opus morale viribus naturæ operari. ergo multò magis poterit in gratia conſtitutus.

Rurſus quæres. De bono meritorio an illud in gratia exſiſtens poſſit præſtare. *Reſpondeo.* quòd poſſit quia gratia habitualis & cum ea virtutes infuſæ debilitant concupiſcentiam & potentias robuſtiores reddunt ad operandum, ſed ad diu operãdum & perſeuerandum indiget iuſtus ſpeciali auxilio Dei mouentis. PROBATVR. *Cum metu & tremore operamini ſalutem veſtrã.* Et *ſeruite Domino in timore ne quando iraſcatur & pereatis de via iuſta.* ergo homo iuſt⁹ ne excidat à via iuſta indiget manutenẽtia auxilij actualis vt Pſal: 85, dicitur *Deduc me Domine in viam tuam.* Et Pſal. 118 *Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorũ.*

Homo iuſt⁹ ad omnes actus ſupernaturales &c. indiget ſpeciali auxilio.

DICO tertiò *Homo iuſtus ad omnes actus ſupernaturales eoſdemq́, meritorios præter habitus infuſos fidei ſpei charitatis indiget ſpeciali auxilio.* PROBATVR. Quia habitus tam acquiſiti quàm infuſi non mouent nec impellunt potentias ad operandũ, ſed ſolùm reddunt promptas & faciles vt cum motæ fuerint alacriter ad agendum proſiliant. ergo homo in gratia exſiſtens indiget ſpeciali auxilio mouente.

QVÆSITVM XI.

An homo in Gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeuerandum?

56. PRO determinatione Dico primò. *Si ſumatur perſeuerantia pro habitu mentis quo homo firmatur ne ab eo quod eſt ſecundum virtutem per triſtitias interuenientes remoueatur ſimul cum gratia habituali infunditur.* PROBATVR. Quia hic habitus quo homo firmatur eſt ab habitibus infuſis. Sed ſicut animam ſequuntur potentiæ per quandam naturalem concomitantiam, ita infuſionem gratiæ habitualis ſequuntur habitus ſupernaturales quadam ratione connaturali. ergo perſeuerantia vt ſic cum gratia habituali infunditur.

DICO ſecundò. *Si verò ſumatur perſeuerantia pro habitu ſecundum quẽ homo habet propoſitum perſeuerandi in bono & ſic quoq́, ſimul infunditur cum gratia habituali.*

47. DICO tertiò. *Si tandem ſumatur perſeuerantia pro continuatione boni vſq́, ad finem vitæ, ſic ad eam habendam præter gratiam habitualem indiget homo ſpeciali auxilio præueniente, dirigente, & protegente cõtra impulſus tentationum.* PROBATVR. Quia hoc auxilium non poteſt haberi à gratia ha-

tia habituali. ergo habet eſſe ab alio dono gratiæ. *Antecedens.* Quia gratia habitualis tria confert. *Primo* hominem in quo eſt Deo gratum reddit, nam iuſtificat impium, & qui Deo odioſus erat dilectum facit. *ſecundo.* vires ſubminiſtrat ad bene operandum quia ſecum ducit habitus infuſos, qui roborãt potentias Animæ. *tertio* dat auxilium vt poſſit perſeuerare. Ita D. Th. in reſponſione ad tertium ex D. Aug: libro de Natura & Gratia cap. 48. *Homo in primo* ſtatu accipit donum per quod perſeuerare poſſit, non autem accipit vt perſeueret, nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt & donum gratiæ quo perſeuerare poſſunt, & vlterius eis datur quo perſeuerẽt.

Gratia habitualis cõfert tria homini.

57. Ex quo *Collige* Aliud eſt poſſe perſeuerare & aliud perſeuerare ſeu actum perſeuerãtiæ exercere. nam poſſe perſeuerare accipit homo à gratia habituali, ſed vt actu perſeueret, iam præter gratiam habitualem requiritur aliud auxilium ſpeciale. *Probatur.* Qui cœpit in vobis opus bonum ille perficiet vſq; in diem Chriſti, ſcilicet qui cœpit per gratiam habitualẽ perficit autem per aliud auxilium vt perſeueret. Et D. Petus. *Deus omnis gratiæ qui vocauit nos in æternam gloriam ſuam modicè paſſos ipſe perficiet & conſummabit.* Hæc vocatio in gloriam eſt per gratiam habitualem quia hæc ſemen eſt gloriæ, conſũmat autem per auxilium vt perſeueret. *Probatur ſecundo.* Arauſic Coneil: 2. *Adiutorium Dei etiam renatis & ſanctis eſt implorandum vt ad finem bonum peruenire, vel in bono opere perſeuerare poſſint.*

Quid eſt perſeuerare poſſe, & perſeuerare?

58. *Ex quo collige primò.* Si renati & ſancti adiutorium petunt. ergo ſignum eſt quod hoc adiutorium à gratia habituali quæ eſt in ſanctis eſt diſtinctum. *ſecundo.* Hoc adiutorium non limitatur per additionem longi temporis. ergo neceſſarium vſq; ad finem vitæ. *tertio.* Hæc duo diſtincta eſſe peruenire in bonum finem, & in bono opere perſeuerare. Et Papa Cæleſtinus in epiſt: ad Galliarum Epiſcopos cap. 6. dicit Neminem etiam baptiſmatis gratia renatum idoneum eſſe ad ſuperandas inſidias Diaboli, & ad euitandas carnis concupiſcentias niſi per quotidianum adiutorium Dei perſeuerantiam bonæ conuerſationis acceperit. In quibus verbis à gratia renouationis internæ diſtinguit auxilium ad perſeuerandum.

Corollaria tria.

Sed obijcies. Si gratia habitualis dat poſſe perſeuerare. ergo & perſeuerare, nam illa potentia fruſtra eſt quæ ad ſuum actum non reuocatur. *Reſpondeo.* Dupliciter aliqua potẽtia dicitur eſſe potens ad actũ exercendum. *Primò* ſimpliciter vt quando poteſt aliquem actum per ſe producere ſine interueniente adminiculo alterius cauſæ, & talis potẽtia ſemper reducitur in actũ. *ſecundò* dicitur eſſe potens non ſimpliciter ſed in ſuo genere vt viſiua potentia dicitur eſſe ſufficiens ad videndum non tamen ſimpliciter poteſt videre ſed requirit obiectum & lumen, ita habens gratiam & virtutes infuſas potens eſt perſeuerare ſed non ſimpliciter, ſed ad hunc actum perſeuerantiæ exercendum indiget auxilio Dei mouentis.

59. Sed

Cur gratia habitualis dicatur ſimpliciter potens perſeuerandum?

59. *Sed quæres.* Cur gratia habitualis non dicatur ſimpliciter eſſe pótens ad perſeuerandum *Reſpondeo* eſſe in cauſa ipſam naturam hominis corruptam & ideo infirmam, nam hæc ex ignorantia mentem obtenebratam habet & volũtatem deordinatam & propẽdentem in malum, vnde ad varios incidẽtes caſus nouis auxilijs indiget vt hæc infirmitas iuuari poſſit.

Perſeuerantiæ donum in quo conſiſtat?

Dico quartò. *Donum perſeuerantiæ in hoc conſiſtit quia dat actu & infallibiliter perſeuerare in gratia & bonis operibus vſq; ad mortem.* Ita D. Aug: lib. de Dono perſeuerantiæ. cap. 1. *Hanc certè de qua nunc agimus perſeuerantiam, quâ in Chriſto perſeueratur vſq; in finem, nullo modo habuiße dicendus eſt, qui non perſeuerauerit vſq; in finem* Et cap. 6. *De illa perſeuerantia loquimur, quâ perſeueratur vſq; in finem, quæ ſi data eſt, perſeueratum eſt vſq; in finem, ſi autem non eſt perſeueratum vſq; in finem. non eſt data vnde primus parens quia in ſtatu innocentiæ non perſeuerauit vſq; in finem vitæ, dicẽdus eſt non accepiſſe hoc donum perſeuerantiæ.*

Perſeuerãtia quatuor in ſe habet.

60. *Nota* hoc donum perſeuerãtiæ D. Th. appellat ſpecialem Dei protectionem, & directionem circa tentationes & occaſiones peccandi. vnde perſeuerantia quatuor in ſe habet: *primò* ordinationem externorum mediorum adiuuantium ad finaliter perſeuerandum in bono: *ſecundò* continet remotionẽ tentationum, quæ boni proſecutionem impediunt: *tertiò* continet illuſtrationem & inſpirationem, quibus intellectus & voluntas ad bonum prouocantur: *quartò* continet quandam ſpecialem prouidentiam circa mortem, vt non niſi in ſtatu gratiæ & charitatis decedat.

Donũ perſeuerantiæ à quo depẽdet?

Nota ſecundò hoc etiam donum perſeuerantiæ in ſua efficacia non dependet effectiuè ex libera cooperatione arbitrij noſtri, ſed à ſolo efficaci & abſoluto decreto volũtatis Diuinæ, qui pro ſua miſericordia tribuit hoc donum cui vult.

Donũ perſeuerantiæ quibus ſolum tribuatur?

Nota tertiò hoc etiam donum perſeuerantiæ ſolùm Prędeſtinatis tribuitur, nam perſeuerare vſq; ad finem vitæ non eſt commune omnibus iuſtis, nam aliàs ſemel iuſtificatus nunquam mortaliter peccaret, quòd falſum eſt, multi enim Sãcti labuntur. *Conſequentia.* quia donum perſeuerãtiæ præſeruat à peccatis vſq; ad finem vitæ, vnde non peccaret.

Quomodo habeant alij iuſti donum perſeuerantiæ?

61. *Sed quæres.* ergo alij iuſti non habebunt donum perſeuerantiæ. *Reſpondeo.* verum eſt quia non habent in actu ſecundo vt de facto perſeuerent, ſed habent in actu primo vt poſſint perſeuerare.

Obiectio.

Rurſum inſtabis dicere quòd poſſit perſeuerare & quòd non exeat in actum perſeuerandi videtur eſſe vanum. *Reſpondeo* non eſſe vanum, nam ſicut per auxilium gratiæ ſufficientis quæ hominem in actu primo conſtituit, poteſt homo in Deum conuerti. ita homo in actu primo perſeuerantiæ conſtitutus, nimirum quòd poſſit perſeuerare poterit etiam ſi voluerit ad actum ſecundum perſeuerandi exercẽdũ tranſire, cooperando gratiæ Dei præuenienti & adiuuanti.

Deus vnicuiq; ſufficientia auxilia confert.

Deniq; dices. videtur non ſatis eſſe proſpectum omnium ſaluti, ſiquidem non omnibus datur vt de facto perſeuerare poſſint. *Reſpondeo.*

Tt quamuis

quamuis ſolis Prædeſtinatis donũ perſeuerantiæ ſit datum, vt perſeuerent, reliquis verò vt poſſent nihilominus dico de fide eſſe, quòd Deus vnicuiq; etiam reprobo ſufficientia auxilia contulit, per quæ ſi velit poſſit ſalutem conſequi, vnde ſi non conſequatur non Deo ſed homini tribuendum, qui ſufficientibus auxilijs noluit vti.

DISPVTATIO II.

De Gratia Dei, quantum ad eius Eſſentiam.

Quatuor Quæſita diſquirenda proponimus:

1. *An gratia ponat aliquid in anima?*
2. *An gratia ſit qualitas animæ?*
3. *An gratia differat à virtute infuſa,*
4. *An gratia ſit in eſſentia animæ tanquam in ſubiecto, an in aliqua potentiarum?*

QVÆSITVM I.

An Gratia ponat aliquid in anima?

Triplex acceptio Gratiæ.

1. PRO determinatione ſuppono cum S. Doct. quòd gratia triplicem habet ſignificationem: *primò* ſumitur pro dilectione quà quis diligitur, vt cùm dicimus: Miles habet gratiam Ducis, ſignificat quòd dux habet eum gratum: *ſecundò* ſumitur pro dono quod gratis datur, & ſic aliquis dicitur alicui facere gratiam quando illi gratis aliquod bonum confert: *tertiò* ſumitur pro recognitione ſeu teſtificatione beneficij accepti, vt cũ quis benefactori ſuo gratias agit. Hæ tres ſignificationes *gratiæ* ſunt inter ſe connexæ, nam ex dilectione promanat beneficium & illius collatio, & acceptum beneficium gratiarum actiones concomitantur.

Gratia quo modo non ſit aliquid poſitiuum in homine?

2. Dico itaq; *Gratia ſumpta pro dilectione ſpeciali, quâ Deus creaturam rationalem trahit ſupra conditionem naturæ ad participationẽ boni æterni, quod eſt ipſe Deus, non eſt aliquid poſitiuum in noſtra anima.* PROBATVR quia hæc talis gratia eſt æterna, & eſt beneplacitum

placitum voluntati Diuinæ, per quod vult Deus creaturæ bonum æternum quod eſt ipſe Deus. ergo eſt in ipſo Deo & non in homine. *Confirmatur.* ſicut enim prædeſtinatio eſt ordo ſeu ratio beneficiorũ in intellectu Diuino, ita & dilectio qua Deus vult homini bonum eſt actus voluntatis Diuinæ. *Præterea* quia hic actus dilectionis Diuinæ verſatur circa hominem tanquam circa obiectum, & non eſt effect⁹ formalis exſiſtens in homine. ergo nihil ponit in homine. *Antecedens.* ſicut enim eſſe viſum in colore, & eſſe cognitum in obiecto intellectùs ſolùm dicit viſionẽ & cognitionem verſari circa hæc tanquã circa obiectum extrinſecè, & non afficit illi per aliquam entitatem, ita eſſe dilectum non aliud ſignificat quàm dilectionem Dei verſari circa hominem tanquam circa obiectum quod non imprimit ſuam entitatem homini cùm ſit actus dilectionis Diuinæ. ergo non eſt quid poſitiuum.

Gratia quomodo ſit quid poſitiuum in homine?

3. Dico ſecundò. *Sumpta autem gratia pro beneficio gratis dato, & ſumpta pro recognitione beneficij per gratiarum actionem, eſt quid poſitiuum in homine.* PROBATVR *primò.* Per hoc quòd homo dicitur habere gratiã, ſignificatur quoddam bonum ſupernaturale homini à Deo eſſe collatum. ergo eſt quid poſitiuum in homine inexſiſtens.

Diſcrimen inter Dilectionẽ Dei & hominis.

Nota. Inter dilectionem Dei & hominis hoc eſſe diſcrimen, quòd amor Dei in eo quem amat eſt cauſatiuus boni. quos enim Deus diligit hos ſuis donis ornat, & ſua dona in eis amat. Amor verò hominis quo alium hominem diligit. præſupponit in eo bonum propter quod eũ amat. *Ex quo arguo.* Amor Dei eſt cauſatiuus & collectiuus beneficiorum in homines quos amat. ergo gratia ſumpta pro beneficio eſt quid poſitiuum. *Probatur ſecundò.* Qui enim ſe in gratiarum actiones effundit ille quandam grati animi piam affectionẽ continet & præfert & eſt quid in homine poſitiuum. *Deniq; probatur.* Gratia gratum faciens in multis locis S. ſcripturæ comparatur vnctioni, ſigillo, pignori, quæ omnia ſignificant rem quandam creatam communicari ſubiectis. ergo gratia eſt quid poſitiuum. *Antecedens* 2 ad Corinth: 1. *Qui vnxit nos, & ſignauit nos, & dedit nobis pignus in cordibus noſtris.* Et Ioan: 20. legimus. Antequã illis daret Spiritum S. dicitur, *inſufflauit in eos* vt oſtenderet ſe quiddam reale illis infundere. eadem gratia dicitur recipi. 2. Corinth 6. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* dicitur creari. *Cor mundum crea in me Deus.* dicitur euacuari, vt *Euacuati eſtis & à gratia excidiſtis,* dicitur *eſſe in Sanctis* 1. ad Timoth, 4. *noli negligere gratiam quæ in te eſt.* Sed hæc omnia enumerata ſi accuratè expendantur denotant gratiam non eſſe quid fictitium ſed in animis ſanctorum hominum habere poſitiuã entitatem.

Gratiæ effectus quis?

4. Dico tertiò. *Gratia exſiſtens in homine dat ei hunc nobiliſſimum effectũ vt eſſe gratum Deo.* PROBATVR Sicut enim aliæ cauſæ naturales dãt ſuis ſubiectis effectus ſuos formales, ita & cauſæ ſupernaturales inter quas eſt gratia, quæ ſuum effectũ in eo ſubiecto in quo eſt producit vt ſit Deo gratũ. *Et addo* quòd hunc

hunc affectum v. *eſſe Deo gratum* habet ex natura ſua ſi enim non haberet ex ſe. ergo haberet ex inſtitutione Dei: vt quemadmodum rex in ſuo regno ex inſtitutione valorem monetæ cōſtituit, ita eodem modo inſtitueret Deus eos ſolos ſibi eſſe gratos qui haberent hoc donum. ergo gratia non eſſet cauſa formalis producens entitatem ſui eff. ctus *Probatur ſecundò.* Hoc donum gratiæ aut dat homini eſſe gratum per ſe ipſum, aut ſolùm eſt ſignum ex inſtitutione Diuina, vt Deus eum ſolùm diligat in quo eſt hoc ſignum. Si primū: ergo virtute naturæ ſuæ facit hominē gratū. Si ſecundum ergo ſequeretur hominē ſolùm extrinſecè per quandā acceptationem quia nihil intrinſecè ponit eſſe gratum Deo. ergo non haberet entitatē quod eſt cōtra determinationem iam factam.

5. *Nota Gratum eſſe Deo* dupliciter ſumi. *primò* pro eo quod eſt diligi & formaliter eſſe dilectum à Deo, & hoc dicit quandam denominationem extrinſecam ſumptam ab actuali dilectione *ſecundò ſumitur* pro eo quod eſt eſſe obiectū proportionatum vt diligatur, & ſignificat bonitatem ob quam homo eſt obiectum proportionatum vt à Deo diligatur, ſicut in obiecto viſus, aliud eſt eſſe viſum & aliud eſſe proportionatum obiectum vt videatur, nam primò ſignificat denominationem extrinſecam ſumptam à viſione corporea. Alterum ſignificat obiectum viſibile ſiue ſit color ſiue lumen Ita in propoſito diligi eſt denominatio extrinſeca, eſſe autem obiectum dilectionis proportionatum, ſignificat quandam entitatem ratione cuius eſt dilectio, quæ quidem entitas non alia eſt quàm bonitas effectus Diuinæ dilectionis.

Gratum eſſe Deo dupliciter ſumitur.

QVÆSITVM II.

An Gratia ſit qualitas animæ?

Gratuita Dei voluntas in homine duplicem effectū producit.

6. PRo determinatione dico quatuor. Primò. *Quòd gratuita Dei voluntas erga hominem eſt fons omnis gratiæ duplicem effectum producens in homine qui vterq; eſt gratia. vnus* eſt Diuina quædam motio tranſiens qua excitatur homo & adiuuatur ad aliquid intelligendum, volendum & agendum in myſterijs fidei & ſalutis. *Alter* eſt donum quoddam permanens & ſtabile, v. gratia habitualis qua homo fit iuſtus & gratus coram Deo.

Dico ſecundò *Effectus à gratuita Dei voluntate productus qui eſt motio habens ſe per modum tranſeuntis, non eſt qualitas ſed motus.* PROBATVR. Quia non habet modum eſſendi qualitatis. ergo non eſt qualitas. *Antecedens.* modus eſſendi qualitatis eſt permanens. ſed hæc motio habet ſe per modum tranſeuntis, ſeu per modum actus fluentis, & in fieri producitur. ergo nō habet *eſſe* permanens. *ſecundò.* ſecundum Ariſt. in capite de Qualitate. *Qualitas dicitur ſecundùm quam quales eſſe dicimur.*

Effectus à gratuita Dei voluntate productus & nō eſt qualitas ſed motus.

mur. vnde idem Ph. rubedinem ex pudore prouenientem non dicit eſſe qualitatem, quia non habet *eſſe* permanens, vnde propter hũc ruborem prouenientem ex pudore non appellamur rubicundi ſed ruborem paſſi. ergo hæc motio cũ ab ea non denominemur eſſe grati Deo, non eſt qualitas: *tertiò* actus mouentis in motu eſt quidem motus, ſed non qualitas ſed Deus mouet animam. ergo illa motio eſt in anima vt in motu. ergo erit motus.

Gratia quo modo ſit qualitas?

7. Dico tertiò *Gratia verò ex gratuita voluntate Dei proueniens, vt donum habituale ſecundùm quam ſumus Deo grati, & connaturaliter operamur opera proportionata vitæ æternæ, eſt qualitas.* PROBATVR in primis illis locis Scripturæ quibus iam deductum eſt, quòd gratia ſit entitas, & poſitiuũ quid, & quòd in anima ſit ſubiectiuè. ergo erit vt qualitas permanens. & 1 Ioan. 3. dicitur: *Qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Per *ſemen* intelligit *gratiam*. ſed vt ſemen mandatum terræ eſt in ea permanens & fructificans. ita & gratia eſt tanquam ſemen animæ commiſſa, quæ inſtar ſegetis actiones meritorias ex ſe fundit. ergo eſt qualitas permanens. Dicitur quoque eſſe *fons aquæ viuæ ſalientis in vitã æternam.* ſed fons eſt quid permanens. ergo & gratia ſignificata per fontem eſt quid permanens. *Probatur* Concil Trid. Seſſ. 6. Can. 11. *Si quis dixerit hominem iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atq; eis inhæreat, aut etiam gratiã quã iuſtificamur eſſe tãtùm fauorem Dei, anathema ſit.* Immò allegato Canone primo dicitur *Anathema his qui à iuſtificatione gratiã & charitatem excludunt*: ſecundo etiã *illis qui eam negant verè eſſe inhærentẽ,* vult enim Concilium declarare, quòd gratia ſit forma permanens, & ſtabiliter inhærens, ſiquidem expreſsè addit *quòd inhæreat.* ergo eſt qualitas permanens *Tertia ratio.* non eſt conueniens quod Deus minùs prouideat his quos diligit ad communicationem boni ſupernaturalis, quàm creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. ſed Deus rebus naturalibus duplici modo prouidit: *primò* quòd eas ſuo generali concurſu ad actiones naturales moueat: *ſecundò* quòd eis tribuit quaſdam facultates & virtutes, quæ ſunt actionum principia, & per quas inclinantur intrinſecè ad actus exercendos, qui quidem ſunt illis faciles & connaturales. ergo multò eſt conueniẽtiùs, vt hominibus quos diligit Deus, ad bonum ſupernaturale cõſequendum, vt præter concurſum generalem maximè infundat quaſdam formas ſecundùm quas ſuauiter moueantur, & ſimul ſe moueant ad actus neceſſarios conſequendi ſummi boni. ſed hæ formæ infuſæ & mouentes ſunt gratiæ, & ſicut in creaturis naturalibus ſunt formæ permanentes. ita etiam & hæ erunt permanentes.

Deus rebus naturalibus duplici modo prouidit.

8. Ratio quarta. *Quilibet Chriſti fidelis in hac vita exſiſtens, cum adiutorio gratiæ præuenientis & adiuuantis poteſt credere in Deum, ſperare in eundem & diligere.* ſed hæc tria ſunt qualitates ſupernaturales, ſ: fides in intellectu, ſpes & charitas in voluntate.

ergo etiam & gratia iuſtificans erit qualitas ſupernaturalis, ſiquidem in nobis eſt forma & principium merendi, *tum* quia Beati in patria non vident Deum niſi dependenter à lumine gloriæ, quod quidem eſt qualitas ſupernaturalis. ergo & gratia habitualis per quam homo in hoc ſtatu eſt iuſtus & gratus coram Deo, erit qualitas.

Donū gratiæ non poteſt dic. eſſe ſubſtantia &c.

Ratio quinta. *hoc donum gratiæ non poteſt dici eſſe ſubſtātia, neq; quātitas, neq; relatio, nec actio, nec paſſio, nec ex conſequenti motus, quia idem eſt cū actione & paſſione.* ergo eſt qualitas. *Antecedens* non poteſt dici ſubſtantia aut enim creata? aut increata? non creata, quia vel eſſet pars naturę hominis. ergo aut forma aut materia? quod dici non poteſt, aut eſſet ſubſtantia diſtincta à natura hominis, ſed illi vnita? ſed neq; hoc. *Probatur.* quod enim in Deo eſt ſubſtantialiter non cōmunicatur homini niſi mediante accidente, vt in hoc ſtatu naturam Diuinam participamus per fidem, ſpem, charitatem, in patria verò mediante lumine gloriæ, quæ quidem ſunt qualitates. ergo etiam non communicatur à nobis conſortium Diuinæ naturæ, niſi media forma accidentali, & talis eſt gratia. Non eſt increata ſubſtantia, nam quamuis dicatur *Spiritus S. inhabitare in cordibus Sanctorum,* hoc tamen fit mediante charitate quam in iuſtorum cordibus diffundit. ſed donum charitatis eſt diſtinctum à Spiritu S. ergo gratia non eſt ſubſtantia. *Non eſt quantitas,* nam hæc rem corpoream reſpicit, iam autem gratia eſt in anima quæ eſt expers corporis, vnde non eſt capax quantitatis. *Non relatio rationis*, quia hæc non habet verum *eſſe*, nec permanet ceſſante operatione intellectus, ſed gratia verum *eſſe* habet. *Non relatio realis,* quia hæ relationes non producuntur ex principali intentione agentis, ſed ſolùm ad poſitionem vel ad ablationem alicuius formæ reſultant. ſed gratia qua homo efficitur Deo gratus eſt forma per ſe principaliter à Deo intenta. ergo non eſt relatio realis. *Non actio nec paſſio,* quia hæc rationem motus includunt, & habent ſe per modum tranſeuntis. ſed gratia habitualis (vt iam probatum) eſt permanens. ergo ad genus qualitatis ſpectat: reponitur autem in prima ſpecie qualitatis, v. in habitu, ſeu inter habitus connumeratur.

Ante Concil. Trid. liberū erat vnicuiq; tenere & defendere gratiam iuſtificantem eſſe qualitatem tranſeuntē & non permanentem.

9. Dico quartò. *Ante Cōcil. Triden. liberum erat vnicuiq; tenere & defendere gratiam iuſtificantem eſſe qualitatem tranſeuntem & non permanentem,* nam in Capitulo *maiores* de Baptiſmo Innocentius rem hanc dubiam inter Theologos reliquit, ſed poſt Concil. Trident. iam affirmandum eſt, & ab omnibus defendendum gratiam eſſe formā infuſam à Spiritu S. eandemq; in anima cuiuſlibet iuſtificati eſſe perſeuerantem. vide *Seſſ 6. cap. 7. can. 3. & 11.*

An ſit certū ſecundū fidem hanc formā quæ eſt gratia eſſe habitū, aut qualitatem aut accidens?

Sed quæres an ſit certum ſecundū fidem hanc formam quæ eſt gratia eſſe habitum, aut qualitatem, aut accidens *Reſpondeo* non eſſe certum euidenter quòd ſit de fide, quia neque Scriptura nec Concilia per expreſſum dicunt eſſe habitum, aut qualitatem, eſt tamen certum euidenter quòd ſit concluſio Theologica, ſed quæ proximè accedit ad fidem, nec ſine magno ſcandalo ne-

lo negari poteſt. *Probatur* quia Scriptura dicit (vt iam deduximus) gratiam manere & inhabitare in iuſtis. & Concil. Viennenſe dicit ſe eligere hanc opinionem tanquam probabiliorem, & S. doctrinæ magis conſonam. *Tum* & homo iuſtus non ſolùm dicitur iuſtus quando benè operatur, ſed etiam cùm nihil agit. ergo erit iuſt⁹ per aliquid habituale permanẽs. *Præterea* Chriſtus Dominus reſtituit iuſtificatis illud omne quod in primo parente amiſſum erat. ſed ibi iuſtitiam realem & verè inhærentem amiſit. ergo etiam verè inhærentem reſtituit nam aliàs peccatum primi hominis maius eſſet gratia Chriſti. *Ad extremum* infantes poſt ſuſceptũ baptiſma ſi moriantur fiunt ſalui, nam in baptiſmo mundantur ab originali culpa. ſed non fiunt ſalui ob aliquas actiones, quia illarum non erant capaces. ergo per gratiã quæ illis tanquam gratia inhærebat. *Hæ enumeratæ* rationes ſunt validæ; ſed non ſunt conuincentes, vt dicamus rem eſſe de fide, quia hæ rationes ſunt per diſcurſum humanum & Theologicum, in quo Concluſio ſequitur debiliorem partem, vnde qui hanc veritatem negant non ſunt dicendi Hæretici, quamuis illorum opinio ſit abſurda & erronea, & proximè ad hæreſim accedens.

10. *Sed dices* Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 11. definiuit *gratiam inhærere animæ* ex quo ſequitur quod ſit accidens, nam de eſſentia accidentis eſt inhærentia. ergo definiuit gratiam eſſe accidens. *Reſpondeo* non haberi in Concil. expreſsè quòd gratia ſit qualitas aut accidens, ſed hoc ſolùm per diſcurſum Theologicum. & conſequentiam deducit hoc modo: *Omnis forma quæ inhæret ſubiecto eſt accidens, ſed gratia eſt forma inhærens animæ noſtræ. ergo eſt accidens. & per conſequens qualitas permanens.* in hoc diſcurſu prima propoſitio nota lumine naturali, altera verò eſt de fide, & Concluſio debiliorẽ ſequitur partem, & ideo non eſt certum de fide, quòd gratia ſit accidens & qualitas. Obiectio. Reſponſio ad Obiectionem.

QVÆSITVM III.
An Gratia ſit idem quod virtus?

11. ATtendendo ad titulum Quæſiti, videtur in communi inquirere de omnibus virtutibus per comparationem ad gratiam.

Gratia habitualis diſtinguitur & à virtutibus moralibus & ab infuſis.

Dico itaq; primò *Gratiam habitualem diſtingui, & à virtutibus moralibus acquiſitis. & ab infuſis, vt à temperantia & à fortitudine.* PROBATVR *primò* quia gratia eſt ordinis ſupernaturalis, morales autem virtutes ſunt ordinis naturalis. *Probatur ſecundò.* quia hæ virtutes habent diuerſa obiecta formalia, & diuerſos fines internos, & diuerſa præcepta. ergo à gratia differunt, nam temperantia circa frænandas carnis cupiditates verſatur, fortitudo circa contemptum vitæ, gratia verò circa homi-

ca hominem iuſtificandum. ergo diſtinguuntur.

Virtutes Theologicę differunt à gratia.

Dico ſecundò. *Si verò nomen* virtutis *reſtringamus ad fidem, ſpem, & præcipuè ad charitatem, dicimus etiam has virtutes à gratia habituali differre.* PROBATVR. diſtinguunt inter hæc Concilia. Viennenſe dicit: *Paruulis quando baptizantur conferri gratiam informantem & virtutes,* ita vt expreſſè à gratia virtutes diſtinguat. & Innocentius Papa Capitulo *maiore* de Baptiſmo dicit *ſe ſub virtutibus includere charitatem,* ne quis forſan dicat per gratiam in eiuſmodi locutionibus comprehendi charitatẽ. & Trid. ſeſſ. 6. cap 7. dicit *iuſtificationem hominis fieri per ſuſceptionem gratiæ & donorum.* & hic ſeorſim ponit gratiam & dona. ergo sũt diſtincta.

Charitas & gratia qua ſi diſtinctione diſtinguantur?

Dico tertiò. *Dubium eſt maximè de charitate & gratia, quali diſtinctione diſtinguantur.* Scot. *in 2. diſt. 27. qu. 1.* Richard. *in 2. diſt. 26. q* 4. Durand. Gabr. qui tenent quòd gratia & charitas ſint idem re, ſed ratione diſtinguuntur D. Th. hic Caiet. & D. Bonau. *in 2 diſt 26 quaſt. 5* tenent realiter diſtingui. ſed in determinatione huius difficultatis mediã viam ſequemur, nam vtrumque probabiliter ſuſtineri poteſt.

Gratia à charitate quomodo diſtinguatur?

12. Dico quartò. *Probabile eſt gratiam non diſtingui realiter à charitate, ſed ſolùm formaliter.* PROBATVR. cauſa formalis alicuius rei non cõſurgit ex diuerſis entitatibus, ſed ex vnica, vt patet de anima & de quauis alia forma naturali. ſed ſecundùm Cõcil. Trid. ſeſſ 6. c. 7. patet *cauſã iuſtificationis formalẽ quæ datur in nobis eſſe gratiam & charitatem.* ergo hæ non diſtinguuntur vt res à re. *Probatur ſecundò.* quia qui effectus attribuuntur gratiæ ijdẽ charitati conueniũt. ergo non diſtinguuntur realiter. *Antecedens.* ſeptẽ ſunt effectus gratiæ, & idem tribuuntur charitati: *primus eſt.* Gratia facit nos filios Dei, & hoc ipſum præſtat charitas. 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij eius nominemur, & ſimus.* & 1. Ioã. 4. *Omnis qui diligit ex Deo eſt.* & D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 18.* concludit ſolam charitatem diſtinguere inter filios regni & damnationis. *ſecundus* gratia facit nos Deo gratos, hoc idem charitas præſtat. Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum tertius* Gratia eſt vita animæ, & hoc ipſum charitati tribuitur. 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte. & tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia diligimus. quartus* gratia iuſtificat remittendo peccata, etiam & charitas. Lucæ 7. *Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multùm. quintus* per gratiam dicitur Spiritus S. in nobis inhabitare, etiam hoc facit charitas. 1. Ioan. 4 *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. ſextus* gratiæ tribuitur adeptio vitæ æternæ, etiam & charitati. *Beatus qui ſuffert tentationem, quoniam ſi probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Tertiò probatur.* ſi gratia gratum faciens diſtinguitur realiter à charitate. ergo charitas ſine gratia, & gratia ſine charitate eſſe poterit, quòd quidem falſum. *Conſequentia* quia diſtinguuntur vt res à re. ergo vnum ſine alio eſſe poteſt. *Falſitas probatur* nam homo per ſolam gratiam ſine charitate poſſet eſſe Deo gratus, quod negat Apoſto-

Effectus ſeptem gratiæ.

Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Si charitatem non habuero nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* è contra, ſi homo diligeret Deum ſuper omnia, nec tamen eſſet Deo charus, quia non haberet gratiam quæ hominem Deo gratũ reddit, quod ſimiliter falſum.

Gratia & Charitas diſtinguũtur realiter.

13. Dico quintò. *Longè tamen verior eſt ſententia D. Th. gratiam & charitatem diſtingui realiter.* PROBATVR D. Dion. de Eccl Hierarchia cap. 2. docet: *quòd ſicut in naturalibus oportet nos priùs eſſe quàm operari, ita etiam antequam connaturalia ſupernaturali vitæ opera faciamus, oportet nos habere ipſum ſtatum Diuini eſſe in nobis.* Ex quo argumentor ad perfectam rationem ordinis ſupernaturalis, *primò* requiritur vt aliqua forma ſupernaturalis, conſtituat hominem in *eſſe* ſupernaturali, & talis eſt gratia: *tandem* requiruntur aliæ virtutes, per quas actiones meritorias operari poſſimus, & tales ſunt fides, ſpes, charitas. ſed forma dans *eſſe* realiter diſtinguitur à forma quæ dat operari, quemadmodum *eſſe* & *operari* realiter diſtinguuntur ſed gratia dat *eſſe* quia per hanc homo iuſtificatus fit conſors Diuinæ naturæ, charitas verò & aliæ virtutes ordinant hominem ad operationes meritorias. ergo realiter diſtinguuntur. *Confirmatur.* in omni enim re creata ſubſtantiali principium eſſendi & operandi diſtinguũtur inter ſe realiter. ſed gratia eſt principiũ eſſendi ſupernaturale, virtutes verò ſunt principia operandi. ergo diſtinguúntur realiter.

Quomodo Gratia & charitas ſint operis meritorij principium?

14. *Nota.* Sicut anima dicitur principium intelligendi, volendi, ſed remotum nam intellectus intelligendi, voluntas volendi eſt proximum: ita gratia operis meritorij dicitur eſſe remotum principium, charitas autem, fides, ſpes ſunt proximum: ſiquidem ab his immediatè opera meritoria fiunt. *Secunda ratio.* virtus præſupponit eſſe naturæ, quia virtus complet & perficit habentem naturam vt ſit aptè diſpoſitus ad opera exercenda in ordine ad finem. Sed virtutes infuſæ diſponunt etiam hominem vt aptè operari poſſit ad ſuũ finem ſupernaturalẽ. ergo hæ virtutes infuſæ debent præſupponere aliquod eſſe ſupernaturale. ſed hoc fit per gratiam. ergo diſtinguuntur realiter. *Tertia ratio.* quæ ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis, illa realiter diſtinguũtur. ſed gratia & charitas ſũt in ſubiectis realiter inter ſe diſtinctis, nã gratia recipitur in eſſẽtia animæ, charitas verò in volũtate tãquã in ſubiecto proximo. ergo realiter diſtinguuntur.

15. *Nota* pro reſolutione argumentorum quarti Dicti: *primò* ad formalem rationem iuſtificationis conſtituendam concurrit *primò* gratia habitualis tanquam radix quã hi habitus, fides, ſpes, charitas concomitantur.

Sed quæres ex his habitibus qui maximè & principaliter iuſtificãt? *Reſpondeo* quòd gratia & charitas & hi duo habitus quamuis à ſe realiter diſtinguantur, nunquam tamẽ de lege Dei ordinaria à ſe inuicem ſeparantur, vt albedo & dulcedo in lacte ſunt inſeparabilia, & realiter diſtinguuntur.

Ex his habitibus qui maximè & principaliter iuſtificant?

Nota ſecundò quòd gratia & charitas duplices ex ſe effectus producunt: *primò* formales, quibus à ſe inuicem ſeparantur, vt gratiæ formalis

Gratia & charitas duplices ex ſe effectus producunt.

malis effectus eſt, iuſtificare. Charitatis verò formalis effectus eſt, hominem efficere vt ſit potens diligere Deum. *Reliqui* verò effectus ſunt ſecundarij, vt hominem filiũ Dei facere, & gratum Deo, & ius vitæ æternæ conferre, qui quidem ob mutuam connexionem & inſeparabilem gratiæ cum charitate, ſunt communes.

Ad illud verò ſi realiter diſtinguũtur. ergo poterit quis gratus eſſe Deo & non charus. *Reſpondeo* loquẽdo de lege ordinaria gratiam & charitatem eſſe inſeparabilia, loquendo de abſoluta poteſtate Dei, tum dico non eſſe abſurdum quòd quis ſit gratus Deo ſine charitate, & dato caſu quod talis moreretur, dico quòd ſaluaretur, quia eſt in gratia quæ excludit mortale, vnde ius habet ad æternam hæreditatẽ.

Gratia & Charitas quomodo ſint inſeparabilia?

QVÆSITVM IV.
An Gratia ſit in eſſentia animæ?

Gratia in quonam recipiatur?

16. Concludo affirmatiuè. *Gratia recipitur in eſſentia animæ, & non in voluntate.* PROBATVR. Gratia eſt priùs virtutibus. ergo etiam priùs ſubiectum habebit ipſis virtutibus. ſed virtutum ſubiectum ſunt potentiæ animæ, vt intellectus ſubiectum fidei, voluntas ſpei & charitatis. ergo gratiæ erit ſubiectum ipſa eſſentia animæ quæ eſt prior ſuis potentijs.

Ratio ſecunda. Per habitus infuſos efficimur conſortes Diuini eſſe ſed per intellectum fit homo conſors Diuinæ cognitionis, mediante fide, per voluntatem fit conſors Diuini amoris mediante charitate. ergo per gratiam erit conſors ipſi⁹ Diuinæ naturæ cuius quandam ſimilitudinem participat. ergo gratia erit in eſſẽntia animæ. *Ratio tertia.* per gratiam regeneramur in filios Dei. ſed ſicut generatio naturalis terminatur ad formam ſubſtantialem, & non ad potentias: ita & ſpiritualis generatio terminabitur ad eſſentiam animæ, & ſic gratia in eſſentia animæ erit.

17. Contrarium tenet Scotus *in 2. diſt. 26.* docens quòd ſit in volũtate. vnde contra rationem tertiam inſtant illius ſectatores, quòd ſequeretur regenerationis ſpiritualis eſſe compoſitum ſupernaturale, quod dici nequit. ſed dico quòd nihilominus in eo comparatio tenet, quòd ſicut compoſitum naturale eſt terminus generationis naturalis, ita eſſentia rei ſupernaturalis meritoriè eſt terminus regenerationis ſpiritualis, & quia hæc ipſa eſſentia meritoria eſt accidẽs, idcirco ſubiectum in quo recipiatur requirit, & tale dicimus eſſe eſſentiam animæ.

Ratio quarta. Priùs eſt hominem eſſe gratum Deo per eſſentiã quàm autem per operationes. nam legim⁹: *Reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius*, priùs ad Abel, qui in oculis Dei propter gratiam in eo reſidentem

tem gratus erat, poſtea ad oblata munera quæ ex fide, ſpe, charitate profluebant, quæ ſunt in potentijs, reſpexit.

Obiectio.

18. *Sed inſtabis.* Peccatum eſt in voluntate. ergo & gratia. *Conſequentia.* quia contraria in vno eodemq; ſubiecto collocantur. *Antecedens.* Peccatum enim nequit eſſe niſi ſit voluntarium. ergo peccatum mediante voluntate committitur. ergo in voluntate tanquam in ſubiecto reſidet. *Reſpondeo* illa ſolùm contraria in vno eodemque ſubiecto collocari, quæ ex ſe & ex ſua natura ſunt contraria, quæ verò ſunt contraria ex ordinatione Dei, quale eſt peccatum & gratia, nõ ſunt in eodem ſubiecto, & ideò peccatum & gratia non tollunt ſe phyſicè ſed ſolùm demeritoriè. *vel dico* cum Curiele peccatum & gratiam non habere oppoſitionem contrariam, ſiquidem contraria in aliquo proximo genere conueniũt, vt albedo & nigredo in colore, quod gratiæ & peccato non conuenit: nec eſt oppoſitio priuatiua, nam aut peccati actualis aut habitualis. ſed hoc vtrumq; non in priuatione gratiæ ſed in deordinatione conſiſtit. actuale in deordinatione actus? habituale.] in deordinatione habituali, quia per actus vitioſos relinquit habitum ſeu promptitudinem ad peccandum.

Quæ cõtraria in vno eodemque ſubiecto collocantur?

Peccatũ & Gratia non habent oppoſitionem contrariam

19. *Nota* hic cum Medina gratiã ſic poſſe *definiri primò,* quia gratia eſt qualitas animæ infuſa, per quã efficimur conſortes Diuinæ naturæ, & reddimur amabiles & grati coram Deo: *ſecundò definiri poteſt.* Gratia eſt quædam forma ſubſtantialis quæ nobis confert & eſſe, & vitam ſupernaturalem, ita quòd homo duplicem vitam viuat, *vnam* naturalem cuius principium anima, ex qua potentia & illius operationes fluunt: *alteram* ſupernaturalem cuius principium gratia, quam virtutes ſupernaturales infuſæ, v. fides, ſpes, charitas ad opera meritoria præſtanda concomitantur.

Definitio Gratiæ duplex.

DISPVTATIO III.

De Diuiſione Gratiæ.

Vt Diuiſionum Gratiæ exacta cognitio haberi poſſit præter eas quas D. Th. adfert, alias quarum vſus eſt apud Theologos explicandas duxi. Quinq; igitur erunt Quæſita:

1. *De Diuiſione gratiæ in gratum facientem & gratis datam.*
2. *In Operantem & Cooperantem.*
3. *In præuenientem & ſubſequentem.*
4. *In Actualem & Habitualem.*
5. *In ſufficientem & efficacem.*

QVÆSITVM I.

An gratia conuenienter diuidatur in gratum facientem & gratis datam?

Gratiæ nomen quomodo accipiendum in hoc Quæſito?

1. DIco primò. *Nomen* Gratiæ *accipimus hic in quantum ſignificat donum gratuitum excedens naturam, & quod homini non eſt debitum*, confertur autem vt prœmium cæleſtis beatitudinis conſequi poſſit. *vnde* non loquimur in præſenti de gratia increata, qualis eſt voluntas Diuina, qua nos diligit ab æterno, *tum* & Spiritus S. in prima parte quæſt. 38. *dicitur eſſe donum & gratia.* ſimiliter & gratia vnionis, ſed hæ gratiæ ſunt increatæ, *tum* ſunt quædam dona vt natura humana, & ipſum *eſſe* hominis, quod etiam gratis datur. ſed de his non loquimur, ſed ſolùm de illa gratia quæ ſit donum ſupernaturale, & nobis gratis collatum.

Gratiæ diuiſio in Gratiam gratū facientem & Gratis datam.

2. Dico ſecundò. *Gratia ſupernaturalis eademq́; creata conuenienter diuiditur in gratum facientem & gratis datam.* PROBATVR. Gratia à Deo confertur propter iuſtificationem. ergo vel ad noſtram iuſtificationē, & talis eſt Gratum faciens. Ad Epheſ 1. *Gratificauit nos in dilecto Filio ſuo* vel confertur ad iuſtificationē & ſalutem aliorum. & de hac dicitur 1. Corinth 12 *Vnicuiq; datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.* Eſt igitur *gratia gratum faciens* donum ſupernaturale à Deo datum ad hoc, vt quiſq; ſuam iuſtificationem & ſalutem conſequatur. *Gratia verò gratis data* eſt quoq; donum ſupernaturale à Deo collatum ad hoc, vt ſalus aliena promoueatur.

Gratum faciens quæ?

Gratis data quæ?

Nomine gratiæ gratum facientis quid intelligatur?

3. Dico tertiò. *Nomine* Gratiæ gratum facientis *non tantum intelligimus gratiam iuſtificantem, ſed etiam fidem, ſpem, charitatem.* Hæc enim ſunt dona gratuita & ſupernaturalia, & nulli denegantur, & ſunt in noſtra poteſtate, vt illis vti poſſimus. Huc quoq; dona Spiritus S. referenda, *tum* & virtutes infuſæ morales quæ ſimul cum charitate infunduntur *tum* inſpirationes Diuinæ, piæ animi motiones quibus homo à peccato tanquam de ſomno excitatur, & ad virtutes incitatur. Nomine autem *gratiæ gratis datæ* quænam dona intelligere debeamus, D. Paul 1. Corinth. 12. docet: *Vnicuiq; datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem, alij quidem datur ſermo ſapientiæ; alij ſermo ſcientiæ; alij fides in eodem ſpiritu. alij gratia ſanitatū, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarū, alij interpretatio ſermonum. &c.*

Quid nomine gratiæ Gratis datæ intelligatur?

Sed inſtabis fides ſecundum te ad gratiam gratū facientem ſpectat. Et rurſum ſecundum. D. Paulum ad gratiam gratis datam. ergo Dicta ſibi non conſtant. *Reſpondeo* Vtrūq; bene ſtare ſed diuerſa ratione, fides enim vt ſignificat virtutē

per

perquam homo diſponitur ad perfectam ſui ipſius iuſtificationem, eſt gratia gratum faciens. Fides verò in quantum denotat quandam eminentem fidei certitudinem per quam quis eſt idoneus ad alios inſtruendos & confirmãdos in fide, vel ad Hæreticos confutandos in myſterijs fidei ad gratiam Gratis datam ſpectat.

Gratiæ gratis datæ an poſſint eſſe gratiæ gratum facientes?

4. *Sed quæres.* An Gratiæ gratis datæ poſſint eſſe gratiæ gratum facientes. *Reſpondeo* poſſe eſſe, ſed nõ habent hoc ex primario fine nec ex inſtitutione Diuina propter quam cõferuntur, nam dantur ad vtilitatem & ad ædificationem Eccleſiæ in ſalute ſanctorum, ſed ex fine ſecundario in quantum v. inſeruiunt ſaluti & meritum augent his qui gratijs gratis datis ad proximorum ſalutem vtuntur. Iuxta illud *qui ad iuſtitiam erudiunt multos lucebunt tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Gratia gratum faciens eſt dignior gratia gratis data.

Dico quartò. *Gratia gratum faciens eſt dignior Gratiâ gratis datâ.* PROBATVR. Tantò eſt nobilior virtus, quantò ad bonum excellentiꝰ ordinatur: ſed gratiæ gratum facientes ordinantur ad finem & bonum excellentiſſimum, v. ad coniunctionem cum Deo, Gratiæ autẽ gratis datę ſolùm ordinãtur ad ea, quę ſunt præparantia ad hunc ipſum finem vt ſermo ſapientiæ, miracula, homines diſponunt, vt ad ſuum finem ſupremum qui eſt Deus conuertantur & ei coniungantur.

QVÆSITVM II.

An Gratia conuenienter diuidatur in Operantem & Cooperantem?

Occaſio diuiſionis.

5. PRO determinatione Quæſiti. Dico primò. *Huius diuiſionis ſtatuendæ præbet in primis occaſionem S. Scriptura* ad Rom. 8. *ſcimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ad Philippen. 1. *Qui cœpit in nobis bonum, ipſe perficiet.* Et cap. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Præbet quoq; occaſionem D. Aug. lib. de Gratia & Libero arbitrio cap. 17. vbi dicit *Cooperando in nobis perficit quod operando incepit, quia ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* deniquè præbet occaſionẽ Concil: Arauſic: can. 20. *multa in homine bona fiunt quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona quæ non Deus præſtet vt faciat homo.*

6. Dico ſecundò. *Siue ſumatur gratia pro Diuino auxilio quo nos Deus mouet ad bene volendum & agendum, ſiue pro dono habituali nobis Diuinitus indito, conuenienter diuiditur in operantem & cooperantem.* Negant quidam vt Vega *lib. 8. in Concil: Trid:* Belarminus *tomo 3. de Gratia* & lib: arbit. cap. 14. Tum & Vaſquez quòd gra-

tia habitualis diuidatur in operantem & cooperantem. Sed D. Th. hîc expreſſè affirmat. Alexander, Richardus *in 2. diſt. 26. quæſt. 6.* Duran. Gabriel & alij recentiores, *Probatur.* D. Auguſt. ſecutus D. Paulum diſtinguit inter *velle*, & *perficere*, ita vt per *velle* non intelligat quãcunq; actualem volitionem, ſed ipſam voluntatem bonam, & piè affectam ad obſeruandum pręcepta. *perficere* autem ſignificat ipſam obſeruationem præceptorũ, ſed *primum* eſt gratiæ operantis, *alterum* verò cooperantis. & quòd quis habeat bonam voluntatem, cum affectu implendi præcepta, aut etiam cum affectu perficiendi hoc totum ad habitualem gratiam ſpectat. ergo hęc Diuiſio habituali gratiæ conuenit. *Ratio ſecunda.* Anima per eſſe ſupernaturale quod accipit à gratia habituali præparatur ad volẽdum vt impleat præcepta. ergo vt ſic eſt gratia operãs Et hæc eadem anima à gratia habituali & ab habitibus infuſis accipit vim ad implendum præcepta. ergo vt ſic eſt operans. ergo habituali conuenit. *Ratio tertia.* D Aug: *lib. de Natura & Gratia cap. 31.* inquit *operamur & nos, ſed illo operante, cooperamur, quia miſericordia eius præuenit nos, præuenit autem vt ſanemur, quia & ſubſequitur vt etiam ſanati vegetemur.* In his verbis operantem gratiam dicit eſſe ſanantem, cooperantem vocat, quã ſanati vegetamur. ſed ſanare & ſanatis dare vegetationem conuenit habituali. ergo hæc Diuiſio habituali conuenit.

Diuiſio Gratiæ in operantem & cooperantẽ

Diſtinctio inter Velle & perficere

7. Dico tertiò. *Gratia operans eſt, per quam mens eſt mota & non mouens*, vel *Gratia operans eſt, vt tùm homo mouetur à Deo, & ab illo excitatur per illuminationes & inſpirationes ipſo homine nihil operante. Gratia verò cooperans eſt, in qua & Deus mouet mentem, & ipſa ſe mouet, conſenſum, & cooperationem præbendo, vt cùm hominem mouet vt pœniteat, vt Deum amet.*

Operãs Gratia quid?

Cooperans Gratia quid

Sed inſtabis. Ergo hic motus mentis noſtræ, quem gratia operans præſtat non erit illi vitalis, quia efficienter à Deo procedit? *Reſpondeo* eſſe quoſdam motus & actus mentis noſtræ, qui ab illa procedunt non concurrente ad illos per modum mentis, hoc eſt, tanquam à principio liberè, & cum iudicio rationis operãte, vnde hi motus tribuuntur quidem menti, ſed tanquam ſubiecto paſſiuè ſe habenti, & non vt principio mouenti, vnde non rectè putauit Vega, qui dicebat Actus gratiæ operantis, ad eum modum ab intellectu, & à voluntate recipi, ſicut paries à ſole lumen, aut lignum ab igne calorem recipit. Nos verò dicimus recipi quidem, ſed aliquo modo vitaliter, quia non liberè, ſi enim liberè, non eſſet cauſa cur operans gratia eſſet in nobis ſine nobis, quod enim fit humano modo liberè fit & propriè. D. Th. hanc Diuiſionem ſic deducit, ſtatuit duplicem Actum: *primus eſt* Interior, ad quem voluntas habet ſe vt mota, Deus autem habet ſe vt mouens, vt cùm voluntas incipit velle bonum, quæ antea volebat malum. *alter eſt* Actus Exterior, qui à voluntate imperatur & elicitur, ad quem tamen actum exercendũ adiuuat nos Deus interiùs confirmando voluntatem, & exteriùs præben-

Obiectio

Actus duplex.

præbendo facultatem operandi & gratiam operantem tribuit actib⁹ interioribus, cooperantem verò tribuit actibus exterioribus.

Ad Gratiã operantem quæ pertinent.

8. Dico quartò. *Ad gratiam operantem pertinent illuminationes, inſpirationes, piæ animi affectiones, quæ in nobis contingunt ſine noſtra opera.* Similiter *huc ſpectant, metus mortis, gehennæ, iudicij, in quantum hominem à peccatis deducunt, & pœnitere faciunt, quos quidem motus Deus in nobis ſine nobis operatur.*

Ad cooperantẽ gratiam quæ pertineant?

Ad gratiam verò cooperantem pertinent omnia opera exteriora, ad quæ mouet quidem Deus, ſed ad ea exercenda accedat neceſſe eſt conſenſus, & cooperatio libera voluntatis.

Piæ cogitationes &c ad gratiam operantem pertinent.

Dico quintò. *Piæ cogitationes, inſpirationes, pertinent quidem* (vtiam diximus) *ad gratiam operantem, ſed ſi mens humana ad eas continuandas cum ſtudio deliberato accedat, ſic iam mens noſtra non ſolùm mota, ſed & mouens erit, vnde pertinebunt ad cooperantem gratiam.*

Quomodò idem actus poſſit eſſe à gratia operante & cooperante

Nota idem Actus poteſt eſſe à gratia operante, & cooperante, à gratia operante in principio, à gratia cooperante in continuatione & proſecutione.

Gratia operans & cooperans quomodo ſint eadem?

Nota ſecundò. Gratia operans & cooperans eadem eſt, quoad eſſentiam, ſed quoad diuerſos effectus diſtinguuntur, erit enim operans in quantum eſt radix ſanitatis, dans *velle*, erit cooperans in quantum eſt radix operis meritorij, quod à libero arbitrio procedit.

QVÆSITVM III.

An Gratia conuenienter diuidatur in Præuenientem & Subſequentem?

Gratiæ Diuiſio in Præuenientem & ſubſequẽtem.

9. Dico primò. *quòd rectè gratia diuidatur in Præuenientem & ſubſequentem.* PROBATVR. quia hoc manifeſtò colligitur ex S. Scriptura, de Gratia præuenienti dicitur Apocal. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo.* & Pſal. 20. *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* & Pſal. 55 *Miſericordia Domini præueniet me.* & de gratia ſubſequenti dicitur Pſal. 22. *Et miſericordia eius ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* De vtraq; D. Th. hîc art. 3. verbis D. Aug. loquitur: *Præuenit vt ſanemur, ſubſequitur vt ſanati vegetemur. Præuenit, vt vocemur, ſubſequitur, vt glorificemur.* & in Enchiridio cap: 2. *Nolentem præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit.*

Effect⁹ Gratiæ quinque

10. Dico ſecundò. *Vtramq; hanc gratiam tam præuenientem quàm ſubſequentem explicat D. Th comparando ad quinq; effectus ipſius gratiæ. ſunt autem hi* primus. *eſt qui ſanat animam.* ſecundus, *quo volumus bonum.* tertius *quo efficienter operamur bonum quod volumus.* quartus *perſeuerare in bono.* quintus *perſeuerare in gloriam. Dicitur igitur Gratia præueniens in quantum producit in nobis primum effectum reſpectu ſecundi, & in quantum producit ſecundum dicitur ſubſequens reſpectu primi effectus; Atq; ſic Gratia præueni-*

ens;

ens erit reſpectu priorum effectuum, ſubſequens verò erit reſpectu poſteriorum quos producit.

Actus gratiæ præuenientis qualis?

11. Dico tertiò *Actus gratiæ præuenientis quó nos primò Deus præuenit, non eſt actus vitalis formaliter,* nam ad hunc primum actum gratiæ præuenientis intellectus, & voluntas non cooperantur. *Pſal. 120. Auxilium meum à Domino.* Et 2. Arauſic: can. 2. dicit. *Multa bona in homine fiunt, quæ non facit homo.* ergo ſolus Deus ea in nobis operatur. *præterea* Deus ideo nobis donum præuenientis gratiæ infundit, vt in virtute illius poſſimus actiones vitales producere, quibus cor tangatur, & emolliatur, atq; etiã ad aſſenſum, & operandum adducatur.

Cur Præueniens Gratia infunditur?

Nota. in quantum Gratia præueniens fertur inſubſequentes effectus, ita iam actiones eius erunt vitales, & ab intellectu, & voluntate elicitæ.

Gratia Præueniens dicitur quoq; gratia Excitans.

12. Dico quartò. *Hæc præueniens gratia dicitur quoq; gratia Excitans, quæ auxilium ſecùm apportat, quod intellectum dum aut non aduertit, aut non cognoſcit, cum maximè attendere, & cognoſcere debet, ita quòd quaſi dormire videatur, aut quod voluntatem cùm adinſtar ſtupentis eſt, nec quicquam operatur, cum debeat operari, immittendo illuſtrationes, & pias affectiones ad idquod faciendum eſt allicit.* Ad Ephes: 1. *Surge qui dormis & illuminabit te Chriſtus.* Et Pſal. 118 *Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Gratiæ igitur excitantis effectus eſt, vt per eam homo euigelet, & attendat ad illa, quæ ad amplectendum bonum, & reſpuendum malum conducere poſſunt vt ſi peccator ſommo peccati oppreſſus & à Deo auerſus ſit, tunc gratia excitans intellectum illius illuſtrat, vt cognoſcat quam ſit malum & amarum reliquiſſe Dominum. per hanc gratiam præuenientem & excitantem producit in nobis Deus quoſdam actus imperfectos ſupernaturales, quibus peccator ad gratiam iuſtificationis conſequendam diſponitur aut ſi iam ſit iuſtificatus, per eoſdem actus imperfectos inclinat liberũ arbitrium vt Deo excitanti conſentiat, & cooperetur.

Gratia Excitans quid agit?

Quid per gratiam Præuenientẽ & excitantem producat in nobis Deus

Nota. Sicut præuenienti gratiæ correſpondet excitans, ita ſubſequenti adiuuans. *Eſt* autem *Adiuuans gratia quæ ſuppoſita excitatione facit vt operemur.*

Adiuuans gratia quæ?

13. *Sed quæres.* An gratia excitans, & præueniens differat ab operante. *Reſpondeo* in hoc ſolùm differre, quod gratia operans ſolam primam bonam voluntatem, ſeu primam bonam cogitationem producit. Grátia verò excitans, & præueniẽs vlterius importat reſpectum ad aliquem actum, ad quem voluntas mediante motione gratię elicitur. Gratia verò excitans, & adiuuans in quantum in ſe includunt operantem & cooperantem, in hoc diſtinguuntur, quòd gratia excitans ſolùm moraliter mouet noſtram voluntatem inuitando, alliciendo. Gratia verò adiuuans Phyſicè mouet noſtram voluntatem, ſiue reſpectu finis, ſiue reſpectu mediorum ad finem, & cùm producit in nobis intentionem finis, Phyſicè dicitur eſſe operans, dum autem facit nos aſſumere media proportionata ad finem Phyſicè di-

Gratia Excitãs & Præueniens ab operante quo differat?

ſicè dicitur cooperans. ita Caiet. *hic quæſt. III. art 2.* Soto *l. 1. de Nat. & Grat.* Aluarez *l 9. de Aux. Diſp. 81.*

Officia vniuſcuiuſque Gratiæ. *Nota.* Gratia excitans & præueniens ſolùm excitant & diſponunt, operans verò actus internos producit, cooperans verò actus exteriores facit cum noſtro libero arbitrio.

Gratia Vocans quæ? *Nota ſecundò.* ad hanc præuenientem & excitantem gratiam pertinet Vocans, quà Deus per interiorem motionem vocat, & inuitat ſeruos ſuos ad hoc, vel illud agendum, ſecundùm illud: *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.*

QVÆSITVM IV.
De Gratia Habituali & Actuali.

14\. DE hac diuiſione gratiæ in præmiſſis ſparſim egimus, ſed quo diſtinctiùs illius cognitio habeatur.

Gratia habitualis quæ. Dico primò breuiter. *Quòd gratia habitualis eſt qualitas permanens, & ſtabilis ad inſtar habitus, per quam virtutem accipimus non ſolùm ad agendum faciliùs ſed etiam ad agendum ſimpliciter.* De hac Iſaias loquitur cap. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* & Ioan. 14 *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Hæc verba *Requieſcere* & *Manere* ſignificant durabilē exſiſtentiam, ita quòd Deus ſecūdùm donum huius gratiæ inhabitat, & requieſcit in anima iuſti, ſed non per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, quia his modis etiam in brutis, in lapidibus inhabitat, nō etiam per illuſtrationes, & per inſpirationes, quia hæ ſubitò tranſeunt. ergo gratia habitualis eſt qualitas ſupernaturalis ſtabiliter permanens in anima iuſti.

Actualis Gratia quæ? 15. Dico ſecundò. *Gratia actualis eſt motio Dei interna, nō iam permanens ſed fluens, vnde hoc donum non eſt qualitas fixa, & permanens inſtar habitus, ſed eſt actio Dei mouentis in anima recepta, per quam datur animæ vis quædam ſupernaturalis ad producendos actus ſupernaturales, hoc ſ. modo* (vt docet D. Th. *in 3. p. q. 62. a. 4.*) ſicut enim per eum motum, quo inſtrumentum mouetur habet idem inſtrumentum à principali agente communicatam ſibi virtutem ad actiones producendas, & ſicut illa virtus actiua in inſtrumento non habet *eſſe* permanens, ſed tranſiens, ita voluntas humana accipit à Deo per motionem actualem, actiuam virtutem ſibi communicatam, quæ quidem non habet *eſſe* permanens ſed tranſiens.

Anima operatur ſupernaturalia, virtute cōmunicata deſuper. *Ex hoc ſimili collige* non quòd anima in receptione huius motionis actualis ſit tanquam inanime inſtrumentum. ſed quòd opera ſupernaturalia non virtute propria, ſed à Deo accepta & in animo recepta operetur. *Et ratio eſt* quia omne quod recipitur, ad modum recipiētis recipitur. ſed anima eſt agens liberum vitale, vnde hac ipſa virtute à Diuina motione ſibi com-

municata perficitur ad vitaliter operandum actiones ſupernaturales.

Corollariū 2dum Quomodo intellectꝰ, & voluntas à Deo immutatur in nobis?

Collige ſecundò quòd per hanc motionem datur animæ virtus ad ſupernatúrales actiones, ſicút enim in naturalibus videmus, quòd aër per ſpecies intentionales ab obiecto viſibili receptas, eaſdemque tranſmittendo ad viſum ſecundū diuerſam reflexionem, & irradiationem ſpecierum viſiuam potentiam immutat. ita & Deꝰ ſua omnipotenti virtute immutat intellectum & voluntatem noſtram ex parte obiecti, aut producendo ſpecies intelligibiles, aut etiam diſponendo prout oportet ad cogitandum & volendum, ea quæ ſunt ſupernaturalia ſecundùm beneplacitum Dei, iuxta illud 1. Corinth. 12. *Spiritus vbi vult ſpirat, & prout vult.*

Corollariū 3tiū omnis Actio ſupernaturalis præceditur ab ope inhęrēte & trāſeunte.

16. *Collige tertiò* ad omnem actionem ſupernaturalem, ſiue indeliberatam, ſiue deliberatam, neceſſe eſt, vt aliquod auxilium præter inhærens etiam tranſiens præcedat. *Ego ſto ad oſtium & pulſo,* hoc eſt ſicut prius eſt quòd aliquis pulſet ad ianuam, & ſpecies ſoni ad auditum tranſmittat, quàm quòd pulſantem audiamus, vel illi reſpondeamus: ita prius eſt ſaltem natura quòd Deus corda pulſet, & per inſpirationem tangat, quàm nos ſentiamus Deum pulſantem, & tangentem corda, & quàm illi per cōſenſum reſpondeamus, quamuis non negemus hæc omnia fieri poſſe in vno eodemq; momento.

Ad actuale auxiliū excitantis & præuenientis gratiæ quæ pertinent.

Nota ad hoc auxilium actuale excitantis & præuenientis gratiæ, pertinent etiam illuſtrationes, inſpirationes, impulſus Dei, cogitationes piæ, & alia his ſimilia, quibus nos Deus vocat, excitat, allicit. Spectant quoq; & actiones internæ vitales, dum actuali gratiæ ſuauiter influenti aſſentimur, & cooperamur.

QVÆSITVM V.

An gratia conuenienter in Sufficiētem & Efficacem diſtinguatur?

Gratiæ diuiſio in ſufficientē & Efficacē cōueniēter eſt facta.

17. Dico primò. *hanc diuiſionem gratiæ in ſufficientem & efficacem conuenienter eſſe factam.* PROBATVR. habetur ſub proprijs nominibus in SS. literis, 2. Corinth. 3. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat, & non ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* expreſſè nominat gratiam ſufficientem, quâ poſſumus piè operari, & hanc non ex nobis ſed ex Deo habemus. Et D. Paulo, cùm oraret, vt à ſe Angelus ſathanæ, qui eum colaphizabat auferretur, dictum, *ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate probatur:* & Concil Arauſic. Can. 7. *licet autem non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, tamen habemus aliquam ſufficientiam, qua ſ. bonum poſſumus velle, & credere.*

credere incipiamus, & hoc à Deo eſt. De *Gratia efficaci* probat D. Aug. cōtra Pelag. & Semipel. hoc teſtimonio Scripturæ. Ezechiel. 36. *Spiritū meū ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Et Concil. Trid. Seſſ. 6. de Iuſtific. cap. 11. *Deus impoſſibilia non præcipit, ſed præcipiendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis. & tandem addit, quod cum Diuino auxilio præſtare poſſis.* ergo ſecundùm Concil. datur gratia, qua quis poteſt mandata Dei præſtare, & hæc eſt ſufficiens, & qua in actum deducere poſſit, & hæc eſt efficax. *Et ratio eſt.* Paſſio Chriſti ſatisfecit pro omnibus hominibus quantum ad ſufficientiam, & pro aliquibus quā tum ad efficaciam. ergo per paſſionem Chriſti datur duplex gratia Sufficiens & Efficax. *Antecedens.* D. Th. *in 3. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 2 ad 5.* vbi dicit: *quòd Chriſtus ſatisfecit pro tota natura humana ſufficienter non tamen efficienter, quia non omnes illius ſatisfactionis participes ſiūt, quod ex eorum importunitate eſt, non ex ipſius ſatisfactionis inſufficientia.*

Chriſtꝰ patiendo ſatisfecit pro omnibꝰ quo ad ſufficientiā.

18. Dico ſecundò. *Gratia ſufficiens ſumpta propriè non habet actu omnia dona, quæ ad actionem meritoriam tanquam illius principia conferunt, ſed habet ſolam potentiam & excludit actum.* PROBATVR. Si enim includeret in ſe non ſolùm potentiam ſed etiam actum ergo ſufficiens idem eſſet, quod efficax: iam autem hæc differunt *poße* enim & *facere* diſtinguuntur. ſed gratia ſufficiens, quæ eſt idem quod Præueniens, & Excitans, dat *poße*, Efficax verò quæ eſt idem quòd operans, & cooperans & Adiuuans dat *facere* ergo diſtinguuntur. erit itaque gratia ſufficiens, quæ hominem ſufficienter corroborat ad aliquem actum, ſiue internum, ſiue externum? vt eum operari poſſit, cum quo tamē de facto non operatur, ſed indiget efficaci auxilio.

Gratia ſufficiens habet meram potentiam ad omnia dona.

Gratia ſufficiens quæ?

Dico tertiò. *Gratia ſufficiens nemini prorſus denegatur ſed cuiuſuis conditionis hominibus non ſolùm electis ſed etiam reprobis datur.* PROBATVR. 1. ad Tim: 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Ex quo arguo. ſi Deus vult fieri v. ſalutem hominum. ergo etiam vult media ad finem. ſed media ſunt auxilia ſufficientia. ergo omnibus illa vult. *Et Vnus eſt mediator Dei, & hominum, qui dedit ſe in redemptionem pro omnibus.* Loquitur Scriptura generaliter, non ſolùm de bonis ſed etiam de malis 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris ſolùm, ſed etiam totius mundi.* Chriſti paſſio eſt per quam parauit Deus omnibus neceſſaria remedia ad ſalutem. ergo omnibus dantur ſufficientia auxilia.

Gratia ſufficiens nemini denegatur.

19. *Nota.* Quantumuis homini obcæcato, & obdurato etiamſi Pharaone & Iudâ ſit deterior, quādiu in hoc ſtatu præſentis vitæ eſt, nunquam Deus adimit ſufficientia auxilia. *Probatur.* Pharao erat homo obduratus, & tamen coram Moyſe fatetur ſe pecaſſe, & eſſe paratum ad dimittendum populū. Iudas quoq; agnoſcit peccatum, pœnitentia ducitur, nam dicit: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Sed hoc ſine ſufficienti gratia non potuit eſſe. ergo reprobi habent auxilia ſufficientia. *Et ratio eſt.* Non poſſe conuerti ad Dominum, eſt

Deus nunquam adimit ſufficiēcia auxilia etiam homini malitioſiſſimo.

 ſolùm

ſolùm conditio damnatorum, qui quia ſunt extra viam, omni gratià ſunt priuati. ergo etiam quàm maximus peccator quamdiu eſt in via poteſt cum auxilio ſufficienti ſibi parato conuerti. *Confirmatur.* Quia nullus peccator etiam quàm maximus in hac vita conſtitutus deſperare debet, quia deſperatio eſt grauiſſimum peccatum, quod miſericordiæ Dei grauem iniuriam facit, quæ infinities eſt maior qualibet quàm maximâ iniquitate.

Gratia collata à peccatoribus negligitur.

Nota ſecundò. Hæc gratia quamuis omnibus peccatoribus conferatur, ſæpenumerò tamen à peccatoribus negligitur. Vnde de hac ingratitudine conqueritur Deus. Prou: 1. *Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui reſpiceret.* Iſaiæ 65. *Extendi manum meam ad populum incredulum qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Hæc verba expreſſè docent Deum paratum eſſe exhibere omnibus hominibus ſua auxilia ſufficientia, quæ illi aſpernantur.

Duplex modus quo Deus auxilia ſua hominibus applicat.

20. *Nota tertiò.* Duplex eſt modus quo Deus auxilia ſua hominibus applicat. *Primus eſt* de lege ordinaria ignis formæ introducendę perſimilis, ſicut enim ignis primũ gradum caloris in lignum introducit, deinde alium atq; alium vſque ad formæ introductionem, quòd ſi primo gradui caloris introducendo reſiſtatur, ceſſat ignis ab introductione ſecundi gradus: ita Deus cor peccatoris primò generalibus auxilijs emollire incipit, deinde adiungit alia atq; alia maiora, & abundantiora vſq; ad vltimam efficacis gratiæ introductionem ſed ſi peccator ſua malitia impedimentum ponat prioribus auxilijs iam ad alia conferenda non progreditur Deus. *Alter eſt modus* extraordinarius, quo per legem ſuam abſolutam non ſeruato ordine prædicto, ſed omiſſis generalibus auxilijs dat efficacia, & vltima auxilia, quibus ſuaui, & forti motione cor durum peccatoris emollit, vt accidit in conuerſione D. Pauli & Mariæ Magdalenæ quibus exuberans gratia collata vt ille diceret. *Domine quid me vis facere,* hæc verò de petra cordis fontes lachrymarum deduceret.

Exuberans gratia.

21. Dico quartò. *Gratia ſufficiens & Efficax eſt eadem motio Dei ſecundùm eßentiam & non eſt diſtinctio rei & rei ſed bene rei & modi, quia ſufficiens ſolùm dat poſſe, Efficax verò dat facere.*

Gratia ſufficiens & Efficax ſunt idem eſſentia ſed modo differũt

Nota hic cum Caiet. *quæſt: 109. art. 10.* quod auxiliũ ſufficiens dicitur dupliciter. *primò* in ſuo ordine vt potẽtiã cõſtituit in *poſſe* vt ſit ſufficiẽs & ſic virt⁹ viſiua in ſuo ordine eſt ſufficiens, quia potentiã viſiuam in poſſe videre conſtituit. *ſecundo dicitur* Sufficiens ſimpliciter & abſolutè ſine vllo requiſito, gratia igitur ſufficiens conſtituit voluntatem in actu primo, vt ſit apta ad credẽdum & diligendum, ſecundò autem modò non eſt ſufficiens v. ad producendos actus fidei & dilectionis, ſed requirit aliud auxilium gratiæ Præuenientis efficacis.

Auxilium ſufficiẽs duplex.

22. Dico quintò. *Hæc gratia ſufficiens, immo & Efficax non datur in quocunq; inſtanti temporis, ſed quando incumbit neceſſitas, aut implendi præcepta, aut vincendi tentationem, aut boniũ aliquod perficiendi.* PROBATVR. Hoc enim auxilium gratiæ eſt actuale. ſed

Gratia ſufficiens & Efficax quando dentur?

ſed actuale auxilium non eſt permanens adinſtar habitus, ſed fluit per modum actus tranſeuntis. Et quilibet experitur quòd non quouis inſtanti excitatur, ſed vt Pſaltes dicit Pſal: 9. *Adiutor in opportunitatibus, & in tribulationibus*, hoc eſt, datur certis temporibus, cum v. eſt opportunum, & neceſſitas flagitat.

Auxilium Efficax efficit vt libero arbitriū cooperetur, illi.

23. Dico ſextò. quantū iam ad gratiā Efficacem *quòd auxilium Efficax habet intentionaliter quandam virtutem realem ad efficiendum, ut illi liberum arbitrium cooperetur, quam in ſe non habet ſufficiens.* PROBATVR. ſecundùm D. Aug. epiſt. 107. ad Vitalem. *Gratia ſufficiens dat poſſe, efficax dat* velle, & perficere. Auxilium ſufficiens facit vt poſſimus operari ſi voluerimus, auxilium efficax eſt quod actualiter operatur, auxilium ſufficiens eſt ſicut actus primus voluntatem in poſſe conſtituens, efficax eſt ſicut actus ſecundus qui actualiter piam operationem exercet. Hoc autem auxilium efficax defert intentionaliter virtutem Dei, qui voluntate abſoluta vult vt homo cuius cor mouet conuertatur, & hanc intentionalem virtutem non ponimus in ſufficienti auxilio, quia ſolùm Deus vtitur efficaci auxilio tanquam inſtrumento ad efficiendum, vt noſtrum liberum arbitrium actualiter cooperetur Deo excitanti. ergo ſolùm tribuit intentionaliter hanc realem virtutem ad hunc effectū infallibiliter producendum.

Gratia Efficax non ſumit ſua Efficaciam à libero arbitrio.

24. Dico ſeptimò. *Falſum eſt quòd gratia efficax ſuam efficaciam à libero arbitrio ſumat, & quòd tunc fiat efficax cùm illi aſſenſum præbet.* PROBATVR quia ſi homo relinquatur intra terminos ſuæ naturæ, nihil eſt in eo quod illum iuuare poſſit ad actus ſupernaturales, qui ſunt ordinis ſupra naturam altioris. ita D. Paul. *Non eſt volentis neq; currentis ſed miſerentis Dei.* & 1. Corinth. 3. *Neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat. ſed qui incrementum dat Deus.* Tum ſequeretur, quòd homo ſuæ ſalutis eſſet principalis cauſa, quod eſt falſum, & quòd ad hunc effectum haberet ſe efficaciter. *Deniq;* in noſtra eſſet poteſtate gratia, quæ nobis à Deo datur, faceret vt ſit efficax aut inefficax, quod certè Pelagianum eſt.

Homo non cauſat ſibi principaliter ſalutem

Efficax gratia vnde ſuam efficaciā habeat?

25. Dico octauò. *Non probamus modum dicendi quorundam recentiorum, quaſi auxilium Dei efficax conſiſtat in motione tantùm morali, & in quantum hominem ſaluandum ponit in tali loco, & tempore, & cum talibus circumſtantiis, cum quibus præſcit illum benè acturum, & ſine illis minimè. ſed habet hanc efficaciam à reali virtute, quam ſecum adfert & vt venit à Deo, & in quantum eſt inſtrumentum voluntatis Diuinæ omnipotentis.* PROBAT *Aluarez tali ratione.* quando agens infinitæ virtutis mouet aliquod ſubiectum, illud ipſum ſubiectum infallibiliter mouetur, nam reſiſtere non poteſt, nec ſua reſiſtentia adæquare, aut ſuperare infinitam virtutem. ſed Deus eſt Agens infinitæ virtutis. ergo voluntas cùm illius ſubeſt motioni, per efficacem gratiam efficienter mouetur. Heſter 13. *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* & D. Th. *in 2. 2dæ q 24. art. 11.* in corpore ait, quod *Spiritus S. infallibiliter operatur*

ratur quodcũq; voluerit. *Præterea* ſi auxilium efficax ideo eſt efficax, quia datur in talibus circumſtantijs, in quibus Deus ſcit hominem conſenſurum, ſequeretur quòd gratia eſſet reuocanda ad aliquid naturale, v. aut in complexionem, aut inſumptionem cibi, aut potus, quod quidem falſum. gratia enim ad naturam reduci non poteſt. *Sequela* nam homo in his circumſtantijs conſtitutus habet cor lætum, vt in tali complexione ſit benè diſpoſitum, ita, vt pro hoc tẽpore ſi veniat auxilium gratiæ ſit illi congruũ, pro alio autem non erit congruũ.

Gratia non reuocatur ad quidpiã naturale.

26. *Nota ex eodem Aluarez* auxilio efficaci præſupponi motionẽ moralem, quæ fit per modum ſuadentis, allicientis, in quantum v. intellectus aliquod obiectum congruũ amabile, conueniens voluntati proponit, nam certum eſt, quòd *nihil ſit volitum niſi cognitum*. vnde non poteſt voluntas aliquid velle, niſi ei ab intellectu fuerit propoſitum, vt conueniens, & ſic allicitur, & quaſi inuitatur, vt illud velit, & ſic eſt motio moralis. ſed quia voluntas quamdiu eſt in via, non poteſt efficaciter moueri ab illo obiecto, ideo non poteſt inducere conſenſum voluntatis infallibilis. ergo hæc infallibilitas ex alio fonte petenda. ſed talis eſt Deus cùm ſit agens infinitæ & omnipotentis virtutis, cui voluntas humana eſt ſub iecta, idemq; eſt qui attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, vnde hoc auxiliũ efficax ſemper eſt congruum, in quibuſcunque circumſtantijs moueat, & huic liberum arbitrium infallibiliter conſentit.

Intellectus quod proponit voluntati hoc illa volt.

27. Dico nonò. *Per hoc auxilium efficacis gratiæ ſecundùm* D. Aug. lib. de Gratia & Libero arbitrio cap. 17. & lib. de Prædeſt. Sanctorum. cap. 8. *Dat Deus efficaciſſimas vires voluntati, vt faciat ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, & duritiam cordis auſert emolliendo, & ad ſe conuertendo, hoc tamen non fit ſine nobis ſimul tempore, ſed poſteriùs ordine rationis & cauſalitatis* PROBATVR ſecundùm Ariſt. 1. Rhet. cap. 1. & 2 duplices ſunt artes: *quædam ſunt* demõſtratiuæ, quæ ſi ſecundùm regulas artis media adhibeant, infallibiliter intentum finem aſſequuntur, quia omnia ſunt in poteſtate artificis, quæ ſunt requiſita ad conſecutionem finis, & ſic ſe habet artifex in domo ædificanda: *quædam ſunt* coniecturales, quæ licèt ſecundùm præſcripta artis ſuæ media procedant, non tamen infallibiliter intentum finem conſequuntur, quia media ad intentum finem requiſita non ſunt in illorum poteſtate, vt Medicus quamuis ea adhibeat, quæ ars illius præſcribit, vt ſanitatem inducat, non ſemper tamen ſanat, quia virtutem naturę & calorem infirmi non habet in ſua poteſtate, ſed Chriſtus Dominus, qui eſt verus Deus in carne noſtra, idemq; ſupremus Medicus habet artem demonſtratiuam, & nõ coniecturalem, ideo conſequitur infallibiliter finem, quem intendit ſua abſoluta & efficaci voluntate, nam in illius poteſtate ſunt omnia media, v & voluntas peccatoris, & auxilia gratiæ efficacis, quibus infallibiliter conuerſionem peccatoris operatur.

Per auxilia Efficacis gratię quid dat Deus?

Artes dẽplices.

Quare Medicus non ſẽper ſanet.

Quomodo per gratiam Efficacẽ Deus prædeterminat voluntatem?

28. Dico decimò. *Per hanc gratiã efficacem*

efficacem Deus prædeterminat phyſicè ſeu efficienter voluntatem ad conſentiendũ, & cooperandum cùm gratia adiuuante. PROBATVR D. Th. *1. p. q. 105. a. 5. ad 3.* dicit: *Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum,* ſi applicat, ergo prædeterminat. *Præterea* Deus eſt verus Dominus omnium ſecũdarum cauſarum. ergo illis vtitur quando vult, & quomodo vult, nã dominium in eo conſiſtit, vt quis re poſſeſſa pro arbitrio vtatur.

Per motionem Efficacem quid Deus faciat

Nota per hanc motionem efficacem Deus voluntatem tranſmutat ex vno in aliud, ita, quòd non ex volẽte faciat volentem. ita D. Auguſt. *cap 19 lib. 1.* contra duas Epiſtolas Pelagianorum dicit Deum hominẽs trahere, vt credant, non vt nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant. & D. Th. *in diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. ad 1.* dicit, quòd Deus operatur in voluntate & in libero arbitrio ſecundùm ei⁹ exigentiam, hoc eſt, cùm voluntatem in aliquid mutat, efficit ſua omnipotentia vt voluntas illud in quod mutatur voluntariè velit.

Obiectio.

29. *Sed inſtabis.* Hæc prædeterminatio Phyſica deſtruit libertatem nàm gratia Efficax eſt determinata ad vnum, & recipitur in voluntate tanquam in ſubiecto. ergo in ea non manet libertas, nam de ratione libertatis eſt, vt ſe ad vtrumq; habeat.

Reſponſio ad eam.

Reſpondeo per hoc argumentum ſolùm colligi, quòd data gratia efficaci in voluntate, illius effectus infallibiliter ſequatur; ſed inde neceſſitas quæ deſtruit libertatem non infertur, ſiquidẽ ordo Diuinæ prouidentiæ hoc poſtulat, vt Deus cum cauſis ſecundis concurrat iuxta earum naturas, v. cum liberis liberè, cum neceſſarijs neceſſariò, cùm contingentibus contingenter. vnde Deus quamuis ſit agens efficaciſſimum, ſic ſuum concurſum phyſicum attemperat, vt licèt phyſicè voluntatem prædeterminet, id tamen conformiter ad eius naturam facit.

Obiectio altera.

Inſtabis ſecundò ex Concil. Trid. *ſeſſ 6 cap. 5 de Iuſtif. Can. 4.* Poſitis requiſitis ad agendum adhuc volũtas reſiſtere poteſt. *Reſpõdeo* quòd abſolutè loquendo in ſenſu diuiſo, voluntas hominis libera poteſt efficaci auxilio Dei reſiſtere ſi velit. ſed Deus per hoc auxilium efficax facit, quod cùm poſſit diſſentire non diſſentiat. ſed in ſenſu compoſito non poteſt iam diſſentire, nã hæc duo ſunt incõpoſſibilia, quòd in homine ſit gratia efficax, & quòd homo diſſentiat.

Nota quando gratia efficax prædeterminat voluntatem ad conſenſum, adhuc tamen poteſt ſi velit diſſentire ſequendo hunc ſenſũ. vnde illius libertas non tollitur. In hac materia vide Aluarez de auxilijs. Zumel in Diſputationibus in *1. 2dæ. ſecunda.* Zanardum in primã partem.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

De Cauſa Gratiæ.

Quinq; examinanda proponimus:

1. *An Deus ſit cauſa gratiæ?*
2. *An ex parte recipientis gratiam requiratur diſpoſitio?*
3. *An talis diſpoſitio poſſit eſſe neceſſitas ad gratiam?*
4. *An gratia ſit æqualis in omnibus?*
5. *An aliquis poſſit eſſe certus quòd habeat gratiam?*

QVÆSITVM I.
An Deus ſit cauſa Gratiæ?

Cauſa principalis efficiens gratiæ Deus.

I. DIco primò. *Solus Deus eſt principalis cauſa efficiens gratiæ, tam actualis quàm habitualis.* PROBATVR Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus. & quis poteſt facere mundum de immundo? nonne tu qui ſolus es? Et ratio eſt* quia nulla creatura poteſt cauſare gratiam, nam hic effectus illius vires excedit, & nulla res vltra vires ſuas agere poteſt. *Ratio ſecunda.* quia gratiam gratum facientem in aliquo cauſare, eſt illum Deificare per quandã participationem Diuinæ naturæ (nam gratia nihil aliud eſt quàm natura Diuina participata) ſed ſolus Deus poteſt Deificare, quia ſolus naturæ ſuæ Diuinæ conſortiũ tribuere poteſt.

Gratia quid ſit?

2. Dico ſecundò. *ſicut recognoſcimus Deum eſſe cauſam efficientem principalem gratiæ, ita quoq; dicimus quòd eiuſdem gratiæ cauſa ſecundaria efficiẽs, inſtrumentalis, eſt humanitas Chriſti & Sacramenta.* PROBATVR de Humanitate Chriſti, Ioan 1. *Gratia & veritas per Chriſtum.* ad Hebr. 2. *Chriſtus ſalutis author,* neq; ſolùm per naturam Diuinam, ſed etiam per naturam humanam, ſiquidem Chriſtus vtrãque naturam eſſentialiter includit. Et 2. Corinth. 5. *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians.* ſ. in humanitate, quæ eſt organum Diuinitatis eius. PROBATVR de Sacramentis. Concil. Trid. *ſeſſ. 6. cap. 7.* docet de Sacramento Baptiſmi, quòd ſit cauſa inſtrumentalis noſtræ iuſtificationis. idem Concil. de Sacramentis nouæ legis docet, quòd faciant id quod ſignificant ex opere operato, ſed ſignificant gratiam iuſtificantem, ergo eandem producunt *Deniq;* Sacramenta ſunt pharmaca, quibus Deus medetur noſtris malis. ſed pharmaca habent vim purgandi, non moralem ſed phyſi-

Humanitas Chriſti eſt cauſa ſecundaria efficiens inſtrumentalis gratiæ.

Sacramenta ſunt quoq; cauſa gratiæ.

phyſicam. ergo ſunt cauſæ inſtrumentales in virtute Dei, tanquam cauſæ principalis agentis.

3. *Sed inſtabis* ſi aliqua creatura poteſt attingere gratiæ productionem. ergo poterit & creationem. Conſequens falſum. ergo & Antecedens. *Reſpondeo* productionis gratiæ & creationis eſſe diſparem rationem: *primò* quia creatio eſt ex nihilo, productio autem gratiæ eſt ex potentia obedientiali naturæ intellectualis: *ſecundò* quia creatio terminatur ad rem ſubſiſtentem per ſe, gratia autem non eſt res per ſe ſubſiſtens cùm ſit qualitas accidentalis. *Quòd verò gratia ex potentia obedientiali animæ fiat* PROBATVR. quia illud ex potentia obedientiali educitur, quod pendet ab ea in *eſſe, fieri* & *conſeruari*. ſed gratia iuſtificans pendet ab eſſentia animæ & in *eſſe*, & in *fieri*, & in *conſeruari*, ita quód gratia ſine ſubſtantia ſpirituali creata, qualis eſt anima intellectiua, exſiſtere nequit.

Productionis gratiæ & creationis cur ſit diſpar?

Sed quæres quænam ſit cauſa finalis gratiæ? *Reſpondeo* quód ſecundũ Concil. Trid. definitionem *ſeſſ. 6. c. 7* eſt gloria Dei & Chriſti. Prou. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* ad Rom. 9. *Prædeſtinauit quoſdam vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Et ratio eſt* quia Deus omnium tam naturalium quàm moralium eſt vltimus finis. ergo etiam ſupernaturalium atque inprimis gratiæ. *Deinde* effectꝰ formalis à gratia productus eſt iuſtificatio noſtra ſed iuſtificatio noſtra ordinatur ad gloriã Dei. ergo gratiæ cauſa finalis eſt gloria Dei.

Gratiæ cauſa finalis quæ?

QVÆSITVM II.

An aliqua diſpoſitio reſpectu recipientis requiratur ad gratiam?

4. HÆ diſpoſitiones ſunt cauſa materialis gratiæ de quibus iam dicendum, quomodo tam in adultis quàm in pueris requiratur. & cùm gratia ſit & Habitualis & Actualis, inquirendum ad quam diſpoſitio ſit neceſſaria.

Dico itaq; primò. *Si loquamur de gratia Actuali ſecundùm quod ſignificat auxilium Dei mouentis ad bonum. ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præueniens ipſum auxilium Diuinum.* PROBATVR *primò.* quia quæcunq; præparatio poteſt eſſe in homine, eſt ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum. ergo hoc auxilium mouens nihil præcedit. *Deinde* motus liberi arbitrij quo quis præparatur ad ſuſcipiendam gratiam, eſt actus liberi arbitrij moti & excitati à Deo, & à gratia præueniente. ergo alia præcedens diſpoſitio eſſe nequit. *Item* quia hæc gratia actualis eſt ratio recipiendi ſe, & quamcunq; aliam gratiam à ſe. *Deniq;* daretur proceſſus in infinitum, ſi hanc præcederet alia, nam rurſus hanc alia atque ſic in infinitum.

Ad gratiam habitualem ſanctificantem obtinendã quid requiratur?

5. Dico ſecundò. *Ad gratiam habitualem ſanctificantem obtinendam requiritur in homine aliqua præparatio quæ fiat cum Diuino auxilio cooperante.* Hoc Dictum de pueris non eſt intelligendum, quia his per baptiſmũ infunditur gratia, cum cæteris habitibus fidei, ſpei, &c. ſine vlla præuia diſpoſitione ex parte illorum. Idem de Angelis, de primis parentibus, de Christi humanitate dicimus, quód ſimul cum infuſione gratiæ ſunt diſpoſiti. Dictum ergo de adultis intelligendum *Probatur.* Scriptura paſſim hortatur peccatores, vt ſe præparent ad recipiendam ſanctificationem. Prouerb. 16. *Hominis eſt præparare animã.* 2. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Deo.* Et Concil. Trid *Seſſ. 6. cap. 5.* docet inprimis, quód *qui per peccata auerſi ſunt à Deo, per eius excitantem atq; adiuuantem gratiam eidem liberè aſſentiendo, & cooperando ad ſuam ipſorum iuſtificationem diſponuntur.* Deinde modum præparationis præſcribit. cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati Diuina gratia, & adiuti fide ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt.* & D. Aug. *Fecit te neſcientem, ſed iuſtificat volentem.* Et *ratio eſt.* nulla forma recipi poteſt niſi in materia diſpoſita. ſed gratia habitualis eſt forma. ergo non niſi in anima diſpoſita recipitur. ergo requirit diſpoſitionem.

Modus præparationis.

Obiectio.

6. *Inſtabis* Oſeæ 13. dicitur: *Perditio tua Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.* & Concil. Arauſic. dicit *Deum non exſpectare aſſenſum volũtatis noſtræ vt benè faciat, ſed nobis incõſultis ſalutem noſtram in nobis operatur.* ergo diſpoſitio non requiritur ex parte hominis. *Reſpondeo* hæc loca ſolùm probare, quod Deus non exſpectato noſtro conſenſu conferat nobis actualem gratiam ſed nõ iuſtificantem. *Reſpondeo ſecundò* Deũ eſſe quidẽ principalẽ cauſam noſtræ ſalutis, ſed cum hoc concordat quód etiam voluntas hominis poſſit eſſe cauſa ſuæ ſalutis, conſentiendo & cooperando gratiæ præuenienti.

Requiſita ad iuſtificationem peccatoris.

7. *Sed quæres* vt homo peccator ſit iuſtificatus à ſuo peccato quænam diſpoſitio requiratur? *Reſpondeo* requiri primò vt ſit contritio perfecta, vt habet Concil. Trid. *Seſſ. 6. cap. 6 & 7. ſecunda* eſt diſpoſitio proxima, ad quam infallibiliter ſequitur gratia, Dilectio Dei ſuper omnia. Ioan. 14. *Si quis diligit me, &c. ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. tertia* attritio cũ Sacramento pœnitentiæ. *Probatur* illud eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, quo poſito ponitur indubitanter ipſa gratia, ita quòd de lege communi aliter euenire non poſſit. ſed poſita in nobis contritione perfecta, & dilectione Dei ſuper omnia, aut attritione cum Sacramento, gratia iuſtificans datur. ergo hæ ſunt tres diſpoſitiones ad gratiam, quas indubitanter infuſio gratiæ ſequitur.

QVÆSITVM III.
An præparanti ſe ad gratiam neceſſariò datur gratia?

Senſus huius Axiomatis An facienti totum quod in ſe eſt Deus nō deneget ſuam Gratiam explicatur.

8. ILlud hic Axioma recurrit examinandum: *An facienti totum quod in ſe eſt Deus non deneget ſuam gratiam?* quod duplicē habet ſenſum: *primus eſt* quód homo faciat quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, nam naturaliter poteſt aliquod opus moraliter bonum tam ex fine quàm ex circumſtantijs operari, & in hoc ſenſu nō loquimur: *ſecundus* vel facit quod in ſe eſt cum Dei motione recipiēdo auxilium gratiæ actualis, & illi cum libero arbitrio cooperando? & in hoc ſēſu diſputatur hæc propoſitio, quia (vt iam probatū eſt) iuſtificationem propriam non poteſt homo viribus ſuis operari, nam alias iuſtitia ex nobis & noſtris meritis eſſet.

Homini iuſtificato & facienti &c. Deus non denegat auxilia.

9. Dico primò. *Homini iam iuſtificato & facienti quantum in ſe eſt, Deus non denegat auxilia, quibus adiutus in iuſtitia permanere poſſit.* Ratio quia talis homo habet Spiritum S. in ſe inhabitantem, qui paratus eſt illius infirmitatem iuuare.

Dico ſecundò. *Homo qui nondum iuſtificatus eſt, nec dum fidem aut gratiā iuſtificantem recepit, ſed qui ad eam vocatur & trahitur, accipit à Deo neceſſaria auxilia, vt ad fidem & ad gratiā iuſtificantem peruenire poſſit.* Probatvr, quia in multis locis dicit Scriptura Deum dare ſpiritum bonum petentibus ſe, *tum* quód ipſe ſit propè omnibus inuocantibus ſe, *tum* quód accedentes ad ſe illuminet. Et *ratio eſt*. quia opera Dei ſunt perfecta, vnde cùm incipit hominem mouere ad aliquem finem, à motione non ceſſat, donec perficiat, niſi ipſe homo impedimentum ponat deſiſtendo & non cooperādo.

10. Dico quartò. *Propter quodcunque opus quod facit homo ex viribus naturæ, non confert Deus certò & infallibiliter prima auxilia gratiæ ex Dei promiſſione, nec hoc Chriſtus ſua paſſione meruit* Probatvr D. Th. *3. con. gen. cap. 149.* ſic dicit: *Non propter hoc datur nobis Diuinum auxilium, quia nos ad illud per bona opera promouemur. ſed potiùs nos ideo per bona opera proficimus, quia Diuino auxilio præuenimur. ſecundò* quidquid datur ex lege & ex promiſſione datur ſaltim ex iuſtitia imperfecta ſed facienti quod in ſe eſt per vires naturæ, ſi ex lege & promiſſione datur gratia. ergo datur ex iuſtitia. ergo dona auxilij non erunt dona gratiæ ſed debita operibus, quod eſt contra illud ad Rom. 2. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſſet gratia. Tertiò probatur* Gratia præueniens non eſſet præueniens, nam à viribus naturæ quæ faciūt quod in illis eſt, præuenta eſſet.

Deus propter quodcunq; opus hominis nō confert prima auxilia gratiæ ſuæ

11. *Sed obijcies* D. Th. *quæſt 14. de Verit. art. 11. ad 1.* dicit: *Si quis enutritus in ſyluis ſequeretur ductum rationis natura-*

Inſtantia.

naturali in appetitu boni & ſuga mali, certiſſimò tenendum, quòd illi Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel prædicatorem fidei ad illum mitteret. *Reſpondeo* ita eſſe quòd hic enutrit' in ſyluis ſequatur ductum rationis præuentus & adiutus adiutorio gratiæ. & ita loquitur in prima ſecundæ *quæſt. 89. art. 6.* in corpore. ſi puer ille ordinauerit ſe in ipſo inſtanti vſus rationis ad debitum finem per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati. Expreſsè loquitur de ordinatione ad debitum finem cum auxilio gratię, nam aliàs ex viribus naturæ ſine auxilio ſpeciali, & remiſſionem peccatorum, & gratiam habitualẽ cõſequeremur, quod eſt falſiſſimũ.

Reſponſio ad eam.

QVÆSITVM IV.
An gratia ſit æqualis in omnibus?

Vnus habitus dupliciter poteſt dici alio maior.

12. NOTO in primis ex D. Th. quod vnus habitus dupliciter poteſt dici alio maior. *primo* ex obiecto ſeu ex fine, & ſic quælibet ſcientia atq; etiã virtus eſt vna alia præſtantior & maior. *ſecundò* ex parte ſubiecti in quantum intenſior eſt in vno quã in alio. tandem.

Quomodo gratia gratum faciens non poſſit eſſe in vno maior quàm in alio?

Dico primò. *Si gratia gratum faciens ex parte obiecti v. Dei conſideretur, non poteſt in vno eſſe maior quàm in alio.* RATIO. Quia hæc gratia ſecundum ſui rationem quemlibet hominem in quo eſt coniungit cum ſummo bono, quod eſt Deus, nec in vno quàm in alio maius bonum aut altiorem finem reſpicit: ergo ſic in omnibus æqualis.

Lutheranorum hæreſis?

Dico ſecũdò *ſi hæc ipſa gratia gratum faciens conſideretur ex parte ſubiecti in quo eſt; ſic vnus homo poteſt eam perfectiùs participare quàm alius.* contrarium tenent Lutherani, & ante hos Iouinianus qui aſſerunt in omnibus hominibus æqualem eſſe iuſtitiam, & ex hoc inferunt, neminem alio meliorem aut ſanctiorem eſſe. *Fundamentum huius Hæreſis* quia dicunt iuſtificationem noſtrã ex imputatione iuſtitiæ Chriſti per quandam denominationem extrinſecam in nobis conſiſtere, quod quàm ſit falſum, ſuperius docuimus v. gratiam in anima eſſe quid reale. *Tum ſi hæc* imputatio iuſtitiæ iuſtificat ergo nos omnes Beatæ Virgini & ipſi Chriſto æquales ſumus, ſiquidem in his omnibus eſt quædam eadem imputatiua iuſtitia quare hoc dogma falſum eſt. Et doctrina Eccleſiæ eſt non omnes fideles eſſe æquales in ſanctitate & iuſtitia Matt. 8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Lucæ 1. *Benedicta tu inter mulieres.* Loquitur per comparationem, fidem centurionis Iſraelis tanquam maiorem præferendo & ſignificando quòd Beata Virgo gratia ſuà mulieres ſuperarit. Et *Ioan. vltimo. Simon diligis me plus his.*

Refutatio eiuſdem.

Quæ cauſa diuerſitatis huius gratiæ?

13. *Sed quæres.* quænam eſt cauſa diuerſitatis huius gratiæ? *Reſpondet* hic D. Th. art. 4. in corpore hu-

re. huius diuerſitatis ratio quidem eſt aliqua, ex parte præparantis ſe ad gratiam qui enim magis ſe ad gratiam præparat, pleniorem accipit. ſed ex hac parte non poteſt accipi prima ratio huius diuerſitatis, quia præparatio ad gratiam no eſt hominis, niſi in quantum liberum arbitrium eius præparatur à Deo. vnde prima cauſa huius diuerſitatis accipienda ex parte ipſius Dei, qui diuerſimodè ſua bona diſponit.

An in aliquibus poſſit eſſe æqualis gratia.

Sed quæres ſecundò. An in aliquibus poſſit eſſe æqualis gratia? *Reſpondeo* in infantibus qui baptiſmũ recipiunt, eſt æqualitas gratiæ quã accipiunt, quia iuſtificantur ſine vllo actu & diſpoſitione præuia. in his verò qui accipiunt gratiam iuſtificantem per Sacramentum Baptiſmi aut pœnitentiæ præuia diſpoſitione, ſed quæ ad perfectam contritionem non peruenit, dicẽdum quod pro diuerſa intentione actuum fidei, ſpei doloris de peccatis, diuerſam & inæqualem gratiam accipiunt: ſi autem contingat aliquos in principio iuſtificationis eſſe æquales in gratia, ſucceſſu tamen temporis multùm inæquales exſiſtunt ob meritorum diuerſitatem.

QVÆSITVM V.

An homo poſſit certò ſcire ſe habere Gratiam?

Quomodo homo poſſit eſſe certus de gratia?

14. DIco primò: *ſi loquamur de certitudine quæ alicui facta eſt per reuelationem, tunc admittimus quód aliquis certò poſsit ſcire ſe eſſe in gratia.* PROBATVR. Quia ſolus Deus eſt, qui operatur noſtram iuſtificationẽ, & illi ſoli certò nota eſt, & poteſt eam, cui voluerit reuelare. ergo vt ſic à nobis certò cognoſci poterit. Hæc reuelatio facta Beatæ Virgini, quando illi per Angelum dictum. *Aue gratia plena, benedicta tu inter mulieres.* Et D. Paulo illis verbis *ſufficit tibi gratia mea.* Et Zachæo. *Hodie huic domui ſalus à Deo facta.*

Dico ſecundò. *Si autem loquamur de certitudine quæ excludit omnem actũ & potentiam formidandi de oppoſito ita nullus etiam iuſtus poteſt certò ſcire ſe eſſe in gratia.*

Certitudo duplex.

Nota. Duplex eſt certitudo. *quadã eſt Phyſica,* quæ omnem formidinẽ excludit de oppoſito, vt cum quis cognoſcit ignem eſſe calidum, ſolem eſſe lucidum. *quædam eſt Moralis* quæ nititur teſtimonio alicuius viri boni, aut ſignis, aut coniecturis probabilibus, & hac certitudine cognoſcimus Hoſtiam eleuatã, eſſe conſecratam; aut puerulum quem videmus à ſacerdote ablui aqua, quód verè ſit baptizatus.

De quali certitudine dicat Dictũ.

15. Hoc igitur Dictum dicit de certitudine Phyſica, & aſſerit quód per ea non cognoſcimus certò nos eſſe in gratia. PROBATVR. Eccleſiaſtici. 9. *Neſcit homo vtrũ amore, vel odio ſit dignus, ſed omnia in futu-*

in futurum ſeruantur incerta Prou.20. *Quis poteſt dicere mundũ eſt cor meum, purus ſum à peccato* Puchrè Beda circa hunc locum, Sapientẽ non dicere neminem eſſe corde mũdum, nam eſſe aliquos ſupponit Scriptura *Beati mundo corde. Beati immaculati* ſed dicit neminem poſſe hoc de ſe ipſo affirmare, nam hi ipſi qui ſunt immaculato & mũdo corde, non poſſunt certò ſcire nec dicere, *mundum eſt cor meum.*

Sed dices. D. Paulus inquit *certus ſũ quód neq; mors, neq; vita, neq; Angeli* &c. *poterit nos ſeperare à charitate Chriſti.* ergo iuſtificatus poteſt certò ſcire ſe eſſe in gratia. *Reſp*: locũ hunc intelligendum eſſe de vi charitatis, cuius tantam virtutem eſſe cupit vt ſit ſufficiens ad ſuperandas omnes tentationes, ſi quis cum ea velit operari. ſed non intendit dicere Apoſtolus quaſi hæc nobis innoteſcat infallibili certitudine vt nulla ſuperſit dubitatio de contrario.

Quali certitudine poſſit homo cognoſcere ſe eſſe in gratia?

16. Dico tertiò. *Poteſt tamẽ homo iuſtus certitudine morali ſeu coniecturali cognoſcere ſe eſſe in gratia* vt ſi ſecundum conſiliũ D. Pauli *probet ſe ipſum & ſic de pane illo edat ex cuius comeſtione plenitudinem gratiæ hauriat.* hoc eſt ſi quis peccata ſua per confeſſionem & dolorem internum expiet, & ad Sacramenti ſuſceptionem accedat, ita quód nihil omittat probabiliter, & ſic quædam eſt certitudo, ſed cõiecturalis, quòd Diuinitus ſtola gratiæ ſit indutus, maximè ſi non modò vllam animi anxietatem ſed quandam ſingularem conſolationem ſentiat. Ita hic tenet D Thomas quód *nemo per ſe ipſum ſine reuelatione poſſit cognoſcere certitudinaliter ſe habere gratiam, ſed ſolùm coniecturaliter.* Ita quoque D. Gregorius lib. 6. Epiſt. 22. ad Gregoriam Auguſtæ cubiculariam ſcribit, quæ ab illo petijt vt à Domino roget, quatenus ſibi reuelare velit, an illi peccata ſint dimiſſa, ſic reſpondet *Rem & difficilem & inutilem poſtulaſti*: difficilem, *quia ego indignus cui reuelatio fieri debeat*: inutilem, *quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis.* Contrarium tenet Ambroſius Catharinus contra quem Dominicus Soto habet Apologiam, dicit enim omnem hominem iuſtificatum certò ſcire ſe gratiam iuſtificantem eſſe conſecutum, vt nulla in oppoſitum dubitatio ſuperſit. *Ratio eius.* Quia vnicuiq; homini iuſtificato datur teſtimonium à Spiritu S. de collata gratia. Ad Rom: 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quód ſumus filij Dei* *Reſpondeo* ex teſtimonio Spiritus S. ſolùm conſtare nobis de medijs neceſſarijs ad ſalutem, non autem quód hic aut ille ſit infallibiliter gratiam iuſtificantem conſecutus. *Idem Hæretici* affirmant *nam primò dicunt* quód poſſunt fideles habere certò notitiam quód illis ſint dimiſſa peccata, & quód ſint filij Dei. *ſecundò dicunt* quód hoc omnes de ſe ſtatuere debent, *alioqui nec fideles*, nec iuſti erunt. *tertiò dicunt* quód hæc ipſa talis fides eſt quæ iuſtificat homines. Ad hanc Hæreſim reijciendam ſufficiat Concil: Tr d: ſeſſ: 6 canone 13. *Si quis dixerit omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam, neceſſarium eſſe vt certò credat & abſq; vlla hæſitatione* &c.

&c. peccata ſibi eße dimißa, anathema ſit.

Infallibilis certitudo de gratiæ adeptione quare in hominibus non reperiatur?

Nota. hæc infallibilis certitudo de adeptione gratiæ, nec in viris ſanctiſſimis reperiebatur, ſed ſumma quædam trepidatio, qualis fuit in B. Hilarione cuius anima circa exitum trepidabat, quãuis ſeptuaginta annis in ſanctitate & auſteritate domino ſeruierit, quod Deus ad exercitium humilitatis & ad maiorem profectum in ſpiritu facit.

DISPVTATIO V.

De primo effectu Gratiæ, ſ: de Iuſtificatione.

Effectus duplex gratiæ

Duplicem effectum Gratiæ Angelicus Doctor conſtituit: *primus eſt* Iuſtificatio impij, quem gratiæ operanti attribuit. *alter eſt* meritum ſeu opera meritoria, & hæc tribuit gratiæ cooperanti. In hac Diſputatione examinanda ſequemur ordinem D. Thomæ, & ideo decem Quæſita proponimus:

1. *An Iuſtificatio impij ſit remiſſio peccatorum?*
2. *An ad iuſtificationem impij requiratur infuſio gratiæ?*
3. *An ad eandem requiratur motus liberi arbitrij?*
4. *An ad eandem iuſtificationem requiratur motus fidei?*
5. *An ad eandem requiratur motus liberi arbitrij contra peccatum?*
6. *An remiſſio peccatorum ſit numeranda inter ea quæ ad iuſtificationem impij requiruntur?*
7. *An Iuſtificatio impij fiat in inſtanti?*
8. *An Gratiæ infuſio ſit prima inter ea, quæ ad iuſtificationem requiruntur?*
9. *An iuſtificatio impij ſit maximum opus?*
10. *An iuſtificatio impij ſit opus miraculoſum?*

QVÆSITVM I.

An Iuſtificatio impii ſit remiſſio peccatorum?

Acceptiones Iuſtificationis variæ.

1. NE ambiguitas in ſignificato iuſtificationis exoriri poſſit. Dico primò. *Acceptiones Iuſtificationis varias eße.* *Primò* ſumitur pro Declaratione externa alicuius innocentiæ in foro externo. Lucæ 10. *Iuriſperitus volens iuſtificare:*

ficare ſeipſum, hoc eſt, volens oſtendere ſe eſſe iuſtum. Et cap. 16. *Phariſæi iuſtificabant ſe ipſos*, hoc eſt, vendicabāt ſibi iuſtitiam coram alijs. *ſecundò* ſignificat liberum eſſe ab aliqua ſeruitute Ad Rom. 6. *Qui mortuus eſt iuſtificatus eſt à peccato*, hoc eſt, liber eſt à ſeruitute peccati. *Tertiò ſumitur* pro eo, quod eſt ius vnicuiq; ſuum reſtituere. Deut. 23 *Iuſtificate impium*, hoc eſt in iudicio veſtro ſi pauper diſceptauerit ius illi proprium reddite. ſunt & aliæ variæ acceptiones Iuſtificationis, quas ſcientes omittimus. Nos in præſenti nomen *Iuſtificationis* ſumimus vt ſignificat hominem à peccatis mortalibus emundatum, & ex immundo purum & ſanctum conſtitui.

Iuſtificatio eſt motus

2. Dico ſecundò. *Iuſtificatio quæ eſt propriè impij, eſt ſecundum rationem motus, qui eſt de contrario in contrarium importans tranſmutationem à ſtatu iniuſtitiæ, per remiſſionem peccatorum, ad ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei.* Dicimus *Iuſtificationem eſſe motum à contrario in contrarium*. nam duplex eſt Iuſtificatio quędam eſt per modum ſimplicis generationis, quæ ſolùm dicit carentiam & negationem gratiæ, quia in ſubiecto nihil pręceſſit quod eſſet gratiæ contrarium, & ſic Angeli & primi parentes dicuntur eſſe iuſtificati in ipſo inſtanti ſuæ creationis: *quadam* verò eſt ratione motus qui eſt à contrario in contrarium, nam ſupponit terminum *A quo* qui ſemper eſt peccatum; Et hoc poſteriori modo ſumimus hic iuſtificationem.

Iuſtificatio duplex.

Obiectio.

3. *Sed obijcies* potius Iuſtificationem habere ſe per modum ſimplicis generationis, nam hæc iuſtificatio eſt tranſitus à ſtatu peccati, qui in priuatione gratiæ conſiſtit, vnde erit per modum ſimplicis generationis quia priuationem formæ ſeu carentiam gratiæ habet pro termino *A quo*. *Reſpondeo* quód ſtatus peccati includit quidem in ſe priuationem, ſed non gratiæ, ſed priuationem conformitatis cum lege, qua mediante legum obſeruantia conuenire debuit, vnde id quod contra legem eſt commiſſum dicitur peccatum, quod quidem eſt habituale, & forma quædam poſitiua, quæ opponitur gratię. vnde meritò D. Th non generationi ſimplici, quę pro termino *A quo*, habet priuationem, ſeu carentiam gratiæ, ſed motui comparauit, qui eſt à contrario in contrarium.

Reſolutio eius.

4. Dico tertiò. *De fide eſt, quòd iuſtificatio impij habet annexam peccatorum remiſſionem.* PROBATVR ad Coloſſ. 1. *Gratias agentes Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum* Loquitur Apoſtolus expreſsè de Iuſtificatione, nam dicit eſſe tranſlationem, cuius terminus *A quo* eſt *poteſtas tenebrarum*, ſeu peccatum, & terminus *Ad quem*, eſt *regnum filij dilectionis ſuæ*, quæ eſt gratia, & includit remiſſionem peccatorum. ergo iuſtificatio annexam habet peccatorum remiſſionem. *ſecundò* Concil. Trid. *Seſſ. 6 decr de Iuſtif cap. 4.* definit: *Iuſtificatio eſt tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundùm Adam.* ſed ſtatus filiorum primi Adæ in quo naſcuntur

Iuſtificatio impij habet annexam peccatorum remiſſionem.

Definitio Iuſtificationis.

ſcuntur eſt peccatum originale, & cùm ab hoc fiat tranſlatio. ergo & eiuſdem fit remiſſio. Hoc ipſum & alia loca ſacræ Scripturæ confirmant. Iſaiæ 43. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*, ſi delentur. ergo auferuntur. & Ezechiel. 43. *Mundamini ab omnibus inquinamentis veſtris.* & Pſal. 50 *Laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* ſed munditics corporis eluit ſordes & inducit pulchritudinem. ergo & iuſtificatio cùm ſit mundatio aufert peccatorum ſordes, & nitorem animæ reſtituit.

Error Hæreticorũ de remiſſionis peccatorum modo.

5. Dico quartò. *Hæretici (vt Lutherus, Melanchton, & alij) agnoſcunt quidem per iuſtificationem remitti peccata, ſed nõ eo modo vt tollantur, ſed quia Chriſti iuſtitia teguntur, vt nobis non imputentur ad culpam.* FVNDAMENTA eorum, ad Rom. 6. 7. 8. Concupiſcentia appellatur peccatum: ſed concupiſcentia manet etiam in iuſtificato. ergo manet vt tecta. ALTERVM *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* ſed quis ſit modus remittendi, dicunt explicare hæc verba: *quorum tecta ſunt peccata*, ſ. per Chriſti merita, ita quód ad pœnam non imputentur.

Quomodo in iuſtificatione remittuntur peccata?

6. Dico quintò. *Huic Hæreſi opponimus veritatem Catholicam, v. quód in iuſtificatione impij ita remittuntur peccata, vt prorſus aboleantur quoad culpã.* PROBATVR. In iuſtificatione impij gratia, & charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritũ S. ergo quoad culpam peccatum non manet. *Conſequentia.* 2. Cor. 6. *Quæ conuentio Chriſti ad Belial? & quæ ſocietas lucis ad tenebras?* SECVNDÒ per iuſtificationem renouatur anima, nam per infuſam gratiam habituale ſpirituali pulchritudine exornatur. ſed deformitas adueniente pulchritudine non tegitur, ſed tollitur. ergo & peccatum ſic remittitur vt tollatur. *Tertiò probatur.* Iuſtificatio facit nos obiectum dignum amore Dei, peccatum verò quantumcunq; tegatur, facit nos obiectum dignum Dei odio. ſed idem obiectum ſimul & ſemel nequit eſſe obiectum amoris & odij. ergo in iuſtificatione, adueniente gratiâ, peccatum, & illius macula excluditur.

Per iuſtificationem Deo amici ſimus.

Ad fundamenta Hæreticorũ reſponſiones.

7. *Ad fundamentum Hæreticorum reſpondeo* concupiſcentiam non eſſe verè & propriè peccatum, ſed ideo dici peccatum, quia eſt effectus peccati, nam poſt peccatum commiſſum eſt relicta, vel ideo peccatum, quia ſolicitat ad peccatum. *Ad ſecundum reſpondeo* hunc locum loqui quidem de Iuſtificatione ſed non ſecundùm eum ſenſum, quaſi peccata adhuc verè maneant poſt iuſtificationem: nam inferiùs Pſalmiſta dicit: *Non eſt in ſpiritu eius dolus.* ſed ſi peccatum manet poſt remiſſionem, quomodo dicit, quód *non eſt in ſpiritu eius dolus?*

Cõcupiſcẽtia cur dicatur peccatum?

Secundò reſpondeo iuſtificati nihil omninò habent vnde damnari poſſint. Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, ſicut nix dealbabuntur.* ſed nix ſecundùm Hæreticos nihil nigredinis admittit. ergo nec iuſtificatio aliquid damnationis quale eſt peccatum.

8. *Tertiò reſpondeo.* ideo dicuntur *tegi*, non quód illorum maculæ & ſordes ſint adhuc ſubiectiuè in anima, ſed quia cùm antea extiterint, non poſſunt iam non fuiſſe, vnde dicuntur *tegi*, nam reſpectu

Quare peccata dicuntur tegi?

præſentis exſiſtentiæ omninò tolluntur, ſed non ratione exſiſtentiæ præteritæ. nam hoc facit Deus per infuſionem gratiæ, vt peccata amplius non exſiſtant, ſed de præterito nõ poteſt facere, vt id, quod fuit, non ſit. quia eſt contradictio à parte rei, vnde ideò dicitur non imputari, quia actus peccati præteriti etiam poſt Iuſtificationẽ Deo non poteſt occultari. ſed quia non exigit pœnas pro illo, dicitur quaſi oblitus eſſe, & ante oculos non habere, & ſic macula relicta per peccatum, per iuſtitiam deletur, præteritio infecta reddi non poteſt, idcirco dicitur *tegi*, & non imputari.

QVÆSITVM II.

An ad Iuſtificationem impii requiratur infuſio gratiæ?

Remiſſum peccatũ nõ intelligitur ſine infuſa gratia.

9. NEgotium nobis & cum Hæreticis, & cum Catholicis authoribus. vnde

Dico primò. *non poteſt intelligi remiſſio culpæ niſi adſit infuſio gratiæ*. PROBATVR. quia offenſa non dicitur remitti, niſi ſecundùm quòd Deus, qui eſt offenſus pacatur offendenti, & Deum offenſum pacari nobis, non eſt aliud, quàm cùm temporalem effectum ſuæ æternæ dilectionis nobis imprimit. hic autem effectus eſt gratia. ergo remiſſio peccati non eſt intelligibilis niſi adſit infuſio gratiæ.

Homo ante peccatũ potuit eſſe ſine gratia & ſine culpa.

Nota homo ante peccatum potuit eſſe ſine gratia, & ſine culpa, ſed poſt commiſſum peccatum nõ poteſt eſſe ſine culpa, niſi adſit infuſio gratiæ.

10. Dico ſecundò. *Lutherani & Caluiniſtæ contra aſſerunt nos iuſtificari non per infuſionem alicuius gratiæ inhærentis in animis, ſed per eandem numero iuſtitiam, quæ eſt in Chriſto, ita quòd homo dicatur iuſtus imputatiuè, & per quãdam denominationẽ extrinſecam*. Pro reſolutione

Iuſtitia qua iuſtificamur quomodo ſit à Deo, à Chriſto, quomodo noſtra?

Nota iuſtitia quâ iuſtificamur coram Deo eſt à Deo & à Chriſto, & eſt noſtra. à Deo eſt effectiuè quia eam in nobis producit. Iſaiæ 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas*. Chriſti verò ideo eſt iuſtitia, quia eam nobis meruit, & ex illius meritò iuſtificamur, *tum* quia nemo dici poteſt iuſtus, niſi de illius plenitudine participet. noſtra verò ideo eſt, quia cùm nobis donũ gratiæ & charitatis tribuitur, per eam renouamur, & efficimur noua creatura, & Deo grata.

Falſitas hæreticorum de iuſtificatione impii.

11. Dico tertiò. *Falſum eſt quod Hæretici crepant, tanquam homo impius per eandem numero iuſtitiam Chriſti formaliter iuſtificetur*. PROBATVR. hanc falſitatem damnauit Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atq; illis inhæreat, aut etiam gratiã qua iuſtificamur eſſe tantùm fauorem Dei anathema ſit*. Tria hic Concil. dicit: *primò* damnat, quòd remiſſio pecca-

peccati poſſit eſſe ſine gratiæ infuſione: *ſecundò* damnat iuſtificationem fieri per ſolam imputationē iuſtitiæ Chriſti: *tertiò* dicit, quód gratia & charitas ſit diffuſa in cordibus, & quód hæc inhęrendo animæ, vt ſubiecto eandem formaliter iuſtificet. *Medina ſic argumentatur.* Chriſtus iuſtificat impium impertiendo ei iuſtitiam ſecundùm menſuram donationis eo modo, ſicut enim ſol impertitur aëri claritatem, & ignis impertitur calorē aquæ, ita Chriſtus in iuſtificatione impertitur impio iuſtitiam. ſed aër clarificatus lumine ſolis non eſt lucid⁹ eo lumine numero, quod eſt in ſole, ſed eo lumine, quod eſt in aëre. ſimiliter aqua non eſt calida eo calore, qui eſt in igne, ſed eo, qui eſt inexſiſtens in aqua. ergo & impius non iuſtificatur ea iuſtitia numero, quæ eſt in Chriſto, ſed quæ illi tribuitur, & eſt in eo inhabitans. ita D. Aug. ſuper illa verba: *Iuſtitia Dei manifeſtata eſt* inquit: *iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem cùm iuſtificat impium.* & ſuper Pſal. 40. dicit: *Iuſtitia Dei eſt, non qua Deus iuſtus, ſed quam Deus impertitur, vt homo iuſtus ſit.*

Id quod iuſtificat impium quid ſit?

12. *Ex quo collige* quód id, quod iuſtificat impium, ſit quædam entitas ſupernaturalis recepta in anima, & in eadem exſiſtens.

Probatur tertiò. dicitur Matth. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum.* ſed ſcribarum iuſtitia fuit ſimulata, nihilominus tamen vera & realis, quæ in duobus conſiſtebat: *primò* quia mūdabant quod de foris eſt: *ſecundò* intus pleni erāt rapina, & immunditia ergo vera iuſtitia & legitima erit quoq; realis, inexſiſtens diffuſa in cordibus, ſiquidem abundantior debet eſſe.

Scribarum iuſtitia duo continebat.

Peccatum nō tollitur abſq; gratia

Probatur quartò. Peccatum importat maculam, ſed macula nunquā tollitur niſi inducatur pulchritudo, quæ quidem eſt gratia, *tum* quia priuationes non tolluntur, niſi habitus oppoſiti generentur. ſed macula eſt priuatio pulchritudinis. ergo hæc non poteſt tolli ab anima niſi gratia quæ facit pulchritudinem reſtituatur.

Obiectio Hæreticorū

13. *Sed obijciunt Hæretici* 1. Cor. 1. *Vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* RESPONDEO verum eſſe (vt hic locus Scripturæ dicit) quód Chriſtus ſit cauſa Efficiens noſtræ iuſtificationis, de quo non diſputamus, ſed non eſt formalis, de quo eſt controuerſia.

Quomodo homo à ſola fide iuſtificatur?

Obijciunt ſecundò. ad Galat. 3. de Abraham dicitur, quód fides reputata ei ad iuſtitiam. *Reſpondeo* hominem à ſola fide non iuſtificari formaliter, ſed ſolùm initiatiuè, & radicaliter.

Obijciunt tertiò. 2. Corinth. 5. vbi de Chriſto dicitur, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* ſed Chriſtus ſola denominatione extrinſeca dicitur peccator, quia *ſe in ſacrificium pro peccatis obtulit.* ergo & nos iuſti dicemur per extrinſecam denominationem. *Reſpondeo* non ſequi, aliter enim Chriſtus eſt peccator, & aliter nos ſumus, Chriſtus (vt iam dictum) dicitur peccator per extrinſecam denominationē, ſed nos verè dicimur peccatores per inhabitans in nobis peccatum commiſſum, quod ſecundùm ſuam deformitatem manet. vnde & iuſtitia tollens hanc deformitatem debet

Quomodo Chriſtus ſit peccator, & quomodo nos?

debet eſſe quid reale intrinſecè in animæ inexſiſtens, vnde formaliter facit nos iuſtos. ſed grauius eſt negotium cum Catholicis. vnde.

14. Dico quartò. *quidam (vt Albertus Pigius controu. 2. de fide & oper. Piletanus 1. par Apol.) concedunt, quod Hæretici negant, requiri ad remiſſionem peccatorum. vt ſit infuſio gratiæ. ſed addunt non per gratiam infuſam fieri remiſſionem, ſed per iuſtitiam Chriſti applicatam peccatori.* Contra hos dicimus, *quòd remiſſio peccatorum ſit effectus formalis gratiæ habitualis infuſæ.* PROBATVR ad Tit. 2. *Secundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.* ſed ſaluari non aliud eſt, quàm conſequi remiſſionem peccatorum, modum autem conſequendi affirmat fieri *per lauacrum regenerationis Spiritus S.* ergo cauſalitatem remiſſionis peccatorum tribuit internæ regenerationi, & renouationi. ſed hanc Spiritus S. per infuſionem gratiæ operatur. ergo remiſſio peccatorum eſt formalis effectus gratiæ. *ſecundò* Concil. Trid. *Seſſ. 6. decr. de Iuſtif. cap. 7.* dicit: *hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola remiſſio peccatorum, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis.* Concil. duo requirit ad iuſtificationem: *primò* remiſſionem peccatorum. *ſecundò* ſanctificationem, & renouationem interioris hominis, & hæc duo coniunctim ſumit. ſed hæc interna renouatio fit per gratiam. ergo per eandem remiſſio peccatorum.

Remiſſio peccatorum eſt effectus formalis gratiæ habitualis infuſæ.

Requiſita duo ad iuſtificationem.

Miſericordia Dei per infuſã gratiam aufert peccatum.

15. *Nota* nos non negare quòd ad remiſſionem peccatorũ requiratur miſericordia Dei condonantis peccata propter merita Chriſti ſed dicimus quòd hæc ipſa miſericordia Dei per infuſam gratiam expellit, & aufert peccata à peccatore, ita quòd abolitio peccatorum ſit effectus formalis gratiæ.

Tertiò probatur. ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui.* ſed Chriſtus eſt iuſtus per intrinſecus inhærentem iuſtitiam. ergo & nos vt ſimus cõformes imagini illius, illius iuſtitiã participare debemus intrinſecus inhærentem animæ. & 1. Corin. 15. *Chriſti imaginem portamus, ſicut portauimus imaginem terreni.* ſed imaginem terreni portauimus per veram intrinſecus inhærentem inexſiſtentiam peccati. ergo etiam debemus imaginem cæleſtis portare per veram, & intrinſecus diffuſam gratiam in cordibus noſtris.

Ad extremum S. Scriptura quoties loquitur de iuſtificatione impij, exprimit illam per verba quæ ſignificant in homine interiorem qualitatiuam mutationem. Dicit enim *hominem mundari, dealbari, exuere veterem hominem induere nouum, regenerari à morte, transferri ad vitam, accipere cor nouum, effici conſortem Diuinæ naturæ,* quæ quidem dicunt mutationem realem intrinſecam in anima hominis inexſiſtentem. ergo ſignum eſt non niſi per infuſionem gratiæ fieri remiſſionem peccatorum.

16. Dico quintò. *Quoniam hîc quæri ſolet.* An poſſit fieri remiſſio peccatorum ſine infuſione gratiæ ſaltem de abſoluta Dei potentia. idcirco dico *quòd loquendo de lege & potentia Dei ordinaria (vt iam locuti ſumus) ad remiſſionem peccatorum ſimpliciter requiritur infuſio gratiæ.*

An poſſit fieri remiſſio peccatorum ſine infuſione gratiæ ſaltem de abſoluta Dei potentia?

gratiæ quia mens, & ordinatio Diuina ita ſe habet, vt non niſi infundendo gratiam expellat peccata. ſed ſi Deus hominem in puris naturalibus creaſſet, abſq; donis ſupernaturalibus, eundemq; ad ſe tanquam ad finem naturalem ordinaſſet certum eſt, quód hic homo ſi peccaret, nullum donum ſupernaturale amitteret per peccatum. ergo ſi idem reſtitueretur à peccato poſſet reſtitui ſine infuſione gratiæ habitualis. *Probatur.* nam hic homo ſic in naturalibus cõſtitutus, & peccans ſolùm amitteret rectitudinem naturalẽ, per quam ad Deum ordinabatur. ergo ſi iuſtificaretur eidem illa rectitudo naturalis amiſſa deberet reſtitui. ſed hoc ſine gratia habituali fieri poteſt, nam ad illam nullum ordinem dicit.

Sed ſi rurſum loquamur de homine, vt iam præter naturalia dona etiam ſupernaturalia accepit, per quæ ordinatur ad Deum tanquam ad finem ſupernaturalem: dico *quód talis homo peccando amittit donum ſupernaturalis gratiæ, nec eidem remiſſio peccati fieri poteſt, niſi infuſio gratiæ fiat.* Ita hic tenet D. Th. art. 2 vbi dicit: *non poteſt intelligi remiſſio peccatorum ſine infuſione gratiæ* Et *ratio illius eſt.* Non eſt intelligibile quód Deus remittit pecatum, niſi illi, cui erat offenſus, placatus reddatur & quem ob peccatum odio habebat, iam amare incipiat. ſed effectus Diuinæ dilectionis in nobis, qui per peccatũ tollitur, eſt gratia, qua homo eſt dign⁹ vita æterna. ergo intelligi non poteſt remiſſio culpæ niſi adſit infuſio gratiæ.

17. *Ratio ſecunda.* Ad iuſtificationẽ impij requiritur vt ſit auerſio à creatura tanquam à fine vltimo, & fiat cõuerſio ad Deum tanquam ad finem vltimum. ſed hoc vtrumq; eſt quædam actio ſupernaturalis. ergo non niſi per principium productiuum eiuſdem ordinis fieri debet. ſed talis eſt gratia. ergo iuſtificatio à peccatis nequit eſſe niſi adſit infuſio gratiæ. *Peccatum tolli nõ poteſt ſine infuſione gratiæ.*

Ratio tertia. Præter reatum ſeu obligationem ad pœnam, qui poteſt intelligi remiſſus ſine infuſione gratiæ importat peccatum etiã maculam, & deformitatem in anima inexſiſtentem. ſed hæc macula, ſeu deformitas ſine infuſione pulchritudinis, quam D. Th. *gratiam* appellat, fieri nequit. ergo requiritur infuſio gratiæ.

Ratio quarta. Tam peccatum habituale quam actuale ineſt homini à parte rei, nam aliàs eſſet quod dam morale figmentum rationis, quod iam non in homine peccatore, ſed in intellectu apprehendentis ineſſet. QVOD *verò habituale ſit formaliter in peccatore. Probatur* Seſſ: 5. vbi dicit de originali quod *eſt habituale ineße vnicuiq; propriũ & transfuſum omnibus.* ergo vult originale quod inſit homini à parte rei. Et de actuali ibidem dicit. *In renatis nihil odiße Deum.* ergo in his, qui non ſunt renati, quales ſunt peccatores ineſt aliquid, v. peccatum, quod odit Deus.

18. *Sed dices.* has rationes ſolùm conuincere de lege Dei ordinaria, ſed non de abſoluta: *quocirca inſto euidenter.* Fieri non poteſt etiam per abſolutam potentiam quód aliqua priuatio à ſubiecto tollatur, *Obiectio: Reſponſio ad eam duplex.*

tollatur, niſi eidem oppoſitus habitus reſtituatur, vt cæcitas, per nullam potentiam à ſubiecto tolli poteſt, niſi eidem potentia viſiua reſtituatur. ſed peccatum eſt priuatio pulchritudinis, ſeu nitoris ſpiritualis. ergo hæc non tollitur niſi habitus pulchritudinis, quæ eſt gratia infundatur.

Secundo inſto. per peccatum mortale eſt voluntas vitiata, deprauata. ſed hoc vitium, & deprauatio per nullam potentiam poteſt tolli. niſi eidem reſtituatur perfectio oppoſita v gratia. ergo illius infuſio requiritur.

Concluſio Scoti quomodo intelligenda?

19. *Nota.* quód Scotus *in 4. diſt: quæſt: 2.* hoc concludit *quód Deus poſſit facere, vt homo, qui nunc eſt in peccato, ſit ſine peccato, & ſine gratia*, quod cùm concedimus, nihilominus negamus, quód ex eo ſequatur, quód poſſit remittere peccatum ſine gratia, nam ſi hoc ita eſſet (vt vult Scotus) ergo hæc non eſſet vera remiſſio quia homini non reſtituitur id, quod per peccatum amiſit, amiſit autem gratiam. vide hic Medinam, Curielem.

Sed inſtat Scotus. Poſt actum peccati manet reatus, ſeu obligatio ad pœnam. ſed hunc reatum poteſt Deus condonare ſine gratiæ infuſione. *Reſpondeo* quód peccatū cōmiſſum præter reatum, ſeu obligationem ad pœnam etiam importat maculam, quæ non poteſt tolli, niſi reſtituatur pulchritudo, quæ eſt gratia.

20. *Secundo inſtat.* peccatum, & gratia opponuntur ſibi mediatè, nam inter hæc mediat ſtatus in puris naturalibus, in quo homo conſideratus, nec habet gratiam nec peccatum. ergo remitti poteſt peccatum ſine infuſione gratiæ, quia peccator deduci poteſt ad ſtatum purè naturalem. *Reſpondeo* peccatum & gratia præciſè conſiderata (vt probat argumentum) admittunt medium, ſed conſiderata in homine lapſo, iam non ſunt mediata, nam homo lapſus, qui ad finem ſupernaturalem erat ordinatus, habet annexam priuationem rectitudinis ſupernaturalis debitę ineſſe, vnde non poteſt illi remitti peccatum, niſi illa rectitudo ſupernaturalis debita reſtitueretur, *tum* quia illa ſola rectitudo naturalis reſtituta faceret hominem nec dignum, nec indignum amicitia Dei: atqui hic homo ad amicitiam Dei eſt ordinatus. ergo gratiam accipere debet.

Quādo peccatū & gratia mediū recipiunt?

21. *Tertiò inſtat.* Homo in puris naturalibꝰ poterat mortaliter peccare, & ab eodem potuit reſurgere, non per gratiam ſupernaturalem, quia ad hanc non eſt creatus. ergo illius peccatum poterit tolli ſine infuſione gratiæ *Reſpondeo* in hoc peccato commiſſo eſſe duo. *Primò* Reatus ſeu obligatio ad pœnam. *Secundò* eſt macula ſeu fœditas. Dico itaq; quoad reatum poteſt illi peccatum remitti: nam liberum eſt Deo tanquā de ſua propria offēſa ſumere aut non ſumere pœnam, & hæc erit remiſſio imperfecta. ſed quo ad maculam dico hanc nullo modo poſſe deleri, niſi præceſſerit aliqua mutatio realis in anima peccatoris, & quidem ſimul cum auxilio gratiæ.

Poteſt peccatū remitti, macula non poteſt deleri ſine gratia.

22. *Sed dices.* quód ille homo ex hypotheſi eſt in ſolis naturalibus. ergo ſine gratia in ſuo ſtatu conſequetur

ſequetur remiſſionem peccatorũ. *Reſpondeo* ita eſſe quòd hic homo eſt conditus in ſolis naturalibus ad finem naturalem conſequendũ. Sed nihilominus addo quòd illius peccatum in illo ſtatu commiſſum repugnat fini ſupernaturali v. gratiæ, & gloriæ, peccatum enim in quocunq; ſtatu conſideretur ſemper habet ſufficientem oppoſitionem ad gratiam, vt eandem deſtruat, ſi hic & nunc in hoc ſubiecto exſiſteret. Vnde homo perſiſtens in ſolis naturalibus nulla indiget gratia, ſed poſtquàm peccauit, iam hypotheſis, hoc eſt ſtatus eius naturalis mutatur. quia homo ille eſt verè maculatus, & ſpiritualiter mortuus, nec per modum negationis, vt antea caret gratiâ, ſed per modum habitus poſitiui peccati fecit ſe illâ indignum. vnde hæc macula non poteſt elui ſine infuſione gratiæ.

An peccatũ & gratia opponantur?

23. *Sed quæres.* An peccatum, & gratia opponantur? Scotus dicit quòd opponantur ex ſola inſtitutione. ſed veriùs Caiet: dicit, quód ex natura ſua, quia Gratia ex natura ſua facit ſubiectum Deo gratum, & peccatum ex natura ſua facit ingratum. ergo ex natura ſua opponuntur.

Sed inſtabis. Comedere carnes feria ſexta ante præceptum Eccleſiæ non aduerſabatur Gratiæ. ergo gratia & peccatum ex humana inſtitutione pugnat. *Reſpondeo* verum eſſe quòd lex humana poteſt efficere, vt id quod non eſt peccatum ſit peccatum, ſed poſtquam eſt declaratũ peccatum, & eſt commiſſum, iam eſt verè peccatum, & ex natura ſua opponitur gratiæ, quia (vt iam dictum) peccatum mortale in quouis ſtatu ex natura ſua opponitur gratiæ.

An gratia & peccatum poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto?

Sed rurſum quæres. An Gratia & peccatum mortale poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto? *Reſpondeo* Loquendo de lege & potentia Dei ordinaria, *dico quód* in eodẽ ſubiecto nõ exſiſtãt, ſiquidẽ idẽ ſubiectum nequit eſſe gratum, & ſimul ingratum. ſed peccatum facit ſubiectum ingratum, gratia verò gratum. ergo de lege ordinaria non poſſunt eſſe ſimul. ſed loquendo de abſoluta & omnipotenti virtute Diuina, dico non repugnare vt in eodẽ homine ſit peccatũ mortale, & gratia.

Idem ſubiectum non poteſt eſſe ſimul gratũ & ingratũ.

24 *Sed dicès.* ergo idem ſubiectũ erit adhuc ſimul, & gratum & ingratum. *Reſpondeo* quód non erit. *Probatur.* licèt gratia de ſua natura faciat ſubiectum Deo gratum, nihilominus poteſt Deus virtute ſua omnipotenti impedire hunc effectum, vt v. illum hominem, in quo eſt, non faciat Deo gratum, nam ſicut ignis de ſua natura vrit, & calefacit, poteſt tamen Deus virtute ſua omnipotenti impedire, vt non vrat nec calefaciat, vt in fornace Babylonica factum.

Effectus tres formales mortalis peccati.

Secundò probatur. Peccatum mortale tres effectus formales inducit: *primus* priuat debita rectitudine: *ſecundus* deſtruendo gratiam, facit peccatorem ingratum: *tertius* inducit reatum pœnæ æternæ vel temporalis. Et primus quidem effectus competit peccato conſiderato in genere entis, & nulla virtute à peccato ſeparari poteſt: duo autem reliqui conueniunt peccato conſiderato ſimul, & in genere

entis

entis & moris. ſi enim Deus in homine, qui peccatum commiſit, nollet deſtruere gratiam, hæc cum peccato ſimul eſt, quia nihil virtutem Dei efficacem, & abſolutam impedire poteſt. *Similiter* ſi Deus à peccatore non exigeret pœnas peccati, iam peccatum hunc effectum non produceret, hoc autem fieri poteſt, quia Deus ad extra in ſuis actionibus eſt liber. ergo poterit Deus peccatum conſeruare in homine cum primo effectu formali, quód priuat rectitudine debitâ ſine alijs effectibus, & ſic peccatum hominem non faciet ingratum.

Deus in actionibꝰ liber.

Gratiæ effectus formales quatuor

25. *Tertiò probatur.* Gratiæ ſunt quoq; quatuor effectus formales. *Primus* quia in genere Entis ſupernaturalis facit nos comparticipes Diuinæ naturæ. *ſecundus* in genere Entis, & moris ſimul facit nos gratos Deo. *tertius* tribuit ius ad vitam æternam. *quartus* confert condignitatem actionibus noſtris, vt ſint meritoriæ vitæ æternæ. ſed Deus virtute ſuâ poteſt conſeruare gratiam cum primo effectu formali, quòd nos comparticipes Diuinæ naturæ faciat ſine alijs effectibus. *Probatur.* duo ſunt effectus quantitatis: *primus* extenſio partium quoad ipſũ corpus: *ſecundus* extenſio partiũ quoad ipſum locũ. ſed poteſt Deus virtute ſua conſeruare quantitatem cum primo effectu v. cum extenſione partium quoad corpus, vt de facto facit in corpore Chriſti ſub ſpeciebus conſecrati, nam ibi eſt extenſio partium corporis Chriſti, ſunt enim partes extra partes, nam caput non eſt brachium, ſed omnes inter ſe partes ſunt diſtinctæ, & eadem quantitas corporis Chriſti quoad locum nõ retinet ſuam extenſionem. ergo ſimiliter Deus poteſt gratiam in aliquo homine per virtutem omnipotentem conſeruare cum ſolo effectu primo ſine reliquis.

Quantitatis duo effectꝰ.

Deus conſeruat Quãtitatẽ cum primo effectu.

Peccatum & Gratia quomodo inter ſe pugnant?

26. *Quartò probatur.* Peccatum & gratia non magis pugnant inter ſe, quàm calor & frigus. ſed hæc in rebus naturalibus compatiuntur ſe ſecundùm gradus remiſſos, atq; etiam cõpatiuntur ſe ſecundũ intenſos, nam Theologi cõcedunt in damnatis ſimul eſſe ſummũ frigus, & ſummũ calorem. *Similiter* non repugnat quòd quis ſimul videat Eſſentiam Diuinã, & ſit beatus, & quod idẽ in appetitu ſenſitiuo dolores patiatur, & ſic in Chriſto tempore paſſionis eſt impletũ per Diuinã virtutem. ergo per eandẽ non repugnabit in eodem homine gratiam & peccatum reperiri.

27 *Nota quoad ſubiectum,* quód vtriuſq; ſ. gratiæ & peccati eſt homo, ſed remotum ſubiectum, nam ſunt alia proxima gratiæ, & eſt eſſentia animæ, peccati eſt voluntas proximum ſubiectum. vnde

Si obijcias. ſi in eodem homine eſt peccatum, ergo dicetur iniuſtꝰ, & in eodem ſi eſt gratia, ergo erit iuſtus. *Reſpondeo* quòd contradictoria debent eſſe ad idem, & ſecundùm idem, & eôdem modo, iam autem non ſunt ad idem, nam erit iuſtus ſecundùm animę eſſentiam, & iniuſtus ſecũdùm voluntatem.

Obiectio.

Ad extremum probatur. quando peccator implet peccata manet in eo actus peccati admiſſi quamdiu non eſt retractatus per pœnitentiam. ſed hic actus, vt ſic, non opponitur gratiæ conſideratæ ſecundum

dùm ſuam entitatem, nam entitas gratiæ eſt ſupernaturalis, quæ hominem comparticipem Diuinæ naturæ facit, actus autem præteritus commiſſi peccati eſt totius ordinis naturalis, & non exſiſtit phyſicè ſed moraliter. ſolùm enim per extrinſecam denominationem dicitur de eo, qui peccauit. ergo non opponuntur phyſicè. ergo ſimul eſſe poſſunt ſaltem per potentiam Diuinam.

28. *Sed obijcies* Gratia eſt cauſa formalis noſtræ iuſtificationis. ergo non compatitur ſecùm peccatum, quia repugnat iuſtificationi. nam iuſtificatio eſt trāſlatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. *Reſpondeo* Gratia dupliciter conſideratur: *primò* in genere entis, & ſic non eſt perfecta cauſa noſtræ iuſtificationis: *ſecundò* in genere entis & moris ſimul, hoc eſt, inquantum gratuitò remittit peccata, & hoc ſecundo modo, etiam per abſolutam Dei potentiam, cum peccato ſimul non conſiſtit: ſed primo modo in genere entis conſiderata iam peccatum compatitur.

Gratia dupliciter cōſideratur.

QVÆSITVM III.

An ad iuſtificationem impii requiratur motus liberi arbitrij?

Error Hæreticorum.

29. NEgant Hæretici, & illorum anteſignanus Lutherus. dicit enim duo: *primò* quód homo poſt peccatum primi parentis non habet libertatem ad bonum, ſed in omni ſua actione peccat. iuxta illud Iſaiæ 64. vbi dicitur: *Noſtras iuſtitias eſſe ſicut pannū menſtruatæ*: *ſecundò* tribuit ita iuſtificationem noſtram miſericordiæ Dei, vt prorſus concurſum liberi arbitrij excludat. iuxta illud Ioan. 15. *Non vos elegiſtis me, ſed ego elegi vos.* Pro determinatione

Ad iuſtificationem requiritur motus liberi arbitrij in his qui habent vſum illius.

30. Dico primò. *Hi qui habent vſum liberi arbitrij non iuſtificantur, niſi illorum mens liberè ad iuſtificationem moueatur.* PROBATVR. Iuſtificatio noſtra eſt conuerſio ad Deum, ſed Scriptura in multis locis inuitat peccatores, vt ad Deum conuertātur, quod profectò fruſtra fieret, ſi peccator ad ſuā iuſtificationē non cooperaretur, ſed ſe merè paſſiuè haberet ſicut malleus in manu fabri, aut lutum in manu figuli. ergo motus liberi arbitrij ad iuſtificationem requiritur. dicitur enim Ioël. 2. *Cōuertimini ad me in toto corde veſtro.* & Iſaiæ 45. *Conuertimini ad me, & ſalui eritis.*

Secunda eſt ratio D. Th. Deus eſt qui in peccatore operatur iuſtificationem, & idem Deus eſt, qui vnamquamq; creaturam mouet ſecundùm modum illius naturæ cōuenientem. ſed iuſtificatio eſt quędam mutatio. nam homo à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ mouetur ergo hanc mutationem faciet Deus ſecundùm conuenientem modum naturæ

Iuſtificatio requirit motum liberi arbitrij.

naturæ hominis. ſed natura hominis ſita eſt in libero arbitrio. ergo Deus hanc mutationem, quæ eſt iuſtificatio, operatur mouendo peccatoris liberum arbitrium, & eodẽ illam acceptante. ergo ad iuſtificationem motus liberi arbitrij requiritur.

Obiectio.

31. *Sed inſtabis.* Angeli & primi Parentes in inſtanti ſuæ creationis ſunt iuſtificati, & intus motus liberi arbitrij ad iuſtificationem nõ præceſſit. *Reſpondeo* nos loqui de iuſtificatione peccatoris, in quo ſicut fuit receſſus à Deo, quando peccauit, & hic receſſus fuit per liberũ arbitriũ, ita conueniens erat, cùm ad Deum conuertitur, vt liberè conuertatur, & ad iuſtitiam perueniat.

Quomodo Deus adultum peccatorem iuſtificat?

Nota quando De⁹ aliquem adultum peccatorem iuſtificat, ſic eum mouet ad iuſtitiam, vt in eo excitet aſſenſum voluntatis, & ad acceptandum donum gratiæ iuſtificantis, quod offertur.

In infantibus, adultis amentibus cũ per ſuſceptionem Baptiſmi iuſtificantur non requiritur in iuſtificatione mot⁹ liberi arbitrij.

32. Dico ſecundò. *In infantibus cùm per ſuſceptionem Baptiſmi iuſtificantur, ſimiliter in adultis, amentibus, qui nũquam ad vſum rationis peruenerũt, non requiritur in iuſtificatione motus liberi arbitrij.* Et *ratio eſt* D. Th. hi enim quemadmodum culpam originalis peccati contraxerunt non per actum propriæ voluntatis, ſed primorum parentum: ita conueniens, vt, ſicut per generationem carnalem, cuius eſt caput Adam, in eos peccatum deuenit; etiam per generationem ſpiritualem, cuius eſt caput Christus, gratia iuſtificationis in eos transfundatur ſine motu propriæ volũtatis, ſicut ſine motu eiuſdem proprio, peccatum originale contraxerunt.

An neceſſariò requiratur in habentibus vſum rationis vt motus liberi arbitrij ſit ſimul cum infuſione gratiæ?

33. *Sed quæres* An neceſſariò requiratur in habentibus vſum rationis, vt motus liberi arbitrij ſit ſimul cum infuſione gratiæ. *Reſpondeo* quando peccator iuſtificatur ſine reali ſuſceptione Sacramenti, tunc in illo ſimul cum infuſione gratiæ requiritur motus liberi arbitrij, hic autem motus talis eſſe debet, vt cum adiutorio gratiæ Diuinæ excitet in ſe dolorem de peccatis, cum voto percipiendi Sacramentum, quod quidem eſt diſpoſitio vltima, ad quam infunditur gratia. ſi autem impius iuſtificatur per Sacramenti ſuſceptionẽ, tunc nõ eſt neceſſe vt ſit ſimul, ſed ſufficit quód ille motus præceſſerit, vnde ſi accidat aliquem tunc diſtrahi, quando baptizatur, aut abſoluitur, præſertim ſi antea ſe diſponebat non impedietur infuſio gratiæ.

Caietanus circa hunc Articulum aliter ſentit, dicit enim omninò nõ fore infuſionem gratiæ niſi adfuerit actualis motio, & intentio liberi abitrij. ſed hic Caiet. deſeritur, quia hanc euagationem mentis contingit quandoq; eſſe naturalẽ, ita vt homo non aduertat, & per conſequens eſt inculpabilis: nam aliàs, ſi hæc euagatio impediret effectum Sacramenti, eſſet peccatum mortale, quod dici non debet: cùm ſit per inanimaduertentiã: vnde & inculpabilis, & ideò ſufficit, quód antea actualis motio liberi arbitrij cũ præparatione præceſſit, & in ipſa receptione Sacramenti ſufficiet virtualis motio.

34. *Sed rurſus quæres* ſi autem in adulto habente vſum rationis, nulla motio liberi arbitrij præceſſit, an poſſit iuſtificari? *Reſpondeo* loquendo

Si in adulto habente vſum rationis nulla motio liberi arbitrij præceſſit an poſſit iuſtificari?

quendo de ordinaria lege Diuina dico quód non poſſit, nam ſic ordinauit Deus, quód eum non ſit iuſtificaturus adultum, qui habet vſum rationis, niſi per eius motum ad Deum ſe conuertat. loquendo autem de abſoluta lege, & potentia dico poſſe hominem iuſtificari ſine motu illius arbitrij. *Probatur.* quia nulla eſt in eo repugnantia. *Item* quia gratia eſt, quæ expellit peccatum, & iuſtificat impium. ſed Deus ſine vlla motione liberi arbitrij poteſt infundere gratiam. ergo & iuſtificare impium. ad fundamẽta Lutheri dico.

Ad fundamenta Lutheri.

Ad primum falſum eſt (vt iam antea probatum, & oſtenſum) nam homo ſtante corruptione naturæ, & cum peccato mortali poteſt opera moraliter bona operari, idemque cum actuali auxilio gratiæ Diuinæ poteſt ſe diſponere ad recipiendam gratiam.

Ad ſecundum dico verũ eſſe, quód miſericordia Dei in nobis operatur iuſtitiam, ſed ab eo non excludit cooperationem liberi arbitrij, & quando dicitur *non ex operibus*, dicas tu non eſſe ex operibus, inquãtum ſunt meritoria primæ gratiæ iuſtificantis, ſed tamen ex operib⁹ vt ſe habent per modum diſpoſitionum.

QVÆSITVM IV.

An ad iuſtificationem impii requiratur motus fidei?

Ad iuſtificationem impij requiritur motus fidei.

35. DIco primò. *De fide eſt, in quo etiam Hæretici conueniunt, quòd ad iuſtificationem impij requiritur motus fidei.* PROBATVR ad Rom 5. *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum,* &c. *per quem, & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam.* Ad Galat. 3. *Ex fide iuſtificat gentes Deus.* Et *ratio eſt* D. Th. ad iuſtificationem impij requiritur motus animæ, per quem conuertatur. ſed hic motus animæ conuertentis ſe ad Deum, eſt primus fidei. Ad Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* ergo motus fidei ad iuſtificationem eſt neceſſarius.

Hic motus in quo ſitus eſt?

36. *Nota* hic motus, ſeu actus fidei in eo potiſſimum ſitus eſt, vt credamus Deum eſſe iuſtificatorẽ hominum per Chriſtum. iuxta illud: *Credenti in eum, qui iuſtificat impium fides reputatur ad iuſtitiam.*

Nota ſecundò hoc Dictũ de adultis ſolùm intelligendum, quód in eis, & habitus, & actus fidei requiratur, in paruulis autem qui nondum exercitium rationis habent, non requiritur actus fidei, qui per modum diſpoſitionis antecedenter ſe habeat ad infuſionẽ iuſtitiæ.

Quæ fides non Iuſtificat?

Dico ſecundò. *Falſum eſt, quód ea fides iuſtificet quæ conſiſtit in fiducia & præſumptione, vt cùm quis certò ſibi perſuadet, ſibi per Chriſtum peccata eſſe dimiſſa, & quód in Filium Dei ſit adoptat⁹,*

Fides triplex ſecundùm Hæreticos.

37. *Nota* quód Hæretici triplicē fidem ſtatuant: *quædam eſt Hiſtorica*, vt cùm propter Diuinam authoritatem credimus ea omnia eſſe vera quæ in Scriptura continentur: *quædam Miraculorum*, quæ virtutem habet miracula faciendi: *quædam Promiſſionum*, quâ credimus promiſſiones nobis eſſe factas à Deo. Et hāc fidem rurſum diuidunt in *Generalē* quâ & promiſſiones credunt, & Deum in illis præſtandis eſſe veracem. & in *Specialem*, vt cùm quis ex credentibus illas promiſſiones ſibi applicat, & quód ſibi per Chriſtum ſit facta remiſſio peccatorū. & hanc fidem ſpecialem ſolam dicunt requiri, & eſſe ſufficientem ad iuſtificationem. & hoc in præſenti Dicto dicimus falſum eſſe.

Fides promiſſionum duplex ſecundū eoſdem.

Probatur primò. Concil. Trid. *Seſſ. 6. Can. 12. Si quis dixerit fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam Diuinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolā eſſe, quà iuſtificamur. anathema ſit.*

38. *Probatur ſecundò.* ex Scripturis colligitur, quód fides, quæ ad iuſtitiam requiritur, non fundatur in iuſtitia præſumptuoſa: ſed quód illa fides eſt, quæ iuſtificat, quando v. reuelatis veritatibus, & promiſſionibus firmiter aſſentimur, ita quód credamus Deum eſſe veracem. ad Rom. 10. *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum Chriſtum, & in corde tuo credideris, quód Deus ſuſcitauit eum à morte.* In hoc loco expreſſè loquitur Scriptura de fide, quæ eſt intellectus, nam dicit, vt *credatur corde, & ore fiat confeſſio Chriſti.* & Actor. 8. dixit Philip. *Si credis ex toto corde,* licèt ſ: vt baptizeris: reſpondet Eunuchus, *Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum,* & in hac fide baptizatus eſt. ſed hæc fides eſt intellectus, & non requiſiuit ab eo fiduciam remiſſionis peccatorum.

Probatur tertiò. ab his, qui ad Eccleſiam per Baptiſmum accedunt, quales ſunt Cathechumeni, non requiritur fides, vt certò credant ſibi eſſe remiſſa peccata, ſed proponitur illis fides, quam Symbolum Apoſtolorum continet.

Probatur quartò. fides ſecundùm Hæreticos petenda eſt ex verbo Dei, ſed in verbo Dei nuſquam reperitur, quód vnicuique ſit certò denuntiata remiſſio peccatorum.

Nulli renuntiantur remiſſa peccata.

39 *Sed inſtabis* eſſe quaſdā Scripturas, quæ continent generales promiſſiones, in quibus continentur particulares quibus quilibet certificatur de peccatorum remiſſione, vt Ioan. 3. *Qui credit in Filium habet vitam æternam.* Actor. 13. *In hoc omnis qui credit iuſtificatur.* RESPONDEO has Scripturas non agere de fide promiſſionum, cui noſtram iuſtificationem attribuat, ſed loqui de fide, qua quis credit veritates diuinitùs reuelatas, vt quòd Chriſtus ſit Filius Dei viui, quòd pro genere humano mortuus, paſſus, & à mortuis ſuſcitatus.

Obiectio.

40. Dico tertiò. *Eſt igitur motus fidei requiſitus ad iuſtificationem, vt veritatibus præſertim de Chriſto reuelatis firmiter aſſentiamur.* hoc Dictum apertè ex ſuperioribus colligitur.

Motus fidei ad iuſtificationem requiritur.

Dico quartò. *Hæc eadem fides, quæ ad iuſtificationem eſt neceſſaria, non ſolùm in intellectu, ſed etiam in voluntate conſiſtit.* PROBATVR. Intellectus eſt prior potentia, quàm voluntas, nam intellectus eſt dux voluntatis. ergo

Hæc fides quæ ad iuſtificationem eſt neceſſaria in quibus conſiſtit.

tis. ergo neceſſe eſt, vt primò quoad intellectum per actum fidei ſupernaturalem Deo ſubijciamur. Et quia ad iuſtificationem requiritur vt ſit infuſio habitualis gratiæ, quę recipitur in voluntate, quam ſanat, & rectificat. ideo etiam fides eſt in voluntate. *Præterea* quando homo peccauit, per voluntatem ſuam receſſit à Deo. ergo cùm conuertitur & iuſtificatur, in eadem voluntate debet in ſe motum etiã fidei, in quam piè ſit affecta excitari.

Sola fides ſine bonis operib. nõ ſufficit ad iuſtificationem.

41. Dico quintò. *Sola fides ſine bonis operibus non ſufficit ad iuſtificationem* eſt contra Hæreticos. PROBATVR. Iacobi 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.* & *Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* & *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Iuſtus ex fide viuit tripliciter.

Sed obijcies. Abacuc. 2. *Iuſtus ex fide viuit.* RESPONDEO ſecundùm Concil: Trid: ſeſſ: 6. cap. 8. ita eſſe quòd iuſtus viuat ex fide, ſed *initiatiuè*, quia ab ea iuſtificatio initium ſumit. Viuit etiam *fundamentaliter.* quia fides eſt fundamentum quæ ſuſtentat bonos motus voluntatis noſtrę. Viuit *Radicaliter*, quia ab ea tanquam à radice rami bonarum actionum pullulant, quibus ad iuſtitiam diſponimur & quẽadmodũ arbor quamuis in radice viuat, tamẽ ſi in ramis, & fructu ſterilitatem, & ſiccitatem præſefert, cenſetur eſſe mortua: ita ſi à fide rami bonarum operationum detrahantur, omnino fides mortua erit.

42. *Sed quæres.* Quænam cauſa cur D. Paulus Iuſtificationem frequenter fidei adſcribat, & magis, quam charitati, aut pœnitentiæ. *Reſpondeo.* omiſſis alijs cauſis, quas hic apud Med: quiſq; videre poteſt, hæc eſt potiſſimã, quam adfert D. Auguſt. *Quia in his, qui ad Chriſti fidem accedebant primò & principaliter fides requirebatur, quia hæc eſt ianua ſalutis ſed poſtquam Chriſti fidem ſunt amplexi, his vlteriora Chriſti fidelium officia proponebantur v. vt pœnitentiæ, & charitatis operibus addicti eſſent.* D. ergo Paulus tanquam Euengelij tuba, qui Chriſtum Gentibus annũtiabat idcircò ab his primò fidem exigebat, ſed eandem poſtea bonis operibus locupletatam eſſe volebat, vnde vnicuiq; ſtatui hominum certa officia bene viuendi deſcribit.

Quænã cauſa cur D. Paulus iuſtificationem frequenter fidei adſcribat & magis quam charitati aut pœnitentiæ?

QVÆSITVM V.

An ad iuſtificationem impii requiratur motus liberi arbitrij deteſtantis peccata?

Duplex motus liberi arbitrij requiritur ad iuſtificationem impij

43. PRo reſponſione Dicò *Duplex motus requiritur Liberi arbitrij ad Iuſtificationem impij, vnus quò per deſiderium tendat ad iuſtitiam, alius quo deteſtetur peccatum.* PROBATVR. peccati deteſtationem includit in ſe pœnitentia. ſed ad iuſtificationẽ

 impij

impij pœnitentia eſt neceſſaria. *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis.* Et *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Ergo & deteſtatio peccati neceſſaria. *D.Th. ſic probat.* Iuſtificatio eſt quidam motus, quia tranſit à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. ergo voluntas impij pœnitens ad vtrumq; extremum eo modo debet ſe habere, quo ſe habet corpus, quando localiter mouetur. ſed in motu corporali fit receſſus à termino *a quo*, & acceſſus ad terminum *ad quem*. ergo & mens humana in Iuſtificatione debet recedere à peccato & accedere ad iuſtitiã, & hic quidem receſſus à peccato fit per deteſtationem, acceſſus verò per deſideriũ. Ita loquitur D. Auguſt: tractatu 45. in Ioan: *Affectiones noſtræ motus animorum ſunt, progrederis animo cum appetis, fugis animo cum metuis.* Et tract: 48 *non greſſibus corporis, ſed affectibus animi ad Deũ accedi, vel ab eo recedi.* ergo in iuſtificatione per motũ deteſtationis à peccato recedẽdũ, & accedẽdũ ad iuſtitiã. ergo hic mot⁹ liberi arbitrij deteſtãtis peccatũ requiritur ad iuſtificationem.

Homo in iuſtificatione recedit à peccato per deteſtationem, accedit ad iuſtitiam per deſiderium

44 *Nota* Hæc peccati deteſtatio non includitur in formali ratione Iuſtificationis, ſed habet ſe antecedenter, & per modum diſpoſitionis. *Et ratio eſt* quia cùm tranſmutatio à peccato ad Iuſtitiã fiat per infuſionẽ gratiæ, requiritur in adulto, vt ſit quædã diſpoſitio præcedens, quæ odiũ peccati cõcipiat.

Quomodo ſe habeat deteſtatio peccati in juſtificatione?

Nota ſecundò. hi duo actus v. *Deteſtatio, & Deſiderium* ſecundùm D. Th. *ad primum* hic *art. 5.* videntur eſſe vnus actus, nam ad vnam & eandem virtutem charitatis ſpectant: nam odiſſe vnum oppoſitum, & amare alterum oppoſitum, ad eandem virtutem charitatis ſpectat. Caietanus hæc diſtinguit, dicit enim quód habent diſtincta obiecta, nam actus deteſtationis habet pro obiecto *malum*, actus verò deſiderij habet *bonum*. ergo ſunt actus diſtincti. ſed dico verum eſſe, ſi vterq; actus conſideretur abſolutè, & vt voluntas in vnumquemq; illorum ſigillatim fertur. ſed ſi conſiderentur vt cùm voluntas in vtrũq; actũ ſimul fertur, nam ſumma dilectio Dei includit in ſe peccati deteſtationem, & ideo vt ſic ſunt vnus actus.

Deteſtatio & deſideriũ an ſint actus vnus?

45. *Nota tertiò.* Hic actus deteſtationis peccati in Pœnitentia locum habet, nam communiter pœnitentia definitur quód *ſit dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum.* Vnde his, qui de peccatis pœnitent elaborandum, vt hunc actum deteſtationis in ſe excitent, excitabunt autem facile ſi Deum amare incipient, ex quo odium peccati concipient.

Definitio pœnitentiæ.

Nota vltimo. in ſolutione hic art: 5. ad 3. videtur D. Th affirmare, quód ad remiſſionem peccatorum requiruntur ſingulorum peccatorum ſingulæ deteſtationes. ſed dicimus quód ad Iuſtificationem impij, quæ fit in inſtanti ſufficit vna generalis deteſtatio, cum contritione, quæ feratur vt incendium ad comburenda peccata: per illas verò ſingulas contritiones, intelligendi ſunt dolores, quibus peccator afficitur, dum ſe reum vniuſcuiuſque per confeſſionem facit.

Ad remiſſionem peccatorũ quæ requiruntur?

QVÆSI-

QVÆSITVM VI.

An peccatorum remiſſio ſit vnum requiſitum ad iuſtificationem neceſſarium?

Ad conſtituendam Iuſtificationem cõcurrunt quatuor.

46. DIco *Remiſſio peccatorum, eſt vltimum inter ea quæ ad Iuſtificationem requiruntur* PROBATVR. Quatuor ſunt quæ ad conſtituendam iuſtificationem concurrunt. *primò* infuſio Gratiæ. *ſecundò* motus liberi arbitrij in Deum: *tertiò* motus deteſtationis in peccatum: *quartò* remiſſio peccatorum. *Et ratio eſt.* Quia (vt ſæpius dictum) *iuſtificatio eſt motus animæ à Deo cauſatus, per quem à ſtatu culpæ ad ſtatum iuſtitiæ fit tranſitus.* ſed in quolibet motu requiritur motio mouentis, & ſic eſt infuſio gratiæ. *ſecundò* requiritur motus mobilis tã ſecundùm receſſũ à termino *A quo*, & ſic eſt Deteſtatio, quàm ſecundùm acceſſum ad terminum *Ad quem*, & ſic eſt iuſtificatio. *quartò* requiritur conſummatio motus, & hæc fit per remiſſionem peccatorum Iſaiæ. 27. *Et iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius.* ergo peccatorum remiſſio eſt vnum requiſitum ad Iuſtificationem conſequendam.

47. *Sed inſtabis.* Gratiæ infuſio, & peccatorum remiſſio idem ſunt. ergo peccatorum remiſſio non eſt quid diſtinctum à Gratiæ infuſione. *Antecedens.* ſicut enim idem eſt illuminatio, & Tenebrarum expulſio, ita idem ſunt Gratiæ infuſio, & peccatorum remiſſio, nam ſicut ad poſitionem luminis tenebræ pelluntur, ita ad infuſionem gratiæ peccata tolluntur, *Reſpondet D. Th.* Hæc duo conſiderata quoad ſubſtantiã actus. habet idẽ *eſſe*, quia Deus eodem actu, & infundit gratiam, & remittit peccata. ſed conſiderata ex parte obiectorum ſic iam differũt, nam hic act⁹ habet duplicem terminum, Ablationem culpæ & poſitionem gratiæ, & ſicut luminis infuſio, & tenebrarũ expulſio vnus eſt idemq; actus re, ſed ratione terminorum, & obiecti differunt, vt enim terminatur ad lumen introductum, dicitur *Illuminatio*, vt terminatur ad tenebrarum expulſionem, dicitur *Expulſio*, ita iuſtificatio, & illius motus nunc eſt ad gratiæ infuſionem, nunc ad peccatorum expulſionem, qui ſunt diuerſi termini & diuerſa obiecta.

Gratiæ infuſio, & peccatorũ remiſſio quomodo ſint idem & quomodo differant?

Medina hic addit quòd expulſio peccatorũ nõ ſolùm eſt impeditiuũ boni introducendi, ſed eſt quoddã malũ, vnde expulſio non ſecundũ quid, ſed per ſe intenditur, & à Deo qui iuſtificat, & ab homine qui iuſtificatur, vnde expulſio peccati eſt vltimus terminus in iuſtificatione impij, quæ fit per gratiam.

Quid ſit peccati expulſio?

QVÆSI-

QVÆSITVM VII.
An Iuſtificatio impii fiat in inſtanti?

Iuſtificatio duobus modis accipitur.

48. N*Ota* iuſtificationem dupliciter ſumi: *primò* in quantū ſignificat tranſlationē à ſtatu peccati, ad ſtatū gratiæ: *ſeu* vt ſignificat gratiæ habitualis infuſionē; & peccatorū remiſſionē *ſecūdò* vt ſignificat mutationē, quæ comprehēdit in ſe varias diſpoſitiones, & mot⁹ intellect⁹, ac volūtatis, *tum* & illuminationes Spiritus S. exempla, monita ſalutaria, eleemoſynas, ieiunia, quæ præcedunt gratiæ infuſionem. Hoc præmiſſo.

Dico *iuſtificatio priori modo ſumpta fit in inſtanti.* PROBATVR. Iuſtificatio impij fit per gratiam Spiritus S. iuſtificantis. ſed Spiritus S. ſubitò aduenit mentibus humanis, dicit enim Gloſſa ſuper illud *Factus eſt repente &c. Neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia.* ergo in inſtanti. Deinde Iuſtificatio fit originaliter per infuſionem gratiæ. ſed Deus eſt, qui hanc gratiam in inſtanti infundit. *Confirmatur,* quód agens naturale in inſtanti non inducat formam, in cauſæ ſubiectum non diſpoſitum, & ideo agens indiget tempore ad diſponendum. ſed Deus eſt agens infinitæ virtutis, cui nulla virt⁹ obſiſtere poteſt ne ipſū quidem liberum arbitrium, quia hoc abundanti ſuâ gratia implens conſenſum, in eo facit. ergo poteſt in inſtanti & diſpoſitionem & ipſam iuſtitiam inducere.

Deus in inſtanti inducit diſpoſitionē, & iuſtitiam.

49. Dico ſecundò. *ſi iuſtificatio ſecundo modo ſumatur cum præuijs diſpoſitionibus, vt eſt auſcultatio verbi Diuini, illius contemplatio, tum cordū attritio, peccatorū confeſſio, & hæc omnia aliquam durationem temporū requirunt; vnde non in inſtanti ſed in tēpore talis iuſtificatio fit.* Tamen non negamus, quód poſſit Deus omiſſo hoc modo ordinario Iuſtificationis ſubitò hominem impium iuſtificare. Eccleſiaſtici 11. *Facile eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.* Et *ratio eſt.* Id poteſt Deus quod nullā contradictionem inuoluit, ſed quód ſimul in inſtanti, in homine impio producat Diuina ſuâ virtute gratiam cum diſpoſitionibus nulla eſt contradictio. ergo vtrumq; poteſt *Confirmatur.* Hæ diſpoſitiones aut conſiderantur ex parte Dei, & ſic infinita Dei virtus in inſtanti poteſt diſponere, aut ex parte hominis inquantum in libero aſſenſu voluntatis conſiſtat. ſed poteſt Deus efficaci, & vberrima ſuâ gratiâ ſic fecundare, & illuminare interius impium, vt in inſtanti, & cognoſcat & aſſentiatur. Ergo in inſtanti induci poterunt diſpoſitiones cum gratia.

Poteſt ... us o... modo ... ficatio ... ſubito ... mine... pium ... ficare.

QVÆSI-

QVÆSITVM VIII.

An infuſio gratiæ ſit prima inter ea, quæ requiruntur ad iuſtificationem?

Quatuor ſunt quæ ad iuſtificationem impij côcurrunt.

50. DIco primò. *Quatuor ſunt, quæ ad impij iuſtificationem ſunt neceſſaria.* primò *infuſio gratiæ*: ſecundò *motus liberi arbitrij in Deum per fidem, ſpem, charitatẽ*: tertiò *motus liberi arbitrij deteſtantiũ peccata per pœnitentiam*: quartò *expulſio peccatorum, & ſine his nullus adultorum iuſtificari poteſt.*

Inter hæc requiſita infuſio gratię eſt primum ordine naturæ.

Dico ſecundò. *Inter hæc requiſita infuſio gratiæ eſt primum ordine naturæ.* PROBATVR. Iuſtificatio eſt motus. ſed in quolibet motu primò naturaliter eſt motio mouentis. ſed in Iuſtificatione mouens eſt Deus, per infuſionem gratiæ, tandem eſt motus mobilis, & ſic eſt motus liberi arbitrij in Deum per charitatem, & in peccatum per deteſtationem. & vltimum, ſeu finis huius motus iuſtificationis eſt remiſſio peccatorũ. ergo gratia ordine naturæ eſt primum quid, in iuſtificatione.

Quodnam illorum ordine naturæ ſit priùs?

51. Hic diſputari ſolet de his quatuor: *quodnam illorum ordine naturæ ſit priùs?* ſed (vt Medina dicit) hoc magis fit ſubtiliùs, quàm vtiliꝰ, vnde ſuffecerit notaſſe, quòd ordo naturæ dupliciter conſiderari poteſt:

Ordo naturæ duobus modis conſideratur.

primò ex parte Dei agentis, & ſic prius eſt infuſio gratiæ, nam hanc ſequitur motus liberi arbitrij, per charitatem & per deteſtationem peccati, & tandem ſubſequitur remiſſio peccatorum. *Ex parte autem* mobilis, v. impij hominis, priùs eſt expulſio peccati, quã infuſio gratiæ, vt attigimus Quæſito ſexto. *Præterea* docet Ariſt. 2. Phyſic. *Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ.* vnde in his contingit, quód vna ſit alia prior, ſed diuerſo modo, vt ſanitas, & deambulatio ſunt ſibi cauſæ, & ſanitas in genere cauſæ finalis eſt prior, quia deambulans intendit primò ſanitatem, & deambulatio in genere cauſæ efficientis eſt prior, quia hęc efficit ſanitatem. *Similiter* aër qui aperit feneſtram, in genere cauſæ efficientis eſt prior apertione feneſtræ, nam ſua vi aperit feneſtram, ſed in genere cauſæ materialis prior eſt apertio feneſtræ, nunquam enim aër intraret niſi feneſtra aperiretur. ita in genere cauſæ efficientis eſt prior infuſio gratiæ, quæ poſtea mouet liberum arbitrium, & hanc ſequitur remiſſio peccatorum, ſed in genere cauſæ materialis eſt prior expulſio peccati quàm infuſio gratiæ, quia priores ſunt actus humani, quibus ad gratiæ infuſionem diſponimur.

Infuſio gratiæ quomodo ſit prior

QVÆSITVM IX.

An iuſtificatio impii ſit maximum opus Diuinum?

Quomodo Creatio ſit maximum opus?

52. Dico primò. *Si operis magnitudo attendatur, ex parte modi agendi Dei creatio eſt maximum opus.* PROBATVR. quia creatio nullam materiam ſupponit, ſed fit ex nihilo, iam autem in iuſtificatione ſupponitur quędā ſpiritualis ſubſtantia, ſ. anima, ex cuius potentia obediētiali educitur gratia iuſtificans ergo creatio eſt maius opus.

Obiectio.

Dices nullam *hic art. 9.* à S. Doct. fieri mentionem potentiæ obediētialis. *Reſpondeo* colligi tamen poſſe ex illis verbis, cùm creationem quód ex nihilo fiat diſtinguit à iuſtificatione, quód hæc fiat ex aliquo v. ex aliqua aptitudine & potentia ſubiecti. ſed ex naturali potentia fieri nequit cùm naturalia ad ſupernaturalia nullum ordinē dicant. ergo ex obedientiali.

Quomodo Iuſtificatio ſit maximū opus?

53. Dico ſecundò. *Si verò operis magnitudo conſideretur in ratione termini, maius eſt opus iuſtificatio quám creatio.* PROBATVR. Creatio eſt ordinis naturalis, & terminatur ad rē productā naturalē, v. ad hominē, ad cælum, ad terram. ſed iuſtificatio eſt ordinis ſupernaturalis, & terminatur ad rem ſupernaturalē, v. ad naturæ Diuinæ conſortium. ergo iuſtificatio in ratione termini producti eſt maius opus. *Confirmatur.* res inferiores quantūcunq; multiplicentur, augeantur, perficiantur, nunquam aſſequi poſſunt perfectionem ſuperiorum, vnde hic *art. 9. ad 2.* dicit D. Thom. *Gratiam vnius hominis eſſe quid excellentius bono totius vniuerſi.* Et D. Aug. *tract. 22.* in Ioan. *Iudicet qui poteſt vtrum maius ſit iuſtos Angelos creare, quám impios iuſtificare? certè ſi æqualis eſt vtrumq; potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ.*

Quomodo Glorificatio hom[inis] eſt bo[num] excellen[ti]us iuſt[ifica]tione?

54. Dico tertiò. *Simpliciter loquēdo Glorificatio hominis eſt bonum excellentius iuſtificatione.* PROBATVR. quia glorificatio vltra gratiam iuſtificantem addit claram viſionem Eſſentiæ Diuinæ, in qua eſt omnis noſtra beatitudo, vnde gratia ſine clara viſione Dei eſſe poteſt. ſed uiſio Dei clara ſine gratia eſſe non poteſt, quia gratia eſt ſolùm gloria inchoata, gloria autem eſt gratia conſūmata. ſed loquendo comparatè ſecundùm quod maius eſt iuſtificatio quám glorificatio, quia inter peccatum & gratiam maior eſt diſtantia, quám inter iuſtificationem & glorificationem, homo enim in peccato mortali conſtitutus eſt à Deo auerſus, qui autem eſt in gratia, & in gloria eſt ad Deū conuerſus, & ideò exſiſtens in peccato mortali nihil meretur nec de condigno nec de congruo, ſed demeretur, ſed in gratia exſiſtēs ſaltē de congruo meretur vitā æternā. ergo ratione hui⁹ diſtantiæ & diſproportionis maior eſt iuſtificatio quam glorificatio.

QVÆSI-

QVÆSITVM X.
An iuſtificatio impii ſit miraculoſa?

55. Dico primò. *Si id miraculoſum dicatur, quod fit ſola virtute Diuina, vt creatio dicitur miraculoſa, quia eam ſola virtus Diuina operatur, ſic iuſtificatio eſt miraculoſa*, quia virtute Dei fit.

Dico ſecundò. *Si* miraculoſum *ſumatur, in quantum illud dicit, quod eſt rarum, inſolitum, & naturæ capacitatem tranſcendens, & quod à ſolo Deo fit, vt accidit in mortui ſuſcitatione, ſic iuſtificatio non eſt miraculoſa*, ſiquidem hæc fit per cauſas à Deo ordinatas, v. per Sacramenta Baptiſmi pœnitentiæ, & ex præſcripta lege & forma, *tum* contingit quotidie fieri ex Diuina bonitate & miſericordia, & ſic iuſtificatio non eſt miraculoſa.

56. Dico tertiò. *Si conſideretur modus conſuetus & ſolitus iuſtificandi, tunc quandoq; iuſtificatio impij ſit miraculoſa, quandoq; non*, quia ſi contingat impium adultum iuſtificari ſubitò ſine vlla diſpoſitione vt contingit in D. Paulo, qui plenus minarum in Chriſtianos à Diuina virtute eſt conuerſus & iuſtificatus, ſic iuſtificatio eſt miraculoſa. ſi autem impius conſueto modo iuſtificetur vt quód Deus illius cor tangat primò efficiendo imperfectam, poſtea perfectam conuerſionem, gratia enim (vt inquit D. Aug. *epiſt. 106.*) meretur augeri, vt antea mereatur perfici, & ſic non eſt miraculoſa. Iuſtificatio impij quomodo miraculoſa quomodo non?

DISPVTATIO VI.
De Merito.

Nomine *Meriti* quod à Gratia cooperante procedit, intelligimus illa omnia pia opera quæ ab auxilio eiuſdem gratiæ proueniunt, quæ numerari ſolent *Meritum, Satisfactio, Oratio, Ieiunium, Eleemoſyna* ſed hæc diſtinctam tractationem habent. Satisfactio in pœnitentiæ Sacramento Oratio, Ieiunium, &c. in *2da 2dæ.* hic ſolius Meriti eſt proprius locus. Circa hanc Diſputationem decem attingemus ex mente S. Doct.

1. *An homo poſſit aliquid mereri à Deo?*
2. *An aliquis ſine gratia, poſſit mereri vitam æternam?*
3. *An per gratiam poſſit aliquis mereri vitam æternam de condigno?*
4. *An gratia ſit principium merendi principale mediante charitate?*

5. *An homo poſſit mereri primam gratiam?*
6. *An aliquis homo poſſit illam mereri alteri?*
7. *An poſt peccatum poſſit mereri reparationem?*
8. *An poſſit mereri augmentum gratiæ & charitatis?*
9. *An mereri poſſit finalem perſeuerantiam?*
10. *An temporalia poſſit mereri?*

QVÆSITVM I.
An homo poſſit aliquid mereri à Deo?

Meriti vnde dicatur & quid ſignificet?

1. Dico primò. *hoc nomẽ* Meritum *ſiue* à merendo, *ſiue* à mercede *deductum, ſignificat opus cui præmium eſt debitum*, quód colligitur ex illo D. Pauli. *Ei qui operatur merces non reputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* atqui meritum includit in ſe operationem. ergo & rationem debiti, vt illi præmium debeatur.

Acceptio meriti quadruplex.

2. Dico ſecundò. *Hoc nomen* meritum, *ſeu* mereri, *quatuor modis ſumitur*: Primò *impropriè*, vt cùm dicimur id mereri cuius ſolùm damus occaſionem, ſed quæ occaſio eſt demeritoria, ex alterius autem gratia obuenit bonum, vt cùm Eccleſia canit: *O felix culpa, quæ talem meruit redemptorem.* hic dicitur peccatum meruiſſe Chriſti Incarnationem & paſſionem, non quód aliquam proportionem ad promerẽdum Saluatorem habeat, ſed quia occaſionem dedit tanti redemptoris ex miſericordia Dei obtinendi. Secundò *ſumitur impropriè*, vt cũ qualitatem aliquam aut proportionem ad aliquod bonum conſequendum ſignificat, vt cùm dicimus, puer baptizatus meretur vitam æternam, & bonus Sacerdos meretur Eccleſiaſticum beneficiũ. ſed hæc ratio meriti ſolùm ſignificat diſpoſitionem & condignitatẽ ad tale bonum, ſed debitorem ex iuſtitia non facit. Tertiò *ſumitur adhuc impropriè*, vt cùm aliquod opus bonum dicimus meritum, quód ei debetur præmium, ſed nõ ex iuſtitia, ſed ex quadam congruitate, & ſic dicitur fidelis pœnitens mereri vitam ſempiternam, ſed de congruo non autẽ ex merito, quód iuſtitiam contineat. Quartò *ſumitur propriè* pro bono opere, cui ex iuſtitia merces debetur, vt in primo Dicto deductum.

Definitio meriti.

3. Dico tertiò. *Meritum eſt opus bonum liberum ex gratia proueniens, & ad Deum ſpectans, & cui merces aliquo modo debetur.* Ex hac definitione

Quæ ad extra ad meritum concurrunt quatuor.

Collige primò quatuor ſunt quæ ad extra ad meritum concurrunt: *primò* perſona quæ meretur: *ſecundò* actus ſtudioſus, qui meritum dicitur: *tertiò* merces, quæ merito reddi debet: *quartò* perſona, apud quam merces: nam meritum dicit ordinem ad eum apud quem mere-

meremur, & à quo compenſatio noſtri operis eſſe debet.

Conditiones quatuor quæ meritũ conſtituunt

Secundò collige. quatuor ſunt conditiones quæ meritum conſtituũt. *prima* vt ſit opus liberũ, nam actibus qui ſunt merè naturales & neceſſarij nec meremur nec demeremur, ſed ſolùm illis qui ſunt liberi ijdemq; boni, & hoc liberum ab eſſētia meriti tolli non poteſt, nec etiam per Deum ipſum. *Probatur* Quia nec De⁹ id quòd eſt de eſſētia actus meritorij tollere poteſt, quia aliàs implicaretur contradictio. Atqui eſſe liberum eſt de eſſentia actus meritorij. ergo liberum ab eo non poteſt tolli. *ſecunda conditio* vt ſit bonum opus, nàm ſicut malum opus meretur pœnam, ita bonum laudem & p[r]ęmium. *tertia* vt ſit in obſequium alterius præſtitũ, & ideo eſt actus iuſtitiæ dicens ad alium ordinem, & ſic ſeruus obſequia præſtat quæ ſunt in ordine ad dominum, & quibus debetur merces. *quarta* vt ſit meritum in hac vita, nam qui Deum clarè vident, hi iam extra meritum ſunt.

Diuiſio meriti.

4. Dico quartò. *Meritum diuidi ſolet in bonum & malum* Ita dicit D. Auguſt: *lib. de Gratia & lib. arb. Gratia Dei non ſecundùm merita noſtra datur, quandoquidem non ſolùm nullis bonis, verumetiam multis malis meritis præcedentibus videmus datam.* SECVNDO diuiditur in *meritum de condigno*, cui ex iuſtitia merces debetur, & in *meritum de congruo*, quod quandam congruentiam ſeu proportionem ad præmium dicit.

Ad meritũ propriè dictũ ſed in communi ſũptum quæ & quot requiruntur.

Dico quintò. *Ad meritum propriè dictum, ſed in communi ſumptum in quantum etiam inter homines verſari ſolet duo requiruntur. Primò* vt inter operantem & eum cui fit opus pactum intercedat ſeu conuentio de mercede operis perſoluendi. *ſecundò* vt illud ipſum opus exhibitũ, habeat aliquam proportionem dignitatis aut valoris ſecundùm moralem æſtimationem in ordine ad mercedem. Et ex his requiſitis duo oriuntur. *primum* in operante naſcitur ius ad mercedem. *ſecundùm* in eo cui illud opus exhibetur, naſcitur obligatio mercedis reddēdę

Nota. ſi tamen contingat quód operans non ſit ſui iuris neq; capax vt aliquod ſibi ius acquirat, ideo quia eſt in poteſtate alterius, vnde quidquid acquirit, domino acquirit. ſed ſi dominus faciat illi poteſtatem paciſcendi, & iuris acquirendi, illius opus non erit tale cui ex debito & ex iuſtitia debeatur merces, ſed ſolùm ex gratia.

5. Dico ſextò. ad Quæſitũ *Quód Lutherani nomen meriti auerſantur & prorſus expungunt* dicunt enim quód ab homine vitiato in libero arbitrio fieri non poſſit, cum quilibet iuſtus in ſuis operibus peccet, *tum* quód iniuria fiat meritis Chriſti, apud quem copioſa redēptio, hoc eſt, quia ſufficientiſſimè in ſe credentibus vitam æternam meruit, & pro noſtris peccatis ſatisfecit, nam quia ſcriptura dicit. *non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Addunt rationem quia ad meritum pertinet vt in eo tale quid reperiatur quod in vtilitatem remunerantis cedat. ſed creatura nihil poteſt exhibere Deo quod in commodum eius cedat. Iob. 35. *ſi iuſtè egeris quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* ſed contra.

Lutherani nomen meriti auerſãtur.

6. Dico

Homo apud Deum poteſt verè ac propriè aliquid mereri

6. Dico ſeptimò. *homo apud Deum poteſt verè ac propriè aliquid mereri.* PROBATVR. locis S. ſcripturę Matt. 5. *Gaudete quia merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Et 2. paralip. 15. *Erit merces operi tuo.* Sapientiæ 5. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum merces eſt eorum.* Ad Rom. 2. *Reddet vnicuiq; ſecundùm opera ſua.* 2. ad Thi: 4. *Bonum certamen certaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quã reddet mihi iuſtus iudex.* Et Cõcil. Trid. ſeſſ: 6. cap. 16. can. 26. *ſi quis dixerit iuſtos non debere pro bonis operibus exſpectare & ſperare à Deo retributionem æternã anathema ſit.* Et Con: Arau: can. 18. *Debetur merces de bonis operibus ſi fiant &c.* Et *ratio* eſt quia in merito reperitur ratio iuſtitiæ, ſicut enim iuſtum eſt pro re accepta dare pretium, ita iuſtum eſt vt pro ratione laboris ac operis ſuſcepti ſit compenſatio. ergo in merito eſt actus iuſtitiæ.

Meritũ hominis quomodo apud Deum habeat valorem?

7. *Nota.* meritum hominis apud Deum habet valorẽ non propter ſuam bonitatem, ſed propter ordinationem & promiſſionem Diuinã, quia Deus ſe obligauit quód propter quandam bonitatem actuum humanorum cum auxilio gratiæ exhibitorum velit illa ſecundũ modum iuſtitiæ compenſare. ergo habent rationem meriti apud Deum, Eſt autem promiſſio & pactũ. *ſi vis in vitam ingredi ſerua mandata.*

Hæc promiſſio vnde fiat?

Nota ſecundò. Hæc promiſſio fit ex immenſa pietate Dei, nam illius benignitate fit, quód conuentionem cum homine facit de qua Matt: 20. dicitur *conuentione facta cum operarijs.* Hac cõuentione ſuppoſita, poſtea dicitur *Voca operarios, redde illis mercedem:* niſi enim ex parte Dei pactum intercederet homo non mereretur, quia homo quidquid eſt, totus Dei eſt. vnde vt mereri poſſit ex in effabili ſua bonitate illi concedit. ſit itaq; certum quód niſi Deus pactum cum homine feciſſet, non obligaretur ad reddendam mercedem bonis operibus, quamuis hoc videatur eſſe rationi conſonum, vnde Deus poſt hoc pactum non poteſt tamẽ dici propriè quód ſit homini debitor, ſed potius ſibi ipſi & ſuæ miſericordi promiſſioni.

8. *Nota tertiò.* poſita Diuina ordinatione & promiſſione, dico quanquã ex hac primarió, tamen etiam ex bonitate operum humanorum ſecundariò, quæ Deus promiſit ſe compenſaturum exſtare obligationem. *Probatur* Exſtet enim quantumcunq; velit illa ordinatio & promiſſio facta homini à Deo, niſi tamen homines bona opera exerceant, quæ Deus promiſit ſe retributurum nondum Deus ex ſua promiſſione obligatur ad compenſationem. Ad fundamenta Hæreticorum reſpondeo.

Ad fundamenta Hæreticorum

9. *Ad primum.* (vt iam toties dictum) quód quamuis per peccatũ ſit vitiatum liberum arbitrium, nihilominus habet vim ad benè vel malè operandum, nam Deus poſt lapſum primorum parentum dicit ad Caim *Nonne ſi benè egeris recipies.* ergo poſt lapſum adhuc liberum arbitrium benè operari poteſt.

Chriſtianorum merita nihil detrahunt meritis Chriſti

Ad ſecūdum Reſpondeo. Chriſtianorum merita nihil detrahere meritis Chriſti, ſiquidem ab illis dependent & ſuum valorem accipiunt. Ioan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere,* illud ſcilicet quo poſſimus mereri vitam

Quid nobis meruit Chriſtus ſua morte? vitam æternam. *Reſpondeo ſecundò* meruiſſe nobis Chriſtum ſua morte *primò* peccatorum remiſſionem *ſecundò* vitam æternam. *tertiò* vt nos eandem vitam æternam noſtris meritis promereri poſſimus, vnde dilatantur potiùs in noſtris meritis Chriſti merita.

10. *Ad rationem Dico* nos non poſſe Deo aliquid dare quod habet rationẽ donationis propriè dictæ, ita quòd Deus aliquid de nouo acquirat, cuius antea dominium non habuit. ſed tamen quilibet noſtrũ poteſt aliquid exhibere Deo in quo ſibi complaceat. vnde ad rationem meriti non pertinet vt in eo aliquid Deo conferatur quo tanquam Deus ditior fiat. ſed ſufficit ſi id illi offeramus in quo ſibi complaceat, iam autem in operibus ex gratia factis complacet ſibi Deus.

Ratio meriti noſtri vnde ſumẽda? *Nota.* quòd ratio meriti noſtri inter Deum & creaturam non eſt ſumenda ex æquitate iuſtitiæ commutatiuę & diſtributiuę, ſed oritur ex vi Diuinæ promiſſionis de qua inferiùs.

QVÆSITVM II.

An ſine gratia poſſit homo mereri vitam æternam?

Homo in ſtatu naturæ integræ non potuit abſq; gratia per pura natura mereri vitã æternã. 11. DIco primò *Homo conditus & conſtitutus in ſtatu naturæ integræ non potuit abſq; gratia per pura naturalia mereri vitam æternã.* PROBATVR. Quia homo vt ſic in puris naturalibus nõ poteſt abſq; gratia opus aliquod facere quod ſit conducens & proportionatum vitæ æternæ, nam ſic ſuauis diſpoſitio Diuina ordinauit vt nihil vltra ſuam virtutem agat. ſed vita æterna eſt excedens proportionẽ naturæ creatæ iuxta illud 1. Corint: 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit &c.* ergo homo ex puris naturalibus ſine gratia non poteſt mereri vitam æternam.

Homo in ſtatu naturæ corruptæ ſine gratia non poteſt mereri vitam æternam. Dico ſecundò. *ſimiliter ſine eadem gratia in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt mereri vitam æternam.* PROBATVR eadem illa ratione, quia hic etiam natura in ſuis limitibus conſideratur: quæ non habet virtutem operandi actus proportionatos vitæ æternæ. nam vita æterna eſt bonum ſupernaturale, iam autem hæ actiones ſunt ordinis naturalis. *Deinde.* quia homo in natura corrupta exiſtit ſub peccato, vnde ex hoc ipſo meretur mortem æternã, tantum abeſt vt poſſit mereri vitam æternam.

An ſaltem per abſolutam Dei potentiã poſſit quis per naturalia mereri vitã æternam? 12. *Sed quæres.* An ſaltem per abſolutam Dei potentiam poſſit quis per naturalia mereri vitam æternam? *Reſpondeo* non poſſe. *Et ratio eſt* quia opus ſolis viribus naturæ factum licet ſit moraliter bonum non poteſt tamen eſſe condignum ad vitam æternam.

Obiectio. *Sed dicet.* poteſt princeps in regno conſtituere vt ſtipula valeat aurum, & ſic ex inſtitutione valebit. ergo & Deus poteſt conſtitu-

cre:

ere vt opera moraliter bona & viribus ſolis naturæ præſtita ſint valoris ad vitam æternam. *Reſpondeo* quód poſſit, ſed dico illud opus quod eſt ſolis viribus factum non diceretur mereri vitam æternam de condigno, nam hoc tale opus nullum pretium prę̨ſtatet proportionatum tanto bono v. vitæ æternæ, vnde ſi eam Deus tribueret, non tribueret ſub ratione mercedis tanquam iuſtus ſuum vnicuiq; tribuens, ſed ſolùm ſub ratione inſtitutionis & promiſſionis & fidelitatis ſuæ, & tale opus non ratione meriti ſed conditionis ſine qua non haberet.

Nota inter hoc tale meritum & meritum ex gratia hoc eſſe diſcrimen quia hoc vltra inſtitutionem Diuinam etiam haberet condignitatem ad vitam æternam, illud verò ſolùm inſtitutionem haberet ſine valore & condignitate.

QVÆSITVM III.

An homo in gratia conſtitutus poſsit de condigno vitam æternam mereri?

Meritoriū opus hominis dupliciter conſiderari poteſt.

13. NOTA *primò* meritorium opus hominis dupliciter conſiderari poteſt. *primò* ſecundùm quod ex libero arbitrio procedit, & dicitur eſſe ſecundùm ſubſtantiam operis conſiderati: *ſecundò* ſecundùm quòd ex gratia & motione Spiritus S. procedit.

Meritū triplex ſtatuitur.

Nota ſecundò meritū triplex ſtatuitur. *Quoddam eſt de rigore iuſtitiæ* quod miſericordiam & gratiam acceptantis excludit, ſed valorem habet ex ſe & ex perſona offerente, & tale eſt meritum ſolius Chriſti. *quoddam ex condigno*, quod quāuis innitatur in gratia & miſericordia acceptantis, habet tamen condignitatem & rationem iuſti ad præmium: *quoddam de congruo*, quod non fundatur in iuſtitia, ſed in quadam congruitate. His notatis

14. Dico primò. *Si opus meritoriū conſideretur vt procedit à libero arbitrio ſecundùm ſubſtantiam operis, ſic nullam condignitatem habet ad vitam æternam, ſed quandam congruitatem.* PROBATVR. quia inter tale opus meritorium & vitam æternam eſt ſumma inæqualitas, quod enim eſt merè naturale, nullo modo poteſt eſſe æſtimabile in ratione dignitatis cū bonǫ ſupernaturali. Eſt verò congruitas, quia inter Deum & hominem datur quędam æqualitas proportionis.

Quomodo opus meritorium habeat condignitatem ad vitam æternam.

Sed dices quomodo illud accipiēdum quod dicit D. Th. *In opere meritorio quod procedit à libero arbitrio excluſa gratia ſit quadam congruitas, cùm tale opus ſit prorſus naturale nec habeat ad gratiam & ad gloriam congruitatem.*

Obiectio.

Reſpondeo quód S. Doct. intelligit hic congruitatem propter æqualitatem proportionis, non propter illam æqualitatem quæ ſit Arithmetica

Solutio.

metica, qualis eſt rei ad rem, ſed eſſe Geometricam quæ ſita eſt in quadam proportione habitudinũ ad inuicem, ſic quód ſicut homo dum per naturam operatur bonũ, illud ipſum excellenti modo & virtuti ſuæ conuenienti operatur, ita, quód quando Deus retribuit præmium vitæ æternæ, illam retributionem operatur ſecundùm modũ excellentem & conuenientem ſuæ virtuti, nam videtur eſſe congruũ, vt homini operanti ſecundùm ſuã excellentem virtutem Deus etiam recompenſet ſecundùm excellentiam ſuæ virtutis.

15. Dico ſecundò. *Si conſideretur opus meritorium, vt eſt à gratia & à motione Spiritus S. ſic habet condignitatem ad vitam æternam.* PROBATVR. quia hæc condignitas ſumitur ex gratia Spiritus S. mouentis nos in vitam æternam. *Deinde* quia pretium talis meriti ſumitur & ex gratia, & ex eo quód nos adoptat in filios Dei, & hæredes vitæ æternæ facit. Ita loquitur paſſim Scriptura Pſal. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum*, v. quód martyrium habet æſtimationem & condignitatẽ apud Deum ad acceptandum. Ad Galat. 6 *Qui autem ſeminat in Spiritu, & de Spiritu metet vitam æternam.* Et Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* ſed ſemen licèt non magnitudine at virtute habet ęqualitatem cum fructu, & fons aquæ ſalientis habet proportionem cũ flumine, qui inde exoritur. ergo & opera iuſtorum quæ his deſignantur important proportionem cum præmio vitæ æternæ.

Quæ paſſiones habent condignitatem ad gloriam?

16. *Sed inſtabis.* ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* &c. *Reſpondeo* dupliciter Paſſiones conſiderantur *primò* vt ſunt momentaneæ, & vt in hoc tempore iuſtos affligunt, ſicq; nullam condignitatem habent. *ſecundò* conſiderantur cum gratia, & vt cum patientia ſupportãtur propter Chriſtum, & ſic habent condignitatem ad gloriam. ita loquitur Apoſt 2 Corinth. 4. *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ æternæ operatur.* vnde quáuis inter tẽporanea & æterna nulla ſit paritas, tamen vt ſunt gratia & patientia propter Chriſtum informata, ſic ſunt proportionata, vt operentur pondus æternæ gloriæ.

Obiectio altera.

17. *Obijcies ſecundò.* Lucæ 12. *Cùm feceritis omnia, &c dicite quia ſerui inutiles ſumus. Reſpondeo* ita eſſe ſi ſpectemus conditionem noſtram & dominium vniuerſale, quod habet Deus ſuper omnes creaturas, vnde omnia opera noſtra pro ſuo herili imperio ſine retributione à nobis exigere poſſet. tamen Deus & Dominus noſter pro ſua benignitate cum ſeruis agit, vt illorum opera acceptet ad vitam æternam. Cap. 12 *Beati ſunt ſerui illi, &c. Amen dico vobis quód præcinget ſe & faciet illos diſcumbere.* ergo qui Deus ſecundùm rigorem iuris ſic nobiſcum agere potuit, quód nihil apud eũ mererem mur, ex ſua manifeſta gratia ſic honorat ſeruos ſuos, vt pro laboribus mercedem illis conferat.

Obiectio Durandi.

18. *Tertiò obijcit Duran.* ſi iuſtus apud Deum meretur vitam æternã de condigno. ergo obligabitur Deus ad reddendam vitam æternam, ita quód ſi hoc non præſtaret, iniuriã

 faceret,

faceret, ſed Deus etiamſi ex cælo omnes beatos exturbaret, nulli faceret iniuriam. Reſponſio ad eam. *Reſpondeo* quód De⁹ non eſt capax obligationis, ipſe enim eſt Domin⁹ vniuerſalis omniũ creaturarum, & illi homines debẽt tam naturalia quàm ſupernaturalia, vnde ſi ſicut omnia ex nihilo produxit, rurſus omnia in nihilũ redigeret, nulli iniuriam irrogaret, licèt enim illi de ſuo facere quod velit. Et D. Th. *in 1. par. quæſt. 21. a. 1. ad 3.* dicit, quód Deus reddit debita quando vnicuiq; dat quod ſua ordinauit ſapientia, nam quód De⁹ voluit & ordinauit, illud debitum eſt vt fiat, & quia ordinauit Deus vt habenti gratiam detur vita æterna, ideo debitum eſt ut ita fiat, ſed hoc debitum non conſurgit ex eo quód Deus obligetur creaturæ, ſed ex eo quód creatura ſubijciatur Deo, illiuſq; voluntati & ordinationi, vt in ea adimpleatur, eſt autẽ ordinatio vt homo ſtudioſis actionibus prædit⁹ tale præmiũ habeat.

QVÆSITVM IV.

An gratia ſit principium merendi principalius per charitatem?

Vt opera ſint meritoria vitæ æternæ quid requiratur? 19. Dico ad Quæſitum primò. *Vt opera ſint meritoria vitæ æternæ, ſiue de condigno ſiue de congruo neceſſaria eſt gratia.* intelligo hic gratiam iuſtificantem, quà homo ab omni peccato mortali expurgatur, & fit iuſt⁹ & gratus Deo. *Præterea intelligo* merita non in ordine ad gratiam, ſed in ordine ad vitam æternam. PROBATVR *de merito de cõdigno, quód in gratia fundatur.* Meritum condignum duo habet: Meritum de condigno duo habet. *primò* condignitatem operis: *ſecundò* promiſſionem Diuinam (vti iã deductum) ſed in Scriptura non habetur promiſſio, in qua Deus peccatori in peccato mortali exſiſtenti promittat vitam æternam, quinimmo contrariũ dicit: *Nihil coinquinatum intrabit in illam ciuitatẽ.* & *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis ſulphur.* ergo meritum de condigno habebit gratiam. *Deinde* ad Rõ. 8. *Si filij & hæredes quidem.* Ex quo arguo. Ius ad hæreditatem æternam nemo habet niſi qui habeat dignitatem filij per adoptionem. ſed adoptio fit per gratiam iuſtificantem. ergo ſine hac vita æterna non habetur.

PROBATVR *de merito congruo.* meritum congruum includit præſtantiam actionis, ita vt ei debeatur vita æterna non ex iuſtitia; ſed in quantum eſt decens, & quia nullum obicem ponit: ſed quód nullus ſit obex id iam ex gratia accidit, quæ peccata tollit. ergo & meritum de congruo includit gratiã.

Gratia eſt principium meriti principalius mereatur per charitatem. 20. Dico ſecundò. *Hæc gratia, quæ eſt principium meriti principaliùs meretur per charitatem.* PROBATVR. Actio humana ex duplici fonte ſumit rationem meriti: *primò* ex ordinatione Diuina, quia à Deo ordinatur ad uitam æternam: *ſecundò* ex libero arbitrio in quantum vult & voluntas

luntariè agit. ſed vtrumq; operatur charitas. ergo principaliter per charitatem meremur. *Minor.* vita æterna conſiſtit in fruitione Dei. ſed motus liberi arbitrij ad fruendam viſionem Diuinam eſt proprius motui charitatis, quod enim amamus, ad id tendimus, & hæc eadem gratia actus aliarum virtutum ordinat. ergo charitas in merito operatur. *Deinde* id quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus. ergo charitas maximè voluntarium facit. *Præterea* ſunt quædam actiones moraliter bonæ quæ non merentur vitam æternã, ideo quia non ſunt ex imperio & directione charitatis, ſed ſolùm fiunt ſecundùm rectitudinem rationis D. Aug. Homil. ſuper Ioan. 10. *Si linguis hominum loquar*, &c. *Ecce venitur ad paſſionem, ecce venitur ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporũ incenſionem, & tamen nihil prodeſt, quia charitas deeſt, adde charitatem, proſunt omnia, detrahe charitatem, nihil proſunt cætera.*

Probatur vltimò. opera vt ſint meritoria vitæ æternæ debent referri in Deum, & in eius gloriam, & quidem referri aut actu aut virtute, cùm actualem relationem cõtinuam infirmitas humana non compatiatur. Marci 9. *Si quis dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem ſuam.* Matth. 19. *Qui reliquerit patrem aut matrem propter me*, &c.

Ad meritũ vitæ æternę quid requiratur?

21. *Ex quo collige* quòd ad meritũ vitæ æternæ non ſufficit vt demus eleemoſynam, aut relinquamus parentes propter honeſtatem virtutis, aut aliam rationem moralẽ. ſed requiritur vt ſit cum intentione in Deum. ſed hæ virtutes & illarum actiones non habent hoc ex ſua natura ſed ex intentione operantis, nam hanc talem intentionem operatur charitas, quia fit ex amore Dei ſuper omnia. idem ſentiendum de alijs virtutibus, vt de fide, ſpe, quòd illarum actiones non ſunt meritoriæ niſi in eodem homine informentur à charitate, nam cõmuniter fides, ſpes, vocari ſolet viua quando charitate eſt informata, è contra dicitur eſſe mortua quæ à charitate eſt deſtituta.

Charitas quid;

Nota. Charitas eſt quæ per ſe directè in Deum tanquam in finem ſupernaturalem tendit, eademq; eſt quæ voluntatem informat, quæ alijs potentijs imperat, vnde eam ad hunc finem ſupernaturalem mouet, & ſic actionibus virtutum videtur imperare, & dũ imperat facit illas meritorias vitæ æternæ. Dicunt quidam non requiri vt actiones aliarum virtutum ſint à charitate imperatæ, ſed ſufficere vt ſint cum charitate coniũctæ. ita Apoſt. 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar*, &c. *charitatẽ autẽ non habuero* non dicit *ſi non exercuero*, ſed ſolùm *ſi non habuero, nihil mihi prodeſt.* ſed contra dico hic ſumi charitatem non ſolùm vt habitum qui afficit volũtatem, ſed etiã vt eſt in exercitio, & imperãs alijs virtutũ actionibus: nam charitas nequit eſſe otioſa. ſed de charitate ex profeſſo in *2da 2dæ.* agemus.

QVÆSITVM V.
An aliquis homo poſſit mereri primam gratiam?

Homo non poteſt mereri primã gatiarm.

22\. DIco primò. *Certum eſt de fide quód homo primam gratiam ſiue illa ſit actualis præueniens ſiue habitualis iuſtificans non poſſit mereri.* PROBATVR. *tum quia* gratiæ primæ conſideratæ ſub ratione doni gratuiti repugnat meritũ, *ſi enim ex operibus, iam non eſt gratia.* nam opera quæ ſunt in ordine, ad gratiam inducunt debitum, quod gratiæ opponitur. *tum quia* gratia in quantum eſt donum ſupernaturale, excedit vires naturæ, & homo extra gratiam eſt in puris naturalibus. ergo non poteſt illam promereri. *tum quia* in operante ante primam gratiam ineſt impedimentũ, v. peccatum mortale, vnde cùm ſit odioſum ſubiectum nihil mereri poteſt. *tum quia* de ratione primæ gratiæ eſt, vt ſit principium meriti. ergo non poteſt eſſe terminus operis. ergo non cadit ſub meritum.

23\. *Idem intellige* de gratia prima iuſtificante, quód hæc ſub meritum non cadat, nam meritum de condigno requirit vt ſit homo gratus Deo, non autem inimicus, qualis eſt omnis peccator. ſed ante iuſtificantem primam gratiam eſt homo ingratus Deo. ergo ſuis operibus iuſtificantem gratiam nõ meretur.

Nota quód homo nactus gratiã præuenientẽ ex miſericordia Dei, poterit aut augmentum gratiæ, aut aliud donum mereri, ſed primam gratiam nequaquam mereri poteſt.

An ſicut prima gratia ita quoque prima gloria non cadit ſub meritum?

24\. *Sed quæres* an ſicut prima gratia, ita quoq; prima gloria non cadit ſub meritum? *Reſpondeo* ſecundùm cõmunẽ ſentẽtiã, primã gloriã cadere ſub meritũ. ita D. Th. *1. 2dæ. quæſt 112. art. 2. ad 1.* dicit, quód præparatio hominis ad gratiam quæ ſimul eſt cum ipſa gratiæ infuſione ſit quidem meritoria, ſed non gratiæ, quæ iam habetur, ſed gloriæ, quæ nondum habetur. *Et ratio eſt* quam Belarminus *lib. 5. de Iuſtif. cap. 20* habet ſumptam ex D. Th. quia vltima diſpoſitio vt continuatur poſt gratiæ infuſionem ſit meritoria vitæ æternæ, & debetur titulo adoptionis. *Præterea* ad iuſtificationem requiruntur motus liberi arbitrij per fidem, pœnitentiam, & per charitatem, & hi non habent ſe per modum meriti, ſed per modum diſpoſitionis, vnde quando aſſeritur in Scriptura *hominem per fidem iuſtificari.* Particula *per* non dicit cauſam efficientem meritoriam, ſed diſpoſitiuam, nam actibus fidei & charitatis mens hominis ad iuſtificationẽ præparatur, vnde hi actus nõ merentur primam gratiam, ſed ſolùm gloriam, quam nondum habemus.

Obiectio

25\. *Sed obijcies* donum acceptum poteſt aliquis ſubſequentibus obſequijs promereri, vt miles per acceptum.

ceptum equum ab Imperatore poteſt mereri eundem ſubſequentibus ſeruitijs. ergo etiam homo primam acceptam gratiam poterit promereri à Deo ſubſequentibus operibus. *Reſpondeo* negando conſequentiam, quia diſpar eſt ratio inter equum, nam omne bonum opus hominis procedit à prima gratia tanquam à primo principio, non autem omne opus bonum militis ſubſequens procedit à dono humano, v. ab equo, vnde impoſſibile, vt omne bonum ſubſequens opus habeat rationem meriti reſpectu primæ gratiæ, eſt autem poſſibile, vt aliquod bonum opus ſubſequens militis, habeat rationem meriti reſpectu doni præhabiti.

Solutio eius

QVÆSITVM VI.

An ſaltem alteri homini poſſimus mereri primam gratiam?

Nullus homo de condigno poteſt mereri alteri primam gratiam.

26. Dico primò. *Si loquamur de merito condigno ſic alteri non poſſumus mereri primam gratiam.* PROBATVR, quia hoc eſt priuilegium ſolius Chriſti hominis vt poſſit mereri omnem gratiam & gloriam, illius enim actiones (vt in 3. *parte quæſt*: 19. deducitur) erãt infiniti valoris, *tum quia* erat à Deo caput generis humani conſtitutus, *tum quia* anima Chriſti ita à Diuinitate erat mota, vt non ſolùm ad vitam æternam perueniret ſed etiam alios perduceret. *præterea* Quia ſoli Chriſto hæc promiſſio à Deo facta. Iſaiæ 53 *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum.* Et illi ſoli dictum. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam:* ſed ad meritum de cõdigno (vt iam dictum) requiritur promiſſio Dei, quæ nulli homini præter Chriſtum facta eſt. ergo de condigno mereri non poteſt. *tertiò.* D. Auguſt. lib. 1. *de peccat: merit. & remiſ: cap.* 14. docet neminem Sanctorum poſſe dicere *iuſtifico te:* ergo nec alteri de condigno poteſt mereri gratiam: nam hoc eſſet eum iuſtificare.

27. Dico ſecundò. *Poteſt tamen iuſtus de congruo mereri alteri gratiæ dona, quibus ad iuſtificationem diſponatur, vt quód ad pœnitentiæ Sacramentum accedat, & hoc mediante gratiam conſequatur.* PROBATVR. Matt: 9. *videns Ieſus fidem illorum dixit Paralitico, confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Et Iacobi vltimò. *Orate pro inuicem vt ſaluemini, multùm enim valet oratio iuſti aſſidua. Et ratio eſt.* Quia cõgruum eſt vt Deus ſe timentium voluntatem faciat, & pro votis eorũ vt eos gaudere faciat.

Poteſt iuſtus de congruo mereri alteri gratiæ dona.

Nota. Preces Sanctorũ non ſemper hic effectus infallibilis ſubſequitur; vt ad eorum poſtulationem peccatoribus gratia præueniens concedatur, quia Diuinæ beneuolentiæ non iuſtitiæ innititur, *tum quia* is, pro quo preces offeruntur, impedimenta ponit. quód ex illo Iſa æ 15. colligimus *ſi ſteterit Moy-*

Cur Sanctorum preces non ſemper hic effectus infallibilis ſubſequatur

ſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.

Dico tertiò. *Iuſti viri fundendo preces & illas offerendo Deo pro adultis & infantibus non poſſunt de congruo mereri, vt adultis ſine debitis diſpoſitionibus, & infantibus ſine Sacramento Baptiſmi infundatur gratia.* Et PROBATVR. Quia non eſt iuſtum neq; conueniens vt Deus contra ſuam ordinationem dona ſuæ gratiæ aliquibus conferat.

QVÆSITVM VII.

An homo poſſit mereri ſui reparationem poſt lapſum?

Nemo ſui reparationē poſt lapſum poteſt mereri de condigno.

28. DIco primò, *ſi loquamur de merito de condigno, ſic (vt omnes Theologi fatentur) nemo ſui reparationem poſt lapſum mereri poteſt.* PROBATVR. Ezechiel: 18. *ſi auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur.* hoc eſt præcedentia bona opera, quæ iuſtus in ſtatu gratiæ ante lapſum in mortale peccatum fecit, nihil proſunt peccatori de condigno vt per pœnitentiam reſurgat: ſiquidem per interueniens mortale ſunt extincta. Et ad Rom: 5. *Iuſtificati gratis.* Et Concil: Trid: docet opera quæ iuſtificationem antecedunt non poſſe illam mereri.

De cōgruo poteſt mereri ſecūdū quorundam ſententiam

29. Dico ſecundò. *Si verò loquamur de merito de cōgruo tunc affirmatiuè dicimus* vt tenet, Scotus Bonauen. *in 2. diſtin: 28.* Gabriel *in 1. diſt: 27. art. 2* Belarminus *de Iuſt: lib: 5* & fauet ſcriptura Pſal: 70. *Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me* Explicat D. Auguſt. *ſi poſtea contigerit me in peccatum incidere, ne deneges mihi gratiam efficacem. Præterea* Iuſtus in gratia exſiſtens nihil iuſtius & ſalutarius à Deo petere poteſt quàm ſui poſt lapſum reparationē Ergo videtur eſſe cōueniens vt de cōgruo mereatur. Et 2. Paral: 19. Regi Ioſaphat duo à Propheta dicuntur. *primò* quód iram Dei meruerit ex eo, quód ſe regi impio Achab adiunxerit. *ſecundò* dicit ideo illum inueniſſe peccati ſui veniam: quia inuenta ſunt in eo bona opera, nam lucos & idola de Iuda ſuſtulerat. ergo præteritis bonis operibus meruit ſui reparationem.

De cōgruo non poteſt mereri reparationem iuxta quoſdam

30. Dico tertiò. *Quibuſdam verior videtur eſſe contraria ſententia, quód non poſſit mereri de congruo.* PROBATVR. primò Ezechiel. 18. *Omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur. Secundò.* Is, qui eſt in peccato, impedimentum ponit quàm maximè efficax ad tollendum omnem effectum cuiuslibet operis meritorij antea facti. *Tertiò* eſſet iniquitas non ferenda, ſi quis amico ſuo diceret *volo te alapa afficere, ſed quæſo condona mihi hanc iniuriam,* ſed ſic eſt in præſenti, quia peccatum grauem iniuriam Deo facit. ergo non meretur de congruo.

Reſponſio ad rationes contrarias

Ad rationes contrarias Dico. ad verba Pſaltis non precari Dauidé eo loco

loco vt conferat illi gratiam, poſtquam peccarit, ſed petit, ne vrgente graui tentatione patiatur eum Deus per peccatum à ſe ſeparari. *Ad regem Ioſaphat Dico*, Deum contuliſſe illi aliqua beneficia intuitu bonorum operum antea factorum, & tamen beneficia non fuerunt præmia illorum bonorum operum, quia hæc illi Deus ex ſua liberali & miſericordi gratia contulit.

QVÆSITVM VIII.

An homo poſſit mereri augmentum gratiæ & charitatis?

Augmentũ gratiæ & charitatis cadit ſub meritũ de condigno.

31. PRO reſolutione dico. *Augmentum Gratiæ & charitatis cadit ſub meritum de condigno.* PROBATVR. Matt: 25. *omni habenti dabitur & abundabit.* Et *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, Et 2. Corint: 9. *Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Et D. Auguſt. Tract: 5. ſuper Ioannẽ. *Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Et *ratio eſt.* D. Thomę Gratia enim eſt velut inſtrumentum ſeu medium, quô Spiritus S. nos mouet, & quia hæc motio extendit ſe per totum progreſſum illius motus vſq; ad terminum, ideo hoc augmentum progreſſionibus meritorum obtinetur.

Obiectio.

Sed obijcies cum Scoto & D. Bon. inter meritum de condigno, & illud quod meremur, debet eſſe æqualitas. ſed gratia aucta, & eam alia ſubſequens eſt maior quám præcedens. ergo de condigno prior gratia non meretur poſteriorem.

Reſponſio ad eam.

Reſpondeo cum D. Th. augmentum gratiæ non eſt ſupra virtutem præexſiſtentis gratiæ, licet ſit ſupra quantitatem. ſicut arbor licet ſit ſupra quantitatem ſeminis: non eſt tamen ſupra virtutem illi[*].

Obiectio Caietani.

32. *Inſtat hic Caiet.* falſum eſſe, quód augmentum gratiæ ſit ſupra quantitatem, & non ſupra virtutẽ præexſiſtentis gratiæ, nam in his, quæ non ſunt molle magna, idem eſt maius eſſe & melius eſſe. ergo, ſi incrementum gratiæ ſuperat in quantitate præxſiſtentem gratiã, ergo & in virtute. *Reſpondet* idem Caiet. his verbis: *Licèt augmentum gratiæ, ſit maioris quãtitatis ad virtutem; quám gratia præexſiſtens, vt maniſtè apparet, cũ in augetur vſq; ad conſũmationẽ patriæ, tamen non excedit efficacia gratiæ præexſiſtentis in diſponendo ac merendo ea, ſed eſt proportionatus terminus illius, & hoc eſt non excedere eam in virtute, quamuis in quantitate.*

Reſpondet ipſemet.

vel cum Medina dicendum clariùs, quód augmentum gratiæ non ſuperet gratiæ virtutem augmentatiuam; ſed illi proportionatam.

Altera reſponſio Medinæ.

QVÆSITVM IX.
An homo poſſit mereri finalem perſeuerantiam?

Perſeuerantia gloriæ cadit ſub meritũ de condigno.

33. DIco primò *Perſeuerantia gloriæ cadit ſub meritum de condigno.* PROBATVR. Illud cadit ſub meritum de condigno, quod ad motum liberi arbitrij à Deo per gratiam directũ, habet ſe vt terminus. ſed ad hũc talem, motus habet ſe vt terminus. ergo cadit ſub meritum de condigno.

Perſeuerantia viæ non cadit ſub meritũ de condigno.

Dico ſecundò. *Perſeuerantia viæ, quæ eſt continuatio quadam motus liberi arbitrij in gratia vſq; ad finem vitæ, non cadit ſub meritum de condigno, ſed ſolùm de congruo.* PROBATVR. Quia hæc talis perſeuerantia viæ habet ſe vt principium. ergo non cadit ſub meritum de condigno. *Confirmatur* ſicut enim continuatio lucis in aëre procedit ex cõtinuo influxu luminis à corpore ſolis: ita hæc continuatio bonarum actionum, quæ fit motione Spiritus S. per gratiam procedit. ſed hic influxus habet rationem principij & nunquam termini. ergo non cadit ſub meritum de condigno. *ſecunda ratio.* Quia Deus ex ſua liberali miſericordia; quibus vult hoc donum perſeuerantiæ elargitur. *tertia ratio.* meritum de condigno requirit promiſſionem Diuinam. Sed in Scriptura nulla promiſſio habetur perſeuerantiæ, quinimmo contrarium habemus. 1. Corint. 10. *Qui ſtat, videat ne cadat* Ad Rom. 11. *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere.* poſſunt tamen iuſti orando & alia pietatis opera exercendo ad eum finem, vt hoc illis donum perſeuerantiæ conferatur, impetrare de congruo.

QVÆSITVM X.
An temporalia cadant ſub meritum?

Quomodo bona temporalia cadũt ſub meritum?

34. DICO primò. *Bona temporalia conſiderata in quantum ſunt vtilia ad opera virtutum, quibus ad vitam æternam perducimur, ſic cadunt ſub meritum* PROBATVR. *Timentes dominũ non minuentur omni bono.* Et *Non vidi iuſtum derelictum nec ſemen eius quærens panem.* Hic *Recentiores* inquirunt an cadant ſub meritum de condigno? *Reſpondeo* Hanc eſſe mentem D. Th: dicit enim hic art. 10 Cadunt ſub meritũ ſicut augmentum charitatis. Sed augmentum charitatis cadit ſub meritũ de condigno, (vt iam probatum)

An cadant ſub merit. de cõdigno?

batum) ergo & hæc bona temporalia. Idem dicit ibidem hæc bona meremur ſimpliciter. ſed meritum ſimpliciter eſt condignum, nam meritum de congruo dicitur eſſe ſecundū quid. ergo de condigno meremur. *Deniq;* fruſtra S. Doctor inter hęc bona diſtinxiſſet v. quód conſiderantur vt conferunt ad vitam æternam, tum etiam conſiderantur ſecundū ſe, ſi hæc ipſa vtraque hoc duplici modo conſiderata mereremur.

Bona temporalia ſecundùm ſe conſiderata non cadunt ſimpliciter ſub meritū.

35. Dico ſecundò. *Bona temporalia ſecundum ſe conſiderata non cadunt ſimpliciter ſub meritum* Ratio eſt D. Th. Hæc bona vt ſic conſiderata non ſunt ſimpliciter bona, nec conſiſtunt in vltimo fine, nec in his quę ducunt ad finem vltimum. ergo non poſſunt eſſe præmium ſimpliciter reſpectu meritorum. Aſſerit tamen S. Doctor quód ſecundum quid cadunt ſub meritū, hoc eſt, ſub meritum de congruo. nam ſecundum ſe non ſunt ſimpliciter bona, vnde nec digna, propter quę homo operetur bene. Hęc bona quandoq; iuſtis adijciuntur, quandoq; etiam iniuſtis, vt Deus illorum opera moraliter bona remuneretur, non ex debito, ſed ex ſua larga bonitate. Et ſecundum hunc ſenſum loquitur Abraham diuiti. *Recepiſti bona in vita tua.* Et in Exodo legimus. Quód Deus Ægyptijs obſtetricibus ædificauit domos, ideo quód timentes Deū infantes Iudæorum non occiderunt.

Deus pronior eſt ad præmia cōferēda quā ad pœnas irrogandas.

Ex quo collige Deum ob ſuam immenſam bonitatem ſemper proniorem eſſe ad præmia conferenda, quàm ad pœnas irrogandas. Cui ſit laus in omnem æternitatem.

TRACTA-TVS

Ex 2da. 2dæ.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

1. De Fide.
2. De Spe. cui annexa Diſ-putatio de Viſione Dei ex *1. p.*
3. De Charitate.

IN SECVNDAM SECVNDÆ PRÆFATIO
ET
EIVSDEM DIVISIO.

AGgredimur cum Diuino adiutorio explicare volumen S. Doctoris, quod cõmuniter *Secunda ſecundæ* appellari ſolet. Poſtquam enim in prima parte egimus de Deo ſecundùm ſe conſiderato, & de Deo vno, & trino, & de Deo creatore, maximè Angelorum. & cùm etiam ex Prima ſecundæ egimus de Deo, in quantum eſt vltimus finis hominis, v. ſuprema felicitas, ibidem quoque de medijs, quæ ad hunc finem conſequendum hominem ordinant (vt ſunt Actus humani, illorumq; principia, tam intrinſeca, quám extrinſeca) explicuimus ea omnia in diſtinctis noſtris Tractatibus complectentes. Nunc iam ratio ordinis requirit, vt ad *Secundam 2dæ.* progrediamur, quæ etiam de medijs conferentibus ad finem hominis vltimum agit. ſed in ſpeciali de virtutibus, & de his duplici modo loqui poſſumus: *primò* vnamquamq; virtutem in ſua morali materia conſiderando: *ſecundò* inquantum hæ virtutes certis ſtatibus hominum applicantur, *alii* enim ſunt ſtatus Prælatorum, *alii* Subditorum, *alii* Contemplatiuorum, & *alii* eorum qui ſe circa frequens miniſterium cum Martha exercent. Sunt autem virtu-

Summa dictorum.

Duplex tractatio virtutum.

Statuum Diuiſio.

Diuiſio virtutum.

tes duplices: *quædam* ſunt Theologicæ, vt Fides, Spes, Charitas: *quædam* Cardinales, vt Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Quocirca quemadmodum PRIMAM *2dæ.* in certos diſtinximus Tractatus, ita & SECVNDAM *2dæ.* in decem Tractatus particulares partimur.

Diuiſio generalis totius voluminis.

1. *De Fide, à Quæſtione prima vſq; ad 16. incluſiuè.*
2. *De Spe, à Quæſtione 17. vſq; ad 22. incluſiuè.*
3. *De Charitate, à Quæſtione 23 vſq; ad 46. incluſiuè.*
4. *De Prudentia, à Quæſtione 47. vſq; ad 56. incluſiuè.*
5. *De Iuſtitia, à Quæſtione 57. vſq; ad 122.*
6. *De Fortitudine, à Quæſtione 123 vſq; ad 140. incluſiuè.*
7. *De Temperantia à Quæſtione 141. vſq; ad quæſtionem 170. incluſiuè.*
8. *De ſtatu hominum conſiderato quoad Gratias gratis datas, à Quæſtione 171 vſq; ad 178. incluſiuè.*
9. *De ſtatu hominum conſiderato ſecundùm diuerſas vitas, v. Contemplatiuam & Actiuam à quæſtione 179. vſq; ad 182.*
10. *De ſtatu conſiderato ſecundùm diuerſa officia, Quæſtione 183. vſq; ad quæſtionem 189 quæ eſt vltima huius libri.* Et ex his ſic enumeratis Tractatibus tres interim primarios de Fide, Spe, Charitate delegimus explicandos.

TRACTATVS PRIMI

DE FIDE DIVISIO.

Fides eſt ianua ad ſalutem.

Meritò Fidei primum Tractatum tribuimus. nam hæc eſt ianua ingrediendi ad ſalutem æternam, Scriptura teſtante: *Qui crediderit, hic ſaluus erit.* & ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum.* Hic Tractatus ſexdecem Diſputationes habet:

1. *De Obiecto Fidei.*
2. *De Actu interiori Fidei.*
3. *De Actu exteriori Fidei.*
4. *De Eſſentia Fidei.*
5. *De habentibus fidem.*
6. *De Cauſa fidei.*
7. *De Effectibus fidei.*
8. *De dono intellectus, quod fidei correſpondet.*
9. *De dono Scientiæ, quod ſimiliter fidei correſpondet.*
10. *De Infidelitate, quod eſt vitium oppoſitum fidei.*

11. *De Hæreſi, quæ eſt ſpecies infidelitatis.*
12. *De Apoſtaſi, vt eſt quædam infidelitas.*
13. *De Blaſphemia, quæ opponitur confeſſioni exteriori fidei.*
14. *De Blaſphemia in Spiritum ſanctum.*
15. *De oppoſitis vitijs ſcientiæ & intellectui*
ſ Cæcitate mentis, & hebetitudine ſenſus.
16. *De Præceptis Fidei, Scientiæ, & Intellectus.*

DISPVTATIO I.
De Obiecto Fidei.

Decem Quæſita habebit, quæ more noſtro reſpondebunt decem Articulis S. Doctoris.

1. *An obiectum fidei ſit prima veritas?*
2. *An obiectum fidei ſit complexum vel incomplexum?*
3. *An fidei poſſit ſubeſſe falſum?*
4. *An obiectum fidei poſſit eſſe viſum?*
5. *An poſſit eſſe aliquid ſcitum?*
6. *An Credibilia in certos articulos debeant diſtingui?*
7. *An ijdem Articuli ſubſint fidei ſecundùm omne tempus?*
8. *De numero Articulorum.*
9. *De modo Articulos tradendi in Symbolo.*
10. *Cuiuſnam ſit Symbolum Fidei conſtituere?*

QVÆSITVM I.
An obiectum Fidei ſit prima veritas?

Ethymon 1. Fidei.

AD Quęſitum Dico primò *Hoc nomen* Fides *M.T. Cicero lib. 1. Offic. ex eo deducit, quód fiat id quod dicitur.* Et D. Aug. *ſerm: 237. de tempore* dicit quód *Fides conſtat duabus ſyllabis, quarum alia à Dicto, alia à facto ſumitur.*

Acceptiones Fidei.

Acceptiones Fidei plurimæ numerantur, nos ſolùm quinque adducimus. *Primò* Fides ſignificat Fidelitatem, vt cum id quod dictis promittitur opere completur. Pſal: 18. *Teſtimonium Domini fidele.* Et apud homines dicitur eſſe dictorum conuentorumq; veritas. *ſecundò* ſignificat conſtantiam & firmitudinem adimplendi promiſſa. ad Rom: 3. *nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit,* hoc eſt, perfidia

perfidia. Diuinas promiſſiones nō faciet irritas. *tertiò* ſignificat votū ſiue promiſſionē vt 1. ad Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primā Fidem irritam fecerunt.* D. Aug. ſic exponit. *Quid eſt quia primam fidem irritam fecerunt &c.* hoc eſt, *Quia vouerunt & non reddiderunt. Quartò.* ſignificat conſcientiam ad Rom. 14. *omne quod non eſt ex fide*, hoc eſt, *quod eſt contra conſcientiam, eſt peccatum. Quintò* ſignificat Fiduciam ſeu confidentiam Matt. 16. *modicæ fidei quare dubitaſti.* His ita recenſitis acceptionibus & alijs omiſſis tanquam parum neceſſarijs noſtro inſtituto.

2. Dico ſecundò. *Fides à nobis hic ſumitur vt ſignificat propriè credulitatē* vt cùm alicuius Dictis propter authoritatem dicentis aſſentimur. & cúm ea quæ nobis dicuntur, ſint duplicia, aut enim dicuntur à Deo aut dicuntur ab homine, idcirco etiam Fides duplex erit, quædam Diuina & quædam humana. *Fides humana* eſt illa credulitas, quam exhibemus dictis hominum, non propter argumenta, aut rationes euidentes, quæ noſtram rationem cōuincant, ſed propter authoritatē hominis, quia veritatem in ſuis Dictis ſeruat. *Fides autem Diuina* eſt ſimiliter credulitas, quā præbem⁹ Dictis à Deo propter ſūmā Dei authoritatē, & indubitatam veritatē, quæ Diuinæ naturæ ita eſt annexa, vt ſit ipſa Deitas. & in hac ſignificatione ſumpta Fides ſignificat habitum, quem nobis Deus infundit, & quo mediante aſſentimur reuelatis myſterijs Diuinis ad Epheſ. 2. *Gratia Dei ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* vnde

Fides duplex.

Fides Humana quid?

Fides Diuina quid?

Fides eſt habitus à Deo infuſus

Fides eſt quædam qualitas ſupernaturalis, quæ infunditur ad hoc vt rebus fidei aſſentiamur propter authoritatem dicentis, & in hoc ſenſu accipimus hic fidem. *Et ratio eſt* quiá confeſſione Theologorum tres ſunt ſolùm infuſæ virtutes: Fides, Spes, Charitas, & ſicut Spes & Charitas deſignant certas qualitates ſupernaturales infuſas, vt Charitas qualitatem ſignificat qua Deum amamus, Spes quoq; ſignificat qualitatem qua ſperamus Diuina promiſſa, ita & fides erit qualitas ſupernaturalis infuſa, qua aſſentimur rebus credendis propter authoritatem Dei dicentis.

Fides eſt qualitas quædam ſupernaturalis.

Virtutes infuſæ tres ſunt.

3. Dico tertiò. *Fides quemadmodum & Spes & Charitas ſunt virtutes ſua natura infuſæ, ita quód alio modo non acquirantur, niſi per infuſionem.* Probatur ad Epheſ. 2. *Fides non ex nobis, ſed eſt donum Dei.* ad Rom 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S* & 1. Petri 2 *Regenerauit nos in ſpem viuam.* & Capitulo *Maiores* de Baptiſmo & eius effectu. & Clementina Vienuen. de Summa Trinitate dicit *in Baptiſmo fidem infundi ſimul cum alijs virtutibus.* & Concil. Trid. *Seſſ. 6. cap. 7.* vbi loquitur de iuſtificatione, dicit iuſtificatum ſimul recipere hæc infuſa, Fidem, Spem, Charitatem. *Et ratio eſt* quia hæ virtutes Theologicæ viribus naturæ parari non poſſunt, quia ſunt circa Deum, vt eſt author gratiæ & gloriæ. ergo per infuſionem à Deo habentur.

Fides Spes & Charitas ſunt virtutes ſua natura infuſæ.

Virtutes Theologicæ ex viribus naturæ parari nō poſſunt.

4. *Nota* inter hos tres habitus infuſos fidem eſſe priorem, nihil enim ſperamus, nihil amamus niſi ſit præcognitum. atqui fides eſt cuius lumine illuſtrata mens reb⁹ fidei

Inter virtutes Theologicas Fides prior.

fidei aſſentitur, & quæ res ſperandas & amandas proponit. ergo fides eſt prior.

Cur addatur Fidem Spem &c. natura ſua eſſe virtutes infuſas.

Nota ſecundò ideo addidimus *Fidem, Spem, Charitatem, eſſe ſua natura virtutes infuſas,* nam poſſunt eſſe aliqui habitus infuſi, vt Deus poteſt in momento homini rudi habitum Logicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ infundere, ſed hi habitus erunt infuſi *ſecundùm quid*, nam præter infuſionem à Deo poſſunt ſtudio & exercitatione acquiri: hi autem habitus, qui ſunt ſua natura infuſi nõ poſſunt per exercitationẽ haberi, & ideo dicuntur ſua natura infuſi.

Infuſio duplex ſecundum quid & natura ſua.

Homo non poteſt augere charitatem.

5. *Sed dices.* Homo iuſtus actionibus frequentatis poteſt in ſe augere charitatem. *Reſpondeo* quod ille homo iuſtus & in gratia conſtitutus illis actionibus frequentatis non poteſt nouum habitum charitatis in ſe generare. *Dices.* ergo augebit. *Dico.* quód hic homo non auget efficienter, ſed ſolùm auget moraliter, v. diſpoſitiuè & meritoriè in quantum exercendo opera charitatis diſponit ſe & meretur augmẽtum eiuſdem charitatis. Iuxta illud. *Euge ſerue bone, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Et *Habenti dabitur.* hoc eſt benè vtenti charitate addentur vlteriores gradus eiuſdem charitatis.

Obiectũ Fidei duplex.

Suppono pro quarto Dicto. ex art: 1. hic quód obiectum Fidei eſt duplex, *quoddam eſt materiale* obiectum adæquatum, illud v. quod habitus Fidei primariò reſpicit, & reliqua propter illud: dicitur etiam *Obiectum Quod. Quoddam Formale* v. modus quidam ſpecialis ſeu ratio propria; ſub qua res aliqua conſideratur, & dicitur *obiectum formale Quo.* Hoc ſuppoſito.

Obiectum materiale fidei Deus.

6. Dico quartò. *Obiectum materiale Fidei Diuinæ eſt Deus vt Deus, ſeu Deus ſub ratione Deitatis conſideratus, & illa omnia quæ ad Deum ſpectant tanquam ab eo ad credendum reuelata.* PROBATVR. ad Epheſ: 4. *Vnus Deus, vna fides.* Ex quo ſic arguo vnitas habitus ſumitur ex vnitate obiecti. ſed ſecundùm Apoſtolum habitus Fidei ſumit ſuam vnitatẽ ex vno Deo quia dicit *vnus Deus, vna fides.* ergo Deus eſt obiectum adæquatum materiale fidei.

Secundo probatur. Marci 11. *Habete fidem Dei* ergo Fidei habitus directè in Deum fertur. *Deinde* Ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum credere oportet.* ſed paſſus quibus ad Deum accedimus ſunt habitus Fidei. ergo Fides eſt de Deo, & ſic Deus ſub ratione Deitatis eſt obiectum materiale fidei. Et D. Aug. *4. de Ciuit: Dei cap. 20.* dicit *Fidei primum eſt & maximum officium, vt in verum Deum credatur.* Et in Symbolo Apoſtolorum & Niceno confitemur *Credo in vnum Deum.* ergo Deus in quantum Deus, ſeu ſub ratione Deitatis conſideratus, eſt obiectũ materiale fidei. Et ſecundum D. Th. in prima parte quæſt. 1. *articulo 7.* ſubiectum adæquatum Theologiæ eſt Deus ſub ratione Dei, ita quód Theologia primariò de Deo agat, ſi verò alia conſiderat non niſi vt referuntur ad Deum. Ergo & fidei obiectum materiale ſeu formale *Quod* erit Deus ſub ratione Deitatis, & reliqua vt ad Deum ſpectant. *Conſequentia.* Quia vtrumq; hoc ait de Deo & quidẽ primariò.

Fidei officium primum & maximũ.

 Confir-

7. *Confirmatur.* obiectum adæquatum habitus intellectualis illud eſſe debet, circa quod primariò occupatur, & ad quod cætera referuntur. ſed Deus in ſua generali ratione in quantum Deus eſt primariũ quid: nam inter ea, quæ ſunt fidei, eſt primũ quid, & omnia quæ per fidem apprehendimus ad Deum ſpectant. ergo Deus eſt obiectum materiale fidei.

Res etiam creatæ ſunt obiectũ Fidei materiale.

Nota nõ ſolùm Deus, ſed etiã res creatæ, non in quantum ſunt creatæ, ſed inquantum ſunt à Deo reuelatæ, ſunt obiectum fidei materiale, vt Incarnatio, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio Chriſti, *tum* immortalitas Animæ, remiſſio peccatorum, reſurrectio mortuorum, Sanctorum communio. quod ſic intellige, quód inter credibilia ſit principale obiectum ipſe Deus, res autem enumeratæ creatæ quæ ſunt reuelatæ, & ad credendum ab Eccleſia propoſitæ, ſunt obiectum ſecundarium ſeu obiecta particularia quæ ad Deum referũtur, qui horum omnium eſt principium.

Quomodo intelligendum res creatas eſſe ſubiectum materiale?

Obiectum formale Fidei, prima veritas.

8 Dico quintò. *Obiectum formale* quo, *ſeu ratio formalis* ſub qua *fidei Diuinæ, eſt prima veritas Dei reuelantis, in quantum reuelantis*, ideo reduplicamus hoc nomen *reuelantis*, quia primam veritatem non iam intelligimus, quæ eſt in eſſendo, ſeu quę eſt idem cum eſſentia Deitatis, ſed eam, quæ ſit veritas reuelans ea, quæ ſunt credenda. & ſic iam collige, quód ratio formalis fidei eſt prima veritas Dei reuelantis, & ideo propoſitis per reuelationem infallibilitèr credimus.

Nota hic cum Caiet. quód veritas prima conſurgit ex ſapientia & bonitate Dei, quia Deus per ſapiẽtiã ſuã omne illud, quod eſt intelligibile ita intelligit in quantũ in ſe intelligibile, vnde non fallitur. quia idẽ Deus per bonitatẽ ſuam, eandem rem eo modo, quo concipit, reuelat & proponit credendã, & ideo nõ fallit. vnde quæ à prima veritate reuelantur infallibiliter ſunt credenda, Deus enim propter ſuam ſapientiam non fallitur, nec ob ſuam bonitatem quemquam fallit.

Veritas prima vnde conſurgat?

Scriptura ad quid vtilis?

9. *Probatur Dictum* 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, arguendum, vt perfectus ſit homo.* ergo quia Sciptura diuinitus inſpirata, ideo vtilis eſt. ergo ex reuelatione certitudinem ſumit. & 2. Petri 1. *Spiritu S. inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Ad Galat 4. *Notum facio vobis Euangeliũ, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem, neq; ego ab homine accepi illud, neq; didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Probatur rationibus.

Fides Catholica quibus...

10. *Ratio prima.* Fides Catholica eſt de his; *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt*, & quam nemo Principũ huius ſeculi cognouit, nam eſt rerum non apparentium. Ergo res fidei non poſſunt aliter cognoſci niſi per reuelationem, per ſenſus enim non cognoſcuntur (vt docet Apoſt.) *Tum* ſi cognoſcerentur non eſſent ſupernaturales, nec ad fidem ſpectarent, ſed ad experientiam naturalem. *Deinde* Habitus fidei includit in ſe aſſenſum firmiſſimum, qui omnem dubitationem penitùs excludit. ſed impoſſibile eſt vt homo

aſſenſu

aſſenſu firmiſſimo aſſentiatur his rebus, quæ nobis obſcurè & ænigmaticè proponũtur. ergo ad hoc ſpeciale donum requiritur, v. reuelatio, vbi enim homo audit, quód Deus reuelauit, ſtatim neceſſariò debet aſſentiri, quia Deus nec fallitur nec fallere poteſt. ergo reuelatio eſt ratio formalis *ſub qua* fidei.

11. *Ratio ſecunda.* Ratio formalis cuiuſlibet habitus cognoſcitiui eſt id, quod eſt ratio aſſentiendi, vt in naturali ſcientia ratio formalis eſt *naturale*, vnde omne, quod cognoſcimus & cui aſſentimur, ideo aſſentimur, quia eſt naturale, quod quidem eſt ratio formalis ſcientiæ naturalis, ita in habitu fidei habet ſe prima veritas reuelans, nam *quód Deus ſit vnus & trinus,* quód *verbum Diuinum eſt incarnatum*, quód *Corpus Chriſti ſit in Eucharistia,* ideo credimus, quia prima veritas reuelauit. ergo ratio formalis *ſub qua* fidei eſt id, quod prima veritas reuelans.

Obiectio.

12. *Sed obijcies* illud eſt obiectũ formale fidei, in quod vltimò actus credendi reſoluuntur. ſed in Deitatem fit vltima reſolutio. ergo Deitas eſt ratio formalis. *Minor.* ſi enim quæras *cur aſſentior articulis fidei?* reſpondebo ideo quia *prima veritas reuelauit, quæ nec falli, nec fallere poteſt.* & ſi rurſum quæras *cur prima veritas reuelans nec falli nec fallere poteſt?* reſpondebo quia *prima veritas eſt Deitas.*

Cur prima Veritas nec falli nec fallere poteſt?

Reſponſio ad obiectionem.

Reſpondeo cum Baneſio & dico aliud eſſe reddere rationem eſſendi, & aliud reddere rationem aſſentiendi. nam ſi quis quærat *cur Ioannes videtur?* dicam quia *habet colorem illuminatum ſub quo videtur* & hæc eſt vltima ratio aſſentiendi. ſi vlteriùs quærat *cur Ioannes ſit coloratus?* reſpondebo id *prouenire ex miſtione primarum qualitatum.* ſed hæc reſponſio eſt ratio eſſendi, quia illa miſtio qualitatum facit coloratum. ita in habitu fidei quando quæris *cur rebus credendis aſſentimur?* reſpondeo quia *prima veritas reuelauit*, & hæc eſt vltima ratio, ob quam aſſentimur. ſi verò vlteriùs quæris; *cur prima veritas nec fallitur, nec fallit?* ſic dicas *quia eſt Deitas*, hæc reſponſio iam non erit ratio aſſentiẽdi ſed eſſendi, quia Deitas & veritas idem ſunt ſecundùm eſſentiam.

Cur rebus credendis aſſentimur?

13. Dico ſextò. *Reuelatio ſeu manifeſtatio diuinitus facta credendorum intrinſecè pertinet ad obiectum formale fidei Diuinæ.* PROBATVR. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis.* & D. Aug. *Non iam hominibus, ſed ipſo Deo mentem noſtram firmante, atque illuminante credimus, quod quidem fit per reuelationem.* & D. Athan. in Oratione *quód vnus eſt Chriſtus.* Primò (inquit) *credere oportet, &c.* ſecundò *in ſublimi rerum iſtarum rationem petere non humi ex ſanguine & carne conquirere, ſed ex reuelatione Diuina & cæleſti.* iuxta illud: *Beatus es Simon, &c.*

Reuelatio credendorũ quomodo pertinet ad obiectũ formale Fidei?

14. *Secundò probatur.* Reuelatio eſt conſtitutiuum obiecti formalis in *eſſe* & in *intelligi*, ita quód ſine ea nihil poſſit intelligi & credi. ergo reuelatio eſt intrinſeca. *Conſequentia* quia data veritate prima, & non data illius reuelatione, nullũ erit obiectum formale fidei. ergo conſtitutiuum obiecti formalis eſt reuelatio.

Tertiò probatur. effectus formalis non poteſt produci niſi à ſola cau-

ſa formali, ita quód nec per omnipotentiam Dei ſuppleri poſſit, ſed credulitas eſt effectus formalis credendorum dependens à prima veritate reuelante. ergo reuelatio eſt de intrinſeca ratione.

Quartò probatur eo modo habet ſe reuelatio Diuina ad fidem Diuinā; quo ſe habet reuelatio humana ad fidem humanam. ſed reuelatio ſeu manifeſtatio humana eſt de intrinſeca ratione fidei humanæ, innititurque in veritate humana inquantum manifeſtata. ergo & in fide Diuina reuelatio Diuina erit intrinſeca fidei Diuinæ.

Reuelatio quid?

15. *Nota* reuelatio eſt actus liber voluntatis Diuinæ, per quem ea nobis manifeſtat, quæ vult à nobis aut ab Angelis credi. Modus autē reuelandi eſt duplex: *aut per locutionem ſpiritualem?* qualis eſt in Angelis, qui tum ſibi loquuntur cum mutuò ſibi conceptus manifeſtāt: *aut per locutionem ſenſibilem & articulatam?* vt Deus in Baptiſmate Chriſti illius Diuinitatem his verbis reuelauit: *Hic eſt Filius meus dilectus.*

Modus reuelandi duplex.

Quomodo intelligendum reuelationem intrinſecā eſſe obiectū Fidei?

Nota ſecundò quando dicitur *quód reuelatio ſit intrinſeca obiecto fidei.* non ſic intelligas quód reuelatio ſit in rebus reuelatis tanquam in ſubiecto, quia ſolùm eſt in intellectu illi[9], v. Dei, qui res credibiles reuelat, & facit vt ab alio intellectu intelligantur, ſicut enim res aliqua dicitur eſſe viſa aut intellecta, non per viſionem aut per intellectionē receptā in re, ſed ſolùm inquātum aut à viſu aut ab intellectu videtur aut cognoſcitur. ſic res reuelatæ dicuntur eſſe, non vt ab illis reuelatio tanquā à ſubiecto recipitur, ſed vt intellectus eaſdem reuelat.

16. Dico ſeptimò. *Ineuidentia ſeu obſcuritas eſt de ratione fidei Diuinæ.* PROBATVR. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* ſ. in patria. ergo fides viſioni opponitur, ſed viſio in patria, quia eſt ad faciem eſt clara & euidens. ergo fides eſt obſcura & ineuidens. & 2. *Petri cap. 1.* dicitur *nos per fidem in loco caliginoſo ambulare.*

Ineuidētia & obſcuritas eſt de ratione fidei Diuinæ.

Nota quód Apoſtoli, qui conuerſabantur cum Chriſto, videbant quidem humanitatem Chriſti docentem, & Sacramenta inſtituentem, ſed non in hoc fides illorum conſiſtebat, ſed in quantum credebant quód eius humanitas à Diuinitate erat aſſumpta ad redemptionem per mortem ſuſceptam, & hoc obſcurum erat.

Fides Apoſtolorum in quo conſiſtebat?

Nota ſecundò quód hæc obſcuritas conſiſtit, in eo quód res reuelatæ ſint obſcuræ, & quód nobis ſint ineuidentes, his tamen tanquam certiſſimis aſſentimur, quia à Deo prima veritate ſunt reuelata.

Obſcuritas hæc in quo conſiſtat?

17 Dico octauò. *vt rebus fidei reuelatis aſſentiamur, requiritur præter reuelationem, vt ab Eccleſia proponantur, quód ſint à Deo reuelatæ, & ideo fide firmiter credendæ.*

Vt aſſentiamur rebus fidei reuelatis quid præter reuelationē requiritur?

Nota per *Eccleſiam* intelligimus fidem in fidelium congregatione florentem, ſed in ea quoq; confitemur eſſe viſibilem poteſtatem à Chriſto inſtitutam, ad hoc vt Chriſti fideles in ſana & ſalutari doctrina erudiat, & vt ea quæ ſunt credenda proponat, hanc autem agnoſcimus eſſe aut in ſolo Romano Pontifice, aut vna cum generali Concilio, cuius quidem eſt iudicare de vero ſenſu controuerſiarum, quæ in rebus fidei accidunt, & in his

in his proponendis & definiendis errare non poteſt, ſiquidem habet ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus S. *Probatur* Ioan. 15. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, &c. ille teſtimonium perhibebit de me. & ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi.*

Quomodo authoritas Eccleſiæ cõcurrat ad aſſenſum fidei?

18. *Nota ſecundò.* Authoritas Eccleſiæ non concurrit ad aſſenſum fidei, vt obiectum illius formale, quia hoc (vt iam deductum) eſt prima veritas reuelans ſe & alia à ſe, ſed ſolùm concurrit vt inſtrumentum teſtificationis ſeu locutionis Spiritus S. *Probatur* Marci vltimò. *Euntes in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium,* &c. & Ioan. 10. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* ſed Chriſtus miſſus eſt à Patre, vt ipſe myſterium fidei hominibus reuelaret, & vt eidem fidei doctrinam explicanti aſſentirentur. ergo & Apoſtoli, & Doctores ad prædicandum & ad explicandum myſteria miſſi, quibus aſſentiri debemus. *Præterea* quilibet fidelium tenetur aſſentiri Eccleſiæ quando de rebus fidei definit. Matth. 18 *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* ergo authoritas Eccleſię ad aſſenſum fidei confert *Deniq;* ad Timoth 3. *Eccesia* dicitur *eſſe columna & firmamentum veritatis.* ergo Eccleſia authoritate ſua concurrit ad aſſenſum fidei.

Error Hæreticorum.

19. *Inſtant Hæretici* ideo Eccleſiam vocari columnam & firmamentum veritatis, quia in ea verbum Dei continetur, quod eſt erroris expers.

Refutatur.

Sed contra ſi ſic, quia continet verbum Dei, ideo Eccleſia eſt columna ergo nõ columna ſed potiùs pyxis aut theca cõtinẽs dici debuit. *Secundò.* non magis Eccleſia eſſet columna veritatis atq; officina bibliopolarum aut bibliothecæ, nam in his Sacra Scriptura aſſeruatur. ergo potiùs ideo dicitur *columna* quia ipſa per ſe ſtat & alias ſtare facit. Vnde D. Auguſt. dicit *Euangelio non crederem niſi me Catholicæ Eccleſiæ authoritas commoueret,* Hic Eccleſiam comparat cum Scriptura & eandem præfert Scripturæ.

Quomodo Scriptura ſeu verbum & authoritas Eccleſię ad aſſenſum fidei cõcurrat?

20. *Nota.* quomodo Scriptura ſeu ſcriptum verbum & authoritas Eccleſiæ ad aſſenſum fidei concurrat? Scriptura quidem concurrit in quantum in ſe habet locutionem Spiritus S Authoritas verò Eccleſiæ concurrit in quantum teſtificat hanc eſſe locutionẽ Spiritus S. nam de hoc iudicium facere nec ipſa Scriptura nec traditio poteſt, ſed ab ipſa Eccleſia iudicium requirendum in qua voluit Deus habere Doctores Euangeliſtas, *vt iam non ſimus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum* Et 1. Petri 3. *Ideo ſunt Doctores in Eccleſia vt ſint parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti eos rationem de ea quæ in illis eſt ſpe.*

Quid præter Reuelationem & Eccleſię propoſitionem ad aſſenſũ fidei requiratur?

21. Dico nonò. *vt aliquis propoſitis ad credendum aſſenſum præbeat præter Reuelationem & Eccleſiæ propoſitionem adhuc requiritur Intrinſeca motio Spiritus S quæ intellectum illuminet & voluntatem accendat, & hæc motio Spiritus S. eſt principalis cauſa fidei Diuinæ.* PROBATVR. nam Fides, ad Ephes. 2. eſt *donũ Dei* Et D.Th. *2da 2dæ quæſt*: 2. *artic*: 9. *ad* 3. dicit fidem noſtrã in tribus fundari *primò* in doctrina quæ eſt Diuinitus reuelata: *ſecundò*

Fides noſtra in quibus fundatur?

quia eſt miraculis confirmata: *tertiò* quia ex interiori motione Spiritus S. & hanc motionem dicim⁹ eſſe principalem cauſam fidei in omni credente. *Et ratio eſt* nam aſſenſus fidei eſt ordinis ſupernaturalis. ergo à principio ſupernaturali produci debet. Sed talis eſt motio Spiritus S. interior vna cum intellectu & voluntate, nam huic aſſenſui fidei intellectus & voluntas vitalitatem conferunt; motio verò Spiritus S. ſupernaturalitatẽ.

Quæ ſunt alia motiua exteriora præter motionem Spiritus S. quib⁹ inducimur ad præbendum aſſenſum fidei?

22. Dico decimò *Præter hanc motionem Spiritus S. ſunt & alia motiua exteriora quibus inducimur ad præbendum aßenſum fidei*: vt eſt conſenſus Doctorum præteritorum & præſentium, ſunt *miracula*, tum quód myſteria fidei cum lumine naturali rationis magnam conuenientiam habent, & his quidam magis, quidam autem minùs mouentur. *vt Ioan: 4. multi Samaritanorum crediderunt in Chriſtum propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis.* Et de Apoſtolis dicitur *quód vbiq; prædicauerunt domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Cum ad aſſẽſum fidei & Authoritas Eccleſiæ concurrat, & motio Spirit⁹ S. quæritur in quod horum ſit vltima reſolutio credibilium?

23. *Sed quæres,* cum ad aſſenſum fidei & authoritas Eccleſiæ cõcurrat & motio Spiritus S. interna, quæritur in quod horum ſit vltima reſolutio credibilium? hoc eſt an aſſentimur propter Eccleſiæ authoritatem? an verò propter motionem reuelantis Spiritus S? *Reſpondeo* quód Eccleſia in quantum à Spiritu S. regitur, & in quantum illam confitemur *Sanctam & Catholicam*, & quód ad illam ſpectat credendorum diſtinctionem, & explicationem facere ſic dicimus quód in eam reſoluitur fides noſtra. *Probatur.* Quia credendorum diſtincta reuelatio facta eſt Apoſtolis ex quorum prædicatione & ſcriptis accepit Eccleſia diſtinctè, quæ ſunt credenda eademq; nobis tradidit. vnde fides noſtra pro regula & fundamento habet doctrinam Eccleſiæ & Apoſtolorum. Ad Ephes 2. *Eſtis ciues Sanctorum & domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentũ Apoſtolorũ & Prophetarũ &c.* vnde ſi inter fideles dubiũ oriatur in negotio fidei, ad Eccleſiam recurritur tanquam ad ſacram anchoram, & cõmuniter dicimus *nos id credere quód Eccleſia credit* & non dicimus *quód hæc credimus, quia ſunt reuelata* nam reuelatio ſolis Apoſtolis facta ex quorum prædicatione acceptam doctrinam proponit Eccleſia.

Quo ad rationem formalem credendi immediate pendet fides noſtra.

24. *Sed quo ad rationem formalem* credendi dicimus quód fides noſtra immediate pendet à Spiritu S. illuminante mentes noſtras & inclinante ad credendum his, quæ proponũtur ab Eccleſia tanquam à certiſſima & infallibili regula proponente veritates fidei. *Vnde* quód credamus Eccleſiæ proponenti hunc vel illum articulum fidei, id iam non ad Eccleſiæ authoritatem reducendum: nam hoc eſſet idem ad idem reducere; ſed reducimus ad motionem Spiritus S. interiùs inclinantis per lumen fidei ad hoc credendum, quód Eccleſia non poſſit errare vt *Actorum 6. dicitur* de Lydia purpuraria quód eius *cor Deus monit vt attenderet illis quæ à D. Paulo dicebantur.*

Prius ... infun... nobis ... &c.

Nota. prius à Deo infundi fidẽ, & fieri motionem intrinſecam, quam credamus Eccleſiam eſſe regulam infallibilem credendorum, & ſic

& ſic in motionem Spiritus S. inclinantem nos vt rebus fidei ab Eccleſia propoſitis credamus, ſit reſolutio.

QVÆSITVM II.
An obiectum Fidei ſit complexum vel incomplexum?

Quomodo obiectũ fidei ſit res ſimplex? 25. Dico primò. *Obiectum fidei ſi conſideretur ex parte rei creditæ, ſic non eſt quid compoſitũ ſed eſt res ſimplex.* PROBATVR. Nã hoc obiectum *Deus Pater, Filius, Spiritus S. Incarnatio verbi, paſſio, mors,* & reliqua in ſe conſiderata ſunt ſimplicia.

Compoſitio duplex. *Sed dices.* Chriſtum eſſe quid complexum, item Sacramenta, quia rebus & verbis conſtant ergo obiectum fidei complexum. *Reſpondeo* Nos in præſenti loqui de compoſitione, quæ fit per intellectum cum v. mente aliquid de aliquo affirmamus aut negamus & ſic dicimus, quód ex parte rei creditæ obiectum fidei ſit ſimplex. Inſtantia autem loquitur de compoſitione Phyſica & reali qualem in Chriſto in quantum eſt ex componibilibus admittimus, tum & Sacramenta ex verbis & rebus tãquam partibus componuntur, ſed nos hic non de hac compoſitione loquimur.

Quomodo obiectũ fidei ſit cõpoſitum? 26. Si autem *obiectum Fidei conſideretur ex parte credentium in quantum v. authoritate Eccleſiæ nobis proponitur & explicatur, ſic iam eſt compoſitũ compoſitione intellectuali.* PROBATVR. Fidei cognitio eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis nam *omne quod recipitur per modũ recipientis recipitur.* Sed modus, quo intellectus aliqua cognoſcit eſt compoſitio v. aut componendo aut diuidendo, quod fit per affirmationem & negationem. ergo fides ex parte credentium eſt quid complexum. *Deinde* compoſitio rationis fit per ſubiectum & prædicatum & copulam; ſed tali compoſitione vtitur Eccleſia, quando aliquos articulos credentibus proponit, dicit enim *Deus eſt vnus & trinus. Pater generat Filium, & Pater & Filius ſpirant Spiritum S.* ergo admittit compoſitionem fidei obiectũ.

Præterea fides eſt medium inter ſcientiam & opinionem, medium verò vtriuſque extremi participat naturam, ſed extremorum v. ſciẽtiæ & opinionis hæc eſt natura, quód faciat propoſitiones, & ex his colligit ſcientiam. ergo & fides noſtra de Articulis credendis illos proponendo facit propoſitiones. Fides eſt medium inter ſcientiã & opinionem.

27. Dico ſecundò *Obiectum formale fidei non eſt quid complexum ſed incomplexum.* PROBATVR. *ex reſponſ. ad 2.* Actus enim credentis non terminatur ad propoſitionem ſed ad rem, ideo enim aliquas propoſitiones formamus, vt per eas res cognoſcamus. ſed res fidei (vt iam Obiectũ formale fidei eſt incomplexum.

deductum)

deductum) ſimplices ſunt ergo & obiectũ eritſimplex. *Præterea* principium formale per ſe aſſẽſus fidei, eſt ſola prima veritas reuelans ſe & alia à ſe, principiũ autẽ formale per accidens eſt authoritas Eccleſiæ, ſed nullum horum eſt complexum, quia neutrum conſtat ſubiecto prędicato copula. ergo eſt ſimplex.

Quomodo intelligendum obiectum fidei ex parte credentium eſſe complexum?

28. Dico tertiò. *quando dicimus* quód obiectum fidei ex parte credentis ſit complexum *ſic intellige, quód hoc non pertinet ad rationem fidei ſpecificam.* PROBATVR. nam fides in Angelis fuit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, & in his ex parte credendi non fuit obiectum fidei complexũ nam Angeli ſine compoſitione intelligunt veritates, ſed hæc eſt cõditio noſtræ fidei, nam intellectus noſtri pro ſtatu præſenti ea eſt imperfectio, quód non poſſit intelligere ſimplicia niſi componendo aut diuidendo. vnde D. Th. ait: *quód ideo formamus enuntiabilia, vt per ea de rebus cognitionem habeamus.*

QVÆSITVM III.
An Fidei poſſit ſubeſſe falſum?

Error impius Priſcilianiſtarum.

29. FVit error impius Priſcilianiſtarum dicentium Deum poſſe mẽtiri, & quód quandoque falſa per Prophetas prædicarit. in eadem hæreſi Armeni fuerunt, & (quod mirum) quidam Scholaſtici inuenti ſunt, qui dicebant Deum de potentia ordinaria non poſſe mentiri, ſed de abſoluta poſſe: hæc ſententia tribuitur Cardinali de Aliaco in *1. quæſt. 11. art 3.* & Gabrieli in *3. diſt. 38.* Pro determinatione

Fidei nullo modo poteſt ſubeſſe falſum.

Dico primò. *Fidei nullo modo poteſt ſubeſſe falſum.* PROBATVR. nulla virtus perficiens intellectum habet ſe ad falſum ſecundùm quod eſt malum intellectus. ſed fides eſt quædam virtus intellectum perficiens ergo ei falſum non poteſt ſubeſſe.

Aliud eſt ſub verò eſſe falſum, & aliud ſub vero eſſe cognitionem falſi.

Nota hîc cum Caiet. aliud eſſe *ſub vero eſſe falſum,* & aliud *ſub vero eſſe cognitionem falſi.* primum dicit omnino eſſe impoſſibile, quód vnum oppoſitum ſit ſub alio oppoſito, nam vnum oppoſitum non eſt cauſa ſui oppoſiti. *alterum* dicit eſſe verum, nam vnum oppoſitum eſt ratio cognoſcendi, alterum ſiquidem ex cognitione veri iudicamus oppoſitum eſſe falſum.

30. *Sed inſtabis* condiuiſis ſpei, charitati poteſt ſubeſſe falſum. ergo & fidei *Antecedens* multi enim ſperant ſe habituros vitam æternam, quam nunquam habebunt. & multi diliguntur tanquam boni, qui tamen non ſunt boni *Reſpondeo & dico primò* iudicium de vnaquaq; re tunc faciendum eſſe, quãdo illa res integrè & non diminutè definitur. Diminuta eſt definitio ſpei allatæ, nam hæc ſpes eſt vana, falſa. cum præſumptione, iam verò ſpes eſt perfecta, quæ eſt humilis, & miſericordiæ Diuinæ innixa. idẽ de charitate dicendum, quód ex coniecturis procedat non ex proprij

proprij ſubiecti regulatione, & ſic neq; ſpei neq; charitati conſideratis, quoad ſuam definitionem perfectam poteſt ſubeſſe falſum.

Spei & charitati ſub eſt falſum.

31. Dico ſecundò *quòd ſpei & charitati ſubſit falſum, id eſt conuenit nō ratione condiuiſionis, ſed ratione diuerſitatis potentiæ.* RATIO *prima.* quia ſpes & charitas ad appetitiuam facultatem ſpectant, cui ſubeſſe poteſt falſum, totaliter enim à ſuo ſubiecto non excludit falſum, nam obiectum appetitiuæ non eſt verū ſed ſolius intellectus.

Secunda ratio. quidquid habitui aut potentiæ ſubſtat non niſi mediante ratione formali ſubſtat, vt potentiæ viſiuæ ſubſtat color, ſed ſub ratione lucis; & ſcientiæ quidquid ſubſtat quoad verum, non niſi mediante demonſtratione ſubſtat. ſed ratio formalis obiecti fidei eſt prima veritas. ergo illi nihil falſum ſubſtare poteſt. *Minor.* ſicut enim ſub Ente non Ens non ſubſtat, nec malum ſub bono, ita neq; ſub prima veritate ſubſtare poteſt falſum.

Tertia ratio. prima veritas reuelans, quæ eſt obiectum fidei formale, neminem mouere poteſt ad aſſenſum rei falſum, quia aliàs Deo falſum conueniret quod eſt impiū. Numer: 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur.* ad Titum 1. *Promiſit, qui non mentitur Deus.*

32. *Quarta ratio.* ſi Deus aliquando falſum reuelaret aut affirmaret, Deus neceſſariò ſeipſum negaret. *Sequela.* Deus enim eſſentialiter eſt verax. Ioan 14. *Ego ſum via, veritas, &c.* ſed Deus ſeipſum negare non poteſt. 2. ad Timoth. 2. dicitur: *Ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.*

Quinta ratio. veritas eſt attributū Diuinum, & illi intrinſecum & eſſentiale ſecundùm ſummam ac infinitā perfectionem, quia *quidquid in Deo eſt, Deus eſt.* ſed ſi in Deo locus eſſet mendacio, non eſſet per eſſentiam veritas. ergo nullo modo Deo conuenit. *Deniq;* Ariſt. *l. 4. Ethic. cap. 7.* dicit *mendacium per ſe eſſe improbum & vituperabile.* ſed eſſe improbum & vituperabile Deo nō conuenit. ergo nec mendacium.

33. Probatur quoq; *quòd neq; de potentia abſoluta illi mendaciū cōueniat.* quia per nullam potentiam fieri poteſt vt aliqua res actu exſiſtat ſine ſua eſſentia, aut ſine eſſentiali perfectione. ſed ſi Deus mendacium reuelaret pro illo actu eſſet ſine eſſentia, quia eſſet ſine veritate, quæ eſt per eſſentiam Deus.

Deo neque de abſoluta illius potētia mendacium conuenit.

34. Dico ſecundò. *Deus non modo per ſe, ſed nec per alium mentiri poteſt.* PROBATVR. ſi enim per alium poſſet, ergo per miniſtrum ſi ſic, ergo hoc ipſum Deo maximè tribuendum eſſet. *Sequela.* quoties enim agens principale aliquid per cauſam ſecundam miniſterialem operatur, illa actio magis tribuitur agenti principali, vt ſi quis per alium occidat, aut det eleemoſynam, tunc homicidium & eleemoſyna non facienti miniſtro ſed imperanti tribuitur. *Similiter* ſi Deus per alium tanquam per miniſtrum loquitur, mendacium illud Deo principaliter tribuendū erit, quod eſt impium. Qua de re D. Aug. de Symbolo ad Catech. lib. 1. cap. 1. *Quamuis Deus ſit omnipotens tamen mētiri non poteſt. falli non poteſt, & idcirco omnipotens eſt, quia iſta non poteſt. nam ſi mentiri poſſet, iam non eſſet omnipotens.*

Deus neq per ſe nec per alium mentiri poteſt.

Locus pulcherrimus D. Auguſtini ex eo & Deus cū ſit omnipotens mentiri tamen non poteſt &c.

Ratio conuinceas cur Deus mentiri non poſſit?

35. *Sed quæres* cur Deus mentiri non poteſt quæ eſt ratio conueniens? *Reſpondeo* quia mendacium maximè in ſermone committitur, quãdo ſecus eſt in re quàm in dicto dicentis. ſed ſermo Dei efficax eſt & operatorius, illud, quod Dominus loquitur, efficiens. vnde ſi aliqua res actu non eſſet, iam ſubitò eſſet, ſi Deus illam nominaret, vt ſi Deus oſtendendo *lapidem,* diceret *quód ſit arbor,* lapis iam non eſſet lapis, ſed arbor, propter verbum Domini, quod id facit, quod dicit: ſicut in myſterio Miſſæ cùm dicitur: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis,* ſtatim id quod dicitur actu incipit eſſe, *dixit enim & facta ſunt.* & *verbo Domini cæli firmati ſunt.* & *omnia ad nutum Deo obediunt.*

Impoſſibile eſt Deũ poſſe mentiri.

Ex quo collige quàm ſit impoſſibile vt Deus mentiatur, nam ſemper id actu erit quidquid Deus dixerit.

Obiectio prima.

36. *Sed obijcies* mendacium in Scripturis Deo tribuitur. 3. Reg. 22. *Dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore hominum prophetarum.* & Ezech. 14. *Cùm errauerit Propheta ego Dominus decepi eum. Reſpondeo primò* quód hæc loca & alia his ſimilia, ſolùm de malis prophetis & non de bonis intelligenda.

Reſponſio ad eãdẽ triplex.

Secundò reſpondeo. quando Deus dicitur decipere, intellige quód non Deus poſitiuè & efficientèr concurrat ad decipiendum ſed permiſſiuè, quia non impedit errorem, quem ſi vellet poſſet efficientèr impedire.

Quomodo dicitur Deus decipere Prophetas?

Tertiò reſpondeo impropriè dicitur Deus decipere Prophetas, cùm non omnia illis quoad circumſtãtias reuelat, aut quia aliquid iubet illos annuntiare ſimplicitèr, quod tamen conditionatum eſt, vt Ionas ſimpliciter denuntiauit ſubuerſionem Niniuæ, cùm tamen Deus ſubintellexerit conditionẽ, *vt ſi conuerterentur, & pœnitentiam agerent, ſalui fierent.* quod quia Ionæ abſconditum fuit, indignè tulit quód non ſic factum eſt vt ille prædixerat.

Altera obiectio.

37. *Secundò obijcies.* Fides docet quod ſpecies conſecrato cultu latriæ ſint adorandæ, nam cultus latriæ debetur Deo, iam autem à ſpeciebus panis & vini conſecratis verus Deus continetur. ſed ſi contingat non eſſe conſecratas ob defectum, aut intentionis in Sacerdote, aũt ob defectum debitæ materiæ. ergo fides ad falſum inclinabit.

Reſp. ad obiectionem.

Reſpondeo. Eccleſiæ eſſe præceptum, non has aut illas in particulari ſpecies eſſe adorandas, ſed in vniuerſum mandat, ſiquidem conſecratio hoſtiæ eſt infallibilis vbi omnia requiſita debito modo, vt, materia, forma, intentio, adhibita fuerint. ſed in particulari de aliqua conſecratione ſufficit moralis certitudo, nec eſt neceſſe, vt Richar. *in 3 diſt. 24. art. 1. quæſt. 3. ad 2.* Gabr. lectione 15. ſup. can. Miſſæ. Adrianus. D. Bonau. vt hæc conditio mente ſit ſubintellecta ab eo, qui adorat, ſi fuerit conſecrata, nam derogat miniſtro, *tum* hæc euulgata conditio daret ſimplicibus occaſionem dubitandi de præſentia Corporis Chriſti, vnde potiùs actu explicito & formali Euchariſtia adoranda.

Tertia obiectio.

38. *Tertiò inſtabis.* Fides antiquorum infuſa hoc obiectum habuit, quód

quód Chriſtus ſit naſciturus. ſed nato Chriſto hoc obiectum eſt falſum. ergo obiecto fidei ſubeſt falſum.

Reſponſio duplex. *Reſpondeo* quoſdã dicere, quód ſola Incarnatio quoad ſubſtantiam, cadit ſub fidem, ſed circumſtantiæ temporis, nimirum præſentis, præteriti, &c. non cadunt.

Sed hæc ſolutio non placet, nam, certum eſt quód incarnatio etiam quo ad circumſtantias temporis cadit ſub obiectum fidei *Probatur.* quod enim reuelatur a Deo cadit ſub fidem. ſed tempus incarnationis reuelatur vt Angelus ad Paſtores *Euangelizo vobis &c. quia natus eſt vobis hodie ſaluator.* Et *Verbum caro factum eſt* His verbis proponit incarnationem & in præſenti & in præterito tempore factam ergo differentia tẽporis cadit ſub fidẽ.

Vnde ad Argumentum dico. veteres patres ante Chriſti natiuitatem ex motiuo fidei credebant Chriſtum eſſe naſciturum, ſed poſtquam eſt natus iam fides infuſa non inclinabat, quód ſit naſciturus Chriſtus, quia hoc falſum. vnde ſi quis Iudæus hoc credat, iam ad credendum non Diuina ſed humana fide inclinabitur, vnde non mirum ſi humanæ fidei ſubeſt falſum.

39. *Obijcies vltimò.* plurimi Sanctorum in veteri teſtamento ſunt mentiti. ergo videtur eſſe mendacium à Deo, ſi quidem Deus ad illum actum ſermonis concurrebat. Vltima obiectio.

Reſpondeo & dico primò hanc eſſe conditionem hominis, iuxta illud *omnis homo mendax.*

Secundò dico Deum concurrere quidem quo ad Entitatem actus mendacij, ſed non concurrere quo ad malitiam, quia hæc ex de prauata voluntate originem trahit.

Tertiò dico. quód Sancti Patres viros Sanctos veteris teſtamenti à mẽdacio excuſant, nam plerũq; amphibologia ſunt vſi, propter incommoda vitanda vt mortem, exilium, quod quidem ſine peccato fieri poteſt: quomodo etiam D. Ambr: B. Petrum à peccato negationis excuſat, quia dixit animũ proſtratum habens metu, qui cãdit in conſtantem virum, *tum* quia negauit Chriſtum ad eum finem, vt Iudæis proderet: *præterea* aliud eſt *mentiri*, & aliud *veritatem celare*, vt Abraham interrogatus de Sarra *qualis nam mulier eßet?* reſpondit *ſuam eſſe ſororem*, quod quidem verũ erat, ſed aliam veritatem ſubticuit, quód ſua vxor eſſet.

Quomodo SS. Patres excuſantur à mendacio

Quomodo excuſatur D. Petrus à peccato negationis?

Aliud eſt mentiri aliud veritatẽ celare.

QVÆSITVM IV.
An Obiectum Fidei poſſit eſſe viſum?

Quid per *Viſum* intelligendum?

40. PEr nomen *Viſum*, non tam actum ſenſus exterioris qui dicitur viſus, intelligimus, aut etiam actum alicuius ſenſus interioris: ſed per *viſum* intelligimus Actum intellectus, non ſolùm quo ad genus cognitionis, ſed

etiam quo ad modum hoc eſt, *An obiectum fidei ita imprimatur in intellectu noſtro vt ſit ei in ſpecie intelligibili apparens?* ſed quo res ſit manifeſtior etiam quo ad ſenſus.

Obiectũ fidei non poteſt propriè apprehendi ſenſibus.

Dico primò. *Obiectum fidei non poſſe propriè apprehendi ſenſibus.* PROBATVR. Ad Hebr. 11. *Fides eſt non apparentium.* Iſaiæ 64. *oculus non vidit, nec auris audiuit.* Et 1. Petri 10. *In quem non videntes creditis.* Et Marci vltimo. *Beati, qui non viderunt & crediderunt.* Et *ratio eſt* obiectum fidei materiale eſt Deus, formale autem eſt Diuina reuelatio. Sed nec Deus nec Diuina reuelatio cadit ſub ſẽſum, quia hæc ſunt ſpiritualia atque etiam ſupernaturalia quæ nõ modò ſub ſenſum, ſed nec ſub vires naturæ cadere poſſunt.

Quomodo fides ſit ex auditu?

Obijcies. Ad Rom. 10. dicitur *Fides ex auditu.* Ergo fides ſenſibilis. *Reſpondeo* Fidei obiectum percipi quidem auditu, vt cum prædicationi attendimus, percipi & viſu vt vt cum miracula intuemur, ſed nõ immediatè, nec quo ad ſuam entitatem, ſed in ratione ſigni, in quãtum v. articuli fidei per verba proponuntur, nam noſtra cognitio in præſenti ſtatu pendet à ſenſibus ex quibus quandam obſcurã & imperfectam cognitionem rerum fidei elicimus.

Probat viſum, quod fit per demonſtrationem non eſſe obiectũ fidei.

41. Dico ſecundò. *Viſum ſiue illud quod habet certitudinem cum euidentia ex primis principijs notioribus per demonſtrationem non eſt obiectum fidei.* PROBATVR. ratione D. Th. viſũ ſufficienter mouet intellectum ad ſui cognitionem. ſed obiectum fidei non mouet ſufficienter intellectum ad ſui cognitionem. ergo viſum non eſt obiectum. *confirmatur.* ideo viſum ſufficienter mouet intellectum quia de ratione illius eſt quód ſit clarum & euidens, de ratione autem fidei eſt obſcurum & ineuidens. Vnde D. Aug. *conſidera quód voceris fidelis, non rationalis.* Et inferius. *Credo quod neſcio, & propterea ſcio, quia me ſcio neſcire, quod neſcio.*

Locus pulcher D. Auguſtini de Fide.

Ex quo collige. oppoſitionem inter ſcientiam, quæ eſt clara, & Fidem, quæ eſt obſcura.

Oppoſitio inter ſcientiam & Fidem.

42. *Ratio ſecunda.* 2. Corint: 10. *Captiuum redigentes omnem intellectũ in obſequium Fidei.* Sed ſi intellectus ea, quæ ſunt fidei clarè & euidenter per demonſtrationem cognoſceet non opus eſſet captiuare intellectum, quia in hoc ſuaptè ſpõtè duceretur. ergo & captiuatio inde eſt, quód ad myſteria, quæ nõ videt, nec mente cumprehendere poteſt credenda compellitur. ergo obiectum fidei eſt obſcurum ineuidens.

Aſſenſus intellectus circa obiectum fidei eſt omnino liber.

Ratio tertia. Aſſenſus intellectus circa obiectum fidei eſt omnino liber. Marci vltimò: *Qui crediderit ſaluus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur.* & Concil. Trident. Seſ. 6. cap. 6. *Homines gratia excitati liberè mouentur in Deum credentes* ergo ſi hic aſſenſus intellectus circa ſidem eſt liber. ergo eſſentialiter includit obſcuritatem. *Probatur.* quæ enim intellectui perſpicuè cognoſcenda proponuntur, ad ea non habet ſe liberè, ſed neceſſariò, vt cùm dico quód *duo & duo conſtituunt quatuor.* ergo in his, quæ ſunt obſcura intellectui, erit liber aſſenſus.

43. *Ratio quarta.* Fides Diuina formaliter nititur in reuelatione & au-

Fides Diuina formaliter nititur in reuelatione diuina. & authoritate Diuina, ita quód ob eam ſolam rationem credamꝰ, *quia Deus dixit*. ſed hic modus aſſentiēdi eſt nobis prorſus obſcurus & ineuidens, quia nec ſenſui, nec rationi eſt cognitus, ſed ſuam certitudinem ex atteſtante ſumit. Quemadmodum in humana fide, ſi quis probatæ virtutis de re aliqua teſtimonium perhibeat, tunc illa res cui fidem habemus eſt quo ad nos ineuidens quia in atteſtante fundatur, idem de fide Diuina dicimꝰ, quód ex reuelatione & teſtimonio Diuino certitudinem ſumit, & ad aſſentiendum inducit ob authoritatem Dei, qui eſt verax.

Ratio quinta. ad Rom. 8. *Quod enim videt quis, id ſperat?* Ex quo argumentor. ad ſpeciem virtutis ſpei ſpectat, vt id quod ſperatur non poſſideatur, ita quoq; ad ſpeciē virtutis, fidei pertinet, vt quod creditur non videatur, & ſicut eſt impoſſibile, vt is hoc quod habet ſperet, ita prorſus impoſſibile, vt quod quis videt, credat.

Obiectio Capreoli & Durandi. 44. *Sed obijciunt* Cap. & Durand. dicentes, quód obſcuritas in fide Diuina ſit ſolùm quædam proprietas accidentalis, ſed non eſſentialis. *Ratio illorum*. quia habitus verꝰ poſitiuus realis debet habere principia realia & proprietates poſitiuas. ſed ineuidentia eſt quædam priuatio, vnde non poteſt eſſe de Eſſentia Entis realis poſitiui *Reſpōdeo* ſi loquamur de *ineuidentiæ* ſignificato, quod habet ex ſui inſtitutione, ſic concedimus quód *ineuidentia* dicat priuationem. ſed ſi *ineuidentia* ſumatur ſecundùm modū vſitatum loquendi Theolog. ſic ſignificat quandam perfectionem realem pertinentem ad eſſentiam fidei, quæ quia nobis non innoteſcit, ideo ad eam explicandam nomine *ineuidentiæ* vtimur. & ſicuti *rationale*, ſi primam vocis impoſitionem ſpectemus, priuationem rationis ſignificat. ſi autem ad modum attendamus quo communiter Logici vtuntur, ſignificat quandam realem perfectionem, per quam brutum in ſua ſpecie conſtituitur: idem de *ineuidentia* dicendū. (Ineuidētiæ ſignificata.)

45. *Sed quæres*. Ineuidentia quā rationem cognoſcendi habet ad res fidei? *Reſpondeo* quód habet rationem formalem, ſed non *vt quæ* quia hæc eſt prima veritas & Deꝰ, & ea quæ dicunt ordinem ad Deū, ſed eſt ratio formalis *ſub qua*. nam omnia, quæ per fidem cognoſcuntur, ſub ea ratione cognoſcuntur, quia ſunt à Deo reuelata obſcurè. Ineuidētia quam rationem cognoſcendi habet ad res fidei?

Sed obijcies ſecundùm D. Auſt. *Fides eſt de rebus per ſe notis & manifeſtis*. *Reſpondeo* ſi ea, quæ ſunt fidei in ſeipſis conſiderentur, ſunt clara & euidentia, ſed ſi conſiderentur vt ab homine fideli cognoſcuntur, ſunt obſcura, & ſicut ſol in ſeipſo conſideratus, eſt quàm maximè viſibilis, & nullo modo obſcurus, ita obiectum fidei in ſe ſpectatum eſt maximè clarum, viſibile: & ſicut ſol quoad hominem eſt ineuidens, ita & res fidei quoad hominem, qui eas cognoſcit ſunt ineuidentes. Obiectio.

46. Dico tertiò. *Negare non poſſumus, quód de vna eademq; re poteſt eſſe & ſcientia clara per demonſtrationem, poteſt quoq; eſſe obſcura, ſed per habitum fidei* ita docent D. Bonau. Albert. Mag. Gabr. *in 3. diſt. 24*. Duran. *in Prol*. Magiſter Sent. *quæſt. 1. Probatur*. De vna eademq; re poteſt eſſe ſcientia clara, & obſcura.

tur. Fides docet firmiter tenendum eſſe, quód Deus ſit vnus. nam in Symbolo confitemur *Credo in vnum Deum.* Eadem fides credit quód Deus exſiſtat. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt:* per eandem quoq; fidem credim⁹ *Deum eſſe infinitum, æternum, immutabilem, bonum, iuſtum, &c.* ſed hæc omnia etiam per naturales rationes euidenter deduci poſſunt. ergo quædam myſteria fidei poſſunt ſimul & clarè per demonſtrationem, & obſcurè per habitum fidei cognoſci.

47. *Nota* nullam ex eo inuolui contradictionem, nam non dicim⁹ intellectum noſtrum de rebus credendis ſimul & ſemel habere notitiam claram & obſcuram, per vnum & idem medium, atq; etiam lumen: ſed dicimus quód hoc fiat per diuerſas rationes, v. aut ex notioribus principijs per demonſtrationem, aut in fide per ſolam authoritatem Dei reuelantis, cui credere debet homo.

Quomodo verũ ſit illud dictum D. Gregorij Fides non habet meritũ vbi ratio humana præbet experimentũ?

48. *Sed inſtabis* ſecundùm D. Gregor. *Fides non habet meritum vbi ratio humana præbet experimentum. Reſpondeo* quód hoc Dictum verum eſſet ſi fidelis ob ſolas naturales rationes vel ſaltem primariò Articulis fidei aſſentiretur, ita quód recuſaret myſterijs fidei aſſentiri, abſq; rationibus naturalibus, ſed quando rationes naturales ſunt cauſæ accidentales, tunc ſi quis ſic affectus ſit ad res fidei quod ſine rationibus naturalibus paratus ſit firmiter credere, ſic fides habet meritum.

49. Dico quartò. *Fides Catholica habet euidentiam in ratione credibilis, ita quód res fidei quamuis in ſe ſint obſcuræ, tamen ob certa motiua euidenter creduntur.* PROBATVR Pſalm. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Et *ratio eſt.* id enim euidenter eſt credibile, quód ob iudicium virorum prudentum, & ob rationes bonas ac fide dignas ſine temeritate negari non poteſt. ſed Euangelica doctrina Chriſti habet iudicia virorum prudentiſſimorum, habet & rationes, quæ ſine temeritate negari non poſſunt. ergo fides Catholica eſt euidenter credibilis. *Minor.* plurima enim argumenta ſeu motiua enumerari ſolent, quæ fidem euidenter credibilem faciunt: quatuor ob breuitatem attingam.

Fides Catholica habet euidentiam in ratione credibilis.

Argumenta fidem reddentia euidenter credibilem ...

50 *Primum eſt* Authoritas miraculorum, quæ à Chriſto & ab Apoſtolis ob fidei Chriſtianæ confirmationem ſunt facta. Ioan: 15. *ſi opera in eis non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et de Apoſtolis dicitur. *vbiq; prædicarunt ſequentibus ſignis. Ex quo arguo.* Non eſt credibile, quód Diuina potentia tot miracula in Euangelio deſcripta ſit operata in teſtimonium falſitatis ab hominibus confictæ. ergo ob eam cauſam factæ vt euidẽtiam credibilitatis conciliarent.

Secundum motiuum eſt quód fidẽ Catholicam euidenter credibilem facit. ſunt Apoſtoli homines illiterati, rudes, ſine vi dicendi, & hi doctrinam crucifixi annuntiabant, & quód mundo ac deſiderijs carnis ſit renuntiandum, & humilitas paupertas amplectenda: hi tamen Reges potentiſſimos, Philoſophos acutiſſimos, totum deniq; mundum ad fidem Chriſti conuerterunt.

51. *Tertium motiuum eſt.* veritas & ſanctitas, nam cum cæteræ religiones plurimos errores admixtos habuerint, hæc omnium expers fuit, & hæc eadem fides eſt dux ad ſanctitatem & caſtitatem colendam, vnde *Lex domini immaculata* dicitur *conuertens animas.*

Quartum motiuum. quód in toto orbe ſit diſſeminata, nec vlla ſit regio, in qua Euangelij tuba non inſonuerit, vt illud ſit impletum *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pulchrè D. Aug. contra Epiſtolam fundamenti cap. 14. *Tenet me in Eccleſia conſenſus populorum ac gentium, tenet authoritas, miracula inchoata, ſpe nutrita, Charitate aucta, vetuſtate firmata.* Idem 22. de Ciuitate cap. 8. dicit. *Qui toto mundo credente non credit, magnum ipſe eſt prodigium.* Sunt & alia motiua vt conſtantia martyrum & reliqua quæ breuitatis cauſa omittimus.

Loca pulcherrima D. Auguſtini de fide.

Obiectio.

52. *Sed obijcies* ſi tanta eſt euidentia credibilium, cur hi omnes, qui hæc audiunt, non credunt. *Reſpondeo* vt credant eſſe hoc in libertate hominis, qui cũ iudicare poſſit res propoſitas eſſe euidenter credibiles ab his tamē diſsētire poteſt, quia hæc motiua enumerata non neceſſitant ſed probabilem inducunt ad credēdum, *tum* quia homines excæcati ſua prauitate ad hæc non attendunt de quibus Iſaiæ 6. *Aure audietis & non intelligetis.*

Obijcies ſecundò. Si verò (vti iam deductum eſt) res fidei ſunt euidenter credibiles. ergo etiam euidenter veræ. *Reſpondeo* non ſequi nam hæc ſunt diuerſa, quia *illud euidenter eſt verum* quod relucet in intellectu, aut quia ſenſibus apprehenditur, aut ex terminorum ſignificatione, aut ex debita connexione, aut quia per cauſam cognoſcitur. *illud verò eſt euidenter credibile* quod eſt fide dignũ propter authoritatem dicentis, aut quia plurimis motiuis innititur, quibus non induci ad credendum vitio non vacat.

Obiectio altera.

QVÆSITVM V.
An Obiectum Fidei poſſit eſſe Scitum?

53. POſſe eſſe ſcitum ſenſerunt veteres Philoſophi dicebant enim nihil omnino eſſe credendum quod ratione demonſtratiua non eſſet conuictum. Et Plato Geneſim legendo dixit *Præclarè dicit ſi dicta probaret.* Et D. Paulus cum prędicaret mortuorum reſurrectionē à Stoicis & Epicureis *Semiuerbius & nouorum dæmoniorum annuntiator appellatus.* Et Euſeb: lib. 5. hiſt. Eccleſ: refert fuiſſe quoſdam Arthemonicos qui veritatem fidei rationibus naturalibus perſuadere ſũt conati. idem ſenſerunt Manichæi (vt refert D. Auguſtinus libro de vtil. credendi ad Honoratum

cap. 1.

cap. 1.) pro reſponſione ad Quæſitum.

Id quod ab Eccleſia fidelibus ad credendum proponitur eſt omnino non ſcitum

54 Dico primò. *Id, quod ab Eccleſia fidelibus ad credendum proponitur eſt omnino non ſcitum.* PROBATVR. Ea, quæ ſunt fidei excedunt capacitatem omnis creaturæ. ergo nō poſſunt eſſe ſcita.

Obiectio.

Sed inſtabis. Scientia illa eſt quæ per adductas rationes acquiritur. ſed ad ea, quæ ſunt fidei ab authoribus ſacris rationes adducuntur. ergo ea quæ ſunt fidei poſſunt eſſe ſcita. *Reſpondeo* verum eſſe à ſanctis authoribus adduci rationes. ſed negamus eas eſſe demonſtratiuas & per conſequens quæ ſcientiam pariant: ſed ſolùm eſſe perſuaſiones, quæ manifeſtant quód ea quæ ad credendum proponuntur non ſunt impoſſibilia creditu.

Cur rationes à ſanctis adductæ in rebus fidei non ſint demōſtratiuæ?

55. *Sed quæres.* Cur hæ rationes à Sanctis adductæ non ſint demōſtratiuæ. *Reſpondeo* ideo *primò* quia non conueniunt vt ea quæ ſunt fidei ſint intellectui apparentia. *ſecundo* quia his rationibus admiſſis & ſtantibus adhuc eſt fides non apparentium. *tertio.* quia ſolùm oſtendunt quód credibilia non repugnant rationi naturali. *Declaratur.* vt ſi quis *Deum eſſe trinum & vnum* per hanc rationem Logicam probet. *Plures homines numero ſunt vnus homo ſpecie ergo etiam plures perſonæ Diuinæ numero ſunt vnus Deus numero Et ſicut plures homines numero ideo ſunt vnus homo ſpecie, quia in vna natura humana ſpecifica realiter conueniunt: ita quoq; plures perſonæ Diuinæ numero ideo verè dicuntur eſſe vnus Deus numero, quia realiter conueniunt in vna natura Diuina vna numero.* PROBATVR. autem naturā Diuinā eſſe vnā numero. *Quia natura Diuina eſt infinita cui repugnat multiplicari, natura autem humana quia eſt finita, idcirco ad ſui conſeruationem in indiuiduis multiplicari debet.* Hæc ratio adducta & aliæ his ſimiles, ſolùm probant quód Deus ſit trinus & vnus, hoc credere non eſt cōtra rationē hominis.

Ratio Logica probans Deum eſſe trinum & vnum.

Natura Diuina vna numero.

Impoſſib. eſt quod aliquid ab eodem ſit ſcitum & creditum.

56. Dico ſecundò. cum S. Doctore *Impoſſibile eſt, quód aliquid ab eodem ſit ſcitū & creditu.* PROBATVR. nam videtur implicare quód vnū atq; idem ſit ſimul & euidens. & ineuidens ſed id quod per fidē cognoſcitur eſt ineuidens (vt iam probatum) id verò quod eſt ſcitū eſt euidens: nam per principia & cauſas, illius notitia habetur. ergo impoſſibile eſt quód de eodem obiecto ſimul poſſit eſſe fides & ſciētia *Deinde* ſecundùm Ariſt. lib. 1. de interp. *ſcientia & opinio non poſſunt eſſe ſimul & ſemel in eodem, ſubiecto de vno eodem obiecto* Sed cum ſcientia & Fides multò magis inter ſe pugnent ergo neq; hæc ſimul eſſe poſſunt.

Præterea Aër illuminatus à lumine ſolis iam illuminari nequit ab alio lumine interiori, quia quidquid in aëre erat potentialitatis ad recipiendum lumen eſt exhauſtum à ſole. ergo etiam quidquid per fidem lumine ſupernaturali cognoſcimus, illud iam lumine naturali cognoſci nequit, quia lumen ſupernaturale fidei eſt ſufficientiſſimum ad ea illuſtranda, quæ ſunt fidei.

57. Dico tertiò. *Quamuis hæc ſententia ſit vera* (ſiquidem eſt Sancti Doctoris Caietani Baneſij Capreoli *in 3. diſt. 25. quæſt. 1.* Scoti *qu. 1.*) *nihilominus oppoſita ſententia videtur habere*

Scitum & creditū poſ ſunt eſſe in eodem ſub. iecto ſimul.

habere probabilitatem, quód ſcitum & creditum poſſint eſſe in eodem ſubiecto ſimul. Ita tenet Gabriel *in 3. diſt. 24. qu. 1. art. 2.* Gregorius Ariminenſis *qu. 2. Prol. art. 2.* Et *probatur*, nam actus Fidei cum habitu ſcientiæ, & habitus fidei cum habitu ſcientiæ, & actus fidei cum actu ſcientiæ, in eodem ſubiecto poſſunt eſſe ſimul. ergo poteſt eſſe idem ſimul ſcitum & creditum.

58. Probatur primum. *quód actus fidei cum habitu ſcientiæ poſſit eſſe.* nā actus fidei, nō magis pugnat, cum habitu ſcientiæ; quam actus intemperantiæ cum habitu temperantiæ. ſed ſecundum Theologos de actibus humanis, poteſt actus intemperantiæ, ſtare cum habitu temperātiæ; vt ſi quis, qui toto tempore temperans fuit, committat actum leuem intemperantiæ, ille actus ſic exercitus non deſtrueret habitum temperantiæ. nam habitus ex multis actibus frequentatis eſt collectus. ergo per vnum actum deſtrui non poteſt. ergo ſimul ſtabunt. ergo & actus fidei poterit ſtare cum habitu ſcientiæ. *Deinde* Actus Fidei & habitus ſcientiæ ſunt diſparata: nā ad diuerſa genera, & ſibi non ſubordinata pertinent. ſcientia enim eſt ordinis naturalis, Fides autem ſupernaturalis. ergo nullam inuoluunt oppoſitionem. ergo ſimul ſtare poſſunt.

Obiectio.

59. *Sed obijcies.* Formæ, quæ inclinant ad actus oppoſitos, non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. ſed Scientia & Fides ad actus oppoſitos inclinant. Fides enim inclinat ad ineuidentiam; Scientia autem ad euidentiam, ergo ſimul in eodem nequeunt. *Reſpondeo* maiorem eſſe veram de his formis, quæ inter ſe ex ſua natura opponuntur. ſed Fides & Scientia non ſunt talia, quia ſunt diſparata. Reſponſio.

60. *Sed dices* quód actus fidei ſit ineuidens; ſcientiæ autem euidens *Reſpondeo* verum eſſe, ſi ſumantur vt ſunt actus fidei & ſcientiæ. Dico tamen, quód ab his duob⁹ actibus res credita, & ſcita attingi poteſt: vt ſi per rationem demonſtratiuam deducta fuerit, erit euidens: ſi autē per mediū de fide, erit ineuidens.

Tum contra illam Maiorem inſto, Habitus temperantiæ, & actus intēperantiæ, inclinant ad oppoſitos actus; & tamē hi de eodē obiecto, in eodem ſubiecto eſſe poſſunt (vt iam probatum) *tum* frigus & calor magnam inter ſe oppoſitionem habent; & tamen in gradibus remiſſis ſecum ſtare poſſunt in tepido. *Tum* in damnatis quidam admittunt ſimul eſſe, & intenſum frigus, & intenſum calorem.

61. Probatur ſecundum *quód habitus fidei cum habitu ſcientiæ poſſit ſimul ſtare.* PRIMÒ. quia iſti habitus non opponuntur ſibi ſuâ natura; ſed ſolùm ſunt diſparati. ergo in eodem intellectu eſſe poterūt. *ſecundò* quia hæc duo ad eandem rē illuſtrandam concurrunt, v. ad exſiſtentiam Dei, quam cùm cognoſcimus per demonſtrationem, eſt res ſcita, cùm verò per fidem infuſam, eſt credita: *tertiò* experientia teſtis, quód eorum, quæ quis credit, poteſt etiam ſcientiam ſibi comparare, vel rationes demonſtratiuas. Habitus Fidei cum habitu ſcientiæ poſſunt ſimul ſtare.

62. PROBATVR tertium *quód actus fidei cum actu ſcientiæ de eodem obiecto ſimul*

Actus Fidei cum actu ſcientiæ de eodem ſubiecto ſimul in eodem ſubiecto eſſe poteſt.

ſimul in eodem ſubiecto eſſe poſſunt. quia idem homo de eodem pariete albo poteſt ſenſu & intellectu apprehenſionem habere. *Deinde* Chriſtus Dominus in eodem inſtanti per ſcientiam beatam vidit Eſſentiam Diuinam, & per ſcientiam infuſam intellexit ea omnia, quæ ad res naturales ſpectant, & per acquiſitam comparauit ſibi ſcientiã rerum naturalium, & hæ ſcientiæ tres ſimul (vt Theologi fatentur) in Chriſto erant. ita quoq; dicim⁹, quód idem fidelis exiſtentiam Diuinitatis poteſt phyſicis rationib⁹ à poſteriori deducere, & idem à priori euidenter per rationes metaphyſicas probare poteſt, & idem quoque per fidem credere poteſt, *quód Deus ſit vnus.* ergo hi actus fidei & ſcientiæ ſimul eſſe poſſunt.

Obiectio.

63. *Sed inſtabis* eſſe quædam in Articulis fidei, quę nullo modo per demonſtrationem ſciri poſſunt, vt *quód Deus ſit Pater, Filius, & Spiritus S.*

Reſponſio.

Reſpondeo nos fateri aliqua eſſe in fide, quæ per nullam demonſtrationem attingi poſſunt, ſed etiam dicimus eſſe quædam in fide, quale hoc, *quód Deus exſiſtat, & quód prouidentiam vniuerſi habeat*, quæ & demonſtrantur, & nihilominus creduntur. ad rationes reſpondeo

Ad rationes reſpõdetur

Ad primam non eſſe hic vllam cõtradictionem, euidens enim & non euidens ſic ſunt contradictoria, quando ad idem ſecundùm eandẽ rationem pertinent, iam autem in præſenti non enuntiantur de eodẽ ſecundùm eandem rationem, nam res per ſcientiam cognita dicitur *euidens* per demonſtrationem, cognitá verò per fidem, dicitur *ineuidens* per reuelationem, quæ eſt in eá atteſtante. ergo non ſecundùm eandem rationem.

64. *Ad ſecundam dico* loquitur ibi Ariſt. de Opinione opponendo illi ſcientiam, non vt opinio ſumitur pro actu, aut pro habitu, vt in præſenti loquimur, ſed vt ſumitur pro obiecto, ita quód obiectum ſcientiæ & opinionis repugnat. nam obiectum opinionis eſt res contingens; ſcientiæ autem obiectum eſt res neceſſaria.

Ad tertiam dico, quód lumen mai⁹ & minus poſſunt cõcurrere per modum vnius cauſæ totalis ad illuminandum aliquod medium, quemadmodum duo, qui trahunt vnam nauem, motionem vnam totalem exercent.

Actus fidei ac ſcientiæ non coincidunt in cauſam totalem.

Ex hoc tamen nõ colligas, quód fidei ac ſcientiæ actus coincidant in vnam cauſam totalem, nam nec ſcientia cum fide, nec fides cum ſcientia coincidere poſſunt, ſed id quod fide cognoſcimus, illud cognoſcimus tanquam totum à fide, vnde fides eſt totalis cauſa huius cognitionis, ſicut etiam cùm aliquid cognoſcimus per demonſtrationem, illius cognitionis demonſtratio eſt totalis cauſa, & ideo non repugnabit vnum obiectum à duabus cauſis totalibus cognoſci.

QVÆSI-

QVÆSITVM VI.
An credibilia in certos Articulos ſint diſtinguenda?

65. DE his, quæ ſunt credenda diſſerimus, ſunt autem hæc in Articulis Symboli incluſa. vnde pro determinatione dico tria:

Valdè neceſſarium fuit vt ſũma capita Fidei Chriſtianæ colligerentur.

Dico primò. *Valdè conueniens & neceſſarium fuit, vt ſumma Capita fidei Chriſtianæ colligerentur, & fidelibus credenda proponerentur. Primò* ideo, vt breuitas conſuleret idiotis, pueris, vt ab his faciliùs & cognitione & memoria comprehendi poſſint: *ſecundò* ideo, vt cùm Eccleſia ſit per totum orbem diſperſa, vt omnes his teſſeris generalibus, quæ ſunt in Symbolo habitis, vnius labij, vnius cordis, ac confeſſionis forent. *tertiò ideo*, vt ſic faciliùs in re parua fraus & malitia Hæreticorũ deprehẽdi poſſit, qui Scripturam, & ea, quæ ſunt fidei, adulterare cõſueuerunt addendo, diminuendo, immutando.

Credibilia continẽtur in Symbolo Fidei.

Nomen ſymboli quid ſignificat?

66 Dico ſecundò. *Credibilia continentur in Symbolo fidei.* hoc autem nomen *Symboli* ſignificat collatitiũ, ſiue compoſitum, nam ab Apoſtolis eſt confectũ, antequam ad prædicationem Euangelij in mundum vniuerſum abirent. *vel ideo* dictum *Symbolum*, quòd in illud generalia principia fidei ſint cõiecta & collata *vel* hoc nomen *Symboli* à militia ſumptum, vt enim his teſſeræ proponuntur, quarum confeſſione ab hoſtibus diſtinguuntur: ita Symbolum fidei eſt teſſera, per quam fideles ab infidelibus, & Hæreticis dignoſcuntur.

67. Dico tertiò. *Hæc credibilia ſunt in Symbolo in certos Articulos diſtincta.* Articulus autem (vt docet D. Th. *hic art. 6.* in corpore) ſignificat *quãdam coaptationem quarundam partium diſtinctarum*, vt in Grãmatica Græca habentur Articuli, qui Partes Orationis coaptant, & his certum Gen., Numerus, Caſus exprimuntur. Et cum ea, quæ creduntur habeant partes, idcirco in Articulos ſunt diſtincta & coaptata. Credibilia in ſymbolo ſunt in certos Articulos diſtincta

Sed dices quidnam eſt quod conſtituat Articulum? *Reſpondeo* quód non viſum ita, quòd habet ſpecialem difficultatem, illud etiam habet ſpecialem Articulum: *vt quód Chriſtus ſit paſſus*, & *quód Chriſtus reſurrexerit*, diſtinctas habent rationes & difficultates, idcirco ſunt in diſtinctis Articulis. Quando autem multa credibilia ſunt, quæ ſecundùm eandem rationem ſunt cognita, aut non cognita, illa in ſpeciales Articulos non ſunt diſtinguenda, vt quód *Deus ſit paſſus, mortuus, ſepultus*, eandem hæc habent difficultatem, nam vno illorum credito, & alia facilè creduntur. vnde hæc tria in vnum Articulum conijciuntur. *vel ſic clariùs dico*, illa omnia ad eundem Articulum fidei Quidnã eſt quod conſtituat Articulum?

 eſſe

eſſe referenda, quæ eandem difficultatem in credendo habent, quæ autem habent ſpecialem, in diſtinctis ſunt comprehendenda.

Obiectio altera.

68. *Sed rurſum inſtabis.* ea, quæ per fidem cognoſcuntur ſunt prima principia. ergo omnia ſunt Articuli fidei, & non ſolùm ea, quæ habent ſpecialem difficultatem. *Conſequentia.* nam Articuli fidei nihil aliud ſunt, quàm principia fidei.

Reſpōſio ad eam.

Reſpondeo ſicut principia ſcientiarū naturalium ſunt in duplici differentia. *quædam* ſunt communiſſima, & primò nota, *vt quodlibet eſt vel non eſt.* & *dequolibet vera eſt affirmatio vel negatio*, *quædam* verò ſunt minùs vniuerſalia, ſed per ſe nota vt in Mathematicis, *omne totum eſt maius ſua parte.* & in Phyſicis *Homo eſt animal rationale.* & vniuerſaliſſima quidem principia continent virtute minùs vniuerſalia, propter ſuos terminos vniuerſaliſſimos, ex quibus conſtant: non tamen per neceſſariam conſequentiam ex illis deducuntur. ita quód in principijs fidei ſunt quædam vniuerſaliſſima, vt *quód Deus eſt*, & *quód illius ſit prouidentia*: quæ duo principia expreſſit Apoſtolus ad Hebr. 11 *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt* (& hoc eſt primum principium) & *quód inquirentibus ſe ſit remunerator* (& hoc eſt alterum, quód ſit prouiſor vniuerſi) quędā verò ſunt particularia, vt *quod Deus ſit trinus, & quod Filius Dei ſit homo, &c.* Vniuerſaliſſima igitur principia, alia particularia cōtinent virtute, & non per conſequentiam neceſſariā, nam non ſequitur quoad nos *Deus eſt: ergo neceſſariò in perſonis trinus*, quamuis benè ſequatur ſecundùm ſe. ſimiliter *Deus habet prouidentiam de ſalute hominum. ergo Filius Dei incarnatus eſt.* non ſequitur neq; quoad nos, neq; ſecundùm ſe; ſed ſolùm Incarnationis beneficiū, quod ſecundùm Dei beneplacitum eſt, virtute continetur in prouidentia. vnde

Ad Argumentum dico hæc duo vniuerſaliſſima principia, non ſunt annumeranda Articulis fidei, quia virtute reliquos in ſe continent, ſicut præcepta duo, de Dilectione Dei, & dilectione proximi non annumerantur præceptis Decalogi, ideo quia multitudinem præceptorum virtute continent.

QVÆSITVM VII.

An Articuli Fidei ſecundùm ſucceſſionem temporum creuerint?

ArticuliFidei & ipſa Fides non creuit quo ad ſubſtantiā ſuam per temporum ſucceſſionē.

69. Dico primò. *Articuli fidei & ipſa fides non creuit, quoad ſubſtantiam ſuam per temporum ſucceſſionem, ita quód fides noſtra & eorum, qui ab orbe condito vixerunt, vna fuerit.* PROBATVR ad Epheſ. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma.* Ex quo arguo *primò* quód & antiquorum & iam fidelium vna eſt Eccleſia, quia

quia in Symbolo confitemur *Credo vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam.*

Principia communiſſima Fidei duo.

Secundò arguo, quia vna ſemper fuit res credita ſeu vnum obiectũ fidei.) *Deducitur.* duo ſunt communiſſima principia fidei (vt iam deductum) PRIMVM *quód Deus eſt*. SECVNDVM *quód omnium rerum prouidentiam habeat*. ſed in his duobus includuntur virtute, Articuli fidei, nam hoc principium *Deus eſt*, virtute in ſe includit hæc, & quæ ad vnitatem Eſſentiæ Diuinæ, & quæ ad Trinitatem perſonarum, & quæ ad attributa Diuina ſpectant. hoc verò principium, *quód Deus omnium prouidentiam habet*. continet in ſe virtute ea, quæ ſpectant ad creationem, conſeruationem, redemptionem, iuſtificationem, glorificationem. ſed nullum vnquam tempus ab orbe condito exſtitit, quo fideles non crediderint *Deum eſſe*, & *eſſe prouiſorem vniuerſi*. ergo ſaltem implicitè ea, quæ ſunt in Articulis fidei crediderunt. *Confirmatur* quia antiqui fideles, non ſolùm cognouerunt Deum, vt authorem naturæ, quia vt ſic etiam gentiles Philoſophi cognouerunt Deum, ſed etiam vt authorem gratiæ, quo à gentibus diſtinguebantur.

Fides creuit cum tẽpore.

70. Dico ſecundó cum S. Doct. *fidem creuiſſe cum tempore, ſed ſolùm quoad maiorem & magis diſtinctam explicationem eorum, quæ credimus.* PROBATVR. antiqui enim credebant in Chriſtum venturum, nos autem credimus in Chriſtum iam natum, mortuum, rediuiuum. ergo cum tempore ſolùm creuit maior explicatio fidei. *Deinde ſuper ſenes intellexi* (dicit Dauid) hoc eſt, longè plura à nobis diſtinctè & clarè cognoſci de his, quæ ſunt fidei, quàm ſenes, id eſt, veteres cognouerunt, qui præceſſerunt in veteri lege. *Præterea* Deus, Exod. 6. coram Moyſe confitetur, quód nomen ſuum ADONAY, non indicauerit Abraham, Iſaac, Iacob dilectis Patriarchis. atqui hoc poſtea Moyſi indicauit. Exodi 3. *Si quæſierint filij Iſrael, quód eſt nomen meum? dices eis. Ego ſum, qui ſum, qui eſt, miſit me.* ergo in Moyſi fides magis fuit diſtincta, quàm in alijs Patriarchis. & Daniel. 12. dicitur: *Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia,* hoc eſt, temporum interuallis creſcet notitia myſteriorum Diuinorum. Eccleſia enim eſt inſtar auroræ, quæ conſurgens ſplendeſcit, & euadit in diem, *donec aſpiret meridies, & inclinentur vmbræ, atq; etiam euacuetur, quod ex parte eſt, & venerit, quod eſt perfectum.*

Quomodo Fides dicatur creſcere

71. *Sed obijcies.* Fides eſt donum Dei. ergo ſtatim debet eſſe perfectum. ergo ſucceſſu temporis non debet creſcere. *Reſpondeo* fides conſiderata quoad habitum, quam Deus noſtris animabus infundit, eſt quid perfectiſſimum. ſed quoad actum ſecundum, & quoad notitiam actualem, vult Deus, vt nos noſtro labore ad illius exercitium concurramus, audiendo Euangelium illiuſq; explicationem, quæ ab Eccleſia traditur, vnde ad Rom. 10. dicitur: *Fides ex auditu v. actualis.* & infantes in Baptiſmo accipiunt quidem fidei habitum infusũ, ſed ijdem niſi de fide ab Eccleſia inſtructi fuerint, ea, quæ ſũt fidei, exercere non poterunt. ergo quoad actum ſecundum creſcit in eis fides ſucceſſu temporis.

QVÆSITVM VIII.
An Articuli Fidei conuenienter enumerentur?

Cur Articuli fidei non eodem modo ab omnibus enumerentur?

72. DIco primò. *Articuli fidei non eodem modo ab omnibus enumerantur.* quidam enim faciunt duodecim, quidam verò quatuordecim, cuius diuerſitatis eſt in cauſa duplex fundamentum: *primum eſt* Maieſtas Diuinitatis: *alterum eſt* Chriſti humanitas. circa Diuinitatem hæc ſeptem credenda proponit: *primò* Vnitatem Diuinitatis, & ſic eſt Articulus primus. *ſecundò* Trinitatem perſonarum, & vt ſunt tres perſonæ; ita & tres Articuli. *tertiò* proponuntur opera Diuinitatis, quorum quædam ad *eſſe naturæ* ſpectant, & ſic eſt Articulus creationis: quædam opera quoad *eſſe gratiæ* & ad *eſſe gloriæ*, & ſic Articuli ſunt de reſurrectione, & de vita æterna, & ſic ſeptem ſunt Articuli ad Diuinitatẽ ſpectantes, Ex humanitate Chriſti, hi ſeptem Articuli numerantur: *primus*, de Incarnatione: *ſecundus*, de Natiuitate ex illibata Virgine: *tertius*, de Paſſione, morte & ſepultura: *quartus*, de deſcenſu ad inferos: *quintus*, de Reſurrectione: *ſextus*, de Aſcenſu ad cælos: *ſeptimus*, de Aduentu ad iudicium. & ſic collecti ſunt quatuordecim numero: qui verò faciunt numero duodecim, hi ſex quoad Diuinitatem, ſex quoque quoad humanitatem conſtituunt.

Articuli fidei ſunt numero duodecim.

73. Dico ſecundò. *Iam eſt communis ſententia, quòd Articuli fidei ſint numero duodecim.* ita habetur in Cathechiſmo Trid: *tum* in Pontificali Romano circa abſolutionem hæreticorum. & Leo epiſt. 96. ad Pulcheriam dicit: *Ipſius Catholici Symboli breuis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis.*

Symboli fidei 4 quot.

Nota, quatuor eſſe fidei Symbola, ſ: Apoſtolorum, de quo hic agimus, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Athanaſij. & hæc tria poſteriora, quoad ſubſtantiam ſunt idem cum Apoſtolorum, nam ſolùm quædam myſteria clariùs & exactiùs pro ratione temporũ & ad hæreſes confutandas explicant.

QVÆSITVM IX.
An Articuli Fidei in Symbolo conuenienter ponantur?

74. Dico

74. DIco *conueniens erat vt veritas Fidei in vnum colligeretur*, ſiquidē neceſſe eſt, vt veritas ab omnibus fidelibus ſciatur. Hæc collectio ab Apoſtolis & ab Eccleſia facta, qui ob præſentiam Spiritus S. errare non poterant. PROBATVR. *quod conuenienter proponantur Articuli fidei*, quia in omni ſcientia dantur certa & prima principia per ſe nota, ex quibus illę ſcientiæ ſuas cōcluſiones deducūt. ſed Theologia eſt diſtincta ab alijs ſcientijs. ergo habebit certa principia, & primò nota ex quibus colligit concluſiones: hæc autem ſunt Articuli fidei in ſymbolo comprehenſi.

A quo collecti Articuli fidei?

Obiectio.

75. *Sed obijcies*. in ſymbolo non dici conuenienter *credo in Eccleſiam ſanctam*, ſiquidem particula *in* ſignificat, tendentiam in vltimum finem noſtrum ſupernaturalem. ſed Eccleſia non eſt noſter finis vltimus ſupernaturalis.

Reſponſio.

Reſpondeo. quidam (vt Rufinus in explicatione Symboli D. Aug. Ser. 115. de tempore & Tract: 54. in Ioannem) cenſent particulam *in* expungendam. rectè enim dicim⁹ *nos credere Apoſtolo*, non autem *in Apoſtolum*, ſed rectius eſt, vt retineatur, quia in vetuſtiſſimis exemplaribus Symboli habetur. *tum* quia *credo in Eccleſiam* habet hūc ſenſum, ac ſi diceremus *credo in Spiritum S.* nam Spiritus S. eſt qui regit, ſanctificat Eccleſiam.

76. *Obijcies ſecundò*. Si ſymbolum ab Apoſtolis eſt confectum. ergo redigendum in Canonem ſacrorū librorum. *Conſequentia*. Quia Apoſtoli ſunt authores Sacræ Scripturæ, vnde quidquid ab illis ſcriptū, erit Canonicum.

Reſpondeo. vt aliquis Liber dicatur eſſe *Canonicus*, requiritur vt ab Apoſtolis ſit ſcriptus dictante Spiritu S. & non tantum ſuggerente. 2. Petri 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu S. inſpirante locuti ſunt Sancti Dei homines*. Fuit itaq; ſymbolum ab Apoſtolis editum, ſolùm ſuggerēte Spiritu S. nam ad hoc induſtria & ingenium Apoſtolorum concurrebat.

Quid requiritur vt aliquis Liber dicatur eſſe Canonicus?

Ex quo collige. quód definitiones Conciliorum non referūtur in Canonem ſacrorum librorum, licet ſint à Spiritu S. quia illo ſuggerente fiunt, & accedente labore, induſtria doctiſſimorum & in ſacris ſcripturis exercitatiſſimorum Doctorum.

QVÆSITVM X.
An ad Summum Pontificem pertineat Symbolum Fidei ordinare?

77. NEgat Lutherus, & cum eo manipulus Aſſeclarū, qui apertè dicunt Papā non poſſe ſtatuere nouos Articulos Fidei, nec leges morum, nec bonorum operum. Pro determinatione

Dico primò, verbis S. Doctoris.

Noua

Noua editio Symboli ad ſummum Pontificem pertinet.

Noua editio ſymboli ad ſolam authoritatem ſummi Pontificis pertinet.

Quid per nouam editionem ſymboli intelligendum?

Nota. Per *nouam editionem ſymboli* non intelligimus quo ad ſubſtantiam nouam fidei productionem, ſed ſolùm quo ad modum nouum explicandi, nam neq; Summus Pontifex, neq; tota Eccleſia poſſunt nouum Articulum, aut nouum dogma, aut nouum Sacramentum condere, quãtum ad ſubſtantiam, ſed ſolùm ex principijs fidei latentem veritatem explicant.

78. Probatur *Dictum* Summus Pontifex eſt Chriſti vicarius & D. Petri ſucceſſor. ergo ad ea exſequenda obligatur, ad quæ à Chriſto D. Petrus eſt obligatus. ſed D. Petrus obligatur ad hoc *Paſce oues meas. Paſce agnos meos.* Ergo & Summus Pontifex obligatur, vt paſcat, ſed gregis Dominici rationalis paſcua ſunt Articuli fidei. ergo ad Summũ Pontificem ordinare ſymbolum ſpectat.

Vicari⁹ quis dicatur?

Nota quid nomine *Vicarij*, quid *Succeſſoris*, ſit intelligendum? Dico quod ille *Vicarius* cenſetur eſſe, qui vices abſentis gerit: & quia Chriſtus D. ſecundùm ſuam præſentiam viſibilem eſt abſens (nam ſecundùm inuiſibilem in Sacramento Euchariſtiæ eſt præſens) idcirco Summus Pontifex dicitur Chriſti Vicarius. *Succeſſor* verò dicitur qui in locum aut defuncti, aut ab officio depoſiti, ſuccedit. quia verò D. Petrus eſt defunctus, & Sũmus Pontifex in illius locum & dignitatem ſuccedit, idcirco dicitur D. Petri ſucceſſor.

Succeſſor quis?

79. *Probatur ſecundò.* Summus Pontifex habet aſſiſtentiam Spiritus S. datam ſibi. ergo ad illum pertinet explicare ſymbolum. ſed in contrarium ſunt Doctores Pariſienſes, qui agnoſcunt quidem ſymboli editionem ad Summum Pontificem pertinere, ſed negant quód ad ſolum, ſed etiam dicunt ad Concilium ſpectare. Contra quorum ſententiam improbandam.

Summ⁹ Pontifex iure Diuino eſt inſtitutus.

Nota primò. quod Summus Pontificatus iure Diuino à Chriſto Domino eſt inſtitutus illis verbis, *Paſce oues meas.*

Poteſtas Eccleſiæ Monarchica.

Nota ſecundo. voluit Chriſtus D. Eccleſiæ poteſtatem eſſe Monarchicam, non autem optimatum, nec vt apud veteres Romanos Reſpublica, à duobus conſulibus regebatur; quod colligimus ex iiſdem verbis *Paſce oues meas. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Summ⁹ Pontifex eſt ſupra Concilium.

80. *Nota tertiò.* Ita iam aſſerunt Doctores Eccleſiæ, quód Summus Pontifex ſit ſupra concilium, ita quód illius authoritate Concilia generalia conuocantur, & ab vno loco in alium transferuntur, & illa ſolùm ſunt legitima, & indubitata, quæ authoritate Summi Pontificis ſunt confirmata. Ita Marcellus ad Orientis Epiſcopos in Epiſtola. *ipſi* inquit. *Apoſtoli & eorũ ſucceſſores Domino inſpirante conſtituerunt, vt nulla fieret Synodus præter Romanæ Sedis authoritatem.* Et Iulius primus dicit *Non debent, præter Romani Pontificis ſententiam, Concilia celebrari.* Et in Concilio Lateranenſi dicitur *ſolum Romanum Pontificem tanquam ſupra omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorũ transferendorum, & diſſoluendorum, plenum ius ac poteſtatem habere.*

81. *Nota quartò.* Valdè temerarium eſt

um eſt & ſcandalo proximum di- cere, quod præfati Doctores di- cunt, quód Concilium ſit ſupra Pa- pam, & tanquam Papa non imme- diatè à Chriſto, ſed ab Eccleſia à qua eligitur ſummam authoritatẽ ad paſcendum gregem accipiat, ſi quidem illi ſoli dictum. *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* vnde à Chri- ſto immediatè accipit poteſtatem.

Sed inſtabis. Apud Gratianũ diſt: 25. haberi, quód ſummi Imperato- res indicebant Concilia. *Reſpondeo* id factum vſurpata poteſtate, non autem legitima iuriſdictione. *Tum* quia hæc Concilia, in ciuitatibus Imperatorum iuriſdictioni ſubie- ctis celebrabantur, vt igitur liber acceſſus ad illas ciuitates fieret, & vt Definitiones Concilij autho- ritate Imperatorum fulcirentur, idcirco illorum etiam authoritate conuocabantur, non verò quód aliquod ius conuocandi Concilia haberent.

Poteſtas duplex.

Summus Pontifex de rebus Fidei determinans, nunquã errare poteſt.

Dico ſecundò. *Summus Pontifex quoties de rebus Fidei, ex Cathedra Petri iudicio publico determinat, nunquam er- rare poteſt.* Probatvr. Quia habet infallibilem aſſiſtentiam Spiritus S. dum aliquid dictat aut propo- nit, quod ſit credendum. Illi enim dictum; *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Quod priuilegium Petri, quód ſ. eius fides non ſit de- ſitura, etiam Succeſſoribus eius ſeruit.

82. *Sed inſtabis.* non ſolùm D. Petro, ſed etiam Apoſtolis datus eſt Spiritus S. vt ſine errore res fidei determinarent, nam omnibus di- ctum. *Accipite Spiritum S.* Et *Nolite cogitare, quid aut quomodo loquamini, dabitur enim vobis in illa hora.* ſed Epi- ſcopi ſuccedunt in loca Apoſtolo- rum. ergo & hi in rebus fidei pro- ponendis, errare non poſſunt. ergo non ſolus Summus Pontifex.

In Apoſtolis duplex fuit authoritas.

Reſpondeo in Apoſtolis duplex fuit authoritas; Prima *Apoſtolatus,* per quam in toto orbe prædicabãt, Sacramenta miniſtrabant, miracu- la faciebant, Canonicos libros, & Euangelium conſcribebant: & hæc poteſtas fuit in Apoſtolis or- dinaria. Secvnda *Epiſcopatus,* cui ex officio incumbit Sacramenta Con- firmationis & Ordinationis confer re, leges condere, & hęc in Apoſto- lis extraordinaria fuit, nam de lege communi hæc pendet à Summo Pontifice. Habuerunt ergo Apo- ſtoli immediatè ab ipſo Chriſto A- poſtolatus dignitatem. iuxta illud: *Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos.* & ideo habebant infallibilem aſſi- ſtentiam Spiritus S. vt ſine errore doctrinam Chriſti traderent.

Aſſiſtentia infallibilis Spiritus S. in Epiſcopos non eſt transfuſa.

83. Sed ex hoc non colligas, quód hæc ipſa infallibilis aſſiſten- tia Spiritus S. in Epiſcopos ſit trãſ- fuſa, nam quamuis illi ſint ſucceſ- ſores Apoſtolorum, tamen non ſunt ſucceſſores in Apoſtolatus di- gnitatem, ſed ſolùm in Epiſcopa- lem, quæ in Apoſtolis fuit extraor- dinaria. Iam autem in Epiſcopis eſt ordinario modo dependenter à poteſtate Summi Pontificis, cuius eſt iuriſdictionem Epiſcopalem limitare.

In quo æquales & diſpares erãt Apoſtoli D. Petro?

Sed dices D. Petrus & Apoſtoli pari conſortio & honoris, & po- teſtatis gaudebant. *Reſpondeo* omnes Apoſtolos æquales fuiſſe D. Petro, in Apoſtolatus & Epiſcopa- tus dignitate. ſed D. Petrus ratio- ne gubernationis totius Eccleſiæ,

Hhh cæteris

cæteris Apoſtolis prælatus. nam ſoli Petro dictum: *Paſce oues meas.* & ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, vnde ille Epiſcopus totius orbis, reliqui alicuius partis aut regionis.

84. *Confirmatur ſecundò Dictum.* Summus Pontifex Synagogæ interrogatus de controuerſijs errare non poterat, nam dicitur Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudiciũ perſpexeris, &c. & Iudicum intra portas tuas verba variare,* &c. *ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit ſibi Dominus, venieſq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi veritatem.* ergo multò hoc magis conuenit Vicario Chriſti, vt errare non poſſit. quia Pontifex Synagogæ ſoli genti Iudæorum præerat, Summus verò Pontifex præeſt nationibus in toto orbe. *Tandem* quia ibi controuerſiæ de rebus ciuilibus, hic verò ſunt de rebus fidei & ſalutis.

Obiectio. *Sed dices* quód poſſit Concilium determinare. *Reſpondeo* quód remedium in promptu habendum eſt. ſed congregare Concilium non eſt in promptu: *tum* dato quód ſit in promptu, quid ſi maior pars falſitatem ſequatur, nonne decernere verũ illius erit, cui dictũ *Confirma fratres tuos.* ergo infallibilem aſſiſtentiam Spiritus S. habet Summ⁹ Pontifex, decernendo res fidei ex Cathedra Petri.

Poteſt Summus Pontifex vt priuata perſona &c in reb⁹ fidei &c. errare.

85. Dico tertiò. *Poteſt Summus Pontifex vt priuata perſona, aut tanquam Doctor in rebus fidei ignorantia inculpabili aut culpabili errare.* Contrarium tenet Phigius lib. 4. de Eccl. hier. cap. 8 & nonnulli recentiores qui tenent *quód nec in ſua perſona peccare poſſit.* ſed Dicti noſtri ſententia eſt communis, nam eſt Caietani, Victorij, Cani, Dominici Soto, Baneſij, & omnium Summorum Pontificum ac Scholaſticorum, nam Phigij ſententia videtur eſſe pia, ſed veritati non conſona, ſed nihil eſt piũ, quod non ſit verum. & Caiet. in Opuſ. de auth. Papæ dicit: *quód Summus Pontifex poteſt incidere in hæreſim.*

Papa Hæreticus ad quod tempus ſuã Papalẽ dignitatem retineat.

Nota, quód hic talis Papa hæreticus ſuam Papalem dignitatem retinet, antequam ab Eccleſia deponatur.

Papa Hæreticus quale erit caput Eccleſiæ.

Sed dices poſtquam incidit in hæreſim deſijt eſſe caput vniuerſalis Eccleſiæ *Reſpondeo* quód erit ſolùm miniſteriale caput ratione officij, ad gubernandam Eccleſiam, ſed non erit membrum Chriſti, quia per influxum gratiæ non viuificatur.

Obiectio.

86. *Sed obijcies* Priuilegium à Chriſto D. Petro datum. *ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* v. tam perſonalis quàm publica. ſed hoc priuilegium non eſt datum D. Petro vt Apoſtolo, quia hoc etiã D. Th. competeret, qui tamen defecit in fide, ſed datum tanquam vniuerſali paſtori. ergo tranſit hoc priuilegiũ ad ſucceſſores D. Petri, quód nec illi in ſua perſona, nec in publico iudicio rerum fidei errare poſſunt.

Priuilegium D. Petro datũ duo continet.

Reſpondeo quód hoc priuilegium duo continet: *primum* quod ad D. Petri perſonalem excellentiam pertinebat: *ſecundum* quod ad officium ſpectabat vniuerſalis Paſtoris, v. vt non deficeret fides Petri, neq; in proponendis rebus fidei ad credendum, neq; in confirmandis

fratris

fratribus. Dico itaq; quód Summi Pontifices non in eo, quod ad D. Petri dignitatem perſonalem pertinet, ſuccedunt illi in priuilegium, ſed solùm in eó, quod ad gubernationem vniuerſalis Eccleſiæ ſpectat, & ſic propter hoc priuilegium in publico iudicio, quod facit de fide, non errat, ſicut & Apoſtoli acceperunt à Chriſto Domino poteſtatem, gubernandi Eccleſiam in toto orbe, non ſolùm in ſua Diœceſi, & tamen Epiſcopi, qui in eorũ loca ſuccedunt, non hæreditant in generali gubernatione, ſed ſolùm in particulari propriæ Diœceſis.

Obiectio.

87. *Obijcies ſecundò.* ad ſuauem & rectam Eccleſiæ gubernationem ſpectat, vt Summus Pontifex, tanquam priuata perſona non poſſit errare. nam quilibet iudex, debet eſſe regula & ſui, & obliqui. *item* debet quoq; iuxta proprium iudicium determinare, ſed violentum eſſet, ſi Papa hæreticus aliquid in fide decerneret, contra ſuum iudicium.

Reſpondeo primò ſi iudex eſt regula ſui, & obliqui. ergo Pontifex non poſſet eſſe peccator, nec idololatra quod de Marcello Papa legimus.

Papa cur nõ poſſit errare?

Reſpondeo ſecundò. ſicut ad ſuauẽ vniuerſi diſpoſitionem ſpectat, vt aqua, quæ natura ſua deorſum fertur, ſurſum moueatur, quando opus eſt ne vacuum detur, ita ad ſuauem gubernationem pertinet Eccleſiæ, vt Papa qui eſt Vicarius Chriſti, accipiat talem influẽtiam, cùm opus fuerit, vt infallibiliter veritatem doctrinæ Chriſti determinet, quamuis ex ſuo errore, aut ex malitia aliter ſentiat, ſic Caiphas quamuis improbus, accepit influxum Prophetiæ, vt prædixerit Chriſti paſſionem, Ioan. 11. *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur, &c.*

Concilia tã generalia quàm Prouincialia authoritate Papæ congregata in rebus fidei definiendis errare nõ poſſunt?

88. Dico quartò. *Concilia tam generalia, quã prouincialia, ſi modò authoritate Summi Pontificis congregata fuerint, in rebus fidei definiendis errare non poßunt.* PROBATVR. Matt: 18. *vbi duo aut tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Congregari fideles in nomine Chriſti dupliciter contingit.

Sed dupliciter contingit, congregari fideles in nomine Chriſti. *primò* quando fideles ob zelum religionis, ad res fidei examinandas congregantur, & his præſentiam ſui promittit Chriſtus, ſed non ad hunc effectum, vt infallibiliter veritatem fidei determinent, nam hi, ſi errauerint, erudiri poſſunt à Summo Pontifice. *ſecundò.* Congregantur fideles authoritate & iuſſu Sũmi Pontificis, ad tractandum de rebus fidei, & ſic congregati in nomine Chriſti, errare non poſſunt. nam huic tam ſolenni conuentui, per Papam congregato adeſt Chriſtus, ad eum effectum, vt in definiendo errare non poſſint.

Cõcilia generalia & Prouincialia quẽ modum habẽt?

89. *Nota.* Generalia & Prouincialia Cõcilia, hunc morem habẽt, vt in materia fidei nihil cõcludant, etiam in præſentia Legatorũ Pontificis, ſed totum pro definitione, ad Summum Pontificem reijcitur. *Ratio* quia hæc poteſtas definiendi veritatem, ſpectat ad donum Apoſtolatus, quod alijs committi non poteſt, non enim poteſt vnus Apoſtolus alium facere, ſicut nec vnus Propheta alterum, vt in nomine domini prophetizet.

Sũmus Pontifex ea determinans quæ ad mores hominũ formandos ſpectant errare non poteſt?

Nota ſecundò. quoties Summus Pontifex in Cathedra Petri ſedens ea deter-

ea determinat, quæ ad mores hominum formandos ſpectant tenendum, quia in his errare non poteſt, quia hoc ad poteſtatem Clauium ſpectat, vt aperiat ianuam regni cæleſtis, amouendo ignorantiam, & viam monſtrando rerum agendarum.

Sſmus Pontifex in Canonizatione Sanctorum errare non poteſt.

90. *Nota tertiò.* quód ſimiliter etiam in Canonizatione Sanctorum, non poſſit errare. Ita D. Th. in Quodl. 9. art. vltimo vbi inquit. *Canonizatio Sanctorum, medium eſt inter duo, ſcilicet inter Iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & Iudicium fallibile eiuſdem in cauſis ciuilibus & criminalibus, quia tamen honor. quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio fidei eſt, quâ Sanctorum gloriam credimus, piè credendum eſt, quód neq; in his iudicium Eccleſiæ errare poſſit.* Caietanus verò in opuſculo de Indulg. ad Iuliũ cap. 8. dicit *Quód ſapit Hæreſim Lutheranorum, aſſerere Eccleſiam in alicuius Sancti Canonizatione falſam fuiße, etiamſi authoritas canonizandi non negetur.*

DISPVTATIO II.

De Actu interiori fidei, qui eſt *credere.*

Nouem Quæſita habebit:

1. *An* credere *ſit cum aßenſione cogitare?*
2. *An actus credendi couenienter diſtinguatur per hoc quod eſt* credere Deum, credere Deo, & credere in Deum.
3. *An credere quód ſit ſupra rationem naturalem ſit neceſſarium ad ſalutem?*
4. *An credere ea, quæ ratione naturali probari poſſunt, ſit neceſſarium?*
5. *An fidelis teneatur aliquid explicitè credere, & an omnes ex æquo ad explicitum actum credendi obligentur?*
6. *An explicitè tenemur credere myſterium Incarnationis?*
7. *An ſimiliter credere myſterium Trinitatis explicitè ſit de neceſſitate ſalutis?*
8. *An Actus fidei ſit meritorius?*
9. *An ratio humana diminuat meritum fidei?*

QVÆSITVM I.

An credere ſit cum aſſenſione cogitare?

Nota

Actus Fidei duplex.

1\. NOTA Duplicem eſſe actum Fidei, quidā interior, qui in intellectu reſidet ſubiectiuè vid. *Credere. Quidam Exterior* v. ipſa profeſſio fidei, quæ fit ore aut alijs ſignis exterioribus: nunc de *credere*, qui eſt Actus interior agimus.

Definitio Actus interioris.

Dico primò. *Actus interior fidei* à *S. Aug.* lib. de Præd. Sanct. cap. 2. ſic definitur. *Ipſum credere nihil aliud eſt, quàm cum aßenſione cogitare.* vnde

Actus credendi duo includit.

duo includit Actus credendi *primò* aſſenſionem: *ſecundò* cogitationē. per *Aßenſionem* conuenit cum habitu ſcientiæ, ſapientiæ, quia ſunt habitus cum firma aſſenſione. Per eandem Aſſenſionem, differt à Dubitatione, quia hæc neutri parti aſſentitur, ſed in vtramq; inclinat. Differt à ſuſpicione, quia hæc leui ſigno aut coniectura inducitur, vt magis in vnam partem inclinetur. Differt ab opinione, quia hæc vni parti adhæret, ſed cum formidine in cōtrarium, Actus verò credendi firmiſſimam adhæſionem habet ad vnam partem. Per *cogitationem* verò, differt ab actu ſciendi & intelligendi, nam cogitare ſignificat inquiſitionem, iam autem ſcientia, ſapientia non fit cum cogitatione ſeu inquiſitione, quia circa ſuum obiectum habet perfectam cognitionem, Fides autem quamuis firmiſſimè aſſentiatur creditis ob reuelationem factam, tamē quia intellectu non comprehendit, idcirco ſemper in cogitatione eſt.

Actus credentis non determinatur per rationem intellectus &c.

2\. Dico 2do. *Act⁹ credētis nō determinatur per rationē intellectus, ſed per voluntatem: & ideo Aſſenſio accipitur pro actu quidem intellectus, ſed ſecundùm quod à voluntate determinatur ad vnum.* PROBATVR. quia intellectus ſic cogitando, ſeu ſic manens in cogitatione, non determinat ſe ad vnam partem contradictionis, neq; per definitiones terminorum, ſicut accidit in principijs ſcientiarum humanarum, neq; virtute principiorum, vt in demonſtratione. Ergo determinatur per voluntatem, quę eligit aſſentiri vni parti contradictionis, quia hoc videtur ſibi bonū & conueniens. *Exempli gratia.* Promiſit Deus vitam æternam nobis, ſi dictis eius crediderimus, hoc prꝑmio audito voluntas mouetur, & hoc idem intellectui præcipit, & ſic iam intellectus ad firmiter aſſentiendum mouetur, licet ad hoc per aliquid à ſe intellectum, non moueatur ſufficienter, & ideo quia ſufficienter per aliquid à ſe intellectus non mouetur, ideo nec à ſe determinatur. ergo debet determinari à voluntate, quia huic tanquam per ſe liberæ conuenit.

3\. *Sed obijcies.* Ergo duo erunt actus Fidei; vnus in intellectu receptus, & alius à volūtate procedens. *Reſpondeo* negando cōſequentiam. Actus enim immanens in eo eſt ſubiecto à quo exit. ſed actus Fidei internus ab intellectu exit, ergo in eo eſt ſubiectiuè immanēs

Obiectio.

Sed dices. atqui ex imperio voluntatis. *Reſpondeo* etiam de ambulatio & viſio eſt ex imperio volūtatis, attamen deambulatio eſt in motrice facultate, & viſio in oculo: ita actus credendi licet pendeat ex imperio voluntatis, eſt tamen ſubiectiuè in intellectu.

Obiectio altera.

QVÆSITVM II.

An Actus credendi conuenienter diſtinguarur per hoc quod eſt *credere Deum, credere Deo, & credere in Deum?*

4. Dico cum S. Doctore ex ſententia D. Auguſtini ſerm. 181. de tempore, & ſerm 61. de verbis Domini & Tract. 29. in Ioannem, & Comment: in Pſal: 77. *quód actus credendi interior ſit triplex v. credere Deum, credere Deo, & credere in Deum.* & hæc tria nō ſunt diuerſi actus, ita vt realiter ſint diſtincti, ſed ſolùm ſecundùm diuerſas rationes, circa idem obiectū verſando differunt hoc modo. Si enim actus fidei conſideretur, vt dicit obiectum materiale fidei, explicatur per hoc, cum dicimus nos *Credere Deum.* RATIO quia in obiecto fidei primum eſt, quod ad credendum proponitur, vt credamus quód ſit Deus; ſi verò actus fidei cōſideretur, vt dicit obiectum formale fidei, & explicatur per hoc cùm dicimus *Credere Deo.* RATIO. quia veritas prima eſt formale obiectum fidei, cui reuelanti veritati firmiter intellectus adhæret, & ſicut diligimus proximum, propter Deum, quia Deus iuſſit, & vt teſtimonio viri probatæ virtutis credimus, quia ipſe vidit, ita nos hæc, quæ ad credendum nobis ſunt propoſita credimus, quia à Deo ſunt reuelata, qui eſt prima veritas. ſi verò actus fidei conſideretur, vt eſt ab intellectu moto à voluntate, ſic explicatur cùm dicimus *Credere in Deum.* RATIO. quia *credere in Deum* dicit actum intellectꝰ, in quantum mouetur à voluntate, non ſolùm in Deum, vt in primam veritatem, ſed etiam tanquam in vltimum ſuum finem, qua de re ſic D. Aug. *Serm. 181.* Credere Deum, *eſt credere quia eſt:* Credere Deo, *eſt credere illa eſſe vera quæ Deus loquitur:* Credere *autem* in Deum, *eſt eum ſimul diligere, non quocunq; modo, ſed ſicut ſolent, qui vita & factis ſunt Chriſtiani. Mali autem poſſunt* credere Deū, & credere Deo, *ſed* non credunt in Deum, *niſi ſoli iuſti.*

Actus credendi interior triplex

Sed obijcies. ergo peccatores non credunt in Deum, quomodo ergo in Symbolo dicunt? *Credo in Deum. Reſpondeo* cum S. Doctore, quód peccatores cùm dicūt *Credo in Deum,* loquuntur in perſona Eccleſiæ.

5. Dico ſecundò. *Credere in Deū dupliciter contingit: primò* perfecto modo, qui ſolis iuſtis competit, qui non ſolo nomine ſed vita & factis ſunt Chriſtiani: *ſecundò* imperfecto modo qui peccatoribus conuenit, nam hi in peccato mortali exſiſtētes non amittunt fidem, & eodem peccato manente, poſſunt in Deū ſuas actiones referre, tanquam in finem

finem imperfectè amatum, quia in eis ſunt quædam motiones animi, quibus amicitiam Dei expetunt, illiuſq; bonis frui: & hoc modo quamuis imperfectò dicuntur *credere in Deum.* & per hoc peccatores differunt à Dæmonibus, quia Dæmones nullo modo *credunt in Deum*, ſed ſolùm *credunt Deum*, vel *Deo.*

Quomodo peccatores à Dæmonibus differũt

QVÆSITVM III.

An ſit neceſſarium ad ſalutem credere aliquid, quod ſit ſupra vires naturæ?

Error Manichæorum

6. Dvo hìc in contrariũ *primò* error Manichæorum, qui nihil eſſe credendum affirmarunt, quod ratione naturali demonſtrari poſſit. vnde hi ſuæ doctrinæ claram ſcientiam promittebant. ſed D. Aug. in lib. de vtilitate credendi cap. 10. conqueritur, hac ſpe inani ſe diu deluſum fuiſſe, idemq; oſtendit nec ipſam vitam hominum communem, cõmodè tranſigi poſſe, niſi aliqua credantur, nam ſocietates humanæ, fœdera, contractus, non alio fundamento niſi fide humana innituntur.

Opinio Andreæ Vega & Franciſci Victorij.

Alterum eſt in contrarium opinio Andreæ Vega lib. 6. in Concil. Trid. tribuitur etiam Franciſco Victorio, hi dicunt, quód ſuppoſita ignorantia inuincibili, quód ſufficiat ad ſalutem, tam primam v. ad iuſtificationem, quàm ad ſecundam v. ad beatitudinem æternam conſequendam, ſola naturalis cognitio. Fundamentum illorum, quia Saluator Matth. 19. de neceſſarijs ad ſalutem interrogatus, reſpondet: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata.* ſed mandata Dei ſeu Decalogi ſunt iuris naturalis. ergo & naturaliter cognoſci, atq; etiam impleri poſſunt. & D. Paul ad Hebr. 11. docet ad ſalutem ſufficere, *quód Deus ſit, & quód ſit remunerator bonorũ operum.* ſed hæc naturaliter inueſtigari & impleri poſſunt. ergo naturalis cognitio ad ſalutem ſufficit. Pro determinatione

Neceſſariũ ad ſalutem duplex.

7. *Nota primò* neceſſarium ad ſalutem duplex eſt, ſ: *Neceſſarium neceſſitate præcepti*, ad quod præſtandũ adeſt quidem facultas, ſed ſi illius præcepti fiat defectus, ob ignorantiam inculpabilem, non impedit ſalutem. *Neceſſarium neceſſitate remedij* quando aliquid ſecundùm legem ordinariam, ita eſt neceſſarium, vt quacunq; ex cauſa abſit, ſiue etiam per ignorantiam inculpabilem, ſine eo nemo ſimpliciter ſaluari poteſt.

Supernaturale dupliciter ſumitur.

Nota ſecundò. ſupernaturale dupliciter ſumitur: *primò* ex parte materiæ ſeu obiecti, vt cùm eſt eiuſmodi quod captum rationis naturalis excedat, vt eſt Trinitas, Incarnatio, Euchariſtia, Iuſtificatio: *ſecundò* ex parte principij & cauſæ

adiuuantis

adiuuantis, vt Deum eſſe vnum, infinitum, immortalem, id quidem à poſteriori lumine naturali cognoſci poteſt. ſed hoc nihilominus creditur, modo ſupernaturali, in quantum auxilio gratiæ Diuinæ concurrentis adiuuamur. His præmiſſis

Simpliciter neceſſarium eſt &c. neceſſitate medij credere aliqua quæ ſunt ſupra omnem ordinem naturalem.

8. Dico. *Simpliciter neceſſarium eſt & ſemper fuit, ad ſalutem neceſſitate medij credere aliqua quæ ſunt ſupra omnem ordinem naturalem.* PROBATVR locis Scripturæ. Abacuc. 2. *Iuſtus ex fide viuit.* ad Rom. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* ad Galat 3. *Omnes filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Fides neceſſitate medij ad ſalutem neceſſaria.

Ex his locis apertè colligitur, quód fides neceſſitate medij ad ſalutem neceſſaria. & D. Th. *hîc art. 3. quæſt. 2.* dicit in corpore circa finem. *Ad hoc quód homo perueniat ad perfectam viſionem beatitudinis præexigitur, quód credat Deo, ſicut diſcipulus magiſtro docendi.* ſed in diſcipulo diſcente requiritur vt credat his quæ à magiſtro dicuntur, & tandem hac credulitate mediante ad habitus ſcientificos, qui ſunt in magiſtro perducitur. ita ad beatitudinem ſupernaturalem, vt perueniamus neceſſarium, vt credamus Deo habenti & intelligenti hanc beatitudinem. ergo aliquid ſupernaturale credendum.

Fini debent eſſe media proportionata.

9. *Deinde* fini debent eſſe media proportionata. ſed finis noſter eſt viſio beatifica, & hæc eſt ſupernaturalis. ergo & cognitio debet eſſe ſupernaturalis.

Obiectio.

Sed dices hæc naturali ratione poſſe cognoſci. *Reſpondeo* nequaquã poſſe nos cognoſcere, quia non dictat nobis ratio, quód ad viſionem beatificam ſumus ordinati.

Præterea ſi cognitio naturalis ad iuſtitiam conſequendam ſufficit, eſſet ptincipium ſalutis ex nobis. ita D. Aug. in multis locis. *Principium ſalutis forè ex nobis, ſi vel fides, vel initium fidei, ſiue affectus credendi eſſet ex nobis.*

Finalis ratio fidei ſupernaturalis.

10. *Tum quoq;* formalis ratio fide eſt ſupernaturalis, nã eſt de rebus quæ nobis non apparent, & ſolo auditu, & Diuina teſtificatione cõſtant. *Ad extremum* Baptiſmus poteſt ſuppleri per votum, ſeu per ardens deſiderium, fides non item. ergo fides neceſſitate medij eſt neceſſaria ad ſalutem. *Antecedens* Marci vltimo. *Qui crediderit & baptizatus fuerit hic ſaluus erit, qui verò non crediderit hic condemnabitur.*

Hîc nota quód in verbis vltimis non dicit Scriptura vt ſupra: *Qui non crediderit, & qui baptizatus non fuerit condemnabitur.* ſed ſolùm dicit: *Qui non crediderit, condemnabitur.* nam in adultis ſufficit voluntas ardens ſuſcipiendi baptiſmum. vbi facultas non adeſt, ſed fides nullo modo ſuppleri poteſt. ergo neceſſitate medij eſt neceſſaria ad ſalutem. Ad rationes in contrarium reſpondeo.

11. *Ad primam.* in præceptis Decalogi, non ſolùm ea continentur, quæ ſunt iuris naturalis, ſed etiam quæ ſunt ſupernaturalis (vt Origenes colligit ex Hebraico Codice) *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, & imple legem, & prophetias.* Iam autem prophetiæ, continent in ſe fidem in Meſſiam venturum. *Tùm* quia fundamentum ſalutis eſt fides, & impletio præceptorum

ſi merè

ſi merè ſit iuris naturalis, non poteſt placere Deo, vt eſt beatificans hominem, quia caret fundamento placendi Deo, quod eſt ex fide.

Ad ſecundam dicimus in eo loco Apoſtolum loqui de fide Diuina, dicit enim: *accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt &c.* vnde de actu credendi Diuino & ſupernaturali loquitur. *Tandem* dico quód Deus exſiſtat, & quód remunerator ſit, non dicit Apoſtolus, quód iſta ſufficiant ad iuſtificationē, ſed quód requirantur tanquam fundaméta ab initio ſalutis ſupponenda.

Obiectio aliua.

12. *Sed rurſum inſtabis.* ad Rom 1. à D. Paulo reprehendi gentiles Philoſophos, *quód cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* ſed illi naturaliter cognouerunt Deum. ergo & cognitio naturalis, & per conſequens glorificatio ſub ſecuta, ſufficiebat illis ad ſalutem.

Reſpōſio ad eam.

Reſpondeo. D. Paulum non ſolùm in eo gentiles Philoſophos reprehendere quód lumine naturali nō ſunt bene vſi, ſed etiam quód gratiam ordinariam intus & exteriùs vocantē ſpreuerūt. *Deus enim eſt qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* hoc eſt, vnicuiq; prouidit de neceſſarijs ad ſalutem.

13. *Quocirca nota.* quód ſuppoſitâ ignorantiâ inuincibili, ſi, (vt D. Th. dicit de veritate quæſt: 14. art. 11. ad 1.) eſſet homo in medijs ſyluis ab infantia educatus, tum ſi cum ea gratia ordinariâ, quam illi Deus offert faciat quod in ſe eſt, hoc eſt, ſi viuat conuenienter rationi ſeruando legem naturæ, tunc huic homini Deus, aut per ſe immediatè per internas inſpirationes, aut mediatè per Angelos, aut per ſeruos ſuos ſubmiſſos, fidem annuntiabit, ſicut Cornelio per D. Petrum Eunucho per Philippum. RATIO quia Deus vt dicitur Pſal. 114. *Suauis eſt vniuerſis* & Matth. 11. dicitur: *Iugum meum ſuaue eſt,* ſed ſi fides abſolutè ad ſalutem eſt neceſſaria, nec Deus de medijs ſufficienter prouidiſſet, per quæ etiam gentiles cum ignorantia inuincibili ſaluari poſſunt, non eſſet ſuauis, nec iugum eius eſſet ſuaue, nec vellet omnes homines ſaluos fieri, quod eſt dictu impiū. ſit igitur certum quód ſicut vita humana ſine alimento, & ſine reſpiratione conſeruari non poteſt, quia hæc ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ad retinendam vitam; ita ſine fide ſupernaturali in Chriſtū, tanquam ſine medio neceſſario, nemo vitam æternam conſequetur.

Notandus caſus de homine in medijs ſyluis educato.

Sicut vita humana ſine alimento & ſine reſpiratione conſeruari non poteſt: ita ſine fide ſupernaturali in Chriſtum nemo vitam æternam conſequitur.

QVÆSITVM IV.
An credere ea quæ naturali ratione probari poſſunt ſit neceſſarium?

Neceſſariū eſt ea credere quæ naturali lumine cognoſci poſſunt.

14. DIco *eſſe neceſſarium, vt ea quæ lumine naturali cognoſci poſſunt, credantur.* Pro probatione

Nota, neceſſarium eſt homini ad ſalutem, vt de Deo cognitionem habeat, quód ſit vnus; immortalis, immutabilis, author naturæ, in

 verbis

verbis ſuis fidelis, bonorum remunerator, & quód anima hominis ſit immortalis, & quód à vitijs & à carnis deſiderijs ſit abſtinēdum, & quód via honeſti ac virtutis ſit adamanda. Et hæc enumerata cognoſci poſſunt lumine naturali, ſed neceſſariū eſt vt per fidē credātur.

Ratio prima quia hæc enumerata per lumen naturale tardiùs & ſeriùs cognoſcuntur, opus enim multo labore, ingenio acuto, annorum longa ſerie, in qua hæc ediſcantur. Iam verò ſi quis hæc credat, citiùs ad eorum cognitionem perueniet, nam credens de rationū momentis, non inquirit ſed ſolùm credit, quód ſint neceſſaria ad ſalutem.

15. *Ratio ſecunda.* quia cognitio ſuperiùs enumeratorum, per fidem eſt vniuerſalior, & pluribus communior, ſi autem ratione naturali paranda eſſet, pauci eam aſſequerentur, quia pauci ſunt, qui hæc ob hebetudinem ingenij penetrare poſſint.

Ratio tertia. quia eædem illæ res de Deo per fidem creditæ, maiorem certitudinem habent, quia à Deo proponuntur, qui falli & fallere neſcit, iam autem ratio humana in multis eſt deficiens, & de rebus Diuinis ratiocinando errat, vt verum ſit illud: *Omnis homo mendax.* & *vniuerſa vanitas omnis homo viuens.*

Poteſt de vno & eodē ſubiecto haberi fides & ſcientia.

Nota hîc illud iterum poſſe de vno & eodem ſubiecto haberi fidem & ſcientiam, modò fiat per diuerſa media.

QVÆSITVM V.

An homo teneatur ad aliquid credendum explicitè, & an omnes ad habendam fidem explicitam æqualiter obligentur?

Quid ſit implicitè & explicitè credere?

16. N*Ota primò* quid ſit *implicitè* & quid *explicitè credere?* eſt igitur *explicitè credere,* quando rebus fidei actualiter, ſiue ſub proprijs terminis & particularibus conſideratis aſſentimur. *vel fides explicita eſt,* quæ ad eam rem terminatur, quam credimus. E. G. ille credit implicitè myſterium Incarnationis, qui credit Filium Dei aſſumpſiſſe hypoſtaticè naturam humanam, & Chriſtum eſſe verè Deum & hominem, ille quoq; credit explicitè myſterium Trinitatis, qui credit Patrem, Filium, & Spiritum S. eſſe vnum Deum, & tres perſonas. *Credere autem implicitè* eſt, quando aliquibus aſſentimur, in quibus alia tanquam in principio vniuerſaliori continentur, vt ſi credat fidem Eccleſiæ eſſe veram, & ideo illud totum dicit ſe credere quod Eccleſia credit, hic talis quāuis nullum Articulum in particulari credat, credit tamen in communi

muni & implicitè aſſentiendo his quæ Eccleſia credit.

Caluinus ridet Catholicorum fidem implicitam.

Nota ſecundò. Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. ridet Catholicorum fidem implicitam. *Ratio eius.* quia apertam ignorantiam inducit, & fidem ſepelit, vnde docet ea, quæ ad ſalutem ſunt credenda, ab omnibus diſtinctè eſſe credenda. Pro determinatione.

Vera eſt doctrina Catholica quæ docet dari fidem implicitam.

17. Dico primo contra Caluinum *Doctrinam Catholicam veram eſſe, quæ docet dari fidem implicitam.* PROBATVR. ſi enim diſtincta & explicita credendorum fides in omnibus requiritur ſecundùm Caluinum. ergo omnes oportebit æqualiter eſſe Doctores, æqualiter Prophetas, Apoſtolos, &c. quod eſt contra 1. Corinth. cap. 12. ad Epheſ. 4. vbi dicit: *Aliu dari ſermonem ſapientiæ. aliu prophetiæ, ita quòd non omnes ſint Prophetæ, non omnes Apoſtoli.* ergo non omnes ſimpliciter ad fidem explicitam obligantur.

Ratio ſecunda. & de Apoſtolis legimus, quòd ſenſim & ſucceſſu temporis, quædam myſteria cognouerint, vt D. Petrus Actor. 10. inquit: *In veritate comperi quia non eſt Deus acceptor perſonarum.*

Ratio tertia. Ante definitiones Conciliorum, multa credebantur, implicitè, ſeu in aliquo communi, quæ iam explicitè diſtinctè & in particulari credimus, vt Spiritum S. à Patre & Filio procedere, Filiũ Patri eſſe conſubſtantialem, & in Chriſto duas eſſe voluntates, & Baptiſmum per Hæreticos, Iudæos gentiles collatum valere. *Denique* experientia conuincit, impoſſibile eſſe moraliter loquendo, vt omnes idiotæ, tam diſtinctam habeant notitiam rerum fidei, qualis eſt in Doctoribus Eccleſiæ.

Articulos fidei tenentur omnes explicitè credere.

18. Dico ſecundò. *Quantum ad illa credibilia, quæ vocantur Articuli fidei, tenentur omnes fideles explicitè ea credere, ſicut tenemur explicitè habere fidẽ, quantum verò ad alia credibilia, non tenentur omnes habere explicitam fidem, ſed ſolùm implicitam, vt ſint in præparatione animi parati credere, quidquid Diuina Scriptura continet.* PROBATVR. nam determinatio explicita, actus virtuoſi, ad proprium & per ſe obiectum virtutis, eſt de neceſſitate præcepti. ſed Articuli fidei ſunt proprium ac per ſe obiectum fidei. ergo ſunt de neceſſitate præcepti. Et Concil. Florent. expreſsè dicit: *Symbolum & Orationem Dominicam, omnis Chriſtianus memoriter ſciat, omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio, maſculi, feminæ. ſenes, iuuenes, ſerui, liberi, coniugati, innuptæq; puellæ.* quia ſine hac benedictione, nullus poterit in regno cælorum percipere portionẽ.

Qui maiores tenẽtur erudire alios in fide?

19. Dico tertiò. *Maiores, non qui ætate ſunt grandiores, ſed quibus ex officio incumbit, vel ob gradum Sacerdotis, vel ob miniſterium prædicationis, alios in fide erudire. hi maiorem & magis diſtinctam notitiam de rebus credendis, tenentur habere, ex neceſſitate præcepti.* PROBATVR. ſicut enim (vt Dionyſ. docet) maiores Angeli illuminant minores; ita in Eccleſiâ explicatio fidei per maiores, ad minores peruenire debet. *Deinde* ſi ad maiores ſpectat alios erudire in fide. ergo ad illos etiam pertinet plenior notitia credendorum. 3. Iob. dicitur: *Boues arabant, & aſinæ paſcebantur.* per *Boues* intelliguntur *Doctores*, qui res fidei dum ſpeculantur, dicuntur arare: per *Aſinas* intelliguntur

Rudes, qui dum rebus fidei ſibi annuntiatis à maioribus acquieſcũt, dicuntur paſci.

Obiectio. 20. *Sed obijcies.* ſi ſimplices & rudiores, non tenentur ad omnia credenda explicitè, quæ ſunt fidei. ergo non poterunt vitare omnes errores qui ſunt contra fidem. Reſponſio. *Reſpondeo* ſatis eſſe prouiſum rudioribus, per implicitum habitum fidei, vt hos errores vitare poſſint, ſicut enim habitus temperantiæ eum, in quo eſt inclinat ad reſiſtendum cogitationibus, & alijs impudicis actionibus; ita habitus fidei in iunioribus, inclinat eos, ad reſiſtẽdũ cogitationibus, aut eruditis ſermonibus, qui ſunt contra fidem. Dum enim audit ſimplex illa, quæ ſunt contraria fidei, tunc per habitum retardatur à conſenſu, aut tam diu aſſenſum differt, quoad vſq; de his pleniùs inſtruatur, & hæc omnia ex habitu fidei implicito proficiſcuntur. *Si verò* contingat in his deficere, ad quæ credenda explicitè non tenentur, hoc illis in peccatum non imputatur, quia per hanc defectionem, non amiſerunt habitum fidei: *tum* quia parati ſunt ab eo recedere, poſtquam illis innotuerit id eſſe contrarium fidei.

21. *Nota* quód illa ſola pertinacia facit Hæreticum, cùm quis ſcit hoc eſſe contra fidem, nihilominus in errore perſiſtit. vel ſi corde dicat: *Si ſcirem hoc eſſe contra fidem Eccleſiæ Catholicæ, vellem hoc nihilominùs tenere.* *Quæ pertinacia facit hæreticum.*

Sed dices ſi maiores inſtruunt in fide minores. ergo minores habẽt ſuam fidem implicitam in fide maiorum, ſed hoc periculoſum, cùm poſſint errare. *Reſpondeo* quód minores ea tenus poſſunt fidem ſuam implicitam habere in fide maiorũ, quatenus maiores adhærent fidei Eccleſiæ Catholicæ, & ex hoc nullũ conſequitur periculum, nam ſi contingat maiores in fide aberrare, hoc ideo contingit, ſi à fide Eccleſiæ deſciſcant, hi verò inquantum habent fidem Eccleſiæ, quæ quidem Eccleſia errare non poteſt, in fide ſuam fidem implicitam in eis collocant. *Quomo[illegible] minores f[illegible] dem [illegible] impl[illegible] haben[illegible] de mai[illegible]*

QVÆSITVM VI.

An explicitè credere myſterium Incarnationis ſit de neceſsitate ſalutis?

Quæ myſteria credenda ad ſalutem vtraq; obtinendã. 22. PRo determinatione dico primò. *Ad obtinendã ſalutem ſiue primam quæ eſt iuſtificatio, ſiue ſecundam, quæ eſt vita æterna duo hæc myſteria vt à quouis adulto credantur, requiritur v.* INCARNATIO *&* TRINITAS, *de primo hîc, de ſecundo in ſequenti dicemus.* PROBATVR. duplex enim obiectũ fidei noſtræ. primarium ſ: Deus vn⁹ & trin⁹. *&* *ſecundarium* ſ: Incarnatio Filij Dei & [illegible]rũ duorũ hic in via nõ apparentiũ, eſt fides, in patria vero erit viſio ac fruitio.

23. Dico

Myſterium Incarnationis oportuit quòd in omni tépore & apud omnes eſſet creditū aliqua ratione

23. Dico ſecundò. *Myſterium Incarnationis oportuit quód in omni tempore & apud omnes eſſet creditum aliqua ratione.* PROBATVR. Incarnatio eſt via perueniendi ad beatitudinem, ergo neceſſariò credi debuit, ab omnibus pro omni tempore. *Antecedens* Actor. 4. *Non eſt aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.* & Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 2. Can. 10. dicit: *Hunc v.* Chriſtũ *propoſuit Deus propitiationẽ per fidẽ, in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiã pro totius mundi.* ergo totius mundi homines Incarnationẽ debẽt credere

In veteri Teſtamento ſatis erat adultis credere implicitè Chriſtũ eſſe naſciturum redemptorẽ generis humani.

24. Dico tertiò. *In veteri teſtamento ſatis erat adultis credere implicitè, Chriſtum eſſe naſciturum redemptorem generis humani,* PROBATVR. Ad Galat. 3. *Antequam veniret fides, ſub lege cuſtodiebantur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Hic modus dicendi innuit implicitam fidem.

Probatur ſecundò. Ad Hebr: 11. *Defuncti ſunt Patres non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes & ſalutantes.* Per has *repromiſſiones*, non intelligit Apoſtolus terram promiſſionis fluentem lac & mel, ſed intelligit naſciturum Saluatorem, per quem donata eſt vita æterna: hunc igitur à longè aſpiciebant. ſed ea quæ ſic videntur obſcuriora eſſe ſolent. Ergo illarum fides implicita erat. Et D. Aug. *lib. de ciuit*: *17. cap. 18.* quód Iudæi imperfectè cognouiſſent Chriſtum, nec ſperarent illum moriturum.

In ſtatu innocentiæ ſi perſeuerauiſſent myſterium Incarnationis cognitũ fuiſſet.

25. Dico quartò. *Etiam in ſtatu innocentiæ ſi perſeuerauiſſent myſterium Incarnationis cognitum fuiſſet.* PROBATVR. verbis Adæ quæ in ſtatu innocentiæ protulit Geneſis 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea* &c. *quamobrem relinquet homo Patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in vna carne.* Hunc locum Sancti Patres ex adiunctione verborum D. Pauli Ad Ephes. 5. explicant vbi dicit *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia:* & ſic D. Paulus hæc verba trahit ad Chriſti coniunctionem cum carne noſtra. ergo ſignum eſt quód Adam hoc myſterium Incarnationis cognouerit. Et D. Th. hic art. 7. in corpore dicit *Adamum cognouiſſe myſterium Incarnationis per fidem explicitam, vt ordinabatur ad conſummationem gloriæ,* hoc eſt ad perfectionem & ſummam dignitatem vniuerſi, quæ facta eſt per Incarnationem, & ex hoc redundauit gloria Dei, non autem vt ordinabatur ad liberationem à peccato.

Gentiles habebant de Chriſto redemptore fidem implicitam.

26. Dico quintò. *Etiam plures habebant de Chriſto Redemptore fidem implicitam.* PROBATVR primò exemplo Iob, qui extra Iudæam in Idumæa propè Arabiam habitauit, hic de venturo Chriſto ſic confitetur. cap. 19. *Credo quód Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.*

Probatur ſecundò. verſibus Sybillæ quorum capitales libere Chriſtũ Ieſum Dei Filium & Seruatorẽ exprimunt.

Probatur tertiò exemplo cuiuſdã gentilis, de quo. D. Th. hic art 7. ad 3. commemorat. Quód tempore Conſtantini Auguſti inuentum fuit ſepulcrum, in quo iacebat homo, qui ſupra pectus laminam auream habuit, in qua ſcriptum erat

 Chriſtus

Chriſtus naſcetur ex virgine, & credo in eum. ô ſol ſub Conſtantino & Helena (ita habet litera D. Th. quidam legunt pro Helena Irene) *iterum me videbis*: & ſic quidē accidit vt Gentilis prædixit.

Quæ in ſtatu legis Euāgelicæ de Chriſto Domino credēda neceſſitate medij?

27. Dico ſextò. *In ſtatu legis Euāgelicæ, in qua facta eſt ſufficiens promulgatio fidei Chriſti. tenentur omnes neceſſitate medij, explicitè credere Dei filium, aſſumpſiſſe humanam naturam, ipſumq́; verum eſſe Deum & hominem, & quód ideo in mundum venit, vt genus humanum à peccatis redimeret.* Ita hic D. Th. art. 7. in corpore. *Poſt tempus reuelatæ gratiæ, tam maiores, quám minores tenentur habere fidem explicitam, de myſterijs Chriſti, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolennizantur & publicè proponuntur ſicut articuli Incarnationis* Idem D. Th. in 3. diſt: 25. quæſt: 2. art 2. dicit *Adeo hanc fidem eſſe neceſſariam, vt ſi quis non haberet prædicationem, Deus ei eſſet reuelaturus, niſi per culpam ſuam poneret obicem.*

Argumentū cōtra Vegā?

28 *Ex quo loco* contra Vegam argumentor, qui dicit fidem Chriſti non neceſſitate medij, ſed præcepti eſſe neceſſariam: ſi enim ſic (vt ille dicit,) quód opus erat, vt Deus illi reuelaret, ſi quidem inculpabiliter ob defectum prædicationis ignorat: ſed quia dicit quód reuelaturus eſt. ergo fides neceſſitate medij neceſſaria. RATIO, Status enim nouæ legis, eſt ſtatus perfectionis, quia iam veritas, quæ ſub varijs figuris fuit adumbrata, manifeſtò eſt reuelata. ergo nunc maximè neceſſitate medij explicita fides requiritur.

Notand. 2 de Fide explicita.

Nota. Hæc aſſertio noſtra, *quód fides explicita Chriſti ſit neceſſaria, neceſſitate medij ad ſalutem eſt valde probabilis*, ſed quia non eſt ab Eccleſia definita, vnde qui contrarium ſentiunt non ſunt Hæreſis arguendi. nam Melchior Canus *de Sacram. in gen. parte 2.* Aragoni⁹ 2da. 2dæ. qu. 2. dicunt *explicitam fidem requiri neceſſitate medij, ſolùm ad vitam æternam, non autem ad iuſtificationem.* Quidam verò (vt Richardus, Andreas Vega, Dominicus Soto,) *nec ad ſalutem requirunt; niſi ex ſolo præcepto Diuino.*

QVÆSITVM VII.

An credere Trinitatem explicitè ſit de neceſsitate ſalutis?

Ante aduētum Chriſti explicita fides Sanctiſſimæ Trinitatis non fuit neceſſaria neceſſitate medij &c.

29. DIco primò *Ante Chriſti aduentum, explicita fides SS.* TRINITATIS *non fuit neceſſaria neceſſitate medij, immò nec præcepti quo ad omnes homines, ſed hæc in ſolis maioribus requirebatur.* RATIO Quia hoc myſterium ante Chriſti natiuitatem, ſub lege veteri non fuit apertè & manifeſtò propoſitum ad credendum, poterant ergo tūc fideles, ſine fide explicitâ huius myſterij ſaluari, nam aliàs ſi fuiſſet neceſſarium, Diuina prouidentia quæ in neceſſarijs eſt ſufficiēs, non permiſiſſet illud ignorari.

Ratio

Quare Iudæis non eſt diſtinctè reuelatum myſteriū Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ratio ſecunda. immo quidam docent non fuiſſe conueniens vt reuelaretur diſtinctè Iudæis myſterium Trinitatis, ſiquidem proni erant ad idololatriā, & hinc ex tribus perſonis ſumpta occaſione tres Deos diſtinctos tenuiſſent.

Myſterium Incarnationis ſupponit myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ratio tertia. Quia myſterium Incarnationis ſupponit myſterium Trinitatis. ſed Incarnatio ante Chriſtum implicitè credita fuit. ergo & Trinitas. *Antecedens.* Quia ſecundum Angeli dicta ad Virginem tres perſonæ concurrunt. Pater, quem ſignificat. *virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* & Spiritus S. cum dicit *quod hic ſuperueniet in te* & Filius Dei cum dicit *Quod naſcetur ex te erit filius Dei.* Soli igitur maiores vt Patriarchæ, Prophetæ, Phariſæi, Scribæ diſtinctam fidem de Trinitate habebant, nam legebant & interpretabantur illa verba *Faciamus hominem* &c. *Et Dixit dominus domino meo* &c & alia his ſimilia.

In noua lege omnibus & ſingulis etiā ex plebe neceſſarium eſt ad ſalutem vt explicitè credant Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

30. Dico ſecundò. *In noua lege omnibus & ſingulis etiam ex plebe neceſſarium eſt ad ſalutem, vt explicitè credant myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.* PROBATVR. Quia hoc iam ſufficienter credendum proponitur. *Deinde.* Quia etiam nunc myſterium Incarnationis explicitè creditur. ergo & Trinitatis ſiquidem Incarnatio (vt iam dictum) ſupponit Trinitatem.

Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis eſt maius Incarnatione.

Præterea. Quia myſterium Trinitatis eſt maius Incarnatione, nam Trinitas fidei noſtræ, eſt obiectum non ſolūm primarium, ſed eſſentiale & omnino neceſſarium, iam autem Incarnatio eſt quid accidentarium, nam ſi Deus voluiſſet poterat non incarnari. ſed quia iam Incarnatio explicitè creditur neceſſitate & medij & præcepti, ergo & Trinitas. *Tandem.* Idem confirmant verba Matt: vltimo *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* ergo de his in quorum nomine baptizandi erant, docebant. ergo explicitè credi debet.

Quid de alijs Articulis in Symbolo contētis tenendū, an explicitè neceſſitate medij an verò præcepti credendi?

31. *Sed quæres.* Quid de alijs Articulis in ſymbolo contentis tenēdum, an explicitè neceſſitate medij, an verò præcepti credendi? *Reſpondeo* quo ad ſingulos fideles, dico, quód non tenentur ad ea credēda neceſſitate medij, ſed ſolùm præcepti. RATIO Quia D. Th. & cum eo alij Theologi, quādo agūt, de abſoluta neceſſitate medij credendorum, ſolum Incarnationis & Trinitatis mentionem faciunt.

Ex quo collige. quód reliqui Articuli ſunt credendi ſolùm neceſſitate præcepti, à qua aliqui per ignorantiam inculpabilem excuſari poſſunt. *Ratio ſecunda.* contenta in reliquis Articulis reſpectu præfatorum v. Dei, qui eſt vnus & trinus, & incarnationis, quæ eſt efficiens redemptionis noſtræ ſunt minora, nec ſunt cauſæ primariæ noſtræ ſalutis, vel iuſtificationis. ſed ſolùm illi Articuli ſunt, aut quaſi appendices & adiuncta, vt natiuitas ex Virgine, Reſurrectio, Aſcenſio &c. *Alij* ſunt vt Effectus vt remiſſio peccatorum, vita æterna. *Alij deniq;* ſunt Adminicula ſeu inſtrumenta ad ſalutem & iuſtificationem noſtram, vt Eccleſia, Sacramenta. Ad horum igitur articulorum cognitionem & fidem explicitam, tenentur ex præcepto fideles, Quia omnes hi articuli ſunt ſufficien-

ſufficienter populo ad credendum propoſiti.

Quæ Sacramenta fideles tenētur explicitè noſſe & credere?

32. *Nota.* quód ijdem fideles tenentur tria Sacramenta v. Baptiſmum, pœnitentiam, Euchariſtiam explicitè noſſe & credere. Quia de his ſumendis Sacramentis eſt expreſſum Chriſti præceptum, ſed non poſſunt ſumi debitè & cum fructu niſi cognoſcantur & credantur. ergo ad hæc explicitè credenda obligantur.

Tenentur quoq; fideles ſcire qđ Deus ſit orandus.

Nota ſecundò. tenentur quoq; fideles ſcire *quód Deus ſit orandus* Eius rei hæc eſt neceſſitas: quia nemo diu perſeuerare poteſt in mandatorum Dei obſeruatione. ergo per orationem implorandum auxilium.

Epiſcopi tenentur neceſſitate præcepti noſſe omnē doctrinam Chriſtianā & omnia myſteria reconditiora fidei.

33. QVANTVM *ad Epiſcopos dico* quód illi neceſſitate pręcepti tenentur noſſe omnem doctrinam Chriſtianam, & omnia myſteria reconditiora fidei. *Probatur primò* ad Timot: 3. *oportet Epiſcopum eſſe Doctorem.* Et ad Titum. 1. *oportet Epiſcopum amplecti eum, qui ſecundùm fidē eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt arguere* *Ratio ſecunda.* quia ijdem circa conſecrationem interrogantur an ſciant vetus & nouū Teſtamentum, & reſpondent ſe ſcire. *Ratio tertia* quia debent promouendos ad ordines & ad certa beneficia examinare.

Sed dices. Poſſunt per alios docere, & Hæreſes arguere. *Reſpondeo* quód poſſunt, ſed à peccato non excuſantur.

Parochi tenentur ſcire vniuerſa quæ in Articulis fidei continetur.

34. QVANTVM *verò ad Parochos,* & qui curam animarū gerunt, vt Confeſſarij, *dico* quód tenentur ex præcepto Diuino, & Eccleſiaſtico ſcire vniuerſa quæ in Articulis fidei continentur, vt alios poſſint erudire & ſi aberrauerint in viam reducere. Maximè autē hæc duo noſſe debent. *Primum* quæ ad debitam Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant. *ſecundum* quæ pertinēt ad Catechiſmi doctrinā.

Parochi quæ maximè tenētur noſſe?

Et in hoc cauti ſint Curati, vt ea quæ ad Articulos fidei ſpectant commiſſo ſibi populo dilucident, nam contingere poteſt, vt aliquis Parochianus frequentet Eccleſiam, & tamen ignoret Articulos fidei, & hic à peccato excuſatur, quia illius ignorantia inculpabilis, ſed parochus eſt in culpa qui hæc non proponebat.

QVÆSITVM VIII.
An credere ſit meritorium?

Actus credendi poteſt eſſe meritorius.

35. DIco primò. *Actus credendi poteſt eſſe meritorius,* non dico abſolutè *quod ſit meritorius*, ſed *quód poſſit eſſe.* PROBATVR. Contingit enim quód actus credendi ſine charitate exerceatur, Actor: 16. *Crede in dominum Ieſum, & ſaluus eris. Crede*, hoc eſt excita in te actum credendi, & hic actus excitatus, & vt ſic conſideratus eſt ſine charitate, quia ſine bonis operibus, & tamen eſt meritorius dicit enim *ſaluus eris.*

Ratio ſecunda. Actus credendi eſt liber, quia liberè rebus credendis aſſentimur. *Tum* idem actus credendi liberè ſe habet, non tãtum quo ad exercitium, ſed etiam quo ad ſpecificationem, nam in contrarium actum v. vt non credam exire poſſum. *Deinde.* hic actus habet eſſentialem ordinem, ad authoritatem Dei atteſtantis, cui ſubmittit intellectum ſuum, vnde eſt bonus & meritorius.

Actus credẽdi non poteſt exerceri ob vanam gloriam.

36 *Sed obijcies* poteſt ob vanã gloriam exerceri. *Reſpondeo* non poſſe quia hic actus credendi eſt actus interior, vnde non eſt aptum mediũ, ad vanã gloriã exercendã cum nõ ſubiaceat oculis hominũ.

Dico ſecundò. *Certum eſt actum credendi, qui charitate informatur mereri.* PROBATVR. Quia charitas eſt radix meriti (vt à nobis in Tractatu de Gratia deductum) *Tum quia* quælibet res quando agit, per ſuam formam agit, vt homo intelligit per animam, & aqua calida agit per calorem: ſed charitas eſt forma moralis fidei: ergo fides per charitatem mouetur.

Rationes antecedẽtes quæ?

Nota. quód poteſt eſſe aliquod bonum opus ſine charitate & illud ipſum poteſt eſſe meritorium, ſed vitæ æternæ ſine charitate non erit meritorium.

QVÆSITVM IX.

An ratio inducens ad ea, quæ ſunt fidei diminuat meritum?

37. PRO determinatione vnicum Dico. *Rationes humanæ quæ ſe habent antecedenter, ad actum credendi, minuunt meritum fidei: quæ autem rationes humanæ habent ſe conſequenter, hæ non minuunt meritum.* Iam verò per *Rationes antecedentes* intelligimus illas, quando ſunt cauſę totaliter inducentes ad credendum, ita quòd ſine illis nõ crederemus, & hæ rationes diminuunt meritũ. *Probatur.* ſicut enim paſſio præcedens electionem, in virtutibus moralibus, diminuit laudem actus virtútis, ita quando ob ſolam humanam rationem credimus, nec voluntatem ad credendum inducere mus, niſi hæc ratio induceret, tunc non ſolùm meritum, ſed & fides tollitur. Hoc videtur Chriſtus in Regulo reprehendiſſe, *niſi ſigna & prodigia videritis non creditis.* ſimiliter cum Diſcipulis duritiam & incredulitatem exprobrauit, quia his, qui viderunt eum reſurrexiſſe, non crediderunt, ſed requirebant experimentum humanæ rationis. ſi tamen contingat, quód aliquis iam habitis argumentis & rationibus mutet propoſitum, v. quód non ob eas rationes credat, ſed ob Diuinam authoritatem, tunc talis actus credendi erit meritorius. ita in D. Thoma accidit, qui nolebat credere niſi fixuras clauorum in corpore Chriſti uidiſſet. ſed cùm poſtea dixit: *Dominus meus & Deus meus.* mutauit conſilium, quia quẽ Deum nòn vidit, hunc fide amplexus & confeſſus eſt.

Actus credẽdi qui meritorius?

Quid per rationes cō ſequētes intelligendū?

38. Per *rationes* autem *conſequentes* intelligimus, quando homo firmiſſimè credit, ſed poſtea inquirit rationes, quibus eandem fidem tueatur, aduerſus Hæreticos, Iudæos, Paganos, & hæ non minuūt meritum, ſed augent. & in hoc ſenſu loquitur D. Petrus 1. epiſtola cap. 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in uobis, eſt ſpe, ſed cum modeſtia & timore.* & ſicut paſſio ſubſequens in virtutibus moralibus, eſt ſignum promptioris voluntatis, ita & ratio humana ſubſequens, feruētiorem voluntatem ad credendum reddit. ſed ob eam ſolam rationem non credit ſicut Samaritani [ait] ad mulierē (quæ humanam rationem ſignificat) dixerunt, *iam non propter tuam loquelam credimus*, ita nec fidelis ob loquelam rationis, ſed ob autoritatem Dei atteſtantis credat.

Ratio demonſtratiua non minuit meritū fidei.

39. *Ex quo collige* quód neq; ratio demonſtratiua, ſubſequens voluntatem in credendo, minuit meritū, vt Dur. aſſeruit in 3. *diſt.* 24. *q.* 3. quia hæc ratio ſubſequitur voluntatem iam fundatam & determinatam in credēdo. & quia Doctores per eiuſmodi rationes tollunt impedimenta fidei, ex quo accreſcit illis meritum, iuxta illud Eccl. 34. *Qui me elucidant vitam æternam habebunt. Deniq;* quia fidelis ita eſt animo diſpoſitus, quód etiamſi illas demonſtratiuas rationes non haberet, nihilominus ob ſolam authoritatē Dei atteſtantis crederet.

40. *Sed obijcies.* Ratio demonſtratiua id tollit, quod eſt fidei formale, v. tollit obſcuritatē, ineuidentiam, quia demonſtratio rem euidenter proponit. *Reſpondeo* dato, quód ratio demonſtratiua euidentiam inducens, tollat formale fidei, v. obſcuritatem, nihilominus adhúc in fideli erit meritum. quia eſt in animi præparatione tali, quód his rationibus non exſiſtentibus paratus eſſet credere. & ſic D. Th. dicit *Chriſtum Dominum habuiſſe meritum fidei, licet in eo non fuerit fides, ob eam ſolam cauſam, quia fuit Chriſtus in animi præparatione ad credendum, ſiquidem meritum conſiſtit in obedientia Dei ad aſſentiendum rebus fidei non viſis.*

Chriſt' [illegible] minus quo modo habe[…] meritū fidei?

DISPVTATIO III.

De Actu exteriori Fidei.

Per *Actum fidei exteriorem* intelligimus confeſſionem, de qua duo inquirimus:

1. *An ſit Actus Fidei?*
2. *An fidei confeſſio ſit ad ſalutem neceſſaria?*

QVÆSITVM I.

An Confeſſio ſit actus Fidei?

1. A8

Cōfeſſio triplex. 1. AD Quæſitum dico primò. *Quòd triplex eſt confeſſio*: *prima* gratiarum actionis, ſiue laudis, & hæc eſt actus latriæ: *ſecunda* peccatorum, quæ eſt pars pœnitétiæ: *tertia* eorum, quæ in fide continentur, & hæc eſt confeſſio fidei, quæ fit ore aut ſignis externis, & dicitur *Actus exterior*.

Vnde prouenit confeſſio? 2. Dico ſecundò. *Hic actus fidei exterior, qui dicitur confeſſio, prouenit ab actu credendi interiori.* PROBATVR 2. Corinth. 4. *Habentes eundem Spiritum fidei ſicut ſcriptum eſt*: *Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur.* Verbum *Credidi* ſignificat actum internum credendi: particula verò *propter* eſt cauſalis ſignificans, quód actus credendi ſit cauſa locutionis ſeu confeſſionis ore. ſicut enim duplex eſt locutio cordis vt, *Dixit inſipiens in corde ſuo* & oris & locutio cordis eſt cauſa locutionis oris, nā quod mente concipimus, id ſermone pronuntiamus, ita fides interiùs concepta cōcurrit ad actum exteriorē confeſſionis producendū, & ſicut ſigillum in cera exprimit illud ſignum, quod in eo latens erat, ita confeſſio exprimit id ore, quod intus in corde manebat.

Cōfeſſio eſt verè actus exterior fidei. 3 Dico tertiò. *Sicut actus credendi eſt verè actus, ita & confeſſio exterior eſt verè actus fidei.* PROBATVR ad Teſſalonicen. cap. 1. *In quo oramus ſemper pro vobis, &c. vt impleat omnem voluntatem bonitatis & opus fidei in virtute vt clarificetur nomen Domini Ieſu in vobis.* Gloſſa per *opus fidei in virtute*, interpretatur fidei confeſſionem, quod quidem textui eſt conſonū, quia in perſecutionibus & in tormentis relucet, vnde eſt actus ſeu opus fidei in virtute.

4 *Ratio ſecunda.* Actus exteriores ſunt propriè actus illius virtutis, ad cuius finem referuntur, ſicut actus ieiunandi, quia reſpicit finem abſtinentiæ, v. quia carnis concupiſcentiam frenat, & ideo eſt actus abſtinentiæ. ſed confeſſio fidei ordinatur ad finem fidei, qui eſt aſſentiri primæ veritati firmiter. ergo confeſſio fidei eſt actus fidei.

5. *Ratio tertia.* idē actus fidei ordinatur in obiectum formale fidei v. vt confiteamur Articulos fidei, quos mente per actum credendi internum conceptos retinemus.

5 *Ratio quarta?* eiuſdem eſt virtutis ſubijcere intellectum noſtrum, vt primæ veritati reuelanti obſcurè aſſentiatur, & dirigere eundem intellectum, vt debitè explicet ea, quæ ſunt reuelata. ſed fides eſt quę intellectum noſtrum ſubijcit vt aſſentiatur. ergo & confeſſio erit verè actus fidei, ſiquidem intellectum dirigit, vt explicet & confiteatur debitè.

6. *Nota* vnus & idem numero actus externus, poteſt eſſe imperatus à pluribus virtutibus, vt martyrium poteſt prouenire à charitate, quia maiorē dilectionē nemo habet, quàm vt animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis, prouenit & à fortitudine, quia aduerſa patitur: prouenit & à religione, vt in honorem Dei ordinatur. ita & confeſſio fidei, vt ordinatur ad cultum Dei promouendum, ſpectat ad religionem: vt verò ad Articulos fidei profitendos ſic ad fidem. Vnus & idē numero actus externus poteſt prouenire à pluribus virtutibus.

Nota ſecundò. ſicut actus interior fidei, ita & exterior eſt, & ab intel-

 lectu

Vnde actus tam interior quàm exterior fidei proueniāt? lectu & à voluntate, ab intellectu quidem directiuè, à voluntate verò motiuè & imperatiuè, quemadmodū & locutio cenſetur effect⁹ & intellectus, quia ab eo dirigitur, & volūtatis, quia ab ea imperatur.

QVÆSITVM II.
An Confeſſio Fidei ſit neceſſaria ad ſalutem?

Helceſitarū hæreſis. 7. FVit Hæreſis Helceſita rum qui affirmabant, *quód inſtante perſecutione & periculo mortis, poteſt quilibet licitè fidem negare exterius ore, dum modo eandem corde retineat.* ſed hæc Hæreſis ſub Beato Cornelio in Concilio Romano ſexaginta Epiſcoporum publicè damnata eſt. Pro determinatione.

Cōfeſſio fidei eſt de neceſſitate præcepti affirmatiui. Dico primò. *Confeſſio fidei eſt de neceſſitate præcepti affirmatiui.* PROBATVR. ad Rom 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* ergo confeſſio, quæ fit ore, eſt neceſſaria ad ſalutem. ſed de omni actu neceſſario ad ſalutem, eſt præceptum affirmatiuum. ergo confeſſio fidei eſt de neceſſitate præcepti affirmatiui.

Præceptum affirmatiuū quomodo obligat? 8. Dico ſecundò. *Confeſſio fidei ſiquidem continetur ſub præcepto affirmatiuo.* ſemper quidem obligat, ſed non ad ſemper, quia non pro quouis loco & tempore, ſed pro certo, quando v. agitur de honore Dei, aut de vtilitate proximi, tunc interrogatus de fide ſi confeſſionem reticeret, Deo honorem adimeret, & religionem Chriſtianam in dubium vocaret, nam per hoc multi auerterentur à fide.

Confeſſio fidei quando facienda? 9. Dico tertiò. *Confeſſio fidei externa, quando locus & tempus exigit, ſemper eſt facienda, etiam ſi periculum fortunarum, aut exilij, aut vitæ ſit adeundū.* PROBATVR. quia talis confeſſio cōtinetur ſub affirmatiuo præcepto. ſed hoc etiam cum diſcrimine vitæ adimplere tenemur. ad Rom. 10 *Quod ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, &c. ſaluus eris.* & D. Aug. in lib. de Fide & Symbolo, cap. 1. dicit, *quód fides duplex officium à nobis exigit, cordis & linguæ.* ergo quoties locus & tempus poſtulant fides etiam cum periculo vitæ proteſtanda eſt.

10. Dico quartò. *Tunc autem locus & tempus exigunt à nobis externam fidei confeſſionem, quando aut à Rege, aut à præſide, aut ab alio qui publica authoritate fungitur, interrogamur an ſumus Chriſtiani? vel hunc aut illum Articulum fidei credimus? tunc enim tenemur diſertè confiteri, quód credimus in Chriſtum, & quód Chriſtiani ſumus.* Quando locus & tēpus à nobis exigunt externā fidei confeſſionem? Hac de re ſunt verba Chriſti Matth. 10. *Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis flagellabunt vos, & ad Reges & Præſides ducemini propter me.* & teſtimonium illis & gentibus. *Et ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* ſed oues etiam dum rapacitatem luporum experiuntur, à natura ſua non diſcedunt, ita nec Chriſtiani in medio tormentorum à ſua confeſſione nō debent diſcedere. *Tum* quia

his

his, qui negant Chriſtum ſuppliciũ ignis gehennæ paratum eſt. Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, ſed timete eum, qui poſtquam occidit corpus, habet poteſtatem mittere in gehennam.* ſignificans quód qui Chriſtum abnegant, incidunt in indignationem pœnæ æternæ.

Quando maximè ad profitendam fidem obligamur?

11. Dico quintò. *Maximè in eo caſu ad profitendam fidem obligamur, quando de fide Chriſtiana interrogamur, in odium Chriſti, aut in opprobrium fidei.* PROBATVR. Matth. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt. Ex quo arguo.* Præceptum hinc conſurgit negatiuum, de non neganda fide. ſed id quod præcepto negatiuo prohibetur eſt ita malum, vt in nullo caſu licitè admitti poſſit *Tum* quia præcepta negatiua & ad ſemper & pro ſemper obligant. ergo in nullo tempore neganda fides. *Tum* quia D. Petr. quód Chriſtum negauerit, amarè profuſis lachrymis à Deo veniam quæſiuit. & omnes abnegatores fidei, ad communionem Eccleſiæ non admittebantur, niſi graui & oneroſa impoſita ſibi pœna pœnitentiam egiſſent.. Et quidam Libellatici, qui volebãt videri ſe mandatis Tyrannorum ſatisfeciſſe, grauiter ab Eccleſia ſunt puniti & reprehenſi. Erat autem hic error Libellaticorum data pecunia emebant teſtimonium, quaſi Dijs ſacrificaſſent, vt v. ſic & tyrannus & alij exiſtimarent hoc illos feciſſe, quod nunquam fecerunt, quod quidem quia includit apertam fidei negationem, ideo peccatum eſt perſimile illi conſilio, quod Eleazaro ſeni Iudæo, qui ad mortem trahebatur, dabatur ab amicis malè feriatis, vt ſimularet quaſi comediſſet carnes porcinas, & ſic à morte abſolueretur, quod ille nequaquam admiſit, quia videbat hoc in derogationem honoris Diuini, & proximorum ſcandalum vergere. licet tamen fidelibus dare pecuniam, ne ad Sacrificia trahantur, ſed ſimulare quaſi ſacrificaſſent, non licet. Ita in Anglia, aut vbi Hæretici Catholicos opprimunt, licet redimere ne ad illorum cœnas & Synagogas trahantur.

Libellaticorum error.

12. Dico ſextò. *Quamuis abſolutè nunquam licet negare fidem (vt iam probatum) aliquando tamen ſeruatis his conditionibus.* Si nulla Deo iniuria fiat, nec vllum nocumentum proximo inferatur: *tum* ſi à priuatis interrogamur. *Dico quód interrogati de Confeſſione fidei, licitè aut reticere, aut reijcere, aut diſſimulare poterimus, modo id ita fiat, vt nihil mali nec Apoſtaſiam in ſe contineat. ita communiter Doctores tenent.* PROBATVR. quia priuati homines non habent poteſtatem inquirendi, aut examinandi fidem aliorum, vnde ad talium interrogationes ſi reticet, non parui facit honorem Dei, ſed ſolùm hominum importunorum, ad quos hoc non ſpectat, quæſtiones eludit, & contemnit.

Cõditiones Fidem negandi.

13. *Sed obijcies.* vtraq; hæc confeſſio, tam quæ publicè fit coram Magiſtratu, quàm quæ coram priuatis hominibus, cedit in honorem Dei. *Reſpondeo* hãc vtramq; confeſſionem, non æqualiter in honorem Dei vergere, ille enim actus longè eminentior eſt, qui fit coram Magiſtratu, qui eſt cum publica poteſtate: & de his præceptum eſt Domini

Obiectio prima.

mini. *Ante reges & præſides ducemini.* Dicunt hic, quidam, quód magiſtratus non habet poteſtatem obligandi fideles, ad manifeſtandam fidé, ſed quicquid ſit de hoc, etiáſi præceptum tyranni non obliget, tamen præceptũ Chriſti nos obligat, vt pro eo tempore & loco, fidem Chriſti confiteamur.

Obiectio altera.

14 *Sed obijcies.* licuit aliquando præcepta non implere, propter periculum vitæ, vt circumciſió in deſerto omiſſa, & Machabæi diem Sabbathi non ſanctificārũt, ob periculum mortis, quód illis eo die ab hoſtibus inferebatur *Reſpondeo* quód præcepta non ſolùm iuris Diuini, ſed etiam iuris humani obligãt, cum periculo vitæ, vt Carthuſiani abſtinentiam carnium vouent, etiam in eo caſu quando medici iudicant, quód aliter huius ægroti vita conſeruari non poſſit: & hoc inſtitutum eſt iuris humani, illius autem ſeruandi in hoc caſu, hæc eſt ratio, quód meliùs eſt, vt hæc inſtitutio religionis inuiolata ſeruetur, quàm huius fratris vita. Iuxta illud *Bonum commune præferendum priuato.* Similiter ſigillum confeſſionis eſt iuris quidem Diuini, ſed habet aliquid naturalis, propter fidelitatem, nunquam tamen hoc licet ſoluere confeſſario, etiam ſi illi vitę periculum immineat. *Vnde* non mirandum, quód confeſſio Fidei, quæ eſt merè iuris Diuini obligat ad ſeruandum cum periculo mortis. Iam verò de Circumciſione & de Sabbatho, non eſt par ratio, quia hæc ſunt præcepta affirmatiua, quæ obligant quidem ad ſemper, ſed non pro ſemper: Confeſſio autem fidei, non ſolùm affirmatiuo vt *ſi quis me confeſſus fuerit &c.* ſed etiam negatiuo. *ſi quis autẽ me negauerit &c.* præcepta eſt. negatiuum verò pro omni tempore obligat, quia negatio fidei non eſt res indifferens, ſed ex ſe & natura ſua mala eſt, vnde ſemper vitanda.

Sigillũ confeſſionis quomodo ſeruandum?

An liceat aliquando fidem occultare?

15 *Sed quæres.* An liceat aliquando fidem occultare?

Aliud eſt fidem negare & aliud eãdem occultare.

Nota primò Aliud eſſe *Negare fidem verbis, ſactu aut ſignis.* Aliud verò *occultare*; nam quamuis omnis qui fidem negat etiam occultat, non omnis tamen, qui occultat negat.

Signa duplicia Fidei occultandæ.

Nota ſecundò. ſigna quibus fides occultari poſſit, ſunt duplicia. *alia* quæ directè & primariò ſunt inſtituta, ad religionem falſam profitẽdam, vt ſunt ſacrificia paganorum, thura, veſtes ſacrificulorum, circumciſio, agnus paſchalis, apud Iudæos, cœna adud Lutheranos. *Alia verò ſunt* Politica, ad vſus profanos inſtituta, vt veſtis qua ciuis à ruſtico, miles à mercatore, & gens vna ab alia diſtinguitur. Hoc notato,

Chriſtianis non licet vti ſignis veſtibus &c.

16 Dico *non licere Chriſtianis vti ſignis, veſtibus & actionibus, quæ ſunt ordinata ad profitẽdam falſam religionem.* PROBATVR. Ad Ephes 5. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum* *Tum quia* ſemper Eccleſia grauiſſimè in eos animaduertit, qui licet mente religionem Chriſtianã retinuiſſent, tamen exteriùs aut ſacrificauerunt, aut thus adoleuerunt, *Tum quia* his talibus externis ſignis vti, eſt omnino profiteri illam ſectam, & illius ſuperſtitionem, propter quam ſunt inſtituta

Obiectio.

17. *Sed obijciunt.* quód Naaman Syrus qui abiurauerat idololatriæ

vſus

vſus eſt ſigno externo, nimirum adoratione idoli, quando cum Rege infideli tēplum ingrediebatur. *Reſpondeo* cum Toſtato ad cap. 5. Regum 4. Quod Naaman ad templū idolorum aſcendebat, non vt idola adoraret, ſed vt obſequiū Regi ſuo exhiberet. Mos enim erat Regibus Syriæ, vt quoties in publicum prodibant, humeris alicuius inniterētur, vnde is cui Rex innitebatur, hoc illi obſequiū præſtabat, vt cū Rex ambularet, & ille ambulabat, & cum ſe inclinaret, & ille inclinabatur, & dum tanquam gentilis coram idolo genua flecteret, & ille ad obſequium Regis, vt id commodius faceret, debuit genua flectere

Quando Chriſtianus poteſt occultare fidē ſuam &c.

18. Dico ſecundò. *Poſſe Chriſtianum licitè vti ſignis, veſtibus, & actionibus, quæ ſunt propria illi nationi, in qua conuerſatur, & illis occultare poteſt ſuam fidem* PROBATVR. Quia Chriſtianus non tenetur ſemper & vbiq; locorum ſuam fidem profiteri. ſed pro tempore & loco. *Deinde* quia Chriſtianus non intendit in hac occultatione, vt pro cultore & ſectatore habeatur alicuius perfidiæ, ſed ſolùm vt eorum hominum, cum quibus conuerſatur, cogitationes diuertat ne apprehendant aut ſeſe reflectant, ſuper fide ſua Chriſtiana, & hoc ſine mendacio & fallacia facere poteſt. ſi verò aliqui ex eo falſam de eo opinionem concipiant, ad id non videbitur coöperari, ſed permiſſiuè ſe habebit, dum modò licitis modis, fidem ſuā occultare poſſit. Vnde Chriſtianus inter Turcas verſando, ad occultandam ſuam fidem, poterit communi habitu Turcico vti, & illorum more menſæ accumbere, quia hi actus ſunt indifferentes, nec aliquid mali ſua natura continent.

Quibus veſtibus nō licet vti Chriſtiano?

19. *Nota.* ſi magiſtratus Catholicus legem promulget, vt infideles veſtibus certi coloris vtantur, vt Iudæi Romæ flaui coloris galero vtuntur, tunc Chriſtiano talē veſtem geſtare non licebit, quia Chriſtianus ſi modo nō ſubſit alia cauſa moralis, geſtans talem veſtem ſe vnum ex gentibus profitebitur. ſi verò detur caſus, quód Rex infidelis in ſuo regno ſtatuat, vt Chriſtiani, qui ſunt in eius regno, tali veſte vtātur ex qua agnoſci poſſint: quæritur. *An licebit Chriſtiano non geſtare talem veſtem ob periculum vitæ.* RESPONDEO ſi talis veſtis ſolùm eſt inſtituta in ſignum, vt ab infidelibus diſcernantur, tūc licebit non geſtare. ſi autem inſtituta eſt ad profitendam fidem Catholicā tunc non licet. *Ratio* Quia eiuſmodi lex, publica authoritate ſancita, vim habet interrogationis, cui manifeſta geſtatione præceptæ veſtis, palam reſpondendum; Contrarium Sanches ſentit lib. 2. Moral. cap. 4. dicit enim *præceptam geſtationem veſtis à Rege infideli non habere vim interrogationis* nam nō eſt neceſſe, vt ſtatim ad eius interrogationem, mandatum legis Diuinæ, de profitenda fide ſubſequatur.

An tempore perſecutionis licitum ſit fugere

20. *Sed quæres.* An tempore perſecutionis licitum ſit fugere. *Reſpondeo* licitum eſſe niſi aliquæ particulares circumſtantiæ aliud ſuadeant. *Probatur.* permittunt enim Diuina eloquia Matt. 10. *ſi vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam* Et ipſe Saluator Matt. 2 *fugit Herodis ſæuitiam.* Et Ioan. 8. *Abſcondit ſe quando Iudæi volebant eum lapidare.* Et

re. Et Ioan. 11. *Fugit in deſertum.* Et Actor. 9. *D. Paul. in ſporta per murum demittitur & fugit.* & ad Hebr. 11. *Laudantur Sancti, quód in ſolitudinibus & cauernis manſerint tyrannorum crudelitatem deuitantes.* vnde fuga ſignum negationis fidem non eſt exiſtimanda, quinimmo eſt ſignũ profeſſionis, quia fugiendo profitemur nos eſſe Chriſtianos.

Obiectio. 21. *Dices* hanc perſecutionem immitti à Deo. ergo non eſſe fugiendam. *Reſpondeo* ex eo nõ ſequi quód non liceat fugere aut conari, vt crudelitas impediri poſſit, nam hoc fit à voluntate Dei, permittẽte, vt crudelitas ſæuiat, & huic nõ dare occaſionem peccandi, bonum eſt, & non damus fugiendo.

Chriſtianus ex vinculis licitè fugere poteſt. *Nota* Chriſtianus ex vinculis & carcere licitè fugere poteſt, ſiquidem Actor. 7. legim⁹, *quód D Petrus ductu Angeli ex carcere liberatus exiuit.*

Obiectio. *Sed dices.* Apoſtoli peccarunt, quia à Chriſto aufugerũt. *Reſpondeo* ſi fuga ad Iudæorum crudelitatem referatur, ſic fugiendo Apoſtoli non peccarunt: ſi verò fuga referatur ad Chriſtum, quia cum illius ignominia ſumma receſſerũt, & per hoc diffidentiam monſtrarunt, ideo peccarunt.

22. *Nota* quód ille Chriſtianus, qui ſuæ imbecillitatis eſt conſci⁹, timens ſibi ne tormentorum cruciatu victus, deſerat ſuam fidem, omnino debet aufugere, propter periculum defectionis. Qui Chriſtianus tempore perſecutionis debet fugere?

Nota ſecundò. vir ille qui Paſtoris aut Doctoris in Eccleſia fungitur officio, & in eo ſita eſt magna pars publicæ vtilitatis, quamuis de auxilio Diuino cõfidat, quód in confeſſione poſſit ſtare, tũc ſi ad mortem quæratur, & ſi ex illius abſentia nullum enorme damnum in populo aut in Eccleſia ſit ſubſecuturũ, tunc omnino aufugere debet, & ad aliorum vtilitatem ſe reſeruare. *Si autem* graue damnum ſpirituale inde ſit ſubſecuturum, tunc aufugere non debet, ſed vt bonus paſtor pro ouibus animam ſuam ponere, pernicioſum enim eſt, ſi nauta in tempeſtate nauem deſerat, quando alij abſunt, qui officium obeant. Idem de Paſtore ouilis Chriſti dicendum, qui ad officium ſuum exhibendum, & ex iuſtitia & ex charitate obligatur. 1. Ioan. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere,* vt videlicet bonum ſpirituale proximorum, bono temporalis vitæ præponatur. Paſtores & Doctores an poſſint licitè fugere?

DISPVTATIO IV.

De Eſſentia Fidei.

Octo inquirenda proponimus, quæ naturam fidei explicabunt.

1. *Quid ſit Fides?*
2. *In qua facultate animæ ſubiectiuè inexſiſtit?*
3. *An charitas ſit forma fidem perficiens?*

4. *An*

4. *An fides formata & informis ſit eadem numero?*
5. *An fides ſit virtus?*
6. *An ſit vna virtus?*
7. *Quem ordinem inter alias virtutes teneat?*
8. *An fides ſit certior ſcientiâ & aliis habitibus intellectualibus acquiſitis?*

QVÆSITVM I.
Quid ſit Fides?

Definitio fidei quæ? 1. DIco primò. *Eſt conſenſus Sanctorum Patrum, quód in illis verbis, quæ habentur ad Hebr. 11.* Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, *continetur vera & legitima definitio Fidei.* PROBATVR. quia eſt tradita per D. Paulum dictãte Spiritu S. qui quidem eſt prima veritas, & nec falli nec fallere poteſt.

Concurrentia ad Eſſentiam Fidei. *Secunda ratio.* Hæc definitio explicat Eſſentiam & naturam Fidei. Ergo eſt definitio legitima. *Antecedens.* Ad Eſſentiam Fidei hæc concurrunt: *primò* quód ſit habitus cõſtans: *ſecundò* quód ſit circa Deum: *tertiò* quód ſit ineuidens: *quartò* quód ſit certus. ſed hæc in his verbis D. Pauli includuntur. Ergo explicat Eſſentiam Fidei. PRIMVM Probatur *quód ſit conſtans habitus* ex nomine *ſubſtantia* nam per *ſubſtantiam* intelligimus ſubſiſtentiam ex Græco textu, & quód ſit Fundamentum, nam Fides eſt initium & baſis ædificij ſpiritualis. *Et hoc confirmant* verba Saluatoris, qui poſt confeſſionem factam à D. Petro his verbis; *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* ſtatim addidit; *& ſuper hanc petram,* hoc eſt, ſuper hanc confeſſionem fidei à te factam, *ædificabo Eccleſiam meam.* Per *Petram* intelligit Fidem, ergo eſt habitus firmus. & D. Aug. 2. de Trinit. cap. 17. *Reuera (inquit) domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, amando perficitur.*

2. *Nota* hoc nomen *Subſtantia*, nõ ſumitur hic, vt eſt genus generaliſſimum in Categoria Subſtantiæ, ſed vt per quãdam ſimilitudinem ſignificat id, quod eſt primum in ratione ſalutis, & vt Subſtantia inter Categorias eſt primum quid, & reliquas virtute continens, ita fides eſt primum, in ratione ſalutis reliquas virtutes, vt ſpem, charitatem, &c. virtute continens. Quomodo nomen hoc Subſtãtia in definitione ſumatur?

Secundò ad eſſentiam ſpectat fidei, quód ſit circa Deum aſſenſus, qui à nobis non poſſidetur, & hoc ſignificant hæc verba, *Rerum ſperãdarum:* inter quæ primus eſt Deus.

Tertiò ad eſſentiam fidei ſpectat, vt ſit obſcura, ineuidens, & hoc innuunt hæc verba: *Argumentum non apparentium.*

Quartò *quód ſit certus habitus*, hoc ſignificat nomen *Argumentum*, ex Græco *Elenchus*. D. Aug. appellat *Conuictionem*, quód fides facit ca-

ptiua-

ptiuare intellectum in obſequium rerum reuelatarum à prima veritate, illiſq; maiori firmitudine ob authoritatem Diuinam adhæret, quàm ſi intellectus euidenti demonſtratione, aut experientia cõuictus aſſentiretur. ergo hæc quatuor, quæ ad eſſentiam fidei ſpectant, in verbis D. Pauli habentur.

Obiectio.

3. *Sed obijcies* non benè definiri fidem *per res ſperandas*, nam ſpes eſt poſterior fide.

Reſponſio prima.

Reſpondeo primò non eſſe abſurdum, vt vnus & idem habitus ſit alio prior, & poſterior pro diuerſa ratione; in quantum v. perficit eſt prior, in quantum ab alio perficitur eſt poſterior, & ſic fides eſt prior ſpe, quia præit & prælucet ſpei, in quantum illi obiectum à ſe cognitum repræſentat, in quãtum verò ſpes firmat fidem, ſic eſt prior.

Reſponſio ſecunda.

Reſpondeo ſecundò quód fides in quantum ſubiectiuè in intellectu inexſiſtit, ita eſt quid à ſpe diſtinctum, quæ eſt in voluntate, ſed quia fides etiam à voluntate imperatur, captiuando intellectum, ideo ex ea ratione fides poteſt, attingere illorum habituum obiecta, qui ſunt in voluntate, & ſic attingit ſpei, vnde per *res ſperandas* benè definitur.

Obiectio altera.

4. *Obijcies ſecundò.* potiùs per *res amandas* fides debuit definiri, ſiquidem à charitate, quæ eſt de rebus amandis perfectionem ſumit, vt ſit meritoria vitæ æternæ. *Reſpondeo primò* meliùs fidem definiri per *res ſperandas*, quàm *per amãdas*, quia charitas eſt & præſentium & abſentiũ rerum, nam non ſolùm amicos præſentes, ſed etiam abſentes amam⁹. *Spes* verò tantùm eſt rerum abſentium, quas nec videmus nec poſſidemus, ſimiliter & Fides earundẽ eſt rerum. ergo per res ſperandas meliùs definitur.

Secundò reſpondeo quód fides alia eſt viua, v. charitate informata, alia verò eſt mortua & informis, cum qua nullo modo charitas conſiſtit, ſpes autem tam viua quàm mortua, fidei coniuncta eſt, nec vnquam ab illa ſeparatur.

Falſum Dictum Eraſmi de definitione Fidei.

5. Dico ſecundò. *Falſum & temerarium eſt Dictum Eraſmi, qui ſupra Caput 11 ad Hebr. ſcribens negat in his verbis contineri veram fidei definitionem, ſed ſolùm dicit eſſe encomium, ſeu laudationem eiuſdem fidei.* ſed nos quidem non negamus in eo Capite Apoſtolum laudare fidẽ, ſed dicimus quód eandem priùs Quid ſit definit? & ſic SS. Patres interpretantur, vt D. Aug. Tract. 79. ſuper Ioannem, D. Hieron. in 5. Caput ad Galat. D. Bernard. epiſt. 190. & D. Thom. hic art. 1. Et his tantis Doctoribus velle contrauenire eſt profectò temerarium. *Addo tamen* quod ſi ipſa verba Apoſtoli ſpectemus ſtrictè ſumendo definitionem, vt ex genere & differentia conſtat, dico non eſſe propriè definitionẽ. ſed ſi rem ſignificatam his verbis conſideremus, dico eſſe veram & propriam (vt iam in ſecunda ratione deduximus) vnde hæc definitio in talem formam à D. Th redigitur: *Fides eſt habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis, faciẽs intellectum aſſentire non apparentibus.*

Quid eſt fides?

Nota quód D. Bonau. putat, hãc definitionem, ſoli fidei formatæ per charitatem conuenire. ſed dicimus, quód etiam informi conueniat, nam fides etiam informis eſt inchoatio rerum ſperandarum.

QVÆSI-

QVÆSITVM II.

An Fides ſit ſubiectiuè in intellectu?

Fides quomodo in intellectu?

6. AD Quæſitum dico primò *Fides & ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & ſecundùm actum credendi conſiderata, eſt in intellectu vti in ſubiecto.* PROBATVR ex Dicto præcedenti, nam fides dicitur eſſe *Elenchus, Argumentum.* ſed Elenchus ſeu conuictio per rationẽ ad intellectũ ſpectat, *tum* & argumentari ſolius eſt intellect⁹: & id quod apparet aut non apparet non dicitur reſpectu voluntatis, ſed ſolũ intellect⁹. *Tum* dicitur eſſe *ſubſtantia rerũ ſperandarũ,* ſed hæc non alia eſt niſi cognitio intellectus, quæ antecedit voluntatis operationes, *nihil enim volitum niſi præcognitum.* ergo fides eſt in intellectu. & ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula.* ergo ſi fide intelligimus, fides eſt in intellectu. *Et ratio eſt.* Credere eſt actus intellectus, quia actus credendi obiectum eſt verum, quod quidem verum eſt etiam obiectum intellect⁹. ergo in intellectu inexſiſtit.

Vt actus Fidei ſit perfectus quid requiratur?

7. DICO ſecundò. *Vt actus fidei ſit perfectus, neceſſe eſt, vt tam in intellectu quàm in voluntate ſit aliquis habitus.* PROBATVR ratione D. Th. quando aliquid à duobus principijs procedit, illud ipſum vt ſit perfectum, oportet vt illa duo principia ſint perfecta, per aliquem habitum. ſed aſſenſus fidei procedit ab intellectu, ſecundùm quod à voluntate mouetur. ergo vtrũq; principium debet eſſe perfectum, vt etiam ipſe actus ſit perfectus. Per hunc habitum, qui intellectum & voluntatẽ perficit, vult eſſe D. Th. habitum charitatis, quem quidem non ad qualemcunq; actum fidei requirit, ſed qui ſit omnibus numeris abſolutus, talis autem eſt charitate informatus, cùm ſit meritorius vitæ æternæ.

Quidam putant quód hic habitus, eſt quædam pia & ſupernaturalis affectio, & inclinatio voluntatis erga primam veritatem, quâ mouetur, vt ob illius reuerentiam firmiſſimè aſſentiatur obſcuris & non apparentibus: & hoc colligunt ex illis verbis ad Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus*: hoc eſt, datur per auxilium gratiæ, ad obediendum fidei, pia quædam inclinatio.

8 *Sed inſtat* Scotus *in 3. diſt. 25. quæſt. 2.* contra ſententiam D. Th. probans ad aſſenſum fidei non requiri in voluntate habitum charitatis. *Ratio eius.* dato quód voluntas mouet intellectum ad credendum, dicit ad hoc ſufficere ipſam diſpoſitionem in intellectu, per habitum fidei inclinantem ipſum intellectum ad credendum, quemadmodum in ſerra ſufficit acuties ad ſecandum, & in ipſa virtute mo- Obiectio Scoti.

 tiua

tiua ſufficit ipſa virt⁹ motiua, abſque alio ſuperaddito.

Reſponſio ad eam.

Reſpondeo cum Caiet. hoc Argumentum Scoti, & alia ſolùm probare, ad perfectionem propriam aſſenſus fidei, non requiri charitatem, ſed ad actum fidei perfectum, & qui ex ſua perfectione ſit vitæ æternæ meritorius, requirit charitatem. nam teſte D. Aug lib. 15. de Trinit. cap 18. *ipſam fidem non facit vtilem niſi charitas.*

Caiet ſic breuiùs reſpondet. aliud eſt credere, & aliud *virtuosè credere*, ad credendum ergo ſufficit voluntas ſine charitate, ſed ad credendū virtuosè requiritur, vt voluntas ſit charitate perfecta: ſicut etiam aliud eſt ſecare, & aliud benè ſecare, ad ſecandum, ſufficit acuties, ſed ad benè ſecandum non ſolùm acies in ſecuri, ſed etiam ars, tanquam habitus & perfectio in agente principali requiritur.

Corollaria duo.

Ex quo collige duo primò quód poſſit eſſe actus fidei v aſſenſus rebus obſcuris ſine charitate: *ſecundò* quód actus fidei vt ſit virtuoſus, hoc eſt meritorius, requirit & in intellectu, & in volūtate, habitum charitatis.

Quomodo fides ſit in intellectu ſpeculatiuo

9. Dico tertiò cum D. Th. in ſolutione ad tertium. *Si ſpectemus obiectum fidei primarium & adæquatū, quod quidem eſt Deus cum ſuis perfectionibus conſideratus, dico quod fides non in intellectu practico, ſed ſpeculatiuo reponitur.* PROBATVR. Intellectus practicus eſt proxima regula mandās aliquid operationi ſed Deus non eſt quid operabile, quia Deus nihil à creatura pati, aut accipere poteſt ergo eſt in intellectu ſpeculatiuo. *Ratio ſecunda.* multa ſunt particularia obiecta noſtræ fidei, quæ nobis non ad operandum ſolùm, ſed ad cognoſcendùm proponuntur, vt de Deo quód ſit vnus & trinus, de Angelis, de mundi creatione, de vnione hypoſtatica, de animæ immortalitate. ergo vt ſic fides eſt in intellectu ſpeculatiuo.

Quomodo in intellectū practico

Si verò illud ipſum obiectum adæquatum fidei conſideretur non in ſe præcisè, ſe quoad nos, & in quantum in hac vita à nobis cognoſcitur, ſic iam ad intellectū practicum ſpectabit. PROBATVR. Fides enim fidelibus ideo infunditur, vt illorum actiones dirigere poſſit, ad mandata Dei ſeruanda, ad iuſtificationem, & ad vitam æternā conſequendam. *Deinde* quia fides non ſolùm repræſentat nobis Deū, in ratione obiecti, ſed etiam in ratione finis, ad quem conſequendū, operationes Diuinis mandatis cōformes ſunt medium. ergo quoad nos fides in intellectu practico.

Præterea tempus huius vitæ magis ordinatur ad operandum, quàm ad conſequendum, non enim auditores ſed factores legis ſaluabuntur. *Tum* quia plurima ſunt fidei noſtræ particularia obiecta, quæ prorſus ad praxim ordinantur, vt de actibus humanis, de vltimo fine, de habitibus, de peccatis, de legibus, de gratia, de merito, de iuſtificatione, & his ſimilia.

In quo intellectu ſit magis fides?

10. *Sed quæres.* in quonam intellectu magis ſit fides? *Reſpondeo* per ſe primariò magis eſt in ſpeculatiuo, per ſe ſecundariò eſt in practico. RATIO. verum practiçum eſt poſterius quàm ſpeculatiuum, quia ſpeculatiuum eſt ſimplicius & abſtractius vero practico, quod executionem concernit.

Nota

Intellectus ſpeculatiuus & Practicus inter ſe non differunt.

Nota. Intellectus Speculatiuus & Practicus, non differunt inter ſe realiter, neq; vt vna potentia ab alia, ſed ſunt vna & eadem numero potentia. ſed conſiderata ſecūdùm diuerſas operandi rationes obiectiuas, ſic dicitur eſſe *Speculatiuus*, in quantum refertur ad ſpeculandum, *Practicus* verò in quantū in rebus operabilibus verſatur.

QVÆSITVM III.
An Charitas ſit Forma Fidei?

Quomodo Charitas ſit forma fidei?

11. DIco primò. *Charitas eſt quidem formaFidei, ſed non eſt intrinſeca eo modo, ſicut anima eſt forma intrinſeca & eſſentialis corpori.* PROBATVR. Forma ſeu ratio eſſentialis conſtitutiua fidei eſt veritas prima reuelans obſcura. ſed fides vt ſic differt à charitate ergo charitas non eſt fidei forma eſſentialis. *Deinde* ſpecies, quæ in ſua ratione eſt completa, non poteſt eſſe completiua alteri⁹ ſpeciei, nam aliàs ſic completum non eſſet Ens per ſe ſed per accidens, nam componeretur ex duobus in actu completo exiſtentib⁹. ſed charitas eſt ſpecie diſtincta à fide. ergo non eſt illius intrinſeca forma.

Charitas eſt forma fidei extrinſeca metaphorica.

12. Dico ſecundò. *Charitas eſt forma fidei extrinſeca metaphorica, & ſecundùm quandam analogiam ad formam propriè dictam, cuius eſt perficere ſubiectum in quo eſt* PROBATVR Iacobi 2. *Sicut corpus ſine ſpiritu eſt mortuū, ita fides ſine operibus v. charitatis mortua eſt.* ſed ſpiritus vt forma propriè dicta perficit corpus. ergo & charitas per analogiam ad propriè dictam formam perficiet fidem, vt non ſit mortua.

Ratio ſecunda. 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, & D. Aug. 15. de Trinit. cap. 18. dicit, *fidem ſine charitate eſſe poſſe, ſed prodeſſe non poſſe.* Perficere enim eſt proprium formæ: ſed charitas perficit fidem, non vt intrinſeca forma. ergo vt extrinſeca, nam facit vt actus fidei ex charitate prodeūtes ſint meritorij, & quidem de cōdigno.

Quomodo intelligēdū charitatem eſſe formā extrinſecā fidei?

13. Dico tertiò. *Cùm dicimus quód charitas ſit forma extrinſeca fidei, non intelligas talem eſſe qualis eſt albedo in cygno.* PROBATVR. quia quælibet forma ſic inhærens de ſuo ſubiecto prædicatur, vt *cygnus eſt albus, coruus eſt niger.* ſed non dicim⁹ quód *fides ſit formaliter chara. Ratio ſecunda.* quia omnis forma vt ſic recepta eſt in ſubiecto inhæſionis, quód de charitate dici non debet, quaſi hæc in fide ſubiectetur, cùm illius ſubiectum ſit voluntas erit igitur charitas forma moralis fidei, quia hæc actus credendi in Deum, tanquam in vltimum finem ordinat & facit, vt hic vltimus finis ſit merces actuum, qui in illum ordinātur.

QVÆSITVM IV.
An Fides ſeparata à charitate ſit vera Fides, & an hæc talis fides poſſit eſſe formata?

Fides infor mis & mortua quæ? 14. DIco primò. *Datur Fides ſeparata à Charitate, quæ quidem dicitur informis & mortua, ob peccatum mortale.* PROBATVR. 1. Corint: 13. Apoſtolus apertè affirmat fidem maximam poſſe in aliquo reperiri, quæ tamen nihil prodeſt, dicit enim *ſi fidem omnem habuero, ita vt montes transferam, charitatē autē non habuero nihil mihi prodeſt,* Et non dicit Apoſtolus *nullam eſſe,* ſed ſolùm dicit *quód non prodeſt.* ergo Fides datur ſine charitate.

Deinde. Ioan: 12. dicuntur non nulli Iudæorum crediꝺiſſe in Chriſtum, & hi hanc fidem non profitebantur, & mortaliter peccabant ob vanam gloriam. ergo in illis erat fides ſine operibus charitatis. *Tum* quælibet diſpoſitio ordinata ad formam, ſiquidem ſaltem natura eſt prior in ſubiecto, quàm forma, poteſt illa ipſa diſpoſitio ſeparari à forma. ſed Fides eſt quædam diſpoſitio ad charitatem, nam eſt initium iuſtificationis & ſalutis. ergo à charitate ſeparari poteſt. *Præterea.* Quando ſunt duo tales habitus, quorum neuter eſt de ſubſtantia alterius, illi ad inuicem ſeparari poſſunt. ſed fides & charitas ſunt tales habitus, quód neuter ſit de ſubſtantia alterius, nam ſunt in diſtinctis, fides enim eſt in intellectu, charitas in voluntate, & fides ordine naturæ antecedit charitatem. ergo datur fides ſeparata à charitate.

15. *Contrarium* vrgent Hæretici dicentes *nullam dari fidem mortuam,* ideo quia ſola fides ſine operibus iuſtificat. ſed contra hoc. Error Hæreticorum

Dicimus *totum hoc doctrinæ Euangelij contrarium eſſe*, docet enim in extremo iudicio vocandos eſſe iuſtos, qui & fidem & bona opera habuerunt, & hi paratū ſibi ab æterno regnum poſſidebunt: demum & illi vocabuntur, qui fidem habuerunt ſed ſine operibus, & hi ablegabuntur in ignem æternum paratum diabolo & Angelis eius, ergo datur fides ſine operibus. *Deinde* ſi fides per ſe eſt ſufficiens ad ſalutē. Ergo omnes fideles in Eccleſia exſiſtentes ſunt iuſti. ergo nulli ſunt mali. ſed hoc falſum ſiquidem regnum cælorum v. Eccleſia militãs comparatur *primo* decem virginibus quarum quinque erant prudētes, quinque autem fatuæ. *ſecundò* comparatur eadem Eccleſia Sagenæ miſſæ in mare, quam cùm extraxerūt, bonos colligunt in vaſa, malos autem foras proijciunt. *Tertio* comparatur Agro, in quo frumentum & zizania creſcunt. ergo in Eccleſia ſunt boni ob fidē viuam, ſunt & mali ob mortuam.

Sed

Obiectio. *Sed obijcies.* Charitatem eſſe formam fidei (vt ſuperiùs oſtendimus) ſed non eſt poſſibile rem aliquam, ſine ſua forma poſſe exſiſtere. ergo fides ſine charitate non datur. *Reſpondeo* nos antea determinaſſe Charitatem, eſſe formam fidei non ſubſtantialiter, nec phyſicè in genere Entis, quoad illius Entitatem ſeu Quidditatem, ſed ſolùm moraliter & in ratione meriti, ſiquidem vt aliæ virtutes ita & Fides à Charitate ſumit perfectionem vt poſſit promereri vitam æternam.

Fides ſeparata à charitate eſt vera fides. 16. Dico ſecundò. *Fides ſeparata à charitate eſt vera fides,* PROBATVR. Concil: Trid. ſeſſ: 6. cap. 15. can. 28. *Siquis dixerit, amiſſâ per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet non eſſe veram fidem, licet non ſit viua, anathema ſit.*

Fides per Peccatum mortale nō tollitur. *Ex quo collige* per quodlibet peccatum mortale amitti gratiam & charitatem, ſed fidem manere & quidem veram.

Ratio ſecunda. Fides mortua ſubſtantialiter & phyſicè eſt habitus intellectū diſponens, vt poſſit elicere actum credendi circa quemuis Articulum fidei, qui in ratione certitudinis, & infallibilitatis ſit perfectiſſimus, & qui ſaltem de congruo habeat ordinem ad vitam æternam. ergo mortua fides eſt vera fides.

Ratio Tertia. Ariſtoteles 6. *Ethic cap 1.* ſcientias vocat virtutes licet ab illis nemo dicatur eſſe bonus. ergo multò magis fides mortua dicēda virtus, cum ſit de obiecto longè nobiliori v. de Deo quàm quiuis habitus acquiſitus. *Ratio quarta.* ſicut puer cum viro eſt eiuſdem naturæ humanæ, quamuis puer non poſſit dici vir, quia eum ſtatum perfectionis, quem ſignificat nomen *viri* in ætate humana non attigit: ita fides mortua & viua, ſunt prorſus eiuſdem naturæ in ratione fidei, quamuis mortua ſtricto nomine *virtutū* ſumpto, inquantum ſignificat perfectionis ſtatum, ex adiuncta charitate, non poſſit dici virtus viua, ſed eiuſdem tamen eſt naturæ & informis & viua fides.

17. Dico tertiò. *Fides informis & formata ſunt eadem ſpecie fides.* PROBATVR. Diſtinctio fidei formatæ & informis eſt penes id, quod ad voluntatē ſpectat, id eſt ſecundùm charitatem, & non eſt ſecundùm id, quod pertinet ad intellectum. ergo idem ſpecie ſunt habitus. *Sequela.* quia habitus diuerſificantur ſecundùm id, quod pertinet per ſe ad habitum. ſed per ſe ad habitum fidei, qui eſt in intellectu non pertinet charitas, quæ eſt in voluntate. ergo diſtinctio ſecundùm charitatem non conſtituit diuerſas ſpecies formatam & informem fidem. *Declaratur ſecundò* ex parabola decem virginum, vbi lampas plena oleo ſignificat fidem formatam, deſtituta vero oleo ſignificat informem. ſed ſiue lampas ſit plena oleo ſiue non, eſt vna & eadem lampas. ergo & fides ſiue habeat charitatem cum bonis operibus ſiue non, eſt vna ſpecie fides. Fides informis & Formata ſunt eadē ſpecie

Probatur tertiò Iacobi 2. Fides informis comparatur corpori mortuo, & formata comparatur corpori vegetato ab anima. atqui idē eſt corpus ſiue ab anima vegetetur ſiue non. ergo & fides ſiue ſit formata ſiue informis, eſt vna ſpecie fides. *Deniq;* charitas (vt ſupra oſten-

oſtendimus) eſt forma extrinſeca exiſtens in eodem ſuppoſito cum habitu fidei, ita quód fides ordine generationis eſt prior charitate. ergo fides ſine charitate, & cum charitate eadem eſt ſpecie & numero.

Ex quo collige quód ex fide informi poteſt eſſe formata, ſi id quod formatam conſtituit v. charitatem addiderimus. id innuit Gloſſa quãdo ad verba Iacobi 2. *Fides ſine operibus mortua*, addit *quibus reuiuiſcit*.

Fides informis poteſt eſſe formata

QVÆSITVM V.
An Fides ſit virtus?

Virtus ſumitur largè & ſtrictè.

18. NEgat Duran. *in 3. diſtin. 23. q. 6.* docet enim quód virtus dupliciter ſumatur, *primò* largè ſiue in communi, pro quocunq; habitu laudabili, inclinante Potentiam ad actum bonũ: *ſecundò* ſtrictè pro habitu conſtituente potentiam, in vltimo perfectionis debitæ ſuo actui Dicit itaque quód tam formata, quàm informis fides priori modo eſt virtus, ſed ſecundo modo vtramq; negat eſſe virtutem. *Ratio eius*: quia vtraq; fides, non habet vltimam perfectionem requiſitam ad intellectum, v. euidentiam. Contrarium ſentit hic S. Doct. Magiſter Sent. *in 3. diſt. 23.* Alb. mag Rich. D Bonau. ibidem. Pro determinatione

Fides formata eſt virtus.

19. Dico primò. *Fides formata eſt virtus.* PROBATVR Fides formata eſt habitus, cuius actus ſemper eſt bonus, nam infallibiliter tendit in obiectum intellectus, v. in verum, & in obiectum voluntatis v. in vltimum finem. ergo fides formata eſt virtus. *Confirmatur.* Quia credere eſt actus intellectus qui ex imperio voluntatis veritati reuelatæ aſſentitur. *Vnde* ad hunc actum duo concurrere debent. *primò* vt intellectus infallibiliter in ſuum verum moueatur. *ſecundò* vt ex imperio voluntatis ordinetur ad vltimum finem, qui eſt prima veritas, & ob hũc propoſitum etiã moueat intellectum ad aſſentiendũ, quód vtrumq; cũ ſit in fide formata, ergo fides formata eſt virtus.

Fides informis non eſt virtus.

20. Dico ſecundò cum S D. *Fides informis non eſt virtus.* PROBATVR. Actus fidei informis, non habet perfectionem debitam ex parte voluntatis, v. charitatem, per quam ordinetur ad vitam æternam. ergo non eſt virtus.

Sed inſtabis. Tres communiter ſunt virtutes Theologicæ Fides, Spes, Charitas, & ſi à charitate ratio virtutis ſumitur, quomodo aliæ v. Spes & Fides erunt virtutes. Pro reſponſione.

Nota primò, virtus Theologica illa cenſetur eſſe, quæ ſuam ſummam perfectionem ſumit in quantum ad conſequendam beatitudinem ordinatur, vnde nulla eſt apud Theologos virtus, niſi in quantum habet valorem meriti ad vitam æternam.

Nota

Virtus quælibet dupliciter conſiderari poteſt.

Nota ſecundò Quælibet virtus duplicitei conſiderari poteſt. *primò* ſecundùm ſuam Eſſentiam ſpecificam *ſecundò* in quantum vltra ſuam eſſentiam ſpecificam, habet virtutis ſtatum, & perfectionem in eo conſiſtentem, quód valeat ad conſequēdam vltimam beatitudinem. Vnde hoc ſuppoſito.

Quomodo fides informis ſit virt.?

21. Dico *Fides informis conſiderata ſecundum ſuam eſſentiam ſpecificam eſt virtus.* Et hoc non negat D. Th. qui in reſponſione *ad 3. art. 5 hic q.* 4. ſolùm à fide informi remouet perfectionem virtutis, quæ eſt vltra eſſentiam ſpecificam. ſed conſiderata fides informis, quoad perfectionem ſuperadditā, perquam ordinatur ad vitam æternam, ſic iam non erit virtus.

Obiectio Durandi.

Sed obijcit Dur. Actui credendi, ſiue informi ſiue formatæ fidei deeſſe euidentiam, quæ eſt vltima & maxima perfectio intellectus.

Reſponſio ad eam prima.

Reſpondeo in ſtatu præſentis vitæ non eſſe exigendam talem perfectionē, qualis eſt in patria, vbi videbimus eum ſicuti eſt cùm apparuerit, ſed ſufficit talis, qualis in hac vita mortali ſecundùm ſuam perfectionem haberi poteſt, & in quantum conuenit ſtatui viatoris, vt enim lumen luce nę in tenebris illuminat aërem, quem ſole exoriente iam nō illuſtrat: ita fides nunc eſt tanquā lucerna in loco caliginoſo lucens, addens multum perfectionis intellectui, ad Diuina myſteria cognoſcenda, donec illuceſcat dies.

Reſponſio ſecunda.

Reſpondeo ſecundò hanc ineuidentiam, quæ eſt circa obiectum fidei non ſolùm non impedire virtutis perfectionē, ſed ex ea pendere rationem merendi, nam ob Diuinam teſtificationē, inclinat intellectiuā potentiam, vt non apparentibus firmiter aſſentiatur.

Fides abſolutè conſiderata eſt virtus.

22. *Ex quo inferimus* quód fides abſolutè conſiderata, quoad ſuam eſſentiam eſt virtus. ex 1. 2dæ q. 15. *Virtus facit habentem bonum,* & talis eſt fides, nam eſt initium iuſtificationis & ſalutis. *Item* reddit laudabilem eum, in quo eſt, quia ei tribuit ius ad vitam æternam. *Tum* quia in eadem fide eſt ſpecialis honeſtas, & in eius actibus. vnde fides mortua erit virtus, ſic abſolutè, quia habet in ſe eam perfectionē, quæ deſideratur in fide. v. quia ex imperio voluntatis & pio affectu, ab intellectu elicietur: ſed ſtrictè ſumendo nomen *virtutis* (vt hic S. Doct. ſumit,) in quātum ex adiūcta charitate ſumit perfectionem, vt Deo placeat, & vitam æternam promereatur, hoc modo fides formata eſt ſola virtus.

QVÆSITVM VI.
An Fides ſit vna ſpecie?

Fides ſumpta pro habitu quo credimus eſt vna ſpecie.

23. AD Quæſitū dico primò. *Fides ſumpta pro habitu quo credimus eſt vna ſpecie.* PROBATVR. ad Epheſ. 4. *Vnus Deus, vna fides.* 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei.* quæ loca & alia Scripturæ vnam & eandem ſpecie fidem aſſerunt.

aſſerunt. *Et ratio eſt.* obiectum fidei tam formale, quàm materiale, eſt vnum ſpecie. ergo fides eſt vna ſpecie. *Antecedens.* Obiectum formale *ſub quo* credimus, eſt Diuina & ſupernaturalis reuelatio, ſed hęc eſt vnius ſpeciei, quia ſub hac vna ratione formali, omnes Articulos fidei credimus. ſimiliter obiectum materiale adæquatum eſt DEVS, & ſecundariò ſunt alia particularia, quæ quidem in Deum ordinantur. ſed DEVS eſt vnum quid, maximè & realiter per ſe. ergo tam formale quàm materiale obiectum fidei, eſt vnum ſpecie. vnde colligimus Iudæorum & noſtram iam fidem eandem eſſe ſpecie, tam formaliter quàm materialiter, quia circa idē obiectum formale, nimirum circa reuelationem, & circa materiale v. circa Deum verſatur. ſolùm in hoc differt, quód Iudæi credebant futura, nos autem iam præterita, vt Incarnationem, paſſionem, & Iudæi multa credebant implicitè, nos autem explicitè: ſed hæ differentiæ ſunt accidentales. vnde vna eſt ſpecifica & eſſentialis ratio fidei, & noſtra & Iudæorum. Id colligimus ex 2. Corinth. 10. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundē potum ſpiritualem biberunt.* Per hanc manducationem, non ſolùm illam intelligit, quæ erat inter Iudæos, ſed etiam quæ illis nobiſcum quoad fidem & cōmunionem ſpiritualem eſt communis: namque illis in figura cōtingebant, hæc nos iam explicitè & credimus, & illis realiter fruimur.

Fides Iudæorum & noſtra quomodo differunt?

Obiectio prima.

24. *Sed obijcies* Fides viua differt ſpecie à mortua. ergo non eſt vna ſpecie fides. *Reſpondeo* hanc differentiam eſſe quidem ſpecificā, ſed non eſſentialem, ſed ſolùm eſſe accidentariam, nam quamuis charitas, ſit de ratione fidei formatæ in ratione meriti & condigni, nihilominus (vt præcedenti Quæſito docuimus) per modum accidentis hoc illi contingit.

Obiectio ſecunda.

Obijcies ſecundò in ſcientijs naturalibus, ſunt diuerſi habitus partiales, quia diuerſa obiecta particularia, & quia diuerſæ ſunt demonſtrationes. ergo cùm in fide ſint diuerſi Articuli, etiam habitus fidei erunt diuerſi. *Reſpondeo* omnino poſſe cōcedi, diuerſos eſſe habitus fidei particularis materialiter, in quantum v. per diuerſas actiones, & realiter diſtinctas, ſingula myſteria fidei cognoſcimus. Sed ſumpta fides vt eſt habitus virtutis, tunc dicimus, quód vna tantùm eſt fides habitualis, ad omnia myſteria & Articulos, quos credimus, nam vna eſt & indiuiſibilis ratio credendi, nimirū authoritas Dei reuelantis *ſub qua,* & ob quā omnia particularia myſteria fidei credim⁹. Et hoc in ſcientijs naturalibus locum non habet, nam aliæ ſunt rationes Phyſicorum, quibus inducti Concluſionibus, vel de cælo, vel de elemētis aſſentimur.

Fides quomodo augeri poſſit?

Nota poſſe quidem fidem augeri intenſiuè ratione graduum, ſed nō extenſiuè vt refertur ad obiecta fidei, vna enim eſt fidei extenſio, quę ad omnia obiecta refert ſe, & ſub qua omnia myſteria fidei credim⁹, fieri tamen poteſt, vt quod ante implicitè credidimus, iam nunc explicitè credamus, vna tamen eſt ratio fidei habitualis ſub qua, & omnia

omnia credimus, v. reuelatio Diuina.

Habitus fidei in vnoquoq; fideli per ſe ſumptus eſt vnꝰ

25. Dico ſecundò. *Habitus fidei in vnoquoq; fideli per ſe ſumptus eſt vnus.* PROBATVR. Fides enim habitualis, quæ vnicuiq; per Baptiſmum infūditur, non infunditur ad præbendum aſſenſum vni Articulo, ſed omnibus, neq; ad vnum actum credendi, ſed ad omnes quicunq; aliquando ſunt futuri, nec ſolùm circa obiectum primarium, ſed etiam circa omnia particularia verſatur. ergo in vnoquoq; fideli habitus fidei eſt vnus. *Deinde* quia vnica eſt ratio formalis, ob quam infunditur habitus fidei, vt his quæ Deus dixerit, aut per reuelationem credenda propoſuerit aſſentiamus.

Fides quomodo ſit numero differens?

Illud hic nota quód fides in quantum eſt in diuerſis ſuppoſitis fidelium, eſt numero differens. *Probatur* nam fides eſt accidens, quodlibet autem accidens ſumit numericam differentiam à ſubiecto. *Tum* impoſſibile eſt, vt idem accidens numero ſit in diuerſis ſubiectis.

QVÆSITVM VII.

An Fides ſit prima inter alias virtutes?

26. PRæſens difficultas nō extendit ſe ad virtutes intellectuales, nec ad morales, nam hæ in multis Ethnicis exſtiterunt, qui omni doctrina floruerunt, & illorum actiones verſabantur, cum debita rectitudine circa finem naturali lumine cognitum, in quibus tamen nullum fidei lumen luxit. ergo hi habitus virtutum tam intellectuales quàm morales ordine temporis ſunt priores. ſed interim loquimur de virtutibus infuſis, v. de Fide, Spe, Charitate, Pro determinatione dico tria.

Quomodo Fides ſit prima inter virtutes Theologicas?

27. Dico primò. *Loquendo per ſe fides eſt prima inter alias virtutes infuſas* PROBATVR. Fides eſt ſubſtantia ſeu fundamentum rerum ſperandarum. ſed fundamentum eſt priꝰ pariete, quem ſpes erigit, & tecto quod charitas contegit. ergo & fides prior eſt ſpe & charitate. *Item* fides inter alias primo loco numeratur. 1. Corinth. 13. *Nunc autem manet fides, ſpes, charitas.* & Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 8. *Fides eſt initium & radix iuſtificationis. Accedit ratio S. Doct.* Illæ virtutes quę proximè verſantur circa vltimū finē, ſunt priores illis virtutibus, quæ verſantur circa media, quæ faciunt ad illū finē, nam in agibilibus finis vltimꝰ eſt primum principium, quia eſt primò in intenſione. ſed fides, ſpes, charitas proximè verſantur circa Deum, tanquam circa finem vltimum. ergo reliquis virtutibus acquiſitis ſunt priores: ſed finis vltimus priùs eſſe debet in intellectu, & ab eo debet cognoſci priuſquàm poſſit à voluntate, aut ſperari, aut amari. ſed fide quæ eſt in intelle-

ctu, apprehendimus vltimum finem. ergo fides eſt prima inter alias Theologicas virtutes.

Quomodo aliqua virtus poſſit eſſe prior fide?

28. Dico ſecundò. *Loquendo per accidens, poteſt aliqua virtus eſſe prior fide*, vt in eo qui vocatur ad fidem, ſi eſt ſuperbia aut timor, Deus ergo præueniente ſua gratia, infundit humilitatem, quæ ſuperbiã aufert, infundit fortitudinem, quæ timorem pellit, vt tantò expeditiùs & alacriùs fidem ſuſcipiat. vnde humilitas & fortitudo, videntur fidei infuſionem præcedere, ſ. in ratione diſpoſitionis, & in quantũ remouent impedimenta credendi, Fides tamen & illius actus ſimpliciter eſt prior, in ratione obiecti & directionis.

29. Dico tertiò. *Loquendo autem de prioritate dignitatis, ita charitas inter alias virtutes eſt prior* 1. Corint: 13, *nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas*. Quod autem loquatur Apoſtolus de maioritate dignitatis cap. 12. explicat *excellentiorem viam vobis demonſtro ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*. Et ad Coloſſ: 3. *ſuper omnia autem habete charitatem, quod eſt vinculum perfectionis*. ſed hac vna excepta charitate in ratione dignitatis, ſimpliciter Fides eſt prior, nam eſt circa finem qui primò cognoſci debet, & quia eſt fundamentum ædificij ſpiritualis, tum quia eſt cauſa aliarum virtutũ, non quidem efficiens, ſed materialis, vt eſt corpus reſpectu Spiritus, ita fides reſpectu charitatis.

Quomodo charitas ſit prior cæteris virtutibus Theologicis?

QVÆSITVM VIII.

Quam certitudinem habet Fides reſpectu Scientiæ & aliorum habituum intellectualium?

30. IN hoc Quæſito cõparauimus Fidem, quoad certitudinem cum habitibus intellectualibus ſpeculatiuis, ſunt autem hi tres Sapientia, Intellectus, Scientia, quos D. Th. 1. 2dæ q. 52. explicat.

Certitudo duplex eſt

Nota. Certitudo eſt duplex, *quædam eſt ex parte cauſæ* nam illud certius dicimus, quod cauſam certiorem addit, ſiue quod ſuperat certitudine luminis aut medij. *quædam verò ex parte ſubiecti*, illud enim certius dicimus eſſe, quod pleniùs intellectus hominis cognoſcit, ſiue cuius medium, aut aliud quod ſubit vicem medij perfectiùs intellectus hominis penetrat. vnde illa certitudo, quæ eſt ex cauſa eſt magis abſoluta, quàm quæ eſt ex parte ſubiecti. Quia vnumquodque ſimpliciter ſecũdùm ſuam cauſam iudicatur, illud verò quod ex diſpoſitione ſubiecti intelligentis iudicatur, ſolum eſt ſecundùm Quid. Ad quæſitum dico tria.

31. Dico primo. *Fides Theologica ſimpliciter ſumpta, eſt certior ſcientiâ & omnibus habitibus intellectualibus*. Ita tenet D. Th. *hic qu. 4. art. 8.* & D. Bonau.

Fides Theologica ſimpliciter eſt certior ſcientia & alijs habitibus intellectualibus.

nau. *Scotus, Rich: in 3. diſt. 23.* PROBATVR. locis Scripturæ Matt. 24. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ex quo argumentor. Cælum & terra ſunt res maximę certæ & neceſſariæ. Sed hæ cõparatæ ad verbum Dei, ſunt defecturæ & deſituræ, Fides autem quę per verbum Dei traditur, non pertranſibit. ergo certitudine cælum & terram ſuperat. Et ad Galat. 1. *Licet Angelus euangelizet de cælo vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Ex quo arguo. tanta debet eſſe firmitas aſſenſus & adhæſionis in his, quæ ſunt fidei iam nobis reuelatæ & propoſitæ, vt ab ea nulla poteſtas aut authoritas, etiam de cælo veniens, nos commouere aut abducere poſſit. ergo Fidei ſumma certitudo.

Ratio tertia 2. Corint: 10 *In captiuitatem redigentes omnem intellectũ in obſequium Chriſti.* hoc eſt. Fidei certitudo in intellectu per lumen fidei illuminato tanta eſt, vt intellectus ſe ipſum vincat, & libenter captiuet omnem euidentiam, & rationes abnegando, quæ videntur aduerſari fidei modo vt firmiſſimè illi adhæreat.

Ratio quarta. *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt.* Atqui portarum inferi arma, ſunt rationes ex lumine naturali petitæ, quibus hanc petram ſcilicet certitudinem fidei, euerſam eſſe volunt. ſed Chriſti ſunt verba. Quia *non præualebunt.* ergo fides certior eſt rationibus naturalibus.

Ratio quinta. 1. ad Theſſal: 2 *cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum humanum, ſed ſicut verè eſt verbum Dei.* Et 1. Ioan: 5. dicitur. *Teſtimonium Dei.* ſed verbum Dei, & ſcientia Dei, & Teſtimonium Dei, ſunt certiora quacunq; cognitione, quæ aut per ſenſum aut per experientiam aut per ratiocinationem habetur.

32. *Idem aſſerunt* SS. Patres D. Baſil: Epiſt: 43. *In myſterijs Diuinis potior eſt Fides comprehenſione rationum.* Idem ad Pſal: 115. *neq; enim Fides Geometricis probationibus nititur, quas neceſſitates vocant, ſed animis noſtris ſeſe inſinuat efficaci Spiritus S. operatione.* Et D. Chriſoſt: Homil. 12. in Epiſt: ad Hebræos. *Non debet dici fides niſi homo maiorem certitudinem habeat quàm eſt circa ea, quæ videntur.* Et Rich: de S. Vict: lib. 1 de Trin: cap. 2 *Quotquot veraciter fideles ſumus, nihil conſtantius. nihil certius tenemus, quàm quod fide tenemus.* PROBATVR *Rationibus.* Certitudo Fidei & illius firmiſſimus aſſenſus in eo fundatur, quòd ſit illius veritas à prima veritate infallibili v. à Deo reuelata & teſtificata. Ergo in certitudine vincit ſcientiam & reliquos habitus intellectuales. *conſequentia.* Quia hi nituntur in veritate & ratione humana per lumen naturale. *Confirmatur.* ſicut ſe habet Deus ad ſuum *eſſe*, ita ſe habet ad ſuam ſcientiam & reuelationem. ſed Deus in ſuo *eſſe* habet ſe neceſſariò. ergo & ſcientia illius neceſſaria. ergo & reuelatio per eum facta neceſſariò. ſed nulla cauſa, & nullũ medium habituum intellectualium comparari poteſt, cum certitudine & neceſſitate *eſſe* ipſius Dei, atque etiam ſciẽtiæ & reuelationis. ergo Fides vincit certitudine reliquos habitus.

In myſterijs Diuinis potior eſt Fides comprehenſione rationũ.

 33. Sed

Obiectio Durandi.

33. Sed Durandus in 3. *diſt.* 23. *q.* 7. dicit in cõtrariũ multos eſſe habitus & actus ſcientiæ, certiores & notiores Fide, & intẽſiuè & extenſiuè. *Extenſiuè* quia ſcientia plures habet modos certitudinis, v. certitudinem euidentiæ, & certitudinem adhæſionis, Fidem autem ſolùm adhæſionis. *Intenſiuè* illud eſt certius, quod dubio non eſt permixtum. ſed ſcientiæ non ſunt, Fides autem compatitur dubitationem. ergo ſcientia in certitudine Fidem ſuperat.

Reſponſio ad eam.

Reſpondeo Sententiam Durandi, tanquam temerariam prorſus ab omnibus reijci. *Deinde* falſum eſt quód ſolam certitudinem adhæſionis habeat Fides, nam certitudo adhæſionis non eſt propriè certitudo, ſed ſolùm eſt firmitas aſſenſus: & ſi certitudo adhæſionis nõ eſt verè certitudo. ergo ſecundum Dur: Fides nullam certitudinem habebit. ergo ſimilis erit Hæreſi & Idololatriæ, quæ firmiter ſuis erroribus cum pertinacia adhæret. *Petenda* eſt igitur certitudo Fidei ex prima veritate reuelante, quæ eſt infallibilis & æternæ veritatis (vt iam toties explicuimus.)

Dubitatio duplex deliberata & indeliberata.

Ad ſecundum de Dubitatione dico quod hæc duplex, *Primò Deliberata & voluntaria,* & hæc nullo modo in fideli admittenda; nam dubius in fide, eſt infidelis. *ſecundò indeliberata & Inuoluntaria,* & hæc Fidẽ non deſtruit, quæ quidem non ex parte cauſæ fidei oritur, nam hæc omnem dubitationem excludit, ſed ex parte ſubiecti v. intellectus, hoc ideo, quia intellectus euidenter non conuincitur ſed rapitur ſupra ſeipſum ex ſupranaturali motione Dei. *Vnde* aliquãdo nobis non aduertentibus ſubrepunt dubitationes, quas fides ex imperio voluntatis iugulat.

Fides comparata ad Sapientiam &c. his ſimpliciter eſt certior.

34. Dico ſecundò. *Fides comparata ad Sapientiam ſcientiam, Intellectum vt ſunt dona Spiritus S. etiam his ſimpliciter eſt certior.* PROBATVR. quia hi habitus, vt ſunt dona Spiritus S. comparantur ad fidem, vt ad principium ſuum cui cooperantur. ergo in ſua certitudine à fide pendẽt. ſed de hac re Diſputatione octaua dicemus.

Quomodo Sapientia &c. ſunt certiores fidei.

Dico tertiò. *Hi prædicti habitus, v.* Sapientia, Scientia, Intellectus *ratione ſubiecti quoad nos ſunt ſecundùm quid certiores fide.* PROBATVR. Illud quoad nos certius eſſe iudicatur, quod eſt clarius & euidentius. atqui intellectus noſter circa res naturales clariùs ſe habet, quàm circa myſteria fidei, quia in illis cõuincitur rationibus. vnde intellectus ad veritatem euidenter propoſitam, non liberè ſed neceſſariò ſe habet, quia nolens volens debet rationibus aſſentiri: Fides autem ob ineuidentiam liberè ſe habet. ergo quoad nos certior eſt fide.

35. *Nota* hæc libertas, quæ eſt in fide, eſt occaſio quód aliqui admiſſam fidem reſpuant, ita vt qui Catholicus fuit, poſtea Hæreticus eſſe poſſit. Habitus autem naturales hanc libertatem non admittunt, ſed in quouis homine, modò ſit rationis particeps, ſi notitia alicuius rei ſufficienter rationib9 eſt deducta, illi neceſſariò ſemper aſſentiri debet. *vnde* quando Hugo de S. Victore dicit de Sacram. par. 10. cap. 1. *Fidem eſſe certitudinem animi de*

mi de rebus abſentibus ſupra opinionem & infra ſcientiam. tu ſupple quód ſit infra certitudinem ſcientiæ, non ſimpliciter (vt iam probatum) ſed quoad nos & ratione ſubiecti, & quoad modũ noſtrũ cognoſcendi.

DISPVTATIO V.

De Habentibus Fidem.

Subiectum fidei quotuplex eſt?

Duplex eſt ſubiectum Fidei: *primum* eſt immediatum & proximum, vt intellectus hominis, & de hoc egimus in Quæſito ſecundo præcedentis Diſputationis; *alterum* eſt remotum, vt Homo, Angelus, Diabolus, Hæreticus, de quo iam agendum. Quatuor autem inquiremus:

1. *An Homo & Angelus à ſui creatione ſint ſubiectum fidei?*
2. *An fides ſit in Dæmonibus?*
3. *An qui non credit vnum Articulum fidei, poſſit habere fidem informem de aliis Articulis?*
4. *An ex his qui fidem habent vnus alio maiorem habeat?*

QVÆSITVM I.

An in Angelo & in homine à prima ſui productione fuerit fides?

1. ARbitratur Duran. *in 3. diſt. 23. q. 9.* in Angelis viatoribus, non fuiſſe fidem, quamuis concedat quód in gratia fuerint creati, illorum verò meritum non per actum fidei, ſed per obedientiæ ſtatuit. *Ratio eius.* Angelus præſertim primus habuit euidentiam omnium, quæ ſunt fidei, ſed ineuidentia, quæ eſt de ratione fidei, nõ poteſt cum euidentia ſtare. ergo non habuit fidem. *Maior.* Angelus in primo inſtanti creationis ſuæ euidenter cognoſcebat, ſolùm eſſe Deum, qui ſibi reuelabat ſupernaturalia obiecta, vt *quód Deus ſit vnus & trinus, ſit iuſtificator, ſit beatitudinis author & collator.* ergo hæc euidenter cognoſcebat. Pro determinatione

2. Dico. *Tam homo quàm Angelus in primo inſtanti creationis ſuæ habuerũt fidem.* PROBATVR vterq; viator erat v. vterq; in eo ſtatu fuit, quo ad Deum tanquam ad finem vltimum tendebant. ſed hæc tendentia fuit per fidem. A Hebr: 11. *Accedentem ad Deum credere oportet.* Ergo in vtroque fuit fides. *confirmatur.* Tam homo quàm Angelus in primo inſtanti creationis ſuæ habuerunt fidem.

Duo

Duo ſunt ſtatus, in quibus homo & Angelus ad Deum, tanquam finem ſupernaturalem ordinantur, quos innuit Apoſtolus 2. Corint: 5. *Peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem* &c. *& bonam uoluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe Deo.* hoc eſt. *Primus eſt* ſtatus quo ambulamus per fidem & peregrinamur à Domino, *alter eſt* quo ambulamus per ſpeciem ſeu per viſionem claram, & præſentes ſumus ad Deum. ſed neq; Angelus ante confirmationem, nec homo ante lapſum erãt præſentes ad Deum, per viſionem claram ſeu per ſpeciem. ergo vt viatores ambulabant per fidem.

Ratio ſecunda. Angelus & homo creati ſunt in gratia & in charitate, & non in beatitudine. ſed gratia & charitas in viatoribus non eſt ſine fide. Ergo in vtroq; fuit fides. *Deinde.* in hac via eſt inchoatio beatitudinis in intellectu per fidem, in voluntate per ſpem & charitatem. ergo habuerunt fidem *Item* Tam Angeli quàm hominis finis vltimus, eſt ſupernaturalis. ergo ad hunc cognoſcendum indigebant reuelatione *Conſequentia* Quia ſupernaturale excedit limites naturæ. *Tum* illa reuelatio facta Angelis debuit eſſe obſcura quia non erant tunc beati, & niſi fuiſſet obſcura, meritum non habuiſſet.

3. *Sed obijcies* ex Hugone de S vict. qui dicit. quòd Angelus & homo in prima ſui creatione habuerunt oculum apertum contemplationis; verba eius. *Cognouit ergo homo creatorem ſuum, non ea cognitione quæ foris ex auditu ſolo percipitur, ſed ea potiùs, quæ intus per aſpirationem miniſtratur. non ea quâ modò Deus à credentibus abſens fide quæritur, ſed ea qua tunc per præſentiam contemplationis ſcienti manifeſtus cernebatur. ergo nec Angelus nec homo fidem habuerunt.*

Reſpondeo. cum S. Doctore ad primum, quód homo in ſtatu innocentiæ, & Angelus ante confirmationem, plura & modo perfectiori potuit cognoſcere de Diuinis myſterijs. quia propiùs tũc ad Deum accedebat, quàm homo in ſtatu naturæ lapſæ: ſed ſtante hac cognitione, non pertingebant ad claram & intuitiuam viſionẽ Dei, & aliorum myſteriorum, vnde per illam ſcientiam quantumuis altiorem non euacuabatur fides.

4. Ad Argumentum Dur. dico in Angelis ſolùm fuiſſe euidentiã, in atteſtante Deo ſeu ex parte loquentis ſeu reuelantis, quia euidenter Angeli ſciebant Deum eſſe, & non aliquam creaturam, quæ reuelaret, & talem illis cognitionem proponeret, & hæc compatitur ſecum fidem. ſed non fuiſſe euidentiam aut formalem, aut materialem ex parte obiectorum, vt res ſic, vt ſunt in ſe, cognoſcerent & penetrarent.

Nota licet ex aliquo ſigno aut etiam ex miraculo, vt ex ſuſcitatione mortui conuincatur intellectus, quód hoc à Deo dicatur, hoc tamen non tollit rationem fidei, quãdo illud quod dicitur non cognoſcitur vt euidens in ſe, nam & prophetæ (*vt infra docet D Th. q. 171 art. 5.*) nouerant certiſſimè ſibi à Deo reuelari, quæ prophetabãt hoc tamen ab eis fidem non auferebat.

QVÆ-

QVÆSITVM II.
An Fides ſit in Dæmonibus?

5. ETiam de damnatis eadem opera inquirimus, tum de his, qui in purgatorio exſiſtũt, & qui in patriam ſunt admiſſi. Durandus *in 3. diſt: 23. q. 9.* dicit, quód homines damnati, qui in hac vita fidem habuerunt, ijdem eandem in damnatione retinent. De Dæmonibus verò, quia negat eos ante lapſum habuiſſe fidem, etiam conformiter loquendo negat, quód eam in inferno retineant. ſed ſi in via habuiſſent, etiam in inferno mãſurã dicit. pro determinatione.

Fides vt eſt infuſa neq; eſt in Dæmonibus. neq; in hominibus damnatis.

6 Dico primò. *Fides vt eſt infuſa & ſupernaturalis, neq; eſt in Dæmonibus, neque in hominibus, damnatis licet in eis vſq; ad extremum ſpiritum manſerit.* PROBATVR. Fides enim eſt donũ Dei, quo homo ordinatur ad æternam beatitudinem. ſed Dæmones & damnati, iam non ordinantur ad beatitudinem æternam. ergo in illis non eſt fides infuſa. *Item* fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. ſed vtriq; damnati nihil iam ſperare poſſunt ergo carent fide. *Deinde* per fidẽ accedimus ad Deum, eiq; placere optamus. ſed vtrique damnati ſunt extra viam, & extra ſtatum placendi Deo, nunquam enim à pœnis gehennæ liberabuntur: ergo fidem non habent. *Præterea* per fidem ſumus membra myſtici Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia: ſed vtriq; damnati non ſunt membra, aut ſi ſunt, iam ſunt præciſa, auulſa, & ſicut inutiles ſurculi, in ignem æternum proiecti. ergo in illis nulla fides. *Tandem* fides prouenit ex pia voluntatis affectione & reuerentia, quà in Deũ mouemur, ita quód propter ea, quę nobis à Deo reuelantur, parati ſumus captiuare intellectum, & his firmiter aſſentiri ſed in damnatis nulla eſt pia voluntas in Deum, ſed ſummum & hoſtile odium. ergo nec fides infuſa.

Fides qualis in Dęmonibus?

7. Dico ſecundò. *Tamen quædam fides concedenda eſt in Dæmonibus, quæ ſit acquiſita per experientiam, & per euidentiam miraculorum, & quodam modo coacta.* PROBATVR. quia D. Iacobus cap. 1. illis fidem tribuit, *& Dæmones credunt & contremiſcunt.* & D Th. *hîc q. 5. a. 2.* dicit, *quód Dæmones cognoſcunt doctrinam Eccleſiæ eſſe à Deo, quamuis res ipſas quas Eccleſia docet, & ad credendum proponit, non videant.* idem D. Th. ad primum dicit, *quód Dæmonum fides ſit quodam modo coacta ex ſignorum euidentia* ergo fides admittenda in Dæmonibus.

Dæmones habent fidẽ acquiſitam.

Iam verò *quód ſit acquiſita* probatur. Dæmones per quædam extrinſeca, ad aſſentiendum adducuntur, nam euidenter cognoſcunt & experiũtur quód iſti, qui mandata Dei ſeruant, vitam æternam cõſequantur: eos verò qui præcepta Dei ſunt præuaricati, nec ideo pœnitentiam egiſſent, pœnis inferni cruciari. ergo ex hoc effectu euidenti adducuntur, vt aſſentiant

veram eſſe fidem Chriſti. **Tandem** vidit Diabolus à D. Petro claudo à natiuitate redditam ſanitatem pedum, & hoc miraculum eſſe ſciebat factum omnipotentia Diuina, agnoſcebat & hoc, quód tale miraculum nemó poterat facere niſi qui à Deo eſſet, ergo tali miraculo & alijs impellebatur, ad aſſentiendum quód ſit vera fides Chriſti.

Voluntas qualis requiratur tã ad fidem infuſam quám acquiſitam

8. Quód autem *ſit coacta* noto ex Baneſio, quód tam ad fidem infuſam, quàm ad acquiſitam non eſt neceſſaria voluntas ſimpliciter libera, ſed ſufficit imperfectè libera ſeu quæ ſit cum quadam neceſſitate coniuncta; qualis eſt in eo, qui tempore tempeſtatis merces pretioſas in mare mittit, vt ſaluus cum naue enatare poſſit, & hic quidem liberè proijcit. ſèd hæc libertas neceſſitatem admiſtam habet, quia aliter periculum mortis euadere non potuit, ita & Dæmones (vt D. Th. *in 3. diſt. 23. art. 3.* dicit) non omninò liberè aſſentiuntur rebus fidei quas credunt. ſed debent cõuicti experientia & miraculorum euidentia, quemadmodum in fide humana & acquiſita conuicti rationibus, teſtimonijs, quaſi coacti debemus credere.

Simile huius.

Voluntatis pia affectio ad quam fidem requiratur?

9. *Præterea notandum* ad fidem infuſam requiri, piam voluntatis affectionem. ſed ad acquiſitam non eſt neceſſaria, ſed ſufficit ſi intellectus aſſentiatur ex inclinatione libera voluntatis, vt in eo accidit, qui vitam redimit pecunia à latronibus, & ſic Dæmones non ex pia affectione erga Deum atteſtantem, nam ex odio triſtantur, dum aſſentiũtur rebus fidei, ſed quia euidentia miraculorum compelluntur.

Quare Dæmones veritati Euangelicæ diſſentire non poſſunt?

Nota ſecundò quód dæmones veritati Euangelicæ diſſentire non poſſunt, quia in eis naturalia manſerunt, & intellectus eorum naturaliter inclinatur ad veritatem amplectendam, & ad fugiendum aſſẽſum falſi. ergo à doctrina Euangelica non poſſunt diſſentire, quia aliàs vim paterentur. *Tum* ſuperbiæ illius non conuenit, quia ſuam naturam deijci videret per adhæſionem ad falſum omiſſa veritate.

Obiectio

10. *Sed obijcies* non ſolùm acquiſitam ſed infuſam fidem eſſe in dæmonibus. *Probatur.* D. Iacob. c. 2. *Tu credis quoniam vnus eſt Deus, benè facis, & dæmones credunt*: hic fidem peccatorum cum fide dæmonum comparat, ſed in peccatoribus eſt fides infuſa & ſupernatúralis. ergo & in dæmonibus.

Reſponſio

Reſpondeo concedendo quód ſit comparatio fidei dæmonum cum peccatoris, ſed ex eo non ſequitur, quód ſit eadem, nam ſolùm in eo comparat, quód vtriq; credunt Deum eſſe, & quód vtrorumq; fides ſit inutilis, nam ſine charitate, ſine bonis operibus, arida & inutilis eſt fides.

Damnati fideles nullã fidem habẽt quare?

11. Dico tertiò. *Fideles damnati nullam fidem habent.* nam in illo inſtanti ſuæ damnationis, ſicut à ſeruo nequam aufertur talentũ, & tandem in tenebras exteriores proijcitur, ita ab his fidei talentum aufertur, & in gehennam detruduntur. Cui enim bono eam haberent? cùm ſint in termino infeliciſſimo, hæc autem in his eſt, qui ſunt in via. *Tum* quia hi in eodem momento ſuæ damnationis concipiunt ſummum odium, quo Deum & illius authoritatem quâ

fides nititur, exoſam habent. quód verò aliqui (vt Magiſter) tribuunt fidem informem damnatis, hi ſumunt fidem in communi, vt ſignificat quandam credulitatem de Deo.

Diſtinctio damnatorũ fidelium ab infidelibus damnatis quæ?

Sed Durandus objicit ad diſcernendum inter fidelem & infidelem damnatum requiri fidem. *Reſpondeo* non fore magnum abſurdum, etiamſi nulla ſit diſtinctio, ſiquidem locus inferni eſt, in quo nullus eſt ordo, iam autem diſtinctio dicit ordinem: aut dicendum ad hanc diſtinctionem ſufficere ſolam acquiſitam fidem: aut hæc diſtinctio ex charactere baptiſmi ſumenda.

Quare fides infuſa non manſit in damnatis?

Sed contra dices ſi character baptiſmi manet, cur etiam fides non manet? *Reſpondeo* ideo manet character, quia eſt ſignum ex ſua principali cauſa denotans eos, qui Chriſti caſtra deſeruerunt ad ſummam illorum confuſionem: fides autem ex ſua principali cauſa ordinata eſt, ad ſalutem parãdam, ſed infernus non eſt locus parandæ ſalutis, vnde fides in damnatis non eſt, quia aliàs otioſa eſſet.

Fideles in purgatorio habent fidẽ

12. Dico quartò. *Fideles in purgatorio exſiſtentes habent fidem*, quia non dum ſunt admiſſi ad claram & intuitiuam viſionem Dei, non ſunt tamen propriè viatores, quia iam mereri non poſſunt: ſed habent ſe ſicut illi, qui ad portas ciuitatis attigerunt, ſed nondum ſunt intromiſſi.

In Beatis fides non manet.

Dico vltimò. *In beatis non manet fides.* Quidam ex patribus (vt Ireneus, Tertullianus) ex illo loco 1. Corint: 13. *Nunc autem manet fides, ſpes, charitas*, exiſtimant quaſi in patria hæ virtutes eſſent manſuræ. ſed reliqui Theologi ſentiunt Fidẽ & ſpem non manſuras PROBATVR. *Videmus nunc per ſpeculum & in anigmate, tunc autem facie ad faciem.* ſed clara & facialis viſio excludit ſpeculum & ænigma v. fidem ergo. ITEM *cum venerit quod perfectum eſt* v. viſio Dei clara, *euacuabitur quod ex parte eſt* hoc eſt fides, quæ imperfectam cognitionem habet. *Tum* Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. quod autem quis videt, & habet, quid ſperat? *Deniq.* Habitus datur propriè propter actum. ſed clara viſio Dei excludit actum fidei. ergo & habitum fidei.

Quomodo fides in Beatis tollitur?

13. *Nota* in beatis tolli fidem nõ ab aliquo contrario, ſed propter ſubtractionem Diuini influxus, qui donum Dei conferebat & conſeruabat.

Beati in patria quomodo habere poſſint habitum fidẽi

Nota ſecundò poſſet tamẽ beatus habere in patria habitum fidei, nõ iam vt eſt habitus intellectus (ſicut deduximus) ſed in quantum eſt in voluntate; hoc eſt, in quantum beati ſunt ita animo affecti quód vellent omnino firmiter credere myſteria Diuina, propter authoritatem Diuinam quamuis illa iam clarè intueantur, quemadmodum *hîc infra q. 175. art. 5.* docet S. Doct: D. Paulum in raptu retinuiſſe habitum fidei, quamuis tunc vidit Diuinam Eſſentiam.

QVÆSITVM III.
An, qui diſcredit vnum Articulum fidei, & alios credit Articulos, ſit dicendus habere fidem?

14. DVrandus *in 3 d. 23. qu. 9* affirmat in hæreticis poſſe manere fidem infuſam, ſi modò crediderint aliqua credibilia particularia, *vt quód Chriſtus ſit Incarnatus, mortuus, paßus* &c. quamuis alia negent *vt ſacramentum Euchariſtiæ, purgatorium.* Et in hac ſententia eſt quidam recentior Eſtius. ſed verior eſt ſententia negans, quam D. Th. cum reliquis Theologis tuetur. Gabr. *qu 1. art. 5.* Capreolo *diſt. 24.* ad arg. contra tertiam Concluſ: idem ſentit Caiet: Ban: Suarez de *tripl: virt Theol Diſp. 7. ſec. 4.* Scotus in 3. *d. 23. 1. ad primum.* Pro determinatione.

In quibus nulla eſt fides?

15. Dico. *Fides infuſa tam formata quàm informis in eo, qui aliquem Articulum fidei non credit, quamuis alios credat nulla eſt.* PROBATVR ad Epheſ. 4. *Vna fides, vnus Deus*, hoc eſt, ſicut fidei vnum eſt obiectum adæquatum, ita & vna ratio formalis fidei, quã quis diſrumpit nòn credendo, vnũ Articulũ ſicq; fidem amittit. & ad Galat. 5. *Euacuati eſtis à Chriſtò qui in lege iuſtificamini*, hoc eſt, qui ad doctrinam Chriſti Circumciſionem & legalium obſeruationẽ iudicabant eſſe neceſſariam, dicit eſſe euacuatos à Chriſto ergo & à fide. Et ad Galat 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*: hoc eſt, error in fide circa vnum Articulum, modicum quid videtur, ſed totam fidei maſſam corrumpit, & habitum fidei diſrumpit. 1. ad Timor. 1. dicuntur Hæretici naufragaſſe à fide. ſed naue ſoluta naufragium patimur. ergo per diſcredentiam quoad hunc Articulum diſſoluitur fides, & per conſequens fit naufragium. Et Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 15. ait: *Aſſerendũ eſt non modò infidelitate, per quã & ipſa fides amittitur.* ſed hic qui diſcredit vnũ Articulũ fidei, committit infidelitatẽ. ergo amittit fidẽ. Probatur rationibus.

16. *Ratio prima.* Cuiuſlibet habitus ſpecies tunc amittitur, quando illius formali rationi non inhæretur. ſed fidei ratio formalis eſt prima veritas obſcurè reuelans. ergo qui vnum Articulum diſcredit, nõ inhæret rationi formali fidei, quia non credit, quód prima veritas id reuelauerit. *Cónfirmatur.* quælibet res ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, non poteſt eſſe ſine ſua ratione formali. ſed fides eſt res ſupernaturalis, & prima veritas reuelans, eſt illius ratio formalis. ſed qui non credit vnum Articulum, amittit rationem formalem fidei. ergo & fidem.

Ratio ſecunda. Veritas prima reuelans, æqualiter ſe communicat omnibus Articulis fidei, & æqualiter

liter eoſdem conteſtatur, ob quod æqualiter captiuamus intellectum ad credendos omnes Articulos. ergo qui non credit vni Articulo, & alijs credit, hic non facit hanc æqualitatem, & per conſequens fidem amittit. *Deinde* ſicut peccatū mortale opponitur charitati, ita hæreſis opponitur fidei : ſed per peccatum mortale tollitur charitas infuſa. ergo & per quemlibet actum hæreſis tollitur fides infuſa

Obiectio.

17. *Sed obijcies* in ſcientia naturali poſſe aliquem habitum ſcientiæ manere, vt de Elementis, ſine alio habitu quem ignorat, vt de Cælo. ergo & fides cum vno Articulo manere poteſt licet alij diſcredantur. *Reſpondeo* hæc eſſe diuerſa, quia habitus naturales ſucceſſiuè ex actibus frequentatis acquiruntur per varia media & diuerſas demonſtrationes. ſed habitus fidei totus ſimul infunditur, & omnes Articuli fidei vno medio innituntur, v. quia prima veritas reuelauit.

Solutio eius.

Obiectio altera.

Sed dices habitus naturales ex vno actu contrario non interire. ergo & fides ob vnum Articulum non creditum non interibit. *Reſpondeo* ideo habitus naturales ob vnū actum contrarium non interire, quia multis actibus ſimilibus acquiruntur, fides verò infuſa in vno inſtanti infunditur, & ideo vno actu infidelitatis contrario amittitur.

Reſponſio.

In Hæreticis qualis fides?

Sed dices adhuc, vtique hæreticus qui vnū diſcredit alios Articulos credit. ergo habet fidem *Reſpondeo* illum habere fidem, ſed humanam acquiſitam, voluntariam ſed non Diuinam infuſam & ſupernaturalem, nam deeſt illi ratio formalis, per quam conſtituitur, v. quia nō credit ob authoritatem primæ veritatis.

Hæretici nullam habent certitudinem de his articulis quos credūt

Sed dices Hæretici de his Articulis, quos credunt habent ſummam certitudinē. Ergo *Reſpondeo* id falſum eſſe, quia in malo fundamento ſunt ſuperædificati, & experiētia teſtis illos fluctuare, cùm propè in ſingulos annos mutent fidē, quia ſpiritu vertiginis reguntur.

Diſcrimen Fidei Catholicæ ab Hæreticis quod?

18. *Præterea* notandum diſcrimē fidei Catholicæ ab Hæreticis. Fides enim Catholica, ſicut ob authoritatem Diuinam, recipit ſacras Scripturas tanquam verbum Dei, ita & omnia quæ ab ijſdem Scripturis proponuntur, tanquam verbum Dei recipit. vnde D. Athanaſ. *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſq; integram inuiolatamq; ſeruauerit, abſq; dubio in æternum peribit.* Hæretici verò non iam ob authoritatem Diuinam, ſed propter motiua ſua particularia, quia hoc illorū cerebro videtur, idcirco admittunt, hoc verò quia diſplicet ideo reijciunt, vnde de illis D. Aug. lib. 17, contra Fauſtum cap. 3. *Qui in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Euangelio creditis.* Et lib. 32. cap. 19. *Videtis vos id agere, vt omnis de medio tollatur Scripturarum authoritas, & ſuus cuiuſq; animus author ſit, quid in quaq; Scriptura probet aut improbet, vt non ſeſe Scripturarum authoritati ſubijciant, ſed ſibi ipſi Scripturas ſubijciant*

Obiectio.

19. *Vltimò obijcies* poteſt quis vnū mandatum Dei præuaricare & alia ſeruare. ergo poterit vnum articulum non credere & alios credere. *Conſequentia.* vt enim homo in credendo

dendo ſubijcit ſe Diuinæ veritati, ita in implendis mandatis ſubijcit ſe Diuinæ authoritati mandanti.

Reſponſio ad eam. *Reſpondeo* negando, quód ille qui vnum mandatum Dei tranſgreditur, reliqua ex habitu debitæ ſubmiſſionis ſub Deo, atq; etiam ex debita reuerentia ſeruet alia præcepta, nam certum eſt, quód, qui in vno tranſgrediendo præcepto contempſit, & neglexit, habitum debitæ obedientiæ, eandem in toto amiſit. ita dicimus illum amittere habitum fidei, qui in vno Articulo diſcredit, dicitur enim Iacobi 2. *Qui peccat in vno, factus eſt omnium reus.* & *Bonū non niſi ex integra cauſa, malū autē ex minimo defectu.*

QVÆSITVM IV.

An in habentibus fidem, poſſit eſſe fides maior in vno, quàm in alio?

20. DIco primò. *Euidenter ex Scriptura colligimus in vno maiorem eſſe fidem, quàm in alio.* Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* & cap. 14 *Modicæ fidei, quare dubitaſti.* & cap. 15. *O mulier magna eſt fides tua.* ergo fides poteſt eſſe maior in vno quam in alio.

Intenſio fidei vnde ſumenda? Dico ſecundò. *Hæc intenſio fidei per quam fit maior in vno quàm in alio, ſumenda eſt ſecundùm entitatem.* PROBATVR. Lucæ 17. *Domine adauge nobis fidem.* 2. Corinth. 10 *Spem habentes creſcentis fidei veſtræ.* RATIO. quælibet qualitas intenditur in ſuo ſubiecto, nam ſuſcipit magis & minùs (vt docetur in Prædicam. Qualitatis) ſed fides eſt qualitas ſupernaturalis. ergo ſecundùm entitatem intenditur.

Obiectio. *Sed obijcies* fidem non fuiſſe in tempore auctam docuimus, 1. diſp. quæſt. 6 ſed tantùm fieri magis explicatam, ergo ſecundùm entitatem non augetur.

Reſponſio. *Reſpondeo* fidem vt conſideratur in ſubiecto, & vt conſideratur extra ſubiectum differre. nam fides extra ſubiectum in ſe abſolutè & ſecundùm ſuam quidditatem ſumpta, nec augetur nec minuitur. ſed conſiderata in ſubiecto. iam augetur. *Et ratio eſt.* quia fides quæ recipitur in ſubiecto dependet ab aliqua diſpoſitione ſecundùm maiorem aut minorem entitatem. Ad Rom. 8. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* ergo adultis non infunditur fides ſine præuia diſpoſitione, quæ fit per auditum.

21. *Nota.* in fide infuſa & ſupernaturali, loquendo de illius augmento attendendum eſſe, & ad obiectum & ad ſubiectum, obiectū autem eſt duplex, quoddam Formale, quoddam Materiale. Fides quomodo maior?

Dico tertiò. *ex parte obiecti Formalis non eſt maior fides in vno, quám in alio.* quia formale obiectum fidei eſt vnum & ſimplex v. prima veritas reuelans, quæ æqualiter extendit ſe ad omnes articulos fidei. *ex parte autem obiecti materialis. fides poteſt eſſe maior in vno quám in alio,* nam experientia docet, quód in Theologis

logis doctis maior eſt fides explicita, quia plura & meliùs norunt quā quiuis ex media plebe. *ex parte ſubiecti poteſt eſſe maior in vno, quám in alio* v. ex parte intellect⁹ & volūtatis, in his enim quo ad intellectū maior fides, qui maiori lumine cōſequuntur credibilia, ex quo maior certitudo & firmitas naſcitur. *ex parte verò voluntatis in his maior eſt, in quibus maior eſt promptitudo & deuotio, quæ à charitate procedit.* Vnde Hugo de S, Victore *lib. 1. de Sacr. 14 cap. 4.* quatuor genera fidelium ſtatuit ex cognitione, quæ ad intellectum, & ex affectu qui ad voluntatem ſpectat, *Quidam enim* ſunt qui cognitionem fidei magnam habent, ſed affectu paruam *Quidam* affectu magnam, ſed cognitione paruā *Quidam* & cognitione & affectu magnā. *Quidam* & cognitione & affectu paruam. ſumit autem fides ex affectu magnitudinem & cōmendationem.

Genera quatuor fideliū

An fides habitualis & actualis maior ſit in vno quàm in alio?

22. *Sed inquires* quid ſentiendum de Fide habituali & actuali, an ſit maior in vno quàm in alio? *Reſpondeo* tā fides habitualis viua, quàm etiam actualis viua poteſt eſſe intenſiuè maior in vno quàm in alio. ſed extenſiuè minimè, ſed in omnibus æqualis eſt. *Probatur primò* per *Fidem habitualem* intelligimus illam, quæ eſt implicita & antequam in actum exit, ſed hæc ſicut cæteræ virtutes poteſt eſſe maior, nā vnius hominis maior eſt temperantia aut fortitudo quàm alterius. ergo eodem modo fides habitualis poterit eſſe maior in vno quā in alio. *Idem de Actuali probatur* poteſt quis maiori ſtudio, promptitudine, reuerentia in Deum, aſſentiri rebus fidei, quàm alius. ergo in eo actualis fides erit maior. *Quod verò extenſiuè ſit æqualis* PROBATVR. Tam enim habitualis quàm actualis fides æqualiter ſe extendit ad omnia credēda, quæ Deus reuelauit, nam vtriuſq; vna ratio formalis, ob quā credimus, quia Deus reuelauit, & hæc ipſa reuelatio Diuina, (vt iam toties dictum) ſemper eſt vna & eadem & omnino indiuiſibilis: nec patet latiùs reſpectu vnius Catholici quàm alterius, nam quilibet Chriſtianus credit Deum eſſe veracem, & quód ea, quæcunq; Deus dicit, ſunt neceſſario vera.

Fides extēſiuè æqualis.

An fides mortua in peccatore poſſit augeri?

23. *Quæres ſecundò* an fides mortua in peccatore poſſit augeri. *Reſpondeo* poſſe. PROBATVR. Homo peccator poteſt ſtudere Theologiæ, conciones audire, & aliqua per ſe ediſcere circa fidem, quæ antea neſciebat. ergo illius fides explicita extenſiuè erit maior quo ad obiecta particularia. *Tum* ſi Catechumenus, qui credit Euangelio ad baptiſmum accedat, retinēdo complacentiam in ſuis peccatis perſiſtendi. ad illam priorem fidem quà credit Euangelio infunditur illi habitus fidei mortuæ, ergo illa prior fides augetur *Deinde* conuenit hoc ſuaui diſpoſitioni Diuinæ, vt qui diligentiam, ſtudium adhibent, in eliciendis actionibus fidei, licet peccatores fuerint, vt augeant habitū fidei in ſe; quia aliàs illi actus fruſtrarentur ſuo fine. *Confirmatur,* ſi enim Deus cúm peccatoribus concurrit quoad entitatem illorum peccati, & his actionibus ſuos malos habitus peccatorum auget, & hoc facit Deus ob ſuauem diſpoſitionem prouidentiæ. ergo multò

multò magis concurret ob candẽ ſuauem diſpoſitionem, ad actus fidei eliciendos vt per eos fides augeri poſſit.

An Fides minui poſſit

24. *Inquires tertiò.* An ſicut fides augetur; ita etiam minui poſſit? *Reſpondeo* quamuis fides extrinſecùs & per accidens quoad exercitium propter occurrentes tentationes, aut propter tepiditatem, poteſt languescere & eneruari, tamen minimè deſtrui poteſt. ſicut feruor charitatis per peccata venialia remittitur ſed non deſtruitur, ita & fides remitti poteſt, ſed non deſtrui. nam fides in nobis ex pio affectu voluntatis pendet, ſed hic in nobis per peccata commiſſa langueſcit. ergo & fides languebit. Sed ſubſtantialiter & entitatiuè per gradus non interit. *Probatur* Quælibet res ſpiritualis ſicut tota ſimul in inſtanti infunditur, ita ſimul in inſtanti deſinit eſſe, vt videre eſt in Angelis, in charitate, ſed fides eſt res Spiritualis. ergo vt ſimul infunditur, ita ſimul interit.

Fides ſubſtantialiter & entitatiuè per gradus non interit.

DISPVTATIO VI.

De Cauſa Fidei.

1. INquirimus de cauſa efficiente principali fidei tam viuæ, quám mortuæ. Quantum ad Fidem viuam.

Dico primò. *Fidei viuæ cauſa efficiens principalis eſt ipſe Deus, ita quód fides viua tam ex parte obiecti quám ex parte aſſenſus eſt donum Dei.* PROBATVR quód *ſit à Deo.* Ad Epheſ: 2. *Gratia Dei ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Et 1. Corint: 2. *miſericordiam conſecutus ſum à Domino vt ſim fidelis.* ſed fidelis eſt à fide, & fidelis eſt per miſericordiam. ergo & fides per miſericordiam. ſed miſericordia à Domino. ergo & fides à Domino. Ad Philippen: 2. *Vobis datum eſt vt credatis in Chriſtum, non ab alio datũ quám à patre luminum à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit.* Ergo & fides. Et Concil: Trid: ſeſſ: 6 can. 3. definit *Neminẽ poſſe credere, ſperare, & diligere ſicut oportet ſine ſpeciali auxilio gratiæ.* PROBATVR quód *ratione obiecti ſit à Deo,* nam obiectum fidei (vt iam probatum) excedit rationem humanam, vnde ab homine non poteſt cognoſci, niſi reuelante & opitulante Deo. PROBATVR. ETIAM quód *quoad aſſenſum fidei eſt fides à Deo,* quia homo aſſentiendo creditis, eleuatur ſupra ſuam naturam, ſed quód aliquis ſupra ſuam naturã eleuetur, non poteſt hoc habere niſi ex ſupernaturali principio Diuino. ergo eſt à Deo.

Fidei viuæ cauſa Efficiens principalis eſt Deus.

Obiectio.

2. *Sed inſtabis.* ſine auxilio ſpeciali gratiæ, præbemus aſſenſum dictis, alicuius hominis ob ſolã eius authoritatem. ergo multò magis Deo credemus quám creaturæ, quia hoc ratio naturalis dictat. ergo auxi-

go auxilium ſpeciale non eſt neceſſarium.

Reſponſio. *Reſpondeo* non ſequi. nam ideo aſſentimur dictis alicuius hominis, ſine ſpeciali auxilio, quia fides humana eſt ordinis naturalis, iam autem fides infuſa, eſt ordinis ſupernaturalis. ergo & aſſenſus ſupernaturalis.

Actus credendi &c. quomodo ſit principaliter à Deo? *Nota* hic actus credendi & aſſentiendi, licet principaliter ſit à Deo: non tamen à ſolo, ſed etiam eſt ab homine, & primò eſt phyſicè, quia actus aſſentiendi rebus creditis, eſt omnino vitalis. ſed impoſſibile eſt vt actiones vitales, abſq; influxu facultatum naturalium producantur. ergo aſſenſus eſt phyſicè ab homine *ſecundò eſt* ab homine moraliter, in quantum homo liberè ad credendum concurrit, quia cum credit, poſſet non credere. Et quia hanc contrariam voluntatem remouet, idcirco diſponit ſe ad gratiam.

Ex hoc primò confutatur Baſilidianorũ error, qui fidem affirmabant eſſe naturalē. *ſecundò* patet reſponſio ad Durandi & Scoti opinionē, dicebant enim poſſe hominem, viribus naturæ aſſentiri, propoſitis myſterijs fidei. *Reſpondetur* poſſe quidem, ſi loquamur de aſſenſu imperfecto per fidem humanam. ſed non poſſe per actum perfectũ qui ſit meritorius, ſiue de condigno, ſiue de congruo, quia hoc omnino Pelagianum eſt, quód poſſimus per ſolas vires naturæ, circa rem ſupernaturalem verſari.

Fides informis quomodo ſit à Deo 3. Dico ſecundò. *Fides informis eſt à Deo tanquam à cauſa efficiente principali, non quidem ſub ea ratione, in quantum eſt mortua, ob adiunctum peccatum mortale, nam Deus non eſt author peccati, ſed ſubſtantialiter in genere Entis in quantum eſt fidei.* PROBATVR. I. Corinth. 12. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu S.* v. cum vero affectu fidei, eleuando mentem in Chriſtum tanquam in Redemptorem. ſed homo in peccatum lapſus poteſt cum tali affectu fidei Chriſtum profiteri. ergo in Spiritu S. cuius eſt fides donum.

Ratio ſecunda. Diuiſiones gratiarum vt prophetiæ, operatio virtutum, genera linguarum, interpretatio ſermonũ, ſunt dona Spiritus S. & hæc plerumq; in peccatorib⁹ exſtiterunt, vt patet Matt. 7. *Multi in illa die dicent: Nonne in nomine tuo eijciebamus dæmonia, quibus dicetur; Neſcio vos.* Sed fides mortua eiuſdem eſt valoris cum his: ergo eſt donũ Dei in peccatore.

Ratio tertia. Fides informis in peccatore, eſt diſpoſitio ad iuſtificationem & ad ſalutem æternam, & ad pœnitentiam agendam, dicit enim Concil. Trid Seſſ. 6. cap 6. *non eſſe ſperandam conuerſionem peccatoris, qui nihil credit.* ſed diſpoſitio eſt eiuſdem ordinis, cum forma introducenda, eſt autem hæc iuſtificatio, ſalus, pœnitentia, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis. ergo & fides informis erit ordinis ſupernaturalis, & per conſequens à Deo.

Ratio quarta. Superiùs docuimus quód fides informis & formata, quoad ſubſtantiam & entitatem eſt eadem. ſed formata (vt iam probauimus) eſt donum Dei. ergo & informis.

4. *Sed obijcies* Deuter. 32. dicitur opera Dei eſſe perfecta: ſed fides informis (vt ipſũ nomē indicat) eſt Opera Dei quare ſoleant eſſe imperfecta?

 quid

quid imperfectum. ergo non eſt à Deo. *Reſpondeo tripliciter: primò* verum eſſe quód opera Dei ſunt perfecta, ſed non ſemper in inſtanti, ſed quandoq; ſucceſſiuè, vt cæcus à Chriſto illuminatus, non ſtatim perfectè cœpit videre, nam primo aſpectu cernebat homines vt arbores. *ſecundò* quando opera Dei à ſolo Deo pendent, non requirendo liberum conſenſum hominis, tunc ſunt ſtatim perfecta: ſecus autem accidit in fide, ad quam requiritur conſenſus hominis, vnde imperfectè ſe habet. *Tertiò reſpondeo* fidem informem in genere fidei eſſe perfectam, licet moraliter in genere meriti non ſit perfecta.

5. Dico tertiò. *Fides non ſolùm in Baptiſmo; ſed etiam extra quandoq; ſine gratia infunditur.* Hoc Dictum eſt contra Vegam, Sotum, qui ſolùm agnoſcūt, quód in eo ſolo caſu ſi quis cum cōplacentia ſuorum peccatorum ſuſcipiat Baptiſmum, illi ſine charitate fides infundatur, ſed aliàs ſemper cum charitate & gratia infunditur. hanc quoq; ſententiam Valentia putat eſſe probabilem.

Fides non ſolum in Baptiſmo, ſed etiam extra quandoque ſine gratia infunditur.

Probatur Dictum. quando ſunt duæ formæ abſolutæ, nec vna ab altera in ſua eſſentia dependet, tūc vna ſine alia infundi & conſeruari poteſt. ſed fides & charitas ſunt duæ formæ abſolutæ, nec vna eſt de eſſentia alterius, nam charitas eſt in cælis ſine fide, & in Chriſto tempore illius vitæ fuit ſine fide. Et Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 28. dicit *fidem ſine charitate non amitti in peccatore, ſed conſeruari.* ergo poteſt fides infundi ſine charitate.

Probatur ſecundò D. Aug. in lib. de Fide & oper. aſſerit *quód qui baptizati ſunt in peccato mortali, habent verā fidem.* Idem D. Aug. in eodem lib. cap. 21.22. dicit, *Quód Catechumenus concubinarius poteſt habere fidem ante baptiſmum.* & Concil. Arauſic. cap. 25. dicit: *Ipſe nobis nullis præcedentibus meritis fidem & amorem ſui inſpirat, vt baptiſmi Sacramentum fideliter requiramus.* ergo fides extra baptiſmum infunditur. *Deniq;* Catechumenus peccator, aſſentitur omnibus Articulis fidei propter authoritatem primæ veritatis reuelantis. ergo ſine charitate & baptiſmo habet veram fidem.

6. *Sed inſtabis.* Fides à charitate habet dependentiam. ergo ſine illa non infunditur. *Reſpondeo* Fidem in ratione virtutis ſimpliciter, ſeu in ratione meriti pendere à charitate. ſed in ratione virtutis Theologicæ nequaquam, nam vt ſic fides eſt quædam entitas abſoluta, à ſolo Deo producta, & non dependenter ab alia virtute.

Fides quo modo habet dependentiam à charitate.

Obijcies ſecundò. Deus qui iuſtificat, non niſi perfectiſſimè iuſtificat ſed ſine infuſione gratiæ & charitatis non eſt perfecta iuſtificatio. ergo fides cum charitate infunditur. *Reſpondeo* quando Deus aliquem iuſtificat ſua extraordinaria potentia; tunc ſemper perfectiſſimè iuſtificat, ſed quando ſecundùm communē & ordinariam legem iuſtificat, tunc non ſemper perfectè, quia arbitrium hominis tanquam cauſa deficiens, ad eam iuſtificationem concurrit, cuius culpa accidit, vt non ſit perfecta iuſtificatio, vt cum quis eſt in complacentia peccati mortalis, quod impedit ne ſit iuſtificatio completa. nam

Obiectio.

Reſponſio.

ta. nam

ta. nam benè D. Aug. inquit. *Qui fecit neſcientem, non iuſtificat niſi volentem*

Deus inimicis ſuis dona gratuita confert.

7. *Obijcies tertiò.* Dona ſua gratuita confert Deus amicis ſuis, non autem inimicis, quales ſunt peccatores, nam odio ſunt Deo impius & impietas eius *Reſpondeo.* Decere ſummoperè miſericordiam Dei, vt etiam ſuis aduerſarijs dona gratuita conferat, & ſic de facto contulit D. Paulo, quando ſpirantem minas & cædem ad ſe conuertit, illiq; donum pœnitentiæ, & alia in raptu gratuita conceſſit.

Homo in peccato mortali exſiſtens ante baptiſmum an ſit Chriſtianus?

Sed vrget Sotus. Homo in peccato mortali exſiſtens ante baptiſmum, non eſt Chriſtianus, nec Dei amicus. ergo nec fidem habet. *Reſpondeo* cum Banelio quód iſte homo eſt Chriſtianus & fidelis, ſed quia per baptiſmum non eſt incorporatus Eccleſiæ viſibili, idcircò ob ſuam fidem quam ante baptiſmum habet, ad inuiſibilem Eccleſiam pertinet.

DISPVTATIO VII.

De Effectibus Fidei.

1. QVam ſint varij effectus Fidei docet Apoſtolus ad Hebr: 11. Et D. Aug. ſerm: 10 de verbis Apoſtoli. Nunc verò nos cum S. Doct: duos ſtatuimus *Primus* eſt timor. *Alter* eſt puritas cordis. Quantum ad primum.

Timor duplex eſt.

Dico primò *Timor eſt effectus fidei, & hic quidem duplex eſt* Seruilis & Filialis *& vtriuſq; eſt cauſa Fides: & primò eſt cauſa ſeruilis vt dum quis timet ne à Deo puniatur.* PROBATVR. per fidem enim cognoſcimus Deum eſſe, eundemq; fore iudicem, & vindicem peccatorum per pœnas inferni, & hinc in nobis naſcitur apprehenſio harum pœnarum, tandem timor dum metuimus ne pœnarum acerbitate affligamur. *Ratio ſecunda.* Hęc eadem fides proponit beneficia à Deo accepta & quód eorum ratio ſit reddenda: proponit & peccatorũ noſtrorum multitudinem & grauitatem & diem iudicij tremendum, & ex his apprehenſis oritur ſeruilis timor.

Fides eſt cauſa ſeruilis timoris?

Fides eſt cauſa Timoris filialis.

2. Dico ſecundò. *Fides quoq; eſt cauſa timoris Filialis vt cum quis timet à Deo ſeparari: vel quia metuit ſe comparare Deo ob reuerentiam illius maieſtatis.* Nolle enim ſeparari à patre, eſt propriè filiorum: ſimiliter nolle æquari illius maieſtati eſt ſummè excellentis timoris. Nam hic de Deo concipit quód ſit bonũ quoddam immenſum, infinitum, ſupremum, à quo disiungi eſt infeliciſſimum, eidem velle æquari eſt peſſimum.

Timor filialis eſt effectus fidei formatæ: Timor ſeruilis fidei informis.

Dico tertiò. *Timor filialis qui ex amore & reuerentia prouenit, eſt effectus fidei formatæ per charitatem, timor autem ſeruilis qui ex apprehenſione pœnarum ortũ habet, eſt effectus fidei informis.*

Nota. Etiam in fide formata ori-

 rimentum

ri metum pœnarum, vt cùm iuſti in memoriam veniunt ſuorum peccatorum. Eſt autem vnicuiq; naturale pœnas metuere, quoties earũ memoria occurrit. ſed maximè hi, qui fidem peccatis in ſe mortuam intuentur, has pœnas exhorreſcũt.

Fides qualis eſt cauſa timoris?

3. Dico quartò. *Fides non eſt cauſa timoris Phyſica, ſed ſolùm moralis & metaphorica*. E.G. ſeruilis timoris eſt cauſa, in quantum proponit obiectum, vt peccatorum grauitatem, iudicis ſeueritatem, pœnarũ acerbitatem: aut in Filiali timore cùm proponit, quàm ſit graue à Deo ſeparari, in quo ſita eſt beatitudo hominis. vnde hæc ratio cauſalitatis, ad cauſam finalẽ & exemplarẽ reducenda: nam huic voluntas conformat ſe, aut per amorem aut per timorem.

Puritas cordis eſt effectus fidei.

4. QVANTVM *ad alterum effectum* dico primò. *Puritas cordis eſt effectus fidei.* PROBATVR. Actor 15. dicitur *Deum per fidem purificaſſe corda hominum*. & ad Titum 1. dicitur: *Omnia munda ſunt mundis, infidelibus verò nihil eſt mundum.* RATIO D.Th. Quælibet res tunc impuritatem contrahit, quando rebus vilibus miſcetur, vt cùm aurum miſcetur ſtanno, ex hac enim permiſtione auri cum metallo viliori, contrahit aurum impuritatem, ita homo quando per deſideria carnis commiſcetur creaturis, contrahit impuritatem, ſed quando homo per amorem fertur in id quod eſt ſupra ſe, v. in Deum, eleuando ſe ſupra ſe tunc puritatem aſſequitur. & huius tendentiæ & eleuationis in Deum eſt initium fides, & ſi per charitatem informetur, purificationem perfectam reddit. In ſumma tunc fit purificatio, quando homo lumine fidei illuſtratus, ex vna parte videt fœditatem peccati, ex altera gratiæ nitorem, & virtutum infuſarum ſplendorem, & tandem à rebus terrenis mentem auocat, & ad rerum ſpiritualium conſortiũ & adeptionem admouet. Hanc autem purificationem, efficit fides in genere cauſæ finalis & exemplaris, in quantum obiectiuè & diſpoſitiuè proponit rationes, quibus ad eandem puritatem coſequendam peruenire poſſimus.

DISPVTATIO VIII.

De Dono Intellectus.

Dona Spiritus S. ſeptem?

1. EX cap. 11. Iſaiæ colligimus, quòd ſeptem ſint dona Spititus S. *Sapientia*, *Intellectus*, *Scientia*, *Conſilium*, *Fortitudo*, *Pietas*, *Timor*. Ideo autem de duobus tantùm donis *Intellectus* & *Scientiæ* agimus, cũ S. Doct. quia hæc duo plus ad fidei rationem conferunt, quàm alia quinque.

Quid per Donum Spiritus S. intelligendũ?

Nota ſecundò. per *donum* SPIRITVS S. intelligimus, quandam qualitatem ſupernaturalem infuſam, per quam homo ad finem ſupernaturalem

ralem ordinatur, vt ſit paratior & expeditior, ad inſpirationes Diuinas percipiendas, & vt faciliùs à ductu Diuino moueri poſsit.& firmiùs inhæreat Deo, tanquam vltimo fini ſuo.

Inter Dona & virtutes infuſas ex vna parte, & acquiſitas ex alia eſt diſcrimen?

2. *Nota Tertiò.* Inter dona & virtutes infuſas ex vna parte, & acquiſitas ex alia eſt diſcrimen. *Primò* Nam acquiſitæ ſolùm finem naturalem reſpiciunt, dona verò Spiritus S. & infuſæ virtutes finem ſupernaturalem. *Secundò.* Quia acquiſitæ noſtro labore parantur, hæc Diuino beneficio nobis infunduntur. Inter verò Dona Spiritus S. & virtutes infuſas, duplex eſt differentia.

Inter Dona Spiritus S. & virtutes infuſas duplex eſt differentia?

Prima. Quia virtutes infuſæ actiuæ diſponũt hominem, ad agendum, vt poſsit vna cum gratia moueri deliberatè, ad actus eliciẽdos, aut credendi per fidem, aut amãdi per charitatem, aut ſuum cuiq; reddẽdi per iuſtitiam. Dona verò diſponunt paſſiuẽ, vt homo faciliùs à Diuinis inſpirationibus moueri poſſit, & interiorem impulſum Diuinum, intra ſe meliùs percipiat & patiatur ſe moueri, in omnibus morigerum præbendo ad ea, quæ ſunt ſalutis. *ſecunda* quia quædam virtutes infuſæ, vt fides, ſpes, poſſunt eſſe cum peccato mortali, ſed dona Spiritus S. nullo modo eſſe poſſunt, ſed per illud deſtruuntur. His notatis

Donum intellectus quid?

3 Dico primò. *Donum intellectus eſt lumen ſupernaturale, quô indiget fidelis ad cognoſcenda credenda, quæ lumine naturali cognoſci non poſſunt.*

Sed obijcies videri ſuperfluum eſſe hoc donum intellectus, cum ſuo lumine, ſiquidem fides & eius lumen ad ea, quæ ad credendum proponuntur eſt ſufficiens. *Reſpondeo* non eſſe ſuperfluum, nam habitus fidei & lumen eius, ſolùm determinat ad aſſentiendum rebus reuelatis à Deo. At verò donum intellectus datur homini ad intelligendũ altiori modo, & quodammodo ad penetrandum ea, quæ ſunt reuelata, non quidem auferendo obſcuritatem, quia hæc de natura eſt fidei, neq; etiam ſuggerendo rationes Theologicas, quibus fides formari poſſit, nam hoc donum intellectus etiam eſt in rudibus, neque etiam datur ad penetrandum, ſic res fidei prout ſunt in ſe, ſed ſolùm prout ſunt credibiles, diſponendo & excitando, vt myſteria fidei digniſſima eſſe iudicemus, vt illis aſſentiamur, & quòd nihil abſurdi contineant, aut quód rectæ rationi ſit contrarium, nec nos vllis rationibus aut hæreticorum, aut paganorum inflecti patimur, à firmiſſimo aſſenſu rerum fidei.

Donum intellectus non eſt ſuperfluum?

Ex quo collige maiorem eſſe & firmiorem notitiam myſteriorum fidei, cum dono intellectus, quàm cum ſola fide.

Donum Intellectus magis eſt Practicum quàm ſpeculatiuum.

4. Dico ſecundò. *Donum Intellectus magis eſt practicum quàm ſpeculatiuum,* quia præcipuè ad operationẽ ordinatur. Pſal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus.* & Pſal. 31. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via quâ gradieris.*

Donum Intellectꝰ quibus conceditur?

Dico tertiò. *Donum intellectus his conceditur, qui ſunt in gratia gratum facientе.* Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* ſed auditu addiſcimus per intellectum, & per hoc ad Chriſtum venitur. ergo non eſt ſine gratia gratum faciẽti.

Dico quartò. *Maximè autem donũ Intelle-*

Donum Intellect⁹ quibus maximè conuenit? *Intellectus his conuenit qui ſunt purgato corde.* iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* In patria verò beati iā non alio lumine quā gloriæ vtuntur, & ſicut gloria eſt gloria conſummata, ita dicimus quód intellectus in hac vita perficitur, per donum intellectus, in patria verò per lumen gloriæ cōſummabitur.

DISPVTATIO IX.

De Dono Scientiæ.

Donum ſcientiæ eſt neceſſariū ad fidem. 1. PRo determinatione dico primò. *Vt donum intellectus ita & donum Scientiæ eſt neceſſarium ad fidem.* PROBATVR. Gratia non deficit in his, in quib⁹ aptus eſt homo perfici. ſed circa veritatem fidei dupliciter aptus eſt perfici. *primò* vt capiat ea, quæ ad credendū proponuntur, & hoc ad donum intellectus ſpectat: *ſecundò* vt habeat rectum iudiciū, de credendis, diſcernendo credenda à nō credendis, & propter hoc neceſſarium eſt donum ſcientiæ.

Scientia, eſt Donum Dei qualiſnam ſit? 2. Dico ſecundò *Hæc ſcientia quæ eſt donum Dei non eſt diſcurſiua, ſed participat quandam ſimilitudinem Scientiæ Dei, qui per ſimplicem intuitum ſine vllo diſcurſu rectum iudicium veritatis habet:* ita donum ſcientiæ eſt, quod ex ſolo inſtinctu & lumine Diuino diiudicat quid ſit credendum, vnde in hominibus idiotis reperitur.

Scientia eſt duplex. 3. Dico tertiò. *Ex D. Aug. duplex eſt ſcientia.* PRIMA *eſt* per quam homo ſcit, quid credere debeat diiudicando credenda à non credendis. & hæc eſt donum Dei, & de hac loquitur D. Aug. *Aliud eſt ſcire tantùmmodo quid homo credere debeat?* ALTERA *eſt* per quam homo non ſolùm ſcit quæ credere debeat, ſed eadem alijs annuntiare & ad credendū inducere, & contrauenientes cōuincere poteſt. & de hac dicit D. Aug. *Aliud eſt ſcire quemadmodum hoc ipſum quod creditur & piis auribus opituletur. & contra impios defendatur.*

4. *Sed obijcies* plurimos fideles idiotas reperiri, qui hoc donum ſcientiæ non habent, & nihilominus fidem habent. ergo hoc donū ſcientiæ ſuperfluū. *Reſpondeo* quód fideles idiotæ non habent ſcientiā Theologiæ, per quam rationes fidei reddere poſſint, & illius aduerſarios confutare. ſed ſi homines idiotæ in gratia fuerint, dico quód cum hac ignorantia benè habere poſſunt donum ſcientiæ, per quod iudicent myſteria fidei ad credendum nobis propoſita eſſe congrua rationi & aſſenſu digniſſima: ſi autem homines ſimplices in peccatum mortale inciderint, ſtatim hoc dono priuantur. Quomodo homines idiotæ habeant dō ſcientiæ?

5. Dico quartò. *Hoc donum ſcientiæ ſecundùm S. Doct. magis eſt ſpeculatiuum quàm Practicum.* RATIO *eius*, quia hoc donū ordinatur ad fidē, ſed fides principaliter conſiſtit in ſpeculatione. ergo & donum ſciētiæ. Donum ſcientiæ magis eſt ſpeculatiuum quam Practicum.

tiæ. Secundariò tamen dicit eſſe practicum, quandoquidem fides, ad quam ordinatur donum ſcientiæ, extendit ſe ad operationem, nã finis fidei eſt prima veritas propter quam operamur. Quibuſdam tamen hoc donum ſcientiæ, magis videtur eſſe Practicum pro hoc ſtatu temporis, in quo viatores ſumus, quia per hoc donum ordinamur, ad obſeruationem Diuinorum mandatorum, ad beatitudinem æternã conſequendam. *Tum* quia hoc donum, à charitate non eſt ſeparabile, quæ nunquam eſt otioſa. Quando verò D. Th ſtatuit hoc donum ſcientiæ, eſſe magis ſpeculatiuum, loquitur de donis per ſe ſimpliciter conſideratis, reſpectu obiecti primarij v. Dei, iſti autem authores loquuntur de donis, vt ſunt in nobis viatoribus ſubiectiuè, per quæ ad beatitudinem dirigimur.

6. Dico quintò. *Hoc donum ſcientiæ reſpondet beatitudini, quæ eſt de luctu,* nam per donum ſcientiæ iudicat quam illorum iudicium fuerit corruptum, dum in creaturis tanquã in vltimo fine, ſuum bonum collocabant, & verum amittebant. Et hinc occaſio gemitus ac luctus. *Beati qui lugent,* quoniam &c & D. Aug. lib 1 cap 9. de ſerm Domini inquit: *Scientia conuenit lugentibus, qui didicerunt, quibus malis vincti ſunt, quæ quaſi bona appetierunt.* Donum ſcientiæ cui beatitudini reſpondet?

DISPVTATIO X.

De Infidelitate.

Abſoluta potiori parte Tractatus de Fide, in quo complexi ſumus ea, quæ ad rationem fidei explicandam pertinebant: nunc de vitijs oppoſitis agendum, nam vulgo dicitur quòd *oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.* *Tum* quia ad idem genus atq; ad eandem doctrinam ſpectat: ſunt autem hæc *Infidelitas, Hæreſis, Blaſphemia, Ignorantia, Hebetudo.* Sed iam de infidelitatis vitio oppoſito fidei agamus, circa quod duodecim Quæſita inquirenda proponimus: Quæ vitia ſunt oppoſita fidei?

1. *An infidelitas ſit peccatum?*
2. *An infidelitas ſit ſubiectiuè in intellectu?*
3. *An ſit maximum peccatum?*
4. *An omnis actio infidelium ſit peccatum?*
5. *An ſint plures ſpecies infidelitatis?*
6. *An infidelitas gentilium ſit cæteris grauior?*
7. *An cum infidelibus ſit diſputandum?*
8. *An infideles cogendi ad fidem?*
9. *An ſit cum eis communicandum*
10. *An poſſint Chriſtianis fidelibus præeſſe?*
11. *An ritus infidelium ſint tolerandi?*
12. *An pueri infidelium inuitis parentibus ſint baptizandi?*

QVÆSI.

QVÆSITVM I.
An Infidelitas ſit peccatum?

Infidelitas duplex.

1. AD Quæſitum dico primò. *Duplex eſt Infidelitas, quædam eſt purè negatiua* vt cum quis de Fide & de myſterijs illius, nihil penitus audiuit nec potuit audire, & eſt in eo ignorantia fidei inuincibilis *Quædam eſt poſitiua,* quam D.Th. appellat *ſecundùm contrarietatem,* vt cum quis Fidei ſibi annuntiatę cōtradicit, nec vult illi aſſentiri, ſed eam prorſus contemnit. ſecundùm illud Iſaiæ. 53. *Quis credidit auditui noſtro.*

Dico ſecundò. *Controuerſum eſt quænam harum duarum infidelitatum ſit peccatum.* Adrianus in *Quodl: 4. qu. 1.* negat quòd hic, qui nunquam audiuit de fide, poſſit à peccato infidelitatis excuſari. Idem ſentit Gabriel in *2. diſt: 22. qu. dub. 1.* qui pro ſua ſententia allegat Alexandrum Alenſem *in 2. p. q. 129. memb 8.* ſed oppoſita ſententia D. Th. verior. Pro qua ſtabilienda.

Infidelitas negatiua in quibus non eſt peccatum?

2. Dico tertiò. *Infidelitas negatiua, quæ in illis reperitur, qui nihil penitùs de fide Chriſti audiuerunt. nec audire potuerunt, nullum peccatum importat.* ita hic D. Th. *quæſt. 10. art. 1.* Caiet ibidem, Aragonius, Baneſius, Valentia, & alij recentiores, & eſt communis ſententia. PROBATVR. Ioan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* ſed infideles negatiuè nec Chriſtum loquentem, nec alios nomine Chriſti prædicantes audiuerunt. ergò à peccato omnino excuſantur. & ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audiuerunt? quomodo autem audient ſine prædicante?*

Impoſſibile eſt ſine auditu & ſine prædicatione fidem recipere?

Ex quo colligitur quòd ſit impoſſibile ſine auditu & ſine prædicatione fidem recipere. ſed infideles negatiuè nullam unquam prædicationem de Chriſto audiuerunt. ergo excuſantur ab infidelitate. RATIO omne peccatum & illius reatus, non niſi ex voluntate, & ex illius præſuppoſito conſenſu prouenit. ſed infidelitas negatiua nō prouenit ex voluntate. ergo non eſt peccatum. *Confirmatur.* Omiſſio dicitur eſſe peccatum, quando quis oppoſitum actum potuit & debuit ex deliberata intentione exercere, ſed hic qui nunquā de fide Chriſtiana audiuit, non poteſt actum credendi oppoſitum infidelitati, ex humana intentione operari. ergo infidelitas negatiua non eſt voluntaria.

Homo ſine prædicatione Euangelij &c. nunquam agnoſcet Deum

Tum Homo, qui eſt ſine prædicatione Euangelij, etiamſi quā maximam diligentiam adhibeat in contemplandis naturis creaturarum, nunquam tamen ex illis agnoſcet Deum vt authorem gratiæ & myſteriorum fidei, ſed ſolùm vt authorem naturæ. ergo indigebit reuelatione, & ſi illi facta non fuerit, infidelitas non erit in eo peccatum.

Obiectio Adriani.

3. *Sed inſtat* Adrianus. Quilibet vtens benè ratione poteſt atq; etiā tenetur

tenetur cognoſcere ea, quæ ſunt fidei. ergo & omnis infidelis, & ſi negligat incurret peccatum. *Confirmatur.* Vtens bene ratione infidelis poterit, aut immediatè ab ipſo Deo, aut per ſubmiſſum miniſtrum Dei fidem cognoſcere, ſiquidem Deus ſicut non deficit in naturalibus: ita multò magis in his, quæ ad ſalutem faciunt. ergo ſi conuenienter rationi non vixerit, incurret peccatum, quia ſe Euangelij ac fidei cognitione priuabit.

Reſponſio prima.

Reſpondeo primo. quòd hoc Argumentum nititur fundamento Pelagij. quaſi ex nobis, & pro bono vſu rationis ſit vocatio ad fidem.

Reſponſio ſecunda.

Reſpondeo ſecundo quòd ſiue paganus viuat conuenienter rationi, reuelatio quæ illi de fide facta fuiſſet, non eſſet illi voluntaria, quia ſic viuendo nunquam de illa cogitaret, *ignoti enim nulla cupido,* nec illam ſibi à Deo collatã conferẽdam fuiſſe ſperabat: ſiue etiam idem paganus negligenter viuat, ſe ad Deum non conuertendo per lumẽ naturale rationis, priuatio huius illuminationis per fidem, non eſſet illi voluntaria, nam nunquam eam intentionẽ habuit, quód hoc agendo tale ſit beneficium conſecuturus, aut non agendo amiſſurus. ergo voluntate ſua ad id non cooperaretur. ergo non poteſt illi ad peccatum imputari Quod verò Deus pagano facienti quod in ſe eſt, conferat fidem id non ex pagani deliberata intentione, nec ex congruentia operum illius moraliter procedit, ſed ex bonitate & miſericordia ſua.

Obiectio altera.

4. *Obijcies ſecundò.* D. Aug: verba *lib. 3. de Grat. & lib. arb.* vbi dicit Ethnicos, qui de fide nihil audiuerint non ideo excuſari, vt non puniantur æternis pœnis, ſed ſolùm vt leuiùs puniantur. *Reſpondeo* hunc locum D. Aug: non eſſe explicandum de infidelitate negatiua, ſed de peccatis illi annexis, quę contra legem naturæ admiſerunt, propter quæ cruciatus inferni eſt illis paratus

Reſponſio.

Obijcies tertiò cum Caiet: non acceptans id, quod eſt ſupra conditionem naturæ & ſtatus, non peccat: vt ſi ruſticus diploma nobilitatis non acceptet non peccat, ſed fides eſt ſupra conditionem naturæ humanæ. ergo non acceptãs illam non peccabit. ergo infidelitas non erit peccatum.

Obiectio tertia.

Dicunt hi quidam teneri hominem ad acceptandam fidem, quia eſt infirmus, fideș autem eſt remediũ infirmitatis. *ſed contra dico*: homo in ſtatu naturæ integræ non erat infirmus, & tamen ex præcepto tenebatur ad acceptandam fidem. vnde.

Reſponſio prima.

Reſpondeo. Illum teneri ad acceptandum id, quod eſt ſupra ſuam naturam, quando ad illud ipſum eſt deſtinatus, & quando habet conuenientia media ad id aſſequẽdum. & ſic Deus deſtinauit, naturam humanam ad ſupernaturalem beatitudinem, eidemq; contulit auxilia ſuæ gratiæ.

Reſponſio ſecunda.

Reſpondeo ſecundò poteſt Deus qui hominem ex nihilo creauit, obligare ad quemuis actum exercendum, qui etiam ſit ſupra naturam illius, dummodò det illi neceſſaria ad talem actum faciendum, excedentem ſuam naturam, vt ſi Deus homini præciperet, vt volaret eidem

dem ad hoc implendum præceptum, debita ac conuenientia huic actui media conferret.

Valentia reſpondet eum obligari ad id, quod eſt ſupra ſuam naturam, quando ita bono communi expedit, & ſic eſt in propoſito, expedit enim homini, vt aſcendat ad ordinem ſupernaturalium.

Infidelitas poſitiua eſt peccatum.

5. Dico ſecundò. *Infidelitas poſitiua ſiue ſecundùm contrarietatem, per quã quis auſcultatæ fidei repugnat, eandemq; repudiat, eſt peccatum.* PROBATVR. Marci vltimò. *Qui non crediderit*(videlicet habens fidei prædicationẽ, eam contemnendo) *condemnabitur.* & Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus eſt*, hoc eſt, ſententiam damnationis ſubijt. ergo eſt peccatum. & Ioan. 15. Iudæi ob ſolam incredulitatem, quòd Chriſto prædicanti, & miraculis ſuam doctrinam confirmanti, quia credere contempſerunt reprobati ſunt. Dicit enim Saluator: *Si non veniſſem, & locutus illis non fuiſſem, peccatum non haberent:* nunc verò excuſationem non habent, & ideo ſecundùm Chriſti verbum in hoc peccato mortui ſunt.

Infidelitatis grauitas vnde conſurgat?

Nota quód grauitas infidelitatis peccati ex hoc conſurgit, quia eſt contra Spiritum S. nam propoſitæ ſibi veritati & Diuino motui, ad eã amplectendam inuitanti reſiſtunt.

An gentilis teneatur audire quemlibet qui ſibi aliquam religionem aut ſectam prædicare velit?

6. *Noto* hic ex Baneſio; gentilis, qui in paganiſmo educatus eſt, nõ tenetur quemlibet audire, qui ſibi aliquam religionem aut ſectam prædicare velit. *Et ratio eſt*, nam ad veræ religionis doctrinam tradendam & concipiendam, lumen ſupernaturale requiritur, quo iſte caret vnde non audiendus.

Secundò gentilis cum ab aliquo audit annunciari ſibi Euangelium, non eſt ſtatim dicendus infidelis, ſi ad primã vicem non crediderit. nã Eccleſiaſtici 19. dicitur. *Qui citò credit leuis eſt corde.* ſed ſi illi ſufficienter fuerit deductum, hanc vnam inter alias religiones ſuperſtitioſas credibilem eſſe, & in ratione veri cultus Diuini alias ſuperare. *Et ratio eſt.* quia ex duobus credibilibus, non tenetur homo credere illud quod eſt minus, neq; quod eſt æqualiter credibile, ſed illud quod ſit magis.

Dices licitum eſſe homini, opinionem probabilem ſequi, etiamſi minùs ſit probabilis. ergo ex duobus credibilibus quod ſit magis nõ tenetur eligere. *Reſpondeo* licitum eſſe concedere, niſi inde aliquod graue periculum ſubſequatur. ſed in fide graue periculum committitur, quia aberratur ab vltimo fine, idcirco quod magis credibile illud eligendum.

QVÆSITVM II.
An infidelitas ſit in intellectu tanquam in ſubiecto?

7. Dico

Infidelitas eſt in intellectu. 7. DIco primò. *Infidelitas eſt in intellectu tanquã in proximo ſubiecto, in voluntate verò tanquam in motiuo ſeu in imperante.* PROBATVR. *Contraria ſunt in eodem ſubiecto.* ſed fides cui contrariatur infidelitas eſt in intellectu. ergo & infidelitas in eodem. *Confirmatur* Iſaiæ 6. *Excæca cor populi huius.* Marci 15. *Cæci ſunt & cæcorum duces.* ſed cæcitas & viſio ſunt ſibi oppoſita, & opoſita accidentia ſunt in eodem ſubiecto, & viſio pertinet ad intellectum. ergo & cæcitas & per conſequens & infidelitas.

Obiectio. 8. *Sed obijcies,* omne peccatum debet eſſe voluntarium: ergo eſt in voluntate, ergo & infidelitas in voluntate, cum ſit peccatum. *Reſpondeo* omne peccatum eſſe quidẽ à voluntate, ſed in voluntate aut eſt ſubiectiuè aut imperatiuè, peccata igitur quæ ſunt contra virtutes, quæ habent voluntatem pro ſubiecto, etiam in voluntate vt in ſubiecto reponuntur. ſed peccata commiſſa contra virtutes intellectus ſunt imperatiuè ſeu motiuè in voluntate, quia ad peccatum ratio libertatis eſt neceſſaria, quæ in voluntate formaliter reſidet. ſed ſunt ſubiectiuè in intellectu, & ſic ſe habet infidelitas.

Reſponſio.

9. *Nota* infidelitas poſitiua in quantum eſt voluntaria, non ſolũ eſt in intellectu, ſed ſimul eſt in voluntate, quoad principium motiuum (vt iam dictum) ſed infidelitas purè negatiua, quæ eſt carentia fidei, eſt quidem aliquo modo in intellectu, ſed nullo modo in voluntate, vt in principio motiuo, quia neq; directè neq; interpretatiuè eſt volita, nã aliàs eſſet peccatũ. Infidelitas quomodo ſit in intellectu & quomodo in voluntate?

Sed obijcies poſſe eſſe infidelitatẽ in ſola voluntate & non in intellectu, vt ſi quis ratione conuincatur, quòd ſit vnus Deus, & nihilominus ſi hoc ipſum vellet negare ſi poſſet. *Reſpondeo* hanc talem infidelitatem, non eſſe per ſe formaliter in voluntate, ſed ſolùm ſecundùm quoddam deſiderium, quia vellet negare ſi poſſet. Obiectio.

Reſpondeo ſecundò quód hic homo qui eſt in tali affectu infidelitatis, quòd vellet hoc ipſum negare ſi poſſet, iam ſecundùm intellectum eſt infidelis, nam oritur ex quodã falſo iudicio & errore exſiſtente in intellectu. Quòd verò conuictus credat, eſt hæc fides omnino ficta, aut prorſus humana & non infuſa. Reſponſio ad eam.

QVÆSITVM III.
An infidelitas ſit maximum peccatum?

Quomodo infidelitas ſit maximũ peccatum? & quomodo minus? 10. DIco *Infidelitas comparata, ad illa peccata quæ ſunt contra virtutes morales, eſt maximum peccatum. Sed comparata ad peccata aliarum infuſarum virtutum, vt ſpei Charitatis eſt minus.* PROBATVR Primum. Quodlibet peccatum auertit

à Deo. Ergo illud cæteris grauius, quod magis auertit, ſed infidelitas ſic ſe habet, quia infidelis ipſum Deum, & viam accedendi ad Deum, reſpuit & contemnit: alia verò peccata cõtra virtutes morales, aliquo modo ſupponunt Deum. Ergo infidelitas maius peccatum. *Deinde*, magis ille auertitur a Deo, qui nec cognoſcit Deũ, nec colit, quàm qui cognoſcit, ſed non colit; ſed hoc eſt in alijs peccatis, illud verò in infidelitate. ergo. *Præterea* Is qui credit admittit admonitiones, pœnitet eum mali, ſed qui non credit nec admonitiones, nec pœnitentiam recipit, nec vllius diſpoſitionis eſt capax. ergo infidelitas grauius peccatum. *Deniq;*. Infidelitas opponitur præſtantiori obiecto v. Deo quem adimit, reliquarum autem virtutum eſt obiectum actio perfecta quibus vitia opponuntur. ergo grauius peccatum infidelitas.

Quomodo infidelitas ſit minus peccatum?

11. PROBATVR. alterum. *quod infidelitas ſit minus peccatum quo ad peccata infuſarum, virtutum.* Quia peccata contra ſpem & charitatem, ſupponunt infidelitatem, & vltra hanc addunt nouam malitiam, malum autem additum malo, facit deteriorem malitiam. *Deinde*. quia peccata contra ſpem & charitatem commiſſa, ſunt contra virtutes, quæ ſua præſtantia vincunt Fidem. vnde peccata illa ſunt peiora, quæ virtutes nobiliores à nobis auferunt.

Charitas præſtantior fide.

Quod verò *Charitas ſit præſtantior Fide* patet; quia charitas facit hominem ſimpliciter Deo charum, & vita æterna dignum, quod ſola Fides non præſtat. *Tum* charitas eſt in beatis, Fides autẽ non eſt. ergo.

Spes præſtantior fide.

Quod verò *Spes ſit præſtantior Fide* id quoq; certum. id enim quod in generatione eſt primum eſt imperfectius, ſed Fides in ordine generationis ſpiritualis, vt in baptiſmo eſt prior ſpe. ergo quid imperfectius, ſpes verò iam quiddam perfectius. *Tum*. Quia ſpes ſupra fidem vlteriorem perfectionem addit.

Odium Dei eſt maximũ peccatum.

12. Denique *quòd odium Dei, quod eſt contra charitatem, ſit maximum peccatum* probatur. illud eſt magis tale, quod eſt per ſe tale, quàm quod per participationem. ſed odium Dei eſt per ſe tale, quia abſolutè, includit in ſe auerſionem à Deo, reliqua verò peccata includunt ſecundùm quandã participationem, nam quoduis peccatum habet Dei contemptũ, atq; etiam odium Dei. ergo odium Dei ex ſua natura eſt grauius cæteris.

Nota idem peccatum atq; etiam ipſa infidelitas, ſecundùm diuerſas rationes conſiderata, poteſt reliquis eſſe grauior, poteſt quoq; eſſe & leuior, idq; ſi ſpectetur aut ex ſuo genere, aut ratione circumſtantiarum.

Infidelis quomodo Deum non cognoſcit.

Nota ſecundo cum dicit D. Thomas *Non poteſt eſſe, quòd infidelis, quantum ad Quid Deum cognoſcat, qui falſam de eo opinionem habet, quia id quod ipſe opinatur non eſt Deus.* id ita intellige (vt Valentia benè aduertit) quòd infidelis conſideratus formaliter, in quantum eſt infidelis, non cognoſcit Deum, ſed materialiter benè poteſt aliqua cognoſcere. quod Deo reuera conueniunt per diuerſas ab infidelitate rationes. Huius Dicti vide interpretationem triplicem apud Caiet: hic *qu: 10. 2 ar 3.*

QVÆ-

QVÆSITVM IV.

An omnis actio infidelis ſit peccatum?

Hæreticorum error circa hanc quæſtionem

13. IN Tractatu noſtro de Gratia, iam huius Quęſiti veritatē determinauimus, idcirco breuibus hanc difficultatem expedimus,

Aſſerunt Hæretici (vt Lutherus art. 36. Melanchton in Apologia confeſſionis Auguſt: Caluinus, & alij.) Infideliū omnia opera eſſe peccatum. *Rationes illorum* Matt: 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*, ſed infidelis eſt arbor mala ergo opera infidelium mala. Et *Nunquid colligunt ex ſpinis vuas?* Sed infideles ſunt ſpinæ. Ergo vuas bonorum operum ferre non poſſunt. Et Lucæ 11. *Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit, ſi autē nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Sed per *oculum ſimplicem* intelligunt Doctores intentionem bonam, per *oculum nequam*, intentionem malam. Sed intētio infidelis eſt nequam circa finem. nam idola colunt denegando cultum vero Deo. Idem ſentit inter Scholaſticos Gregorius Ariminenſis, *in 2. diſt. 28.* Ratio illius *Quia infideles penitus ignorant verum Deum, vnde infidelium omnis actio, etiam cum parentes venerantur eſt peccatum, quia & hanc actionem, & omnes alias in falſum Deum referunt.* Pro determinatione contrariæ ſententiæ tāquam verioris.

14 Dico. *Infideles poſſunt aliqua opera moraliter bona, quæ non ſunt peccata, exercere etiam nullo auxilio ſupernaturali ſuperueniente.* PROBATVR. Exodi 1. Ægyptiæ obſtetrices, quia cōſeruabāt mares, qui ex Hebræis naſcebantur, laudantur a Sacra Scriptura, quód in eo timuerunt Deum, & quód pro eo beneficio ædificauit illis Dominus domos, ſed hæ obſtetrices erant infideles. ergo infidelium opera ſunt moraliter bona. *Ratio ſecunda.* 2. Reg 17. Bercelaus Galaadites & reliqui cū eo erant infideles, ſed quia Dauidem fame & ſiti laborantem neceſſarijs recrearunt, laudantur. ergo hoc opus erat moraliter bonum. *Ratio tertia* D. Ambr lib. 1. de Abraham cap. 2 Regis Ægypti factum laudat, quód vbi cognouit Saram eſſe legitimam vxorē Abrahæ, eam illi intactam reſtituit, & hic erat idololatra. ergo hoc opus eius erat moraliter bonum.

Infideles poſſunt aliqua opera moraliter bona exercere?

Et ratio eſt. Infidelis viſo egente poteſt illius miſereri, & ex dictamine rationis ſubuenire. ſed ſubuenire egeno eſt opus moraliter bonū. Ergo. Et Chriſtus D in parabola factū Samaritani, qui vulnera alligauit proximi, & iumento impoſuit, & illius curam habuit, laudat illis verbis cūm ad legiſperitū dicit: *Vade & tu fac ſimiliter.* ſed hic Samaritanus erat infidelis. ergo infidelis opus moraliter bonum præſtare poteſt. *Confirmatur.* ſi infidelis

ſidelis videat proximum in caſu neceſſitatis conſtitutum, & ſi tunc illi non ſuccurrat, peccabit ſaltem contra dictamen rationis, quod iubet ſic periclitanti ſuccurrere. ergo cùm hoc ipſum facit non peccat. ergo illius hoc opus erit moraliter bonũ. *Praterea* cùm ſit quoddam naturale præceptum de dando eleemoſynam pauperi, tunc valdè eſſet durum, quia hoc præceptũ nemo infidelium poſſet implere, niſi nouum peccatum committendo. *Sequela* ſiquidem omnis actio infidelis peccatum. *Ad extremum* peccatum ſolùm aufert gratiam, ſed bona naturæ manent, ſed infidelitas eſt peccatum. ergo ab infideli ſolùm gratiam aufert, ſed nõ aufert bona naturæ. ergo per illa poterit infidelis opera moraliter bona exercere. Et teſtis eſt D. Auguſt. in Hippognoſtico vbi ſic ait: *Sine gratia manet liberum arbitrium, per quod homo poſſit operari bona, quæ ſunt præſentũ vitæ vt agros colere, amicos habere, & his ſimilia facere.*

Obiectio Ariminẽſis.

15. *Sed inſtat Ariminenſis* vt ſit actio bona debet eſſe referibilis in Deũ, per fidem cognitum. *Ad hoc cum Caietano dico* vt aliqua actio ſit moraliter bona, non eſt neceſſe vt actu in Deũ referatur, ſed ſufficit quòd virtualiter ordinetur eo modo, vt cùm infidelis dat eleemoſynam, intendit hoc bonum particulare, vt ſ. proximo ſubueniat. ſed quoduis bonum particulare virtualiter refertur in ſummum bonum, quod eſt Deus. ergo ex eo bonitatem moralem habebit.

Vt opus moraliter ſit bonũ quid requiratur.

Secundò reſpondeo ad hoc vt ſit opus moraliter bonum, non eſt neceſſe, vt referatur in Deum, per fidem cognitum, quia hoc ſolùm neceſſarium eſt ad opus meritorium, ſed ſufficit ſi ad Deum naturaliter cognitum, vt eſt author naturæ referatur. Quod etiam Concil. Trid. Seſſ 6. Can. 7. confirmat, cùm damnat eos, qui dixerint actiones hominis ante iuſtificationem eſſe peccatum.

Ex quo collige quód gratia iuſtificans ad opus moraliter bonum nõ eſt neceſſaria.

Ad rationes hæreticorum reſpondetur.

Ad rationes ex Scriptura adductas reſpondeo. per *arborem* intelligenda eſt voluntas, ex qua quicquid procedit tale eſt, qualis eſt intentio, & quamuis ex mala voluntatis intentione opera mala procedant, tamen negamus, quòd infidelis in omni ſua actione hanc malam voluntatem retineat.

Ad fundamentum Ariminenſis.

Ad fundamentum Ariminẽſis dico cum Caiet. ad actionem moraliter bonam non eſſe neceſſarium, vt illa actio actualiter in cognitionem veri Dei referatur, ſed ſufficit quod ordinetur virtualiter. *Tum* dico eſſe prorſus impoſſibile, vt infidelis omnes ſuas actiones in Deum referat.

QVÆSITVM V.
An ſint plures infidelitatis ſpecies?

16. Pro

Species infidelitatis quomodo non ſunt determinatæ?

16. **P**Ro reſolutione dico primò. *Si infidelitas poſitiua conſideretur materialiter, hoc eſt reſpectu diuerſorum errorum, qui fidei opponuntur, ſic ſpecies eius non ſunt determinatæ.* PROBATVR. ex varijs enim erroribus, qui circa fidem emerſerunt, varia nomina Hæreticorum exorta ſunt, vt quidam Ariani, Pelagiani, Samoſateni ſint appellati, vt videre licet apud Gabr. Prateolum, & Alphonſum à Caſtro, qui propè infinita monſtra hæreticorum enumerat. *Deinde* præter has hæreſes quæ iam ſunt, longè adhuc plures exoriri poſſunt, tam cōtra principia fidei, quàm contra Concluſiones, & nulla eſt propoſitio fidei, contra quam non poſſit varijs modis peccari. ergo innumeræ ſpecies infidelitatis materialiter eſſe poſſunt.

Infidelitatis ſpecies tres.

17. Dico ſecundò. *Si autem conſideretur hæc eadem infidelitas poſitiua, in ordine ad fidem cui renititur, ſic eius erūt tres ſpecies, ſ: Paganiſmus, Iudaiſmus, & Hæreſis.* PROBATVR. triplex eſt modus ſecundùm quē conſiderari poteſt infidelitas poſitiua: *primò* in his qui nunquam ſuſceperunt fidem, & ſic eſt *Paganiſmus*: *ſecundò* in his qui ſuſceperunt fidem, ſed in figuris & implicitè, & ſic eſt *Iudaiſmus*: *tertiò* in his qui eam ſuſceperunt, & ſunt profeſſi, & poſtea deſeruerunt, & ſic eſt *Hæreſis*. ergo tres erunt infidelitatis ſpecies.

Ratio ſecunda ſicut circa ablationem rei alienæ, diuerſa ſunt peccata, vt ſi quis furetur nullo voto ad paupertatem Euangelicam obligatus, eſt ſimplex furtum: ſi quis verò poſt votum emiſſum furetur, eſt perfidiæ & ſacrilegij peccatum, nam promiſit ſe nihil vnquam proprij habiturum. Similiter in materia incontinentiæ, aliud eſt, ſi quis nullo voto obſtrictus in fornicationem incidat, & aliud eſt ſi votum caſtitatis emiſit, nam incontinentiæ crimen in ſoluta perſona eſt ſimplex fornicatio, in religioſa & conſecrata Deo eſt Sacrilegium: ita quoq; variæ ſunt infidelitatis ſpecies pro diuerſa conditione qua fidei contra nituntur, quidā enim eam non receperunt vt pagani: quidam receperunt ſed ſub figuris, vt Iudæi: quidam expreſsè receperunt, ſed eandem abiecerunt vt Hæretici. ergo hæ tres ſpecies infidelitatis ſunt diuerſa peccata.

18. *Ratio tertia.* Confirmat authoritas Eccleſiæ quæ feria ſexta magna diſtinctè orat pro Paganis, pro Iudæis, pro Hæreticis tanquā pro infidelibus, nec aliorum facit mentionem. ergo ſolùm ſunt tres. *Deinde* triplex eſt modus Catholicam fidem oppugnandi, & ſuos errores defendendi. *primus* vtendo rationibus naturalibus, & hi ſunt Pagani: *alter* eorum qui ex locis veteris teſtamenti male intellectis, ſumunt errorum rationes, & tales ſunt Iudæi: *tertius* eorum qui ex noui & veteris teſtamenti deprauatis locis, ſuas hæreſes confirmant & tales ſunt Hæretici. ergo tres ſunt ſpecies.

Modus triplex Catholicam fidem oppugnādi erroreſque ſuos defendendi.

Nota Triplex hæc ſpecies Infidelitatis, ex triplici obligatione oritur, in Paganis enim eſt generalis obligatio, quæ in illis verbis habetur. *Qui non crediderit condemnabitur.* in Iu-

Vndenam oriatur hęc triplex ſpecies infidelitatis?

in Iudæo & Hæretico iam ſpecialis obligatio, ſed diuerſo modò, in quantum hic baptizatus & ille circumciſus, & ſicut circumciſio inducit obligationem ſeruandæ legis antiquæ, ita baptiſmus inducit obligationem ſeruandæ legis Euangelicæ.

Quomodo hæ ſpecies infidelitatis differãt?

19. *Sed quæres.* An hæ tres ſpecies Infidelitatis differant ſecũdum eſſentiam, an verò ſecundum accidens? *Reſpondeo* quoſdam affirmare quòd eſſentialiter differant, quoſdam verò quòd ſecundùm accidens. Pro determinatione.

Peccatorũ ratio duplex.

Noto ex prima ſecundæ quæſt: 72. Peccatorum duplicem eſſe rationem. *quædam eſt priuatiua,* quando actio humana caret debita perfectione virtutis oppoſitæ, vt furtum eſt *actio carens perfectione iuſtitiæ, tanquam oppoſitæ virtutis* quæ ſuum vnicuique tradit *Quædam poſitiua,* quando homo peccans, actionem ſuam conuertit, ad aliquam materiam & ad certum finem, & inde ſumit ſuam malitiam, & hæc ſpecies peccati dicitur eſſe obiectiua ſeu materialis. Hoc præmiſſo.

Infidelitatis ſpecies quando differunt accidentaliter?

20. Dico ad Quæſitum *Quòd tres prædictæ infidelitates Päganiſmus, Iudaiſmus, Hæreſis, conſideratæ vt dicunt priuationem, ſic quo ad eſſentiam conueniunt & ſolum ſecundùm accidens differunt.* PROBATVR. Hæ prædictæ infidelitates vni virtuti v. Fidei opponuntur, illiuſq; rationem formalem, quæ eſt vnica tollunt. ergo vt dicunt priuationem eandem eſſentiam habebunt. *Tandem* fidem promittere aut non promittere, acceptare, aut non acceptare, ſunt accidentia, quæ ad peccatum infidelitatis ſpectant. ſed ſecundùm hæc diſtinguuntur, nam paganus non ſuſcepit fidem; Iudæus verò ſuſcepit in figuris: Hæreticus tandem ſuſcepit expreſſè ſed abiecit. ergo ſecundùm accidens differunt. *Deniq;* magis & minùs non variãt ſpeciem. ſed hæ tres ſpecies ſecũdum magis & minùs differunt: Paganiſmus enim ſimpliciter abijcit fidem. Iudaiſmus non ſimpliciter reſpuit, quia ſub figuris retinet, Hæreſis retinet etiam obiectum fidei, ſed habet ſe circa illud ſecundũ arbitriũ volũtatis, vt eligat quæ velit & abijciat, quæ ſibi diſplicẽt.

Quando infidelitatis species eſſentialiter differunt?

21. *Si verò hæ tres ſpecies infidelitatũ conſiderentur in quantum ſunt circa diuerſas materias, ex quibus ob diuerſa motiua, diuerſi errores exoriuntur ſic eſſentialiter differunt.* PROBATVR. Obiectum materiale cuiuſlibet peccati, eſt quiddam primariũ, circa quod vnumquodq; peccatum verſatur, vt luxurioſus circa voluptates, auarus circa pecuniam. nam intentio peccatoris non vult auerſionem à Deo, ſed ſolùm aliquod bonũ apparens & delectabile indebito modo. ergo quo ad materiam conſiderata illius diuerſitate eſſentialiter inter ſe differunt.

Ratio ſecunda. In materia de peccatis docetur, quòd peccata non ſolùm illa eſſentialiter diſtinguuntur quæ diuerſis virtutibus opponuntur, ſed etiã quæ vni & eidem, ſicut auaritia & prodigalitas opponuntur liberalitati, dum modò illa vitia, non procedant ex eadem propenſione, ſed ſe mutuò impediant, & ſic ſe habent auaritia & prodigalitas, nam prodigus non eſt auarus, nec auarus eſt prodigus, & ideo & vni liberalitati oppo-

opponuntur, & inter ſe eſſentialiter diſtinguuntur. ſed fidei hæ plures infidelitatis ſpecies opponuntur, & illarum errores ſunt diuerſi, & mutuò ſe impediunt. nam Paganus non eſt Iudæus. deberet enim primùm circumcidi, & ſub figuris eſſe. & Iudæus non eſt Hæreticus, nam deberet baptizari, & fidē expreſſè recipere, & eandē repudiare. ergo eſſentialiter diſtinguūtur.

Obiectio Caietani. 22. *Sed Caiet. format* hic dubium præter has tres ſpecies, Turciſmus eſt peculiaris ſpecies infidelitatis, nam admittit quædam reuelata, vt Chriſti matrem eſſe virginem, Deū eſſe vniuerſi creatorem, & futurū iudicium.

Reſponſio ad eam. *Reſpondeo* Turciſmum ſub infidelitate Paganorum debere comprehendi: nam Turcæ Chriſti fidem omnino, vt Pagani repudiant; eamque, neq; in figura, vt Iudæi, neque expreſsè vt Hæretici profiteri volunt. Quód verò aliqua ex fide reuelata decerpta admittunt, non ſic admittunt, quaſi à Chriſto ſint tradita, ſed vt à ſuo Machometo præcepta. *Similiter* ſi quis dicat in infidelitate paganos, idololatras diuerſos fuiſſe à Philoſophis, quia Philoſophi idola non credebant eſſe Deos, ad hoc dicendum, tam idololatras quàm Philoſophos in eo conuenire, quód fidem & doctrinam Chriſti abijciunt, nec aliquid propter Diuinam reuelationē credere volunt, quód verò idololatræ ſunt in maioribus erroribus quàm Philoſophi, id ſolùm differentiam materialem inter eos conſtituit.

QVÆSITVM VI.
An Infidelitas Paganorum ſit deterior?

Vnde grauitas infidelitatis ſit ſumenda? 23. AD iudicium ſtatuendum, quænam harum infidelitatum ſit deterior, Fundamentū S. Doct. præoculis habendum, v. grauitatem & malitiam infidelitatis æſtimandam eſſe ex renitentia & abiectione fidei, vnde dico tria.

Infidelitas hæreticorū deterior Paganiſmo & Iudaiſmo. Dico primò. *Infidelitas Hæreticorū deterior eſt Paganiſmo & Iudaiſmo.* RATIO quia in illis maior eſt renitentia, maior abiectio & contemptus fidei, quia eam fidem quam cognouerunt, & quam ſunt profeſſi repudiant & oppugnant. *Deinde* quia peius eſt fidem ſuſceptam impugnare, quam ſi nunquam eā ſuſcepiſſes, quia maior ingratitudo, nam eſt abuſus Diuinorum beneficiorum. *Præterea* quia notam perfidiæ adiunctam habet, grauiùs enim peccat, qui non implet quod promiſit, quàm qui non implet quod nūquam promiſit. Et D. Hieron. in cap. 18. Iſaiæ dicit Hæreticos ſua impietate omnes vincere, nā meliùs illis erat, non cognoſcere viā iuſtitiæ quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti.

Paganiſm⁹ deterior Iudaiſmo & ipſa hæreſi.

24. Dico ſecundò. *Poſt hæreſim deterior Paganiſmus Iudaiſmo & ipſa hæreſi.* quia Pagani ſimpliciter omne obiectum fidei abijciunt, & nullos libros ſacros, nullas traditiones Eccleſiaſticas, nullam reuelationem admittunt è contra Hæretici & Iudæi admittunt. ergo infidelitas Paganorum deterior, ſcilicet extẽſiuè ob magnitudinem & multitudinem materiæ, fidei, quàm illi reijciunt, quia penitus omnia diuinitus reuelata negant, Iudæi autẽ non omnia, nam agnoſcunt quæ ad doctrinam Noui teſtamenti ſpectant, Hæretici ſolùm quædam ex Nouo teſtamento abijciunt.

Infidelitas Iudæorũ eſt peccatum grauius quã paganorũ?

25. Dico tertiò. *Infidelitas Iudæorum eſt peccatum grauius quàm Paganorum.* quia in infidelitate grauiùs peccat qui renititur fidei aliquo modo ſuſceptæ, quàm qui eam nũquã ſuſceperũt, ſed Iudæi fidem ſuſceperunt in figuris, eidemq; renituntur, gentiles autem nunquã eam ſuſceperunt. ergo Iudæorum infidelitas grauior infidelitate Paganorum.

Nota ſi Iudæus à ſuſcepta Chriſti fide ad Iudaiſmum relabatur, tunc eiuſmodi infidelitas erit grauior hæreſi Et ſi Chriſtianus abiecta Chriſti fide ad Paganiſmum redeat, talis infidelitas omnium grauiſſima erit. Idem dicendum ſi contingat quód aliquibus ſufficienter veritas doctrinæ Chriſti ſit deducta, quidam tamen in ſuo paganiſmo manent, alij verò Iudaiſmũ, alij hæreſim ſuſcipiunt. nam circa fidem tantò grauius eſt peccatum, quantò plura negantur, quæ ad fidem pertinent.

QVÆSITVM VII.

An cum infidelibus publicè ſit diſputandum?

Cum hæreticis diſputatio ordinariè vitanda eſt?

26. AD Quæſitum Dico primò. *Cum Hæreticis diſputatio ordinariè vitanda eſt.* PROBATVR. Solent enim hæ diſputationes inutiles eſſe. Probatur 2. ad Timot. 2. *Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* ſed in diſputatione cum hæreticis eſt contentio in verbis, eſt ſubuerſio audientium, quia hæretici tunc ſpargunt ſuos errores. ergo vitanda diſputatio cum illis. Et ad Tit: 3. Iubet Apoſtolus vitari hæreticum, non poſt diſputationes, ſed poſt vnam & alteram correptionem. *Deinde* ex diſputatione cum hæreticis augetur peccatum infidelitatis, dum inſolenter contradicunt propoſitæ veritati. Ita Tertulianus ſcribit de Præſcript. cap. 15. *Scripturas obtendunt, & hac ſuâ audacia ſtatim quoſdam mouent, in ipſo verò congreßu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.* Et D. Auguſt: lib. 13. contra Fauſtum cap. 12. *non enim diſputare amant hæretici, ſed quodam modo ſuperare impudentiſſima perticacia.* Ex quo arguo. Diſputatio ad inquirendam

rendam veritatem eſt inſtituta. ſed hæretici diſputant, non ad inquirendam veritatem, ſed vt vincant. ergo vitandi. *Tum* illud certamen, (vt ait Tertulianus) abſurdum eſt ex quo nihil ſequitur præter euerſionem ſtomachi & cerebri, & ex hac contentione vocem perdis, & bilem ac dolorem ex blaſphemia pati debebis.

Quando publicè cum hæreticis diſputandũ

27. Dico ſecundò. *Si autem ex diſputatione ſperatur vtilitas vt conuerſio hæretici, aut quia auditores ſimplices ſunt ſolicitati ad infidelitatem & inter eos ſparſi ſunt errores infidelium, tunc neceſſarium eſt vt publicè cum hæreticis viri docti diſputent.* PROBATVR. Chriſtus D. Lucæ 2. annos habens duodecim inuentus eſt à parentibus in medio Doct: interrogans & reſpondens de rebus fidei. Et Ioan: 8. cum Phariſæis diſputauit. *Deinde* Actor: 6. 7. D. Stephanus diſputauit cum Libertinis Cyrenenſibus & Alexandrinis. Et Actor. 9. de D. Paulo legimus *Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci affirmans quia hic eſt Chriſtus.* Et multi Sanctorum Patrum, fidem Chriſti publica diſputatione, contra Hæreticos defenderunt, quod quidem feciebant magis, vt Catholicos in fide confirmarent, quàm vt ex hæreticis aliqua lucra animarum reportarent, qui faſtu hæretico turgentes & victoriæ inſolenter cupidi exſiſtentes, ſe indignos veritatis agnitione faciunt.

In diſputatione cum hæreticis publica, ſeruãda. 5.

28. *Nota.* Quinque in hac diſputatione ſeruanda. *primùm* vt cum modeſtia fiat: ſeruum enim domini non oportet litigare, ſecundò ad Timot: 2. *ſed cum modeſtia corripientem eum, qui reſiſtit veritati. ſecundum* vt nunquam diſputatio ſuſcipiatur coram ſimplicioribus, qui nunquam de hæreticorum erroribus & argumentis audiuerunt. Quia (vt dicit D. Th.) tunc illorũ fides eſt firmior, quando nihil diuerſi ab eo, quod credunt audiuerunt. *tertium* vt Catholicus diſputator cum articulum fidei, de quo diſputat, nunquam apud ſe dubium faciat. Quia deliberatè dubitans indubitanter peccat, nam dubius in fide eſt infidelis. *quartum* vt Catholicus diſputator ſit in rebus fidei ſolidè inſtructus, & non ſolùm par ſit infidelibus in doctrina ſed multò ſuperior. nam faciliùs eſt obijcere argumenta, quàm ea dilucidè & plenè ſoluere, præſertim autem in his, quæ captum naturalem excedunt, & lumine ſupernaturali nituntur. *quintum* vt diſputans de fide non ſit laica perſona licet ſufficienter ſit docta. Ita prohibet capitulum *Quicunq. de Hæreticis in* ſextò vbi dicitur, *Inhibemus ne cuicunq. laicæ perſonæ liceat publicè aut priuatim de fide Catholica diſputare, qui verò contra fecerit excommunicationis laqueo innodetur.* Per *perſonam laicam*, non vir illiteratus (vt Gloſſa habet,) ſed omnis ille intelligendus, qui non ſit clericus. *Et ratio eſt.* Quia laicis munus prædicandi in Eccleſia non tribuitur. ergo multò minùs diſputandi. nam difficiliùs eſt, & periculoſiꝰ diſputare, quàm prædicare. *Tum* Doctores in Eccleſia non temerè Chriſtus inſtituit. Et apud Malachiam habetur. *Labia Sacerdotis ſcientiam cuſtodiunt.* Si tamen publica neceſſitas vrgeat, & magna vtilitas, ita quód non in-

Laicis cum Hæreticis diſputare non licet.

terſit clericus doctus, poterit Laicus pro honore Dei, & pro ſalute proximorum fidei defenſionē, contra Hæreticos ſuſcipere, id tamen paucis verbis exſequi debet, & hæreticum ad Doctores Eccleſiæ relegare.

Laico cum Hæreticis diſputare licet ſed quo modo?

Valentia & quidam cum eo recentior deferūt Laico facultatem diſputandi cum Hæreticis, in his regionibus, in quibus prædominantur hæreſes. *Ratio eius.* videtur enim res ad ſtatum naturæ redire, ac ſi in contrarium nulla eſſet lex poſitiua. *Ratio ſecunda.* Quia excōmunicatio non eſt latæ ſententiæ, non enim dicitur *Excommunicatus eſt* ſed *Excommunicationis laqueo innodetur.*

Diſputationes publicæ cum hæreticis non niſi de conſenſu Epiſcopi ſunt faciendæ?

29. Dico tertiò. *Hæ Diſputationes publicæ cum infidelibus non niſi de licentia, & conſenſu Epiſcopi ſunt faciendæ.* PROBATVR. quia ad Epiſcopos munus docendi, & Euangelij doctrinam propagandi ſpectat, atq; etiā eiuſdem defenſio, per diſputationem. ad Tit. 1. de Epiſcopo dicitur, *vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* *Deinde* quia his aſſiſtentia Spiritus S promiſſa, ne in gubernanda Eccleſia, & in rebus dubijs circa fidē explicandis errent: *Mittam vobis Spiritum veritatis.* *Tum* quia ſolicitudo Eccleſiarum eſt penes Epiſcopos. Actor 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* *Tandem* quód hi ſunt Doctores 1. ad Tim. 3. *Oportet Epiſcopum eſſe Doctorem.* Et hic quidem titulus, licet Theologis ob inſignem illorum doctrinam tribuatur, tamen principaliter Epiſcopis conuenit, hi enim ſunt Doctores Doctorum, & Magiſtri magiſtrorum appellandi, vnde Concil. Trid dicit: *Omnes Epiſcopi, atq; etiam Archiepiſcopi debent per ſeipſos docere, ſi legitimè impediti non fuerint.* Ab his itaq; Diſputator Catholicus conſenſum requiret, & miſſionem obtinebit, atq; etiam benedictionem, vt hoc certamen pro fidei defenſione feliciùs cedat.

Epiſcopi debent eſſe Doctores

QVÆSITVM VIII.

An infideles compellendi ſunt ad Fidem?

Qui non ſunt compellendi ad fidem Chriſtianam?

30. DIco primò cum S. Doct. *Infideles ſicut Pagani & Iudæi, qui nunquam fidem Chriſti ſuſceperunt, non ſunt vi compellendi ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam, ſed ſolùm ſunt inducendi.* Huic Dicto contrarium tenet Scotus *in 4 diſt. 4. q. 9.* Gabriel. ibid. *quæſt 2. dub. 1.* v. quód debent cogi ad fidem. ſed noſtrum Dictum eſt communis ſententia Doctorum: ſic enim habet D. Th. *hic quæſt. 10. art. 8.* Dur. Paludanus, Richar. *diſt. 6. quæſt 1 art. 3.* PROBATVR. fidei prædicatio & propagatio pendet ex Chriſti inſtitutione. ſed Chriſtus D. mittens Diſcipulos, ad annuntiandum Euangelium gentibus, arma ſpiritualia illis contulit, ſecularia autem ademit.

mit. ergo noluit vt cogerent gentes.

Quæ arma ſpiritualia dedit Chriſtus Apoſtolis?

31. Sunt autem hæc arma ſpiritualia: *inprimis* dedit poteſtatem faciendorum miraculorum, vt doctrinæ, quam annuntiabant, fidem conciliarent cum v. ſicut & miracula de cælo, ita & eandem eſſe viderent: *ſecundò* dedit manſuetudinem, vt in quamcunq; domum ingrederentur, pacem precarentur: *tertiò* contulit patientiam, & fortitudinem, vt eam in aduerſis exhiberent, quæuis tormenta pro fidei confeſſione ſubeundo, & ideo iuſſit eos eſſe ſicut oues in medio luporum. Ab his verò, qui fidem annuntiatam non reciperent, non aliam vindictam ſumere iuſſit, quã vt à pedibus excuterent puluerem, in ſignum illorum damnationis. Secularia autem arma ademit, vt virgam & baculum, quæ ſunt ſigna coërcitiuæ, & compulſiuæ poteſtatis, quâ noluit Apoſtolos vti inter prædicandum.

Quam virgam Chriſtus Apoſtolis permiſit ferre?

32. *Sed dices* Marci 8. permittit Chriſtus Apoſtolis, vt ferant virgam? *Reſpondeo* illam hic concedit, quæ ad fulciendum eſſet, & quâ peregrini labore itineris feſſi ſe ſuſtentare ſolent, vt Iacob dicebat: *In baculo meo tranſiui Iordanem.* ſed quæ ſit ad verberandum, & compellendum deferre prohibuit.

Probatur ſecundò Concilio Toletano 4. cap. 55. vbi S. Synodus ſic definit: *De Iudæis autem hæc præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat: non enim tales inuiti ſunt ſaluandi, ſed volentes, vt integra ſit forma iuſtitiæ.* Et D. Ambr. dicit: *Mittebat ad docendum non ad cogendum.* ſed doctrina eſt in libera acceptatione. ergo nõ in coactione. Idẽ D. Ambr. in Lucam in illa verba: *Dedi vobis poteſtatem. Eos* (inquit) *miſi ad ſeminandam fidem, qui non cogerent ſed docerent, nec vim poteſtatis exercerent, ſed doctrinam humilitatis attollerent.* *Deniq;* fides Chriſtiana cùm ſit ſupernaturalis non conuenit vt homines, qui eam voluntate ſua nunquam ſuſcepiſſent ad eam compellantur; ſed potiùs ſuaui quadam prædicatione, quæ eſt in oſtenſione ſpiritus, & virtutis inducendi ſunt.

33. *Sed dices* Eccleſia à principio non habuit tantam poteſtatem tẽporalem, vt infideles poſſet cogere ad ſuſcipiendum Euangelium, ſed nunc iam habet. ergo illa vti debet. Obiectio.

Reſpondeo primò. Iudæi ex lege Moyſis, quibus promiſſio facta erat venturi Meſſiæ tenebantur ad illũ recipiendum, & tamen Chriſtus verus Meſſias non eſt vſus in eos poteſtate dominatiua, ſed ſacerdotali, quæ eſt ſine armis, ſignificãs ſe velle, vt ſuâ fides voluntariè reciperetur, nam Chriſtiana Religio niſi ex animo colatur, nihil prodeſt *Tandem* quia hac poteſtate iuris nũquam eſt vſa Eccleſia, ſed permittit infidelibus ſubditis (vt Iudæis) Romæ ſuo ritu viuere *Demum dico* ſi hæc poteſtas eſſet in Eccleſia, teneretur & ipſa Eccleſia, & Principes Chriſtiani illa vti. *Et ratio eſt.* quia præceptũ charitatis obligat, vt proximo cùm poſſumus ſubueniamus: ſed infideles ſunt in magna miſeria, & in periculo amittẽdæ ſalutis ob infidelitatem. ergo tenerentur eos compellere, quod Reſponſio ad eam.

 falſum

falſum eſſe Innocentius 2. in Capitulo *Maiores* definit, vbi dicit eſſe Chriſtianæ Religioni contrarium, vt quis inuitus, & contradicens ad Chriſtianitatem compellatur.

Obiectio.

34. *Sed obijcies.* Lucæ 14. dicitur. *Exi in vias, & ſepes & compelle intrare.* ergo ad Eccleſiā infideles compellendi. *Reſpondeo* ſi vox *compellendi* in rigore ſumatur quod fit (vt docet Soto) per vim comminationis, & per armorum violentiam ſic ſolùm ad Hæreticos, & Schiſmaticos extendenda eſt, qui Chriſti fidem ſuſceptam abiecêre, non autem ad Paganos, qui fidem Chriſti non ſunt profeſſi ſumpta verò vox *compellendi* impropriè, in quantum compulſio fit per vim rationis, & perſuaſionis efficaciam. ſic extendi poteſt ad Paganos vt perſuaſionibus, admonitionibus, crebris, ad fidem cogantur, ſicut duo Diſcipuli in Emaus coëgerūt Chriſtum vt cum illis maneret.

Rex Hiſpaniarum Sizebut⁹ coëgit Iudæos ad fidem Chriſtianā.

Nota quód Rex Hiſpaniarum Sizebutus coëgit Iudæos ad Baptiſmum, & ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam ſed Concilium Toletanum 4. laudauit quidem in Rege zelum promouendæ Religionis, ſed quia non ſecundùm ſcientiam fuit factum improbauit, & ne hoc cuiquam liceret prohibuit. Ex hac enim compulſione ad fidem multa ſacrilegia committuntur; nam & Baptiſmus, & alia Sacramenta ficté ſuſcipientur propter metum.

Nota ſecundò Princeps Chriſtianus, in ſuo Regno poteſt ſubditos idololatras compeſcere, ne aut infantes occidant in ſacrificijs, aut ne blaſphemijs Deum, & Chriſtianam Religionem proſcindant, aut ne promotionem fidei impediant.

Princeps in ſuo Regno poteſt idololatras cõpeſcere.

35. Dico ſecundò. *Pagani ſi in ſua regione impediant Euangelij prædicationem compelli poßunt armis ne impediant.* PROBATVR. Nam Eccleſia ius habet prædicandi Euangeliũ vbiq; terrarum, & quidem à Chriſto tanquam à Domino vniuerſali ſibi traditum. Matt: vltimo. *Docete omnes gentes.* Et Marci vltimo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ergo hoc ius infideles principes etiam in ſua regione impedire non poſſunt, & ſi de facto impediant, iniuriam faciunt Eccleſiæ, quæ quidem à Chriſtianis Principibus propulſari debet.

Pagani impedientes prædicationem Euangelij armis cõpellēdi?

Nota hoc ius prædicandi Euangelium in vniuerſo orbe penes ſolùm ſummum Pontificem eſt, ita quód nemo etiam Epiſcoporum, niſi ex illius conceſſione, ad talem prædicationem ſe accingere poſſit

Penes quem eſt ius prædicandi Euangelium?

Sed quæres. an Princeps Chriſtianus ſubditos infideles cogere poſſit ad audiendam prædicationem, Euangelij *Reſpondeo* hoc videre rationi eſſe conſentaneum, quia hæc compulſio, vt quandoq; audiant, nullum illis grauamen adfert, maximum autem commodum, quia poſſunt aliqui conuerti. De Hæreticis ſequenti Diſputatione videbimus,

An Princeps Chriſtianus ſubditos infideles cogere poſſit ad audiendā prædicationem Euangelij?

QVÆSI-

QVÆSITVM IX.
An cum infidelibus poſſit communicari?

Quare Chriſtianis prohibeatur communicatio cum infidelibus?

36 DIco primò. *Duplex eſt cauſa propter quam Chriſtianis prohibetur communicatio cum infidelibus.* PRIMA. Hoc fit in cautellam, nam ex hac communicatione infirmioribus, & ſimplicibus imminet periculum ſubuerſionis in fide Deut: 7. *non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum, neq; ſociabis cum eis connubia.* 1. Corin: 5. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Et D. Cypr: lib: 1. cap. 3. ad Cornelium ſic ſcribit *Declinent fortiter, & euitent fratres noſtri dilectiſſimi verba, & colloquia quorum ſermo vt cancer ſerpit.* SECVNDA cauſa *ob pœnam.* Quia tã in Hæreticos, qui à fide ſuſcepta eam corrumpendo deuiant, quàm in Apoſtatas, qui eam penitus deſeruerunt, ſententiam excommunicationis tulit Eccleſia, vt ſic præciſi à fidelium conuerſatione erubeſcant & confundantur, & ad viam veritatis redeant.

Nota. Cum iubemur vitare Hæreticos, ſciendum quód conſtitutio Concilij Baſilien: iubet vitare omnes notorios excommunicatos, etiamſi ab ipſo iure, & non ab homine fuerint excommunicati: potiùs tamen ſeruatur, & in praxi retinetur Conſtantien. definitio, quæ ſolùm illos vitare iubet, qui ſint à Iudice excommunicati. nam Baſilienſis definitio nimis eſt dura, & illius obſeruatio impoſſibilis, præſertim vbi multitudo Hæreticorum permiſta eſt Catholicis, vt in Gallia, Germania, &c.

Quando eſt infidelibus communicandum & quando nõ?

37. Dico ſecundò. *Communicatio cum infidelibus dupliciter accidit*: aut quoad Religionem? *& ſic fidelibus non licet in illorum Synagogis, aut Concionibus intereſſe, aut Sacris, ne illorum efficiantur participes, & ea approbare videantur, ſimiliter arcendi ſunt infideles à myſteriis Chriſtianæ Religionis, tantò minùs admittendi ad Sacramentorum participationem*: aut eſt Communio *in rebus ciuilibus? & ſic D. Th. permittit cum illis communicationem.*

Chriſtianis in quib⁹ eſt prohibitus vſus cũ Iudæis?

Sunt quoq; nonnulla in quibus Chriſtianis prohibitus eſt vſus cũ Iudæis: *primò* ne in eadem domo cum eis inhabitent: *ſecundò* ne ſimul comedant: *tertiò* ne cum illis balneum intrent: *quartò* ne infirmi Chriſtiani Iudæos medicos admittant, niſi ob defectum Chriſtiani Medici, & graue periculum ſalutis: *quintò* ne illorum medicina vtantur: *ſextò* ne cum illis azymis conueſcantur, nec illis ſeruitium exhibeant: vt docent Capitula, *Nullus & omnes*, & Bullæ Summorum Pontificum.

QVÆSI-

QVÆSITVM X.

An infideles poſſint habere dominium ſupra fideles?

Pagani ſunt capaces dominij &c.

38. NOta quód Hoſtienſis & Panormitanus tenent, quód Pagani non ſunt legitimi Domini ſuorum bonorũ, idq; ob idololatriam. Sed hac ſententia non obſtante

Dico *quód ſint capaces Dominij, nec ob infidelitatem poßunt ſpoliari ſuis bonis, dum modò Chriſtianis non ſint moleſti, & in ſua regione Euangelij prædicationem non impediant.* Ita tenent Couaruuias, Victoria, Soto, Banes, & alij. *Probatur* ipſa S. Scriptura tribuit Paganis ius Dominij: *Aſtiterunt Reges terræ & Principes.* & Daniel 2. à Daniele Nabuchodonozor dicitur eſſe Rex, & quia alios Reges ſub ſua poteſtate habuit, etiam Rex Regum vocatur: hocq; Dominium non ſolùm de facto, ſed de iure habuit, nam ibi dicitur: *Dedit tibi Dominus Regnum, & gloriam, & Imperiũ, & omnia in quibus filij hominum habitant, poſuit in manu tua* Et Nabuchodonozor fuit idololatra.

39. *Tum* Pharaoni Ioſeph Patriarcha tributariam Ægyptũ fecit. & hoc eſt dogma Apoſtolicum, quo hortantur fideles vt D. Petrus vt *ſint ſubditi omni creaturæ humanæ, ſiue Regi tanquam præcellenti.* Et D. Paul. monet ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, omnis enim poteſtas à Deo eſt.* idem approbauit Saluator illis verbis: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* & ſolui iuſſit tributum, & pro ſe, & pro D. Petro, quamuis ad illud ſoluendum nullo modo tenebatur. Idem Saluator in Paſſione ſubditus erat Pilato, quod ſignificauit illis verbis: *Non haberes ſupra me poteſtatem niſi tibi de cælo datũ eſſet.*

Diſtinctio fidei non tollit Dominium ab infideli.

40. *Et ratio prima.* Dominium eſt introductũ iure humano. Diſtinctio verò inter fidelem, & infidelem introducta eſt iure Diuino. ſed ius Diuinum, quod eſt ex gratia non tollit ius humanum, quod eſt ex ratione naturali; nam gratia non deſtruit naturam ſed perficit. ergo diſtinctio fidei non tollit dominium ab infidelibus.

Ratio ſecunda Quia infideles capaces ſunt, tam Dominij Deſpotici, quale eſt Domini in mancipium, quam Politici, quale eſt principis in ſubditos; nam hoc Dominium fundatur in natura rationali. vt habetur Genes: 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & præſit piſcibus maris* Fundatur & in iure gentium. ſed infideles per ſuam infidelitatem, non priuantur natura rationali; nam infidelitas non adimit intellectum, neq; id aufert, quod eſt iure gentium inſtitutum, ergo infideles habent legitimum dominium, ad hoc Dictum limitandũ infero quinque.

41. *Infero primò.* princeps infidelis,

delis, qui ex antiquo habuit ius Dominij in ſubditos non baptizatos, idè ius etiā in baptizatos retinet, modò Religionis Chriſtianæ liberum exercitiū non prohibeat.

Quare prohibendum ne infideles in Christianos de nouo imperiū conſequantur?

Secundò infero quoad fieri poteſt prohibendum eſt, ne infideles in Chriſtianos, de nouo imperium conſequantur. *Primò ideo* quia hoc fieret in magnum præiudicium, & ignominiam fidei: *ſecundò* quia inde ſubuerſio fidelium metuenda. *tertiò* quia principes infideles, dominando fidelibus, occaſionem ſumunt ſcandali, & auertendi animum ſuum, à ſuſcipienda fide Chriſtiana, nam contingit inter fideles exoriri controuerſias, & ad iudicium Principis infidelis cōfugere, ex quo iam defectus fidelium ſubſequentur. Vnde D. Paulus monet 1. Corint: 6. ne fideles in iudicio contenderent corā Iudice infideli,

Qui infideles poſſunt priuari dominio?

42. *Tertiò infero.* Si infideles, qui habent Dominium in fideles ſunt ſubiecti Chriſtianis Principibus, poſſunt illo priuari. *Et ratio eſt* quia plurimùm hoc facit ad vnitatem. & integritatem fidei conſeruandam, & ea de cauſa poteſt Eccleſia, hoc vrgere per principes Chriſtianos, qui habent poteſtatem diſponendi de rebus, & bonis ſuorum ſubditorū; vnde hanc poteſtatem tenentur fidei Chriſtianæ accommodare. *Confirmant* hoc Imperatores Theodoſius, & Iuſtinianus, qui vetant ne Iudæi, Pagani, Hæretici Catholicum ſeruum detineant, contra ſi faxint effici liberum. *Et ratio eſt.* Quia Hæretici ſua Apoſtaſia hanc pœnam meruerunt; Iudæi verò, quia ſuâ culpâ propriâ ſe perpetuæ ſeruituti ſubiecerunt, vnde nullam habent Rempub: quę à Principe illorum gentis regatur. Eandem pœnam ſubire debent Pagani, quia ſicut de aliorum priuatis bonis, ita & de horum poteſt Reſpub: diſponere, quando ita bonum commune exigit.

Qui infideles non poſſunt priuari dominio?

43. *Quartò infero.* Infideles, qui neq; Eccleſiæ, neque Chriſtianis Principibus ſunt ſubditi; ſi dominentur fidelibus; ſed ex illorum dominatu, nullum ſubuerſionis ſubſit periculum, non poſſunt Dominio priuari. *Probatur.* Quia in tales infideles non habet poteſtatem nec Eccleſia, nec Princeps Chriſtianus, & quidem nec directè, cum non ſubſint: nec indirectè ratione Religionis. Quia ſubditos fideles non cogunt ad infidelitatem, & fidei liberum exercitium permittunt. Si verò periculum immineret ſubuerſionis à fide, aut prohibitionis ne cultum Deo reddant, tunc ob eam iniuriam meritò priuari poſſunt Dominio.

Principes infideles Eccleſia poteſt iure prælationis priuare.

Quintò colligo. quamuis infideles Principes non ſubſint Eccleſiæ, poteſt tamen Eccleſia authoritatem Dei habens iure prælationis illos priuare, quia eo indigni ſunt, quia carent fide: & inconueniens eſt, vt filij ancillæ dominentur filijs liberæ, ſed de facto id non facit Eccleſia, quia non expedit, multa enim hinc mala, & inconuenientia ſequerentur: nam maius odium in nos infideles conciperent, & magis à baptiſmo abhorrerent: ſicut & Hæreticus meretur ſuorum bonorum priuationem, & tamen ipſo facto non priuatur propter auertenda maiora mala, quæ hinc ſubſequi poſſunt.

Quare verò id non faciat?

QVÆSITVM XI.
An ritus infidelium ſint tolerandi?

Quare Ritus infidelium ſunt tolerandi?

45. AD Quæſitũ dico primò. *Ritus infideliũ quãuis ſint cum peccato, nihilominus tolerandi ſunt, vel propter maius bonum, quod ex illis ſequitur, vel propter maius malum vitandum.* PROBATVR. Regimen Eccleſiæ debet ſe conformare regimini Diuino. Sed regimen Diuinum ſic ſe habet, quód Deus, qui eſt bonus permittit mala, & cùm ſit omnipotens non prohibet, & ſic primum peccatum permiſit, & non prohibuit, ex quo ſummum bonũ v. Incarnationis beneficium eſt ſubſecutum. ergo & humanum regimen ritus infidelium debet tolerare, ob ſpem aliquorum bonorum, aut ob euitationem deteriorum malorum.

Quorum infidelium ritus licitè tolerari poſſunt?

46. Dico ſecundò. *Ritus eorum infidelium, qui nec Eccleſiæ, nec Principibus Chriſtianis ſunt ſubditi, licitè tolerari poſſunt.* Et *ratio eſt.* quia hi ritus infidelium non ſubditorum, non dicuntur propriè permitti ab Eccleſia, ſiquidem illius iuriſdictioni non ſubſunt.

Ritus Idololatrarũ nõ ſubditorum quando permitti poſſũt

Dico tertiò. *Ritus idololatrarũ non ſubditorum poßunt etiam permitti in ſpẽ maioris boni, hoc eſt, illorum conuerſionis ad fidem Chriſtianam. ſi autem nulla eſt ſpes, tunc illorum ritus abominandi, non ſunt tolerandi.* & ea de cauſa Conſtantinus (vt habetur Lege *Nemo* Codice *de Paganis*) iuſſit illorum & templa claudi, & idola deſtrui.

47. Dico quartò. *Ritus infidelium Iudæorum tolerandi ſunt.* *Primò ideò* quia D. Greg. *lib. 11. epiſt. 15.* permittit Iudæis, ut celebrent ſuas ferias, & feſtiuitates: *ſecundò* quia D. Aug. *lib. 18. de Ciuit. cap. 46.* refert, quód Deus noluit Iudæos occidi, ſed quaqua verſum diſpergi, vt Eccleſia ſuæ fidei haberet teſtes vbique, v. Prophetias, quæ ſunt de Chriſto: *tertiò* quód ipſi Chriſtiani in fide confirmantur, dum vident ſe id habere in rei veritate, quod illi in figura credunt: *quartò* quia ſub finem mundi conuertentur ad fidẽ. Ieremiæ 35. *Eſt ſpes nouiſſimis.* & Pſal. 58. *Ad veſperam conuertentur.*

Iudæorum infidelium ritus quare tolerandi ſunt?

48. Dico quintò. cum Caiet *Illi ſolùm libri Iudæorum ſunt tolerandi, qui ſunt veteris Teſtamenti, & qui habent illorum expoſitiones, ſed libri Talmudici, qui conſcripti ſunt ad Iudæorum perfidiam confirmandam, & quia blaſphemias in Deum, & in Chriſti Diuinitatem, & in Deiparæ intemeratã virginitatem: continent ideo ſi facultas adſit comburendi ſunt.* nam Innocentius quartus, & Clemens octauus, in ſuis Bullis eos ad flammam condemnarunt. & Sixtus Senenſis refert lib. 2. quód ex opulentiſſima bibliotheca Iudæorum Cremonenſium, duodecim Thalmudicorum Codicum millia, iuſſu congregationis Romanæ inquiſitionis exuſta fuerunt. *Tum* prohibendum, ne infideles Iudæi modum in ſuis ritibus excedant, & ne ſcandala pariant, & ideo Sedes Apoſtolica præcipit.

Qui libri Iudæorum ſunt tolerandi, & qui non?

cipit, ne Iudæi in vna ciuitate, plures Synagogas habeant, & ne eas quas ex antiquo habent ædificijs ampliare audeant.

An Chriſtiani peccāt quando eas res paganis aut Iudæis vendūt quibus ad ſua ſacrificia abuti poſſunt?

49. *Sed quæres.* An Chriſtiani peccant, quando vendunt eas res Paganis aut Iudæis, quibus ad ſua ſacrificia abuti poſſunt? *Reſpondeo.* Quód res quæ venduntur, ſunt in duplici differentia. *Primò.* Quæ habent vſum indifferentem, quod v. in varios vſus conuerti poſſunt, vt ſunt animalia, aromata, fructus, & alia, quæ ad medicinam ſpectāt, tunc licitè in bona conſcientia venditor fidelis poteſt vendere emptori infideli, etiamſi probabiliter opinetur, quód illis rebus ad idololatriam ſint abuſuri, dummodò illorum peccato non conſentiat. *Et ratio eſt.* Quia fidelis ſciens non tenetur impedire Pagani ritum, ſiquidem à Repub. toleratur. *Tum* quia ille vènditor habet ius ad vendendum ſuas res.

Quando Chriſtiani non debent vendere infidelibus res vendibiles?

50. *Nota.* Si infidelis expreſſè vēditorem alloqueretur, *vende mihi aurum, ad idolum conflandum*, tunc fidelis non debet vendere, aliàs co operaretur ad peccatū idololatriæ.

Secundò, quæ ordinantur ad malum vſum, vt ad Idolorum ſimulacra, & has non licet vendere, nam talia vendens ſcienter concurrit ad illorū idololatriā, nam peccandi materiam ſubminiſtrat.

Idola ſeruans quando peccat & quando non?

Nota. qui habent idola antiqua ob ſolam ſpeculationem, & oblectationem, quód ſint affabrè & artificioſè facta, non peccant. ſecus ſi quis haberet ad cultum illis Diuinum exhibendum.

QVÆSITVM XII.

An pueri infidelium inuitis parentibus ſint baptizandi?

Opiniones circa hanc quæſtionē tres.

51. HÆc controuerſia proprium locum habet, *in 3. parte, q. 68. ar. 10* Et iin *4. ſent. diſt. 4.* vnde hîc omitti ſolet, eam tamen cum à nobis propoſita breuiter ad præſens determinamus. Circa hāc ſunt tres opiniones. *Prima eſt* Scoti *in 4to. diſt. 4.* qui aſſerit, quód infantes infidelium inuitis parentibus poſſunt baptizari, ſi cura adhibeatur, vt in Religione educari poſsint. *Secunda eſt* Durandi, cum hac diſtinctione. Si infantes fuerint filii eorum infidelium, qui nō ſunt ſerui Chriſtianorū, tunc non debent illis inuitis baptizari: ſi autem parentes fuerint ſerui Chriſtianorum, poſſunt ab illis remoueri, & baptizari.

Pueri infidelium inuitis parentibus non ſunt baptizandi.

Tertia eſt D. Th. aſſerens, non eſſe baptizandos inuitis parentib⁹. PROBATVR. Eccleſiæ conſuetudini magis eſt ſtandum, quám authoritati Patrum, quæ eiuſdem Eccleſiæ approbatione fulcitur. Sed Eccleſiæ nunquam hæc conſuetudo fuit, vt filii infidelium inuitis parentibus baptizarentur. Nam neq; hoc S. Syluester Conſtantino

 Impe-

Imperatori, nec D. Ambro: Theodoſio ſuaſit, poterant autem ſuadere, ſi hoc rectè poſſe fieri iudicaſſent. *Deinde* Ius Diuinũ, quod eſt à gratia latum, non deſtruit ius naturæ, ſed perficit, nam vtriuſq; iuris vnus eſt author Deus. Sed ius naturæ filium ante vſum rationis parentibus ſubiicit, & quemadmodum filius materno incluſus vtero, illius alimento alitur, ita ante vſum rationis ſunt in cura parẽtum, tanquam in ſpirituali vtero incluſi. Ergo illis inuitis baptizari non poſſunt.

52. *Præterea* Quia periculoſum eſt, vt inuitis parentibus baptizentur: nam ad parentes ſpectat, vt filios bonis morib9 imbuant, in Religione informent, ſed cum ſint infideles parentes, eos in idololatria informabunt, quod eſſet in graue præiudicium fidei & baptiſmi ſuſcepti. *Deniq;* Filios baptizare inuitis parentibus, eſt illos à cura & poteſtate paterna ſubducere, ſiquidem apud eos ſine periculo, educari non poſſunt. Sed filios abducere à parentibus, eſt contra ius naturæ, nam filius ante vſum rationis, eſt patris poſſeſſio, & eandem cum patre voluntatem habet. Ergo illis inuitis non ſunt baptizandi.

Obiectio. 53. *Sed vrget Scotus.* Iure Diuino, obligantur parentes, ad filios baptizandos, quod ſi eos non baptizent ſuo iure paterno abutantur. ergo illo per ius Diuinum ſunt priuandi. ſicut enim ſi quid Imperator iubeat, quod ſit contra voluntatem Dei, potiùs Deo parendum, quàm Imperatori, ita cùm Deus iubet pueros baptizare, & Pater obſiſtit, Deo hac in re parendum. ergo inuitis parentibus baptizandi. *Reſpondeo* quód vtrumq; ius tam Diuinum quàm naturæ eſt à Deo, ſi igitur Deus præcepiſſet, vt omnes pueri in vniuerſum baptizentur, non obſtante iure naturali, tunc certum eſt, quód filij inuitis parentibus poſſent baptizari, ſed quando ſic præcipit, miniſtrari Baptiſmum, non derogando iuri naturali, ſed illo ſaluo vnicuiq; relicto, idcirco inuitis parentibus non ſũt baptizandi. Solutio ei.

54 *Nota* Dur. & Palud. affirmant non tenere baptiſmum, ſi infans inuitis parentibus baptizetur. *Ratio illorum.* quia ad eſſentiam baptiſmi, requiritur geſtantium intentio formalis, aut ſaltem interpretatiua. *Sed dicimus* requiri quidem intentionem ad rationem baptiſmi, ſed hæc ſufficit baptizantis, qui eſt miniſter Eccleſiæ, qui hoc facit quod Eccleſia intendit. Poſtquam autẽ filij infidelium ad vſum rationis peruenerint, & poſſunt ſibi prouidere, tam in his quæ ſunt iuris naturalis, quàm etiam Diuini, tunc ſi conſentiant fidei, & baptiſmum petant, etiam inuitis parentibus ſunt baptizandi.

Quæres quodnam ſit tempus vſus rationis? *Reſpondeo* quód quidam (vt Syluester) annum 14. alij 12. aſſignant, & quamuis hoc ſit iuſtum, & legitimum tempus, quo ſe ratio explicat, tamen & hoc certum eſt ſi experimentum vſus rationis, ſi puer intelligat doctrinam Chriſtianam, & fidei profeſſionem, & ſciat, quid ſit baptizari? Quodnam eſt tempus vſus rationis?

DISPV-

DISPVTATIO XI.

De Hæresi.

Quatuor attingemus?

1. *Quid ſit Hæreſis?*
2. *An Hæreſis ſit propriè circa ea, quæ ſunt fidei?*
3. *An Hæretici ſint tolerandi?*
4. *An reuertentes ſint recipiendi?*

QVÆSITVM I.

Quidnam ſit Hæreſis?

Hæreſis vnde dicta? 1. AD Quæſitum dico primò. *Nomen* Hæreſis *nō ab* hærendo, *ſed ab* Electione *deductum eſt.* ſic enim ait Tertul. lib. de Præſcript. Hæret, cap. 6. *Hæreſes dictæ ſunt Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur.* Deducitur autem à verbo Græco αἱρέομαι quod ſignificat *Seligo, & vnum alteri præpono.* vnde ſi nominis *Hæreſis* generalem ſignificationem ſpectemus, ſignificabit id, cùm quis illud eligit amplectendum & ſequendum, quod ſibi placet. Hoc nomine *Hæreſis* varia dogmata Philoſophorum, quibus inter ſe diſtinguuntur, appellari ſolent. Hic verò ſumimus hæreſim pro ſignificato, in quantum quis in rebus fidei non ob authoritatem Dei reuelantis credit; ſed ex illis pro arbitrio ſuo deligit credenda, quæ vult; & alia, quæ ſibi diſplicent, reijcit.

Rationes Cur Doctrina Chriſtiana Hæreſis dici nō poſſit? 2. Doctrina tamen Chriſtiana nullo modo hæreſis dici poteſt. *primò ideo* quia doctrina Chriſtiana non eſt inuentum, nec placitum hominum, pendens ab illorum iudicio; ſed id, quod à Deo reuelatum, ſibi Eccleſia credendum proponit, vnde in ea iudicio & intellectioni humanæ non eſt locus, ſed acquieſcit, & Deo reuelanti & Eccleſiæ proponenti. *ſecundò ideo* quia Actor. 24. D. Paul. non eſt paſſus doctrinam Chriſtianam appellari *Hæreſim*, cum enim quidam Tertull. contra hunc dixit, quód author eſſet Hæreſis Nazareorum ſic reiecit *ſecundùm ſectā quam dicunt* Hæreſim *deſeruio Deo, &c.* nomen *Sectæ* admiſit, nam ſecta ſignificat quādā certā & diſtinctā rationē diſciplinę, ſed *hæreſim* omnino reiecit

 3. Di-

3. Dico ſecundò. *Hæreſis eſt ſpecies infidelitatis pertinens ad eos, qui Chriſti fidem profitentur, ſed eius dogmata corrumpunt.* ſed quo res euidentior fiat.

Ad conſtituendã hæreſim quæ & quot requirantur?

Nota tria concurrere ad hæreſim conſtituendam: *primò* concurrit error: *ſecundò* profeſſio fidei cũ corruptione doctrinæ: *tertiò* Pertinacia. vnde

Requiſitum primum cõſtituens hæreſim eſt Error.

Dico tertiò. *Primum requiſitum Hæreſim conſtituens eſt* error, *qui quidem eſt in intellectu aſſenſum falſum habens nam ad Hæreſim non ſufficit ſola malitia voluntatis, ſed neceſſe eſt, vt præcedat error in intellectu, cuius ductum voluntas ſequitur.* PROBATVR, quód *Hæreſis ſit error.* Quodlibet dogma fidei Chrſtianæ, oppoſitũ eſt erroneum, quia repugnat cum eo, quod eſt à prima veritate reuelatum. ſed Hæreſis includit dogma fidei Chriſtianæ, oppoſitum ergo eſt erroneum. *Deinde.* Hæreſis eſt ſpecies infidelitatis deficiens à veritate. Ergo eſt erronea. *Præterea.* fides eſt habitus certus & ineuidés, ſed cum veritate coniunctus. ergo infidelitas quæ eſt oppoſita fidei, erit habitus includens falſum & errorem *Deniq;* Hæreſis dicitur eſſe electio circa Articulos fidei, in quantum aliquis hos deligit ad credendum, illos verò reijcit: ſed Electio eſt actus voluntatis, quæ quidem ſequitur intellectum. Ergo neceſſe eſt, quod hanc prauam electionem voluntatis præcedat error in intellectu

Obiectio.

4. *Sed obijcies.* Capitulum primũ de Hæreticis docet, quód dubius in fide ſit Hæreticus: ſed contingit, quód aliquis Catholicus conferat ſeu meditetur ſecum rationes hæreticas, contra aliquẽ Articulum fidei, & hic iam erit dubius, vnde & Hæreticus; & tamen non habuit errorem contrarium fidei. ergo ſine errore erit hæreſis.

Dubius in fide an hæreticus.

Solutio.

Reſpondeo. Si hic homo ſecũ conferens rationes, ſuſpenſus maneat, nullum eliciendo aſſenſum contrarium fidei, in rigore Hæreticus dici non poteſt: ſi autem deliberatè ſit dubitans de fide, quam ſcit ab Eccleſia eſſe propoſitam, & aſſenſum contrarium eliciendo, erit omnino Hæreticus, & hoc ſine errore in intellectu præcedente eſſe nequit. *Præterea.* Hic talis dubitás, licet errorem poſitiuum non habeat circa veritatem fidei, tamen errorem habet de eius certitudine, quia illius veritatem non iudicat omnino eſſe certam, cum ſit certiſſima.

Deinde dico. Dubium in fide, eſſe infidelem, ſi hæreat in ſua cogitatione dubia, & ſuper eam reflectat ſe, atq; etiam eliciat iudicium contrarium fidei eiuſmodi, quód putet res fidei eſſe probabiles, & ſic iam erit infidelis. Vide Melchiorem Canum *lib 12. de locis Theol: cap.* 8 qui euidẽtibus rationibus oſtendit. quód ille dubius in fide, qui ſuſpenſus manet nullum eliciens diſſenſum contrarium fidei Catholicæ, non poſſit formaliter Hæreticus dici.

5. Dico quartò. *Secundum ad Hæreſim conſtituendam requiritur Profeſſio fidei Catholicæ, in qua non ea omnia, quæ Eccleſia Catholica credenda proponit credit, ſed eos articulos, quos ipſa iudicat eſſe credendos.* Ita Orig: ſentit ad cap 3. epiſt. ad Rom: *Hæreticus eſt, qui Chriſto ſe credere confitetur, ſed aliud de veri-*

de veritate fidei Chriſtianæ credit, quám habeat traditio Eccleſiaſtica. Et D. Greg in lib. moralũ Hæreticos cõparat amicis Iob, qui nomine erãt amici, ſed operibus inimici; ſic & Hæretici amici, quia Chriſtiani; inimici, quia Chriſti doctrinam corrumpunt. Eoſdem lepræ aſſimilat, quæ certam partẽ cutis occupat; aliam verò illæſam eſſe permittit: ita Hæretici, quædam quæ ſunt de fide credunt, quædam verò abijciunt. *Et ratio eſt* Quia Hæreſis (vt iam deductum eſt) differt à Iudaiſmo & à Paganiſmo, ſed non alio differt quam quod Hæreſis acceptet Chriſti fidem, ſed eidem tamen aduerſatur. Ergo profeſſio fidei ad Hæreſim neceſſaria.

An ad hæreſim requiratur vt ſit quis baptizatus?

6. *Sed quæres.* An ad Hæreſim requiratur, vt quis ſit baptizatus? *Reſpondeo* non requiri, nam ex Catecumeno ſiue Iudæo, ſiue Pagano poteſt eſſe Hæreticus, ſi authoritatem Eccleſiæ proponentis, aſpernando quoſdam fidei articulos, recipiat, quoſdam verò abijciat. ſed Catecumeni non ſunt baptizati. Ergo baptiſmus ad Hæreſim non requiritur. *Præterea.* Concilia definiunt quoſdam Hæreticos, ad Eccleſiam redeuntes eſſe baptizandos. Ergo poteſt eſſe Hæreticus, licet non ſit baptizatus, nam Eccleſia prohibet iterare baptiſmum.

Requiſitũ tertiũ conſtituẽs hæreſim eſt Pertinacia?

7. Dico quintò. *Ad rationẽ Hæreſis tertium requiritur Pertinacia.* PROBATVR. Capitulo *Dixit.* vbi dicitur illos nõ eſſe Hęreticos qui Hęreticã quã tenet, opinionẽ non pertinaciter defendũt. Et in Clemẽtina vnica, de ſumma Trinitate habetur, eum cenſendum Hæreticum, qui cũ pertinacia negaret. Et D. Aug, Epiſt: 162. *Si qui falſam & peruerſam ſententiam in nulla pertinaci animoſitate defendant, & parati ſint corrigi, & tota ſolicitudine quærant veritatem, non ſunt inter Hæreticos reputandi.*

In quonam pertinacia conſiſtit?

Sed quæres In quonam Pertinacia conſiſtit? *Reſpondeo* quando quis ſciens & volens cõtradicit authoritati Eccleſiæ, aſſerendo id eſſe verum, quod Eccleſia iudicat eſſe falſum, & iudicans illud eſſe falſum quod Eccleſia definit eſſe verum.

Nota. Quidam ſentiunt hanc pertinaciam ſolùm eſſe in concreto, hoc eſt, reſpectu ſubiecti ſeu hominis, qui obſtinationis eſt capax; non autem in abſtracto: ſed dicimus quòd quamuis pertinacia dicat obſtinationem reſpectu ſubiecti, id eſt, hominis, formalis tamen ratio pertinaciæ eſt in abſtracto, nam pertinacia conſiderata in abſtracto, ſemper includit obſtinationem huius aut illius hominis, qui hunc ipſum errorem obſtinato animo defendit. erit igitur pertinacia, volũtatarius diſſenſus, ab eo quod Eccleſia credit, & credendum fidelibus proponit. Quid Pertinacia?

Pertinacia vnde æſtimanda?

8. *Ex quo collige primò.* Quod pertinacia non eſt æſtimanda ex diuturnitate temporis, ſed ex animo deliberato, & conſentienti in id quod veritati reuelatæ ſit oppoſitũ. vnde pertinacia in breuiſſima hora declarata Hæreſim inducit.

Qui hæreticus eſt habendus?

Collige ſecundò. Si cui dogma fidei ſufficienter fuerit deductum, & ille hoc contempto ſuæ prauæ & contrariæ opinioni inhæreat, habendus eſt Hæreticus.

Collige tertiò. Hic quoq; pro Hæretico hebẽdus, qui Hæreſim abiurare

rare

rare ſit paratus, ſi ei articuli fidei euidentibus rationibus fuerint deducti. Quia rem merè ſupernaturalem & quæ non niſi credenda eſt, vult rationibus euidentibus probari, quod fieri nequit.

An hic dicendus eſt hæreticus qui ex ignorantia in fide errat?

Sed quæres ille, qui ex ignorantia in fide errat, an ſit dicendus Hæreticus? *Reſpondeo* non debere dici, ſi modo ſit paratus corrigi,& aliter ſentire, ſi meliùs fuerit inſtructus.

Ignorantia affectata dupliciter conſideratur?

9. *Rurſum quæres.* an Ignorantia affectata ſit error in fide? *Reſpondeo* quód ignorantia affectata dupliciter conſiderari poteſt: *primò* cum quis ideo affectat ignorare, vt liberiùs peccare poſſit, vt cũ quis in peccato luxuriæ deliteſcens, & quo liberiùs & ſine remorſu conſcientiæ peccato vacare poſſit, nõ vult inquirere. An luxuria ſit peccatum mortale? Hæc pertinacia non cognoſcendi veritatem, non facit eum Hæreticum, nam talis ignorantia eſt quidem peccatum, ſed non facit errorem in fide pertinacẽ, per quẽ Hæreſis efficiatur. *Similiter* Si quis in fide errans ex amore nimio, erga ſuam opinionẽ nolit à Doctoribus Catholicis inquirere de veritate, ne ſi eam cognoſceret ſuæ opinioni contrariam, deberet eam deſerere, & hic talis non erit Hæreticus, quia non habet animum, repugnandi & contradicendi doctrinæ fidei, & eſt in animo paratus eam ſequi, vnde ſolũ peccat, ſed Hæreſim nõ incurrit

Secundò. ſi talis ſit ignorantia affectata, quę ex animo male affecto, in doctrinam fidei Catholicæ proueniat, ita quód ſtatuat apud ſe, quód nolit credere quantumcunq; intelligat, iſtud ab Eccleſia ad credendum proponi, & hic permanet in errore contrario fidei cum pertinacia, & hoc modo ignorantia affecta Hæreticum facit.

Obiectio.

10. *Sed obiicies.* Ratio Hæreſis ab obiecto potiùs ſumenda, ſiquidem cuiuſlibet propoſitionis, tam veritas quám falſitas, ab obiecto ſumitur. Ergo non á ſubiecto, v. ab homine, & per conſequens non á pertinacia, ſed à materia circa quam verſatur.

Quæ & quot in propoſitione hæretica ſint cõſiderãda?

Reſpondeo. quód in propoſitione Hæretica duo conſideranda. *Primũ* quód ſit falſa, & hoc habet á materia fidei, nam ab illa dicitur eſſe in fide error. *Secundum,* quód in ea contemnatur authoritas Eccleſiæ cum pertinacia, & hic contemptus pertinax á perſona hominis procedit.

QVÆSITVM II.

An Hæreſis ſit propriè circa ea, quæ ſunt fidei?

11. TRia dico. Primó. *Hæreſis eſt circa ea, quæ ſunt fidei, tanquam circa propriam materiam.* PROBATVR. Si quis circa aliquas diſciplinas, aut Geometricas, aut Phyſicas, deligat opiniones falſas ſequendas, & quia hæ opiniones fidem

dem non corrumpunt, ideo Hæreticum non faciunt. ergo illæ ſolùm opiniones hæreſim conſtituunt, quæ ſunt circa materiã fidei.

Dico ſecundò. *Quemadmodum ea quæ ad fidem ſpectant, ſunt in duplici differentia, aut enim ſunt directè & principaliter vt articuli fidei, & ea quæ habentur in S. Scriptura,* tum *traditiones Apoſtolicæ, definitiones Conciliorũ; aut indirectè ſed quæ tamẽ ad fidẽ ſpectãt: ita & hæreſis aut ex his oritur, quæ ſunt directè in fideĩ aut, quæ indirectè ad eam ſpectãt?*

Quænam propoſitiones fauentes Hæreſi oriantur ex his quæ ſũt fidei?

12. Dico tertiò. *Ex his quæ ſunt fidei, hæ propoſitiones fauentes hæreſi oriuntur. Hæretica, Erronea, Sapiens hæreſim, Temeraria, Scandaloſa, Iniurioſa, Schiſmatica, Blaſphema,* vt docet Melchior Canus lib. 12. cap. 10. de Locis.

Hæretica Propoſitio quæ? Erronea quæ?

Eſt autem Hæretica quæ manifeſtè pugnat contra expreſſam veritatẽ fidei infuſæ. *Erronea* cùm quis aliquam ſententiam, contra communem ſenſum & doctrinam Theologorum tuetur, quæ licet non ſit ab Eccleſiã determinata, infertur tamen per euidentem conſequentiam, ex principijs fidei, vt ſi quis neget infantulos Chriſtianorum parentum eſſe baptizandos, ſiquidem in parentibus illorum ſublatũ eſt peccatum originale.

Sapiens hæreſim propoſitio quę

Propoſitio Sapiens Hæreſim eſt quæ odorem & ſaporem Hæreticorum præſefert, ſed in aliquo ſenſu tolerari poteſt, vt *Chriſtus eſt creatura;* in hoc ſenſu quód ſit homo, intellecta, eſt vera, ſed quia fœtorem Arij refert adimens Diuinitatem Chriſti, idcirco à Theologis refutatur.

Temeraria quæ?

Temeraria propoſitio eſt, quæ in re graui eſt ſimpliciter contra communem ſenſum Theologorum, vt ſi quis affirmaret, infantibus in baptiſmo non infundi habitus ſupernaturales; aut quando enuntiat quod nulla ratione probari poteſt, vt ſi quis affirmet quód dies iudicij erit poſt annum.

Scandaloſa propoſitio quæ?

Scandaloſa eſt, quæ occaſionem offenſionis præbet, & homines à pietatis officijs auocat, vt ſi quis dicat nullam vtilitatem ſumi ex ieiunijs, votis, & ex confeſſione auriculari.

Iniurioſa propoſitio quæ?

Iniurioſa eſt, quæ alicui ſtatui hominum, aut illuſtri perſonæ detrahit; vt *quód Papa ſit Antichriſtus.*

Schiſmatica quæ?

Schiſmatica eſt, quæ vnitatem fidei ſcindit, & turbas ac ſeditiones parat.

Blaſphema quæ?

Blaſphema eſt, quæ aliquod virus odij pernicioſi in Deũ, aut in eius Sanctos euomit.

Nota. Hæ propoſitiones non ſic diſtinguuntur quaſi non coincidant, nam vna & eadem propoſitio poteſt eſſe & Hæretica, & Iniurioſa, & Scandaloſa.

QVÆSITVM III.
An Hæretici ſint tolerandi?

13. DVæ hic difficultates expediendæ: *prima* an Hæretici ad fidẽ Chriſtianam, quam ſuſceperunt ſint cogendi? *altera* an publica authoritate per pœnarum inflictionem ſint emendãdi? Ad primam difficultatem

 Dico.

Omnes Hæretici & Apoſtatę debent cogi ad ſuſceptę fidei profeſſionem.

Dico. *Communis eſt ſententia, quód omnes Hæretici atq; etiam Apoſtatæ, qui aliquando fidem Chriſti ſuſceperunt, debent cogi ad ſuſceptæ fidei profeſſionem.* ita hic D. Th. *quæſt. 10. art. 8.* PROBATVR. Concilia decernunt eos compellendos eſſe, ad fidem retinendam, qui metu aut alia neceſſitate baptiſmum ſuſceperunt, & qui in infantia baptizati ſunt, licet nunquam actu proprio fidem Catholicam ſint profeſſi. ergo multò magis hìc cogendi qui eam liberè ſuſceperunt, & tales ſunt Hæretici. Ita docet Capitulum *contra Chriſtianos* de Hæreticis in 6to. Capitulum *Maiores* de Baptiſmo. & Concilium Toletanum decernit, vt Iudæi qui à Sizebuto per vim, ad baptiſmum ſuſcipiendum ſunt adducti, cogantur tenere eandem fidẽ, ne nomen Domini blaſphemetur, & ne fides Chriſtiana contemptui habeatur.

Deinde deſertores fidei inter malefactores numerantur, & in eos diſtrictè animaduerſum eſt in veteri lege. vt Exodi 32. Viginti quinq; millia virorum ſunt occiſa. & Deuter. 13. dicitur: *Propheta & fictor ſomniorum interficietur, quia locutus eſt vt auerteret vos à Domino Deo veſtro.* & 4. Reg. 10. Iehu rex ſacrificulos Baal occidit. ergo & in noua lege Hæretici, tanquam deſertores fidei puniendi, aut ad fidem ſuſcipiendam pœnis adigendi. *Confirmatur.* Hæretici ſuſceptione baptiſmi & profeſſione fidei obligarunt ſe. ergo vt ſuæ obligationi ſatisfaciant ſunt cogendi.

Confirmatur ſecundò. intereſt Reip. vt vnitas eius ſeruetur, & ne Schiſmatibus laceretur. & ideo ad Rõ. 13. dicitur, quód illius magiſtratus non temerè gladium portat. & idẽ Apoſtolus præcipit his, qui malè faciunt, vt eũ timeant: ſed omniũ malefactorum eſt maximum, fidem datam Deo non ſeruare. ergo magiſtratus in eos gladium, tanquam miniſter Dei ſtringere debet.

Confirmatur tertiò. omnis enim Reſpub. habet poteſtatem iure naturali, vt ſeipſam tueatur & remoueat omnia incommoda, quibus illius finis impediri atq; vtilitas ſubditorum retardari poſſit: ſed Eccleſia eſt reſpub. benè ordinata. ergo debet ſe ab incommodis Hæreticorum conſeruare, adigendo illos ad profeſſionem fidei ſuſceptam.

Obiectio prima.

14. *Sed obiicies.* Fides (vt iam toties dictum) debet eſſe libera. Ergo etiam hi qui eam deſeruerunt, ad eam non ſunt cogendi, quia ſi cogentur multa ſacrilegia cõmittentur, nam & baptiſmus, & alia Sacramenta fictè ſuſcipientur.

Solutio eius.

Reſpondeo Fides ante ſuſceptionem fuit libera, at poſtquam quis eam ſuſcepit & profeſſus eſt, iam non eſt libera, ſed obligat: vt voto caſtitatis ſe obſtringere eſt liberum, ſed poſtquam ſe obſtrinxit iã non eſt illi liberum, non adimplere votum.

Ad illud vero quód ſunt ſubſecutura ſacrilegia. *Reſpondeo* negari nõ poſſe, ſed illud quoq; certum, ex libertate conceſſa, multò plura & maiora mala ſunt ſubſecutura maximè verò, quia permiſſo ſtudio, religionis vario, ſtatus Reipub. diſtrahetur & perturbabitur.

Obiectio altera.

15. *Sed rurſum dices,* Ioannis 6. legimus, quód à Chriſto multi rece

recedebant, & non legimus ibidẽ, quód ſint coacti ad cõmanendum Chriſto. *Reſpondeo* tunc Dominum noluiſſe vti hac coactiua poteſtate, quia nondum Eccleſia eius conſtituta fuit.

Solutio eius Prima.

Reſpondeo ſecundò. quia hi forſan recedebant, qui non erant baptizati, ſed audiebant Chriſtum, & ab eo cum libebat recedebant, vt nũc ſe habent Catechumeni, qui adhærent Eccleſiæ, & illius doctrinã audiunt, & hi ſi non ſuſcepto baptiſmo ad aliam infidelitatem deſciſcant, non poſſunt ab Eccleſia compelli ad fidem, quia in eos qui foris ſunt Eccleſia non exercet iudicium.

Solutio ſecunda.

Dices vltimò. Hæreſis in mente conſiſtit. Ergo non gladio materiali, ſed ſupernaturali contra illam vtendum. *Reſpondeo* ſi Hæreſis ſit mentalis, & per nullum actum ſe foras prodit, tum argumentũ concedimus, ſed quando in apertum prorumpit, & vnitatem Eccleſiæ ſcindit, & paruulorum animos ſeducit, tunc contra illam gladio materiali vtendum.

Obiectio tertia.

Solutio eius

16. *Nota.* Si coactio Hæreticorum ad fidem, eſt difficilis & Eccleſiaſticæ paci contraria, aut quia hoc fieri nequit ſine graui incommodo, aut quód ex odio in Catholicos magis obdurantur in ſua Hæreſi, tũnc potiùs abſtinendum. Ita ſentit D. Th. hic quæſt: 10. Qui ritus Paganorum & Iudæorum tolerandos eſſe monet, ob vitanda maiora damna & incommoda, quæ orirentur, ſi per vim impedirentur. Et Saluator dicit *ſinite vtraq; creſcere ad meßem, ne forte colligentes zizania eradicetis & triticum.* Vnde magna ratio habenda temporis, perſonarum, circumſtantiarum, ex quibus res morales pendent. Et D. Aug. lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2. *Non dormiat ſeueritas diſciplinæ quando crimen, vel nullos prorſus, vel non tales habet defenſores per quos Schiſma contingere queat.* Et medic^9 cum videt putridũ membrum reſecandũ eſſe iudicat, ſed ſi ex ſectione futuram mortem ægroti præuideat, abſtinet: idem hic ſeruandum vt boni ſeruentur, quandoq; mali & Hæretici tolerandi.

Quando à coactione hæreticorũ ad fidem abſtinendum?

17 AD SECVNDAM *difficultatem.* ſint ne puniendi Hæretici. *Dico primò* verbis D. Hier. *Sicut putridæ carnes reſecandæ ſunt, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, corpus, & pecora ardeant corrumpãtur &c. ita & Hæretici, qui Chriſti fideles inficiunt per pœnarum inflictionem ab Eccleſia arcendi abigendi.* Arius in Alexendria vna ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſus, totum orbem eius flamma populata eſt.

Hæretici ab Eccleſia arcendi.

18. Sunt autem tres pœnæ quibus in Hæreticos animaduertitur. Eccleſiaſtica, Ciuilis, & mortis.

Pœnæ tres in Hæreticos.

Pœna Eccleſiaſtica duplex eſt. Excommunicationis & Irregularitatis. Primam v. Excommunicationem meritò incurrunt. Dicitur enim Matt. 18. *ſi quis Eccleſiã non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Sed Hæreticus non audit Eccleſiam. ergo per excommunicationem ab Eccleſia reſecandus tanquam Ethnicus. Ad Tit: 3. *Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuita.* Et 2. Ioan. 1. *ſi quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, non recipiatis eum in domum nec aue ei dixeritis.* Sed Hæretici aliam doctri-

Prima Eccleſiaſtica pœna duplex.

doctrinam eandemq; corruptam adferunt. ergo in domum non ſunt recipiendi, nec ſunt ſalutandi.

19. *Sed hic ſuboritur dubiũ.* An hæc Excommunicatio ſit iuris Diuini? Quidã (vt Ioannes Eckius in ſuo Enchiridio) putãt. Iure Diuino eſſe excommunicatos, quód his locis ſcripturæ iam adductis confir. mat. Sed potiùs dicendum, quód Iure Eccleſiaſtico excommunicantur: nam ex adductis locis ſolùm colligitur, quód Eccleſia habet poteſtatem excommunicandi iure Diuino ſibi conceſſam, ipſa tamen excommunicatio ab Eccleſia & à Iudice Eccleſiaſtico fertur, nam illius eſt condere leges aduerſus vitia, quorum grauiſſimum eſt Hæreſis. *Tum* quia ex his locis ſcripturæ non colligitur, quaſi pæna excommunicationis iure Diuino ſit lata, contra Hæreticos, ſed ſolùm prohibetur, ne ſit conuerſatio cum Hæreticis; idq; ob periculùm ſubuerſionis, ne modicum fermentum totam maſſam corrũpat, & vna ouis morbida ne totum gregem inficiat. Sunt autem excommunicati à Iure, vt habetur Capitulo *Ad abolendum.* Titulo de Hæreticis. Et in Bulla Cœnæ Domini. Et in Capitulo *Excommunicamus primo & ſecundo.* Hanc autem Excommunicationem, ipſo facto incurrunt omnes Hæretici, exceptis his qui ſunt mentales, & nullum ſignum externum Hæreſis demonſtrant. *Et ratio eſt.* Quia de actibus merè internis, qui nullo ſigno exteriori ſe produnt, non iudicat Eccleſia, nec eoſdem punit, vt tenent Doct: hic tamen Hæreticus ſic mentalis grauiſſimum peccatum mortale incurrit, & in futurâ vitâ manet illum æterna damnatio.

Hæretici iure Eccleſiaſtico excommunicantur.

20. *Sed obijcies* videri eſſe contrarium Scripturæ, vt Hæreticus ipſo facto incurrat Excommunicationem. Nam ad Titum. 3. dicitur. *poſt vnã & ſecundam correptionem vitandum eſſe Hæreticum.* Ergo priùs ſunt monendi. *Reſpondeo* valuiſſe ſcripturam quãdo ab Eccleſia, quæ habet poteſtatem à Deo excommunicandi, nondum lata fuit excommunicatio, & ideo tunc Hæretici ipſo facto, non incurrebant excommunicationem. *Ad correptionem* quæ debet præcedere, *reſpondeo* ſatis eſſe ſufficientem, quando lex lata eſt excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, vt ab hæreſi abſtineant, cui quidem cùm ſe contumaces exhibent, meritò excommunicationem incurrunt.

Obiectio.

Solutio obiectionis.

Altera pœna Eccleſiaſtica eſt IRREGVLARITAS, ita quód ad ordines promoueri non poſſint, quamuis hæreſim abiurauerint, niſi ſuper hoc cum illis diſpenſatum fuerit. ita habetur Canone *Saluberrimo,* in quo adimitur illis omnis ſpes promotionis etiam ſi redierint. ſi verò ante hæreſim erant in aliquo ordine, tunc poſt abſolutionem ab excommunicatione, & poſt pœnitentiam in illo miniſtrare poſſunt.

Pœna Irregularitatis in hæreticos.

21. SECVNDA *eſt pœna* CIVILIS, & hæc eſt quadruplex: *prima* quia Hæretici ſunt inhabiles, ad omnia officia & beneficia publica. ita habetur Canone *Quicunq; de Hæreticis in 6.* & non modò ipſi parentes huic pœnæ ſubiaceant, ſed etiam eorũ filij vſq; ad ſecũdam generationẽ, hanc tamen pœnam Canon *Statutum* ſolùm reſtringit ad lineam paternam,

Secunda Ciuilis pœna quadruplex.

ternam, non autem ad maternam. Gloſſa eius rei dat exemplum. Si Titius ſit Hæreticus, idemq; ſi habeat filium & filiam, tunc vterque illorum ſubiacebit prohibitioni, quód nec ad beneficium Eccleſiaſticum, nec ad officium publicum aſſumi poſſint, & ſi ille filius alium progenuerit filium, ille tanquam nepos Hæretici parentis Titij adhuc huic prohibitioni ſubiacebit: ſed ſi filia Titij habuerit filium licet ſit nepos Titij Hæretici, iam non ſubiacebit. *Similiter* ſi mulier aliqua fuerit Hæretica, & habeat filios, ſoli hi filij ſubiacebunt prohibitioni, ſed nepotes dictæ mulieris ex illis filijs ſuſcepti non ſubiacebunt. Hoc autem de illis ſolũ parentibus Hæreticis intelligendum, qui in hæreſi mortui ſunt, non autem de illis qui abiurata hæreſi ad Eccleſiam ſunt reuerſi.

Pœna 2da Ciuilis in Hæreticos. *Secunda pœna* quam poſt mortem incurrunt, quia priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, non ſolũm ideo quia excommunicati ex hac vitâ decedunt. ſed quia Alexander Papa ſua particulari conſtitutione prohibuit, vt habetur citato Capitulo, *Quicunq. de Hæreticis*, vbi etiã Hæreticos ſepelientes excommunicantur, & non debent abſolui niſi eoſdem ſuis manibus extumulent, & locus in quo ſepulti erant profanari debet.

Pœna tertia Ciuilis. 22. *Tertia pœna* quia Hæretici præſertim aperti amittunt ipſo facto omnem iuriſdictionem ſupernaturalem. Negant quidam vt Caiet. in opuſculo de Auth. Summi Pontificis: ſed alij tenent vt Alph. à Caſtro de iuſta puni. Hæret. & Driedo *lib.* 4. de Script. & Eccl. dogm. *cap.* 2. *parte* 2. vbi ſẽtentia ſeptima dicit: *In his qui ab Eccleſiâ diſceßerunt, quales ſunt Schiſmatici & Hæretici, nulla ſpiritualis poteſtas manet ſuper eos, qui ſunt in Eccleſia.* & D. Th. *hîc quæſt.* 39. *art.* 3. in corpore vbi ſic dicit: *Sacramentalis poteſtas ſeu Ordinis hæc quidem manet, quamdiu ille homo cui collata eſt manet, ſiue ſit Schiſmaticus, ſiue Hæreticus: ſed Iuriſdictionis non manet, quia ex ſimplici iniunctione hominis confertur. idem confirmat* Capitulum *Audiuimus*, vbi dicitur; quód Epiſcopus Hæreticus excommunicare non poſſit. Et D. Aug. in Ench. *cap* 65. dicit, Hæreticos non habere claues, quibus aperire, & ſoluere poſſint; quamuis poteſtatem Ordinis retineant, ſi eam priùs habuerunt. Excipim⁹ autem mentales, & occultos Hæreticos, qui ſufficienter cohærent Eccleſiæ, & à Superioribus illius reguntur; nec ſe ab obedientia illius ſubtraxerunt. Et niſi hoc cõcederetur, orirentur inde perturbationes in Eccleſiâ. nam illius actus iuriſdictionis, in dubium vocarentur; ſi qui præſumerentur eſſe Hæretici.

23. *Quarta pœna* quód Hæreticorũ bona ſunt ſubiecta fiſco. Ita iubet Capitulum *Cum ſecundum leges* de Hæret: in 6. vbi Pontifex bona Hæreticorum, cum hi grauiùs, horribiliùs, & deteſtabiliùs peccent; quàm alij, quorum bona, ſecundùm leges ciuiles, confiſcantur; ipſo iure, de cõcilio Fratrum, confiſcãda decernit. Idem monet, ne quis ſecularis iudex inuadat bona Hæretici, prius; quàm per Eccleſiaſticam Perſonam, habentem ad id poteſtatem, fuerit ſuper illo Pœna 4ta Ciuilis in Hæreticos.

crimine ſententia promulgata.

Nota quód reus Hæreſeos non tenetur; neq; ante latã ſententiam, neq; poſt, deferre ſua bona ad fiſcũ. Quia (vt Soto dicit *in 1. de Iuſt: & iure qu. 6. art. 6.*) id contra naturã eſt. *Tũ* quia hoc ad iudicẽ ſpectat.

Nota ſecundò ante latam in Hæreticum, & antequam fiſcus incipiat, apponere manum illius bonis, licitè Hæreticus poteſt ſuis bonis frui, & de illis diſponere conſueto modo; modò id non faciat, in detrimentum fiſci, diſsipando bona ſua, nam aliàs illius donationes, & contractus, irritari poſsunt.

Tertia: Pœna mortis.

24. *Tertia pæna* eſt mortis. Poſt. quam enim aliquis iudicio Eccleſiaſtici iudicis, ad hoc poteſtatem habentis, Hæreticus denuntiatus fuerit, has pœnas incurrit. *Primò* priuatur omni iurisdictione (vt iam oſtenſum) *Secundò* ſi habet Ordines ſacros, ab illis degradari debet, prout habetur de Hæreticis Capitulo *Excommunicamus. Tertiò* ſi fuerit in aliqua dignitate, aut Eccleſiaſtica, aut Ciuili, ab illa deponitur ex Capitulo *Ad abolendam* de Hæreticis. *quartò* in exilium eiicitur, idq; non tam Eccleſiaſtico, quã etiam iure ciuili iubente. *quintò* priuatur beneficio appellationis, tam iure Ciuili, quàm Canonico (vt habetur de Hæret: *in 6.* Capitulo *inquiſitionis.*) *Sextó* eſt perpetuus Carcer. in capitulo *excommunicam⁹* vbi dicitur; quód Hæreticus etiam conuerſus, damnatur ad perpetuos carceres. *ſeptimò* igne eſt exurendus. vnde iteratò dicimus, quód Hæretici meritò mortis ſupplicio ſunt afficiendi, cum eâ moderatione vt Eccleſia, cuius eſt, ob aſſiſtentiam Spiritus S. de veritate doctrinæ iudicare; falſitatem & prauitatem Hæreticam declaret: *poſtmodum* vt magiſtratus ſecularis, tales ſupplicio afficiat. Ita ſentit S. Doctor hic art. 3. *Ex parte* (inquit) *Eccleſiæ eſt miſericordia, ad errantium conuerſionem, & ideo non ſtatim condemnat; ſed poſt primam, & ſecundam correptionem (vt Apoſtolus docet.) poſtmodum, ſi adhuc pertinax inueniatur, Eccleſia de eius conuerſione non ſperans, aliorum ſaluti prouidet; eum ab Eccleſia ſeparando, per excommunicationis ſententiam; & vlterius relinquit illum iudicio ſeculari, à mundo exterminandum per mortem.*

Hæreticus denuntiat⁹ quas pœnas incurrit?

25. *Probatur ſecundò* Deut. 13. vbi ſic habetur; *ſi tibi voluerit perſuadere frater tuus, aut filius tuus, &c, eamus, & ſeruiamus Diis alienis, &c. lapidib⁹ obrutus necabitur.* ſed Hæretici in nouo Teſtamento, ſunt falſi Prophetæ, qui à verâ Chriſti fide, abducunt populum, ad ſua ſomnia, & opinionũ idola, amplectenda. ergo mortis ſupplicio afficiendi. Et Deut. 18. dicitur; *Propheta, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* ſed hoc Hæreticis conuenit, qui ſpiritu ſuperbiæ intumeſcunt, & currunt ad euangelizandum, cùm à nemine mittantur, & doctrinæ erroneæ attendunt. ergo interfici debent. Et Deut. 17. dicitur, *qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore adminiſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur ille homo*: atqui Hæretici Summo Põtifici obedire recuſant; quin immo maximis conuitijs eius Sedem, & Dignitatem, proſcindunt.

duht. ergo ex decreto iudicis morte afficiendi.

Obiectio. 26. *Sed dices* hæc ſeueritas diſciplinæ, ad Vetus Teſtamentum ſpectat, quod erat ſeruitutis, & timoris; non autem ad Nouum, quod eſt gratiæ, & libertatis.

Solutio obiectionis. *Reſpondeo* cum D. Aug. hæc exẽpla antiquorum, fuiſſe typum diſciplinæ, quæ in noua lege ſeruari debebat. & allegat decretum regis Nabuchodonozor, qui ſeuerè mandauit; ne quis in Deum Sydrach, Miſach, & Abdenago, blaſphem⁹ ſit: vt Chriſtiani Principes, haberent exemplum zelandi, pro cultu Domini. *Tum Actor.* 5. huius ſeueritatis habemus exemplum, contra Ananiam, & Saphyram; qui ob peccatum mendacij, in Spiritum S. commiſſum, morte ſubitâ ſunt exſtincti. Et D. Paulus, falſum Prophetam cæcitate percuſſit; qui vias Domini ſubuertebat, & proconſulem à fidei ſuſceptione impediebat. Idem eſt ſenſus SS. Patrum: nam D. Hier. in epiſt. ad Theſiphontem, cap. 2. de Priſciliano ſcribit, eum ſeculi gladio, & totius orbis authoritate damnatũ. & Maximum Imperatorem eo nomine laudat; quód, quamuis Tyrannus fuerit, tamen in eo facto, cum v. Priſcillianum occidi iuſſit, non egit tyrannicè. Et Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, laudat factum Macarij præfecti, quód aliquod Donatiſtas occidiſſet. Et D. Aug epiſt. 50. Comparat Hæreticos cum Abſalone, ſine cuius interitu, non potuit domus Dauid pacem habere.

27. *Nota* D. Auguſtinus, fuit aliquando in eá ſententia; cum Hæreticis, non eſse agendum, mortis ſupplicio; ſed diſputatione conuertendos. Sed poſtea eam ſententiã retractauit (vt habetur *lib. 2. Retract. cap 5.* & aliis paſsim) ideo autem cenſuit priùs, non eſſe occidendos: quia nondum ea de re, leges Imperatoriæ exſtabant. *Tum* hac lenitate diuvſa eſt Eccleſia, cruentas refugiẽs vltiones; donec tandem legum publicarum enſis, contra eos diſtrictus eſt. *Et ratio eſt* S. Doct. Longè grauius eſt peccatũ, Chriſti fidẽ corumpere, per quam ſalutẽ animarũ acquirimus; quám corrumpere pecuniam, quia hæc vitæ temporali deſeruit. ſed corruptores pecuniæ, & alii malefactores, per Principes ſeculares, morte afficiuntur. Ergo & fidei corruptores, mortis ſupplicio afficiendi. *Deinde* In ſcriptura, Hæretici dicuntur *fures, latrones, lupi rapaces*, qui ouile Dominicum inuadunt; vt occidant, & mactent. Sed fures, latrones occidũtur, & lupi ad mortem quæruntur, vt gregis incolumitati conſulatur. Ergo & Hæretici occidendi.

28. *Sed inſtabis*, Matt: 13. *Monentur miniſtri, ne colligant zizania, ſed permittant cum tritico creſcere, vſq; ad meßem*; v. ad diem iudicij. Sed per *zizania* intelliguntur Hæretici. ergo gladio non ſunt exſtirpandi. Obiectio.

Reſpondeo per *zizania*, non ſolùm intelligendi ſunt Hæretici; ſed etiam homines mali: vnde, ſi argumentum pro Hæreticis concluderet, etiam pro malis hominibus concluderet; v. quód non eſſent è medio tollendi: hic itaq; eſt potiùs ſenſus parabolæ, quód in agro Dominico, mali ſunt permixti bonis. Solutio ei⁹

nis, quos quidem miniſtri; hoc eſt præpoſiti Eccleſiæ, tolerare debẽt: ne, dum malos è medio tollunt, zoel indiſcreto, etiam bonos euellerent. Sed quemadmodùm zizania, quæ magis excreſcunt, & ſunt noxia tritico, euelluntur; ita malefactores notorij, inter quos ſunt Hæretici, de medio ſunt eradicãdi.

Deniq; dico (vt iam ante dixi) quód Hæretici non ſunt tollendi, ſi ſit periculum eradicandi triticum; quando v. ſunt potentes, aut defenſores habent, cum ſumma potentia; ita quód immineat, periculum oppreſſionis Catholicorum.

Obijcies ſecundò 1. Corint. 5. *Quid mihi de hîs, qui foris ſunt, iudicare?* hoc eſt, Eccleſia de his, qui ſunt extra illam, non iudicat. Sed Hæretici ſunt extra Eccleſiam, ergo Eccleſia non habet poteſtatem, ab his exigendi pœnas. *Reſpondeo* Hæreticos eſſe intra Eccleſiam, non merito; ſed numero, & ea ratione, qua membrum putidum, cenſetur eſſe, in corpore humano; aut palea cum tritico. Obiectio altera. Solutio eiꝰ

QVÆSITVM IV.

An reuertentes ab Hæreſi, ſint recipiendi ab Eccleſia?

29. DIco primò. *Hic eſt mos Eccleſiæ, vt reuertentes recipiat, illiſq; ea impendat, quæ ad illorum ſalutem ſpectant.* PROBATVR ſicut enim Deus, nulli claudit viſcera miſericordiæ; ſed omnes ad ſe reuertentes, amanter ſuſcipit: ita æquum eſt, vt Eccleſia, quæ eſt Chriſti Dei ſponſa, ſinum miſericordiæ, ad ſe redeuntibus aperiat, eoſdemq; obuijs vlnis ſuſcipiat. *Confirmatur.* Filius enim hominis, venit quærere, & ſaluum facere, quód perierat. *Idem* teſtatur parabola, Lucæ 15. de oue perdita, quam paſtor inuentam, cum gaudio, in ſuis humeris reportat. Et quia eſt præceptum Domini, vt charitas Eccleſiæ, non ſolùm ad amicos; ſed etiã ad inimicos, extendatur. Sed Hæretici ſunt inimici, ergo, quando redeunt ad vnitatem Eccleſiæ, cum charitate recipiendi. *Deniq;* mandatum eſt Chriſti, in quo modum non ponit, condonandæ iniuriæ fratri, cùm dicit; *Non ſolùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*: vbi numerus finitus, ponitur pro infinito, quód ſemper ſint recipiendi.

30. Dico ſecundò. *Ratio recipiendi Hæreticos, hæc ſeruari debet.* Si quis in Hæreſim lapſus, & poſt agnitum errorem, ad Eccleſiam redeat; tunc illi vita corporis concedenda; & ad alias dignitates, obtenta diſpenſatione, admitti poteſt. Sed ſi relabatur, & iterum ad Eccleſiam redeat; tunc ad pœnitentiam, & ad ea, quæ ſalutem illius animæ concernunt, admittendus; ſed ampliùs vita non eſt donandus. *Ratio* quia tales ſunt inconſtantes, & multorum ſalutem impedire

impedire poſſunt, inficiendo Hæreſi. *Tùm.* quia impunitate illis conceſſa, alij liberiùs in Hæreſim laberentur. *Deniq;* quia bonum æternum, bono temporali eſt præferendum. ſed ſalus illorum animæ, eſt bonum æternum; vita autem eſt bonum temporale. ergo, vt habeant vitam æternam, vita ſunt priuandi. Hac de re D. Aug. epiſt. 50. ſic ſcribit; *Cur enim, cùm datum ſit diuinitus, liberum arbitrium homini, adulteria legibus puniuntur, & ſacrilegia permittentur? an fidem non ſeruare, leuius eſt animam Deo; quàm fœminam viro?* Et D. Ambroſ. ſerm. 50. de tẽpore *Grauius eſt religionis adulterium, quàm corporis. Ex quo arguo.* qui à fide matrimonij deficiunt, ſupplicio mortis afficiuntur. ſed longè grauius eſt, à fide Chriſti deficere. ergo hi pœna mortis afficiendi.

Modus recipiendi Hæreticos redeuntes ad Eccleſiam quotuplex?

31. Dico tertiò. *Modus recipiendi Hæreticos, redeuntes ad Eccleſiam, eſt duplex.* PRIMVS quoad fideles, quibus incumbit, vt his crimen Hæreſeos, exprobrare non audeant: ita enim præcipit Dominus Leuitici 19. *Si aduena apud vos moratus fuerit, non exprobretis ei.* ALTER eſt, qui ad iudices Eccleſiaſticos ſpectat. & hi duplices ſunt, *aut fori exterioris?* vt ſunt Epiſcopi & Inquiſitores, ex quorum arbitrio, pendet modus recipiendi: *aut fori interioris?* qui ſeruari debet à Confeſſarijs poteſtatem habentibus recipiendi Hæreticos. & hi quatuor ſeruare debent.

Quæ ſeruare debent Confeſſarij in recipiendis Hæreticis?

Primò, vt Hæreticus reſipiſcens, ante omnia abiuret ſuam hæreſim, iuxta Capitulum *Si quis voluerit.* & Capitulum *Saluberrimum.* In hac abiuratione duo erunt; deteſtatio, & exſecratio erroris: *deinde* promiſſio, ampliùs non relabendi in Hæreſim; & hæc vtraque iuramento ſunt firmanda; vt per hoc oſtendant Hæretici, quód animo vero, ſincero, & non ſimulato, redeant ad Eccleſiam. *tùm,* ne facilè relabantur.

In abiuratione Hæreſis quæ ſeruanda?

32. *Secundò* poſt factam abiurationem, debet Hæreticus communioni Eccleſiæ, & Sacramentorum reſtitui: quod fit per obtentam, abſolutionem ab excommunicatione, quam propter Hæreſim incurrit: & tunc demum à Confeſſario, illius confeſſio excipienda; à quo, & ab Hæreſi, in quantum eſt peccatum, & ab alijs, abſolui poterit.

Tertiò imponenda eſt Hæretico, condigna tanto crimini pœnitentia, & ſatisfactio, & alia, quæ prudentiæ confeſſarij, relinquuntur.

Quartò ſciat ab hæreſi abſolutus & ab excommunicatione, quód adhuc Irregularitatis pœnæ ſubiacet, v. quód ſit inhabilis, ad omnia officia, & beneficia Eccleſiaſtica; & quód ab hac liberari nequit, niſi obtentá diſpenſatione, à Summo Pontifice; aut alio, cui ille diſpenſandi poteſtatẽ demãdauit.

Abſolutio ab excommunicatione, quam incurrit hæreticus ſoli Sũmo Pontifici eſt reſeruata.

33. *Nota* abſolutio ab excommunicatione, quam omnis Hæreticus incurrit, ſoli Summo Pontifici reſeruata eſt, ex Bulla Cœnæ Domini: & tanta quidem ſeueritate, vt nemini liceat, ſub pœna maioris excommunicationis, quãtæcunq; ſit dignitatis perſona, & quám maximis gaudens priuilegijs; niſi in eo fiat, expreſſa conceſſio abſolutionis, ab hac excommunicatione, à Summo Pontifice. Excepto tamen vltimo vitæ articulo, in quo quilibet Sacerdos, abſoluere poteſt.

Ttt

DISPVTATIO XII.

De Apoſtaſia.

Duo dicemus de Apoſtaſia:

1. *Quid ſit? & quotuplex?*
2. *An Apoſtaſia priuat principes dominio; ita quód ſubiecti illis obedire non teneantur?*

QVÆSITVM I.

Quid Apoſtaſia, & quotuplex?

Apoſtaſia quid ſignificet?

1. DIco primò. *Hoc nomen* Apoſtaſia, *ſignificat retroceſſionem, ſeu defectionem*: hic à nobis ſumitur, in quantum receſſum dicit à Deo; quod colligimus ex Ezech. cap. 2. *Mitto ego te, ad gentes Apoſtatrices, quæ receſſerunt à me*: receſſus itaq; à Deo, erit Apoſtaſia. &, qui à Deo recedit, erit Apoſtata.

Mod⁹ quadruplex quo Deo coniungimur.

Sed quemadmodum quadruplex eſt modus, quo Deo coniungimur; *primò* per fidem, *ſecundò* per debitã ſubiectionem, adimpletionem mãdatorum Dei; *tertiò* per ſtatũ Clericalem; *quartò* per ſtatum religionis: ita etiam quatuor ſunt modi, quibus à Deo recedimus, ſiue Apoſtatamus: *primus* cùm Chriſti fidem deſerimus; *ſecundus* per peccatum mortale, quando præcepta Dei violamus; *tertius* per deſertionem ſtatus Clericalis; *quartus* abnegando ſtatum religionis, poſt votum emiſſum. & ex hac quadruplici Apoſtaſiã, ſola illa ad infidelitatẽ ſpectat, quæ eſt receſſio à fide. ſed de ſingulis breuiter dicamus.

Quadruplex Apoſtaſia.

Prima ſpecies Apoſtaſiæ.

2. *Prima eſt Apoſtaſia* à fide, & hæc eiuſdem eſt ſpeciei, cum infidelitate, & Hæreſi; ſed ſolùm differunt per accidens, ſecundùm magis & minus. *Probatur* tam enim Hæreſis; quàm Apoſtaſiæ, idem eſt *obiectum materiale*: quia verſantur circa fidei Articulos, & Eccleſiæ definitiones: *idem obiectum formale*, quia ſicut Hæreſis, eſt contradictio veritatis, in fide ſuſceptæ; ita & Apoſtaſia, eſt eiuſdem contradictio. ergo idem ſunt ſpecie. *Probatur ſecundò*. Tres ſunt ſpecies infidelitatis, Paganiſmus, Iudaiſmus, Hæreſis; tunc, ſi quis Chriſtianus recedat à fide; illius receſſus, nec Paganiſmus, nec Iudaiſmus, dicitur. ergo dicetur Hæreſis.

Infidelitatis ſpecies quot?

Differentia Apoſtaſiæ ab Hæreſi.

Differt autem Apoſtaſia, ſecundum magis ab Hæreſi: quia addit nouam circumſtantiam, notabiliter aggra-

ter aggrauantem Hæreſim. nam Apoſtaſia abnegat omnes fidei articulos; & ab vſu Sacramentorum, cum contemptu deficit; & prorſus à Chriſto, & ab eius Eccleſia, ſe auertit: Hæreſis autem agnoſcit Chriſtum, non omnes ſed aliquos, articulos fidei, impugnat; nec ſe, ab vſu omnium Sacramentorum, alienat. Vnde Apoſtaſia dicēda eſt, totalis retroceſſio à Deo.

Species ſecunda Apoſtaſiæ.

3. *Secunda ſpecies* Apoſtaſiæ, fit per tranſgreſſionem mandatorum Dei, (vt dicit Pſaltes) *Qui elongant, ſe à te, peribunt*, vnde, quoties quis mortaliter peccat; toties dicitur apoſtatare: quia ſe à Deo auertit, & ad creaturam conuertit.

Tertia ſpecies Apoſtaſiæ.

Tertia ſpecies eſt, cum quis ſuſceptum ordinē Clericalem dimittit, & ab eo recedit. nam qui ad ſtatū Clericalē trāſeunt, ſacros Ordines ſuſcipiendo; hi ex conſtitutione Eccleſiaſticā, voto continentiæ obſtringūtur; quod, cū ſuſceptione Ordinis, vbi ſemel emiſſū fuerit, iam iure Diuino obligat; vt id, quod Deo promiſſū eſt, impleatur. ita habetur Deut: 23. *Si nolueris polliceri, abſq; peccato eris; quod autē ſemel egreßum fuerit, de labijs tuis; facies ſicut promiſiſti.*

4. *Nota primò.* Clericus, ſeu ſacerdos, qui in ſortem Domini eſt vocatus; cum, & habitu, & altaris miniſterio, ſit à laico diſtinctus, iure Diuino; dato caſu, ſi ſecularib⁹ negotijs ſe immiſceat ita; quód veſtitum laicum deferat, & mercaturam exerceat, aut ſe in militiam adſcribat; licet ſit continens, nihilominus eſt Apoſtata: quia deſeruit ſtatum Clericalem.

5. *Nota ſecundò.* Conſtituti in minoribus Ordinibus, non obligantur ad cælibatum; ſed poſſunt nubere, modò id faciant, ſine cōtemptu Ordinum: vnde non dicuntur per hoc apoſtatare, & ad ſua officia exercenda, non obligantur. ſi verò, Clericus in Minoribus, magiſtratum politicum gerat; & ſi ferat ſententiam capitis, aut ſanguinis, non peccat; aut ſi viduam ducat, non peccat; ſed priuilegio Clerici priuatur, & non eſt habilis, ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, poſt ſententiam ſanguinis; nec poſt mortem vxoris viduæ, poteſt Clerici officia peragere.

In minoribus Ordinibus conſtituti non obligantur ad cælibatum.

6. *Nota tertiò* ſi quis, animo redeundi ad ſeculum, minores Ordines ſuſcipiat; vt beneficium Eccleſiaſticum conſequatur, & eodem ſe ſuſtentet; hic peccatum mortale incurreret. *Ratio* quia res, ſuâ naturâ ſacras, ficto animo ſuſciperet; & illis, ad vſum rerum temporalium, abuteretur: cuius intentionem, ſi Eccleſia ſciret, nunquam eum ordinaret. ita definit Concil: Trident: ſeſſ: 23. de Reform: cap. 4. *Nemo admittatur ad tonſuram, niſi probabilis ſit coniectura, elegiſſe hoc vitæ genus; non declinandi iudicij ſecularis causâ; ſed, vt fidelem Deo cultum præſtet*

7. *Quarta ſpecies* Apoſtaſiæ, eſt Retroceſſio à ſtatu religioſo; vt, ſi quis habitum, & ſtatum ſuum abijciat: & talis Apoſtaſia, eſt grauiſſimum peccatum: quia non ſolùm eſt, contra vnum votū caſtitatis, vt ſunt clerici obligati; ſed contra plura, paupertatis, obedientiæ. *Tum* quia ſe obligarunt, ad ſtatum conſequendæ perfectionis.

Species quarta Apoſtaſiæ.

Sed quæres. an diſcedens à religione, ſine licentia ſuperioris, ſed habitum

An diſcedens à religione ſine licentia Superioris ſed habitum religionis deferens, ſit Apoſtata?

habitum religionis deferens, ſit Apoſtata.

Dico cum Caiet: *Quod ſic recedens à religione, dupliciter conſiderari poteſt. Primò* ſi eo animo, à religione diſcedat, quód ampliùs nolit eſſe religioſus; hic verè eſt Apoſtata: nec habitus, quem defert, eum ab Apoſtaſiâ excuſat. ſed his omnibus cenſuris tenetur, quæ ſunt Apoſtatarum. *Secundò* ſi recedat, at non animo, recedendi à religione; ſed propter rigorem ſuperioris, aut propter libidinem vagandi, non erit Apoſtata; ſed fugitiuus,& vagus. Quia Apoſtaſia conſiſtit, in retroceſſione à religione, ad quam hic non conſentit: vnde nec eandem incurrit: ſed ſolùm incidit, in peccatum inobedientiæ, contra præceptum Superioris exeundo.

Quid ſentiendum de hoc religioſo, qui ſimpliciter habitum monaſticū abiicit?

8. *Sed rurſum quæres.* de hoc verò religioſo, qui ſimpliciter habitum monaſticum abijcit, quid ſentiendum?

Reſpondeo ſi ea intentione abijcit, quód ſtatuat, nunquam redire ad monaſterium, eſt Apoſtata: ſi veró proponat redire,ad iugum obedientiæ portandum; tunc peccat quidem mortaliter, & incurrit excōmunicationem; at non eſt propriè Apoſtata. ita docet Caietanus & Bannes. *& ratio eſt.* Quia ſtatus religioſus,non in habitu exteriori; ſed in tribus votis conſiſtit. ſed hic dimittens habitum, animo liberiùs vagandi, operam dandi illicitis rebus, non habet animum dimittendi vota. ergo non eſt propriè Apoſtata.

Nota. in duobus caſibus licitè, & ſine peccato,dimitti poteſt habitus; tam Clericalis, quàm monaſticus: *primò* ſi adſit grauis neceſſitas; vt tuitio vitæ, aut honoris, aut facultatum: *ſecundò* ſi fiat, ad breue tempus dimiſſio; vt propter lauandum, propter ludum exercendum, aut aliquam perſonam agendam.

In quibus caſibus licitè, & ſine peccato, dimitti poteſt habitꝰ tam Clericalis, quám monaſticus?

Quando Clerici in minoribus conſtituti tenẽtur ad habitū Clericalem deferendum?

9. *Nota ſecundò.* Clerici in Minoribus conſtituti; ſi habeāt pingue beneficium, aut dignitatẽ, prælaturam Eccleſiaſticam, obligantur ad tonſuram. & ad habitū Clericalem deferendum, ſub peccato mortali: *primò ideo* quia ſicut Horarum Canonicarum recitatio; ita, & tonſura, & habitus, ſunt annexa beneficio: *ſecundò ideo* quia alūtur bonis Eccleſiæ; vnde illius inſignia deferre tenentur; & ſi non deferant, in graue præiudicium Eccleſiæ faciunt. vnde mortaliter peccant.

10. *Nota tertiò*,hi, qui in Maioribus Ordinibus ſunt conſtituti, ſi dimittant habitū clericalem; ita, quòd ex nullo ſigno exteriori, agnoſci poſſit illorum ſtatus, mortaliter peccant. & in tales, grauiſſimæ pœnæ, ſunt decretæ: vt habet Clemētina,de vita,& honeſtate Clericorum; quæ incipit *Quoniam* in qua tales, ſi habeāt beneficium, perceptione illius fructuum, ad ſex menſes priuantur: ſi non habeant, ſuſpenduntur ab Ordinibus, per eoſdem ſex menſes. Et Capitulum *Præcipimus* iubet: vt, ſi admoniti à ſuis Prælatis, non correxerint vitam,priuentur omnibus beneficijs Eccleſiaſticis. *& ratio eſt.* quia expoſcit hoc à Clericis, dignitas Sacramentorum: vt miniſtri,qui ea tractare debent, decenti habitu

habitu vtantur; per quem, ab alijs hominibus, diſtinguantur & quia dimittendo habitum, grauem iniuriam inferunt Sacramentis; ideo mortaliter peccant. Syluester in verbo *Apoſtaſia* docet; quód Apoſtatæ à ſuo Ordine, pœnam infamiæ incurrunt; quód nec accuſatores, nec teſtes, eſſe poſſunt.

11. *Clerici verò* in Minoribus, in duplici caſu, amittunt priuilegiũ Clerici. *Si quis ſuadente Diabolo* &c. *primò* in caſu Aſſaſinatus; hoc eſt, ſi procuret occiſionem Chriſtiani, per tertiam perſonam: *ſecundò* ſi ſit Bigamus; hoc eſt, ſi viduam ducat. nam, qui Clericus vnam vxorem virginem ducit, gaudet priuilegio Clericorum; ſi deferat habitum Clericalem (vt habet Capitulum *Vnica*, de Clericis coniugatis.)

Quando Clerici in Minoribus amittant priuilegiũ?

QVÆSITVM II.

An Princeps Apoſtata, amittit dominium in ſubditos; ita quód ei obedire non teneantur?

Princeps ...er Apoſtaſiæ cri... non ...atur dominio &c.

12. Dico primò. *Propter Apoſtaſiæ crimen, Princeps non priuatur dominio, nec iure naturali, nec iure Diuino. Ratio* D. Th. quia infidelitas, ſeu Apoſtaſia, ſecundũ ſe non repugnat dominio: ſiquidẽ dominium, iure gentium eſt introductum: diſtinctio autem fideliũ, ab infidelibus, eſt ex iure Diuino. ſed ius Diuinum, non tollit ius naturæ, nec gentium. ergo ius naturale, & Diuinum, non priuant Apoſtatam dominio.

Princeps Apoſtata iure Eccleſiaſtico & Summi Pontificis poteſt priuari dominio.

13. Dico ſecundò. *Iure tamen Eccleſiaſtico, & Summi Pontificis, poteſt Princeps Apoſtata, priuari dominio; & eius ſubditi, ſolui poſſunt iuramento fidelitatis.* Hoc Dictum ſoli Hæretici negant. PROBATVR. quia Eccleſia habet poteſtatem priuandi dominio infideles, qui Chriſti fidem ſuſceperunt. Sed princeps Apoſtata ſuſceperat fidem. ergo habet in eum poteſtatem Eccleſia. *Ratio ſecunda.* Quam primùm quis declaratur excommunicatus, propter retroceſſionem à fide, eo ipſo priuatur dominio in ſubditos. *Ratio tertia.* niſi hoc fieret, vergeret in corruptionem fidei Catholicæ. nã Prouerb. 6. dicitur. *Homo Apoſtata, prauo corde machinatur malum, & iurgia ſeminat, intendens homines ſeparare à fide.*

14. *Ratio quarta.* Synagogæ veteris Summi Sacerdotes, habebant poteſtatem priuandi dominio Principes, ſi à fide receſſiſſent. 2. Paralip 23. Ioiada Summus Sacerdos Athaliam reginã, quód idololatriæ addicta erat, & tyrannidem exercebat, & vita & regno priuauit. Et 2. *Paralip.* 26. Aſarias Pontifex cum alijs Sacerdotibus, Oſiam Regem, qui officium adolendi thymiama

 domi-

domino ſibi arrogabat, tanquam lepra diuinitus percuſſum, coëgit: vt priuatus domi maneret; & filius eius Ioathan, in regnum ſuccederet. ſed in Eccleſia Dei, non eſt minor poteſtas Summorum Pontificum in reges. ergo eos regno mouere poſſunt.

15. *Confirmatur.* Nam Summo Pontifici, qui eſt D. Petri ſucceſſor, cura ouium Chriſti eſt commiſſa, illis verbis; *Paſce oues meas,* ſed ad paſtum omnium ſpectat, nō ſolùm procurare paſcua verbi Diuini, & Sacramentorum; ſed etiā luporum feritatem arcere, qui animarum ſalutem prædantur. & de facto, hac poteſtate vſi ſunt, Summi Pontifices. nam Zacharias Pontifex, depoſuit Childericum Galliæ Regem, quód eſſet regno ineptus; Greg. VII. Imperatorem Hẽricum quartum; Innocentius III Ottonem IV. Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi Fridericum II. Imperatorem. Clemens VI. Ludouicum VI. Imperatorem.

Ex quo collige quód ſummus Pontifex, Apoſtatas principes, habet authoritatem priuandi dominio. Plura interim omittim⁹, lectorémq; remittimus ad Banceſium, tum ad Valentiam, qui de hac controuerſia ſufficienter tractant.

DISPVTATIO XIII.

De Blaſphemia in Genere.

1. DE Blaſphemia quatuor dicam; referendo Dicta, ad quatuor Articulos S. Doct:

Blaſphemia in genere quid ſignificet?

Dico primo. *Blaſphemia, ſumpta, in ſuo generali ſignificato, ſignificat quodlibet, maledictum, aut conuicium, quod famam alicuius lædit aut hominis, aut Dei.* Nos in præſenti ſumimus Blaſphemiam, in quantum importat quandā derogationē, excellentiæ Diuinæ bonitatis. Et hæc Blaſphemia propriè Deo; non autē homini conuenit. Blaſphemia, enim cum deroget bonitati, tunc vbi eſt plenitudo indubitabilis bonitatis, circa hoc verè eſt Blaſphemia. Sed talis eſt bonitas Dei, hominis verò ſub dubio eſt, & particula is. ergo verè in Deum eſt Blaſphemia. *Tum* quia Blaſphemia eſt contra religionē, ſicut enim laus Dei, eſt cultus religionis; ita Blaſphemia, quæ derogat laudi Diuinæ, eſt contra religionē: conuicia verò in hominem iactata, ſunt peccatum, ſed contra iuſtitiam, & charitatem. Ergo Blaſphemia in Deum, eſt verè Blaſphemia.

2. *Nota hanc Blaſphemiam* differre ab Hæreſi. *primò,* quia Hæreſis directè oppugnat veritatem reuelatam à Deo, & ab Eccleſia propoſitam; Blaſphemia verò ſuis conuicijs, & maledictis, oppugnat honorem, & maieſtatem Dei. *ſecundò* quia Hæreſis eſſentialiter includit aſſenſum, ſupponendo errorem in intellectu ſpeculatiuo; ita quód ea, quæ ſunt falſa, vera eſſe arbitratur

tur cum pertinaciâ: Blaſphemia autem, nec pertinaciam eſſentialem, nec aſſenſum in intellectu ſpeculatiuo, includit; ſed cum ſolo errore, intellectus practici inuenitur. vt, cum quis ſciens, & prudẽs, voces impias in Deum euomit. Triplex diuiſio Blaſphemiæ.

Diuiſio blaſphemiæ triplex. Prima.

Prima diuiſio. Blaſphemia, aut eſt ſecundùm intellectum? & dicitur eſſe cordis; & ſic opponitur interno actui fidei, qui eſt CREDERE: *aut eſt* ſecũdùm exteriorẽ locutionem? & eſt Oris; & ſic opponitur ſecundo actui fidei, v. Cõfeſſioni.

Secunda Diuiſio. Triplex modus blaſphemiæ.

3. *Secunda diuiſio*. Duplex eſt modus Blaſphemiæ. PRIMVS quando per verba Indicatiui Modi, derogamus aliquid excellenti bonitati Diuinæ; & hoc tripliciter: *primò* quando aliquid affirmamus de Deo, quod illi non conuenit: *ſecundò* quando aliquid negamus de Deo, quod illi conuenit: *tertiò* quã do creaturæ id tribuitur, quod ſoli Deo conuenit; talis illa blaſphemia fuit Iudæorum; *Iſti ſunt Dij tui, qui te ex Ægypto eduxerunt*.

Secundus modus eſt, per verba Exſecrationis, ignominiæ, contumeliæ, quibus Diuino honori detrahitur, ſecundum illud Pſal: 77 *malè locuti ſunt de Deo, nunquid poterit Deus, parare menſam in deſerto?*

Tertia Diuiſio.

Tertia Diuiſio quemadmodũ Fides, ita & Blaſphemia; *quædam eſt Informis*, quæ in Deum iactat aliqua conuicia, ex iracundia; non autem ex odio: *quædam, Formata* ſeu *perfecta*, quæ cum maledictis, habet adiunctum odium Dei.

Blaſphemia eſt pecca tũ mortale?

4 Dico ſecundò. *Blaſphemia ſecundùm ſe conſiderata, ſemper eſt peccatum mortale*. PROBATVR. Quia mortis pœna à Deo punitur. ſed pœna mortis, non niſi pro peccato mortali, infertur. ergo eſt mortale. *Maior*. Leuitici 24. *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte morietur*. Et 4. Reg. 19. Centum octuaginta millia in caſtris Aſſyriorum, occiſa ſunt ab Angelo, ob blaſphemiam ducis Sanecherib iactatam in Deum, idemq; gladio interfectus in templo ſui idoli occubuit. RATIO Blaſphemia ex ſuo genere oppugnat charitatem: quia oppugnat Dei bonitatem, quæ eſt obiectum charitatis. ſed ea, quæ charitatem oppugnant, ex ſuo genere ſunt mortalia. ergo & blaſphemia, eſt peccatum mortale.

Secunda ratio. Quia blaſphemia prohibetur duplici præcepto. *primo* illo, quo Infidelitas eſt prohibita. *Ego ſum Dominus Deus tuus*. *Secundò* quo prohibetur in vanum aſſumere nomen Domini. ſed maius eſt, aſſerere aliquid falſum de Deo, quod facit blaſphemus; quam per nomen Dei aſſerere falſum, quod facit periurus.

Blaſphemia quomodo veniale peccatum?

Nota ſi quis ex graui paſſione, ſubitò, non aduertendo verborum ſignificationem, dicat aliquid blaſphemum; illud cenſetur eſſe veniale, propter inaduertentiam: ſed, ſi hoc fiat frequentiùs, ex praua conſuetudine quam non curat deponere, vix poterit a mortali differre.

Blaſphemia eſt maximũ peccatum;

5. Dico tertiò. *Blaſphemia ſecundùm D. Th. eſt maximum peccatum pertinens ad genus infidelitatis, & ipſam infidelitatem aggrauans*. PROBATVR. Infidelitas (vt iam oſtenſum) eſt maximum peccatum. ſed blaſphemia continet in ſe, grauitatem infidelita-

fidelitatis, & adhuc aggrauatur, ſi fiat ex deteſtatione voluntatis; & tantò adhuc magis, ſi in verba cõtumelioſa prorumpat. ergo maximum peccatum.

Quomodo blaſphemia includat infidelitatẽ?

Sed quæres quomodo Blaſphemia includat infidelitatem, ſiquidem ſaluâ fide, poteſt quis blaſphemare? *Reſpondeo* ſentire falſum de Deo, pertinet ad infidelitatem; ſed non eſt de ratione blaſphemiæ. at falſum dicere de Deo, honori illius, aut bonitati, detrahendo, ſpectat ad blaſphemiam; quamuis igitur, qui blaſphemat, non ſentiat id eſſe verum, quod dicit: tamen quia dicendo, induit perſonam ſentientis, ita eſſe; & ſic blaſphemia includit infidelitatem.

An in damnatis ſit blaſphemia

6. Dico quartò. *In damnatũ, qui ſunt in inferno, blaſphemia reperitur.* Ita Apocal: 19. habetur; *Æſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Domini, habentũ poteſtatem ſuper has plagas.* Gloſſa hîc dicit quód damnati in inferno poſiti, quamuis ſciant ſe pro meritis puniri, dolebunt tamen, quód Deus tantam potentiam habeat, quód plagas eis inferat *& ratio eſt* D. Th. Quia damnati retinent peruerſam voluntatem, quæ quidem à iuſtitia Dei eſt auerſa; & ad ea, quæ dilexerunt, & pro quibus puniũtur, conuerſa; ex quo oritur odium, & deteſtatio iuſtitiæ Diuinæ, & ipſius Dei; & hæc talis deteſtatio, eſt interior blaſphemia cordis. Idem S. Doct: addit; Credibile eſt, quód poſt reſurrectionem, erit in eis vocalis blaſphemia; ſicut in Sanctis, vocalis laus Dei.

DISPVTATIO XIV.

De Blaſphemia in Spiritum S.

Occaſio Diſputationis.

1. OCcaſionem huius Diſputationis, præbent illa verba Matt: 12. *Quicunq; dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit, contra Spiritum S. non remittetur ei; nec in hoc ſeculo; nec in futuro.* Et Marci: 3. *omnia peccata dimittentur Filiũ hominum, & blaſphemiæ, quibus blaſphemauerint, qui autem blaſphemauerit in Spiritum S. non habebit remiſſionem in æternum.* Pro quorum locorum interpretatione, quatuor ſoluenda ſunt Dubia.

Primum dubium. quid ſit blaſphemia in Spiritum S? Triplex hîc explicatio Doctorum (vt refert D. Th.) *Prima Explicatio.* Peccatum in Patrem, in Filium, in Spiritum S. fit tunc; quando eſt contra aliquod attributum, aut Patris, aut Filij, aut Spiritus S. nam Patri attribuimus Potentiam, Filio Sapientiam, Spiritui S. Bonitatem. vnde peccata, quæ ſunt ex infirmitate, dicuntur aduerſus Patrem; quæ autem ex ignorantiâ, contra Filiũ; quæ autem ex malitiâ, ſunt contra Spiritum S; & talis eſt blaſphemia. Et in allegatis locis Matthæi & Marci, Chri-

Quid blaſphem. in Spir. ſancto

ei, Chriſtus D. duas ſpeciales blaſphemias commemorat. Prima eſt contra Filium, quando Iudæi oculis corporeis Chriſtum intuentes, purum eſſe hominem aſſerebant, videntes eum ſitire, fatigari, &c. Et hoc factum fuit ex ignorantia, non ex malitia; & dicit eſſe remiſſibile. *Secunda* quando Iudæi miracula, quæ Chriſtus operabatur, Diabolo aſſignabant, fuit peccatũ ex malitia, contra bonitatẽ Spirit⁹ S. quod dicit eſſe irremiſſibile.

2. *Secunda interpretatio eſt* D. Aug. qui blaſphemiam, ſeu peccatum in Spiritum S. dicit eſſe finalem impœnitentiam: quando quis in peccato perſeuerat, vſq; ad mortem: hoc periculum ideo dicitur, contra Spiritum S. quia eſt contra illius attributũ, v. contra Charitatẽ, ex qua fit remiſſio peccatorũ.

Tertia explicatio quando aliquid blaſphemum dicitur, contra Spiritum S. ſiue ſumatur Spiritus S. vt eſt nomen quoddam eſſentiale, cõueniens toti Trinitati; ſiue, vt eſt nomen perſonale, vnius in Trinitate Perſonæ.

Explicatio Peccati blaſphemiæ.

His interpretationibus commemoratis S. Doctor, ſic explicat hoc peccatum; peccare ex habitu malitiæ, ſiue ex vitioſo habitu, inclinante ad malum, non eſt peccatum in Spiritum S; ſed peccare ex malitia, ita quód quis dona, & gratias Spiritus S. contemnat, & abijciat, quæ homini oblata erant, ad peccata impedienda, & ad ſalutem promouendam; & ſic eſt peccatũ in Spiritum S. quia eſt vilipendiũ gratiarum Spiritus S. quæ autem ſint hæ gratiæ, impedientes electionẽ peccati, in ſequentibus patebit.

Species blaſphemię ſex

3. *Secundum Dubium ſoluendum.* Quotnam ſint ſpecies blaſphemiæ? Dico quód ſint ſex; *Deſperatio, Præſumptio, Impugnatio veritatis agnitæ, Inuidentia fraternæ gratiæ, Impœnitentia, Obſtinatio.* Sex enim ſunt gratiæ, ſeu remedia, quæ homini inſpirantur à Spiritu S. per quæ peccata euitari poſſint: *primò* conſideratio Diuinæ miſericordiæ ex vna, & Diuinæ iuſtitiæ, ex altera parte: & hoc tollitur per deſperationem: *ſecundò* immittit timorem, qui oritur ex conſideratione Diuinæ iuſtitiæ, punientis peccata; & hoc tollitur per præſumptionem: cùm quis præſumit, quód veniam ſine pœnitentia, & gloriam ſine meritis, poſſit adipiſci: *tertiò* agnitio veritatis, hæc tollitur per impugnationem, vt licentiùs viuere poſſimus: *quartò* auxilium gratiæ, quod tollitur, cũ quis gratiæ relucenti in fratre, aut creſcenti in mundo, inuidet; & dicitur inuidentia fraternæ gratiæ: *quintò* conſideratio, quanta ſit turpitudo actus peccati, ex quo oriri ſolet pœnitentia, de commiſſo peccato; & hoc tollitur per impœnitentiam, quando quis habet propoſitum non pœnitendi: *ſextò* cõſideratio, quanta ſit paruitas, & breuitas boni, quod in peccato quæritur? ſecundùm illud ad Rõ. 6. *Quem ergo fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* & hæc conſideratio inducit hominem, vt eius voluntas, non firmetur in peccato; & tollitur per obſtinationem, quãdo homo in peccato firmat ſuum propoſitum.

Sex Gratiæ per quę peccata euitari poſſunt.

An Blaſphemia in Spiritum S. ſit remiſſibilis vel irremiſſibile?

4. *Tertium dubium.* An peccatum ſit irremiſſibile in Spiritum S. Dico *quód ſi per peccatum in Spiritum S. intelliga-*

telligamus finalem impœnitentiam, ſic nullo modo remittitur, quia Deus his concedit remiſſionem peccati, qui pœnitent. ſed talis non pœnitet. ergo non habet remiſſionem. *ſi autem* peccatum in Spiritum S. ſumatur, vt ex malitia procedit, ſic eſt irremiſſibile; non quód nullo modo remittatur, ſed quia, quantum eſt de ſe, ob ſuam malignitatem, habet meritum, vt non remittatur. ſed, ſi ſpectemus, omnipotentem miſericordiá Dei, ſic eſt remiſſibile

An homo poſſit primo peccare in Spiritum Sanctum?

5. *Quartum dubium.* An homo poſſit primò peccare in Spiritum S? *Reſpondeo* ſi ſumamus peccatum in Spiritum S. vt eſt ex habitu vitioſo, ſeu ex inclinatione in malum. ſic primò nullus peccare poteſt: quia actus præſupponi debent, ex quibus hic habitus vitioſus genitus eſt: *ſi verò* ſumamus peccatum in Spiritum S. in quantùm ex malitia, contemnit dona, data ſibi à Spiritu S, vt eum retrahant à peccato, & confirment in bono; & neq; ſic primò peccat: quia hic alia peccata præſupponuntur. poteſt tamen contingere, quò d quis in primo actu peccati, contemnat gratiam Spiritus S. & ſic erit peccatum in Spiritum S. & hoc propter libertatem arbitrij, & propter multas diſpoſitiones præcedentes, aut propter vehemens, motiuũ ad malũ, & debilem affectũ ad bonũ.

DISPVTATIO XV.

De Oppoſitis vitijs Scientiæ, & Intellectui.

Donum intellectus quid?

1. DIco primò. *Donum intellectus (vt ſupra docuimus) eſt habitus ſupernaturalis, quo intellectus perficitur, vt facilius à Spiritu S. moueri poſſit ad ea, quæ ſunt fidei.* Et huic dono ſunt oppoſita duo vitia; Cæcitas mentis, & Hebetudo ſenſus. Donum verò ſcientiæ, eſt habitus ſupernaturalis, perficiens intellectum, quo expeditiùs iudicare poſſit, & diſcernere de rebus fidei. & huic opponitur ignorantia. & de hoc vitio egimus. 1. 2dæ. quæſt: 6 & qu 76 vnde nunc ſolùm dicemus de vitijs, quæ aduerſantur dono intellectus.

Donum Scientiæ quid?

Principia præſeruãtia à peccatis quæ?

2. Dico ſecundò. *Sunt quædam principia, ſeu veritates ſpirituales, ad quas ſi attendat homo, præſeruatur à peccatũ, & diſponitur ad bona opera exercenda:* vt, ſi ſecum conſideret bonitatem Diuinam, iuſtitiam, ſeueram punitionem: ſi verò contingat, hominem auertere ſe, à conſideratione horum principiorum; ita quód ad ea nolit attendere, & hoc, quia ſponte ſe auertit, iuxta illud; *noluit intelligere, vt bene ageret.* aut ideo ſe auertit, quia circa alia obiecta, magis dilecta cum delectatione occupatur. Iuxta illud Pſal. 57. *ſuper cecidit ignis* (id eſt concupiſcentiæ ardor) *& non viderunt ſolem* (hoc eſt non attenderunt ad iuſtitiam Dei) & hinc Cæcitas mentis oritur.

Origo cæcitatis [illegible]

3. Dico tertio. *Hebetudo ſenſus, quo ad intelligendum veritates ſpirituales, inducit debilitatem, & difficultatem.* Ex quo.

Nota diſtinctionem inter Cæcitatem

Diſtinctio inter cæcitatem mentis & hebetudinē ſenſus.

tatem mentis, & Hebetudinē ſenſus; quód hæc dicit difficultatem, ad bona ſupernaturalia, cognitione pertingendi; Cæcitas verò dicit omnimodam priuationem cognitionis earum; vtrumq; hoc vitium in Scripturâ inſinuatur, Cæcitas mentis Iſaiæ 56. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, ignorauerunt intelligentiam.* Hebetudo verò habetur in verbis. Eccleſiaſt: 10. *Si ferrum fuerit hebetatum, multo tempore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.* Hebetudinem comparat ſimilitudini ferri, quia groſsitiē craſſam habet, quæ medio labore perducitur ad acutiem. Habet autem hebetudo ſenſus, & Cæcitas mentis, rationem peccati, in quantū ſunt voluntaria.

Vnde nam ſit origo cæcitatis mentis?

4. Dico quartô. *Vtrumq; hoc vitium, ex duplici peccato carnis, conſurgit;* Cæcitas mentis oritur ex luxuria. Nā D. Greg: *lib: 31. moral: cap. 31.* Cæcitatem mentis annumerat vitiis, quæ ex luxuria proueniunt. nam luxuriæ ineſt vehemens deſiderium, ad opera carnis, quibus illecta, & abſorpta mens, ad rerum Diuinarum conſiderationem cæcutit. hebetudo verò ſenſus, oritur ex gula; nam ſenſus intellectū reddit debilem, ad intelligēda Spiritualia. quia ex 10. Ethicorum, cap. 5. *vnuſquiſq; circa ea, in quibus delectatur, optimè operatur, circa autem ea, quæ his ſunt contraria, nequàquam, aut debiliter.* Cum itaq; per hæc vitia carnis, per luxuriam, & gulam, intentio hominis maximê applicetur ad corporalia: idcirco iam circa ſpiritualia, aut in toto auertitur & eſt cæcitas mentis, aut in parte ita, quod debiliter intelligat illa, & eſt hebetudo.

Hebetudinis ſenſus origo quæ?

DISPVTATIO XVI.

De Præceptis Fidei, Scientiæ, & Intellectus.

An aliquod præceptum extet de fide vnius Dei

1. DVO hic reſoluenda; PRIMVM. *An aliquod præceptum exſtet de fide vnius Dei?* Dico cum D. Thoma. *de fide vnius Dei, nulla ſunt præcepta in veteri lege data, in noua verò de aliis ſpecialibus credibilibus, dantur præcepta* PROBATVR. Quia hæc fides, tanquam præambulū, in vtraq; lege prçſupponitur; ita quód prima ſubiectio hominis ad Deum eſt per fidem, & præcepta legis ſupponunt ſubiectionē; nemo enim, niſi ſibi ſubiectis, ponit leges. Colligitur hoc *Exodi 20.* vbi ante promulgationem Diuinorum præceptorum id, quod eſt fidei, præmittitur, cum dicitur. *Ego ſum Dominꝰ Deus tuus. &c,* Et Deut. 6. Primo præmittitur, *Audi Iſrael Dominus Deus tuus, vnus eſt &c.* Et tandem ſequuntur præcepta legis. Ergo de fide vnius Dei, non datur prçceptū, ſed præmittitur ante legē Diuinā.

Quomodo datum ſit præceptum de fide vnius Dei?

2. *Nota* quamuis expreſſis verbis, non detur præceptum, de fide in vnum Deum; tamen ex alijs locis Scripturæ colligitur, non quidem per modum legis, ſed tanquā præambulum legis vt ex Exodi & Deut: adductis locis patet.

Baneſſius hic notat, omnes homines,

Omnes homines obligantur ad fidem ſupernaturalem.

mines, in quouis ſtatu exſiſtentes, obligatos fuiſſe ad fidem ſupernaturalem vnius Dei, non ſolùm neceſſitate medij; ſed etiam præcepti. vnde non ſufficiebat, vt quis lumine naturali, per demonſtrationes, ad cognitionem vnius Dei, perueniret: ſed opus erat, vt maiori certitudine, qualis eſt ſupernaturalis, huic veritati aſſentiretur.

Quomodo ſit hæc lex data?

Idem dicit, hanc legem non fuiſſe latam, per promulgationem; ſed internè, per Diuinā reuelationem, & primo Parenti, & alijs Patriarchis, fuiſſe inſpiratam, ſeu intimatam & per horum traditionem, alij informabantur.

De ſcientia & intellectu dantur præcepta?

3. ALTERVM eſt, *An de Scientia & Intellectu ſint conuenientèr in lege veteri data præcepta?*

Quot ſunt quæ ad ſcientiam & Intellectum ſpectant?

Dico *quòd ſint conuenienter tradita in veteri lege*. PROBATVR. Tria ſunt, quæ ad Scientiam, & Intellectum ſpectant; Acceptio, Vſus, & Conſeruatio. ſed hæc ſunt tradita in lege veteri: *primum* acceptio Scientiæ, & Intellectus, fit per doctrinam, & diſciplinam. ſed hoc in lege traditum Deut. 6. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio, tibi in corde tuo:* quod ad diſciplinam, & diſcipulū ſpectat; vt cor ſuum, applicet ad ea, in quibus eruditur. cùm verò ſubijcitur; *& narrabis ea filio,* pertinet ad docendum: ergo acceptio Scientiæ, & intellectus, fit per diſciplinam, & doctrinam, quæ in lege traduntur. *Alterum* quòd *vſu ad ſcientiam, & ad intellectum ſpectant,* probant ſequentia verba. *& meditaberis ſedens in domo tua:* v. meditatio, ſeu actus cogitandi res Diuinas, vſum demonſtrant. *Tertium* v. Conſeruatio, inſinuatur his verbis; *Et ligabis ea, quaſi ſignum, in manu tua; eruntq́ue, & mouebuntur ante oculos tuos:* quæ iugem, & perpetuò vigentem, memoriā ſignificant; qua ad implenda Diuina præcepta mouemur. Hæc autem tria, v. Acceptio, Vſus, Memoria, Scientiæ & Intellectus, copioſiùs in nouo Teſtamento, per doctrinam Euangelicam, & Apoſtolicam, ſunt tradita; quæ à quolibet facilè deprehendi poſſunt.

Et hîc iam finem, Tractatui de Fide, imponimus; Deum humiliter orantes: vt lumine fidei, in hoc viæ, ac vitæ caliginoſo loco, illuſtrati ambulemus; exſpectantes beatam ſpem, donec illuceſcat dies, cuius agnus ſol eſt: tunc enim euacuabitur, quod ex parte erat, cum venerit, quod perfectum eſt. videbimus enim eum, ſicuti eſt; & ſimiles ei efficiemur; cui ſit laus, honor, in omnem æternitatem.

IN TRA-

IN TRACTATVM SECVNDVM DE SPE

PRÆFATIO.

HIc eſt ſecundus Tractatus, de Secunda virtute Theologica, v. de Spe, ſicut enim Fides & Charitas; ita & Spes, circa Deum verſatur: Fides quidem eſt circa Deum, vt eſt verax, & prima veritas; quæ nec falli, nec fallere, poteſt: Spes verò eſt circa Deum, vt in eum ſe erigit, tanquam in vltimum finem: Charitas item eſt circa Deum, vt eſt ſummum bonum, quod naturâ ſuâ eſt amabile.

Et hic notandum eſt diſcrimen, inter Finem & Bonum: Deus enim dicitur eſſe vltimus finis, in quantum à nobis obtineri, & poſsideri, poteſt; tanquam ſuprema felicitas noſtra: Deus verô dicitur eſſe Bonum, quod includit in ſe ſummam bonitatem, quæ propter ſe amari debet: vnde Deus, in quantum eſt finis noſter, amatur à nobis, amore concupiſcentiæ; quia propter nos, & noſtram vtilitatem, amatur: vt autem eſt ſummum bonum, amatur amore beneuolentiæ; id eſt, per ſe, & propter ſuam eſſentialem bonitatem, quæ illum ſummè amabilem reddit; etiam præciſo omni reſpectu, quód ſit noſtra beatitudo. Erit igitur Deus, ſub ratione vltimi finis conſideratus, obiectum ſpei. & ſic ſpes eſt virtus Theologica, de qua iam, poſt fidei tractationem abſolutam, agendum eſt: quia hæc (vt inferiùs patebit) eſt fide poſterior; ſed charitate prior. Diſcrimen inter Finem & Bonum.

Divisio Tractatvs.

Ordinem S. Doctoris ſequemur. & quia hic, ſex Quæſtionibus Tractatum Spei includit, v. à Quæſtione 17. vſq; ad 23. excluſiuè: ita & nos vniuerſam doctrinam de Spe, ſex Diſputationibus includemus.

1. *Erit de Spe in quantum eſt virtus.*
2. *De ſubiecto Spei.*
3. *De Dono timoris.*
4. *De oppoſito vitio Spei, v. de Deſperatione.*
5. *De ſecundo vitio, v. de Præſumptione.*
6. *De Præceptis pertinentibus ad ſpem & timorem.* In his Diſputationibus expediendis breues erimus: cùm & ipſe S. Doct. & reliqui eius interpretes; tanquam in re, non adeo perplexâ, non immorentur.

DISPVTATIO I.

De virtute Spei.

Octo inquiremus:

1. *An Spes ſit virtus?*
2. *An illius obiectum ſit æterna beatitudo?*
3. *An vnus homo poſſit alterius hominis beatitudinem ſperare, per virtutē ſpei?*
4. *An homo in alio homine poſſit licitè ſperare?*
5. *An ſpes ſit virtus Theologica?*
6. *An diſtinctio ſpei æqualis ſit ab aliis virtutibus Theologicis?*
7. *Spes quem ordinem dicat ad Fidem?*
8. *Quem item ordinem habeat ad charitatem?*

QVÆSITVM I.

An Spes ſit virtus?

Nomē ſpei varias ſignificationes habet.

1. INprimis ſuppono, quód nomen *Spei*, varias habeat ſignificationes *Primò namq;* Spes in ſuâ latitudine, ſignificat quandam exſpectationem euentus futuri, ſiue boni, ſiue mali: & ſi ſit mali ſignificat Timorē; ſi autem ſit exſpectatio boni? ſic ſignificat Actum, circa bonum futurum, arduum, & poſſibile: & ſic Spes dicitur, eſſe quædam paſſio ſenſitiua (vt docet D. Th. *in 1. parte quæſt: 40. art. 1.*) Cuius quatuor conditiones aſſignat. *prima* quód ſit de

ſit de bono; & ſic differt à Timore, qui eſt de malo: *ſecunda* quód ſit de bono futuro; & ſic differt à Gaudio, quod eſt de præſenti: *tertia* quód ſit de bono arduo, cũ difficultate adipiſcẽdi; non enim quis ſperat id, quód eſt minimum, aut quod eſt in promptu; & ſic à deſiderio differt, quod eſt de bono quidem futuro, ſed abſolutè hoc eſt abſtrahendo ab arduitate. *quarta* quia eſt de bono, poſſibili ad adipiſcendum; & ſic a Deſperatione differt.

2. *Secundò* SPES ſignificat motum voluntatis, quo fertur ad bonum, intelligibile, futurum, arduum, poſſibile; & vel per vires naturales? & ſic Spem Phyſici conſiderant; *vel* per Diuinum auxilium? & per hanc ſperamus vitam æternam. & de hac loquuntur Theologi. Spes igitur præſentis conſiderationis, illa eſt, quæ pro obiecto, habet ſupernaturalem Beatitudinem, quam non niſi per auxilium Diuinæ gratiæ, conſequimur; & ſic ſumpta Spes, in Scriptura habet varias ſignificationes. *quandoq;* enim ſumitur pro obiecto, quód ſperatur. ad Coloſſen: 1. *Propter Spem, quæ repoſita eſt in cælo.* Ad Titum 2. *Exſpectantes beatam ſpem. Quandoq;* ſumitur pro ipſa actione operandi Pſal: 90. *Intende in adiutorium ſpei meæ. Quandoq;* ſumitur pro habitu, ſeu pro habituali qualitate Pſal. 3. *Paratum cor eius ſperare* Hæc præparatio potiùs habitum; quam actionem ſignificat. Et 1. Corint: 13. *nunc manent fides, ſpes, charitas.* Verbum *manere* ſignificat habitum Spei, eſſe quandã qualitatẽ permanentem. nam actus habet ſe, per modum tranſeuntis. Ex hoc iam colligimus, quód in præſenti, agimus de Spe, vt eſt habitus ſupernaturalis infuſus; ex quo actus promanãs, dicitur eſſe virtus. Hoc præmiſſo ad Quæſitum.

De qua ſpe tractat Theologia

Spes quas habet ſignificationes in ſcriptura

3. Dico *Spes eſt virtus, qua voluntas in Deum fertur, vt eſt noſtra beatitudo* Hoc Dictum communiter tenetur. Dur: negat *in 3. diſt: 26. quæſt: 1 Fundamentum eius.* Quia de ratione virtutis, eſt propriè dictæ: vt ſit principium actus perfectiſſimi; &, vt ſubiectum, in quo recipitur, diſponat in optima diſpoſitione, ſibi poſſibili. Sed ſpes non producit actum perfectiſſimum, nec nos debitè diſponit: quia non habet præſentiam ſui obiecti. ergo non eſt virtus propriè dicta.

Spes eſt virtus &c.

Hoc non obſtante probatur Dictum locis Scripturæ *1 Corinth 13.* Spes numeratur cum fide, & charitate. ſed fides & charitas ſunt virtutes. ergo & ſpes eſt virtus. *Deinde* Sacra ſcriptura hortatur nos ad ſpem Pſal: 61. *ſperate in eo, omnis congregatio populi.* ergo eſt virtus, *Conſequentia* quia in Scriptura eſt loquens Spiritus S. qui, vt à vitijs dehortatur; ita ad virtutes hortatur. *Præterea* Quia ſpes commendatur Pſal: 145. *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo eius.* In voce *Beatus* eſt commendatio, quæ virtuti propria. probatur quoq; rationibus.

4. *Ratio prima.* Virtus eſt, quæ habentem facit bonum, & opus eius reddit bonum. ſed ſpes hominem, in quo eſt, facit bonum; & actum illius, ſimiliter facit bonum; quia eſt circa Deum, vt eſt beatitudo noſtra, quia Deus eſt regula

huma-

humanarum actionum. ergo eſt virtus.

Ratio 2da. Illa qualitas cenſetur, eſſe virtus propriè dicta, quæ verſatur circa bonum, per ſe honeſtũ, & quæ facit eos, in quibus eſt laudabiles. Sed ſpes eſt, circa bonum per ſe honeſtum, quia eſt circa Deum, qui eſt ſummum bonum. *Tum* ſpes eos, in quibus eſt, laude dignos facit Pſal: 33. *Beatus vir qui ſperat in eo.*

Ratio 3tia. Quandocunque eſt aliqua ſpecialis, difficultas operandi, circa aliquod bonum, ab omnibus alijs diſtincta; ibi etiam admittenda eſt virtus, quæ ſit ab alijs diſtincta: ſed circa ſperandam æternam beatitudinem, eſt ſpecialis difficultas; eademq; tanta, quæ virib⁹ naturæ, ſuperari non poteſt; ſed requirit ſpeciale auxilium Dei. ergo eſt virtus ſpecialis, ab alijs diſtincta *Confirmatur* Concil: Trident: ſeſſ: 6. can. 3. *ſi quis dixerit, poſſe hominem credere, & ſperare, ſicut oportet; abſq; inſpiratione, & adiutorio Dei, anathema ſit.*

5. *Nota* Hæc verba, *ſicut oportet*, denotant diſtinctum modum operandi. nam poteſt quidem aliquis, ſolis viribus naturæ, aliquomodo imperfectè, ſperare æternam beatitudinem, cum fuerit illi declarata; ſed ſicùt oportet, non poteſt; hoc eſt, vt ſpes eius, ad ſalutem illi, & ad iuſtificationem, conferat: ſed requiritur, concurſus Diuinæ gratiæ, ad eliciendum actum ſpei ſupernaturalem.

Ad Fundamentum. Dur: dico falſum eſſe, quód ſit de ratione virtutis; vt exerceat actum perfectiſſimum abſolutè. ſi enim hoc ita eſſet; ſequeretur *primò* virtutes alias alijs non debere eſſe perfectiores, quod quidem certum eſt 1. Corint: 13. *maior autem horum eſt charitas. Secundò ſequeretur*; quód ſola charitas, eſſet virtus propriè dicta: nam nulla ſic perfectum actum exercere poteſt, ſicut charitas; quód quidem falſum. nam præter charitatem, numerantur aliæ virtutes Theologicæ, *tum* & quatuor ſunt Cardinales. Nec illud Dictũ Dur: ſtare poteſt, quód ſit virtutis ratio, *vt obiectũ conſtituat in optima ſui diſpoſitione, poſſibili.* nam omnes admittunt, quód virtutes, ſaltem virtute Diuina, intendi poſſint.

6. *Sed inſtabis* 1. Corinth. 13. dicitur *Charitatem omnia credere, & ſperare* ergo non eſt opus Fide, & Spei ſed ſola charitas ſufficit. *Reſpondeo* horum verborum ſenſum eſſe duplicem. *Primus* Charitatem omnia credere, & ſperare; hoc eſt, efficere: vt libentiùs credamus, & ſperemus, amanti enim nihil difficile: & his, quos amamus, magis credimus, & magis in eis ſpem collocamus. *Secundus ſenſus ideo* charitatem omnia credere, & ſperare: quia charitas facit, vt actus credendi, & ſperandi, ſint meritorij de condigno. *Obiectio. Solutio eius.*

7. *Sed inquires* Caiet. hîc dicit S. Doctoris Concluſionem, v. quód ſpes ſit virtus, intelligendam eſſe de ſpe, formata per charitatem vnde

Dubium eſt. An ſpes informis ſit virtus? *Reſpondeo* quód etiam ſpes informis, eſt vera virtus; quamuis ſine charitate, non habeat ſtatum perfectum virtutis. PROBATVRQ' quód *An ſpes informis ſit virtus?*

quòd ſit virtus. quia facit hominem bonum, & illius actum perfectum. nam eſt circa obiectum Diuinum, v. circa beatitudinem æternam noſtram; ex qua, & ipſe homo, & act⁹ eius, ſumit bonitatem.

Sed dices hunc actum ſpei, in peccatore eſſe vanum. *Reſpondeo* vanum eſſe, ſi fiat ſine gratia, & ſine bonis operibus; ſed, ſi fiat, cum auxilio gratiæ Diuinæ; & cum meritis, ad ſalutem conferentibus, non eſſe vanum. Spes enim Diuina non confundit.

Nota ad rationem virtutis duo concurrunt: *primò* quòd ſignificat quandam bonam mentis qualitatem, quâ nemo malè vtitur, & in hoc conſiſtit quidem eſſentia virtutis ſed nuda. *ſecundò* in quantū importat quendam modum, & ſtatum perfectum virtutis; vt poſſit promptè, & cum delectatione operari. & ſic ſpes informis, priori modo conſiderata, eſt virtus; licet ſecundo, non ſit vera. quemadmodū infans, dicitur eſſe, eiuſdem ſpeciei homo, cum viro; ſed, ſi vir ſumatur, ſecundùm eam perfectionem; quám ab ætate, & ab vſu rationis, habet; ſic iam perfectiùs ſe habet: ita & ſpes informis, eſt quidem virtus, ſicut & formata: quia vtraq;, eſt qualitas mentis bona; ſed ob perfectionem, quam ſumit à charitate, præſtantior eſt Formata; quàm informis.

QVÆSITVM II.

An Beatitudo æterna ſit obiectum Spei?

Obiectum Spei materiale quotuplex? 8. DE duplici Obiecto Spei inquiremus *primò* de materiali *ſecundò* de Formali.

QVANTVM *ad primum* Dico, *óbiectum ſpei materiale, eſt duplex. Primarium & ſecundarium:* Primarium, *eſt beatitudo noſtra æterna. ſeu Deus ſummum bonum noſtrum, ſeu (vt quidam dicunt) eſt Beatitudo æterna. quæ in viſione & fruitione ipſius Dei conſiſtit.* PROBATVR. Geneſis 15. vbi Deus ad Abraham loquitur; *Ero protector tuus, & merces tua magna nimis.* Ad Tit. 2. *Exſpectantes Beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Quibus locis declaratur; tam ipſum Deum, quàm ipſam beatitudinem, quæ nobis per viſionem Dei communicabitur, eſſe obiectum materiale ſpei. *Et ratio eſt.* Effectus debet eſſe proportionatus ſuæ cauſæ. Sed ſpes noſtra, innititur virtute Dei adiuuantis, quæ quidem eſt infinita. ergo adiuuat ad bonum infinitum, & talis eſt beatitudo noſtra æterna, quæ in fruitione Dei conſiſtit. ergo hæc eſt obiectum materiale.

Ratio ſecunda. Illud debet eſſe obiectum ſpei, quod appetitum rationalis creaturæ expleat. ſed explere non poteſt, niſi illud ſit infinitum; ſolus autem Deus, in quantum eſt beatitudo noſtra, eſt infinitus, & explet. Pſal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit*

ruerit gloria tua, ergo obiectum ſpei, eſt Deus, vt eſt beatitudo noſtra. *Deinde* id communiter ſperamus, quod eſt noſter finis. ſed beatitudo æterna, eſt vltimus finis noſter. ergo & obiectum, erit ſpei noſtræ.

Quomodo intelligendum Beatitūdinē æternam noſtrā eſſe obiectū Spei?

Nota cùm dicimus, quód *beatitudo æterna noſtra ſit obiectum ſpei*, non ſic intellige, quód beatitudo præciſa, & abſtracta à Deo ſit obiectum ſpei; ſed illa ſola beatitudo, quæ in viſione, & fruitione ipſius Dei conſiſtit. Quia obiectum virtutis Theologicæ, eſt Deus; ſed beatitudo præciſa à Deo, non eſt De' ergo nec obiectum ſpei erit.

Quodnam eſt obiectū ſecundariū materiale Spei?

9. Dico ſecundò. *Secundarium obiectum materiale ſpei, eſt beatitudo accidentalis; vt ſunt laureolæ, Martyrij, Doctoratus, virginitatis.* nam hæc credimus, atq; etiam ſperamus, vt Daniel. 12. *quód docti fulgebunt, quaſi ſplendor* &c. Credimus quoque, & ſperamus id, quod dicitur Apocalip 14: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & ſequuntur agnum, & cantabunt canticum nouum.* &c. DOTES *quoque animæ, & corporis, ſunt ſecundarium obiectum.* quia credimus, & ſperamus; quód hoc corruptibile, erit incorruptibile; & animale, erit ſpirituale. *Perſeuerantia quoq; eſt obiectum ſecundarium.* nam dicit Concil. *Trident. Seß. 6. cap. 13.* quód vnuſquiſq; noſtrum poteſt ſperare ſuam perſeuerantiam. ſed hæc nō eſt Deus, ſed conducens ad beatitudinem. Ergo erit obiectum ſecundarium. *Viſio quoq; humanitatis Chriſti, eſt obiectum ſecundarium ſpei.* dicitur enim Iob. 19 *Scio quod redemptor meus, &c. quem viſurus ſum, ego ipſe.* Communiter hæc viſio, explicari ſolet, de ſpe viſionis humanitatis Chriſti. ſed humanitas Chriſti, non eſt Deus; & tamen ad ſpem ſpectat. ergo ſecundarium obiectū ſpei. ſic quoq; poſſumus, ſpem noſtram collocare, in bonis operibus noſtris, tanquam in obiecto ſecundario: quia hæc ſunt, tanquam media, & inſtrumenta, ordinata ad noſtram beatitudinem.

Quodnam ſit obiectū formale Spei?

10. QVANTVM *ad ſecundum.* quod nam ſit obiectum formale ſpei. Dico. *Deus ſummum bonum noſtrum futurum, arduum, conſideratum ſub ea ratione, in quantum eſt poſſibile, in nobis virtute Diuina, eſt ratio formalis ſpei.* DECLARATVR hoc in obiecto fidei iam à nobis explicato. ſicut enim obiectum fidei materiale, eſt Deus conſideratus cum ſuis potentijs, & attributis; *Formale* verò, in quantum eſt prima veritas, reuelans & atteſtans: ita obiectum ſpei primarium materiale, eſt Deus ſummum noſtrum bonum, ad beatificationem, quæ eſt ſupra conditionem naturæ noſtræ, nobis propoſitus: *ratio verò formalis,* in quantum hæc beatitudo, non noſtris viribus; ſed Diuinæ potentiæ & bonitatis, eſt poſſibile. & ſicut prima ueritas, reuelans, & atteſtans; quia eſt ratio formalis fidei, captiuat intellectum noſtrum, in obſequium fidei: ita potentia, & bonitas; quia eſt ratio formalis ſpei, auxiliatur nobis ad bonum illud arduū; quod eſt ſupra vires naturæ noſtræ, conſequendum, & poſſidendum. & ſicut obſcuritas habet ſe in fide; ita arduum, & difficile in ſpe. & ſicut authoritas Dei atteſtantis in fide eſt omnibus obuia; ita auxilium Dei omnipotentis

tentis in ſpe, eſt in promptu omniũ & ſicut in fide tunc credimus, quãdo veritas Dei atteſtantis, vincit obſcuritatem noſtrã; tunc autem eſt infidelitas, quãdo obſcuritas, vincit primam veritatem reuelantem: ita tunc eſt ſpes, quando auxilium Dei, in quo ſperamus, vincit rationem ardui; Deſperatio autem tunc eſt, quando arduitas, & difficultas, ſic apprehenduntur; tanquam auxilium Dei omnipotẽtis vincant.

11. *Sic declaratum Dictum probatur*. Obiectum formale ſpei, id debet conſtitui, per quod diſtinguatur, ab alijs virtutibus Theologicis. ſed per hoc, quód beatitudo ſit, poſſibilis in nobis virtute Diuinâ, diſtinguitur ab alijs virtutibus Theologicis: nam fides verſatur circa Deum, vt eſt prima veritas reuelans; Charitas quoq; verſatur circa Deum, vt Deus eſt ſummè amabilis, propter ſemetipſum: ita ſpes eſt circa Deum, in quantum eſt beatitudo noſtra, quæ in nobis virtute Diuina eſt poſſibilis.

Quæ ſunt attributa Diuina ex quibus conſurgit ratio formalis cõſtitutiua Spei?

Nota vt duo attributa Diuina cõcurrunt, ad conſtituendam rationem formalem fidei; v. Sapientia, & Bonitas; quia enim Deus ſapiens, ideo falli non poteſt; & quia eſt bonitas, neminem fallit, vnde eſt prima veritas: ita etiam tria ſunt attributa Diuina, Bonitas, Potentia, Fidelitas; ex quibus conſurgit ratio formalis conſtitutiua ſpei: ſi enim Deus eſt omnipotens, poteſt igitur dare nobis, quod ſperamus: & quia eſt bonitas, quæ ſui diffuſiua eſt; idcirco communicat nobis eam rem, quam ſperamus: & quia eſt fidelis, præſtat re ipſa, vt id poſſideamus, quod nobis ſperandum propoſuit: nam fidelis dominus in omnibus promiſſis ſuis. Et hic iam tria reijcimus, quę non poſſunt conſtituere, rationem formalem ſpei.

Quæ & quot ſunt quæ nõ poſſunt conſtituere rationem formalem Spei?

12. *Primò reijcimus* quód Deus, vt beatitudo noſtra, ſub ratione ardui conſideratus, non eſt ratio formalis ſpei. *Ratio.* quia formale obiectum erigit actus noſtros in Deũ; arduum non erigit, ſed deprimit. ergo non eſt ratio formalis.

Secundò reijcimus quód Deus, vt noſtra beatitudo conſideratus, ſub ratione ſupernaturalis, non eſt obiectum formale ſpei. *Ratio* quia ſupernaturale æqualiter reperitur, & in fide, & in ſpe, & in charitate; iam autem id, quod formale eſt; fidem à charitate, & à ſpe diſtinguit: ita quoq; ſpem à fide, & à charitate, debet diſtinguere.

Tertiò reijcimus quód Deus, vt noſtra beatitudo, ſub ea ratione conſideratus, vt amatur amore concupiſcentiæ, non eſt obiectum formale ſpei. *Ratio* quia Beati in patria, amant Deum, vt ſummum bonum ſuum amore concupiſcentiæ, ergo ſequeretur, quód in Beatis eſſet ſpes, quod eſt falſum. *Demùm ſequeretur* quód, ſi amor concupiſcentiæ eſſet formale obiectum ſpei, nihil ſperaremus; niſi dependenter ab illo. ſed multa ſperam*, quæ non dependent ab amore cõcupiſcentiæ, vt Concil. Trid. *Seſſ. 6.* docet poſſe nos ex propoſito timore, ſperare iuſtificationem noſtrã.

QVÆSITVM III.

An vnus poſſit alteri ſperare æternam beatitudinem?

Fides eſt ſuarum & alienarum rerum Spes non niſi ſuarum.

13. DIco primò. *Loquendo de ſpe abſolutè, & ſimpliciter, tunc nemo alteri ſperat bonum, ſed ſibi ipſi.* PROBATVR Dicto D. Aug. *in Ench. cap 8.* vbi dicit *Fidem eſſe, & ſuarum, & alienarum rerum; ſpē verò, non niſi rerum, ad eum pertinentium, qui earum curam gerere perhibetur*: Quia ſpes importat motum appetitus in arduum. ſed motus ſemper eſt, ad proprium terminū, proportionatum mobili, v. ipſi homini, in quo eſt ille motus appetitus. ergo propriè ſibi, & non alteri ſperat.

Quādo vnus alteri ſperare poteſt æternam beatitudinem

Dico ſecundò. *In quantum tamen aliquis, eſt nobis per charitatem vnitus; ita illi bonum, & æternam beatitudinem, ſperare poſſumus.* RATIO. Amor enim eum, quem nobis coniungit, eundem nobiſcum facit; & bonum, quod illi ſperamus, tanquam noſtrum efficit nam de illo bono alterius, per charitatem nobis conſociati, ita gaudemus; ac ſi de noſtro.

An peccator qui eſt charitate priuatus poſſit ſperare alteri beatitudinem

14. *Sed quæres* Peccator, qui charitate eſt priuatus, an poſſit alteri ſperare beatitudinem? ſiquidem illum vnire ſibi non poteſt. *Reſpondeo* quód in peccatore, ſicut fides, ita & ſpes, eſt informis: ſicut itaque peccator, poteſt ſibi ſperare beatitudinem; ita & proximo poterit. ſed ſuffultus gratia Diuinâ, & meritis, ex ea producendis, poteſt ſibi ſperare beatitudinem. ergo & alteri proximo poterit; & hoc ſufficit ad ſpem informem: iuſtus verò, in quo eſt ſpes, per charitatem informatam, vnire ſibi peccatorem poteſt; illi ex amore cupiendo gratiam, & merita; & ob hoc poteſt illi beatitudinem ſperare.

In peccatore vt fides ita & ſpes eſt informis.

QVÆSITVM IV.

An aliquis poſſit licitè ſperare in homine?

Pelagianorū & Lutheranorum hæreſis.

15. PElagiani affirmāt, poſſe vnumquemque in ſuis meritis, licet in gratiâ Dei non fuerint producta, confidere; quód poſſint conſequi æternam beatitudinem. Lutherani negant: nefas enim eſſe dicūt; vt quis in proprijs meritis, aut in alienis, poſſit ſperare; exceptis tamē meritis Christi.

Doctri-

Qualis doctrina Catholica? **Doctrina autem Catholica hæc eſt** quód ſicut nemini licet, ſperare aliquod bonum creatum, tanquam vltimũ finem noſtrum, per quod beati efficiamur; ſed ſolùm licet ſperare, tanquam id, quod eſt medium, ordinatum ad conſequendam æternam beatitudinem: *ita* non licet in homine, aut in aliquá creatura ſpem collocare; tanquam illa ſit, quæ nos moueat, aut ducat, vt prima cauſa in beatitudinem. *Ratio* quia ſolus Deus, eſt vltimus finis noſter, & noſtra beatitudo ſuprema, & cauſa efficiens; in cuius auxilio ſpes noſtra innititur. *Licitè tamen* poteſt aliquis, in homine, aut in alia creatura, ſperare; tanquam in cauſa ſecundaria, & inſtrumentali; per quam nos Deus adiuuat, ad bona conſequenda, quæ in ipsã beatitudinem ſunt ordinata. & ſic licitè vnuſquiſq; poteſt ſperare, in Sanctis, tanquam in obiecto ſecundario ſpei; & ſic Beatiſſimam Virginem, Matrem miſericordiæ, vitam, dulcedinem, & ſpem noſtrã, cum Eccleſia appellamus. *Similiter* in orationibus mutuis, ſpem collocare licet, vt in ſecundario obiecto. Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini, multùm enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Denique* in bonis operibus, licet ſpem collocare. Tobiæ 4. *Fiducia magna eſt coram Deo eleemoſyna, omnibus facientibus eam* RATIO. In eo licitè ſperare poſſumus, quod eſt cauſa noſtræ ſalutis, ex ordinatione Diuina. ſed merita ſunt cauſa noſtræ ſalutis, ex ordinatione Diuina. Matt. 25. *Venite benedicti, poſſidete regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* ergo licitè in eis ſperare poſſum⁹.

Quomodo aliquis in homine ſperare poteſt?

Quomodo in ſanctis & V. Maria quiſque ſperare poteſt?

16. *Sed inſtant* Lutherani. Ierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine. Reſpondeo.* qui in homine, aut in alia creatura, tãquam in obiecto principali, & tanquam in fine vltimo ſuæ beatitudinis ſpem collocat, maledictus eſt; ſed qui confidit in homine, tãquam in obiecto ſecundario ſpei, hic iam non ſubiacet maledictioni. Obiectio cũm ſolutione.

Inſtabis ſecundò. nemo in ſe ſperare poteſt. Ergo nec in ſuis meritis. Iudith. 6. *Non derelinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes, humilias.* Obiectio altera.

Reſpondeo. Non licere hominem, nec de ſe, nec de ſuis meritis, quæ, uiribus ſolius naturæ producuntur, ſperare: quia hoc & vanitatẽ; & affectum ſuperbiæ, continet ſed bene poſſumus ſperare, in quãtum homo cum ſuis meritis, & à gratia, & à meritis paſsionis Chriſti dependet. Eiuſdẽ Solutio.

17. *Et ex hoc condemnatur* dogma Pelagii, quod nemo in ſuis meritis præciſis à gratia Dei, confidere poteſt: quia hæc ſunt ordinis naturalis, vnde nullum ordinem, ad beatudinem, quæ eſt ſupernaturalis, dicere poſſunt. Pelagij dogma condemnatur.

Nota cum Bãneſio propter Pelagium: quód ſi quis à ſuis meritis, non excluderet Deum, vt autorem naturæ, ſed excluderet illius gratiam: tunc, ſi in his ſpem collocaret, mortaliter contra ſpem peccaret: & ideo Angelus de cælo, & de ſua dignitate, deturbatus eſt. quia ſuis viribus, ſine gratuito Dei auxilio, ſe poſſe aſſequi beatitudinem confidebat.

QVÆSITVM V.
An ſpes ſit virtus Theologica?

18\. Negat Dur: *in 3. diſt: 26. q. 2.* dicit enim, quia ſpes nõ verſatur immediatè circa Deũ, ſed circa beatitudinẽ, quã mediante viſione, & fruitione Dei aſſequimur, quæ quidem eſt actio creata. *Ratio eſt prima.* Spes attingit Deũ, in quantũ videndus eſt. Ergo viſio Dei, eſt principale obiectum Spei, quia per viſionẽ ad Deũ accedit, illiq; vnitur. *Ratio ſecunda.* Spes ad amorem cõcupiſcentiæ ſpectat, qui enim aliquid ſperat in illud tendit, tanquã in bonũ ſuũ poſſidendũ referendo illud ad ſe. Sed Deus non eſt referibilis ad creaturas, ſed potiùs ad eum, tanquam ad vltimum finem, omnia referuntur. Ergo Deus non eſt obiectum immediatum Spei. *Confirmatur.* Deus, ſicut mediante gratia nos iuſtificat; ita mediante viſione nos beatificat. Ergo viſio mediatum obiectũ Spei, & nõ Deus. Hoc nõ obſtãte.

Spes eſt virtus Theologica. Dico, *ſpes eſt virt⁹ Theologica. Ratio* Quia obiectum Spei principale eſt Deus, & per hoc intelligit S. Doct: quód ſit immediatum obiectum: Pro cuius declaratione, hîc duo ex Caietano notanda ſunt.

16\. *Nota primò,* in quo eſt nodus difficultatis. Actio, ſeu qualitas recepta in aliquo paſſo, nõ impedit; quominus dicamus, quód immediatè ab aliquo agente patiatur: & ſic dicimus aërem ab igne immediatè calefieri; licèt mediante calore recepto calefactio fiat. nam ille calor formaliter, & efficienter, ab igne procedit. *Ita* quoq; poteſt eſſe, aliquis finis immediatè finalizans, ſecundùm ſuam bonitatem; licet illius finis aſſecutio fiat, per aliquam intermediam actionem. ſi quis intendat, vini ſuauitatem percipere; tunc vinum, ſecundùm ſuam ſuauitatem, erit finis vltimus; licet media guſtatio intercedat: nam per eam concupiſcens vnitur ſuo fini. *Similiter* poteſt eſſe aliqua res, immediatum obiectum alicuius virtutis, aut actus; licet ipſa actio, vel paſſio, interueniat; quâ mediante operans, vnitur tali obiecto: ſicut dicimus coloratum eſſe immediatum obiectum viſus; etiam ſi hoc fiat, mediante ſpecie, recepta in viſu.

20\. *Nota ſecundò.* quemadmodũ non impedit; vt fidelis dicatur, immediatè inniti primæ veritati, dũ aliquem articulum credit; quamuis à prima veritate, habet lumẽ infuſum, quo mediante, firmiter aſſentitur primæ veritati: & quemadmodum charitas, immediatè vnit voluntatem Deo; licet mediante impreſſione gratiæ, excitantis, & adiuuantis. *Ita* Spes immediatè innititur Deo, in quantum eſt beatitudo noſtra, virtute Diuinâ, in nobis producenda, quamuis Deo non vniamur, niſi mediante, auxilio, & viſione, in homine. *Cur* autẽ hæc intermedia non ſint obie-

obiectum? hæc eſt cauſa: quia habent rationem effectus Dei producti in nobis, ſecundùm quem applicamur ad Deum, vt in finem vltimum; vnde non habent rationem obiecti.

Quomodo Deus ſit immediatum obiectum Spei?

Ex quo colligere licet, Deum, vt eſt noſtra beatitudo, eſſe immediatum obiectum ſpei; non autem viſio, aut fruitio: cum hæc ſint effectus, ad hoc producti; vt per hos vniamur Deo, tanquam obiecto. ad Argumenta autem Durandi reſpondeo.

21. *Ad primum* cum dicit, quód ſpes eſt, quæ reſpicit Deum, in quantum eſt videndus *dico* quód hæc particula *videndus*; aut dicit, quód viſio ſit ratio formalis obiecti ſpei? & ſic negamus: quia hæc eſt Deus, vt beatitudo noſtra, licet ad hoc viſio requiratur, vt nos actu beatificet: aut hæc particula ſignificat, conditionem *ſine qua non*? & ſic concedimus; ſed negamus conſequẽtiam. nam per viſionem, videtur quidem Deus, & beatitudo noſtra. ſed negamus, quód viſio ſit obiectum Spei. nam licet viſus per viſionem videat colorem: tamen obiectum viſus, non eſt viſio, ſed color.

Ad ſecundum dico. in amore concupiſcentiæ, poſſumus in aliquid tendere, tanquam in illud, quod ſit nobis vtile; & ſtatim in illud, poſſumus referri, quando habet rationem vltimi finis, & ſic in Deum, vt eſt noſtra beatitudo, tendimus. & quia idem eſt vltimus finis, etiam nos in eum referimus. *Ad confirmationem dico*, Deum beatificare, nos mediante viſione. ſed tamen viſio, non eſt obiectum Spei: ſicut mediante guſtatione vini, ſuauitatem percipimus; & tamen finis noſter, non eſt guſtatio, ſed ipſum vinum.

22. *Sed inſtabis.* obiectum Theologiæ, eſt etiam Deus. ergo Theologia erit virtus Theologica, quod eſt falſum. *Reſpondeo* ad hoc, vt aliquid dicatur, eſſe virtus Theologica, non ſufficit, vt habeat Deum prò obiecto, quocunq; modo; ſed vt immediatè ipſum Deum attingat. at in Theologia ratio formalis reuelans, non eſt veritas prima immediatè, vt in Fide, quæ eſt virtus Theologica; ſed eſt demonſtratio, mediante diſcurſu humano. *Præterea* virtutes Theologicæ debent eſſe, eſſentialiter diuinitus infuſæ; ita, quód Spiritus S eas in nobis, ſine nobis, producat. ſed Theologia, non eſt diuinitus infuſa; ſed, ſtudio, & labore, comparata. *Deniq;* Theologia, ex reuelatis principijs fidei, per ratiocinationem, alias, atq; alias, concluſiones colligit; virtutes verò Theologicæ, in ſola bonitate, ac veritate Diuina, nituntur: & ideo credunt, ſperant, & amant; quia ita Deus iubet, nullum adhibendo diſcurſum humanum. De Religione verò, & de cultu latriæ dico quód hæ dici, non poſſunt, virtutes Theologicæ: quia non ſunt, immediatè circa Deum; ſed potiùs ſunt circa media; quæ, ad Deum, & ad honorem eius, offeruntur: vt ſunt ſacrificia, oblationes, orationes, decimæ, vota, & alia.

Obiectio cum ſolutione.

Religio & cultus latriæ nõ ſũt virtutes Theologicæ.

QVÆ-

QVÆSITVM VI.
An ſpes ſit diſtincta ab alijs virtutibus Theologicis?

Spes & à Fide & à Charitate eſt diſtincta.

23. DIco *Spes, à Fide, & à Charitate, eſt omnino diſtincta.* PROBATVR. 1. Corint: 13. *Nunc autem, manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum charitas.* Hic locus Scripturæ, virtutes Theologicas, diſtinguit nominibus, diſtinguit & numero, cum dicit: *tria hæc,* vbi autem non eſt diſtinctio, non eſt numerus, ſeu pluralitas. ſed ſpes connumeratur alijs virtutibus, quas dicit eſſe numero tres. Ergo ſpes, ab alijs eſt diſtincta. *Deniq;* cum addit: *Maior horum charitas,* ſignificat inter hæc ſuperiùs, & inferiùs, quód habet rationem diſtinctionis. *Deindé* hæ virtutes, habent rationes obiecti diſtinctas: nam *Fidei* eſt obiectum Deus, in quantum eſt prima veritas reuelans: obiectum autem *Spei* primarium, eſt Deus, vt eſt noſtra beatitudo, per auxilia Diuina à nobis poſſidenda.

Fidei obiectum eſt Deus in quantum eſt prima veritas reuelans.

Præterea. Fides, eſt in intellectu tanquam in ſubiecto. Spes autem, eſt in voluntate (vt inferiùs patebit) & quanquam charitas ſimul cũ ſpe, ſint in voluntate; nihilominus adhuc inter ſe diſtinguuntur formalibus obiectis. Quia obiectũ charitatis eſt Deus, in quantum eſt ſummè amabilis; Spei autem obiectum eſt Deus, in quantum eſt beatitudo noſtra, virtute Diuiná, in nobis producibilis. Vide Sotum *lib. 2 cap. 7. de Natura* has virtutes, maximè autem fidem, à charitate diſtinguit.

Quomodo Deus Charitatis, & Spei ſit obiectum?

QVÆSITVM VII. & VIII.
Spes quem ordinem dicat ad fidem, & ad charitatem?

Fides abſolutè præcedit Spem.

24. DIco primò *Fides abſolutè præcedit Spem.* PROBATVR Matth: 1. dicitur, *quód Abraham genuit Iſaac.* Gloſſa explicat *quód fides genuit ſpem, Deinde* obiectũ Spei, eſt bonum arduum, poſſibile haberi. ſed in hoc bonum, non poteſt voluntas ferri, per ſpem; niſi eidem voluntati, ab intellectu apprehenſum, & propoſitum fuerit. ergo fides præcedere debet. id enim, quod ſperamus, priùs lumine fidei apprehendi debet: ſiquidem Fides, eſt ſubſtantia rerũ ſperandarũ. *Præterea* obiectum Spei, eſt

eſt beatitudo æterna, eſt quoq; diuinum auxilium, cui innixi ſperamus nos eam poſſe conſequi, ſed vtrumq; hoc ad cognoſcendum proponitur nobis per fidem. Ergo fides præcedit.

Obiectio cũ ſolutione.

Sed obijcies. Gloſſa ſuper illud Pſalmi. *Spera in domino* &c. dicit: Spes eſt introitus fidei. *Reſpondeo.* Nos per ſpem intrare ad vidẽdum id, quod credimus: quia Spes promittit nobis viſionem eorum in patria; quæ nunc non vidẽtes credimus. *vel* Spes eſt introitus fidei, v. ſtabiliendæ in nobis, non autem primitus in nobis generandæ.

Quid eſt Spes?

Spes ordine generationis eſt prior charitate.

25. Dico ſecundò. *Spes, ordine generationis, eſt prior charitate.* PROBATVR. Via enim generationis incipit ab imperfecto, procedit autem ad id, quod eſt perfectum. ſed ſpes ad amorem imperfectum ſpectat: quia amat bonum propter ſemetipſum. ergo ſpes præcedit. *Confirmatur* Concilio Trid. *Seſſ. 6. cap. 6.* vbi deſcribens ordinem iuſtificationis, primo loco ponit Fidem, ſecundo Timorem, tertio Spem, quarto ipſam delectationẽ. Quód verò ſpes ſit via, ad perfectam charitatem, patet: nam ex eo, quód quis aliqua bona ab alio ſperat, inducitur, non ſolùm ad amandum illa bona; ſed etiam ad illum amandum, à quo hæc ſunt bona; qui eſt actus charitatis perfectus.

Spes eſt via ad perfectã charitatem

Obiectio.

Sed obijcies ex charitate ſpem oriri. dicit enim D. Aug. lib de doctr. Chriſt. cap. 37. *Porrò ſi credit, & diligit benè agendo, & præceptis bonorum morum obtemperando, efficit, vt etiam ſperet ſe ad id, quod diligit, eſſe venturũ.*

Solutio ei.

Reſpondeo ſi loquamur de Spe, ſimpliciter & abſolutè conſideratâ; ſic ſpes non eſt ex charitate, ſed, ſi loquamur de ſpe formatâ, inquantum eſt in ſtatu perfecto virtutis (vt docuimus Quæſito primo, circa finem) ſic concedimus, quód ſicut fides, ita & ſpes, per accedentem charitatem formata, efficitur. *Vel reſpondeo ſecundò.* ſi loquamur de actu ſpei perfectiſſimo, qui ex teſtimonio Spiritus S. intrinſecus perhibente, quód ſit Filius Dei, elicitur à viris Sanctis hic actus ſpei, quód fiducialiter & proximè, ſperant bonum increatum; hic (inquam) talis actus ſpei ſubſequitur charitatem.

Charitas viâ perfectionis eſt prior Spe.

26. Dico tertiò. *Charitas, viâ perfectionis, eſt prior ſpe.* PROBATVR. 1. Corinth. 13. enumeratis tribus virtutibus addit Apoſtolus; *Maior autem horum charitas* ET. ad Rom. 13. dicit, *Plenitudo legis eſt dilectio.* Ergo charitas ob dignitatem, eſt ſpe prior. *Tandem* quia ſpes tantùm eſt futuri boni; charitas etiam præſentis. *Tum,* quia Spes ſolùm eſt in viatoribus; charitas etiam in cælo manet *Tum,* quia maius eſt amare aliquid amore amicitiæ; quàm amore concupiſcentiæ: quia dignius eſt id, quod amatur propter ſe; quàm, quod propter aliud. ſed in charitate eſt amor amicitiæ; in ſpe eſt amor concupiſcentiæ. Ergo dignior charitas. *Deniq;* quia charitas dat Spei perfectionem, vt ſit meritoria ad vitam æternam.

DISPVTATIO II.
De Subiecto Spei.

1. Circa ſubiectum ſpei duo attingemus; *primò* quotuplex ſit ſubiectum? *ſecundò* de certitudine ſpei, tanquam de qualitate illi annexa, dicemus.

Subiectum Spei quotuplex? QVANTVM *ad primum* Dico primò. *Duplex eſt ſubiectum ſpei proximũ, ſeu Quo,* ſeu inhæſionis, & tale eſt voluntas; *alterum eſt remotum, ſeu Quod* & eſt homò ſiue Angelus viator: & de ſingulis determinandũ venit.

Spes eſt in appetitu intellectiuo tanquam in ſubiecto. 2. Dico ſecundò. *Spes eſt in appetitu ſuperiori, ſeu intellectiuo, qui dicitur voluntas, tanquam in ſubiecto.* PROBATVR. homo eſt capax Dei ſecundũ mentem, in qua eſt, intelligentia, memoria, voluntas. ſed ſpes, cùm ſit virtus Theologica, habet pro obiecto Deum. at homo per ſpem, non eſt capax Dei, ſecundùm memoriam; quia hæc eſt præteritorum; ſpes autem eſt futuri boni. non ſecundùm intelligentiam: quia ſpes ſupponit intellectionem boni ſui. ergo erit capax ſecundũ voluntatem. ergo ſpes eſt in voluntate, tanquam in ſubiecto.

Ratio ſecunda. Sperare in Deum, ad ſolum appetitum ſpectat. ergo, aut ad ſenſitiuum, aut ad intellectiuum? non ad ſenſitiuum: quia hic, cùm ſit corporeus, non poteſt ferri in obiectum ſpirituale, & Diuinum, quale eſt Deus; ſed ſolùm in corporeum. ergo ad ſolum appetitum intellectiuum, qui eſt voluntas, pertinebit.

3. *Ratio tertia.* Hoc obiectum Spei, DEVS, & quoad ſubſtantiam, & quoad modum intelligendi, eſt prorſus ſupernaturale. ergo nõ poteſt, ad appetitum ſenſitiuum pertinere. *Confirmatur.* Spes, & Charitas, pendent ex fide: nihil enim ſperamus, nec amamus, niſi aliquo modo ſit ante cognitum, per fidem. ſed fides eſt de rebus ſupernaturalib⁹, iiſdemq; non apparentibus. ergo & ſpes erit de rebus ſupernaturalibus. ergo ad appetitũ, non ſenſitiuum, ſed intellectiuum, ſpectabit.

Obiectio 4. *Sed inſtabis.* Spes eſt quædam exſpectatio. ſed exſpectatio videtur ab eo deducta, quód ſpectet, ſeu aſpiciat; ſpectare autem, & inſpicere, eſt intellectus. ergo Spes erit in intellectu, tanquam in ſubiecto. *Reſpondeo* verum eſſe, quód Spes ſit exſpectatio: at non, vt deducitur ab inſpiciendo; ſed in quantum beatitudinem futuram apprehendit, & exſpectat, tanquã in nobis poſſibilem; & ſic ad voluntatem ſpectat. Solutio.

Subiectum remotum Spei quodnam eſt? 5. Dico tertiò. *Subiectum remotum Spei non ſunt beati, nec damnati; ſed ſolùm homo, aut Angelus viator.* PROBATVR. *quód ſpes non ſit in beatis.* Obiectum principale ſpei, eſt beatitudo æterna, vt futura, & in quantum à nobis, ex auxilio Diuino, eſt poſsi-

poſſibilis haberi. ſed in beatis non eſt beatitudo, vt futura; cum iam ſit præſens, & cùm illà actu fruantur. ergo nec in illis eſt ſpes. *Confirmatur*. ſublato eo, quod tanquam differentia, conſtituit ſpeciem, & ipſa ſpecies, neceſſariò auferenda. ſed in beatis, aufertur id, v. beatitudo, vt futura; quæ conſtituit ſpeciem Spei. ergo ſpes in beatis non eſt. Et D. Apoſt: ad Rom: 8. *Quod videt quis, quid ſperat?* Sed beati vident Deum & illo fruuntur. Ergò non eſt, quod ſperent. Et 1. Corinth. 13. dicitur; *Euacuabitur, quod ex parte eſt, quando venerit, quod perfectum eſt.* atqui Spes pro hoc ſtatu eſt ex parte, quia eſſentialiter, imperfectionem in ſe cōtinet, quia eſt boni amati, ſed abſentis. Sed, cum beati ad fruitionem huius boni per viſionem admittentur, erit illorū ſūma perfectio. ergo euacuabitur Spes, quæ dicit imperfectionem, *Tandem*. Fides ſecundum Apoſtolum euacuabitur (vt nos oſtendimus in Tractatu de Fide) Ergo & Spes euacuabitur. *Conſequentia.* Fides enim eſt ſubſtantia rerū ſperandarum.

Obiectio. 6. *Sed inſtabis.* Sicut nunc pro hoc ſtatu, ſperamus beatitudinem futuram: ita beati in cœlo, poſsunt ſperare continuationem beatitudinis, poſſeſsæ in futurum. Ergo in illis erit Spes. *Reſpondeo.* quód illa beatitudo in beatis eſt æterna. Sed in æternitate non ſunt differentiæ temporis; nec præteriti nec futuri Ergo nec beatitudo illa poteſt eſſe, cum Spe continuationis, in futurum; ſed eſt tota ſimul. (Solutio eius.)

Obiectio altera. *Obijcies ſecundò.* Beati adhuc habent ſpem, de reſurrectione ſuorum corporum, & de illorum gloriâ; & accidentalia gaudia exſpectant. *Deniq.* nobis viatoribus ſperant beatitudinem. ergo in illis Spes. *Reſpondeo* quoad gloriam corporis, quód principale obiectum ſpei, non in gloriâ corporis; ſed in gloria ânimæ, conſiſtit. nam obiectum Spei habet rationem ardui. ſed, cum beati habent gloriā animæ, iam non eſt ratio ardui in illis, pro conſequenda gloriâ corporis: quia gloria animæ eſt cauſa ſufficiens, ad producendam gloriam corporis. (Reſponſio ad eam.)

7. *Quoad alios actus*; quidam dicunt Spem, quoad habitum in beatis euacuari. Quia iam ceſſat in illis, actus principalis Spei; v. iam non ſperant beatitudinem, vt futuram: quia iam præſentem habēt. *Quidam* tenent habitum Spei, quoad ſubſtantiam manere; non autem quoad nominis rationē: quia quoad ſubſtantiam, idem videtur eſſe habitus, quo Deum, tanquam noſtrum bonum, amamus amore concupiſcentiæ; ſiue præſentem, ſiue abſentem; & quo illum ſperamus. *Tandem* quia actus ſecundarij ſpei enumerati in obiectione, ſuperſunt. ergo & habitus ſpei ſupereſt: nam abſurdum videtur dari exercitium actuum, ſine ſuo habitu, tanquam principio intrinſeco; ideo autem non manet idem nomen; quia in hoc ſtatu viæ, hic habitus, ideo nomine *ſpei* dicitur: quia eius actus ordinariè verſatur circa arduum, & futurum: & ideo infunditur nobis, vt eo adiuti, ſperare poſſimus, quòd hoc bonum, virtute Diuinâ, eſt nobis poſſibile; in beatis verò hæc circumſtantia obiecti, (Spes quoad habitum in beatis euacuatur.)

obiecti, mutata eſt; quia illud ſperatum bonum, iam plenè poſſidetur: vnde nomine *ſpei* nominari non poteſt; quamuis à parte rei, idem omnino ſuperſit.

Quomodo Spes euacuabitur in beatis?

Ad authoritatem Apoſtoli, quæ dicit, *quód ſpes euacuabitur*, dico euacuabitur, quoad actum ſuum principalem, qui eſt; vt ſperemus Deũ, vt noſtram beatitudinem; ſed non euacuabitur, quoad actus ſecundarios, enumeratos in obiectione.

Spes in damnatis non eſt.

8. ALTERA pars Dicti *quòd ſpes in damnatis non ſit*. PROBATVR, Prouerb. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ſpes vltra*. Ad Rom. 12. *Spe gaudentes*. ſi ſpes producit gaudiũ. ergo in damnatis nulla ſpes; quia nullum gaudium. Iſaiæ 65. *Serui mei laudabunt, præ exſultatione cordis: & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis*. RATIO ſpes pro obiecto habet illud bonũ, quod eſt poſſibile, & futurum. ſed damnati iudicant, beatitudinem non eſſe ſibi poſſibilem, nec aliquã do futurã. ergo nulla in illis ſpes.

Obiectio

Sed obijcies. ſi Deus, alicui homini reuelaret, illum fore damnãdum, ille homo adhuc deberet ſperare, non obſtante hâc reuelatione: ſiquidem deſperatio in ſtatu viæ, eſt maximum peccatum. ergo pari ratione damnati, etiam ſi illis, Deus intimauerit, æternam damnationem, poterunt ſperare. *Reſpondeo* non eſſe parem rationem; ſi enim in dicto caſu, Deus homini reuelaret futuram damnationem, intelligenda eſſet conditionaliter, v. ex ſuppoſito peccato, quod à voluntate hominis procederet; & quód de illo non pœniteret, & ſic damnaretur; talis tamen, cui hæc reuelatio fieret, teneretur ſperare, & diligenter ſibi à peccato mortali cauere; & cooperari gratiæ, quam ſibi non defuturam, certò debet polliceri; quam diu eſt in hoc ſtatu viæ. ſed damnati acceperunt ſententiam ſuæ damnationis, non conditionalem, ſed abſolutam; & ijdé ſunt extra ſtatum merendi ac demerendi, & ſciunt nunquam ſibi conferendam gratiam Dei. ergo ad ſperandum non tenentur, nec ſpes in illis eſſe poteſt.

Solutio ei

Obiectio contra.

9. *Rurſus inſtabis*: poteſt Deus, per abſolutam ſuam potentiam, damnatos liberare; & ita reuera factum: quia, qui in infidelitate deceſſerũt (vt filius viduæ, & filia Principis Sinagogæ) reſuſcitati ſunt; & tãdem, Chriſti fide ſuſcepta, à damnatione liberati. *Reſpondeo* quód hic error, Origenis fuit, qui aſſeruit, quód poſt vltimum diem iudicij, omnes damnati ſaluabuntur. ſed hoc falſum; vt enim Deum miſericordia in æternum decet; ita eũdem decet iudicium, & iuſtitia in æternum.

Origenis error.

In eos verò, qui in infidelitate aut in alio peccato mortali deceſſerunt, *dico* non fuiſſe latam ſententiam damnationis, ſed fuiſſe ſuſpenſam: vnde nec ad pœnas inferni deputati erant. *Ex quo iam collige*, quód, cùm ſpes non ſit in beatis, nec in damnatis, in ſolis viatoribus erit: quia hi ex fide apprehendunt Deum, vt æternam ſuam beatitudinem.

Spes in ſolis eſt viatoribus.

Idem colligendum de animabus, quæ in purgatorio detinentur, quód ſpem habent. de his enim Sapientiæ 3. dicitur; *Spes illorum immortalitate plena eſt*. Tum quia in eo loco

Animæ in Purgatorio detentæ ſpem habent.

eo loco, apprehendunt beatitudinem, vt ſuum bonum arduum, & futurum. *Tum* quia aliquo modo ſunt in ſtatu viæ, non vt mereri poſſint, ſed vt ſatisfacere. ergo in illis ſpes eſt.

Spes in Hæreticis non eſt vera &c.

10. *De Hæreticis nota* non eſſe in illis ſpem veram, quæ ſit ſupernaturalis, & Theologica, ſed eſt ſolùm ſpes humana, & vana; quam ipſi ſibi fingunt. *Et ratio* quia fides eſt fundamentum ſpei. ſed in Hæreticis (vt in Tractatu de fide probauimus) non eſt fides vera: ergo nec ſpes. *Tum* quia ſpes innititur certis medijs, v. in legum diuinarum obſeruatione. ſed hanc Hæretici dicunt eſſe impoſſibilem. ergo & ſpes in illis impoſſibilis.

Hæretici quomodo deſperant?

Dices. Hæretici non deſperant. *Reſpondeo* non deſperant poſitiuè, & contrariè; ſed benè priuatiuè: quia in illis eſt negatio ſpei veræ.

Rurſus dices. Tenentur non deſperare. ergo in illis eſt ſpes. *Reſpondeo* negando conſequentiam pari modo poſſem dicere, quód etiam Hæretici obligantur ad charitatem, & ad fidem. ergo in illis omnino deberet eſſe fides & charitas, quod tamen falſum eſt: vnde ex eo, quód aliquid debeat eſſe, ſolùm ſequi, quód poſſit eſſe; & ſic concedimus, quód ſpes in Hæreticis eſſe poſſit; ſi abiurata Hæreſi ad vnitatem Eccleſiæ redierint.

Quomodo in Hæreticis ſpes poſſit eſſe?

11. QVANTVM ad alterum v. ad *certitudinem*, quæ eſt annexa ſpei.

Certitudo quotuplex?

Dico primò. *Certitudo duplex eſt: Eſſentialis, & Participatiua*: Eſſentialis *reperitur in ſolâ potentiâ intellectiuâ*. Participatiua *verò inuenitur in omni eo, quod à potentia cognoſcitiua mouetur infallibiliter ad ſuum finem.*

Certitudinem participata ſpes vnde habet

Dico ſecundò. *Spes habet certitudinem participatam à fide; quæ eſt in intellectu.* PROBATVR. Fides enim, quæ eſt in intellectu, proponit obiectum arduum, futurum, & poſſibile virtute Diuinâ: & ſic excitat actum ſpei. ergo à fide, quæ eſt in intellectu, habet certitudinem *Cõfirmatur* natura in ſuis actionibus naturalibus ideo non errat; quia ab agente primo intellectuali mouetur: vnde axioma Philoſophorum: *Opus naturæ eſt opus intelligentiæ non errantis.* ergo & ſpes, quia à fide, quæ eſt in intellectu, mouetur ad ſuum finem, habebit certitudinem. Quia fides eſt ex reuelatione primæ veritatis Hanc certitudinem colligimus ad Hebr. 6. *Firmiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam ſpem; quam habemus tanquam anchoram animæ, tutam, & firmam, & incedentem ad interiora velaminis.* Spem appellat *firmiſſimum ſolatium, anchoram tutam firmam.* ergo certitudinẽ habet. Et Concil. Trid. *Seſſ 6. cap. 13.* dicit: *In auxilio Dei, firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent.*

Quando eſt actus Spei certiſſimus.

12. *Nota* act⁹ ſpei certiſſim⁹, eſt, quando efficaci fundamento nititur Eſt autem hoc, quãdo ſequitur iudicium, à fide formatũ, quód propter bonitatem Dei, & illius Diuinum auxilium poterit conſequi beatitudinem: ſi verò nitatur ſpes iudicio infirmo, vt ſi quis iudicet, ſe poſſe probabiliter conſequi beatitudinem; & ſic vana erit ſpes.

Lutheranorum error.

Hinc oritur error Lutheranorum, qui aſſerunt, quód vnuſquiſque fidelis, certò, & infallibiliter, credere debet, & ſibi perſuadere

 ſe eſſe

ſe eſſe Filium Dei, & ideo omnino ſaluandum; talem enim certitudinem condemnat Concil. allegatum; quod iubet, vt in Deo, non in noſtra perſuaſione, ſpē collocem᷑. Et Scriptura dicit, quam Conciliū ibid. allegat: *Qui ſtat, videat ne cadat.*

En quibus cōſiſtit certitudo Spei & primò ex parte Dei?

13. *Sed quæres.* In quo ergo conſiſtet certitudo ſpei? *Reſpondeo* ex parte Dei, in tribus conſiſtet: *primò* in certitudine obiecti ſpei; quod quidem eſt Deus, vt eſt noſtra beatitudo: in tantum enim actus ſpei eſt certus, in quantum illius obiectum. circa quod verſatur, eſt certum. Sed Deus, qui eſt noſtra beatitudo, eſt obiectum certiſſimum ſpei. ergo & ſpes noſtra certa. *ſecundò* conſiſtit in promiſſione Diuinâ, quæ quidem infallibilis eſt, & immutabilis; ſi nos ea, quæ à nobis requirit, fecerimus. vt *ſi vū ad vitā ingredi, ſerua mandata. Tertiò* conſiſtit in miſericordia, & potentia Dei: quia ſuo auxilio Diuinæ gratiæ, quemlibet fidelem, ad illius cōſecutionem iuuare poteſt; iuxta illud: *Tu Domine ſpes mea, &c.*

Ex parte hominis in quo conſiſtat certitudo ſpei?

Ex parte verò hominis, etiam ſpes ſumit certitudinem; v. ex meritis in gratia factis: ſed ſumit ſecundariò; nam principaliter à Deo habet certitudinem.

Obiectio.

14. *Sed inſtabis.* De eo, à quo aliquis excidere poteſt, certitudo eſſe nequit: ſed multi fideles habentes ſpem, deficiunt à beatitudinis adeptione. ergo ſpes non eſt certa.

Solutio eſt.

Reſpondeo. ſi loquamur de certitudine ſpei ex parte Dei, ſic certiſſima eſt: ſi autem ex parte hominis, & illius liberi arbitrij, & ſic incerta reddi poteſt. vt arx dici poteſt inexpugnabilis, quoad ſe: ſed ſi proditio cuſtodis illius arcis acceſſerit, erit expugnabilis. *vel* (vt Bannes adducit exemplum) ſi quis à Rege accipiat pecuniam, cui Rex pro illa promittat ciuitatem dare: tunc ſi contingat, illum amittere pecuniā, excidit ab adeptione ciuitatis: ſed in promiſſione regiā, nulla incertitudo; quia Rex paratus erat præſtare; niſi hic amiſiſſet pecuniam: ſic Deus beatitudinem homini promiſit; ſi eum auxilio gratiæ Dei ſeruauerit mandata: ſed quia neglexit, ideo fruſtratus beatitudine: ſed hoc non ex parte Dei; ſed ex parte hominis, euenit.

Nota. ſi quis, ex quibuſdam coniecturis, colligeret ſe, eſſe in numero damnatorum; tam diu non peccabit, ſi in eo nullus torpor in rebus ſpiritualibus ſuboriretur; ſed ſi inualeſceret tepiditas ſpiritus, peccaret: vnde teneretur eam opinionem deponere: nam conſultiùs eſt, vt vnuſquiſq; ſperet ſe eſſe ſaluandum.

DISPVTATIO III.

De Timore Dei.

Timor eſt adiunctum ſpei: ita, quód ſpes, quamuis ex parte Dei, habeat certitudinem infallibilem, tamen ex parte hominis, quia peccare

poteſt,

poteſt, ſemper metum concomitantem habet. Vnde iubemur, cum timore, & tremore, operari ſalutem noſtram. Illius doctrinam, duodecim Quæſitis breuiter expediemus:

1. *An Deus debeat timeri?*
2. *Quotuplex ſit timor?*
3. *An timor mundanus ſit malus?*
4. *An timor ſeruilis ſit bonus?*
5. *An timor ſeruilis conueniat in ſubſtantia cum filiali?*
6. *An charitas adueniens, excludat ſeruilem timorem?*
7. *An timor ſit initium ſapientiæ?*
8. *An timor initialis ſit idem in ſubſtantia cum filiali?*
9. *An timor ſit donum Spiritus S?*
10. *An creſcat creſcente charitate?*
11. *An maneat in patria?*
12. *Quidnam timori ex beatitudinibus conueniat?*

QVÆSITVM I.
An DEVS poſſit timeri?

Timoris triplex ſignificatio.

1. NOTO primò nomen *Timoris* tripliciter ſumitur *primò* pro Fuga mali futuri imminentis, in quantum à potentia ſentiente, eſt apprehenſum: & ſic eſt paſſio appetitus ſenſitiui; cui ex natura incumbit, vt malum refugiat. *ſecundò* pro fuga mali futuri imminentis à ratione apprehenſi, in quantum eſt actus voluntatis, oppoſitus fortitudini; qui timet id, quod timere non debet; vt in acie contra hoſtem, ſi quis metuat vitam exponere. *tertiò* pro fuga mali futuri imminentis, per fidem cogniti, & quod dicit quendam reſpectum ad Deum: quia in eum tendit, tanquam in beatitudinem: & ſic Timor eſt adiunctus Spei: nam, vt ſpes, ita & Timor, eſt circa Deum. Et huius timoris eſt officium, frænare mentem; ne per ſpem, in præſumptionem incidamus.

Malũ quod eſt obiectũ Timoris quotuplex eſt?

2. *Noto ſecundò.* Malum quod eſt obiectum Timoris, eſt duplex. *primum* eſt malum formaliter, quod de ſe, & ex natura ſua, eſt malum. *alterum* eſt in genere cauſæ efficientis; & hoc duplex: aut malum pœnæ? & hoc Deus ex iuſtitia infligere ſolet. aut malum culpæ? ad quód Deus permiſſiuè ſe habet; ſubtrahendo gratiam; qua ſe homo indignum reddit. malum pœnæ non eſt ſimpliciter malum: nam ſuppoſito peccato, debitè ex iuſtitia infligitur pœna; vt ad æqualitatem omnia redigantur: ſed ſecundùm quid eſt malum: nam bonum particulare tollit, v. ſolatium infligendo dolorem; malum autẽ culpæ eſt ſimpliciter malum, ex natura ſua: quia eſt contra rectam rationem, & cõtra legem. Hoc notato.

Quomodo Deus à nobis timeri debet?

3. Dico. *Deus eo modo timeri non debet, vt timemus obiectũ malum.* Quia Deus,

Deus eſt ſumma bonitas, & ideo omnis mali expers.

Dico ſecundò. *Deus in quantum ab ipſo poteſt nobis aliquód malum venire, & per comparationem ad ipſum*; *hoc eſt, in quantum ab ipſo, tanquam ab vltimo fine, per peccatum auertimur, debet à nobis timeri.* PROBATVR. Deus enim iuſtus iudex eſt, reddens vnicuiq; ſecundùm opera eius. Et ad Rom: 2. *Tribulatio, & anguſtia, in omnem animam, hominis operantis malum.* Ergo in quantum Deus infligit pœnas, pro peccatis, timeri debet. Et quia eſt Deus miſericordiarum, ideõq; beatitudo noſtra, & vltim⁹ finis; idcirco timeri debet: ne ab eo per peccatũ cõmiſſum, ſeparemur.

Timoris & Spei ſunt diuerſi habitus.

Sed dices. Si Timor reſpicit Deum, Spes quoque reſpicit Deum vt obiectum. Ergo Timoris, & ſpei idem erit habitus. *Reſpondeo* eſſe diuerſos habitus: quia quamuis reſpiciunt Deũ; tamẽ ſecũdùm diuerſam rationem: nam ſpei eſt obiectum, Deus ſecundum ſuam bonitatem, & potentiam. Timoris verò eſt obiectum Deus, conſideratus ſecundùm ſuam iuſtitiam, & vltionẽ; quã in peccata extendit, vel inquantũ Deus eſt noſtra beatitudo, à quo timet homo ſeparari.

QVÆSITVM II.
Quotuplex ſit Timor?

4\. IN præſenti non diſtinguimus Timorem, vt eſt paſſio: quia in 1. 2dæ qu. 41. art. 4. ſex eius ſpecies ibi enumerantur: ſed ſolùm diſtinguimus, vt eſt habitus rationis, & in quãtum ordinem dicit ad Deum. Et hic timor eſt quadruplex *Mundanus, Seruilis, Filialis, & Initialis.* PROBATVR. Quatuor enim ſunt modi, quibus Timor attingit Deum. *Primus eſt.* quando homo propter mala, quæ timet à Deo recedit; vt, ne vitam, aut fortunas amittat; & hic timor, dicitur *Mundanus. Secundus eſt,* quando homo conuertitur ad Deum, & eidem inhæret, propter timorem mali, vt pœnæ infernalis; & hic dicitur eſſe *Seruilis. Tertius eſt,* cum quis conuertitur ad Deum, & ab eodem ſeparari abhorret, propter timorem culpæ, ſeu peccati; & hic dicitur eſſe *Filialis. Quartus eſt,* cum quis propter timorem, & culpæ, & pœnæ, conuertitur ad Deum, & illi coniungitur; & dicitur eſſe *initialis.* ergo quatuor erunt ſpecies Timoris.

Quot modis, Timor attingit Deum?

Timoris diuiſio qualis eſt?

5\. *Nota.* Hæc diuiſio Timoris, eſt analoga: quia malum, quod eſt obiectum Timoris, analogicè dicitur, de malo culpæ, & pœnæ: nam per prius dicitur de malo culpæ, cum ſit ſimpliciter malum; per poſterius verò de malo pœnæ, cum ſit ſecundùm quid malum (vt iam deduximus.)

Timor in dæmonibus qualis?

Sed obijcies. Eſt quidam timor v. naturalis; qui neq; eſt bonus: quia eſt in dæmonibus, ſecundùm illud Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* neq; eſt malus; cum ſit in

Chriſto

Chriſto Matt: 14. *cœpit Ieſus pauere, & tæd. re.* ergo inſufficienter Timoris diuiſio tradita. *Reſpondeo* ideo hic Timor naturalis, non connumeratur inter alios: quia præſupponitur etiam bono morali; iam autē ſuperiùs enumerati timores, important ſecum, aut bonum morale, in quantum dicunt conuerſionem ad Deum, aut malū, in quantum dicunt auerſionem à Deo.

QVÆSITVM III.
An Timor mundanus ſit ſemper malus?

Timor mundanus eſt malus.

6. DIco *Amor mundanus eſt malus.* PROBATVR. Id, quod Diuino præcepto prohibetur, eſt malum. ſed timor mundanus prohibetur Diuino præcepto. Matth: 10. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt*: ergo timor mundanus eſt malus. *Deinde*. Timor mundanus, procedit à mala radice, v. à mundano amore; qui in rebus huius mundi finem vltimum, tanquam in ſummo bono, collocat. ergo timor mundanus eſt malus. *Confirmatur.* Omnis enim timor naſcitur ex amore ſibi correſpondente: nam eius rei amiſſionem timemus, quā amamus; & talis erit timor, qualis quoq; & amor; & ſi amor malus & illicitus rei temporalis, etiam timor erit malus.

Obiectio.

Sed obijcies id, quod eſt naturale, & cuius amor à natura eſt inſertus, non eſt malū. ſed amor vitæ præſentis eſt talis, quia cauere ne aliquid detrimenti in corpore, aut in bonis fortunæ, patiamur, eſt naturale. ergo timor mundanus, non erit malus.

Solutio eiꝰ.

Reſpondeo verum eſſe, vt aſſumitur in argumento, naturale eſſe homini, vt ſe vitāq; ſuám, tueatur; & vt ea, quibus ſuſtentatur, ſalua eſſe cupiat, & hic timor non includit rationem mali. ſed ſi quis recedat à Deo, & à iuſtitia, & ab illius præceptis ob timorem, ne hæc amittat; id iam non modò nō eſt naturale, ſed contra ipſam rationem naturalem.

Deinde dico quód hic timor, quo quis impulſus deſerit Deum & iuſtitiam, non eſt ſimpliciter naturalis timor; ſed eſt mundanus: quia ob amorem nimium præſentis vitæ, & fortunarum amiſſionem, eligit derelictionem Dei, & iuſtitiæ eius; quæ eſt iam noua malitia, & deformitas ſuperaddita naturali timori.

7. *Sed quæres* An timor mundanus ita eſt ſemper malus, vt ſit peccatum mortale? *Reſpondeo*, cùm amor mundi ſit cauſa timoris mūdani; ideo ex amore mundano iudicandum de timore mundano, quando ſit peccatum mortale?

An timor mundanus ita eſt ſemper malus vt ſit peccatum mortale?

Dico itaq; primò. quando timor mundi, & rerum temporalium, eſt ordinatus, & ſecundùm regulam rectæ rationis, ita, quód ſit in ordine ad

ne ad Deum; ſic non modò non erit mortale, ſed neq; veniale peccatum: vt enim amor vitæ eſt naturalis; ita & mediorum, quæ ſunt ad conſeruationem vitæ, erit naturalis; ita quoq; ſi timor amiſſionis vitæ, & rerum temporalium, erit moderatus, regulam rationis ſequens; & ſic non erit peccatum.

Secundò dico. Plerumq; tamen in hominibus ex concupiſcentia rerum temporalium ſuboritur amor & timor; qui eſt peccatum: nam, qui diuites fieri volunt (dicit Scriptura) incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa nociua & inutilia; quæ mergunt homines in perditionem: vnde intentio amoris, erga res temporales eſt periculoſa; quia eſt ſeminarium peccati.

Dico tertiò quemadmodum amor mundi, cùm eſt tanquam in fine vltimo, eſt peccatum mortale; ita & timor, cùm quis amiſſionem rerum temporalium metuit, iudicãs hoc eſſe ſummum malum; erit peccatum mortale: hinc ſequitur ex hoc timore tranſgreſſio præceptorum. *item* præparatio animi tanta, quód proponat potiùs mortaliter peccare, quàm res mundi amittere. & ea ratione timor mundanus erit peccatum mortale.

Peccatum ex timore commiſſum quando eſt vnum peccatum & quãdo duo?

8. *Sed rurſum inquires* Peccatum ex timore commiſſum, quando eſt vnum peccatum, & quando duo? *Reſpondeo* de hoc iudicium eſt faciendum, ex amore mundano. ſicut enim, ſi amor mundanus, ſit ex ſe peccatum, & ex hoc, ſi accedat trãſgreſſio præcepti, erit nouum peccatum; & ſic erunt duo: vt ſi quis rem illicitam amet, & propter eãdem ſi furetur, erunt duo peccata: aut, ſi rem aliquam amet, vt vltimũ finem; & rurſum ideo tranſgrediatur legem Dei, erit nouum peccatum: aut ſi amet indebitè rem aliquam, & ſit in animi præparatione, quód velit peccare; tunc, ſi peccat, erit nouum peccatum: ſi autem amor rei mundanæ, non ſit peccatum, ſed ex ea ſequatur trãſgreſſio; vnum ſolùm erit peccatum: vt ſi pater amet filium, illius amorẽ non præferendo omnibus rebus; & ex eo ſi fiat tranſgreſſio, vnum ſolùm erit peccatum. *Idem* iudicium de timore erit, ſi timor ſit prius diſtinctum peccatum: vt, ſi quis timeat amiſſionem boni tẽporalis; quia iudicat hoc ſummũ malum eſſe; & ſic timor erit peccatum vnum. *Tandem*, ſi ex eò ſubſequatur derelictio Dei, iuſtitiæ eius, erit alterum peccatum; & ſic duo erunt peccata. ſi verò timor non ſit peccatũ, ſed trãſgreſſio, ex illo timore ſubſecuta, erit peccatũ tunc vnũ ſolùm erit, vt, ſi quis die feſto, ob timorem ſtudij amittendi, intermittat ſacrum audire vnum ſolùm peccatum erit.

Illud hîc notandum, peccatum ex timore commiſſum, minus eſſe graue, eô, quód ſine timore committitur. Quia paſſio antecedens, ſemper minuit liberum

QVÆSI.

QVÆSITVM IV.
An Timor ſeruilis ſit bonus?

9. LVtherus in ſermone de Pœnitentia, & in Articulis à Leone decimo damnatis, art. 6. tenet, timorem ſeruilem eſſe prorſus malum. Pro reſolutione

Pœnã quo-tuplicitertimemus?

Noto, quód ratio timoris ſeruilis in hoc eſt ſita, quód oriatur ex conſideratione pœnæ, quæ peccato eſt propoſita. Dupliciter autẽ pœnam timemus: *primò*, cùm iudicamus pœnam eſſe ſummum malum, & principale ſuper omnia mala; & hæc pœna eſt nobis tota ratio benè agendi: ſi enim non eſſet pœna, benè non ageremus. *ſecundò*, cùm pœna ſic timetur, tanquam motiuum ad benè agendum; vt cùm quis cogitat pœnas inferni, & eaſdem timet; & propterea deteſtatur peccatum, & conuertit ſe ad Deum, & ad præcepta Diuina ſeruanda. Hoc notato

Quando timor ſeruilis eſt mal⁹ & quando non?

DICO. *Timor conſideratus ſecundùm ſuam ſubſtantiam, hoc eſt, in quantum timemus pœnam, non eſt malus: ſed, ſi ei extrinſecus accedat, quód timeat pœnam, tanquam ſummum malum, & quód hic timor ſit ei cauſa ſola principalis mouens, & inducens ad benè agendum; ſic ſeruilis timor eſt malus.* PROBATVR. quia habet adiunctã ſeruilitatem; quia nollet ſeruare legem Dei, ſi non eſſet ei adiuncta pœna. *Tum* quia habet affectum, & animi præparationem ad peccandum *Tum* quia charitate caret, quâ accedente ſeruilitas diminui ſolet. *Tum* quia hic timor nõ differt à triſtitiâ inferni; niſi in hoc, quód ſeruilis ſit de malo futuro, inferni de præſenti.

10. Dico ſecundò. *Timor ſeruilis ſecundò modo conſideratus, vt eſt motiuũ ad benè agendum, & non includit in ſe ſeruilitatem, hoc eſt, non putat pœnam, quam timet, eſſe ſummum malum, ſic eſt bonus.* PROBATVR Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum:* nam qui ſine timore eſt, non poteſt iuſtificari. Matth. 10 *Potiùs timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.* Et Concil. Trid. *Seſſ. 6. cap 6.* dicit peccatores à Diuinæ iuſtitiæ timore vtiliter concuti. Idem Concil. *Seſſ. 6. Canone 8.* definit: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, &c. peccatum eſſe, vel peccatores peiores facere; anathema ſit.* & D. Aug. in Tract. 9. in epiſt. D. Ioan. *Si nullus eſt timor, non eſt, qua intret charitas.* & ſicut videmus, linum per ſetam introduci, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat; ſed niſi exeat, non ſuccedit linum; ita timor primò occupat mentem, nõ autem remanet, poſtquam perfecta charitas intrauerit.

Nota. Hæc actio timoris, eſt ſolùm ſeruilis ſubiectiuè, hoc eſt, in quantum eſt in homine peccatore, non autem obiectiuè, vt actio illa in ſe conſideratur: vt, in paganis opera moralia, conſiderata ratione ſubiecti, ſunt mala; ſed in ratione obiecti, cùm nullam habeant

beant circumſtantiam malam, nec ad vllum finem malum referantur, poſſunt moraliter dici bona: ita timor ſeruilis, vt in peccatore ſubiectiuè, ſic eſt ſeruilis; ſed vt in ſe obiectiuè, in quantum metuit pœnam, eſt bonus.

QVÆSITVM V.

An Timor ſeruilis ſit idem in ſubſtantia cum filiali?

Timor ſeruilis, & filialis, ſpecie differũt

11. DIco, *timor ſeruilis, & filialis, non ſunt idem, ſecundùm ſubſtantiam; ſed ſpecie differunt.* PROBATVR. Actus, & habitus, diſtinguuntur ſecundùm obiecta. ſed timoris ſeruilis, & filialis, ſunt diuerſa obiecta: nam obiectum ſeruilis eſt, quód metuat pœnam gehennæ; filialis verò, quód à Deo tanquam à ſummo bono ſeparationem timeat. ergo inter ſe diſtinguuntur.

Sed obijcies. vt ſe habet fides informis ad formatam; ita ſeruilis timor ad filialem: nam informis fides eſt cum peccato, formata verò ſine peccato; ſed ſecundùm ſubſtantiam, v. quód credant Deo reuelanti, conueniunt. ergo & ſeruilis cum filiali, quoad ſubſtantiã conueniunt. *Reſpondeo* negando conſequentiam: nam diuerſa eſt ratio diſtinctionis: fides enim informis & formata differunt, non obiectis (nam vtraq; credit Deo, tanquam primæ veritati, ſed differunt per quoddam extrinſecum; v. ſecundùm præſentiam, & abſentiam charitatis: timor autem ſeruilis & filialis (vt iam deductum eſt, in probatione) diuerſis obiectis diſtinguuntur.

12. *Sed dices rurſum* hos duos timores, non differre obiectis: quia vterq; vnum obiectum habent, v. Deum: quia vtroq; timore timemus Deum. *Reſpondeo* adhuc differre: nam non eandem habent habitudinem ad Deũ: timor enim ſeruilis reſpicit Deum, in quantum eſt principium inflictiuum pœnarum: filialis autem timor reſpicit Deum, in quantum ab eo, tanquam à ſummo bono, & fine ſuo ſeparari metuit. *Vnde* ex eo, quód timor filialis, & ſeruilis, ſint circa Deum, non conſequitur identitas ſubſtantiæ; cùm circa illud, ſint diuerſæ habitudines.

Timor ſeruilis reſpicit Deum tanquam principium inflictiuum pœnarum; filialis tanquam tum ab eo tanquã ſummo bono metuit ſeparari

QVÆSITVM VI.

An Timor ſeruilis remaneat cum charitate?

Dico

Timor ſeruilis, in quantũ ſeruilis. non manet cum charitate.

13. DIco. *Timor ſeruilis, in quantum eſt ſeruilis, non manet cum charitate; ſubſtantia tamen, ſeruilis timoris, cum charitate manere poteſt.* DECLARATVR: ſubſtantia ſeruilis timoris eſt, cum quis reſpicit pœnam & eandem metuit, vt contrariam proprio bono; ſed non iudicat, eſſe ſummum malum: & ſic conſiderata pœna, charitati non eſt contraria: nam non ſupponit amorem ſui, vt vltimum finem. Seruilis autem timor, vt ſeruilis, ille eſt, qui pœnam reſpicit, & metuit, tanquam ſummum malum; & proprium bonum, oppoſitum illi, amatur, vt ſummum bonum, & vt vltimus finis: & ſic, importat peccatum mortale: vnde cum charitate ſtare non poteſt. *Probatur.* Timor ſeruilis, in quantum ſeruilis eſt, habet adiunctum peccatum mortale: quia refugit pœnam, vt ſummum malũ, & huic malo contrarium bonum, diligit, tanquam ſummum bonum; quod eſt peccatum Charitas autem cum peccato mortali, ſtare non poteſt. Ergo vt ſeruilis non manet cum charitate. *Probatur alterum.* Timor ſeruilis, quoad ſuam ſubſtantiam, eſt cùm metuimus pœnam, vt contrariam noſtro bono; ſed non metuimus, vt ſummum malum; ſed quia, eſt priuatiuũ boni: ſed hoc cum charitate ſtare poteſt. nam. qui charitatem habent, timent, ne incurrãt damnationem; & ideo, bonis operibus incumbunt: vnde Pſalmiſta orat: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Et Chriſtus D. loquitur Luc. 12. *Dico vobis, amicis meis, ne terreamini ab his* &c. *oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, poteſt mittere in gehennam: ita dico vobis; hunc timete.* Loquitur amicis, qui per charitatẽ conſtituuntur, eoſdemq; dehortatur, à timore in quantum eſt ſeruilis; cum dicit: *Ne deterreamini ab his* &c. hortatur verò ad timorem ſeruilem, quoad ſubſtantiam; cum dicit *Timete eum, qui poteſt mittere in gehennam.* Ergo ſeruilis, quoad ſubſtantiam, cum charitate manere poteſt *Confirmat* hoc D. Ambros. in Pſal: 118. dicens: Martyres, timore gehennæ, vincere timorem, cruciatuum præſentium. Et D. Hieronymus, de ſe ſcribit, ſemper ſibi inſonare tubam illam: *Venite mortui ad iudicium,* & ex eo concuti timore.

An ſeruilis timor ſit habitus?

14 *Hic quidam quærunt.* An ſeruilis timor, ſit habitus? *Reſpondeo* vtrumq; probabiliter teneri poſſe, & quód ſit habitus; nam ex frequentatis actibus acquiritur. *Tum* quia habitus eſt, quo poſſumus benè & malè vti; ſicut gratia gratis data. *quod verò non ſit habitus,* deducitur. vel enim eſſet infuſus? ſed non hic: quia in peccatore ſolùm manet fidei & ſpei habitus. vel acquiſitus? ſed neq; hic: nam præſupponit fidem ſupernaturalem: debet enim credere gehẽnam. Illud hic certum, quód timor ſeruilis non ſit virtus: quia virtutes per acceſſum charitatis augentur. Atqui charitas diminuit, & per conſequens pellit timorem: vnde non eſt virtus. poteſt tamen dici timor ſeruilis, per modum continentiæ, eſſe minus quid, virtute (vt habetur *1. 2dæ quæſt. 58. art. 3. ad 2*)

QVÆSITVM VII.

An Timor ſit initium ſapientiæ?

15. DIco primò cum dicitur. *timorē eſſe initium ſapientiæ*, hæc ipſa ſapientia, aut conſideratur quoad ſuam eſſentiam? quę quidem in principijs conſiſtit; *& cum hæc ſit Diuina, idcirco in principijs fidei reuelatis conſiſtit*: nam Diuina ſapientia, non ex alijs principijs, quàm ex articulis Fidei, originem ſumit; ſicut humana ex principijs creatis. Aut ſapientia conſideratur, quoad ſuum effectum v. quoad pias operationes, quæ à ſapientia diriguntur? *& ſic huius ſapientiæ, quæ in obſeruantia Diuinorum mandatorum conſiſtit, timor eſt initium*: ſicut in arte ædificatoria illud dicitur initium, à quo ars ædificatiua incipit; & tale eſt fundamentum, à quo inchoat: ita ædificij ſpiritualis, quod ex virtutibus & Diuinorum præceptorũ impletione coaleſcit, eſt initium timor; cum pœnas gehennæ, extimeſcendo peccatum, deſerimus; & nos ad Deum conuertimus.

Timor filialis, & ſeruilis, diuerſo modo ſũt initium ſapientiæ.

16. Dico ſecundò *Timor Filialis, & ſeruilis, diuerſo modo, ſunt initium ſapientiæ*: nam timor ſeruilis eſt initium, extra diſponens ad ſapientiam, in quantum quis ob timorem pœnæ, quæ peccatis eſt propoſita, à malitia diſcedit iuxta illud Eccleſiaſtici. 1 *Timor Domini expellit peccatum* Filialis autem dicitur eſſe initium ſapientiæ, quoad hunc primarium effectum; in quantum humanam vitam dirigit, ſecundùm Diuinas rationes; hoc eſt, cùm quis legem Diuinã, pro regula viuendi, habet: & hic ſumit initiũ, cũ Deũ reueretur, & ſe ipſum illi ſubijcit.

Vera ſapientia Chriſtiana quænam ſit?

Ex quo colligo. primò, quænam ſit vera ſapientia Chriſtiana, cuius timor eſt initium. *Dico* eam eſſe, quæ vitam, & omnes actiones humanas regula ſecundùm Diuinas rationes, hoc eſt, ſecundùm legem Diuinam: noſtra enim ſapientia, non in ſola cognitione Dei, ſicut Philoſophorum conſiſtit, ſed etiam in actione; vnde directiua debet eſſe vitæ humanæ, per quam dirigamur ad fruitionem Diuinam

Quomodo timor ſit initium ſapientiæ?

Secundò colligo cum D.Th. Timor non eſt initium ſapientiæ, conſiderando ſapientiam quoad ſuam eſſentiam; ſed dicitur eſſe initium, quoad effectum: quia eſt occaſio, piarum actionum exercendarum.

Timor radix ſapientiæ.

Tertio colligo. Timor comparatus ad ſapientiã, quæ vitam humanam regulat, habet ſe vt radix; & ſicut radix dicitur virtute tota arbor; ita & timor eſt radix ſapientiæ. Eccleſiaſtici 1. *Radix ſapientiæ timere Deum*, & ſapientiam virtute continet.

Timor ſeruilis & filialis, quo... ſapientiæ!

Colligo quartò Timor ſeruilis eſt initium ſapietiæ, ſed remotè: quia homines timore pœnarum, & damnationis, abſterret à peccatis, & ad virtutes inducit; filialis autem eſt proxima radix: nam ob metũ Diuinæ offẽſionis mala deuitat.

QVÆ-

QVÆSITVM VIII.

An Timor initialis, differat ſecundùm ſubſtantiam à timore filiali?

17. DIco *Timor initialis, ſecundùm quód hîc ſumitur, non differt ſecundùm ſubſtantiam à filiali.* cum dicimus (*ſecundùm quod hîc ſumitur*) non intelligimus timorem initialem, vt differt à ſeruili, & à Filiali; ſed, vt competit ſtatui incipientium, in quibus inchoatur timor filialis, per inchoationem charitatis. *Probatur.* perfectum, & imperfectum, non variant ſpeciem. ſed timor initialis & filialis, differunt, ſecundùm perfectum, & imperfectum. ergo non differunt ſpecie; & per cõſequens, nec quoad ſubſtantiam *Confirmatur.* Timor initialis habet ſe ad filialem, ſicut imperfecta charitas ad perfectam, ſed hæ non differunt ſecundùm ſubſtantiam. ergo nec initialis à filiali, ſecundùm ſubſtantiam, different.

Quare Timor dicatur Initialis?

18. *Nota.* dicitur *Initialis* ab eo, quód ſit initium; eſt autem aut boni, in quantum recedimus à malo, & accedimus ad Deum; aut eſt initium, quia his conuenit, qui viam mandatorum Dei ingredi, & ambulare, incipiunt; in quibus, iam inchoatur timor filialis, ſed imperfectus: nam habet admiſtum timorem ſeruilem, quoad ſubſtantiam: nam adhuc metuit pœnas.

Nota ſecundò, quámuis hic timor initialis ſit medius inter ſeruilem filialem; non ita intellige, quaſi ſit ex vtroq; compoſitus; ſed quód via generationis ſit medius: nam à ſeruili fit tranſitus ad initialem, & ex hoc ad filialem peruenitur.

Nota tertiò. Quod neq; filialis timor, omnino & totaliter metum pœnarum excludit, ſed ſecundùm magis, & minꝰ; qui enim in charitate plus profecerunt, rariùs ſolent timore concuti, dum ad benè operandum ſe applicant, aut dum abſtinent à malo; ſed ex affectu Diuini amoris, nec ad propria cõmoda, nec ab his oppoſita mala attendunt; in Deum abſorpti, ſtudent ſolicitè Deo placere.

QVÆSITVM IX.

An timor ſit donum Spiritus S.

Diuinus Timor eſt donum Spiritus S. humanꝰ & ſeruilis non.

19. DIco primò. *Res eſt clara, quód timor, ſit donum Spiritus S.* vt colligitur ex cap: 11. Iſaiæ. *Et requieſcet ſuper illum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, &c.* Et *replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Dico

Dico ſecundò. *Cùm timor (vt ſupra Quæſito 2. diſtinximus) ſit multiplex, ideo dico quód nec timor humanus, nec ſeruilis, eſt donum Spiritus S.* PROBATVR. *de mundano* quia hic prohibetur illis verbis: *nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et hoc timore mundano perculſus D. Petrus, timens ne vitam amitteret, negauit Chriſtum: vnde eſt malus; & ideo, nec donum Spiritus S. PROBATVR. *de ſeruili.* Quia hic habet annexam voluntatem promptam peccandi. ſed dona Spiritus S. ſtare non poſſunt cum voluntate peccandi: quia charitatem, quæ excludit peccatum, adiunctam habent.

Nota. Timor ſeruilis, qui habet annexam voluntatem peccandi, eſt quidem à Spiritu S. ſed non eſt donum Spiritus S. cum ſit ſine charitate.

Sed quæres. Timor ſeruilis conſideratus ſine voluntate peccandi, ſit ne donum Spiritus S.? *Reſpondeo,* ſumpto nomine *Doni Dei* paulò latiùs, in quantum eſt id, quod à Deo donatur, dico quód dici poteſt donum Dei: nam illa voluntas peccādi, ſi in aliquo ſubiecto reperitur, non eſt de eſſentia timoris ſeruilis; ſed eſt ex vitio illius ſubiecti, in quo eſt timor. *Sed* loquendo preſſè de Dono Dei; in quantum eſt à Deo, & eſt donum Dei; & vt ſemper eſt cum charitate; ita iam non eſt donum Dei; cũ timor ſeruilis non ſemper ſit cum charitate.

Solus timor filialis numeratur inter dona Spiritus S.

20. Dico tertiò. *Solus timor filialis, qui etiam* caſtus *dicitur, inter dona Spiritus S. numerari debet.* PROBATVR. Dona enim Spiritus S. ſunt quædam habituales perfectiones, ſuperadditæ ad potentias animæ; vt faciliùs à Spiritu S. moueri poſſint: quemadmodum virtutes morales, ſuperadditæ appetitiuæ facultati, ſunt facilè mobiles à ratione: ſed talis eſt timor filialis, qui ob charitatem & reuerentiã, quam habet in Deum, ad omnem inſpirationis nutum, eſt benè & facilè mobilis. ergo eſt donum Spiritus S. *Confirmatur.* Illud enim ſubiectum, eſt benè & facilè mobile, quód nullam repugnantiam, reſiſtẽtem mouenti, in ſe continet. Sed talis eſt filialis; quia Deum reueretur, & illi ſe ſubijcit. ergo hominem, in quo eſt, reddit facilè mobilem.

An Timor vt donum Dei diſtinguatur à virtutibus?

Sed quæres. An timor, vt donum Dei, diſtinguatur à virtutibus infuſis? *Reſpondeo* diſtingui, quia dona Spiritus S. ſupra huiuſmodi virtutes important peculiarem ordinem ad ipſum Deũ: vt ṽ. eius inſpirationibus facilè aſſentiamur, & ab illis nos duci, ad res Diuinas & ſupernaturales, promptiùs patiamur.

QVÆSITVM X.
An creſcente charitate diminuatur Timor?

21. Mani-

21. MAnifeſta eſt doctr: D. Th quam duobus Dictis complector.

Dico primò. *Creſcente charitate, creſcit & timor filialis.* PROBATVR. Creſcente cauſa, creſcit & effectus illius cauſæ. ſed cauſa filialis timoris eſt charitas. ergo hác creſcente, & filialis timor creſcet: etenim quantòquis rem aliquam, maiori amoreamicitiæ diligit; tãtò magis ab illa re ſeparari pertimeſcit.

Sed inſtabis. Creſcente charitate, iam minuitur periculum mali, hoc eſt lapſus in peccatum. ergo etiam & timor filialis minuitur. *Reſpondeo* quód duo ſunt, ex quibus timor filialis oritur, magnitudo mali ſeu peccati, & magnitudo periculi: quamuis igitur, ex accretione charitatis, diminuitur periculum mali; nam videt, ſe in charitate Dei augeri, nec ita ad malum propenſum eſſe: tamen ex conſideratione mali, quód ſummum bonũ metuat amittere, & ex vera apprehenſione illius magnitudinis, augetur magnitudo mali. *Tum* quia creſcit amor boni oppoſiti, quod, timet, ne per peccatum amittat; & ideo creſcit amor filialis. Hunc metum incutit Scriptura, cũ dicit; *Qui ſtat, videat, ne cadat.* Et *Tu fide ſtas time.*

22. Dico ſecundò. *Timor ſeruilis, quoad ſeruilitatem hoc eſt in quantum pœnam iudicat ſummum malum, ex toto tollitur; ſed quoad ſubſtantiam Timoris, quia tamen pœnam metuit, manet & poſtea diminuitur.* Quód maneat inde *patet.* Quia pro hoc ſtatu, charitas eſt imperfecta, vnde cum timore ſeruili manere poteſt. *Tum* quia iuſti adhuc venialiter peccant; peccatis autem venialibus debetur pœna: & ideo timor ſeruilis manet. *Quód verò minuantur,* deducitur. Nam charitate in nobis creſcente, iam minus attendimus ad noſtram commoditatẽ; ſed ſolùm, vt Deo ſatisfaciamus, & placeamus. *Tandem* quia augmentum charitatis, parit in nobis quandam maiorem fiduciam, quam de Dei beneuolentia, & de æterno præmio aſſequendo, concipimus,; vnde iam decreſcit timor, & ipſe metus pœnæ: nam ob inardeſcentem amorem, quo in Deum ferimur, iam pœna minùs obuerſatur in animo.

QVÆSITVM XI.
An timor remaneat in patria?

Timor ſeruilis in patria non manet, & vnde oriatur?

23. DIco primò. *Timor ſeruilis, non manet in patria.* PROBATVR. Timor ſeruilis oritur ex pœnarum apprehenſione. ſed in patria nullo modo erunt pœnæ; cùm ibi ſit ſumma ſecuritas, quę eſt de ratione beatitudinis. ergo in patria ſeruilis timor nõ erit.

Timor filialis manet in patria.

Dico ſecundò. *Timor filialis, quemadmodum in via, creſcente charitate augetur; ita in patria à charitate perfecta perficietur.* Ita Scriptura aſſerit Iob. 26. *Columnæ cæli, v. ſupremi*

 Angeli,

Angeli, contremiſcunt, & pauent, ad nutum eius. Pſal: 18. *Timor Domini Sanctus, permanet in ſeculum.* Et Canon miſſæ, in præfatione habet. *Tremũt poteſtates angelicæ. Idem* aſſerit D. Greg. lib. moral. 17. cap. 15. *Ipſæ virtutes cæleſtium, quæ Deum ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipſa contemplatione contremiſcunt.* Et eſt communis ſententia Theologorum. PROBATVR. Quia beati ſũmo amore Deo vniti ſunt, & ideo metuunt, ne ab vnione ſummi boni excidant; & excidere à ſummo bono, conſiderato ſtatu beatifico, videtur quidem eſſe impoſſibile, ſed beati conſiderãdo ſuam naturam, quæ ex nihilo condita eſt, vident hoc poſſibile eſſe; & ſic per filialem timorem, hanc ſeparationem à Deo, tanquã abſolutè poſſibilem, metuunt.

Timor filialis in patria non habebit eundem actum quem in via habet.

24. Dico tertiò. *Timor filialis in patria non habebit eundem actum, quem iam in via habet.* PROBATVR. Obiectum timoris filialis, eſt malum arduum, quod poſſibiliter euenire poteſt. ſed hoc in patria locum non habet; cum ibi ſit plenitudo bonitatis ac beatitudinis, excludẽs omne malum. *Deinde* nunc timoris filialis actus eſt fuga mali, hoc eſt peccati; & ne ſeparetur à Deo, quod eſt poſſibile, propter flexibilitatem liberi arbitrij, quæ eſt in homine; ita, quód idem homo malum, quod fugit, ſub ſpecie boni amplecti poteſt. ſed in patria hic actus non erit: quia ex charitatis plenitudine, firmabitur liberum arbitrium, ita vt mutari non poſſit: vnde iam non erit fuga mali, ſed erit odium & deteſtatio.

Timor reuerentialis manebit in patria.

Dico quartò. *Etiam in patria manebit timor reuerentialis;* qui hinc oritur, quando beatæ mentes, Diuinæ maieſtatis celſitudinem, & incomprehenſibilitatem conſiderant; & è contra cùm in ſe ingrediuntur, & ſuam paruitatem, aut prorſus nihileitatem intuentur, ſumma cum animi demiſſione Deum contemplantur, & venerantur, & refugiunt ſe ei aliquo modo, etiam per longiſſimum interuallum comparare. Exodi 3. *Moyſes operuit faciem ſuam, & non eſt auſus aſpicere contra Deum, in rubo apparente.*

Timor filialis, caſtus & Reuerentialis quomodo differant?

25. *Nota* quód hi tres timores, Filialis, Caſtus, Reuerentialis, ſunt quidem idem; ſic tamen diſtinguũtur: dicitur enim filialis, qui malũ peccati, tanquam offenſam patris, extimeſcit. Dicitur *Caſtus;* quia refugit malum, tanquam offenſam amati ſponſi. Dicitur *Reuerentialis;* quia refugit comparari Diuinæ maieſtati, cuius ſublimitatem, in immenſum ſupra ſeipſum eleuatam, admiratur & veneratur.

Nota ſecundò inter Reuerentialem & Filialem, hoc eſt adhuc diſcrimẽ; quód filialis habet actum elicitum à charitate; reuerentialis verò à religione, ſed non ſine imperio charitatis.

QVÆSITVM XII.

An paupertas ſpiritus, reſpondeat dono timoris?

26. Dico

Timor filialis reſpondet paupertati ſpiritus.

26. Dico. *Timor filialis, qui eſt donum Dei, reſpondet beatitudini, quæ eſt paupertas Spiritus.* PROBATVR D. Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in monte dicit: *Timor Dei, cõgruit humilibus, de quibus dicitur*: Beati pauperes ſpiritu. *Deinde* D. Aug. *per paupertatem Spiritus* intelligit exinanitionem inflati & tumidi Spiritus: D. verò Ambr. & Hier. intelligunt abiectionem temporalium rerum, quæ fit ſpiritu, hoc eſt, propria voluntate, per inſtinctum Spiritus S. & ex hoc oritur reuerentia ergà Deum, & ſubmiſſio: *&* qui ſic ſubmittit ſe Deo, non quærit in alio, nec in ſe ipſo, ſed in ſolo Deo magnificari: nam talis, nec in externis bonis, nec in ſuis virtutibus extollit ſe; ſed per humilem de ſe exiſtimationem ſe Deo ſubijcit. ergo paupertas reſpondet timori.

27. *Sed obijcies.* Timor eſt initiũ vitæ ſpiritualis; paupertas autem eſt illius perfectio: dicitur enim Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende vniuerſa, quæ habes, & da pauperibus.* ergo paupertas non reſpondet dono timoris. Obiectio

Dico primò, quód perfectio non conſiſtit in ſola bonorum temporalium abiectione; ſed hæc eſt via ad perfectionem; vnde correſpondet timori, qui eſt etiam initium vitæ ſpiritualis. Solutio 1ª prima.

Dico ſecundò, omnes quidem beatitudines tendunt ad perfectionẽ vitæ ſpiritualis; ſed hæc debet habere ſuum initium; & ſic paupertas, quæ deſerit res terrenas, inchoat perfectionẽ vitæ ſpiritualis; vnde correſpondet dono timoris. Solutio ſecunda.

DISPVTATIO IV.

De Deſperatione, primo vitio oppoſito Spei.

Quatuor inquiremus:

1. *An Deſperatio ſit peccatum?*
2. *An Deſperatio ſine infidelitate poſſit eſſe?*
3. *An Deſperatio ſit maximum peccatum?*
4. *An Deſperatio oriatur ex acedia?*

QVÆSITVM I.

An Deſperatio ſit peccatum?

1. Dico

Deſperatio in quo conſiſtat?

1. DIco primò. *Deſperatio in hoc verè conſiſtit, cùm quis beatitudinem, tanquam arduum bonum, & ſibi impoſſibile, etiam per bonitatem ac virtutem Diuinam, iudicat; & ideo ab ea refugit, & ab illius procuratione deſiſtit.*

Deſperationem quid conſtituit?

Dico ſecundò. *Deſperationem conſtituit auerſio à bono incommutabili, hoc eſt, à Deo.*

Obiectio.

Sed quæres ſecundùm doctrinam D. Th. peccata principaliter conſiſtunt in conuerſione ad bonum commutabile, & ex conſequenti in auerſione à bono incommutabili; vt peccatum fornicationis primariò conſtituit bonum delectabile, quod ex conſequenti concomitatur auerſio à bono incommutabili: qui enim fornicatur, non intendit à Deo recedere, ſed carnali delectatione frui. ſed quia talis delectatio eſt contra legem Dei, quã transgreditur & contemnit, ideo recedit à Deo. ergo & peccatum deſperationis conſtituet, conuerſio ad bonum commutabile, & nõ auerſio à bono incommutabili.

Solutio eius.

2. *Reſpondeo* diuerſam eſſe rationem horum vitiorum, quæ virtutibus Theologicis opponuntur; qualis eſt Infidelitas, Deſperatio, Odiũ Dei: nam alia peccata ſumunt ſpecificationem à conuerſione ad bonum commutabile (vt in argumẽto deductum) ſed oppoſita vitia virtutibus Theologicis ſumunt ex auerſione à bono incommutabili, v. à Deo. *Et ratio eſt.* ſicut enim virtutes Theologicæ verſantur circa Deum, tanquam ſuum obiectum, ad quod, tanquam ad bonũ commutabile, conuertuntur; ita hæc tria oppoſita vitia, erunt quoque circa Deum, in quantum ab eo diuertuntur, tanquam à bono incommutabili: & hinc ſumunt ſuam ſpecificationem. *vnde* auerſio in omnibus alijs peccatis, eſt quiddam illis commune; conuerſio verò ad bonum commutabile, eſt obiectum ſpecificans quodlibet peccatum; in vitijs verò, quæ ſunt oppoſita virtutibus Theologicis, auerſio à bono incommutabili, v. à Deo, in quantum ab illo amorem ſuum auertit, & contra illum appetit, eſt ratio ſpecificans. *Caiet. ſic declarat.* ſicut conuertens gladium ad aliquem occidendum, conuertit quidem ſe ad illum, ſed conuerſione occiſiua; ita in his peccatis poteſt dici conuerſio ad bonum incommutabile, ſed eſt offenſiua Dei; & ideo auerſio potiùs dicitur.

3. Dico tertiò. *Deſperatio eſt peccatum.* PROBATVR. quia à Sacra Scriptura, tanquam pernicioſa, damnatur. Eccleſiaſtici 4. *Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam* Ad Heb. 10. *Nolite amittere confidentiam veſtram.* Reg. 2. *An ignoras, quód periculoſa res eſt damnatio? Tum* quia deſperatio (vt ex Scriptura colligitur) eſt principium peccatorũ. Ad Epheſ. 4. *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immũditiæ omnis, in auaritiam, &c.* Et Hierem. 2. habetur, quód cùm Deus animam ad bonum inuitat; ſic præoccupata à deſperatione reſpondet: *Deſperaui, nequaquã faciam; adamaui quippè alienos, & poſt eos ambulabo.* & cap. 18 *Deſperauimus, poſt cogitationes enim noſtras ibimus. & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus.*

Deſperatio eſt peccatum.

4. Proba-

4. *Probatur & diſcurſu.* D. Th: Hæc eſt conditio humanæ voluntatis, quód in ea nihil eſt volitum, niſi priùs ſit cognitum; vnde voluntas in ſua volitione ab intellectu dependet. ſed ſecundùm Ariſt. *in 6. Ethic. cap. 2.* quod eſt in intellectu, affirmatio vel negatio, id in appetitu voluntatis eſt proſecutio vel fuga; & quod in intellectu eſt verum vel falſum; id in appetitu eſt bonum & malum; ſicut igitur omnis motus appetitiuus, conformiter ſe habens ad intellectum verum, eſt bonus; ita omnis ille motus appetitiuus, conformiter ſe habens ad intellectũ falſum, eſt malus: ſed in intellectu, hæc affirmatio & exiſtimatio, eſt vera; quód Deus hominibus ſalutẽ conferat, nemini gratiam ſuam deneget, omnes ad pœnitentiam inuitet, verbis Ezech: 18 *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.* Falſa verò exiſtimatio eſt in intellectu, ſi quis iudicet; quód Deus alicui deneget gratiam, per quam conuerti poſſit, aut quód pœnitẽtes non recipiat. ſicut igitur motus Spei in voluntate exſiſtit, quia conformiter ſe habet ad veram exiſtimationem de Deo, ideo eſt bonus, & per conſequens virtus, ita motus deſperationis, quia conformiter ſe habet, ad falſam exiſtimationem in intellectu, quaſi Deus reſpuat ad ſe cõuertentes, ideo erit malus, & per conſequens peccatum. *Vel ſic* breuiter contrahe diſcurſum: Omnis ille motus voluntatis, correſpondens falſo iudicio intellectus, eſt malus. ſed deſperatio, ex falſo iudicio intellectus prouenit: quia iudicat beatitudinem, eſſe bonum arduum, & omnino, etiam per Diuinam virtutem, ſibi impoſſibile. ergo deſperatio eſt peccatum.

5. *Sed quæres.* Dato caſu, quód Deus alicui reuelaret ſuam damnationem, an talis deſperando peccaret? *Reſpondeo &* Dubium.

Dico primò, *quód hæc reuelatio, videtur eſſe impoſſibilis. Primò.* quia non eſt conueniens Diuinæ prouidentiæ, quæ omnia ſuauiter diſponit: vult enim omnes homines ſaluos fieri; & omnibus media ſufficientia gratiæ ſuæ præparauit. ſed, ſi cui reuelatio fieret, quód damnabitur; iam acceptationem perſona rum, & quandam acerbitatem, ſecùm importaret. *Secundò.* quia hæc reuelatio eſſet contra ſtatum præſentis viæ, ſeu vitæ, in qua eſt locus, & tempus merendi, & demerendi. *Tertiò.* quia talis reuelatio nullius boni eſſet cauſa, ſed potiùs infinitorum malorũ occaſio: nam beatitudinis adeptione deſperata, vnuſquiſq; habenas ſuæ concupiſcentiæ laxaret. *Ad extremum,* ſi cui talis reuelatio fieret, illa non eſſet intelligenda abſolutè, quód v. aliter non poſſit fieri; ſed conditionaliter, quód damnabitur, niſi pœnitentiam de peccatis egerit vt Ionæ. 3. habetur, cùm Propheta prædicaret ſubuerſionem Niniuæ ciuitatis, hæc verba protulit; *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur,* quód non abſolutè dictum, ſed cum conditione; niſi pœnitentiam egerit: nam vbi Niniuenſes ad pœnitentiam ſunt conuerſi, ciuitas illorum non fuit ſubuerſa.

Qui ſine peccato poteſt non ſperare ſalutẽ?

6. *Dico ſecundò* factá ſuppoſitione, quód alicui Deus certò reue-

laret

laret ſui condemnationem. Dico *quód talis licitè, & ſine peccato, poteſt non ſperare ſalutem*: quia non obligatur, habere ſpem illius boni conſequendi, quod iam ex Diuina reuelatione certò cognouit ſe non conſecuturum Attamen beatitudinem, vt ſummum bonum, amore concupiſcentiæ amare, & ſibi deſiderare poteſt: nam in tali homine eſt voluntas, quæ ſuapte natura deſiderat bonũ; & hoc deſiderium ſummi boni, cum hoc, quód illius adeptio ſit ſibi impoſſibilis, benè ſtare poteſt: ſiquidem multa concupiſcimus, quorum nobis adeptio impoſſibilis.

7 *Nota.* Illa eſt conſummata, & perfecta deſperatio, quæ habet auerſionem, & deteſtationem beatitudinis, quæ in viſione Dei conſiſtit: in tali autem homine, cui reuelatio facta damnationis ſolùm eſſet negatio actus Spei; ita, quód nollet illud ſperare, cuius aſſecutionem, ex reuelatione Diuina ſciret, ſibi eſſe impoſſibilem; ſed non eſſet in eo deteſtatio: nam nihilominus in eo eſſet affectus obtinendæ beatitudinis *Perfecta & conſummata deſperatio quæ?*

Dico tertiò. *Quód talis homo, obligaretur ad omnia implenda, quæ præceptis Diuinis ſunt mandata, aut prohibita*: nam, quamuis hæc ſunt ordinata, ad finis vltimi cõſecutionem nihilominus ſcire debet, quòd amiſſio beatitudinis illius culpâ futura eſt, quam vitare tenetur.

QVÆSITVM II.
An Deſperatio poſſit eſſe ſine Infidelitate?

8. *Deſperatio poteſt eſſe ſine infidelitate.* DIco *Sine infidelitate poteſt eſſe deſperatio.* PROBATVR. Quia ſunt in diuerſis ſubiectis; infidelitas in intellectu, deſperatio in voluntate. ergo ſunt diuerſa. *Confirmatur.* Quia intellectus, in quo inexſiſtit infidelitas, eſt circa vniuerſalia; voluntas verò, ſeu vis appetitiua, in qua eſt deſperatio, eſt circa particularia ſed contingit, vt vnus, & idem homo, habeat rectam æſtimationem per intellectum in vniuerſali; & in particulari, per affectuum deſideria, habeat corruptam æſtimationem, exempli cauſa homo incontinens habet veram æſtimationem in vniuerſali ſecũdùm fidem, quód fornicatio ſit peccatum mortale; & nihilominus in particulari, ob mala deſideria affectuum, habet corruptam æſtimationẽ: quia ob inordinatum affectum concupiſcentiæ, eligit fornicationem, ita poteſt aliquis habere hanc rectam æſtimationem, ſecundum fidem in ſuo intellectu quód in Deo ſit ſperandum, & nihilominus in particulari ob aliquem affectum, habet corruptam æſtimationem, quód deſperet. Ergo deſperatio ſine infidelitate eſſe poteſt.

9. *Sed obiicies* Hæreſis eſt, ſi quis neget, poſsibilẽ eſſe iuſtificationẽ alicui homini, ſed is, qui deſperat, negat *Obiectio*

negat eſſe poſsibilem ſibi iuſtificationem ergo Hæreſis admiſta eſt deſperationi. *Reſpondeo,* quód hoc iudicium in particulari, dupliciter conſideratur: aut ſpeculatiuè, aut practicè. *Speculatiuum* iudicium in particulari, eſt de re ſecundùm ſe, cuius veritas in vniuerſali continetur, cui intellectus aſſentitur; *Practicum* verò iudicium in particulari eſt de re, non ſecundùm ſe conſiderata, ſed in ordine ad appetitum operantis; vnde, ſi quis inordinato appetitu affectus, iudicat pecuniæ acquiſitionem ſibi eſſe conuenientem, non eſt hæreticus: nam hoc iudicium eius, ſpeculatiuè eſt verum: quia nemo intendit aliquam rem velle, niſi prout iudicat ſibi eſſe bonam; nihilominus errat practicè: quia eius iudicium eſt difforme rectæ rationi ſpeculatiuè; quæ talem actum prohibet: vnde, & qui ſic deſperat, non eſſe poſſibilem iuſtificationem, non habet iudicium ſpeculatiuè falſũ; ſed ſolùm practicè: vnde non eſt hæreticus.

Solutio obiectionis prima.

Reſpondeo ſecundò. ad actum eliciendum deſperationis, non eſt neceſſe, vt præcedat in intellectu tale iudicium, quód adeptio beatitudinis ſit ſibi impoſſibilis: nam ſic iam eſſet hæreſis; ſed ſufficit, quód quis per actum practicum, imperij ſuæ voluntatis, intimet id ſibi eſſe impoſſibile; & ſic per iudiciũ practicum, poteſt ſtatuere, hos actus deſperationis ſibi eſſe eliciendos, tanquàm ſuæ diſpoſitioni aptos; & quia ad alios fines malos, ſunt ſibi accommodati.

Solutio ſecunda.

QVÆSITVM III.
An Deſperatio ſit maximum peccatum?

Quæ peccata ſunt maiora alijs peccatis?

10. DIco primò, *Peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, v. Infidelitas, Deſperatio, & Odium Dei, ſunt maiora aliis peccatis; quæ opponuntur virtutibus moralibus, v. Temperantiæ, fortitudini, & aliis.* PROBATVR. quia vitia oppoſita virtutibus Theologicis directè, & principaliter auertunt à Deo; peccata autem oppoſita virtutibus moralibus, indirectè & minus principaliter, ergo ſunt maiora peccata reliquis. *Confirmatur.* ſicut enim virtutes Theologicæ, vt Spes, immediatè circa Deum verſatur, tanquam id, quod eſt ſummum bonũ; ita deſperatio, directè à Deo recedit, & auertit ſe ab illo, nolens cũ auxilio gratiæ Dei, ad tantum bonum conſequendum tendere, ergo auerſio à Deo, eſt directè volita à deſperatione; reliqua verò peccata, quæ aduerſantur virtutibus moralibus (vt deduximus præcedenti Quæſito) principaliter & directè tendunt in bonum creatum, & commutabile; circa quod, tanquam ſuum obiectum, verſautur: auerſio vero à Deo, iam eſt indirectè minus principaliter, & quodam modo conſecutiuè:

ſecutiuè: nam, quia circa res creatas illicito modo, qui lege Diuina eſt prohibitus, verſamur, ideo ob contẽptũ legis Diuinæ, conſequitur auerſio concomitans. Ex quo

Corollariũ *Collige.* ſi conuerſio eſſet ad bonum commutabile, etiam modo in ordinato; ſed ſi eſſet ſine auerſione à Deo, non eſſet peccatum mortale; vt, ſi quis pecuniam coacervet, ex amore inordinato, ſed vitet prohibitos modos à lege Diuina; & ſic non erit auerſio. ergo illud erit grauiſſimum peccatum, quod primò & per ſe intendit auerſionem à Deo. ſed vitia oppoſita virtutibus Theologicis, atq; etiam ipſa deſperatio, primò & per ſe tẽdunt in auerſionem à Deo. ergo grauiſſima ſunt peccata.

Quando deſperatio nõ eſt maximũ peccatum? 11. Dico ſecundò. *Loquendo de deſperatione, per comparationem ad odium Dei, & ad infidelitatem, iam erit minus peccatum.* PROBATVR. Illud eſt grauius peccatum, quod Deo ſecundùm ſe conſiderato contrariatur; quàm ſecundùm quod eſt in nobis. ſed infidelitas, & òdium Dei, contrariantur Deo, ſecundùm ſe conſiderato; deſperatio verò contrariatur Deo, in quantum eſt bonitas, à nobis participata: ergo illa duo ſunt maiora peccata. *Declaratur minor.* Sicut enim charitas congaudet Deo, & de illius eſſe, & de alijs ſummis illius perfectionibus, ac virtutibus; hęc enim omnia cupit in Deo eſſe maxima: ita è contra odium Dei, directè oppugnat ipſum *eſſe* Dei; quia vellet illum non eſſe, & de illius ſummis perfectionibus triſtatur, & vellet (ſi fieri poſſet) vt in nihilum recidat. ergo odium Dei contrariatur Deo, ſecundùm ſe conſiderato. *Idem* manifeſtum eſt de infidelitate, quód *eſſe* Diuino aduerſatur: quia à Deo, qui per naturam ſuam eſt ipſa veritas, auertit ſe, nollens Dei teſtimonium recipere. Deſperatio verò (præſertim illa, quæ ex acedia, & ex animi abiectione, naſcitur) non eſt ita directè contra Deum; nam non negat Diuinam miſericordiam, & potentiam, neq; etiam negat, Deum eſſe ſummum bonum; ſed ſolùm diffidit, quód non erit conſors illius æternæ beatitudinis. vnde deſperatio comparata ad infidelitatem, & ad odium Dei, eſt minus peccatum.

12. Dico tertiò. *Comparata deſperatio ad infidelitatem, & ad odium Dei, ex parte noſtra, eſt periculoſior.* Quando deſperatio ſit periculoſior? PROBATVR. ſicut enim per Spem, in nobis conſtitutam, à malis reuocamur, & ad bona proſequenda inuitamur; ita ſublata ſpe per deſperationem, in omne genus flagitiorum præcipites ruimus: & hoc vitio deſperationis deprauati, nec timore ſuppliciorum, nec præmiorum magnitudine, à malo reuocari poſſumus.

Sed quæres. Deſperatio, quæ naſcitur ex contemptu expreſsè beatitudinis æternæ, quæ in viſione ac fruitione Dei conſiſtit, qualenã ſit peccatum? Dubium. *Reſpondeo* talem deſperationem eſſe grauius peccatũ; non quidem odio Dei, ſed infidelitate: nam talis deſperatio habet coniunctam infidelitatem: nam qui contemnit ſummum bonum, & pro nihilo illud habet, iam habet hunc actum infidelitatis, quód nolit credere Deum eſſe ſummum bonum; vnde erit grauius peccatũ.

QVÆ-

QVÆSITVM IV.
An Deſperatio ex Acedia oriatur?

Ex quibus vitijs Deſperatio oritur?

13. AD Quæſitum dico. *Duo ſunt vitia, ℣ Luxuria, & Acedia, ex quibus deſperatio enaſcitur.* PROBATVR. duo enim ſunt, ob quæ in deſperationem incidit animus: *primum* quia beatitudinem, quæ eſt obiectum ſpei, non iudicat eſſe bonum arduum: *ſecundum*, quia non iudicat eſſe poſſibile, vt poſſit obtineri vel per ſe vel per alium: ſed luxuria iudicat beatitudinem, non eſſe bonum arduum; acedia verò, non eſſe poſſibile. ergo deſperatio ex luxuria & acedia oritur. *Minor probatur.* quód luxuria non iudicat beatitudinem eſſe bonum arduum, *quia* peccatum luxuriæ, ita hominẽ delectatione voluptatum carnis inficit, vt animum animalem faciat. iuxta illud: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus*: & hinc oritur faſtidium rerum ſpiritualium. Eadem delectatio carnis animũ grauat, & quaſi in carnem commutat. Geneſis 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt*: & ex hoc oritur, quód ſolas delectationes carnis, putat eſſe bonum arduum, & malum; & ſic ſenſus animi demerſus in voluptatibus carnis, non poteſt tendere in beatitudinem, tanquam in bonum; ſed ab ea ſe diuertit. Quod verò acedia faciat, vt beatitudo non ſit poſſibile bonum; id prouenit ex nimia deiectione animi, quæ poſtquam animum occupauerit, iam ei videtur, quód nunquam ad aliquod bonum eleuari poſſit: vnde acedia eſt deiectiua ſpiritus.

14 Dico ſecundò. *Specialiùs tamen deſperatio oritur ex acedia.* PROBATVR. Proprium obiectum ſpei, eſt bonum arduum, in quantum eſt poſſibile. ſed deſperatio profecta ex acedia deijcit animum, vt iudicet eſſe ſibi impoſſibile. ergo ex acedia ſpecialiùs oritur. Vnde ſpecialiter oritur deſperatio?

Noto hic ex Caiet. quód *poſſibile* eſt proprium obiectum ſpei; bonum autem arduum, etiam ad alias paſſiones pertinet.

Obijcies etiam *Poſſibile* ad alias paſſiones pertinet, quia etiam timor, audacia, eſt ratione poſſibilium. *Reſpondeo* quód in præſenti non loquimur de poſſibili abſolutè, ſed prout determinat bonum arduum; & ſic eſt ſolius ſpei: & quia acedia deijcit animum, iam iudicat hoc bonum arduum, eſſe impoſſibile. Idipſum confirmat Scriptura Prouerb. 25. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno; ita triſtitia viri nocet cordi.* Et Eccleſiaſtici 30. *Multos occidit triſtitia.* Tria igitur mala ab acedia, quæ eſt triſtitia, proueniunt: Deuaſtatio, Corroſio, Occiſio; vnde eſt ſummè pernicioſa deſperatio ex acedia exorta; ſiquidem his plagis animum afficit. Quæ mala proueniunt ex Acedia?

APPENDIX BREVIS De Deſperatione, quoad Praxim.

15. TRia attingemus: *primò*, quid ſit? & quot eius diuiſiones? *ſecundò*, quot modis in Deſperationē collabimur? *tertiò*, quæ ſunt remedia præſeruantia à Deſperatione?

Deſperatio quid? vnde proueniat deſperatio?

QVANTVM ad primum. *Deſperatio, eſt diffidentia de aſſecutione beatitudinis; quæ prouenit ex defectu Diuinæ gratiæ, & propriorum meritorum in gratia factorum*: vt cum quis iudicat ſe eſſe damnandum; & Deum miſericordiam ſuis peccatis non exhibiturū; & ſic affectꝰ in animo ſuo, iam ad Deum conuerti non vult, & à bonis operibus ſe auertit. Sunt autem tres Diuiſiones Deſperationis.

Deſperationis diuiſio prima. Pura deſperatio quæ?

16. *Prima Diuiſio* eſt in puram & Miſtam: *Pura* illa eſt, quæ eſt abſq; vllo errore intellectus, hoc eſt, quæ eſt ſine hæreſi, ſine infidelitate, vt cum quis deſperando dicit intra ſe, Deū ſibi non parciturum; aut ſe nunquam bene acturum: & hæc ſic exiſtimare, non eſt contra fidem. *Miſta deſperatio* eſt, quæ eſt cum errore in intellectu, ſeu cum infidelitate: vt ſi quis deſperet, Deum non eſſe, æternam beatitudinem non eſſe, & quód Deus miſericordiam non præſtet: & hæc deſperatio habet adiunctam hæreſim. Vnde.

Miſta deſpe ratio quid?

Nota primò. Quandoquidem fides, ordine generationis antecedit Spem, ideo, ſi quis per hæreſim, aut per apoſtaſiam, amittit fidem; etiam Spem neceſſariò amittit. Fides enim eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, quâ ſublata & Spes ruet. *E contra* verò non ſequitur; vt ſi quis amittat Spem & fidem amittat. Nam (vt ſupra docuimus) contingit, quód aliquis in vniuerſali & ſpeculatiuè, firma fide credat, quód ſit DEVS, & quód ex miſericordia ſua, & ob merita Paſsionis Chriſti, & ob ſufficientia gratiæ auxilia, pœnitentibus condonet peccata, & beatitudinem æternam conferat: & nihilominus in particulari ob curruptam æſtimationem, vel à paſſione luxuriæ, aut acediæ, exiſtimet, ſibi non eſſe poſſibilem beatitudinem, nec peccatorum remiſſionem.

Qui amittit fidē etiam & ſpem amittit neceſſariò nō è contra.

Nota ſecundò. quód deſperatio ſi ſit pura, ita, quód maneat fides, ſi erit ſolùm vnicum peccatum: ſi verò habeat admiſtum errorem contra fidem, erit duplex peccatum, Hæreſis & Deſperationis.

Deſperatio quādo vnū peccatum, quādo duo?

17. *Diuiſio ſecunda* in mentalem, verbalem, & Realem. *Mentalis* eſt, quæ ſolùm eſt in ipſa voluntate: *Verbalis*, quæ per verba prolata foras prorumpit: qualis in Cain fuit, cum diceret; *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Realis* eſt, quæ factis & operibus malis, ſe prodit in aper-

Diuiſio ſecunda. Mentalis & verbalis deſperatio quid?

Realis deſperatio

Ad deſperationem reales qui pertineant?

in apertum talis fuit in Iuda, qui laqueo ſe ſuſpendit: talis quoq; in his, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. in horũ numero ſunt etiã hi omnes, qui vitam in turpitudinibus peccatorum exigunt, & nunquam de his pœnitere volunt.

Diuiſio tertia Deſperationis.

Tertia diuiſio ex parte obiecti: *primò* diuiditur tripliciter in Deſperationem veniæ conſequendæ, qualis fuit in Iuda, & in Cain. *ſecundò* in deſperationem vitæ in melius emendandæ, & deſiſtendi à vitiis, atq; etiam gratiæ cõſequendæ: *tertiò* in deſperationem æternæ beatitudinis adipiſcendæ.

Modi ſex quibus in deſperationem prolabimur.

18. QVOAD ſecundum Dico. *ſex ſunt modi, ex quibus aliquis in deſperationem prolabi poteſt. Primus* eſt, cùm quis non vult ſecum attentè conſiderare ea, quæ illum in ſpem æternæ beatitudinis erigere poſſint: vt, quód Deus ſit bonus, miſericors, & in omnibus promiſſionibus fidelis; & quód vnicuiq; etiam maximo peccatori, ſufficientia auxilia gratiæ ſuæ præparauerit. *Secundus eſt*. nimia ſolicitudo de rebus terrenis, & neceſſarijs huius vitæ; præſertim cum præiudicio Diuinæ prouidentiæ, tanquam Deus nihil omnino nobis cõferat, niſi noſtro labore quæſitum fuerit. *Tertius eſt*. cùm quis ab orandi ſtudio, & perſeuerantia deſiſtit ideo; quia non ſtatim impetrat à Domino, quod petit. *Quartus eſt*, cum quis ingrediendo per contemplationem, in multitudinem ac enormitatem ſuorum peccatorum, incipit deſperare de illorũ venia. *Quintus eſt*, cum quis ob infirmitatem ſuam, & ob difficultatem viuendi ſecundum mandata Dei, deſperat de vitæ ſuæ emendatione. *Sextus eſt*, cum quis ſecum recogitat, Deum eſſe auſterum, rigidum, ſeuerum; & ideo diffidit de adeptione æternæ beatitudinis ita, vt omnem ſpem illius conſequendæ abijciat.

19. QVANTVM ad tertium. *Quænam ſunt remedia præſeruantia à deſperatione?* dico eſſe ſex modos oppoſitos ſex enumeratis, qui in deſperationem trahunt. *primus*, vt ſit contemplatio attenta, & aſſidua bonitatis, miſericordiæ, & promiſſionum Diuinarum: *ſecundus*, vt ſit intermiſſio ſolicitæ curæ, in rebus terrenis procurandis: *tertius* adſit ſtudium orationis, & in eo perſeuerantia: *quartus*, vt piam cogitationem ſuſcipiamus de immenſa Dei miſericordia, quæ relucet in maximorum peccatorum remiſſione: *quintus*, vt confidamus de auxilio gratiæ Dei, quód illa adiutrice vitam in melius commutare poſſimus: *ſextus*, vt cum D. Ambr. bonum & miſericordem eſſe dominum in eos omnes, qui ad eius miſericordiam confugiunt, cogitemus.

Quę & quot ſint remedia præſeruantia à deſperatione?

20 *Alterum remedium*, quia graues ſentit tentationes, quibus ad deſperationem impellitur, talis debet ſe munire actibus ſpei, eoſdem intra ſe eliciendo; quód in Dei miſericordia, & meritis paſſionis Chriſti, confidat: nam de ſpe eſt præceptum affirmatiuum. Pſal. 4. *Sperate in Domino*. Pſal. 14. *Qui ſaluos facit ſperantes in ſe*. Pſal. 62. *Sperate in eum omnis congregatio populi. Et ratio eſt*, quia præceptum affirmatiuum tũc

Alterum remedium.

 obligat,

obligat, quando quis grauiter vexatur tentationibus contra ſpem, & talis tenetur tunc remedia adhibere, quæ illum à deſperatione præſeruent, & tales ſunt actus ſpei. ergo tunc maximè eliciendi ſunt.

DISPVTATIO V.

De Præſumptione.

Quatuor inquiremus:

1. *An Præſumptio Deo innitatur an propriæ virtuti?*
2. *An Præſumptio ſit peccatum?*
3. *Cui opponatur?*
4. *Ex quo vitio oriatur?*

QVÆSITVM I.

An Præſumptio innitatur Deo, an virtuti propriæ?

Spei opponuntur duo vitia ſicut & cæteris virtutibus. 1. PRæmitto *primò*, ſicut in virtutib⁹ moralib⁹ vſu venit, quód vni virtuti, v. liberalitati, duo vitia v. auaritia, & prodigalitas opponuntur; & horum vnum eſt per defectum, vt auaritia, quæ nihil vult dare, alterum per exceſſum, vt prodigalitas, quæ nimium dat & ideo effundit: ita accidit in ſpe, quód eidem duo contraria vitia, Deſperatio & Præſumptio opponuntur; & Deſperatio ſecundùm defectum opponitur: nam qui deſperat apud ſe conſtituit, ſe non conſecuturum remiſſionem peccatorum, nec gloriam æternam, & ideo ab omnibus rebus ſpiritualibus animum auertit. eidem ſpei præſumptio opponitur per exceſſum, vt cùm quis præſumit ſe conſecuturum gratiam Dei, & beatitudinem æternam naturæ ſuæ viribus proprijs; aut ſi confidat, quód ſine pœnitentia gratiam, & ſine bonis operibus gloriam, ſit adepturus.

2. *Præmitto ſecundò.* Nomen *Præſumptionis* quatuor modis accipitur: *primò* pro actu intellectus, vt cùm ex aliqua coniectura, de facto aut de dicto alicui⁹ iudicamus & in hac ſignificatione a Iuriſconſultis ſumitur: *ſecundò* pro actu voluntatis in bonam partem, v pro ſpe valida & robuſta. Iudith. 6. *Oſtende, quia non derelinquis præſumentes de te.* & cap. 9. *Exaudi me miſeram* **Præſumptionis quatuor ſignificata.** *depre-*

deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem: *tertiò* pro vitio oppoſito magnanimitati per quendam exceſſum; vt cùm quis id ſe aſſecuturum præſumit ſuis viribus, quod plurimùm illius vires excedit: vt cùm quis confidit, quód poſſit viginti libras portare, cùm vix poſſit decem, *de hoc vitio diſputat S. Doct. hic 2. 2dæ. quæſt. 130* quartò ſumitur pro vitio oppoſito ſpei, vt cùm quis per immoderationem ſpei, id ſibi poſſibile eſſe exiſtimat, quod omnino (cùm ſit ſupernaturale, quia eſt beatitudo æterna) facultatem eius naturalem ſuperat: vt ſi præſumat, quód gratiam ſine pœnitentia, & vitam æternam proprijs viribus, ſit aſſecuturus. *& de hoc vitio in præſenti agimus* His præmiſſis

Præſumptionis duplex ſubiectum Præſumptio quæ innititur Deo quæ ſit?

3. Dico ad Quæſitum. *Præſumptio duplici ſubiecto innititur v. Deo, & propriæ virtuti* Præſumptio quæ innititur Deo eſt, quæ de miſericordia Dei præſumit, ſed modo non debito: v. quód à Deo quædam bona ſit conſecuturus, quæ quidem Deus paratus eſt conferre, ſed non eo modo, quo quis vult, ſed quô ipſe ordinauit. Tale vitium in Luthero & Caluino fuit, qui de Deo præſumebant, quód illis gratiam ſine pœnitentia, & vitam æternam ſine meritis proprijs, ſit daturus. Quæ quidem duo, v. gratiam & gloriam paratus eſt Deus conferre, ſed ſi eum ordinem ſeruauerimus, quem Deus præſcripſit: vt dabit gratiam & veniam peccatorum, ſi pœnituerimus: dabit vitam æternam, ſi bona opera adfuerint.

Præſumptio quæ innitur proprijs viribus quæ?

4. Dico ſecundò. *Vitium præſumptionis, quod innititur propriæ virtuti eſt, cùm quis de ſuis viribus ſic præſumit, quód per illarū conatū, & remiſſionem peccatorum & beatitudinem ſit adepturus.* Ratio. quia hic modus præſumendi eſt, contra debitam formā ſperandi, quæ miſericordiæ Dei inniti debet: hic autem confidens in proprijs viribus, excludit miſericordiam & potentiam Dei, quaſi ſine his poſſit hæc habere. Hoc vitio laborarunt Pelagiani, qui negabant gratiam Chriſti, ad ſalutem eſſe neceſſariam: ſed ſufficere dicebant conatum virium naturalium,

Dico tertiò. *Vitium præſumptionis eſt peccatum contra Spiritum S.* nam tollit & contemnit adiutorium gratiæ Spiritus S.

Præſumptio eſt peccatū contra Spiritum S.

5. Dico quartò. *Grauius eſt peccatum præſumptio, quæ inordinatè innititur Deo, quàm quæ innititur propriæ virtuti.* Ratio. quia grauius eſt peccatum imminuere virtutem Diuinam, quàm extollere propriam virtutem; ſed præſumptio inordinatè innixa Deo minuit virtutem Dei; innixa verò propriæ virtuti, ſolùm extollit ſuam virtutem: ergo illa maius peccatum.

Quænam præſumptio ſit grauius peccatum?

6. *Quæres* quid ſit minuere virtutem Dei? *Dico.* Eſt contemnere adiutorium miſericordiæ Dei, quæ in gratia elucet. Et hoc ad duo ex parte hominis conceditur; *primò* vt poſſit homo pœnitentiam agere: *ſecundò* vt poſſit opera meritoria vitæ æternæ exercere. *Ex parte verò Dei ad duo neceſſaria*; *primò*, vt pœnitenti det veniam: *ſecundò*, vt iuſtificato per bona opera dèt gloriā. præſumptuoſus ergo diminuit virtutem Diuinam, quando vult à Deo veniam, ſed ſine pœnitentia,

Minuere virtutē Dei quid ſit? Adiutorium miſericordiæ Dei ex parte hominis ad duo conceditur. Ex parte etiam Dei ad duo neceſſarium?

 & ſic

& ſic iam diminuit virtutem Dei, quæ in nobis pœnitentiam debuit operari. ſimiliter cùm vult gloriã ſed ſine meritis, diminuit virtutẽ Dei, quia non vult vt in nobis per gratiam bona opera præſtet. atq; ſic præſumptio minuit virtutem Dei.

Probatur ſecundò. quia talis præſumptio eſt iniurioſa Deo, nam grauiter lædit illius iuſtitiam & prouidentiam, nam facit Deum iniuſtum, & incircumſpectum; quaſi in conferenda æterna beatitudine, nullam rationem habeat boni aut mali operis.

An præſumptio expellat habitũ Spei?

7. *Sed quæres.* An præſumptio expellat habitum ſpei? *Reſpondeo* quód præſumptio, quæ præſumit, quód ſolis viribus naturæ, aut per ſolam miſericordiam Dei, abſq; pœnitentia ſine vllis bonis operibus ſit ſalutem conſecutura, & ſemper tollit ſpem. *Probatur.* quia talis præſumptio tollit fidem. vnde & habitum ſpei tollit, nam fides eſt ſubſtantia, ſeu fundamentum rerum ſperandarum; vnde ſublato fundamento, nimirum fide, & ſpes quæ illi innititur, tollitur. Quód verò fidem tollat præſumptio. quia credimus hanc eſſe ordinationem Dei pro venia obtinenda. Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, ſimul omnes peribitis.* Credimus quoq; hanc eſſe ordinationem Dei, de gloria obtinenda. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: ſed præſumptio, & pœnitentiam, & mandatorum Dei impletionem, tollit: ergo & fidem.

Ratio ſecunda. Quia modus præſumptionis, quô vtitur, tendendo in obiectum, eſt contrarius modo, qui debetur Spei: & ſic, quaſi per contrarium, non quidem phyſicè, ſed moraliter euertit habitũ Spei. vt comeſtio ſine menſura euertit formalem rationem; per quam temperantia conſtituitur, quód in menſura capiat cibum: ita præſumptio hunc modum habet, quód vult veniam ſine pœnitentia: vult gloriam ſine bonis operibus: ſed hic modus eſt contrarius modo & medio ſpei, quæ ſperat veniam ſed cum pœnitentia; ſperat gloriam æternam, ſed cum mandatorum Dei obſeruantia. ſi verò contingát eſſe talem actum præſumptionis, quód quis addictus ſuis prauis conſuetudinibus, & alijs vitijs, nõ vult in melius commutare vitam, ſed præſumit, quòd in fine vitæ dabitur ſibi ſpatium veræ pœnitentiæ, & remiſſio peccatorum, & ſic talis non amittit habitũ ſpei; quia non excludit pœnitentiam: ſed intendit ſeram in articulo mortis: quòd quãuis fieri poſſit, tamẽ rarò accidit: vnde eſt temeraria præſumptio, nam id, quod eſt ſub dubio & incertum, ſecurè ſibi pollicetur.

QVÆSITVM II.

An Præſumptio ſit peccatum?

8. Dico

8. Dico primò. *Præſumptio eſt peccatum.* Probatvr. omnis ille motus, qui eſt conformis intellectui falſo, eſt ſecundùm ſe malus, & peccatum: ſed præſumptio eſt conformis intellectui falſo; quia innititur in hoc iudicio falſo de Deo concepto, quód Deus dabit veniam ſine pœnitentia, & gloriam æternam ſine bonis operibus; ergo eſt peccatũ.

Præſumptio innitens miſericordiæ Dei eſt minus peccatum quám deſperatio.

Dico ſecundò. *Præſumptio quæ innititur miſericordiæ Dei, eſt minus peccatum, quàm deſperatio.* Probatvr. Deo magis eſt proprium miſereri & parcere, & hominibus benefacere, propter ſuam infinitam bonitatem; quàm pœnis affligere: ita enim Eccleſia orat: *Deus cui propriũ eſt miſereri & parcere.* *Confirmatur.* nam miſericordia Deo ex ſe conuenit, punitio nonniſi ſolùm ob peccata noſtra, quibus Deus ad puniendum nos prouocatur: ergo grauius peccatum deſperatio, quã præſumptio.

Quænã præſumptio ſit grauius peccatum.

9. *Sed quæres.* cùm duplex ſit præſumptio, quædam quæ innitititur proprijs viribus, quædam quæ innititur in miſericordia Dei; ſed ſine pœnitẽtia, & ſine bonis operibus; quænã harũ grauius peccatũ?

Reſpondeo poſteriorem eſſe grauiorem (vt iam primo Quæſito determinauimus) quia imminuit virtutem Diuinam, quæ cùm in duobus elucere debuit, & in bonis operibus noſtris, & in concedenda vita æterna; præſumptio tollendo bona opera, & ſolùm poſtulando vitam æternam, iam diminuit virtutem Dei. *ſecundò* quia id Deo tribuit, quod ei minimè conuenit: vult enim, vt in collatione vitæ æternæ, non attendat ad iuſtitiam.

Sententia eorum qui aſſerũt præſumptionẽ innitentem proprijs viribus eſſe grauius peccatum.

Quidam dicunt, grauius eſſe peccatum illam præſumptionem, quæ innititur proprijs viribus. *Primò ideo,* quia Chriſti redemptoris gratiam, & Dei auxilia diminuit, nam præſumit ſufficere ſibi meritum paſſionis Chriſti; & ideo contemnit pœnitentiam & bona opera, in quibus gratia Chriſti reperitur. *Secundò* quia diminuit dignitatem, & æſtimationem æternæ beatitudinis: nam ſi beatitudo illa æterna nõ excedit vires noſtras, non adeò erit magnum bonum; ſiquidem ordinis naturalis erit, & ad eã erit in nobis propenſio naturalis, & naturaliter nobis debebitur, quod quidẽ excellẽtiã & dignitatẽ beatitudinis æternæ euacuat.

QVÆSITVM III.

An Præſumptio magis opponatur Timori, quàm Spei?

10 Dico primò. *Præſumptio non ſolùm Spei, ſed etiam Timori opponitur, maximè autem ſeruili, qui reſpicit pœnam ex iuſtitia Dei prouenientem.* Probatvr. Præſumptio & Timor ſeruilis contrariantur ſibi, ſecundùm duas rationes ge-

nes genericas: v. ſecundùm proſecutionem & fugam. nam præſumptio eſt motus circa Deum inordinatus, conſiſtens in quadam appetitus proſecutione; quia appetit veniam ſine pœnitentia: ſimiliter eſt circa Deum, in quãtum pœnas, quæ peccatis debentur, fugit. ergo ſibi contrariantur.

Præſũptio directiꝰ opponitur Spei?

Dico ſecundò. *Directiùs tamen Præſumptio opponitur Spei quàm Timori.* PROBATVR. illa directiùs opponuntur, quæ ſunt vnius generis, quàm quæ ſunt diuerſorum generum. ſed præſumptio & ſpes habent vnum genus, v. proſecutionem, & ſub eodem genere differunt, ſecũdum rationes ſpecificas; quia Spes ſperat veniam cum pœnitentia, & æternam gloriam cum meritis; præſumptio verò ſperat veniam, ſed ſine pœnitentia, ſperat gloriam ſed ſine bonis operibus. ergo directiùs opponuntur.

QVÆSITVM IV.
An Præſumptio oriatur ex inani gloria?

Duplex cauſa ex qua oritur præſumptio.

II. DICO *ſicut, duplex eſt Præſumptio: ita duplex eſt cauſa, ex qua oritur. Quædam eſt,* quę innititur propriæ virtuti, & tendit in quoddam bonum arduum, tanquam ſibi poſſibile, cum tamen illius virium facultatem excedat; & talis præſumptio ex inani gloria oritur. nam, qui vanam gloriam deſiderat, talia attentare ſolet, quæ admirationem pariunt: & eiuſmodi ſunt noua; nouum autem eſt, id velle viribus aſſequi, quod illarum facultatem excedit. *Quædam verò* eſt, quæ inordinatè miſericordiæ Dei innititur, vt cùm ſperat ſe id adepturum ſine medijs, ad quod media ſunt ordinata; vt gratiam ſine pœnitentia, gloriam ſine meritis; & talis præſumptio ſumit originem ex ſuperbia; quia ſe tanti facit, quód eum Deus etiam peccatorem non puniet, nec à gloria excludet.

Præſũptio innitẽs propriæ virtuti eſt proxima inſaniæ.

Nota Præſumptionem, quæ innititur propriæ virtuti, eſſe proximam inſaniæ; vt cum quis præſumit, æternam beatitudinem deberi ſuis naturalibus meritis, aut alijs prærogatiuis: vt quód ſit diues, doctus, nobilis, potens in armis, diuitijs affluens, talis enim gratiam Dei penitus excludit.

DISPVTATIO IV.
De Præceptis pertinentibus ad Spem & Timorem.

I. Dico

QVÆSITVM I.
An de Spe ſit aliquod præceptum?

1. DIco primò. *Res manifeſta eſt, quòd de ſpe, in quantum eſt virtus Theologica, exſtent præcepta.* PROBATVR. ſunt enim multa teſtimonia, tam veteris quàm nouæ legis, in quibus hoc præceptum continetur. Pſal. 4. *Sacrificate Sacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Pſal. 30. *Viriliter agite omnes, qui ſperatis in Domino.* Pſal. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Et ad Titum 2 *Apparuit gratia, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, exſpectantes beatam ſpem*: ſed ex hoc loco Apoſtoli colligitur præceptum de ſobrietate, de iuſtitia, de pietate: ergo etiam de ſpe colligi debet. *Ratio.* omnis ille actus, qui ad ſalutem eſt neceſſarius, debuit à Deo præcipi: ſed ſpes ad ſalutem eſt neceſſaria. Ad Rom. 8. *Spe ſalui facti ſunt.* ergo debuit præcipi.

Præceptum de ſpe quomodo ſit datum?

2. Dico ſecundò. *Hoc præceptum de ſpe, non eſt datum per modum aliorum præceptorum, vt ſunt præcepta Decalogi; ſed per modum eorum præceptorum, quæ ſunt præambula ad legem. & tale eſt præceptum præambulum, de fide, & ſpe.* Et *ratio eſt.* quia fides & ſpes diſponunt ad legem Decalogi ſeruandã: nam per fidem credimus Deum eſſe, per ſpem remuneratorem eſſe; & ſic & fide illuſtrati, & ſpe corroborati, ad legem ſeruandam accedimus.

Dico tertiò. *Sicut præceptum de fide proponendum fuit per modum denuntiationis (vt in Tractatu de fide docuimus) ita & præceptum de ſpe, tradendum fuit per modum promiſſionis; vt homines ad legem Dei ſeruandam promiſſionibus Diuinis inducerentur.*

3. *Sed quæres* ſi ſpei habetur præceptum, & cum de natura præceptorum ſit obligare, pro quonam tempore obligabit ſpei præceptum *Reſpondeo* duplex exſtare præceptũ? de ſpe; quoddam eſt affirmatiuũ, & quoddam negatiuum: *negatiui* præcepti hæc eſt natura, quia obligat ſemper & ad ſemper, ita, quód nunquam ſit deſperandum; *Affirmatiuum* verò pro triplici tempore obligat: *primò* cùm quis ad vſum rationis peruenit, eidemq; ſufficienter proponitur Deus, tanquam eius finis & æterna beatitudo; tunc ſine mora tenetur actum ſpei elicere, quo in Deum, tanquam in ſuã beatitudinem, feratur. (Sanhez & Valentia videntur contradicere) *ſecundò* cùm quis in periculo verſatur deſperandi, ob tentationes vehementes, quæ illum ad deſperandum trahunt; tunc tenetur munire ſe contrario actu ſpei, tanquam medio neceſſario; ad vitandum periculum deſperationis: *tertiò* obligatur ex accidenti, cũ vel actus pœnitentiæ, vel charitatis, vel orationis, ex præcepto ſunt exercẽdi, vt pœnitẽs non poſſit validè pœnitere; niſi ſe in ſpem veniæ conſequendæ peccatorum erexerit.

Præceptum de Spe duplex.

Vtilitas magna Spei.

Nota magnam eſſe vtilitatem ad

 piè

piè viuendũ, ſi quis in ſe frequẽtiùs act⁹ ſpei elicuerit: nã ſic ferueũtiùs & ad mandata Dei implenda, & ad pia opera exercenda, accenditur.

QVÆSITVM II.

An de Timore fuerit dandum aliquod præceptum?

4. DIco primò *tam de timore ſeruili, quàm de filiali exſtant precepta.* De timore ſeruili Matth. 10. Lucæ 12 *Timete eum, qui poteſt mittere in gehennam.* De filiali Deut. 10. *Quid Dominus Deus petit à te? niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum.*

Dico ſecundò. *De timore ſeruili bono eo modo exſtare præceptum ſicut & de Spe*: ſed de ſpe eſt per modum promiſſionis: ergo & de timore eſt per modũ cõminationis pœnarũ.

5. Dico tertiò. *Sicut de charitate ita & de timore filiali dantur præcepta in lege.* quia timor filialis eſt quaſi quoddam genus ad dilectionem Dei; eſt etiam principium quoddam omnium eorum, quæ ſunt in Dei reuerentia; eſt denique quoddam præambulum ad actus, qui in Decalogo præcipiuntur.

Nota Præceptum timoris non obligat per ſe, ſed ſolùm in quantum eſt neceſſariũ ad obſeruanda præcepta Dei. Quomodo præceptum timoris obligat?

Nota ſecundò. Omiſſio timoris non facit ſpeciale peccatum, quod neceſſariò in confeſſione eſſet exprimendum. *Ratio.* quia omiſſio timoris Dei, eſt ſolùm conditio quædam cõmunis omniũ peccatorum, quód per illius defectum à peccatis non deterremur: vt cùm quis furatur, aut adulterium cõmittit, id quidem facit omiſſo timore Dei; ſed praxis in confeſſionibus non requiritur, vt hæc ipſa omiſſio timoris exprimatur. Omiſſio timoris non ſpecificat peccatum.

Et hactenus de Spe ſecunda virtute Theologica.

DISPV-

DISPVTATIO
DE
VISIONE DEI
PRÆFATIO.

POſt duos Tractatus expeditos, de Fide & Spe, reſtabat tertius de Charitate; ſed hunc maluimus reſeruare ad principium lectionum, conſulentes profectui ſtudioſorum, qui inchoatas lectiones, tanquam ſemeſſas epulas, faſtidire ſolent. Hoc itaq; reſiduum aliquot ſeptimanarum præſentis Commutationis, quod relictum eſt poſt completum Tractatum de Spe, in Viſione Dei, conſumemus eâ de cauſa, quia obiectum Spei diximus eſſe Beatitudinem; hæc autem in Viſione Dei conſiſtit: vnde conueniens erit, illius modũ ac rationẽ cognoſcere. Ordinem eum hîc ſequemur, quem ſeruat S. Doctor, in *prima parte quæſt. 12.* ſ; erunt tredecim Quæſita.

1. *An Intellectus creatus poſſit videre Deum per Eſſentiam?*
2. *An Eſſentia Dei ab intellectu creato videatur per aliquam ſimilitudinem creatam?*
3. *An Eſſentia Dei oculo corporeo videri poſſit?*
4. *An intellectus creatus per ſua naturalia Diuinam Eſſentiam videre poſſit?*
5. *An intellectus creatus ad videndam Eſſentiam Dei indigeat aliquo lumine creato?*
6. *An videntium Eſſentiam Diuinam vnus alio perfectiùs videat?*
7. *An videntes Deum per Eſſentiam eundem comprehendant?*
8. *An videntes Deum per Eſſentiam omnia in eo videant?*

9. *An ea, quæ videntur in Deo, à videntibus Diuinam Eſſentiam, per aliquas ſimilitudines videantur?*
10. *An videntes Diuinam Eſſentiam, ſimul videant omnia, quæ in ipſo videntur?*
11. *An aliquis in hac vita poſſit videre Deum per Eſſentiam?*
12. *An per rationem naturalem poſſimus Deum cognoſcere in hac vitâ?*
13. *An ſupra cognitionem naturalem, ſit alia in hac vita cognitio per gratiã?*

QVÆSITVM I.

An intellectus creatus poſſit videre Deum per Eſſentiam?

Viſio Dei quot modis ſumatur?

1. NOTA *primò* viſionē Dei quatuor modis ſumi: *primò* pro ea viſione, quãdo Deū non in ſua Eſſentia, ſed in aliqua creata ſimilitudine videmus; vt Moyſes vidit Deum, non in Eſſentia, ſed in rubo ardenti: *ſecundò* pro ea viſione, in quantum Deus vnitus humanitati hypoſtaticæ, viſus eſt in terris, & cum hominibus conuerſatus eſt: *tertiò* pro ea viſione, in quantum Deus in ſuâ creaturâ, quæ eſt imago, & veſtigium Dei, cernitur. Ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. quartò* pro ea viſione, qua Deus in ſeipſo, & per ſuam Eſſentiam, intuitiuè & clarè cernitur: ita, quód videre Deum per Eſſentiam, eſt eum intelligere quiditatiuè: ita, quód omnia prædicata, non modò communia eſſentialia, ſed etiam quiditatiua, cognoſcat; cognoſcendo ea omnia, quæ reperiuntur in illo ſummo Ente, quod eſt ipſe Deus, & SS. Trinitas: ita, quód intellectus exſatiatus, vlteriùs in cognoſcendo non progrediatur. & hoc quarto modo ſumimus hic viſionem Dei.

Qui Hæretici negabant poſſe videri Eſſentiã Dei &c.

Nota ſecundò fuiſſe quoſdam Hæreticos (vt erant Almaricus, & Abagilardus) qui negabant Eſſentiã Dei, poſſe videri ab intellectu creato; ſed ſolùmmodo videri claritatem illius, etiam in illa cæleſti beatitudine.

Intellectus creatus poteſt videre Deum clarè &c.

2. Dico primò. *Intellectus creatus tam Angelicus quàm humanus, poteſt videre Deum clarè & euidenter, ſecundùm ſuam Eſſentiam.* PROBATVR Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi videbunt Deum.* Loquitur de viſione, illiuſque obiectum, non charitatem, ſed Deum ſtatuit. Et Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei.*

Corollaria duo.

Ex quo inferũtur duo *primo* ſi vident Angeli faciem patris. ergo & homines videbunt. nam ex cap. 22. *Erunt ſicut Angeli Dei, Secundò* per *faciem patris*, intelligi realem præſentiam obiecti, & claram illius viſionem. vt enim amicus intuendo faciem amici, videt illum intuitiuè & clarè; ita intellectus creatus Eſſentiam Dei clarè & intuitiuè videbit. Et 1. Ioan: 3. *Videbimus eum, ſicuti eſt* Atqui Deus per Eſſentiam eſt, ergo per Eſſentiam videbitur.

Quid per faciem patris intelligendum?

3. Nota

Vox vidēdi quid ſignificet?

3. *Nota* vox *videndi* non ſignificat in his locis Scripturæ, actionem oculi corporei, ſed notitiam ſpiritualem intellectus; & quidem tam claram, & euidentem, vt ſicut oculus colores, figuraſq; ad lumen ſolis clarè intuetur; ita Beati intellectus clarè & euidenter, Eſſentiam Dei intuetur. Idem Concilia tenent, vt Francofordienſe in Epiſtola ad Epiſc: Hiſp; vbi hæc verba habentur. *Prædicemus eum Deum verum, & vnum, & vere filium Dei; vt ad illius beatiſſimam viſionem peruenire mereamur; in qua eſt æterna beatitudo, & beata æternitas.* Et Concil: Florentinum. Seſſ: vltimà definit inter alia eos, qui ſuſcepto baptiſmo, aut peracta pœnitentia, in gratia deceſſerint, mox in cælum recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & vnum, ſicuti eſt. Idem SS. Patres docent D. Auguſt: lib: 22. de Ciuit: Dei cap. 29. vbi dicit. *Præmium itaq; fidei, nobis viſio iſta ſeruatur de qua Ioannes dicit; cum apparuerit, ſimiles illi erimus: quia videbimus eum, ſicuti eſt.*

4. Probatur *ratione* S. Doct: ſi nullus intellectus creatus videret Deum; ſequeretur, quód intellectus creatus, nunquam ſuam felicitatem conſequeretur; vel quód illius beatitudo, in alio conſiſteret quàm in Deo. ſed vtrumq; falſum. Ergo. *Sequela* Quia vltima beatitudo hominis, conſiſtit in altiſſima eius operatione, quæ eſt intelligere; hæc autem vltima felicitas creaturæ rationalis, conſiſtit in coniunctione ad Deum: nam vnumquodq;, in tantùm eſt perfectū, in quantum eſt ſuo principio coniunctum. ergo felicitas hominis in viſione Dei.

Ratio ſecunda Quandocunq; homo intuetur, & agnoſcit aliquos effectus; etiam naturaliter deſiderat cognoſcere cauſam. ſed homo intuetur multos effectus Dei, & in quātum eſt author naturæ, atq; etiam gratiæ. ergo deſiderat naturaliter videre ipſum Deum. *Deinde* omnis potentia ſenſitiua, fertur in ſuū obiectū, circa quod verſatur: ita potentia viſiua, luminoſum & coloratum; auditiua verò quemlibet ſonum attingit. ergo & intellectus, tanquam nobilior potentia, quæ inferiorum ſub ſe potentiarum comprehendit perfectiones, ea intelliget, quæ intra latitudinem ſui obiecti continentur. ſed Deus intra latitudinem obiecti continetur: nam obiectum intellectus eſt Ens, in quántum Ens; Deus autē eſt ſummū Ens, idemq; actus puriſſimus. ergo ab intellectu creato intelligetur.

Obiectio.

5. *Sed obijcies.* Plurima loca Scripturæ affirmant, omnino impoſſibile eſſe, vt Deus videri poſſit. Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam* 1. Ad Timot: 2. *Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili* Et cap. 6. *Lucem habitat inacceſſibilem; quam nemo vidit hominum, nec videre poteſt. Reſpondeo & dico primò*, Deum eſſe inuiſibilē, quoad oculum corporeum, nam (vt inferiùs patebit) per nullam potentiam fieri poteſt, vt oculus corporeus eleuetur ad videndum Eſſentiam Diuinam, prout eſt in ſe. *Secundo dico*, intelligendum de ſtatu præſentis vitæ, in qua nemo hominum vidit Deum, per fidē enim ambulamus. *Tertiò dico*, dicitur *inuiſibilis Deus*, hoc eſt, incomprehenſibilis. *Quartò dico* hæc loca Scripturæ in-

Solutio obiectionis prima Deus quomodo inuiſibilis?

Quomodo loca Scripturæ interpretãda de viſione.

ræ intelligenda eſſe de viſione; quæ per vires naturæ haberi poteſt: nam nemo ex viribus naturæ, videre poteſt Deum; cum hoc ſit ex dono gratiæ.

Obiectio altera.

6. *Sed iterum inſtabis.* Oculus corporeus non poteſt videre Angelum. ergo nec intellectus creatus poterit cognoſcere intuitiuè Deum. *Conſequentia.* Magis enim diſtat intellectus creatus à Deo, quám Angelus à viſu corporeo: nam Deus ſimpliciter eſt infinitus; Angelus verò & oculus, ſunt finiti.

Solutio obiectionis.

Reſpondeo. Deus & intellectus noſter, ſimiliter viſus & Angelus, dupliciter conſiderari poſſunt: *Primò* in ratione Entis, vt ſunt quædam entitates, & ſic concedimus, quód Deus, qui eſt infinitus, magis diſtat ab intellectu creato; quám Angelus ab oculo; ſiquidem ſunt entitates finitæ, *Secundò* conſiderari poſſunt, vt habent rationem potentiæ & obiecti; & ſic iam magis diſtat Angelus ab oculo corporeo, quám Deus ab intellectu creato. *& ratio* quia oculus pro obiecto habet luminoſum & coloratum. ſed Angelus non eſt coloratus, nec lumine ſenſibili affectus: vnde plurimùm diſtat ab oculo; Deus autem intra latitudinem obiecti adæquati intellectus continetur: nam ſecundùm Methaphyſicos obiectũ intellectus eſt Ens; Deus autem eſt ſummum Ens; vnde in ratione obiecti, non diſtat Deus ab intellectu creato.

Beati de facto vident Eſſentiam Diuinam.

7. Dico ſecundò. *Beati de facto vident Diuinam Eſſentiam.* PROBATVR. Quia animæ boni latronis dictum: *Hodie mecum eris in paradiſo.* vbi ergo fuit anima Chriſti, poſt per actum myſteriũ paſſionis; ibi fuit ea anima boni latronis. ſed anima fuit in gloriâ Patris, quæ hîc nomine *Paradiſi* ſignificatur. Ergo ibidem in gloria Dei fuit anima latronis. Et Concil. Trident. Seſſ. 25. de beatis dicit, quod viuunt & regnant cum Chriſto. Sed viuere & regnare cum Chriſto, non aliud eſt, quã frui æterna beatitudine, quæ quidem in clara Dei viſione conſiſtit. *Et ratio eſt.* Nihil eſt, quod poſſit remorari beatos. à viſione Dei intuitiua; quia ſupponimus, quód ex hac vita deceſſerint in gratia, & in charitate, & quód plenè pro ſuis peccatis ſatisfecerint. ergo admittuntur ad beatam viſionẽ Dei. *Confirmatur.* Lucæ 16. dicitur de Epulone diuite: *Mortuus eſt diues; & ſepultus in inferno*: hoc eſt, cuiuslibet damnati, anima ſimul atq; ex corpore egreſſa fuerit, adiudicatur pœnis inferni. ergo & anima iuſti, ſi nihil in ea fuerit purgandũ, admittetur ad claram Dei viſionẽ, nam par debet eſſe ratio.

8. Hæc doctrina eſt Catholica contra Caluinum *lib.* 3. *Inſtit.* contra Vigilantium, & quoſdam Græcos Patres, qui docent, quód nulla anima iuſtorum, ante diem iudicii viſura eſt Eſſentiam Dei, quod confirmãt his locis Scripturæ Mat. 20. *Adueniente veſpere, reddita eſt operariis merces laboris* Ergo etiam in veſpere mundi; hoc eſt in die iudicii, præmia diſtribuentur. Et D. Paulus ad Timoth. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex in illa die.* Apocalip 6. *Suſtinete adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum.*

Caluini & aliorum er- [illegible]

Reſpondeo. hæc loca Scripturæ adducta,

ducta, loqui quidem de iudicio generali, ſed non excludũt iudicium particulare, quod fit poſt mortem cuiuslibet, & in quo animabus iuſtis, præmium vitæ æternæ redditur: iniuſtis verò quæ in ſtatu peccati ſine pœnitentia deceſſerunt, ignis gehennæ adiudicatur.

Reſpondeo ſecundò. quód hæc eadẽ loca loquuntur de completa, & totali beatitudine; quæ erit animæ & corporis: & hæc reddetur vnicuiq; in iudicio generali; ſed cum hoc optimè cohæret, quód qualibet anima poſt exitum ſuum à corpore ſtatim debitam ſuis factis mercedem recipiat.

Sed vrget Caluinus. ſi iam de facto animæ iuſtorum fruuntur beatitudine, quomodo dicetur verè? *Venite benedicti Patris, poſſidete regnum.* Obiectio Caluini.

RESPONDEO, id verè Chriſtum D. dicturum: quia tunc vnuſquiſq; iuſtorum, completè & totaliter, etiam quoad corpus, conſequetur beatitudinem; quam ſolùm in parte, v. in anima habebat. Solutio eiꝰ

QVÆSITVM II.

An Eſſentia, ab intellectu creato, per aliquam ſimilitudinem videatur;

9. CVm iam conſtet poſſe videri, & quod de facto videatur à Beatis Eſſentia Diuina; hîc de modo & ratione, per quam videatur, inquirimus pro reſponſione ad Quæſitum doctrinam S. Doctoris verè Angelicam colligo, &

Ad viſionẽ quę & quot requirãtur? Dico primò. *Ad viſionem, tam ſenſibilem, quàm intellectualem, tria requiruntur ſ. virtus viſiua, Res viſa, vnio rei viſæ cum vidente:* nam viſio non poteſt eſſe actu, niſi res viſa vniatur aliquo modo virtuti viſiuæ.

Modus vnionis quo res viſa cum virtute viſiua vnitur quotuplex? 10. Dico ſecundò. *Modus vnionis, quo res viſa cum virtute viſiua vnitur, duplex eſt.* PRIMVS *per ſimilitudinem,* quod tunc accidit, quando ſubſtãtia rei viſæ, non poteſt ipſa per ſe vnire ſe virtuti viſiuæ, vt lapis ſecundùm ſuam ſubſtantiam, non poteſt ſe vnire oculo. ergo debet ſe vnire per ſui ſimilitudinem abſtractam: vnde in oculo non eſt ſubſtantia lapidis, ſed ſimilitudo illius, per quam fit viſio in actu. ALTER *per Eſſentiam,* quod tunc accidit, quando res viſa eſt talis Eſſentiæ, quæ non poteſt habere ſui ſimilitudinem, repræſentantem ſe ſicuti eſt: tunc illa res debet ſe per ſuam eſſentiam vnire virtuti viſiuæ, vt ſit actu viſio; & talis eſt ſola Eſſentia Diuina (vti inferiùs patebit).

11. Dico tertiò. *Hæc ſimilitudo, quæ eſt ratio intelligendi, aut ſe tenet ex parte virtutis viſiuæ? aut ex parte rei viſæ?* Quód ſimilitudo ſit ex parte intellectus, quæ eſt virtus viſiua, *deducitur.* ad viſionem neceſſariò præſupponenda eſt virtus viſiua, quæ eſt intellectus, & hæc non eſt à re viſa; eademq; non eſt Eſſentia Diuina.

uina, ergo erit participata ſimilitudo Eſſentiæ Diuinæ: vnde virtus intellectualis creaturæ, dicitur eſſe lumen intelligibile, à prima luce, quæ eſt Deus, deriuatum; & hæc virtus intellectualis, quam dicimus eſſe ſimilitudinem participatam ab Eſſentia Diuina, vt poſſit videre intuitiuè Deum, neceſſe eſt, vt ad gradū altiorē, v. ad ſupernaturalē eleuetur, & ſic per lumen gloriæ corroboratur & eleuatur.

Ex parte Eſſentię Diuinæ nulla requiritur ſimilitudo.

12. Dico quartò. *Ex parte rei viſæ, hoc eſt, ipſius Eſſentiæ Diuinæ, non requiritur aliqua ſimilitudo, ſeu ſpecies creata.* PROBATVR. res ſuperior non videtur per ſimilitudinem inferioris; vt per ſpeciem corpoream, non poteſt videri Eſſentia rei incorporeę. vt Angeli: ſed ſimilitudo creata eſt res inferior; Eſſentia autē Dei eſt res ſuperior: ergo per eam videri non poteſt. *Deinde* Eſſentia Dei eſt ipſum ESSE eius: ſed nulla ſimilitudo poteſt eſſe ipſum *eſſe*, nam aliàs eſſet Deus: ergo nulla ſimilitudo datur repræſentans Eſſentiam Dei. *Præterea* omnis res creata eſt determinata ad certum ſuum genus: ergo per ſimilitudinem, quæ quidem eſt res creata, non poteſt Eſſentia Dei videri; cùm ſit infinita ſecundùm ſuum modum eſſendi, & intelligendi.

Eſſentia Diuina per quid videtur ab intellectu beati?

13. *Sed quæres.* Si Eſſentia Diuina non videtur ab intellectu beati, per ſimilitudinem, per quid igitur videtur? *Reſpondeo* quód ipſa Eſſentia Diuina ſupplet vicem ſimilitudinis, ſeu ſpeciei intelligibilis; ita quód Eſſentia Diuina vnita intellectui, longè perfectiùs id præſtat, quàm ſolet ſpecies intelligibilis: nam concurrit ex parte obiecti ad eam viſionem reddēs intellectum potentem ad videndum. Sed de hac re inferiùs. iam verò cum ſimilitudo, ſeu ſpecies ſit duplex; impreſſa & expreſſa, hîc iam oritur controuerſia; an aliqua harum ad viſionem Diuinæ Eſſentiæ ſit neceſſaria? Et.

Similitudo ſeu ſpecies duplex.

Nota primò, quód ſpecies impreſſa eſt, quæ exit ab obiecto, vt obiectum, & diſponit intellectum ad cognoſcendum, & cum eo concurrit ad ipſam intellectionem actu producendam ſpecies autem expreſſa eſt, ipſa actio intelligendi, ſeu verbum mentis, ſeu terminus cognitionis. Vnde differunt dupliciter. *Primò* quód ſpecies impreſſa ſit ratio cognoſcendi obiectum repræſentatum, ſed non eſt res cognita; nam cognitio intellectus, non terminatur ad ſpeciē impreſſam, ſed ſolùm ad obiectum in ea repræſentatum, ita quód obiectum cognoſcatur, non autem ſpecies impreſſa. Expreſſa verò nec eſt ratio cognoſcendi obiectum; nec ipſum obiectum cognitum: ſed eſt ipſa cognitio, ſeu verbum mentis, vel terminus cognitionis. *Differunt ſecundò*, quód ſpecies impreſſa, habitu & potentia repræſentat obiectum; vnde dicitur ſpecies habitualis: expreſſa verò repræſentat actu obiectū cognitum; vnde dicitur ſpecies actualis. Hoc præmiſſo.

Species impreſſa quæ eſt?

Species expreſſa quæ?

Quomodo differantiæ ter ſe?

14. Dico primò: *intellectus Beati, ſine vlla ſpecie impreſſa repræſentante, videt Diuinam Eſſentiam ſicuti eſt*, Ita Caiet: hîc Capr. *in 4. diſt.* 49 *quæ*: 5. Durandus *quæſt*: 2. Marſilius *in* 3. *quæſt*: 10. Scotus quoq; *in* 4. *diſt*: 49. *quæſt*: magis in hanc partem propendent.

Intellectus beati ſine vlla ſpecie impreſſa & videt Eſſentiam Diuinam.

Ratio

Ratio prima. Species impreſſa ideò ad intellectionem eſt neceſſaria, vt per eam detur vnio inter intellectum, & rem intellectam. ſed intellectui Beati poteſt vniri Eſſentia Diuina, ſine vlla intermedia ſpecie impreſſa, illam repræſentante; quia Diuina Eſſentia propter ſuam immenſitatem, & immaterialitatem, eſt intimè vnita intellectui Beatorum. ergo non requiritur ſpecies impreſſa.

Ratio ſecunda. Tũc ſpecies impreſſa eſt neceſſaria ad intellectionem; quando obiectum per ſe ipſum nequit eſſe præſens intellectui cognoſcenti: ſed Eſſentia Diuina propter ſuam immenſitatem, qua omnia implet, eſt præſentiſſima intellectui Beatorum: ergo nõ eſt neceſſaria.

Ratio tertia. ſpeciei impreſſæ actiuitas, quoad actum intelligendi, eſt in genere cauſæ efficientis. ſed quidquid cauſa ſecunda efficiens poteſt, id ſuperior v. Deus, ſeipſo producere poteſt: ergo & actiuitatem impreſſæ ſpeciei ſupplere poteſt; v. ſeipſum immediatè conſtituendo intellectui Beatorum. ergo non erit neceſſaria ſpecies impreſſa.

Ratio quarta. ſpecies impreſſa tũc eſt neceſſaria, quando obiectum non eſt ſatis abſtractum, nec ſatis ſpirituale: ſed Eſſentia Diuina ſecundùm ſe, eſt maximè abſtracta & magis ſpiritualis, quam vlla res creata: ergo impreſſa non eſt neceſſaria. *Confirmatur* Angelus & anima ſeparata à corpore, ad ſui propriam cognitionem, non indiget vila ſpecie impreſſa, ea de cauſa: quia quilibet Angelus, & quælibet anima ſeparata, ſatis eſt ſpiritualis, & ſatis vnita ſuo intellectui ſed Deus eſt magis ſpiritualis, quàm vlla creatura, idemq; magis vnitur cuilibet rei creatæ, quàm ſubſtantiæ ſuis accidentibus vniantur: ergo ad claram viſionem Eſſentiæ ſuæ, non indiget Deus vllà ſpecie impreſſà.

15. *Sed inſtat* hic Aureolus maximè contra rationes D. Th. productas, arguendo, quód non ſint efficaces, ex eo, ſi dixerimus quód ſpecies intelligibilis, aut conſideratur in eſſendo, & ſic non eſt neceſſe, vt ſpecies ſit eiuſdem perfectionis & infinitatis cum Deo; aut conſideratur in repræſentando, & ſic dicit, quód ſpecies in quãtum eſt repræſentatiua, poſſit dari, quæ ſit eiuſdem ordinis obiectiuè cum Diuina Eſſentia, quam repræſentat. vnde propoſitionem D.Th hanc; quód *omnis ſpecies creata ſit inferioris ordinis, quám Deus* arguit falſitatis. Obiectio Aureoli.

Sed contra dico Fundamentum S. Doct. eſſe, quód omne Esse creatum in infinitum recedit ab ipſo Deo, ita quód nulla creatura poſſit gerere ſimilitudinem cum Deo, niſi modo remoto analogo, & imperfecto: nam rei creatæ *eſſe* eſt *eſſe* participatum; Esse autem Dei eſt ipſa Eſſentia per ſe ſubſiſtens, & ideo Esse Dei infinitum eſt. *Ex quo collige* verum eſſe, quod dicit S. Doctor; quód nulla creatura ad eum ordinem, etiam in repræſentando, in quo eſt Deus, reduci poteſt. Nulla creatura poteſt gerere ſimilitudinem cùm Deo niſi modo analogo & imperfecto Corollariũ.

16. *Ad diſtinctionem Aureoli dico* quód quamuis quoad alia obiecta, quæ ab intellectu creato cognoſcuntur, poſſit ſtare hæc diſtinctio, Ad Aureoli diſtinctionem reſpondetur.

ctio, quód alia ſit in eſſendo, & alia in repræſentando, & quód ſpecies in repræſentando ſit eiuſdem perfectionis cum re, quam repræſentat; ita quód ſi per impoſſibile res creata eſſet infinita, etiam ſpecies repræſentaret illam infinitam perfectionem: tamen reſpectu Dei nullus poteſt eſſe effectus, qui ipſum repræſentet ſicuti eſt: quia nullam proportionem cum Eſſentia Diuina, etiam in ratione repræſentandi, habere poteſt.

Species in eſſendo & ſpecies in repræſentãdo idem ſunt.

Tandem dico. *quód tam ſpecies in eſſendo, quàm ſpecies in repræſentando, idem ſunt*; quia idem habent *eſſe*, v. imaginis & repræſentationis, reſpectu obiecti. ergo fruſtra hæc inter ſe diuiduntur, tanquam oppoſita.

Impoſſibile eſt dari expreſſam ſimilitudinẽ creatã &c. inqua videatur Deus clarè &c.

17. Dico ſecũdò. *Sicut impoſſibile eſt dari aliquam ſpeciem impreſſam, quæ ſit repræſentatiua Dei ſicuti eſt, ita etiam impoſſibile eſt dari expreſſam ſimilitudinem creatam, in qua tanquam in imagine creata, videatur Deus clarè & euidenter ſicuti eſt*. ita tenet Henric. Gand. *Quodl. 3. q. 4.* Capr. *in 4. diſt. 49. q. 5. a. 3.* Caiet. Feranenſis dicit vtrũq; probabiliter in via S.D. poſſe teneri, v. & quód detur & quód nõ detur

Probatur ſimilitudo expreſſa eſt verbum mentis, in quo intuitiuè rem intellectam videmus: ergo hoc verbum ſic repræſentans Deũ, deberet eſſe infinitæ perfectionis; ſed hoc implicat contradictionẽ, quód ab intellectu creato producatur effectus, qui ſit infinitæ perfectionis; nam eſſet intellectus & finitus, & infinitus: finitus ex natura ſua; infinitus verò, quód effectum infinitum producat. *Sequela.* Verbum in Diuinis productum, ideo eſt infinitæ perfectionis, quia eſt imago & ſimilitudo quidditatiua Dei. ſed ſpecies expreſſa in intellectu Beati. eſt ſimiliter imago quidditatiua Dei: ergo eſſet infinitæ perfectionis.

Probatur ſecundò per ſpeciem ordinis inferioris, non poteſt obiectum ſuperioris ordinis videri, vt per ſpeciem à corpore abſtractam, non poteſt Angelus videri, & per ſpeciem ſpiritus creati non poteſt videri Deus. ergo nec per aliquod verbum, quod ſemper eſt inferioris ordinis, quia eſt creatura, poterit videri Deus.

Quare beati non producunt ſpeciẽ expreſſam?

18. *Sed quæres.* Cur Beati non producunt ſpeciem expreſſam? quidam dicunt, quia obiectum beatificum, hoc eſt, Eſſentia Dei, eſt præſens intellectui Beati. ſed hoc temerè dicitur: nam Angelus intelligendo ſemetipſum, producit verbum, quamuis natura Angelica ſit illi præſentiſſima: *ſimiliter* Eſſentia Diuina eſt præſentiſſima intellectui Diuino, & tamen Deus ſeipſum intelligendo producit Verbum. *vnde* potiùs dicendum, ideo intellectum Beati non producere hanc ſpeciem, quia non poteſt, nam produceret effectum, qui excedit vires actiuitatis illius.

Obiectio.

19. *Sed dices.* Beati vident Deũ, & intelligunt finito modo: ergo & verbum finitum producent? *Reſpõdeo* quód Beati finito quidem modo comprehendant Deum, ſed tamen infinitum vident; vnde & verbum, ſi quod producerent Beati, deberet infinitum Deum repræſentare, quod quia eſſe nequit, ideo non producunt verbum.

Solutio eſt.

Obiectio altera.

Dices ſecundò. Quælibet ..tio habet

bet ſuum terminum: ſed viſio eſt actio: ergo debet habere terminũ. hic autem eſt ſpecies expreſſa, ſeu verbum, ad quod terminatur viſio Beati. *Reſpóndeo* quód vt cuiuſlibet actionis, ita etiam & viſionis debet eſſe terminus: ſed negamus, quód ille terminus ſit productus per viſionem. Dicit enim D. Th. *3 con: gen. cap. 100.* per viſionem nõ produci aliquid. Et 9. Metaph. lectione 8. textus eſt Ariſtotelis 16. quód potentiæ viſiuæ vltimus finis eſt viſio, & quód præter viſionem non eſt aliquod opus. vnde finis actionis tranſeuntis eſt aliquid ad extra productum, non autem actionis immanẽtis: nam hæc tendit in obiectũ, ſecundùm quod eſt intra ipſum intellectum. vnde ſicut viſio coloris terminatur ad colorem, qui tamen per illam viſionẽ non producitur; ita intellectus Beati tendit in Deum, tanquam in terminum viſionis, qui tamen per illã viſionem non producitur.

Solutio eiuſdem.

Intellectus Beati quando videt Eſſentiam Diuinã videt eã per eandem Diuinam Eſſentiam?

20. Dico tertiò. *Intellectus Beati quando videt Eſſentiam Diuinam, videt eam per eandem Diuinam Eſſentiam, ita quód in tali viſione Eſſentia Diuina eſt, & quod videtur, & quo videtur; hoc eſt, habet & rationem obiecti quod videtur. & rationem ſpeciei intelligibilis, per quam videtur.* PROBATVR. ſicut enim intellectus Beati, non poteſt formare ſpeciem impreſſam, per quam videat Eſſentiam Diuinam; ita idem intellectus non poteſt formare verbum, ſeu ſpeciem expreſſam, in qua per ſuam intellectionẽ videat Deum: ergo neceſſe eſt, vt in locum ſpeciei intelligibilis ſuccedat Eſſentia Diuina, ita quód hæc ſit immediatus terminus intellectionis.

Probatur ſecundò, Quatuor ſunt officia ſpeciei intelligibilis: *primum* quia inhæret ſubiecto, & illud actuat: *ſecundum* quia repræſentat obiectũ ſicuti eſt: *tertium* concurrit actiuè cum intellectu ad productionem intellectionis: *quartum* efficit intellectũ actu intelligẽtem ſed excepta inhærentia, & alijs ſoiunctis imperfectionibus, reliqua officia ſpeciei intelligibilis, præſtat Eſſẽtia Diuina, vnita intellectui ergo vicẽ ſpeciei intelligibilis ſupplet

Officia ſpeciei intelligibilis quot.

Ideo inhærentiam adimimus; quia dicit imperfectionem, quæ Deo tribui non debet. *Tum* quia non eſt ſemper neceſſarium, vt illud principium, per quod potentia operatur, eidem potẽtiæ inhæreat: nam coloratum mediante lumine producit ſpecies; & tamen coloratum non inhæret lumini. ſimiliter intellectus agens, mediante phantaſmate producit ſpecies; & tamen nec intellectus phantaſmati, nec phantaſmata intellectui inhærent. *Ita* cùm intellectus Beati videt Eſſentiam Diuinam; per eandem Eſſentiam, non eſt neceſſe, vt inhæreat intellectui: ſed ſicut ſpecies intelligibilis vnita intellectui conſtituit intellectum in actu, eũque potentem efficit, vt poſſit elicere actum intelligendi, circa illud obiectum, quod illi repręſentatur: ita Eſſentia Diuina vnitur intellectui, ad inſtar formæ in *eſſe* intelligibili, & per ipſam intellectus Beati eſt actu intelligens.

21. *Sed quæres.* An hæc Eſſentia Diuina concurrat efficienter ad viſionem Beatorum? *Reſpondeo* probabiliùs eſſe, quód efficienter concurrat, dicit enim D. Th. *3. con. gen.*

 cap:

Eſſentia Diuina cócurrit efficienter ad viſionem beatorum.

cap. 51. quód Eſſentia Diuina eſt quid actualiſſimum in genere intelligibilium: ergo vnita intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, efficit intellectum actu intelligentem. *Tum* quia Deus, quamuis non ſit forma inhærens, ſicut ſunt formæ rerum naturalium; eſt tamen forma in genere intelligibilium: nullum autem intelligibile eſt tam actuale, vt Deus. ergo ad viſionem concurrit efficienter.

QVÆSITVM III.

An Eſſentia Diuina poſſit videri oculis corporalibus?

Impoſſibile eſt vt ſenſus oculorum videat Eſſentiam Diuinam.

22. DICo cum S. Doctore. *Omnino eſſe impoſſibile, vt ſenſus oculorũ videat Diuinam Eſſentiam. Probatur.* Potentia viſiua ſenſitiua eſt organum corporeum, eſt quoq; Actus corporis, debet igitur cõmenſurari ipſi corpori; ergo extra corporalia ſe non extendit. ergo cum Deus ſit incorporeus, vis oculorum non poterit pertingere ad Eſſentiam Dei videndam.

Obiectio.

Sed dices. licet oculus corporeus pro hoc ſtatu nõ poſſit videre Deum tamẽ oculus glorificatus poterit. Ita Iob loquitur cap. 19. *In carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Et D. Auguſt. lib. de Ciuit. *vlt. cap. 29.* videtur quandam vim præpotentem oculis beatorum tribuere, vt etiam incorporea poſſint videre (vt habetur in litera articuli.) *Reſpondeo;* quód oculus corporeus, etiam glorificatus, nõ poteſt videre Diuinam Eſſentiam. *Probatur.* Expreſsè enim Scriptura loquitur, Deum eſſe inuiſibilem, hoc eſt, (vt SS. Patres explicant) Deum comparatum ad oculum corporeum, eſſe inuiſibilẽ. *Tum.* Quia omnino repugnat, vt aliqua potentia in id feratur, quod eſt extra latitudinem illius obiecti adæquati, nam aliàs eſſet adæquatum, & non eſſet adæquatum, ſed Deus eſt extra latitudinem, obiecti adæquati potentiæ viſiuæ, nam huius potentiæ obiectum adæquatum eſt coloratum, Deus autem non eſt coloratus: ergo oculo corporeo videri non poteſt.

Oculus corporeus etiam glorificatus Eſſentiam Diuinam videre non poteſt.

Obiectio tertia.

23. *Sed rurſum dices* id verum eſſe de oculo, intra terminos propriæ naturæ relicto; ſed in quantũ oculus ſubijcitur Diuinæ omnipotentiæ, per ſuam potentiã obedientialem, ita iam attingere poterit ea obiecta, quæ ſunt extra latitudinem obiecti adæquati. ergo poterit videre Deum, eo modo, vti ignis eleuatus virtute Diuina attingit Spiritus & animas, calore & vſtione. & aqua in Sacramento Baptiſmi, dum corpus tangit, eleuatur virtute Diuinâ, vt cor abluat, & ex anima maculam originalem emundet? *Reſpondeo*, quód nullus ſenſus, atq; etiam oculorum, eleuari poteſt etiã virtute Diuinâ, ad videndam Eſſentiam Diuinã: nam hoc eſt penitus ſupra vires potentiæ

Solutio eiuſdem.

tiæ viſiuæ, vt feratur extra latitudinem ſui obiecti. *Quod verò ignis*, & aqua Baptiſmi, eleuentur, vt agant in ſpiritualia; *dico* ideo eleuari, quia hoc non eſt ſupra vires naturæ: nam cum corpus agit in Spiritum, comparatur corpus ad Spiritum, vt efficiens ad effectum: vnde virtute Diuina eleuari poteſt, vt agat in Spiritum. ſed potentia ſenſitiua viſiua cōparatur ad obiectum, tanquam ad cauſam formalem; Deus autem non poteſt ſupplere cauſam formalem, non enim poteſt facere album ſine albedine ita non poteſt eleuare ſenſitiuam facultatem, extra latitudinem ſui obiecti, vt videat Spiritum.

Quare ignis inferni & aqua Baptiſmi eleuantur vt agāt in ſpiritualia?

24. *Quoad oculum glorificatum* dico quoſdam tenuiſſe, idq; ob ſaluanda loca Scripturæ, Deum videndum eſſe à beatorum oculis in ſpecie ſenſibili repræſentāte quodammodo Eſſentiam Diuinam: ſed hæc ſententia ſubſiſtere nequit, ſiquidē iam deductum eſt. nullam poſſe dari ſpeciem, quæ poſſit repræſētare Deū. *vnde* verior ſentētia quæ interpretatur loca Scripturę de humanitate Chriſti, quā quilibet Beatus videbit oculis ſenſibilibus.

Tum. quia Iob dicit ſe viſurum in carne, non autem per carnem, quia poſt diem reſurrectionis anima vnita corpori videbit Diuinam Eſſentiam, non oculis corporeis, ſed mentis. *Quoad* D. Aug. dico, illum in adductis locis non affirmare certò, ſed dubitare. ſed alibi expreſſè docet, quód Deus oculis corporeis videri non poteſt.

Sed quæres. Cur oculo non conueniat videre Eſſentiam Diuinam. *Reſpondeo* quia viſio Diuinæ Eſſentiæ ex ſe eſt intellectio, impoſſibile autem eſt, vt aliquid intelligat, niſi in eo detur vis intellectiua: ſed oculus non habet vim intellectiuam: ergo non conuenit illi videre Eſſentiam Dei. *Tum* quia de ratione viſionis Diuinæ Eſſentiæ eſt, vt ſit vitalis actio, non alterius vitæ, quàm ſpiritualis. ſed oculo corporeo, non conuenit vita ſpiritualis. ergo neq; conueniet videre Eſſentiam Dei.

Quare oculo non conueniat videre Eſſentiam Diuinam.

QVÆSITVM IV.
An Intellectus creatus per ſua naturalia poſsit videre Eſſentiam Diuinam?

25. DIco primò. *Ad videndam Eſſentiam Diuinam clarè & intuitiuè, non eſt ſufficiens intellectus creatus per ſua naturalia.* PROBATVR Ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna* Pſal: 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: ſed vita æterna, & gloria, in viſione clara Eſſentiæ Diuinæ conſiſtit: ergo ſi hæc per gratiam. ergo & viſio per gratiam: ergo non per naturalia.

Deinde. 1. ad Tim. 6. *Deus lucem habitat inacceſſibilem*, v. viribus naturæ *Præterea* naturalis cognitionis acquirendæ duo ſunt inſtru-

menta, Auditus & viſus: ſed hæc excluduntur, quód non poſſint pertingere ad Eſſentiam Dei. *oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcendit &c.* ergo per naturalia Deus videri non poteſt.

Tandem. SS. Patres, qui erant amici Dei, poſtularunt à Deo viſionem Eſſentiæ Diuinæ & ideo poſtularunt, quia eam viribus naturæ videre non poterant, vt Moyſes Exodi 33. *oſtende mihi Domine faciem tuam.* Et Philippus Ioan: 14. ad Chriſtum dicit; *oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis* Et *Ratio eſt.* S. Doct: cognitio fit, ſecũdùm quód cognitum eſt in cognoſcente, & cognitum eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis: ſed modus Eſſentiæ Diuinæ, excedit omnem modum eſſendi cognoſcentis naturalis. ergo naturaliter non poteſt cognoſci. *Minor.* proprius modus Eſſendi Dei, eſt Esse ſuum per ſe ſubſiſtens: ſed nullus intellectus creatus, eſt ſuum *eſſe per ſe ſubſiſtens.* ergo excedit modus Eſſendi Diuinus, intellectus creati modum Eſſendi. *Declaratur.* animæ enim in hoc ſtatu vt eſt in corpore, connaturale eſt, vt cognoſcat quidditates rerum materialium, non autẽ ſpiritualium; Angelicus verò intellectus, tam rerum materialium, quám ſpiritualium quidditates cognoſcit; ſolꝰ autem intellectus Diuinus ſuum *eſſe* ſubſiſtens cognoſcit.

Quare cognitum eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis?

26. *Sed quæres.* Quare cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis? *Reſpondeo.* Quia intelligere eſt pati, & cognitum in ſe recipere; & quia omne, quod recipitur, ſecundùm modum recipientis recipitur, ita quód ſit illi accomodatum; vt aqua in vaſe recepta vaſis ſuperficiebus aptatur, ad illius figuram, tanquam ad modum eſſendi vaſis, ſe accomodando. vnde hinc colligitur, quòd omne cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, ita quòd, & cognoſcens & cognitum, debent habere eundem modum eſſendi.

Obiectio.

Sed obijties. Deus ſeu Diuina Eſſentia continetur ſub obiecto intellectus creati. ergo Eſſentiam Diuinam per ſua naturalia videre poteſt? *Reſpondeo* etiam lumen ſolis contineri ſub obiecto oculi noctuæ, & tamen oculus noctuæ, per ſua naturalia non poteſt videre claritatem luminis ſolaris: ita & Eſſentia Diuina continetur ſub obiecto intellectus noſtri (vt iam deductum eſt) idem tamen intellectus in ſuis naturalibus relictus, videre nequit Eſſentiam Diuinam. Et ſicut, ſi oculus noctuæ in ſua imbecillitate confortetur, poteſt pertingere ad viſionem ſolis; ita & intellectus poterit pertingere ad videndám Eſſentiam Diuinam, ſi corroboratus fuerit.

Solutio eiꝰ

Obiectio Scoti.

27. *Sed Scotus in 4. diſt: 49. q. 11. inſtat* contra rationem S. Doct: impugnando illam propoſitionem, *quód modus Eſſendi rei cognitæ non debet excedere modum cognoſcentis*; ſic enim arguit. Ergo intellectus non videbit Eſſentiam Diuinam: quia modus eſſendi Eſſentiæ Diuinæ excedit modum eſſendi intellectus creati. *Reſpondeo.* Quód ratio D. Th: concludit de cognitione naturali quidditatiua perfecta & completa, nam quælibet natura cognoſcens debet

Ad eam reſponſio.

debet perfici ab illis ſpeciebus, quę ſint illi proportionatæ; illæ autem cenſentur eſſe proportionatæ, quæ deſumuntur à rebus habentibus ſimilem modum eſſendi cum natura cognoſcente; vt potentia viſus, quia habet modum eſſendi materialem idcirco naturaliter apta eſt perfici ſpeciebus materialibus, ſimiliter intellectus noſter, cum ſit potentia animæ habens modum eſſendi in corpore, naturaliter perficitur à ſpeciebus, quæ à phantaſmatibus ſingularibus abſtrahuntur; & quia Angelus eſt natura intellectualis ſine vlla materia, idcirco naturaliter perficitur à ſpeciebus immaterialibus concreatis ſibi; vnde verum eſt, in naturali cognitione debere modum eſſendi rei cognitæ, cõuenire cum modo eſſendi cognoſcentis.

Ad Scoti argumentũ reſponſio.

28. *Ad argumentum dico*, quamuis Deus, & Eſſentia illius in modo eſſendi excedat intellectum creatum, ex hoc tamen non ſequitur, quód ſimpliciter non poſſit videre Eſſentiam Dei; ſed ſolùm ſequitur, quód naturaliter non poſſit videre, ſed bene ſupernaturaliter, cum viſio Eſſentiæ Diuinæ ſit merè ſupernaturalis. Et *ratio eſt* cur ſupernaturaliter videat. licet enim Deus & Eſſentia illius ſub inadæquato ſubiecto intellectus creati non contineatur, v. ſub quidditate rei materialis, tamẽ ſub obiecto adæquato, quod eſt Ens verum in communi, bene includitur: vnde ab intellectu creato eleuato virtute ſupernaturali, illa ipſa Eſſentia Diuina videri poteſt.

Obiectio altera Scoti.

Sed rurſus inſtat Scotus ſi æqualitas eſſendi inter cognoſcens & cognitum requiritur, ergo Angelus inferior ſupremum Angelũm perfectè non cognoſcet: quia inferior Angelus habet modum Eſſendi inferiorem. *Reſpondeo* quód tam inferior quàm ſuperior Angelus habẽt eundem modum Eſſendi genericum, v. quód ſint immateriales; vnde in hoc modo Eſſendi generico non excedunt ſe: quoniam omnes ſunt ſine materia: habent quoq; naturaliter ſpecies inditas, quæ illis omnem naturam, tam corpoream quàm incorpoream, repræſentant. *Probatur adhuc Dictum* Neq; homo, neque anima à corpore ſeparata, nec Angelus naturaliter videre poſſunt Deũ. ergo Eſſentia Diuina naturaliter videri non poteſt. *Ant. Non homo*; quia hic ad materiam alligatus eſt, vnde illius cognitio ab organis corporeis & à phantaſmatibus dependet. ſed Diuina Eſſentia per organa corporea quidditatiuè videri non poteſt. ergo. *Non anima ſeparata, nec Angelus*; nam aliàs & Dæmones, & animæ damnatæ, cum in illis naturalia maneant, poſſent clarè videre Deum atque ſic naturaliter eſſent beati: quod omnino falſum.

Solutio eius.

QVÆSI-

QVÆSITVM V.

An Intellectus ad videndam Eſſentiam Diuinam, indigeat aliquo lumine creato?

29. DIco primò. *Cùm intellectus per ſua naturalia non poſſit videre Eſſentiam Diuinam (vt iam probatum eſt) idcirco omnino indiget aliqua qualitate ſupernaturali, per quam in* ESSE *ſupernaturali conſtituatur, & ad videndam Eſſentiam Diuinam, quæ eſt ſupra ſuam naturam, eleuetur.* Hæc autem qualitas ſupernaturalis eſt lumen gloriæ, quod quidem non ideo eſt neceſſarium, vt Eſſentia Diuina ſit intelligibilis, ſed vt intellectus creatus ſit potens ad eliciendum actum viſionis circa Eſſentiam Diuinam. Hoc lumen gloriæ non habet ſe vt ſimilitudo, in qua Eſſentia Diuina videatur; ſed habet ſe vt quædam perfectio intellectum corroborans ad vidēdam Eſſentiam Diuinam.

30. Dico ſecundò. *De neceſſitate huius luminis grauem eſſe controuerſiam.* Scot. *in 4. diſt. 49 qu. 11.* aſſerit ad viſionem beatificam nec ſpeciem, nec lumen gloriæ requiri ſed ſufficere dicit, quód ſe Deus & Eſſentia illius præſentem intellectui beati conſtituat. Idem ſentit Duran: *eadem d. 49 qu. 4. Aureol ibidem* neceſſitatem verò luminis gloriæ affirmat S. Th. hic D. Bonauen: Richar: Alber. Marſilius, & alij.

Neceſſariū eſt lumen gloriæ ad videndam Eſſentiam Diuinam.

Probatur. locis Scripturæ. Pſal: 35. *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Ex quo arguo Deus eſt fons vitæ & beatitudinis, ipſumq; lumen inacceſſibile naturali intellectu. ergo indiget lumine, quo diſponatur, vt videre poſſit. Et Pſal: 55. *vt placeam coram Deo in lumine viuentium.* Ex quo arguo. In hac vita ſine lumine fidei, in quo credenda videntur, nemo Deo placet. ergo nec in terra viuentium aliquis placebit Deo ſine lumine, in quo Diuinam Eſſentiam videat. Apoc: 22. *videbunt faciem eius, & non egebunt lumine ſolis: quia Dominus illuminabit illos.* Ex quo arguo. ſicut in hoc ſtatu oculus corporeus indiget lumine, vt colores & facies hominum videre poſſit; ita oculus intellectus beati indiget lumine, non iam ſolis, ſed gloriæ, vt videre poſſit Eſſentiam Diuinam. Ad Epheſ: 5. *Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt,* hoc eſt in lumine videtur. Ex quo arguo. In omni viſione tā externa, quàm interna neceſſariò requiritur lumen: nam oculi corporei ad lumen ſolis vidét colores, & mediante lumine agentis intellectus manifeſtantur ſpecies intelligibiles, & in lumine fidei ſupernaturali myſteria fidei noſtræ credimus. ergo & Eſſentia Diuina ab intellectu videri non poterit, niſi affulgeat lumen gloriæ. Idem tenet Concil: Viennenſe & Florent: dicit

cit enim, quód quælibet creatura intellectualis indiget lumine gloriæ ipſum eleuante ad Deum videndum,& eo beatè fruendum. ſicut enim aqua ex ſua natura non eſt apta, vt calida fiat, ſed indiget actione ignis; ita videre Deum per Eſſentiam ex natura ſua intellectus creatus non poteſt: quia hoc ſoli Deo proprium. ergo indiget ſuper addito lumine gloriæ. Deinde probatur rationibus.

31. *Ratio prima.* Quando Deus dat facultatem operandi, ſtatim etiam tribuit principium operandi; vt igni dedit calorem ad calefaciendum, & lumen fidei dedit ad credendum. Sed Deus intellectui beati dedit facultatem videndi ſuam Eſſentiam. ergo debet illi dare principium ſupernaturale, v. lumen gloriæ,per quod operetur viſionem beatificam.

Ratio ſecunda. Id, quod eſt proprium ſuperioris naturæ, non poteſt inferior natura ex ſe aſſequi; vt aqua ſuà naturà nequit eſſe calida, ſed fit per actionem caloris. ſed videre Deum per Eſſentiam ſoli Diuino intellectui eſt propriũ. ergo nulla creatura videre poterit eandem Eſſentiam,niſi Deo infundente lumen gloriæ,

Ratio tertia. De ratione actionis vitalis eſt, vt procedat à principio intrinſeco & proportionato, per quod agens etiam principale exeat in actum. ſed,niſi lumen gloriæ ſuperit ſuperadditum intellectui, non poterit beatus actum viſionis beatificæ exercere, ſicut agens principale. ergo neceſſarium eſt hoc principium intrinſecum ſuperadditum, v. lumen gloriæ.

32. Dico tertiò. *Hoc lumen gloriæ ex parte intellectus habet ſe effectiuè ad viſionem Eſſentiæ Diuinæ.* PROBATVR quia dat intellectui virtutem & robur, vt quam Eſſentiam Diuinam ex viribus ſuis videre nequit, iam eandem videat. *Deinde* hoc lumen gloriæ ita eſt habitus operatiuus, quód duo efficiat: *primò* diſponit intellectum ad recipiendam Eſſentiam Diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis: *ſecundò* eſt tanquam virtus actiua, concurrens cum intellectu ad viſionem Eſſentiæ Diuinæ. ergo actiuè concurrit.

Quomodo ſe habeat lumen gloriæ ex parte intellectus &c?

Dico quartò. *Temerarium eſt dicere (vt dicit Ocham & Marſilius) quód intellectus merè paſſiuè ſe habet ad viſionem ob lumen gloriæ ſuperadditum* PROBATVR. ſecundùm fidẽ Catholicam Beat⁹ videt Deũ ſicuti eſt. ſed videre eſt actio vitalis. ergo actiuè concurrit. ſicut enim homo nõ diceretur propriè & vitaliter currere, qui non propria virtute, ſed alienà moueret pedes; ita nec beatus diceretur vitaliter videre Deum, ſi non propria virtute attingeret viſionẽ. *Præterea* Intellectio intellectus ita eſt illi propria, vt non poſſit dici, niſi ab intellectu producatur. ergo actiuè concurrit. *Deinde* videre nihil aliud eſt, quàm vt videns circa rem viſam eliciat viſionem. ergo actiuè. *Item* licet Deus ſe ſolo poſſit in ſubiectis calorem dulcedinẽ &c. producere; cognitionem tamen ſine concurſu actiuo ipſius potentiæ intellectiuæ non producit: nam cognitio èſt vitalis actio viuentis. ergo à viuente effectiuè produci debet. *Deniq;* Beatitudo hominis conſiſtit in operatione. ſed beatitudo in viſione Eſſentiæ Diui-

Intellectus non habet ſe merè paſſiuè.

Diuinæ conſiſtit, quæ eſt altiſſima operatio. ergo actiuè concurrit. *Ad extremum* ſi non concurreret actiuè, actio videndi non beato, ſed Deo, tanquam principali agenti tribueretur; atq; ſic, Deus ſeipſum per intellectum beati, tanquam per inſtrumentum, videret.

Quomodo poteſt intellectus beati videre Eſſentiā Diuinam ſine lumine gloriæ?

33. Dico quintò. *Si loquamur de abſoluta & omnipotenti poteſtate Diuina dicimus, quód poteſt Deus efficere de plenitudine ſuæ poteſtatis, vt intellectus beati videat Eſſentiam Diuinam ſine lumine gloriæ.* PROBATVR. Ipſa Eſſentia Diuina, quæ ſupplet vicem ſpeciei intelligibilis, poteſt etiam, ſi vniatur intellectui, ſupplere vicem luminis gloriæ; præſertim ſi intellectus beati quadam motione ſupernaturali excitetur, & promoueatur ad viſionem beatificam attingendam.

Quæ facit lumen gloriæ?

Ratio ſecunda. Duo facit lumen gloriæ: *primò* diſponit intellectum, vt Eſſentia Diuina in ratione ſpeciei intelligibilis vniri illi poſſit: *ſecundò* vt virtute ſua iuuet intellectum, vt efficienter producat viſionem Dei, ſed vtrumque hoc de ſua potentia abſoluta poteſt Deus præſtare. ergo. *Declaratur primum.* Contritio eſt actus ſupernaturalis, & vltima diſpoſitio ad gratiā, & hæc non procedit ab aliquo habitu infuſo ſupernaturali, ſed ab auxilio Dei mouente. ergo ſimiliter non erit neceſſe, vt viſio procedat ab habitu luminis gloriæ diſponente intellectum, ſed ſufficiet, quód procedat ab Eſſentiæ Diuinæ auxilio, & motione ſupernaturali. *Declaratur alterum.* Poteſt Deus ſupplere efficientiam ſpeciei intelligibilis: ergo etiam poterit ſupplere efficientiā luminis gloriæ.

Intellectus & lumē gloriæ concurrunt vt cauſæ totales ad viſionē &c.

34. Dico ſextò. *Licet probabile ſit (vt Duran. Caiet. atq; etiam Scot. affirmant) quód intellectus & lumen gloriæ concurrant, vt cauſæ partiales; tamen probabilius eſt, quód concurrant vt cauſæ totales in ſuo genere, & ordine.* PROBATVR. Cauſæ partiales non ſunt ſibi ſubordinatæ, nec vna ab alia recipit virtutem, vt ab illa perficiatur, vt videre eſt in duobus, qui trahunt nauem. ſed intellectus & lumen gloriæ ſunt ſibi ſubordinata, & vnum aliud perficit, vt lumen gloriæ perficit intellectum. ergo vnumquodq; in ſuo genere & ordine eſt cauſa totalis ita, quód viſio Eſſentiæ Diuinæ, & tota procedit à lumine gloriæ, & tota ab intellectu beati eleuato, & efficiēter illam producēte; in ſuo tamē genere & ordine; nam ab intellectu vitalitatem, à lumine gloriæ ſupernaturalitatem accipit.

Probatur ſecundò. Quælibet cauſa partialis, cum ab alia non perficiatur, habet ex proprijs, vt ſit principium in partem effectus producendi concurrens. ſed intellectus non habet ex proprijs, vt ſit proximum principium viſionis, ſed requirit lumē gloriæ, à quo perficiatur. ergo intellectus non eſt partialis cauſa. *Confirmatur.* Cauſa partialis ſic ſe habet, vt ſi illius virtus augeatur, & ad ſummam perfectionem deueniat, tunc ipſa poterit totum effectum producere, quem antea non poterat. Si enim duo portent pondus, tunc ſi in vno ex illis duobus portantibus augeatur virtus ad ſummum, ſolus illud põdus portare poterit. ſed virtus intellectus, quantumcunq; creſcat & augea-

& augeatur, ſecluſo lumine gloriæ nequaquam viribus ſuis videre poterit Eſſentiam Diuinam. ergo non eſt cauſa partialis.

Obiectio. *Sed inſtabis* non ſufficit vnum ſine alio. ergo ſunt cauſæ partiales?

Solutio ei⁹ *Reſpondeo.* ſi conſequentia valeret, nulla cauſa ſecũda poſſet eſſe cauſa totalis: quia nulla ſine concurſu Dei eſt ſufficiens ad operandum.

QVÆSITVM VI.

An videntium Eſſentiam Diuinam, vnus alio perfectiùs videat necne?

35. DE hoc Quæſito Cõcluſio eſt S. Doct. *Inter Beatos, qui plus habet de charitate, perfectiùs videt Deum, & aliis beatior eſt.* RATIO *eius.* Vbi enim maior eſt charitas, ibi maius deſiderium ad ſuſceptionem boni amati: & vbi maius deſiderium ibi maior diſpoſitio & capacitas, & per conſequẽs maius lumen gloriæ, quod intellectui maiorem virtutem confert videndi Deum. Pro clariori cognitione

Iouiniani hæreſis. Dico primò. *Hæreſis fuit Iouiniani, cuius D. Hieron. lib. 2. contra eundem memor eſt, quæ tenuit, quód Beatorum ſit æqualis beatitudo.* Eſt quoq; & Lutheri, blaſphemi, qui negat B. Virginem ſanctiorem eſſe reliquis Beatis. At verò doctrina Catholica eſt *Beatitudinem Sanctorum & per conſequens viſionem, in cælis non eſſe æqualem.* PROBATVR Ioan. 14. *In domo Patris mei multæ ſunt manſiones.* quæ verba non de diuerſitate Eccleſiarum, (vt Iouinian. explicat) ſed ſecundum D. Hieron de inæqualitate beatitudinis ſunt intelligenda. Et 1. Corinth. 15. *Sicut ſtella differt à ſtella in claritate. ita & reſurrectio mortuorum.* D Aug. hic dicit: *Hæc ſunt merita diuerſa Sanctorum* Et 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit ſiue bona, ſiue mala.* Et Concil. Trid. *Seſſ. 6. cap. 10. & 16 Canone 28. & 32.* determinat, quód merita inæqualia, poſtulant præmia inæqualia. & Concil. Florent definit Seſſ. vltima, quód ex varietate meritorum erunt diuerſi gradus beatitudinis.

Obiectio Iouiniani. *Sed obijcit Iouin.* vnus idemq; denarius datus eſt omnibus operarijs vineæ, pro inæquali labore: ſed denarius vnus ſignificat vnam & eandem beatitudinem. ergo vna & æqualis erit beatitudo Sanctorum

Solutio ei⁹ *Reſpondeo cum D. Chryſoſt.* In parabolis non tam ſingula verba ſunt attendenda, quàm intentio, & finis parabolæ conſiderandus; finis autem parabolæ eſt, quód etiã hi, qui tardè, hoc eſt, in ſenectute vitam Chriſtianam ſanctè colere cœperunt, tantam retributionem recipient æternam, quantam illi,

 qui

qui primo mane, hoc eſt, in iuuentute ad Deum ſunt conuerſi, idque ob æquale meritum, quod aſſecuti ſunt intenſa charitatis flagrantiâ.

Reſpondeo ſecundò. quód operarij vineæ eundem denarium receperunt, hoc eſt, eandem beatitudinẽ obiectiuam, quæ quidem in ſola Eſſentia Diuina ſita eſt: nam hæc vnum eſt & idem obiectum beatitudinis; ſed non eandem receperunt formalem & ſubiectiuam, quæ ſita eſt in viſione Eſſentiæ Diuinæ, prout in ſe eſt, & ſumit inæqualitatem ex meritorum varietate.

Reſpondeo tertiò per *æqualem denarium* ſignificari æternam durationem, quæ in omnibus Beatis erit æqualis; hoc tamen non impedit, quód in vno Beato, quàm in altero ſit maior gloria.

Vnde ſumẽda eſt vera & adęquata cauſa cur vnus beat⁹ aliquo perfectiùs videat Eſſentiam Diuinam?

36. Dico ſecundò. *Vera & adæquata cauſa, cur vnus Beatus alio perfectiùs videat Eſſentiam Diuinam, non eſt ſumenda ex parte obiecti, v. Eſſentiæ Diuinæ, nam hæc æqualiter omnibus Beatis eſt præſens: ſed ſumenda eſt ex parte luminis gloriæ ita, quód qui intellectus maiorem virtutem luminis gloriæ habuerit, ille meliùs & perfectiùs ad viſionem Eſſentiæ Diuinæ concurret.* PROBATVR viſio beatifica tota eſt ordinis ſupernaturalis, ſed quód ſit supernalis, ex eo illi competit, quód à lumine gloriæ producatur. ergo ille perfectiùs videbit Deum, qui maius lumen gloriæ habebit.

Caietani doctrina.

Contrarium Caiet. docet *in 3. quæſt. 10 art. 4. ad 2.* dicit enim, quód poſito æquali lumine ille intellectus, qui maiori & perſpicatiori vigore naturali eſt præditus, acutiùs Deum videbit. Et pro hac ſententia arguit. Intellectus in naturalibus, quantò eſt perfectior & ſublimior cum æquali lumine, tantò perfectiùs rerum naturas cognoſcit; & oculus, quantò eſt acutior in videndo cum æquali lumine, tãtò perfectiùs videt. Idem accidit in ſupernaturalibus, quód ſublimior intellectus cum æquali lumine fidei argumenta, quibus Cõcluſiones fidei ſtabiliuntur, meliùs cognoſcit. ergo etiam in viſione beatifica intellectus, quantò maiori vigore naturali vigebit, tantò efficaciùs Eſſentiam Dei videbit?

Ad eam reſponſio.

Reſpondeo. quód viſio Diuinæ Eſſentiæ eſt operatio omnino ſupernaturalis; nam eſt ſupra vires intellectus naturalis, vnde hæc actio principium ſupernaturale videndi videlicet lumen gloriæ, inſequitur illæ autem veritates rerum naturalium, cum ſint naturales, ſequũtur vigorem intellectus naturalis. De myſteriis fidei dico. quód prima principia, vt articuli fidei, ſolo lumine fidei cognoſcuntur; concluſiones verò fidei & argumenta, quibus ſtabiliuntur, quia in diſcurſu intellectus naturali conſiſtunt, idcirco admiſcet ſe vigor naturalis. Vnde ad argumentum dico non eſſe parem rationem, quia viſio ex ſolo lumine gloriæ ſupernaturali attendi debet.

Obiectio altera.

37. *Inſtabis ſecundò.* Intellectus naturalis actiuè concurrit ad viſionẽ Dei; quia intellectus eſt principium eliciens vitalem actionem. Ergo perfectior intellectus perfectiùs aget, & videbit Deum. *Reſpondeo* certum eſſe, quòd intellectus actiuè ad viſionem cõcurrat ſed tamen ſecundùm menſuram luminis

minis gloriæ ſibi conceſsæ, ſicut intellectus in naturalibus producit intellectionem ſecundùm menſuram luminis naturalis.

Obiectio tertia.

Inſtabis tertiò. Beati toto conatu producunt viſionē Dei, ergo vim intellectualē intendunt. ergo cuius beati erit virtus perfectior, ille perfectiùs videbit *Reſpondeo* Beatos in videndo Deo toto conatu elaborare, ſed quia hæc viſio eſt ſupernaturalis, ideò hic conatus, non ex natura, ſed ex lumine gloriæ ſumendus erit.

Eiuſdem ſolutio.

Viſio quotupliciter conſiderari poteſt?

Nota. Dupliciter viſio conſiderari poteſt. primò, vt eſt præmium, & ſic illius inæqualitas reuocanda eſt in meritū inæquale, & in charitatem inæqualem: *ſecundò* conſiderari poteſt, vt eſt actus intellectus ad quem tria concurrunt: Species intelligibilis, intellectus, & lumen gloriæ. ſed inæqualitas viſionis beatificæ non reducitur in ſpeciem, hoc eſt, in Eſſentiam Diuinam: quia hæc (vt iam dictum) æqualiter ſe præſentat omnibus: non reducitur ad naturalem virtutem intellectus, (vt iam declaratum ſoluendo rationes in contrarium) ergo in maiorem aut minorē perfectionem luminis gloriæ reduci debet.

Inæqualitas viſionis vnde ſumēda?

Nota Inæqualitas viſionis ſumitur ex duplici ratione: *primò* ex lumine gloriæ ſed proximè & principaliter ita, quód tota ratio, cur beatus vnus alio perfectiùs videat Deum, petenda ſit ex lumine gloriæ, quia vni datur maius, quám alteri: *ſecundò* ſumitur ex meritis, ex charitate ſed remotè ita, quód maior ſit in eo beatitudo, qui cum charitate maiora merita habet

38. *Sed quæres.* Hæc inæqualitas an non pariat inuidiam, mærorem in beatis? *Reſpondeo* ſatietatem eſſe de intrinſeca ratione beatitudinis, vnde nulla inuidia, nullus mæror eſſe poteſt. Pſal: 16 *ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Et alibi: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Et *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et D. Greg: lib: 12. moralium cap. 14. *Qui fieri poteſt, vt qui videntem omnia vident, non omnia videant?* ſed ſi oculus omne id, quod ab eo videri poteſt, videret, & ſi intellectus omne id, quod intelligi poteſt, intelligeret, actu vtraq; hæc potentia ſatiaretur.

An inæqualitas viſionis non pariat inuidiam, mærorē in beatis?

Cur autem non ſit inuidia ex inæqualitate viſionis? *Ratio.* Quia ſciunt beati deberi cuilibet beato beatitudinem ſecundùm cōdignitatem meritorum atq; etiam charitatis. & vt plebeius non triſtatur, quód regiam aut epiſcopalem dignitatem non ſit conſecutus; quia videt ſe nullum ius, aut condignitatem habere ad hoc conſequendum. & ſicut, ſi eodem vino magnæ aut paruæ quantitatis vaſa impleantur, minimum vas non inuidet maiori, quia videt ſuam capacitatem expletam, nec vltra poſſe ſe quicquam capere. idem iudicium de beatis faciendum.

Quare in beatis non eſt inuidia ex inæqualitate viſionis?

QVÆSITVM VII.

An videntes Deum per Eſſentiam eundem comprehendant?

Nomē comprehenſionis quæ & quot ſignificat?

39. HOC nomen *Comprehenſio* duo ſignificat, *primò* realem aſſecutionem ſeu adeptionem boni deſiderati, & in hoc ſenſu loquitur Apoſtolus 1. Corint: 9 *ſic currite, vt comprehendatis.* Ad Philip. 3. *ſequor ſi quomodo comprehendam,* & ſic beati dicuntur Deum comprehendere, quia iam eū adepti ſunt, & illo fruuntur. *ſecundò* ſignificat notitiam intellectualem obiecti adæquatam ita, vt quantum illud obiectum in ſe cognoſcibile eſt, in tantum cognoſcatur.

Nota Ad hanc notitiam non ſuf ficit rem totam cognoſcere, ſed neceſſe eſt, vt cognoſcatur eà notitiâ, qua res ipſa ſecundùm ſuam naturā eſt cognoſcibilis. *ſecundò* nō ſufficit, vt cognoſcatur in alio, ſicut Deus in creaturis cognoſcitur: ſed debet cognoſci per Eſſentiam, in quantum eſt cognoſcibilis. Hoc notato.

Impoſſibile eſt Deum comprehendi ab intellectu humano &c.

40. Dico. *Impoſſibile eſt, quód Deus ab intellectu creato comprehendatur eâ notitiâ, in quantum eſt naturâ ſuâ cognoſcibilis.* PROBATVR. Ad Rom. 11. *ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quám incomprehenſibilia ſunt iudicia eius:* Ierem. 32. *Magnus Deus & incomprehenſibilis cogitatu*: Et *ratio* eſt D. Th. Lumen gloriæ receptum in intellectu eſt finitum: ſed Deus ſecundùm ſuam Eſſentiam, eſt infinitè cognoſcibilis: nam illius Esse eſt infinitum: ergo nullo modo comprehenditur, hoc eſt, in tantum cognoſci nequit, in quantum ſuá naturâ eſt cognoſcibilis. Idem de intellectu beati dicendum: quia, cum ſit potentia creata, eſt finitus limitatus vnde illius modus cognoſcendi finitus, & cognitio finita: ergo Deum infinitè cognoſcibilem nequit comprehendere.

Sed obijcies. viſio beatifica producitur à forma intelligibili infinita v. ab Eſſentia Diuina: Ergo viſio beatifica debet eſſe infinita. *Conſequentia.* Modus enim & quantitas actionis ſumitur à forma, à qua producitur: ſed hæc forma eſt Eſſentia Diuina eademq; infinita. ergo infinitam viſionem producit.

Reſpondeo. ſi ſola forma ſeu ſpecies illam actionem produceret, verum eſſet, quód actionis modus deberet ſequi formam, à qua producitur; ſed cum etiam ſumatur & limitetur ex ſubiecto, in quo recipitur; tum etiam ex inſtrumento, quô mediante operatur. & ſic viſio fit quidem ab Eſſentia Diuina tanquam à ſpecie intelligibili, ſed non à ſola, verùm etiam ab intellectu & à lumine gloriæ, quæ viſionem limitant & modificant: vnde nequit eſſe infinita.

41. *Secundò inſtabis.* comprehendere Deum nihil aliud eſt, quàm illius quidditatem diſtinctè cognoſcere

ſcere: ſed beatus diſtinctè cognoſcit quidditatem Dei: ergo comprehendit. *Reſpondeo.* verũ quidem eſſe, quód quilibet beatus videt quidditatẽ Eſſentiæ Dei, ſed tamen non videt eam ſecundùm eam infinitam amplitudinem, ſecundùm quam viſibilis eſt: *& ratio* quia licet Eſſentia Diuina effectiuè concurrat ad viſionem in ratione ſpeciei intelligibilis; hæc tamen viſio ex ſola Eſſentia Diuina non menſuratur, ſed ſimul à lumine gloriæ & ab intellectu: quæ cum ſint limitata, ideo infinitatẽ ſpeciei intelligibilis determinãt limitando eam.

42. *Tertiò inſtabis.* Deus eſt Ens ſimpliciſſimum & ſine omni compoſitione. ergo à quibuſcunq; beatis clarè videtur, ſimul & ſemel totus videtur: quemadmodum, ſi quis tangat punctum, ſimul & ſemel totum tangit; ſiquidem ſimplex eſt partes non habens. *Reſpondeo* Deum à quolibet beato totum videri, non tamen videri totaliter, nec poſſe videri. eſt autem totaliter videri, cognoſci omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt. & ſic Deus non eſt viſibilis creato intellectui; nam intellectus beati videt quidem totam Eſſentiam Dei, nec illum latent, quæ in eius Eſſentia ſunt; ſed tamen totaliter, hoc eſt, perfectè & adæquatè non videt.

Quid ſit totaliter videri?

Declaratur. ſicut enim, ſi quis neceſſariam concluſionem per rationem probabilem cognoſceret, totam quidem cognoſceret, quia cognoſceret illius ſubiectum, copulam, prædicatum; ſed non totaliter, id eſt, non omnibus modis, quibus cognoſci poteſt: quia adhuc illius concluſionis reſtat modus cognoſcendi per veram demonſtrationem à priori, aut quemadmodum poſſet quis axioma aliquod, vt (*Totum maius eſt ſua parte*) cognoſcere totũ ratione terminorum, ſed tamen totaliter non cognoſceret; quia non haberet diſtinctam notitiam ſingularum concluſionum, quæ in hoc axiomate eminenter continentur. *Deniq;* ſicut punctum in centro, à quo ad circumferentiam multæ lineæ ſunt ductæ, totum quidem à qualibet linea tangitur (nam in puncto non ſunt partes) non tamen tangitur totaliter: ſiquidem illud punctum in centro collocatum aptum eſt, vt, non modò has lineas, ſed omnes alias, quæ vnquam à puncto ad circumferentiam duci poſſunt, tangat. Ita intellectus Beati videt quidem Deum totum, ſed non totaliter: quia non ſecundùm omnes modos, quibus cognoſcibilis eſt, & ideo videt Deum inadæquatè: quia non ſecundùm omnes perfectiones, quas continet eminenter in genere cauſæ efficientis, nec ſecundùm omnes relationes ad diuerſas creaturas poſſibiles, qui quidem reſpectus quamuis nihil nouum reale in Deo ponat, sũt tamen diuerſi modi, ſub quibus infinita illius virtus cõſiderari poſſit.

43. *Quartò inſtabis.* Beati vident in Deo actionem intellectus Diuini, qua ſeipſum comprehendit: ergo ſic ſaltem comprehendent totaliter Deum. *Reſpondeo* quód Beati vident illam intellectionem, qua Deus ſeipſum comprehendit, ſed inadæquatè: nam vident quidem illam comprehenſionem clarè, ſed non comprehenſiuè.

Quinto

Quintò inſtabis. D. Greg: lib. 4. Dialogorũ cap. 33. dicit. *Quid eſt, quod neſciant, qui ſcientem omnia ſciunt?* D. Th. ſic allegat art. 8. hic qu. 12. *Quid eſt, quód non videant, qui videntem omnia vident? Reſpondeo* hunc locum exponendum eſſe, non quód omnia ſimpliciter videãt, ſed quód ſolùm ea vident, quæ ad ſtatum beatorum ſpectant, & quæ ab illis cognoſci debent,

Quæ cauſa eſt cur Deus intellectui beati dicatur eſſe incomprehenſibilis?

44. *Sed inquires.* Quænã eſt cauſa, cur Deus intellectui beati dicatur eſſe incomprehenſibilis. *Reſpondeo* tres communiter aſſignari. *Prima* eſt Ferarienſis, Victoriæ, Soto & aliorum, v. quia in Deo dantur infinita attributa, & quodlibet horum attributorum continet infinitam latitudinem graduum. ſed impoſſibile eſt, vt per finitam cognitionem, qualis eſt creati intellectus hæc infinita comprehendantur.

Altera eſt quam recentiores ex D. Aug. epiſt. 112. referunt: quia comprehenſiua ſcientia ita rem cognoſcere debet, vt nihil illius cognoſcentem lateat: ſed nullus eſt inter Beatos, qui ita perfectè Deũ cognoſcat, vt illũ non lateãt multa ex his, quæ intra Diuinam Eſſentiam continentur; nam quamuis Beatus omnia attributa, quæ formaliter continentur in Deo videat; non tamen videt, nec videre poteſt, omnia & ſingula, quæ eminenter virtute in Deo habentur.

Tertia cauſa. quia ad veram comprehenſionem ſimpliciter requiritur, vt comprehendentis tanta ſit cognitio, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti comprehenſi ita, vt ſit perfectiſſima æqualitas inter cognitionem comprehenſiuam & obiectum comprehenſum: ſed hoc prorſus impoſſibile, vt in creatura rationali detur Eſſentiæ Diuinæ tanta & tam perfecta cognitio, quanta eſt illius cognoſcibilitas, ſiquidem hæc ſimpliciter eſt infinita, nec intellectui creato, qui natura ſua eſt limitatus, competit.

45. *Sed contra adhuc inſtabis.* In qualibet creatura eſt potentia obediétialis, quæ quidem tam latè patet, ſicut virtus potentiæ Dei: ergo intellectus creatus æquè latè patebit, ſicut potentia Diuina: ergo per miraculum poterit cognoſcere omnia, quæcunq; Deus facere aut creare poterit. vnde & omnes creaturas poſſibiles, & omnes illarum modos, & omnes relationes.

Obedientia potentialis quæ?

Nota quód obedientia potentialis illa eſt, per quam creatura ſubijcitur Deo, & apta eſt, vt per eam fiat, quidquid placuerit Deo.

Reſpondeo. Etiamſi concedamus hanc potentiam obedientialem adæquari omnipotentiæ Diuinæ, adhuc non ſequitur, quód cognoſcat omnes creaturas poſſibiles, & illarum modos: nam Deus non poteſt actu producere omnes poſſibiles creaturas, ſed in numero finito producit: nam quidquid Deus ad extra producit, finitum eſt; id autem cognoſcere, quod Deus actu producit, non eſt cognoſcere infinitum, ſed finitum. *Secundò reſpondeo*, quia ad comprehenſionem non eſt ſatis, vt infinitum cognoſcatur, ſed vt infinitè cognoſcatur.

Tertiò Reſpondeo, nullam eſſe creaturam poſſibilem, quam non poſſit homo intelligere, ſi placuerit Deo; ſed impoſſibile eſt, vt ſimul omnes cognoſcat.

QVÆ-

QVÆSITVM VIII.
An videntes Deum per Eſſentiam omnia in eo videant?

46. DE hoc Quæſito hic eſt ſenſus S. Doct: *Nullus intellectus creatus videndo Deum, videre poteſt in Deo omnia, quæ facit Deus aut facere poteſt, ſed videt aut plura aut pauciora ſecundùm modum, quo videt Deum.* PROBATVR. Quæcunq; videntur in Deo, videntur ſecundùm eum modũ, quo ſunt in Deo: ſed in Deo ſunt omnia tanquam in cauſa eminentiſſima, quæ virtute ſuos effectus continet: ſed nullus creatus intellectus Deum videt vt cauſam eminentiſſimam, nec illius virtutem infinitam, qua infinitos effectus producere poteſt, comprehendere valet. ergo nec omnia, quæ ſunt in Deo, intelliget. Poterit autem plura aut pauciora videre, ſecundùm quod perfectiùs vel minùs perfectè Deum videt. *Et ratio eſt.* quantò enim aliqua cauſa perfectiùs cognoſcitur; tantò etiam plures effectus in ea cognoſcuntur; ſicut enim, qui habet intellectum eleuatum, cognito vno principio demonſtratiuo ſtatim ex eo multarum concluſionum cognitionem inferre poteſt: ita intellectus Beati lumine gloriæ eleuatus, quantò perfectiorem virtutem luminis gloriæ habuerit; tantò plura in Deo videre poterit. ſed quænam ſunt illa, quæ Beati clarè vident intuentes Eſſentiam Diuinam?

47. Dico primò. *Quicunq; Beatus videt Eſſentiam Diuinam, ſimul neceſſario videt tres perſonas.* ita D. Th. *hic q. 12. art. 7. ac 2.* vbi ait Deum totum videri ita vt nihil ſit eius, quod nõ videatur. & in *3. par. q. 5. art. 3.* dicit, quód hi, qui vident Deum ſicuti eſt, non poſſunt aliquid ab eo circumſcribere: ſed in Eſſentia Diuina ſunt tres perſonæ: ergo, qui videt Deum ſicuti eſt, circumſcribere non poteſt ab illo perſonas: ergo videndo Eſſentiam ſimul videt tres perſonas. huius eſt *Ratio prima* quia omnino eſt impoſſibile videre Eſſentiam Diuinam, & non videre communicatam eſſe tribus perſonis: ſicut impoſſibile videre claritatem ſolis, & non videre radium coruſcantem. Beatus videndo Eſſentiam Diuinã ſimul neceſſariò videt tres perſonas.

Ratio ſecunda Viſio beatifica intuitiua eſt viſio Dei ſicut eſt: ſed Deus ſic ſe habet, quód Eſſentia illius Diuina ſit idem formaliter cum tribus perſonis: ergo, qui videt Eſſentiam Diuinam, neceſſariò illam videt vt exſiſtentem in trib⁹ perſonis. *Confirmatur.* quia cognitio intuitiua, qualis eſt viſio beatifica, terminatur ad rem exſiſtentem ſicuti eſt: ſed Eſſentia exſiſtit formaliſſimè in tribus Perſonis. ideo videtur repugnantiam inuoluere, vt Beatus videat Diuinam Eſſentiam, & non videat tres Perſonas.

Ratio tertia. ſi Deus ſolùm eſſet in vno ſuppoſito, ſeu in vna perſona, tunc Deus non poſſet videri ſicuti eſt; niſi videretur illud ſuppoſitum. ſed cum Deus ſit in tribus ſuppoſitis: ergo non poterit videri ſicuti eſt, niſi etiam illa tria ſuppoſita videantur.

Ratio quarta. Eſſentia Diuina minùs diſtinguitur à Perſona Patris, Filij, & Spiritus S. quàm diſtinguatur Eſſentia cuiuſlibet rei creatæ à ſua ſubſiſtentia: nam ſubſiſtentia rei creatæ eſt modus, qui aduenit ſubſtantiæ creatæ, vnde ad minus modaliter diſtinguitur à ſubſtantia creata: atqui Perſonæ Diuinæ nec realiter, nec formaliter, nec modaliter diſtinguuntur ab Eſſentia; ſunt enim vna res ſimpliciſſima cum Eſſentia Diuina: ergo ſicut nulla res creata videri poteſt intuitiuè ſine ſua perſona; ita nec Eſſentia Diuina videri poteſt intuitiuè ſine Perſonis Diuinis.

Vna Perſona in Diuinis ſine alia videri non poteſt?

48. Dico ſecundò. *Loquendo etiam de potentiâ abſolutâ Dei, non poteſt vna perſona in Diuinis videri ſine alia.* PROBATVR Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, & quomodo tu dicis? oſtende nobis Patrem non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Horum verborum hæc videtur eſſe conſequentia, quia ego in Patre ſum, & Pater in me eſt, idcirco qui videt me, videt & Patrem meum: Pater enim & Filius ſunt eiuſdem Eſſentiæ.

Ratio ſecunda. vna perſona in Diuinis non poteſt videri ſine Eſſentia Diuina: ſed, qui videt Eſſentiam Diuinam, non poteſt eam videre ſine perſonis (vt iam probatum) ergo, qui videt vnam perſonam, neceſſariò & alias duas videt.

Ratio tertia. Perſonæ Diuinæ habent neceſſariam eandemq; intrinſecam relationem ad ſe inuicem, per quam conſtituuntur, atq; etiã diſtinguuntur: ergo videtur eſſe impoſſibile, vt vna perſona ſine alijs videatur, ſiquidem relatiuorũ ea eſt natura, vt ſe mutuò ponant.

Ratio quarta. Non alia eſt cauſa, propter quam vnum attributum neceſſarium non videatur à Beatis ſine alijs, niſi hæc, quia attributa ſunt in Deo formaliter, & nullam inter ſe dicunt diſtinctionem, nec item ab Eſſentia Diuina, ſed ſunt vna res ſimpliciſſima: ſed Perſonæ Diuinæ licet inter ſe diſtinguantur realiter, ſunt tamen vna res ſimpliciſſima cum Diuina Eſſentia: ita quód nec formaliter, nec realiter ab illa diſtinguuntur. ergo Diuinæ perſonæ cum Eſſentia ſimul intuitiuè videntur.

Obiectio Scoti.

49. *Sed inſtat Scotus* abſolutum non includit in ſe formaliter relatiuum: ſed Eſſentia eſt quid abſolutum, perſona autem eſt quid relatiuum: ergo Eſſentia ſine perſonis intelligi poteſt. *Confirmatur.* nã Eſſentia poteſt intelligi ſub ratione ſummi boni, non intelligendo perſonas. *Reſpondeo* in Diuinis abſolutum & relatiuum non diſtinguuntur formaliter, vt voluit Scotus. *Et ratio eſt.* ſi enim Eſſentia Diuina definiretur, in eius definitione includerentur omnes perfectiones & attributa, atq; ſic Eſſentia Diuina eſſentialiter eſſet relatio. *Ex quo ſequitur* quód Eſſentia propter ſui infinitatem & ſummam ſimplicitatem, continet abſolutum & relatiuum ita, vt ſicut abſolutum eſt de intrinſeca ratione relatiui; ita

Solutio eiꝰ.

& re-

& relatiuum de ratione eſt abſoluti, vnde vtrumq; eadem cognitione cognoſcetur.

Ad confirmationem dico, quód cognitio Eſſentiæ Diuinæ vinculo quodam neceſſario habet coniunctam cognitionem perſonarum, vnde Eſſentia Diuina non poteſt cognoſci vt ſummum bonum, niſi etiam cognoſcantur & perſonæ.

Obiectio altera.

50. *Secundò inſtat* SCOTVS. quandocunq; datur talis actus, qui habet duo obiecta, vnum primarium & alterum ſecundarium; tunc poterit videri vnum ſine alio: ſed viſio Dei eſt talis actus, quòd habeat duplex obiectum, primarium ipſã Eſſentiam, ſecundarium Perſonas: ergo Eſſentia ſine perſonis videri poterit. *Minor* Pater in eo inſtanti, quo producit filium, eſt verè beatus: & tamen nondum cenſetur conſtituta eſſe Perſona Filij, nec etiam Spiritus S. ergo Eſſentia ſine Perſonis, & Perſona Patris ſine Filij & Spiritus S. videri poterit.

Solutio eius.

Reſpondeo ad Minorem vnam eſſe eandemq; ſimpliciſſimam rem Eſſentiam Diuinam & perſonas: hæc autem diuiſio eſt ſolùm per aſſignationem intellectus noſtri. *Deinde dico* inſtantia rationis, quæ in Diuinis conſiderãtur reſpectu productionis Filij & Spiritus S. ſunt ſolùm ſecundùm noſtrum modum concipiendi, non autem à parte rei: nam *in æternũ nihil eſt prius, nihil poſterius*; nam de ratione æternitatis eſt, quód ſit tota ſimul omnem prioritatẽ & poſterioritatem excludens. *Ex quo* Minoris falſitas colligitur, quód Pater ante Filij productionem non ſit beatus à parte rei, licet ab intellectu noſtro concipi poſſit beatus ſine Filio.

Obiectio Scoti tertia

51. *Tertiò inſtat.* Perſonæ in Diuinis realiter diſtinguuntur inter ſe. ergo vna perſona ſine alia diſtinctè cognoſci poterit. *Reſpondeo* vt aliqua duo realiter inter ſe diſtincta etiam diſtinctè & ſeorſum cognoſcantur, non ſufficit quód realiter diſtinguantur, ſed requiritur, vt etiam non identificentur cum aliquo tertio, in quo ſint idem realiter: ſed Perſonæ Diuinæ ſunt quidem realiter diſtinctæ; tamen cum Eſſentia Diuina identificantur, nec ab ea realiter diſtinguuntur, & ſunt vnum quid ſimpliciſſimum cum Eſſentia Diuina. Cùm ergo viſio Beati terminetur ad Eſſentiã Diuinã, hæc autem in ſe habeat tres perſonas, ideo nec Eſſentia ſine perſonis, nec aliqua perſona ſine alijs perſonis videri poterit.

Solutio eius

Quæ attributa Diuina ſimul neceſſariò cũ Eſſentia Diuina videntur?

52. Dico tertiò. *Omnia attributa Diuina, quæ ſunt formaliter in Eſſentia Diuina ſimul cum Eſſentia Diuina neceſſariò videntur.* PROBATVR. Exodi 33. ad Moyſen Deus loquitur: *Oſtẽdam tibi omne bonum*: ſed hoc omne bonum eſt ipſe Deus, qui eſt fons, origo, plenitudo omnis boni: ſimiliter quodlibet attributum Diuinum, vt Bonitas, Sapientia, ſunt ipſum bonum, quia ipſe Deus: ergo in Deo videntur. *Deinde* omne obiectum præſentatur potentiæ ſecundùm omnem ſui rationem: ſed Eſſentia Diuina eſt obiectum viſionis beatæ: ergo præſentatur beato ſecundùm omnem rationem, hoc eſt, perfectionem & attributa. *Præterea* Attributa Diuina idem ſunt formaliter cum Eſſentia, & ſunt formaliter Deus, & vnum attributum eſt de intrinſeca ratione alterius. ergo cum Eſſentia Diuina vi-

na videntur. *Tandē* quia ſi aliquod attributū formale Diuinum non videretur, non eſſet clara viſio, ſed obſcura & imperfecta.

Sed dices Ideas in Deo eſſe formaliter, & hæ cum ſint infinitæ, à Beatis non videntur. *Reſpondeo* dupliciter ideas poſſe conſiderari: *primò* ſecundùm *eſſe* ſuum abſolutum & formale, quod habent in Deo, & ſic dico videri ideas à beatis, quia non ſunt infinitæ, ſed ſunt vna ſimpliciſſima Entitas: *ſecundò* ſi conſiderentur ſecundùm *eſſe* reſpectiuum, quod habent ad creaturas, & ſic ſunt infinitæ, nec à Beatis vidētur ſed interim loquimur de attributis, quæ ſunt formaliter in Deo.

Beati videntes Eſſentiam Diuinā vident etiam clarè omnia myſteria gratiæ &c.

53. Dico quartò. *Beati videntes Eſſentiam Diuinam, etiam clarè vident omnia myſteria gratiæ, quæ in hac vita obſcurè per fidem credebant.* PROBATVR ad Hebr. 11. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum,* hoc eſt, quæ nūc fide amplectimur, ſpem habemus nos ea clarè viſuros, & illis fruituros. Et 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum, tunc autem facie ad faciem euacuabitur, quod ex parte eſt, quando venerit, quod perfectum eſt. Ex quo arguo* Fides & viſio ſunt ſibi oppoſita; nam videre per ſpeculum, & videre ad faciem ſunt contraria, & mutuò ſibi ſuccedunt: nam nunc in caliginoſo lumine fidei, hoc eſt, per ſpeculum myſteria gratiæ contemplamur: ergo in patria, *cùm venerit perfectum,* hoc eſt, cùm videbimus Deum ſicuti eſt, *euacuabitur quod ex parte eſt,* id eſt fides: ergo clara viſio ſuccedet fidei. *Et ratio eſt.* fides ſpem annexam habet, ſpes autem annexum habet deſideriū: ſed conſentaneum eſt rationi, vt deſiderium ſpei expleatur: at in clara viſione expletur, cum myſteria gratiæ clarè videntur.

Non omnia attributa libera ſed quædam ex illis videntur in Eſſentia Diuina.

54. Dico quintò. *Valdè eſt probabile non omnia attributa libera, ſed quædam ex illis videri in Eſſentia Diuina.* PROBATVR. D. Bern. lib. 5. de Conſid. ad Eugenium cap. 1. dicit: *Videt Beatus Verbum, & in Verbo facta per Verbum.* & cap: 4. ad illa verba *vt videam voluntatem Domini,* inquit: *Quidni ibi videatur cor Dei? quidni ibi probetur, quæ ſit voluntas Dei beneplacens & perfecta?* & iterum *Patent viſcera miſericordiæ, patent cogitationes pacis, myſteria voluntatis.*

Et ratio eſt. Eſſentia Diuina, quā clarè beatus intuetur, non minùs eſt expreſſiua liberorum attributorum, quàm neceſſariorum; quamuis non eodem modo: nam neceſſaria ſunt intra Eſſentiam Diuinā formaliter & actu, libera verò tantùm eminenter & virtute: ergo hæc, quæ poſſunt videri intra Eſſentiam Diuinam, tam libera, quā neceſſaria. Et Concil. Senonenſe dicit: *Beatis præmium eſt vniforme ſpeculum, in quo quidquid eorum intersit, illuceſcit:* ſed in ſpeculo omnia, quæ in illo repræſentatur, videntur; & Eſſentia Diuina eſt ſpeculum, intra quam videntur libera attributa, ergo videri poſſunt.

Dies Iudicij nulli ex creaturis innoteſcit excepta anima Chriſti.

PROBATVR autem *quód non omnia attributa libera videant*: quia dies iudicij nulli ex creaturis innoteſcit, excepta Anima Chriſti, quam fatentur Theologi noſſe quæcunque in aliqua differentia temporis ſunt futura, vnde & diem iudicij nouit. *Deinde* quia libera attributa eo ipſo, quód ſint libera, ſunt occulta: quia pendent ex libertate Diuina,

uina, quæ illa cùm vult, & quibus vult, & quantum vult, aut manifeſtat aut occultat.

Quæres Cur non omnia videantur? *Reſpondeo* quia (vt iam dictum) pendent ex libera voluntate Dei reuelantis.

Beatus videns Eſſentiam Diuinam non videt omnes creaturas &c.

55. Dico ſextò. *Beatus videns Eſſentiam Diuinam non videt omnes creaturas, quæ à Deo produci poſſunt ſecundũ illarum quidditatem & eſſentiam.* Dur. in 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 3. exiſtimat contrarium, quód Beatus videns Deum neceſſariò videt quidditates creaturarum producibilium, quia hæc naturaliter repræſentantur; ſed nõ videt exiſtentias, quia pendent ex voluntate Dei. *Probatur.* ſi enim res poſſibiles comprehenderet, ſequeretur, quód beatus omnipotentem virtutem Dei comprehenderet, & illius finem, atq; etiam deſignaret aliquid, vltra quod nõ poſſet ſe omnipotentia Dei extendere.

Ratio ſecunda. Si enim poſſibilia eſſent beatis cognoſcibilia. ergo beati cognoſcerent omne illud, quod Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ atq; etiam viſionis comprehenderet: nam res poſſibiles ſunt obiectum ſimplicis intelligentiæ; viſionis verò obiectum ſunt futura in certa temporis differentiâ. ſed prorſus impoſſibile eſt, vt ea, quæ Deus cognoſcit per ſuam ſcientiam, ab aliqua creatura cognoſcantur: nam aliàs creatura & ſcientiam & omnipotentiam Diuinam perfectiſſimè comprehenderet, quod eſt falſum.

Ratio tertia. Ad comprehendendam potentiam ſufficit cognoſcere omnes illius effectus poſſibiles, quantum ad eſſentiam; quamuis quoad exſiſtentiã non cognoſcantur: qui enim cognoſceret omnes effectus, ad quos ſe artifex & illius ars extendere poſſet; quamuis non cognoſceret, quando illos effectus eſſet producturus, ille & artem & artificis potentiam comprehenderet. ergo ſi beatus videret poſſibiles effectus, Dei omnipotentiam comprehenderet, quod ſupra confutatum eſt.

Obiectio.

56. *Sed dices.* Eſſentiã Diuinam vocari ſpeculum: at, qui intuetur ſpeculum, videt ea omnia neceſſariò, quæ in ſpeculo repræſentantur. *Reſpondeo* Diuinam Eſſentiam vocari quidem ſpeculum, ſed metaphoricè, non propriè: vt enim in ſpeculo repręſentata videntur; ita ſimiliter intra Eſſentiam Diuinam repræſentata cognoſcuntur. ſed in hoc differentia, quód ea, quæ in ſpeculo videntur, neceſſario vidẽtur; quæ autem intra Eſſentiam Diuinam videntur, hæc iam non neceſſariò, ſed dependenter à voluntate liberâ Dei videntur.

Diuina Eſſentia quo modo vocetur ſpeculum?

Nota. certum eſſe Chriſto Domino, in quantum eſt homo, multa poſſibilia, quæ nuſquam futura erant, fuiſſe cognita. cognouit enim quód, ſi in Tyro & Sidone prædicaſſet, & eas virtutes feciſſet, quas in Coroſain & Betſaida prædicando fecit, in cilicio pœnitentiam egiſſent: nunquam tamen hæc nec in Tyro nec in Sidone facta ſunt, nec illi pœnitentiã egerũt

Chriſto Domino in quãtum eſt homo multa. poſſibilia quæ nũquã erũt cognita ſũt

57. Dico ſeptimò. *Quamuis non nulli dicant, probabile eſſe, quód ex vi viſionis Eſſentiæ Diuinæ non videntur futura in certâ differentiâ temporis.* Quia Eſſentia Diuina eſſet medium co-

gnoſcendi creaturas; vnde neceſſariò diceret relationem realem ad id, cuius eſſet medium cognoſcendi. ſed Eſſentia Diuina non dicit relationem realem ad creaturas quæ enim ſic referuntur, à ſe mutuò dependent; Deus autem à nullo dependet.

In Eſſentia Diuina poſſunt videri aliqua futura.

Tamen *Quidam probabiliùs eſſe cenſent, quód aliqua futura videri poſſint.* Ita D. Th. *hic qu. 12. art: 9. & qu. 8. de verit. art: 5.* vbi dicit creaturas videri à beatis, non per ſimilitudines aliquas creatas, ſed per ipſammet Diuinam Eſſentiam vnitam beatis ad modum ſpeciei intelligibilis. Et D. Bon: *in 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 1,* ait Diuinum Verbum eſſe rationem beato cognoſcendi ſe & alia à ſe.

Et ratio eſt. Beatitudo beatorum eſt participatio beatitudinis animæ Chriſti: nam ſicut Chriſtus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis; ita & beatitudinis: ſed anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis, cognouit in Verbo omnia futura in certâ differentiâ temporis. ergo & beati videbunt aliqua.

Beati vidēt omnes naturas genericas & ſpecificas in certa differentia temporis futuras.

58. Dico octauò. *Beati in illa viſione beata vident omnes naturas genericas, & ſpecificas in certâ differentiâ temporis futuras.* PROBATVR. Nam hæ naturæ pertinent ad vniuerſi perfectionem. ergo illorum cognitio ad creaturæ rationalis ſtatum pertinebit. *Deinde.* Quia quilibet horum cognitionem naturaliter expetit: ergo ne hic appetitus ſit ſuſpenſus, habebunt cognitionem illorum *Idem* de Indiuiduis cuiuſlibet ſpeciei dicendum, quód hæc ſi non omnia, ſaltem aliqua cognoſcuntur exceptis illorum effectis liberis, quia hæc ſimiliter ad perfectionem vniuerſi pertinent. *Tum* quia exoptamus noſſe naturas, nō modò genericas & ſpecificas, ſed etiam indiuiduas, maximè autem ſi illorum cognitio ad ſtatum beatificum alicuius beati ſpectat.

Beatus quilibet intelligit omnia quæ ad ſtatum pertinent.

59. Dico nonò *Quilibet beatus intelligit omnia, quæ ad ſuum ſtatum pertinent.* Ita ſentit D. Grego. lib: 12. moral. cap. 13. vbi dicit. *Manifeſtabitur in Deo omnibus beatis id omne, quod eos cognoſcere decet.* Sed decet eos ſcire, quid in eorum congregatione agatur? ergo manifeſtantur illis in Deo. *Et ratio eſt.* Quia viſio beata debet ſatiare omnem appetitum beati iuſtum, & rationi conſentaneum: ſed hic appetitus eſt iuſtus, & rationi conſentaneus, quo quis deſiderat ſcire, quæ ad ſtatum ſuum ſpectant: & ſic anima Chriſti vidit in Verbo, non modò Eſſentiam Diuinam & perſonas omnes, ſed etiam illa omnia. quæ ad ſtatum redemptionis pertinebant: Et D. Petr. videt, quæ ad vniuerſalē Eccleſiam ſpectant. & B. Fran quæ ad ſuam religionē ſunt neceſſaria.

Obiectio.

Sed inſtabis, ſequeretur hinc, quód inferior beatus (vt B. Franci.) erit perfectior beatitudine quouis alio ſuperiori beato (vt D. Laurentio & D. Stephano.) *Sequela.* Quia longè plura ad ſtatum B. Franciſci ſpectant ob religionem in toto orbe diſſeminatam, quàm ad ſtatum D. Laurentij. Ergo erit beatior. *Reſpondeo.* fieri poſſe, quód plura videat inferior beatus, quám qui eſt maior, ex hoc tamen, non ſequitur quód ſit beatior: Nam maior beatitudo ſumenda eſt ex his, quæ in Deo naturaliter repræſentantur, non verò ex his, quæ repræſentātur

Solutio.

tur ex libera voluntate Dei. *Vel dicendum*, quod B. Laurentius ex aduerſo poterit clariùs & euidentiùs plures creaturas videre.

QVÆSITVM IX.

An ea, quæ videntur in Deo, à videntibus Diuinã Eſſentiam per ſimilitudines creatas videantur?

60. DICo negatiuè. *Res ipſæ ſecundum illam cognitionem, qua á videntibus DEVM per Eſſentiam in Deo cognoſcuntur, non videntur per aliquas ſimilitudines creatas, ſed per ſolam Eſſentiam Diuinam intellectui præſentem, per quam & Deus videtur.* PROBATVR. primò ratione D. Th Vnumquodq; cognoſcitur, ſecundùm quod ſimilitudo eius eſt in cognoſcente. quod dupliciter contingit. *Vel* per ſimilitudinem ſui, & hoc eſt cognoſcere in ſe, vt cum homo in ſua natura cognoſcitur: *Vel* per ſimilitudinem ſimilis, & hæc eſt cognitio in alio, vt cum homo in ſua imagine cognoſcitur. ſed cognoſcere res per earum ſimilitudines exſiſtẽtes in cognoſcente, eſt cognoſcere eas in ſuis propriis naturis, & ſic non cognoſcuntur in Deo, cum ſpecies rerũ non ſint in eo. nec cognoſcuntur per ſimilitudinem ſimilis, ſed videntur in Eſſentia Diuina repræſentante illas res. ergo per Eſſentiam Diuinam, quæ ſupplet vicem ſpeciei intelligibilis, videntur.

Probatur ſecundò Eſſentia Diuina perfectiùs repræſentat res creatas, quam quæuis alia ſimilitudo in ſuo genere; & ideo hæc cognitio dicitur *Matutina*, quia eſt à priori, & eſt prorſus intuitiua creaturarum. ergo res creatæ non indigent ſimilitudine, ſed ſufficit ſola Eſſentia Diuina.

Probatur tertiò. D. Auguſt. lib: 11. de Ciuit. cap 3. cognitionẽ rerum in Angelis duplicẽ ſtatuit; *Matutinam*, qua res in Deo ſeu in Verbo cognoſcunt cognitione beatifica intuendo Eſſentiam Diuinam. *Veſpertinam*, quâ eaſdem res cognoſcunt in ſeipſis per proprias illarum ſpecies intelligibiles. ſed beati ſunt ſicut Angeli ergo in Deo res vident *Confirmatur*. Quia hæc cognitio eſt rei præſentis, vt præſens eſt, quia videntur in Eſſentia Diuina: ergo ſimilitudine non eſt opus: vt, qui amicum præſentem videt, non indiget illius picta imagine. *Deinde*. Quia Diuina Eſſentia multò diſtinctiùs repræſentat res creatas in ſe, quàm ſi in ſuis propriis exiſtentiis videantur. Cognitio rerũ in Angelis duplex.

Nota. Hæc cognitio creaturarum, quæ eſt in Eſſentia Diuina, dicitur cognitio in Verbo: hoc ideo, quia Verbũ Diuinum eſt imago expreſſa Dei Patris, & omniũ creaturarum, & per hoc Verbum omnia facta & reſtaurata ſunt.

61. *Sed contra inſtabis*. Si res creatæ Obiectio

atæ videntur in Eſſentia Diuina, non videntur intuitiuè. *Et ratio eſt.* Illa res non videtur intuitiuè, cuius imago videtur: ſed res creatæ videntur in Deo tanquam in imagine: ergo beatus videndo Deum nullam creaturam videt intuitiuè. *Confirmatur.* Quia tunc res intuitiuè & perfectiſſimè videtur, quando in ſe videtur; quando autem in imagine videtur, tunc imperfectè videtur.

Solutio obiectionis.

Reſpondeo non ſic aſſerimus res creatas videri in Deo, tanquam in imagine prorſus eo modo videantur, vt communiter res videntur; ſed videntur tanquam in cauſa, & tanquam in principio ſuo, & ſicut concluſiones in ſuis principijs cognoſcuntur. *Tum.* quia hæc imago v. Eſſentia Diuina longè præſtantiùs repręſentat res creatas, quàm, ſi in ſuo genere viderentur. *Deniq;* quia Eſſentia Diuina, quæ gerit ſpeciem rerum creatarũ, eſt tale exemplar, quod ad repræſentandum eſt infinitæ virtutis: ergo multò perfectiùs repræſentat res, quàm ſi in ſeipſis viderentur.

Nota. Hæc cognitio viſiua creaturarũ immediatè terminatur ad Deũ, tanquã ad obiectũ primariũ.

QVÆSITVM X.

An Beati videntes Eſſentiam Diuinam ſimul in ea videant omnia?

Beatus quæcunque videt in verbo ſimul omnia videt.

62. DICO *Beatus, quæcunq; videt in Verbo, ſimul omnia videt, & non ſucceſſiuè.* Ita hic D. Th. & Caiet: hic & *22. quæſt. 83. art. 4.* Dom. Soto. PROBATVR. Illa ſimul videri debent, quæ per vnam & eandem ſpeciem clarè & perfectiſſimè repræſentantur, & cum nulla eſt imbecillitas ex parte potentiæ intellectiuę. ſed omnia, quæ beati vident, vidẽt in vna & eadem Eſſentia Diuina, tanquam in ſpecie perfectiſſimè omnia repræſentante; ergo ſimul omnia vident. *Maior* hæc enim eſt cauſa, cur aliqua obiecta diſtinctè cognoſcantur: quia illorum ſunt diuerſæ & diſtinctæ ſpecies, aut ſi eandem habent ſpeciem, tunc ideo accidit, quia potentia intellectiua ob ſuam infirmitatem non poteſt omnia ſimul apprehendere. *Minor* eſt ſuperiùs deducta, quia cognitio Beatorum non fit per aliquam ſpeciem impreſſam, ſed fit per Eſſentiam Diuinam, quæ (vt iam monuimus) ſupplet vicem ſpeciei, & longè perfectiùs repræſentat res quàm ſunt in ſeipſis: nec obſtat imbecillitas intellectus, ſiquidem lumine gloriæ eſt roboratus & eleuatus.

Ratio ſecunda ſecundùm D. Aug. lib. 83. qq. quæſt 23. Beatitudo Sanctorum menſuratur æternitate participata, quemadmodum viſio, qua Deus ſeipſum intuetur, menſuratur æternitate per Eſſentiã; atqui in ęternitate omnia ſunt ſimul, & ſine vlla variatione: ergo omnia ſimul ſine vlla ſucceſſione, quę variationẽ importat cognoſcuntur.

Ratio

Principia viſionis beatæ ſunt ſine variatione in tota æternitate

Ratio tertia. Principia viſionis beatæ ſunt ſine variatione in tota æternitate: ergo & viſio inuariabilis: ergo tota eſt ſimul. *Antecedens.* Duo ſunt principia viſionis: *primum* lumen gloriæ, & hoc neq; creſcit, neq; decreſcit: *ſecundum* Diuina Eſſentia quæ vno eodemq; modo ſemper vnita eſt intellectui beati.

Ratio quarta. In Tractatu de Angelis docetur, cur Angeli naturas genericas & ſpecificas, vna cum proprietatibus illarum vnica intellectione cognoſcant. quia v. hæc omnia per vnam numero ſpeciem intelligibilem repræſentantur. ergo & beati per vnam Eſſentiam Diuinam omnia perfectiſſimè repræſentantem vident. Et D. Aug. lib: 15. de Trin: cap. 16. *volubiles non erunt cogitationes noſtræ ab alijs in alias euntes, atq; redeuntes; ſed omnem ſcientiam noſtram vno ſimul conſpectu videbimus.*

63. *Contrarium.* tenet SCOTVS *in 3. diſt: 14. qu. 2.* vbi dicit. Beatos non omnia ſimul cognoſcere, ſed ſucceſſiuè eo modo, quo nos cognoſcimus: nam præſentia cognoſcunt in quantum ſunt præſentia, & futura non cognoſcunt niſi pro eo tempore, quo præſentia erunt. *vnde* ſic inſtat. Beatus cognoſcit multa de nouo. Ergo non omnia ſimul videt. *Antecedens.* Feratienſis *3 con. gen. cap. 59* & Caiet *in 1. par. quæſt. 89. art. 8.* aſſerunt, quód beati ex his, quæ inter nos fiunt, multa de nouo cognoſcunt: ergo multa ignorant, quæ poſtea in viſione Dei ſunt viſuri.

Reſpondeo quód Beati habent nouas reuelationes, non quidem in Verbo, ſed per proprias ſpecies: nã hæ reuelationes non ſpectant ad Eſſentiam beatitudinis; ſunt enim accidentaria & aduentitia. & ſic Deus authore D. Dionyſio reuelat inferioribus Angelis miniſterio ſuperiorum multa myſteria.

Quoad Ferarienſem & ad alios dico, quód hi ſolùm intendunt oſtendere, quomodo Beati plurima vident ſine variatione viſionis beatificæ: quanquam nos tenemus hanc eſſe doctrinam D. Th. quód Beati ſimul omnia vident.

64 *Sed contra inſtat.* Si Beatus omnia cognoſcit in Verbo: ergo & ea, quæ ad ſtatum illius ſpectãt; ergo & orationes, quæ ad illum à viatoribus funduntur: ſed ea, quæ ad ſtatum eius ſpectant, non ſunt omnia ſimul, ſed ſucceſſiuè. *Idem* dicendum de orationibus ad illos ordinatis, quód eas tum cognoſcunt, cum ad illos funduntur.

Reſpondeo cum Caiet *in 3. p. q. 10. art. 2.* quód Beati in primo inſtanti ſuæ beatitudinis cognoſcũt omnia in Verbo, quæ ad ſtatum illorum pertinent; reliqua verò, quæ in progreſſu beatitudinis ad illorum ſtatum ſpectant, cognoſcunt in Verbo non formaliter, ſed cauſaliter, hoc eſt; quia ex viſione Verbi oritur, vt fiant Beatis peculiares reuelationes de huiuſmodi rebus.

Quidam dicunt quód Beati etiam, quæ ad eorum ſtatum ſpectant in omni progreſſu beatitudinis, in primo inſtanti beatitudinis vident in Verbo formaliter ſine vlla ſucceſſione, ſaltim radicaliter & originatiuè.

De orationibus fidelium dico, quód hæ ad ſolum Chriſtum tanquam ad me-

ad mediatorem Dei & hominum eſſentialiter & intrinſecè ſpectant, & ideo illas anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ beatitudinis videt.

Quòd verò etiam hæ orationes ordinantur ad beatos, non eſt hoc intrinſecum & eſſentiale illorum ſtatui, ſed ſolùm eſt conſequens: nam cum ſint amici & commenſales Dei, ex quadam naturali conſequentia, ad illos videtur pertinere facultas ſiſtendi orationes noſtras Deo, & intercedendi pro nobis. vnde non eſt neceſſe, vt orationes, quas ad eos fundimus, formaliter cognoſcant in Verbo; ſed ſufficit; quód cognoſcant cauſaliter.

QVÆSITVM XI.

An homo in hac vita poſſit videre Deum per Eſſentiam?

65. DVplici via de veritate huius Quæſiti inquiremus: *primò* ſecundùm legem ordinariam: *ſecundò* ſecundùm extraordinariam ſeu abſolutam.

Nullus homo purè poteſt Deũ per Eſſentiã videre.

QVANTVM *ad primum* dico. *Nullus homo purus, quamdiu eſt in hac vita mortali, poterit Deum per Eſſentiam videre.* PROBATVR. Ita hic loquitur D. Th. *in 1. p. q 12. art. 1.* Et Exodi 32. dicitur: *Non videbit me homo & viuet.* Gloſſa explicat: *Quamdiu hic mortaliter viuitur, videri poteſt Deus per quaſdam imagines, ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem non poteſt.* Et 1. ad Timoth. 6. *Deum nemo vidit vnquã, nec videre poteſt.* In his verbis eſt lex vniuerſalis omnes excludẽs à viſione Dei, non tantùm oculari, ſed etiam intellectuali. *Et ratio eſt* D. Th Modus cognitionis ſequitur modum eſſendi naturæ cognoſcentis: ſed animæ cognoſcentis modus eſſendi eſt in corpore mortali: ergo anima naturaliter non cognoſcit niſi ea, quæ habent formam in materia. ſed Eſſentia Diuina non eſt forma in materia, nec per aliquos ſenſus aut per dependentiam a phantaſmate haberi poteſt. ergo in hoc ſtatu mortali non poteſt videre Deum per Eſſentiam. *Confirmatur* quia cùm Deus ſit ſpiritus, nullam cum ſenſibus colligationem, aut à phantaſmate dependentiam habere poteſt.

Ratio ſecunda. quantò anima noſtra magis abſtrahitur à corporalibus; tantò meliùs intelligibilia capere poteſt: ergo vt anima ſit eleuata ad ſummum intelligibilium, quód eſt Eſſentia Diuina, exigit maximam ſeparationem, quæ ſit ab hoc mortali corpore: ergo in hac vita non poteſt videre Deum. *Antecedens* in ſomnijs & in alienationibus à ſenſibus corporis magis Diuinæ reuelationes, & præuiſiones futurorum percipiuntur.

Quæ cauſa quòd Diuinæ reuelationes meliùs in ſomnijs cognoſcuntur quàm in vigilia?

66. *Sed quæres* quæ cauſa, quód Diuinæ reuelationes meliùs in ſomnijs cognoſcuntur, quàm in vigilia? *Reſpondeo* quia corpore conſopito iam anima quieſcit, nec per obiecta externa materialia diſtrahitur.

ſitur, vnde in ſomnijs ad res ſpirituales, quales ſunt reuelationes immiſſæ, magis eſt diſpoſita intelligendas.

Hîc tamen noto, quód cùm ſint duo, quæ conferunt ad res ſpirituales perfectè percipiendas, apprehēſio & iudiciū dico, quód quantū ad apprehenſionem, tunc eſt intellectus valdè diſpoſitus: quia ceſſat à cognitione, & phantaſmata quieſcunt. vnde tunc optima eſt diſpoſitio ad res ſpirituales, vt illi imprimantur. *Quantum ad iudicium dico*, requiri vigiliam, quia hoc fit per diſcurſum, & per reſolutionem ad ſingularia: vnde ne aliqua in iudicio ſit fallacia, requiritur vigilia, & in hac collatio cum ſenſibilib⁹. *v. g.* cùm Iacob vidit in ſomnijs ſcalam, & Angelos modò aſcendentes, modò deſcendentes, & Deum ipſum innixum ſcalæ, ſic conſopitus hanc viſionem benè apprehendit: tandem in vigilia exſiſtens iudicare cœpit de viſione: *Verè Dominus eſt in loco iſto ſancto, & ego neſciebam;* In ſomnis neſciebat, quód in illo loco eſſet Deus, ſed in vigilia hoc ita eſſe iudicauit.

An poſſit aliquis in hac vita videre Deum per Eſſentiam?

67. QVANTVM *ad alterum*, hoc eſt *An loquendo de abſoluta Dei potentia, poſſit aliquis in hac vita videre Deum per Eſſentiam?*

Dico primò. *De Chriſto Domino nullum eße dubium, ſiquidem in ſtatu vitæ præſentis fuit & viator & comprehenſor*, vnde à primo inſtanti conceptionis ſuæ, anima eius Eſſentiam Diuinam clariſſimè videbat, eadēque fruebatur.

Quo tempore Beatiſſima Virgo vidit Eſſentiam Diuinam?

Dico ſecundò. *Idem dicendum de B. Virgine, quæ poſt Chriſtum ſuper omnes homines omnibus prærogatiuis gratiarum tanquam Mater Dei dotata erat; quód hac maximè eo tempore, quo Chriſtum Deum in ſuo vtero virgineo geſtabat, viderit Eſſentiam Diuinam.* Ita Antoninus tenet 4. *p. tit. 15. cap. 17.* D. Ber. Alb. Mag. Rupertus, Catharinus, & alij. Sed de alijs hominibus maximè de Moyſe, & de D. Paulo eſt controuerſum, an in hac vita viderint Eſſentiam Dei? Pro determinatione

Valde eſt probabile quód Moyſes & D. Paulus in hac vita non viderint Eſſentiam Diuinam.

68. Dico primò. *Valde eſt probabile quód Moyſes & D. Paulus in hac vita non viderint Eßentiam Diuinam.* Ita tenet Ireneus lib. 4. contra Hæreſes. Origenes lib. 2. Periarchon. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, & alij quàm plurimi. *Probatur.* Lex eſt vniuerſalis. *Deum nemo vidit vnquam*, & ab hac lege non licet quenquam excipere ſine reuelatione Dei, aut authoritate Eccleſiæ, aut alia graui cauſa. ergo ab hac regula nec Moyſes, nec D. Pau. excipiendus. *Tandem* non colligitur apertè ex Scriptura, quód viderint: nam de hac viſione dicit Deus Moyſi, *Oſtendam tibi omne bonum*: poſtea ſubijcit, *verumtamen faciem meam non videbis, ſed poſteriora mea videbis.* ſi non vidit faciem Dei: ergo nec Eſſentiam. *Similiter* ex verbis D. Pauli non poteſt colligi an viderit Eſſentiam Diuinam, dicit enim 2. Corinth. 12. loquens de ſuo raptu ſe neſcire, an in corpore? an extra corpus raptus fuerit? *Tandem* dicit ſe audiſſe arcana Dei: ſed auditio non eſt viſio: ergo non vidit.

Ad extremum. Si moyſes & D. Paulus viderunt Eſſentiam Diuinam, ſequitur, quód poſt hanc viſionem in hac vita exſiſtentes non habuerunt

erunt fidem. *Conſequentia.* vt enim lumen ſcientiæ deſtruit fidem; ita lumen gloriæ, in qua videtur Diuina Eſſentia, deſtruit propter ſuam claritatem lumen obſcurum fidei.

Obiectio.

Dices. Illud lumē gloriæ in Moyſe & in D. Paulo non erat permanens, ſed per modum tranſeuntis.

Solutio ei⁹

ergo ſecum fidem ſaltem in habitu compatiebatur? *Reſpondeo* quód, quemadmodum habitus & priuatio opponuntur ſibi, ita & lumen clarum gloriæ, & obſcurum fidei, ſed priuatio & habitus, (vt cæcitas & viſio) non compatiuntur ſe ad inſtans. Ergo nec lumen gloriæ cum lumine fidei poterant ſe ad inſtans compati.

Valde eſt probabile quòd Moyſes & D. P. viderint Eſſentiam Diuinam.

69. Dico ſecundò. *valde probabile eſſe videtur, quód Moyſes & D. Paulus viderint Eſſentiam Diuinam.* PROBATVR. Fuit enim magna cauſa, ob quam ab illa lege generali (*Deum nemo vnquam vidit*) excipi debebant. Quia Moyſes primus Doct: Synagogæ à Deo inſtitutus erat, & D. Paulus fuit aſſumptus, vt eſſet vas electionis & Doctor gentium. ergo oportebat, vt per claram viſionem de myſterijs Diuinis informarentur.

Præterea. de Moyſe Numeri 12. legimus. *ſi quis fuerit Propheta inter vos, apparebo ei in viſione, vel per ſomnium; at non talis ſeruus meus Moyſes ore enim ad os loquor ei, non per ænigmata, aut per figuras Dominum videt.* Ex quo colligere licet, quód Moyſes ſupra omnes prophetas ſingulari prærogatiua donatus erat, vt videret Eſſentiam Dei. Et D Paulus de ſe loquitur, quód vſq; ad tertium cælum raptus fuerit: quæ verba Gloſſa interlinealis explicat de viſione beata. *Ibid.* habetur verbū *Paradiſus*, quód ſignificat quandā delectationem ex fruitione Eſſentiæ Diuinæ. Corollariū.

An Adam in illo ſopore, quem Deus in illum immiſerat, viderit Eſſentiam Diuinam?

Sed quæres. An Adam in illo ſopore, quem Deus in illum immiſerat, viderit Eſſentiam Diuinam? *Dico* quód ita Magiſter ſententiarum docuit & D. Bern: ſerm. 2. Septuag. dicit Adam intuitu immutabilis veritatis obdormiuiſſe. *Et ratio eſt:* quia Adam fuit caput, & Pater generis humani. Sed hæc ſententia non habet vllum fundamentum in Scriptura. *Tum* quia dicit D. Auguſt. quód Adam in illo ſopore fuit tanquā in extaſi, & more Prophetarum habuit Diuinas reuelationes, ſed extra verbum. *Ad extremum* quia excitatus ab illo ſopore ſtatim incidit in peccatum inobediētiæ: ergo non eſt credibile quód viderit Eſſentiam Diuinam.

QVÆSITVM XII.

An per naturalem rationem Deum in hac vita cognoſcere poſsimus?

Intellectus creatus poteſt cognoſcere Deum ratione naturali in quantū eſt cauſa prima.

70. DICO. *intellectus creatus, poteſt cognoſcere Deum, ratione naturali, in quantum eſt cauſa prima, & ſuprema omnium rerum. Et ratio eſt.* Quia naturalis noſtra cognitio oritur ex ſenſibus, & tantū extenditur, in quantum ſenſibilia manu

manu ducunt, ſed creaturæ ſunt ſenſibiles, & ſenſibus apprehenduntur, & ſunt tanquam effectus à Deo dependentes. Ergo ex creaturis poteſt Deus, tãquam cauſa prima cognoſci. *Ex quo inferas*, quód per rationē naturalem, non poteſt homo videre Eſſentiam Diuinam.

QVÆSITVM XIII.

An per gratiam habeatur altior Dei cognitio, quàm ſit ea, quæ eſt per rationem naturalem?

Cognitio de Deo per gratiā perfectior eſt quàm per rationē naturalem.

71. AD Quæſitum dico. *Cognitio per gratiā de Deo perfectior eſt, quàm per rationem naturalem.*

PROBATVR. Quia humana cognitio per gratiam iuuatur, & quoad lumen intellectuale naturale, & quoad phantaſmata. ergo per gratiam eſt perfectior. *Antecedens* Duo enim requiruntur ad cognitionem naturalem. *Primò*, phantaſmata à ſenſibilibus accepta; *Secundò*, lumē intelligibile naturale, & hæc per gratiam iuuantur, nam per lumen gratiæ infusū intellectui, ipſa phãtaſmata meliùs exprimunt Diuinas res, vt accidit in viſionibus Prophetarum. *Tum* & res quædam ſenſibiles formantur diuinitus, vt in Baptiſmo Chriſti vox audita. *Hic eſt Filius meus &c.* & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ viſus.

Ad cognitionem naturalē requiruntur duo

Ad extremum, humanæ rationi naturali multa non apparent, quæ tamen per fidem certò cognoſcuntur: nam intellectus ad ea, quæ ſunt manifeſta naturâ, habet ſe ſicut oculus nycticoracis, & tanto magis ad ea, quæ lumine fidei ſuper naturali cognoſcuntur: ergo ad ea cognoſcenda ſuperiori lumine, gloriæ indiget.

Hucuſq; de Beata viſione, quà completâ ad noſtrum propoſitum reuertemur, v. ad Tertiam virtutem Theologicam Charitatem explicandam. Hoc verò quod à nobis in hac Diſputatione allatum eſt, ad Gloriam Dei & Honorem B VIRGINIS cedere exoptamus.

IN TRACTATVM DE CHARITATE PRÆFATIO.

Dignitas Charitatis quæ & quāta?

INgredimur ipſo Deo conatus noſtros promouente ad conſideratioñe de Charitate, quæ eſt tertia virtus Theologica. Quæ quantæ ſit dignitatis? & ſacræ literæ, & SS Patrum ſcripta abundè teſtantur. D. Paul. 1. Corinth. 13. ſic de Charitate loquitur: *Si habuero prophetiam, & nouero omnia myſteria, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem ita, vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Sine charitate nec eleemoſynæ, licet largè effuſæ in pauperes fuerint, quidquam proſunt; nec Martyrium aliquid valet, etiam ſi quis corpus ſuum ad flammas pro fide ingruente perſecutione tradat. Hanc D. Baſilius radicem mandatorum Dei, D. Nazianzenus doctrinæ noſtræ caput; Tertullianus Summum Fidei Sacramentum, & Theſaurum Chriſtiani nominis, appellat: ex qua reliquæ virtutes ſuum pretium capiunt, & quæuis aliæ primariæ, hac deſtituta odio ſunt Deo, & velut pannus menſtruatæ reputantur. Hæc nos in Deum transfert & transformat, & naturæ Diuinæ conſortes efficit, qui enim in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo. Hæc omnium affectionum potentiſſima, nam id, quod eramus v. per peccatum, excludit, & præſtat, vt ſimus, quod non eramus, v. noua creatura Dei; ſiquidem dilectio procurat quandam mortem, qua mortuus ille erat, qui dicebat: *Mundus*

dus

dus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Et Cantica dicunt: *Fortis eſt, vt mors dilectio.* ſicut enim mors corpus interimit; ſic dilectio Dei amorem rerum temporalium occidit & ad terrena deſideria inſenſibiles reddit: & cùm alia (vt Fides, Spes, Scientia, &c.) euacuata fuerint, hæc ſola manebit; & ipſam abyſſum charitatis, quæ eſt ipſe Deus, ingreſſa ſuam perfectionem ſortietur. His ita velut primis labris de dignitate charitatis deguſtatis, ad illius penetralia penitiùs perſcrutanda accedamus.

DIVISIO TRACTATVS.

Tria ſunt generalia Capita, ad quæ doctrina S. Doct. de Charitate reuocari poteſt: *primum* Caput continet ea quæ ad conſtitutionem eſſentiæ Charitatis ſpectant: *alterum* Effectus duplices enumerat, Interiores & Exteriores: *tertium* vitia oppoſita charitati proſequitur. Sed nos veſtigijs doctrinæ S. Doct. inſiſtentes, hunc Tractatum in viginti quatuor Diſputationes partiemur.

1. *De Charitate ſecundùm ſe conſiderata.*
2. *De Subiecto.*
3. *De Obiecto, ſeu de rebus, quæ per charitatem diliguntur.*
4. *De Ordine, quo in diuerſa obiecta refertur.*
5. *De actu illius proximo, qui eſt Dilectio.*
6. *De primo effectu interno charitatis, v. de Gaudio.*
7. *De ſecundo effectu interno, ſ. de Pace.*
8. *De tertio effectu interno, ſ. de Miſericordia.*
9. *De primo effectu externo, qui eſt Beneficentia*
10. *De ſecundo effectu externo, qui eſt Eleemoſyna.*
11. *De tertio effectu externo qui eſt Correctio fraterna.*
12. *De vitiis oppoſitis charitatis, & primò de Odio, quod charitati opponitur.*
13. *De Acedia, quæ contrariatur Gaudio.*
14. *De Inuidia, quæ ſimiliter gaudio contrariatur.*
15. *De Diſcordia.*
16. *De Contentione.*
17. *De Schiſmate.*
18. *De Bello, quæ omnia vitia opponuntur Paci.*
19. *De Rixa.*
20. *De Seditione, quæ duo charitati ſunt oppoſita.*
21. *De Scandalo, quod Beneficentiæ opponitur.*
22. *De Præceptis charitatis.*
23. *De Dono Sapientiæ, quod eſt annexum charitati.*
24. *De Stultitia oppoſito vitio Sapientiæ.*

Et de his eâ breuitate agemus, quæ tamen primariam doctrinam Charitatis poſſit enucleare.

DISPV-

DISPVTATIO I.

De Charitate ſecundùm ſe conſiderata?

A Quæſtione 24. D. Th. de Charitate agere incipit, & huius Quæſtionis octo aſſignat articulos, quos contrahimus ad tria Quæſita:

1. *An charitas ſit amicitia?*
2. *Charitati ſecundùm ſe conſideratæ, quomodò conueniat ratio virtutis?*
3. *Charitas qualis ſit virtus, comparata cum alijs virtutibus?*

QVÆSITVM I.

An Charitas ſit Amicitia?

1. IN hac Diſputatione inquirimus de Eſſentia Charitatis, & cum hæc etiã in ipſo nomine *Charitatis* lateat, de hoc inquirendum, quidnam ſignificet? Nomem itaq; *Charitatis* quidam deducunt ex Græco χάρις, quod ſignificat *Gratiam.* Scaliger deflectit ex Hebr. *Iaccar.* quod *pretioſum* ſonat: nam charitate nihil pretioſius. Quidam volunt eã vocem eſſe prorſus Latinam, quæ *beneuolentiam* ſonat; quæ inter caros & raros amicos eſſe ſolet. Charitati reſpõdet Græca dictio Ἀγάπη quæ Dilectionem ſignificat. Vnde

Deductio Charitatis varia.

Acceptio Charitatis quintuplex

Nota. Charitatem ſumi quintupliciter. *Primò* pro amore honeſto gratuito inter eos, qui per ſe amantur, & viciſſim redamare poſſunt: & hoc modo ſumpta amicitia diſtinguitur ab illa, quæ eſt ob voluptatem, aut vtilitatem (vt inferius dicemus) *Secundò* in Diuinis eſſentialiter: Deus enim propriè & eſſentialiter eſt ſua charitas. *Tertiò* notionaliter ſimiliter in Diuinis, & ſignificat tertiam perſonam in Diuinis Spiritum S. *Quartò* relatè in ordine ad creaturas, quibus Deus ſuam charitatem impertit. 1. Corinth. 13. *In charitate perfecta dilexite,* id eſt, amore honeſto & gratuito. *Quintò* ſignificat res, quæ ex charitate procedunt; vt Eleemoſynam, conuiuium, quod olim (vt D. Auguſt. lib. 10. cap. 20. contra Fauſtum commemorat) ſumma cum Charitate Chriſtiani inter ſe celebrabant; vt tantò magis inter eos amor Chriſti Domini accenderetur. Et Romani ad conuiuia, quæ *Chariſtica* nominabant, vocabant affines, conſanguineos, in quibus amicitias reſtaurabant, & firmabant. Iam verò in præſenti tractatione Charitas ſumitur pro Amore honeſto, gratuito, Diuino, eadem-

eademq; ſupernaturali, quo Deū. vt authorem gratiæ & beatæ vitæ, ſuper omnia diligimus, & proximos propter Deum.

Differentia inter Amorem Dilectionem & Charitatē?

2. *Nota ſecūdò?* hæc nomina *Amor, Dilectio, Charitas*, differre inter ſe. Nomen enim *amoris* indifferenter ſumitur; ſed frequentiùs in malam partem, vt mundanum amorem ſignificet: vnde Origenes obſeruat, quód S. Scriptura libentiùs vtitur nominibus *Charitatis, & Dilectionis*, quàm *Amoris*: Nomen verò *Dilectionis* ſignificat amorem inchoatum imperfectum, quo erga Deum afficimur: Charitas autem ſumitur pro virtute, ſeu pro habitu ita, vt Charitas (vt D. Bern: docet lib. de Natura & Dignit. Diu. amoris) ſit amor perfectus & illuminatus, in quantum iam eſt confortatus & illuminatus, vnde iam nomen maioris virtutis, & amplioris dignitatis ſortitur.

Sed ad reſolutionem Quæſiti accedamus, in quo inquirimus; an charitas, qua Deū ſuper omnia diligimus, mereatur nomen *amicitiæ*? Pro quo notamus tria.

Amicitiæ acceptio duplex.

3. *Noto primò.* nomen *Amicitiæ* dupliciter ſumi. *primò* vt dicit quādam relationem, amicus enim eſt amici amicus. *ſecundò* vt dicit Fundamentum, v. aliquam virtutem, vel aliquid ſimile, ſupra quod amicitia fundatur. Et hoc ſecundo modo ſumimus Amicitiam. Eſt autem triplex fundamentum amicitiæ, *Honeſtum, Vtile, Delectabile*; & ideo & amicitia erit triplex *Honeſti, vtilis, & Delectabilis*, ſed amicitia honeſti duas poſteriores antecedit; quia hæc ſimpliciter eſt amicitia: nam ſolùm eſt inter bonos; vtilis verò,

Fundamentum triplex amicitiæ & ſpecies eiuſdem.

& Delectabilis etiam inter malos. *Tum* illa eſt diuturna, hæ verò non ſunt conſtantes: quia commodum & delectationem quærunt; quæ facilè amittuntur. *Deniq;* Honeſti amicitia illas duas in ſe includit: nam inter honeſtos amicos contingit, quód ſibi ſint iucundi & vtiles, licet non ea de cauſa ſint amici facti.

Amicitiæ quoad perſonas duplex.

4. *Noto ſecundò.* Amicitia conſiderata quoad perſonas, inter quas contrahitur, eſt duplex. *prima eſt* Æqualitatis ſecundùm proportionem, & talis eſt inter duas perſonas conditione ſibi æquales. *Altera eſt* Eminentiæ, in qua duæ vniuntur perſonæ, quarum vna ſuperior, & altera inferior; & talis eſt amicitia inter Regem & ſubditum, inter Deum & hominem.

Noto tertiò. Variæ quidem ſunt ſpecies amicitiæ, vt Regia, ciuilis, Paterna, Filialis, Domeſtica, & hæ reuocantur ad illas tres ſpecies prædictas honeſti, delectabilis, vtilis. ergo ſolùm erunt tres.

Bonorum tria genera

Probatur. Quia amicitia ſignificat beneuolentiam mutuam, quæ fundatur in aliqua communicatione, qua alicui uolumus bonū propter ipſum: ſed bonorum tria ſunt genera Honeſtum Vtile, Delectabile. ergo tres tantùm erunt ſpecies amicitiæ, ad quas reliquæ reuocantur. His præmiſſis ad Quæſitum.

Charitas inter Deum & hominē eſt vera & perfecta amicitia.

5. Dico primò. *Charitas, inter Deum & hominem, eſt vera & perfecta amicitia*, ſeu quod idem eſt *dilectio, qua nos diligit Deus, & qua nos diligimus Deum, in quantum eſt ſuprema bonitas, eſt perfecta amicitia* PROBATVR primò. Sacra Scriptura tribuit homi-

 nibus

nibus iuſtis nomen *amici* reſpectu Dei. ergo eſt amicitia inter Deum & hominem *Antecedens.* Iudith. 8. Abraham dicitur; quód per multas tribulationes probatus Dei amicus factus eſt. Et Pſal. 138. *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus.*

6. *Probatur* ſecundò Octo ſunt conditiones amicitiæ. ſed hæ competunt charitati. ergo charitas eſt perfecta amicitia.

Conditiones amicitiæ octo.

Maior. PRIMA *conditio amicitiæ eſt*, vt ſit amor cum beneuolentia *non autem amor concupiſcentiæ: hoc eſt, vt ſit amor rei per ſe, non autem* ob noſtram voluptatem aut vtilitatem, nam hic eſt amor concupiſcẽtiæ. *Secunda* vt amicitia ſit inter ſuppoſita rationabilia, vt poſſint & amorem percipere, & cùm beneuolentia amare.

Quæ res ab amicitia excludantur?

Ex quo collige. quód ab amicitia excluduntur res inanimatæ vt cibus, potus, aurum. *Tum* & res ſine ratione, vt equus, canis. nam non dicimur erga hæc habere amicitiã,

Tertia conditio vt hic mutuꝰ amor fundetur in aliqua communione; aut ſanguinis, vt inter conſanguineos accidit; aut ſtudij, eiuſdemq; inſtituti, vt inter ſtudioſos commilitones; aut virtutis, vt inter viros probos. *Quarta*, vt hic mutuus amor non ſit latens, ſed manifeſtò ſe prodens ſignis externis, aut officijs; nemo enim illum dixerit eſſe ſuum amicum, qui ignorat quomodo erga ſe ſit affectus. *Quinta*, hic etiam amor originem ſumit ex mutuo colloquio, & ab eodem conſeruatur, & hac conſuetudine colloquendi ſublata, ſenſim amicitia aboletur. *Sexta*, vt ſit in honeſtate fundata, & non in vtilitate neque in delectatione. *Septima*, vt amicitiæ ſit proprium magis amare, quàm amari. *Octaua*, vt ſit ad pauciores, quia inter plures eſſe nequit.

Charitati Amicitiæ conditiones conueniunt.

7. *Minor* quód hæ conditiones conueniant charitati, quæ eſt inter Deum & hominem, *probatur.* prima conuenit: quia in charitate eſt amor mutuus cum beneuolentia: Deus enim, qui eſt ſuprema bonitas, digniſſimus eſt, vt amore beneuolentiæ ametur: & homo ob id, quod ſimilitudinem Dei gerat, dignus eſt vt à Deo redametur. *Secunda conuenit*, quia vtrumq; ſuppoſitum, tam Deus quàm homo, eſt intelligens; Deus enim diligit nos ob gratiam ſuam, quæ eſt in nobis, & nos per charitatem eundem diligimus, & hinc conſurgit mutuus amor. *Tertia conuenit*, quia communio intercedit, in hac vita gratiæ, in futura beatitudinis æternæ.

Probatur de quarta. Deo eſt manifeſtus amor. 2. ad Timoth. 2. *cognouit Dominus, qui ſunt eius.* non aliunde, quàm ex charitate. Manifeſtus & iuſto homini. Ad Rom. 8. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus.* Et hæc manifeſtatio in iuſtis eſt quidem infallibilis, quia à Spiritu S. ſed non euidenter, vt omnem metum contrarium excludat; ſed probabiliter, quia per coniecturas habetur: nam ex affectu animi in Deum, & ex ſuis bonis actionibus colligit ſe eſſe in gratia Dei.

Probatur de quinta, Deus enim illuminando per inſpirationes loquitur hominibus, & homines orando, legendo Scripturas, & Deũ

colendo

colendo, loquuntur Deo. *Item de ſexta* quia hæc amicitia conſiſtit in bonis ſpiritualibus, quæ nomen honeſtatis habent. *Item de ſeptima*, quia Deus amore ſuo nos præuenit & ad amandum inuitat, & ita charitas Deum amat, vt eum amare ſit parata, etiamſi nihil vtilitatis ſperaret: *Deniq; de octaua* quia charitatis effect⁹ in ſolum Deũ extenditur, ad alia verò amãda ideo ſe extẽdit, in quantum ſunt aliquid Dei.

Charitas inter Deum & hominem perfecta eſt

Ex quo iam inferimus, quòd cùm in charitate, quæ eſt inter Deum & hominem, reperiantur conditiones amicitiæ; charitas inter Deum & hominem erit perfecta amicitia.

Effectus amicitiæ 4.

8. *Probatur tertiò*, quatuor ſunt effectus amicitiæ: *primus* vnitas animorum, vnde amicus dicitur *Alter ego*, & *Dimidium animæ*: *ſecundus* vt amicorum ſit idem velle & nolle: *tertius* vt ſit communicatio ſecretorum: *quartus* vt ſit communitas bonorum externorum. ſed hæc charitati inſunt. ergo. MINOR. *ineſt primus*. quia homo cum Deo eſt vn⁹ ſpiritus, & Deus per ſua dona eſt in iuſto, & iuſtus per cordis deſideria eſt in Deo. *Secundus ineſt*, quia Deus timentium ſe voluntatem facit; iuſtus quoq; facit voluntatem, & orat quotidie; *Fiat voluntas tua*, vt ab omnibus impleatur. *Tertius ineſt*, quia viri iuſti ſecreta cordis ſui coram Deo exponunt. Pſal. 141. *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio*; viciſſim Deus iuſtis ſecreta communicat Ioan. 15. *Vos iam dixi amicos; quia omnia, quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis*. *Quartus deniq; ineſt*, quia Deus ob charitatem, qua nos dilexit, dedit nobis Filium, & cum eo donauit nobis omnia: ſimiliter homo ob eandem charitatem, & ſe, & omnia, quæ à Deo accepit, in Deum transfert.

Charitas qualis eſt amicitia?

9 Dico ſecundò. *Charitas non eſt amicitia æqualitatis, ſed eminentiæ* PROBATVR. Quia Deus, quantumcunq; ſit homini per charitatem conſociatus, non eſt illi æqualis. *Tum* quia ad amicitiam non requiritur omnimoda æqualitas: nam ſecundum Ariſt. libro 8. Eth: cap. 7. datur amicitia inter parentes, & filios inter dominum & ſeruum; inter quos tamen non eſt æqualitas ſimpliciter, ſed quædã. nam æqualitas duplicem proportionẽ admittit; *quædam* eſt Arithmetica, qualis eſt inter angelum & angelum, inter hominem & hominẽ: *Quædam* quæ conſiſtit in proportione Geometrica, & in hac fundatur amicitia excellentiæ, qualis eſt inter Regem & ſubditum: quæ quidem non facit æqualitatem perfectam, ſed quandam. vt Homo quoad ſua dona naturalia, non eſt ſufficienter proportionatus Deo, ſed (vt D. Damaſc. docet *lib. 4. de fide*) Fide proportionatus Deo per adoptionem gratiæ, & aliorum donorum ſupernaturalium. *Tum* quia hæc charitas, & amicitia inæqualitatis efficit, vt amicus ad amicum ſe demittat, & ſic iam quædam proportio intercedit: & hac ratione demiſit ſe Deus ob charitatem & formam ſerui induit, & habitu inuentus vt homo, Similiter & homo per actus dilectionis ſupernaturalis attingit Deum, non quidẽ prout in ſe eſt Deus; ſed in quãtum nobis per fidem innoteſcit: & hac ratione datur æqualitas ſaltem pro

 portio-

portionis, inter Deũ & hominem

Quod verò hæc charitas ſit in amicitia Eminentiæ, facilè colligitur: ſiquidem eſt inæqualitas, & vnum ſuppoſitum eſt ſupereminens, vt Deus: ergo eſt eminentiæ.

Charitas Dei & hominis eſt ſupernaturalis amicitia

10. Dico tertiò. *Hæc charitas Dei & hominis eſt amicitia ſupernaturalis.* PROBATVR, quælibet amicitia fundari debet in aliquo vinculo, quo animi amicorũ vinciri poſſint; & hoc ſi ſit naturale, etiã amicitia erit naturalis ſi autẽ ſit ſupernaturale, etiam amicitia erit ſupernaturalis: ſed hoc vinculũ, quo iuſti cũ Deo vniuntur, eſt merè ſupernaturale; in hac vita eſt gratia, in futura eſt beatitudo: ergo eſt ſupernaturalis.

Obiectio

Sed dices, per ſola naturalia poſſe eſſe amicitiam inter Deum & hominem: nam homo cognoſcit ſe habere à Deo *eſſe* exſiſtentiæ, & in hac communicatione poteſt fundari amicitia.

Solutio ei⁹

Reſpondeo hanc communicationem exſiſtentiæ cognoſci per creationem: ſed creatio lumine naturali cognoſci nequit: quia ſupponit nihil, quod reformidat naturalis ſcientia. *Tum dato*, quód lumine naturæ cognoſceretur; adhuc tamen *eſſe* exſiſtentiæ non erit vinculum ſpeciale amicitiæ cũ Deo, quia hoc etiã brutis inanimatis eſt communicatũ.

Obiectio altera.

11. *Rurſum dices* ſi *eſſe* exſiſtentiæ communicatum homini, nequit eſſe vinculum amicitiæ cum Deo; ſed *eſſe* rationale conceſſum homini à Deo erit iam vinculum naturale.

Eiuſdem ſolutio.

Reſpondeo cum S. Doct. *l. 2. quæſt. 3. art. 1. ad 2.* vbi docet, quód natura & id, quod naturæ debetur non eſt gratia. *Et ratio eſt.* nam id, quod ſuperadditur naturæ hominis, non eſt ex voluntate Dei gratuita, ſed ex neceſſitate intrinſeca naturæ hominis, quæ eſt rationalis: ſiquidem Deus in ſua idea naturæ humanæ ordinauit, hominem debere eſſe rationalem. vnde impoſſibile eſt homini communicari *eſſe* exſiſtentiæ, & non comunicari *eſſe* rationale. ideo *eſſe* rationale eſt debitum naturæ humanæ, atq; ſic non poteſt eſſe vinculũ amicitiæ.

Obiectio tertia.

Dices tertiò. quód aliqui naſcantur habentes perfectiones omnes naturæ humanæ, eſt gratuitum; quòd verò aliqui cæci, claudi, id non eſt gratiæ: ergo ſaltem hoc erit vinculum amicitiæ.

Ei⁹ ſolutio

Reſpondeo quòd hæ perfectiones non ſunt dona gratuita, ſed debita naturæ humanæ; quòd verò in his aliqui homines patiantur defectus, id accidit ex defectu cauſarum ſecundarum.

Amicitia Diuina [illegible] bilisſimo modo in ſe continet omnes ſpecies, gradus, perfectiones amicitiæ humanæ [illegible]

12. Dico quartò. *Hæc Diuina amicitia continet in ſe nobiliſſimo modo omnes ſpecies, gradus, perfectiones humanæ amicitiæ; ſicut Diuina bonitas eminenter complectitur, omnes gradus ac perfectiones bonitatis exſiſtentis in creaturis: & ſicut fides omnem ſcientiam, tam ſpeculatiuam quám practicam, eminenter in ſe includit.* & ad hanc perfectionem exprimendam Scriptura ſacra varijs ſimilitudinibus vtitur; modo *Ciuium, Domeſticorum*, vt *Vos eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.* modo *ſponſi & ſponſæ* inuitantium ſe ad nuptias (vt in Cãticis habetur) modo nomine *ſeruorũ*, quia ſeruire Deo eſt regnare cũ eo: ſed inter has ſimilitudines eſt primaria, & maximè hanc Diuinã amicitiã exprimẽs *Patris, & Filij*, vt habetur Ioã. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur.*

QVÆ-

QVÆSITVM II.

An ratio virtutis conueniat charitati?

Charitas non eſt Spiritus Sanctus; ſed habitus qui mentibus noſtris à Spiritu S. infunditur.

13. DIco primò. *Charitas, quâ Deum & proximũ diligimus, non eſt Spiritus S. ſed eſt habitus creatus, qui mentibus noſtris à Spiritu S. infunditur.*. Directè concludimus contra Magiſtrum qui lib. *1. diſt 17.* aſſerit nullam qualitatem actualem, aut habitualem dari in nobis, qua Deum dilectione ſupernaturali diligamus; ſed hunc actum præſtare in nobis Spiritum S. ita quód ipſe Spiritus S. ſit charitas. PROBATVR Dictum. Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Ex quo argumentor. Effectus diſtinguitur à ſua cauſa. ſed charitas, qua Deum diligimus, eſt effectus product° à Spiritu S tãquam à cauſa. ergo charitas eſt diſtincta à Spiritu S. & per conſequens non eſt Spiritus S. *Deinde.* In multis locis S. Scripturæ Charitas dicitur *maior & minor.* Ad Philipp. 1. *Et hoc oro. vt charitas veſtra magis ac magis abundet.* Et Ioan 15. *maiorem hac nemo charitatem habet.* ſed maior dicitur reſpectu minoris: ergo ſi charitas datur maior, dabitur & minor: ſed ſubſtãtia Spiritus S. eſt inuariabilis, & non dicitur maior aut minor. ergo Spiritus S. non eſt charitas *Præterea.* Concil. Trid. ſeſſ: 6. cap. 7. dicit cauſam formalem noſtræ iuſtificationis eſſe charitatem, quam dicit cordibus noſtris inhærere: ſed Spiritui S. non conuenit, vt inhæreat cordibus noſtris: quia inhærentia accidentibus eſt propria, non autem ſubſtantijs, qualis eſt Spiritus S. *Tum quoq.* D. Aug. in lib. de Spiritu & Litera cap. 32. dicit. *Charitas quippe Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos.*

Ex quo colligo. quòd alia eſt charitas, qua Deus ſeipſum diligit, & alia, qua nos diligimus, & alia, qua ipſum Deum diligimus: ſed ſi Spiritus S. eſt charitas, diligeremus Deum ea charitate, qua Deus ſe ipſum diligit (nam hæc charitas, qua ſe diligit, eſt Spiritus S.) quod D. Aug. negat. Charitatis diuerſitas.

Deniq. Aſſignare in anima actum charitatis, & remouere ab eadem anima habitum creatum eiuſdem charitatis, eſt minuere perfectionem charitatis: nullus enim actus perfectè produci poteſt ab aliqua potentia actiua; niſi habeat formam connaturalem, quæ ſit principium illius actus: ſed voluntas ſine habitu creato charitatis ſuperaddito, non eſt proportionata ad producendum actum dilectionis Dei ſuper omnia: ergo hic habitus creatus charitatis debet eſſe in anima.

Quomodo Deus poſſit ſine cooperatione habitus infuſi charitatis ſui dilectionem in nobis elicere?

14. *Nota primò.* Poteſt Deus ſine cooperatione habitus infuſi charitatis, elicere in nobis ſui dile-

dilectionem; aut per actuale auxilium gratiæ, aut per alium concurſum ſupernaturalem: poteſt quoq; Deus etiã ſe ſolo, ſine actuali auxilio, actum dilectionis ſupernaturalis efficere in nobis. *& ratio eſt*. Quidquid enim poteſt Deus mediante creatura, poteſt ſe ſolo: de lege tamen ordinaria non conſueuit Deus actus intellectionis & dilectionis, tam naturalis quám ſupernaturalis producere; niſi cum dependentia ab auxilio habituali, aut actuali communicato: quia hoc modus connaturalis operandi poſtulat: nunquam tamen Deus actum dilectionis ſui ſine voluntate elicere poteſt. Quia dilectio Dei ſuper omnia, eſt actus vitalis, procedens à voluntate, non vt à cauſa inſtrumentali, ſed vt à principali. ergo de intriſeca ratione dilectionis Dei erit, vt à principio intrinſeco vitam habẽte prodeat, & talis eſt voluntas.

Quomodo Deus ſit charitas?

15. *Nota ſecundò* pro reſponſione ad argumentum Magiſtri 1. Ioan: 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet*; quód Deus eſt charitas eſſentialiter, & ab eo eſſe omnem charitatem participatam diffuſam in cordib⁹ noſtris, quæ habet neceſſariam connexionem cum illa charitate, quæ eſt Deus; & ideo dicit; *qui manet in charitate*: hoc eſt in ea, quæ in nobis eſt, vt donum Dei; *in Deo manet:* quia cum illo habet vinculum neceſſarium, & eſt in Deo, vt lumẽ ſolis in ſole, aut vt dilectus in diligente: & dicitur *Et Deus in eo*, quia per hanc participatam charitatem diligit Deum.

Charitas eſt vera virtus?

16. Dico ſecundò. *Charitas eſt vera virtus*. PROBATVR, ex 1. 2. q. 55. art. 4. ubi ſic definitur virtus, eſt qualitas, qua bene vtimur, & nemo illa malè vti poteſt, & quam Deus in nobis ſine nobis operatur. ſed talis eſt charitas: ergo eſt virtus. *Item* virtus eſt quid honeſtum, & eum, in quo eſt, laudabilem reddit: ſed hoc charitas præſtat: ergo eſt virtus. *Tum* quia omnes actus humanos in Deum, tanquam in vltimum finem ordinat, quod quidem eſt ſummæ virtutis. *Tandem* duo ſunt de ratione virtutis: *primò* vt ſit habitus permanens; *ſecundò* vt ſit rectus: ſed hæc duo conueniunt charitati: ergo charitas eſt virtus.

Charitas eſt permanens.

Quòd charitas ſit permanens, probatur, quia contrarium dicere, ſi non ſit hæreſis, profectò temerarium eſt. *Tum* niſi in voluntate eſſet permanens charitas, voluntas cum delectatione non inclinaretur ad ſuam operationem: atqui inclinatur, quia charitas eſt amor, qui cum ſuauitate agit.

Charitas eſt habitus rectus.

Quòd verò charitas ſit habitus rectus, probatur, quia rectitudo & bonitas actus, conſiſtit in conformitate cum ſua regula, & hæc regula eſt Deus. & recta ratio: ſed charitas attingit Deum, qui eſt ſuprema regula actus virtutis: & attingit, in quantum eſt ſummum bonum, & ideo per habitum virtutis conuenienter amatur: ergo charitas eſt virtus.

Charitas licet ſit finita, producit tamen effectum infinitum.

17. *Nota* ex 2. articulo hic quæ. 24. ad 3. quód charitas, quamuis ſit finita, producit tamen effectum infinitum, hunc v quia animam coniungit Deo, quod accidit ex virtute agentis Dei.

Nota

Charitatis perfectio quanta? *Nota ſecundò.* Charitas tantæ eſt perfectionis, quód etiam in minimo gradu exiſtens ſit perfecta. *Et ratio eſt.* quia infuſæ virtutes in hoc differunt à moralibus, quód quæuis infuſa, etiam in remiſſo gradu, poteſt ſuos actus producere, quia ineſt ei vis Diuina, morales autem virtutes diminutæ nequaquam poſſunt. vnde minima charitas etiam hos effectus producit, quód amat Deum ſuper omnia, & proximum propter Deum, & ordinat omnes virtutes in Deum, peccatũ mortale ſecum non compatitur, actus meritorios vitæ æternæ operatur, & ad implenda Diuina præcepta eſt ſufficiens.

Differentia inter virtutes infuſas & morales.

Cur charitas inter virtutes aliꝰ maximè inclinet voluntatem ad ſuum actum? 18. *Nota tertiò.* Inter alias virtutes charitas maximè inclinat voluntatem ad ſuum actum: *primò* quia actus amandi eſt omnium facillimus: *ſecundò* quia imperium charitatis efficit, quód aliæ virtutes inclinantur ad ſuos actus, ipſa verò ſine cuiuſquam imperio ad amãdum inclinat ſe: *tertiò* quia charitas eſt ipſe appetitus, inclinatio & pondus cordis: *quartò* quia charitas omnium virtutum eſt perfectiſſima; quantò autem eſt virtus perfectior, tantò magis ad ſuum actũ inclinat: ergo charitas maximè inclinabit.

Obiectio. 19. *Sed obijcies.* ſi charitas inclinat ad ſuos actus, vnde ergo difficultas? *Reſpondeo* hanc difficultatem oriri ex paſſionibus, quæ charitati directè & formaliter non opponuntur: nam cum ea bene ſtare poſſunt, vt cùm peccatori contrito infunditur charitas, non ſtatim appetitus ſenſitiui paſſiones tolluntur.

Solutio eiꝰ prima.

Solutio altera. *Secundò reſpondeo* oriri hanc difficultatem ex parte ſubiecti, nam habitus acquiſiti, quia per exercitium actuum acquiruntur, ideo circa ſubiectum minuunt difficultatem: ſed habitus infuſi virtutũ, qualis quoq; eſt charitas, non acquirũtur ſed infunduntur; & hinc difficultas ex parte ſubiecti, nihilominus ipſa charitas eſt ſufficiẽs ad promptè operandum.

Charitas eſt virtus ſpecialis. 20. Dico tertiò. *Charitas eſt ſpecialis virtus* PROBATVR. Nullum generale annumeratur ſpecialibus. ſed 1. Corinth. 13. Fidei, Spei, quæ ſunt virtutes ſpeciales, annumeratur Charitas: ergo & charitas eſt ſpecialis virtus *Deinde* quãdo ſpecialis difficultas occurrit in operatione circa aliquod obiectũ, tunc danda eſt ſpecialis virtus ad tollendam illam ipſam difficultatem: ſed circa amandum Deum ſuper omnia, occurrit ſpecialis difficultas, ſiquidem Eccleſiæ eſt determinatio, quód *nemo ſine ſpeciali auxilio Dei poſſit diligere Deum*: ergo ad hanc difficultatem ſuperandã, virtus ſpecialis charitatis admittenda.

Obiectum charitatis eſt bonum diuinum. 21. *Præterea* quia charitas habet ſpeciale obiectum, circa quod verſatur v. *Bonum Diuinum*: ergo eſt virtus ſpecialis. *Antecedens.* Per *bonum Diuinum* intelligimus Deum, vt eſt ſummum bonum in ſe, & ſummè amabilis propter ſemetipſum: & per hanc rationem formalem ſui obiecti diſtinguitur charitas à virtutibus, & Theologicis & Moralibus. *Per fidem* enim cognoſcitur bonitas Diuina, ſed non ſub ea ratione, vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum: ſed inquantum

Quomodo diſtinguatur charitas à virtutibus Theologicis & moralibus.

quantum eſt à Deo, tanquam à prima veritate reuelata: *per ſpem* verò ſperatur à nobis Deus, ſed non in quantum eſt ſummè amabilis, ſed in quantum eſt bonum noſtrum poſſibile in nobis virtute Diuina: ergo & à fide & à ſpe diſtinguitur. *Similiter* ab alijs moralibus differt: quia nulla illarum in Deum ſub ea ratione conſideratum tendit. *Deniq;* 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit*, hoc eſt, & hic in via & in patria ſemper manet. ſed pro eo tempore, quo eſt charitas in patria, non eſt cùm ea ſpes nec fides, quia iam euacuantur: ergo charitas erit ſpecie diſtincta.

Obiectio prima.

22. *Sed obijcies.* Ex præcepto Diuino *Diliges Dominum Deum tuum, &c* & *Diliges proximum, &c.* colligimus duo eſſe obiecta charitatis, v. Deum & Proximum: ergo duæ erunt virtutes, ſiquidem vnitas ſpecifica cuiuſlibet virtutis ſumitur ex obiecto.

Solutio eius.

Reſpondeo vnam & eandem ſpecie eſſe charitatem, qua Deum & proximum diligimus: cũ autem dicis vnitatem ſumendam eſſe ex obiecto, *reſpondeo* ſumendam ex obiecto formali, non autẽ materiali. Eſt autem formalis ratio obiecti charitatis Deus, in quãtum in ſe eſt ſummè amabilis: materialia autem obiecta ſunt duo, Deus & proximus; Deus autem eſt primarium obiectũ, Proximus verò ſecundarium.

Obiectum charitatis.

Obiectio altera.

Obijcies ſecundò. Charitas extendit ſe ad opera aliarum virtutum; dicitur enim ad Corinth. 13. quód *ſit patiens, benigna, non inflata, nom ambitioſa, &c.* ergo non eſt ſpecialis, ſed communis virtus.

Eiuſdem ſolutio.

Reſpondeo. Hæc opera aliarũ virtutum non ideo charitati tribuuntur, quaſi ab illa immediatè eliciantur: nam hæc à ſuis virtutibus exercẽtur; ſed quia à charitate imperantur, & in vitam æternam ordinantur, tanquam in præmium ſibi debitum.

Obiectio tertia.

23. *Dices vltimò.* Obiectum ſpei eſt bonum Diuinum, ſicut & charitatis: ergo non diſtinguuntur.

Reſponſio ad eam.

Reſpondeo hoc bonum Diuinum dupliciter conſiderari: *primò* in quantũ hoc bonum Diuinum eſt noſtrum, poſſibile in nobis virtute Diuina, vt nos beatificet, & ſub hac ratione eſt obiectum ſpei: *ſecundò* eſt in ſe conſideratum ſecundùm omnimodam perfectionem, & vt ex ſe eſt amabile, nullo reſpectu habito ad commodum noſtrum; & ſic eſt obiectum charitatis. vnde ſunt obiecta diſtincta, & per conſequens diſtinctæ virtutes.

An ille dilectionis actus quo Deum diligimus quia ille remuneraturus eſt nobis opera noſtra bona, ſit actus dilectionis?

Sed quæres An actus ille dilectionis, quo Deum diligimus, quia ille eſt remuneraturus nobis opera noſtra bona, ſit actus charitatis? *Reſpondeo* eſſe actum charitatis: ita enim Pſalmus 118. habet: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et D. Paul. dicit: *Bonum certamen certaui, &c reposita eſt mihi corona iuſtitiæ. Et ex amore in Deum certaui, & ob ſpem coronæ.*

Obiectio.

24 *Sed dices* eſſe hoc mercenarij, quia ob ſpem mercedis; Deus autem, vt eſt ſummè amabilis, eſt obiectum charitatis ſine reſpectu mercedis.

Solutio eius.

Reſpondeo ſi mercenarius in operibus ſuis modo primario ſperat ſuam mercedem, ſic opera eius nulla retributione digna; ſiquidem ſine charitate nullam meriti

riti rationem habere poſſunt: ſi verò primò & principaliter in ſuis operibus ex charitate intendit gloriam Dei, ſecũdariò & minùs principaliter ſuum æternum præmium & ſic eſt actus charitatis.

Charitas eſt vna ſpecifica virt.

Dico quartò. *Charitas ita eſt vna ſpecifica virtus, vt alias ſub ſe diſtinctas non habeat.* PROBATVR ex 8. Eth. cap. 11. & 12. vbi diuerſitatẽ amicitiarum ex diuerſo fine, & ex diuerſa communicatione aſſignat: ſed charitas eſt amicitia hominis ad Deum, illiuſq; vnus finis v. bonitas Diuina, vna quoque communicatio, v. æterna beatitudo, ſuper quam fundatur: ergo eſt vnica ſpecie.

QVÆSITVM III.

Charitas comparata cum alijs virtutibus qualiſnam ſit?

25. IN hac comparatione tria attingemus: *primò* an ſit omnium præſtantiſſima? *ſecundò* an reliquæ virtutes ſine ea ſint veræ virtutes? *tertiò*, an ſit forma aliarum virtutum?

Charitas virtutum omnium eſt præſtantiſſima.

QVANTVM *ad primum* Dico *Charitas omnium virtutum eſt præſtantiſſima.* PROBATVR. Præſtat Theologicis, atque etiam moralibus. Ergo. *Probatur.* de Theologicis; id enim maius eſt, quod eſt per ſe, quàm id, quod eſt per aliud. ſed charitas attingit Deum ſecundùm ſe, & in ipſo ſiſtit, tanquam in eo, quod eſt ſummè amabile: fides autem attingit Deum, ſecundùm quod ex eo prouenit ei cognitio veri. Spes quoq; attingit Deum, ſecundùm quod ex eo habet beatitudinis adeptionem: ergo charitas eſt præſtantior. *Confirmatur.* D. Paulus loquens de virtutibus Theologicis præfert illis charitatem 1. Corint. 13. *Maior autem horum charitas.* Idem Apoſt: ad Coloſſen: enumeratis alijs virtutibus ſubdit, *ſuper omnia autem hæc, habete charitatem, quod eſt vinculum perfectionis.* Et Matt. 22. de charitate dicitur *hoc eſt primum & maximum mandatum.*

Probatur de moralibus. Finis ſemper eſt præſtantior medijs, quæ ordinantur ad illum; nam bonitas mediorum ſumitur ex bonitate finis. ſed charitas eſt finis præcepti, 1. ad Timoth: 1. *Eademq́ eſt legis adimpletio.* Ad Rom. 13. ergo eſt præſtantior. *Deinde* ſine charitate reliquæ virtutes non ſunt meritoriæ vitæ æternæ: ergo charitas dans illis condignitatem meriti erit præſtantior.

26. Sed contrarium Caluinus defendit cum manipulo Lutheranorum. ſtant enim pro fide, eamq; dicunt eſſe præſtantiſſimam omnium virtutum. *nam* iuſtificatio eſt per fidem. *Tum* ad Galat. 6. dicitur *Fidem operari per charitatem* v. tanquam per inſtrumentum. — Caluini & Lutheranorum hæreſis.

Reſpondeo fidem operari quidem per charitatem, ſed non tanquam per inſtrumentum, ſed tanquam per formam in genere meriti, vt illi⁹ actio ſit meritoria: fides enim

ſic viuit per charitatẽ; ſicut corpus per animam. vnde Iacobi 1. *Fides ſine operibus mortua eſt*, radix autem bonorum operum eſt charitas. ſicut ergo corpus quamuis ſit pars altera compoſiti viuẽtis, non eſt perfectius anima; quia ex informatione animæ vitam ſumit: ita & fides, licet ſit viuens, nunquam charitate erit perfectior, quæ eſt per ſe vita, hominem immediatè cum Deo vniens, tãquam cum vltimo fine; & ad hanc vnionem fides ratione charitatis pertingit.

Obiectio altera.

27. *Obijcies ſecundò* illam virtutem eſſe nobiliorem, cui vitium deterius opponitur. ſed fidei deterius opponitur v. infidelitas, quæ fidem fundamentum ſalutis euertit; charitati autem opponitur odium Dei, quod compatitur ſecum fidem. Ergo. *Reſpondeo primò* quando odium eſt ex mera & deliberata malitia, vt in Deum prorſus feratur, illum nolens eſſe; tunc tale vitiũ eſt prorſus diabolicum, & deterius infidelitate; quia euertit omnia ſalutifera in anima.

Solutio eius prima.

Reſpondeo ſecundò. hæc duo vitia infidelitas & odium dupliciter cõſiderari poſſunt: *primò* præciſè & per ſe formaliter; vt infidelitas ſola fide priuat, odium verò ſola charitate; & ſic ratione oppoſitæ virtutis, grauius erit odium infidelitate, quia charitate nobiliſſimà virtute priuat: ſi verò conſiderentur ſecundùm ſuam latitudinem, nimirum formaliter, & conſequenter, ſic infidelitas erit deterior: quia tollit virtutes infuſas; odium verò quandoq; nec fidem nec ſpem tollit.

Solutio Secunda.

Obiectio tertia.

28. *Dices tertiò.* Martyriũ, quod ab actu fortitudinis prouenit, eſt nobilius charitate: multi enim amant Deum, ſed inſtante perſecutione ſubducunt ſe. *Reſpondeo* Martyrium non ſolùm ab actu fortitudinis, in quantum contemnit vitam propter Chriſtum; ſed etiã à charitate prouenit; nam hic act⁹ eſt à fortitudine elicitiuè, à charitate verò eſt imperatiuè: cuius charitatis non accedente imperio, martyrium & valorem & præmiũ amittit. iuxta illud: *Si tradidero corpus meum, ita, vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Dignior itaq; charitas fortitudine; quia ei dignitatem meriti confert.

Solutio eius.

29. QVANTVM *ad alterum* in quo quærimus? *An virtutes ſine charitate ſint veræ?* Hic loquimur tam de virtutibus moralibus, quàm de infuſis. vnde hic quatuor dico.

An virtutes ſine charitate ſint veræ.

Dico primò, de moralibus virtutib⁹, *quòd hæ præciſè in ſe conſideratæ ſine charitate, ſunt veræ virtutes.* PROBATVR. fundamento Caiet. quia hæ virtutes conſideratæ quoad ſuam perfectionem, hanc capiunt ex dictamine rectæ rationis; conſideratæ verò quoad bonitatem moralem, hanc ſumunt ex fine ſuo, v. ex bono humano: ergo ſine charitate, cùm habeant hæc duo, erũt veræ virtutes.

Virtutes morales ſine charitate ſũt veræ.

Ratio ſecunda. Natura cuiuſlibet virtutis acquiſitæ, conſtituitur ex obiecto materiali & formali: ſed hæc duo habent virtutes ſine charitate. quia vnaquæq; (vt fortitudo) habet materiam circa quam eſt, v. contemptum mortis, cruciatuum, habet & rationem formalem, quia hæc ex amore in patriam

triam ſuſtinet: ergo ſunt veræ ſine charitate.

Ratio tertia. Habitus virtutum moralium, acquiruntur ex actibus frequentatis, vt habent conformitatẽ cum regula rectæ rationis, & fundantur in libertate; & hæc habentur ſine charitate (vt eſt manifeſtum) ergo ſunt verę virtutes.

Ratio quarta. Perfectio, quæ aduenit virtutibus moralibus ex charitate, non eſt illis intrinſeca nec connaturalis; ſiquidem morales virtutes ſunt ordinis naturalis: perfectio autem, quæ ex charitate in eas deriuatur, eſt ordinis ſupernaturalis; nam facit, vt actiones virtutum moralium conducant ad vitam æternam: ſed hæc perfectio eſt penitus extrinſeca.

[Obiectio.]

30. *Sed obijcies.* D. Th. *hîc qu. 23. art. 7.* affirmare virtutes ſeparatas à charitate, non eſſe perfectas virtutes: ergo nec eſſe veras.

[Quid ſit neceſſariũ vt virtus aliqua ſit vera?]

Reſpondeo, vt aliqua virtus ſit vera, ſufficit, quód habeat omnem illam perfectionem, quæ ſit illi cõnaturaliter debita; & ſic omnes acquiſitæ virtutes habent ſuam perfectionem connaturaliter ſibi debitam, etiamſi à charitate fuerint ſeparatæ: iam autem illa perfectio, per quam referuntur ad vitam æternam, non eſt illis intrinſeca, nec connaturalis, ſed extrinſeca; & hanc affirmamus petendam eſſe virtutibus ex charitate.

[Obiectio altera?]

Sed obijcies nullam eſſe veram virtutem, quæ non ordinatur in Deum, tanquam in vltimum finẽ noſtrum: ſed hoc ſine charitate eſſe nequit. *Reſpondeo* falſum eſſe, quód omnibus virtutibus hoc cõueniat, vt ordinentur in vltimum finem noſtrum, qui eſt beatitudo noſtra; nam hæc ſolùm virtutibus infuſis conueniunt; acquiſitis autem ſufficit ad ſuam perfectionem, vt ſint ordinatæ ad ſuum naturalem finem, & conformiter rectæ rationi operentur.

[Illius ſolutio.]

31. Dico ſecundò. *Virtutes morales in homine Chriſtiano, non ſunt veræ virtutes ſine charitate.* RATIO. quia in tali homine ſumunt bonitatem ex vltimo fine, ad quem ſola charitas pertingit.

[Virtutes morales in Chriſtiano ſine charitate, non ſunt veræ virtutes.]

Dico tertiò. *Virtutes infuſæ, vt ſpes, fides, ſeparatæ à charitate, ſunt veræ virtutes.* PROBATVR. Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 28. anathematizat omnes, qui dicunt fidem ſine charitate non eſſe veram fidem; ſiquidem in homine peccatore non eſt charitas; quia per peccatum mortale eſt expulſa, & tamen eſt fides. *Deinde* hæ ſeparatæ virtutes à charitate, habent ſuum obiectum materiale & formale, per quod in ſuo *eſſe* conſtituuntur: vt fidei materiale eſt DEVS; formale vt eſt prima veritas reuelans: ſpei verò materiale eſt Deus, vt noſtra beatitudo; formale in quantum eſt poſſibilis in nobis virtute Diuina.

[Virtutes Theologicæ à charitate ſeparatæ ſunt virtutes veræ.]

[Fides, Spes ſeparatæ à charitate habent ſua obiecta.]

32. Dico quartò. *Virtutes infuſæ conſideratæ in ratione meriti, non ſunt veræ Theologicæ virtutes ſine charitate.* RATIO. Quia illarum hęc eſt Theologica perfectio; vt conferant ad adeptionem immortalis beatitudinis, & hoc per charitatem habẽt.

[Virtutes infuſæ in ratione meriti conſideratæ, non ſunt veræ virtutes Theologicæ ſine charitate.]

Sed inſtabis. Ad Rom. dicitur Hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus legis. Et Abacuc. 2. *Iuſtus ex fide ſua viuit.* Ergo fides ſine charitate vitam confert. *Reſpondeo* conferre quidem, ſed initiatiuè & radicali-

[Obiectio.] [Solutio eius.]

dicaliter, non autem formaliter: quia hoc ſoli virtuti conuenit.

Virtutes infuſæ ſine charitate, magis debilitantur, quàm acquiſitæ.

Nota. ſine charitate virtutes infuſæ magis debilitantur, quàm acquiſitæ; nam infuſæ ſunt ordinis ſupernaturalis, vnde magis exigunt charitatem, quam acquiſitæ.

Charitas eſt veluti forma omnium virtutũ

33. QVANTVM *ad tertium* Dico. *Doctrina eſt communis & ab omnibus recepta, quód charitas ſit veluti forma omnium virtutum, in quantum in homine Chriſtiano reperiri debent.* Pro declaratione.

Finis, ex quo virtutes ſumunt ſuam perfectionẽ quotuplex?

Nota. quód finis, ex quo virtutes ſumunt ſuam perfectionem, ſit duplex: vnus eſt immediatus, qui in eo conſiſtit, vt rectè operemur ſecundùm propriam rationem cuiuſlibet virtutis: alter eſt *vltimus* ipſa vid. æterna beatitudo. erit igitur charitas forma aliarum virtutum, non quidem operando ſecundùm rationem propriam cuiuſlibet virtutis, quia hæc ratio operandi cuilibet virtuti ſine charitate conuenit; ſed ordinando virtutum actiones ad ſupremam beatitudinem, hoc præmiſſo.

Probatur concluſio. Illud dicitur eſſe forma alterius, quod ei perfectionem ex vltimo fine tribuit: ſed charitas alijs Virtutibus tribuit perfectionem; ſiquidem illarum actus ordinat in Deum, vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum; & eos actus, quos ordinat ad Deum, facit meritorios vitæ æternæ. ergo illis formam tribuit.

Fides quomodo operatur per charitatem

34. *Hinc collige primò,* fidem operari per charitatem, tanquam per ſuam formam eo modo, vt homo per rationem operatur.

Quælibet charitas etiam in gradu remiſſo eſt perfectior omni alia virtute

Collige ſecundò quamlibet charitatem etiam in remiſſo gradu, eſſe perfectiorem omni alia virtute, ſi conſideretur in eo, quia ordinat ad vltimum finem; quamuis ratione quantitatis, aut remiſſionis, poſſit eſſe alijs imperfectior.

Cur charitas dicatur eſſe quaſi forma virtutum?

Collige tertiò. Diximus charitatem eſſe quaſi formam, quia non eſt illarum pars, neq; de illarum intrinſeca ratione, ſed eſt forma extrinſeca; vnde eſt in genere moris, non autem in genere Entis. nam (vt iam deduximus) quælibet virtus ſumit ſuam formam à ſuo obiecto formali, & à modo tendendi in illud. & hoc videtur indicaſſe S. Doctor in reſponſione ad ſecundùm art. 8. cum dicit, quòd charitas ſit forma aliarum virtutum, non quidem exemplariter aut eſſentialiter; ſed magis imperatiuè, & in quantum actibus virtutũ dat cõdignitatẽ, vt ſint meritoriæ vitæ æternæ.

DISPVTATIO II.

De Subiecto Charitatis.

Sex attingemus:

1. *De Subiecto charitatis.*
2. *De cauſa efficiente eiuſdem.*
3. *De Augmento.*

4. De

4 *De Perfectione charitatis pro hoc ſtatu.*
5. *De Diminutione.*
6. *De Corruptione.* Et ad hæc ſex Quæſita reuocamus, quæ in 12. articulis Quæſtionis 24. continentur.

QVÆSITVM I.
An Voluntas ſit ſubiectum Charitatis?

Subiectum charitatis eſt Appetitus intellectiuus, qui eſt voluntas.

1. DIco cum S. Doct: *ſubiectum charitis eſt quidem appetitus, non tamen ſenſitiuus ſed intellectiuus qui eſt voluntas.* PROBATVR. obiectum charitatis eſt bonũ: ſed hoc ipſum etiam eſt obiectum voluntatis. ergo charitas eſt in voluntate tanquam in ſubiecto. *Item* Obiectum charitatis eſt Bonũ Diuinum, quod quidem à ſolo intellectu apprehenditur. ſed tendentia in hoc bonum eſt ſolius voluntatis, ergo charitas eſt in voluntate. *Deinde* Præſidium operandi debet eſſe neceſſarium in ea potentia, in qua eſt difficultas agendi: ſed tota difficultas amandi Deum & proximum eſt in voluntate, non autem in intellectu. nam intellectus nullo negotio apprehendit amãdum eſſe Deum & proximum; at per hoc dilectionis præceptum non impletur, ſed per actum dilectionis, qui eſt in voluntate, & in hoc eſt difficultas, quia res ſenſibiles, quæ inuolant in ſenſus, diſtrahunt voluntatem: ergo eſt in voluntate. *Demum* habitus in ea potentia reſidet, in qua eſt actus eius ſed charitatis actus eſt diligere, & hic eſt in voluntate: ergo & charitas erit in voluntate.

2. *Sed obijcies.* Charitas (vt iam de ductũ) eſt præſtantiſſima virtutũ: ergo debet ſubiectari in præſtantiſſima potentia: & talis eſt intellectus vincens præſtantia voluntatem: ergo eſt in intellectu. Obiectio.

Reſpondeo cum D. Th ſecundùm Ariſt. *lib. 3 de Anima, textu 42.* dici voluntatem eſſe in intellectu; vnde ex ea ratione poſſe quoq; dici ineſſe illi charitatem. Non erit tamen charitas in intellectu, vt in ſubiecto ſicut Prudentia; neq; erit vt in regula regulante, vt iuſtitia, Temperantia. *Et ratio eſt* quia charitas, quæ eſt diuinitus infuſa, excedit regulam rationis humanæ, & à ſola ſapientia Diuina regulatur. iuxta illud ad Epheſ 3. *Supereminentem ſcientiæ Chriſti charitatem.* ſed ſolùm erit in intellectu per quandã affinitatem voluntatis ad rationẽ, quia ſunt potentiæ in eadẽ anima intellectiua. Solutio 1ª

Secundò reſpondeo cum Banesio; quòd charitas in hac vita, in qua per fidẽ ambulamus, eſt omniũ virtutũ nobiliſſima; ſed in patria erit longè præſtantior habit⁹ luminis gloriæ quã charitatis: quia lumen gloriæ datur beatis ad actionẽ, quæ per ſuã Eſſentiã eſt ipſa beatitudo, & hoc lumẽ gloriæ erit in intellectu. Solutio altera.

Obiectio ſecunda.

3. *Inſtabis ſecundò.* potiùs charitas eſt in libero arbitrio, quod eſt principium actionum humanarũ quàm in voluntate. *Reſpondeo.* quãuis liberum arbitrium formaliter ſit eadem potentia cum voluntate; nihilominus dicimus charitatem non in libero arbitrio ſed in voluntate eſſe. *Ratio.* quia liberi arbitrij actus eſt eligere, electio autem eſt mediorum, quæ ſunt ad finem; voluntas autem eſt ipſius finis, in quem præſertim in vltimum voluntas tendit: vnde in voluntate ſubiectatur.

Eiuſdem ſolutio.

Quomodo charitas huius vitæ differat à charitate quæ eſt in patria?

Nota charitas in hac vita differt à charitate, quæ erit in patria: quia in hac via eſt libera quoad exercitiũ; in patria iam non erit libera quoad exercitiũ circa vltimũ finé.

Obiectio cum ſolutione.

Dices ergo in patria erit imperfectior, quia non libera. *Reſpondeo* ideo, quód non erit iam libera quo ad exercitiũ, longè perfectior erit; quia aſſimilabitur Diuino amori, quo ſe DEVS naturaliter amat.

QVÆSITVM II.
De Cauſa efficiente Charitatis.

4. DVo inquiremus: *primò* quo producatur? *ſecundò* an charitatis productio requirat diſpoſitionem, & capacitatem naturalem?

Solus Deus eſt principalis cauſa productiua charitatis.

QVANT: *ad primũ* Dico primò. *Sol' Deus eſt cauſa principalis productiua charitatis.* PROB: 1. Ioã. 3. *Videte qualẽ charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus* Ad Epheſ 6 *Charitas cum fide à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto.* Et *ratio eſt*, quia charitas excedit vires naturæ: ergo non eſt quid naturale. ergo nec effect⁹ naturalis: ergo nullius cauſæ naturalis, per quam produci poſſit. *Præterea* charitas eſt amicitia cum Deo fundata ſuper communicatione æternæ beatitudinis: ſed hęc communicatio non ineſt nobis naturaliter, quia ſolũm virtute Diuina eſt poſſibilis in nobis: ergo charitas tranſcendit facultatem naturæ. *Tum* charitas ſicut & gratia ex potentia obedientiali animæ rationalis educitur, qui effectus ad ſolum Deum ſpectat, ergo.

Christi humanitas & Sacramenta ſunt inſtrumentales cauſæ charitatis.

5. Dico ſecundò. *Etiam humanitas Chriſti & Sacramenta ſunt cauſæ, ſed tamen phyſicè modò inſtrumentales, productiuæ gratiæ & charitatis.* PROBATVR. quia Deus humanitate Chriſti tanquam inſtrumento ſibi coniuncto, vtebatur in productione gratiæ & charitatis. idem etiam Deus mouet Sacramenta ad eandem productionem: ergo ſunt cauſæ inſtrumentales.

Quód autem phyſicè, probatur Lucæ 6. de Chriſti humanitate dicitur: *Virtus de illo exibat, & ſanabat multos*; cap. 8. *Ego noui virtutem de me exiuiſſe*: ſed hi modi dicunt efficientiam veram: ergo phyſicè producunt. idem quoq; de Sacramentis quód phyſicè concurrant, ſuo loco dicemus.

6. *Sed*

An Actum diligendi Deum ſuper omnia homo poſſit elicere ex viribus naturæ?

6. *Sed quæres* An actum diligendi Deum ſuper omnia poſſit homo elicere ex viribus naturæ? Affirmat Soto in lib. 1. de natura & gratia cap. 13. dicit enim omnem illum actum, qui elicitur ab habitu infuſo, poſſe quoq; elici ab habitu acquiſito quoad ſubſtantiam actus, aut etiam à principijs naturalibus ſine habitu acquiſito. Idem tuetur Capreolus dicens: in homine peccatore poſſe manere actum charitatis eiuſdem ſpeciei quoad ſubſtantiam & entitatem actus cum eo, qui eſt ex habitu charitatis.

Melchior Canus omnino negat dicitq; hanc ſententiam eſſe periculoſam; quia tollit habitus infuſos: ſi enim habituum infuſorum poſſumus habere actus, vt fidei acquiſitum actum eundem quoad ſubſtantiam cum actu infuſæ fidei: ergo fruſtra erit habitus fidei infuſæ.

Sententia noſtra.

7. In hac controuerſia mediam viam tenemus cum Baneſio. *Si identitas actus quoad ſubſtantiam conſideretur ſpecificè, & ratione obiecti formalis, ſic nullo modo poteſt eſſe, vt actio ſupernaturalis ſit eadem quoad ſubſtantiam formalem cum actione naturali, aut habitus acquiſiti.* RATIO. quia habent diuerſa obiecta formalia, quibus diſtinguuntur. nam charitatis infuſæ obiectum eſt Bonum beatificans, quod ex viribus naturæ attingi non poteſt: ſi verò identitas actus quoad ſubſtantiam conſideretur genericè, ratione obiecti materialis; ſic non repugnat dicere actum diligendi Deum, eundem eſſe quoad ſubſtãtiam cum eo, qui procedit à charitate infuſa: & ſic Capr. dicebat in homine peccatore actum diligendi Deum, licet ſit ſine habitu charitatis infuſæ, quã peccatum ſuſtulit, eundẽ eſſe quoad ſubſtantiam cum eo, qui à natura producitur, ſeu ab habitu acquiſito. Nam idem actus phyſicè & materialiter ſumptus poteſt ſucceſſiuè ex bono fieri malus, aut propter nouam relationem, aut propter aliam circumſtantiam moralem, *v.g.* Ratio ſtudendi eſt actio bona, ſed ſi in die feſto protrahatur in illam horã, quà audiendum erat Sacrum, ad quod ex præcepto obligatur, iam eſt mala. *Similiter* in meditando aut in orando verſari vna hora; eſt bonum ſed ſi ſtudiũ meditandi protrahat in illam horã, qua illi legendum ex officio, aut infirmus Sacramentis procurandus; iam ex hac circumſtantia neglecta erit malum: ergo eadem actio quoad ſubſtantiam genericè & materialiter ſumpta, eſt à gratia & ſine gratia, eſt ſupernaturalis & naturalis, eſt meritoria & demeritoria. *Similiter* ſi quis credat myſterium SS. Trinitatis per actum fidei acquiſitum, hic actus quoad ſubſtantiam materialiter idem videtur eſſe cum eo, quo credimus per fidem infuſam; quamuis ſint diuerſi quoad ſubſtantiam ſpecificè & formaliter. *vnde* diſtinctio erit ſolùm penes varios reſpectus, in quantum idem obiectum diuerſa ratione formali eſt cognitum: nam fidelis credit propter authoritatem Dei reuelantis; hæreticus credit propter ſolam opinionẽ ſuã.

Naturales potentiæ non poſſunt effectiuè concurrere ad productionem charitatis.

8. *Nota.* potentias naturales nõ poſſe concurrere effectiuè ad productionem habituum infuſorum, & per conſequens nec charitatis, quia

quia ſunt ordinis ſupernaturalis.

Obiectio.

Sed obijcies, atqui homo ad iuſtificationem iuxta definitionẽ Concilij Trident: non habet ſe merè paſſiuè: ergo efficienter cõcurrit: ergo per vires naturales iuſtificationem attingit, quæ eſt forma ſupernaturalis? *Reſpondeo*, quód in iuſtificatione ſunt duo. *primò* productio gratiæ & charitatis; *ſecundò* acceptatio eiuſdem gratiæ. *primum* itaq; eſt à Solo Deo, qui gratiam & charitatem, quæ ſunt cauſæ formales noſtræ iuſtificationis, producit. *alterum* verò v. acceptatio requirit cóoperationem noſtræ voluntatis; ita quód gratia aut charitas non infunditur adulto, niſi accedente illius aſſenſu libero, & ſic quoad hoc ſic ſe habet effectiuè & non paſſiuè, vt Concilium determinat.

In iuſtificatione quæ & quot ſunt

9. QVANTVM. ad alterum. *An v. aptitudo & capacitas naturalis requiratur, ſecundùm quã debet infundi charitas?*

Quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ.

Dico *quantitas charitatis, hoc eſt quód maior aut minor infundatur, non dependet ex conditione naturæ vel ex capacitate naturalis virtutis; ſed ex ſolo beneplacito voluntatis Spiritus S. infundentis ita quód ſi quis quærat*; cur in hoc aut in illo ſit maior charitas? *id totum in beneplacitum Dei referendum.* PROBATVR. 1. Corint. 13 *Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus S. diuidens ſingulis prout vult*: ergo charitas non ſecundùm capacitatem naturalium, ſed ſecundùm voluntatem Spiritus S. datur. Et Ioan 3. *Spiritus, vbi vult, ſpirat*: ſed ſpiramen ſeu flat⁹ Spirit⁹S. eſt infuſio gratiæ ſeu charitatis, & ſpirat, vbi vult. ergo non requirit capacitatem naturalium. *Et ratio eſt.* D. Th. Quælibet res ſumit ſuam quantitatem ex cauſa ſua efficiente: ſed charitas à Deo tanquam à cauſa efficiente (vt iam deductum) dependet: ergo ab illo ſumit quantitatem: ergo non à naturali diſpoſitione.

Confirmatur. 1. Corint: 1. *Videto vocationem veſtram fratres, quia non mul ti ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes* Et Matt: 11. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Ex quo arguo* Deus in Apoſtolatum elegit homines rudes, imperitos, ſecundùm mundum contemptibiles, & his altiſſimorum myſteriorum ſecreta infudit, & officium docendi alios demandauit: ergo non reſpexit ad naturæ capacitatẽ: & hoc ideo; vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius; ſed qui gloriatur, in Domino glorietur.

Obiectio.

10 *Sed inſtabis.* Concil: Tridẽt: ſeſſ: 6. cap. 7. loquens de iuſtificatione eam ad duo reuocat. *primò*, ad Spiritum S. tanquam ad cauſam efficientem. *ſecundò* ad conatum liberi arbitrij, cum dicit *& ſec[undùm] propriam cuiuſq; diſpoſitionem & cooperationem.*

Quæ requiruntur ad iuſtitiæ infuſionem?

Reſpondeo. requiri ad iuſtitiæ infuſionem, diſpoſitionem, conſenſum, & operationem liberi arbitrij; ſed in quantum hæc ſunt infallibilis effectus voluntatis Dei, efficaciter præparantis liberum arbitrium ad recipiendam gratiam iuſtificationis. Hinc collige quatuor

Collige primò. Quantitas ſeu intenſio charitatis ſecundariò eſt ex noſtra diſpoſitione, prout actus noſtri liberi arbitrij ſunt adiuti ab auxilio gratiæ Diuinæ; & ſic hæc diſpoſitio in Diuinam voluntatem eſt reuocanda.

Diſpoſitio tanta ad gratiã tantam vnde penſanda?

Collige ſecundò. Diſpoſitio tanta ad tantam gratiam non eſt penſanda ex natura noſtra; ſed principaliter ex voluntate Diuina, volente dare tantum auxilium, quo ſe ad tantam gratiam diſponat, & quód non poſſit ad maiorem niſi pro virtute auxilij conceſſi.

Deus in dandis auxilijs & gratia conferenda vtitur ſuis prærogatiuis.

Collige tertiò. quamuis ſecundum legem ordinariam, pro menſura proximarum diſpoſitionum infundatur gratia & charitas; quandoq; tamen vtitur Deus ſuis prærogatiuis in auxilijs dandis, & in gratia conferenda, vt in D. Paulo accidit, qui eo tempore, quô accepit maximam gratiam Apoſtòlatûs, minimè erat diſpoſitus.

Quantitas charitatis in liberum arbitrium referenda.

Cillige quartò. Quamuis (vt iam dictum) diſpoſitiones ſint ex voluntate Diuina, & tanta gratia, quanta eſt diſpoſitio; nihilominus quantitas charitatis etiam referenda eſt in liberum arbitriũ, ita quód homini ſit tribuendum quód minus diſponatur, nam aliàs, vt cauſa maioris charitatis Deo tribuitur, etiam tribuenda eſſet tepiditatis commiſſæ impœnitentium; quod dici non debet: nam hoc homini aſſignatur, ſiquidem tepidè pœnitentes reprehenduntur. *Ex quo ſequitur* quód hi, qui volunt cum auxilio Dei, magis diſponi poſſunt.

Sed inſtabis. Angelos ſecundùm maiorem & ſuperiorem ordinem ſuæ naturæ, accepiſſe maiorẽ gratiam. *Reſpondeo* illis datam eſſe maiorem gratiam, at non ob ſolum reſpectum ſuperioris illorum naturæ, ſed ſuppoſito in illis auxilio Diuino ob maiorem illorum in Deum conuerſionem. Obiectio cum ſolutione.

QVÆSITVM III.
De Augmento Charitatis.

11. QVatuor inquiremus *primum.* an charitas poſſit augeri? *ſecundum,* an per additionem? *tertium,* an per extenſionem ad aliqua obiecta? *quartum,* an per quemuis actum augeatur?

Charitas viæ omninò augetur

QVANTVM ad primum. Dico. *Charitas viæ omninò augetur.* PROBATVR. Ad Philippenſes 1 *Oro vt charitas veſtra magis ac magis abundet* Et 1. ad Theſal: 3. *Dominus abundare vos faciat in charitate.* Et. D. Auguſt: tract: 5. in Ioan. *charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. & ratio eſt D. Th.* ob eam cauſam in hac vita dicimur eſſe viatores, quia in Deum tendimus, qui eſt vltimus finis noſtræ beatitudinis: tantò autem magis tendimus; quantò magis appropinquamus: ſed hæc appropinquatio non fit greſsibus corporis, ſed affectibus mentis, maximè autem affectu charitatis, quæ nos Deo vnit: ergo de ratione charitatis viæ eſt, vt poſſit augeri.

Nota quód cùm charitas habet quantitatem virtualem, idcirco ſecundùm eandem augetur. quia charitas eſt forma ſpiritualis, & non habet dimenſionem phyſicam, aut mathematicam, ſed virtualem: ergo ſecundùm eam augeri debet. Charitas ſecundùm quantitatẽ virtualem augetur.

An charitas per additionem augeatur? Scoti ſententia.

12. QVANTVM ad alterum *An augeatur per additionem?* Affirmat Scot. *in 1. diſt. 17. quæſt. 3.* Duran. & alij paſſim. Hæc ſententia tria dicit, *primò* intenſionem charitatis fieri per additionem gradus ad gradum: *ſecundò* dicit hos gradus realiter inter ſe diſtingui tanquam rē à re: *tertiò* ex primo gradu & ſequenti reſultare vnam formam, quæ à principio non erat ſecundū totam eſſentiam producta, ſed ſecundùm vnum gradum; & poſtmodum per productionem aliorū graduum totam eſſentiam produci. *v.g.* in ſcientijs vnus actus producit habitum, at non totum ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed reliqui actus eundem habitum augendo conſummant, ſicut & ignis primus producit in ligno aliquid caloris, & alij aduenientes ignes producunt alios diſtinctos gradus caloris; & ex his diſtinctis gradibus ita fit vnus calor; ſicut vna aqua ex duabus, aut ſicut corpus eſt vnū ex multis membris realiter diſtinctis.

S. Doctoris ſententia. Quid ſit charitatem radicari?

13. *Altera ſententia eſt* D. Th. v. charitatem augeri per maiorem radicationem ſeu inhæſionem in ſubiectis, hoc eſt: *Radicari* nihil aliud eſt, quàm firmiùs inhærere, ſeu magis ac tenaciùs ineſſe ſubiecto: ſicut arbor tunc dicitur radicari, quando altiùs mittit radices, & fortiùs adhæret terræ; ita accidentiū in ſubiecto tunc eſt radicatio maior, quando magis ſubijciunt ſibi paſſum: tunc autem ſubijciunt magis, quando magis complent ſubiecti potentiam ad *eſſe* accidentis. Vel hæc ipſa radicatio formæ nihil aliud eſt, quàm formam in ſubiecto perfici, & magis de illius potentia educi, reducendo ſubiectum ad actum, ita, quód ſi antea forma (vt charitas) habuit in ſubiecto intenſionem vt duo, poſtea habet vt tria, & ſic ſucceſſiuè, non quód aliqua qualitas de nouo deſtruatur aut producatur, ſed quód ſolùm actualis terminatio corrumpatur vt duo, & generetur vt tria. Et in hoc motu augmenti reperitur illa regula, *quód in omni motu eſt corruptio, & generatio,* corrumpitur enim terminus *à quo* ſecundùm actualem terminationem, & ſolùm manet terminus in potentia, vt alius *vt quatuor* generari poſſit, & hi gradus non ſunt realiter diſtincti, ſed ſunt eadem forma, niſi quód alio & alio modo ſe habeant, *v.g.* quando ex tripedali ligno generatur quadripedale, non corrumpitur tripedale, ſed ſolùm actualis terminatio, quia iam non terminat tripedale ſed quadrupedale.

Quæ Regula in motu augmenti reperiatur?

14. *Sed quæres.* Illa terminatio, quæ abijcitur vt terminus à quo, quid ſit? *Reſpondeo.* Quód ſolùm manet in potentia, quia iam non eſt actu terminans. Hoc ſuppoſito:

Augmentum charitatis quomodo fiat?

Dico. *Augmentum ſiue intenſio charitatis fit per maiorem radicationem charitatis in voluntate tanquam in ſubiecto; vel per hoc, quod à ſubiecto magis perficiatur, aut etiam per hoc, quia dat eſſe perfectius ſubiecto: hæc enim pro eodem ſumi debent, nam dicunt radicationem in ſubiecto.* PROBATVR tali ratione. Hoc augmentum charitatis non fit per abiectionem & corruptionem formæ præcedentis, neq; per additionē nouæ formæ: ergo debebit fieri per hoc, quód charitas in ſuo ſubiecto magis radicatur.

tur, & confirmatur. *Conſequentia* à ſufficienti opinionum enumeratione: nam hæ tres communiter aſſignantur.

Antecedētis pars prima. Quód nō per corruptionem formæ præcedentis, quæ fuit ſententia Burlei, Gophredi. *Quodlibeto 2. quæſt: 3. (vt refert Scotus in 1. diſt: 17. quæſt 5.)*

Probatur. Nam qualitas non corrumpitur niſi à ſuo contrario. ergo ignis, qui intenſum calorē producit, non corrumpet minus intenſum: hi enim duo calores non ſunt ſibi contrarij. *Deinde.* Sequeretur, quód cum charitas per actum perfectiſſimum augetur, deſtrueret charitatem præexſiſtentem, quod eſt contra doctrinam D. Pauli dicentis; *Charitas nunquam excidit. Præterea.* Idem abſurdum in fide colligitur, quód actus fidei perfectus deſtrueret actū fidei præcedētem, & alium produceret, quod ſanæ Theologiæ repugnat. *Ad extremum.* Rationes probabiles augent habitum ſcientificum, (vt experientia teſtis.)ſed probabiles rationes non deſtruunt, verùm confirmant habitum ſcientificum. Ergo augmentum non fit per corruptionem & per abiectionem formæ præcedentis.

Antecedentis pars ſecunda probatur.

15. *Secunda pars Antecedentis probatur* contra Scotum quód augmentum non fiat per additionem nouæ formæ ad formam, ſiue per additionem graduum. Nam Ariſt: 5. Phyſic: textu 84. dicit *ex albo fit magis album, nullo facto albo de nouo.* Ex quo clarè colligimus nullos nouos gradus ſuperaddi, vt fiat augmentum albedinis. *Deinde.* Idem Ariſt: 8. Metaph. textu 10. dicit, *ſpecies rerum ſunt ſicut numeri,* ita quód intrinſecè conſiſtunt in indiuiſibili. ſed ſicut in numeris, ſi fiat diminutio aut additio, variatur ſpecies numeri: ergo ſimiliter, ſi ad eſſentiam alicuius qualitatis addatur noua qualitas, diſſoluetur illius ſpecies. ergo qualitas & per conſequens charitas intenſa & remiſſa, non eſſent idem ſpecie. *Item.* Prorſus videtur eſſe inintelligibile, quomodo ex duabus qualitatibus, quarum vna remiſſa & altera intenſa, fiat vna qualitas, & per hoc intendatur? nam hæ duæ qualitates non faciunt vnum per modum continuationis; vt cùm duo ligna, aut aſſeres quantitatem habētes compaginantur: nec eo modo, quód vna qualitas v. remiſſa habeat ſe vt potentia; intenſa autem vt act⁹, ſiquidem vtraq; eſt actus: neq; eo modo, quód ſunt partes vnius totius, nam hoc ipſum inquirimus.

16. *Dices* ita efficiunt vnam cōtinuationē, ſicut duæ partes aquæ per ſolam continuationem efficiunt vnam totalem aquā. *Dico* hoc ſtare non poſſe; quia in qualitatibus immaterialibus, vt in intellectione, volitione, eſt propriè volitio: ſed in his nulla continuatio eſſe poteſt, quia nulla datur quantitas, cuius effectus eſt continuitas. *Sequitur ergo* quód per radicationem in ſubiecto augeatur: quia vt hic D. Th. obſeruat, hic modus augmenti in eo conſiſtit, quód qualitas & ipſa charitas inhæreat ſubiecto, vnde tantò magis augebitur quantò magis inhæret, ſubiecto ſuſceptibili, & hoc eſt augeri charitatem ſecundùm ſuam eſſentiā, quantò magis radicatur in ſuo ſubiecto

Obiectio cum ſolutione.

Charitas per radicationem in ſubiecto augetur.

iecto. vnde D. Th. dicit in Quæſt. vnica de virtutibus in communi, art 2. *Dicere quòd aliqua charitas augeatur ſecundùm radicationem in ſubiecto; & dicere quód non augeatur ſecundùm ſuam eſſentiam, eſt dicere contradictoriè, quia non eſt aliud eſſe qualitatis niſi quod habet in ſubiecto charitas.* ergo augetur per maiorem radicationē in ſubiecto, in quantum voluntas, quæ eſt ſubiectum charitatis, magis actuatur per actus frequentatos.

Obiectio.

17. *Sed inſtabis* quando ignis in eo ligno, in quo iam eſt calor, intendit illum calorem, aut aliquid facit, aut nihil? ſed dicere, quód nihil faciat, eſt experientiæ repugnans: ergo nouum calorem ſecūdùm certum gradum producit, addendo eum priùs exiſtenti calori: ergo augmentum erit per additionem.

Solutio ei⁹

Reſpondeo quód ignis, quando intendit calorem in ligno, aliquid efficit, non quidem producendo nouum calorem, ſed illum ipſum calorem magis radicando in ſubiecto: ſicut enim eſſe album nihil aliud eſt, quam albedinem informare ſubiectum; ita eſſe magis album nihil aliud erit, quàm albedinem magis informare ſubiectū: & ſicut forma tunc de nouo in ſubiecto producitur, quando educitur de potentia ſubiecti: ita eadem illa forma tunc augetur, quādo magis reducitur ad actum.

An charitas augeatur per extenſionem ad obiecta?

18. QVANTVM *ad tertium* An charitas augeatur per extenſionem ad obiecta, ita vt quemadmodū ſciētia tunc augetur, quando ad plura obiecta ſe extendit: ita & charitas quantò ad plura obiecta diligenda extenditur, tantò magis extenſiuè augeatur.

Charitas non augetur extenſiuè.

Dico. *Charitas quantumlibet ſe extendat per exercitium ſuorum actuum ad alias virtutes, non augetur tamen extenſiuè.* PROBATVR. quia minima charitas extendit ſe ad illa omnia, quæ ſunt ex charitate diligenda; eademq; charitas, quantumcunq; minima fuerit, ſicut cuilibet tentationi poteſt reſiſtere; ita quodlibet opus virtutis poterit imperare & exercere abſq; eo, quód augeatur extenſiuè.

Obiectio.

Sed inſtabis. ſcientia per hoc ſolùm augetur quādo illius ratio formalis applicatur ad alia obiecta materialia, ad quæ antea non applicabatur. ergo & charitas per hoc augebitur, quando de nouo applicat ſe ad opera virtutum exercenda, v. quando ſe extendit ad benefaciendum inimicis, ad mortem pro Chriſto ſuſtinendam, ad curandum infirmos, ad largiendas eleemoſynas. *Confirmatur.* ſicut enim ſcientia habet vnam rationem formalem, ſecundùm quam aſſentitur omnibus alijs concluſionibus virtualiter contentis ſub illo habitu ſcientiæ; ita & charitas habet vnicam rationem formalem diligendi Deū, & ea omnia, quæ propter Deum ſunt diligenda.

Solutio eiuſdem.

Reſpondeo. Quód charitas & ſcientia in hoc quidem conueniunt quód vtraq; ſub eadem ratione formali applicantur ad omnia obiecta materialia, ſed per hoc diſtinguuntur, quód habitus ſcientiæ per noua media ſeu per nouas rationes & ſpecies applicatur ad materialia obiecta, & ſic extendit ſe ad aſſenſum nouarum concluſionum;

num; Habitus verò charitatis per ſeipſum immediatè eſt in potentia proxima, non modò ad ipſum Deum, ſed etiam ad omnia diligibilia, quæ ordinātur in ipſum Deum. vnde quando actualiter in noua obiecta fertur, non ſe extendit per nouam rationē, ſed per illā ipſam proximam potentiam ſuam.

Obiectio altera.

19. *Inſtabis ſecundò*. Paulus ex amore Dei non ſolùm ſeruat præcepta, ſed etiam conſilia & alia virtutum opera; Petrus autem ſolùm ſeruat præcepta, & non vult alia exercere, niſi quando ex præcepto obligatur. ergo Paulus magis amat Deum, quàm Petrus, & quidē extenſiuè: quia illius charitas ad plura obiecta ſe extendit.

Solutio eius.

Reſpondeo cùm S. Doct: in 4. *diſt: 49. quæſt: 5. art. 1 ad 2.* vbi hoc argumentum reſoluit non eſſe neceſſarium, vt in Paulo, qui ſeruat præcepta & conſilia, ſit maior charitas. nam Petrus, qui ſolùm ſeruat præcepta, poteſt habere maiorem charitatem intenſiuam. *De extenſione verò dico.* quód nulla non modò infuſa, ſed neq; moralis virtus extenſiuè augetur. Ita docet D. Th: *1 2dæ quæſt: 66. art 1.* vbi dicit, quód in virtutibus tam moralibus, quàm in infuſis non reperitur perfectio maior aut minor, ex parte obiecti in vna quam in alia: ſiquidem ex parte obiecti ſunt omnes æquales: quia ſe extendunt ad totam latitudinem ſui obiecti, quia ſunt in appetitu, qui eſt inclinatio ad obiectum ſuum bonum.

Nulla virtus extenſiuè augetur.

An charitas augeatur per quēlibet actū?

20 QVANTVM *ad quartum.* An charitas per quemlibet actum augeatur?

Nota, Quód actus quidam ſunt intenſi, quidam autem remiſſi; quidam qui effectiuè, quidam qui meritoriè ac moraliter concurrunt; & meritoriè aut cum præſenti augmento, aut ſine præſenti.

Actus quotuplices?

Nota ſecundò tres hic eſſe opiniones, *prima* eſt Gabrielis in 1: *diſt. 17. quæſt. 4.* Maioris & aliorum Nominaliū, qui affirmant quolibet actu charitatis etiā remiſſo augeri charitatem, ita vt ſi homo ille moriatur in gratia, propter illum actum maiorem gratiam recipiet. *Altera ſententia* eſt Scoti *in 4 diſt: 22. qu: vnica.* Rich. *in 2 diſt: 16.* quód cuilibet actui charitatis maior gloria reſpondebit etiam remiſſo, huic tamen homini in hac vita non dabitur maior gratia, niſi ad eam ſe diſpoſuerit per actus feruentiores. *Tertia eſt S. Doctoris* quam quatuor punctis includo: *primum* per ſolum actum feruentiorem augeri charitatem: *ſecundum* per quemuis actū charitatis nos mereri augmentum: *tertium* hoc augmentum promeritū non datur niſi poſtquam homo ſe diſpoſuerit per actum feruentiorem: *quartum* quolibet actu charitatis meremur vitam æternam. Hoc præmiſſo.

Opiniones circa hanc quæſtionem tres.

Scoti ſententia.

D. Thomæ ſententia.

Dico primò de cauſa efficiente augmenti: *augmentum charitatis à ſolo Deo tanquam à cauſa principali effectiuè producitur, ab homine verò tanquam à cauſa ſecundaria moraliter & diſpoſitiuè.* PROBATVR ab eo augmentum charitatis producitur effectiuè, à quo & ipſa charitas: ſed à ſolo Deo effectiuè producitur charitas (vt iam deductum) ergo & ab illo effectiuè augmentum charitatis. *Maior* quia par virtus & ad producendam & ad augendam chari-

Quę eſt cauſa efficiens augmenti charitatis?

charitatem requiritur. *Deinde* Lucæ 12. dicitur: *Domine adauge nobis fidem*: ergo augmentum fidei à ſolo Deo effectiuè: ergo & augmentum charitatis ab eodem efficienter, quia hæ vtræq; virtutes infunduntur à Deo.

Homo ad charitatis augmētum concurrit.

Quod verò etiam homo ad augmētum charitatis concurrat, Scriptura teſtatur, quæ nos exhortatur, vt in charitate progrediamur. Ad Epheſ. 4. *In charitate creſcamus in illo.* Et Magdalenæ tribuit Chriſtus, quód dilexerit multùm. *Illud hic* addimus, quód homo moraliter & diſpoſitiuè ad augmentum ſe habeat: ſic enim ſe habet homo ad augmentum charitatis, ſicut & gratiæ: ſed homo ad augmentum gratiæ moraliter concurrit; ergo & augmenti charitatis erit moralis cauſa.

Quomodo homo habeat ſe ad augmentum charitatis?

21. *Sed hîc dubium occurrit.* An ſaltem de potentia Dei abſoluta, poſſit homo ſuis actibus charitatis effectiuè adaugere habitū charitatis. *Reſpondeo* conſiderando hominem, vt eſt cauſa inſtrumentalis, tunc per omnipotentiam Dei poteſt effectiuè concurrere ad augendam charitatem, ſicut & ad producendam: nec inde ſequitur, quód cauſa inſtrumentalis erit cauſa creationis, ſiquidem (vt D. Th deducit) charitas non fit per creationem, ſed per eductionem de potentia ſui ſubiecti. *Conſiderando* autem hominem, vt eſt cauſa principalis ſecundaria, negat Dom: Bannes; quód etiam per abſolutam Dei potentiam poſſit effectiuè augere charitatem, ſed nihilominus conuenienter dici poteſt; quód homo etiam vt cauſa ſecundaria principalis effectiuè concurrere poſſit: nam poſſet Deus aſſumere hominem gratia præditum, vt cōcurrat effectiuè; ſicut ſecundùm ſententiam veriorem Sacramenta ſunt cauſæ phyſicæ ſeu effectiuæ productionis gratiæ. *Tum* quia gratia eſt præſtantior charitate: nam gratia habet ſe ſicut natura & eſſentia; charitas autem tanquam potentia: & ideo gratia eſt in ipſa eſſentia animæ; charitas autem in voluntate (vt docet D. Th. 1. *quæſt. 110. art. 1.*) *Tum dico* quód non ſit neceſſe, vt cauſa principalis ſit perfectior effectu ſecundùm principium proximum actionis, v. ſecundùm potentiam actiuam, cum hæc ſit accidens; effectus autem ſit ſubſtantialis, vt cum calor producit ignem: ſed ſufficit, quód ſecundùm aliquod principium actiuum ſibi adiunctum ſit æquè perfecta, aut etiam perfectior, & ſic homo habet ſibi adiunctam gratiam; & hac ratione eſt perfectior ſiquidem (vt dictum) in ordine ſupernaturali gratia habet ſe, vt eſſentia; charitas autem eſt illius potentia.

22 Dico ſecundò. *Sententia eſt S. Doct. quód per actum remiſſum charitatis meremur quidem augmentum charitatis, ſed illud nobis non confertur, niſi actum ſeruentiorem elicuerimus*, *v. g.* ſi quis habeat habitum charitatis vt decem, & operetur actum charitatis remiſſum vt vnum, aut vt duo; hi actus exerciti habent quidem meritum augmenti charitatis; tamen hoc non confertur, niſi in actum feruentiorem proruperit. Ita D. Th. hic art. 6. vbi ait: *Habilitate creſcente prorumpit homo in actum*

Augmētum charitatis meremur per actum remiſſum charitatis.

feruen-

feruentiorem dilectionis, quouſq; conetur ad augmentum charitatis, & tunc charitas augetur. Apertè dicit tunc eſſe actuale tempus augmenti, quando homo conatur ad actum feruētiorem charitatis. *Deinde* Eccleſiaſtici 11. *Vbi ceciderit lignum, ibi erit.* ergo ſi habitus charitatis in hac vita non eſt auctus per diſpoſitionē conuenientem, v. per actum feruētiorem charitatis, iam non augebitur vltra ſuam proportionem in gloria. Non negamus quidem, quód quilibet actus perficietur in patria, tanquam à termino ſuo; ſed loquimur de augmento eſſentiali & intrinſeco charitatis, & dicimus, quód in gloria iam non augebitur.

Præterea cur remiſſus actus non auget charitatem? quia vt augeatur aliquid, debet ab eo augeri, quód ſit in proportione maioris inæqualitatis: *v. g.* ſi calidum ſit in ferro vt quatuor, idemq; augendū; debebit augeri à calido vt quinq; aliàs à calido vt tria non augebitur: quia ad actionem requiritur proportio maioris inæqualitatis; ſed actus feruentior habet proportionem maioris inæqualitatis; ergo augere poterit; remiſſus verò habet proportionem minoris inæqualitatis: ergo non poterit augere.

Obiectio Prima.

23. *Sed inſtabis.* Quolibet actu remiſſo charitatis diſponitur homo ad augmentum charitatis. ergo ſtatim dabitur illi augmentum.

Solutio eius.

Reſpondeo. verū eſſe, quód homo per quēlibet actū charitatis diſponitur ad augmentū charitatis; ſed diſpoſitione remota, non autē proxima, & proportionata ad augmentum.

Obiectio altera.

Sed rurſum inſtabis. in illo actu remiſſo eſt meritum augmenti charitatis. ergo cum tali augmento eſt proxima & proportionata diſpoſitio. *Reſpondeo.* negando conſequentiam, quód in quouis actu, qui ſecum inuoluit augmentum, ſit proxima & neceſſaria ad augmētum diſpoſitio: nam ſicut in naturalibus à proportione minoris inæqualitatis non ſequitur actio, ignis enim habens calorem vt tria, non agit in ferrum ignitum habēs calorem vt quatuor, quia eſt minoris inæqualitatis: ita quoq; proportionaliter voluit Deus vti noſtris actibus tam ad infuſionem, quam ad augmentum charitatis tanquam proportionatis actibus: ita quód actus remiſſus vt tria non poteſt habitum charitatis vt quatuor augere. — Eiuſdem ſolutio.

24. *Inſtabis tertiò.* Si quis habens habitū charitatis vt quatuor, cum auxilio Dei prorumpat in actum feruentiorem vt quinq;, iſte recipiet ſtatim augmentum charitatis, & efficietur charitas intenſior. ergo ſi alius habeat habitum charitatis vt ſex, & in actum exeat charitatis vt quinq;; etiam ſtatim recipiet augmentū. *Conſequentia.* quia vbiq; eſt act⁹ vt quinq;, & non debet eſſe vnius conditio deterior, quàm alterius. — Obiectio tertia.

Reſpondeo. quòd ille, qui habet habitum charitatis vt ſex, & prorumpit in actum vt quinq;, eſt deterioris conditionis ea de cauſa; quia non vtitur plenè habitu infuſo charitatis; ille verò, qui habuit habitum charitatis vt quatuor, & prorupit in actum vt quinq;, eſt iam melioris conditionis quia pleniùs vtitur habitu charitatis. *Si autem* conſideremus ipſos habitus chari- — Solutio eiuſdem.

charitatis, *dico.* quód ille, qui habet habitum charitatis vt ſex, ſimpliciter eſt melioris conditionis eo, qui ſolùm habet charitatem vt quatuor: ſed illi tamen promeritum augmentũ per actum vt quinque non datur de præſenti; quoniã non habet diſpoſitionem proportionatam. vnde neceſſarium eſt, vt prorumpat in actum feruentiorem, & tunc recipiet augmentũ.

Actus charitatis quo dupliciter conſiderari poteſt?

Ad extremum dico, quód actus charitatis dupliciter conſiderari poteſt, *primò* in ratione meriti, *ſecundò* in ratione diſpoſitionis. poterit igitur vnus act⁹ aliũ excedere, aut in ratione meriti, aut in ratione diſpoſitionis. *v.g.* Si Petr⁹ habeat habitũ charitatis vt viginti, & eliciat actũ charitatis vt quindecim; Paulus verò habeat habitum charitatis vt quatuor, & eliciat actũ vt quinq;, tunc ille actus vt quindecim, excedit actum vt quinq;, in tripla proportione, in ratione meriti: ſed in ratione diſpoſitionis ad augmentum eſt actus longè minor, quia non habet proportionẽ debitã, vt poſſit augere habitũ vt viginti, & ſic inferioris eſt conditionis: quia habens habitum vt viginti, operatur vt quindecim; & ideo tepidè.

Obiectio quarta.

25. *Inſtabis quartò.* Habeat homo iuſtus plures actus dilectionis remiſſos ipſo habitu charitatis, & poſtea moriatur; talis homo propter illos plures actus remiſſos dilectionis recipiet maiorem gloriam. ergo in hac vita recepit quoq; augmentum gratiæ, & per conſequens charitatis: ſiquidem gloria commenſuratur gratiæ, quam homo in hac vita habuit.

Solutio ei⁹

Reſpondeo quód retributio gloriæ non eſt ſecundùm numerum operationum, ſed ſecundùm diuerſos gradus charitatis. quód ille iuſtus, qui habet vnum actum charitatis intenſum, plus meretur ſimpliciter de gloria eſſentiali; quàm ille, qui plures actus produxit, ſed omnes remiſſos: dicit enim D.Th. hic art. 5. ad 3. *Augmentatio charitatis importat mutationem ſecundùm maius & minus habere,* hoc eſt, ſecundùm quòd perfectiùs ſimilitudo Spiritus S. participatur in anima. *Ex quo inferre licet,* quòd ille maiorem gloriam eſſentialem habebit, qui in hac vita perfectiùs participabat ſimilitudinem Spiritus S. ſed per actum feruentiorem hoc fit. ergo quantumlibet aliquis multiplicet actus remiſſos, nunquam tantùm diliget, quantùm ille, qui habet vnum actum intenſiorem.

Obiectio quinta.

26. *Inſtabis quintò.* ſi ad augmentum charitatis efficienter concurreremus, meritò actus intenſiores à nobis requirerentur. ſed quia moraliter vt cauſa ſecunda concurrimus: ideo ſufficient actus remiſſi.

Solutio ei⁹

Reſpondeo quamuis ad habitum charitatis augẽdum non requirantur actus noſtri, tanquam cauſa efficiens principalis; requiruntur tamen vt diſpoſitiones, & vt ſint in ea proportione, ac ſi efficienter attingeremus ad augmentum: vt in iuſtificatione, ad tantum habitum gratiæ requiritur tanta diſpoſitio. *Et addo,* quód actus illi remiſſi charitatis merentur quidem præmiũ viſionis Diuinæ; ſed, quód hic magis videat Deum, & illo fruatur, id ex charitate intenſiori prouenit.

Queſtio de intenſione charitatis.

27 *Sed quæres,* ſiquidem à proportione minoris inæqualitatis non

non datur actio, quomodo ille, qui habet habitum charitatis vt quatuor, prorumpit in actũ vt quinq;? nam habitus vt quatuor, non poteſt eſſe principium productiuum actus intenſi vt quinq;. quia eſt proportio minoris inæqualitatis, à qua nõ datur actio. *Reſpondeo*, quòd actus ille intenſior, per quem tanquam per diſpoſitionem augetur habitus charitatis, non producitur à ſolo habitu charitatis, ſed ad illum efficiendum concurrit Deus ſuo ſpeciali auxilio, tanquam cauſa efficiens.

Obiectio.

Sed rurſum inſtabis. ergo homo in producendo actu charitatis intenſiori habebit ſe vt inſtrumentum Dei: quia actus intenſioris non habet principium formale, per quod conſtituatur in actu primo, vt ſit cauſa proportionata illius actus intenſioris. *Reſpondeo negando*, quód homo inſtrumentaliter concurrat ad augmentum charitatis, ſed concurrit per principium proportionatum & efficiens illius actus intenſioris: quamuis illud principium ſit efficienter à Deo; eſt tamen formaliter actuans hominẽ, vt per illud poſſit tanquam cauſa ſecunda efficere actum tam intenſum, quem Deus vt cauſa principalis efficiens mediantibus noſtris actibus, vt meritis & diſpoſitionibus, operatur.

Solutio eiꝰ

Opinio probabilis quę dicit augeri charitatem per remiſſos actꝰ

28. Dico tertiò. *Probabiliter tamẽ poteſt ſuſtineri opinio, quæ aſſerit charitatem etiam per actus remiſſos augeri, modò ijdem frequentiùs repetantur*. ita ſentit Gabr. Albert. Rich & paſſim recẽtiores. *Probatur primò*. de augmẽto habitus infuſi eo modo nobis diſſerendũ, vt de augmẽto habitꝰ acquiſiti, ſeruata tamen proportione: atqui habitꝰ acquiſiti augẽtur per actus remiſſos, ſed frequẽter iteratos: ergo & charitas per eoſdẽ remiſſos augebitur. *Maior* quia gratia complet, & perficit naturã, eandemq; imitatur. *Tum* quia idem Deus eſt author gratiæ & naturæ: vnde vbi non habemus reuelationem contrariam, aut rationes repugnantes, poſſumus benè à rebus naturalibus ad res ſupernaturales per quandam Analogiam philoſophari. *Minor*. experimur per actus remiſſos, ſed frequentiùs iteratos augeri in nobis habitus temperantiæ, patientiæ, & aliarum virtutũ. Idem euenit in quouis habitu ſcientiarũ, quód hi etiã per debiles actiones augentur. *Deniq; experimur* in habitu ſcribendi, canẽdi, Cytharam pulſandi, quód etiã per actus debiles, modo ſæpiùs iterentur, in nobis augeantur.

Probatur ſecundò. quamuis actus naturâ ſua debilis, qualis eſt remiſſus, non poſſit actum ſeipſo nobiliorem producere (nihil enim dat quod non habet) tamen ſi ille actus remiſſus cum alijs ſæpiùs exercitis coniunctim ſumatur, tunc vnum totale, quod ęquipolleat perfecto, conſtituere poterit: vt ſi parua lumina ſimul inferantur, & coniungantur, poterunt id præſtare, quod vnum lumen perfectum: & multæ guttæ excauant lapidem ſuo frequenti caſu, quem nonniſi ferrum cum vi adactum conſueuit excauare.

Nota. quilibet actꝰ charitatis remiſſus, auget charitatẽ ſed extrinſecus, remouẽdo prohibẽs; vt impediendo tentationes, aut eas minuendo: ſed intrinſecè non auget, niſi ille actꝰ frequentiùs repetatur.

Quomodo charitatis actus remiſſus auget charitatem

29. *Pro-*

29. *Probatur tertiò.* ſi contingat medium eſſe illuminatum maiori lumine, tunc ſi inferatur minus luminoſum, certum eſt augeri præcedens lumen, quia verè additur nouum lumen, quod quamuis ſit minus & non ſenſibile, non eſt tamen nihil. ſicut & fluuius ex iniecta gutta aquæ verè augetur; quia illa gutta non eſt nihil, ſed quid reale: quamuis illud augmẽtum non ſit ſenſibile: ergo à pari etiam quilibet actus remiſſus naturâ ſuâ debet augere habitum charitatis, ſaltem in genere diſpoſitionis, in quantum illi aliquid addit; licet illud non ſit ſenſibile.

Ad extremum D. Th. videtur fauere huic ſententiæ, aſſerit enim hic art. *6.* hominem per quamuis actionem mereri augmentum, licet illud augmentum non ſtatim addatur, ſed debito tempore; poſtquam ſubiectum fuerit ſufficienter diſpoſitum: quibus verbis loquitur in genere etiam de actu remiſſo. Idem ibidem ad ſecundum dicit quamlibet actionem charitatis iuuare ad augmentum charitatis; ita tamen; vt augmentum fiat per actum vltimum virtute præcedentium: ſicut & vltima gutta in virtute præcedentium excauat lapidem: ergo actus remiſſi, ſed frequentiùs iterati, mutuó ſe iuuant in augmento charitatis.

Obiectio. 30. *Sed obijcies* debili⁹ non poteſt agere in forti⁹, imò nec æquale agit in æquale nam actio ex *lib. 1. de Gen. c. 7.* debet eſſe à proportione

Solutio ei⁹ maioris inæqualitatis. *Reſp*: ita eſſe, quando id, quod eſt debile, ſemel tantùm ſumitur, ſed ſi ſæpiùs & iteratis vicibus ſumatur, tunc æquiualenter agere poteſt in fortius.

Sed iterum inſtabis actus remiſſos ob ſuam tepiditatem potius minuere, quàm augere habitum. *Reſpondeo* fieri hoc quãdoq; & per accidens, quando agens negligenter & tepidè exit in actus, præbens locum paſſionibus & motibus contrarijs: ex quibus contrariæ actiones enaſcuntur, & ſic ſenſim ad diminutionem & ad interitum habitus cooperantur: ſed ijdem remiſſi act⁹, ſi ſæpiùs iterentur, nec contrarij admiſceantur, confirmant & augent habitum. Obiectio tertia. Solutio eiuſdem.

Nota Actus remiſſi præteriti licet realiter non exſiſtant in eo inſtanti, in quo habitus charitatis augetur, ſunt tamẽ virtute in ſuis diſpoſitionibus à ſe relictis, & per has cum vltima actione concurrũt Act⁹ remiſſi præteriti ſunt in ſuis diſpoſitionib⁹ virtute.

31. *Sed quæres* an per actiones aliarum virtutum, quæ ſunt à charitate imperatæ augmentum charitatis mereamur? *Reſpondeo affirmatiuè* nos omnino mereri augmentũ: quia hæc eſt ſententia S. Doctoris quód quilibet actus charitatis meretur augmentum charitatis. Et *l. 2. quæſt. vltima, art. 8.* dicit, quód quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ. Et Concil. Trid. *Seſſ. 6: cap. 10. Can. 24.* definit: quód per quodlibet opus bonum imperatum, aut elicitum à charitate, meremur augmentum vitæ æternæ. *Demùm* quia illa bona opera informantur à charitate, & attingunt finem charitatis: ergo ſũt meritoria. Si autem opera virtutum non ſint à charitate, non merentur augmentum: quia ſunt actus diſſimiles à charitate: ergo vt ſic præcisè conſiderata, augmẽtum mereri non poſſunt. Per actiones aliarum virtutũ meremur augmentum charitatis.

QVÆ-

QVÆSITVM IV.
Quænam ſit Charitatis perfectio pro hoc ſtatu?

32. TRia diſcutiemus: *primò* quinam ſint gradus Charitatis? *ſecundò* an charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta? *tertiò* an augeatur in infinitum?

Charitatis grad⁹ quot

QVANTVM ad primum dico. *Tres ſunt gradus Charitatis, incipientiũ, proficientium & perfectorum*: *Incipientium* charitas in hoc conſiſtit, quãdo fit receſſus à ſtatu peccati mortalis, & tranſitus ad ſtatum gratiæ & charitatis; ita quód ſimpliciter ſtatuit à peccato recedere: *Proficientium* eſt, qui ambulant de virtute in virtutem, & bonorum operum exercitio charitatem roborant: *Perfectorum* eſt, qui hoc vnum principaliter intendunt, vt Deo inhæreant, & illo fruantur; & hi cupiunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto. D. Th. hunc triplicem gradum duplici exemplo illuſtrat: *primò* ætatis humanæ, cuius prima eſt pueritia habens vſum rationis; ſecunda pubertas, tertia virilis ætas: *ſecundò* illuſtrat Motu, in hoc enim receditur à termino *à quo*, & fit appropinquatio ad terminum *ad quẽ*, & tandem ad Deum peruenitur, & in eo eſt quies.

An charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta?

QVANTVM ad ſecundum *An charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta?* Ad Quæſitũ reſpondendo dico quatuor.

33. Dico primò. *Conſiderando charitatem ex parte rei dilectæ, nullius creaturæ charitas poteſt eſſe perfecta, ſed ſolùm Dei, qua ſeipſum diligit.* PROBATVR. Res enim dilecta eſt Deus, & hic in tantùm diligi poteſt, in quãtùm eſt diligibilis: ſed Deus eſt infinitè diligibilis: ergo nullius creaturæ charitas, quæ eſt finita, attingit ad hanc dilectionem, ſed ſolus Deus qui eſt infinitus.

Dico ſecundò. *Conſiderando charitatem ex parte diligentis, ita quod quis totum ſuum cor apponat ad actualiter diligendum Deum; ita vt & actuali dilectione Deum amet, & actualiter omnia in eum referat: hoc modo in hac vita non poteſt eſſe perfecta charitas, ſed hæc perfectio in ſola patria reperitur.* RATIO, quia pro hoc ſtatu vitæ humanæ impoſſibile eſt, propter illius infirmitatem, vt ſemper de Deo cogitemus, & vt in eum actuali dilectione feramur.

Dico tertiò *Hæc perfectio charitatis, vt homo ſtudium ſuum applicet ad vacandum Deo, & rebus Diuinis, prætermiſſis aliis, in quantum neceſſitas præſentis vitæ patitur, eſt poſſibilis; non tamen eſt omnibus communis, in quibus eſt charitas, ſed ſolùm eſt in bonis religioſis.*

34. Dico quartò. *Eſt deniq; hæc perfectio charitatis, cùm quis habitualiter totum cor ſuum ponit in Deo. ita quód nihil velit cogitare aut deſiderare, quod ſit contrarium Diuinæ dilectioni, & hæc debet eſſe in omnibus Chriſtianis, ſi à charitate Dei excidere nolunt.*

Sed quæres an charitas viæ ſit ea-

An charitas viæ ſit eadem ſpecie? dem ſpecie? *Reſpondeo* quód charitus patriæ eſt prorſus eadem ſpecie & numero, quæ fuit in via. *Et ratio eſt* 1. Corinth. 13. dicitur, *Charitas nunquam excidit*: ergo eadem ſpecie numero in patria durat. *Deinde* quia idem formale obiectum habent, v. Diuinam bonitatem ſuper omnia diligibilem.

Obiectio *Sed inſtabis* charitatis, quæ eſt in patria, eſt actus neceſſarius; huius verò, quæ eſt in via, eſt actus liber. Solutio ei⁹ ergo diſtinguuntur ſpecie. *Reſpondeo* quód charitas beatorum in ſua radice eſt libera: quia beatus ad hunc actum neceſſarium amoris peruenit per actum liberum. nam vnicuiq; beatorum liberum erat ad hanc feliciſſimam neceſſitatem peruenire. ſicut enim, qui ſe in aquas proiecit, proiectio fuit illi libera; ſed ſubmerſio ex neceſſitate conſequitur: item ſicut ſuſcipere ſacros ordines liberum erat vnicuique, ſed poſtquam ſuſcepit, iam actus Sacerdotij atq; inprimis caſtitatis neceſſariò ſeruare debet.

Charitas viæ in infinitum augeri poteſt. 35. QVANTVM ad tertium *An Charitas viæ in infinitum augeri poſſit.*? Dico *Augmento charitâtis viæ nullus terminus in hac vita præfigi poteſt, & ideo in infinitum augeri poteſt.* PROBATVR Iuſtitia & ſanctitas ad eum terminum peruenire non poſſunt, vt vlteriùs progredi nequeant: dicitur enim *qui ſanctus eſt ſanctificetur, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Apocal. 22. & Eccleſiaſtici 18 *Non impediaris orare ſemper, & non verearis vſq; ad mortem iuſtificari*, hoc eſt, in iuſtitia creſcere. *Et ratio eſt S. Doct* ſi charitas non poſſet in infinitum creſcere, hoc contingeret aut ex parte formæ ipſius charitatis? aut ex parte ſubiecti, in quo recipitur? aut ex parte cauſæ efficientis? ſed ex nullo horum repugnat poſſe fieri augmentum in infinitum: ergo charitas augetur in infinitum.

Pars prima quód *non repugnet ex parte formæ charitatis*, quia charitas noſtra eſt quædam participatio infinitæ charitatis, quæ eſt Spiritus S. *Deinde* quilibet actus charitatis eſt meritorius vitæ æternæ: ſed vita æterna poteſt in infinitum intédi: ergo & charitas. *Item* exceſſus in alijs virtutibus moralibus eſt peccatum: atqui per exceſſum charitatis nemo peccat, & ideo charitas igni comparatur: *ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* atqui ignis creſcit per appoſitionem materiæ combuſtibilis in infinitum: ergo & charitas per bonorum operum exercitia in infinitum creſcet.

36. Pars 2da quód *non repugnet ex parte ſubiecti.* quia creſcente charitàte ſemper in voluntate creſcit habilitas ad vlterius augmentum. *Item* quia intellectus eſt infinita potentia. dicit enim Ariſt: intellectú eſſe aptum omnia fieri; ideò quód omnia intelligere poteſt: ergo & voluntas erit infinita. *Conſequentia.* Nam voluntas poteſt illud omne velle, quod poteſt intellectus intelligere, modò in illa re intellecta ſit ratio boni.

Pars 3tia. quód *non repugnet ex parte agentis.* Quia hoc agẽs eſt ipſe De⁹, qui eſt infinitæ virtutis, & illud omne producere poteſt, quod nõ implicat cõtradictioné, ſed dari charitatem infinitam in potentia, hoc eſt, quód ſemper volũtas apta eſt, vt poſſit recipere augmentum non

non implicat cōtradictionem. Ergo à Deo produci poteſt.

Obiectio cum ſolutione. *Sed inſtabis* quamlibet charitatem eſſe terminatam ſecundùm ſuam ſpeciem. ergo non erit infinita. *Reſpondeo.* quód charitas quoad ſuam ſpeciem eſt finita, ſed ſecundū ſuam intentionem eſt infinita, quia poſſunt illi ſuperuenire plura augmenta in infinitum. in quantum contingit in nobis multiplicari opera charitatis

Solutio ſecunda. *Reſpondeo ſecundò.* quód per multitudinē partiū extenſionis aut intenſionis, non mutatur ſpecies quantitatis, aut qualitatis, modò illæ partes inter ſe cōtinuentur, & ſint eiuſdem rationis.

Obiectio altera. 37. *Inſtabis ſecundò*, volūtas recipiens charitatem eſt finita: ergo & charitas. Solutio eius prima. *Reſpondeo* quód voluntas noſtra eſt quidem finita entitatiuè, ſed potentia eſt infinita, in quantum ſe ad infinita bona extendere poteſt.

Solutio ſecunda. *Reſpondeo ſecundò* ſufficere, quód voluntas noſtra habeat capacitatem ad recipiendum augmentum. dato enim quocunq; habitu charitatis, adhuc ad eum nouum augmentum addere poſſumus.

Solutio tertia. *Reſpondeo tertiò*; quia in anima noſtra eſt potentia obedientialis tam ad agendum, quàm ad recipiendum. ſiquidem reſpicit omnipotentiam Diuinam. vnde omne illud, quód Deus producere poteſt, modò non implicet contradictionem, poterit anima recipere, & ſic & omnem charitatem producibilem à Deo.

Nota hic monitum quoad profectum vitæ ſpiritualis, quod habet D. Gregorius *lib. 21. Moral. cap. 4.* Et D. Bernardus *Serm. 2. de Purif. In via vitæ non progredi eſt regredi; in hac enim viâ nihil in ſuo ſtatu permanet.* Et Leo dicit Serm. 2. de Quadrageſima. *natura noſtra, manente adhuc mortalitate mutabilis, etiamſi ad ſumma quæq; virtutum proueхatur, ſemper enim ſicut habet quò recidat; ita poteſt habere, quò creſcat.* Et D. Auguſt: ſermone 15. de verbis Apoſtoli cap. 15. *Si dixeris ſufficit, perijſti; ſemper ambula, ſemper profice.* Monitum notandum ad profectū vitæ ſpiritualis.

38. *Sed adhuc quæres*, an charitas viæ poſſit eſſe maior charitate patriæ? *Reſp*: de facto dari in quibuſdā nam charitas B. Virginis, quando fuit in via, maior fuit charitate omnium Angelorum. Et charitas B. Pauli in via maior fuit charitate paruuli, qui poſt ſuſceptum baptiſmū mortuus & beat⁹ eſt effectus. An charitas viæ poſſit eſſe maior charitate patriæ?

Secundùm tamen quaſdam conditiones habitus charitatis, in patria ſemper eſt perfectior *prima* quia charitas viæ nondum habet ſuam ſtabilitatem, eſt enim quaſi in ſtatu alieno. nam charitatis ſtaſtatus proprius & naturalis eſt viſio beatifica. *ſecunda*, quia charitas patriæ ſemper eſt in actu, & ſemper quantum maximè poteſt fertur in Deum, & ab illius dilectione à nulla creatura impediri poteſt. *tertia*, quia omnia actu in Deum refert. *quarta*, quia eſt inamiſſibilis ob intrinſecam perfectionem, quam ſortitur ex viſione clara Dei: & ob has cauſas quælibet charitas patriæ, etiam minima, eſt perfectior quauis charitate viæ.

QVÆSITVM V.
An Charitas poſſit diminui?

Charitas nullo modo directè diminui poteſt.

39. DIco primò. *Charitas nullo modo directè diminui poteſt.* PROBATVR. *non ex parte obiecti v. Dei?* quia ſicut nec augeri, ita nec diminui poteſt. *non ex parte ſubiecti?* nam id eſſet per ceſſationem ab actibus charitatis: ſed hoc non: quia charitas, cum ſit habitus infuſus, non acquiritur, & per conſequens non diminuitur actibus humanis, ſed ſolùm à Deo infunditur. *Non minuitur per peccatum mortale.* nam peccatum mortale eſt contrarium charitati. vnũquodq; autem à ſuo contrario non diminuitur ſecundum aliquem gradum, ſed totaliter tollitur. *Nec per veniale directè minuitur.* quia veniale non attingit ad charitatem, nam charitas eſt circa finẽ v. circa Deũ amandũ; veniale autem ſolùm circa ea, quæ ſunt ad finẽ, in quantũ in his contingit eſſe aliquam inordinationẽ. iam autẽ, qui peccat in minori, non meretur detrimẽtũ pati in maiori, qualis eſt charitas. & Deus non plus ſe auertit ab homine, quàm homo à Deo.

An Venialia peccata diminuant?

40. Sed hic controuerſia oritur de venialibus peccatis Altiſiodorenſis *lib 3. ſuæ ſummæ tract: 6. cap. 1.* tenet quód charitas diminuatur per peccata venialia: ſed verior ſententia S. Doct: hic art. 10. & eſt Henrici Gandauenſis & aliorũ, & prorſus eſt communis. *Probatur.* ſi vnum veniale diminuit charitatem. ergo ſecundùm aliquem gradum, & rurſum aliud ſecundùm alium, & ſic reliqua; donec exhauſerint omnes gradus. ergo dabitur per hanc ſententiam, quód venialia corrumpent charitatem: quod falſum eſt. nam non niſi (vt inferiùs patebit) per mortale, tanquam per ſuum contrarium, corrumpitur.

D. Thomæ Sententià.

Sed reſpondet. Altiſiodorenſis id non ſecuturum: ſiquidem fieri poteſt, quòd ſecundum veniale tanquam minus, diminuet etiam minus, quàm primum veniale. atque ſic hæc diminutio fiet per partes inæquales. *Tum* quia charitas eſt in infinitum diuiſibilis. vnde quantumcunq; venialia multiplicentur nunquam exhaurient totam charitatem; ſed hoc ſine fundamento dicitur. Nam experimur in nobis, quod veniale ſubſequens ſit primo deterius: quia per prius peccatum diſponimur ad aliud maius. *Tum* Quia Deus in pœnam prioris permittit incidere in grauius, ſuam gratiam abundantem ſubtrahendo; iam autem non eſt ratio, cur ſequens veniale debeat eſſe minus primo?

41. *Quidam dicunt*, quód venialia peccata multiplicata tranſeunt in naturam peccati mortalis; & ſic iam deſtruunt charitatem.

Peccata Venialia multiplicata charitatem non deſtruunt.

Reſpondeo hoc eſſe contra communem doctrinam Doctorum, qui dicunt; quód venialia peccata, etiam in infinitum multiplicata, non poſſunt cõſtituere peccatum mortale. Nam peccatum mortale eſt læſio

læſio Dei aut proximi, in re graui ex plena & perfecta aduertentia rationis; veniale autem, eſt quoque læſio Dei aut proximi, ſed in re leui & cum inanimaduertẽtia rationis; ita quòd ratio plenè non aduertit.

Obiectio altera.

Sed rurſus dicunt, quód veniale nõ poteſt quidem attingere naturam peccati mortalis, ſed tamen multiplicata imputari poſſunt, tanquam ſi mortale admitteretur: ob hanc circumſtantiã, quia deperdunt charitatem. *Reſpondeo*, quód venialia, etiam in infinitum multiplicata, nullo modo computari debent pro mortali; niſi ob aliquam circumſtantiam in naturam mortalis tranſierint. *Tum* quia ſoli mortali pœna æterna eſt conſtituta; veniali verò temporalis vnde vltra demeritum eſſet, ſi quis ob venialia ad pœnas æternas deputaretur.

Venialia multiplicata in infinitum nullo modo computari debent pro mortali.

Ad extremum probatur. ſi venialia directè minuerent charitatem: ergo in eodem inſtanti temporis charitas poſſet ſimul minui, & intendi, quod eſt abſurdum. *Sequela.* homo iuſtus poteſt in aliquo inſtanti actum meritorium vitæ æternæ exercere, & per hunc augebitur in eo charitas; & in eodem inſtanti poterit ſibi complacere de aliquo veniali peccato. ergo in eodem inſtanti augebitur, & diminuetur.

42. Dico ſecundó. *Poteſt indirectè per venialia peccata fieri diminutio charitatis.* PRIMÒ, quia ſunt diſpoſitio ad corruptionem: nam hominem ad mortale diſponunt, per quod charitas corrumpitur: nam, qui frequenter parua furta committit, diſponit ſe, vt in maiora labatur. *Item* quia fit ceſſatio ab exercitijs operũ charitatis. *Tum* quia minuunt feruorem charitatis: nam efficiunt, vt venialiter peccans iam minus intenſos actus charitatis producat, iam enim inclinatur in partem contrariam. *vltimò* quia actus charitatis intenſæ ſunt, vt omnia propter Deum amentur ſed is, qui venialiter peccat, amat aliquid, quod non ordinatur in Deũ. vnde feruorem diminuit.

Charitas diminuitur per venialia ſed indirectè.

Sed inſtabis Prouebr. 24. *Iuſtus in die ſepties cadit.* ſed qui venialiter peccat, cadit. *Reſpondeo* quód cadat, ſed non à gratia, nec à charitate; ſed à feruore: & ſic hic lapſus non minuit, nec deſtruit charitatem quoad illius entitatem.

Obiectio 2.

Quomodo Iuſtus cadat ſepties in diem?

QVÆSIIVM VI.

An Charitas amittatur præcipuè per peccatum mortale?

43. DVo nobis ſtabilienda; *primò* an amittatur? *ſecundò* an per actum cuiuſlibet peccati mortalis? Quantum ad primum dico quatuor.

Quæ charitas per mortale non amittatur?

Dico primò. *Charitas in quantum ſignificat Spiritum S. qui efficaciter mouet voluntatem hominis, nullo modo amitti poteſt.* quia apertè inuolueret cõtradictionem, & quód moueat ad actum charitatis, & quód peccando charitatem amittat.

Dico ſecundò. *Charitas in quantum*

Charitas ſumpta ſecundũ propriam ſuam rationem amitti non poteſt? *tum ſumitur ſecundùm ſuam propriam rationem, non poteſt amitti*, quia ſecũdùm hanc ſuam rationem non poteſt peccare: & hoc vult Dictum Apoſtoli; *Charitas nunquam excidit*, hoc eſt, ex ſua ratione & ex ſe non poteſt deficere.

Charitas in patria amitti non poteſt. Dico tertiò. *Charitas conſiderata ex parte ſubiecti in patria, non poteſt amitti*: nam charitas patriæ vniuerſam potentiam & capacitatem noſtræ voluntatis explet: quia eſt ſummum bonum præſens, à quo ſe auertere non poteſt: ſicut forma corporis cæleſtis, quia omnem potentiam materiæ ad formam explet, ideo ad nullam potentiam habet.

Charitas viæ ex parte ſubiecti amitti poteſt. 44. Dico quartò. *Charitas viæ ex parte ſubiecti amitti poteſt*. Hoc Dictũ aduerſatur Hæreticis, vt Iouiniano, qui (vt refert D. Hier. *in lib. 1. & 2. cap.*) docebat eos, qui plena fide in Baptiſmo ſunt renati, à diabolo non poſſe tentari; tantò minùs ſubuerti: ſed ſiqui tentantur, ſignũ euidens eſt, quód aqua & non Spiritu ſunt baptizati. Idem affirmant Beguardi & Beguini damnati Clemẽtina *Ad noſtrum* de Hæreticis, hi docebant; quód homo in hac vita poſſit peruenire ad talem charitatem, vt peccare non poſſit.

Contra quos eſt talis definitio Concilij Trident. *Seſſ. 6. cap. 12. & 13 can. 23. nempe ſi quis dixerit hominem ſemel iuſtificatum ampliùs peccare non poſſe, nec gratiam amittere, anathema ſit*. Et apertè ex locis Scripturæ colligitur 1. ad Timoth: 1. *circa fidem naufragauerunt*. Ad Galat. 5. *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in fide iuſtificamini, à gratia excidiſtis*. 1. Corint: 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare videat, ne cadat*. Et probatur multipliciter. Quia charitas viæ non replet totam potentiam & capacitatem voluntatis, & ideo non ſemper actu fertur in Deum; ſed ad alia ſub ſpecie boni rapitur: & hinc charitas amittitur. *Deinde*. ſi charitas ſemel habita, non amittitur, Sacramentum pœnitentiæ fruſtra eſſet inſtitutum; quia hoc ad peccatorum remiſſionẽ eſt conſtitutum: ſi autem charitas non amittitur per peccatum, fruſtra dicitur ſecunda tabula poſt naufragium. *Præterea*. Quilibet iuſtus, quamdiu in hac vita commoratur, eſt liber; non ſolùm libertate contradictionis, quód poſſit facere & non facere; ſed etiam contrarietatis, quód poſſit bonum vel malum operari. ergo poterit incidere in peccatum mortale, quod ſui oppoſitione charitatem tollit. *Deniq;* de facto experimur, quód viri inſignes probitate ſunt lapſi; Dauid vir ſecundum cor Dei adulterio homicidium accumulauit. & de Diuo Petro & D. Marcello legimus, quód in infidelitatem ſunt lapſi. Libertas hominis iuſti in hac vita duplex.

Obiectio. Reſolutio eius. 45. *Sed obijcies*. omnis qui natus eſt ex Deo, peccatũ non facit. *Reſpondeo*, quód hic locus Scripturæ, & alij huic ſimiles reduplicatiuè ſunt exponendi ſic. *Qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum*, in quantum v. ex Deo eſt, ſic non peccat: ſicut cum dicitur, *Arbor bona non facit malos fructus*, in quantum ſcilicet eſt bona, quia *charitas non agit perperam*. ſed, qui peccat, perperam agit; vnde non ſecundùm charitatem, ſed ſecundùm ſuam cupiditatem. *Caietanus ſic explicat*, ſicut calidum

non

non poteſt infrigidare; ita charitas, in quantum in aliquo eſt, non poteſt ad peccatum inducere: nihilominus natus ex Deo ob ſuam libertatem poteſt ſerui in peccatum, & ſic charitatem amittit.

Per vnum actum mortalis peccati charitas amittitur.

46. QVANTVM ad alterum Dico. *Per vnum actum peccati mortalis charitas amittitur.* PROBATVR. Per vnum actū peccati mortalis efficitur homo dignus pœna æterna; & is, qui charitatem retinet, dignus eſt vita æternâ. ſed nullus poteſt eſſe ſimul dignus, & vita æternâ & pœna æterna. ergo impoſſibile eſt, vt aliquis habeat charitatē cum peccato mortali. *Præterea.* Quilibet actus peccati mortalis eſt contrarius charitati, ſecundùm quod charitas in hoc conſiſtit, quód diligat Deum ſuper omnia, & quód illi homo totus ſe ſubijciat, regulam præceptorum Diuinorum ſeruando. ſed actus peccati in contraria ratione conſiſtit: nam non amat Deum ſuper omnia, excludit iugum præcepti Diuini illud præuaricando ergo per actum peccati amittitur charitas. *Item.* Iacobi 2. *Quicunq; totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* ergo vnus actus peccati mortalis reatum pœnæ æternæ inducit, cum qua charitas non ſtat.

Hæreticorum error.

Nota falſum eſſe, quód Hæretici aſſerunt tanquam per ſolam infidelitatem charitas amittatur. nam expreſſè Apoſtolus dicit 1 Corint. 6 *neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; fures, regnum Dei poßidebunt.*

Quomodo amiſſio charitatis fiat?

47. *Sed hic controuerſum eſt*, an hæc amiſſio charitatis per peccatum fiat mortaliter & demeritoriè? an verò efficienter & phyſicè? Pro determinatione.

Dico. *Quamuis verum ſit, quòd quilibet actus peccati demeritoriè excludat charitatem, aßerimus tamen, quód non ſolum demeritoriè, ſed etiam phyſicè.* Hunc vtrumq; modum colligimus ex 10. art. quæſt: 24. hic, vbi ſic dicit; *neutro modo* (v. neq; demeritoriè, neq; effectiuè) *peccatum mortale diminuit charitatem; ſed formaliter corrumpit illam, & effectiuè. Quia omne peccatum mortale contrariatur charitati, & etiam demeritoriè, quia, qui peccando mortaliter agit contra charitatem, dignus eſt, vt ei Deus ſubtrahat charitatem.* Quo in loco, S. Doctor oſtendit, quód charitas nec demeritoriè, nec effectiuè per peccatū mortale diminuitur, ſed bene vtroque modo corrumpitur.

48 *Nota* ad hoc, vt aliquid actu ſuo phyſicè expellat formam aliquam, non eſt neceſſe, vt forma introducenda in eam formam, quam expellit, phyſicè agat; quemadmodum agens ab eo ſubiecto, in quod inducit humiditatem & frigiditatem, dicitur expellere ignē: ſed ſufficit, quód vna aliam ſecum in eodem ſubiecto non compatiatur, ſed formaliter excludat ob immediatam repugnantiam, quam habet cum tali forma, vt videre eſt in ſecundis qualitatibus contrarijs, quæ mutuò inter ſe non ſunt actiuæ: nam agens inducendo albedinem, dicitur phyſicè expellere nigredinem.

Neq; item ad hanc efficientiam phyſicam requiritur, vt tanta ſit repugnantia, quód nec per abſolutā Dei potentiam poſſit forma præcedens cum introducenda conſeruari; ſed ſufficit, quód ſecundùm ſuum connaturalem modum exſi-

ſtendi non poſſint eſſe ſimul. *Cuius eſt*

49. *Ratio prima.* Peccatum mortale ita eſt repugnans charitati, vt eam ſecum ſimul non cõpatiatur, in quantum charitas eſt amicitia Dei, & conuerſio ad Deum, tanquam ad vltimum finem. ergo eam phyſicè expellit: nam peccatum mortale includit odium Dei, & auerſionem à Deo.

Ratio ſecunda. homo operans actum peccati eſt cauſa phyſica ad introducendum peccatum. ergo etiam eſt cauſa phyſica ad tollendum id, quod cum eŏ conſiſtere nequit. ſed charitas ob immediatam repugnantiam non poteſt ſimul cum peccato permanere: ergo eam phyſicè excludit.

Ratio tertia. Deus ita ſe habet in infuſioné charitatis & in conſeruatione, ſicut ſol in illuminatione aëris, ſed ponens obſtaculum lumini, quominus aërem habitaculi illuminet, expellit effectiuè lumen: ergo ita, quando peccatũ mortale actualiter committitur, illa ipſa actio eſt obſtaculum; ne charitas infundatur & conſeruetur.

50. *Sed obijcies.* cauſa creata non poteſt efficienter charitatem producere. ergo neq; eam expellere. *Reſpondeo* ad res corrumpendas, aut expellendas non ſemper requiri eam virtutem, quæ fuit productiua. nam anima à Deo creatur, & infunditur, quam tamen homicida expellit. ſimiliter homo in ſua habitatione non poteſt lumen ſolis producere, poteſt tamen efficienter excludere claudendo feneſtram, per quam intrabat: ita charitatem, quam homo in ſe non produxerat, ſed à Deo infuſam habebat, expellit efficienter per actum peccati. quia talis actus nõ compatitur ſecum iuxta connaturalem modum exſiſtendi charitatem. vnde ſicut Deus animam in corpore non conſeruat, poſtquam homicida diſpoſitiones neceſſarias iuxta exigentiam abſtulit; ita accedente actu peccati iam deſinit charitatem conſeruare. Obiectio cum ſolutione.

DISPVTATIO III.

De Obiecto Charitatis.

1. AD.Th. quæſt: 25. in articulis 12. Decẽ enumerantur obiecta, quæ videntur exigere dilectionem ex charitate nempe Deus, Proximus, Charitas, Creaturæ irrationales, ipſe homo, corpus noſtrum, peccatores, inimici, Angeli, Dæmones.

QVANTVM ad primum dico: *Deus tanquam primarium obiectum charitatis, ex charitate eſt diligendus, ſub ea ratione formali obiectiua; in quantum eſt bonitas increata, eademq; infinita, quæ omnem naturæ rationalis proportionem & capacitatem excedit, & facit Deum ſuper omnia propter ſeipſum, hoc eſt,* Deus eſt primarium obiectum charitatis.

eſt, amore amicitiæ amabilem. Ideo debet eſſe bonitas obiectum charitatis, quia charitas ad appetitum rationalem ſeu ad voluntatem ſpectat, quæ illud ſolùm appetit, quod habet rationẽ boni. *Ideo autem* hæc bonitas debet eſſe increata & infinita, vt charitas diſtĩguatur ab amore naturali, quo vt cognoſcibilẽ lumine naturali amamus, vt authorem naturæ, & vt ex bonitate ſe communicat creaturis: charitate autem ſupernaturali amamus Deum, vt authorem gratiæ & gloriæ, & vt ſe nobis per dona ſupernaturalia communicat. Ideo autem Deum amabilem propter ſe facit: quia hac dilectione volumus illi bonum, & de illius bonis gaudemus, & ſic diſtinguitur ab amore concupiſcentiæ, quo Deũ ob beneficia nobis ab eo collata diligimus.

Obiectio

2. *Obijcies* etiam Deus eſt diligẽdus, in quantum eſt iuſtus, miſericors, & ſapiens. ergo increata bonitas non eſt ratio formalis charitatis. *Reſpondeo* bonitas increata, vt eſt quoddam attributum Diuinum diſtinctum ab alijs, prout dicit quandam particularem perfectionem in communicando ſe: nõ eſt adæquata ratio obiecti formalis. ſed ſi ſumatur, vt dicit quandã abſolutam perfectionem in omni genere excellentiæ, ſic eſt ratio formalis obiecti charitatis, etiam in ſe continens Diuinam ſapientiam, iuſtitiam, miſericordiam, quæ ſunt excellentiæ ſeu perfectiones Diuinæ: & ſic eſt ratio adæquata formalis obiecti charitatis.

Solutio obiectionis.

Obiectio altera.

3. *Obijcies ſecundò*. Potiùs nos amamus Deum ob beneficia nobis ab illo collata, ſed hæc beneficia ſunt bonitas creata. ergo non increata eſt ratio formalis. *Reſpondeo*. Dilectio Dei poteſt procedere à duplici principio. *primò* à virtute gratitudinis; *ſecundò* à virtute charitatis, quam gratitudo imperat, vt pro beneficijs acceptis amorem Deo impẽdamus. Scotus non malè dicit *in 3. diſt: 13.* præter primariam rationem formalem obiectiuã, quæ terminat actum charitatis, poteſt dari aliqua ratio nos alliciens ad amandum: vt, cum quis amat aliquem, quia eſt pius, ſapiens; & iterum ideo amat, quia ab eo nouis beneficijs ornatur: ſic quoq; nos Deum principaliter amamus, vt eſt infinita bonitas, & vt ſic, dignus eſt amore propter ſe; ſed quia nobis amoris ſui indicia in creando, redimendo, & ſanctificando teſtatur, ſic ob hanc ſecundariam rationem eum quoq; amare debemus; vna tamen dilectione duplicis rationis formalis: ratio primaria debet præualere, vt Deum ſine acceptis beneficijs maximè diligamus, cum ſit dignus tanquam ſumma bonitas, & extra quem nulla bonitas, vt ab omnibus ſummè ametur.

Dilectio Dei à quotuplici principio poſſit procedere?

4. *Sed quæres*. cum ſciamus exſtare præceptum de diligendo Deo. Matt: 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c.* quando igitur hoc præceptum obligat? *Reſpondeo* obligare pro duplici tempore; *primum eſt*, cum homo ad vſum rationis peruenit, & in ſe deprehendit motiua, quæ illum exſtimulãt ad Deum diligendum. vt quòd ſit creator & ſummus benefactor, tunc tenemur ad diligendum Deum ſuper omnia. *ſecundum eſt*, cum

Præceptum de diligẽdo Deo pro duplici tempore obligat.

quis verſatur in periculo mortis probabili vel euidenti, maximè ſi pro Chriſto illi ſubeundum eſſet Martyriũ, ſi ſibi peccati mortalis eſſet conſcius, tunc ad charitatis actum feruentem eliciendum obligatur. *Tum* Quia pro eo tempore iam intelligit breui ſe Deo ſuo con iunctum iri, tanquam bono ſupernaturali, qui cum ſit charitas, non niſi per actum charitatis illi vniri debemus.

Obiectum ſecundum charitatis eſt proximus.

5. *Secundum obiectum* charitatis eſt PROXIMVS De hoc Dico. *ad perfectam charitatem non ſufficit, vt Deum amemus, ſed neceſſarium eſt, vt etiam proximum diligamus.* PROBATVR. Obligamur ab hoc præcepto Diuino. Matt. 22. *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* 1. Ioan. 4. *Hoc præceptum habemus à Deo, vt qui diligit eum, diligat & fratrem ſuum. Et ratio eſt.* omnes enim homines ſunt vnius & eiuſdem naturæ, omnes quoq; ſunt capaces gratiæ, donorum ſupernaturalium, & ipſius beatitudinis æternæ. ſed communio eiuſdẽ naturæ exigit, vt quemlibet hominem naturaliter diligamus; communio verò gratiæ & vitæ æternæ, vt ex charitate diligamus. ergo quilibet homo ob hanc duplicem communionem diligendus.

Charitas vna eſt ſpecie.

Nota quamuis ſint duo præcepta charitatis, vnum de diligendo Deo & alterum de diligendo proximo: vna tamen eſt ſpecie charitas. nam vtriuſque vna eſt ratio formalis obiectiua, & una charitas, qua ſub bonitate increata diligimus Deum & proximum: ſicut & viſio, qua videmus lumen, & qua videmus colorem, eſt vna ſpecie. quia vna ratio formalis, ſub qua viſio fertur v. ratio luminis.

Obiectio cum ſolutione.

6. *Sed obijcies.* videtur tamen charitas ſecundariò ferri in proximũ. ergo per accidens *Reſpondeo* non ſequi. nam corpus eſt quid ſecundariũ reſpectu animæ, & materia reſpectu formæ: hæc tamen per ſe ad eſſentiam illius rei, quam conſtituunt, pertinent. Et perſonæ in Diuinis primariò dicunt relationem, ſecundariò Eſſentiam; ideo tamen non dicunt per accidens Eſſentiam.

Obiectio ſecunda.

Obijcies ſecundò. Dilectio Dei & proximi non eſt eadem ſpecie: nam vtriuſq; non eſt eadem ratio formalis obiectiua, ſiquidem bonitas Dei eſt infinita, proximi autem finita. Finitum autem & infinitum ſpecie diſtinguuntur. *Reſpondeo* ſpecificam diuerſitatem non eſſe ex eo ſumendam, quód bonitas Dei ſit infinita, proximi finita. nam linea tam finita, quàm infinita eſt eiuſdem ſpeciei.

Solutio eiuſdem.

Solutio ſecunda.

Reſpondeo ſecundò ſufficere ad vnitatem ſpecificam, quód vtraque charitas conueniat in vna ratione formali bonitatis ſupernaturalis per reuelationem cognitæ.

Obiectio tertia cum ſuis ſolutionibus.

7. *Inſtabis tertiò.* hi tamen actus diligendi Deum & proximum ſunt numero diuerſi. *Reſpondeo* nos hîc loqui non de actibus, ſed de habitibus, actus non eſſe diuerſos numero: nam quoties per veram charitatem amamus proximum, ſimul amamus & Deum, ſaltem virtute & implicitè, quia proximum propter Deum amamus; ſicut nec Deum poſſum verè diligere, quin etiam proximum diligamus, ſaltem implicitè & in præparatione animi.

Præceptum de diligendo proximo quando obligat tempore?

8. *Sed quæres* Præceptum de diligendo proximo, pro quo tempore

pore obligat? *Reſpondeo* tunc obligat quando proximus in extrema neceſſitate eſt poſitus, euidenti vel probabili, ſpirituali aut temporali; & quidem obligatione ſub reatu peccati mortalis. *Probatur.* quia extra hanc neceſſitatem non eſt alius maior caſus, in quo obligemur ad dilectionem exhibendam proximo. *Deinde* dilectio maximè elucet in eleemoſyna, qua iuuare debemus neceſſitatem extremam proximi, & quidem ſub peccato mortali (vt D. Ambr.) *Vidiſti pauperem fame pereuntem, & non adiuuiſti; occidiſti.* Præceptum quoq; dilectionis, ſicut & correptionis fraternæ, obligat de emendando & lucrifaciendo proximo, quoties eſt in extremo periculo ſuæ ſalutis; maximè quando eſt ſpes, quód interueniente correptione fraterna emendari poſſit.

Obiectum tertium charitatis eſt ipſa charitas.

9. TERTIVM *obiectum* eſt Charitas ipſa. Dico itaq;, *quód charitas, ſicut & reliqua inſenſibilia & irrationabilia, non diliguntur ex charitate ſecundum ſe* PROBATVR. Quia in his non relucet Diuina bonitas, dans capacitatem conſequendi felicitatem. nam charitas, licet ſit ordinis ſupernaturalis, ex ſe tamẽ non eſt capax æternæ beatitudinis: quia hæc ſolùm debetur his, quæ intellectum & voluntatem habẽt. diligitur tamen charitas & irrationabilia tanquam bona, quia charitas, fides, ſpes, Sacramenta ſunt, quæ cõducunt hominibus ad æternam beatitudinem conſequẽdam, & hæc bona his, quos amamus, exoptamus.

Et D. Aug. lib. 8. de Trin: cap. 7 dicit, *qui diligit proximum, conſequens eſt, vt etiam dilectionem diligat.* ſed proximum ex charitate diligimus. ergo & charitatem ex charitate diligere debemus. vnde in quauis dilectione charitas ſupra ſe ſemper reflectitur, ſicut intellectus in quauis ſua intellectione.

10. QVARTVM *obiectum* ſunt Creaturæ irrationales, de quibus Dico. *Quód creaturæ expertes rationis, non ſunt propriè obiectum charitatis.* Obiectum quartũ creaturæ irrationales. PROBATVR. Quia charitas propriè extendit ſe ad Deum, & ad proximum amandum. Sed irrationales non ſunt Deus (vt eſt manifeſtum) nec dici poſſunt nomine *Proximi*, quia non communicãt nobiſcum in natura rationali. ergo propriè non ſunt obiectum.

Dico ſecundò *poſſumus ſecundariò amare creaturas irrationales, tanquam media & ſubſidia nobis & noſtris proximis ad ſalutem conferentia* PROBATVR Charitas enim in ſe ſumpta, vt eſt habitualis, eſt expers vitæ rationis, & non eſt potentia, nec actio; ſed ſolùm eſt habitus: & tamen charitas (vt iam deduximus) amatur ex charitate. quia eſt id, quod nobis & proximis noſtris eſt neceſſarium, & quód à Deo dari nobis efflagitamus, ergo idem de alijs irrationabilibus dicẽdum. *Deinde* Bona huius vitæ (vt honores diuitiæ, ſanitas, doctrina) conferunt ad meritum gratiæ & gloriæ, & ad ſeruiendum Deo & proximo, & ad opera miſericordiæ. ergo in hoc ſenſu ex charitate ſunt diligenda.

Sed obijcies. ex ſententia Theologorum, in rebus irrationalibus relucet quoddam veſtigium Diuinæ bonitatis. ergo directè ſunt amãda Obiectio cum ſolutione. *Reſpondeo* relucere quidem, ſed non tale veſtigium, quod ſit capax gratiæ & gloriæ.

Quantum obiectum charitatis eſt ipſe homo.

11. QVINTVM *obiectum* charitatis eſt ipſe homo, de quo Dico primò. *propriè loquendo non poteſt homo ſeipſum amare amore amicitiæ.* Quia amicitia per ſe tendit ad alia: hic tamen amor, quo nos ipſos amamus, eſt maior amore amicitiæ. *Ratio* Quia amicitia importat ſecum quandã vnionem: nam amor eſt virtus vnitiua. ſed vnio, quam habet quilibet homo ad ſeipſum, eſt maior vnione ad alterum. ſicut enim vnitas eſt principium vnionis; ita amor, quo quis ſeipſum diligit, eſt forma & radix amicitiæ. in hoc enim amicitiam habemus ad alios, quód eos ad nos habem⁹, ſicut nos ad nos ipſos.

Quilibet homo debet ſe ipſũ diligere ex charitate.

12. Dico ſecundò. *Debet tamen quilibet homo ſeipſum diligere ex charitate.* PROBATVR. quia præcipitur Matt: 22. *Diliges proximum ſicut te ipſum.* in quo præcepto implicitè vnicuiq; mandatur ſui dilectio: cum ſit menſura & regula dilectionis proximi. *Item.* Omne illud cenſetur eſſe obiectum charitatis, quod poteſt amari propter Deum ſupernaturaliter cognitum, & cui poſſumus velle bonum ſupernaturale, vt ſit capax gratiæ & gloriæ. ſed quilibet homo ſic ſe habet reſpectu ſui ipſius. ergo vt ſic debet ſeipſum amare ex charitate. *Deinde.* Quia cognoſcit ſeipſum tanquam bonum Diuinum, in quo relucet ſimilitudo & imago Dei.

Quæ dilectio ſui vituperatur?

Sed inſtabis. ſui dilectionem vituperari. *Reſpondeo* vituperari quidem, ſed non eam, quæ eſt ſecundum charitatem, de qua in præſenti loquimur; ſed eam, quæ eſt ſecundum concupiſcentiam: quia homines ſecundum corruptam naturam ſeipſos diligunt, & ſibi ipſis indulgent, fræna cupiditatum laxando.

Obiectum charitatis ſextũ corpus noſtrũ.

13. SEXTVM *Obiectum* charitatis eſt corpus noſtrum, de quo Dico *Debet etiam homo corpus ſuũ ex charitate diligere.* PROBATVR. Ita D. Aug lib 1. de doct. Chriſt. capit. 23. vbi dicit quatuor à nobis eſſe diligenda; *vnum* quod eſt ſupra nos v. Deum: *alterum* quod nos ſumus: tertium, *quod* iuxta nos eſt ſcilicet Proximum: *quartum,* quod infra nos, v. corpus. *Deinde* Corpus noſtrum eſt à principio optimo, nimirum à Deo, formauit enim Deus hominem ex limo terræ. *Præterea* idem corpus eſt inſtrumentum bonorum operum, per quod cultum Deo exhibemus, & illius gratiam promeremur. Ad Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, &c. ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificatione.* ergo vt ſic propter Deum, diligendum corpus. *Item* quia ſuo modo eſt capax æternæ felicitatis. D. Aug in epiſt. ad Dardanium dicit gloriam corporis reſultare ex gloria animæ. *Tum* quia in hac vita eſt particeps laborum pro vita æterna ſuſceptorum. *Deniq;* quia corpus poſt reſurrectionem, ad conſtituendam eſſentiam hominis, requiritur.

Obiectio.

14. *Sed obijcies* ad Rom. 7. Apoſtolum conqueri de ſuo corpore: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* *Reſpondeo* hic Apoſtolum non loqui de corpore ſub ratione corporis, quia ſic volebat non ſpoliari, ſed ſuperueſtiri. Sed nomine *Corporis* intelligit concupiſcentiam, & fomitem peccati laten-

Solutio ei⁹

latentem in membris, & rectæ rationi repugnantem.

Obiectio altera cum ſolutione.

Rurſum obijcies. ſi corpus amandum. ergo non eſt affligendum ieiunijs, cilicijs, & alijs acerbitatib⁹. *Reſpondeo* negando conſequentiam: tunc enim maximè dilectionem corpori impendimus, cùm illud per mortificationem à peccatis arcemus; ne ſit vas iniquitatis & perditionis: vnde ad Coloſſen. 3. dicitur: *Mortificate membra veſtra.*

Septimum Peccatores.

15. SEPTIMVM *obiectum* ſunt peccatores, an videlicet ex charitate ſint diligendi? Dico itaq; *Peccatores quoad naturam ſuam, ſecundùm quam ſunt capaces æternæ beatitudinis, diligendi ſunt, ſed quoad peccatum ſecundùm quod ſunt peccatores non ſunt diligendi.*

Probatur primum exemplo Chriſti, qui dicit: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* ergo & nos debemus diligere peccatores, quos ex dilectione Chriſtus vocat. *Deinde* quia generali præcepto iubemur diligere proximos. ſed peccatores ſunt proximi. Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus.* ſi peccator eſt frater? ergo & proximus.

Probatur alterum, quia hi, qui ſunt in peccato, ſunt odibiles Deo. Pſal. 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem. Præterea* quia peccatorum orationes Deus non exaudit, qui v. permanent in intentione & complacentia peccandi. *Item* Quia sũt inimici Dei Ergo vt ſic non ſunt amandi.

Amor ſui triplex.

16. *Sed quæres* An peccatores etiam ſeipſos diligant? *Reſpondeo* cum D Thoma, quòd Amor ſui eſt triplex in hominibus. *quidam* eſt naturalis, idemq; communis; cõmunis & bonis & malis, quo vnuſquiſque amat ſuum ESSE. *quidam* eſt, quo id plus amamus, quod eſt in homine præſtantius, vt anima rationalis præſtat Corpori: & ſic boni ſeipſos dilıgũt. *quidam* eſt amor, quo plus diligimus id, quod eſt in homine inferius, vt cupiditas, ſen ſualitas. Hoc notato.

Peccatores non diligũt ſe verè.

Dico *peccatores non diligunt ſe verè amando id, quod eſt præſtantius. quia nõ amant animam ſuam, nec illius ſalutem.* Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* vnde ſeipſos ſecundũ quid amant, in quantum bona ſenſibilia & delectabilia ſectantur.

Qui magis diligũt ſeipſos peccatores an iuſti?

Quæres qui magis diligũt ſeipſos, peccatores an iuſti? *Reſpondeo* quòd magis iuſti: quia ſeipſos rationi ſubijciunt, & ad vitam immortalẽ diſponunt: peccatores verò ſimpliciter ſeipſos non amant, quia ordinem naturæ inuertunt, dum rationem cupiditatibus ſubijciunt, & ſeipſos ad ignem æternum præparant.

Octauum obiectum inimici.

17. OCTAVVM *obiectum* Inimici, de his *ſuppono primò.* Inimicus dupliciter conſiderari poteſt: *primò* ſecundùm quod inimicus eſt ſecũdùm ſuam prauam affectionem: *ſecundò* vt homo eſt, & in quantum capax viſionis Diuinæ.

Inimicus quotupliciter conſiderari poteſt?

Suppono ſecundò. Dilectio inimici duplex *quædam* eſt particularis, qua illum ſpeciali actu dilectionis amamus; *quædam* Communis, qua illũ ſicut & alios homines diligimus. Hoc præmiſſo.

Dilectio inimici quotuplex?

Dico primò. *Inimicus ſecundum ſuam prauam affectionem peccati non eſt diligendus.* Quia ſecundum hanc aduerſatur Deo & nobis. *Item* Quia per hanc affectionem ponit impedimentum beatitudinis ſuæ, *Item.*

Inimicus quomodo non eſt diligendus.

quia

Quia hanc prauam animi illius affectionem non debemus illi optare, ergo nec illum propterea amare. *Conſequentia.* Id enim optamus, quod amamus.

Inimici quomodo diligendi?

18. Dico ſecundò. *Pertinet tamen ad Charitatem, vt diligamus inimicos, in quantum ſunt homines* PROBATVR. Quia cogit nos præceptum ſpeciale. Matt. 5. *Diligite inimicós veſtros.* *Item* Quia præceptum Domini eſt. *Diliges proximum tuum, &c.* ſed inimicus eſt proximus. ergo diligendus.

Non eſt de neceſſitate charitatis vt inimicos diligamus.

Dico tertiò. *Non pertinet ad neceſſitatem charitatis, aut ſalutis;* vt inimicis ſpecialem actum dilectionis de facto exhibeamus; ſed ſufficit, vt ſimus in animi præparatione, hoc eſt, vt animum paratum habeamus, quoties aut neceſſitas, aut iuſta cauſa poſtulauerit illi ſubueniendi. *Et ratio eſt*, quia ſicut non eſt neceſſe, vt erga ſingulos homines ſpecialem actum dilectionis de facto declaremus, nam hoc impoſſibile eſt. ergo neq; hoc circa inimicum facere obligamur.

Præceptum de diligendis inimicis non debet cuiquam videri graue.

Nota hoc præceptum de diligẽdis inimicis non debere cuiquam videri graue, ſiquidem eſt iuris naturalis: fundatur enim in hoc naturali præcepto. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* at nemo ab eo, quem iniuria affecit, vellet odio haberi, immo & amari cuperet. ergo vice verſa, ſi quando ab aliquo iniuria affectus fueris, odium abolere debes, & in amorem conuertere, *nam, quod tibi vis fieri alteri facias.*

Inimici dilectio quot modis eſt ſub præcepto?

19 Dico quartò *Dilectio inimici tribus modis eſt ſub præcepto* primò *eſt ſub præcepto vniuerſali, quo iubemur in vniuerſum omnes proximos amare*: ſecundò *eſt ſub præcepto ſingulari, quo iubemur inimicos diligere, ſcilicet, vt ſimus in præparatione animi ad diligendum*: tertiò *ſit ſit in neceſſitate poſitus, tum ex accidenti ad vitandum ſcandalum, extra hunc caſum ſolùm erit in conſilio.*

Christus D. de inimicis diligendis præceptum nouum nõ dedit &c.

Dico quintò. *Chriſtus D. de diligendis inimicis non dedit nouum præceptum, ſed antiquum malè intellectum, & à Iudæis deprauatum, ſuæ integritati reſtituit.* nam ex hoc, quód proximus ſit diligendus, inferebant. ergo inimicus odio habendus, non animaduertentes, quód inimici ſint proximi, quos iubemur diligere.

Qualia ſigna dilectionis debemus exhibere inimicis.

20. *Sed quæres* an ſit de neceſſitate charitatis inimico ſigna dilectionis exhibere? *Reſpondeo* cum S. Doct. ſigna & beneficia communia, quæ proximis in communi exhibemus, ſunt de neceſsitate charitatis, vt ea inimicis exhibeamus: ſigna autem & beneficia ſingularia & ſpecialia exhibere inimicis non eſt de neceſsitate charitatis, niſi in caſu neceſsitatis. *Et Ratio eſt.* Quia nemo tenetur magis, aut aliter diligere inimicum, quam vt in genere alios proximos diligimus. Sed non tenemur omnibus proximis ſpecialia ſigna charitatis exhibere, niſi in caſu neceſsitatis. ergo ſimiliter inimicis exhibendum

Quãdo magis tenemur inimico ſigna ſpecialia exhibere quam alteri?

Nota primò Quandoque tamen contingere poteſt, quòd magis tenemur inimicó, quam alteri exhibere ſpecialia ſigna. *Primò* ob vitandum ſcandalum, ne alii deprehendant nos exercere odium, niſi in tali caſu ſpeciale ſignum amoris exhiberemus. *ſecundò* ſi videamus hoc eſſe neceſſarium, vt in nobis odium reſtringamus *tertiò* ſi ad placandum inimicum, & ad ſaluandam

dam animam eius, aduertamus id eſſe neceſſarium.

Quando in oratione non poſſumus excipere inimicos?

21 *Nota ſecundò.* Quandocunq; pro aliqua communitate oramus, aut quando illi aliquod bonum optamus, ab illa oratione & apprecatione non poſſumus excipere inimicos, ſi aliqui in ea continentur: ſimiliter neceſſarium eſt, vt quoties inimicus nos ſalutat, eum reſalutemus; ita, quòd non reſalutare eſſet peccatum mortale: ſi non reſalutatio eſſet contēptus notabilis perſonæ inſignis, & in præſentia illuſtrium perſonarum, vnde ſcandalum oriretur. ſi autem inimicus eſſet inferioris conditionis, vt ſeruus reſpectu nobilis viri non erit peccatum.

Inimicum obuium ſalutare ſimpliciter nō teneamur.

Sed quæres, an inimicum obuium ſalutare teneor, verbo aut alio ſigno? *Reſpondeo* ſimpliciter non teneri· quia ſalutatio eſt ſignum ſpeciale, q uod etiam alijs proximis nō teneor impendere: ſed conſideratis circumſtantijs, vt ſi per hoc ſignum ſalutationis poſſum illum lucrari, ab odio deducendo, ſic ex charitate obligor ad hoc præſtandum, cùm medium ſit facilè & ſine diſpendio honoris. ſi tamē inimicus ſit, aut Epiſcopus, aut in magiſtratu, cui ab omnibus ſigna honoris exhibentur; tunc etiam ſub mortali, hoc eſt, ſi notabilis contemptus oriretur, teneor ad honorem illi exhibendum.

Quæ ratio tenenda eſt in condonanda inimico iniuria?

22. *Sed quæres* quænam ratio eſt tenenda in condonanda iniuria inimico? *Reſpondeo* ex iniuria illata tria incommoda oriri. *primum* eſt Dolor & animi amaritudo, ex quo odium & maleuolentia naſcitur. ſiquidem ei, qui nos iniuria afficit, malè cupiamus. & hoc odium ſtatim ab initio eſt abijciendum: aut ſi fuerit admiſſum, quam primum deponendum. Ita præcipiunt illa verba. *Dimitte nobis &c. ſicut & nos dimittimus &c.* Tum & illa Matt. 6. *ſi non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis.*

Ex iniuria illata tria incommoda oriūtur.

Secundum quòd ex iniuria oritur, ſunt ſigna doloris & amaritudinis opere externo declarata; & hæc ſalua conſcientia non ſunt licita: ſicut enim odium concipere non licet, ita nec ſigna externa maleuolentiæ declarare licebit. Non eſt tamen neceſſe, vt ſpecialia ſigna beneuolentiæ inimico exhibeamus, niſi ex eo indicium ſumeretur odij, aut maleuolentiæ latentis. *Si autem is,* qui offendit, rogat veniam; tunc tenemur per externa ſigna declarare nos, aut nullum odium concepiſſe, aut iam deponere, nec velle animum maleuolū retinere. Hoc requirit à nobis præceptum Chriſti Lucæ 17. *ſi peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit dimitte illi; & ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens,* pœnitet me, *dimitte illi.* In hoc tamen conſideranda eſt conditio perſonarū. nam ſuperiores offenſi non debent eos, à quibus iniuriam acceperunt, ſtatim ad priorem amorem admittere; quia hoc ad illorum cautellam, & ad exemplum aliorum eſt vtile.

Tertium, quod ex iniuria oritur, eſt Actio in foro externo, cum à iudicio requirimus iniuriæ reparationem, & hoc licitè fieri poteſt: quia vnicuiq; liberum eſt apud legitimum iudicem ius ſuum perſequi, præ-

qui, præſertim ſi agitur de bonorum reſtitutione, aut de famæ læſione. ſi tamen is, qui nos læſit, veniam petit, & condignam ſatisfactionem offert, iam in ius vocari non debet. nam videtur iam iniuria illata ceſſare.

Decimum obiectum Dæmones.

23. NONVM obiectum Angeli, hi *prorſus ex charitate ſunt diligendi* *Tum* Quia fruuntur æterna beatitudine. *Tum.* Quia nobis ſuas operas locant in cuſtodiẽdo. Pſal. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis.*
Tum. quia ſalutem noſtram curant, dicuntur enim eſſe Adminiſtratorij ſpiritus miſſi in miniſteriũ his, qui hæreditatem capient ſalutis. *Item* Quia Lucæ 13 dicuntur gaudere ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: *Deniq;* quia nos ſuos conſeruos appellant.

24. DECIMVM obiectum ſunt Dæmones, de quibus dico primò. *ſecundum vitium, in quo firmiter hæſerunt firmiter, non ſunt diligendi.* nam vitium potiùs odio, & deteſtatione dignum.

Dico ſecundò. *Etiam propter naturam, non ſunt diligendi amore amicitiæ*: nam amicus amico vult bona, ſed dæmonibus non poſſumus velle vera bona, nec ſalutem, nec æternam beatitudinem: quia horum ſunt incapaces.

Dico tertiò. *poſſumus tamen illos diligere eo modo, quo creaturas irrationales; cupientes illos permanere in ſuis naturalibus, ad gloriam Dei & vtilitatem hominum, in quantum in eis relucet vindicatiua iuſtitia.*

DISPVTATIO IV.

De Ordine Charitatis.

Habetur apud S. Doct. *22. quæſt. 26. in articulis 13.* Apud Scotum *3. diſt. 29. quæſt. 1.* Ibidem apud Duran. Paludanum, & alios. In hac tria inquiremus:

1. *An homo plùs Deum, quàm proximum & quàm ſeipſum diligere debeat?*
2. *An plus ſeipſum, & corpus ſuum, quàm proximum?*
3. *An vnus proximus alio ſit magis diligendus?*

QVÆSITVM I.

An homo magis Deum, quàm proximum, & quàm ſeipſum diligere debeat?

1. Dico

Ordo in charitate omnino eſſe debet.

1. DIco primò. *Omnino aſſerendũ dari ordinem in charitate, quo vnum eius obiectum pluris facere, quàm alterum, & vnum alijs anteponere debemus* PROBATVR Cantic: 2. *Ordinauit in me charitatem.* Matt. 22. dicitur. *Diliges &c.* hoc eſt primum & maximum mandatum. Et *Diliges proximum*, hoc ſecundum mandatum. ſed vbi primum & ſecundum, ibi ordo. ergo in charitate eſt ordo. Et ratio naturalis docet, in creaturis vnam alteri in diligendo anteponendam eſſe, Patrem enim & matrem magis quàm cognatos, & cognatos magis, quàm extraneos diligimus. *Et ratio* eſt S. Doctoris. vbi plura ſunt, quæ ad vnum principium referuntur, ibi & ordo debet eſſe ſecundùm priùs & poſteriùs. ſed in charitate eſt vnum principium Deus, ad quem omnia, quæ amantur, referuntur. ergo in charitate ordo prioris & poſterioris ſeruandus. Idem de creaturis dicendum, quód hæ ſunt alijs excellentiores, in quantum magis de bonitate Diuina reuelata participant, & ſic vna creatura alijs in amando præponenda.

Deus principaliter & maximè eſt diligendus.

2. Dico ſecundò. *Principaliter & maximè ex charitate diligendus eſt Deus, ita quòd ſuper omnia & præ omnibus ſit amandus.* PROBATVR. Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente tua.* Marci. 12. additur. *Ex tota virtute.* Lucæ 10. *Ex totis viribus.* Deutor. 6. *Ex tota fortitudine.* Ex quibus.

In quantũ obligamur ad dilectionem Dei?

Collige eos in tantum obligari ad dilectionem Dei, vt nos ipſos & omnia noſtra, & quæcunq; in nobis ſunt, ad illius dilectionẽ & honorem referamus, & vt quantum poſſumus, eum diligamus. Quidã per *Cor* intelligũt voluntatem, per *Mentem* Intellectum, per *Animam* ipſam illius eſſentiam vna cum facultatibus.

Quid per cor mentẽ & animam intelligant

Ex quo collige ad amandum Deum omnem animæ ſubſtantiam, & illius potentias, & voluntatem, quæ eſt principium proximum dilectionis, & intellectũ, qui eſt directiuus dilectionis, debere nos conuertere. *Ratio D. Thomæ*, Deus eſt principium & ratio diligendi ea omnia, quæ per charitatem diliguntur, ſiquidem Deus eſt principium eſſentiale beatitudinis, & ſuper huius communicatione fundatur charitas, id maximè reſpiciens, in quo inuenitur, qualis eſt Deus. ergo Deus principaliter diligendus. *Deinde* illud maximè eſt diligendum, propter quod alia odio ſunt habenda. Sed proximi, quoties nos à Deo auertunt, propter Deum odio ſunt habendi. ergo Deus principaliter diligendus.

Ad Deum amandum omnem animæ ſubſtantiam conuertere debemus.

3. Dico tertiò *Deus magis diligendus eſt, & obiectiuè, & appretiatiuè, & intenſiuè, quàm proximus.* Pro intelligentia Dicti explico *quid ſit diligere obiectiuè* videlicet quando alicui volumus maius bonum, quàm alteri, vt cum Petro do quinq; nummos, patri autem duos, quando ſcilicet non teneor; ſed hoc facio ex liberali officio, & ſic obiectiuè pluris diligo Petrum, quàm Patrem, ſed appretiatiuè magis Patrem amo, quia eum pluris facio, & plura illi largirer, ſi opus haberet. *Appretiatiuè* verò eſt diligere amicum, cum illius cauſa paratus ſum omnem alium amorem abijcere, modò illi nõ diſpli-

Deus magis diligendus & obiectiuè, & appretiatiuè, & intenſiuè quàm proximus? Quid ſit obiectiuè.

Appretiatiuè.

Intenſiuè quid eſt diligere? diſpliceam. *Magis intenſiuè* autem dicimus amare, quando ad aliquid amandum, intenſo conatu & feruore voluntatis ferimur.

PROBATVR *quód Deus obiectiuè magis diligendus, quàm proximus* Matt. 10. *Qui amat patrem aut matrem plùs quam me non eſt me dignus*. Ex quo arguo. Inter proximos ſunt parentes, ad quos amandos naturali amore obſtringimur. ſed hi non ſunt plùs amandi. quàm Deus (vt Scriptura dicit) ergo nec quiuis alius proximus magis amandus, quàm De⁹. Ex quo etiam deducimus, quód Deus etiam appretiatiuè ſit magis diligendus, quàm proximus, dicitur enim in generali præcepto. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* hoc eſt, debemus omne bonum priùs velle Deo, quàm creaturæ. *Tum &* tali affectu debemus illi adhærere, vt ſimus parati ipſo actu omnes alios abijcere amores, modò ipſi Deo adhæreamus. *Item* Quia ratio formalis charitatis, propter quam aliquid amamus, eſt Deus vt ſummũ bonum, & proximus eſt propter Deum, & illius participatam bonitatem diligendi. Ergo & obiectiuè & appretiatiuè magis Deus amandus. *Deinde* Deus diligitur vt finis, creatura vt medium, & propter Deum tanquam finem, ita quòd velimus quælibet bona amittere, & quæuis mala pati, quàm Dei amicitiam violare. ergo appretiatiuè magis diligendus

Deus magis diligendus intenſiuè quàm proximus. 4. *Quód verò* intenſiuè magis diligendus, quàm proximus, *probatur.* Quantumuis enim homo omni conatu voluntatis, & feruore charitatis ad Deum amandum feratur, nunquam tamen diliget Deum, in quantum diligibilis eſt. ita Scriptura Eccl. c. 43. *Glorificantes Deum quantumcunq; poteritis, ſupervalebit enim adhuc* Et *Exſaltate eum quantum poteſtis, quia maior omni laude. Deinde.* quia omnis actus à charitate elicitus, natùra ſua cum ſit ſupernaturalis, magis inclinat ad obiectum formale, quale eſt Deus, quàm ad materiale, quod eſt Proximus. *Præterea* per actûm elicitum à charitate aſſimilatur voluntas Spiritui S. ergo cũ Spiritus S. ſit Deus; etiam charitas intenſiùs rapictur in Deum.

Sententia quorundam. 5. *Nota* eſſe quorundam Sententiam, quòd is, qui proximum intēſiori actu charitatis diligit; aut naturalis, aut ſupernaturalis, nō peccat contra præceptum charitatis, & modò Deum appretiatiuè magis, ſemper diligat. *Ratio.* Homo enim habens habitum charitatis, poteſt illo liberè vti. ergo illius actu poſſumus remiſſiùs ferri in Deum, & intenſiùs in proximum *Deinde* Parentes videntur filios ſuos magis intenſiùs diligere, quàm Deum, & tamen hos pro gloria Chriſti, parati ſunt in mortem tradere, quód eſt appretiatiuè Deum amare. *Item* Quia ſenſibilia ſunt propinquiora obiecta, & vehementiùs mouent: vnde ſenſibilium intenſior amor, quàm ſpiritualium: iſtud quidem quoad affectũ, aliquo modo tolerari poteſt, ſed quoad effectũ hoc opera noſtra magis propter Deum, quàm propter proximum faciēda. *Tandem* qui verbo Diuino fideles inſtruunt, eoſdem hortari debent ad amandũ Deũ non ſolùm intenſiuè, ſed etiam appretiatiuè: ne, ſi dixerint poſſe aliquando ſine peccato diligi magis proximum intenſiuè, quàm Deum, homines ſegniores reddant omnes in charitate Dei. Notandum bene.

Ad extremum dicimus non poſſe hoc ſtare, vt quis diligat proximũ magis intenſiuè, quàm Deum, & Deum appretiatiuè: quia vterque amor, tam intẽſior proximi, quàm & appretiatiuus Dei, vnam habet rationem formalem, ſecundùm quàm ex charitate operatur, v. bonitatem Diuinam. ergo etiam in illo intenſiori amore proximi, magis fertur in Deum: nam ſecundùm Axioma Ariſt: *Propter quod vnũquodq; eſt tale, & ipſum magis tale.* ſed ob charitatem Dei amamus intenſè proximũ ergo in eodem actu charitatis magis intenſè amamus Deum.

Homo ex charitate magis debet diligere Deum quàm ſeipſum.

6. Dico quartò. *certum eſt & de fide, quód homo ex charitate magis debet diligere Deum, quàm ſeipſum.* PROBATVR. Lucæ 14. *Qui venit ad me, & non odit animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.* ſed odiſſe animam eſt renuntiare amori ſuo. Et *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* ergo ſeipſo magis Deum diliget. Et. *Ratio eſt prima* obligamur ad amandum Deum ſuper omnia. ſed nemo poteſt diligere Deum ſuper omnia, niſi etiam diligat ſuper ſe. Ergo magis diliget eum. *Ratio ſecunda* D. Th: Quia obiectum charitatis eſt Deus, vt eſt commune bonum, & fontale principium beatitudinis; quilibet autem homo eſt bonum particulare participatum. ſed quælibet pars magis diligit totum. ergo & quilibet homo magis diliget Deum, tanquam totum.

Obiectum charitatis eſt Deus.

An homo inclinatione naturali magis feratur ad amandum Deum quàm ad ſeipſum?

7. *Sed hic inquirimus.* An homo naturali inclinatione magis feratur ad amandum Deum quàm ad ſeipſum? Affirmat Altiſiodorenſis, D. Bonau: Gabriel in 3. diſt: 29. quód naturali amore, & illius propenſione, magis inclinatur homo ad ſeipſum amandum, quàm ad Deum.

Sententia verior.

Sed communis eſt ſententia, & verior, quam hic tuetur D. Th. Scotus in 3. diſt: 29 Dur: ibidé, & alij recentiores. quód *non ſolùm charitas, quæ eſt ſupernaturalis, ſed etiam ipſe amor naturalis, magis homines inclinat ad amandum Deum, quàm ad ſeipſum.* PROBATVR, Vitioſum eſſet, ſi homo naturali inclinatione propenderet ad diligendum ſeipſum, propter ſeipſum. nam ſecundùm D. Auguſt: lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 22. *Nec ſeipſum debet quiſquam propter ſeipſum diligere, ſed propter illum, quo fruendum.* ſed, ſi homo naturali inclinatione magis amaret ſeipſum, quàm Deũ; diligeret ſeipſum propter ſeipſũ; nam hunc amorem ſui ad ſeipſum referret, & non ad Deum; quód quidem eſt vitium magnum, ſiquidem Deus, vt totius Entitatis, ita & totius bonitatis eſt fons, & origo; idemq; finis vltimus.

Ex hoc adhuc ſequeretur, quód, cùm hæc inclinatio naturalis ſit vitioſa, hoc vitium in authorem naturæ referendum eſſet; atq; ſic Deus eſſet cauſa mali, quód dici non debet: cuncta enim, quæ fecit Deus, erant valde bona. atqui naturàm hominis fecit, & illius inclinationem. ergo & natura hominis, & illius inclinatio ſunt valde bona. ergo ſuâ naturali inclinatione, magis in dilectionem Dei, quàm ſui ipſius fertur, quia hoc valdè eſt bonum. *Ratio ſecunda.* Deus ſicut dat omnibus *eſſe*, ita quoque dat *operari*; in illo enim viuimus, mouemur, & ſumus. ergo omnis naturæ humanæ motus, ope-

operatio, inclinatio, in Deum principaliter ordinatur.

Obiectio. 8. *Dices.* quando homini Chriſtiano ob fidei confeſſionem, mors eſt ſubeunda; amor naturalis inclinat ad naturæ ſuæ conſeruationem, vt in Chriſti humanitate videre licet, cùm dicebat; *Tranſeat à me calix iſte.* Charitas verò inclinat ad moriendum propter Deum, vt illa verba teſtantur: *Verumtamen nõ ſicut ego volo.* ergo naturalis amor magis inclinat ad ſui dilectionem, quàm ad Deum.

Solutio eius. *Reſpondeo* quód cũ omnis amor præſertim bonus, ſit à Deo, debet in illo Deus, tanquam author, & finis principalis includi. vnde abſolutè loquendo vitæ cõſeruatio eſt bona: ſed in confeſſione fidei Chriſti, velle conſeruare vitam abnegando fidem, erit malum. Et ſic in Chriſto fuit velleitas amoris naturalis, quæ fuit bonum: nam Deum vt authorem ſuæ vitæ continebat, ſed cùm ſalus, & redemptio generis humani expoſcebat, ſe vitamq; ſuam tormẽtis, & morti expoſuit.

QVÆSITVM II.

An homo ex charitate magis ſeipſum, & corpus ſuum, quàm proximum diligere debeat?

Homo magis ſeipſum ex charitate diligere debet quàm proximum.

9. Dico primò. *Si rem ſpectemus prima fronte, magis homo debet ſeipſum ex charitate diligere, quàm proximum.* PROBATVR *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ex quo argumentor. Dilectio hominis ad ſeipſum, eſt exemplar dilectionis ad alterum. ſed exemplar potius eſt, quàm exemplatum. ergo magis ſe homo debet amare. *Deinde* quia homo ex charitate ideo ſe diligit, quia eſt particeps ſummi boni, quód ſibi primariò quàm alteri velle debet: ſiquidem *ordinata charitas incipit à ſeipſa,* proximus autem eſt comparticeps, vnde ratione ſocietatis diligitur. *Confirmatur* ſicut vnitas eſt potior quàm vnio, ita quód homo ipſe participet Diuinam beatitudinem, eſt potior ratio diligendi, quàm quód alius illi aſſocietur in hac participatione

10. Sed ſi rem accuratiùs examinemus, non parua hic occurunt dubia.

Dubitatio prima. an liceat aliquãdo detrimentum ſpirituale pati, ob commodum proximi? *Reſpondeo &* Dico. *Non licèt, vt quis patiatur detrimentum boni ſpiritualis, v. gratiæ, & charitatis, propter commodum proximi temporale aut ſpirituale.*

An pro[...] mus cum de[...] trimento [...] ſpirituali [...] amandus?

Primùm oſtendo quód non liceat ob commodũ temporale proximi. Matth. 10. *Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Ex quo arguo. Res ſuperioris ordinis non ſunt commutandæ pro rebus inferioris ordinis. ſed bona ſpiri-

Non licet detrimentum ſpirituale pati ob [...] proximi.

ſpiritualia, vt gratia & charitas, ſunt ordinis ſuperioris: quia ſupernaturalis; bonum autem temporale eſt ordinis inferioris. ergo ob bonum temporale proximi, nõ eſt ſpirituale proprium amittendum. *Deinde* detrimentum rei ſpiritualis nequit eſſe, niſi per peccatum commiſſum. ſed quod ſuâ naturâ malum eſt, nunquam cauſa proximi faciendum. at peccatum etiam veniale ex ſe eſt malum;quia offenſa Dei, quia diminuit feruorem charitatis. ergo ob commodum proximi, quod ex eo poſſit ſubſequi, non eſt faciendum.

Neq; etiam ob commodum ſpirituale proximi.

11. *Secundùm oſtendo*, quód neq; ob commodum ſpirituale proximi aut alicuius communitatis liceat detrimentum pati rei ſpiritualis.

PROBATVR. Ioan. 15. *Manete in charitate*, v. ita viuendum, vt nunquã ab ea excidamus Ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti,&c. certus ſum, quia neq; mors,neq; vita, neque Angeli, neq; aliqua creatura poterit nos ſeparare à charitate Chriſti.* Et *ratio eſt* priuatio bonorum ſpiritualium, vt gratiæ charitatis, non eſt medium ordinatum ad proximi aut ad communitatis ſalutem: quia ſalus eſt bonum. Priuatio eſt malum,& malum non eſt medium conſequendi bonum.

Ratio ſecunda. Quód eſt contra inclinationem charitatis,illud nemo operans ex charitate admittere debet. Sed nihil eſt tam contra inclinationem charitatis, quàm velle illam perire, quod tunc accidit, cũ ob proximi ſpirituale bonum. patimur damnum noſtri ſpiritualis.

Ratio tertia D. Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 20. dicit *Dilector regulam diligendi proximi, à ſeipſo accepit nõ poteſt amor in proximum eſſe maior, quã in nos ipſos, alioquin regulam excederet.* Sed ſi vellemus detrimentum boni ſpiritualis ob bonũ ſpirituale proximi, iam regulam excederemus. ergo non ſunt ſic diligendi proximi.

12. *ſed dices* Moyſen Exod. 32. ita locutum eſſe ad Dominum *Aut dimitte illis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro.* Et D. Paulus ad Rõ. 9. *optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis.* Sed Moyſes voluit deleri ex libro electorũ, quód erat detrimentum ſpirituale. Et D. Paulˀ voluit repudiari à Chriſto, quód etiam eſt detrimentum ſpirituale, & volebant pro fratribus. ergo ob proximorum ſalutem licet ſubire detrimentum ſpirituale *Reſpòndeo* horum locorum variam haberi expoſitionem apud SS. Patres D. Hier. ad Algaſ interpretur de libro vitæ temporalis. *Quidam* exponunt quód hoc modo dicendi volebant exprimere vehemẽtem affectum amoris, quem habebant erga ſalutem populi commiſſi non verò quód abſolutè velint deleri. *Tum.* Quia locuti ſunt cum magna confidentia de beneuolentia Dei erga ſeipſos, quód id nunquam facturus eſſet Deus, ſine cauſa: ſicut ſi amicus confidens de amicitia amici ſui, dicat ad eum, *Aut huic ignoſce, aut me de numero amicorũ expunge*, quod illum nunquam ſine cauſa ſcit eſſe facturum. *Quidam* ſic interpretantur: *Optabam eſſe anathema. ſi fieri poſſet, aut ſi liceret, aut ſi medium eſſet conueniens. Deniq;* (vt D. Chryſoſt. explicat) ſolum D. Paulus volebat ſeparari à conſortio, & vnitate

Obiectio.

Solutio eiˀ

vnitate Eccleſiæ, quod hæc verba declarant *Eſſe anathema*: nam anathematizari dicuntur, qui per excommunicationem ab vnitate fidelium præſcinduntur: vnde non à Chriſto nec à Deo, ſed à corpore eius myſtico volebat ſeparari.

Ex quo collige, quòd nec Moyſes, nec D. Paulus volebant ſubire detrimentum ſpirituale, ob ſalutem proximorum.

Dubium ſecundum An detrimentum temporale tolerãdum ob proximum?

13. *Sed rurſus quæres*. an ſit licitũ pati detrimentum in temporalib9, propter proximi commodum ſpirituale, & temporale. *Reſpondeo* & Dico *licitum eſt in caſu neceſſitatis, maximè propter amicum, periculo exponere temporalia: vt diuitias honorem, propter eius bonum ſpirituale, aut temporale.* PROBATVR. Prouerb 12. *Qui negligit damnum propter amicum iuſtus eſt Deinde* Qui detrimentum patitur in temporalibus ob amicum, ſeipſum magis diligit ſecundùm virtutem ſpiritualem: quia colit virtutem amicitiæ quæ in ſocietate humana eſt plurimùm neceſſaria. Hoc tamen fieri debet in caſu neceſſitatis non in quauis tamen neceſſitate id faciendum, nec pro quouis proximo; nam aliàs eſſet hoc prodigalitas, & vix à peccato mortali excuſaretur; vnde in eo ſingulari moderamine prudentiæ opus. illi enim non expediret ſubire periculum fortunarum, qui habet familiam, liberos, ad quos alendos opus habet diuitijs: aut ſi alij eſſent proximi in eadem graui neceſſitate, ad quos ſuſtentandos magis obligaretur, quàm ad amicum.

Pro ſalute ſpirituali proximi cõſeruãda licet vitam corporalem periculo exponere.

14: Dico ſecundò. *Pro conſeruanda ſalute ſpirituali proximi licitum eſt vitam corporalem exponere periculo*. PROBATVR. Ioan 15. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. ſed Chriſtus ſic nos dilexit, quód animam ſuam poſuit pro nobis, vt nobis vitam ſpiritualem conciliaret. ergo & nos 1. Ioan. 3. *debemus animas noſtras ponere pro fratribus. Deinde* in corpore hominis ea eſt lex membrorum, quód minus præſtantia pro præſtantioribus ſe periculo exponunt, vt manus pro capite tuendo. ſed nos vnius corporis myſtici ſumus membra. ergo vitam corporalem, quæ eſt inferior, pro ſalute proximorum, quæ eſt præſtantior exponere tenemur.

Hoc tamen intelligendum in caſu neceſſitatis vitæ ſpiritualis proximi, extra verò hunc caſum non tenemur, niſi qui ſunt curati, vt Epiſcopi, Parochi, qui curam animarum ſuſceperunt: hi enim extra neceſſitatem vltimam obligantur, etiam cum periculo propriæ vitæ inuigilare ſaluti commiſſi ſibi gregis. ita mandant illa verba: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*. & D. Aug epiſt. 18. dicit: *Licet fugere his, quos non tenent vincula officij Eccleſiaſtici*.

An mori pro amicis ſit licitum?

15. *Sed rurſum quæres* an mori pro amicis ſit licitum, vt noſtrá vita illorum redimamus?

Duran. in 4 diſt. 17. quæſt. 6. dicit nunquam licere exponere vitam certo periculo, ad tuendam vitam amici, benè tamen licet, quãdo eſt ſpes euadendi periculũ.

Dico tamen, *Quandoq; licitum eſt propter ſeruandam ſalutem amici, certo periculo obijcere vitam propriam*. Ioan. 15 *Maiorem hâc charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis*. Tum quia SS. Patres (vt D. Ambr.

Ambr. lib. 3. officiorum à cap. 9. vſq; ad 13. D. Aug. lib. 3. de Ami. cap. 10. D. Hier. in caput 2. Micheæ) laudant eos, qui pro amicis aut pro alia honeſtate, vt pro legibus Dei, & paternis, mortem nõ recuſarunt. fit enim hoc amore virtutis, ad teſtandam & augendam amicitiam. *Et ratio eſt.* licet enim vita noſtra per ſe præcisè ſumpta anteponi debeat vitæ alterius, etiam præcisè ſumptæ, quando ille alter eſt æqualis, aut inferioris ordinis. tamen ſi vita alterius cõſideretur ſimul cũ honeſtate virtutis, vel cum amicitia, quam excolere cupimus; iam incipit eſſe vita alterius excellentior, conſeruatione vitæ noſtræ: & ſic iam iacturam vitæ noſtræ ſubire poſſumus, pro conſeruanda alterius; quia iam tunc non ſunt paria. *Tum* quia in eo actu quærimus virtutis excellentiam, vt eam comparemus.

Non pro quouis amico vita pro fundenda.

Hîc tamen notamus quód non pro quouis amico vita temerè profundenda: nam ſi tu es magis vtilis Reipublicæ, aut Eccleſiæ, & amicus non item, non debes te obijcere morti. *Tum* ſi habes familiam, vxorem, liberos, qui ſine te non poſſunt benè educari, debes te illis ſeruare.

Obiectio.

16. *Sed obijcies* de Chriſto Domino, an ſit proximus noſter? & an nos ipſos magis diligere debeam⁹, quam illum? *Reſpondeo* vix hoc locum reſpectu Chriſti D. habere poteſt, vt ipſe dicatur eſſe proximus noſter, cùm ſit caput, author vitæ, & naturalis & ſpiritualis, ſecundũ perſonam Diuinam, quæ eſt intrinſeca illius humanitati.

Solutio prima.

Solutio ſecunda

Vel ſecundò dico in Chriſto Domino ſi natura humana præcisè conſideretur, ſic non apparet, cur eum magis diligere debeamus, quàm nos ipſos. ſi autem conſideretur in quantum eſt cauſa meritoria noſtræ ſalutis, atq; etiam gratiæ, & charitatis effector, atq; etiam bonorum ſpiritualium largitor: ſic magis eum diligere debemus, quã nos ipſos. ita vt ſi alterutrum fieri eſſet neceſſe, vel quód Chriſtus diſſolueretur, vel nos in nihilum abiremus, tunc potiùs exoptare debemus noſtri, & totius vniuerſi interitum quàm Chriſti diſſolutionem, ſiquidem omnis participatio beatitudinis noſtræ, & in fieri, & in conſeruari pendet à Chriſto,

Beatiſſimã V. MARIAM post Deum plus omnibus alijs diligere debem⁹

QVANTVM *attinet* ad B. Virginem, eam poſt Deum & Chriſtum Dominum plùs omnibus alijs diligere debemus; & obiectiuè etiã quàm nos ipſos, optando illi illam plenitudinem gratiarum, quæ illi ſingulari priuilegio Dei eſt decreta. & magis appretiatiuè: quia hęc eſt mater Dei, & ſalutis noſtræ origo. & magis intenſiuè; quia eſt Mater miſericordiæ, ſpes & anchora peccatorum.

An magis proprium corpus quàm proximum diligere debemus?

17. *Ad extremum inquires* magiſne proprium corpus; quàm proximũ diligere debeamus? *Reſpondeo*, ſi de ſalute animæ noſtri proximi agatur, magis proximum, quàm noſtrum corpus diligere debemus.

Ratio. Illud enim magis ex charitate diligendum, quod pleniorẽ habet rationem diligendi. ſed conſociatio in plena participatione beatitudinis, quæ eſt ratio diligendi proximum, eſt maior ratio diligendi, quàm participatio beatitudinis per redundantiam, quæ eſt

ratio diligendi corpus. ergo proximum quoad ſalutem animæ magis diligere debemus, quàm proprium corpus.

Dico ſecundò. *In ſolo caſu neceſſitatis, etiam corpus noſtrum propter proximum periculo exponendum.* Et ad hoc maximè tenentur illi, quibus cura animarum ſpecialiter eſt demandata: ſi qui autem ſponte animas ſuas offerunt, id ad plenitudinem charitatis, & illius perfectionem ſpectabit, quod quomodo fieri debeat, iam diximus.

Quæres quinam eſt caſus neceſſitatis? quando ſi proximus de ſalute animæ periclitatur, vt ſi in agone conſtitutus ſit in medio hæreticorum; aut ſi vicinus morti indiget Sacramento pœnitentiæ: aut alijs ſpiritualibus remedijs, quibus contra inſultus doloſi inimici confirmari poſſit.

Qui caſus neceſſitatis

QVÆSITVM III.

An vnus proximus alio ſit magis diligendus?

Quomodo Vnum alio magis diligere debemus?

18. DIco primò. *Non ſolùm quantum ad affectum interiorem, ſed etiam quantum ad effectum exteriorem, magis diligere debemus vnum proximum, quàm alium.* PROBATVR. Duplex enim eſt principiũ dilectionis: *primum* eſt Deus: *ſecundum* eſt homo diligens: ille ergo proximus præ alijs magis diligendus, qui propter bonitatem, & vitæ ſuæ integritatem, cum Deo maiorem coniunctionem habet: aut qui nobis præ alijs ſunt coniunctiores; vt parentes, conſanguinei, ergo hi magis diligendi.

Dilectionis Principium quotuplex?

Nota quantum ad bonum commune, v. quoad æternam beatitudinem, æquè omnes diligere debemus: nam omnibus hoc bonum optare debemus. ſed tamen quoad intenſionem affectus, non ſunt æqualiter diligendi, ſed ſecundùm æſtimationem, ex qua maior intenſio amoris naſcitur.

Quomodo æquè omnes diligere debeamus?

19. Dico ſecundò reſoluendo hoc dubium. *Melioreſne magis, quàm nobis coniuncti ſint magis diligendi?*

An meliores magis quàm nobis cõiũcti ſint magis diligendi?

Dico itaq; *Meliores obiectiuè magis diligere debemus, quàm nobis coniunctos, illis ſecũdùm ſtatũ præſentẽ iuſtitiæ, optãdo maiorẽ gloriam, quàm alijs, licet nobis coniunctioribus.* *Ratio* quia ad charitatem ſpectat, vt nos conformemus ad iuſtitiam Diuinam, ſecundùm quam hi, qui ſunt maioris meriti, maiorem etiã gloriam ſunt recepturi.

Dico ſecundò. *Poſſumus tamen bis modis magis diligere nobis coniunctos.* *Primò* intenſiori affectu amoris, quod prouenit à principio agente ſanguinis, aut alterius rei. *Secundò* ſecundùm appretiationem: nam poſſumus illis magis optare, quàm melioribus, vt non peccent, vt à ſalute non excidant. & ſic poſſumus aut parentum, aut fratrum magis ſalutem curare. *tum in hoc ſtatu*

Quibus modis debemus diligere nobis coniunctos?

ſtatu viæ, poſſumus illis optare maiorem iuſtitiam, charitatem, & per conſequens gloriam æternam. *Tertiò* quia nobis coniunctos pluribus de cauſis diligimus, quàm meliores: nam præter charitatem diligimus illos: quia ſunt aut parentes, aut fratres, aut quód illorum beneficijs ſumus obligati.

An nobis coniuncti ſecundùm ſanguinem ſint præ alijs magis diligendi?

20. Dico tertiò reſpondendo ad dubium, *An nobis coniuncti ſecundùm ſanguinem ſint præ alijs magis diligendi?* Et hic

Coniunctio quadrupliciter fieri poteſt?

Suppono primò quód coniunctio quadrupliciter fieri poteſt. *prima* eſt ſecundùm originem, ſeu ſecundùm ſanguinem: & talis eſt coniunctio inter parentes, filios, fratres, ſorores, & alios conſanguineos. *ſecunda eſt* ſecundùm politicam ſocietatem, vt inter ciues, inter commilitones, inter ſtudioſos. *Tertia*, ratione ſpiritualis obſequij, quod aut accipimus, aut alijs impendimus: *Quarta eſt.* coniunctio thori, vt inter virum, & vxorem.

Parentes &c. ſunt magis diligendi.

Dico itaq; quód *parentes, fratres, ſorores, & alij conſanguinei, qui nobis propiùs ſunt coniuncti, ſunt magis diligendi, in his, quæ pertinent ad naturam, hoc eſt, quæ concernunt illorum neceſſitatem corporalem.* Ita D. Hier: in caput Ezech: 44. dicit. *Naturæ hic eſt affectus, vt poſt rerum parentem Deum ordine charitatis, patrẽ diligamus. Item.* in Decalogo poſt præceptum de honore Deo exhibendo, ſequitur de honore parentum. ergo præ alijs diligendi. *Tum* Quia parentes illis dant vitam, eamq; ſolicitis modis conſeruant, variaſq; curas, labores, in inſtitutione liberorum ſuſtinent, illiſq; vt ſubueniant multa pericula adeunt. Ergo præ omnibus proximis diligendi. vnde falſò Gerard: exiſtimauit amicum parenti eſſe præferendum vt Buridanus refert lib: 9. Ethic. cap. 3.

Obiectio.

21. *Sed dices.* Si contingat patrem eſſe crudelem, vitæ filij hoſtem, & qui in eo educando non laborauit; & ſi habeamus amicum, à quo beneficia parentis accepimus, quid facto opus eſt? *Reſpondeo* etiam huic tanto benefactori non eſſe ſimpliciter parentem anteponendum; nam hoc longè maius beneficium, quód vitam ab eo accepimus, quod omnia alia beneficia ſuperat. *Si verò* parentis in tantùm excreuerit crudelitas, quód velit filium ſuum eſſe occiſum, & alius eum à periculo mortis eripiat, & in filium adoptet, tunc huic benefactori etiam in caſu neceſſitatis, maiorem debemus dilectionem. *Et ratio eſt.* Quia hic tam ferus pater, naturæ ordinem peruertendo, ſe nomine *parentis* abdicat.

Solutio ei

Dubium eſt ſolutione.

22. *Rurſum dices.* Quód ſi contingat, quód aliquis Sacerdos filium alicuius parentis Ethnici baptizet, in fide inſtruat, à quo illum v. pater auerteret: cui maiorem dilectionem debebit? *Reſpondeo,* Potiùs patri, quàm Sacerdoti.

Sed vrgebis. Atqui maius beneficium à Sacerdote accepit? *Dico* eſſe quidem maius beneficium, ſed huius tanti beneficij, Sacerdos nõ eſt cauſa principalis, ſicut pater ſecundùm carnem eſt principalis cauſa vitæ; nam regenerationis per baptiſmum, & inſtructionis ſpiritualis, eſt cauſa principalis Chriſtus.

Obiectio.

Sed dices. Euangelium præcipit odiſſe parentes, qui ſaluti noſtræ aduerſantur? *Reſpondeo.* verum id

Quando parentes odiſſe Euangelium præcipit?

eſſe, ſed non ſimpliciter, ſed in his, in quibus aduerſantur, ita, quód oporteat nos illa auerſari, & reijcere parentum dicta & monita, quibus nos ad peccata pertrahunt, & à Chriſto abducunt: ſed nõ ſic, quòd in neceſſitate illis ſubuenire non debeamus, ſiquidem in eo caſu etiam inimicis iubemur ſubuenire.

De ſpirituali neceſſitate.

23 Ad Dictum addo, quód non ſolùm in neceſſitate temporali, ſed tantò magis in ſpirituali, conſtituto patri tenemur ſubuenire potiùs, quàm alteri priuato; etiam, illi qui nobis vinculo ſpirituali ſit coniunctus: quia hæc coniunctio, quà parentibus ſecundùm naturam ſumus coniuncti, eſt prior, antiquior omnibus: nam eſt quoad ſubſtantiam, (vt dicit D. Th.) ſi tamen talis eſſet pater, qui noſtram ſpiritualem ſalutem negligeret, aut impediret; tunc non eſſet mortale, ſi tali patri, in caſu neceſſitatis coniunctum nobis ſpirituali coniunctione, anteponeremus. Idem intelligendum de fratribus, ſecundùm carnem coniunctis, quód in caſu neceſſitatis ſunt ſpiritualibus anteponẽdi. Et. *Ratio eſt.* ſicut enim natura primò inclinat ad ſui ſuppoſiti conſeruationem, tandem ad eos amandos, qui nobis ſunt coniuncti: ita & charitas primò inclinat, vt Deo ſubiectum ſuum faciat adhærere; deinde illos, qui ſunt ſubiecto coniuncti. Si autem frater ſecundùm carnem, noſtram ſalutem ſpiritualem impediret, & ad mala pertraheret: contra, ſi ſpiritualis multa in nos beneficia ſpiritualia conferret, ſic talis ſpiritualis fratri eſſet præferendus.

Nota. quód parochus in caſu neceſſitatis ſuòrum parochialium, non debet eos deſerere, vt parentis ſui ſecundùm carnem neceſſitati ſubueniat. *Tum* quia bonum commune eſt præponendum particulari. *Tum* quia accedit obligatio ex officio.

Parochus notet bene.

An magis filius quàm pater diligendus?

24. Dico quartò. *pater magis eſt diligendus obiectiuè, quàm filius. Ratio,* quia pater habet rationem præſtantioris boni, v. principij, in quo aſſimulatur Deo: vnde potiora bona debemus velle, & deferre parentibus, quàm filijs, vt honorem, reuerentiam. Filius verò ſub ea ratione conſideratus, quia ſuo patri eſt quid magis coniunctum, ſic magis eſt diligendus. Quia filius eſt aliquid patris ſui: nam quod ab alio procedit, dicitur aliquid eius, non veró è contra. nam rami, fructus, ſunt aliquid arboris; arbor verò non eſt aliquid illorum: magis tamen appretiatiuè diligendus eſt pater: vnde ſi vterq; ſit in neceſſitate, potiùs patri, quàm filio ſubueniendum; quia filius ob beneficia à patre accepta, obligatur ad ſubueniendum illi.

Pater an mater ſint magis diligendi?

25. Dico quintò. *pater magis eſt diligendus quàm mater.* Ratio, Quamuis enim pater, & mater ſint duo principia naturalis originis: Pater tamen eſt longè excellentius principium, habens ſe per modũ agentis. ſi verò contingat, quód mater ob ſuas inſignes virtutes in filio educando præſtitas, præſertim cum pater negligeret, maiorem curam in inſtituendo adhibeat, ſic in amando præferenda patri.

An vxor magis quàm par. [illegible] mandi?

26. Dico ſextò. *Parentes magis obiectiuè, & appretiatiuè amare debemus* quàm vxorẽ ratione huius eminentioris bo-

tioris boni; quia ab illis vitam traximus: *vxor autem tanquam quid coniunctius magis intenſiuè diligenda, ſed in caſu neceßitatis amor parentum præualere debet.*

Benefactor an beneficiatus ſit magis diligendus?

27. Dico ſeptimò. *quód ratione obiecti magis eſt benefactor, diligendus* quám beneficiatus quia habet rationem eminentioris boni, v. reſpectu beneficij, quod contulit. *Ratione verò maioris coniunctionis, beneficiatus magis amandus.* Quia naturale eſt vnicuiq; diligere ſuum opus. *Item* quia is naturaliter magis amat id, in quo ſuum bonum aſpicit. *Item.* quia ad amantem pertinet agere, ad amatum verò ſpectat pati bonum. vnde benefactor plùs amare debet. *Tandem* quia difficilius eſt beneficium impendere, quám recipere. ſed ea, in quibus laboramus, plùs diligimus.

An in patria cæleſti poſt mortem manebit ordo charitatis?

28. Dico octauò. *in patria cæleſti poſt mortem manebit ordo charitatis*: Et primò quantum ad Deum, tunc enim homo illius clarâ viſione fruetur, eundemq; vnuſquiſq; beatus ſuper omnia, & plus quam ſe diliget, atq; equidem intenſiuè, appretiatiuè, & obiectiuè, ſumma cum perfectione videntes enim Deum facie ad faciem, inebriabuntur ab vbertate domus eius, ita vt magis tunc in Deo exſiſtant, quám in ſeipſis.

29 *Quantum verò* ad nos reſpectu proximorum dico, *quód vnuſquiſq; noſtrum plus diliget meliores quám ſeipſum,* quilibet enim beatus id cupiet, vt vnuſquiſq; ex beatitudine æterna tantum poſſideat, quantum illi debetur ſecundùm iuſtitiam Diuinam. In præſenti autem via, quia eſt tempus per maius meritum proficiendi ad maius præmium, ideo nunc poſſumus nobis exoptare incrementum maioris virtutis, & maioris præmij, quàm alijs proximis: ſed poſt hanc vitam iam voluntas beati in eo ſiſtet, quod ſibi diuinitus collatum fuerit, vnde maius bonum non deſiderabit ſibi quàm melioribus. Intenſio autem charitatis manebit eadem in patria, ſicut nunc eſt in via, ita quód aliquis plus ſeipſum, quàm proximum diliget. Et. *Ratio eſt.* Quia talis dilectio prouenit ex parte ſubiecti diligentis; ratione cuius ipſe homo magis ſibi eſt coniunctus, quám alius proximus melior; vnde etiam in patria vnuſquiſq; noſtrum intenſiùs ſe diliget, quàm meliorem proximum.

30. *Quantum verò* ad alios proximos reſpectu eorundem dico: *quód totus ordo dilectionis ſumetur, & ordinabitur ex comparatione ad Deum, ita, quód illos in patria magis diligemus, qui Deo ſunt propinquiores, eidemq; coniunctiores. Deniq;* quia in patria ceſſabit prouiſio, quia ceſſabit neceſſitas, ibi enim ſumma plenitudo boni, & illius potiendi ſecuritas erit; vnde ſicut in pręſenti vita, non erit neceſſe, vt aliquibus ſuccurramus. Iſtud tamen in patria contingere poterit, quód aliquis beatus minus beatum ob aliquam coniunctioné magis diliget, quàm beatum in maiori gloria exſiſtentem. ita loquitur B. Cypr. *Magnus illic nos charorum exſpectat numerus, parentum, fratrum, filiorum, ad horum conſpectum venire, quanta illis & nobis in commune lætitia eſt.*

DISPVTATIO V.

De principali actu Charitatis.

Tria proponimus diſcutienda:

1. *In quo hic actus charitatis conſiſtit?*
2. *Hoc actu dilectionis quomodo Deum amare debeamus?*
3. *Reſpectu proximi, hoc actu quando magis meremur?*

Doctrina huius Diſputationis habetur apud S. Doct. 22. quæſt. 27. in articulis 8.

QVÆSITVM I.

Actus Charitatis in quo conſiſtat?

Actus charitatis magis cõſiſtit in amare quàm in amari.

1. DIco primò cum S. Doct. *Actus charitatis proprius, & formalis magis conſiſtit in amare, quàm in amari, ſeu in eo, quod amamus, quàm autem in eo, quod nos amabiles, & amore dignos faciat.* PROBATVR. vnicuiq; id magis conuenit, quod ei conuenit per ſe, & ſubſtantialiter, quám quod conuenit ei per aliud. ſed *amare* charitati per ſe cõuenit: nam cùm charitas ſit virtus, illi per ſe competit inclinatio ad proprium actum, qui eſt *amare*. At verò *amari* non eſt per ſe actus charitatis, ſed competit ab extrinſeco; quia enim charitas eſt bona: idcirco aliquis mouetur ad amandum. *Deinde* quia charitas eſt habitus actiuus. ergo habebit actum operatiuum, & talis eſt *amare*; nam *amari*, eſt actus paſſiuus. *Præterea* quia charitas eſt amicitia (vt ſupra docuimus.) ſed Ariſt. 8. Ethic. cap. 8. docet Amicitiam magis conſiſtere in *amare*, quàm in *amari*. *Deniq;* Charitas eſt quid internum diligenti, & illius actus debet eſſe immanens, & à voluntate elicitus; iam autem *amari* eſt quid externũ, & ab alterius voluntate dependens, & in re amata nihil ponit, niſi ſolam relationem rationis, & denominationem Logicam. ergo charitatis actus eſt amare.

Obiectio.

2. *Sed obijcies.* Præſtantius eſt amari ex eo, quia cum nos amamur à Deo, multa Deus ſua beneficia in nos diffundit. *Reſpondeo* verum eſſe, ſi loquamur de amore cõcupiſcentiæ, quæ noſtram vtilitatem reſpicit, ſed interim loquimur de amore amici-

Quomodo præſtantius ſit amare quàm amari?

amicitiæ, qui eſt gratuitus, & liberalis propter ſolam obiecti bonitatem, quamuis inde nullum commodum ſequatur.

Quodnam ſit principium noſtræ dilectionis?

Nota, principium noſtræ dilectionis v. quód nos Deum diligamus, eſt amor Dei, quo nos ipſe dilexit 1. Ioan: 3. *Non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quia ipſe prior dilexit nos.* Tvm Poteſt homo intendere in ſua dilectione, vt ideo amet Deum, vt tantò magis à Deo diligatur, in hoc tamen charitas non ſiſtit; ſed vt potens ſit amare Deum, propter ipſũ; quia dignus omni dilectione.

Actus charitatis à Beneuolentia quomodo differat?

3. Dico ſecundò. *Actus charitatis, ſi propriè & ſtrictè ſumatur, differt à Beneuolentia.* Probatvr. Quia beneuolentia eſt propriè actus voluntatis, quo alteri volumus bonum ſine vllà vnione affectus ad illum. ſed actus charitatis præter id, quód alicui volumus bonum, importat vnionem affectus amantis ad amatum. ergo differt à beneuolentia. *Deinde*. Quia ſecundùm Ariſt: *lib: 9, Ethic. cap. 5.* Beneuolentia neq; eſt amicitia, neq; amatio, ſed initium amicitiæ; ex eo enim, quód alicui incipimus bene velle, amicitia oritur. *Præterea* Quia beneuolentia eſt quidam actus voluntatis repentinus; cuius aliquando ignoramus cauſam: vt in curſu, aut in ludo, cum ſe exercent hi, qui nobis ſunt ignoti, & propoſito pręmio, contingit derepente, quód huic magis, quam alteri cupiamus adeptionẽ palmæ: in amicitia verò longa cõſuetudine opus, ita, quód modius ſalis cum eo conſumend⁹, quem tibi in amicum vis eligere.

QVÆSITVM II.
Hoc actu dilectionis, quomodo Deum amare debeamus?

4. Circa actum diligendi Deum quatuor veniũt explicanda: *Primó* an Deus propter ſe diligend⁹? *ſecundò* an immediatè? *tertiò*, an totaliter? *quartò*, an ſine modo?

An Deus propter ſe diligendus

Qvantvm. *ad primum* Dico *Quód particula* propter ſe, *ſi dicit genus cauſæ finalis vel formalis, vel efficientis, ſic Deus non diligitur propter ſe.* Dedvcitvr. Non diligitur prout *propter* ſignificat cauſam finalem, quemadmodũ amamus medicinã, propter ſanitatem, v. ordinando medicinã ad ſalutẽ noſtrã tanquã ad finem: quia Deus non ordinatur, neq; poteſt ordinari ad aliud, tanquam ad finem; cùm ipſe ſit vltimus finis, ad quem omnia ſunt referenda. ergo non eſt diligendus Deus, vt *propter* ſignificat cauſam finalem.

Neq; diligitur vt *propter* ſignificat cauſam efficientem, & vt diligimus filios propter parentes. quia Deus nullam habet cauſam efficientem, ſed à ſeipſo ſuum Esse habet. *Non deniq;* amatur vt *propter* ſignificat cauſam formalem, ſicut diligimus homines propter virtutes illis inhærentes. nam Deum amamus pro-

ptes

pter bonitatem, & bonitas eſt eſſentialis Deo, & idem realiter cum ipſo Esse Dei.

Poteſt tamen amari Deus in genere cauſæ materialis, ſeu diſpoſitionis: Deus enim poteſt, & debet diligi propter beneficia, quæ confert, & propter præmia, quæ ab illo ſperamus; & hæc habent rationem diſponendi, & inducendi hominem, vt diligat Deum.

An Deus poſſit licitè amari propter æternã mercedem & temporalem?

5. *Sed quæres,* an licitè poſſit Deum amare aliquis propter mercedem æternam, & temporalem? *Reſpondeo.* quód poſſit ſic licitè amare ordinando ipſum actum dilectionis in mercedem æternam, tanquam medium in finem, à quo tamen Deum non excludimus, cùm ipſe ſit vltimus finis, & ipſiſſima merces æterna. *Probatur* 1. Petri. 1. *Reportantes fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.* Et *ratio eſt.* Meritum ex natura ſua ordinatur ad præmium. Sed dilectio Dei eſt meritum. ergo ordinatur ad præmium vitæ æternæ, Et Concil: Trid: Seſſ: 6. cap. 11. definit, *Si quis dixerit iuſtum peccare, cum intuitu vitæ æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit.*

Quando non eſt licitum?

Nota non eſſe licitum, immò eſſe peccatum, ſi quis Deum propter aliquam mercedem, ſiue æternam ſiue temporalem diligat, ordinando Deum in illam. quia Deus eſt vltimus finis, & perfectiſſimus, & in quo omnia conquieſcunt: neq; eſt ordinabilis ad aliud, & qui hoc faceret, derogaret Diuinæ maieſtati, & grauiter peccaret.

Obiectio.

6. *Sed obijcies.* qui diligit Deum ob mercedem, diligit Deum amore mercenario. ſed amor mercenarius eſt malus, & charitati contrarius. ergo ob mercedem non eſt diligendus Deus? *Reſpondeo,* quód ille amor mercenarius eſt malus, & eſt peccatum, cùm quis diligit Deum propter ſolam mercedem, non referendo eam cum ſuo amore ad Deum, tanquam ad finem, qui eam confert, ſicut mercenarius laborans in agro ſuſcipit laborem, ob amorem conſequendæ mercedis, quam in bonum illius dominus non conferet, cuius agrum excolit. ſed ſi quis diligat Deum ſperando ab illo mercedem, ita, quód eundem diligeret ſeclusâ mercede, hic amor eſt bonus, dicit enim Dauid Pſal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes, propter retributionem.*

Solutio obiectionis. Qui amor mercenarius ſit malus, & peccatum, qui verò non?

Quoad bona temporalia adipiſcenda dico, quód ratione horum licitè Deus amari poteſt, dummodò in his vltimum finem non conſtituamus: nam in veteri lege his, qui mandata Dei ſeruabant, promittebatur terra lac & mel fundens. Et Eccleſia petit à Deo ſalutem, pluuiam, agrorum fertilitatem. & in oratione poſtulamus dari nobis panem, & ſub nomine *panis,* bona temporalia; hæc enim ſunt ſubſidia ad ſeruiendum Deo, & ſunt inſtrumenta virtutũ.

Deus quoad bona temporalia licitè amari poteſt

Obiectio.

Dices in hac dilectione eſt ordo peruerſus, quia oratio, res ſpiritualis, ordinatur ad res temporales. *Reſpondeo,* quód nos preces noſtras primarió in honorem Dei referimus, ſecundò ad bona temporalia obtinenda.

Solutio eſt.

7. Qvantvm ad alterum Dico, *quód nos in hac vita poſſumus immediatè & directè Deum diligere, quamuis à nobis immediatè non cognoſcatur.* Probatvr. Quia noſtra cognitio à ſenſibili-

Deum in hac vita immediatè diligere debemus.

ſibilibus incipit, & ſenſim ad ſpiritualia progreditur, ideo non niſi mediantibus ſenſibilibus Deum cognoſcimus; vnae cum medio Apoſtolo dicente; *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* ſed dilectio ſpiritualis, atque etiam ipſius Dei, eſt immediata; quia motus appetitus rationalis, qualis eſt dilectio Dei, tendit in rem dilectam, prout in ſe eſt: vbi enim cognitio intellectus terminata fuerit, tunc ſi res cognita de ſe amabilis eſt, incipit dilectio, nec opus eſt, vt aliquid diligamus; ita vt hoc amore mediante, rem amatam diligamus. *v.g.* ſi quis viſa imagine alicuius rei, in amorem rei depictæ exardeſcat, talis amor non amat picturam, ſed immediatè perſonam, per illam picturam, repræſentatam: ita cognita bonitate Dei, ſtatim in illius amorem rapimur, abſq; vllo amore creaturæ intermedio.

8. QVANTVM ad tertium dico. *Hoc nomen* Totaliter *ſi ſumatur obiectiuè ex parte rei amatæ, vel etiam ſubiectiuè ex parte rei amantis, tunc hoc duplici modo debemus Deum totaliter diligere. Probatur primum.* illud obiectiuè totaliter amatur, quando nihil eſt in obiecto, quod non ametur, & ſic in Deo nihil eſt, quod nõ ſit amabile. vnde ſaltem implicitè tenemur totaliter diligere Deum, cùm totus ſit amabilis.

Probatur alterum. tunc ſubiectiuè ex parte v. diligentis, res aliqua totaliter diligitur, quando diligitur ſuper omnia, & ex totis viribus, ita, quód nihil ſit in amante, quo non tendat in amorem rei amatæ, & hoc præcipiunt illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, & ex tota anima, &c.*

Sed ſi hoc nomen *Totaliter* ſumatur ratione modi, vt v. in tantùm Deum diligamus, in quantùm eſt amabilis, ſic nullo modo poſſumus nec obligamur diligere Deũ: quia Deus eſt infinitum bonum, & infinitè amabilis. ſed nulla creatura, cùm ſit finita, poteſt eum hoc modo diligere. ergo

9. QVANTVM ad quartum de modo diligendi Deum Dico. *Modus diligendi Deum eſt, Deum ſine modo diligere.* PROBATVR. menſura propriè eſt mediorum, finis autem nõ eſt menſura, ſiquidem finis in ſuo genere ſemper eſt quid vltimum, & ſupremum, & ideo debet eſſe menſura reliquorum. *Tum* ſi finis eſſet menſura, daretur progreſſus in infinitum: nam quilibet haberet ſuam menſuram. ſed Deus eſt finis, idemque vltimus ſimpliciter omnium creaturarum, tam exſiſtentium quàm poſſibilium. ergo nullam menſuram admittere poteſt; ſed ipſe ſolus eſt ſibi menſura ſecundùm Eſſentiã, cùm omnes perfectiones, omnium creaturarũ, formaliter eminenter contineat. Quis modꝰ eſt dilgẽdi Deum?

Ex quo collige, quód in eius dilectione nulla menſura ſeruari poſſit, ita, quód ſine modo ſit diligendus. *Deinde* finis in tantùm eſt appetibilis, & amabilis, in quantùm eſt bonus, ſed Deus eſt infinitæ bonitatis. ergo in infinitum erit appetibilis, & amabilis: ergo ſine vlla menſura, ſine modo, & obiectiuè, & intenſiuè, & appretiatiuè eſt diligendus: vnde cùm ſit infinitum bonum, ſemper in illius dilectione proficiendum. *Per accidens* tamen Deus ſine modo diligendus. Nota.

tamen ex parte ſubiecti, aliqua menſura propter noſtram infirmitatem ſeruanda, quæ de neceſſitate requirit aliquem modum, ne ſuccumbamus: pleriq; enim ex intenſo amore Dei, plùs nimium in ieiunando, vigilando, meditando verſantur, quàm vires ferre poſſunt. In actionibus quoq; externis, cũ ſint media ad finẽ, menſura ſeruari debet; vnde regulari debent prudentia, vt fiant quãdo oportet, & ne vna operatio aliam impediat, præſertim cùm ex præcepto ſit exercenda.

QVÆSITVM III.
Hoc actu diligendi quando meremur?

10. DVo hic inter ſe veniunt comparanda: *primò* dilectio amici, cum dilectione inimici: *ſecundò* dilectio Dei cum dilectione proximi: eſt autem vtraque comparatio in ratione meriti.

Comparatio dilectionis actuũ.

Nota quòd hæc comparatio horum actuum dilectionis, non eſt quo ad rationem formalem ſpecificam; quia in hac conuenit: ſed in hoc comparantur, quód vnus actꝰ fertur in obiectum materiale melius, & magis coniunctum obiecto charitatis, v Deo

Ordinariè dilectio amici quàm inimici eſt magis meritoria.

11. Quantùm ergo ad primum dico. *Ordinariè & per ſe loquendo, dilectio amici magis, quàm inimici, eſt meritoria.* PROBATVR. quia amicus eſt melior, & magis coniunctior: ergo obiectum magis conueniens dilectioni. *Deinde* quia peius eſt odiſſe amicum quàm inimicum. ergo in dilectionis actu magis meremur diligendo amicum, quàm inimicum *Præterea* illa actio magis meritoria, quæ eſt circa obiectum melius. ſed amicus eſt melius obiectum quàm inimicus. *Item* quia amor ad inimicos non extenditur, niſi in quantum ſunt in potentia amici; nam cum his in gratiam redire poſſumus. *Deniq;* fauet Scriptura: *Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis.* non dicit pro inimicis, ſed pro amicis: vnde hos diligendo magis meremur.

Quando dilectio inimici eſt magis meritoria?

12. Dico ſecundò. *ex accidenti dilectio inimici poteſt dici magis meritoria.* RATIO quia laborioſior, & difficilior: nam eſt circa obiectum, quod aduerſatur voluntati: vnde charitas debet voluntatem fortiter inclinare ad actum dilectionis exercendum. *Deinde* quia dilectio inimici eſt purior, quia ſolo intuitu Dei exercetur, præcepit enim, *Diligite inimicos*; dilectio autem amici præter Deum, habet alias cauſas ſuaues ad diligendum inducentes.

Obiectio.

Sed obijcies Matt. 5. *Si amicos veſtros tantùm diligitis, quàm mercedem habebitis?* ergo maioris eſt meriti diligere inimicum? *Reſpondeo* verum

Solutio eiꝰ.

eſſe ſenſum Scripturæ, ſi dilectio noſtra ſolùm ſe extenderet ad amicos excluſis inimicis. nos autem

dicimus

dicimus & amicos & inimicos diligendos eſſe. ; Et determinamus, quód per ſe magis eſt meritorium diligere amicos, per accidens verò diligere inimicos.

An dilectio Dei proximi dilectione ſit magis meritoria?

13. QVANTVM ad alterum v. quæ nam harum dilectionum Dei an proximi ſit magis meritoria?

Dico. *Si vtraq; dilectio ſeorſum & diuiſim ſumatur, magis eſt meritoria Dei.* RATIO *prima.* quia *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis tale.* ſed dilectio proximi ideo eſt meritoria; quia propter Deũ. ergo cùm Deum diligimus, propter eum ipſum magis meremur. *Deinde* quia dilectio Dei habet obiectum infinitum, v. ipſum Deum, proximi autem dilectio habet obiectum finitum. *Hîc tamen* D. Th. addit, quód ſi dilectio Dei ſumatur in quantum excludit dilectionem proximi, & ſi dilectio proximi ſumatur, in quãtum eſt propter Deum, ita dilectio proximi erit magis meritoria. *Ratio.* quia illa dilectio magis eſt meritoria, quæ ſimul & Dei, & proximi habet charitatem, quàm illa, quæ ſolùm habet Dei, non attendendo ad proximum.

Obiectio.

Dices dilectionem Dei non poſſe ſeparari à dilectione proximi? *Reſpondeo* implicitam & virtualem dilectionem non poſſe ſeparari, ſed optimè poſſe ſeparari eam, quę eſt explicita & formalis. Et in his Diſputationibus quinque ea ſunt tradita, quæ ad Eſſentiam charitatis ſufficienter explicandam pertinebant.

Quomodo dilectio Dei à dilectione proximi ſeparatur?

DISPVTATIO VI.

De primo Effectu Charitatis interno, ſ: de Gaudio.

Effectus charitatis duplices qui & quot

1 POST actum principalẽ charitatis, ſequuntur eiuſdem charitatis effectus, & primò tres interiores: *Gaudium, Pax, Miſericordia,* poſtea tres exteriores: *Beneficentia, Eleemoſyna, Correptio fraterna* nunc iam de Gaudio determinandum. Dico itaq; quatuor de Gaudio.

Gaudium & Delectatio quo differant?

DICO primò. *Effectus charitatis primus eſt Gaudium, quod etiam nomine Delectationis appellatur.* ſed in hoc differunt, quód delectatio ſit communis, tam ratione præditis, quàm carentibus: propriè tamen delectatio tribuitur brutis, ſicut gaudium hominibus. Eſt autem *Gaudium* actus quidam appetitus, quo quis in bonum fertur, vt in eo cõquieſcat, tanquam in eo, quod aliquo modo poſſideat. Ideo autem dicitur effectus charitatis, quia naturaliter ſequitur gaudium ad præſentiam rei amatæ, ſicut propria paſſio ſequitur ad Eſſentiam, & ſicut in guſtu benè diſpoſito ex cõtactu dulcedinis; ita in voluntate ex bona diſpoſitione eiuſdem volunta-

Definitio Gaudij.

Gaudium cur dicatur effectus charitatis?

luntatis, ob fruitionem rei amatæ, ſequitur gaudium.

An gaudiũ patiatur ad miſtionem triſtitiæ?

2. Dico ſecundò. *gaudium ſi loquemur de bono in ſe conſiderato non poteſt habere admiſtionẽ triſtitiæ, etiam in hac vita.* Ratio. Triſtitia enim oritur ex malo. ſed bonum diuinũ non admittit admiſtionem mali. ergo. *ſi autem loquamur de Gaudio, quod ex participatione Diuini boni oritur, tunc aliquam triſtitiam admittere poteſt.* Ratio. quia hæc noſtra participatio Diuini boni poteſt in nobis impediri per aliquod contrarium, v. vel per peccata noſtra, vel etiam per proximorum, vel etiam per prolõgationem incolatus in hac vita.

3. Dico tertiò. *Si ſpirituale gaudium plenum ex parte Diuini boni ſumatur, tunc ſolius eſt Dei plenum gaudium de ſeipſo habere.* nam cùm bonum Diuinum ſit infinitum, non poterit eſſe plenum, niſi illi, qui eſt infinitus, & talis eſt Deus.

An ſpirituale gaudium poſſit in nobis impleri?

Si autem ſumatur gaudium ex parte gaudentis, ſic in patria gaudium beatorum erit plenum. Ratio. quia iam tunc perfectè fruentur Deo. *Deinde* iam deſiderium illorum ſatiatur, ſicut enim quies dicitur eſſe plena, quando á motu ceſſatur: ita & gaudium erit perfectè plenum, quando deſideria cordis noſtri ceſſabunt: iam verò ceſſabunt, cùm ſummo bono, extra quod nullum aliud eſt bonum, implebuntur. Et hoc gaudium beatorum erit ſuper plenum: quicquid enim beati circa etiam alia bona deſiderauerint, id totum ex fruitione ſummi boni obtinetur. Ita Ezech. 24. *In paſcuis vberrimis paſcam eos*, ſi vberrima erũt paſcua, non alia niſi viſio, & fruitio Eſſentiæ Diuinæ, profectò & gaudij plenitudo erit ſupereffluẽs. Huius autem gaudij tanta magnitudo erit, quód eam beatus capere non poterit. nam totũ gaudium ſecundùm ſuam immenſitatẽ nequaquam in animam beati intrabit; & ideo beato dicitur; *Intra in gaudium Domini*: vt enim piſces in copia aquarum natant, ita animæ in gaudij cæleſtis plenitudine ſupernatant. In hac ergo via gaudium non eſt plenum, quàm diu enim in hoc mundo ſumus, motus deſideriorum non ceſſant. *Tum* quia adhuc reſtat, per quod magis Deo appropinquare poſſimus.

Gaudij in patria quãta magnitudo?

Cur in hac via gaudium non poſſit eſſe plenum?

An gaudiũ ſit virtus?

4. Dico quartò. *Gaudium non eſt virtus, ſed eſt charitatis quidam actus ſeu effectus.* Probatur. quia vnius, & eiuſdem virtutis eſt, ferri in bonũ, aut actu amoris abſoluto, aut actu deſiderij, dum adhuc non poſſidetur, aut actu gaudij, cum iam poſſidetur. ſicut eiuſdem eſt rei naturalis inclinari, in locum moueri ad illum, & in illo conquieſcere. *Deinde* quia gaudium non connumeratur inter virtutes, neq; intellectuales, neq; morales, nec inter Theologicas, ſed inter fructus. Ad Galat: 5. *Fructus Spiritus eſt charitas, gaudium, pax.*

Dispv-

DISPVTATIO VII.

De ſecundo Effectu interno de Pace.

An pax ſit idem quod concordia?

1. DOctrinam de Pace quatuor Dictis comprehendemus. Dico primò. *Pax latiùs ſe habet quàm concordia:* nam pax ſupra concordiam aliquid ſuperaddit. Eſt enim concordia diuerſarum voluntatum in diuerſis ſubiectis vnio. Pax autem non modo vnionem voluntatum in diuerſis hominibus includit, ſed etiam vnionem omnium appetituum in ipſo homine: erit igitur concordia conſenſio quoad alterum. Pax verò dicit pacationem motuum, & quoad alterum, & quoad nos. Quis enim hunc dicet pacē habere? qui cum alijs concordiam colit, & in ſe ipſo non eſt concors, quia appetitus eius inferior non eſt conſentiens rationi, tanquam ſuperiori. Hæc pax debet eſſe tranquilla, erit autem ſi in bono deſiderato conquieſcemus; quam diu enim eo caremus, quod cupimus, pacem habere non poſſumus, cum illius deſiderium nos affligat. Hæc pax debet eſſe vera, hoc eſt in bono vero conſenſio, quæ enim pax eſt in apparēte bono, non eſt vera, ſed apparens. Hæc deniq; pax erit tūc perfecta; quando conſiſtet in fruitione ſummi boni, & tunc omnes appetitus vnientur, & in ſuis deſiderijs conquieſcent. In præſenti vita Pax non eſt perfecta, quamuis enim parte ſuperiori animæ noſtræ in Deo conquieſcimus, multa tamen ſunt intus, & extra repugnantia, quæ hanc pacem turbant.

Definitio concordiæ.

In præſenti vita pax non eſt perfecta?

2. Dico ſecundò, cum D. Aug: lib. 19. de ciuit: Dei cap. 17. *quód omnia pacem appetunt. Ratio.* Sicut enim nemo eſt, qui gaudere nollet; ita nemo eſt, qui nolit habere pacem. *Deinde.* omnes appetunt tranquillam ſui boni poſſeſſionem, & per conſequens, vt nemo illis aduerſetur, & hominum & propriorum affectuum, & hoc eſt appetere pacem. *Præterea* Ipſi etiam turbulenti, & Rerumpub: euerſores pacem appetunt, quanquam non hāc, quæ ſit præſentis ſtatus, ſed in qua ipſi dominentur. *Tum* Ideo bella & ſeditionrs mouentur, vt hæc pax obtineri poſſit, quæ in eo conſiſtit, vt bonum tranquillè poſſideatur. *Tandem* Hanc Angeli tanquam terris exoptatam, è cælo Chriſto in cunis vagienti applaudentes, attulerunt: hanc ipſe Saluator Apoſtolis diſceſſurus ex hoc mundo, tanquam eximium donum reliquit. *Pacem meam do vobis.* Ioan: 14.

An omnia pacem appetant?

Deniq; pacis ratio dum turbatur in Republica eſt origo multarum calamitatum, & in homine

ſecum diſcordante eſt crux atrox. Ergo omnia pacem appetunt.

An Pax ſit effect⁹ charitatis?

3. Dico tertiò reſpondendo ad dubium; an pax ſit effectus charitatis? & Dico *Eſſe*. PROBATVR. Ad pacem obtinendam requiritur vnio appetituum. ſed hæc aut eſt appetituum in nobis, vt cum caro aduerſus ſpiritum deſinit concupiſcere: aut cum noſter appetitus cum appetitu proximi eſt conſentiens. ſed hoc vtrumq; efficit charitas. *primum*, quia amor Dei debet eſſe ex toto corde. ergo omnes appetitus, & illorum deſideria in Deum refert. *Alterum efficit*, quia ex mandato Dei debemus proximo bonum velle.

An Pax ſit virtus?

4. Dico tertiò. *Pax non eſt virtus, nec eſt actus alterius virtutis præterquam charitatis*. PROBATVR. Ab vno habitu contingit plures diuerſos actus, ſecundùm eandem rationem procedere, ita, quód ſibi ſubordinentur, & vnus ex alio ſequatur: vt in igne videmus, quód is calefacit, liquefacit, rarefacit, condēſat: & tamen in igne non eſt alia virtus calefactiua, alia liquefactiua &c. ſed hos omnes actus idem ignis operatur: ita ex charitate procedunt ſiue prodeunt Gaudium, Pax: vnde non ſunt aliæ virtutes, à quibus procedant. *Deinde* Ad conſtituendam diſtinctam virtutem non ſufficit formalis ratio actus, vel obiecti, ſed etiam requiritur peculiaris difficultas. Sed in pace, ſi quę eſt difficultas, hanc charitas tollit. qui enim Deum diligit, omnes appetitus intra ſe vnitos habet, & qui diligit proximum ſicut ſe ipſum, in omnibus (modo rationi, & Deo non aduerſentur) cum eo conſentit. ergo, ſi quæ difficultas in pace, eam charitas tollit. ergo non eſt alia virtus conſtituenda, ſed pax erit actus, ſiue effectus ipſius charitatis.

Nota, pacem numerari & inter beatitudines, & inter fructus, ſed diuerſa ratione, in quantum enim eſt actus virtutis perfectæ, ſ. charitatis, eſt beatitudo, de qua dicitur. *Beati pacifici &c.* in quantū verò eſt quoddam bonum vltimum, quod habet annexam iucunditatem, ſic eſt fructus.

Quomodo Pax numeratur inter beatitudines & inter fructus?

DISPVTATIO VIII.

De tertio Effectu interno Charitatis, de Miſericordia.

Quod malū ſit motiuū miſericordiæ?

1. IN eius natura explicanda quatuor dicemus, reſpondendo ad quatuor Dubia. Dico primò. *malum inuoluntarium alterius, eſt proprium motiuum miſericordiæ*. PROBATVR. ex D. Aug. lib: 9. de Ciuit: Dei cap. 5. *Miſericordia, eſt compaſſio in noſtro corde alienæ miſeriæ: quia vtiq; compellimur ſubuenire, ſi poſſemus*. Et Iſid. lib: Diff. appel-

appellat miſericordiam affectum cordis, quo compellimur, vt miſeris ſubueniamus. *Ex quo arguo.* Miſeria, ſeu malum alterius prouocat miſericordiam. Sed hoc malũ non mouet, niſi quod ſit inuoluntarium; is enim dicitur eſſe miſer, qui aliquid contra voluntatem patitur, ſicut beatus ille dicitur, qui habet, quod vult, nihil autem mali vult.

Inuoluntarium triplex.

2. *Noto.* cum S. Doct: quód Inuoluntariũ eſt triplex. *primò*, quod contrariatur naturali appetitui voluntatis; vt ſunt morbi, dolores, & alia mala, quæ ſunt corruptiua, & contriſtãtia. *Secundum* eſt, quód accidit contra voluntatem electionis, vt ſi quis lucri cauſa proficiſcatur ad nundinas portans ſecum non mediocrem pecuniam, & à latronibus ſpolietur: in hoc caſu eſt malum inuoluntarium; quia vnde ſperabatur bonum, malum accidit. *Tertium* inuoluntarium eſt, quando alicui miſerabilia contingunt, contra conſtantem, & continuam eius voluntatem; vt, ſi quis ſemper ſectetur bona, & eueniant illi mala. Et hæc omnia mala inuoluntaria ſunt motiua, & prouocantia ad miſericordiam, maximè autem duo poſteriora.

Obiectio.

3. *Inſtabis.* Damnati patiuntur malum gehennæ, & hoc eſt illis inuoluntarium, & tamen illorũ non miſeremur? *Reſpondeo*, ex ea parte, qua iam damnati ſunt obſtinati, ita horum non miſeremur, ſed conformando nos ad iuſtitiam Dei punitiuam, gaudemus, quód illi ſatis fiat: ſed ex ea parte, in quantum natura damnatorum, eſt opus Dei, ſic illam diligimus, eidemq; compatimur, illamq; ab illis pœnis, ſi poſſibile eſſet, liberare cuperemus.

Quomodo damnatorũ miſeremur?

4 *Inſtabis ſecundò*, peccatum proximi non meretur miſericordiam; quia peccator voluntariè peccat. Atqui tamen peccatorum miſeremur? *Reſpondeo*, actus peccati, in quantum eſt voluntarius, non meretur miſericordiam, ſed potiùs indignationem: ſed in quantum habet multa annexa mala inuoluntaria, aut quia per ignorantiam peccauit, non conſiderando peccati æternas pœnas: aut quia viribus naturæ, à peccato reſurgere non poteſt, ſine auxilio Diuinæ gratiæ, & ſic miſericordiam meretur.

Obiectio altera.

Quomodo peccatum proximi mereatur miſericordiã?

5. *Obijcies tertiò.* Miſericordiam dicimus eſſe compaſſionem, vid. quandam triſtitiam, & dolorem animi de malo alterius. atqui in Deo eſt miſericordia, compaſſio autem dici non debet. ergo miſericordia non bene per compaſſionẽ definitur. *Reſpondeo*, per iſtam compaſſionem poſſumus intelligere affectum voluntatis, quo ſecundùm rationem mouemur ad ſubleuandam miſeriam proximi, ſiue hic affectus rationalis habeat adiunctam triſtitiam, & dolorem; ſiue non. *Et ratio eſt.* Quia compaſſio, in quantum in ſe includit dolorem, aut triſtitiam, non eſt principalis effectus miſericordiæ, ſed velle ſubuenire miſeriæ proximi. vnde in Deo ponimus miſericordiam, non ſecundùm dolorem, & triſtitiam, ſed in quantum noſtras miſerias ſubleuat: nam perfectio debet tribui Deo, dempta omni imperfectione.

Obiectio tertia.

Solutio ei⁹

Quomodo in Deo ſit miſericordia?

6. Dico ſecundò. *Defectus miſerentis eſt ratio miſerendi*, idq; ob duplicem.

An defect⁹ ex parte miſerentis ſit ratio miſerendi?

plicem cauſam: *primò* quia malum proximi ob vnionem amoris noſtrum reputamus: *ſecundò* quia cogitamus ob eiuſdem naturæ communionem, nos poſſe in ſimilia mala incidere, & hinc miſeremur.

Nota defectus miſerentis, ſeu miſeria proximi, potiùs eſt cauſa diſpoſitiua, non autē principalis; ſed amor eſt principalis cauſa, dum ob vinculum amoris, malum proximi ad nos pertinere arbitramur. vnde amor in Deo, quo amat creaturam, tanquam aliquid ſui, ſufficienter illum mouet, vt noſtri miſereatur, idemq; Deus noſter ex dilectione, quà dilexit nos, voluit naturā noſtram aſſumere, fieriq; paſſibilis, vt ſimilia patiendo, nobis ſuam miſericordiam largiretur.

An miſericordia ſit virtus?

7. Dico tertiò ad dubium tertiū reſpondendo; an miſericordia ſit virtus? & dico hic tria.

Dico primò. *Miſericordia vt habet dolorem annexum ex malo alieno, eſt paſſio, & ideo virtus non debet dici.*

Dico ſecundò. *Miſericordia, vt dicit motum appetitus intellectiui, qui habet diſplicentiam alterius mali, cum voluntate ſubleuandi, & regulatur ſecundùm rationem appetitum ſenſitiuum eſt virtus.* RATIO. quia virtutis natura in eo conſiſtit, vt motus animi, & appetitus inferiores moderetur.

Dico tertiò. *Valde probabile eſt, quòd miſericordia ſit virtus diſtincta à charitate.* PROBATVR. Quia habet quandam ſpecialem, & diſtinctam difficultatem à charitate, v. quia verſatur circa paſſiones moderandas, quæ in nobis oriuntur ex conſpectu miſeriæ proximi; aut enim plùs nimio cummouemur ad leuandum malum proximi; aut plùs nimio retardamur, & indureſcimus, ne miſereamur; aut quia æſtimamus afflictum iuſtè pati. ergo vt tales paſſiones ad medium rationis reducantur, aliquis habitus in mediocritate conſiſtens requiritur.

An miſericordia ſit maxima virtutum?

8. Dico quartò. *ſi miſericordia, & charitas, conſiderentur ſecundum ſe, tunc miſericordia eſt perfectior charitate.* Ratio. Quia miſericordia, vt ſic ſecundùm ſe eſt communicatiua boni, & ſubleuans defectus miſeriæ proximi, quod longè perfectiùs eſt, quàm amare.

Deinde Dico *ſi miſericordia conſiderata fuerit, per comparationem ad habentem, ſiue ad ſubiectum, in quo eſt, ſic non erit perfectior, ſi ſuperiorem ſupra ſe habebit.* RATIO. illi enim, qui ſuperiorem agnoſcit, longè eſt melius & perfectius per charitatē cum ſuo ſuperiori coniungi, vt cū Deo, quàm ſupplere defectum inferioris: & ſic charitas erit maior, quàm miſericordia.

Item dico. *ſi miſericordia (vt Caiet. hîc docet) conſideretur, vt eſt in ſuperiori, qui eſt immunis ab omni miſeria, & eſt puriſſimus actus, & ſumma natura, vt eſt in ipſo Deo, ſic miſericordia eſt maxima virtutum.* Deo enim proprium eſt miſereri, & omnipotentiam miſerando maximè manifeſtare: vnde *miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* In homine verò talis miſericordia nequit eſſe, ſiquidē eſt ſubiectum potentialitati obnoxium, ſiue vt patiatur miſerias.

An miſericordia religione ſit perfectior?

9. *Quæres* an miſericordia etiam religione ſit perfectior? *Reſpondeo.* abſolutè loquendo Religio præſtātior, quàm miſericordia. Quia eſt circa obiectum, quod eſt ipſe Deus; &

us; & quia nos magis coniungit Deo. Sed comparando opera harum virtutum, quoad vſum, & neceſſitatem hominum, dico *quód opera miſericordiæ ſunt Deo gratiora, quàm opera religionis exteriora.* Ratio. Nam religionis opera quandoq; omittuntur propter miſericordiæ, vt Miſſæ Sacrificium in caſu neceſſitatis, quando ſaluti proximi ſubueniendum eſt, omitti debet. iuxta illud, *Miſericordiam volo, & non Sacrificium*; niſi ſit tale tempus, in quo Diuinus cultus propter Hæreticos aut paganos periclitetur, & tunc religio præferenda.

DISPVTATIO IX.

De primo Effectu externo Charitatis, de Beneficentia.

An beneficētia ſit act⁹ charitatis?

1. Dico primò. *Beneficentia eſt actus charitatis, & in charitate comprehenditur.* Probatvr. ſicut in actu charitatis includitur Beneuolentia, per quam alicui volumus bonum; ita & Beneficentia, dùm id bonum, quod alicui cupimus, facto & re ipſa exteriùs exhibemus.

Quomodo beneficentia efficiatur meritoria?

Nota. ſi cupim⁹, vt beneficentia ſit meritoria, illius actũ, quo proximo ſubuenimus, per charitatem in Deum referamus: vnde, ſi quis amico vel proximo ob amicitiam humanam benefacit, erit actus nõ charitatis Chriſtianæ, ſed dilectionis humanæ.

Quomodo actus charitatis benefaciendi extendat ſe ad Deum?

Nota ſecundò, quód hic actus charitatis nimirum benefaciendi, non ſic extendit ſe ad Deum, vt illi beneficia conferamus; ſed quód nos illi ſubijciamus, & omnem cultum adorationis illi exhibeamus, illi verò proprium, vt in nos ex ſua dilectione beneficia conferat.

An omnib⁹ benefaciendum?

2. Dico ſecundò. *omnibus eſt benefaciendum.* Ratio. Beneficentia conſequitur dilectionem: ſed dilectio, quæ eſt actus charitatis, extendit ſe ad omnes: ergo & beneficentia. Et ad Galat. dicitur. *Dum tempus habemus, operemur bonum.*

Obiectio.

Sed obijcies. D. Aug. lib. 1. de doctrina Chriſt. cap. 28. dicit omnibus prodeſſe non poſſumus: ſed virtus ad impoſſibile non inclinat: ergo non oportet omnibus benefacere. *Reſpondeo* certum eſſe, quòd ſi actualiter & in ſpecie de quolibet loquamur, non poſſimus omnibus prodeſſe: ſed ſi *prodeſſe* ſumatur ſecundùm rationem generalẽ, vt, cùm benefactum ad omnes ſpectat; aut ſecundùm animi præparationem, aut in extremâ neceſſitate, ſic prodeſſe poſſumus.

Quomodo omnibus prodeſſe poſſimus?

An hoſti Reipub. in extrema neceſſitate conſtituto ſit benefaciendum?

3. *Sed quæres*, an hoſti Reipub. in extrema neceſſitate conſtituto ſit benefaciendum? *Reſpondeo* quód quandocunque eſt licitum hoſtem Reipub. occidere, etiam eidem licitum eſt in extremâ neceſſitate non benefacere: & hæc eſt ratio bellorum,

lorum, quód hoſtibus auferantur alimenta & alia, quæ ad vitæ ſuſtētationem ſpectant: ſi autem ſint induciæ, tunc ſubuenire illi teneor, ſi non fuerint, potiùs eſt comprehendendus, ſi ſit in extremâ neceſſitate, quàm occidendus, & per ſuſtentationem noſter efficiendus.

An inimico priuato benefaciendum?

4 *Quæres ſecundò.* quid verò de inimico priuato ſentiendum? *Reſpondeo,* quód huic inimico noſtro, ſi ſit in extrema neceſſitate, & non eſt periculum, quód nos ad mortē quæret, teneor ſubuenire: ſi autē non ſecūdùm imaginationem propriam, ſed ſecundùm prudentiam humanam timeo, quòd me ad mortem quæret, & occidet, tunc non teneor illi ſubuenire. *Ratio.* Quia nemo cum periculo vitæ ſuæ tenetur proximo ſubuenire.

An magis coniunctis & conſanguineis ſit magis benefaciendum?

5. Dico tertiò *Magis coniunctis & conſanguineis magis eſt faciendum bene.* PROBATVR. Gratia & charitas nec naturam, nec illius ordinem deſtruunt, quia hic ex Diuinâ ſapientiâ eſt inſtitutus: ſed ordo naturalis ſic ſe habet, quód vnūquodq; agens naturale priùs & magis diffundit ſuam actionem ad ea, quæ ſunt ſibi propinquiora: vt ignis calore ſuo ſubiecta propinquiora ſibi, prius & magis calefacit. & ſecundùm D. Dionyſium Deus in ſubſtantias Angelicas priùs & magis dona ſuæ gratiæ diffundit, quę ſunt ſibi propinquiores. ergo & benefacere, cum ſit actus charitatis, in eos magis & priùs diffundet ſe, qui ſunt nobis viciniores, vt ſunt conſanguinei, ciues, fideles.

Exceptio.

Nota. Hic ordo benefaciendi quandoq; pro diuerſitate loci & temporis & negotiorū, variandus: quandoq; enim contingere poterit quód in ſubueniendo extraneus ſit patri anteponendus, præſertim ſi extraneus ſit in extrema neceſſitate, pater verò non habet tantam neceſſitatem.

Obiectio.

6. *Sed obijcies.* Secundùm ordinem charitatis ego teneor defendere innocentem iuxta illud, *Vnicuiq; Deus mandauit de proximo ſuo.* tūc ſi velit pater meus occidere innocentem, an ego teneor defendere innocentem? *Reſpondeo,* ſi hæc defenſio fieri poteſt ſine periculo vitæ paternæ, teneris defendere: ſi periculum adſit, tunc non teneris, nam nulli' cum grauiſſimo damno ſuo, qualis eſt amiſſio patris, tenetur defendere proximum.

An tenear defendere innocentem cum periculo vitæ patris?

Nota. nonnulli tenent, quòd ſi illa perſona innòcens ſit vtilis Reipublicæ, ita quód in ea ſalus & dignitas publica ſit ſita, tunc defendi debet, etiamſi mors patris ſequatur. Priuato enim bono publicum anteponi debet.

Obiectio altera.

7. *Sed rurſum dices.* Ego debeo alicui pecuniam, tunc ſi ego, qui debeo, & ille, cui debeo, ſimus pariter in extremâ neceſſitate. an illi teneor reſtituere debitum? *Reſpondeo,* quód non teneris. *Ratio.* Quia ius gentium iuri naturali non debet anteponi. Sed diuiſio bonorū appropriatio eſt iuris gentium. Ergo iuri naturali non debet derogare, quod iubet, vt, cum extrema vrget neceſſitas, ſint omnia communia, ita vt efficiantur propria primò occupātis. ergo huic derogare nō debet. *Idem* dicendū de extremâ neceſſitate parentū, cōſanguineorum, quód non ſit reſtituendū debitū creditori, vt his ſubueniatur.

Solutio.

Dico

An Beneficentia ſit virtus.

Dico quartò. *Beneficentia non eſt virtus diſtincta à charitate, ſed nominat actum charitatis.* PROBATVR. diſtinctio virtutum eſt ſecundùm diſtinctam rationem formalem obiecti: ſed vtriuſq; vna formalis ratio, nã vtraq; communem rationem boni ſpectat. Ergo.

DISPVTATIO X.

De ſecundo Effectu externo Charitatis, de Eleemoſyna.

Eleemoſynæ effectus

De Eleemoſyna venit agendum, quæ nos Deo reconciliat, peccatorum multitudinem exſtinguit, nec patitur animam miſericordem in gehennam abire, quæ lauat & emundat conſcientias ab inquinamentis peccatorum, & veſte nuptiali indutas coram Deo ſiſtit; efflagitans, vt miſericordes miſeriordiam conſequantur: in huius explicatione quinq; attingemus:

1. *Quid ſit & quotuplex?*
2. *Quænam præſtantior Spiritualis, an Corporalis?*
3. *An obligamur ad largiendas eleemoſynas?*
4. *Quibus? vnde? & quomodo facienda?*
5. *Qui poſſunt ac debent eam largiri?*

QVÆSITVM I.

Quid ſit, & quotuplex?

Eleemoſyna quid ſignificet?

1. DIco primò. *Eleemoſyna eſt dictio Græca, idem ſignificans quod miſericordia: ſed in eo diſtinguuntur, quód miſericordia ſit in habitu. Eleemoſyna autem ipſum actum externũ deſignat* Et iſte actus, aut eſt virtutis moralis, & dicitur eſſe actus moraliter bonus; aut eſt actus à charitate procedens, in quantum in Deum refertur, & ſic dicit ordinẽ ad promerendam vitam æternam. Eſt igitur Eleemoſyna opus, quod datur indigenti ex cõpaſſione propter Deum. vnde in Eleemoſynâ ſunt tria. *Primò* opus ipſum, vt largitio cibi, potus, veſtis, pecuniæ. *Secundò* ſubuentio, quia aliena miſeria expellitur: *Tertiò* quia ex miſericordia procedit, & hoc ſignificat vox *Compaſſionis.*

Eleemoſynæ definitio?

Eleemoſynæ actꝰ charitatis.

2. Dico ſecundò. *Eleemoſyna eſt actus charitatis, non ſolùm ideo, quia actꝰ omnium aliarum virtutum in ſupremum*

fi.em

finem, v. in Deum glorioſum dirigit, ſed etiam ideo, quia eſt actus à charitate imperatus, ita quód charitas mediante miſericordia actus eleemoſynæ producit. PROBATVR. Ioan: 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* ergo eleemoſyna eſt actus imperatus à charitate. *Deinde.* Quia ſecundum D. Paulū opera eleemoſynæ deſtituta charitate corā Deo nihil proſunt. 1. Corint: 13. *Si diſtribuero omnes facultates in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* vt ergo eleemoſyna ſit meritoria vitæ æternæ, debet eſſe impenſa ex charitate in Deum, ita quód proximo indigenti, quem propter Deum amamus, largimur eleemoſynam.

Eleemoſyna imperatur à virtute Religionis.

Hæc eadem eleemoſyna etiam imperatur à virtute religionis, in quantum refertur ad placandum Deum, & ideo in Scripturis nomine *Hoſtiæ* aut *Sacrificij* appellari ſolet. Ad Hebr: 13. *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.*

Quandoq; etiam imperatur à virtute Iuſtitiæ,

Quandoq; etiam imperatur à virtute Iuſtitiæ, quando ſcilicet adhibetur ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis. Iuxta illud. *Redime peccata tua eleemoſynis.*

Nota. Id, quod Sacerdotibus aut pro Miſſæ celebratione, aut pro ſepultura, aut pro alijs Eccleſiaſticis officijs peragendis confertur, non eſſe propriè eleemoſynam, quia hoc illis debetur tanquam ſtipendium illorum miniſterio annexum, vnde & ſecluſa omni indigentia illis confertur.

3. *Sed dices.* Si actus eleemoſynæ debet eſſe imperatus à charitate. ergo peccatoris eleemoſyna, nihil illi proderit. *Reſpondeo,* illis peccatoribus, qui affectu & voluntate in peccatis mortalibus verſantur, non prodeſſe ad iuſtitiam & ad ſalutem, quos D. Aug: in ſuo Enchiridio cap. 27. ſic alloquitur *Non ſe fallant, qui per eleemoſynas quaſq; largiſſimas impunitatem ſe emere exiſtimant, & in facinorum ſuorum immanitate & flagitiorum nequitia permanent.*

Quibus peccatoribus eleemoſyna proſit?

Has tamen vtilitates ex factis eleemoſynis percipere poſſunt: *primò,* quód auertant à ſe plagas temporales. *ſecundò,* ſi fiant ex motione Spiritus S. poterunt eſſe diſpoſitiuæ ad iuſtitiam. *tertiò,* quia hi, qui ab illis eleemoſynas accipiunt, gratiam eis Diuinam ac miſericordiam impetrant.

Peccatores ex ſuis eleemoſynis quas vtilitates habeant?

Diuiſio eleemoſynæ.

4. Quantum ad Diuiſionē Eleemoſynæ dico. *Eleemoſyna communiter diuiditur in Corporalem & Spiritualem.* Corporalis opera hoc verſiculo continentur.

Opera corporalis eleemoſynæ quæ & quot

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Sunt numero ſeptem, *Paſcere eſurientem, Potare ſitientem, Veſtire nudum, colligere hoſpitem, Viſitare infirmum, Redimere captiuum, Sepelire mortuum.* Spiritualis verò opera hic verſiculus enumerat.

Spiritualis eleemoſynæ opera quæ?

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, (ora.

Hoc eſt, *Docere ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare oneroſos, orare pro proximis.*

Ratio huius diuiſionis. Quia Eleemoſyna ordinatur ad indigentiam ſeu ad defectus proximorum ſubleuandos. Sed hi defectus aut ſunt corporis? & ſunt ſeptē opera, quæ ordinantur ad corpus: aut ſunt defectus

fectus animi? & ſunt ſimiliter ſeptem, quibus anima iuuatur. ergo rectè diuiditur in corporalem & ſpiritualem.

Obiectio. 5. *Sed dices.* Sepelire mortuos non eſt opus miſericordiæ; quia carere ſepulchro non pertinet ad miſeriam hominis, ſiue enim ſepeliatur ſiue non, vtiq; abſumetur; ſi conditum fuerit, erit eſca putredini & vermibus: ſi inhumatum manſerit à beſtijs terræ abſumetur; parum autem refert à quo abſumendum ſit, ſiquidem abſumi debet. *Reſpondeo.* Quód ſepelire mortuos ſit verum opus miſericordiæ: nam à Scriptura commendatur. Tobiæ 12. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos &c.* Et mulieres in Euangelio laudantur, quæ volebant vngere corpus Domini. Et Dauid conqueritur. *Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli.* Ergo magnum incommodum, ſi iaceāt inhumata corpora. *Præterea.* Carentia ſepulturæ, & abiectio cadaueris, quandoq; in pœnam mortuis infligitur. ergo ad miſericordiam defuncti pertinet. Ergo ſepelire erit miſericordiam defuncto exhibere, ſiquidem tales inter viuos cenſentur eſſe, cum inter illos ſepulchrum habent. Maximè conueniens eſt in ſacris locis mortuos ſepelire. nam ſuffragiorum participes efficiuntur, quæ in his locis pro ſepultis habentur.

An ſepelire mortuos ſit verum opus miſericordiæ?

Deniq. Ex hac vita decedentes prouident, vt illorum corpora honeſtè ſint recondita, cum ſint illorum quædā pars, & anima defuncti naturalem propenſionem ad ſuum corpꝰ habet, & optat illud honeſtè tractari. *Demum* Quia Chriſtianorum corpora ſunt habitaculū Spiritus S. & quæ in reſurrectione gloriā immortalitatis decorabuntur.

Ad obiectionem Dico. Licet corpus humanum ſit abſumendum, pertinet tamen ad honorem defuncti; vt debito & conſueto more, v. defoſſum à putredine & à vermibus abſumatur; non autem à volucribus aut à beſtijs dilaceretur. quia hoc ferale eſt, & in ignominiam generis humani vergit.

QVÆSITVM II.

Quænam opera, Corporalia an Spiritualia præſtent?

Cur Eleemoſynæ ſpirituales ſint præſtantiores quàm corporales

6. DICO ad Quæſitum *abſolutè loquendo Eleemoſynæ Spirituales ſunt præſtantiores, quàm Corporales* idque triplici de cauſa: *prima*, quia bonum ſpirituale excellentius eſt corporali. ergo & Eleemoſyna ſpiritualis, quæ fit ex bono ſpirituali. *ſecunda*, quia anima ſeu ſpiritus, cui exhibetur opus miſericordiæ, præſtat corpori. *tertia* quia actus ſpirituales præſtant corporalibus teſte D. Aug: *ſi magnum opus miſericordiæ frangere panem eſurienti, longè maius eſt docendo, corrigendo animam peccatorū ex faucibus leonis rugientis eripere.*

Quãdo eleemoſyna corporalis ſit præſtãtior?

7. Dico ſecundò. *Contingit quandoq; in aliquo caſu, quód Eleemoſyna corporalis ſit præſtantior, vt tempore ſamis, potiùs paſcendi homines, quám docendi.* Ex hoc tamen colligi non poteſt ſufficienter Eleemoſynam corporalem præſtare ſpirituali: ſed ſolùm quód hîc & nunc magis vrgeat illius neceſſitas.

An eleemoſyna corporalis producat effectũ ſpiritualem

Sed quæres. An corporalis eleemoſyna producat effectum ſpiritualem? *Dico* cum S. Doct: quód Eleemoſyna corporalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam conſiderata, non habet effectum ſpiritualem. *Ratio.* quia ſolùm ordinatur ad ſupplendos defectus corporales proximorum.

Conſiderata verè ex parte ſuæ cauſæ, hoc eſt, in quantũ ex charitate & miſericordia procedit, ita quód propter Deum exerceatur ſic habet effectum ſpiritualem, quia eſt meritoria vitæ æternæ. Eccleſiaſtici 29. *Per de pecuniam propter fratrem, pone præceptum in theſauris altiſſimi, & proderit tibi magis, quàm aurum.*

Secundò. Eleemoſyna habet hunc effectum ſpiritualem, quód ſatisfaciat pro pœnis, quæ poſt dimiſſa peccata remanent. Et in hoc ſenſu Daniel loquitur ad Nabuchodonoſor Regem. *Redime peccata tua eleemoſynis* ſcilicet, priùs pœnitentiam fac de peccatis, demũ illorum pœnas redime largitione eleemoſynarum. *Tertiò,* habet effectum ſpiritualem, quando fit ex motione Spiritus S. nondum quidem inhabitantis, ſed excitantis: quia iam hominẽ videtur præparare & diſponere ad iuſtitiam. *Quartò* habet effectum ſpiritualem, quia proximum, cui exhibetur eleemoſyna, mouet ad orandum pro benefactore, ſecundùm illud; *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

An eleemoſyna remittat peccata & conferat gratiam?

8. *Sed quæres* an eleemoſyna remittat peccata & conferat gratiã? *Reſpondeo* fuiſſe quoſdam, quorum memor eſt D. Aug. in Enchiridio cap. 75. & lib. 25. de Ciuit Dei, cap. 22. & 27. qui per ſolas eleemoſynas certam peccatorum remiſſionem ſibi pollicebantur, & impunitatem pœnarum poſt mortem.

Eleemoſyna ſola ſine pœnitentia non dimittit peccata

Dico itaq; primò. *quód Eleemoſyna ſola ſine pœnitentia non dimittit peccata.* Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis.*

Non dimittit peccata vt Sacramentum.

Dico ſecundò. *Neq; item dimittit peccata vt Sacramentum*: quia ſolùm hoc habent Sacramenta ex Chriſti inſtitutione.

Obiectio cum ſolutione.

Dices. martyrium dimittit peccata, ergo & eleemoſyna. *Reſpondeo,* quód martyrium dimittat, habet hoc ex priuilegio, quia eſt baptiſmus ſanguinis. an verò martyriũ ſine pœnitentia dimittat peccata? dicit Bannes eſſe incertum.

Non dimittit peccata ita vt vltimatè diſponat ad gratiam.

9. Dico tertiò. *Neq; etiam dimittit peccata, habens vim & quandam diſpoſitionem, vt certò & infallibiliter id operetur, quod operatur contritio, & dilectio Dei ſuper omnia, hoc eſt quod vltimatè diſponat ad recipiendam gratiam.* Nam Lucæ 12. dicitur (vt Chriſtus declarat) Phariſæi erant extra gratiam, & hi decimas dabant & eleemoſynas largiebantur. Et D. Paul[us] dicit quód diſtributio poſſeſſionum in vſum pauperum ſine charitate nihil prodeſt. Ergo exſiſtens in peccato, quód Dei dilectionem excludit, poteſt facere eleemoſynam.

moſynam. ergo non habet vim certò & infallibiliter diſponendi ad remittenda peccata & ad gratiam recipiendam.

Eleemoſyna præſuppoſita pœnitentia remittit peccata.

10. Dico quartò. *Præſuppoſitâ pœnitentia, eleemoſyna remittit peccata quoad pœnas illorum*, inter enim opera ſatisfactoria, teſte D. Th. *in 4. diſt. 15. art. 2. quæſt 2.* magnam vim habet eleemoſyna ad ſatisfaciendum.

Obſerua.

Illud quoq; addimus, quód homo miſericors ſed exſiſtens in peccato mortali, ſi continuas faciat eleemoſynas ex pietate propter Deum: quandoq; ſed non neceſſariò per internos inſtinctus à Deo propter miſericordiam impenſam proximis, conuertitur ad pœnitentiam. hoc innuunt illa verba: *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*: hanc v. vt per Dei gratiam excitantem ad pœnitentiam conuertantur. & Prouerb. 19. *Feneratur Domino, qui miſeretur pauperis*: quia (vt iam diximus) diſponit ad gratiam, præſertim ſi eleemoſyna ex impulſu Spiritus S. fiat.

Obiectio.

11. *Sed obijcies* exſtare multa loca Scripturæ, in quibus remiſſio peccatorum eleemoſynæ tribuitur vt *Date eleemoſynam; & ecce munda ſunt vobis omnia. Reſpondeo* hæc omnia loca eſſe intelligenda ſecundùm duplicem modum à nobis explicatum. *primò* dimittit, quia aliquo modo diſponit ad pœnitentiam: *ſecundò* quia redimit pœnas peccatorum, de quibus pœnitentiam egimus. D. Aug. hunc locum adductum interpretatur de miſericordia, quam ſibi vnuſquiſq; ordinariè ante alios impendere debet: iuxta illud, *Miſerere animæ tuæ timẽs Deum*: quod illi faciunt, qui ſtudent per pœnitentiam & per dilectionem Dei conſcientias ſuas emundare. Vel illa verba exponẽda ſunt ſecundùm eum ſenſum, quem indicant præcedentia: *quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina*, hoc eſt, via ad iuſtitiam eſt, vt mutato affectu rapiendi per pœnitentiam deſeramus opera iniuſtitiæ, & contrarijs operibus iuſtitiæ incumbamus, iuxta illud, *qui furabatur, iam non furetur*, magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.

Solutio eiuſdem.

QVÆSITVM III.
An obligamur ad largiendas eleemoſynas?

Obligamur omnino ex præcepto ad eleemoſynarũ largitionem.

12. Dico *nos omnino obligari ex præcepto ad largitionem eleemoſynarum.* PROBATVR. Dilectio proximi cadit ſub præceptum (vt iam deductum) ſed ſine largitione eleemoſynarum non poteſt dilectio proximi conſeruari: ergò eleemoſyna eſt ſub præcepto. *Conſequentia* omne enim illud neceſſariò cadit ſub præcepto, ſine quo præceptum conſeruari non poteſt.

13. *Sed*

Quali præcepto obligamur?

13 *Sed quæres.* Quali præcepto obligamur? *Reſpondeo.* triplici. *Primò,* naturali; quia ad legem naturæ ſpectat. vt fratres diligamus verè, illis in neceſſitate ſubueniendo lex enim naturæ eſt. *Quòdcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sed vnusquiſq; in neceſſitate conſtitutus optaret ſibi, vt ab omnibus iuuaretur. ergo, vt idem ab alijs conſequamur, proximo neceſſitatem patienti ſubueniendum

Secundò, præcipitur lege Diuinà Deut. 15. *Ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra* Et Eccleſiaſtici 4. dicitur. *Eleemoſynam pauperũ ne defraudes.* Et hæc verba vim habẽt præcepti; & inducunt debitè, vt pauperibus ſubueniamus.

Tertiò, obligamur præcepto Eccleſiaſtico: Nam Doctor Gentium & Eccleſiæ mandat Timotheo, vt præcipiat diuitibus, vt facilè tribuant indigentibus.

An præcepta obligẽt ſub peccato mortali?

14. *Rurſum quæres* an hæc præcepta obligent ſub peccato mortali? *Reſpondeò* obligare ſub mortali, quia ſententia ſupremi iudicis omiſſioni eleemoſynarum ignis æternus in ſupplicium decernitur. Matt. 25 *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Deinde.* Quia neglectus eleemoſynarum Deum ab homine alienat. Prouerb. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. Præterea* Quia non faciens eleemoſynam amittit charitatẽ, & qui ſine charitate eſt, in peccato eſt, qui enim non diligit, manet in morte. *Declaratur loco* Scripturæ. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi & viderit fratrem neceſſitatem patientem, & clauſerit viſcera &c. quomodo charitas Dei manet in eo?* Ergo obligamur ſub peccato mortali.

Præceptum de largienda eleemoſyna pro quo obligat tempore?

15. *Quæres tertiò.* Hoc præceptum pro quo tempore obligat? *Reſpondeo* quòd, cum præceptum de facienda eleemoſyna ſit affirmatiuum, non pro omni, ſed pro certo tempore obligat: vt quando proximus eſt in neceſſitate, quam ego bene noui, & habeo tantas facultates, quód illi ſubuenire poſſum, & poſſum quidem ſine magno incommodo rerum mearum, præſertim cum neſciam certò aut ſaltem probabiliter, an aliquis eum iuuabit in hac neceſſitate. Sed qualis nam proximi neceſſitas eſſe debeat? & quanta dantis facultas? ex qua ſubuenire tenetur; ex ſequenti Quæſito patebit.

Qui ab eleemoſyna largienda eximantur?

16. *Quæres vltimo?* an aliqui ab hac obligatione eximi poſſint? *Reſpondeo poſſe* Primó eximuntur, qui ſunt indigentes, pauperes, aut qui exiguas habent facultates, quibus vix & ſuis & domeſticorum neceſſitatibus ſubuenire poſſunt. *Secundò excuſantur,* qui habent quidem, vnde indigenti tribuant, ſed illius neceſſitatem bene non norunt; nam dicitur *Si quis viderit proximum patientem neceſſitatem.*

Tertiò eximuntur qui & poſſunt largiri, & ſciunt benè aut ſaltem probabiliter, quanta neceſſitas ſit proximi; ſed ſciunt tamen, ſi non certò ſaltem probabiliter, quód eius neceſſitati per hunc vel per aliũ ſuccurretur. Ita docet. D. Th. *22. quæſt. 32. art. 5. ad 3.* tunc eſſe ſub mortali neceſſarium facere eleemoſynam, cum euidens & vrgens appaRet

apparet neceſſitas, nec in promptu eſt, qui ei ſubueniat: vnde quādo tibi non conſtat probabiliter, quód huic neceſſitati proximi ;alius ſuccurret, tu teneris ſubuenire.

Quartò excuſantur qui poſſunt quidem ſubuenire ei neceſſitati, quā benè norunt & benè ſciunt, quód ei per alium non ſubuenietur, ideò tamen non poteſt, ne ipſe aut domeſtici eius in parem aut in maiorem neceſſitatem, ex hac ſubleuatione incurrat: ſiquidem ordo charitatis poſtulat, vt ſe ſuoſq; magis diligat, quàm alios, illorumque & ſuæ neceſſitati ſubueniat.

QVÆSITVM IV.
Qui? vnde? & quomodo, Eleemoſynam facere debent?

17. TRia hoc Quæſitum inquirit: *primò* qui obligantur? *ſecundò* quæ materia eleemoſynæ? *tertiò* de Modo.

Qui ad eleemoſynam obligantur

QVANTVM *ad primum*, ſuffecerit nunc obiter dicere, quód is, qui habet dominium rerum temporaliū, & illarum liberam, & non dependentem diſpenſationem, poſſit & debeat facere eleemoſynam; hi autem quinam ſint? vltimo Quæſito explicabimus.

Vnde & ex quibus eleemoſyna facienda?

QVANTVM *ad alterum*, vnde, & ex quibus ſit facienda eleemoſyna? Noto quatuor pro determinatione

Quæ cōcurrere debēt vt quis ad largiendam eleemoſynam ſit obligatus?

Noto primò. duo concurrere debent, vt quis ad eleemoſynam faciendam ſit obligatus: *vnum* ex parte dantis, vt habeat, vnde det, v. ſuperfluum: *alterum* ex parte accipientis, quód proximus indigeat patiendo neceſſitatem.

Superfluum quotuplex?

18. *Noto ſecundò.* ſuperfluum ex parte dantis, & neceſſarium ex parte accipientis duplex: aut enim eſt naturæ, aut perſonæ; *ſuperfluum naturæ eſt,* ſine quo aliquis viuere, & ſuorum vitam alere, & ſuſtentare poteſt: *ſuperfluum perſonæ* illud dicitur, ſine quo non ſolùm ipſe viuere, & familiam ſuam ſuſtentare poſſet, ſed etiam ſtatus, & perſonæ dignitatem tueri valeat, vt filios inſtituere, filias honeſtè dotare, tum ſumptus conuiuiorum facere, quæ tamen intra limites timoris Dei ſunt facienda. *Neceſſarium verò naturæ* eſt, quod alicui ad vitæ ſuæ, & ſuorum conſeruationem eſt expediens. *Neceſſarium perſonæ eſt,* quod alicui ad ſtatum vitæ decentem, & ſuum & ſuorum eſt neceſſarium.

Superfluum naturę quid

Superfluum perſonæ quid?

Neceſſarium naturæ quid ſit?

Neceſſarium perſonæ quid?

19. *Noto tertiò.* Neceſſitas proximi triplex eſſe poteſt, aut enim ideo eget? quia eſt in extrema neceſſitate: aut quia eſt in graui? aut quia eſt in communi? *Extrema neceſſitas* non inde æſtimanda eſt, cùm quis ita inopiâ neceſſariorum premitur, vt iam illi neceſſariò ſit moriendum; ſed cùm probabiliter apparet, quód ob defectum neceſſariorum morietur, niſi illi tempeſtiuè ſuccurratur. Sotus dicit ſufficere ad hoc periculum infirmitatis in-

Neceſſitas proximi triplex.

Prima eſt extrema neceſſitas.

tis incurabilis, aut alterius miſeriç, quæ homines abſumere ſolet. Et in hac neceſſitate extrema, non eſt curioſè inquirendum, nec magnopere laborandum; ſiquidem etiamſi error ſubſit, nemo meritũ amittet.

Grauis neceſſitas.

Grauis neceſſitas eſt, quandò ex cõiectura probabili colligimus, quód quis videtur eſſe in periculo vitæ, aut in periculo incidẽdi, in aliquod incommodum minus morte, vt ſi viro nobili periculum immineat ſtatum ſuum amittendi, ideo quia ad anguſtias paupertatis ſit redactus, & propter hoc debet ſe ad opus mæchanicum demittere, aut quód liberi eius magnam egeſtatẽ patiantur. Hæc grauis neceſſitas penſanda eſt, tum ex qualitate mali, quod timetur; tum ex probabilitate incurrendi in illud; tum ex conditione perſonæ. *Communis neceſſitas* illa eſt, quæ eſt infra gradũ, & illa cenſetur eſſe, quam homines pauperes victum oſtiatim quærentes patiuntur.

Communis neceſſitas quæ?

Noto quartò. Ea, ex quibus eleemoſynæ ſunt faciendæ, ſunt aut neceſſaria, aut ſuperflua, aut malè acquiſita. His præmiſſis

Ex quibus non tenemur facere eleemoſynam?

20. Dico primò. *De his, quæ ſunt neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, tam nobis quàm noſtris, hoc eſt domeſticis, aut quorum aliquo modo ad nos cura pertinet, non tenemur facere eleemoſynam.* Probatvr. Dilectio enim debitum ordinem ſeruat, qui iubet vt nos magis noſtroſq; quàm extraneos diligere debeamus: ergo ex neceſſarijs ad vitæ noſtræ, & domeſticorum ſuſtentationem pertinentibus, nemo tenetur eleemoſynam facere. *Deinde* quia hoc eſſet contra fidelitatem, de qua Apoſtol. 1. ad Timoth. 1. *Si quis ſuorũm maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* *Item* quia repugnat rationi, vt, cũ nulla ſit vrgens neceſſitas, nos priuare debeamus his, quæ ad ſuſtentationem vitæ noſtræ pertinent.

Nota quód ſi vir aliquis inſignis ſit in extrema neceſſitate, ex quo ſalus, & dignitas Eccleſiæ, & Reip. dependet; tunc poſſumus laudabiliter ſubtrahendo nobis neceſſaria, cum periculo vitæ, illi perſonæ ſubminiſtrare: ad hoc tamen faciendum cum periculo vitæ, ſub mortali non obligamur: nam in tali neceſſitate poteſt quis parentes, & liberos ſuos huic perſonæ anteponere. Obſeruā

21. Dico ſecundò. *quando proximus eſt in extrema neceſſitate, nos tunc obligari ad ſubueniendum illi, non ſolùm de ſuperfluis quoad ſtatum, ſed etiam de ſuperfluis quoad vitam, licet ad ſtatum ſint neceſſaria.* Probatvr. tunc enim in hac extrema neceſſitate, cùm proximus ſine noſtra ſuſtentatione, non poteſt vitam conſeruare, illud Dictum D. Ambr. vim habet: *Paſce fame morientem, ſi non paueris, occidiſti.* *Deinde* Lucæ 3. Ioan. Bapt. dicit: *qui habet duas tunicas, det non habenti.* ſed vna tunica ad vitam conſeruandam eſt neceſſaria, altera ad perſonæ & ſtatus dignitatẽ. ergo hæ ſuperflua quoad vitam, licet neceſſaria quoad ſtatum, & ideo in extrema neceſſitate conſtituto danda eſt. *Item* D. Th. in 4. *diſt. 15. quæſt. 2. art. 1.* ex præcepto Dei debemus diligere proximos, ſicut nos ipſos. ſed natura circa nos ipſos ſic ſe habet, quód

Qua… ex q… pro… ſubue…ndum?

quód non concedit conuerti in augmentum, quod eſt neceſſarium ad nutrimentum. ergo ſimiliter illud, ſine quo proximus noſter nutriri, & viuere non poteſt, non eſt ad augendum, ſeu ad amplificandum ſtatum noſtrum, conuertendum: vnde tenentur diuites, cùm verſantur proximi in extrema neceſſitate, etiam veſtes pretioſas diuendere, aut vaſa argentea in pecuniam redigere, vt poſſint ſubuenire extremæ neceſſitati proximorum, in cibo & in veſtitu.

Quomodo pauperibus in locis publicis mendicantibus ſubueniendum?

Nota de pauperibus, qui in locis publicis mendicant, & qui ſigna extremæ neceſſitatis oſtendunt; nō ſemper, ſed rariùs ex neceſſarijs ad ſtatum illis ſubueniendum, ideo: quia has neceſſitates magis oſtentare, quandoque ſimulare ſolent, quàm eaſdem patiantur.

Grauis neceſſitas proximi vnde ſubleuādа?

22. Dico tertiò. *Grauis neceſſitas proximi ex his, quæ ſunt ſuperflua quoad ſtatum, ſub peccato mortali ſubleuanda.* Eſt communis Sententia Doctorum Caiet: Opus: de Eleem: Syluestri verbo *Eleemoſyna* Bannes hîc Dubio 2. vbi dicit, quód contrarium ſentire ſit erroneum: cuius

Ratio prima. Matt: 25 Sententia ſupremi Iudicis, per quam deſtinantur hi ad pœnas inferni, qui opera miſericordiæ exercere neglexerunt. Sed non ideo ſolùm damnabuntur, quód in extrema neceſſitate non ſubueniebant, quia hic caſus rariùs contingit. ergo hoc præceptum extra caſum extremæ neceſſitatis obligat ad eleemoſynas faciendas, in graui neceſſitate mortali. Ergo ex ſuperfluis ſub damnatione æterna tenemur illis ſubuenire.

Præceptum de erogandis eleemoſynis quando obligat?

Ratio ſecunda. Præceptum de erogandis eleemoſynis tunc obligat, quando hæc duo concurrunt: *primò*, quando eſt neceſſitas proximi: *ſecundò*, quando nobis adeſt facultas illis ſubueniendi. ſed ſic ſe habet in caſu præſenti, quód & proximus patitur grauem neceſſitatem, & tu habes ſuperflua. Ergo ex his teneris illius neceſſitati ſubuenire.

Ratio tertia. Eſt contra charitatem proximi, cum videmus eum habere neceſſitatem grauem, & nos ſine vllo detrimento noſtrarum rerum poſſumus ſubuenire; quia ſolùm ex ſuperfluis obligamur. ergo ne ſit contra charitatem ſubueniendum, præſertim, quód quandoq; neceſſitas proximi poteſt eſſe tam grandis, licet non extrema; ut illi teneamur ſubuenire ſub mortali, ex his, quæ ſunt ſuperflua naturæ, & neceſſaria quoad ſtatum. Quocirca in tanta neceſſitate proximi, diligenter penſandum eſt, quæ nobis ſunt neceſſaria, & quæ ſunt ſuperflua, vt ex ſuperfluis ſubleuemus neceſſitatem proximi.

Diuites obligantur ad eleemoſynas faciendas.

23. Dico quartò. *Extra caſum extremæ neceſſitatis tum etiam & grauis omnes diuites, qui habent ſuperflua, obligantur ad eleemoſynas faciendas, vt communi neceſſitati pauperum ſubueniant,* PROBATVR. Lucæ. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam,* hoc verbum *ſupereſt* ſignificat, quod ſupra neceſſitatem naturæ, & ſtatus noſtri abundat, vt ex eo eleemoſynas demus. 2. ad Tim: vltimo. *Diuitibus huius ſeculi præcipe, facilè tribuere.* Sed diuites communiter habent ſuperflua. ergo ijs præcipit, vt ex his pauperes

peres iuuent. *Tum.* Sacra Scriptura, pœnas inferni paratas eſſe auaris dicit, qui ſuperflua, quæ in pauperum vſus elargiri debent, accumulant, & penes ſe detinent. Lucæ 12. dictum eſt diuiti, qui horrea ſua ampliare volebat: *Stulte, hâc nocte repetent animam tuam à te; hæc autem, quæ congregaſti, cuius erunt?* Hoc inquam dictũ tam acerbum, ideo audiuit; quia ſuperflua detinebat, quibus debuit egeſtatem Pauperum ſubleuare. Et diues ille S. Lucæ. 16. qui quotidie epulabatur ſplẽdidè, poſtquam eſt mortuus, ſepultus eſt in inferno; ideo, quia Lazarũ nolebat cibare de micis, hoc eſt, de ſuperfluis quæ cadebãt de menſa eius. Et SS. Patres grauiter inuehũtur in eos diuites, qui ex ſuperfluis egeſtatẽ pauperũ nõ ſubleuant. D. Chryſ: Hõ. 34. ad pop: dicit. *Tuarũ eſto diſtributor pecuniarũ, non ad hoc accepiſti, vt in delicias abſumeres, ſed vt in eleemoſynas erogares; res pauperũ ſunt tibi creditæ, ſiue ex laboribus iuſtis, ſiue ex hæreditate paterna poſſideas.* Et D. Au: dicit. *Quicquid enim Deus plus quàm opus eſt dedit, non nobis ſpecialiter, ſed per nos dedit erogandum pauperibus.* Et in Pſal: 147 dicit ſuperflua diuitum, eſſe neceſſaria pauperum, & res alienas poſſideri, quando poſſidentur ſuperflua.

24. *Nota.* Quantum quidem ad dominium & ad proprietatem, ſuperflua ſunt quidem diuitum; ſed quoad vſum non ſolùm ſunt diuitum, ſed etiam pauperum, quibus ſuſtentari debent.

Diuites ſũt diſpenſatores.

Nota ſecundò. Diuites dicuntur diſpẽſatores, quia obligãtur ad diſpẽſandũ & ad diſtribuẽdũ ſuperflua, non ex lege iuſtitiæ, ſed charitatis.

Nota tertiò. communes neceſſitates pauperum, ſi ſigillatim ſumantur, quamuis non ſint tanti momẽti, vt, ſiquis eis non ſuccurrat, peccatum incurrat, cum ita accidat, vt cum ab vno non ſubleuatur, ab alio ſubleuari ſoleat: tamen verendum eſt, vt ſi ſæpiùs negligantur, & illorum communi neceſſitati non ſuccuratur, quód poterunt notabilem neceſſitatem incurrere; atq; ſic verendum ne ad extremam redigantur: vnde vnicuiq; qui habet ſuperflua, apud ſe conſtituendum, vt quorum poteſt, ſubleuet egeſtatem.

Obiectio.

25. *Quæres.* An ille ſatisfacit præcepto de danda eleemoſyna, qui extremè, aut grauiter indigenti, non abſolutè ſuccurrit, ſed aut mutuando, aut vendendo, aut aliquem contractum oneroſum faciendo? *Reſpondeo,* quód is, qui eſt in extrema neceſſitate, dupliciter conſiderari poteſt: *primò,* quód ita eſt egenus inops, vt iam nulla bona habeat, nec habeat vllam artem, aut induſtriam, aut vires, per quas acquirere poſſet; ſed mendicando victum quæritat, vt ſunt claudi, cæci, morbo inſanabili laborantes; aut ſenectute confecti. & tali in extrema neceſſitate eleemoſyna facienda, quæ eſt, & debet eſſe gratuita donatio rei neceſſariæ, ad inopiã ſubleuãdam. Sed is, qui cõmodat, non dat gratis, ſed cum onere reddẽdi. ergo tali non commodandum, ſed donandum. *Secundò,* hic, qui eſt in neceſſitate, aut nulla bona habet, ſed habet artẽ, induſtriam, vires, per quæ bona comparare ſibi poteſt: aut in hac regione, in qua extremam neceſſitatem patitur, non habet bona, ſed in alia, vt in patria habet. Et his per modum

Homo in extrema neceſſitate dupliciter cõſideratur.

modum mutui concedi debent bona, ad ſubleuandam neceſſitatem. Eius rei exemplum habetur apud Tobiam, qui Gabelo, accepto ab eo chyrographo, in neceſſitate pecuniam ſubminiſtrauit.

Nota. quód ſi ſit aliqua res, quæ vſu non conſumitur, ſed manet; tūc in extrema neceſſitate mutuò dari poteſt: vt ſi quis ſit in periculo vitæ, illi æquum commodare tenemur, non autem donare, quoad vitam ſuam è periculo eripiendā, vti poſſet.

Dubium. 26. *Quæres.* ſecundò. An omittens eleemoſynam tempore neceſſitatis, ceſſante neceſſitate tenetur ad reſtitutionem? *Reſpondeo negatiuè* nō teneri. *Ratio.* Reſtitutio enim ſolùm eſt earum, rerū quarū quis dominio ſpoliatur. vnde ad iuſtitiam ſpectat, quæ ius ſuum vnicuiq; tribuit, vt reſtituantur. Sed eleemoſyna extremè indigenti ſolùm ex charitate debetur. *Tum* indigēs in res poſſeſſas à diuite non habet dominium.

Obiectio. *Dices.* habere illum ius, naturæ; nam tempore neceſſitatis omnia communia? *Reſpondeo*, ita quidem habere ius, ſed durante tempore neceſſitatis; ſed poſtquam ceſſauit neceſſitas iam nihil iuris habet.

Solutio eius.

Obiectio altera. *Sed rurſum dices* patrum eſſe ſententiam, quòd illa, quæ ſunt ſuperflua diuitibus, ſint pauperum? *Reſpondeo* eſſe pauperum, quia illis debeant communicari, quando illorum neceſſitas poſtulauerit, ita, quód ſi diues auarus, tenax id omiſerit facere, tempore neceſſitatis, eſt raptori ſimilis, qui alienum rapit; ſed ſimilis in culpa; quia perinde peccat, ſed non ſimilis in obligatione ad reſtituendum. Quanquam D. Th: quodl: 6. art. 12. dicit, quód diues tempore neceſſitatis, non faciens eleemoſynam ex ſuis ſuperfluis, non peccat, tanquam alienum ſibi vſurpando, ſed peccat abuſu rei ſuæ, eam non erogando, quando oportet.

Solutio eiuſdem.

Dubiū tertium. 27. *Quæres tertiò.* An extremè egens poſſit licitè rapere, inuito domino rem aliquam, ad ſubleuandam ſuam neceſſitatem? *Reſpondet*, S. Doctor hic quæſt: 32. art. 7. ad 3. & dicit Licere ei, qui talem neceſſitatem v. extremam patitur, accipere de alieno, ad ſui ſuſtentationem, ſi non inueniat, qui ſibi dare velit. Et *Ratio eſt.* Quia in caſu extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia; vnde dico, vt quis licitè rapere poſſit duo ad hoc requiruntur: *Primò*, quód ſit in extrema neceſſitate; *ſecundò*, quód ita egenti, & roganti nemo velit eorum tribuere, qui habent ſuperflua naturæ. licet ſint ſtatui neceſſaria: & tunc licebit tollere de alieno. ſed quód ſolum ſit neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem. Si quis autem inuito, & non rogato domino rapiat, non peccabit quidem abſumendo, ſi ſit in extrema neceſſitate, ſed actus ille non excuſatur à peccato furti, quia inordinatè proceſſit, non præmittēdo petitionem. Quamuis hic Bannes dicit. quód ſi vir ſit honeſtus, qui erubeſcat mendicare, poſſe eum ſine petitione tollere. *Sed contrarium eſt tutiùs.* quia Chriſtianum eſſe eſt ſumma nobilitas, & viro Chriſtiano mendicare non eſt pudor; quia hoc viri ſancti non erubeſcebāt, & Saluator ex eleemoſy-

 nis

nis vixit. *Tum* hic vir cogitare ſecùm debet, non ſine Diuina prouidentia eam egeſtatem ſibi contigiſſe: nam aut ad peccatorum abolitionem, aut ad exercitium plurimarum virtutum. Et Nauar. hunc pudorem appellat vanam ſuperbiam: ſi tamen ſurripuerit ad reſtitutionem non tenetur; quia erat temp⁹ extremæ neceſſitatis, in quo omnia communia. Domin. Soto docet lib. 5. de Iuſt. & Iure quæſt. 3. art. 4. talem virum honeſtum debere ſuam neceſſitatem magiſtratui denuntiare, antequam alienum rapiat, ne omnia promiſcuè furtis impleantur.

An ex iniuſtè acquiſitis ſit eleemoſyna facienda?

28. *Quæres quartò.* an ex iniuſtè acquiſitis ſit eleemoſyna facienda? *Reſpondeo* conſiderando generaliter id, quod eſt iniuſtè acquiſitum, dico illud eſſe, quod modo illicito eſt paratum, aut per præuaricationem alicuius præcepti; aut quia eſt contra iuſtitiam; aut contra aliam virtutem. Sunt autem tres modi, quibus aliqua bona iniuſtè acquiruntur.

Tres modi quibus aliqua bona iniuſtè acquiruntur.

Primus quando res acquiſita debetur alteri ex iuſtitia ita, quód ab eo, qui illam rapuit, non poſſit licitè detineri: vt ſunt omnia acquiſita per rapinam, furta, vſuras, & ex his eleemoſyna non debet fieri. *Ratio* quia eleemoſyna ex his bonis, quæ ſunt poſſidentis, fieri debet: ſed ſic rapta, aut per vſuras extorta, ſunt alterius. ergo illi reſtitui debent: ſi tamen fuerit tēpus extremæ neceſſitatis, poterūt erogari, maximè ſi is reperiri non poſſit, à quo iniuſtè ſunt ablata, & tunc in eleemoſynas, & in alios pios vſus conuerti poſſunt.

Secundus eſt quando res iniuſtè acquiſita, eſt ei⁹ conditionis, quód neq; ille, qui acquiſiuit poteſt eā retinere, neq; illi, à quo eſt ablata reſtitui debet, qualia ſunt bona per ſimoniam acquiſita, & ex his commodè eleemoſyna fieri poteſt.

Tertius modus, quo res iniuſtè acquiſita dicitur, cùm rem iniuſtè acquiſitam poſſumus licitè detinere, quamuis illius acquiſitio ſit illicita, vt eſt pretium, quod aliqua perſona accipit, pro actu fornicationis, aut homicidij, & ex illo pretio poteſt eleemoſynam facere: quamuis legamus Deut. 13. vbi prohibetur ne proſtibuli merces in domum Dei inferatur. *Ratio* quia hi actus licet iure ſint prohibiti, ſed tamen detentio mercedis ex illo actu non eſt prohibita; vnde iuſtè detineri poteſt, & per conſequens ex eo fieri eleemoſyna.

An ex acquiſitis per ludum ſit eleemoſyna facienda?

29. *Quæres vltimò* quid ſentiendū de acquiſitis per ludum? *Reſpondeo & dico.* Iudum chartarum, talorū, & quemuis alium, tanquam occaſionem multorum malorum, & iure Ciuili, & Pontificio eſſe ſimpliciter, & abſolutè prohibitum; ita, quód annullant tranſlationem dominij factam per ludum, & is qui acquiſiuit, tenetur ad reſtitutioné, & apud iudicem repeti poteſt.

De hac re D. Th. hîc ad 3. art. 7. talis eſt reſolutio: *Si ludens ab illū lucratur, qui non poßunt res ſuas alienare; ſicut minores, vt filij, qui ſunt ſub poteſtate patris, pupilli ſub regimine tutorū.* & ex eo lucro non poteſt fieri eleemoſyna; ſed qui lucrifecit, tenetur ad reſtituendum. *Similiter* ſi quis benè exercitatus cupiditate lucrandi; alium minus verſatum trahat

trahat ad ludum, etiam ad reſtituendum tenetur, nec poteſt de illo eleemoſynam facere. *ſi* autem ab eo lucratus eſt, qui eum ad ludum pertraxerit, & in hoc caſu ſi aliquid amiſit, non eſt dignus, vt illi reſtituatur, & de hoc poteſt fieri eleemoſyna, modò in lucrando abſit omnis fraus, & violentia. *Id tamen ſeruandum eſt pro regula,* quando aliquid ex iure ciuili poſitiuo eſt illicitum, eò quód prohibetur tale lucrum; ideo hi, qui talibus legibus ſunt obſtricti, tenentur ad reſtitutionem lucri.

Quis modꝰ in eleemoſynis diſtribuẽdis ſeruandus?

30. QVANTVM *ad tertium.* quiſnam modus in diſtribuendis eleemoſynis ſeruandus?. Dico primò. *ex parte largientis hic ſeruari debet, vt in largienda eleemoſyna ſeruet proportionem ſuarum facultatum*: vt enim illa eleemoſyna vituperabilis eſt, quę ſic eſt exigua, vt non poſſit inopiã pauperis ſubleuare, ita & hæc non meretur laudem, per quam quis in copia effundit bona, & ſe ad egeſtatem redigit. Et *ratio eſt.* quia turbatur ordo charitatis, qui vult vt noſtri priorem dilectionem habeamus, ita & priorem prouiſionem neceſſitatum noſtrarum. Hunc modum Tobias præſcripſit. *Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.*

31. Dico ſecundò. *ex parte recipientis duplex eſſe poteſt modus in largiẽdo: primus* per quẽ ſufficienter proximi indigentis miſeriam ſubleuamus, & ſic eſt verè eleemoſyna; nã ad hoc ordinata eſt: *ſecundus* quando indigenti tribuimus vſq; ad ſuperfluitatem, & ſic iam non eſt eleemoſyna, ſed prodigalitas. Pulchrè Gloſſa dicit: *Cautela hæc in diſtributione ſeruetur, vt non vni ſed multis detur, vt pluribus proſit.*

Ex parte recipientis duplex eſt in largiendo modus.

Quæres, quidnam ſit melius, an multos imperfectè, an paucos perfectè per eleemoſynam iuuare? *Reſpondeo.* Qui tantarum facultatum eſt, vt vtrumq; commodè præſtare poſſit, valde eſt laudabile. Si verò non poteſt. præſtat plures licet imperfectè iuuare: quia bonũ quantò communius, tantò eſt melius. & diligenter prouidẽdum eſt. ne dum aliqui quoſdam perfectè iuuant, prætermittant minutiores eleemoſynas, ex quarum intermiſſione, pauperes in communibus neceſſitatibus neglecti, ad egeſtatem reducerentur.

Quodnam ſit melius an multos imperfectè, an paucos perfectè per eleemoſynam iuuare.

QVÆSITVM V.
Quinam poſſunt, & debent eleemoſynas diſtribuere?

1. TRia nobis decidenda. *primò*, qui poſſunt? *ſecundò*, qui non poſſunt? & ſi, & in quantum aliquando poſſunt. *tertiò*, qui maximè & poſſunt, & debent?

Qui poſſũt eleemoſynas diſtribuere?

QVANTVM *ad primũ.* Dico. quód *hi poſſunt, qui habent proprietatem rerum temporalium, earumq́; liberam, & non dependentem diſpenſationem.* RA-

TIO. Quia eleemoſyna eſt ſubleuatio egentis, per ſubminiſtrationem alicuius rei, quâ ſubleuari poſſet, ita, quód iam illius rei, quã indigenti ad vſum damus, fiat alienatio. Sed nemo ſecundùm iuſtitiam alienare poteſt, niſi quod illi eſt proprium, & illius liberam diſpenſationem habet. ergo hi ſolùm poſſunt.

Qui eleemoſynas largiri non poſſunt? 33. QVANTVM *ad ſecundum*, qui non poſſunt? Dico. *quod D.Th. hîc quæſt: 32.art.8 quatuor genera perſonarum ſtatuit, quæ ob ſubiectionem impediuntur à facienda eleemoſyna*: primò *vxores, quæ ſunt in poteſtate virorum*: ſecundò *Religioſi, qui ſunt in poteſtate ſuperiorum.* tertiò *Filij qui ſunt in poteſtate parentum*: quartò *Serui, qui ſunt in poteſtate dominorum.*

Vxores nõ poſſunt. *Quoad vxores*, hæc eſt ratio. quia hæ, quamuis habeant dominium, tamen quoad diſpenſationẽ ſunt ſubditæ viris. D. Th: hîc addit, quód ſi vxores præter dotẽ, quam pro tuenda re familiari, & ad ſupportanda onera matrimonij contulerunt, habent aliquas priuatas res, aut lucrum acquirunt ex aliquibus mercibus; tunc poſſunt non requiſito viri conſenſu ex eo eleemoſynas facere.

Qui & quot ſunt caſus in quibus vxores viri conſenſu non habito eleemóſynas diſtribuere poſſunt? 34. Summiſtæ ſex enumerant caſus, in quibus vxores non habito conſenſu viri poſſunt eleemoſynas diſtribuere. *Primus*, ſi hoc ſpectaret in bonum mariti, ad liberandum eum ex aliquo periculo, vt fecit Abigai, quæ oblatis panibùs & vtribus vini, placauit Dauidem, ne virum eius occideret. *ſecundus*, ſi vir ſit homo impius, crudelis, flagitioſus; tunc ad iram Dei ab illo auertendam, poteſt moderatas facere eleemoſynas. *tertius*, quando maritus eſt abſens, nec diſpenſatorem reliquit, mulier autem abſente viro, eſt caput domus. *quartus*, quando maritus eſt amens, furioſus, nec tutorem habet. *quintus*, ſi parentes vxoris egeant, aut filij eius, quos ex priori matrimonio ſuſcepit: & ſic & parentes, & filij cum habeant ius petendi alimenta ab ea, poterit eos ex communibus rebus, maximè ex bonis ſuâ induſtriâ quæſitis, ſuſtentare. *ſextus*, ſi per viri malam adminiſtrationem, damnum in ſuis bonis dotalibus accepit, tunc ad eleemoſynas faciendas poterit ex bonis viri accipere, quoniam ab illo læſa eſt in ſuis.

35. *Quoad Religioſos* hæc eſt ratio, quód ſine expreſſo conſenſu Religioſi eleemoſynas facere nõ poſſunt. ſuperiorum non poſſunt: Quia hic eſt ordo naturalis, quód inferiora ſecundùm regulam ſuperiorum regi debent in his, in quibus ſubiiciuntur. & quia per votum paupertatis abdicarunt ſe rebus temporalibus, idcirco vt in voto, ita & in rebus temporalibus, ſuperiori ſubiiciuntur.

Bannes dicit. quód religioſi, dum ſunt in via, aut in ſtudio, ex his rebus, quæ illis ad viaticum ſunt conceſſæ, poſſunt communes facere eleemoſynas, occurentibus mendicantibus, aliquid pro ſubſidio tribuendo, etiam ſi conſenſum non habuerint. *Ratio*. Quia ſuperiores, dum illis tribuunt bona, non ſunt ita rigidi, & inurbani; vt nolint eos aliquid ex illis largiri pauperibus. Filij non poſſunt eleemoſynas facere.

Quoad Filios. dico quód hi, ſi habent bona, quæ ſuis laborib⁹ promeruerunt

meruerunt, aut in militia, aut in ſeruitio, aut mun⁹ lect: obeundo, ex his poterũt largiri eleemoſynas.

Serui ex quibus poſſunt eleemoſynas diſtribuere?

Quoad Seruos dico, quód ex his, quæ illis in alimentum dãtur, poſſunt eleemoſynas facere, ſubtrahendo ſibi aliquid de illo cibo dato *Ratio*, quia illud alimentum illis datum, cenſetur eſſe illorum dominium, cum quo liberum eſt illis, quod velint facere.

Qui maximè & poſſunt & debent eleemoſynas facere?

36 QVANTVM *ad tertium.* Quinam maximè & poſſunt, & debẽt? Dico *quód Miniſtri Eccleſiaſtici.* De hac re vide Nauar: in eius tract: de Red: Eccleſiaſticis & dom: Soto l. 10. de iuſt: & Iure qu: 4. art. 3. Interim inhærendo doctrinæ S. Doct. dico quód *Perſonæ Eccleſiaſticæ (vt Epiſcopi, & alij Clerici Beneficiati) ante alios ſtrictiùs obligantur ad eleemoſynas largiendas* PROBATVR. obligantur & ratione perfectionis, & ratione officij. ergo arctiori vinculo tenentur. *Antecedentis prima pars.* quia Epiſcopi ſunt in ſtatu ſummæ perfectionis: vnde vniuerſo ſuo gregi debent eſſe exemplar propoſitum, omnium bonorum operum: ergo & charitatis & miſericordiæ erga proximos. *Confirmatur.* hoc confirmant verba Chriſti, quibus D. Petrum ad Epiſcopatum promouendum alloquitur: *Diligis me plùs his*: ideo de charitate principaliter inquirit; quia hoc ad perfectionẽ Paſtoris ſpectat. Quod ſic Gloſſa explicat: *Paſcere oues, eſt credentes confortare, ne deficiant & terrena ſubſidia. ſi neceſſe eſt, ſubditis prouidere.* Hinc nonnulli religioſos à prædicatione Verbi Diuini (quod eſt officij Epiſcopalis) arcebant, quód licet haberent verbum vitæ, tamen ob profeſſionem paupertatis non poterant neceſſaria prouidere. hoc ſuadent & illa verba: *Vos eſtis ſal terræ, lux mundi, ciuitas poſita ſupra montem. Hoc ideo vt omnes videant opera veſtra bona, maximè charitatis & miſericordiæ, & glorificent Patrem, qui eſt in cælis.*

Perſonæ Eccleſiaſticæ ſtrictiùs obligantur quám alij ad eleemoſynas largiendas.

37. *Secunda pars Antecedentis probatur*: Epiſcopi ex officio ſuo, quod Paſtoris ſuſtinent, in charitate alios antecellere debent, & obligantur, vt pro ſalute gregis Chriſti, vitam ſuam periculo mortis exponant. ſed contingit ſæpenumerò, quód ſalus animarum periclitetur ob egeſtatem rerum temporalium (vt Soto deducit lib. 10. de Iuſt. & Iure, quæſt. 4. art. 4. Concl. 2.) ergo ne oppreſſi paupertate in aliquod peccatum incidant, prouidere debent. D. Greg. hom 14. ſuper Caput Ioan. *Ego ſum Paſtor bonus*, dicit; *primum* eſſe officium Paſtorum, exteriora noſtra ouibus impendere; *alterum* verò, ſi neceſſe eſt, etiã mortem pro ijſdem ouibus ſubire. Et inferiùs dicit; *Qui non dat ſubſtãtiam pro ouibus, quando is daturus eſt animam ſuam? ſiquidem longè melior eſt anima, quâ viuimus, quàm terrena ſubſtantia.* ergo ex officio obligantur ad eleemoſynas.

An perſonæ Eccleſiaſticæ mortaliter peccent ſi non largiantur eleemoſynas?

38. *Quæres* quodſi non largiantur, an mortaliter peccent? *Reſpondeo* cum S. Doct. *2. 2. quæſt. 185. art 2.* quód Epiſcopi, & alij miniſtri Eccleſiaſtici, duplicia bona habere poſſunt: *primò* propria ſeu hæreditaria, & horum dominium habent, vnde non obligantur, vt ea alijs conferant, ſed poſſunt ea ſibi retinere, vel etiam pro voluntate alijs elargiri. In diſpenſatione tamen horum

Eccleſiaſtici miniſtri quotuplicia bona habere poſſunt?

horum bonorum poſſunt peccare, vt quód plura ſibi conferant, quã oportet, aut etiam exigente neceſſitate, quód ex his alijs non ſubueniant; propter omiſſionem autem non tenentur ad reſtitutionem, cũ ſint res eorum dominio ſubditæ.

Secundò habent bona Eccleſiaſtica, & horum non domini, ſed ſolũ diſpenſatores ſunt. vnde 1. Corint. 4. dicitur: *hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Et D. Aug. ad Bonif. Papam inquit: *Si priuatim poſſidemus, quod nobis ſufficiat, non illa bona noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem gerimus; nec proprietatem illorum nobis vſurpatione damnabili vindicemus.* Si igitur Eccleſiaſtici miniſtri ſunt diſpenſatores, in his bona fides requiritur; vnde ſi non erogent id, quod erogandũ eſt in vſus pauperum, mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenẽtur. *Et ratio eſt.* quia bona Eccleſię in quatuor portiones ſunt diuiſa: *prima* Epiſcopis, & illorum neceſſitatibus aſſignatur: *altera* Clericis: *tertia* Fabricæ Eccleſiæ: *quarta* Pauperibus. Et hæc diuiſio facta eſt tẽpore D. Aug. & Hieronymi, & per Simplicium Papam, & Gelaſium eſt confirmata: ſi ergo ab Epiſcoporum bonis ſunt pauperũ diuiſa bona; idcirco ſi illa non erogant, peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem.

Bona Eccleſiæ in quot partes diuidantur?

39. Hæc diuiſio bonorum Eccleſiaſticorum in quadruplicem portionem, quomodo vim habeat? docet Caiet. ſi prouentus Epiſcopi aut præbendæ Clericorum, ſunt tenues, aut mediocres, quód vix ſufficiant pro ſuſtentatione ipſorum miniſtrorum, & ſi quid abundat, id exiguum eſt, quod in iure pro nihilo computatur, ideo hi ad talem diſtributionem bonorum nõ obligantur: ſed quando reditus ſunt pingues, omnino obligantur, nec vllá conſuetudine portio pauperum abrogari debet; ſi enim Clerici ſunt excluſi à portione bonorum Epiſcopalium, hoc ideo accidit, quia habent proprios prouentus ex bonis Epiſcopalibus ſibi aſſignatis; ſed reliquæ portiones, Fabricæ & pauperibus, ex iure debentur.

Diuiſio bonorum Eccleſiaſticorum quomodo vim habeat?

Dices quód illa iura, per quæ hęc diuiſio facta eſt, ſunt abrogata per contrariam conſuetudinem? *Reſpondet Caiet.* hunc eſſe abuſum non conſuetudinem, & multa per patientiam tolerantur, quæ in iudicio poſſent redargui. *Tum* ſit abrogata iſta quarta portio bonorũ, quæ pauperibus debetur: atqui id, quod eſt iuris Diuini, abrogari nõ poteſt. quia Epiſcopi ſunt Patres pauperum, ſunt templorum ſuorũ reparatores. ergo ſi à quota poſſint excuſari, tamen à fideli diſtributione, & ſubuentione excuſari non poſſunt.

Obiectio cum ſolutione.

40. *Nota primò* ex D. Th. quód Epiſcopus, & alius Miniſter Eccleſiaſticus, ſi aliquid tribuit conſanguineis, non peccat; dummodo illud moderatè faciat, hoc eſt, vt nõ indigeant, non autem ditiores indefiant. ita D. Ambr. lib. 2. offic. cap. 30 *Hæc eſt approbanda liberalitas, ſi vt proximos ſeminis tui ne deſpicias, ſi egere cognoſcas; non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.*

Perſona Eccleſiaſtica tribuens aliquid conſanguineis quando non peccat?

Nota ſecundò in articulo neceſſitatis, in quo etiam redemptione capti-

In articulo neceſſitatis prouentus Eccleſiaſtici pauperibus ſunt diſtribuendi.

captiuorum includimus, prouentus Eccleſiaſtici ſunt pauperibus diſtribuendi, atq; etiam vaſa cultui Diuino dicata conflari debent, & Clericus habens propria bona ex patrimonio peccaret, ſi ex illis viuere recuſaret, vt Eccleſiaſtica cedant neceſſitati pauperum. ita D. Ambr. lib. 2. off. cap. 28.

Obſerua. *Nota tertiò*. ſi quis non vrgente neceſſitate pauperum de his, quæ ſuperflua ſunt, aut emat poſſeſſiones pro Eccleſia, aut in theſaurum reponat, quo ſit neceſſitati Eccleſiæ in futurum proſpectum laudabiliter facit: ſi autem neceſſitas opprimat pauperes, id omnino nō eſt faciendum, ſed in vſus pauperū diſtributio facienda.

DISPVTATIO XI.

De Correctione fraterna, tertio effectu externo Charitatis.

Doctrinam eius quatuor Quæſitis expediemus:

1. *Quid ſit?*
2. *An ſit ſub præcepto?*
3. *A quibus inſtituenda?*
4. *Quis modus in ea ſeruandus?*

QVÆSITVM I. Quid ſit Correctio fraterna?

Act⁹ adhortationis quotuplici nomine appellatur?

1. SVppono primò, quód hic act⁹ adhortationis, quē impendim⁹ proximo noſtro, vt emendatior euadat, duplici appellatur nomine *Correctionis*, & *Correptionis*, inter quæ D. Aug. lib 1. de Ciuit. Dei cap. 9. videtur diſtinguere, cùm ſic dicit: *quoſdam nolle corripere, cùm fortaſſe poſſint corrigendo corripere*. ex quo apertè colligimus, quód correptio ſit quædam reprehenſio, ſiue monitio, quam non ſemper emendatio proximi ſequitur: correctio verò eſt adhortatio, quæ ſortitur emendationem. His tamen nominibus promiſcuè vtuntur Doctores, ad ſignificandum actum, quo proximum mediāte monitione cupimus in melius vitam commutare, & ſi-

Quomodo differat correctio à correptione?

Quid correptio & correctio?

cut non eſt in poteſtate medici, vt ſemper ſanitatem aſſequatur, ſed ſolùm vt medicinam adhibeat; ſic in correptione fraternâ, in noſtra eſt poteſtate, vt à vitijs ad viam virtutis inducamus, ſed quód hoc ita ſemper euenire debeat, hoc iam noſtram excedit poteſtatem: vnde niſi gratia Spiritus S. afflauerit mentem eius, qui corripitur, peccator ad pias actiones non ſe attollet. De qua re D. Aug. Serm 16. de Verbis Domini.& in lib.de Correptione & Gratia.

Cur correptio dicatur fraterna?

2. *Suppono ſecundò* hanc correptionem ideo dici fraternã: *primò* quia non iudiciaria poteſtate, ſed priuata fit: *ſecundò* quia non ſemper à ſuperiori, ſed etiam à pari & à ſocio: *tertiò* quia non punitionem, ſed emendationem intendit: *quartò* quia non ſeueritate iudicum in reprehendendo vtitur, ſed quandam ſuauitatem adhibet; ita, quód ad cor videatur loqui. & animum emolire. Hoc ſuppoſito.

Correctio eſt act⁹ charitatis à miſericordia elicitus.

Dico ad Quæſitum *Correctio eſt actus charitatis, à miſericordiâ elicitus, per quem intendimus à ſpirituali miſeriâ proximum eripere.* Ideo eſt actus charitatis; quia ad charitatem ſpectat, bonum proximi procurare. Sed per correctionem, remouendo malum, in eius locum reſtituimus bonum, hoc eſt, emendationem vitæ. Ideo autem elicitur à miſericordia; quia miſericordiæ eſt proprium commoueri ſuper miſeria proximi: & cum miſeria ſit duplex Corporalis, quam eleemoſyna corporali ſubleuamus; & ſpiritualis, quam ſpirituali eleemoſynâ, qualis eſt correptio, iuuam⁹.

Quomodo correctio eleemoſynâ ſit præſtantior?

Hinc collige, præſtare correctionem Eleemoſynæ, ideo, quia correctio ſpiritualem miſeriam remouet, quæ longè grauior eſt, quàm quæuis corporalis.

Actus correptionis an ſemper à miſericordia immediatè eliciatur?

3. *Quæres.* An hic actus correctionis ſemper à miſericordia immediatè eliciatur? *Reſpondeo*, quód motiuũ eſt fraternæ correctionis peccatum: quod duplici modo conſideratur; *primò* quód in æternum à Deo ſeparat, & cum igne gehennæ conſociationem peccatoris facit; & hinc commouemur miſericordia, & ex compaſſione erga proximum, elicimus immediatè actum correctionis; ne in tantum malum, quod eſt paratum Diabolo, & Angelis eius, deueniat: *ſecundò*, quód peccatum ſit Dei offenſiuum, & eum, in quo eſt, abominabilem Deo reddit, & ſic immediatè eſt à charitate.

QVÆSITVM II.
An Correctio fraterna cadit ſub præceptum?

Correctionem fraternam facere ſub præcepto Diuino obligamur?

4. AD Quæſitum dico primò. *Ad faciendam fraternam correctionem, obligamur præcepto Diuino.* PROBATVR teſtimonijs Scripturæ. Leuit: 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum.* Sed odio habere fratrem eſt peccatum; & qui

qui non corripit, odit. ergo non corrigere eſt peccatum. Et Eccleſiaſtici 19. *corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci.* Hic locus monet, vt & hic, qui ex ignorantià peccat, corripiatur. Et Mat. 18 *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum.* Et Lucæ 17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum. & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Et D. Auguſt: Serm. 16. de verbis Domini dicit. *Si neglexeris corrigere, peior Deo factus es, qui peccauit.* Atqui hic, qui non correxit, nihil actu commiſit mali. & tamē dicitur eſſe peior peccante, ideo, quód omiſit corrigere Ergo omiſsio correctionis eſt peccatum. ergo cadit ſub præcepto.

Correctio fraterna iure naturali præcipitur.

5. Dico ſecundò. *Correctio fraterna, etiā iure naturali præcipitur.* Plato lib. 10 de legib ponit & caſum, & legem *Quodſi quis ore impio, blaſphemum quid contra Deum loquetur; & eo nomine in carcerem miſſus fuerit, ad eum viri ſapientes, & probi adducendi, qui eum ad pietatem erga Deum exhortentur.* Idem Ariſt. lib 9. Ethic ca. 3 cōfirmat, vbi monet ob aliquod amici delictum; non ſtatim ſoluēdam eſſe amicitiam, ſed ſi ſit corrigibilis, magis illi auxilium monitionis, quàm pecuniæ ferendum. Et *Ratio eſt prima.* Homo enim à bono ad malum. & à malo ad bonum flexibilis eſt, quod accidit ob libertatem arbitrij; vnde perſuaſionibus ad bonum adduci poteſt. *Ratio eſt ſecunda.* Nam quiuis agnoſcit lumine naturæ, maius eſſe malum miſeriam ſpiritualem, quàm corporalem. ſed obligamur ad ſubleuādam miſeriam corporalem proximi. ergo tantò magis ad ſpiritualem, qualis eſt correctio. *Ratio tertia* Lex naturæ dictat, vt, cum videmus bouem proximi, aut aliud iumentum aberrare, illud in viam reducamus. ergo multò magis tenebimur proximum aberrantem, in viā virtutis reducere. *Ratio quarta.* Omnes nos ſumus membra vnius congregationis, tanquam vnius corporis. ſed membra naturali inſtinctu mutuò ſe fouent, & iuuant. ergo tantó magis homines eiuſdem ſocietatis, iuuare ſe debent per correctionem.

6 Dico tertiò *Hoc præceptum correctionis extendit ſe ad omnes proximos.* PROBATVR. Quia præceptum correctionis naſcitur ex præcepto charitatis. ſed ad quemuis proximum diligendum obligamur præcepto charitatis. ergo & ad corripiendum.

Præceptum correctionis extedit ſe ad omnes proximos.

Obiectio.

Sed dices, Præceptum correctionis eſt in his verbis. *Si peccauerit in te frater tuus.* ergo correctio extēdit ſe ad fratres, & nomen *fratris* nō extendit ſe ad omnes proximos? *Reſpondeo*, in hoc allegato loco Scripturæ, Chriſtum docere, quomodo cum fratribus peccātibus nos gerere debeamus, ſ: vt, ſi peccauerint, eos ex charitate corripiamus ſed per hoc non excluditur correptio aliorū proximorum. *Tum.* (vt Theophilactus dicit) ſolùm hic docetur, quód non ſit eadem ratio correptionis eorum, qui ſunt foris; quia hi primò in rebus fidei ſunt inſtruendi: ſi autem in illis ſit ſpes melioris vitæ, etiam corrigendi.

Solutio eius

Obiectio altera.

7. *Sed rurſus dices*, in præcepto correptionis addi, *Si is, qui corrigitur, non auſcultauerit, ſit tibi tanquam ethnicus*, hoc eſt, vltra non eſt corrigendus, ſicut Ethnici à Chriſti-

anis

Solutio eiuſdem. anis non corriguntur? *Reſpondeo.* Hoc verbum *Sit tibi tanquam Ethnicus* ſolùm ſignificat, quòd ſit à communione fidelium præſcindendus nec cum illo conuerſandum, ſicut conuerſationem Ethnicorum vitamus: ſed inde non colligitur, quòd Ethnici non ſint corripiendi, ſi ſit ſpes illos lucrandi: illorum tamen ſocietas vitanda, ne illorum opera ex conuerſatione condiſcamus.

Proximus ordinariè eſt corrigendus? Dico quartò. *Proximus ordinariè de peccatis mortalibus eſt corrigendus.* PROBATVR. quia per peccatum mortale perditur proximus, ad quem lucrandum datur præceptũ. Matth. 19. *Si te audierit, lucratus eris proximum tuum.* ergo perierat, vnde mortaliter peccauerat: ergo propter mortale corripiendus.

Quando ob veniale corripiẽdus 8. Dico quintò. *Quando conijcimus, quód ex peccato veniali probabile periculum peccati mortalis ſubſequatur, etiam tunc veniale erit materia correptionis.* PROBATVR. ſi enim obligamur ſub mortali peccato, ad ſubueniendum homini, cum eſt in periculo mortis corporalis; multò magis obligamur, cùm verſatur in periculo mortis ſpiritualis. ſed is, qui venialiter peccat, poteſt eſſe expoſitus periculo incidendi in peccatum mortale. ergo tunc ex veniali corrigẽdus. Ita D. Paul. videtur corripuiſſe D. Petrum, ex modo conuerſãdi cum Iudæis, ex quo ſcandalum oriri poterat in his, qui ex gentilitate ad fidem conuertebantur. ſed D. Petrus, qui erat plenus Spiritu S. non poterat mortaliter peccare in eo, ſed ſolùm venialiter. nam bona fides, & inanimaduertentia excuſabat eum à mortali. ergo de veniali corripiendus proximus, quando præuidetur periculum mortalis.

Obiectio. 9. *Dices* quód non ſpectata conditione appoſitá, debere nos ſimpliciter de veniali corripere proximũ *Ratio*, quia veniale peccatũ eſt malum ſpirituale, & quouis malo corporali grauius. ergo ſi in graui neceſſitate corporali ſuccurrimus proximo; multò magis in malo ſpirituali ſiquidem eſt maius corporali. *Reſpondeo* abſolutè loquendo, veniale eſt maius malum, quàm quoduis corporale. ſed idem veniale, ſi in ſuo ordine ſpectetur, nõ importat talem neceſſitatem ſubueniendi, quemadmodum malum graue corporale, quod grauem indigentiam inducit: vnde malum quod per veniale inducitur, in ordine ad alia mala ſpiritualia, ſolùm ſe habet ſicut communis neceſſitas, aut vt quædam imperfectio, aut ſicut grauedo, ſeu indiſpoſitio in corpore: & ſicut in neceſſitatibus communibus indigentiũ, non obligamur ſub peccato ad ſubueniendum; ita nec ad corrigendum ex venialibus obligamur ſub peccato. Solutio obiectionis.

De peccatis præteritis an ſit proximus corripiendus? 10. *Quæres* an de præteritis peccatis ſit corripiendus proximus? *Dico*, ſi hæc ſint mortalia, & in illis perſiſtit, omnino corrigendus. ſi verò de præteritis pœnitentiam egit, & vitam in melius commutauit, non teneor ad illum corripiendum de præteritis.

Ad de peccatis futuris? *Rurſum quæres*, quid de futuris tenendum? *Dico* ſi probabiliter colligimus, quód quia cum hominibus flagitioſis conuerſatur, ex eo incidere poteſt in peccatum: tunc de fu-

de futuris corripiendus, quia in periculo peccati mortalis verſatur.

Obiectio.

11. *Dico tertiò*, videtur eſſe veriſimile, quód ſolùm de his peccatis, quæ proximus in nos commiſit, ſit corrigendus: nam dicitur; *ſi peccauerit in te frater tuus?*

Solutio ei°

Reſpondeo quód non ſolùm de his, quæ in nos cōmiſit, ſed de omnibus ſiue in Deū, ſiue in alios homines fuerint commiſſa, corripiendus. *Ratio.* quia correptio non eſt in eum finem inſtituta, vt læſio, aut iniuria nobis illata compenſetur, ſed ne proximus noſter pereat. ſed per quoduis mortale perit, ſiue in nos, ſiue in Deum, ſiue in alios fuerit commiſſum. ergo ex omni corripiend°.

Ad obiectionem dico hanc particulam *in te* non ſolùm includere peccata, quæ in nos, ſed etiam quæ in Deum, & quæ in alios proximos committuntur. *Primò* quód contineat peccata in Deum. D. Aug. docet, quód qui in Deum peccat te præſente, non ſolùm Deum, ſed etiam te offendit, qui es amicus Dei: ſicut, qui in præſentia filij patrem ignominiâ afficit, non ſolùm in patrem, ſed etiam in filium peccat. *Secundò* particula *in te* comprehendit peccata, & in alios commiſſa. nam ſi peccatum fratris in nos cōmiſſum, quod fraterna charitas deberet operire, iubemur tamen præcepto Diuino corrigere; quantò magis ea, quæ in alios committuntur, cùm poſſint eſſe cum maiori ſcandalo.

Correctio fraterna ſub mortali peccato obligat.

12. Dico ſextò. *Correctio fraterna obligat ſub mortali peccato.* PROBATVR minor enim eſt miſeria corporalis quàm ſpiritualis: ſed ad hanc, ſi ſit extrema aut grauis, obligamur ſub peccato mortali. ergo & ad ſpiritualem faciendam obligamur ſub mortali.

Quæres quando obligatur? *Nota* pro reſponſione ex D. Th. art. 2. hic quód inter Affirmatiua & Negatiua præcepta, hæc eſt differentia, quód *Negatiua* pro omni tempore ſub mortali obligant. quia præcipiunt actus, qui ſunt ſuâ naturâ mali: vnde nunquam ſunt faciendi. ergo pro omni tempore obligant. *Affirmatiua* verò non ſemper ſub peccato obligant, ſed pro certo loco, tempore, & alijs circumſtantijs cōcurrentibus, tunc enim his ita exigentibus, ſi non correxeris fratrem, erit mortale peccatum. Vnde

Differentia inter Affirmatiua & Negatiua præcepta.

13. Dico quòd á correptione fraterna, & à peccato mortali excuſari quis poterit; ſi aliqua ex his ſeptē circumſtantijs inciderit. *Prima*, quando nec certò, nec probabiliter ſcio, peccaſſe proximum. nam nemo debet eſſe curioſus explorator vitæ alienæ: quod illa verba prohibent Prouerb. 24. *Ne quæras impietatem in domo iuſti; & non vaſtes requiem eius. ſecunda.* ſi conſtat, quód à peccato reſipuerit: nam correptio debet eſſe tantùm de peccato, ſi quis in illo perſeueret: *tertia* ſi præuidet, quód ex correptione nullus fructus ſit ſubſecuturus; quia hæc ad emendationē ordinatur: vnde vbi non ſperatur, ibi deſerenda eſt. *quarta* ſi probabiliter colligit, quód proximus ex ſuâ correptione, non modò non eſt emendaturus vitam, ſed deterior ſit futurus, & ſic correptio intermittenda. Prouerb. 9. *Noli arguere:*

Circumſtantiæ excuſantes à correptione fraterna & à peccato mortali.

guere deriſorem, ne oderit te, & propter odium in te conceptum, ne grauiora peccata admittat. *Quinta* ſi certò vel probabiliter ſciamus, quód ex eo peccato ab alio corripietur, vel quód ſua ſponte ſit emendaturus vitam, tunc abſtinendum à correctione: ſicut enim illi non ſubuenimus corporali eleemoſynâ, quem certò aut probabiliter ſcimus adiutum iri ab alio; ita hic, cùm præſùmimus ab alio futuram correctionē, non tenemur ad eam. *ſexta* ſi quærimus opportunitatem, vt in debito loco poſſimus eam fructuoſiùs expedire; ſic ſtatim non tenebimur ad corripiendum, ſed in commodius tempus reijcienda. *ſeptima* ſi ſit peccatum veniale ſimplex, nec vllum aduertitur periculum incidendi in mortale.

14. *Ex quo collige*, ſicut vnaquæque harum enumeratarum circumſtantiarum, à correctione poteſt excuſare, ita è contrario vnaquæque obligabit ſub peccato mortali ad correptionem, *v. g.* ſi ſcio peccaſſe proximum, & ſi in peccato perſeuerat, ſi præuideo emendationem, ſi ob correptionem vitia dimittet, & virtutes ſectabitur: ſi ſcio quòd non habeat, qui illum corripere poſſit, & ſi adſit opportunitas coarguendi: deniq; ſi peccatum mortale commiſit: ſic aliquâ circumſtantiarum vrgente, ſi correctio omiſſa fuerit, erit peccatum mortale. quia tunc eſt tempus neceſſitatis, & præcepta affirmatiua pro tempore neceſſitatis obligant.

Quando obligam. ad correctionem ... ternam mortali peccato?

QVÆSITVM III.

Correctio à quibus eſt inſtituenda?

15. TRia determinabimus. *primò*, an à ſolis Prælatis? *ſecundò*, an inferior ſeu ſubditus poſſit prælatum corripere? *tertiò*, an peccatori conueniat?

An ſolis Prælatis correctio conueniat?

QVANTVM *ad primum* v. an ſolis Prælatis conueniat? Dico primò. *correctio fraterna, ſi ſumatur in quantum eſt actus charitatis, quæ per ſimplicem admonitionem intendit emendationem fratris delinquentis; ſic ad quemlibet ſiue ſit Prælatus, ſiue ſubditus ſpectabit.* Eccleſiaſtici 19. *Mandauit Deus vnicuiq; de proximo ſuo.* Et Capitulum dicit: *Tam ſacerdotes, quàm reliqui fideles omnes ſummam curam habere debent de his, qui pereunt; quatenus eorum redargutione corrigantur.* Et D. Chryſoſt: homil. 27. *Teſtificor vobis, & qui ſani eſtis, quód iudicium vobis, & condemnatio erit; ſi quis videns inordinatè viuentem, non admonuerit, & corripuerit.* Et *Ratio eſt.* Quia omnes ex vinculo, & ex obligatione charitatis, obligantur ad miſericordiam exhibendam proximo indigenti. ſed hoc vinculo & ſubditi & prælati tenentur. ergo & ad corripiendum tenentur.

16 Dico ſecundò. *Correptio, in quantum eſt actus iuſtitiæ, intendens bonum commune, non ſolùm per admonitionem fraternam; ſed etiam per punitionem,*

Quæ Correptio ad ſo- les Prælates pertinet?

nem, ad ſolos Prælatos pertinet. Et ratio eſt, quia actus iuſtitiæ animaduertentis, & punientis, ad ſolos Prælatos ſpectat.

Maiori obligatione tenentur Prælati ad faciendam correptionem quàm alij.

Dico tertiò. *Maiori & arctiori obligatione tenentur Prælati, ad faciendam correptionem fraternam; quàm alij particulares homines aut ſubditi*, PROBATVR. quia Prælati,ſunt patres ſpirituales. ergo cæteris magis obligantur,ad ſalutem animarum procurãdam. *Deinde* quia ſicut paſtor temporalis, qui curam ouium ſuſcepit, tenetur curá ſpeciali illas curare,& deperditas inquirere. ita & paſtor ſpiritualis, qui curam animarum ſuſcepit, debet cum maiori ſolicitudine inuigilare, ea miniſtrando, quæ ad ſalutẽ animarum faciunt, qualis eſt correptio. *Item* quia Prælati in rebus ſpiritualibus cenſentur eſſe reliquis ditiores, & propter officium ſuum, cum maiori fructu corripere poſſunt. Ergo ad correptionem faciendam magis obligantur.

Obiectio.

17. *Sed dices*, Prælatos non habere ſpecialem obligationem ad correptionem; quia correptio ex charitate oritur. ergo &illius obligatio ex charitate. ſed hæc in Prælato eſt eiuſdem ſpeciei cum alijs. ergo non tenentur magis. *Reſpondeo* loquendo abſolutè verũ eſt, quòd obligatio ad corrigendum oritur ex charitate, & ex miſericordia, ſed nihilominus ex coniunctione ad aliud præceptum v. quod officium Prælati annexum habeat, ſic poterit maior obligatio oriri. *v.g.* ſi quis curam infirmorum ſuſcipiat, hunc talem obligant duo ad curandum infirmos: *primò* charitatis præceptum: *ſecundò* officij munus; ergo magis obligabitur. idem de Prælatis dicendum.

Solutio eiꝰ

18. Dico quartò. *Ex hac tam arcta obligatione charitatis & officij, tenentur Prælati corripere ſubditos: etiãſi videant nullam ſpem affulgere melioris vitæ.* PROBATVR Ezech. 3. *Si me dicente ad impium: impie morte morieris,non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua; ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Et D. Ambr. ſer. 83. *Ego parcens tacere vellem, ſed malo vos contumaciæ cauſas reddere,quàm me negligentiæ ſuſtinere iudicium.*

Prælati tenentur corripere ſubditos etiam ſi nullam videant affulgere melioris vitæ ſpem.

19. Dico quintò. *Prælatus aliquando tenetur inquirere vitam ſubditorum, vt commodiùs correptionem fraternam inſtituat.* Ita tenent communiter Soto, Valentia, & alij plures. Caiet. dicit,quód ad inquirendum nõ tenetur Prælatus ex charitate, ſed ſolùm ex officio. *Sed contrarium probatur*, quia in perſona Prælati (vt hîc Bannes aduertit) tria concurrunt: *primum* quód frater, iuxta illud Matth. 23. *Omnes vos fratres eſtis, & vnus eſt pater veſter cæleſtis.* ALTERVM, quód ſit pater ſpiritualis, in quantum debet & verbo & exemplo ſubditum inſtruere, & illius ſaluti Sacramenta miniſtrare: *tertium* quód ſit iudex, habens poteſtatem in foro exteriori, procedendi ad correctionem delinquentis ſubditi, propter bonum commune. Ex quo

Prælatus tenetur aliquando inquirere vitam ſubditorum?

Arguo. cũm Prælatus ſit & frater, & pater ſpiritualis; ex hac duplici charitate obligatur ad curam peculiarem, circa ſalutem animarum ſibi commiſſarum. *Deinde* in corporalibus eleemoſynis ille magis tenetur ad faciendum illas, qui eſt di-

eſt ditior. ſed Prælatus, cùm ſit pater & frater, eſt cæteris ditior. ergo ad illam exercendam obligabitur quandoq; authoritate patris, quandoq; fratris.

Quæ prudentia requiratur in Prælato dũ vult deſcẽdere ad inquirendam vitam ſubditorum?

Nota hic magna opus eſſe prudẽtiã Prælati, ſi quando ad inquirendum vult deſcendere: *primò* vt per media ſuauia, & conuenientia id faciat: *ſecundò* poterit cuſtodes ſub ordinare in locis publicis, qui ſibi ſecretò dicãt, quæ ibi agantur? *tertiò* ſi, de aliquo eſt ſuſpicio, illi ſocium prudentem aſſignare poterit, quo cum conuerſetur: *quartò* ea, quæ velut pater corrigere poteſt, in iudicium non trahat: *quintò* duo vitanda eſſe Prælato Caiet. docet. *primum* ne ſit nimium præceps, & odioſus ex ſuſpicione: *ſecundùm* ne ex illius negligentia occulta vitia inualeſcant: *tertium addo*, diligenter caueat, ne innocẽtem infamet. reliqua, quæ regulis deſcribi non poſſunt, prudentiæ eius relinquuntur.

Quæ vitanda ſunt Prælato?

An Prælatus ſubſit correctioni

20. QVANTVM *ad alterum*. An Prælatus ſubſit correctioni? Dico primò, *ſubditus non poteſt corrigere ſuũ Prælatum, exercendo in illum iudiciariã poteſtatem*. Hoc Dictum eſt certũ, quamuis Lutherani omnia confundentes dicant; quód Epiſcopi, cùm ſint ſerui, debent eſſe mancipia populorum: vnde in eos debacchari poſſunt. & Vicleffus dicit populares poſſe ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corripere. Hunc errorem Soto, Hoſius Cardinalis, & alij propulſarũt. *Et contrarium Scriptura* docet. Actor. 20 *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus S. regere Eccleſiam Dei*. Licet enim Epiſcopi reſpectu Dei & miniſterij ſint ſerui; tamen ratione authoritatis Diuinæ, quam referunt ſunt ſuperiores cũ poteſtate à Deo conſtituti. *Probatur Dictum*. quia inferior in ſuperiorẽ non poteſt actum iudiciariæ poteſtatis exercere.

Quando Prælati à ſubditis poſſint corripi?

21. Dico ſecundò. *ſi in Prælati vita inueniatur aliquid dignum correptione; tunc poterit fraterna correptio adhiberi, quæ ſit actus charitatis*. Et *ratio eſt*. quia correctio, cùm ſit actus charitatis, ad vnumquemq; pertinebit, ad quem etiam charitas ſe extendit. ſed Prælatis, tanquam Patribus ſpiritualibus, maiorem dilectionem debemus. ergo ex dilectione corripi poſſunt. nam ex illorum vita impura, maius malum redundans in communitatem, oritur. *Tum* quia pauci ſunt, qui velint ſuperiores commonefacere ob reuerentiam; vnde in ſpeciali correctione videntur eſſe neglecti: hæc tamen correptio cum omni debita reuerentia facienda, ne quis tanquam Cham patris ſui ignominiã reuelet. & Apoſt. docet 1. ad Timoth. 4. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem*.

Quomodo Prælatus corripiendus?

22. Dico tertiò. *ſi peccatum ſuperiorũ fuerit occultum, publicè non eſt arguendus, ſed ſecretò*. Matth. 10 *ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum*. ergo ſi & ſuperior peccauerit, etiam inter te & illum arguendus; ſi autem eius peccatũ fuerit publicum, & quod in ſcandalum ſubditorum vergit; tunc publicè corripi debet. *Ratio* quia lapſus aliorum metuendus: publica autem animaduerſio eſt cuſtos, & conſeruatrix boni communis; maximè verò, ſi in aliquo errore

errore fidei verſetur: hic enim cū videatur publicè charitatem deſtruere, idcirco arguēdus publicè, vt ſicut eius vitium multis obfuit, ita & correctio ijſdem prodeſſe poſſit; id tamen cum lenitate & manſuetudine faciendum.

Religioſis prohibitū eſt ne corā plebe imperita vitia Prælatorū reprehendant.

Nota diſtrictè religioſis, & qui munere concionandi funguntur prohibitum eſſe, in Clementina *Religioſi*, & à Leone decimo in Concil Lateranen. ne coram plebe imperita vitia Prælatorum reprehendant; ſed quæ commodior eſt via ad illos lucrandos, priuatim in charitate, & cum modeſtia eoſdem accedant, & admoneant: is autem, qui Prælatum vult corripere, debet eſſe & virtutis, & prudentiæ ſectator; ne illud ei obſit ad Heb. 12. *Si beſtia* (hoc eſt, frater indiſcretus) *tetigerit montem* (hoc eſt ſuperiorem) *lapidabitur*, hoc eſt nihil lucrabitur, ſed cōfuſionē reportabit.

An peccator poſſit corripere delinquentem?

23. QVANTVM *ad tertium*, an peccator poſſit corripere delinquentem? Dico primò. *quod poſſit etiam in quantum ſit peccator coarguere*. PROBATVR. quia correctio illi competit, in quo viget iudicium rationis. ſed in peccatore viget, quia per peccatum non tollitur: ergo corripere poteſt. *Deinde* his accedentibus circumſtantijs, quód illi ex officio incumbit, & quód illi peccatum ſit notum, & adeſt ſpes emēdationis, & non eſt, qui corrigat, & proximus in periculo verſatur; tunc non ſolùm poteſt, ſed etiam debet corripere.

Peccator corripere non poteſt ob triplex impedimentū peccati.

Dico ſecundò. *Quamuis peccatum non adimat facultatem correptionis; ponit tamen triplex impedimentum*. PRIMVM quia ob peccatum commiſſum, in quo etiam durat, indignum ſe reddit, vt poſſit alium corripere, maximè ſi illius peccatum ſit longè maius: *ſecundum* quia inde ſcandalum ſuboritur, præſertim ſi corripientis peccatum ſit manifeſtū: *tum* quia hanc correptionem non facit ex charitate; ſed magis ad oſtentationem: ſi enim ex charitate corripit, cur eandem charitatem ſibi non impendit, ſeipſum à vitijs retrahendo: *tertium* eſt impedimentū ſuperbia, quia ſua peccata parui pendit, ſeipſum proximo in eodē præfert. *tum* ſeueriori auſteritate alterius peccata coarguit, ac ſi ipſe eſſet iuſtus. Ex quo

Nota. Quód, quoties cum ſcandalo, aut cum ſuperbia peccator deliquentem corripit, etiā peccat.

24. *Quæres*, quid verò is, qui ob peccatum ſeipſum indignum reddidit, vt peccantem corripere poſſit; an peccet corripiendo? *Reſpondeo*, illum non peccare, ſi abſit ſcandalum, & ſuperbia, & ſi adſit intentio bona, v. lucrādi fratrem; & cum non eſt, qui poſſit coarguere, aut quando hoc illi ex officio incumbit. ſicut enim peccator alios actus moraliter bonos exercere poteſt non peccando, vt ieiunando, orando, eleemoſynam dando, non peccat, ita corripiendo, & proximum aberrantem in viam uirtutis reducendo, non peccabit. — An peccator peccat corripiēdo?

Quæres ſecundò, an is, ad quem pertinet corripere delinquentes, teneatur vitam emendare, vt poſſit efficaciter, & cum vtilitate corripere? *Reſpondeo* omnes curatos obligari vt Epiſcopos, Parochos, Superiores: quia illorum eſt muneris, cum ſint *ſal terræ*, vt alios cō- — An teneatur vitam emendare is, ad quem pertinet corripere delinquentem?

 diant,

diant; vnde quo efficaciùs poſſint, ad vitæ emendationem ſub peccato obligantur. *Ratio.* Quia tenentur ad ea præſidia comparanda, ſine quibus commodè munus ſuum expedire non poſſunt. Sed illorum muneris eſt corripere peccantes, & ad hoc efficaciter expediendum vitæ emendatio requiritur ergo ad eam obligantur.

Hi omnes qui alios ſcandalizarunt obligantur ad vitæ emendationem.

25. *Nota.* Illos quoq; omnes, qui alios ſcandalizarunt, obligari ad vitæ emendationem: vt enim publicè commiſſo peccato, alios ſuo exemplo audentiores ad peccatũ fecerunt; ita eoſdem vitâ per pœnitentiã in melius commutatâ, tenentur lucrari. ſi verò is, qui corripit, eſt peccator; ſed eum, quem corripit, non ſcandalizauit; hic nõ tenetur ſub peccato ad vitæ emendationem, quo poſſit efficaciùs corripere. *Ratio,* quia non fuit illi occaſio peccandi. ergo non tenetur, vt eum à ſuo peccato liberet, per vitæ emendationem; niſi forſan proximus, quem corripit, ſit in extremo vitæ periculo; tunc obligabitur ob procurandam ſalutem illius animæ, quo efficaciùs corripere poſſit, & ſi alius non adſit, vitam emendare.

QVÆSITVM IV.
Quiſnam modus in corripiendo ſeruandus?

26. MOdum correptionis Chriſtus D. illis verbis Matt: 18. deſcripſit: *ſi peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum; ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium, ſtet omne verbum: quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem non audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.* In his verbis triplex modus correptionis aſſignatur. *Primus* ſecreta correptio, *Inter te & illum ſolum*: SECVNDVS, adhibeatur vnus, aut duo fratres, in quorum præſentia corripiatur. hic ſecundus modus apellatur à D. Th. *Teſtium inductio*: TERTIVS, vt fiat publica correptio, quod ſignificant hæc verba. *Dic Eccleſiæ,* hoc eſt, in facie cõgregationis corripiatur. D Th. ſic exponit *Principium correptionis vult eſſe ſecretum, finem publicum, medium partim ſecretum; quia in præſentia paucorum; partim publicum. quia ad plurimorũ notitiam peccatum eius emanat.* Et D. Auguſt: dicit. *Multò peius eſt. quód peccatum fratris putreſcat in corde; quàm quód alijs, per quos corrigendus eſt, manifeſtetur.*

Modus correptionis triplex.

27. Dico ſecundò. *Quando peccatum proximi eſt publicum, tunc non eſt neceſſe, vt præcedat correptio ſecreta.* Peccatum publicum, publicè corripiendum. RATIO. Quia ceſſat cauſa priuatæ correptionis, v. ne infametur. at qui hic publico crimine commiſſo, ſeipſum infamauit. ergo ſecretò non eſt corripiendus. *Deinde.* quia

quia per correptionem publicam, adhibendum eſt remedium ſpirituale his, qui ad eius criminis publicā impletionem ſunt ſcandalizati, ita præcipiente Apoſtolo 1. ad Timoth: 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.*

Dico tertiò. *ſi ſecretum fuerit peccatum proximi; ſed quod in magnum detrimentum multorū, & boni publici vergit; tunc ſine præmiſſa ſecreta correptione ſtatim palam ad denuntiationem procedendum*: vt ſi quis occultè de proditione ciuitatis cum hoſtibus tractet: aut ſi alios priuatim hæreſi inficiat. *Ratio.* Licet enim peccatum ſit occultum; tamen quia illius virus in perniciem Reipublicæ diffundit ſe, ideo neceſſariò publicè opprimendum eſt.

Obſerua. *Nota.* D. Th: hic monet, quód ſi quis moraliter certum habeat, quód illum per priuatam correptionem poſſit lucrari, & malum impedire; tunc non eſt ſtatim denuntiandus. *Ratio,* quia non eſt cauſa, cur ſtatim debeat denuntiari.

Obiectio cum ſolutione. *Dices* Eſſe periculum boni communis. *ſed reſpondeo* quód ſpes eſt, quód poſſit auerti per priuatam correptionem & charitas poſtulat, vt non ſtatim infametur.

Quando ſecretè corripiendum? 28. Dico quartò. *Si fuerit peccatum ſecretum, & non cedat in malum aliorum, ſed ſolùm in eius, qui peccauit, & in illius, in quem peccauit; tunc ſecreta admonitio debet præcedere publicam denuntiationem.* *Ratio,* quia ex charitate obligamur, vt proximo quàm cū minimo detrimento ſubueniamus: iam autem famæ integritas proximo ad multa bona etiam ſpiritualia eſt neceſſaria. *Deinde* quia ex eiuſmodi prætermiſſa priuata correptione multa incommoda ſequuntur. *primum,* quia hæc denuntiatio iam videtur illos infamaſſe: vnde quos adhuc pudor à malo retrahebat; iam hoc amoto impudentiores ad peccandum ruunt: cùm ſe videant famam amiſiſſe, quæ illis frenum erat abſtinendi à peccatis: *ſecundum,* quia hæc denuntiatio odia inter fratres excitat, cum ſuſpicentur factam eſſe delationem, ad ſuperiorem per hos, vel per illos fratres: *tertium,* quia in vno contingit plures infamari.

Quæres, quódnam ſit peccatum publicum? *Reſpondeo*, non eſt dicendum publicum, etiamſi à tribus fuerit cognitū; ſed de quo aut in iudicio eſt conuictus; aut ſi in aliqua vicinia circumfertur, aut in communitate, aut in collegio, aut quando eſt publica infamia. Quodnā ſit peccatum publicum?

29. Dico quintò. *Poſſe nos quandóq; omiſſâ priuata correptione, ſtatim ad publicam tranſire* PRIMÒ. Quando ex certa & iuſta cauſa, colligimus noſtram ſecretam correptionem nullum fructum allaturam. Et ſic Ioſeph habuit rationabilem cauſam, cur omiſſa priuata correptione, fratres ſuos de crimine peſſimo apud patrem accuſauerit. quia oderant illum, vnde illius monitionem nō ſuſcepiſſent. *Secundò.* Si quis ſit Dominus famæ alterius, tunc non obligatur, vt prius ſecretò corripiat & ſic Deus, cùm ſit Dominus famæ omnium hominum, poteſt illorum peccata ſecreta publicare, & punire. Et ſic D. Petrus peccatum Ananiæ & Saphiræ, quod erat occultum, Diuina authoritate publicauit, & puniuit: ſed hoc homini non Quādo poſſimus priuata omiſſa correptione ſtatim ad publicam tranſire?

non conuenit, cum famæ alterius non ſit dominus.

Tertiò, quando in aliqua congregatione eſt hæc laudabilis conſuetudo, quòd non ſolùm grauia peccata extra confeſſionem cognita; ſed etiam minores defectus ad ſuperiores deferuntur; tum ob humilitatem exercendam; tum vt vitijs extirpatis progreſſus ſpiritualis poſſit expeditior fieri. Et qui in eiuſmodi congregationem tranſit, in qua talis cõſuetudo viget, tunc, qui peccat in ea, cenſetur iuri ſuo renuntiaſſe, v. quód debebat prius ſecretò moneri: vnde cum in poteſtate habuit famam ſuam & eam conſuetudinem bene nouerat, iam videtur voluntariè ſuſcepiſſe, vt patiatur detrimentum famæ, modò in ſpiritualibus poſſit proficere.

Chriſti doctrina quæ de correptione fraterna?

30. Dico ſextò *Doctrina Chriſti eſt vt, ſi ſecreta correptio fratrem non lucri fecit, adhibeantur aliquot teſtes, in quorũ præſentia de crimine arguatur.* Ratio. D. Th. Quia ab extremo ad extremum non eſt tranſeundum, niſi per medium. Sed corripere ſecrètò eſt vnum extremum; corripere publicè, eſt alterum extremum. ergo medium adhibendum, vt in præſentia duorum, aut trium priùs arguatur.

Obiectio cum ſolutionibus.

Sed dices. Sic adhibere teſtes, & in illorum præſentia corripere fratrem eſt illum infamare: nam id, quod erat occultum, ad notitiam aliorum deducitur? *Reſpondeo primò*, Si is, cuiꝰ intereſt corripere, putat, quód ſecunda aut tertia priuatâ correptione poſſit delinquentē emendare; tunc iterum atque iterum repetenda; ſed ſi nulla ſit ſpes, procedendum ad teſtes. *Reſpondeo ſecundò*, quòd in præſentia horum teſtium corripere fratrem, non eſt infamare: cum minoris boni detrimento facto, volumus illius bonũ maius, v. ſalutem animæ procurare. Et ſic Medicus, vt poſſit totius corporis ſanitatem conſeruare, abſcindit membra minora. *Reſpondeo tertiò*, quia ſi pœnituerit de crimine commiſſo, multum ſibi commẽdationis apud eoſdem conciliat.

Quæ eſt vtilitas teſt[illegible]

31. *Sed Quæres.* quænam eſt vtilitas horum teſtium? *Reſpondeo.* maximam eſſe, vt delinquentem vnà cùm ſuperiore ad reſipiſcendum exhortentur: *Tum*, vt illorum authoritate commotus, & in ruborẽ datus, peccans frater contumaciã deponat, & ad mentem ſaniorem redeat: & ſic potiùs videntur eſſe arbitri, & monitores; quanquam ſunt & teſtes. ſi enim delinquens correptus non reſipuerit, erunt teſtes illius obſtinationis; cum toti congregationi denuntiabitur.

DISPVTATIO XII.

De Odio, Vitio oppoſito Charitati?

1. Poſt

1. POST naturam charitatis explicatã, & poſt enumeratos illius effectus, iam dicendum eſt de vitijs, quæ & charitati, & illius effectibus opponuntur: inter quæ primum eſt Odium, de quo tria attingemus: *primò* de odio Dei: *ſecundò* de odio proximi: *tertiò* de illius origine & grauitate.

Odium Dei quotuplex?

QVANTVM ad primum *noto* duplex eſſe odium, quoddam eſt abominationis, quando v. aliquid, tanquam nobis malum & nociuũ æſtimamus, & ab eo appetitum noſtræ voluntais, alienamus: *quoddam* eſt inimicitiæ; illud ſ. quãndo illi rei, quam odio habemus, malũ euenire optamus.

Deum quotupliciter poſſumus videre?

Noto ſecundò nos Deum dupliciter poſſumus videre: *primò* clarè per Eſſentiam: *ſecundò* quando in ſuis effectis conſpicitur. Hoc notato.

Deum clarè videns impoſſibile eſt vt eum odio habeat?

2. Dico primò. *Impoſſibile eſt, vt aliquis clarè videns Deum, eum odio habeat.* PROBATVR. Deus per Eſſẽtiam viſus eſt tota bonitas. ergo impoſſibile eſt, vt ſic viſus odio habeatur: quia totum, quod in eo videtur, eſt obiectum amoris.

Deus vt author Eſſe, Viuere, Intelligere, non poteſt odio haberi.

Dico ſecundò. *Non poteſt quoque Deus odio haberi, in quantum eſt author horum effectuum, v. Eſſe, Viuere, Intelligere.* quia hæc voluntati humanæ nullo modo diſplicere poſſunt.

Deus quomodo odio poſſit haberi?

Dico tertiò. *eo modo poteſt odio Deus haberi, in quantum eſt author eorum effectuum, qui inordinatæ & peruerſæ voluntati humanæ diſplicent, vt quòd peccata prohibeat, & quòd pro eis pœnas infligat.*

Quam ob cauſam impij Deum odio hãbẽt

3. *Nota* Impij, quando Deũ odio habent, nullam in eo cauſam mali reperiunt; ſed in cauſa eſt illorum malitia, quam ſciunt Deum puniturum. Et de his dicit Pſalmiſta: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.*

In impijs poteſt eſſe odium contra Deũ & abominationis & inimicitiæ.

Nota ſecundò. In hominibus malis poteſt eſſe odium cont a Deum & Abominationis, & Inimicitiæ, *Declaratur.* Peccatores amãt ſeipſos amore concupiſcentiæ; & cùm volunt aliquid, hoc eſt contrarium legi Diuinæ, odio habent legem, & legiſlatorem, vt cum amor in eis creſcit erga res ſenſibiles prohibitas, tunc iam odium auerſionis naſcitur. Et quia manet illos pœna, incipit in eis odium inimicitiæ; quia vellent non eſſe iuſtitiam Dei & per conſequens ipſum Deum, & tale odium eſt in condemnatis,

Odium inimicitiæ eſt grauius peccati quam odium Abominationis

Nota tertiò. Odium inimicitiæ, quo Deo volumus malum, eſt grauius peccatum, quàm odium abominationis, quo ſolùm auertimus nos a Deo.

Odium Dei eſt maximũ peccatum.

4. *Quæres.* An odium Dei ſit maximum peccatum? *Reſpondeo affirmatiuè* Quod enim opponitur maximo bono, eſt peſſimum. Sed odium opponitur dilectioni Dei, qui Deus eſt ſummum bonum. ergo odium erit ſummum malum. *Item.* Culpæ ratio conſiſtit in voluntaria auerſione à Deo. Sed hæc auerſio à Deo, per ſe ineſt in odio Dei, in alijs autem peccatis eſt ſolùm per participationem. Nam fornicatio per ſe non auerſatur Deum, ſed in quantum appetit id, cui auerſio à Deo eſt connexa: in odio autem Dei per ſe eſt auerſio à Deo.

Quando fratrem odio habere ſit peccatum?

5. QVANTVM *ad ſecundum* Dico primò *Odiſſe fratrem ſecundùm id, quod*

habet

habet à Deo, v. odiſſe in eo naturam, & gratiam, quæ à Deo accepit, eſt peccatum.

Obiectio. *Sed dices* Iubere Scripturam, vt parentes, fratres, odio habeamus. Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus?* Solutio ei⁹ *Reſpondeo*, hic locus non ſic eſt explicandus, quaſi ſimpliciter parentes, fratres, ſint odio habendi, quoad naturã, & affinitatem: nam hoc eſſet iura naturæ euertere: ſed iubemur in eis odiſſe affectus inordinatos, ſecundùm quos ſunt nobis impedimento, aut quoad religionem, aut quoad vitam ſpiritualem capeſſẽdam.

Quæ in proximo odio habere poſſumus? Dico ſecundò. *Id odiſſe poſſumus, quod eſt & ab homine, & à ſuggeſtione diaboli, v. peccatum, & tale odium eſt meritorium, quia zelatur ſuper iniquitatem impiorum, & vult eam annihilatã eſſe, tanquam id, quod Dei iram concitat*

An odium ſit grauius alijs peccatis, quæ contra proximum committuntur? 6. *Quares*, an odium ſit grauius alijs peccatis, quæ contra proximum committuntur? *Reſpondeo*, quód peccatum, quo in proximum peccamus duo habet: *primò*, deordinationem voluntatis; *ſecundò* nocumentum. Peccatum quo in proximũ peccamus quæ & quot habet? Odium ergo, quia deordinat voluntatem eſt grauiſſimum peccatum: quia voluntas ſic deordinata iam eſt radix peccati; alia verò peccata ratione nocumenti, quod proximo infertur, poſſunt eſſe odio grauiora, & ſic furtum, homicidium, ſunt grauiora odio; quia odium intra affectum hominis formaliter terminatur: furtum autem, homicidium, per actus exteriores, bona, & vitam proximi auferunt, quod eſt maioris nocumenti.

Dices, Furtum, homicidium, & alia peccata his ſimilia, ſunt grauiora: quia & deordinant voluntatem, & nocumentum inferunt? Obiectio. *Reſpondeo*, quando hîc comparamus odium ad peccata, quæ tranſeunt in actus exteriores, non ſic ea accipimus, tanquam diſtinguãtur ab interiori voluntate, vt actũ exteriorem homicidij non diſtinguimus à voluntate interiori occidendi, ſed eſt vnicus actus: verum in eo diſtinguimus, in quantum hæc conſummantur per actũ exteriorem: nam non dicuntur in ſua ſpecie eſſe perfecta, niſi in quantum actu exteriori complentur. Solutio. Iam verò odium eſt in ſua ſpecie perfectiſſimum, licet ad actus exteriores peccatorum non tranſeat. ſicut enim charitas in affectu ſuo eſt perfectiſſima; ita & odium oppoſitum charitati in affectu ſuo eſt perfectiſſimũ; & ſicut charitas extendit ſe imperatiuè ad actus exteriores virtutum; ita dicimus, quód & odium ſecundariò imperet actus malos vitiorum.

7. QVANTVM *ad tertiũ* dico primò *Odium non eſt vitium capitale?* quia de ratione capitalis vitij eſt, vt ex eo plurima oriantur peccata, ita quód ſit primũ in deſtructione virtutis. ſed odium eſt vltimum & finale, ad quod deuenit voluntas per malam conſuetudinem vitiorum. An odium ſit vitium capitale?

Nota quamuis odium ingenitum ſit caput multorum vitiorum; tamen capitale dici nequit: quia ab initio non eſt capax illorum. quod quidem requiritur ad hoc, vt poſſit dici capitale. Odium ex inuidia naſcitur.

Dico ſecundò. *ex inuidia odium naſcitur?* PROBATVR vt enim ea, quæ

quæ delectant, amamus; ita ea, quæ nos affligunt & contriſtant, odio habemus. ſed inuidia cõtriſtat nos, quia ex bono & proſperitate proximi affligimur, in quantùm hæc ſub ratione mali apprehendimus, & ſic ad illud odio habendum mouemur. ergo ex inuidia odium oritur.

Poteſt etiã odium oriri ex ira.

Nota poſſe etiam odium oriri ex ira, ſed formaliùs & directiùs ex Inuidia: quia formale obiectum inuidiæ eſt contriſtans, & hoc accedit ad obiectũ odij. quod enim eſt cõtriſtans, idem & odibile. Sed iræ formale obiectum eſt appetitus vindictæ; nam in ira primò appetimus vlciſci, tandem per continuationem actus volumus illi malum, & ſic iam odium naſcitur, ſed diſpoſitiuè non formaliter, quemadmodum ex inuidia.

DISPVTATIO XIII.

De Acedia, vitio oppoſito Gaudio.

1\. QVatuor attingam: *primò* an ſit peccatum? *ſecundò* an ſit ſpeciale? *tertiò* an ſit mortale? *quartò* an capitale?

Acedia quid ſignificat?

QVANTVM *ad primum nota.* nomẽ *Acediæ* ſignificat negligentiam incuriam. D. Damaſ. dicit eſſe quandam triſtitiam ſic aggrauantem, vt hominis animum deprimat, vt nihil illi agere libeat. Hic ſumitur Acedia in quantum ſignificat triſtitiam circa bonum ſpirituale, ad cuius actus exercendos, aut ex præcepto, aut ex voto obligamur.

Quodnam bonum eſt ſpirituale circa quod eſt acedia.

Quæres quodnam ſit bonum ſpirituale, circa quod eſt acedia? *Reſpondeo* eſſe ipſam æternam vitam, & media ad illam conſequendam ordinata, vt ſunt præcepta Dei, charitas, opera virtutum, Sacramenta: & circa hæc erit acedia, cum quis ex faſtidio talium bonorum ſe illorum incapacem eſſe iudicat, ita, quód ad hæc bona nauſeat.

Acedia vnde oriatur?

2\. *Sed vnde oriatur?* Dico ex duplici cauſa: *primò* ex nimiá applicatione affectus ad res temporales: *ſecundò* ex auerſione à laboribus, à curis, quibus ſpiritualia bona cõparantur. His præmiſſis

Acedia eſt peccatum.

Dico ad primum *Acediam eſſe peccatum*: PRIMÒ ex ſe, quia eſt triſtitia de bono, iam autem triſtari de bono eſt peccatum: *ſecundò* ratione effectus eſt peccatum; quia ex ea procedit omiſſio actionum piarum, & ſalutarium.

Acedia an ſit vitium ſpeciale?

3\. QVANTVM *ad ſecundum*, an ſit vitium ſpeciale? *Reſpondeo* cum diſtinctione. ſi acedia ſumatur, in quantum triſtatur de bono ſpirituali, quod continetur in actibus aliarum virtutum; ſic non erit vitium ſpeciale, quia quodlibet vitium oppoſitum virtuti particulari, aptum

ri, aptum eſt generare triſtitiam, quæ aggrauat animam, vt illi actio bona diſpliceat. *Si autem* ſumatur, in quantum triſtatur de bono Diuino, vt Diuinum eſt, de quo charitas gaudet, ſic eſt ſpeciale vitiũ. nam ſicut gaudium eſt effectus charitatis; ita & acedia erit effectus odij ſicut enim charitas, ad quam pertinet gaudere de bono Diuino, eſt ſpecialis virtus; ita & acedia erit ſpeciale vitium, quæ triſtatur de bono Diuino.

Acedia an ſit vitium mortale?

4. QVANTVM *ad tertium.* An ſit mortale? *Reſpondeo* ſecundùm ſuum genus eſt peccatum mortale. *Ratio* illud enim eſt mortale, quod tollit vitam ſpiritualem, quæ eſt per charitatem, ſecundùm quam Deus in nobis inhabitat. ſed acedia ſecundùm ſuam rationem tollit charitatem, quia tollit gaudium de bono Diuino. ergo eſt mortale.

An poſſit eſſe veniale

Quæres an poſſit eſſe veniale? *Reſpondeo* poſſe eſſe, quando eſt tantũ in ſenſualitate, & non pertingit ad conſenſum rationis. *v. g.* in peccato luxuriæ, quando eſt actus concupiſcentiæ in ſola ſenſualitate, ſed non adeſt plena deliberatio, & cõſenſus rationis, tunc luxuria erit veniale: ita quoq; motus acediæ in ſola ſenſualitate, quæ oriri ſolet ex repugnantiá ſpiritus ad carné, ſic erit veniale: ſed ſi pertingat ad rationem, ita, quód conſentiat in fugam, & in deteſtationem Diuini boni, tunc eſt mortale.

5. QVANTVM *ad quartum,* an ſit capitale vitium? *Reſpondeo* quód ſit. quia ex acedia plura oriuntur vitia, quod eſt ſignum capitalis vitij D Greg lib. 31. Moral. cap. 31. ſex numero vitia orta ex acedia numerat. *Deſperationem, Puſillanimitatem, Torporem, Rancorem, Malitiam, Euagationem. Deſperatio* eſt, per quá abhorremus a bono Diuino, deſperantes de illius adeptione: *Puſillanimitas* eſt, cùm homo non audet ea attentare, quæ ſunt perfectiora: *Torpor* eſt, cùm quis negligit ſuam ſalutem, omittens ea, ad quæ ex præcepto aut ex voto obligatur: *Rancor* eſt, quo auerſamur homines ſpirituales, religioſos, concionatores, qui nos inducunt ad bona ſpiritualia: *Malitia* eſt, per quam quis abripitur ad deteſtationem bonorum ſpiritualium: *Euagatio* eſt, quæ attentionem fugat, & ſe conuertit ad exteriora delectabilia amplectenda, fugiendo ſpiritualia.

DISPVTATIO XIV.

De Inuidia, vitio oppoſito Gaudio.

1. QVatuor dicem⁹, ſ. quid ſit inuidia? an ſit peccatum? an mortale? an capitale?

Dico primò. *Inuidia eſt triſtitia de bono proximi, & hoc dupliciter contingit:* PRIMÒ quia ex eius bono imminet

minet nobis, alicuius nocumenti periculum: & talis triſtitia non eſt inuidia; ſed quidam timoris effectus, vt cùm quis in iudicem, aut in ſuperiorem eligitur: ſi quis tūc metuat; ne poteſtate in ſuam & bonorum perniciem abutatur. *Secundò* ideo eſt triſtitia de bono proximi, in quantum illud concipimꝰ, & æſtimamus, tanquam diminutiuum propriæ excellentiæ; præſertim quando alios deſideramus æquare aut ſuperare: & ſic eſt inuidia, & opponitur gaudio: quia hoc de bono proximi tanquam de proprio lætatur; inuidia verò de hoc ipſo bono, ſed ſub ratione mali cōcepto triſtatur. Et ſic Saul inuidit laudi Dauidis; nam illius gloria ſuam excellentiam obſcurare videbatur, cùm tripudiātes mulieres illi occinerent: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* vnde inuidia eſt circa illa bona, quæ hominum opinione important ſecùm gloriā, in qua aliquis ſibi congaudet.

Inuidia ſolet eſſe inter ſimiles & æquales. *Nota* inuidiam non ſolere eſſe, niſi inter ſimiles, & æquales. nam nemo niſi ſtultus inuidet illi, quem ſcit multis modis ſe excedere in gloria; vt Rex non inuidet plebeio, nec plebeius Regi.

Inuidia an ſit peccatū? 2. Dico ſecundò. *Inuidia aliquando eſt peccatum, aliquando non.* DECLARATVR. nam quatuor modis contingit eſſe inuidiā; *primò* cùm quis dolet de bono alicuius, metuens, ne inde aliquod nocumentum, aut ipſe aut alij patiantur, & talis triſtitia non eſt propriè inuidia (vt iam dictum) & poteſt eſſe ſine peccato (vt docet D. Greg.) quia euenire ſolet, vt non amiſſa charitate; & ruina inimici nos lætificet, & rurſus illius gloria ſine inuidiæ culpâ contriſtet: cùm & ruente eo, quoſdam bene erigi credimus, & proficiente illo pleroſq; iniuſtè opprimi formidamus.

Secundò, quando dolemus de bono proximi, non quia ille habet, ſed quia nos illo caremus, & hæc triſtitia dicitur *Zelus*: &, ſi fiat circa bona ſpiritualia, eſt laudabilis, ita ſuadente Apoſtolo 1. Corinth. 14. *Æmulamini chariſmata meliora.* Si autem ſit in bonis temporalibus, frequenter talis triſtitia eſt mala, & eſt peccatum, in quantum quis inordinatè dolet, quód bonis temporalibus non affluat, quemadmodum alios affluere conſpicit.

Nota in appetitu bonorum ſpiritualium, non poteſt eſſe inordinatio, quando enim quis magis appetit, vt ſit humilior aut continētior, aut iuſtior; non iudicatur peccaſſe.

3. *Tertiò* naſcitur triſtitia de bono alterius, in quantum eum, cui accidit bonum, iudicamus illo eſſe indignum, & talis triſtitia erit peccatum, ſi Diuinam prouidentiam accuſat, quód Deus res humanas non curet. aut ſi curat, iniuſtè diſtribuit bona ſua, cùm illis mali potiantur. quod quidem ideo Deus permittit. *primò*, quia hæc ſunt infima bona: quia temporalia, & quæ pro veris reputari non debent: & in hoc ſenſu loquitur Dauid; *Noli æmulari in malignantibus* & inferius addit, *quoniam, tanquam fenum, velociter areſcit*: SECVNDO; quia mali etiam exercent bona opera; ſed quia ſterilia, hoc eſt, non meritoria, ideo eorum in præſenti accipiunt mercedem: *tertiò*, quia Cur Deus malos permittat afflu ere bonis temporalibus?

quia ob hæc bona conceſſa creſcunt illis rationes bonorum. *Præterea*, ſi hanc triſtitiam ſequatur omiſſio Diuinorũ præceptorum, ita, quód Deo & illius mandatis abiectis, impiorum viam ſequatur, ſic quoq; erit peccatum graue.

Inuidia an ſit peccatũ mortale?

Quartò triſtitia contingit de bonis alicuius, in quantum nos aliquis in eis excedit, & talis triſtitia eſt propriè inuidia, & eſt peccatũ; quia de bono proximi dolet, de quo debuit gaudere.

4. Dico tertiò. *Inuidia eſt peccatum mortale*. PROBATVR. quia numeratur à D. Paulo inter peccata Ethnicorum. Ad Rom: 1. *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum: vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate &c plenos inuidia, homicidio*. Et ad Galat. 5. Inter opera carnis, quæ ſunt mortalia, inuidiam numerat.

Quando inuidia poterit eſſe veniale peccatum?

Per accidens tamen poterit eſſe veniale dupliciter. *primò*, quando non eſt conſenſus deliberatus plenè, vt accidit in motibus ſubitis, cùm quis de bono ſibi æqualis triſtatur: *ſecundò*, ſi id bonum, de quo triſtatur, ſit leue; vt in pueris accidit, qui ſibi æqualibus ſolent inuidere

Inuidia eſt vitium capitale.

5. Dico quartò. *Inuidia eſt capitale*. PROBATVR. quia ex inuidia hæc oriuntur *Odium. Suſurratio. Detractio. Exſultatio. Aſſlictio.* quorum rationem aſſignat hic D. Th: in reſponſione ad 3. art. 4. quæſt: 37. in conatu inuidiæ ſunt tria. id quod eſt principium, quod eſt medium, & quod eſt finis. *Principium* eſt, cum quis diminuit gloriam alterius: tunc aut in occulto; & ſic eſt Suſurratio; aut in publico; & ſic eſt detractio. *Medium* eſt, vt cum quis diminuit gloriam alterius: tum, ſi re ipſa diminuit? erit Exſultatio: aut ſi non poteſt; affligitur, & eſt afflictio. *Terminus* eſt ipſum odium: quia, ſicut bonum delectans cauſat gaudium, ita contriſtans producit odium.

Ex Inuidia quæ oriantur vitia?

DISPVTATIO XV.

De vitijs oppoſitis Paci, & primò de Diſcordia.

1. SEx ſunt vitia oppoſita Paci: Diſcordia, quæ eſt in corde, Contentio, quæ eſt in ore, Schiſma, Bellum, Rixa, ſeditio: & hæc quatuor poſteriora in opere declarantur. Quantum ad primum, v. ad Diſcordiam, ſex dicam.

Diſcordia quid ſit?

Dico primò. *Diſcordia, loquendo generaliter; eſt quædam diſſenſio voluntatum, & iudiciorum, quæ ex diuerſis cauſis, aut principijs oriri ſolet. & ſic contingit quandoq; eſſe iuſtam & virtutis actum, quandoq; eſſe iniuſtam & peccatum.* IVSTA eſt, cum quis ab hæreſi, & à falſâ doctrina diſcordat,

aut

aut ab eo, quod bonis moribus cõtrariatur. *Iniuſta* eſt, cùm quis ab eo diſſentit, quod eſt ſana doctrina, & quod honorẽ Dei promouet

Diſcordia eſt peccatũ mortale.

2. Dico ſecundò. *Diſcordia per ſe contrauenìens concordiæ in genere ſuo, eſt peccatum mortale* RATIO. Quia concordia naſcitur ex charitate. Sed diſcordia tollit concordiam. ergo & charitatem ergo aufert vitam ſpiritualem, quæ eſt per charitatem. ergo eſt mortale, quia vitam ſpiritualem perimit.

Dico tertiò. *Motus primi diſcordiæ ob imperfectionẽ ſunt veniale peccatum.*

Diſcordia per accidẽs quæ?

Dico quartò. *Contingit eſſe diſcordiam per accidens, v præter intentionem*, vt cum alicuius eſt intentio ad honorem Dei, aut ad vtilitatem communem. & hinc naſcitur diſcordia, quód vnus iudicat eſſe bonũ, aut verum; aliꝰ iudicat eſſe falſum, aut malum, ita quod inde fiat voluntatum diſſenſio. Et ſic fecit D. Paulus coram Saduceis, & Phariſæis, quos ſciebat in malo conſentire: vnde verba facere cœpit de reſurrectione, profitendo ſe eſſe Phariſæum, & hinc inter eos facta eſt diſſenſio; Saduceis negantibus, Phariſæis aſſerentibus eſſe reſurrectionem quæ diſcordia fuit laudabilis, quia tollebat concordiam in malo, & talis diſcordia ex accidente non eſt peccatum mortale.

3. Dico quintò. *Hanc diſcordiam contingit quandoq; ſolùm ex parte diſſentientis eſſe peccatum; vt cum vnus aſſerit eſſe verum, aut bonum, alius ab eo ſcienter diſſentit: quandoq; eſt cum peccato vtriuſq; diſſentientis, vt cum vterq; ob vtilitatem à bono diſſentit, maximè ſi fiat cum pertinacia, cum errore circa ea, quæ sũt ſalutis, & ſic eſt mortale peccatũ*

An diſcordia præter charitatem ſit contra alias virtutes?

Quæres, hæc diſcordia explicata videtur ſolùm eſſe contra charitatem, vnde quæritur, an etiam contra alias virtutes accidat? *Reſpondeo* poſſe accidere, vt cùm ſubditus à voluntate ſui ſuperioris diſſentit, dicitur eſſe diſcordia contra obediẽtiam. *Similiter* cum quis diſſentit à voluntate creditoris exigentis debitum, eſt diſcordia contra iuſtitiam. Sed in hoc loco per diſcordiã intelligimus vitium ſpeciale, oppoſitum charitati.

Diſcordia vnde oriatur?

4 Dico ſextò. *Diſcordia genꝰ ſuum ducit ex ſuperbia, ſeu ex inani gloria.* PROBATVR. diſcordia ex eo naſcitur, quòd quis inordinatè inhæreat ſuo affectui, vel opinioni. Sed, qui ſic procedit, & bene ſentientibus aduerſatur, videtur ſe nolle eſſe inferiorem alijs in ſcientia, aut virtute: quod eſt ſuperbiæ, & inanis gloriæ.

Obiectio.

Obijcies. Dictum D. Aug: tract: 32. in Ioan. *Liuor ſeparat, charitas iungit.* ſed diſcordia eſt ſeparatio voluntatum. ergo ex inuidia oritur.

Solutio eiꝰ

Reſpondeo diſcordiam ſecundùm diuerſas rationes poſſe oriri; & ex inuidia, in quantum vnus à voluntate alterius recedit; & ex inani gloria, ſecundùm acceſſum ad id, quod eſt ſibi proximum, & delectabile: tamen potiùs ex inani gloria oritur. quia terminus *ad quem*, eſt potior, quám terminus *à quo* iam autem receſſus voluntatum, qui fit per inuidiam, eſt terminus *a quo*; acceſſus autem ad id, quod nobis placet, quod facit inanis gloria, eſt terminus *Ad quẽ*.

DISPVTATIO XVI.

De Contentione, vitio ſe-cundo Paci oppoſito.

1. DVO dicam ſ. An ſit peccatum mortale? & vnde oriatur?

Quid hic per contentionem intelligatur?

Dico primò. *contentio aliquando eſt aliquando non eſt peccatum mortale. Declaratur. Nam per contentionem* hic intelligimus pugnam ſeu altercationem verborum (vt in diſputationibus vſu venit) quæ importat quandam contrarietatem, & diſcrepantiam aduerſus proximum. contingit autem dupliciter. *primò* contra veritaté, quam D. Ambr: dicit eſſe impugnationem veritatis, cum confidentia clamoris, & ſic eſt peccatum mortale; quando eo animo veritas ad fidem pertinens, aut ad bonos mores impugnatúr: ſi autem exercitij cauſa, aut tentationis fiat, aut ex probabili ignorantia, excuſatur à mortali. *Secundò* fit contentio, quando impugnatur falſitas: & hæc non eſt peccatum, niſi fiat exceſſus, aut in vocis intenſione, aut in geſtibus incompoſitis, maximè ſi fiat non ad inſtructionem audientium, ſed ad inanem oſtentationem, & ſic non vacabit peccato: non quidem, quód ſit contra charitatem, ſed quia eſt contra modeſtiam: *ſi autem* ſcandala aut grauiores accidãt iniuriæ, erit peccatum mortale: *ſi autem* contentio adhibeatur in defenſionem veritatis, & in oppugnationem falſitatis, prouidendo ne fiat exceſſus; tunc non tam contentio, quàm defenſio veritatis dicenda. quamuis aliter videatur ſecundum communem apprehenſionem, quaſi ob clamorem ſit contentio.

Quotupliciter contentio contingat?

Contentio vnde oriatur?

2. Dico ſecundò. *ſicut Diſcordia, ita & Contentio ex inani gloria oritur.* PROBATVR Sicut enim vterq; diſcordantium ſtant in ſuo ſenſu, & vnus alteri non acquieſcit; ita contendentes ſunt, quorũ vnuſquiſq; id verborum contentione defendit, cui corde adhæret. Sed in vtroq; inanis gloria relucet. ergo ex inani gloria naſcitur.

In diſputationibus quid ſeruandum?

Nota Doctrina huius articuli cũ à Philoſophis Chriſtianis, tum maximè à Theologis Scholaſticis in diſputationibus eſt ſeruanda; vt cum modeſtia, & charitate Chriſtiana, ob veritatis manifeſtationem, & gloriæ Dei amplificationem, ſuſcipiatur.

DISPV-

DISPVTATIO XVII.

De Schiſmate, vitio tertio oppoſito Paci.

1. DE Schiſmate quatuor inquiremus. *primò* an ſit peccatum ſpeciale? *ſecundò* an ſit grauius infidelitate? *tertiò* an Schiſmatici ſint cum poteſtate? *quartò*, quæ ſit pœna Schiſmatis?

Schiſma vnde dicatur?

QVANTVM ad primum *ſuppono primò* Schiſma deducitur à Græco Χίζω, quod eſt *Scindo*; vnde *Sciſſũ* ſeu *Sciſſionem* ſignificat, v. eam ſeparationem, quæ eſt partis à totò; vt cùm quis ſeparat ſe, & diſiungit ab vnitate Eccleſiæ, quæ eſt corpus myſticum, conſtans ex varia conditione fidelium, tanquã membris inter ſe connexis, ſub vno capite Chriſti vicario, Summo Pontifice.

Schiſma quid ſit?

Sed Quæres. Quid igitur Schiſma? *Reſpondeo*, Eſt receſſus, ſeu ſeparatio, cùm quis ſe ab vnitate Eccleſiæ, & ab illius capite ſeparat, retenta Chriſtiani nominis profeſſione. Pro intelligentia definitionis tria noto.

Receſſus ab vnitate Eccleſiæ quotupliciter contingat?

2. *Noto primò* Quód receſſus, ſeu ſeparatio ab vnitate Eccleſiæ, tripliciter accidit: *Primò*, per quodvis peccatum mortale; nam per illud exſtinguitur charitas, vniens animam cum Deo; *ſecundò* fit ſeparatio per excommunicationem, cum quis à cœtu fidelium præſcinditur: vt eum illo nec veſci, nec loqui, nec conuerſari liceat: *tertiò* per propriam voluntatem, cum quis renuit ſubeſſe Summo Pontifici, tanquam capiti vniuerſalis Eccleſiæ. Priores duæ ſeparationes, impropriè dicuntur Schiſmata: quia hæc non intendunt ſui ſeparationem ab Eccleſiã, tanquam à capite: vnde tertio modo erit Schiſma, cum quis ſe propria ſpõte, & intentione ab vnitate Eccleſiæ ſeparat.

Explicatio definitionis.

3. *Noto ſecundò*. Addidimus in definitione *retentâ Chriſtiani nominis profeſſione*. Quia, ſi quis deſciſcat ad Iudaiſmum, aut ad Paganiſmum, non dicitur *Schiſmaticus*; ſed aut *Iudæus*, aut *Paganus*. De Hæreſi verò hoc tenendum, quód quamuis hæreticus ſemper adiunctum habeat Schiſma; tamen non neceſſariò quodlibet Schiſma habet adiunctam hæreſim. Nam Schiſma in eo conſiſtit, quód retentis his, quæ ſunt fidei, ſe ab vnione, & communione fidelium, & capitis ſui ſeparat.

Noto tertiò. cùm hoc Schiſma ſit ſeparatio ab vnitate Eccleſiæ, de qua confitemur in Symbolo: *& vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam*. idcirco.

In quo conſiſtat Eccleſiæ vnitas?

4. *Quæritur*. In quonam hæc vnitas conſiſtit? *Reſpondeo cum Caiet*: tria eſſe, quæ vnitatem militantis Eccle-

Eccleſiæ conſtituunt. *Primò* vnitas virtutum Theologicarum, & Sacramentorum. nam omnes Chriſti fideles vnum credunt, vnum ſperant, vnum amant, v. Deum vnum, & trinum, & eadem recognoſcunt Sacramenta.

Secundò. Vnitas Capitis, non ſolùm in cælo Chriſti, ſed in terra ſui Vicarij: & ex hac vnitate capitis, naſcitur in ipſis fidelibus *Eſſe* relatiuum ordinis, ſ. ad vnum caput: conſtituitur quoq; per *Eſſe* actionis, & paſſionis ſecundùm *Præcipere*, & *Obedire*. nam omnes & ſinguli fideles mouentur à Spiritu S. non ſolùm ad actiones, virtutum Theologicarum, ſed etiam, vt vni capiti, eidemq; Vicario Chriſti, in terris obediant.

Tertiò hanc vnitatem conſtituit vnitas collectionis vniuerſorum fidelium, ita, quód exiſtiment ſe eſſe membrum vnius numero Eccleſiæ; ita, quód cum ea operatur, quæ ſunt vitæ ſpiritualis v. eadem credendo, ſperando, amando, quæ Eccleſia credit, ſperat, amat. quod quidem accidit ex motione & diſpoſitione Spiritus S. qui Eccleſiam vult eſſe vnam, & non plures: idcirco mouet ſingulos ad interius & exterius operandum, vt tanquã partes Eccleſiæ ea faciant, quæ facit Eccleſia, ſicut pars facit propter totum, & hæc vnitas eſt effectus charitatis, in quantum Spiritus S. qui eſt Cor Eccleſiæ, mouet fideles ad charitatem, vt velint eſſe partes vnius Eccleſiæ.

Schiſmatis peccatum quomodo incurratur?

5. *Quæres*. Peccatum Schiſmatis quomodo incurratur? *Reſpondeo*, quód eo duplici modo incurritur, ſicut & hæreſis: *primò* mente & voluntate, vt cùm quis ſecum ſtatuit, vt ſe non gerat tanquam membrum Eccleſiæ, hoc tamen nullo opere externo declarat, & ſic vt per quoduis peccatum mortale, per actum voluntatis plenum & deliberatum, committitur; ita & Schiſma committi poteſt: *ſecundò* incurritur, quando iam opere declaratur, vt ſi quis ex rebellione, orta ex inobedientia, nolit ſubeſſe Paſtori vniuerſalis Eccleſiæ, Romano Pontifici. & ſic Schiſma eſt peccatum conſummatum.

Obſerua

Nota quód peccatum Schiſmatis, poteſt committi ſecundùm magis & minus, in quantum quis magis aut minus ab Eccleſiæ vnitate ſe ſegregauerit. Ille eſt deterior Schiſmaticus, qui ſe directâ intẽtione ab Eccleſia ſegregat: quam, qui indirectè ex aliqua circumſtãtiâ, aut offenſa priuata, paratus tamen ad Eccleſiam redire.

Obſerua ſecundò.

Nota ſecundò. nolle obtemperare Summo Pontifici, non eſt propriè Schiſma; ſed nolle illi ſubeſſe tanquam capiti vniuerſalis Eccleſiæ, erit Schiſma *v.g.* ſi quis Regum moneatur à Summo Pontifice, vt ab hoc bello ceſſet; & ille recuſat hoc facere: hic Rex non erit quidem Schiſmaticus, ſiquidem recognoſcit Papam tanquam Caput vniuerſalis Eccleſiæ; tamen grauiſſimè peccabit. His præmiſſis ad primum.

Schiſma eſt peccatum ſpeciale.

6. Dico, *Schiſma eſt peccatum ſpeciale, quia eſt contra virtutem ſpecialẽ, v. contra charitatem*. PROBATVR. quia Schiſma Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, lacerat & ſcindit, ſeipſum ſegregans ab vnitate Eccleſiæ, quam charitas conſtituit. *Deinde quia*

de quia fideles ex charitate, & ſibi & ſuis proximis, bonum cõmunionis & vnitatis in eadem Eccleſia, optare debent: vt inter illos pax & conſenſio ſeruetur. ergo qui ſe ſeiungit ab hac vnitate, contra charitatem peccat. ergo Schiſma charitati opponitur. *Item* quia Schiſmatici, ſicut & Hæretici, ſcindunt inconſutilem tunicam Chriſti, quæ charitatem ſignificat (vt retulit S. Petrus Epiſcopus Alexand. cùm eſſet in carcere, quód nollet Arium ad Eccleſiæ vnionem, communioneq; admittere, quòd ſibi Chriſtº noctu in veſte diſciſſa apparuit; cauſamq; ſciſcitanti tantæ lacerationis, reſpondit Arium ſuam veſtem ſcidiſſe, id eſt Eccleſiam.)

Schiſma an ſit peccatũ grauius infidelitate?

7. QVANTVM *ad ſecundum*. An ſit grauius infidelitate? *Reſpondeo* quód infidelitas ex ſuo obiecto conſiderata eſt grauius peccatum, quàm Schiſma. *Probatur*. quia infidelitas eſt peccatum contra ipſum Deum, in quantum eſt prima veritas. Schiſma autem eſt contra vnitatem Eccleſiæ, quam conſeruare nititur charitas, & hæc quidem vnitas eſt bonum participatum; vnde minus ipſo Deo, qui eſt bonum per Eſſentiam. ergo infidelitas eſt grauius peccatum.

Contingit tamen ex certis circumſtantijs, quód Schiſma ſit grauius peccatum infidelitate, cùm importat magnum contemptum, aut magna pericula & incommoda, hoc ita eſſe teſtatur experientia, quàm grauiter affligatur Eccleſia, quoties Antipapæ aut alij Schiſmatici aduerſus Eccleſiam caput ſuum extulerunt.

Schiſma vnde oriatur?

8. *Quæres* vnde originem ſumat? *Reſpondeo* ex ambitione, cùm aliqui hoc malo inflati, imperiũ ſibi arrogare volunt, & dominari in Clero.

Schiſma quale eſt peccatum?

Rurſum quæres qualenam peccatũ Schiſma? *Reſpondeo* ex ſuo genere eſt mortale. *Ratio*: Diuulſio enim ab Eccleſiæ vnitate, ſẽper eſt quid graue. vnde Summiſtæ abſolutè pronuntiant, Schiſma eſſe mortale. *Ex quo collige*, quód Schiſma ratione materiæ non poteſt dici veniale, ſed ex imperfectione voluntatis non ſatis deliberatæ, ſic veniale dici poteſt.

Schiſmatici an habeant poteſtatem?

9. QVANTVM *ad tertium*. An Schiſmatici habeant poteſtatem? Pro reſponſione dico quatuor.

Dico primò. *Poteſtas conſecrationis, quæ confertur per conſecrationem, manet in Schiſmaticis, atq; etiam in Hæreticis.* RATIO. Quia omnes Eccleſiæ conſecrationes ſunt immobiles; & tamdiu manent, quamdiu res conſecrata. vnde & altare ſemel conſecratum, iterum non conſecratur, niſi fuerit diſſipatum. ergo etiam in homine conſecratio manebit, quamdiu viuet: cuius rei hoc ſignum eſt; quia rediens ad Eccleſiam; iterum, nec baptizatur, nec conſecratur, nec ordinatur.

Dico ſecundò. *Huius poteſtatis conſecrationis in illis manentis, vſum amittunt Schiſmatici, ita, quód illis non liceat vti ſua poteſtate.* RATIO. Quia poteſtas interior non debet exire in actum, niſi ſecundùm quod mouetur à ſuperiori poteſtate.

Dico tertiò. *Si Schiſmatici vſi fuerint ſua poteſtate Sacramentali, illorum poteſtas habet effectus Sacramentales.* RATIO. Quia in his homo non operatur, niſi vt inſtrumentum Dei: vnde

vnde effectus Sacramentales non tolluntur, propter culpam quamcunq; conferentis Sacramentum.

In Schiſmaticis & Hæreticis poteſtas Iuriſdictionis non manet.

Dico quartò. *Poteſtas iuriſdictionis non manet in Hæreticis, & Schiſmaticis, ita, quód nec abſoluere, nec excommunicare, nec indulgentias facere poßunt.* RATIO. Quia hæc poteſtas ex ſimplici iniunctione Prælati confertur, & non adhæret illis immobiliter.

An Schiſmatici Epiſcopi poſſint conferre legitimè Sacramentum Ordinis?

10. *Quæres*, An Epiſcopi Schiſmatici poſſint conferre legitimè Sacramentum Ordinis? *Reſpondeo*, Sententiam eſſe Patrum, quód in illis manet quidem poteſtas conſecrandi, ſed illius vſus, & exercitium legitimũ eſt ablatum. vnde Patres Concilij Lateran: ſub Innocentio tertio cap. 1. definierunt ordinationes ab Octauiano, & Guidone hæreticis factas, irritas eſſe Gloſſa addit. *Niſi cum eis fuerit diſpenſatum, aut niſi ordinatus probare poßet, ſe neſciuiße illum Epiſcopum fuiße Schiſmaticum, aut habuiße legitimam diſpenſationem, accipiendi ordines à Schiſmatico.* RATIO. Quia ab excommunicatis tollitur poteſtas Iuriſdictionis; nam ſubditi à ſubiectione eorum, quam diu ſunt excommunicati, ſunt liberi. Sed Schiſmatici ſunt excommunicati. ergo non poſſunt exercere iuriſdictioné.

An Schiſmatici conuenienter excommunicantur?

11. QVANTVM ad quartum Dico *Schiſmaticos conuenienter excommunicari.* PROBATVR. Nam numeri 16. dicit Deus. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum* (qui ſ. Schiſma fecerunt) *& nolite tangere ea, quæ ad illos pertinent. Deinde.* Quia conueniens eſt, vt vnuſquiſq; in eo puniatur, in quo delinquit. Sed Schiſmatici peccant ſeparando ſe ab vnitate Eccleſiæ. ergo dignum eſt, vt præſcindantur per excommunicationem ab Eccleſiæ vnitate, & à conſortio fidelium.

Nota. ſicut Hæretici mentales, ita & Schiſmatici, non incurrunt pœnam excommunicationis, quæ à iure eſt lata; ſed ſolùm illi, qui iam in actum externum Schiſmatis prodierunt.

Schiſmatici [illegible]

DISPVTATIO XVIII.

De Bello quarto vitio oppoſito Paci.

Multa hîc, & à Doctoribus, & à Summiſtis diſputari ſolent, nos quatuor attingemus:

1. *An ſit licitum bellum?*
2. *An etiam Clericis & Epiſcopis ſit licitum pugnare?*
3. *An licitum ſit in bello inſidiis vti?*
4. *An die feſto ſit bellandum?*

QVÆ-

QVÆSITVM I.
An Bellum licitè, & ſine peccato geri poſsit?

Bellum vnde dicatur? 1. NOto primò. Bellum, quamuis nonnulli ideo Dictum eſſe velint, quód minimè ſit bellũ: tamẽ potiùs à belluis videtur deductum, quód more belluarum viribus deſeruiat, & crudelitatem exerceat, multa damna & incommoda importando. Quid eſt bellum? *Eſt* autem *bellum armorum conflictus, ad hoc inſtitutum; vt vi, & armis parti aduerſæ, contra quam arma ſunt ſumpta, noceatur, & iniuria vindicetur* (vt inferiùs patebit.) Bellũ quo-tuplex eſt? *Hoc autem* bellum duplex eſt? *Defenſiuum*, quo nos & Rempub. & bona illius contra inuaſores defendimus. & *Offenſiuum* cùm quis hoſtem Reipub. prior armis aggreditur. *Finis Defenſiui* eſt, ſe & Rempub. defendere; *Finis verò Offenſiui* eſt, ſumere vindictam ex hoſte: vnde & vindicatiuum dici ſolet.

Cur bellum offenſiuum ſumatur? 2. *Noto ſecundò* hoc bellũ propter multa incommoda, cædis, deprædationis, agrorum vaſtationis, ædificiorum incendia, & propter alia incommoda, quæ ſecùm importat videtur rationi eſſe diſſonum; ſed conſideratũ ex fine, & circũſtantijs eſt legitimũ. nam hæc omnia incõmoda ad finẽ belli, v. ad pacẽ & trãquillitatẽ relata cõpenſantur: nam pax Eccleſiæ, Reipub: eſt maximum bonum: & vt medicus curans infirmum, primò potionibus eum amaris implet, vt ſic conturbatis humoribus, poſſit illos propulſare, & inducere ſanitatem: idem bella habent; nam damna, cædes, incendia, per obtentam pacem, videntur compenſari.

Noto tertiò fuiſſe Manichæos, qui bellum vituperabant, (vt habet D. Aug. contra Fauſtum lib. 22. cap. 74.) aſſerẽtes illa eſſe à malo Deo. Hæreticorũ errores de Bello. VVicklefus verò, & bella & armorum vſum damnabat. Lutherus (vt refert Rotenſis art 34.) ita fuit pius in Turcas, vt bella contra eos ſuſcepta reprehenderet: dicebat enim illos eſſe Flagellum Dei, cui reſiſtere non licet.

3. Ad Quæſitum dico. *Si bellum geratur ſeruatis iuſtis conditionibus, tunc ſemper licitum fuit, & licet illud contra hoſtes Reipublicæ ſuſcipere.* Bellũ quando eſt licitum? PROBATVR. Legimus Gen. 14. Abraham geſſiſſe bellum pro recuperando Loth; & rebus illius contra quatuor Reges, & à Melchiſedech laudatus eſt, & benedictus. *Tum* Imperatores populi Iſraelitici (vt Moyſes, Ioſue, Gedeon, Machabæi) bella Domini præliati ſunt. Et Samuel. 1. Reg. 15. ſic loquitur ad Saulem regem: *Hæc dicit Dominus exercituum, nunc ergo vade, & percute Amelech, & demolire vniuerſa illi*. ſed imperiũ Diuinũ non eſt rei illicitæ. ergo bellũ licitũ. Et Lucæ 3. legim*ᵘ*, cùm milites Ioan. Baptiſtã interrogarẽt, quâ

ratione venturã iram poſſent euadere? non prohibuit illis militiam, ſed dixit; *neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris* Super quem locum D. Aug. epiſt. 5. ad Marcell. ſic ſcribit: *Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, potius militibus conſilium petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, ſeſeq; militiæ ſubtraherent, ſed dictum,* Neminem concutiatis. Et inferiùs dicit: *Quibus proprium ſtipendium ſufficere præcepit, militare vtiq; non prohibuit.* Et *ratio eſt.* duplex eſt bellum Defenſiuum, & offenſiuum. ſed vtrumq; licitum eſt: ergo ſine peccato præliari poſſumus *Minor.* Bellum defenſiuum ideo licitum, quia ſui defenſio eſt iuris naturalis, & ſi hoc licet priuatæ perſonæ, longè licebit Reipublicæ. *Offenſiuum* bellum ideo licitum, quando non eſt alia ratio vindicãdi iniurias, & repetendi damna Reip. illata. ſicut enim priuatus habet medium vlciſcendi iniurias acceptas, v. habet viam iudicij: ita à Republica hoc medium non eſt remouendum, quo ſolo iniurias poſſit ſarcire, aut damna recuperare; nam non eſt ſuperior, coram quo agere poſſimus, & qui aduerſariũ ad reſtituendum iniurias cogat. ergo licitè bello offenſiuo aggrediendus hoſtis.

Obiectio. 4. *Obijcies.* Matt: 5. Chriſti eſſe præceptum, *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam, etiam præbe illi & ſiniſtram.* Et ad Rom: 13. *Non vos defendatis.* ergo neq; defenſiuum Chriſtianis eſt licitum. *Reſpondeo.*

Solutio ei⁹ hunc locum non loqui de bello iuſto, quód publicá authoritate geritur: ſed de priuata iniuria; quam vlciſci priuata authoritate non debemus de eo, qui eam nobis intulit, ſed ad eam tolerandam debemus eſſe in animi præparatione: nõ quód altera maxilla ſit præbenda; ſed quód ita animo comparato eſſe debemus: vti ſi præter illatas aliæ inferantur, eas patienter ſuſtineamus. In hac autem ſupportanda iniuria diu debemus eſſe patientes, ſi ita ſalus proximi requirat; ſed ſi proximus inde capiat occaſionem in Deum & in animam ſuam peccandi; tunc ad comprimẽdam illius inſolentiam cum eo iure agendum. Vnde Saluator in maxillam percuſſus, ideo non obtulit aliam percutiendam, vt inſolentia audacis, & ſæuientis ſerui comprimeretur, ſed dixit; *Si malè locutus ſum teſtimonium perhibe de malo: ſin autem bene, cur me cædis?*

Ad verba D. Pauli dico in Græco haberi Nõ *vos vlciſcentes*, ita, quód pro eodẽ ſumantur verba *Defendentes* & *Vlciſcentes*: & ſic Apoſtolus, non bellum, ſed vindictam de acceptis iniurijs prohibuit.

5. *Rurſum obijcies.* Matt. 26. *Qui acceperint gladium, gladio peribunt? Reſpondeo* Chriſtum D. in his verbis Obiectio altera cum ſolutione. ſolùm reprehendere eos, qui ſumunt gladium, cuius ſumendi authoritatem non habent; ſed non prohibet vſum legitimum gladij, qui magiſtratui conuenit, de quo Apoſtolus ad Rom: 13 *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Et inferiùs. *Dei enim miniſter eſt*: vnde cum illo vtitur, ex authoritate Dei vſum illius habet. vnde exſiſtentes in magiſtratu, vt Reges, Principes, non ipſi ſumunt gladium; ſed dato ſibi

diuini-

diuinitus, ex officio ſuo vtuntur, ad bonum religionis, & Reipublicæ defendendum, aut vindicandum.

Quæ conditiones requirantur vt bellum ſit licitum?

6. *Quæres.* Quænam conditiones requiruntur, vt Bellum ſit licitum? *Reſpondeo* tres requiri. *prima* vt ſit ab eo indictum, qui habet authoritatem indicendi. *ſecunda* vt ſit cauſa iuſta. *tertia* vt ſit recta intentio. vnde

Qui poſſunt indicere Bellum?

Dico primò. *quoad primam conditionem Reſpublica perfecta, & illius magiſtratus, aut Senatus, aut Princeps habet authoritatem indicendi bellum, tàm defenſiuum, quàm offenſiuum.* Intellige autem illam eſſe perfectam Rempublicam, quæ in ſua iuriſdictione ab altera non dependet, vt eſt Reſpublica Polonorum, Gallorum, Hiſpanorum, Venetorum: ſicut illa dicitur eſſe imperfecta, quæ ab alia ſuperiori Republica cum ſuo Principe dependet. *Probatur* Quia hoc bellũ ad hoſtium iniurias propulſandas eſt neceſſarium, & hæc Reſpublica cum ſuo Principe non habet ſuperiorem in temporalibus. ergo ipſa iniuriam bello vindicare debet; niſi enim vindicaret, omnia latrocinijs, deprædationibus plena eſſent: nam ſcirent quód Princeps non habet poteſtatem indicendi bellum.

Quę eſt perfecta Reſp:

Imperfecta Reſpublica offenſiuum bellum indicere non poteſt.

7. Dico ſecundò. *Reſp: quæ eſt imperfecta ſolùm bello defenſiuo vti poteſt, non autem offenſiuo.* RATIO. *primi* Quia ſui defenſio eſt naturalis cuilibet perſonæ. ergo etiam conueniet imperfectæ Reipublicæ. *Ratio ſecundi.* Quia habet ſuperiorem Principem, in cuius iudicio iniuriarum agere poteſt. Si enim Principes ſubiecti belli indicendi haberent poteſtatem, hoc cederet in perniciem maximam Reipublicæ. nam non ſolùm cædibus omnia eſſent plena; ſed plurimi vſurparent ſibi poteſtatem indicendi bellum.

An infideles liceat in ſocietatē belli vocare?

Quæres. Poſt bellum indictum, an liceat infideles in ſocietatem belli vocare? *Reſpondeo.* Secluſo ſcandalo, & periculo fidei, & ſi hoc ſine interitu Reipublicæ fieri poteſt, licitum eſſe. Nam Manichæi cũ Romanis, & Spartanis fœdus percuſſerunt, vt eos in bello iuuarent.

Quæ eſt iuſta cauſa Belli?

8. Quantum *ad ſecundam* conditionem. Dico *Iuſtam cauſam belli eſſe iniuria accepta, hæc autem debet eſſe grauis, & ſi aliter recuperari non poteſt, niſi per bellum.*

Iniuriarum genera varia propter quæ bellum licitè inferri poteſt.

Nota. Varia eſſe genera iniuriarum, propter quæ bellum licitè inferri poteſt. *Primum*, quando id negatur, quod iure debet naturæ concedi: & ſic filij Iſrael contra Reges Amorrheorum pugnarunt, qui illis liberum tranſitum negabant, qui iure naturæ debetur. *ſecundum*, quando Reſpublica iniuſtè ab hoſtibus inuaditur. *tertium*, quando auxilium præbetur hoſtibus Reipublicæ, nam hi in hoſtium numero ſunt cenſendi. *quartum*, quando Principi contumelia publica eſt illata. *quintum*, quando ſubditi ſunt rebelles. *ſextum*, quando eſt violatio pactorum. *ſeptimum* quando populi ſubiecti ſunt idololatræ, & ipſi prædicationem Euangelij impediunt, & alios cogunt ad idola colenda.

De Hæreticis in Tractatu noſtro de Fide determinauimus, quãdo, & quomodo bellum contra

hos ſit licitum? illud hîc Principi diligenter conſiderandum. An illud bellum, quod eſt indicendum, ſit cum amplificatione Catholicæ religionis, an verò cum detrimento. Si ſperat incrementum ſecuturum, in nomine Domini exercituū aggrediatur. ſi autem periculum ſit ſcandali, & occaſio ruinæ ſpiritualium bonorum, aut damnorum inſignium in Eccleſia, potiùs illud bellū, quod iure potuit proſequi, intermittere debet.

Quid ſit Principi conſiderandum in bello indicendo?

9. *Quæres* quid ſi dubium ſit, an belli ſit iuſta cauſa? *Reſpondeo* ſi ſit dubium, non poſſe bellum indici; niſi præceſſerit inquiſitio de iuſtitia cauſæ. ſi autem per diligens examen deprehendatur iuſtitia cauſæ; iam bellum iuſtè indici debet. *Ratio.* quia bellum eſt res magni momenti: ſed in negotijs magnis & dubijs præmittuntur deliberationes. vnde quando eſt dubium de iuſtitia cauſæ, inquirendum eſt. *Si verò* poſt diligens examen, ſit nihilominus cauſa iuſtitiæ dubia: & alter ſit in poſſeſſione bonæ fidei, non poteſt illi bellum indici. quia ſemper melior eſt conditio poſſidentis: vnde ſicut hic poteſt ſe legitimè defendere; ita ille iniquè bellum inferre. *Si verò res,* de qua bellum eſt mouendum, non ſit in poſſeſſione; quidam dicunt: quód vterq; Principum habebit ius ad primò occupandum: ſed ne bellorum incendia creſcant, potiùs illi principes rem illam inter ſe ex æquo partiri deberent. *Si autem* Princeps per ſeriam inquiſitionem deprehenderit, ius ſuum magis eſſe probabile, magiſq; fundatum; quā aduerſæ partis: tunc pro illius rei recuperatione, legitimè poteſt indicere bellum.

Quid faciendum cum belli cauſa ſit dubia?

10. *Quantum ad Milites dico.* quód hi, cùm ſit dubia cauſa iuſtitiæ, nō tenentur inquirere; ſed acquieſcere debent Principis, & Reipublicæ iudicio, modò illis conſtet, non eſſe bellum iniuſtum: ſicut enim miniſter iudicis poteſt exſequi iudicis ſententiam, nullo præmiſſo examine; idem de milite dicendum, ſiue tenendum, niſi ex rumore cognoſcat belli cauſam eſſe iniuſtam, tunc enim teneretur ad inquirendam. *Tum* quia ſubditi in dubijs tenentur obedire Principi. nam in dubijs melior eſt conditio poſſidentis: iam autem Princeps eſt in poſſeſſione imperando ſubditis, quare tenentur illi obedire: & hoc intelligendum de milite ſubiecto, & ſtipendiario: ſi autē ſit voluntarius, ille tali bello non debet ſe immiſcere, ne ſe periculo exponat, damna inferendo innoxijs. *Tum* quia nulla neceſſitas illum cogit, ad obtemperandum Principi cum tali periculo: ſi autem ex aliquib' indicijs cognoſcat eſſe iuſtum, poterit intereſſe bello, & iuuare Principem; præſertim ſi de æquitate Principis ſit benè perſuaſus.

Milites an tenentur inquirere an ſit cauſa dubia?

Quæres an poſſit eſſe bellum iuſtum ex vtraque parte? *Reſpondeo* materialiter & re ipſa non poteſt eſſe iuſtum ex vtraq; parte. nam vnius rei ius non poteſt, niſi vni ſoli perſonę conuenire. *Formaliter* verò & per accidens, aut propter ignorantiam inuincibilem, aut propter probabilem opinionem, quam quiſque in bello indicendo ſequi poteſt, ex vtraque parte poteſt eſſe iuſtum.

Bellum an poſſit eſſe iuſtum ex vtraq; parte?

11 *Quan-*

Quid ad intentionem rectam belli requiratur?

11 *Quantum ad tertiam* conditionem iuſti belli, cum hæc ſit intentio recta, quæritur; quæ ad eam requirantur? *Reſpondeo* requiri, vt ex triplici fine ſumatur. *Primò.* ex communi bono; ſeu pacis adeptione. *ſecundò.* ex bonorũ iniquè ablatorum recuperatione: *Tertiò,* vt ſit iniuriæ illatæ decens vindicatio.

Quæ in bello ſunt ſeruanda vt ſit licitum?

Officia Principis in bello.

Quæres hîc; quænam in bello ſunt ſeruanda; vt ſit licitum? *Reſpondeo.* fore ſic licitum, ſi & Princeps, & Duces militum, & ipſi milites ea, quæ ſunt officij illorum adimplebunt. *Ad Principis officium ſpectat,* vt militibus conſtituta, & debita ſtipendia elapſo ſolutionis tempore, quæ illis ex iuſtitia debentur, ſoluantur; & ſic non euenient rapinæ, deprædationes, agrorum vaſtationes, ad quas miles faciendas neceſſitate inopiæ adigitur.

Quæ ad officium Præfectorum ſpectant?

12 *Ad officium Præfectorum militum ſpectat,* vt ſub vexillis plenum numerum militum habeant, ne falsò alios ſupponant; qui ſecus faciũt, grauiter peccant, quia ſuffurantur Reipublicæ pecuniam. *Tum,* quia Rempublicam in periculum addu cunt amittendæ victoriæ, quæ haberi potuit, ſi deſtinatus numerus militum haberetur. Quodſi hoc faciunt, vt detentam ſolutionem hac ratione à Principe conſequi poſſint, dico hoc medium eſſe illicitum. vnde, ſi ob hoc incommoda Reipublicæ ſunt illata, tenentur ad reſtitutionem.

Militis ſtipendiarij officium.

Militum vero ſtipendiariorũ erit, operam ſuam conductam, cum vitæ diſcrimine præſtare, vnde ſtationem ſuam deſerere non debent etiamſi illis mors certiſſima immineat: qui aufugerint mortaliter peccant, & obligantur ad reſtitutionem damnorum. Ijdem cum ſuis Præfectis debent, ſecundùm doctrinam D Baptiſtæ, contenti eſſe ſtipendijs ſuis; & vt neminem cõcutiant, neq; calumniam faciant, hoc eſt, prætextus non excogitẽt, quibus inducti ſpolient innocentes, aut opprimant.

Officium Principis quod?

13. *Illud quoq; ad officium Principis ſpectat;* quòd ſi hoſtis debitam & iuſtam offerat ſatisfactionẽm, eandem acceptare debet. Caiet. dicit, ſi hoc fiat ante inchoatum bellum, teneri Principẽ ad eam, ſi ſit iuſta recipiendam: ſi autem cœptum eſt bellum, non obligari ad acceptandam; ſed potiùs teneri Principem etiam tũc, cùm eſt inchoatum bellum, deſiſtere, ſi offertur iuſta compenſatio. nam eo tempore, quo offertur ſufficiens ſatisfactio, iam ceſſat iuſta cauſa belli: quia ceſſant iniuriæ, cùm hoſtis ſubmittit ſe debitè & ſufficienter illas compenſaturum.

In bello innocẽtes an liceat occidere?

14 *Rurſum quæres* an in bello innocentes liceat occidere? *Reſpondeo* quòd innocentes in bello, quãtumuis iuſtè, directè & ex intentione non debent occidi, quia præceptum eſt Exodi 23. *Inſontem & iuſtum non occides.* Et Deut. 20. *Percuties omne, quod in eis eſt maſculini generis, præter infantes.* In numero *innocentum* habendi ſunt, qui arma ferre non poſſunt, vt infantes, mulieres, ſenes, Clerici, religioſi, ruſtici. ſed ſi ex his aliqui hoſtem in bello iuuarent, etiam occidi poſſunt.

Per accidens verò publici boni cauſa, quia victoria aliter haberi

non

non poteſt, etiam cædes innocentium miſceri poſſunt, cum nocentium internecione: vt accidit in direptione, & euerſione vrbium, & hoc imputari debet, aut his, qui illos detinent inter nocentes, aut illorum imprudentiæ & miſeriæ, quòd ſint permiſſi nocentibus. Innocentes tamen, quia ſunt pars Reipub. aduerſæ, ſpoliari poſſunt bonis ob delictum publicum. *tum* quia ſuis bonis opitulari poſſunt hoſti.

An milites à ciuibus & ruſticis victum exigere poſſunt?

15. *Quæres*, an à ciuibus & ruſticis, qui ſunt eiuſdem Reipub: victum exigere poſſunt? *Reſpondeo* cum Caieta. verbo *Bellum*, quem Armilla ſequitur; præcipuè verò Driedo præclaram habet deciſionem, Milites quoties aut ruſticos, aut ſuos hoſpites grauãt, & adigũt, vt ea, quæ ad victum ſibi ſunt neceſſaria, ſubminiſtrent; peccãt mortaliter; nec excuſantur, ſi prætẽdãt non ſolutionẽ ſtipendiorum; quoniam bona illorũ ad hoc non ſunt obligata. nec item excuſantur, quòd Principes, & Duces permittant illis vexationem ruſticorum, aut ciuium; quia res eſt omnino iniuſta; & tantò magis iniuſta, quando ab illis, per tributa impoſita, ſunt ſtipendia militum prouiſa. *Tum* quia, non ex ruſticorum bonis; ſed ex ærario publico, ali debet miles. Excipitur tamen extrema neceſſitas, aut ſi operam ſuam in defenſione ciuium, aut ruſticorum præſtent; tunc aliquomodo illos ſuſtentare poſſunt. Et quia Princeps ad defenſionem ſubditorum eſt obligatus: ideo illis ex ærario Principis deberet rependi, quicquid etiam in ſui defenſione, militanti militi expoſuerunt.

Rebus Eccleſiaſticis tempore belli nõ licitum nocere.

16. *Quæres.* An rebus Eccleſiaſticis tempore belli, licitum ſit nocere? *Reſpondeo* non licere: quia hæc exempta ſunt: *Tum* quia cultui Diuino conſecrata: in tribus tamen caſibus licitè illis nocumentum inferri poteſt. *Primò*, quando Eccleſiaſtici ſe miſcent bello, & iuuant hoſtes, & tunc pro hoſtibus habentur. *ſecundò*, quando præter intentionẽ illis nocumentum infertur: quia aliter victoria non poteſt haberi: *tertiò*, quando Eccleſia eſt incaſtellata, hoc eſt more caſtri munita; tunc, ſi hoc ad nocendum fiat, expugnari poteſt: ſi autem munitio facta eſt, ad defenſionem Eccleſiaſticarum perſonarum, & innocentum, qui ſe alio modo defendere non poſſunt; tunc illi omnino parcendum eſt.

Confugientibus ad loca Sacra & rebus ibi aſportatis nocere nõ licet.

Nota qui ad loca ſacra confugiunt, vt ad templa, illis nocere prohibitum eſt, tam iure Ciuili, quàm Canonico: nec res eò aſportatas, licet cuiquam ſub pœna excommunicationis auferre.

Perſonæ in bello captæ Chriſtianæ nõ ſunt pro mancipijs habendæ.

Nota ſecundò de perſonis in bello captis: inter Chriſtianos, quaſi iure gentium conſtitutum eſt, vt capti in bello pro mancipijs non habeantur: iuſtè tamen detineri poſſunt, ſi ſunt nocentes. hoc priuilegio ex conſuetudine hæretici gaudent, quia vtiq; Chriſtum profitentur: Apoſtatæ, qui à nomine Chriſtiano receſſerunt, illo frui non poſſunt; vnde more paganorum in ſeruitutem ſunt redigendi.

Quando Princeps & quando miles ad reſtitutionem tenentur?

17. *Quæres* quando Princeps? & quando miles ad reſtitutionem tenentur? *Reſpondeo* quando eſt bellum

lum iniuſtum, tunc Princeps & ſinguli milites tenentur ad reſtituenda damna, quæ intulerunt, ſicut tenentur omnes illi, qui ad aliquē ſpoliandum ſunt congregati. ſi autem bellum ſit iniuſtum ex ignorantia, tunc in Principe erit culpabilis: quia debuit adhibere diligentiam in examine faciendo (vt iam dictum) in milite eſt inculpabilis; quia hic in dubio bello an ſit iuſtum, poteſt ſequi Principem. vnde ſolus Princeps ad damnorum reſtitutionem obligatur. Si autē ſit ignorantia inculpabilis, tunc ſolùm tenentur ad reſtituendum id, quo ditiores ſunt facti; non autem ad boues reſtituendos, & alia animalia, quæ occiderunt, aut domus, quas incenderunt. Sic communiter tenent Syluester in verbo *Bellum*, Soto de *Iure & Iuſt. lib. 4. quæſt. 7. art. 2.*

Miles dum rapit aliena hoſtibus an peccet & teneatur ad reſtituendum?

18. *Quæres iterum* ſi miles rapiat aliena hoſtibus, an peccet, & teneatur ad reſtituendum? *Reſpondeo*, ſi hoc fiat contra expreſſam, aut præſumptam voluntatem ſupremi Principis, qui indixit bellū, quia Chriſtiana pietas, hoc ab eo exigit, omnino illos peccare, & ad reſtitutionem damni illati teneri: per ignorantiam tamen probabilem, ad reſtitutionem eorum, quæ conſumpſerunt, non obligantur: ſi autem iubente, & volente Principe id faciant; dico illos non peccare, nec obligari ad reſtitutionem.

Res mobiles raptæ ex hoſtibus cuius ſunt?

Item quæres quid de raptis mobilibus ex hoſte cuius nam erunt? *Reſpondeo*, quód mobilia capta ab hoſtibus, in bello iuſto, ſunt capientium iure gentium; etiamſi excederent compēſationem damnorum, aut iuſtam vindictam, niſi aliter à Principe fuerit ſtatutum. Stando autem in lege naturæ, dico non poſſe, eos plus auferre ex rebus hoſtium, quám quod ſufficiat ad compenſationē damnorū, aut iniuriæ vindicandæ.

QVÆSITVM II.
An Clericis & Epiſcopis ſit licitum pugnare?

Clericis pugnare non licet.

19. PRo reſponſione Dico primò. *Euidens eſt & certum apud S.Th. & alios Doctores, quód Clericis quicunq; ſacris ordinibus ſunt initiati non licet pugnare.* Intellige per *Clericos*, tam religioſos, quám, qui ſunt extra religionem. RATIO. D.Th: Quia exercitia militaria, repugnāt officijs Clericorum: *Primò*, quia maximas inquietudines ſecum trahunt: vnde animum contemplationi Diuinorum, & laudi Dei debitum, impediunt: & tale eſt, & debet eſſe, Clericorū, inſtitutum. *Secundò*, quia ordines Clericorum ſunt in miniſterium altaris, in quo repræſentatur paſſio Chriſti: vnde non conuenit illis ſanguinem effundere; ſed potiùs ex imitatione man-

ne manſuetudinis Chriſti, ad ſui effuſſionem paratiores eſſe debent

Clericus in Minoribus conſtitutus in bello pugnare poteſt.

20. *Nota.* ſi tamen Clericus ſit in Minoribus conſtitutus, & in bello decertet, non peccat mortaliter: quia vt non peccat ducendo vxorem; ita nec pugnando in bello peccabit. ſed in Maioribus conſtituti ſi pugnent, tam in bello offenſiuo, quàm defenſiuo, mortaliter peccant: quia in tales grauiſſimæ pœnæ à iure decernuntur, quod ob grauitatem culpæ accidit: *Prima pœna,* quia priuantur exſecutione ſuorum Ordinum, Capitulo *Clerici,* & Capitulo *Quicunque*: *Secunda* tales iubentur recludi in monaſterio; *tertia* ſi Clericus moriatur in bello, interdictum eſt, ne pro illo fiant oblationes, & orationes (vt habetur in eodem Capitulo *Clerici.*)

Pœnæ in Clericos pugnantes quæ?

Præterea, Clericus geſtans arma excommunicari debet ex capitulo 2. de vita & honeſtate Cleri Excepto, quód illi per loca periculoſa tranſeundum eſt: ſi verò Cleric⁹ admonitus ter, arma non abiecerit, debet amittere Canonis priuilegium: quod eſt in percuſſores Clericorum latum, ex Capitulo *In audientiam.*

Quo iure Clericis prohibitū bellare?

21. *Quæres.* Quonam iure prohibitum Clericis bellare? *Reſpondet* C. Gratianus, & Taurecremata, ex Capitulo *Clerici* quód nullus Clericus, nec ſua authoritate, nec conceſſione Summi Pontificis, poteſt arma ſumere. vnde volunt, quód iure Diuino illis, arma ſint interdicta. Matt: 26. vbi dictum. D. Petro *conuerte gladium in locum ſuum* &c. Sed communis eſt Sententia, quód iure poſitiuo Eccleſiaſtico ſint interdicta. vnde poteſt Papa cum Clericis diſpenſare, vt bellum ſuá manu cōmittant, quoties eſt neceſſitas. Et Clericus ex diſpenſatione Summi Pontificis, poteſt ſententiam ſanguinis pronuntiare. *Cum autem* eſt neceſſitas extrema; tunc poteſt Clericus, etiam non obtenta diſpenſatione, manu propria in bello pugnare. *Ratio.* Quia bellum Clericis non prohibetur iure naturali; ſed ſolùm Eccleſiaſtico: vnde poſſunt incidere caſus extremæ neceſſitatis, in quibus ius naturale illis ſuadet bellandum eſſe.

In extr. necess. Clerici propria manu in bello pugnare poteſt.

22. Sunt autem hi caſus extremæ neceſſitatis: *primus,* quoties exigit neceſſitas, vt vitam ſuam defendat: *ſecundus,* vt ſalutem innocentis in periculo exiſtentem ſuſcipiat; præſertim, ſi illa perſona ſit plurimum Reipublicæ neceſſaria (vt Caiet: dicit) *tertius,* ſi hoc à Clericis requirit defenſio patriæ, ciuitatis; præſertim, cum ab iniuſtis inuaſoribus occupatur: *quartus,* ſi id neceſſarium ad adeptionem iuſtæ victoriæ, ex qua ſalus Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ pendet. Hæc autem neceſſitas ſolùm in bello defenſiuo locum habet; nam in offenſiuo non eſt tanta neceſſitas Reipublicæ; quia miles ad eam victoriam obtinendam haberi poteſt.

Qui ſint caſus extremæ neceſſitatis, in quibus Clericus propria perſona pugnare poteſt?

23. *Quæres* quid ſentiendum de Clericis, qui habent dominium, & iuriſdictionem temporalem? *Reſpondeo* quód tales Clerici, qui habent iuriſdictionem temporalem, (quales ſunt Epiſcopi Germaniæ) cùm ſint perfecti Principes, habét poteſtatem indicendi bellum, militum.

Clerici qui habent dominium & iuriſdictionem temporalé hi ſunt iudices belli.

ſitem conſcribendi, ducem belli conſtituendi, arma militibus tradendi: ipſi tamen belli duces eſſe non debēt. Ita tenet Syluester verbo *Bellum*. Et *ratio eſt*; quia cū tali Clerico Papa tradit dominium, ſeu iuriſdictionem temporalem, videtur cum illo diſpēſare, vt bella mouere poſſit, modò adſit iuſta cauſa & recta intentio: qui verò non habent iuriſdictionem temporalē, tunc ſi ſtatus illius Eccleſiæ periclitetur, poteſt Principem ſecularem inuitare, ad immunitatem ſuæ Eccleſiæ defendendam, vt habetur Capitulo *Maximianus*, qui quidem ad Imperatorem confugit, vt tuitionem ſuæ Eccleſiæ ſuſciperet.

Clerici poſſunt intereſſe bello.

24. *Quæres.* An Clerici poſſunt intereſſe bello? *Reſpondeo* quód poſſunt intereſſe, ex conſenſu ſuorum Superiorum, vt eis Sacramenta pro neceſsitate miniſtrent, ſpirituali conſilio iuuent; pugnare autem non poſſunt, exceptis caſibus iam enumeratis, licitè tamen exhortari poſſunt milites in iuſto bello, vt fortiter ſe gerant, modó nō dicant *occidite hoſtes*. RATIO. Quia iure communi prohibetur Clericis, non tantum occiſio, ſed etiam, ne ſint cauſa aliis occiſionis. Si autem eſſet caſus extremæ neceſsitatis: tunc poſſunt dicere. *occidite hoſtes*. RATIO. Quia ſicut illis licet tūc propria manu pugnare, ita aliis dicere poſſunt, vt hoſtē occidant.

Quādo Clerici in bello incurrant irregularitatem?

25. *Sed quæres vltimò*, quo ad irregularitatem: an incurratur? *Reſpōdeo*, Quód hi omnes Clerici, qui in bello iniuſto, erant cauſa manu propria occiſionis, aut alicuius mutilationis, ſunt irregulares (vt habet Syluester verbo *Bellum*) hic Syluester addit fuiſſe quorundam ſententiam; quód ſi per illos nulla occaſio aut mutilatio ſit facta, poſſit cum illis Epiſcopus diſpenſare. ſed contrarium tenendum, quód non poſſit.

Si autem ſit bellum iuſtum, & per illos nulla data eſt cauſa occiſionis, aut mutilationis; licet alios occiderint, aut mutilauerint, non ſunt irregulares. *Ratio* quia ad has occiſiones, aut mutilationes non reputantur aliquo modo concurriſſe. Quód ſi verò ipſi in particulari commiſerint occiſiones, aut mutilationes; iam incurrunt irregularitatem, in qua nec Epiſcopus diſpenſare poteſt. nam Concil. Trident *Seſſ. 4. cap. 6.* ſolùm concedit Epiſcopis ab illa irregularitate facultatem diſpenſandi, quæ prouenit ex occulto delicto: iam autem occiſio in bello, non eſt delictum occultum. Caiet. in Summa verbo *Irregularitas* tenet, quód Prælati mēdicantium, ab irregularitate poſſunt abſoluere eos, qui in bello iuſto occiderunt hoſtes. *Et ratio eſt* quia habent conceſſam poteſtatē, abſoluendi ab omni irregularitate; exceptà bigamiæ, & voluntarij homicidij.

Ex quo collige, quòd omnes illi Clerici, qui illicitè ſine diſpenſatione Summi Pontificis præliantur ſiue occidant aliquos, ſiue mutilēt; aut ſi ipſi nec occiderint, nec mutilauerint; ſed alij occident, aut mutilent, incurrunt irregularitatem. *Ratio* quia harum occiſonū, & mutilationum in bello totus exercitus eſt cauſa totalis. Sed hi Clerici ſunt pars exercitus, ergo irregulares. Si verò Clericus inuaſorem

Qui Clerici ſunt irregulares?

ſorem in ſui defenſione occidat, non ſit irregularis; præſertim, ſi defenſio fiat cum moderamine debito.

QVÆSITVM III.

An ſit licitum in bellis vti inſidijs?

26. DIco. *In bellis licet vti inſidiis, modò abſit mēdacium, & modò fides data hoſti ſeruetur.* PROBATVR. Ioſue cap. 8. Mandatur filijs Iſrael, & à Deo inſtructio datur, quomodo ciuitatem Caim ex inſidijs aggredi debeant. Et D. Aug. quæſt. 10. ſupra Ioſue dicit: *Cùm iuſtum bellum quis ſuſceperit, vtrum aperta pugna, aut per inſidias vincat, ad cauſæ iuſtitiam non facit.* Tum Princeps non tenetur ſua conſilia militaria, quibus hoſtem aggredi velit, indicare. Addidi. *Modò abſit mendacium;* quia hoc nunquam licitum eſt. Addidi quoq; *Hoſti fidem ſeruādam eſſe,* quia ſic habetur Capitulo *Noli.* Et Saul punitus eſt, quia fidē Gabaonitis non ſeruauit. ſi autem hoſtis non ſeruat fidem, etiam eidem non eſt ſeruanda: nam in omnibus pactis, fœderibus, contractibus, ſemper ſubintelligitur hæc conditio; *ſi feceris, ego faciam.* Nec iuramentū factum impedire debet, etiā ſi ſit hoſti præſtitū: quia habetur in Capitulo *Præueniunt* de iure iurando, vbi dicitur non obligare iuramentum, niſi conditio ab altera parte ſeruetur.

QVÆSITVM IV.

An in die feſto ſit bellandum?

27. DIco *Die feſto licet bellare, ſi ita defenſio ſalutis publicæ extorquet ſed hac ſublata, nòn licet.* PROBATVR. Si enim pro notabili vtilitate priuata, licet die feſto laborare, multò magis licebit pro communi. vnde quidam dicunt, quòd licet pugnare die Dominico, feſto, audita miſſa: ſi princeps videat, eo tempore dari ſibi occaſionem victoriæ obtinendæ, quæ poſtea talis non erit, & ſic (vt affirmat Caiet:) ſine peccato mortali poterit bellum committere. extra verò hanc neceſſitatem, modò audiatur ſacrum, quidam tenent (vt Bannes, Rodrigues, Emanuel) die feſto pugnare non eſſe mortale. *Ratio.* Nam bellum non eſt opus ſeruile, ſiquidem à principibus exercetur.

DISPV-

DISPVTATIO XIX.

De Rixa, quinto vitio oppoſito Paci

DE Rixa duo dicam ſ. an ſit ſemper peccatum? & an ſit filia iræ Quantum *ad primum.*

Rixa quid? & quomodo à cōcentione, ſeditione & bello differat? 1. Dico primò. *quód Rixa eſt contradictio in factis.* vnde differt à contentione quia hæc eſt in verbis: differt, à ſeditione quia ſeditio concitat multitudinem, contra multitudinem, in eadem Republica: differt à Bello, quia bellum eſt ex publica authoritate contra hoſtem extraneum; Rixa autem eſt bellum, ſed priuatum, inter perſonas priuatas, ex inordinata voluntate, & per iram ſuccenſa.

Rixa quando eſt mortale quando veniale peccatum? 2. Dico ſecundò. *Rixa ex parte inuaſoris eſt peccatum mortale*: quia iniuſtè inuadit, & opere manuali infert proximo nocumentum. *Ex parte verò ſe defendentis, ſi ſit cum moderamine inculpatæ tutelæ, nullum eſt peccatum: ſi autem aliquantum excedat hoc moderamen, erit veniale: ſi autē ex ira, & odio magis ſe vindicare, quàm defendere intendat, etiam erit mortale*

Nota, ad Rixam duellum ſpectat, quia hoc inde dictum, quód ſit duorum bellum. & hæc duella ſunt illicita, & iure naturali, eccleſiaſtico, ciuili prohibita; nec vllo modo ſunt licita vnde tales grauiſſimè peccant; ſimiliter & hi, qui illis auxilio, conſilio, cooperantur: ſpectatores verò ſunt excommunicati. vide Sylu: verbo *Duellum.* Caiet: *22. quæſt: 95. art. 8. ad 3.* Duellum ad Rixam ſpectat.

3. Quantum *ad ſecundum* Dico: *Ex ira oriri Rixam.* Prouerb: *5. Vir iracundus prouocat rixas*: huic enim non ſatis eſt, quód ei, cui vult nocere, non latenter nec obſcurè, ſed manifeſtè & ſcienter atq; etiam reluctanti vim infert animo vlciſcendi, quod quidem ab irato animo procedit. ergo rixa ex ira. Rixa vnde oriatur?

Nota, odium eſſe, quod latenter lædit; Rixa verò, quæ apertè nocet Rixa ab odio quo differt?

DISPVTATIO XX.

De Seditione, ſexto vitio oppoſito Paci.

 1. De hac

Seditio quid & vnde dicatur?

1\. DE hac Dico primò. *Seditio eſt propriè ciuiũ diſſenſio* deducta à duplici vocabulo *Seorſum*, & *itio*, quod in diuerſas, & contrarias partes abeant, & tumultus inter ſe miſceant.

Seditio eſt peccatum ſpeciale.

Dico ſecundò. *quòd ſit ſpeciale peccatum*: quia bono ſpeciali opponitur, v. vnitati pacificæ multitudinis, quam vnitatem diſſenſio ſcindit. *Tum* quia propriè & formaliter eſt contra pacem charitatis; materialiter verò eſt contra iuſtitiam damna ciuibus & Reipub. infert.

Seditio eſt peccatum mortale.

Dico tertiò. *quòd ex ſuo genere eſt peccatum mortale*, quia bonum commune oppugnat, v. corpus Reip. vnitate, & pace publica conſtans, turbat & diſtrahit.

Qui eiuſ non ſint ſeditioſi nec peccatum incurrunt?

Nota qui ciues non inuadunt, ſed defendunt boni publici tranquillitatem contra ſeditioſos, hi nec ſeditioſi dici debent, neq; peccatum incurrunt.

Seditio quomodo à Diſcordia, Schiſmate, Rixa, & Bello differat?

2\. Dico quartò. *Seditio differt à diſcordia*: quia hæc in animis eſt; illa verò in opere & pugna: à *Schiſmate differt*, quia hoc vnitatem Eccleſiæ turbat; illa verò Reipublicæ ſecularis vnitatem diſtrahit: à *Rixa differt*, quia hæc eſt inter duos, aut inter paucos; ſeditio eſt multitudinis contra multitudinem eiuſdem ciuitatis: *à Bello differt*, quia hoc inter regna diuerſa; & Reſpublicas integras committitur; Seditio eſt inter ciues eiuſdem Reipublicæ.

DISPVTATIO XXI.

De Scandalo, oppoſito vitio Beneficentiæ.

1\. TRia de Scandalo præcipua dicemus: *primò* quomodo ſit peccatum? *ſecundò* an in viros imperfectos cadat? *tertiò* an ob ſcandalum euitandum ſint dimittenda bona, tam ſpiritualia quã corporalia?

Scandalum eſt vitium oppoſitum Beneficentiæ.

QVANTVM ad primum dico. *Scãdalum eſt vitium oppoſitum Beneficentiæ.* nam beneficentia eſt actus dilectionis, quo proximo volumus bonum; Scandalum verò intendit lædere proximum. iam verò velle bonum proximo, & velle illius læſionem, ſunt oppoſita.

Scandalum quid ſignificat?

Dico ſecundò. *Scandalum ex Græco ſonat offenſionem, ruinam, impactionem pedis*: ſicut enim, cùm alicui tranſeunti in via offendiculum ponitur, vt ad illud impingat; dicitur diſponi ad ruinã, ita ſcandalum in via ſpirituali, ad ruinam ſeu ad peccandum erit diſpoſitio; cùm quis aut dicto aut facto, aut monitione, aut exemplo ſuo, proximũ ad peccandum pertrahit.

Scandalum quid?

2\. Dico tertiò. *Scandalum eſt, dictum aut factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſeu peccandi.* ideo dicitur eſſe *Dictum* aut *factum*,

& non

& non additur *concupitũ*. quia operatio interna & occulta, qualis eſt concupiſcentia, non inducit proximum ad peccandum; ſed ſolùm opus externum, quale eſt Dictum aut Factum, præbet occaſionem ruinæ. Additur in definitione, *Minus rectum*, & nõ dicitur *malum*, quia ad hoc, vt proximus ad peccandũ inducatur, non eſt neceſſe: vt operatio aut omiſſio ſit, ſecundùm ſe ex obiecto ſuo malum; ſed ſufficit, quòd ſpeciem mali habeat. & ſic habitudine ad ſcandalum diſponit vt, ſi Sacerdos domi ſuæ foueat mulierem, poſito quód nullũ eſſet, & intercedat peccatum: tamen quia occaſionem ſcandali, v. detractionis populo præbet; tenetur ſub mortali eandem à ſuo conſortio remouere.

Scandalum quotuplex? 3. Dico quartò. *Scandalum eſt duplex; Actiuum & Paſſiuum* (vt docet D. Th. *hic quaſt 43. art. 1. ad 4.*) ACTIVVM eſt, cùm quis ſuo dicto aut facto minus recto, intendit alium ad peccandũ inducere: aut licet hoc non intendat, tamen tale dictum aut factum committit, quod ob ſpeciem mali in ſe incluſam, ad peccandum inducit. *Paſſiuum eſt*, cùm quis ex dicto aut facto alterius, quòd eſt præter intentionem operantis, & præter conditionem dicti aut operis, diſponitur ad peccandum: & ſic ex malitia ſua accipit occaſionem ruinæ. vnde dicitur tale ſcandalum merè paſſiuum.

Nota quód hic actus ſcandali poteſt eſſe ſimul, in vno actiuus, qui inducit ad peccandum, & in altero paſſiuus, cum ex illa inductione peccat. Quandoq; ſcandalum eſt actiuum tantùm ſine paſſiuo; vt cùm proximus inductioni non conſentit: quandoq; eſt ſolùm paſſiuum (vt iam docuimus) cùm quis non intendit ruinam, & eſt præter dicti aut facti conditionem, & eſt merè paſſiuum.

4. Dico quintò. *Scandalum paſſiuum ſemper eſt peccatum in eo, qui ſcandalizatur.* RATIO. quia ſcandalizari eſt merè ſpiritualiter: ruina autem ſpiritualis eſt peccatum. *Similiter ſcandalum actiuum eſt peccatum in eo, qui ſcandalizat.* RATIO. quia id facit aut dicit, quod habet ſpeciem peccati inductiuam ad peccandum. Scandalum paſſiuum ſemper eſt peccatum.

Dico ſextò. *Scandalum actiuum, cum quis ſuo inordinato, actu aut dicto, intendit alium trahere ad peccandum, eſt ſpeciale peccatum.* quia ſic ex ratione finis ſpecialis habet rationem ſpecialis peccati. ſic furtum & homicidium, ob ſpeciale nocumentum proximi, dicuntur eſſe ſpecialia peccata: ita ſcandalum erit ſpeciale peccatum propter hoc, quia intendit ſpeciale nocumentum proximi, v. vt inducat ad peccandum. *Paſſiuum autem ſcandalum non conſtituit ſpeciale peccatum.* nam quód proximus, occaſionem ruinæ ſeu peccandi, ſumit ex dicto aut facto, non conſtituit ſpeciale peccatum; ſed erit illud ſpeciale peccatum, quod committit; ſcilicet, aut furti, aut homicidij, aut fornicationis. *Similiter actiuum ſcandalum, quod eſt præter intentionem & per accidens, non conſtituit ſpeciale peccatum.* RATIO quia id, quod eſt per accidens, non conſtituit ſpeciem. Scandalum actiuum eſt ſpeciale peccatum.

5. Dico ſeptimò. *Scandalum actiuum & per ſe, quandoq; eſt mortale, quandoq; veniale.* RATIO. Quia per Scandalum actiuum quandoque eſt mortale quandoque veniale.

actum

actum aut dictum ſuum, quod eſt malum, aut mortaliter aut venialiter inducit alium ad peccandum. vnde ſi per malum mortale, inducit proximum ad peccandum mortaliter, erit mortale peccatum; ſi autem per malum veniale, inducit ad peccandum venialiter, erit peccatum veniale. *Similiter actiuum per accidens eadem ratione, quandoq; eſt mortale, quandoq; veniale.* Idem de ſcandalo paſſiuo dicimus: quia *ſi ſolùm habet impactionem erit veniale; ſi cum impactione ruinam, erit mortale.*

6. QVANTVM *ad ſecundum* An ſcandalum in viros perfectos cadat? Pro reſponſione dico duo.

Scandalum paſſiuum in viros perfectos non cadit.

Dico primò. *Scandalum paſſiuum in viros perfectos non cadit.* PROBATVR quia perfecti dicuntur, qui Deo per dilectionem fortiter inhærent: vnde quantumcunq; videant, aliquem inordinatè ſe gerere, aut in dictis aut in factis, non patiuntur ſe à ſuà rectitudine deduci. vnde Pſal: 118. dicit. *Pax multa diligentibus Deum, & non eſt illis ſcandalum.*

Scandalum actiuum locum in perfectis non habet.

Dico ſecundò. *Neq; ſcandalum actiuum habet locum in perfectis.* RATIO quia perfecti hanc cautellam adhibent, quód ſua dicta aut facta, ordinant ſecundum regulam rationis, in quibus non ſolùm ipſi non offendunt; ſed etiam perſpiciunt, ne cui ſint offendiculo.

Obiectio cum ſolutione.

Sed dices, quód perfecti etiam venialiter peccant; vnde offendiculo eſſe poſſunt. *Reſpondeo* hæc venialia eſſe parua, quæ illis ex inanimaduertentia obrepunt. vnde ita ſunt parua, vt vix aliqui occaſionem offendiculi accipiant.

7. QVANTVM *ad tertium*, an ob vitandum ſcandalum, ſpiritualia & temporalia bona ſint amittenda? Quoad bona ſpiritualia.

An ob ſcandalum vitandũ ſpiritualia & temporalia bona ſunt amittenda?

Dico primò. *Quód ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, propter euitandum ſcandalum omittenda non ſunt.* & ſic ad noſtram propriam ſalutem ſpectat gratia, charitas, actiones bonæ, omiſſiones mali: ad quas ſub mortali peccato tenemur: & hæc prætermitti non debent. nam aliàs mortaliter peccaremus; nemo autem peccare debet, vt alterius peccatũ impediat. quia vnuſquiſq; plus ſeipſum, quám proximum amare debet. vnde, ne in peccatum mortale incidat, potius cauere debet; quàm ne alius quiſpiam peccet. hinc ad euitãdum ſcandalum. ne venialiter mentiendum: quia *non ſunt facienda mala, vt eueniant bona* Et *quod de ſe eſt malum, non eſt medium eligibile ad bonum finem.*

Quædam quoque bona ſunt de neceſſitate ſalutis, quæ hic & nunc ſunt facienda. *v. g.* ſi in domo mulieris, quam ſola inhabitat, ſit paruulus in articulo mortis; omnino eò ingrediendum eſt & baptizandus: licet inde oriatur ſcandalum, quia hoc bonum ſpirituale præponderat.

8 Dico ſecundò. *Ea verò bona ſpiritualia, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, aliquando ſunt differenda*: vt ſi mulier ſit in extrema neceſſitate conſtituta, quæ ex præcepto charitatis iuuanda eſſet eleemoſyna, ſed cùm ſit ſuſpecta, & opus eſſet domum eius ingredi, & inde ſcandalum orir etur, poterit omitti eleemoſyna: ne ſcandalum detur puſillis ex infirmitate peccantibus, quod in eis, aut ex ignorantia, aut ex infirmitate, oritur. Hæc dilatio tamdiu

tam diu debet eſſe, donec reddatur ratio; ſi autem poſt redditam rationem non ceſſauerit ſcandalum, iam eſt ſcandalum ex malitia. Eſt autem ſcandalum ex malitia, cùm quis ad impedienda bona ſpiritualia concitat ſcandala. & tale fuit ſcandalum Phariſæorum, qui doctrinam Chriſti impedire conabātur, & hoc contemnendum eſt.

9. *Quoad bona* temporalia, dico primò. *Ea bona temporalia, quæ non ſunt noſtra, ſed noſtræ curæ commiſſa* (vt bona Eccleſiæ ſunt commiſſa Prælatis, bona pupillorum, pauperum ſunt concredita tutoribus) *ob euitandum ſcandalum nunquam ſunt dimittenda* RATIO. nam hæc ideo cuſtodimus, & à rapina defendimus: quia ad noſtrum officium ſpectāt. Si autem inde aliquid ſcandali ſētitur, hoc ſcandalum erit ex malitia, & erit non datum, ſed acceptū, vnde contemnendum.

10. Dico ſecundò. *Si autem hæc ſunt bona noſtra tunc aliquando dimittēda, ſi penes nos ſint; aut relinquenda, ſi apud alios detineantur*: donec hi, qui ſcandalizantur, inſtructi fuerint, quàm iuſtè faciamus; cùm aut noſtra detineamus, aut ab alijs repetamus. *Si autem* pergent ſcandalizari, iam erit ſcandalum ex malitia, & ideo contemnendum: & tēporalia retinenda ſunt, aut repetenda, idq; ex charitate: ne homines ſint audaciores ad aliena inuadenda.

DISPVTATIO XII.

De Præceptis Charitatis.

1. DIFFICVLTATES huius Quæſtionis, ſi quæ ſunt, magna ex parte in ſuperioribus ſunt reſolutæ: idcirco tria inquiremus: *primò* de neceſſitate præceptorum charitatis: *ſecundò* quinam modus diligendi Deum? *tertiò* an in hac vita impleri poſſint?

Omnino extare debuit præceptum de charitate & hoc eſt duplex.

QVANTVM *ad primum.* Dico primò. *Omnino debuit exſtare præceptum de charitate, & hoc quidem duplex.* primum *de dilectione Dei*: ſecundùm *de dilectione proximi.* PROBATVR ex doctrina Chriſti, Matth 12. vbi legis Doctor inquirit: *Magiſter, quod eſt maximum mandatum?* Reſpōdet Saluator; *Diliges Dominum Deū tuum, ex toto corde tuo, &c. hoc eſt primum & maximum mandatum: ſecundùm autem ſimile eſt huic; diliges proximum ſicut teipſum* Et *ratio eſt D. Th.* Charitas habet actum ſpecialem, vt animam per dilectionem vniat Deo: & hic actus eſt neceſſarius ad ſalutem, & quia neceſſarius, idcirco habet rationem debiti; & ideo debuit habere præceptum ſpeciale.

Præcepta de charitate non erat neceſſe cōnumerari inter præcepta Decalogi.

2. Dico ſecundò. *Hæc præcepta de charitate non erat neceſſe inter præcepta Decalogi connumerari.* RATIO. quia (vt ſuperiùs docuimus) in omnibus Præceptis Decalogi virtute continentur. *Tum* quia ſe habent vt præambulum, ſicut de fide & ſpe non exſtat præceptum in Decalogo, quia hæc præmittū-

tur tanquam diſponentia ad ſubiectionem legiſlatoris: quia ſubiectione ſuppoſita inducuntur ad obſeruationem legis: nam per charitatem inducuntur, vt ea fortiter impleant, ſiquidem finis præcepti eſt charitas de puro corde.

Neceſſariū fuit vt non ſolùm de dilectione Dei, ſed etiam de dilectione proximi præceptum diſtinctum aſſignaretur?

Dico tertiò. *Neceſſarium fuit, vt non ſolùm de dilectione Dei; ſed etiam de dilectione proximi, diſtinctum præceptum aſſignaretur.* RATIO, nam quamuis dilectio proximi contineatur ſub dilectione Dei; nihilominus propter minùs capaces, qui non de facili cogitant, vnum horum præceptorum diſtinctum debuit dari: ſicut in ſpeculatiuis ſcientijs, diſtinctè principia à conclusionibus explicantur, licet concluſiones in principijs virtute cōtineantur, & hoc accidit propter minùs capaces. ſic charitatis atq; etiam fidei & ſpei, ſunt inſtar principiorum; Præcepta verò Decalogi, ſunt Concluſiones ex illis deductæ. vnde diſtinctè ob minùs capaces tradenda erant.

Sufficiēter aſſignantur præcepta duo charitatis.

3. Dico quartò. *Sufficienter aſſignantur præcepta duo charitatis: vnum, quo inducimur ad diligendum Deum ſicut finem.* alterum *quo inducimur ad diligendum proximum propter finem.* RATIO. quia actus charitatis tendit in bonum: hoc autem, aut eſt ipſe finis, vt Deus; aut id quod ordinatur ad Deum, vt Proximus.

Præceptum de diligendo proximo quot in ſe habere debet?

Dico quintò. *Præceptum de diligendo proximo duo in ſe habere debet: primò vt internus affectus dilectionis ſit erga illum: ſecundò vt opere externo exhibeatur.* PROBATVR. *Diliges proximum, ſicut te ipſum.* ſed interna dilectio noſtri includit affectum interiorem, quo nos diligimus. ergo & proximus interno affectu diligendus. Et Saluator præcepit Ioan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Sed Chriſtus interiori affectu nos dilexit. ergò præcepit, vt eodem interno affectu diligamus proximū. *Tum* quia nomen *charitatis*, magis ſignificat affectum internum, quàm affectum externum. & ille non verè diligeret, qui ſine interiori dilectione exhiberet opera beneficentiæ.

Qui modus eſt diligendi Deum?

4. QVANTVM *ad ſecundum*, quinam modus ſit diligendi Deum? Dico. *Modus diligendi Deum eſt ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine.* Hoc quomodo ſit intelligendum? ſuperiùs explicuimus: nihilominus hic breuiter attingo. Præcipitur nobis, vt tota noſtra intentio feratur in Deum, & hoc ſignificāt verba *ex toto corde.* Item præcipitur, vt intellectus noſter ſubdatur Deo; & hoc indicant verba, *ex tota anima.* tertiò præcipitur, vt appetitus noſter reguletur ſecundùm Deum; & hoc erit *ex tota anima.* Denique præcipitur, vt noſter exterior actus obediat Deo, quod includunt hæc verba *Ex tota virtute, fortitudine*, ſeu *ex totis viribus.*

An præcepta de Deo diligendo in hac vita impleri poſſint?

Impletio quotuplex?

5. QVANTVM *ad tertium.* An præcepta de diligendo Deo in hac vita adimpleri poſſint? *Reſpondeo* cum S. Doctore, quód duplex eſt Impletio: *Perfecta & Imperfecta.* Illa eſt *perfecta*, quando ſimul coniungimur fini, & talis impletio eſt in patria, vbi Deo noſtro per actū charitatis coniungemur: *Imperfecta* impletio eſt, quando non peruenimus quidem ad finem, ſed nō recedimus ab ordine ducente ad finem

finem, & ſic homo in hac vita, poteſt cum auxilio gratiæ Dei, diligere Deum ſuper omnia, tanquam vltimum finem ; ita, vt nihil admittat, quod ſit contrarium ordini ad ipſum; & quod contendat & perficiat in aſſecutione illius, ſed quia in hac vitâ plenè & perfectè id non aſſequimur, ad quod aſſequendum monſtratur nobis eſſe contendendum ; idcirco in hac vita, ex ea ratione, hoc præceptum perfectè non implemus.

DISPVTATIO XXIII.

De Sapientia.

1. DE Sapientia ideo dicemus, quia charitati correſpondet. Pro illius explicatione

Sapientia eſt donum Spiritus S.

Dico primò. *Sapientia eſt donum Spiritus S. per quod homo diſponitur, & habilis redditur, vt à Spiritu S. motus, rectè de Deo, & illius perfectionibus, & de medijs ordinatis ad illum, iudicet.* PROBATVR. ſicut enim ad ſapientem, in genere conſideratum, ſpectat ; vt cognoſcat per altiſſimam cauſam (vt in lib. 1. Metaph. docetur) ita ad Diuinum ſapientem ſpectabit, vt altiſſimam cauſam, quæ eſt Deus, cognoſcat, & vt per regulas Diuinas de rebus Diuinis poſſit iudicare, atq; etiam de alijs bene diſponere.

Sapientiæ ſubiectum quod ?

2. Dico ſecundò. *Sapientia, vt eſt donum Dei, ſecundùm ſuam cauſam, id eſt, ſecundum charitatem, eſt in voluntate.* quia ſapientia (vt iam dictũ) eſt rectitudo iudicij de rebus Diuinis ſecundùm quandam connaturalitatem, ſed huiuſmodi connaturalitas fit per charitatem, quæ nos Deo vnit. Ergo eſt in voluntate tanquam in cauſa. *Eadem verò ſapientia, vt etiam eſt Donum Dei, eſt in intellectu ſecundùm eſſentiam.* RATIO. Nam eſſentia ſapientiæ eſt, rectum iudicium. ſed rectè iudicare, eſt actus intellectus. Ergo quoad eſſentiam eſt in intellectu.

Dico tertiò. *Hæc ſapiẽtia non ſolùm eſt ſpeculatiua ; ſed etiam practica.* PROBATVR. Quantò enim aliqua virtus eſt excellentior ; tantò ſe extendit ad plura. Sed ſapientia, tanquam donum Dei, eſt ſummè excellens : quia de propinquo Deum attingit, per quandam vnionem animæ ad illum. Ex quo accidit, quod non ſolùm dirigit hominem in contemplando, hoc eſt, vt rectè iudicare poſſit de Deo, & de illius perfectionibus ; ſed etiam in iudicando de actionibus, ſecundùm regulas Diuinas ad Deum. ergo etiam eſt practica. Sapientia quotuplex?

3. Dico quartò. *Hæc ſapientia non poteſt eſſe cum peccato mortali.* Sapientiæ 1. *In maleuolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccato* RATIO. quia ſapientia præſupponit charitatem : nã per eam fit recti iudicij connaturalitas : ſed charitas non poteſt eſſe cum peccato, ergo nec ſapientia. Sapientia hæc non poteſt eſſe cũ peccato mortali.

Sapientiæ donum ſecundùm diuerſos gradus poſſidetur.

Dico quintò. *Hoc donum Spiritus S. v. Sapientia ſecundùm diuerſos gradus poſſidetur.* nam cùm ſapientiæ ſit, contemplari Diuina, & ordinare humana ſecundùm regulas Diuinas; quibuſdam datur pro ipſis tantùm, quibuſdam datur etiam pro alijs. vnde ſapientia, in quantum ad conſequendam ſalutem eſt neceſſaria, v. ad cognitionem Diuinorum & ad ordinationem, nulli deeſt; ſi ſit ſine peccato mortali per gratiam gratum facientem. Et *Ratio eſt*. ſi enim natura non deficit in neceſſarijs; multò magis gratia non deficiet in his, quæ ſunt alicui neceſſaria, ſecundùm illud 1. Ioan. 2. *Vnctio docet vos de omnibus.* Sapientia verò, in quãtum eſt circa cognitionem Diuinorum, cum manifeſtatione pro alijs, & quantum eſt circa directionem, extendens ſe ad dirigendum alios, non eſt in omnibus habentibus gratiam gratum facientem; ſed magis pertinet ad gratias gratis datas. Quia (vt Caiet: ait) gratia gratum faciens ordinat hominem, ad vnionem cum Deo, gratia autem gratis data ordinat ad vtilitatẽ aliorum: vt proficiant in cognitione rerum Diuinarum & in iudicio rerum humanarum.

Sapientiæ donum cui beatitudini correſpondeat?

4. Dico ſextò. *Donum ſapientiæ correſpondet beatitudini, quæ eſt de pacificis.* RATIO. Illi enim conuenit pacem facere, qui in ſe & in alijs bene ordinare poſſit: nam pax eſt tranquillitas ordinum: ſed rectè ordinare pertinet ad ſapientiam. ergo ſapientia correſpondet beatitudini de pacificis. *Deinde* Pacifici dicuntur eſſe filij Dei. ſed per donum ſapientiæ pertingimus ad ſimilitudinem vnigeniti Filij Dei, ſecundùm illud ad Rom. 6. *Quos præſciuit conformes fieri Imagini Filij ſui, qui quidem eſt ſapientia.*

Sapientia à Fide diſtinguitur.

Sed quæres an Sapientia diſtinguatur à fide? *Reſpondeo* cum D. Thoma hic art. 1. ad 2. *diſtingui.* quia fidei conuenit aſſentire, ſapientiæ verò iudicare.

Obiectio.

Sed dices in ratione aſſenſus importari iudicium, qui enim aſſentitur ſe eſſe, ſine formidine iudicat eſſe: ſimiliter, qui iudicat ſic eſſe, etiam aſſenſum præbet huic, quod iudicat. *Reſpondeo* hæc nihilominus diſtingui (vt Caietanus docet) nam in aſſenſu determinamus nos, ad vnam partem contradictionis, illique adhæremus; iudicium autem facit determinationem rei, vt eſt, aut vt eſſe debet: iam autem hæc non ſunt idem.

Solutio.

Donum ſapientiæ præſupponit fidem.

5. *Nota* Donum ſapientiæ præſupponit fidem; quia vnuſquiſq; de his bene iudicat, quæ primò cognoſcit.

Ad quid Dona Spiritus S. datur.

Nota ſecundò. ad hoc dona Spiritus Sancti dari, vt inchoatam bonitatem actionis, vt meliùs perficiamus *v. g.* Fidei actus primus eſt, aſſentiri; ſecundarius eſt, percipere res Diuinas, & de illis iudicare: hic ergo actus ſecundarius quò perfectiùs eliciatur, adduntur dona Spiritus Sancti; vt donum intellectus, per quod abyſſum myſteriorum Diuinorum ingredi poſſit, & percipere: & donum Sapientiæ, vt de illis poſſit benè iudicare.

Nota tertiò. ad iudicium, quod ſapientia facit de rebus Diuinis, non ſolùm pertinet determinatio, quód res ita ſint; ſed etiam æſtimationem & reuerentiam ſecum portant.

DISPV-

DISPVTATIO XXIV.
De Stultitia.

1. TRia de ſtultitia ex D. Thoma decerpſimus. vnde *Stultitia eſt oppoſitum vitium ſapientiæ.*

Dico primò. *Stultitia eſt vitium oppoſitum Sapientiæ.* Ratio. vt enim Sapientia rectum iudicium facit de rebus Diuinis; ita ſtultitia eſt quædam obtuſio, & hebetudo mentis; vt dignè iudicare non poſſit de rebus Diuinis; neq; eas, vt decet, æſtimare; aut qui iudicat potiùs rebus humanis, quàm autem Diuinis inhærendum eſſe. *Quo differt à Fatuitate.* Differt autem Stultitia à Fatuitate: quia Fatuitas dicit puram negationem iudicij: ſtultitia verò quendam defectum importat, quia prouenit ex hebetudine mentis; amentia verò eſt totalis priuatio vſus rationis.

Quando ſtultitia nõ eſt peccatũ & quando ſit?

2. Dico ſecundò *ſi Stultitia prouenit ex indiſpoſitione naturali nullum eſt peccatum; eſt verò ſi ex eo ortum ducat quòd homo ſenſum ſuum rebus terrenis immergit.* Quia ex eo contrahit ſtuporem cordis, ita quòd animalis homo non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritus. nam ex contrarijs diſpoſitionibus redditur inhabilis, ad ſaporem in rebus Diuinis ſentiendum: vt accidit ei, qui guſtum habet impeditum àb amaro humore, vt dulcia diſcernere non poſſit: ita ſtultus abſtrahendo ſe à ſpiritualibus, immergit ſe terrenis delectationibus, quæ impediunt, vt in Diuinis ſaporem non ſentiat.

3. Dico tertiò. *Stultitia, inquantum eſt peccatum, ex luxuriâ oritur.* Ratio. Stultitia enim eſt ſtupor ſeu hebetudo, per quam quis ineptus redditur, ad iudicandum de ſpiritualibus. *Stultitia vnde oriatur?* Sed intellectus & iudicium eius, per carnales & luxurioſas delectationes maximè hebetatur. nam hæ delectationes ita abſorbent animam; vt non ſolùm contemnat Diuina, ſed & omnem honeſtatem abijciat. ergo ſtultitia ex luxuriâ, tanquam eius filia, procreatur.

Hæc de Charitate ac illius actibus & effectibus, atq; etiam de vitijs oppoſitis, ſint à nobis dicta: quam quidem diffundere in cordibus noſtris per Spiritum S. hic in præſenti vita dignetur Altiſſimus: vt tandem in illa æternitatis regione per eam, ipſi tanquam ſummo Bono & omnis beatitudinis fonti vniri poſſimus. Cui ſit Laus, Honor, & Gloria.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM

quæ in hoc opere continentur.

Numerus paginam. A Columnam primam. B ſecundam *notat.*

ACtio *à rectitudine quomodo diſtinguitur?* 9. b. *Quotuplex eſt?* 19. a. *Bona aut mala quæ?* 8. b. *Indifferens quid?* 19. b. *quæ habeat requiſita?* ibid. *Humana quælibet Luthero eſt peccatum* 6. a. *humanæ cur non ſunt ab omnibus perfectionibus emundatæ?* 7. b *Primariam bonitatem aut malitiam vnde ſumunt* 10. a. *Cur eſt peccatum?* 6. a. *Obiecti eius nomine quid intelligendum?* 10. Col. a. *Habent in quo conueniunt & differunt?* 12. b. *ſpecies eius duplex* 12. a. *Bonitas eius à ſufficientia debitarũ circumſtantiarum petitur* 12. b. *Quadrupliciter eius bonitas conſiderari poteſt* 13. a. *vnde accipiunt humanæ differentiam* 14. a. *Earum ſpecies formaliter conſiderantur ſecundùm finem, materialiter ſecundùm obiectum & quare?* 16. a. *in ea duplex poteſt eſſe ſpecies moralis & quomodo?* 16. b. *dantur quæ habent bonum finem, & medium malum, & quid in illis faciendum* 39. a. *Ab imaginatione procedentes quãdo non ſunt morales?* 23. a. *vna eademq́; quomodo poteſt dici vſus & electio?* 105. a *in actu exercito ad quid reuocatur* 23. a.

Actus *quotuplices* 50 b. & 19 a. *Indifferens quid?* ib. b. *Quartum genus actuum quod* 20. b. *Deliberatus in indiuiduo eſt indifferens ſecundùm Scotum* 21. a. *Deliberatus quomodo malus* 21. c. b. *in indiuiduo quare non datur indifferens* ib.

Actus *quotuplices & qui?* 144 b. *qui pertinent ad genus moris* 145, b. *in genere Entis probabiliter ſunt perfectiores habitibus licet per modum cauſæ habitus videantur concurrere ad eos producendos* 128. b. *Propter quẽ omiſſio eſt facta, quomodo eſt peccatum* 129. & b. *Series actuum quæ* 114. b. *ſemperne ſeruanda* ib. *Regulæ eorum* ib. *Quando priores poſteriores neceſſariò debent ſequi* ibid *plures quomodo ſunt vnus* ib. *Cum habitu quotupliciter comparantur* 124. a. *quibus excedunt habitus* ib. *quantò immateriales tantò magis rationi ſubditi* 113. b. *ſaltem indirectè actus voluntarij qui?* ibidem. *rectæ rationi conſentientes reſpiciunt aliquo modo Deum* 305 b. *naturales vnde procedunt?* 346. a.

Actus morales *duplicem habent bonitatem* 24 b. *Quando vnam?* ib. *quando duæ bonitates aut malitiæ diſparata ſpecies actus conſtituunt?* 25. b. *licet habeat duas malitias vnum eſt peccatum* ibidem.

Actus humanus *ſumit ſpeciem ex immediato obiecto & ex fine idq́; præcipuè* 26. a. *quomodo in bonitate variatur quoad variationem obiecti & finis?* 26 b *ad bonum & obiectum & finis bonus requiritur* ibid. *cùm ex bono fit malus quomodo obiectum variatur?* 29 b. *Proprietates eius quot?* 56. a. *Rectitudo & obliquitas vnde?* ib. *Quem habere debet?* 59. b. *ſpecies eius duplex* 67. a.

Actus

Actus interior & exterior pro eodem reputantur 13. b. quomodo ſe habet ad exteriorem 17b. vterq; habet ſuam propriam formam ib. Interior quid 27. Bonitas & malitia eius vnde patet 28. a. & 38. a. impediri non poteſt 40. a. ab exteriori quomodo differt 48. a. quomodo eſt cum eo vnus ib: cum exteriori quomodo eandem habet bonitat 48 b. quomodo diuerſam 49. a. cum externo vnum Ens moraliter conſtituit ib. cur vnum opus cum externo conſtituit 49. b Bonitas & malitia de illo quomodo dicitur, & ſimul de externo ib. cum externo vnam totalem bonitatem aut malitiam complet 50 a. bonitas exterioris addit aliquid ad bonitatem interioris idem de malitia ſenſu 50. b. quomodo externus ſupra eum nullam addat bonitatem aut malitiam 57. b. quomodo eſt vnus quomodo diuerſus ab exteriori 48 a. & b.

Actus externi in confeſſione cur manifeſtandi 52. b. exterior quomodo poteſt eſſe bonus & malus 54. a. vt actus aliquis omiſſus imputetur ad peccatum quæ requiruntur 91. a. Malum qui facit, Deum honore priuat 86 b cur apud Deum actus habet rationem meriti vel demeriti 86. b.

Actus imperatus & elicitus quid 61. a. elicito nulla violentia inferri poteſt etiam per Dei omnipotentiã 61. b Neceſſariò ſunt vitales violenti autem nequaquam 62. a. imperatus & imperans quomodo vnum quomodo plura conſtituunt 109. a. & 110 a. Quare quoad ſubſtantiam ſunt diuerſi 109 b. vterq; quid ib. Quare vterq; notat vnum actum humanum 110. & b.

Actus credendi per quid conuenienter diſtinguitur? 430. a. Interior quotuplex? ib. Quæ & quot includit? 429. a. Per quid conuenit cum quo? ib. Quid habet? Ex quo pendet? ib. Eſt cauſa locutionis. 443. a. ib. Eſt verus actus ib. Poteſt eſſe meritorius? 440. a. Sine charitate num ſit meritorius? 440. b. Eſt liber, quia libere credentis aſſentimur? 441. a. ad quid habet eſſentialem ordinem? 441. a. Num poſſit exerceri ob vanam gloriam? ib. charitate informatus meretur ibid. qui meritorius? 441. a. Credentis ad quid terminatur? 407. b. immanens in quo ſubiecto eſt? 429. b. ieiunandi quem finem reſpicit? 443. b. Exteriores an ſint propriè actus: ibid.

Adam ſi potuit nos conijcere in peccatũ, cur non potuit per pœnitentiam emundare 177. b. & 176. b. Eo non peccante peccantes alij cur non infeciſſent alios peccato originali 176 a. Filij eius dato caſu ſi ante peccatũ originale geniti fuiſſent, nõ fuiſſẽt ſubiecti peccato originali 177. b. Peccatorum in poſteris in quo genere cauſæ eſt cauſa 179. a. Incarnationem quomodo cognouit 437. b.

Aduertentia in re particulari quot modis poteſt impediri 162. a.

Adultus quo opus habet ad Baptiſmum 432. b. Affectus Sacra Pagina appellat beſtias 84. a.

Æternitas tria in ſe habet 87. a.

Agentia quotuplicia ſunt 116. a. omnia quo conuertunt effectum ſuum 318 ſupernaturalis à naturali diſcrimen 319 a. Cum principale per cauſam miniſterialẽ operatur. actio cui magis competit 409. b.

Anabaptiſtarum doctrina de acerbitate in maleficos 242. a.

Angeli indifferentiam iudicij cur non habent 117. b. Cur neq; boni, neq; mali peccare poſſunt venialiter 200. b Maiores illuminant minores 435. b. Dicta ad B. Virginem explicantur 439. a.

Anima per generationem naturalem quare non producitur cauſatiuè 178 b. vitor eius quotuplex 192 a. Cur inquinatur peccato originali 180. b. vegetantis actus cur rationis imperio non ſubiiciuntur 113. a. Rationalis quare dicitur magis propriè obediens, quàm anima bruti 114. a. Cur non poteſt eſſe ſubiectum culpæ actualis 187. a. Quâ virtute operatur ſupernaturalia. 345. b.

Apoſtolatus vnde fuit dignitas? 425. b. authoritas quæ? ibid.

Apoſtolus Apoſtolum non poteſt facere 427 b. Apoſtoli fugientes à Chriſto num peccarint? 448. b. a.

Authores Sacræ Scripturæ 423. b. Quo æquales & diſpares D. Petro? 425. b. Duplex eorum authoritas 425. b. Eorum ſcriptum eſt Canonicum 423. b. Dignitas extraordinaria 425. b.

Appetitus omnis fertur in bonum 69. a. Quotuplex eſt. 123. a. Qui ſenſitiuus qui rationalis dici-

tur? ibid *ſenſitiuus quotuplicem habet inclinationem?* ibid. *Ratione inclinationis quotupliciter conſideratur* 123 b. *Quomodo fertur in peccatum* ibid *Quare non poteſt mouere ad peccandum per ſuam inclinationem?* 124. a. *ſecundùm* Caietanum *habet libertatem imperfectam* 147. a. *ſecundum eundem poteſt in eo eſſe peccatum veniale* ib. *Quomodo ſubeſt rationi?* 147. b. *Quare in eo non eſt peccatum ſine conſenſu voluntatis?* ib. *Ex opinione Caietani de eo quæ abſurda ſequantur* ibid. *In eo quando venialia quando mortalia peccata.* 148. a. *Paſſio eius cur directè non poteſt mouere voluntatem?* 161. a. *Indirectè voluntatem eadem paſſio quot modis mouet?* ib. *Nobiliori modo obedit rationi quàm membra exteriora.* 114. a. *cur tantum in homine imperet non in brutis?* 108 b. *Quomodo ſubijcitur imperio actus eius?* 112 a *In eo quæ ſunt?* 112. b. *vnde actus eius pendent.* ibid. *Quare & quomodò ſubiacent imperio?* ibid.

Aqua *quando ſurſum mouetur.* 427. a.

Marina quare certos habet limites? 223. a.

Artes *duplices* 350. b.

Articulus *quid ſignificat?* 419. b. *quid eum conſtituit* ibid. *eundem nouum quemadmodum & dogma & Sacramentum condere nemo poteſt.*

Aſtrologia *quæ eſt damnata ab Eccleſia quæ non* 78. b.

Atheiſtæ *cur inexcuſabiles?* 231 b.

Auaritia *quæ monſtra militantia? a ſub ſe habet* 248. b. *Cur ei inter peccata mortalia locus?* 135. b *quomodo eſt cauſa peccatorum?* 188 a. *differentiæ eius particulares* ibid. b.

Auarus *quare vbi non oportet & plus quàm oportet accipit?* 136. b.

Auxilium *efficax ſufficit vt liberum arbitrium cooperetur illi,* 349. a. *Gratiæ quotuplex & quid vtrumq;?* 299. a. *&* 300. a. *Gratiæ neceſſarium ad impletionem præceptorum duo in ſe includit* 315. b. *Speciale Actuale cuius ordinis eſt?* 316. a. *Speciale quid præſtat?* 316. a. *Dei quotuplex?* 350. a. *Non eſt ſimpliciter neceſſarium ad determinandum.* 313. b. *ſufficiens duplex* 348. b. *ſufficiens quid facit?* 349. a. *&* 315. b. *Actuale eſt de facto ſupernaturale* 316. b. *Quare datur & ad quid ordinatur?* ib.

B

Baptiſmus *quomodo confert iuſtitiam originalem?* 184. b. *Cur relinquit in nobis concupiſcentiæ motus.* ib. *Inualidus violentia adhibita* 631 a. *Quomodo ſuppletur per votum* 432 b.

Beati *liberè operantur & tamen non moraliter* 5. b. *Diſtinctio eorum à viatoribus in cognitione ſinium particularium.* 45 b. *Affectus compaſſio cum triſtitia in illis locum non habet* ib *neceſſario Deum amant.* 62. a. *Quomodo neceſſitantur?* 83. b. *Cur amore amicitiæ puriſſimo amant Deum.* 114 b. *Cum eorum amore poteſt ſtare amor concupiſcentiæ* ib.

Beneplacitum *Diuinum non omne nos obligat in conformando.* 45. a. *Quando ipſi tenemur conformari?* ibid.

Blaſphemia *quid ſignificat in genere?* 505 a. *eſt triplex.* 519 a. *eſt quo differt ab Hæreſi* ibid. b. *quando eſt veniale peccatum* ibid. *quando mortale peccatum.* ibid. b. *eſt maximum peccatum* 520. a. *in damnatis quomodo in ſe includit infidelitatem* ibid. *in Spiritum S. quid? reperitur* ibid.

Bonum *&* malum *quotupliciter ſumitur &* 20. a. *Aliter quomodo inter illa datur medium?* ibid. *bonum & malum aliter bonum & non bonum opponuntur* ibid. *Bonum temporale cur ab hominibus inordinatè appetitur* 162. b. *Bonum quomodo mouet voluntatem?* 79. b. *Particulare cur non mouet efficaciter?* 80. a. *Cur repudiari poteſt à voluntate?* 83. a. *Cur poteſt appeti & reſpui?* 97. a *Appetibile quale eſt in luxuria & in homicidio?* 137. b.

Bonum *mundi quotuplex?* 293. b. *Quomodo cadit ſub meritum* 393 a. b. *Cognitio eius quod excitat in voluntate?* 309. b. *Cur quælibet res amat illud?* ib, *Velle illud quemadmodum, & nolle malum qualis eſt actus?* 309 a. *quotuplex eſt ad quod præparatio ſit voluntatis humanæ?* 318. a. *&* 326 a.

Mortale *iuſtus poteſt operari ſine auxilio ſpeciali.* 327. a. *&* 306. a.

Bonitas *Diuinæ perſonæ cur non attenditur ex fine?* 13. a. *In actione humana quotuplex* ibid. *Priuatio eius quando eſt in actionibus humanis?* 20 b. *Aliud eſt, aliud ſpecies ſua:* 23. b. *Actus interioris à ſolo obiecto dependet.* 29. a. *&* b. *Interioris actus*

actus duplex eſt. 30. b. ſpecifica & ex circumſtantiis quæ? ibid. Actus moralis atq; etiam interioris à ratione dependet. 30. a Vnde ſumenda maxime? 46. b. Priùs conuenit actibus interioribus quàm exterioribus. 46. a. Quomodo eſt priùs in actu exteriori, quàm interiori, & è contra? 47. a. & b. Virtutis quod ſit & quotuplex? 122. a. Conſequens virtutem quid ſit? 122. b. In rebus naturalibus, artificialibus & humanis actionibus vnde petitur? 9 a. Quā actio humana ex obiecto ſumit, eſt ſpecifica ſpecie ſpecialiſſima 10. b. In quo eſt formaliter. 125. a. Virtuti quomodo conuenit. 126. a.

Bruta quomodo bona particularia percipiunt? 88. a. bonum vniuerſale non apprehendunt. 93. a. Habent ſagacitatem cum prudentia, & vnde elucet. 93. b. Non habent imperium ſed impetum tantum 108. a Quomodo agunt. 115. a. & b. vnde determinantur ad operandum? 116 b.

Bullæ Summorum Pontificum in curia ſua promulgatæ obligant ne exteras nationes ſtatim? 214 b.

C

Caietani opinio de Canonizatione. 428. b.

Caiphas accepit prophetiam 427. b.

Calamitas dupliciter poteſt nobis diſplicere. 44 a.

Canis in exordijs viarum, non electione vtitur ſed odorem feræ tranſeuntis captat 94. b.

Canonizatio inter quæ medium 428. a. b.

Caluinus omnes fecit Doctores 435. a.

Captum rationis noſtræ quæ excedunt? 431. b.

Cauſa potior eſt effectu in quo ſenſu verum. 125. a vna motiua non poteſt facere diuerſitatem ſpecificam peccatorum. 135. a. Finales dant ſpeciem peccatis ibid.

Primariæ noſtræ ſalutis quæ? 439. b.

Charitatis. varia deductio. 598. a. eius acceptiones ibid. quomodo hoc loci accipitur? ib. à quibus differt? 599. a. an meretur nomen amicitiæ? ibid. quid ſit? 599. b. conditiones quæ illi conueniunt? 600. b. eius obiectum quod? 605. b. materialia obiecta quot? 606. a. obiectum primarium Deus ibid. ſecundarium proximus ib id. Ratio formalis obiecti quæ? 606. a. quanta illius perfectio? 605. a. Charitas maximè inclinat voluntatem. ibid. alias virtutes inclinat ad ſuos actus ib. eſt ipſe appetitus ibid. eſt omnium virtutum perfectiſſima ibid. eſt habitus infuſus 605. b. eſt virtus ſpecialis ibid. quomodo diſtinguitur à virtutibus Theologicis? 605. b. Hîc in via & in patria ſemper manet. 606. a. quomodo ſe extendit ad opera virtutum? 606. b. An bonus actus quód eum diligimus quia noſtra bona nobis remuneraturus eſt? 606. b. quomodo Deum amat? 601. a. illius effectus in ſolum Deum extenditur ibid. inter Deum & hominem perfecta eſt. ib. eidem inſunt effectus amicitiæ ibid. ob eandem Deus nobis dedit omnia 601. b. ob eandem homo & ſe & omnia in Deum transfert ibid. qualis eſt amicitia? ibid. b. ob eam Deus formam ſerui induit. 601. b per eius actum homo attingit Deum ibid. eſt in amicitia eminentiæ 602. a. eſt Dei & hominis ſupernaturalis amicitia 602. a.

Diuina quomodo continet omnes ſpecies gradus perfectionis charitatis humanæ? ibid. b. eidem an ratio virtutis conueniat? 603. a. non eum Spiritus S. ibid eſt habitus mentibus noſtris à Spiritu S. ib. eſt effectus productus à Spiritu S. tanquam à cauſa 603. a. & 612. a. Dicitur maior & minor 603. a. eſt cauſa formalis noſtræ iuſtificationis ibid. eiuſdem diuerſitas quæ? 603. b. eius habitus creatus debet eſſe in anima ibid. perfectio eius quomodo minuitur? 603. b. eius dilectionem ſui Deus in nobis quomodo poteſt elicere ſine cooperatione habitus infuſi? 603. b. & 604 a. quomodo eſt Deus? 604. a. eſt vera virtus ibid. quid præſtat in eo in quo eſt? ib. omnes actus humanos in Deum tanquam in vltimum finem dirigit ibid. eſt permanens 604. b. eſt habitus rectus ibid. licet ſit finita producit effectum infinitum. ibid. eſt vna ſpecifica virtus 607. a. eſt amicitia hominis ad Deum ibid. Attingit Deum ſecundum ſe ibid. eſt vinculum perfectionis ib. b. eſt primùm & maximum mandatum 607. b. eſt finis præcepti? ibid. eſt legis adimpletio? ibid. ſine illa non ſunt virtutes meritoriæ? 607. b. Martyrium & valorem & præmium amittit? 608. b. an virtutes aliæ veræ? ibid. Virtutes morales in Chriſtiano non ſunt veræ 609. b. virtutes Theologicæ quomodo non ſunt

non ſunt veræ? ibidem. *ſine hac virtutes infuſæ debilitantur* 610. a. *per eandem viuit fides?* 608. a. *Eſt radix bonorum operum* ibid. *eidem quid opponitur?* ibid. *ab hac prouenit Martyrium?* ibid. b. *eſt dignior fortitudine* 608. b. *perfectio ex charitate eſt ſupernaturalis* 609. a. *eſt forma omnium virtutum?* 610. a. *Alijs virtutibus tribuit perfectionem* ib. *per eam fides operatur?* 610. b. *In remiſſo gradu quomodo eſt perfectior alijs virtutibus?* ibid. *Cur dicitur quaſi forma aliarum virtutum?* 610. b. *eius ſubiectum quod?* 611. a. *excedit regulam rationis humanæ?* ibid. b. *quomodo eſt in intellectu?* ib. b. *non eſt in libero arbitrio?* 612. a. *quomodo differt ab illa quæ eſt in patria?* ibid. *excedit vires naturæ?* ibid. *non eſt effectus naturalis?* ibid. *vnde educitur?* 612. b. *eis cauſæ inſtrumentales quæ?* ibid. *eius actum diligendi Deum ſuper omnia an elicere poſſumus ex viribus naturæ?* 613. a. *Ad eius productionem naturales potentiæ effectiuè concurrere non poſſunt?* 613. b. *eius quantitas non dependet ex conditione naturæ?* 614. a. *eius quantitas in liberum arbitrium referenda?* 615. a. *viæ quomodo augetur?* 615. a. *ſecundum quantitatem virtualem augetur?* 615. b. *eam quid ſit radicari?* ibid. *eius augmentum quomodo fiat?* ibid. b. *eadem in ſubiecto per radicationem augetur?* 617. b. *an augeatur per extenſionem?* 618. a. *non augetur extenſiuè?* ib. b. *an augetur per quemlibet actum?* 69. b. & b. *eius augmenti quæ cauſa efficiens?* 619. b. *Ad eius augmentum homo concurrit?* 620. a. *eius augmentum meremur per actum remiſſum charitatis?* 620. b. *eius actus in patria non augebitur eſſentiali & intrinſeco augmento?* 621 a. *eius actus quotupliciter conſiderari poteſt?* 622. *eius augmentatio quomodo importat mutationem?* 622. b.

Qu[i]libet *Actus remiſſus quomodo eam auget?* 623. b. *meremur augmentum eius per actiones aliarum virtutum?* 624. b. *quot habet gradus & quos?* 425. a. *in infinitum augeri poteſt?* 626. a. *cui non repugnant ex parte formæ ſubiecti & agentis* ibid. b. *quomodo finita & infinita?* 627. a. *Datur ne in quibuſdam maior charitate patriæ?* ibid. b. *venialia peccata multiplicata non illam deſtruunt?* 628. b. *Diminuunt tamen?* 629. b. *ex parte ſubiecti amitti poteſt?* 630. a. *per vnum actum peccati mortalis amittitur?* 631. a. *quomodo eius amiſſio fiat per peccatum. obiectum primarium eius eſt Deus?* 632. b. *Secundum proximus?* 634. a. *Tertium ipſa charitas?* 615. a *quartum creaturæ irrationales* ibid. b. *Quintum ipſe homo?* 636 a. *Sextum corpus noſtrum?* ibid. b. *ſeptimum peccatores?* 637. a. *octauum inimici* ibid. b. *quot modis eſt ſub præcepto?* ibid. *quomodo inimico in ſignis debeat exhiberi* 638. b. *Quando magis in inimico quàm alteri?* ib. *obuio inimico non tenemur ſimpliciter ea præſtare maximè ſalutando?* 639. a. *Nonum obiectum eius Angeli?* 640. a. *Decimum Dæmones?* ibid. b.

Chriſtianus *tempore perſecutionis qui debet fugere?* 448. b. *ex vinculis num fugere poteſt?* 448. a. *num illi licet vti ſignis veſtibus* 446. b. *quibus non licet vti* 447. b.

Chriſtus *habebat ſimul tres ſcientias* 418. a. *per ſcientiam beatam quid vidit?* ibid. *per infuſam quid intellexit?* ibid. *per acquiſitam quid ſibi comparauit?* ibid. *naſciturus in veteri teſtamento quomodo credebatur?* 437. a. *habuit ne meritum fidei* 442. b.

Circũſtantia *quid?* 66. b. *quædam variant, quæ ſunt accidētia non qualitatē actus moralis.* 67. a. *quæ ſunt accidentis actus humani, & quæ non?* 62. a. Circũſtantiæ *ſunt actionũ humanarũ* 66. a. *Earum numerus & explicatio.* 11. a. b. *quotuplices ſunt?* 11. b. *ſi defuerint etiam opera bona reprehenduntur.* 12. b. *quando dant ſpeciem actui mortalis?* 15. b. *quando ſunt differentiæ eſſentiales actus.* 16. a. *quando trāſmutat actum de bonitate in malitiam.* 16. b. *Formaliter ſumptæ, qualem ſpeciem tribuunt actionibus?* 24. a. *quando ſunt circumſtantiæ quando non?* ibid. Augentes *bonitatem vel malitiam quæ conſtituit actum, in ſpecie boni vel mali?* 25. a. *Actui ſuperpoſitæ nouam ſpeciem eius conſtituit* 26. b. *volitæ poſſunt eſſe tripliciter omniſq; confert nouam ſpeciem actui quomodo?* 27. b. *cognitio earum ſpectat ad* Theologum. 67. a. *quotupliciter poſſunt conſiderari,* 126. b. *quæ faciunt peccatum.* 137. a. *quæ ex veniali poſſunt facere mortale peccatum?* 199. b. *quot modis aggrauant peccatum?* 142. a.

Cogitationes *quare ſæpenumero non poſſumus repelle-*

repellere? 113. a. quando illū poßumus imperare? ibid.

Comparatio inter vitia & virtutes iuſta quæ? 141. b.

Concilium num ſit ſupra Papam. 425. a. legitimum quod? 424. b. quomodo ſulcitur Imperatorum authoritate 425. a. quem morem habet? 427. b.

Concupiſcentia quid? 64. a. b. quotuplex ib conſequens non ſolùm cauſat voluntarium. ſed etiam auget. 65. a. Antecedens non tollit. ſed minuit voluntarium. ibid. motus eius non ſunt in noſtra poteſtate, ſed reſiſtentia tantum. 84. b. quo prohibetur quæ non. 146 b. cur eſt impropriè peccatum 147. a. quomodo eſt peccatū originale. 183. a. & 184. b.

Confeſſario cuius cognitio apprimè eſt neceſſaria. 26. a. Confeßarius in excipienda confeſſione ſentiens motus peccat ne? 150. b. motus dum ſentit non debet interrumpere confeſſionem. ibid. Confeſſio Soto motus non exciperetur quid fieri deberet? ibid.

Confeſſio triplex 443. gratiarum actionis quid? ibid. eorum quæ in fide continentur. ibid. num ſit actus fidei? 443. a. vnde proueniat? ib. exterior quid ibid. ore eſt neceßaria ad ſalutem. 444. a. circa eius confeſſionem error.

Conſcientia quid. 23. a. officium eius quotuplex? 23. a. Diuiſio. 33. b. Recta & erronea quid? ibid. erroneæ iudicium quotuplex. ibid. quotupliciter ſit erronea. ibid. contraueniens ei peccat. 34. a. obligat & peccatum tale quale dictat. 34. b. Ratione eius quomodo mortaliter aut venialiter peccamus. 35. a. ſi dictat in genere eſſe peccatum hoc eſt veniale aut mortale vnde cognoſcendum. ibid. Dictans per modum præcepti vel prohibitionis obligat. ibid. Actio eius quando bona. ib. quare deponenda eſt 36. b. duo ſunt in ea. ibid. quid tenemur deponere in ea & quomodo. ibid. dictat aliquando per modum obligantis. 36. a. erroris eius cauſæ ſeptem. ibid. perplexitas eius quid & vnde oritur? ibid. cur dicitur, ligare, accuſare, teſtificari. 227. b. dubia quid. 36 b. quomodo reſpectu eius mortaliter aut venialiter peccatur. ibid. remedium eius quod. 37. a. cauſæ deponendi eam. ibid. Ad quam partem debemus nos in ea determinare? 37. b. Scrupuloſa quid. 37. b. obligat ne? 38. a. quando contra eam licet agere? ibid.

Conſenſus acceptiones 101. a. quid ſit? ibid. A quo pendet? ibib. vnde dum? ibid. cur non eſt in brutis? 101. b. in creatura rationali importat determinationem duplicem? ibid. Determinatio eius qualis in brutis? ibid. de quibus inſtituitur propriè ibid. quomodo differt ab electione? 102. a. cur non eſt de fine? ibid. quando re quando ratione differt ab electione? ibid. Ad quas pertinet potentias? 102. b

Conſilium quot modis ſumitur? 98. a. Definitio eius? ibid. cuius potentiæ eſt actus? ibid. aliter eſt in intellectu, aliter in voluntate? 98. b. A quo intellectu, petitur? ibid. quomodo refertur in Deum? ibid. quot ſunt in eo? ibid. obiectum conſilij propriè quod? 99. a Circa quæ contingit? ibid. cur ſignificat collationem inter plures? 99. b quæ arcentur ab eo? ibid. vnde incipiendum? 100. a. quomodo procedit à fine? ibid. Non procedit in infinitum niſi ſecundùm certum ſenſum 100. b. de rebus amicorum cur initur? 99. b. conſulere malo quando licet? 100 b. copini & quintini ſutorum errores qui peccatum dicebant eſſe inanem & falſam opinionem 8. a. Contingentia ratione eius neceßariò eueniunt & quomodo ſubiacent legi æternæ? 223. b. Contractus quos facimus tempore metus quomodo iure naturali ſunt validi & quando non 64. a.

Cordis puritas etiam ibi cognoſcit culpas vbi non ſunt? 36. b. creatio quid præſtat? 220. a. Creaturarum quotuplex eſſe? 215. b. quomodo ſunt Deo præſentes in æternitate? ibid.

D

DEambulatio facta quando opus bonum quando malum? 23. a. Decalogi præcepta qualem habent rationem debiti? 236. b. Defectus cui cauſæ adſcribendus 169. a. cur particulari non vniuerſali tribuendus? ibid. Deformitas peccati quotupliciter inducitur? 137. a. Delectatio multiplex eſt 87. b. in eo quomodo eſt vltimum? 88. b. quando & quale eſt peccatum, 148. b. 149. b. de quotuplici obiecto poteſt eſſe, 149. a. moroſa quando imputatur pro peccato quan-

cato quando non. ibid. *Grauis & vehemens ex aduertentia quale peccatum?* b. *Moroſa vnde dicitur?* 150. a. *In ea reprimenda quotupliciter aliquis poteſt peccare.* ibid. *qui nam conatus in ea debet adhiberi ſi inualeſcat.* ibid. *Præſidia contra eam.* ibid. *elicere eius actum cum conditione ſit ne peccatum.* 151. b. *Conſenſus in eam pertinet, ne ad rationem ſuperiorem?* ibid. *quomodo eſt præambulum quoddam ad actum?* 152. a.

Deſperatio *quid & vnde proueniat?* 562. a. *Diuiſiones eius tres.* ibid. a. *In quo conſiſtit?* 556. a. *conſtitutio eiuſdem?* ibid. a. *Cur ſit peccatum?* ib. b. *conſummata & perfecta quæ?* 558. a. *Poteſt eſſe ſine infidelitate?* ibid. a. *quando non eſt maximum peccatum?* 560. a. *quæ non eſt directè contra Deum* ibid. b. *quando eſt periculoſior & cur?* ibid. b. *vnde oritur communiter?* 561. a. *ſpecialiter oritur ex Acedia?* ibid. b. *Ex acedia exorta cur ſummè perniciosa?* ibid. b. *quando vnum peccatum & quando duo?* 562. b. *ſex modis in eam prolabimur?* 563. a. *quæ & quot ſint media præſeruantia ab ea?* ibid. b.

Deus *cur non operatur moraliter.* 4. b. *Induceit peccatores ad metum gehennæ concipiendum?* 6. b. *Exigit à nobis vt præcepta eius impleamus?* 7. a. *cognitio eius quot modis ſit?* 60. a. *quod bonum vult & ſub quali ratione?* 42. b. *neceſſario ſe amat ſed non inuitus?* 62. a. *quare eo nemo vti poteſt & ſi poteſt ſecundum quem ſenſum?* 104. a. & b. *Cur mundum produxit?* 117. b. *cur non habet iudicij indifferentiam.* ibid. *quare non habet facultatem faciendi bonum vel malum ſed bonum tantum?* ibid. *opus eius quod?* 250. a. *quæ præſtantiſſimæ actiones ei tribuantur?* 220. a. *ad extra quomodo aliquid operatur.* ibid. *cur poſſit eximere ab obligatione legis naturalis & quomodo?* 236. a. *quomodo eſt cauſa obcæcationis & indurationis?* 170. a.

Qualia *ſubtrahit auxilia qualia non* ibidem. *quomodo influit in omnes actiones voluntatis?* 85. a. *quomodo voluntatem mouet?* ibid. *cur ipſi nullam neceſſitatem infert.* ibid. *quomodo neceſſitatem poteſt inferre voluntati?* 86. a. *quomodo neceſſitare poteſt in actibus elicitis & quid agat neceſſitando?* 62. a. *poteſt impedire eandem in actibus elicitis ſed non cogere* 62. b. *quot modis eam poteſt immutare* ibid. *ſolus poteſt eam mouere in genere cauſæ efficientis?* 79. a. *Licet moueat extrinſecè cur non violentus ille motus?* 80. a. *ad eandem actionem cum voluntate actiuè concurrit* ibid. *ſe ſolo quomodo poteſt producere actum volendi quomodo non?* 80. a. *Duobus modis mouet voluntatem?* 80. b. *quare non poteſt eſſe cauſa mali?* 169. b.

Cur *& quos punit filios ob peccatum parentum?* 195. b. *ad conſequendam ſalutem ſingulis confert auxilia* 330. a. *impoſſibilia non præcipit?* 347. a. *nunquam adimit ſufficientia auxilia?* 347. b. *duplici modo ea applicat hominibus?* 348. a. *propter quodlibet opus confert ea homini?* 355. b. *per auxilium efficacis gratiæ quid dat?* 350. b. *eſt agens infinitæ virtutis?* 349. b. *Rebus naturalibus, dupliciter prouidet?* 333. b. *per gratiam efficacem quomodo prædeterminat voluntatem?* ibid. *per efficacem motionem quid faciat?* ibid. *eſt cauſa principalis efficiens gratiæ?* 352. a. *eſt principalis cauſa noſtræ ſalutis?* 354. b. *ſolus operatur eandem?* 357. a. *eſt liber in actionibus.* 368. a. *conſeruat quantitatem cum primo effectu?* ibid. *peccatores non iuſtificat adultos niſi conuerſi fuerint ad illum?* 371. a. *in inſtanti inducit diſpoſitionem & iuſtitiam.* 376. a.

Dialogus *quare non inducit neceſſitatem peccandi?* 171. b. *quomodo eſt cauſa omnium peccatorum?* 172. b. *indirectè eſt cauſa peccati?* 170. b. *Phantaſmatis decipit inanibus?* 171. b. *concitat certo modo potentias?* ibid. *operatio eius circa quid tota?* ibid. *poteſt inducere ex neceſſitate ad actum eum operandum qui ſit peccatum ſed non poteſt inducere neceſſitatem peccandi?* ibid.

Dilectio *Dei eſt effectus naturæ proportionatus?* 309. a. *eſt donum Dei ipſius?* 310 b. *requiritur ad æternam conſequendam vitam.* 316. b. *non poteſt haberi in natura corrupta.* ibid. *A dilectione hominis quo differt.* 331. a. *Dei eſt unus actus ſuper omnia* 308. b. *quid in ſe continet?* ibid. *Dei ſuper omnia duplex.* 307. a. *eius inclinatio non amittitur per peccatum?* ibid. b. *Terminatur ad Deum.* ibid. *Dei naturalis à ſupernaturali differt ſpecie.* 308. a. *actus eius in Deum duplex* 308. b.

Diſtinctio *ſpecifica peccatorum quare ex cauſa finali*

ſa finali ſumitur. 135. a. Diſtinctio inter velle & perficere. 342. a.

Diſpenſatio quid. 236. a qualis nec à Deo nec ab homine fieri poteſt. 237. cur probabile eſt neq; legis naturalis generaliſſima principia neq; præcepta Decalogi etiam virtute Diuina diſpenſari poſſe? 236. b. legis naturalis quomodo admitti poſſit? 238. a.

Diſpoſitiones imperfectæ ſunt ex gratia Dei 319. a.

Dona Spiritus S. quot? 476. a. per illa quid intelligitur? ibid. b. differunt à virtutibus infuſis? 477 a. intellectus non ſunt ſuperflua. ibid. b. intellectus magis ſunt ſpeculatiua quam practica? ib. quibus conceduntur intellectus? ibid. quibus conueniunt? 478. a. ſcientiæ ſunt neceſſariæ ad fidem. ibid.

E

EBrij quando excuſantur à peccato. 159. a. vbi & quotuplicem peocata eorum merentur pœnam? 159. b.

Eccleſia non obligat niſi ad ſubſtantiam actionis? 45. a. leges eius potiùs ſunt de actibus externis quàm internis. 46. b.

Electio quid? 91. b. ad quam potentiam ſpectat? 92. a. cur præſupponit actum intellectus? 92. b. Bruſic propriè non conuenit. 93. a. includit in ſe libertatem? ibid. obiectum eius quod? 94 a. Finis ſub eam cur non cadit? ibid. quomodo antecedit & conſequitur conſilium? 91. a. quæ ad eam concurrunt? ibid. quare eſt actuum humanorum? 94. b. Efficax qualium eſt rerum? 95. a. quare non eſt impoſſibilium? 95. b. libera eſt quoad ſpecificationem. 97. a. ſequitur eam imperium efficax? 105. b. vnde ſumit ſpeciem. 14 a. quantitas eius quando non conſequitur intenſionis quantitatem? 40. b. quando non ſemper eſt tam bona ſicut intentio? 41 a.

Eleemoſyna quid ſignificat? 665. a quomodo diſtinguitur à miſericordia? ib. Eleemoſyna quid ſignificat ſignificatio? 665. a. Quomodo diſtinguitur à miſericordia? ibid. quot ſunt in ea? 665 b. quid requiritur vt ſit meritoria? 666. a. duo concurrunt in danda? 671. a. quis modus ſeruandus eſt in danda ex parte largientis? 677. a. valet ne aliquid in mortali peccato? 666. b. an adſerat vtilitatem peccatoribus? ibid. non diſponit vltimatè ad recipiendam gratiam? 668. b. quomodo præſuppoſita pœnitentia remittit peccata? 669. a. quot modis dimittit peccata? 669 quid requiritur vt aliquis poſſit dare eleemoſynam? 677. b. quotuplex eſt modus ex parte recipientis: ibid. quibus non ſemper danda? 673. a. qualis debet eſſe? 677. a. quid ſit? 665. b. quotuplex eſt actus eius? 665. a. quare dicitur actus charitatis? 665. b. Valet ne aliquid ſine charitate? 666. a. an præter actum charitatis imperetur ab alijs virtutibus? ibid. quotuplex ſit? 665. b. An ſit bona diuiſio in corporalem & ſpiritualem? ib. quot ſunt opera corporalis? ibid An corporalis præſtet ſpirituali? 668. a. quomodo corporalis producit effectum ſpiritualem? ibid. qui ſunt effectus quos producit corporalis? ibid. Spiritualis eſt præſtantior corporali propter tres cauſas: 667 a. Quomodo cadit ſub præceptum? 669. a. Triplici præcepto obligat: 678. a. Hæc præcepta obligant ſub mortali peccato: ibid. duo concurrunt quando obligat? 673. b. non pro omni ſed pro certo tempore obligat qui eximuntur ab hac obligatione? ibid. An habentes dominium rerū temporalium obligantur ad eam. 671. a. Perſonæ Eccleſiaſticæ vel maxime obligantur: 679 a. quali lege obligantur diuites ad diſpenſandum 674 a. Epiſcopi ad charitatem obligantur. 679. b Ex quibus bonis dare obligantur: 680. a. an ad quadruplicem bonorum Eccleſiaſticorum diuiſionem bona diſtribuere obligantur? 680 b. Quando mortaliter peccant ſi non dant eleemoſynam? 679. b. Si ex bonis Eccleſiaſticis non facit eleemoſynam? tenetur ad reſtitutionem: 680 a. Quot ſunt illa ex quibus eſt danda eleemoſyna? 682 a. an ex his quæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ danda ſit? ib. An in extrema neceſſitate homini in quo ſalus Reipublicæ & Eccleſiæ conſiſtit ſubtrahendo de neceſſarijs danda ſit? 672. b. An de illis quæ ſunt neceſſaria quoad ſtatum in extrema neceſſitate proximo danda ſit? 672. b. qui obligantur etiam extra caſum extremæ neceſſitatis dare eleemoſynam? 673 b. Quomodo in graui neceſſitate eleemoſynæ ſatiſfacit qui per contractum aliquid dat: 674. b. an res illa

quæ vſu?

quæ vſu non conſumitur in extrema neceſſitate danda ſit? 675. a. *qui omittit eleemoſynam dare tempore neceſſitatis ceſſante neceſſitate natura tenetur ad reſtitutionem?* ibid. *An poſſit ſine petitione ſurripere?* ibid. *An homo Chriſtianus debeat erubeſcere ſumendo eam?* ibid. *An ex ſuperfluo debeat dari?* 679. a. *Quid ſit dare eleemoſynam ex ſuperfluis:* 673. b. *ſuperfluum cumulare non licet?* 674. a. *An in graui neceſſitate ex ſuperfluis quo ad ſtatum ſub mortali peccato danda ſit:* 673. a. *An cum poſſit egeni neceſſitas ab vno ſubleuari ab alio ex ſuperfluis negligenda ſit:* 674. b. *An illa quæ ſunt diuitum ſint propria pauperum?* 674. a. *ex malè acquiſitis an danda ſit?* 672 *An ex pretio quod ex homicidio aut actu fornicationis percipitur danda ſit?* ibid. *quomodo ex ludo acquiſitis danda ſit?* ibid. *An ex rapina furti vſura liceat dare eleemoſynam.* 676. a. *quomodo tenetur ad reſtitutionem.* ibid. *an ex bonis per ſimoniam acquiſitis danda ſit?* 676. b. *eleemoſynam dare quo pacto malum?* 25. a. *in ea ſunt dicit virtutes diſtinctæ.* 27. a. *Ex ente & non Ente. cur non conſtituitur tertia Entitas:* 130. Entia rationis *Deus quomodo non producit.* 132. a.

Epiſcopis *in Diœceſi cur licet condere leges.* 243. a. *quam habent poteſtatem à Pontif:* 243. b. *Eſſe morale quid requirit tanquam conditionem ſine qua non.* 3. a. *Eua peccante ſolâ non autem Adam fuiſſet ne peccatum originale?* 181. a. *quomodo fuit initium peccati?* 182. b. *Euentus ſequens præuiſus addit ad bonitatem vel malitiam actus.* 53. a. *ſi non ſit præuiſus quid actu addat.* 53. b. *ſubſequens ſed non præcogitatus quando nihil ad bonitatem aut malitiam actus addit?* 54. a. *Non ſatis eſt vt ex actu ſubſecutus ſit præuiſus ſed etiam vt ſit intentus?* ibid *intenditur dupliciter.* ibid.

F.

FEſto *die laborare licet quando?* 64. b.

Fidei *definitio* 449. a. & 450. b. *conſtitutiua eſſentiæ.* 449. a b. *Diuiſio.* 450. b. *perfecta requiſita.* 451. a. *ſubiectum quod?* 452. a. b. *Cauſa principalis.* 405. b. *Eiuſdem deductio.* 399. a. *eius acceptiones.* ib. *obiectum eius duplex.* 401. a. & b. *materiale quod?* 401. b. & 402. a. & 426. b. & 412. a. *Formale quod?* 412. a. 404. a. 430. a. *pri- marium quod?* 436. b. *ſecundarium quod?* ibid. *in ca* Eſſentiale *Trinitas.* 439. a. *accidentarium in* *natio.* ibid. *Ratio formalis qualis eſt?* 432. b. *ob-ectum an ſit complexum?* 407. a. 408. a. *an ſit* *tum?* 415. *non apprehendit ſenſibus.* 412. a. *non* *viſum.* ibid. *in Angelis ex parte credendi in* *plexum.* 408. b. *in eiuſdem obiecto duplex com-* *ſitio.* 407. a. *ſub eiuſdem obiectum cadit incarna-* 411. *ad eius obiectum reuelatio credendorum* *ctat?* 403. b. *in eius obiecto quid primum eſt?* a. *eius cognitio in quo eſt?* 407. a. *Fidei ſubeſſe* *falſum?* 408. *quæ ſunt intellectui apparentia?* a. *conuenit obſcuritas & euidentia?* 412. b. *Re-* *ſcuræ quomodo euidenter creduntur:* 414. b. *ob-* *ritas eſt proprietas.* 413. a. *Apoſtolorum obſcuritas* *quo?* 404. b. *Rebus quomodo claritas & obſcu-* *ineſt:* 413. b. *Lumen an ſit ſufficientiſſimum?* b. *probatio non eſt demonſtratiua:* 416. a. *eui-* *tia audita cur non creditur?* 415. b. *veritates* *ponit Eccleſia.* 406. b. *Myſterijs cum quo conu-* *entia?* 406. a. *Eccleſiæ authoritate opus eſt.* 40 *eſſe quædam quæ demonſtrantur.* 418. a. *res ex-* *dunt capacitatem intellectus omnis creaturæ?* *motui à numerata.* 415. b. *lumine ſupernatu-* *cognoſcimus?* 416. b. *requiſita.* 414. *Rationes ad-* *ctæ à SS. Patribus non ſunt demonſtratiuæ?* 416. a. *Ad res eiuſdem ineuidentia quam rationem co-* *ſcendi habet?* 413. b. *in eius negotijs ad Eccleſiam* *recurritur?* 406. b. *quædam demonſtrantur & ...* *duntur?* 418. a. *Fidei capitum collectionis neceſſ-* 419. a. *de rebus eius Summus Pontifex determi-* *nans errare non poteſt?* 425. a. *in rebus eius an* *rare poſſunt Epiſcopi.* 425 b. & *Concilia authori-* *tate Papæ congregata?* 427. b. *Præceptum affirma-* *tiuum quomodo intelligitur?* 444. a. & 446. b. *Præceptum negatiuum?* ibid. 445. a. 445. b. *Oc-* *cultandæ ſigna duplicia?* 446. b. *intentio ſpecta-* *da.* ibid.

An liceat occultare eam? 446. b. *aliud eſt ne-* *re aliud occultare* ib. *quando poteſt Chriſtianus* *cultare?* 447. a. *quomodo licet negare?* 445. b. *Chri-* *ſtianus an tenetur ſemper profiteri?* 447. a.

fidei duplex? 429. a. interior quid? 429. a. exterior quid? ibid. exterior & interior à quo exit? 443. b. interior in quo & quomodo eſt? 429. b. interior quotuplex? 430. a. Actus fidei vt dicit obiectum fidei materiale per quid explicatur? 430. a. ab intellectu moto à voluntate conſideratus per quid explicatur? 430. b. cum actus ſcientiæ in eodem ſubiecti poſſunt eſſe ſimul. 417. a. & b. & habitus ſcientiæ ſunt diſparata. ibid. ordinatur in obiectum formale fidei. 443. b. Cõfeſſio fidei an ſit neceſſaria ad ſalutem? 444. a. Confeſſio quid? 443. quotuplex? 445. b. ad quid ordinatur? ibid. b. Finis eius quis? 443. b. intellectum dirigit? ibid. vt ordinatur ad cultum Dei quo ſpectat? ib. eſt de neceſſitate præcepti affirmatiui? ibid. quando facienda? 444. a. eſt verè iuris Diuini. 446. a. Confeſſio publica eminentior. 445. b. Confeſſionem externam quando tempus exigit? 444. b.

Fidei Articuli.

Quid ſunt? 420. a. num conuenienter numerentur? 422. A quo collecti? 423. a. ex humanitate Chriſti quot? 422. a. quomodo ſunt duodecem? 422. b. quibus ſunt paſsiua? 424. a. ſunt proprium ſibi obiectum? 435. b. Alij ſunt effectus? 439. b. Alij ſunt velut appendices? ibid. alij ſunt inſtrumenta ad ſalvtem? ibid. Aſſenſus fidei. principium formale per ſe quod? 408. a. Principium formale per accidens quod? ibid cuius ordinis? 406. a. Fidei aſſenſui intellectus quid confert? 406. a. quid dat ſupernaturalitatem? ibid. ad fidei aſſenſum quæ concurrunt? ibid. quibus induamur? ibid. quæ motiua exteriora? 402. b.

Finis quotupliciter conſiderari poteſt? 71. a. & 14. a. b. Formaliter & propriè ſumptus quid. 71. a. De eo non eſt conſultatio. 99. a. Quando cadit ſub conſilium. ibid. quando diuerſo actu à medijs & quando eodem appetitur. 71. a. Actionum deliberatarum qui. 23. b. ex eius intentione bonitas actus interioris dependet. 38. a. Bonitas eius minuit de malitia prauæ electionis. 39. b. quomodo aggrauat peccatum? 142. a. ad ſupernaturalem non inclinamur naturaliter, 124. a. Vltimus in qua conſiſtit. 218 a. conſequendi eius principia duplicia. 393. a. media illi debent proportionari. 312. a. ad conſequendum eum conſilia non ſunt ſimpliciter neceſſaria. 393. b.

Forma naturalis cur non poteſt eſſe cum alia oppoſita ſibi? 126. b. omnis non recipitur niſi in materia. 354. a.

Fruitus ſumit nomen à fructibus & in quo ſimilis illis? 87. a. Quid ſit? ibid. Diuerſo reſpectu pertinet ad voluntatem & intellectum. 87. b. ſoli conuenit creaturæ rationali propriè. ibid. Obiectum eius quod? ibid. & 88. a. quietat appetitum. 88. b. In eo eſſe non poteſt quod nullam in ſe delectationem habet. 88. b. eſt finis poſſeſſi & habiti non in ſpe. ibidem.

Furioſus non peccat non tenetur ad reſtitutionem. 53. a. cur non eſt fur. 157. b. Furtum licet non prohiberetur lege Diuina adhuc eſſet malum. 8. b. quando eſt ſacrilegium. 11. b. cur grauius punitur quàm Blaſphemia. 247. b.

G.

GAudium & lætitia ſoli creaturæ rationali conueniunt. 88. a. quibus ſe prodit. ibid.

Generatio naturalis prius attingit eſſentiam animæ quàm potentias. 186. b. Ab illa quomodo dependent animæ in productione. ibid.

Genus non tantum pro gradu generico ſumitur 18. a. conuenit rei ſecundario in ſecundo modo per ſe iuxta Caietanum. 122. a.

Gratia quid 339. b. nomen eius quomodo accipitur? 340. a. Diuiſio? ib ſubiectũ quod? 338. b. propter iuſtificationẽ confertur? 340. a. quomodo eſt qualitas 333. a. facit ad iuſtificationem. ibid. manet in iuſtis? 335. a inhæret animæ: 335. b. diſtinguitur à virtutibus mortalibus & infuſis? ibid. a. quomodo à charitate diſtinguitur? 336. a. 337. a. eius effectus ſeptem 336. a. eſt principium operis meritorij remotum 337. b. eſt prior virtutibus? ibid. non opponitur peccato contrariè 339. a. quotuplex eſt? 343. a. effectus eius quinq;. ibid. b. quæcunq; illa ſit quæ habet officia. 345 a. in ſufficientem & efficacem rectè diuiditur 348. b.

Gratis data quæ? 340. b. quid ſignificat. ibid. b. poteſt eſſe gratia gratum faciens. 341. a.

Gratum faciens quæ. 340. a. gratis data poteſt cum illa

cum illa

cum illa idem eſſe. 341. a. *quomodocunq́; ſumpta diuiditur rectè in operantem & cooperantem.* ibid. 342. a. *non poteſt eſſe maior in vno atq́; altero niſi ex parte ſubiecti.* 356. a. *habet cauſam diuerſitatis.* ibid. b. *in infantibus baptiſmum recipientibus eſt æqualis.* 357. a. *habet certitudinem duplicem.* ibid. b. *effectus eius qui ?* 359. a. *medium quando recipit ?* 366. b. *pugnat cum peccato.* 368. b *pro obiecto quid habet ?* ibib. *dupliciter conſideratur.* 369. b. *infuſio eius à peccatorum remiſſione quo differt?* 373. b. *eius infuſio quomodo eſt prior.*

Operans. *quid ?* 342. a. *ad eam quæ pertinent: ab illa coniuncta cum cooperãte quomodo idem actus Proueniat:* ibid. b. *quomodo idem eſt cum cooperante:* ibid. *ab excitante & præueniente differt.* 344. a. *Cooperans quid ?* 342. b. *quæ pertinent ad eam ?* 343. a. *cum operante eadem eſt quomodo ?* 343. b.

Præueniens *quem habet actum ?* 344. a. *cur infunditur.* ibid. *dicitur excitans.* ibid. *quid in nobis cum excitante operatur ?* ibid. b.

Excitans *quid agit ?* 344. b. *dicitur præueniens.* ibid. a. *differt ab operantè & præueniente.* ibid. b. *Adiuuans quid ?* 344 b.

Sufficiens *quæ ?* 347. b. *habet meam potentiam ad omnia dona.* ibid. a. *nemini denegatur.* ib. *negligitur à peccatoribus ?* 348. a. *cum efficaci eadem eſt ſed modo differt:* ibid. b.

Efficax *quid ſit ?* 352. a. *vnde ſumit ſuam efficaciam ?* 349. b. *non reuocatur ad quidpiam naturale?* 350. a. *productionis & creationis cur diſpar ?* 353 a.

Habitualis *quæ ?* 345 a. *indiget præparatione hominis ſanctificans ?* 354. a.

Actualis *quæ ?* 345. a.

H.

HAbitus *deſinitio quæ aſsignatur ?* 22 b. *Differentia eorũ à poteatur.* ib *qui ſunt in voluntate quotuplices.* 80. b *in cuius virtute mouent ad operandum.* ibid. *quando dicuntur liberi.* 125. a. *meremur ne illis.* 125. b. *quomodo ſunt cauſæ actuum* ibid. *vnde oriuntur,* ibid *Exſtantes in anima quomodo producunt operationem.* 126. b. *ſemper ijs licet vti vt volumus.* ibid. *quomodo deſtruuntur.* ib. *In illis quæ ſunt & quot.* 127. b *Tam infuſi quàm acquiſiti quomodo non poſſunt eſſe ſimul cum peccato mortali.* 127. a. *vitioſi poſſunt perſeuerare cum infuſis licet non denominabunt homines vitioſos.* ibid. b. *moralium genus vnde ſumitur,* 4. a. *Damur in differentes ſunt & actus.* 22. b.

Homicidium *cauſale quomodo cauſat irregularitatem quomodo non ?* 143. a. b. *quomodo actio tranſiens quomodo immanens ?* 145. a.

Homo *factus ad ſimilitudinem.* 295. a. *lumen ſibi inditum habet ad quid.* 300. a. *nihil habet ex ſe præter mendacium.* 301. a. *Quæ cognoſcere poteſt ſine ſpeciali gratia ?* ibid. b. *Quando de veritatibus moraliter ſumptis cognitionem habere poteſt* 302. a. *An fidei concluſionibus abſq; reuelatione poſſit aſſentiri.* 303 a. *ſimplex fidem poteſt infideli perſuadere rationibus naturalibus quomodo.* ibid. b. *vt credat vt oportet quæ requiruntur.* 304. a. *vt homo operaretur indigebat Dei auxilio:* ibid. *quomodo poteſt aliquid boni per ſe operari:* ibid. *& 305. a quando non poteſt quidquam meritorij.* 304. b. *vt bonum aliquod operetur quod requiritur:* ibid. *Gentilis legem non habet:* 305. a. *Liberum habet arbitrium determinare ſe ad actus:* 305. a. *quando ſine gratia Dei aliquid boni operari poteſt:* 306. a. *virtutem habet ſufficientem ad indiuiduum.* ibid. b. *quando ſine gratia Dei bonum totum facere non poteſt.* 307. a. *in bonis operibus perſeuerare ſine gratia non poteſt.* ibid. *quomodo naturaliter Deum poterat diligere:* 308. b. *quando Deum ſuper omnia diligere poterat* 309. b. *& 310. a. naturaliter poteſt bonum velle & malum nolle:* 309. a. *vnus alterum ſupra omnia poteſt diligere:* 311. a. *quare amicos magis quàm Deum amat:* ib. *quando & quomodo Deum diligere poteſt:* ibid. *ſupernaturali dilectione Deum diligere non poteſt quando & quare ?* ib. *ſine gratia ſpeciali non poteſt mandata Dei adimplere.* 312. a. *& 313. a. non obligatur à Deo ad impoſſibilia.* ib. *Præcepta legis adimplere quando poteſt.* ibid. *Quomodo obligatur ad Deum diligendum:* ib. *quando præcepta Dei ſolo concurſu generali gratiæ obſeruare potuit.* 315. a. *quando naturaliter non poterat præcepta legis obſeruare*

ſeruare? 314. a. vt mandata Dei adimpleat quid requiritur. ib. b. quando ad breue tempus obſeruare poteſt mandata Dei in natura corrupta: ib. mutatur in horas. 315. a. quare non omnia præcepta poteſt obſeruare: ib. non poteſt aliquod præceptum quoad modum charitatiuum adimplere ſine gratia Dei: ibid. b. ſecundum priùs ſanari debuit: 316. a. ſine gratia Dei vitam æternam mereri non poteſt. ibid. viribus naturæ quæ operari poteſt. 317. a. non poteſt naturaliter ſe præparare ad gratiam iuſtificantem. 317. b. in peccato operans bonum non diſponitur ad gratiam niſi remotè. 319. b. vt reſurgat à peccatis quo opus habet. 322. a. peccando triplex detrimentum incurrit. ibid. b. Etiam ſine gratia Dei quando euitare poteſt peccata. 323. a. ad longum tempus non poteſt euitare peccata naturaliter cur. 324. omnia peccata collectiuè naturaliter vitare poteſt quomodo. ib. b. iuſtus in ſtatu naturæ corruptæ quis non poteſt venialia vitare peccata: ibid. Semel iuſtificatus in tota vita non poterit in tota vita peccata vitare niſi ex ſpeciali gratia etiam venialia. 325. a. & 326. b. iuſtus in veniali omnia tenetur vitare peccata. ibid. b. quando non indiget nouo habitu gratiæ. 326. a. in gratia exſiſtens quomodo eſt Sanctus. ibid. b. iuſtus ſine gratiæ auxilio ſpeciali bonum morale operari poteſt. 327. a. quando bonum meritorium præſtare poteſt. ibid. Ad actus ſupernaturales meritorijs præſtandos quo indiget? ibid. b. non cauſat ſibi ſalutem principaliter. 349. b. Habet ſibi auxilia proxima quis 350. a. habet Spiritum S. ib. operatur bonum præueniente gratia Dei. ib. b. in ſyluis enutritus haberet reuelata ad ſalutem quomodo. 335. b. & 336. a. Certus poteſt eſſe de gratia quomodo. 357. a. Amore ne an odio ſit dignus neſcit. ibid. b. quomodo poteſt cognoſcere ſe eſſe in gratia Dei. 358. a. non eſt certus de adeptione gratiæ Dei cur. 359. a. quando ponit eſſe ſine culpa & gratia. 362. a. quis iuſtificari non poteſt. 362. b. à fide ſola iuſtificatur. 363. b. manet in eo peccati admiſſi actus quàm diu. 368. b. quando recedit à peccato. 374. a. Apud Deum poteſt aliquid mereri. 381. a. vitam æternam mereri quando potuit ſine gratia & quando non 383 a. Primam non poteſt mereri gratiam. 389. a. vnus alteri de condigno mereri gratiam poteſt. 390. a. pius finis quis. 295. a. ſtatus ſunt ſep. 292 b. conſtituti in natura lapſa & in natura nuda diſtinctio quæ? 298. b. & 299. a. iudicia ſubiecta ſalſitati. 302 a. Intellectus multis turbatur paſſionibus. ib. natura non eſt formaliter corrupta. 305. a. natura quando fuit ſana. 205. b. Peccatoris omnes actiones ſunt peccata. 306. a. Primi liberum arbitrium alternatum fuit. 303. a. voluntas non præcedit gratiam Dei. 356. a.

I.

IGnorantia quid. 154. a. Differt à neſcientia? ibid. Diuiſio eius multiplex. 155. a. Ignorantia quotuplex. 65. a. quid ſpecies eius? ibid. b. quomodo poteſt eſſe cauſa peccati. 155. b. quæ eſt cauſa peccati & cur non quælibet. ibid. per eam peccare & ignoranter quomodo differunt 156 a. Cur videtur eſſe peccatum & cur non quæuis eſt peccatum. ibid. a. b, propter quid eſt peccatum 155. a. Cui opponitur virtuti. ibid. b. non imputatur pro peccato niſi ratione negligentiæ. ibid. quæ minuit aut auget peccatum, 160. b quæ excuſat & non excuſat à peccato. 159. a. b. Antecedens cur cauſat inuoluntarium. 65. b. comitans quid cauſet & conſequens. 66. a. b.

Vincibilis peccatum in quibus eſt. 158, a. quæ requiruntur ad eam. ib. excuſat ne peccatis 159. b.

Imaginatio immutat organum corporeum. 113. a. quando ſubiacet rationi & quomodo eſt in noſtra poteſtate? ibid.

Imago Dei in homine quomodo eſt. 183. b.

Impedimenta ſuper quem actum maximè ſuperueniunt. 40. a.

Imperium & iuſſio cuius potentiæ actus. 209. b, rationis quale in membra & potentias ſenſitiuas? 114. a. Imperij acceptiones? 105. a. qualem actum hominis notat? ibid. b. illud præſtare cuius potentiæ actus? 106. a, cur aſsignatur in intellectu? ibid. b. quomodo conſideratum in voluntate eſſe non poteſt? 106, b. motionem includit voluntatis. ibid. quomodo ad illud concurrit intellectus 107. a, b. quali conuenit intellectui? 107. b. à iudicio quomodo differt? ib. brutis non poteſt conuenire. 108. a.

Efficax *quid? 108.* b. *priùs eſt vſu. 109.* a. *Actus qui ſub illud cadunt? 110.* a. *non eſt neceſſe vt ante quodlibet præcedat aliquis motus voluntatis? 111.* a. *quod habet actus. 111* b.

Infidelitas *eſt in intellectu: 558.* a. *cur eſſe Diuino aduerſatur. 560.* b.

Intellectus *quomodo mouet voluntatem, 73.* b. *in quo genere cauſæ. 74.* a. *conceditur ei imperium antecedenter ad omnem actionem voluntatis?* ib. b. *ratione eius mouendæ quale eſt principium? 81.* a. *cum ea quomodo ſe habet reſpectu ſummi boni? 87.* b. *imperando quando rationem eius continet? 107.* a. *quomodo mouet & non mouet voluntatem? 111.* b. *poteſt ſe ſupra ſe ipſum reflectere.* ibid. *eſt principium conſequendi vltimum finem. 295.* b.

Cur *ad eum ſpectet repræſentatio obiecti? 74.* a. *plura quomodo concipit aut repræſentat. 90.* a. *quale bonum apprehendit? 96.* a. *quot habet operandi modos? 82.* a. *obiectum eius quod? 300.* b. *cur non cognoſcat res naturales diſtributiuè? 301.* a. *creatura inuiſibilia eo conſpicit?* ibid. *perturbatus quomodo agit? 84.* b. *quibus turbatur? 302.* a. *à Deo quomodo immutatur? 346.* a.

Intentio *quid & quotuplex? 89.* a. *vnde prouenit?* ibid. *ordinatio cur illi conuenit & quare dependet ab intellectu?* ibid. *quomodo conſiderata eſt in voluntate?* ibid. *cur dicitur oculus? & à quo producitur ac dirigitur?* ibid. b. *differt à fruitione & conuenit cum illa?* ibid. *creaturæ rationali competit propriè? 90.* b. *Qualis fuerit tales & fructus profert. 8.* b.

Electio *ex ipſa bonitate ſumit intenſionem? 40* b. *quomodo 41.* b. *intentionis quomodo conſiderata redundat in actum exteriorem & interiorem.* ib.

Iudæi *quo nomine credebant circumciſionem eſſe inſtitutam? 173.* a.

Iudicium *quotuplex? 31.* b. *Rationis variato non variatur actus rationis? 29.* b. *item voluntatis actus.* ibid. *Verum quando eſt practicum.* ibid. *Finis ſpeculatiui & practici qui? 85.* b. *quomodo opprimitur?* ibid. *quæ illud diminuunt. 142.* a. *indifferentia eius duplex? 117.* a. *proprio non debemus niti. 38.* b.

L.

LEx *quid 215.* b. *acceptiones eius? 204.* b. *Differt à iure & præcepto? 205.* a. *deductio eius* [illegible] ibid. b. *varia.* ibid. *Lutherani cur eam tollunt?* ibid. *in iuſto qualis poſita?* ib. *etiam in vita beata eſt?* ib. *neceſſitas eius conſtituendæ quotuplex? 206.* a. *quo modo & à quibus conſideretur?* ibid. b. [illegible] *quam habet & officium? 207.* a. *ad conſtitutionem eius quæ concurrunt?* ibid. *quid præſupponit* [illegible] *quæ propriè dicta?* ibid. *quomodo dependet ab intellectu & voluntate?* ibid. b. *quid de intellectu requiritur* [illegible] *eius ratione?* ibid. *qui actus intellectus requiruntur ad eius conſtitutionem & quomodo vocatur? 208.* [illegible] *quomodo eſt in legiſlatore & in ſubditis?* ibid. *cur* [illegible] *ne vis obligandi ab ea ſeparabilis?* ibid. *cur debet* [illegible] *ſpectare bonum commune? 209.* a. b *& 210.* [illegible] *quo nomine conditur? 209.* b. *quotuplex eſt? 210.* b. [illegible] *militaris grauans cur toleranda?* ibid. [illegible] *omnis à Chriſto* [illegible] *gem ad quem ſpectat? 211.* a. [illegible] ibid. b. *Ad eius* [illegible] *cur ad omnes ſe extendit?* ibid. b. *Ad eius* [illegible] *tionem cur conſenſus multitudinis non ſimpliciter* [illegible] *obligatur? 212.* b. *quando eam conſuetudo* [illegible] *& quomodo?* ibid. b *promulgatio eius cur neceſſaria?* ibid. a. *promulgata quando obligat? 213.* [illegible] *etiam ignorata quomodo obligat? 214.* a. *ſpecies quot habet? 215.* a. *Effectus eius qui? 217.* a. *quomodo facit homines bonos?* ibid. b. *qui effectus* [illegible] *cuntur actus? 218.* b *actiones indifferentes quomodo ſub eam cadunt? 219,* a. *bonitatem quotuplicem habet? reſpectu hominum? 218.* b. *cur permittit mala? 219.* b. *abrogatio eius, explicatio & diſpenſatio quomodo differunt? 236* a. [illegible] b. *247.* a. *quæ omnia peccata punire debet?* [illegible] a. *quando obligat in conſcientia?* a. *quando obligat ſub periculo vitæ? 352.* b. *requiſita ad omnis promulgationem? 269.* a. b. *& 260.* a. b. *diſcrimen* [illegible] *Pontificalis ab imperiali quod? 260.* b. [illegible] *matur? 263* b. *cauſæ mutandæ quæ, 267.* a *quomodo mutari debet & quam facile?* ibid. b.

Æterna *quid? 215.* a. *& 220.* a. *qua ratione promulgata? 212.* b. *cur neceſſariò admitti debet?* [illegible] a. *promulgatio eius duplex?* ibid. b. *cur neceſſaria* [illegible]

ria? 216. b. vnde colligitur? 217. a, quomodo differt à Diuina? ibid. quomodo ſe habet ad creaturas? ibid, b. quotupliciter conſiderari poteſt? 220 b. quomodo intendit finem: ibid. quomodo à Deo quo modo à creatura cognoſcitur? 221. a. quomodo ab ea leges deriuantur? 222. a. cur ei omnes res creatæ ſubijciuntur? 223. a. Eſſentia Diuina an ei ſubijciatur? ibid. naturalia contingentia quomodo ei ſubiacent? ibid. b. cur res humanæ ſubiectæ ſunt illi? ibid quomodo illi boni & mali ſubijciuntur. 224. a cur illud quod per eam ordinatur non eſt neceſſe eſſe æternum? ibid. b quando obligare cœpit? 225. a. à quo promulgata? ibid. quomodo differt à reliquis? ibid quando aliquis ab eius obligatione poteſt excipi? ibid, b. ſolus Deus in ea immutabilis? ibid.

Naturalis quid & cur danda? 216. a. & 227. b. proprietates eius? ibid. quomodo participat æternam? 216. b. cur non eſt propriè habitus? 226. a. cui eſt implantata? ibid. b. cur poteſt dici impropriè habitus? ibid. b. cur eſt actus & operatio intellectus? 227. a, differt à ſynterefi? ibid. b. quomodo diſcrepat à conſcientia? ibid circa quid verſatur? ibid authoritatem vnde ſumit? ibid. quæ præcepta & quàm diuerſa in ſe continet tum in quo tanquam fundamento conſiſtant? 228 a. b. ad eam quomodo actus virtuoſi pertinent & non pertinent? 229. a.b. quomodo vna eſt apud omnes quomodo non 230. a. eius cognoſcendæ aut ignorandæ cauſa duplex? ibid b habet vim obligandi in conſcientia? 231. a, quando promulgatur? ibid. b quando accipit homines obligare ſub pœna peccati mortalis? ib. quanta ſit obligatio eius 232 a. de obligatione eius quotupliciter loqui poſſumus? ibid. dupliciter mutatur? 233. a. Eccleſiaſtica eam mutat quomodo? ibid per ſubtractionem non poteſt immutari vt deſinat obligare? 233 b. conſiderata quoad particularem perſonam cur mutari poteſt? 234. a. ex mentibus hominum quomodo aboleri poteſt & non poteſt? 234. b. 234. a. An interpretatio in eas locum habeat? 239 a. b. Præcepta moralia pertinent ad eam. 276. a.

Humana neceſſariò admittenda? 216. a. circa quid verſatur? ibid. vnde colligitur. 217. a. cur præter Diuinam eſt neceſſaria? 240. b. quomodo ſtatuit aliquid de aliquo, 241. a. quid præſtat & cur propter Diuinam non eſt abroganda? 242 b. vnde deriuatur. 244 a. quibus modis à naturali deriuetur? ib. conditiones eius quæ? ibid. b. & 245. a. Diuiſio eius multiplex. ibid. ratione eius Reſpub. variantur? 246. a. cur in communi pronuntianda? 247. a. differt à priuilegio & præcepto? ibid. ea tantum prohibere debet vitia quæ aduerſantur bono publico. idid. latitudo eius? 248. a cur tam ciuilis quàm Eccleſiaſtica habet vim obligandi in conſcientia? 249 a. cuius opus? 250. a. quando obligat in conſcientia? ibid b. non ſemper obligant ad ſui obſeruationem cum periculo mortis? 253 b. vt habeat vim obligandi quid requiritur? 261. a. b. non acceptari eam à populo quid ſit? 262. b. Poloniæ Regnum in ea condenda quomodo ſe habet? 263. a. quos obligat 264. a quomodo ei iuſti ſubſunt? ibid. b. Beata V. quomodo ab ea non erat exempta? 266. a. Legiſlatores & Principes quomodo ei ſubſunt? ibid apud Venetos quomodo ſe habet: ibid. b. Epiſcopus & Summus Pontifex ſubijcitur ne legi à ſe latæ. 266. a. pro eius interpretatione quo recurrendum? ib. b. per qualem conſuetudinem mutanda. 268. b. quod tempus requiritur vt illi conſuetudo præiudicet? 269. a. quando vim eius conſuetudo habet? ibid. b. modi abrogandæ eius quot? 270. a diſpenſatio eius quid importat? ibid. Epiſcopi diſpenſatio quando valet in ea. 271. a. pœnalis quæ? 255. a. quomodo obligat? ibid. copulatiuè miſta obligat ne? ibid. b. disiunctiuè non obligat in conſcientia? ibid. pœnæ eius legibus expreſſæ triplices? 56. b. qui eam tranſgreditur tenetur ne ad ſubeundam pœnam ante ſententiam iudicis? ibid. Studioſis à Rectoribus per eam quæ iniunguntur pœnæ? 257. b. 258. a. b.

Diuina quotuplex? 217. b. 273. a. quomodo continet pœnas? 241 A quædam eſt quæ cum minori periculo obligat? 245. a. conſuetudo poteſt ne eam mutare? 268. a. modus virtutis ex intentione ſumptus ſub ſolam cadit. 280. a.

Vetus fuit omnino bona ſed imperfecta? 273. a. author eius quis? ibid Patres per eam ſaluati? ib. cui & per quem tradita? 274. quare iudaicæ nationi & non alteri tradita? ibid. gentiles tenebantur ad

tur ad eius obſeruationem? ibid. b. *cur tempore Moyſis conuenienter tradita?* ibid. *ad quid tradita?* *275.* a. *præcepta eius triplicia?* ibid. *quomodo eius præcepta moralia iuſtificabant?* *281.* a. *præcepta eius cerimonialia ad quæ reuocantur & quot ſunt?* *283.* a. b. *finis eorum duplex.* *284.* a. *alia vim iuſtificandi alia à peccando emundandi habebant.* *285.* a. *amiſerunt vim obligandi in aduentu Chriſti?* *285.* b. *non ſtatim tamen ceßarunt poſt Chriſti aduentum obligare?* *286.* a, *quo tempore exſtiterunt mortifera?* ibid. b.

Præcepta *eius iudicialia quomodo ſunt figuralia?* *287.* b. *qualem vim obligandi habebant?* ib. *diſcrimen eorum à cerimonialibus?* *288.* a. *ad quot capita reuocantur?* ibid. *populum Iudaicum optimè inter ſe ordinabant?* *288.* b.

Lex *fomitis non eſt verè & propriè lex.* *217.* b. *quo nomine permiſſa?* ibid. *quâ ratione deriuatur à lege æterna?* *222.* b.

Noua *quid pro ſubiecto habet?* *290.* a. *quomodo iuſtificat?* ib. *Cur à principio mundi non debuit dari?* ib. *quis eius author?* ib. b. *à quo tempore cœpit obligare?* ibid. *quam diu durabit?* *291.* a. *diſtinctio eius à veteri?* ib. a. *veterem adimplet?* ib. b. *quomodo continebatur in veteri?* *292.* b. *quomodo grauior veteri?* ib. *quæ opera determinare debuit?* *293.* a.

Ciuilis *quare malis dat impunitatem?* *219.* b. *cur de eius multitudine & grauitate ſine fundamento conqueruntur Hæretici?* *241.* b. *Pœnæ ab ea iniunctæ quibus exprimuntur verbis?* *251.* a.

Eccleſiaſtica *quibus terminis exprimit pœnas.* *251.* a. *quando cum vitæ diſcrimine ſeruanda eſt:* *253.* a.

Libertas *conuenit actui naturali hominis?* *3.* b. *tur ad actus bonos & malos non poteſt eſſe genus?* ibid. *licet præſupponatur ad moralitatem non tamen in ea ſola eſt moralitas?* *5.* b. *Exercitij in quo conſiſtit?* *97.* a. *à neceſſitate non tollitur?* ibid. b. *voluntatis vnde originatur?* *116.* a. *in qua potentia eſt formaliter tanquam in radice?* ibidem. b. *ad eam quæ requiruntur?* *117.* b. *quæ eſt in ratione quomodo eſt libera?* *118.* a.

Liberum *arbitrium quam perſonam repræſentat in Diuinis ſecundum Alenſem.* *115.* b. *cuius facultatis eſt potentia?* *118.* a.

Lutherus *ſoboles germana Diaboli & quare?* *7.* b. *opinio eius de originali peccato & abſurda quæ eam ſequuntur?* *184.* a.

M.

Macula *eſt effectus peccati?* *191.* a. *dicitur eſſe in anima per quandam ſimilitudinem?* *192.* a. *Deus non intendit eam.* ibid. *quorum bonorum priuationem importat?* ibid. b. *quamdiu manet?* ib. *cauſa eius proxima quæ?* ibid.

Magiſtratus *quotuplex?* *242.* a.

Malitia *quid?* *9.* a. *origo eius quæ?* *163.* b. *quid ſignificat?* *121.* b. *virtuti opponitur:* ibid & *122.* a. *vitio quomodo competit?* *126.* b. *in quibus actionibus eſt duplex?* *25.* a. *alterius non debet eſſe grauamen bonis?* *54.* b.

Malum *quid?* *14.* b. *quid requiritur ad eius eſſe?* *48.* a. *in quantum tale ad obiectum voluntatis non ſpectat?* *69.* b. *cur purum non datur.* *129.* b. *quotupliciter ſumitur?*

Morale *quid?* *14.* b. *Deus non eſt* *15.* a. *diſtinctio eius à naturali?* ib. *eius cauſa?* ib. b. *ſi quid habet perfectionis à Deo eſt?* ibid. *eſt aliqua natura poſitiua?* *14.* b. *opus à quo intrinſece dependet?* *73.* b. *in actione modus applicandi qualis?* ibid.

Martyrum *cruciatus quomodo ſunt voluntarij quomodo violenti?* *63.* b.

Media *bonitatem vnde accipiunt?* *71.* b. *voluntas quomodo ſe ad ea habet?* ibid. *obiectum voluntatis inuenitur in ijs?* *70.* a.

Membrorum *exteriorum actus qui ſubijciuntur rationi qui non?* *114.* a. *quomodo conſiderata magis obediunt rationi quam potentiæ ſenſitiuæ?* ibid. b. *cur nullam reſiſtentiam habent?* ibid.

Metus *quid?* *63.* a. *quæ per eum fiunt quid habent admiſtum?* ibid. b. *tempore eius duæ ſunt voluntates?* ibid *contractus in graui quali iure ſunt validi?* *64.* a. *regulæ duæ ex parte eius?* ibid.

Motus *quomodo eſt in mobili quomodo in mouente?* *93.* b. *quotuplex eſt?* *148.* *primo primi & ſecundo primi qui? & cur peccata cur non?* ibid.

Voluntarius *quid?* *59.* a. *à naturali quomodo differt?* ibid.

Naturalis *quid?* *59.* a.

Senſu-

Senſualitatis *quando imputatur pro peccato?* 138. a.

Mouere *ſe ipſum vt aliquid poſſit quid requiritur.* 76.

N.

NAtura *quot modis ſumitur?* 81. a. *quomodo vt eſt res diſtinguitur à voluntate*: ibid. b. *in homine quotuplex eſt?* 123. a. *Contra eam quot modis aliquid dicitur eſſe?* ibid. *licet per peccatum vitiata non eſſet adhuc eſſet rebellio membrorum facultatis ſenſitiuæ.* 123. b.

Naturale *quid?* 82. b. *quotupliciter conſiderari poteſt?* 229. b. *illo neq; meremur neq; demeremur?* 56. a.

Neceſſaria *quomodo pēdent à lege æterna* 223. a.

Neceſſitas *vnde oritur?* 62. a. *à coactione quomodo differt?* 86. b. 62. a.

Negligentia *quid?* 36. a. *in ignorantia cur eſt peccatum?* 157. b.

O.

OBiectum *quod ordinatur ad finem ſæpé numero fini non eſt proportionatum.* 40. a. *aliarum potentiarum quomodo differt ab obiecto voluntatis?* 73. a. *nullum eſt ita perfectum cuius deſitio non ſit?* 82. b. *in quod neceſſario fertur voluntas?* 83. a.

Obligatio *à iudicio rationis quomodo prouenit?* 208. b. *vnde ſumenda.* 237. a. *reddendi votum cuius effectus legis.* 232. a. *à duplici lege oritur?* ib. b.

Odium *in genere quotuplex?* 693. a. *In ſpecie quotuplex?* ibid. a. b. *cur grauiſſimum peccatum?* 694 a. *eſt ne vitium capitale*: ibid. b. *vnde naſcitur?* ibid. *ex ira quomodo oritur?* 695. a.

Dei *eſt maximum peccatum?* 639. b. *cui opponitur?* ibid. *eſt ſummum malum?* ibid. *grauius eſt peccatum alijs?* 694. a. *poteſt ne ferri in eum & quomodo?* 693. a. *cur ab impijs in eum dirigitur?* 693. b.

Odio *habere fratrem quando peccatum?* 693. b. *parentes quomodo iubet Sacra Scriptura?* 694. a. *in proximo quæ poſſumus?* ib. *quæ habemus.* 695. a.

Omiſſio *quid dicitur.* 127. a. *ſecundum Henricum quotuplex eſt?* 128. a. *negatiua expugnatur & incommoda eius oſtenduntur?* ibid. *de peccato eius quotupliciter loqui poſſumus?* ibid. *peccatum eius vt plurimum ſemper habet coniunctum actum?* ibid. *cur culpabilis nullo modo poteſt eſſe ſine aliquo actu libero?* 129. a. *eius peccatum in quo conſiſtit?* 133. b. *eius & commiſſionis peccatum quare materialiter ſumpta differunt ſpecie non autem formaliter*: 136. a. *per quid ſit tam omiſſio quam commiſſio?* ibid. *non vna eſt inculpabilis?* 61. a.

Opera *humana quæ?* 7. b. *mala quæ?* 22.

Oppoſita *priuatiuè quæ habent medium.* 20. b.

Oppoſitio *inter bonum & malum eſt contraria?* 131 b.

Ordinatio *qualis eſt in intellectu qualis in voluntate?* 92. b. *ab æterna quæ proueniunt?* 221. b. *qualis in brutis & vnde prouenit?* 108. b.

Ordo *rationis quotuplex?* 24 b. *reſolutionis quid?* 100. a. *quomodo ſpectare poteſt ad voluntatem?* 108. a. *quali vtimur in conſilio?* ibid.

Otioſum *verbum quid?* 22. a.

Ozeæ *filij cur dicti fornicationis?* 239. a.

P.

PAganus *impoſſibile eſt vt viuens diuturno tempore careat mortali peccato?* 158. b *ſi Deum quærat in corde humiliato & contrito & in fuga ſuorum peccatorum quæ commoda ſentiet?* ibid. *Dei in eum ſi rectè viuat benignitas quæ?* ibid.

Parentum *obſeruantia quando debitum inſeparabile?* 237. a.

Paſſiones *quando neceſſario mouent voluntatem?* 84. a. *aduertentia in ore ab ijs tribus modis impediri poteſt?* 162. a. *quæ ex ijs peccata fiunt ratione cuius dicuntur fieri?* ibid. *Principium peccati inter illas quæ?* ibid. *omnes quæ ſunt cauſæ peccatorum ad quæ reduci poſſunt?* ib. b. *poteſt ne eſſe peccatum mortale quod ex ijs accidit?* ib. *quibus modis mouent voluntatem?* 161. a. *quomodo id præſtant?* ib. *per eas contra conſcientiam in intellectu exſiſtentem dupliciter in malum ferri poteſt voluntas?* ib. b. *obnubilantibus rationem voluntas poteſt reſiſtere*

reſiſtere? 84. b.

Vehementes *quomodo intelligendum neceſſitate voluntatem?* ib.

Antecedentes *liberum arbitrium diminuunt peccatum?* 163. a.

Conſequentes *electionem liberi arbitrij cur aggrauant peccatum?* ib. *auferentes ex toto vſum rationis quando non excuſant à peccato?* ib. b.

Pater *neceßario in diuinis generat filium ſed non coactè?* 62. a.

Phantaſma *quomodo mouet intellectum?* 77. b.

Peccatum *quid ſignificat?* 121. b. *cui opponitur?* ibid. *ratio formalis eius quæ?* 130. b. *in quali Entitate eius ratio formalis conſiſtit?* 132. a. *Entitatem qualem dicit & quæ cauſa eius?* 132. a. *Diuiſiones eius?* 133 a. b. & 134. a. b. *diſtinctio eius ſpecifica vnde petitur?* 134. a. *cauſa finalis qualem illi dat ſpeciem?* 135 a. *num ſit diuerſum ſpecie propter diuerſas circumſtantias?* 136. b. *faciunt illud circumſtantiæ quæ inducunt nouam deformitatem?* 137. a. *tripliciter alijs peccatis colligatur?* 138. a. *Stoicorum de illo error?* ibid. *habet gradus?* 139. b. *quomodò infinitam malitiam includit?* 140. b. *quantitas eius quotuplex & vnde ſumitur?* ibid. b. a. *principalis cauſa eius grauitatis vnde petitur?* 140. b. *in comparatione eius cum altero quæ regula tenenda?* 141. a. *cauſa & circumſtantia aggrauantne illud.* 142. a b. *perſona in quam committitur aggrauet illud?* 143. b *dignitas peccantis aggrauatne illud?* 144. a. *ſubiectum eius quod?* 145. b. *in appetitu ſenſitiuo non eſt ſine conſenſu voluntatis?* 147. b. *cauſa eius quæ?* 152. *quotuplex cauſa eius.* 153. a. b. 154. *non omnis ignorantia inter cauſas eius numeratur?* 155. b. *ignorantia quomodo eſt illud?* 157. a. *non excuſat illud ignorantia vincibilis?* 159. b. *Deus permittit illud fieri?* 166. b. a. *Deo non operatur nec poteſt operari?* 167. a.

Effectus *eius quinq;?* 190 a *quæ bona inuadit?* ib. *per illud natura humana læditur?* ib. b. *poſt eius commiſſionem macula relinquitur in anima?* 191 a. *quàm diu deformitas eius manet?* 192. b. *quomodo conſideratum non eſt pœna prioris peccati?* ibid. b. *Diuiſum in mortale & veniale poteſt retinere rationem analogam & vniuocam?* 197. a *eius pluralitatem conſtituit non ſola pluralitas formalis ſed requiritur pluralitas materialis?* 25. b. *per illud ex concupiſcentia violenta nemo meretur?* 55. b. *ex concupiſcentia commiſſum cenſetur eſſe minùs quàm ex malitia?* 65. b. *expulſio eius quid?* 375. b. *remiſſum non intelligitur ſine gratia?* 362. a *habet ſufficientē oppoſitionē ad gratiā* 363. a. *non tollitur ſine gratia?* ib. b. *remittitur ſed macula non poteſt deleri?* 366. b. *differt à mor-*

Originale *quid?* 183. a 185. a. *differt à mor...tali?* ibid. b. *in Adam quomodo continetur?* 184. a. *primarium eius ſubiectum quod?* ibid. *priùs eſt in eſſentia animæ quàm in alijs potentijs?* ibid. b. *priùs in ſic voluntatem eſt peccatum naturæ?* ibid. *quæ dicuntur eſſe ab illo ſpecialiter infecta?* ibid. *conſideratio eius duplex?* ibid. *lumine naturali non potuit cognoſci ... ne tamen per reuelationem?* 173 a. *qui illud negant* ibid. b. *ſecundùm fidem quid de illo tenendum?* 174. a. *per illud non ſaltem pœna ſed etiam culpa* ... *debet intelligi?* ib. *per quid transfunditur & habet ne verè rationē peccati?* ib. b. *error Pelagianorum de illo?* ibid *cur trahitur à poſteris?* 175 a. *non in ſua ſpectatum in poſteris ſed in aliena perſona ...tur?* ibid. b. *deliquerunt illud poſteri Adæ priuſquam extiterint?* ibid. *A ſola Adam transfundi potuit?* 176. a. *modus transfuſionis eius qui?* 177. a *filij Adæ ante illud geniti inquinarentur ne illo?* ib. b. *in pueris natis non producitur per generationem ſed ſubſequitur rationè peccati Adæ?* 180. a. *Anima cur illo inquinatur?* ibid. b *formatus virtute diuina ex carne contraheretne illud.* 180. a. *qui ex dæmone incubo aut ſterilibus generantur contrahuntne illud?* 181. b. *ſi ſolum Eua peccaſſet nullum fuiſſet?* ibid. a *non eſt ſubſtantia?* 183. b. *quæ bona inuaſit?* 190. a. b. *mala ex eo quæ manant?* 191 a. *per quid ſublatum eſt.* 290 a.

Spirituale *quomodo & quare carnali grauius?* 141. *plùs habet de auerſione quàm conuerſione?* ibid. *contra quem eo peccamus?* ibid. *quæ eius ſpecies & quot tum quibus conſumantur potentijs?* 135 a.

Carnale *peccatum quot ſpecies habet?* 135. a. *quibus conſummatur potentijs?* ibid. 134. b *cur ei annumeratur auaritia?* ibid. *Leuius eſt ſpirituali?* 141. b. *incentiuum eorum magnum vnde.* ibid. *maioris*

maioris eſt infamiæ quàm ſpirituale 142. a.

Mortale quid? 169. b. cur dicitur tale? ibid. diſtinctio eius ſpecifica à mortali vnde ſumenda? 198 a. quomodo ex eo fit veniale? 200. a. puerum nondum baptizatum & ad vſum rationis peruenientem probabile eſt non ſtatim illud delinquere? 201 b. quomodo poteſt eſſe cum gratia in eodem ſubiecto? 367. b. effectus eius qui? ibid. cum gratia pugnat? 368. b. ſubiectum eius quid? ibid. eius deteſtatio quomodo ſe habet? 374. a. ad qualem pœnam obligat? 134. a. quotuplex eius pœna ad quam obligat & quare maior aut minor? ibid. à quo deordinat? 136. a. quomodo infinitum? 140. a. b. cur homini imputatur? 192. b. priuatio gratiæ eſt illi eſſentialis? 193. a. cur habet pœnam æternam cum ſit temporale? 195. a. Differentia eius à veniali à Scoto & Caietano non eſt ſufficienter aſſignata? 197. a. quomodo ex veniali poteſt fieri? 199. a quinq; modis fit ex veniali? ibid. b. quomodo ex eo poteſt fieri veniale? 200. a. b.

Veniale quid? 196. b. quotupliciter dicitur? ib. quomodo poteſt eſſe mortale? 198. b quomodo directè diſponit ad mortale & indirectè? ibid. poteſt ne mutari in mortale? 199. a. b. modi quibus ex eo fit mortale? ibid. non imprimit maculam licet gratiam impediat? 200 a. in ſtatu innocentiæ cur non potuit eſſe? ibid. b. Angeli boni & mali non poſſunt illud delinquere? 201. a. impoſſibile eſt illud eſſe cum ſolo originali abſq; mortali? ibid. non tollit meritum à perſona ſed ab actu quem afficit? 55. b. cur Deus permittit nos incidere in illud. 325 b. iuſtus in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt illud vitare omne ſimul? 324. b. quomodo punitur in inferno pœnâ æterna? 195. a.

Perfectiones certæ odio interdum habentur? 82. b. quotuplices ſunt & vnde morales cum naturalibus proueniunt? 53. b.

Politicus homo cur plurimorum amicitias & plures poſſeſſiones expetit? 90. a.

Pontifex Summus vnde ſumit poteſtatem? 211. b. cur vocatur caput viſibile & miniſteriale Eccleſiæ 212. a in rebus fidei definiendis aut in morum regula præſcribenda cur errare non poteſt? ibid. eius poteſtas cur ſuprema? ibid. in quibus diſpenſat? 236. b. habet poteſtatem condendi leges Eccleſiaſticas 243. a.

Potentiæ quomodo differunt ab habitibus? 22. b. inferiores quomodo mouemus ad exſecutionem? 108. b. membra quomodo ſe reſpectu earum habent & quomodo mouentur ab ijs 113. b quæ functiones ſuas exercent ſecundum vim animæ vegetatiuæ. ib. magis membra quàm ſenſitiuæ obediunt rationi? 114. b. animæ quot ſunt & quod vulnus vnaquæq; illarum per peccatum accipit? 190. b.

Poteſtas ferens leges quid debet habere & quid ſit? 211 a. Pontifici & Regibus vnde confertur? ib. b. condendi leges in Rebuſpub. à quo data? 242. a. ſuprema in terris cur nulla? 243. b. humanæ cur obediendum? 249 a. tam in ciuili quàm in Eccleſiaſtica Repub. cur debuit relinqui? ibid. b.

Eccleſiaſtica quotuplex? 211. a. eius loci in ſacris? 249. a. b. quid intendit? ibid. pœnas quas imponit & quibus exprimuntur nominibus? 251. a.

Ciuilis quid intendit? 211.

Præcepta omnia moralia ad quid pertinent? 276. a. continent præcepta virtutum? 277. a. veteris legis ad quid reducuntur impropriè iuſtificabant? 281 a. b.

Cerimonialia veteris legis ad quid reuocantur? 283. a. cur multiplicia? ibid.

Decalogi in duplici tabula collocantur? 277 b. prioris tabulæ duo præcepta continent? 278. a. in illis ſculptilia non prohibentur? ibid. cur quædam diſtinguuntur licet vnum ſignificare videantur? ib. quo ordine ſunt ordinata? ibid. b.

Iudicialia quomodo ſunt figuralia? 287 b. quo differunt à cerimonialibus? ibid. qualem vim obligandi habent? ibid ad quot capita reuocantur? 288. a populum Iudaicum optimè inter ſe iudicabant? ibid. b. ordinabant qua ratione cum exteris ſit procedendum? 289. a.

Domini poſitiua aliter ſe habent ex parte peccati commiſſi tempore metus? 64. b. etiam propter vitæ conſeruationem non debet tranſgredi in duobus caſibus? ibid.

Præſumptio quot modis accipitur? 564. b. ſubiectum eius quotuplex? ibid. ex duplici cauſa oritur? 569. b. expellit ne habitum ſpei? 566. a. eſt

minus

minus peccatum deſperatione? 567. a. *innixa Deo quæ eſt?* 365. a. *proxima eſt inſaniæ?* 568. a. *eſt peccatum contra Spiritum Sanctum?* 365. b. *opponitur directius ſpei quam fidei?* 568. a. *quænam ſit grauius peccatum?* 565 b. 567. a.

Principi *quando grauis infertur iniuria?* 212. b.

Priuatio *quotuplex?* 139. a. *quæ accipit inæqualitatem quæ non?* ibid. *menſura eius quæ?* ib. *quæ eſt veterior?* ib. b. *vnde ſumit ſpeciem?* 134. b.

Promulgatio *quid ſignificat?* 213. a. *non eadem ratione conſtituitur?* ibid. *quando habetur pro ſufficienti?* ibid. b. *quæ leges ſtatim poſt eam obligandi vim habent?* 214. b.

Q.

QValitates *perſonarum aut minuunt aut augent peccatum?* 67. b. *exceſſum earum impediebat iuſtitia originalis in ſtatu innocentiæ?* 191. a.

Quantitas *circa actum & intentionem finis dupliciter conſiderari poteſt?* 40. a.

R.

RAtio *quotuplex?* 102. b. *ſola poteſt facere applicationem vnius ad alterum?* 103. b. *poteſt ordinare de actibus voluntatis?* 110. b. *qui actus voluntatis ei non ſubijciuntur?* 111 *quomodo actus voluntatis ab ea dicuntur imperari?* 111. b. *quomodo eius actus imperari poſſunt?* ibid. *circa eius obiectum duo contingunt?* 112. a. *appetitus ſenſitiuus non ſubiacet imperio eius?* ibid. b. *iudicium eius quare cum indifferentia?* 116. a. *quomodo proponit obiectum voluntati?* 117. a. *non eſt libera à neceſſitate quoad ſpecificationem?* 118. b. *eius regulæ carentia in noſtra voluntate eſt ne malum?* 153. a.

Superior *quid?* 151. a *circa quæ verſatur?* ib. *conſenſus in delectationem an pertineat ad eam?* ibid. b *poſſit ne in ea eſſe peccatum?* 152. b. *quando dicitur conſentire?* 102. b.

Inferior *quid?* 151. a. *circa quid verſatur?* ib. *non notat potentiam diſtinctam à ſuperiori?* ibid. *conſenſus in delectationem pertinet ad eam?* ib. b.

Rei *cuiuſlibet eſſentiam quæ & quot conſtituunt?* 122. a. *triplex èſt & triplicem habet bonitatem.* 9. a. 122. b.

Corporea *quomodo agit in incorpoream.* 77. b.

Carens *cognitione quid agit obtẽto fine?* 88. a.

Fruenda *vti quid ſit? & num ſit peccatum* 104. a.

Regis *obligatio quæ?* 29. b.

Regula *actuum humanorum quæ?* 14. a.

Relationes *Phyſicæ quomodo producuntur?* 132. a.

Religionis *Chriſtianæ ſumma perfectio quæ?* 218. b.

Rixa *eſt ne ſemper peccatum?* 715. a. *ſit ne filia iræ?* ibid. *definitio eius?* ibid. *differentia à contentione?* ibid. *quando eſt mortale quando veniale peccatum?* ibid. *vnde oritur?* ibid. b. *quomodo differat ab odio?* ibid. *ad eam ſpectat duellum.* ib.

S.

SAcerdos *ſi ſacrum faciendo barbam fricaret à peccato non excuſaretur?* 23. b. *tendens arcum licet non intendat homicidiũ irregularis ſit?* 142. b.

Sacri *audiendi omiſſio non quælibet imputatur ad peccatum?* 61. b.

Sapientia *eſt donum Spiritus Sancti?* 721. a. *quotuplex eſt?* ib. *quare ſit ſummè excellens?* 721. b *quæ non poteſt eſſe cum peccato mortali & quare?* ibid. *A fide diſtinguitur?* 722. a. *facit iudicium de rebus diuinis?* ibid. *correſpondet charitati?* 721. a. *eius ſubiectum quod?* 721. a.

Sapientiæ *donum ſecundum diuerſos gradus poſſidetur?* 722 a. *cui beatitudini correſpondeat?* ibid. *præſupponit fidem?* 722. b.

Scandalum *quid ſignificat?* 716. b. *quid ſit?* ibid. *quotuplex eſt?* 717. a. *paſſiuum ſemper eſt peccatum?* 717. b. *Actiuum eſt ſpeciale peccatum?* ibid *Actiuum quandoq; mortale quandoq; veniale eſt peccatum?* ibid. *paſſiuum an in viros fortes cadat?* 718 a. *actiuum in perfectis locum non habet?* ibid. *quando eſt ex malitia?* 717. a. *in genere eſt vitium oppoſitum beneficentiæ?* 716. b. *intendit lædere proximum?* ibid. *an ob idem vitandum ſpiritualia & temporalia bona amittenda?* 718. b.

Schiſma *vnde dicitur?* 701. a. *quid ſit?* ibid. *quotupliciter contingat?* ibid. *in quibus conſiſtit?* 701. b. *& hæreſis quomodo ſint effecta?* ibid *quomodo eſt ſeparatio?* ibid. *quot modis amittitur?* 702. a. *quomodo eſt peccatum conſummatum?* 202. a. *ſecundùm magis & minus quomodo intelligitur?* 702. b. *propriè quomodo intelligitur?* 702 b. *cur eſt peccatum ſpeciale?* ibid. *Corpus Chriſti lacerat & ſcindit?* ibid. *charitati opponitur?* 703. a. *an ſit grauius peccatum infidelitate?* ib. *vnde oriatur?* 703 b. *quale eſt peccatum?* ib. *ſchiſmaticus quis dicendus?* 701. b. *quis deterior dicendus?* 702. b. *ſchiſmatici an habeant poteſtatem?* 703. b. *Epiſcopi an poſſint conferre Ordinis Sacramentum?* 704. a. *an conuenienter excommunicantur?* ib. *mentales an incurrunt excommunicationem?* ibid. *in iiſdem & hæreticis non ponitur poteſtas iuriſdictionis?* 704. a.

Scripturas *corrumpendi duplex modus?* 250 b.

Seditio *vnde dicitur?* 716. a. *quid ſit?* ibid. *eſt peccatum ſpeciale?* ibid. *vnitatem ſcindit?* ib. *propriè & formaliter eſt contra pacem charitatis?* ibid. *materialiter eſt contra iuſtitiam?* ibid. *eſt peccatum mortale?* ibid. *A quibus differt?* 716. b. *vbi eſt?* ibid. *Reipublicæ ſecularis vnitatem diſtrahit?* ib. *eſt multitudinis contra multitudinem?* ib. *eſt inter ciues eiuſdem Reipublicæ?* ib.

Seditioſi *qui non ſunt dicendi?* ib.

Senſualitas *quomodo conſiderata non eſt peccatum?* 146. a.

Spes, *ſpei præcepta dantur?* 568. a. *eius præceptum quomodo dictum?* ibid. *quotuplex?* ibid. b. *vtilitas quæ?* ibid. a.

Studioſitatis *officium quod?* 157. b.

Studium *quale debet eſſe in negotio vires humanas exſuperante?* 158 a.

Stultitia *eſt oppoſitum vitium ſapientiæ?* 723. a. *differt à fatuitate?* ibid. *quare importat quendam defectum?* ibid. *quando non eſt peccatum?* ib.

Si *prouenit ex diſpoſitione naturali quid?* ibid. *vnde oriatur?* 723. b. *eſt ſtupor ſeu hebetudo?* ib. *eſt filia luxuriæ?* ibid.

Subtractio *auxiliorum à Deo ad quem finem ordinatur?* 170. a.

Superbia *quid?* 36. a. *quotupliciter accipitur?* 188. a. *quando eſt ſpeciale peccatum quando generale?* 188. a. *quo differt ab auaritia & in quo conuenit?* 189. a. *cur eſt initium peccati?* ibid. *quæ vitia ſub ſe continet?* 248. b.

T.

Tempus *ad examen faciendũ & conſilium indem aptiſſimum?* 37. b.

Timor, *Timoris præceptũ quomodo obligat?* 570. a. *Omiſſionum ſpecificet peccatum?* ibid. b. *ſeruilis quàm filialis præcepta dantur?* ibid. b.

V.

Virginis *pudicitia ſi per vim expugnetur ad noxam peccati euitandam non ſolùm repugnare debet voluntate ſed etiam per actus externos?* 63. b.

Virtuti *oppoſita quæ & quot ſunt?* 121 a. *quæ in ea conſiderantur?* ibid. *eſſentia eius quæ continet?* ibid. *quid ſignificat?* ibid. *cur contrariam inducit diſpoſitionem?* 123. b. *bonitatem quotuplicem habet & quomodo ſe habet bonitas ad eam?* 123. a. b. *quomodo eſt perfectior actu ſuo?* 125. b. *eius ratio ſecundùm Diuum Thomam quid?* 126. a.

Virtutes *connaturales homini quæ?* 124. a *quotuplices ſunt?* 126. a.

Acquiſitæ *quid & infuſæ quid?* 126 a.

Infuſæ *cum mortali peccato quadam eſſe poſſunt?* 126. b. *A mortali peccato corrumpi non poſſunt?* ibid. *A quo in eſſe & conſeruari dependent?* 127. a *quomodo manent in homine præſente mortali peccato?* ibid. b. *quomodo ſimpliciter non habent rationem virtutis?* ibid. *ab oppoſitis virtutibus quomodo diſtinctio peccatorum ſumenda?* 134. b.

Viſio *Dei quot modis ſumitur?* 572. a. *intellectus creatus poteſt eam clarè exercere?* ibid. b. *proportio inter eam & oculum ad colores?* 573. a. *loca eius in ſacris?* ibid *felicitas hominis in ea conſiſtit?* ibid. *naturale eſt eius deſiderium in nobis?* ibid. b. *loca in ſacris contraria illi ſaluantur?* ibid. *A beatis de facto exercetur circa diuinam eſſentiam* 574. a. *Caluini de ea error?* ibid. b. *quando accidit?* 572. b. *ex parte rei viſæ nullam requirit ſimilitudinem*

litudinem? 576. a. *ſine vlla ſpecie impreſſa exercetur circa eſſentiam diuinam?* ibid. b. *in ea eſſentia diuina eſt?* ibid. *quod videtur & quo videtur?* 579. a. *Eſſentia diuina quomodo ad eam concurrit?* 580. a. b. *ab oculo corporeo non poteſt exerceri etiam glorificati?* 580. a. 581. b. *ad eius exercitium non eſt ſufficiens intellectus creatus per ſua naturalia?* ibid. a. b. *intellectus creatus ad eius exercitium indiget lumine gloriæ & quare?* 584. a. b. *quomodo ſe habet lumen gloriæ ex parte intellectus ad eam?* 585. b.

Vnde *eſt quod vnus beatus perfectiùs eam habeat altero?* 588. a. & 589. a. *cur in beatis non eſt inuidia ex inæqualitate eius?* ib. b. *non ſola Eſſentia diuina cauſat eam ſed etiam intellectus & lumen gloriæ?* 590. b. *quomodo per eam beati vident intellectionem qua Deus ſeipſum comprehendit?* 591. b. *eſt certus in ea modus reſpectu Dei & eorum quæ percipit in eo?* 593. a. *cum exercetur circa Eſſentiam Diuinam à beato ſimul neceſſariò tres videt perſonas?* ibid. b. *etiam per abſolutam Diuinam potentiam non poteſt vna Perſona videri ſine alia?* 594. a. *per eam non videntur omnes creaturæ quæ à Deo produci poſſunt ſecundùm illarum quidditatem & eſſentiam?* 597. a. *beatus quæcunq; per eam vidit in Verbo ſimul omnia videt & non ſucceſſiuè?* 600. a.

Volitum *formale reſpectu Dei conſideratum quid?* 43. a. *in materiali non peccat homo licet non concordet cum Diuina voluntate?* 43. b.

Voluntarium *ſolum laude & vituperio dignum?* 56. a. *quid ſit?* 58. a. 59. a. *quæ habet requiſita?* 59. a. *differt à naturali?* ibid. *quomodo reſpicit obiectum?* ibid. *operari non poteſt niſi illi obiectum aliquod proponatur?* ibid. *quomodo differt à ſpontaneo & libero?* ibid. *quotuplex eſt?* ib. a. *quomodo in brutis inuenitur?* 60. a. *in creatura rationali eſt perfectum in brutis imperfectum?* ib. b. *ſumitur dupliciter?* ibid. a. *ſumptum directè neceſſariò debet habere aliquem actum?* 60. a. *indirectum autē poteſt quandoq; eſſe ſine vllo actu.* 61. a.

Voluntas *quid?* 16. a. *quando ad aliquid mouetur per intellectum quod inculpabiliter putat eſſe bonum illud ipſum non eſt malum?* 35. b. *vtraq; licet oppoſita poteſt eſſe bona?* 42. a. *obiectum eius quod?* ibid. b. 69. a. *primarium & ſecundarium ...* *ctum quod?* 70. a. *Eam Diuino placito non con...* *mare quomodo non eſt peccatum?* 44. a. *eſt proxima Regula actionum humanarum?* 48. a. *triplici... eam contingit ſecundùm ſe fieri meliorem vel p... rem?* 50. a. b. *etiam non exſequatur propoſitum ... impedimentum aliquod præmium aut pœnam me... tur?* 51. a. *reputari eam pro actu quomodo intel... gendum?* 52. a. *aliud eſt à velleitate?* ibid. *ali... ex parte operantis conſideratur aliter ex opere op... rato?* 53. a. *violentiam quomodo pateretur? ... talis eius violentia vnde oritur?* 62. a. *quomodo à Deo impeditur in actibus?* ibid. b. *ſumpta pro p... tentia & actu quomodo tendit in finem & medi...* 70. a. *officium eius quod?* 72. a. *potentias animæ ... getantis aut ſentientis in aliquibus an operati... bus mouet?* ibid. *intellectum non in omnibus ... nibus mouet?* ibid. *quando maximè mouet intelle... ctum?* 73. a. *imperium quare exercet in omnes p... tentias?* ibid. *mouet potentiam in quo ſenſu ... piendum?* ibid. *in omni ſua operatione à quo de... pendet?* ibid. b. *motionem eius quid facit?* 75. a. *quotupliciter ſeipſam mouet?* 76. a. *à ſe aliter ... uetur aliter ab intellectu?* ibid. b. *quomodo ſe mo... uet ad intentionem finis?* ibid. *Effectiuè aliquando licet intentionem finis producat non tamen moraliter?* ibid. *quando ab aliquo exteriori mouet non neceſſi... tatur à cælis?* 78. a. *A bonis & malis Angelis quomo... do mouetur?* 81. b. *modus cauſandi quotuplex ei conuenit?* 82. a. *in quantum eſt volitiua boni fer... tur in bonum commune?* ibid. *circa quid neceſſa... riò ſe habet?* ibid. *quoad ſpecificationem actus quo... modo poteſt neceſſariò & non neceſſariò ab aliquo moueri?* 83. a. *aliter mouetur in præſenti vita aliter in beatis?* 83. b. *in amentibus ſe habet paſſiuè?* 84. b. *nihil intendit niſi hoc ipſum ab intellectu ſit cognitum?* 89. a. *ſimul & ſemel quomodo poteſt plura intendere & quare?* 89. b. *quomodo vno actu in... tendit finem cum medijs quomodo non?* 90. b. *cauſa eſt boni aut mali?* 92. a. *quomodo ab intellectus conſultatione determinatur?* ib. b. *volitio ad eam tantum ſpectat non ordinatio directè?* ibid. *quando neceſſitatur ad tale medium eligendum?* ibid. 97. b.

97. b. in conſentiendo quid debeat obſeruare ne incidat in peccatum? 103. b. eius actus immanens qua ratione mouet alias potentias? ibid. a. actuum eius proceſſus qui? 105. a. b. eſt primum mouens inter vires animæ quantum ad exercitium? 107. a. cum intellectu mutuò ſe præueniunt? ibid. quando eſt ſuperior ipſo intellectu? ib. quomodo concurrit ad imperandum? ibid. b. nihil poteſt circa finem & media quomodo intelligendum? 109. b. poteſt ſibi imperare ratione eius quomodo peccatum ſit grauius 142 a. Grauitas eius quando in confeſſione exprimenda? ibid. in ea quomodo peccatum eſſe nequit quamuis ſit formaliter libera? 147. b. cur peccati cauſa eſt immediata? 153. a. quid eam mouet ad peccandum? 161 a. contra ſcientiam in intellectu exſiſtentem à paſſione in malum quotupliciter poteſt moueri? ibid. b. Eadem ne ratione cum intellectu in finem tendit? 208. b.

Eius actuum proceſſus qui? 105. a. b. qui non ſubijciuntur rationi? 111. a. cur non habent vim præcepti quemadmodum actus intellectus? 208.

Dei in quo eſt? 41. a. ei contrauenire quomodo impium? 45. a.

Noſtra cur debet conformari diuinæ voluntati idq; tam in formali quàm in materiali? 42. a. Bonitatem ſumit à Diuina? 42. b. in quo ſenſu Deo in omnibus conformanda? 43. b.

Creata dum vult aliquod bonum particulare vt ſit bona quid debet facere? 42 b.

Efficax licet pro actu reputetur cur à Deo Actus exterior præcipitur? 52. a. Quæ non aſſequitur ſuum finem quomodo dicitur perfecta? 53. b. non aſſecuta finẽ in præmio aut pœna detrimentum non debet pati? ibid.

Vota debemus ſoluere de iure naturali? 236. b.

Vſus cuius potentiæ eſt actus principaliter? 103. a. quid & quotuplex ſit? ibid. quomodo alijs etiam conuenit potentijs? ibid. b. Actiuus & paſſiuus qui? ibid. qui illorum in voluntate qui in alijs potentijs reperitur? ibid. quomodo differt ab vti? ibid. remouetur à brutis? ibid. obiectum eius quod? ibid. ab Electione quomodo differt? 104. b. quando electione prior quando poſterior? ib. quando inter illum & electionem non eſt quærenda realis diſtinctio? ibid. aliquando eſt prior imperio aliquando poſterior? 108. a.

Vti & frui quomodo differunt? 104 a.

Vxorum pluralitas cur permiſſa fuit ſucceſſiuè? 238. b.

CORRIGENDA.

~~3.~~	~~b.~~	~~18.~~	~~Sumenda pro ſumit.~~
~~20.~~	~~a.~~	~~41.~~	~~oppoſitio p. oppoſitione.~~
34.	b.	19.	vllæ p. ille.
39.	b.	23.	Omſenſu p. conſenſu.
39.	b.	34.	eum p. cum.
53.	a.	30.	tribuus p. tribus.
81.	a.	5.	voluntatã p. voluntatem.
84.	a.	6.	ſ. pro ſi.
117.	b.	17.	nlhilominꝰ p. nihilominus.
128.	b.	44.	ſolitat p. ſolicitat.
135.	b.	43.	peecati p. peccati.
136.	b.	9.	Paccatorũ p. peccatorum.
142.	a.	3.	quamdo p. quando.
157.	a.	2.	offieij p. officij.
158.	a.	22.	inuicibilis p. inuincibilis.
158.	b.	16.	hominen p. hominem.
182.	a.	6.	paccatum p. peccatum.
192.	b.	38.	peecatum p. peccatum.
210.	a.	28.	ſie p. ſic.
211.	b.	19.	Ioſuæ p. iuſue.
218.	a.	4.	faeit p. facit.
220.	b.	8.	eoincidunt p. coincidunt.
223.	a.	3.	ſubijeatur p. ſubijciatur.
224.	b.	12.	terno p. æterno.
224.	a.	2.	immutabilitatã p. immutabilitatem.
227.	b.	10.	autæm p. autem.
227.	b.	13.	hebet p. habet.
234.	a.	16.	ſtt p. ſit.
236.	a.	21.	explieamus p. explicamus.
236.	a.	43.	vſſit p. iuſſit.
237.	b.	3.	vitiari p. vitari.
239.	b.	34.	traſlatio p. tranſlatio.
240.	a.	16.	inportabile p. importabi.
244.	b.	34.	conditioues p. cõditio.
243.			conſecentia p. conſciẽti.
133.	b.	26.	quatur p. quatuor.
142.	a.	30.	quamdo p. quando.
145.	b.	36.	ſebundo p. ſebeundo.
182.	b.	31.	orginalis p. originalis.
165.	b.	15.	voluntarie p. voluntariũ.
174.	a.	4.	prodeterminauione pro determinatione.
182.	a.	27.	paccatum p. peccatum.
192.	b.	38.	peecatum p. peccatum.
237.	b.	34.	pettus p. Petrus.
306.	b.	41.	ſenſitui p. ſenſitiui.
402.	b.	18.	ſaptura p. ſcriptura.
410.	a.	9.	ſubto p. ſubito.
464.	b.	15.	pertingebãt p. pertinebãt.
440.	a.	27.	Epicopum p. Epiſcopum.
451.	a.	39.	pocedit p. procedit.
606.	a.	41.	nom p. non.
610.	a.	29.	conduſio p. concluſio.
611.	a.	9.	charitis p. charitatis.
626.	a.	2.	charitat p. charitas.
627.	b.	30.	ſtaſtatas p. ſtatus.
631.	b.	7.	diecit p. dicit.
631.	b.	33.	ſeeundis p. ſecundis.
633.	b.	7.	benefieis p. beneficijs.

INSTITUT

17.594-5
9307